




SUMMA CONCILIORUM OMNIUM.

M. LUDOVICI BAIL

Abbavillæi Doct. Theolog. ac Propœnitent. Parif.

SUMMA CONCILIORUM OMNIUM

ordinata, aucta, illuſtrata

EX MERLINI, JOVERII, BARONII, BINII, CORIOLANI, SIRMUNDI, Aliorumque Collectionibus, ac Manuſcriptis aliquot,

CUM

Annotationibus, & Controverſiis partim Dogmaticis, partim Hiſtoricis, ac verborum Indice locupletiſſimo,

ULTIMA HAC EDITIONE

A pluribus erroribus diligenti multorum Exemplarium collatione expurgata.

Ea porrò in ſex Claſſes diſtribuitur.

I. Concilia exhibet Veteris Teſtamenti.
II. Concilia Orientalia.
III. Concilia Occidentalia.
IV. Vulgata Provincialia.
V. Ex Regionibus variis addita.
VI. Decreta aliquot Pontificia, ac Synodos Diœceſanas.

TOMUS SECUNDUS

Tres poſteriores Claſses continens.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, M.DCCI.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



INDEX CHRONOGRAPHICUS
CONCILIORUM PROVINCIALIUM
HOC SECUNDO TOMO CONTENTORUM,

Una cum Generalibus, passim in priori Tomo reperiendis.

Accedit series Summorum Pontificum.

ANNO

ANNO

AN-

AN-

	Romanum anno 904. ibid. Revennatense anno eodem. ibidem.
ANNO CHRISTI 905. *Benedictus IV. Roman. annis 3.*	
ANNO CHRISTI 907. *Leo V. Ardeatinus diebus 40.*	
ANNO CHRISTI 908. *Christophorus Roman. mensibus 7.*	
ANNO CHRISTI 908. *Sergius III. an. mens. 3.*	Suessionense, anno 909. 354
ANNO CHRISTI 910. *Anastasius III. Roman. an. 2. mensibus totidem.*	
ANNO CHRISTI 912. *Lando Sabinus, mensibus 6. diebus 21.*	
ANNO CHRISTI 912. *Joannes X. Ravennas.*	Confluentinum an. 912. ib. Trosleanum in Gallia, an. 914. ibid. Rhemense, anno 924. 540 Duisbergense, an. 925. 355
ANNO CHRISTI 928. *Leo VI. mens. 6. dieb. 15.*	
ANNO CHRISTI 930. *Stephans VIII. Roman. an. 2. mense uno, dieb. 15.*	
ANNO CHRISTI 931. *Joannes XI. an. 5. & aliquot mensibus.*	Erfordiense, 932. ibidem. Trosleanum. 540 Erfordiense, anno 932. 355 Rhemense, anno 935. ibid.
ANNO CHRISTI 936. *Leo VII. an. 3. mensib. 6.*	
ANNO CHRISTI 940. *Steph. IX. patria Germanus an. 5. mensib. 4. & dieb. 5.*	Narbonense, an. 940. ibid. Suessionense eodem an. ibid.
ANNO CHRISTI 943. *Marinus II. Rom. an. 3. mensib. 6. dieb. 13.*	Constantinopol. an. 944. ibid. Trenorchianum. 541
ANNO CHRISTI 946. *Agapitus II. annis 9. mens. aliquot. & dieb. 10.*	Virdunense, anno 947. 356 Mosomense, anno 948. ibid. Engilenheimense an. eod. ibi. Trevirense anno eod. ibid. Romanum, anno 949. ibid. C. apud S. Theodoricum. 541
ANNO CHRISTI 955. *Joannes XII. ann. 9.*	Augustanum 955. 357 Meldense. ibid. Romanum, anno 963. ibid. Constantinop. eod. an. 358 Romanum II. anno 964. ibi.
ANNO CHRISTI 964. *Bened. V. Rom. an. uno.*	Romanum per Leon. Antipapam, anno 964. ibid.
ANNO CHRISTI 995. *Jannes XIII. an. 6.*	Revennatense, an. 967. ibid.

mensibus 11. dieb. 25.	Anglicanum, anno 970. 359 Romanum, anno 971. ibid.
ANNO CHRISTI 972. *Donus II. Rom. mens. 3.*	Concil. in Ingelheim. anno 972. ibid.
ANNO CHRISTI 973. *Bened. VI. Rom. an. uno mensib. 3. dieb. aliquot.*	Mutinense, an. 973. ibid.
ANNO CHRISTI 975. *Benedictus VII. an. 9.*	Rhemense. 540 Constantinop. an. 975. 359 Vintoniense an. eod. ibid. Romanum an. 983. ibid.
ANNO CHRISTI 984. *Joannes XIV. dieb. 19.*	
ANNO CHRISTI 985. *Joan. XV. Rom. an. 10. mensibus aliquot.*	Karoffense. 541 Romanum, anno 989. 359 Sylvanectense an. 990. 360 Narbonense eodem an. 541 Conc. Rhemens. anno 992. Romanum II. an. 993. 360 Mosoniense an. 995. 361 Rhemense, an. eod. ibid.
ANNO CHRISTI 996. *Greg. V. patria Germanus an. 2. m. 8. & dieb. 4.*	Romanum, anno 996. ibid.
ANNO CHRISTI 999. *Sylvester II. natione Gallus, ante Pontificatum Gilberti nomine appellatus an. 5.*	Romanum, anno 999. ibid. San. Dionysinanum. 541

SÆCULUM XI.

ANNO CHRISTI 1000. *Sub eod. Pontif. Sylvestro II.*	
ANNO CHRISTI 1003. *Joannes XVI. Roman. mensib. 5. dieb. aliquot.*	
ANNO CHRISTI 1003. *Joannes XVII. an. 6.*	Tremoniense, an. 1003. 361 Francofordiense a. 1006. 362
ANNO CHRISTI 1009. *Sergius IV. an. 2. mensib. 8 diebus 13.*	Bambergense an. 1011. ibid.
ANNO CHRISTI 1012. *Benedictus VIII. Thusculanus an. 12.*	Legionense, an. 1012. ibid. Airiacense. 542 Ad Aurelianense additio. ibi. Salegunstadiése an. 1022. 363 Aquisgranense an. eod. 364 Moguntinum an. 1023. ibid.
ANNO CHRISTI 1024. *Thuscul. an. 9. mensib. 8. dieb. aliquot.*	Lemovicense, anno 1029. ibi. Pampilonense an. 1032. 365 Decretum pro pace anno eodem. 544
ANNO CHRISTI 1033. *Benedictus IX. Thuscul. an. 11.*	Lemoviense, an. 1034 Bellovacense anno eodem. Triburiense, an. 1035. 365
ANNO CHRISTI 1044. *Greg. VI. an. 2. mens. 8.*	Sutrinum, anno 1046. ibid.
ANNO CHRISTI 1046. *Clemens II. German. annis 2.*	Romanum anno 1047. 365.

ANNO

SÆCULUM XII.

AN.

An-

nensis, mensibus 8. diebus aliquot.	
ANNO CHRISTI 1277. *Nicolaus III. ann. 3. mensibus 8. diebus 15.*	Tarraconense in Aragonia, anno. 1279. 478 Compendiense ann. eodem, 605 Pontodomarense, ann. 1279. 610 Budense anno eodem. 733
ANNO CHRISTI 1281. *Martinus II. Gallus, annis 4. mense uno, diebus 7.*	Salisburgense, an. 1281. 425
ANNO CHRISTI 1286. *Honorius IV. Roman. an. 2. & uno die.*	Ravennatense an. 1286. ibid. Bituricense, anno eodem 605 Rhemense, anno 1287. 612 Herbipolense, anno 1287. 425
ANNO CHRISTI 1288. *Nicolaus IV. patria Asculanus an. 4. mense 1. diebus 8.*	Mediolanense, anno 2289. ib. Nugariolense, an. 1290. 613 Salisburgense, an. 1291. 425 Londinense, anno eodem ibid. Mediolanense. ibid. Aschaffemburgense, an. 1291. ibidem.
ANNO CHRISTI 1294. *Celestinus V. Italus mensibus 6.*	
ANNO CHRISTI 1294. *Bonifacius VIII. Anagninus, an. 8. mensibus 9. diebus. 17.*	Lugdunense, anno 1298. 426 Pratense, anno 1299. 614 Senonense, an. 2299. 615 Marchianense. 616
ANNO CHRISTI 1300.	SÆCULUM XIV.
Sub eodem Pontif. Bonifacio VIII.	Compendiense, anno 1301. 617 Parisiense, ibid. Romanum, anno 1302. 427
ANNO CHRISTI 1303. *Benedictus XI. Tarvisinus mensibus 8. diebus 17.*	Nugariolense, anno 1303. 617.
ANNO CHRISTI 1305. *Clemens V. Gallus, annis 8. mensibus 10. diebus 16.*	Auxitanum, anno 1308. 619 Salisburgense I. an. 1310. 427 Salisburgense II. eodem an. ibid. Moguntinum, anno 1310. ibidem. Viennense œcumenicum, sive universale XV. approbatum, anno 1311. 454 Revennatense, anno eodem. 418 Nugariolense, anno 1313. 619 Revennatense III. an. 1314. 428
ANNO CHRISTI 1316. *Joannes XX. Gallus, an. 19. mensibus 4.*	Parisiense Senonense. 619 Parisiense aliud. 620. Revennatense IV. ann. 1317. 428 Sabinense, anno 1322. 429 Toletanum, anno 1324. ibid. Auxitanum, an. eodem. 621 Auxitanum, anno 1326. 622 Avinionense, an. 1328. 429. Compendiense, an. 1329. 623 Gallicanum Parisiense, ann. eodem. ibid.
ANNO CHRISTI 1334. *Benedictus XI. ann. 7. mensibus 3. diebus 17.*	Concilium apud S. Ruffum, anno 1337. Toletanum, anno 1339. 429
ANNO CHRISTI 1342. *Clemens VI. Gallus, ann. 10. mensibus 6. diebus 28.*	Toletanum, anno 1347. ibid.
ANNO CHRISTI 1353. *Innocentius VI. Gallus, annis 9. measibus 8. diebus 6.*	
ANNO CHRISTI 1362. *Urbanus V. Gallus, an. 8. mensibus 2.*	Lavaurense, anno 1368. 614. Salisburgense, anno 1386. 429.
ANNO CHRISTI 1370. *Gregorius XI. Gallus, ann. 7. mensibus 2. diebus 19.*	Uniejoviense 1375. 730.
ANNO CHRISTI 1373. *Urbanus VI. Neapolitanus annis 2. mensibus 4.*	Palcentinum in Hispania, anno 1388. 430
ANNO CHRISTI 1389. *Bonifacius VIII. Neapolitanus, an. 14. mensibus 9.*	Parisiense, anno 1398. 629
ANNO CHRISTI 1400.	SÆCULUM XV.
Sub eodem Bonif. VIII. Pontif.	Sylvanectense, an. 1402. 631 Gallicum, anno 1403. ibid.
ANNO CHRISTI 1404. *Innocentius VII. an. 2. diebus 23.*	
ANNO CHRISTI 1406. *Gregorius XII. Venetus, an. 2. diebus 27.*	Aquilejense, an. 1409. 430 Concilab. in Aragonia, anno eodem, ibid. Pisanum, an. eod. ibid.
ANNO CHRISTI 1409. *Alexander V. Cnetensis mensibus 9.*	
ANNO CHRISTI 1410. *Joan. XXI. vel XXIII. Neapolitanus, an. 8.*	Aurelianense, an. 1411. 631. Constantiense œcumenicū, anno 1414. 472
ANNO CHRISTI 1418. *Martinus III. vel V. Rom. an. 13 mensibus 3. diebus 10.*	Salisburgense provinciale, anno 1420. 431 Pragense Concilabulū eod.



INDEX,

ET ORDO CONCILIORUM
Hujus Tomi secundi.

QUARTA CLASSIS CONCILIORUM PROVINCIALIUM,

Quæ vulgo in Summis Conciliorum continentur.

SÆCULUM IV.

SÆCULUM V.

SÆCULUM VI.

SÆCULUM VII.

SÆCULUM VIII.

SÆCULUM IX.

ra-

SÆCULUM X.

SÆCULUM XI.

SÆCULUM XII.

SÆCULUM XIII.

SÆCULUM XIV.

SÆCULUM XV.

SÆCULUM XVI.

QUINTA CLASSIS ADDITA

AD SUMMAM CONCILIORUM,

CONTINENS

C. Con-

SEXTA CLASSIS.

Hæc Synodus tardius in manus nostras venit, unde non potuit suo loco integra reponi, ut optabamus, ægrè ferentes quid minimum ex tanti viri laboribus deperdi. Continet autem plura decreta utilia de fidei Christianæ professione, & doctrina, de observandis per concionatores, de singulis Sacramentis, de Officio Parochorum, ac vita, & honestate Presbyterorum, & cæterorum Clericorum, & quibusdam aliis opportunis ad medendum corruptis moribus, vitiis, & abusibus, qui per longam Sedis Episcopalis vacationem in Diœcesim irrepserant.

F I N I S.

NOI REFFORMATORI
Dello ſtudio di PADOA.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padova nel libro intitolato: *Conciliorum omnium &c. Tomus Secundus, opera, ac ſtudio M. L. Bail, Abbavillæi, Doct. Theol. ac Propœnitentiarii Pariſ.* non eſſervi cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza à Zuane Manfrè, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche librarie di Venetia, e di Padoa.

Dat. 30. Marzo 1700.

(Alviſe da Moſto Proc. Reff.
(Ferigo Marcello Proc. Reff.
(Girolamo Venier Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Secr.

SUMMA



SUMMA CONCILIORUM

Ordinata, aucta, illustrata A M. LUDOVICO BAIL DOCTORE THEOLOGO PARISIENSI.

QUARTA CLASSIS CONCILIORUM PROVINCIALIUM, quæ vulgò in Summis Conciliorum reperiuntur.

IAm emensis Generalibus Conciliis in præcedenti volumine, facilius erit adire classes provincialium, regionaliumve, quæ ne multitudine sua, si simul in unum coacerventur, animum lectoris confundant, cum hac partitione exhibebimus, ut in hac quarta classe ea sedem occupent, quæ magis ordinariè in vulgatis hactenus Synodorum Summis continentur, seu ea legitima sint, seu illegitima: seu probata, seu non probata: seu didactica, & decretoria, seu purè historica, itaut tamen non pauca addantur, quæ ad eorum illustrationem, seu explicationem pertinent, ea pro quinta classe reservantes, quæ in additione nostra ad Summam Conciliorum jam ab anno 1645. luce publica donata sunt, cum aliquot aliis Conciliis, quæ ab eo tempore nobis occurrerunt. Sexta porrò, & ultima classis dabit quasdam Epistolas decretales, ac Bullas selectas Summorum Pontificum de doctrina, quæ hoc loco ponuntur, ne series Conciliorum turbaretur, cùm, si ratio authoritatis haberetur, minimè in postrema classe reponi debuissent, additis etiam quorumdam Episcoporum Synodalibus decretis, si voluminis moles non impediat.

PRIMUM SÆCULUM.

CONCILIUM HIEROSOLYMITANUM SUB D. PETRO HABITUM, Anno Christi 51. contra Cherintum de hac quæstione, an servandæ essent ceremoniæ legis antiquæ cum lege nova.

Plurimas fuisse Apostolorum conventiones diximus secunda classe: banc autem præcipuè proponimus, quod formam præbuerit subsequentibus Conciliis. Et quamvis universalis non sit, in qua quatuor tantùm Apostoli interfuerunt, primum tamen locum tenere videtur inter nationalia, aut provincialia Concilia, quibus nunquam tantum honor accessit ex præsentia quatuor Apostolorum. Describitur autem in libro Actuum Apostolorum cap. 15. sequentibus verbis.

ET quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apostolos, & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conversiones gentium, & faciebant gaudium magnum o- A mnibus fratribus. Cùm autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus, annunciantes, quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi: conveneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gen-

tes verbum Euangelii, & credere; & qui novit corda, Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Paulum, & Barnabam narrantes, quanta Deus fecerit signa, & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me, Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, & quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum à sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam, cum Paulo, & Barnaba, Judam, qui cognominatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli, & seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex vobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, &, congregata multitudine, tradiderunt Epistolam. Quam cùm legissent, gavisi sunt super consolatione.

Controversia, & elucidatio hujus Concilii Hierosolymitani.

Circa hoc Concilium consideranda tria potissimum, 1. Origo, & causa Concilii. 2. Modus, quo res controversa decreta est. 3. Exequutio Concilii. Jam enim diximus 1 par. class. 2. In Concilio Apostolorum, Concilium istud generale non fuisse, ad quod omnes Apostoli vocati non fuerunt.

Quod spectat ad 1. Origo istius Concilii fuit dissensio inter Christianos Antiochiæ orta de observatione legalium, seu antiquæ legis Mosaicæ, quam quidam ad Christi fidem conversi servandam esse contendebant simul cum lege Christiana, cùm lex Mosaica à Deo esset, & non intelligerent figuram fuisse alterius legis, qua adveniente, cessare debebat. Hujus dissensionis Author fuit Cherintus, si D. Epiphanio credimus lib. 1. adversus hæreses, cùm agit adversus Cherintianos. *Atque*, inquit de Cherinto loquens, *charissimi, idem ille fuit, qui Apostolorum tempore tumultum illum excitavit, cùm Jacobus, cæterique Apostoli litteras Antiochiam scripserunt*, &c. Act. 15.

Quod spectat ad 2. Non levis est difficultas, quis præfuerit in hoc Concilio, an D. Petrus tanquam Pontifex Ecclesiæ universalis, aut Apostolus Judæorum, an D. Jacobus tanquam Episcopus Hierosolymæ, ubi habebatur Concilium.

Vincentius Belvacensis ita dictus non ab Episcopatu urbis, sed ab inhabitatione, lib. 8. speculi historialis, cap. 11. sic censet. Post hæc Jacobus authoritate Pontificali protulit definitivam sententiam, quia quæstio ista mota est in Ecclesia Hierosolymitana, cujus Episcopus erat, nec poterat ad alium transferri, nisi per appellationem: Petrus enim nondum erat constitutum in Cathedra Pontificali, sed paulò post, scilicet eodem anno ascendit Romam.

Hæc autem sententia stare non potest, nam Christus statim post resurrectionem Divo Petro primatum Sacerdotalem contulit, & illicò Divus Petrus, veluti possessione adepta, munus suum obiit, & executus est in quatuor maximè negotiis, ut liber Actuum Apostolorum non obscurè declarat. 1. In Matthiæ electione Act. 1. congregata enim Ecclesia, cæteris tacentibus, surgens Petrus, tanquam omnium caput, verba fecit de supplendo proditoris Judæ Apostolatu. 2. Cùm Judæi Apostolis ebrietatem exprobrarent, quòd variis linguis loquerentur, Divus Petrus, tanquam dux in acie, contra adversarios Ecclesiæ acriter invectus, Act. 2. cap. 3. Cùm vocati essent Apostoli ad Tribunal Sacerdotum Judæorum, ut de sanato claudo rationem redderent, Divus Petrus, tanquam omnium caput, orationem habuit, ac causam illam totius Ecclesiæ impavidus tractavit, Act. 4. cap. 4. sacrilegium Ananiæ, & Saphiræ, tanquam Ecclesiæ Judex, insolita pœna punivit, Act. 5. Quibus, cùm in possessione Summi Pontificatus esset, in præsenti controversia de jure potuit ipsemet authoritate prima Pontificali rem definire. Nec necesse erat, ut Romæ possessionem Cathedræ adeptus esset: etsi enim quadam congruitate deceret Petri, ac Ecclesiæ Summum Sacerdotium Romæ esse, quod ibi fuerat, ac esset summum mundi imperium: ut tamen Sacerdotium Synagogæ variis in locis fuit, priusquam Hierosolymæ statueretur: idem est de Sacerdotio summo Ecclesiæ Christi, primo enim stetit Hierosolymæ in D. Petro, sed illic à Judæis odiosius, turbata Ecclesia, peregrinari cœpit Antiochiam D. Petrus, ubi Pontificii ejus Cathedra primò fuit à gentibus solemniter admissa, atque ex hinc Romam migravit, ut in hac urbe metropoli maxima mundi fixum maneret Sacerdotium, sicut Aaronicum post aliquot locorum mutationes, Hierosolymæ Judæorum Metropoli statutum fuerat.

Tostatus Abulensis in caput 17. Matthæi, quæst 13. putat Jacobum definitivam protulisse sententiam, veluti totius Ecclesiæ organum, & quolibet de assistentibus majorem, eamque authoritatem habuisse, non in quantum erat Apostolus, sed in quantum erat Episcopus Hierusalem, cui omnes Apostoli in regione illa erant quoadmmodo subditi. At hic est error Tostati, quem sequutus est Calvinus: in quacumque enim Diœcesi sit Summus Pontifex Ecclesiæ, in ea præsidet,

det, & subditum habet Episcopum loci, cùm illius respectu, qui Pastores sunt aliorum, oves sint, quarum pascendarum regimen à Christo accepit. Ideoque verius est D. Petrum primò loquentem in hoc Concilio definitivam protulisse sententiam, cui alii adhæserunt, approbantes, quæ dixerat, ac post omnium suffragia decisiva, conclusio facta est uno omnium consensu: unde nec dum definiebatur res absolutè, cùm D. Jacobus suffragium dixit, non enim adhuc facta erat conclusio communis, sed de illa subjungitur post verba Jacobi; *Tunc placuit Apostolis, &c.* Et præsides Conciliorum primos sententiam dixisse in Synodis, pluries infra observari poterit.

Quod ad 3. spectat, ubi pronuntiata est sententia, ut exequutioni demandaretur, missi sunt, qui eam deferrent, ac promulgarent Antiochiæ, quia non satis est, quod Concilia quidpiam definiant, nisi etiam ea, quæ definierunt, publicentur, ut deinceps observatum fuit, quoniam, ut lex obliget, necesse est eam promulgari. Similiter solent dicere Patres in Concilio: Hæc sancta Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, sequendo normam hujus Concilii, in quo sub hac formula definitio concepta, *visum est Spiritui sancto, & nobis*, id est, nobis à Spiritu sancto inspiratis. Benè D. Joannes Chrysostomus, & Oecumenius in Acta Apost. *Visum est*, ajunt, *Spiritui sancto, & nobis*. Nusquam enim de his differuit Christus, sed hi à lege hæc dicunt, ne ergo humanum esse videretur, ajunt, Spiritui sancto visum esse. Putat porrò idem per suffocatum cædem dumtaxat prohiberi, quasi esset idem abstinere à sanguine, & suffocato, unde forsan profluxit apud Christianos, ut tria crimina hìc prohibita tàm difficile absolutionem consequerentur. Vincentius Belvacensis loco citato per suffocatum intellexit peccatum, quod in confessione non detegitur. Quod magis morale est, & Concionibus aptum. Vulgo intelligitur, ut verba sonant: hancque prohibitionem factam fuisse ab Apostolis ad tempus, ne omnimoda esset dissimilitudo inter gentiles, & Judæos. Hæc tamen prohibitio, ut erat de jure positivo, abrogari potuit cum tempore, quamvis Græci adhuc eam observent. Cæterum plura alia circa hoc Concilium in controversiam revocantur.

Ac 1. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum omisit istud de suffocato. Omiserat & Irenæus l. 3. contra hæreses c. 12. imò sicut unum iste omisit, sic aliud addidit, & quæcumque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis. Certum tamen est istos patres, ait Gregorius Ambianas Capuccinus ad cap. 12. lib. de pudicitia, per sanguinem idem intellexisse, ac per suffocatum, ideò unum utroque verbo indicasse.

Deinde vertitur in dubium, an ex decreto hujus Concilii probari possit authoritatem condendi leges esse in hominibus, ac Episcopis. Negat Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. asseritque Apostolos tantùm ea statuisse, quæ lege divina præcepta erant ad vitandum infirmorum scandalum, quia cùm Apostoli contenderent eo tempore liberare fideles à jugo legis antiquæ, non est credibile novam eis legem imposuisse. Ad hæc D. Paulus interfuit huic Concilio: at 1. ad Cor. 8. & 10. facultatem concedit vescendi Idolothytis, nisi infirmi scandalizarentur. Hæc tamen non obstat, quin benè inferatur in Ecclesiæ præsidibus auctoritas ad condendas novas leges, cùm non fiat mentio scandali in decreto Apostolorum: quin etiam potuissent Apostoli tunc alia præcepta imponere, ut patet ex verbis D. Pauli, *nihil ultra imponere vobis*. Habebat autem manducatio suffocati quamdam speciem ethnicæ superstitionis, quod animalia suffocata, tamquam pretiosum sacrificium, gentes falsis Diis dedicabant. Quod notavit D. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 6. D. autem Paulus vel voluit istud præceptum, auctoritate Apostolica, qua pollebat, pro tunc indicare Corinthiis: vel si præceptum hoc jam novum notum habebant, tantùm voluit illis indicare illam manducationem Idolothytorum nihil mali ex natura rei habere, cùm idolum nihil sit ad destruendam opinionem, quam recens conversi ut plurimum habebant, quod ex natura rei non liceret vesci carnibus, tamquam ex sacrificio contaminatis. Interim tamen non differuit, an ratione præcepti Apostolorum illis vesci liceret, quod hoc jam notissimum esset. De quibus plura tractat Gabriel Vasquez 1. 2. t. 2. disp. 152. cap. 2.

Leges Ecclesiæ.

Adhuc circa istud Concilium quidam volunt B. Virginem Mariam in eo præsidem esse, eamque opinionem tribuunt Ruperto l. 1. in Cantica, ac Canisio lib. 5. de corrupt. verbi Dei in Mariali c. 13. ita Benzonius super Canticum Deiparæ cap. 13. Sed utrumque scriptorem liberat ab ista opinione Theophilus Raynaudus in *Dypticis Marianis* par. 1. punct. 10. num. 13. vocatque fursur doctrinæ: nec enim iis prærogativis à fœmineo sexu alienis decoravit Christus matrem suam: nec consultum erat talem præsidem habere istud Concilium Hierosolymitanum, quod veluti forma Conciliorum omnibus sæculis futurum erat. Etsi non inficiandum plura Apostolos ex directione, & consilio Deiparæ egisse, ut esset magistra magistrorum.

Quod etiam addunt quidam ex Hispania, decretum fuisse per Apostolos de immaculata ejus Conceptione in hoc, aut alio Concilio (qua de re agit Joannes Eusebius in *Parthenicis operibus*) fide probabili caret, nec nos morabitur.

Antiochena Synodus sub D. Petro, anno 57.

Pamphilus Martyr (prout refert Turrianus lib. 1. cap. 21. adversus Magdeburgenses) testatur, Antiochiæ ab Apostolis, ad sedandas controversias illic exortas, habitam esse Synodum, atque in ea editos fuisse Canones, in Bibliotheca Origenis posteà repertos. De hac eadem Synodo Innocentius Ep. 18. agens de Antiochena Ecclesia: *Ubi*, inquit, *& nomen accepit religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se celeberrimum meruit.* Firmissimum testimonium huic Concilio Apostolorum Antiochiæ celebrato, præbet Concilium Nicænum secundum Act. 1. his verbis: *In Antiochena Synodo sanctorum Apostolorum dictum est, salvatos non debere, &c.*

Canones in hoc Concilio editi, & in compendium redacti.

I. Ut credentes in Dominum Jesum, quos illius temporis homines (ut habetur in Actis Apost. c. 11.) appellabant discipulos, Christiani dicerentur.

II. Ne baptizatus Judaico more circumcideretur.

III. Ut omni nationi ad Ecclesiam aditus pateret, nec quisquam à Christiana religione excluderetur.

IV. De vitanda avaritia, & quæstibus iniquis.

V. De vitio gulæ coercendo, curiositateque ludorum, qui in theatris exhiberi solent, vitanda: & de abstinendo à juramento.

VI. De vitanda scurrilitate, & moribus Gentium.

VII. Abstinẽtiam sanguinis, & suffocati in Synodo Hierosolymitana præceptã confirmat.

VIII. Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam, humanamque manufactã, impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum, contra idola, & Judæos. Neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.

IX. *& ultimus*. De non admittendo Judæorum delectu ciborum.

Controversia hujus Synodi circa Canonem I. de nomine Christiani.

QUare Christiani populi ab hoc nomine, Christus, denominantur Christiani, non autem à nomine, JESUS, vocantur Jesuitæ, ait Pelbartus de Temisvar p. 2. *rosarii* sub finem.

Respondetur secundum Doctorem, quòd plures sunt rationes: una ex parte Græci sermonis; Nam, ut Chrysost. dicit super Matth. Christiani priùs in Judæa, & ubique vocabantur Nazaræi, sed postea in Græcia apud Antiochiam, crescente numero Christianorum, permutatum est nomen, ut dicerentur Christiani: quia verò hæc permutatio facta est in Græcia, ideò nomine Græco à Christo nominantur, & non à nomine Hebræo, scilicet Jesus. B

Alia ratio, quia nomen, Jesus, est nomen divinitatem Christi respiciens, dicitur enim Jesus, idest, Salvator: salvare autem Dei est proprium: sed nomen, Christus, idest unctus, convenit Christo ratione humanitatis, in quo communicat nobiscum: unde Christiani sunt uncti, tanquam pugiles contra mundum, carnem, & diabolum pro Christo Rege. Ergo, &c.

Christiani nomen unde.

Tertia ratio ex derivatione nominis, & imitatione: nam Bern. super Cant. ser 15. dicit: Christianus particeps nominis est, & hæreditatis: Christianus sum, Christi frater sum, si sum, quod dicor, hæres sum Dei, & cohæres Christi. Et Augustinus de vita Christiana dicit: Non in hoc tantummodo nomine, quòd Christiani dicimur, nobis blandiamur, sed propter hoc C etiam nos judicari credamus, si nobis frustrà nomen vindicemus alienum. Nomen Christi ille frustrà sortitur, qui Christum actibus minimè imitatur. Hæc ille. Proinde Christianus definitur sic secundum Joannem Climacum lib. scalæ: Christianus est imitator Christi, secundum quod possibile est homini verbis, & operibus, & intentione, rectè, & sine querela credenti in Deum, & sanctam Trinitatem; sed quia non tenemur Christum imitari in operibus divinis, puta in miraculis faciendis; ergo non denominamur à nomine, Jesus, quod ratione divinitatis Christo competit. Sed quia tenemur in operibus virtuosis, & bonis: ideò à Christo, quod est ipsi competens ratione humanitatis, derivatum nomen habemus Christianum: nam & secundum Grammaticam regulam, omne derivatum sequi debet suum primitivum. Ergo Christianus sicut D nomine, ita & opere sequi debet Christum. Unde & Hieron. in testamento: Frustra Christianum nomen habet, qui operibus diabolum sequitur, &c. ex his patet Dei bonitas, & justitia laudabilis in Christianos.

Porrò Discipulus, cui nomen est Erolstius, qui ex humilitate discipuli nomen sibi attribuit, sermone 19 eandem versat quæstionem, aitque nos non nominari à Jesu Salvatos, sicut à Christo nominantur Christiani, quia nunc debemus esse reges regentes nosmetipsos, & Sacerdotes hostias spirituales offerentes, juxta illud Apoc. 1. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Hæc enim importat nomen Christi. Sed in futuro nominamur à nomine Jesu salvati, quod amplius nunquam possumus amittere. Unde Isaiæ 51. *Salus mea in sempiternum erit.* E

Hæc tamen intelligenda sunt secundum quamdam convenientiam: nihil enim repugnat quosdam à Jesu denominari, qui speciali magis modo præ cæteris ei colendo, ac diligendo totos sese addicant: sicut etsi totus exercitus sit Regis, aut Imperatoris, quædam tamen agmina præ cæteris vel Regia, vel Imperatoria dicuntur. Intenderuntque tantùm Apostoli in hac Synodo, ne fideles communiter vocarentur aut Nazaræi, aut Galilæi, sicut plerique eos nuncupabant, sed Christiani.

Non moramur hìc in asserendo imaginum cultu, quas Apostoli contra Idola erigi voluerunt. De hoc quippe satis egimus in controversiis septimæ Synodi, classe 2. Tantùm hìc advertimus Hæreticorum auda- A ciam, qui imagines Christi Idolá vocare non verentur, quas Apostoli ad delenda Idola gentium facere, & colere jusserunt: imò potius Idolis gentium favent, dum Idolis falsorum Deorum imagines veri Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi opponere volunt. Ait prædictus Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apostolorum, cap. 25. ubi tantum hìc partem Canonum hujus Synodi Antiochenæ esse asserit. Porrò testatur Ruffinus Eusebii Interpres lib. 6. Eccles. Hist. cap. 23. hunc Pamphylum Bibliothecam Cæsariensem instruxisse, conquisitis antiquorum scriptorum voluminibus, ac præcipuè Origenis, pro quo etiam Apologiam condidit, ut libros ejus, ac volumina nota habere potuerit.

SÆCULUM SECUNDUM.

Concilia aliquot de Paschatis observatione sub Victore Papa habita contra Quartodecimanos.

Concilium Romanum sub Victore, anno 198.

HOc Concilium habitum est Romæ, anno Domini 198. Imperii Severi 4. Theophilus Cæsariensis Episcopus per Victorem vocatus huic interfuit: Victor Pontifex eidem præfuit. Decretum est, Pascha non 14. Luna primi mensis, sed potiùs die Dominico post 14. Lunam, & vernale Æquinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse. Eusebius lib. 5. Hist. cap. 22. Liber Pontificalis in vita Victoris. Actorum in hoc Concilio nihil extat.

Concilium Palæstinum sub Victore, anno 198.

EOdem anno Christi nati, & Severi Imperatoris, auctoritate Victoris Romani Pontificis, Cæsareæ in Palæstina Theophilus Cæsariensis Metropolitanus Episcopus hoc Concilium coegit, quo de tempore Paschatis celebrandi idem constitutum est, quod præcedente, & sequentibus quibusdam aliarum Provinciarum Conciliis, nimirum, nequaquam licere Christianis decimaquarta die primi mensis Pascha celebrare. Eusebius prædicto loco. Hujus fragmentum planè aureum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali, tom. 2.

Concilium Ponticum, anno 198.

EOdem tempore, & ob eandem causam in Ponto à Palma hoc Concilium Provinciale celebratum est, & de Paschatis observatione idem, quod præcedentia definivit. Eusebius prædicto loco. Acta non extant.

Concilium Osroenum sub eodem, anno 198.

DE hoc, & quodam alio Concilio Achaico tunc celebrato, ita Eusebius lib. 5. c. 22. *Aliud porrò Ecclesiarum* (Concilium intelligo) *quæ Osroenum, & reliquas in eo loco civitates incolebant. Aliud separatim Bachyli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi: & alia denique aliorum propè infinitorum, qui uno consensu, judicioque uno eandem de illius festi* (Paschatis nimirum) *observatione tulere sententiam.* Neque horum quidquam extat.

Concilium Asiaticum reprobatum, anno 198.

HOc Concilium ob causam Paschatis circa hæc tempora Asiani Episcopi per Polycratem Ephesinum Episcopum celebrarunt. In quo putantes se Euangelio, & majorum traditionibus inhærere, à consuetudine celebrandi Pascha die 14. primi mensis, etiamsi in Dominicum non incideret, recedendum non esse constituerunt, idque per Polycratem ad Victorem Romanum Pontificem rescripserunt. Victor Pon-

Pontifex, hoc reſponſo accepto, Concilium reprobavit, & contra pertinaces, quam excommunicationis ſententiam diu minatus fuerat, executus eſt. Hanc Victoris ſententiam contra Orientales, poſteà Patres Niceni Concilii confirmarunt. Euſebius lib. 5. cap. 23. & ſeq.

Concilium Gallicum ſub Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, tempore Victoris Papæ, & Severi Imperatoris, pro Controverſia de die Paſchatis, anno Domini 198.

Ex eodem Euſebio lib. 5. cap. 23.

IN Provinciis Aſiæ quæſtio non minima exoritur, velut ex antiqua eorum obſervatione deſcendens, quod quartadecima Luna putarent omnimodo genere Paſcha obſervandum, quando ſcilicet Judæis Paſcha Agnus præcipitur immolari, veluti neceſſariò confirmantes, quacumque die ſeptimanæ quartadecima Luna veniſſet, ſolvi debere jejunium, cùm talis conſuetudo in nullis prorſus aliis unquam obſervata fuiſſet Eccleſiis, ob quam cauſam conventus Epiſcoporum, & Concilia per ſingulas quaſque Provincias convocantur: prorogatiſque ad ſe invicem Epiſtolis de ſingulis quibuſque locis unum omnes Eccleſiaſticum dogma confirmant: ne liceat aliquando, niſi in die Dominica, in qua Dominus ſurrexit à mortuis, Dominicum Paſchæ celebrare myſterium, & in hac ſola ſolvendum eſſe Paſchæ jejunium. Extat denique uſque in hodiernum diem Concilii apud Cæſaream Paleſtinæ habiti decretum, in quo primus eſt Theophilus ipſius Cæſareæ Epiſcopus, & Narciſſus Hieroſolymorum Sacerdos Habetur & in urbis Romæ Concilio ſimile aliud decretum, cui præfuiſſe Victor Epiſcopus judicatur, & Ponti Provinciæ Palmas. Gallorum quoque conventus extat: Irenæum Præſulem ſcribens: Achaiæ verò Bachilum Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopum. Qui omnes diverſis è locis unam, eandemque judicii ſui ſententiam protulere. Et cap. 24. Sed Epiſcopi regionis Aſianæ, ſervandam magis à veteribus ſibi traditam conſuetudinem confirmabant. In quibus Polycrates, &c.

Controverſia.

OCcaſione hujus Concilii duæ potiſſimum moveri ſolent quæſtiones. Prima, an Victor Summus Pontifex de facto excommunicaverit Aſianos Epiſcopos, an tantùm comminationibus uſus fuerit: Secunda, ſi de facto excommunicaverit, an ſit propterea reprehenſibilis, quaſi nimia ſeveritate uſus fuerit.

Quoad primam quæſtionem, aliquibus viſum eſt, Victorem de facto non excommunicaſſe Aſiæ minoris Epiſcopos, propter illa verba Euſebii cap. 24. *Victor Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, pertinacius agens, paſſim totius Aſiæ, ac vicinarum Provinciarum Eccleſias à communionis ſocietate abſcindere nititur, tanquam in hæreſim declinantes, & litteras mittit, quibus omnes ſimul abſque diſcuſſione ab Eccleſiaſtico fœdere ſegregaret. Sed non omnibus placebat.* Quibus verbis nihil amplius ſignificari videtur, quàm quod voluerit eos excommunicationis gladio ferire, miſeritque litteras excommunicationis, quæ an publicatæ fuerint, incertum eſt.

Attamen communior eſt ſententia de facto eos excommunicaſſe propter ſequentia verba: *Nam, ut Irenæus, &c. Victorem tamen arguit, quod non rectè fecerit abſcindere à corporis unitate tot, & tantas Eccleſias Dei, quæ morem ſibi antiquitus traditum cuſtodirent.* Quæ verba ſatis dilucidè actualem excommunicationem important.

Quoad ſecundam quæſtionem, viſus eſt Summus Pontifex Victor reprehenſione dignus Polycrati, qui A Primatum agere videbatur inter Aſiæ Epiſcopos, qui cum Judæis decimaquarta Luna Paſcha celebrabant. Scribit enim ad Victorem, id obſervatum ex antiqua traditione ab omnibus Aſiæ Epiſcopis, etiam à S. Joanne Euangeliſta, qui ſupra pectus Domini recubuit, à Polycarpo Smyrnæ Epiſcopo, & martyre, quorum acta condemnare æquum non ſit. Sed & D. Irenæus cum cæteris Galliæ Epiſcopis, quamvis cenſeret Paſcha celebrandum in die Reſurrectionis Dominicæ, Victorem tamen arguit de tali excommunicatione, maximè quod Pontifices Romanos, qui ante ipſum Romæ Sacerdotium tenuerunt, S. Anicetus, Pius, Hyginus, Theleſphorus, & Xiſtus pacem habuerint cum Aſiæ Epiſcopis, qui decimaquarta Luna celebrabant, qui nunquam repulſi B ſunt ab Eccleſiæ ſocietate: itaut pro more iiſdem tranſmiſſa ſit ſolemniter Euchariſtia à Romanis Pontificibus. Extant utriuſque Epiſtolæ cap. 24. ſupra citato, quibus Victorem à ſententia dimovere conantur.

Lubet etiam Auctoris in omnibus non probati attexere verba in Epiſtola nuncupatoria, quæ præmittitur D Irenæi operibus, quem laudat, eo quod magna libertate, inquit, Victorem reprehenderit, quod præter exemplum eorum, quibus ſucceſſerat, tàm facilis eſſet ad amputandas Eccleſias, non in fide, ſed in ritibus quibuſdam diſſidentes. Refert hæc fuſius Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 5. cap. 24. Hæc Irenæus, cùm nunc Ptolemæi quidam ex quamlibet frivolis nugis hæreſeon, & ſchiſmatum excitent calumniam.

Eraſmus Roterod.

In hac lite Polycratem non moror, qui ſtudio partium laboraverit, & cum Judæis in Paſchate celebrando C conſpiraverit contra monitionem Summi Paſtoris Eccleſiæ, cui obedire debuit. Nec eum excuſat exemplum D. Joannis, quod pro ſe afferebat, ille enim, ut ait Beda lib. 3. Hiſtor. c. 25 celebravit Paſcha decimaquarta die, ut ſe in illis initiis accommodaret Judæis ad fidem converſis, ſicut propter eandem cauſã Paulus Apoſtolus Timotheum Epiſcopum circumcidit. Attamen D. Petrus Romæ inſtituit, ut Paſcha die Dominico celebraretur, cujus inſtitutio debet prævalere.

Inſtituitur dies dominica pro die Paſchatis.

Quod verò ſpectat ad D. Irenæum, non tàm zelo amaro, & reprehenſionis Victorem arguit, quàm zelo pacis, & concordiæ in Eccleſia Dei, cùm enim ejus nomen pacificum, & pacis ſtudioſum ſignificet, hanc maximè flagitavit in hac controverſia, dolens Eccleſiæ membra nobiliſſima à capite ſuo ſeparari, non conſiderans omnia, quæ Victor in ſpecula Eccleſiæ conſtitutus perſpiciebat, propter quæ juſtiſſimè motus fue- D rit, ad eos à corpore abſcindendos, quos prædeceſſores ſui juſtiſſimè etiam toleraverant, propter diverſum rerum ſtatum, & circumſtantiarum non mediocrem mutationem. Ut enim ait Baronius ad annum Chriſti 198. num. 15. re minus plenè, & imperfectè narrata, facile erit, ut Victorem quiſque nimiæ ſeveritatis, & auſteritatis accuſet; nam præter hoc, quid ultra ei adſcribat, nemo habet. At rem accuratius perſcrutemur. Quamdiu cum Catholicis tantum acta res eſt, tolerabile viſum fuit Romanis Pontificibus permittere Aſianos more Judæorum, decimaquarta Luna Paſcha celebrare. At, cùm hæc indulgentia hæreſis validandæ eſſe videretur occaſio, ab ea ceſſare conſultius viſum eſt. Qui enim in Aſia his temporibus invaluerant Montani hæreſis ſectatores, quaſi lege divina ab ipſo E ſuo ipſorum Paracleto pervulgata, & ipſi die decimaquarta Luna eſſe Paſcha celebrandum, omnes verò ſecus agentes errore duci vehementiſſimè affirmabant. Attigit hæc de Cataphrygibus Pacianus, &c. Rurſum, &c. Adeò malum iſtud invaluit, ut nequaquam intra Aſianæ Provinciæ limites potuerit contineri, ſed longè, latèque graſſatum ſit, uſque adeò, ut ipſum quoque ſinum Romanæ penetraverit Eccleſiæ, inde evellens hominem Blaſtum nomine, qui ex illorum ſententia, in faciem ejuſdem Eccleſiæ dicere, jactare, defendere, ac mordicus propugnare non erubeſceret celebrandum eſſe Paſcha Luna decimaquarta: de eo enim ſcribit Tertullianus, &c. Quamobrem & ſi du-

De Cathol nomine ad Sempron.

De Præſcr. cap. 55.

si durum, ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ, pernecessarium tamen ad ulcus intrinsecus, extrinsecusque serpente tabo curandum, cùm præsertim non eadem esset Asianorum causa, atque fuerat antea tempore Polycarpi; quandoquidem olim illi ex permissione, isti ex necessitate celebrare Pascha decimaquarta Luna dicerent: ac proinde eos, qui secus facerent, errore labi jactarent, sicque cæteros omnes toto orbe diffusos Christianos eo modo damnarent.

Nicephor. l. 4. c. 36.

Cæterum Nicænum Concilium primum renovavit Decretum Victoris Papæ de celebrando Paschate die Dominico post decimam quartam Lunam. Quod jure factum est propter multas rationes. Primò, ne concurramus cum Christi interfectoribus Judæis. Secundò, quia consuetudo celebrandi Pascha post decimamquartam multo universalior erat in Ecclesia, nec æquitati consentaneum erat, ut plures paucioribus cederent. Tertiò, quia accidebat aliquando, ut bis in uno anno Pascha celebraretur; cùm enim non observarent æquinoctium, aliquando uno anno observabant Pascha post æquinoctium, & sequenti ante æquinoctium. Quæ rationes afferuntur à Constantino Magno, in Epistola ad omnes Ecclesias, quam refert Eusebius lib. 3. de Vita Constantini: *Nihil nobis*, inquit, *cum inimicissima Judæorum natione commune sit, à Servatore nostro aliam viam accepimus*, &c. *Unam collectam, minimeque dissitam Ecclesiam, suam esse voluit; ejus partes quamquam locis abjunctæ sint, uno spiritu, quod est cœleste numen, incalescit*, &c. *Quam minimè decens est alios indulgere conviviorum delitiis, alios id otii, dies eosdem jejunius addicere*. Consule reliqua. Porrò huic Concilio præfuisse Irenæum nomine Victoris Papæ, cômunior est opinio.

SÆCULUM TERTIUM.

Concilium Africanum sub Zephyrino improbatum, Anno 217.

AGrippinum, Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum, indicto Concilio in Africa, omnes Numidiæ, & Africæ Episcopos convocasse, de iterando Baptismate hæreticorum omnium sententias rogasse, ac demum ex communi Episcoporum sententia id affirmantium, contra Apostolicam Ecclesiæ Catholicæ traditionem, Canonem, & decretum statuisse, Cyprianus Epist. 71. ad Quintum apertè testatur his verbis. *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africæ, & Numidiæ Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit; quorum sententiam, & religiosam, & legitimam, & salutarem, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus.* Sic Cyprianus. Quia autem annus Christi 217. Christianis pacatus extitit, illo eodem anno sanè Carthaginensem Synodum habitam esse probabile est. Occasionem errandi Tertullianus tribuisse videtur: hic enim quodam prætextu pietatis, dum adhuc Catholicus esset, omnia hæreticorum ab Ecclesia rejicienda, ac depellenda esse sentiens, eò erroris ipse cum aliis quibusdam, quos induxit, prolapsus est, ut nec Baptismum communem cum hæreticis habendum esse putaret; ideoque etiam baptizatos à ministris hæreticis in Ecclesiam Catholicam recipiendos non esse, nisi illud ipsum sanctum Lavacrum per ministerium Catholicorum iteratum denuò susciperent. Hinc igitur certissimum esse liquidò constat, usum rebaptizandi sub Agrippino frequentari cœptum esse; controversiam verò de valore Baptismi ab hæreticis collati, eorumque rebaptizatione, inter Doctores Ecclesiæ agitatam sub Stephano Pontifice exortam esse. Baronius anno Christi 217. num. 1. 2. 3. & anno 258. num. 19. & 20.

Tertull.

Concilium Labesitanum in Africa, sub Fabiano Papa, anno 242.

Contra quendam Hæreticum.

COncilium hoc Africæ habitum est in Labesitana Colonia, anno Christi nati 242. qui est Fabiani 4. & Gordiani Imp. 2. annus. Convenerunt 90. Episcopi adversus Privatum hæreticum, quem post causæ discussionem communi omnium sententia condemnarunt; sententiam verò eorum Fabianus Pontifex eo ipso approbavit, quòd eundem Ecclesiæ communione privaverit. Quæ fuerint hæreses, & errores hujus hominis, nondum constat; potiùs alienæ hæresis sectatorem, quàm novæ alicujus institutorem fuisse credibile est. Agit de hoc S. Cyprianus Epist. 55. ad Corn.

Concilium Arabicum sub eodem Fabiano, contra negantes immortalitatem, anno 249.

COncilium hoc, teste Eusebio libro 6. cap. 30. in Arabia celebratum est anno 4. Philippi Imp. qui est Christi 249. & Fabiani Pontificis 11. contra hæreticos affirmantes, animas hominum mortales esse, easque unà cum corporibus extingui, & in novissimo die cum iisdem vicissim resuscitari. Origenes in hoc Concilio præsens eos doctissimè impugnavit, & simul expugnavit. Vide Baronium anno 249. num. 6. in quo mira virtus, & scientia Origenis eluxit, qui tàm facilè hæresim extinxit. Sed nec id semel egit, nam & Smaragdum in alio Concilio ad fidem revocavit, ut dicetur in classe sequenti.

Orige

Concilium Romanum à Clero Romano, Sede vacante, anno 253. congregatum in causa lapsorum, an essent recipiendi.

COncilium hoc Romæ habitum est an. Christi 253. hanc ob causam. Plurimi ex lapsis, quorum alii sacrificati erant, qui quomodocumque vel immolaverant, vel immolata gustaverant: alii idololatræ, qui quemlibet religionis cultum idolis publicè exhibuissent: alii Libellati, qui quidem privatim vel per se, vel per alium, edita aliqua professione, fidem negaverant; ne verò sicut cæteri ignominiosè ad aram traherentur, id pecunia redimebant. Baronius anno 258. num. 18. 19. & 24. Ex his, inquam, cùm plurimi in Africana Ecclesia lapsi, à Cypriano ardentius, datis nomine Ecclesiæ libellis supplicibus, pacem peterent, isque non sine prævia pœnitentia, ac satisfactione recipi posse, neque debere responderet, Lucianus autem confrater quosvis sine discrimine recepisset, Romanæ Ecclesiæ sententiæ, ac judicio per litteras se submittit, ejusque Concilium hac in re inquirit. Clerus verò Romanus ad evitandam invidiam, odiumque lapsorum, ne ipsi tantùm viderentur auctores, atque promulgatores Ecclesiasticæ disciplinæ, persecutione adhuc instante, hanc Synodum celebravit, & ad eam vicinos quosque Episcopos, & quotquot ex aliis Regionibus extorres, Romæ, fidei causa, mutato habitu, delitescebant, convocavit. Qui simul congregati constituerunt, ut infirmi quidem de vita periclitantes, prævia confessione, & pœnitentia, recipiantur; aliorum verò causa, & reconciliatio ad electionem novi Romani Pontificis suspendatur. Decretum hoc extat in Epistola illa, quam scripsit Clerus Romanus, à Binio relatum post Papæ Fabiani Decreta. In qua quidem Epistola hæc etiam habentur: *Pulsent*, inquit, *fores, sed non utique confringant: adeant ad limen Ecclesiæ, sed non transiliant*, &c.

Hæc de lapsis coercendis, vel recipiendis, Decreta hujus Synodi universæ Ecclesiæ Catholicæ servandà præscripta, & ad singulas toto terrarum orbe diffusas Ecclesias transmissa sunt, ut scilicet universus orbis Catholicus observet, quod à Cathedra Petri, etiam vacante, dimanare intelligit. Cyprianus Epist. 2. ad

Anto-

Antonianum, Baronius anno 253. numero 79. 80. & 81. A

Controversia.

EX hoc Concilio quidam volunt inferre per Concilium Aristocraticum regi posse Ecclesiam absque præsidentia unius Summi Pontificis, cum, vacante sede in persecutione Decii, Africanæ Ecclesiæ dubia ad Clerum Romanum deferrentur, & determinarentur, quid ni ergo pacatis rebus Concilium Aristocraticum toti Ecclesiæ præesse posset?

An Pontifex sit caput essentiale, & necessarium.

Verum est, cum sint variæ regiminis species æque licitæ, & laudabiles, non repugnare, si res in se absolutè spectetur, quin Ecclesia regi posset etiam Concilio Aristocratico: sed posita Christi Domini institutione, & qui eam in forma regni instituit, ut toties regno assimiletur in Evangeliis, tàm Pontifice Summo indiget, quàm regnum rege. Quod autem grassante Decii persecutione Clerus Romanus Ecclesiam rexerit: respondeo, inquit Andreas Duvallius Decanus Facultatis Parisiensis *tract. de suprema Rom. Pontificis authoritate* hoc fuisse per accidens, & esse de rarò contingentibus, quorum nullam vult haberi rationem Jurisconsultus. Deinde Clerus Romanus in approbanda Cypriani sententia contra Libellaticos Christianos, & Provinciales Episcopos congregandos, non propriè exercuit actum jurisdictionis sed egit, ut Doctor, & Consultor, cujus decisio, & resolutio non poterat non esse magni roboris, & quam sequi liceret, cum tuto, & citra periculum, quæ à celeberrimis Doctoribus præsertim congregatis etiam in materia fidei decreta sunt, sequi liceat, donec per Pontificem, aut Concilium Oecumenicum aliud innotescat, & statuatur.

Concilium primum Carthaginense in causa Lapsorum celebratum, anno 254 tempore Cornelii Papæ.

CAusa hujus Concilii, & aliquot sequentium fuit Novatus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, qui fideles in persecutione fidem negantes absolutione privandos docebat, quantumvis pœnitentes fuissent, in quo Princeps hæreseos extitit Novatianorum, qui ab Ecclesia separati superbo nomine se Καταροὺς, id est, mundos appellarunt. Hos truces, & crudeles hæreticos pluribus in Conciliis damnavit Ecclesia. Ac primo Concilium hoc Carthaginense habitum est Carthagine post Pascha, anno Domini 254. estque Cypriano Episcopo authore convocatum.

Initio illius Legati, quos Novatianus cum litteris ad Africanam Ecclesiam scriptis ablegaverat, à Cypriano excommunicantur. Patres autem in Synodo congregati litteras eorum, quas ipsi calumniis, & mendaciis in S. Cornelium plenissimas publicè in Concilio legi urgebant, schismatis causa ex litteris Cornelii, relatione quorumdam Ecclesiæ Episcoporum Romam revertentium plenè cognita, rejiciunt tanquam indignas, quæ in tàm sacro Sacerdotum conventu legantur, & audiantur. Cyprianus epist. 41. 42. & 55.

Felicissimus schismatis Africani infelix author, & quinque illi Presbyteri Carthaginenses, qui lapsos sine satisfactione recipiebant, Episcopo inobedientes, fidei desertores, ac schismatis sectarii, de quibus Cyprianus epist. 40. jam ante bis excommunicati, in hoc sacro Episcoporum Conventu, causam suam acturi adsunt, audiuntur, & demum tertiò excommunicantur. Id apertè constat ex epist. Cypriani 52. & 55. item ex litteris Synodicis ad Cornelium scriptis, quarum quidem S. Cyprianus ep. 42. meminit, sed injuria temporum interciderunt. Decretum est in hoc Concilio, ut lapsi pœnitentiam agentes in Ecclesiæ communionem quidem recipiantur, sed non citra urgentem necessitatem ante satisfactionis tempus impletum admittantur. Sic Cyprianus ep. 52. ad Antonianum. Vide baronium anno 254. num. 83. usque ad 90. exclusivè.

Concilium Romanum I. in causa Lapsorum celebratum anno 254. tempore Cornelii Papæ.

SYnodus hæc auctoritate Cornelii Papæ ad petitionem Cypriani Romæ ob eamdem lapsorum causam anno 254. celebratum est: in qua decretum Carthaginensis Concilii, de quo suprà, confirmatum est, nimirum, ut lapsi ad pœnitentiam quidem admitterentur, sed ad communionem non nisi tempore satisfactionis peracto reciperentur. Sic est ep. 54. Cypriani ad Antonianum. De Sacerdotibus lapsis hoc peculiariter decretum, & constitutum est hoc eodem Concilio, ut Sacerdotes lapsi, prævia pœnitentia, & B satisfactione ad Ecclesiam quidem recipiantur, sed à Sacerdotali functione deinceps abstineant, & laica tantùm communione contenti in Ecclesia communicent. Hoc Decretum per litteras Cornelius promulgavit, ut testatur Cyprianus epist. 67. in fine. Vigore hujus decreti Cornelius Pontifex, ut constat ex 52. epist. Cypriani, Trophimum quemdam Episcopum lapsum, ad laicam tantùm communionem recepit, eique, quamquam ad Ecclesiam admissus esset, Episcopali munere interdixit. Eamdem Constitutionem à Fortunatio Episcopo Asseritano lapso non observatam fuisse, Cyprianus epistola 64. vehementer exclamat; idem quoque facit de Basilide, & Martiale loquens, in ep. 68. Vide Baronium anno 254. nu. 90. & 91. C

Concilium Romanum II. contra Novationos ann. 255. sub Cornelio Papa.

IN præcedenti Concilio mentio habita est epist. D. Cypriani de Synodo Romana ejusdem Cypriani suggestione coacta à Cornelio, in qua confirmati sunt Canones pœnitentiales circa lapsos in persecutione. Nec opus est de hac Synodo plura dicere, à qua diversa est hæc præsens contra Novatianum directè habita, ut autumat Baronius ad præsentem annum, contra aliquos, qui utramque in unam confundunt.

Pœnitentia, & absolutio peccatorum.

Eusebius lib. 6. c. 35. præsens Concilium maximum vocat, in quo sexaginta Episcopi, atque Presbyteri totidem, atque amplius unà cum Diaconis in unum D conveniunt. A Pastoribus etiam separatim per singulas cujusque regionis provincias, quid de ea re agendum esset, deliberantibus, colloquia fiunt. A quibus omnibus tandem decernitur, Novatianum, ejusque fautores tanta superbia inflatos, & quotquot illius inhumanissimæ, & à fraterna charitate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum numero, qui erant ab Ecclesia exclusi, haberi: fratres autem, qui casu infelici prolapsi fuerint, pœnitentiæ medicamentis curari, & ad sanitatem restitui.

Novatianus alius à Novato.

Porro Novatianus Presbyter erat Romanus, alius à Novato Episcopo Africano, licèt hic Romam veniens illum stimulis invidiæ agitatum contra Cornelium Pontificem via Spiritus Sancti ad Papatum electum, ad apertum schisma incitaverit: Unde non rectè Theodoretus *l. de fabulis hæreticis*, ac sæpè Epiphanius, E aliique cum Novato confundunt. Romæ autem se ordinari curavit in Episcopum per tres Episcopos, primumque schisma in Ecclesia Romana suscitavit, primusque Anti-papa extitit, ac successores in Episcopatu habuit opera Novatianorum creatos subinde usque ad Cœlestini Pontificatum, à quo Novatiani publicè Episcopum habere prohibiti sunt. Onuphrius è Socrate l. 7. c. 11.

Ejus initia, & progressum describit Ruffinus Ecclesiasticæ Historiæ l. 6. c. 33. & Genebrardus l. 3. Chronologiæ, quæ ad ipsum pertinent Novatianum, studiosius colligit.

Con-

Controversia.

QUæ fuerit Novatianorum hæresis, qui & Catharos se dicebant, id est, puros, controvertitur. Adhibito autem Epiphanio in hæresi 59. quæ est Catharorum, constat in hoc sitam fuisse eorum hæresim, quod negarent in Ecclesia, seu ejus Pastoribus aliam esse potestatem remittendi peccata, quàm per baptismum, in quo solo pœnitentiæ virtutem constituebant: ita ut lapsis post baptismum spes indulgentiæ ab Ecclesia non superesset, sed à solo Deo. Et ut ait Divus Ambrosius lib. 1. *de pœnitentia*, capite 2. Eorum doctores omnia peccata, Stoicorum quodam more, paribus æstimant mensuris, id est æqualia, & æquè irremissibilia per Ecclesiæ claves, licèt posteriores sectarii hujus hæreseos tàm acerbum decretum Novatiani aliqua moderatione temperarint, dum ajunt, exceptis gravioribus peccatis, se relaxare veniam levioribus. Si autem solam praxim negandi absolutionem lapsis improbassent, non propterea ad hæreticorum numerum accessissent, quia circa usum, & administrationem pœnitentiæ plures Episcopi ratione temporum, & pœnitentium suæ jurisdictioni subditorum non uno modo se habuerunt, ut patet ex diversitate Canonum ea de re conditorum. Licuit pluribus in suo sensu abundare, & modò lenius, modò austerius agere, absque eo quod Ecclesiæ unitatem offenderent, ac salva fidei compage. Patet ex loco D. Cypriani in epist. ad Antonianum. *Et quidem apud Antecessores nostros*, ait, *quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen ab Episcoporum suorum collegio recesserunt*. Scilicet diversa praxis hæresis non erat: at dogma Novatiani, quod in Ecclesia non esset potestas ad relaxanda peccata post baptismum perpetrata, hæreticum erat, & in præsenti Concilio damnatum est, licèt ejus acta non extent. Novatianus enim ex quæstione facti in juris quæstionem, & ex disciplina irruit in Ecclesiæ potestatem, ut notat Albaspinæus l. 2. observ. 21.

Novatiani negabant potestatem absolvendi.

Hinc Genebrardus l. 3. *Chronologiæ*: Etiam istorum (Novatianorum, sive Catharorum) Lutherani, & Calvinistæ spurii sunt. Nam eorum erant capita, nullum esse in Ecclesia Pœnitentiæ sacramentum, nullam debere fieri Sacerdoti exomologesim, & eorum confessionem. Non unum esse (Romanum) in Ecclesia Episcopum, è quo cæteri pendeant. Eusebius l. 2. c. 43. Contra quod dogma Cypriani multæ epistolæ, & totus liber *de unitate Ecclesiæ*, quem & proinde aliqui inscripserant *de simplicitate Prælatorum*. Quare & Hæretici, & schismatici, qui revertebantur ad Ecclesiam cum hac fidei professione in Africa, & Romæ, ubi maximè hæresis Novatiana grassabatur, recipiebantur. *Unum Deum, unum Christum Dominum, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere*. Eusebius ex Cornelio ibid. qua formula declarabatur Summi Pontificis authoritas.

Lutherani, & Calvinistæ Novatianismo laborant.

Formula fidei.

Quia autem Ecclesiasticæ rei, functionisque præcipua pars pœnitentia, ejusque usu, & administratione continetur, ut propterea vetera Concilia, & SS. Patrum decreta in hac potissimum administranda laborarent, ac variis gradibus illi præscribendis: Dionysius Petavius Jesuita doctus, studio Novatianæ hæresis cognoscendæ, ac quadam argumenti hujus dulcedine prolectus, in Commentariis super Epiphanium ad hæresim lix. multas movet quæstiones, quæ ad ritum veterem pœnitentiæ satis obscurum spectant. Ac scitè monet, cum de priscis Ecclesiæ ritibus agitur, nihil temerè, nec absque veterum scriptorum testimoniis afferendum. Neque enim id unum intueri satis esse, quàm te probabiliter è laqueis quæstionis alicujus explices, quod in controversiis Scholasticis usu venit; sed quodcumque demum antiquioris Ecclesiæ auctoribus adscripseris, hujus ex historia tibi veritatem

Cautio adhibenda in discernendis ritibus antiquis pœnitentiæ.

A esse præstandam. Optimè equidem; sed illud etiam addiderim, solerter perspiciendum esse, an Canon ritum pœnitentiæ præscribens jus commune pro universali Ecclesia statuat, an pro unica provincia, aut parochia, seu Diœcesi, & an sint à Summo Pastore Ecclesiæ ex authoritate firmatus. Nam D. Leo Epist. lxxx. c. 2. conqueritur nonnulla factitari in usu pœnitentiæ, ac præsumi contra Apostolicam regulam, ut quod singula peccata publicè manifestentur, *cum reatus conscientiæ*, inquit, *sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta*. Unde non satis solidè argumentantur, qui ex aliquo Canone Provincialis alicujus Synodi regulam generalem, eamque necessariam pro omnibus inferunt. Sed & accuratè distinguenda est satisfactio à confessione, nec non absolutio sacra-

B mentalis à canonica, & ceremoniali ex solo jure positivo instituta. Etsi enim pœnitentia sit de jure divino, modificatio tamen ejus est de jure positivo, ut advertit Bretus, dictus parvus Scotus, Lavallensis in 3. sent. dist. 17. substantia scilicet sacramenti, quæ est potestas ligandi, & solvendi cum tribus actibus pœnitentis, contritione, confessione, & satisfactione conjuncta. At accidentalia sacramenti, & quidam modus applicandi, aut disponendi istas partes est ex instituto Ecclesiæ, quæ pro varietate temporum, & necessitate, aut utilitate majori varios Canones condit circa ista, salva semper, & illæsa institutione Christi quoad essentialia, & substantialia. Unde etsi aliquando confessio publica fuerit in usu de peccatis publicis, itemque satisfactio ad mortem usque injuncta fuerit cum excommunicatio-

Quic[...] jure di[...] no, & [...] mano i[...] pœniten[...]

C nis cujusdam forma, & alia hujusmodi, mansit tamen Christi institutum. Nec Novatores hodiernæ pœnitentiæ disciplinam pudendæ corruptelæ jure coarguunt. Quod itidem de aliis sacramentis asseri potest.

Hìc autem nobis jamdudum visum hujusmodi decreta circa lapsos reconciliandos magis pertinere ad reconciliationem quamdam ceremonialem, & ex jure positivo institutam, quàm ad absolutionem sacramentalem. Quod maximè confirmatur ex eo, quod Cyprianus permittat eam fieri à Diaconis, si deesset Sacerdos: at Diaconus non absolvit sacramentaliter. Nam quod respondet Gregorius Ambianas Minorita in observationibus ad Librum Tertulliani *de pudicitia* ad caput 11. potestatem absolvendi collatam fuisse tunc Diaconis separatam à potestate consecrandi, quæ

Absol[...] ceremo[...] lis, & [...] cramen[...] lis.

D propriè Sacerdotem constituit, improbabile est, siquidem ex potestate in corpus Chisti verum per consecrationem profluit potestas hæc in corpus Christi mysticum per absolutionem. Nec res tanti momenti absque expressa authoritate admitti potest. Confirmatur ex facto Serapionis, qui in persecutione lapsus Alexandriæ, resipuit, & in extremis pœnitentiam agens reconciliatus est per susceptionem Eucharistiæ à puero sibi illatam absque absolutione sacramentali. Sed & asserit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. *Ne aliquis pereat, piè admodum in Ecclesia Dei constitutum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*: ergo tales Canones non spectabant ad absolutionem sacramentalem dandam in exitu, aut denegandam. Plura dici possent circa hoc argumentum,

Potesta[...] absolv[...] di, & c[...] secrand[...] indivis[...]

E sed pluries redibit occasio illud versandi.

Solùm hic advertimus ex D. Epiphanio Novatianum ex textu D. Pauli ad Hebræos 6. errorem suum propugnasse. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, &c. *rursum renovari*, &c. ad quem textum respondet idem esse de lapso post baptismum, ac de eo, qui virginitatem amisit, quam amplius repræsentare non potest: licèt in continentia possit habere secundum commendationis gradum: sic lapsus habet tantum secundum sanitatis genus, & primo excidit.

Vide su[...] in Ap[...] in Epis[...] Hebræ[...]

Concilium Italicum eadem de causa celebratum anno Christi 255. sub eodem Cornelio.

EAndem ob causam Novatiani, Episcopos Italiæ circa hæc tempora convenisse, idem, quod præcedente

dente Romano Concilio secundo constitutum est, confirmasse, & decrevisse, testatur Hieronymus lib. de Scrip. Eccl. in Cornelio, his verbis: *Cornelius Romanæ urbis Episcopus, &c. scripsit epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana*. Eusebius prædicto lib. 6. cap. 35. de hoc Cornelio hæc ait: *Epistolæ quidem Cornelii Episcopi Romani scriptæ ad Fabianum Episcopum Ecclesiæ Antiochenæ, ad nos pervenerunt, quæ tùm Acta Concilii Romæ habiti, tùm quæ ab omnibus in Italia, in Africa, inque aliis locis de eo errore decreta erant, evidenter declarant*. Baron. anno 255. num. 2. & 3.

Concilium Carthaginense II. in causa schismaticorum Felicissimi, & Novatiani celebratum anno 255. sub Cornelio Papa.

Concilium hoc anno Domini 255. Idibus Maji Carthagine in Africa celebratum est, in causa duorum schismaticorum, Felicissimi nimirum, & Novatiani, quorum ille omnes omnino lapsos absque pœnitentia mox suscipi debere pertinaciter defendebat: Novatianus verò in alterum extremum nimis declinans, neminem eorum, qui lapsi essent, in Ecclesiam recipiendum esse non minore pertinacia asserebat. Ad hancergo controversiam determinandam, auctoritate Cypriani Episcopi, quadraginta duo Episcopi Africanæ Ecclesiæ congregantur, qui media via incedentes definierunt, lapsis reditum ad Ecclesiam postulantibus, pacem, & reconciliationem concedendam esse, si impositam sibi pœnitentiam adimplevissent; idque ordinariè observari constituerunt, nisi vel vitæ extremæ periculum imminens, vel instans Tyrannorum persecutio (quam futuram esse Spiritus Sanctus Cypriano revelaverat) pœnitentiarum injunctarum, aut etiam injungendarum indulgentiam, relaxationem, & dispensationem postularet. Privatus veterator hæreticus, ut causam suam ageret, ad hanc Synodum ipse cum suis introire tentavit quidem; sed quia anteà sæpius damnatus fuisset, repulsus est: qua de causa ille sociis quibusdam collectis, Fortunatum quemdam profugum, & absentem, adversus Cyprianum, Pseudoepiscopum creat: & posteà statim per Felicissimum, & magnam schismaticorum catervam ad Cornelium Papam ablegatam, ut schismatis, & hæreseos suspicionem averterent, Apostolicæ Sedis communionem sollicitè admodum appetunt: verùm cum Romam adnavigassent, & à Pontifice Cornelio aliquoties audiri, & recipi postulassent, eique contra Cyprianum querelas afferre tentassent; ab eodem protinus rejecti sunt: quippe qui per litteras eos schismatis, atque hæreseos auctores, & propugnatores profugos, & absentes jam satis cognovisset. Baronius anno 255. num. 5. & sequent. Synodica Epistola ad Cornelium transmissa extat apud Cyprianum inter ejus epist. 54.

Felicissimus lapsis indulgentior.

Controversia.

Hoc Concilium habitum est ob varias opiniones circa lapsos in confessione Christi, dum atrox persecutio sub Decio Imperatore in Christianos ferveret. Quo enim magis furerent tyranni, plus roboris, & constantiæ pastores Ecclesiarum in Christianis desiderabant, ne cederent tyrannidi, atque ideo ne, quis ignavius thura adoleret idolis, minusque constanter Christum confiteretur, privandos esse communione Ecclesiæ, ac nequidem in fine vitæ reconciliandos plures censebant, ut formidine hujus pœnæ in officio continerentur inter cruciatus, & tormenta, quod etiam aliquot Africani Episcopi erga mœchos servabant, quos in exitu reconciliatione, & pace Ecclesiæ privabant: tantum Tertulliani zelus amarior invaluerat, à quo tantus rigor promanarat. Vigebat quoque Helcesaitarum hæresis inter Arabes, qui, ut est apud Ruffinum l. 6. c. 28. Apostolum Paulum ex integro respuentes, asserebant, quod in persecutionibus si quis negaverit, nihil criminis habeat, quia corde in fide permeruit, licèt ore propter necessitatem neget: unde ne plures abriperentur propter hanc opinionem, decreta severiora in lapsos pluribus placebant: cum tamen gravia inde detrimenta provenirent, quæ alii perpendentes non ita severè agendum cum lapsis contendebant; cum erga multa de iis esset quæstio, reddita pace Ecclesiæ, copiosus Episcoporum numerus apud Carthaginem sub Cypriano convenit, ubi ait idem D. Cyprianus Epist. 51. Ad Antonianum Numidiæ Episcopum, scripturis diu ex utraque parte probatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis, & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia cluderetur, secuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen rursus censura Euangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis coepiscopis habito Concilio in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consentit.

Helcesaitæ

Temperamentum in lapsis recipiendis.

Arbitratur autem Baronius ad an. 254. num. lxxxix. libellum illum fuisse libellum pœnitentialem, & capita ista tot fuisse canones pœnitentiales, quibus diversæ pœnæ continebantur pro differentia eorum, qui lapsi fuerant. Adnotat autem specialiter D. Cyprianus in eadem Epistola in hoc Concilio aliter decretum fuisse circa sacrificatos, & circa libellaticos, neque enim, inquit ibi, æquandi sunt, ille, qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosiliit, & qui reluctatus, & congressus diu ad hoc funestum opus necessitate pervenit. Porro libellatici, ut ibidem explicatur, cum nollent sacrificare diis, dato pretio magistratibus libellos, seu litteras emebant, quibus eximerentur, ne ad altaria accederent sacrificandi causa, & non facerent, quod non liceret, & ideo addit D. Cyprianus: placuit, Frater charissime, examinatis causis singulorum, libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est, & cæt. neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quoniam si pœnitentiam plenam, & justam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat, quod à nobis fuerit hic statutum. Si verò nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit; Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perspeximus, judicet, & servorum sententiam Dominus emendet, dum tamen nos frater meminisse debeamus scriptum esse (Proverb. 18.) *frater fratrem adjuvans exaltabitur, &c.*

Sacrificati libellatici.

Intelligendum est autem sacrificatos admissos fuisse in fine vitæ, si antea pœnituissent, unde subjungit: pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus, & spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. Quæ verba Cypriani legem universalem non faciunt, & magis comminatoriè scripta esse ab ipso putandum est in illa Epistola, in qua tàm disertus, & eloquens est, ut persuadeat misericorditer agendum esse cum peccatoribus, qui pœnitent.

Concilium Africanum I. Ad collapsam Ecclesiæ disciplinam reformandam habitum anno 257. sub Stephano Papa.

CEssante jam persecutione, ad quassatam Ecclesiam componendam, anno Christi 257. Cyprianus, ejusque collegæ Episcopi Africanæ Ecclesiæ ex more convenerunt, partim ut rectam fidem, & Catholicam unitatem conservarent, partim etiam, ut collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituerent, ac bonos mores fidelium informarent.

In hac Synodo constitutum est primò, ut Diaconus ille, quem Rogatianus de protervia, & convitiis sibi illatis coram Patribus Concilii denuntiaverat, aut abstineatur, aut nisi peccatum emendet, omnino deponatur. Idem de reliquis protervis, & contumeliosis Clericis constitutum esse volens: quia contumacia in Clericis subjectis periculosa sit, ex qua ut plurimum in hæresim prolabi consueverunt. Vide Cyprianum Epist 65.

Id est excommunicetur.

Secundò, hac eadem Synodo Patres Concilii intelligentes, quòd Geminius Victor Christianus ex hac vita discedens, Fortunatum quemdam Presbyterum testamento suorum filiorum tutorem nominasset: atque ita juxta Decretum Concilii alicujus olim hac de re in Africa sub antecessoribus celebrati, pœnam excommunicationis incurrisset, ipsum Geminium defunctum, eò quòd Presbyterum à cultu Dei ad secularia avocasset, excommunicatum esse denuntiant: ideoque pro defuncto Sacrificium offerri, nomen apud Altare nominari severè admodum interdicunt, ipsumque antecessorum suorum Decretum hac Synodali constitutione confirmant. Vide Cyprianum Epist.66. Baronium anno 257. num.13.& 14.

Controversia.

AN mortui possint excommunicari, discussum fuit supra in quinta Synodo classis secundæ. Solum hìc annotare juvat, multo plures esse, qui probabilius, & verius mortuum propriè excommunicari non posse docent; sic Alphonsus de Castro, lib.2. de Justa heret. punit. cap.19. & cap.20. Martinus Ledesma 2. 4. quæst.26. art 1. Covarruvias in cap. Alma mater. 1. part. § 11. nu. 8. de Sent. excomm. in 6. ubi ait esse communem Theologorum, & Canonistarum sententiam, & Glos. & Panormitanum quoque reprehendit. Hunc etiam sequuntur S. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 75. §. 1. Sylvester verbo Excommunicatio 1. num.7. vers. Sciendum est tertiò; Tabiena verbo Excommunicatio 4. in principio; Turrecremata 24. q.2. à princ. Suarez de Censur. lib.1. c.8. n.8. Navarrus in Manuali cap. 27. num.13. Sotus in 4. dist. 22. qu.2. art.2. in fine.

Quòd si aliquando legimus, mortuos aliquos excommunicatos fuisse, ut in hoc Concilio præcipuè, illud dupliciter intelligi potest: uno modo, quòd fuerint declarati, & juridicè pronuntiati excommunicati, eò quòd post mortem deteguntur eorum peccata excommunicationem annexam habentia, quæ in vita fuerunt occulta: quod frequenter fit in crimine hæresis: solent enim contra eos, qui in hæresi occulta mortui esse deprehenduntur, libelli adscribi, & sententiæ pronuntiari, quibus publicè declarantur hæretici, & in hæresi mortui: unde & eorum corpora, & ossa exhumantur, & igni traduntur, ad hæresis detestationem, & aliorum terrorem. Alio modo, ut positum sit excommunicationis nomen solùm pro maledictione, & execratione, qua solemniter, & publicè significat Ecclesia se tales detestari; unde meritò eos Ecclesia, & Ecclesiastica sepultura privat, aliosque pro illis orare prohibet: & ita effectu quodam secundario excommunicationis post mortem eos punire decernit: quòd justè potest. Cùm enim excommunicatio duo præcipuè operetur, unum, ne excommunicatus Ecclesiæ Sacra-

Mortui excommunicati.

Excommunicatio.

A mentis, & Sacrificiis utatur; & alterum, ne Christiani suffragia pro eo ferant, & ne Ecclesiastica sepultura eos donent, ut probatur in cap. *Excommunicatos*, cum seq. 11. qu. 3. & in cap. *A nobis*, & cap. *Sacris* de Sent. excom. primum illum effectum, in quo propriè excommunicatio consistit, ad mortuum non operatur, sed solùm secundum. Ad id verò, quod in hoc Concilio fit, dico, quod tantum hìc declaratur, Geminium Victorem antea in excommunicationem incidisse, & vinculo excommunicationis innodatum decessisse.

Concilium Africanum in causa Basilidis, & Martialis habitum 258. sub Stephano Papa I.

COncilium hoc habitum est in Africa, anno Christi 258. ad instantiam Episcoporum Hi-
B spaniæ, eo fine, ut de causa Basilidis, & Martialis, Africanæ Ecclesiæ judicium cognoscerent. Causa talis erat: Basilides Legionensis, Martialis Asturicensis Ecclesiæ Episcopi, eò quod in persecutione fuissent lapsi Libellatici, qui nimirum privatim fidem abnegantes, publicum idolorum cultum pecunia redemissent, Episcopali honore ad denuntiationem fidelium Hispanorum spoliantur, & in eorum locum Sabinus, ac Felix substituuntur. Cessante persecutione, illi, sicut anteà Felicissimus in Africa lapsus, absque ullo gradus, & honoris dispendio ab Ecclesia recipi temerario ausu contenderunt: quo conatu cum frustrarentur, Felicemque cum Sabino in locum suum substitutos viderent; Basilides livore tabescens, ad A-
C postolicam Sedem Romam se contulit, ibique se injustè sede privatum conquerens, Stephano Romano Pontifici supplicationem plurimis mendaciis refertam exhibet, ac per eam sedi, ac honori pristino restitui suppliciter rogat. Quod cùm Episcopi Hispaniæ audissent, & ipsi duo suffecti Episcopi, Sabinus, ac Felix ad Africanam Ecclesiam ablegantur, & utrique litteræ ad Cyprianum, reliquosque ejus Ecclesiæ Episcopos scriptæ communicantur, ut scilicet iidem Episcopi Libellaticorum duorum causam cognoscant, ac dijudicent. Cyprianus igitur cum Legatos unà cum litteris prædictis excepisset, collegas Antistites convocat, & in eorum sacro consessu litteras ad se, suosque collegas scriptas legi, ac recitari, & ab iisdem legatis in Concilium introductis, suam ipsorum causam enarrari pro-
D curat. Quæ cùm facta essent, hoc, quod ab Episcopis Hispaniæ de Basilidis, & Martialis Libellaticorum Episcoporum depositione, & Sabini cum Felici suffectione constitutum fuerat, per Africanæ Ecclesiæ Episcopos illos, qui huic Concilio interfuerant, confirmatum est; nimirum Libellaticos omnes ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, verùm ab ordinatione Clericali, atque Sacerdotali dignitate rectè prohiberi; hosce duos etiam sua Episcopali dignitate rectè spoliatos, Sabinum, ac Felicem in locum ipsorum rectè suffectos esse. Quo testimonio habito, ipsi Sabinus ac Felix, litteris Cypriani, aliorumque Episcoporum ad Stephanum, & Episcopos Hispaniæ scriptis communiti, Romam adnavigant, cùm ut mendacia Basilidis coram refellant, tùm etiam ut auctoritate Sedis Apostolicæ contumaces Episcoporum Hispaniæ
E contemptores compescant. Vide Baronium anno 258. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Libellatici.

Aliud absolu... nem, a... ad dig... tatem... stitui.

Cæterum quidpiam simile refert D. Cyprianus in Epist. ad Antonianum. *Sic admissus est Trophimus*, inquit, *ut laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum littera pertulerunt, quasi locum & sacerdotis usurpet.*

Concilium Iconiense, contra Cataphrygas celebratum anno 258. sub Stephano Papa I.

IConii in Phrygia hoc Concilium habitum est anno 258. occasione Cataphrygarum hæreticorum, ut de ipsorum, omniumque aliorum hæreticorum Baptismatis valore quid statuendum sit, inquirerent. Testatur

Controversia de baptismo.

tur enim Eusebius lib.7. cap.6. in Iconio, & aliis locis tractatum fuisse de rebaptizandis hæreticis, prius quam in Africa ea de re ageretur. Porro ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliisque proximis Orientalibus regionibus Episcopi ad hanc Synodum accesserunt: à quibus omnibus constitutum, ac decretum est, nihil eorum, quæ ab hæreticis facta sunt, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse; Ordinationes, Baptismum, manuum impositiones, aliudve sacrum quodvis ab hæreticis administratum, invalidum esse. Stephanus Pontifex Romanus Episcopos Orientales hæc constituentes excommunicat, & Apostolicæ Sedis communione privat; ipsam verò Synodum erraticam contra Apostolorum traditionem errorum dogma confirmantem reprobat. Orientales ad Pontificem suos quidem Legatos, qui de rebus in Synodo gestis coram Pontifice rationem redderent, ablegarunt: verum, Romam venientes, à Stephano Pontifice neque recepti, neque auditi fuerunt. Ob quam causam Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus ad Cyprianum eam, quam Acta hujus Concilii enarrant, Epistolam scripsit, & de Legatis non auditis valdè conqueritur. Baronius anno prædicto, num. 14. 15. & 16. De erroribus autem horum hæreticorum dicetur in Concilio Gangrensi infra.

Auctoritas Papalis emicat.

Concilium Africanum, vel Carthaginense I. In causa Baptismatis hæreticorum, anno 258. sub Stephano Papa I. habitum.

Tertulliani severitas.

POstquam in Africana Ecclesia, Agrippino, vel etiam Tertulliano auctore, usus rebaptizandi eos, qui ab hæreticis baptizati erant, jamdiu antehac frequẽtatus fuisset, eumque Novatianus, ut saltem hoc modo lapsi, quos immundos esse docebat, per Baptismum ab omni sua immunditia absolutos in Ecclesiam reciperet, æmulatus fuisset, Magnus homo laicus, occasione Novatianorum, eamdem tunc temporis baptizandi formam cum Catholicis observantium, dubitavit primus, an ad Ecclesiam revertentes rebaptizari deberent, quos à Novatianis baptizatos esse scirent. Ex Episcopis primi reperiuntur fuisse Numidiæ, qui de iterando hæreticorum Baptismate ad Cyprianum, aliosque Episcopos ad Synodum hanc Carthagine coactos, litteras conscripserunt. Prima igitur Synodica hac de re consultatio, anno 258. Valeriano, & Gallieno Imp. habita, hæc est, ut Cyprianus Ep.73. ad Jubajanum ostendit, in qua cùm ex Africanis alii, juxta Apostolicam traditionem sentirent non esse rebaptizandos eos, qui legitimè ab hæreticis baptizati essent: alii verò contrà existimarent, unum Baptisma dumtaxat esse unius Ecclesiæ, ideoque apud hæreticos, qui extra Ecclesiam sunt, Baptismum verum, ac Catholicum esse non posse, hac inquisitione prævia, tandem definitum est, cùm unum sit in sancta Ecclesia Baptisma, neminem foris extra Ecclesiam baptizari posse: traditionem Apostolorum malè interpretantes, addiderunt (ut ex Cypriano Epist.71. ad Quintum constat) illos, qui à Catholicis ritè baptizati ad hæreticos defecissent, non per Baptismum, sed per solam manuum impositionem recipiendos esse, si ad Ecclesiam redire contendant. Baronius anno Christi 258. nu. 17. usque ad 26. inclusivè.

Novatianus corrigitur.

Concilium Africanum, sive Carthaginense II. In causa Baptismi hæreticorum, anno 258. sub Stephano Papa I.

UT ea, quæ præcedente Concilio constituta sunt, pleniore sententia confirmarentur, Cyprianus in eadem causa baptismi ab hæreticis collati, hoc eodem anno 258. pleniorem conventum Episcoporum convocavit, & ex Africa, ac Numidia 70. Episcopos, & unum ad hanc Synodum coegit, eo fine, ut quod

A singuli sentiunt de traditionibus majorum sanctè, & inviolabiliter servandis, deponant. Postquàm omnes prædicti convenissent, idem quod suprà præcedentibus Conciliis Africanis in hac, & Basilidis causa habitis, definitum est, duplici Decreto desuper lato confirmarunt. Quorum primum est, ut ii, qui in Ecclesia ordinati à fide defecerunt, revertentes ad Ecclesiam, nonnisi ad laicam communionem recipiantur. Alterum, ut Baptismus hæreticorum ab ipsis collatus, non tantùm pro invalido, sed etiam prò nullo habeatur; adeò, ut si ad Ecclesiam revertentes baptizentur, non secundo Baptismo rebaptizentur, sed tantùm primum iis Baptisma conferatur; quia ab hæreticis non verè baptizati, sed aqua tantùm hæreticorum ampliùs sordidati fuerint. Ita Cyprianus Epist. 73. ad Julianum. Unde qui illum Anabaptismo patrocinatum fuisse sentiunt, graviter errant.

B Hæc cùm Episcoporum prædictorum 71. sententia constituta essent, ad Stephanum Romanum Epistola quadam Synodica perscribuntur. Ille verò Synodica Epistola accepta, per litteras redditas Concilium hoc reprobavit, & simul etiam sanctissimè mandavit, ne à traditione Apostolica de non iterando Baptismate hæreticorum eorum, qui eadem forma, qua utitur Ecclesia, baptizassent, vel latum unguem recedant, ipsosque ab ipsis baptizatos, si ad Ecclesiam redire petant, non aliter, quàm per solam manuum impositionem recipiant. Hæc ex Cypriano Epist. 74. quam ad Pompejum Sabiatensem in Africa Episcopum scripsit, probantur. Vide Baronium anno 258. num. 27. usque ad 38. inclusivè.

C *Concilium Carthaginense III. sub Cypriano Episcopo, in causa Baptismi, celebratum anno 258. tempore Stephani Papæ.*

OCcasio celebrandi hoc Concilium hæc fuit: Cùm Stephanus Papa, ea, quæ præcedente Africano Concilio de Baptismate hæreticorum statuta erant, per litteras redditas reprobasset, non cunctatus est Cyprianus majore numero Episcoporum Carthagine aliud Concilium celebrare. Convocatis igitur ex Africa, Numidia, & Mauritania Episcopis 87. iisdemque Carthagine coeuntibus Kalendis Septembris anno 258 hoc
D tertium in eadem Baptismi causa Concilium celebrat.

In quo Concilio ab omnibus unanimiter decretum est, ab hæreticis non conferri verum baptisma, sicut nec datur Spiritus Sanctus, nec vera remissio peccatorum. Innixi verbis Pauli ad Ephes.4. *Una fides, unum baptisma.* Unde colligebatur hoc unicum dogma, in hac Synodo communi consensu 86. Episcoporum approbatum. Baptizati ab hæreticis, si ad Ecclesiam redire cupiant, vero ipsius baptismo rebaptizandi sunt. Quod posteà per Stephanum Papam Romæ in Concilio reprobatum fuit. Nec mirum est Concilium particulare falsum fuisse. Non enim erat hæc Synodus Oecumenica. Dabimus hic præcipua suffragia cum responsionibus D. Augustini in summam redactis, ex libris ejus de baptismo.

Cùm in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex Provincia Africana, Nu-
E midia, Mauritania, cum Presbyteris, & Diaconis, præsente etiam plebis maxima parte, & lectæ essent litteræ Jubajani ad Cyprianum factæ. Item Cypriani ad Jubajanum rescriptæ, de hæreticis baptizandis, quidque postmodum Cypriano Jubajanus rescripserit, Cyprianus dixit.

Audistis collegæ dilectissimi, quod mihi Jubajanus Coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito, & prophano hæreticorum baptismo. Et quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum censuimus, *hæreticos ad Ecclesiam venientes, Ecclesiæ baptismo baptizari, & sanctificari oportere.* Item lectæ sunt vobis & aliæ lit-

teræ

teræ Jubajani, quibus pro sua syncera, & religiosa devotione ad Epistolam nostram rescribens, non tantum consensit, sed & instructum se esse gratias agit. Superest, ut de hac ipsa re singuli sentiamus, perperam neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem (si diversum senserit) amoventes. Neque enim quisquam nostrum *Episcopum se esse Episcoporum constituit*, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis,& potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum judicare, sed expectemus Domini nostri Jesu Christi judicium, qui unus, & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicando.

Nota. Cum in errore versaretur, Cyprianus acriter nimis perstringit Romanum Pontificem Stephanum, tacito ipsius nomine, sed alibi maximè in libro de *unitate Ecclesiæ*, ista emendat sanctus vir correcto errore priori, interim ex hoc deprehendere licet, quales se nuncuparent Pontifices Romani. Quod idem indicant quædam loca Tertulliani, cum iisdem infensus esset, ut in libro *adversus Phycicos*: necnon in libro *de pudicitia*, cum adversariorum testimonia minus suspecta esse debeant in hac causa.

Auctoritas Rom. Pontificis.

Cæcilius Abitæ, sive à Bilta dixit.

Ex cap. 14. l. 6. de bapt. contra novatianistas.

Ego unum baptisma in Ecclesia sola scio, & extra Ecclesiam nullum. Hoc erit unum, ubi spes vera est, & fides certa. Sic enim scriptum est: Una fides, una spes, unum baptisma. Non apud hæreticos, ubi spes nulla est, & spes falsa. Ubi omnia per mendacium aguntur. Ubi exorcizat dæmoniacus. Sacramentum interrogat, cujus os, & verba cancer emittunt: fidem dat infidelis: Veniam delictorum tribuit sceleratus, & in nomine Christi tangit Antichristus, benedicit à DEO maledictus. Vitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, DEUM invocat blasphemus, Sacerdotium administrat prophanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut antistes diaboli audeat Eucharistiam facere: aut qui illis assistunt, dicant hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia Ecclesia consentire cogitur, & sine baptismo, ac venia delictorum communicare compellitur. Quam rem, fratres, fugere, ac vitare debemus, & à tanto scelere nos separare, & baptisma tenere, quod soli Ecclesiæ à Deo concessum est.

Ephes. 4.

August. Respondeo: quisquis etiam intus confitetur se Deum nosse, factis autem negat, quales sunt avari, & invidi. 1. Joan. 3. dicuntur homicidæ. Infra. Et Antistites diaboli, qui fraudi, & avaritiæ, quæ est Idololatria, serviunt. Cur ergo isti baptizant?

Ex c. 14. Lucius à Castro Galbæ dixit. *Ite, & docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Non permisit baptizare, nisi bonos: quia malis non diceret, Joan. 20. si cui dimiseritis, &c.*

Ex 24. Fortunatus à Thucaboli dixit. *Christus super Petram ædificavit Ecclesiam suam, non super hæresim: Et potestatem baptizandi Episcopis dedit, non hæreticis: quare, qui extra Ecclesiam sunt, baptizare foris non possunt.*

August. An forte non ad hominis meritum, sed ad ipsius baptismi Sacramentum pertinet, ut foris dari non possit? si hoc ita esset, nec haberi foris posset. Nonne illi sunt in Ecclesia, qui sunt in petra, qui autem in petra non sunt, nec in Ecclesia sunt? & infra. *Qui audit verba mea hæc, & non facit ea: similabo eum viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.* Matth. 7. Si ergo in petra est Ecclesia, qui super arenam sunt, quia extra Petram sunt, profectò extra Ecclesiam sunt, &c. Tamen quamdiu ita sunt, baptizant, & baptizantur.

Ex 25. Sedatus à Tuburbo dixit. *Aqua Sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta, &c.*

Augustin. Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erA roris verba per imperitiam peccator effundit, multi non solùm mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, &c. Plerumque precis vitium superat precantis affectus, & certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent: ut per illa sic evacuentur, quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur, &c. Multi quippe irruunt in preces non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, &c. Nec tamen quod in eis perversum est, evacuat illa, quæ ibi recta sunt: sed ab eis potius evacuatur: Sicut in ipso homine bonæ spei, & probabilis fidei, si quid aliter sapit, non inde evacuantur, quæ rectè sapit. Si autem malus

Preces hæreticorum.

B precem integram dicat, &c. non ideo ipse rectus est, quia illa recta est: Et si in aliquibus perversam precem afferat, Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest: Et ipse sanctificat Sacramentum suum, ut homini sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso idipsum valeat ad salutem, &c. Cæterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelii, quibus Symbolum constat, illic defuerint? sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Ideoque dicimus non omnem baptismum, sed baptismum Christi, idest verbis Euangelicis consecratum ubique eundem esse.

Ex 34. Quietus à Baruch dixit, *Qui baptizatur à mor-*
C *tuo, quid proficit lavatio ejus?* Eccles. 34.

August. Non ab illo mortuo baptizatur, sed ab illo vivo. Joan. 1. *Ipse est, qui baptizat*; qui, quolibet corporaliter operante, baptizat.

Ex 37. Libosus à Vaga dixit: *Ego sum veritas*, inquit Christus, Joan. 14. *Non dixit, ego sum consuetudo, &c.*

August. Si per illam consuetudinem omnes polluti perierunt: de qua caverna isti Donatistæ sine originali veritate procedunt?

Ex 40. Felix ab Amaceura dixit. *Nec duobus populis salutarem aquam tribuere potest, qui unius gregis Pastor est.*

August. Aqua diluvii constitutis juxta arcam salutaris fuit, extra arcam verò mortifera fuit, eadem ta-
D men fuit.

Ex 42. Adelphius à Thasbalte dixit. *Ecclesia hæreticos non rebaptizat, sed baptizat.*

Aug. Imo verò: quia nisi eos, qui baptizati non sunt, non baptizat.

Ex 44. Vincentius à Thibari dixit, *hæreticos scimus pejores, quàm Ethnicos, &c.*

Aug. Ex qua regula, &c. nescio: cum Dominus dicat, Matth. 18. *Sit tibi tamquam Ethnicus, &c.* Potest fieri, ut aliquis pejor sit Ethnico: & tamen in eo Christi Sacramentum non solùm sit, sed etiam non sit pejus, quàm in homine sancto, &c. Nonne Sodomitæ Ethnici erant? &c. pejores ergo erant Judæi, quibus Matth. 11. Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis. Nonne tamen ideo Sacramenta divina, quæ apud
E Judæos erant, talia erant, quales ipsi, &c. Ipsi gentiles si quid divinum, & rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non improbaverunt sancti nostri. Probat ex ipso Cypr. lib. de Idolorum vanitate, idque de Hotane, Platone, & Hermete Trismegisto. Si ergo in ipsis potest aliquid divinum inveniri, recteque approbari, &c. non oportet nos ita moveri, etiamsi pejores sint hæretici, ut quod in eis bonum est, Christi nolimus agnoscere.

Hæretici, & Ethnici qui pejores?

Ex cap. 2. lib. 7. Marcus à Mactari dixit, *Quidam nostri prævaricatores hæreticis suffragantur, &c.*

August. Post passionem Cypr. 40. annis traditio codicum facta est. Si ergo nos traditores, quia à traditoribus, sicut ipsi confingunt: ab illis prævaricatoribus utrique originem ducimus.

Ex

Ex 4. Ecclesiæ baptismum esse apud hæreticos: sicut aqua Paradisi in terra Ægypti. Infra. Si hoc sit quisque, quod est ille, cui communicaverit, omnes tunc hæretici facti sunt. A

Ex 12. Pomponius à Dionysiana dixit, *Manifestum est hæreticos non posse baptizare, & remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent, &c.*

Respondetur, hanc potestatem nec homicidæ habent, idest, qui oderunt fratres. Non enim talibus dictum est: si cui dimiseritis peccata, dimittentur eis, &c. Et tamen baptizant, &c.

Ex 13. Venantius à Thimisa dixit, *Qui baptisma Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.* Nunquid Cypr. sponsam Christi prodebat adulteris: ac non potius monile sponsi etiam in adultera cognoscebat?

Ex 25. Therapius à Bulla dixit: *Qui hæreticis baptismum Ecclesiæ concedit, & prodit, quid aliud, quàm sponsæ Christi Judas existit.* B O magna convictio Schismaticorum! Si Cypr. talibus communicabat, qualis Judas traditor fuit, & tamen ab eis non maculabatur: aut si maculabatur, tunc Judæ facti sunt omnes: Ergo & modo Judæ sunt omnes, &c.

Ex 39. Pusillus à Malasba dixit, *Quicquid absque Catholica fuerit, simulatio est.*

August. Simulatio etiam in Catholica esse potest, &c. nec est Catholica simulatio. Sicut ergo est in Catholica, quod non est Catholicum, sic potest extra Catholicam aliquid esse Catholicum.

Ex 49. Cypr. à Carthagine dixit. *Meam sententiam plenissimè exprimit epistola ad Jubajanum, hæreticos secundum Apostolicam contestationem adversarios Christi, & Antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam venerint,* C *unico Ecclesiæ baptismate baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici, & de Antichristis Christianissimi.*

August. Quod hic dixit, meminerimus dici posse de omnibus iniquis: Serm. de lapsis, quos & in Catholica esse ipse testatur, & baptismum habere, & dare nemo nostrum ambigit.

Judicium Stephani Papæ de hoc Concilio ex Vincentio Lirinensi.

DE hoc Concilio Vincentius Lirin. part. 1. *commonitorii* c. 9. D Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem, ac instituta majorum rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam catholicis occasionem præbuerit erroris. Cum ergo ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua versum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc B. memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen pro cæteris restitit: dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate superabat. Denique in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, *Nihil* E *novandum, nisi quod traditum est.* Intelligebat etenim vir sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur: nosque Religionem, non qua vellemus, ducere, sed potius, qua illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ, & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique, nisi usitatus, & solitus? retenta est, scilicet antiquitas, explosa novitas.

Sed & D. Augustinus de hac controversia loquens lib. 3. de baptismo cap. 9. *Nondum*, inquit, *factum erat universale Concilium: quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc opponebatur inducere volentibus novitatem, &c. Postea tamen ad plenarii Concilii authoritatem, roburque perducta est post Cypriani quidem Passionem, sed antequam nati essemus.* Quod intelligit D. Augustinus de Concilio Generali Nicæno primo, in quo decretum est non rebaptizandos ab hæreticis baptizatos. Unde patet etiam non omnes extare Nicæni Concilii Canones.

Cæterum Episcopi illi postea sententiam mutarunt, ut testis est D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. *Conatus est*, inquit, *D. Cyprianus lacus contritos fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. Quid facimus? ita & nobis majores nostri, & illis sui tradidere majores.* Unde colligas D. Cyprianum hujus Concilii præsidem in hac sententia non permansisse, ideoque hoc nihil obstitisse ejus sanctitati. Certè liber ipsius de *Unitate Ecclesiæ* post plura ipsius opera scriptus, quid senserit de Rom. Pontifice, abundè testatur, ut etiam compendium veritatis ipsum appellet. Nec immeritò D. August. magnifacit eum, ac precibus ejus se commendatum cupit, in libris de baptismo contra Donatistas sub finem, in quibus refert, & refellit suffragia, ac rationes Episcoporum ejus Synodi contra eosdem Donatistas, qui eumdem errorem tuebantur. Tantum prævaluerat authoritas Tertulliani, qui ex odio in hæreticos ad errorem istum viã aperuerat. Ejusdem Synodi acta habentur inter opera D. Cypriani cum multis Pamelii observationibus.

Cyprianus non permansit in opinione contra Papam Rom.

Concilium Romanum in causa Dionysii Alexandrini de Sabellianismo accusati, habitum anno 263. tempore Dionysii Papæ.

CUm Sabelliana hæresis, auctore Sabellio orta, ac propagata, gloriosissimæ, & adorandæ Trinitati personarum distinctionem auferret, asserens eumdem esse Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, tantumque diversa nomina admittens, ut propterea etiam Patrem passum fuisse diceret, unde & illius sectatores dicti sunt Patro-passiani: Dionysius Alexandrinus sui officii ratus, hominem Lybium sibi subditum refellere, in eum lucubrationes quasdam scripsit, quibus sinistro judicio Pentapolitanorum, non personarum tantùm, sed etiam naturæ divinæ distinctionem, ac diversitatem tueretur. Pentapolitani igitur eumdem Dionysium Alexandrinum, quasi de fide, & Trinitate non rectè sentiret, apud Dionysium Pontificem Romanum accusant. Pontifex hoc Episcoporum conventu Romam indicto, Dionysium Alexandrinum ad Concilium citat, & quid de natura, ac ineffabili gloriosissimæ Trinitatis substantia sentiat; unam, eandemve, an verò diversam in tribus personis subsistentem divinam naturam esse credat, scripto proferri mandat. Episcopus Alexandrinus calumniosè accusatus, Pontificis decreto paret, Epistolam mentis suæ indicem, & criminis objecti purgatricem, quæ extat apud Baronium hoc anno num. 34. cum quatuor Apologeticis libris pro sui defensione conscriptis propediem adferendis mittit. Quibus habitis, cùm Pentapolytanorum accusantium, & Dionysii sese purgantis causa diu, multumque discussa fuisset, prævio maturo consilio, Dionysius Alexandrinus Episcopus, omnium Episcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, sententia, ac judicio ab accusatorum calumnia, teste Athanasio in illo Commentario, quem de sententia Dionysii adversus Arrianos conscripsit, absolutus est. Vide Baronium anno 263. num. 30. usque ad 50.

Sabellii hæresis.

Concilium Antiochenum I. in causa Pauli Samosateni habitum anno 266. sub Dionysio Papa.

COncilium hoc celebrandi causam dedit Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus, qui hæc impia dogmata docebat: Christum purum hominem esse: ante Mariam Virginem non extitisse: nomen filii Dei ex bonis, & justis suis operibus accepisse: in Sacramento Ecclesiæ sanguinem ejusdem Christi corruptibilem esse (ut habent litteræ Dionysii Alexandrini, quas habet Baronius anno 265. nu. 6.) Qui cùm totius Christianæ Religionis fundamentum evertere conetur, jure, meritoque Dionysius Romanus Pontifex, cui post Petrum, ejusque quosdam successores cura Ecclesiæ demandata est, advigilat, ut impias hæreses à Paulo introductas condemnet, ipsumque hæresis auctorem pro suo merito ab Ecclesia, & Episcopali sede deponat.

Indicto igitur Concilio, præter alios, quorum plures nominatim recenset Eusebius lib. 7. cap. 22. Dionysius Alexandrinus citatur quidem, sed cùm per corporis imbecillitatem interesse non posset, Epistolam scripsit, quam Turrianus è latebris vindicatam Latinitate donavit, cujusque fragmentum extat apud Baronium prædicto anno 265 num. 6. Reliqui quotquot ad Synodum convenerunt Episcopi, ante omnia fidei Catholicæ de Filio Dei professionem scripto editam emiserunt, eamque ad Paulum Samosatenum ex Synodo deferri curarunt, cum sedula admonitione, ut, de Divinitate Filii quid sentiat, Patribus Concilii aperiat. Ille metuens, ne sede dejiciatur, pœnitentiam dolosè simulans, sententiam mutavit, hæresim abjuravit, & fidem Catholicam professus est. Quo facto, sui de Episcopali sede, ac honore dejectionem deprecatus, Præfecturam illius Antiochenæ sedis ad tempus continuavit. Ita Synodica Epistola Concilii Antiocheni II. quæ extat apud Eusebium l. 7. c. 24. Vide Baronium anno Christi 265. n. 3. & seqq. item anno 266. n. 2. & seqq.

Ficta conversio.

Symbolum Concilii Antiocheni Missum ad Paulum Samosatenum absentem.

COnfitemur Dominum nostrum Jesum Christum ante sæcula quidem ex Patre, per Spiritum sanctum verò novissimis temporibus ex Virgine secundum carnem natum, una dumtaxat persona ex cœlesti divinitate, & humana carne subsistentem. Totum Deum, & totum hominem. Totum etiam cum corpore, sed non secundum corpus Deum. Totum hominem etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem hominem. Totum rursum adorabilem etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem. Totum adorantem etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem adorantem. Totum increatum etiam cum corpore, sed non secundum corpus increatum. Totum formatum etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem formatum. Totum Deo homousion etiam cum corpore, sed non secundum corpus homousion; quemadmodum neque secundum divinitatem quoque hominibus coessentialis est, est autem nobis secundum carnem homousios, etiam in divinitate existens: etiam cùm illum secundum spiritum Deo consubstantialem dicimus, non dicimus hominibus secundum spiritum coessentialem. Contra autem cùm illum secundum carnem hominibus consubstantialem prædicamus, non prædicamus illum secundum carnem Deo coessentialem: Ut enim secundum spiritum nobis homousios non est (nam secundum hunc Deo homousios est) ita vicissim Deo secundum carnem coessentialis non est, secundum hanc autem nobis consubstantialis est. Quemadmodum autem hæc distincta, & inter se secreta pronunciamus, non ad judicandam unius indivisa persona divisionem, sed ad denotandam naturarum, & proprietatum verbi, & carnis distinctionem, & inconfusibilitatem: ita illa, quæ

A ad indivisam unionis, compositionisve rationem faciunt, unita prædicamus, & veneramur.

Hoc symbolum, quo aperiunt patres, quid de Christo, ac ejus divinitate, quam impugnabat Paulus Samosatenus patruus Nestorii, ac Mahumetanorum pater, sentiendum sit, invenimus tomo 6. Actorum Peltanorum Concilii Ephesini. Delatum est autem ex Synodo ad dictum Paulum, cum sedula monitione, ut aperiret Patribus Concilii, quid sentiret de divinitate filii: metuens autem, ne de sede dejiceretur, palinodiam dolosè cecinit, ac orthodoxum se simulavit: non diu tamen se continuit, quin rursùs hæresim primam proderet, ut propter ea aliud Concilium habitum fuerit, in quo damnatus, & sede sua pulsus est.

Pauli Samosat. ficte fide profitetur

B Aliam fidei professionem ex eodem concilio ad Paulum eundem Missam refert Binius, quam Turriano acceptam refert. In qua inter cætera habetur de filio. Hunc dicit scriptura descendisse, & apparuisse Abrahæ ad quercum Mambre, unum ex tribus (Genes. 13.) cum quo Patriarcha tanquam cum Domino, & judice colloquebatur: ut qui omne judicium à patre accepisset, de quo scriptum est. *Dominus pluit super Sodoma, & Gomorrha ignem, & sulphur à domino de cœlo.* Qui implens voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eisdem clausulis, & eisdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus, quandoque verò tanquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi impium est existimare vocari Angelum. Filius verò Angelus patris est, qui est ipse Dominus, & Deus, scriptum est, *Angelus magni consilii, &c.*

C Porro non desunt, qui hoc arguant, & si aliquibus ex antiquis patribus placuerit. Nam exinde Arriani divinitati Christi infesti dogma suum confirmabant, quod cum verbum missum esset à Patre ad patriarchas antiquos, ex hoc ipso inferioris esset dignitatis, unde negaverunt ipsum verbum æquale esse patri, ac propriè Deum: quod movit D. Augustinum, cujus tempore nondum profligata erat Arriana hæresis, ut in libris de Trinitate constanter assereret, non verbum ipsum in persona Patriarchis apparuisse in veteri testamento, sed Angelum dumtaxat, ut ex hoc argumento, cui maximè innitebantur dicti Arriani, facilius ad Catholicæ Ecclesiæ fidem redirent. Quod annotare libuit, ut, qua mente in Concilio Sirmiensi simile quid huic professioni fidei scriptum sit, appareat, quod Concilium Arrianorum

Verbum ante incarnationem non fu[...] missum a[d] Patriarch[as]

D fuit, qui Liberii Papæ communionem vitarunt, ac in fidei prima professione nomen consubstantialis omittit veteratoriè ad fidem Nicænam explodendam.

Cæterum cur hæ duæ fidei professiones ex eodem concilio missæ reperiantur ad Paulum Samosatenum, dubitari merito potest, cum una sufficere posset. Ad quod tamen dici potest primam ex illis breviorem Missam fuisse, ut ei subscriberet Pseudo Paulus ille. Alteram verò explicatiorem, & authoritatibus scripturæ sacræ firmatam, ut ex ea instituceretur, & veluti de fide convinceretur.

Concilium Antiochenum II. in causa Pauli Samosateni, sub Dionysio Papa, Anno 272. celebratum.

E PAulus Samosatenus Antiochenus Episcopus, cùm abdicatam semel hæresim, atque priore Antiochena Synodo proscriptam restituere, & convictam impietatem resuscitare conatus esset, anno 2. Aureliani Imp. qui est Christi 272. & Dionysii Pontificis 12. inchoatus, Episcopi numero propè infiniti, denuò Antiochiam rediere, atque Paulum secundò lapsum de errore, & corruptis vitæ moribus simul convictum, ac damnatum Episcopali throno deposuerunt, atque ejus loco Dominum Episcopum suffecerunt. Quibus ita peractis, Epistolam de Actis Concilii Synodicam ad Dionysium Rom. Pontificem scripserunt, ac simul de divina natura Christi Dei Patris naturæ consubstan-

ſtantialis (ut nimirum duorum hæreſiarcharum, Samoſateni,& Sabellii,hæreſim de Chriſti divinitate jugularent) inſignem fidei profeſſionem (quæ extat tom.6. c.1.in fine Concilii Epheſini, edit.Pelt.) item poſt Synodum Epheſinam in fine Orationis illius, quam habuit Cyrillus de Incarnatione Verbi, ab Euſebio Arrianorũ ſectario, & fautore doloſè ſuppreſſam,ediderunt. *Cùm autem Paulus domo Epiſcopali exire juſſus, nollet obtemperare, Imperator Aurelianus,* ait Euſebius lib.7.c.24. in fine, *de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſſimè, quid eſſet agendum, decrevit. Præcepit enim, ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & urbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent. Sic demum Paulus cum ſummo dedecore, ſæcularis Imperii, ac poteſtatis auctoritate, ab Eccleſia penitùs extruditur.* Vide Baron.an.272 per totum.

SÆCULUM QUARTUM.

Concilium Cirtenſe, quo in locum Traditoris Traditorem Epiſcopum ſubſtituerunt, anno 303. ſub Marcello Papa.

CONcilium hoc habitum eſt Cirtæ in Numidia, anno Domini 303. ſub Marcello Pontifice, & Diocletiano, ac Maximiano Impp. Secundo Tigiſitano Epiſcopo, Numidarum Epiſcoporum Primate auctore. Epiſcopi, qui ex Imperatorum edicto codices ſacros, reſve alias ſacras comburendas tradiderant, aut thurificarant, eo fine convenerunt, ut in locum defuncti Cirtenſis Epiſcopi alium ſufficerent, & ſubrogarent. Celebrata eſt hæc Synodus in domo Urbani Cariſi, quaſi Baſilicæ nondum erant reſtitutæ. De traditione ſacrorum librorum interrogante Secundo Tigiſitano, reliqui præſentes quæſiti traditionis crimen confeſſi ſunt, ſuumque Primatem interrogantem ejuſdem delicti redarguerunt. Qua de re, ipſe ſe litteris ad Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum ſcriptis omninò purgare, & excuſare fruſtrà eſt conatus. Epiſcopum Cirtenſem, quæ ferè præcipua conveniendi cauſa fuit, ordinarunt quemdam Paulum, qui hoc eodem anno à Magiſtratibus conventus, libros, & Eccleſiæ ſupellectilia tradidit, ſicut & Sylvanus ejuſdem Subdiaconus, poſteà verò etiam Cirtenſis Epiſcopus, ut conſtat ex Actis Proconſularibus, quæ prolixè recitantur à Baronio hìc num.7. Ex his traditoribus impii Donatiſtæ fluxerunt; quorum cauſa Africana Eccleſia tot cladibus multis ſæculis in pœnam criminis exagitata, ac deinde à Vvandalis primò, demum ab Arabibus penitus devaſtata fuit. Baronius num. 29. Fragmentum hujus Synodi recitatur ab Optato Milev. lib.1. Quod viſum eſt hìc eſſe adſcribendum propter antiquitatem.

In Africa duo mala, & peſſima admiſſa eſſe conſtat; unum in traditione, alterum in ſchiſmate; ait Optatus Milevitanus l. 1. contra Parmenianum, ſed utraque mala & uno tempore, & iiſdem authoribus videntur eſſe commiſſa. Debes ergo, frater Parmeniane, diſcere, quod intelligeris, ignorare. Nam fermè ante annos 60. & quod excurrit per totam Africam, perſecutionis eſt devagata tempeſtas, quæ alios fecerit martyres, alios confeſſores, nonnullos funeſta proſtravit in morte, latentes dimiſit illæſos. Quid commemorem Laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices,& principes omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ iſtius incertæ lucis moras breviſſimas compararent, inſtrumenta divinæ legis impiè tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Maſculitanus, Victor Ruſiccadienſis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calumenſis, & homicida Purpurius Limatenſis, qui interrogatus de filiis ſororis ſuæ, quod eos in carcere Milci necaſſe

Traditores.

A diceretur, confeſſus eſt, dicens: *Et occidi, & occido non eos ſolos, ſed & quicumque contra me fecerit.* Et Menalus, qui, ne thurificaſſe à ſuis civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad confeſſum ſuorum procedere trepidavit. Hi, & cæteri, quos principes tuos fuiſſe paulò poſt docebimus, poſt perſecutionem apud Cirtam civitatem (quia Baſilicæ necdum fuerant reſtitutæ) in domum Urbani Cariſi conſederant die, iduum Majarum, ſicut ſcripta Nundinarii tunc Diaconi teſtantur, & vetuſtas membranarum teſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem veram in noviſſima parte iſtorum libellorum ad implendam fidem adjunximus. Si Epiſcopi, interrogante ſecundo Tigiſitano, tradidiſſe confeſſi ſunt. Et cùm ipſe ſecundus à Purpurio increparetur, quòd & ipſe diu apud ſtationarios

Locus concilii.

B fuerit, & non fugerit, ſed dimiſſus ſit: non ſine cauſa dimiſſum fuiſſe, niſi quia tradiderat, jam omnes hæretici cœperunt murmurare. Quorum ſpiritum Secundus metuens, conſilium accepit à filio fratris ſui Secundo minore, ut talem cauſam Deo ſervaret. Conſulti ſunt, qui remanſerunt, ideſt victor Garbienſis, Felix à Rotario. Centurion: Si dixerunt talem cauſam Domino debere reſervari. Et dixit Secundus, *Sedete omnes*, tunc dictum eſt ab omnibus, *Deo gratias*, & ſederunt. Habes ergo, Parmeniane frater, qui manifeſto fuerint traditores. Deinde non poſt longum tempus iidem ipſi tot, & tales ad Carthaginem profecti traditores, conjurati homicidæ Majorinum, cujus tu Cathedram ſedes, poſt ordinationem Cæciliani ordinaverunt, ſchiſma fa-

Forma abſolutionis traditorum.

C cientes. Et quoniam traditionis reos, principes veſtros fuiſſe monſtratum eſt, conſequens erit eoſdem fuiſſe authores ſchiſmatis.

Cur improbatum hoc Concilium.

HOc Concilium maximè improbatur, quod Epiſcopi de traditione ſacrorum codicum, vaſorum Eccleſiæ, ac nominum fratrum rei, in his enim tribus hoc traditionis peccatum conſiſtebat, ſibi invicem peccata confeſſi ſunt, & indulgentiam ſibi invicem tribuerunt ſine canonica ſatisfactione, ut, juxta adagium, mulus mulum fricaret. Et hinc origo Theologiæ accommodantis. Exin canonum relaxatio, aut in iis diſpenſatio, exemplo ab his traditoribus ſumpto, qui in propria cauſa judices ſibi benigniores fuerunt. Unde exclamat Franciſcus Rothomagenſis Archiep. lib. 2. Hiſtoriæ *de rebus Eccleſiæ, earumque regimine, ac origine,*

Origo caſuiſtarum laxiorum, & exinde mala.

D *cap.*4. in novos homines contra divinum canonem conſcientiam accommodantes. Utinam litteras neſcirent: aut ſi durius eſt, ſaltem plus charitatem Eccleſiam ædificantem, quàm ſcientiolam inflantem, ac diſciplinam publicam evertentem, reſpicerent. Non tunc informis conſcientiæ verſatiles, ac lubricos caſus, ut vocant, qui voluntariis delictis fibulam laxant, ideſt, ut plurimum interpretor, temerarios lapſus, ſed ut olim regulas Eccleſiaſticas, ac ſtatuta patrum ex ipſo naturæ, & gratiæ ſinu petita, in conſilium rerum agendarum adhiberent. Et cætera, quæ proſequitur occaſione hujus concilii, & judicii per Ælianum Africæ proconſulem lati de Felice Aptungitano Epiſcopo Cæciliani ordinatore, qui falſo accuſabatur à Donatiſtis de tra-

E ditionis crimine, in quo, inquit, poſtrema illa laus cernitur, quæ eſt ultima cœleſtium, quæ hoc ſæculo, & noſtris oculis evanuit. *Quod Felix Epiſcopus religioſus illis temporibus neque præſens fuerit, neque conſcientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri juſſerit.* Quod refert Optatus eodem lib.1.contra Parmenianum. Neque verò hic ſeſe continuit hæc Epiſcoporum illorum facilitas. Ne ſoli infames haberentur, alios infamare voluerunt, & Carthaginem vocati per adverſarios Cæciliani Primatis Carthaginenſis, ut ejus ordinationem improbarent, quod non fuiſſet à Primate, ſed à Felice Aptungitano traditore facta, iis irritam eam declararunt quadringentis follibus, genus eſt monetæ, corrupti, quos Lucilla mulier pecunioſa, &

factiosa Cæciliano irata, iis tribuit, ejusque domesticum Majorinum in Cathedram Cæciliani substituerunt, unde enatum schisma Africanum Donatistarum. De quo plura inferiùs.

Concilium Sinvessanum, celebratum Anno Christi 303. tempore Marcellini Papæ indictum per Clerum Romanum.

CUm Marcellinus Pontifex Romanus ideò quòd in templo Vestæ, & Isidis simulachris, & idolis Gentilibus, Jovi nimirum, ac Saturno thus adolevisset, & sacrificium obtulisset, accusatus esset, in civitate Sinvessana convenerunt trecenti Episcopi de lapsu Marcellini Pontificis sententiam dicturi, cùm ob persecutionem in publicum prodire non auderent Christiani. Locus conveniendi fuerat crypta Cleopatrensis, quam quinquageni duntaxat alii post alios introibant, cùm præ nimia angustia omnes simul non caperet. Post causæ discussionem, & quorumdam Presbyterorum condemnationem Marcellinus Pontifex peccatum suum publicè confessus, indutus sacco, aspersus cinere, humi prostratus, penitentiam agens, *Peccavi*, inquit, *coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum*: atque ita suo seipsum judicio condemnavit. Inter acta antiqua Concilii hæc sunt.

De Synodo, ac de negatione Marcellini, quod non thurificasset.

FActa est itaque Synodus, non tamen collecti sunt in integro sacerdotes, quia curriculus urgebatur persecutionis. Veniens autem Episcopus Marcellinus negabat se thurificasse. Nam dixit, & hanc sententiam proposuit, quia dimiserunt eum, qui cum eo esse videbantur in eodem loco Presbyteri Urbanus, Castorius, & Juvenalis, & Diaconus Gajus, & Innocentius. Synodus autem universa hoc dixit cunctorum judicio: Tu eris judex: ex te enim damnaberis, & ex te justificaberis, tamen in nostra præsentia. Illuc verò dum veneris ad judicium tuum, ex te tunc damnaberis, & ex te justificaberis. Tu enim judex tui eris. Presbyteri autem, & diacones (quoniam Pontificem, qui eos creavit in ordinem Presbyterii, vel diaconatus honorem, & dimiserunt arcam, & evacuaverunt horreum) ad probandum eos, amisso ordine, intrent in examen, quoniam evacuaverunt horreum. Debuit enim Pontifex potiùs mori cum quinque, quàm ut viveret suo judicio condemnatus. Introivit autem universa Synodus in cryptam Cleopatren. in civitate Sinvessana. Et, quia tota multitudo non recipiebatur in crypta Synodi, quinquageni introibant.

De damnatione Urbani, & Castorii, & de testimonio Episcoporum adversus Marcellinum urbis Romæ Episcopum.

Prima autem die synodi introierunt damnantes Urbanum, Castorium, & Juvenalem Presbyteros, & diacones Gajum, & Innocentium: qui Episcopi introierunt audientes, non tamen judicantes Pontificem, ad numerum 49. Hi introeuntes in cryptam propter metum Augustorum, uno ore quasi trecenti uno die in Concilio judicantes, damnaverunt Urbanum, Castorium, & Juvenalem Presbyteros, & Diacones Gajum, & Innocentium, qui evacuaverunt horreum, & dimiserunt arcam apertam, ut introiret immundus, & comederet triticum. Presbyteros, & Diacones damnabant, qui Marcellinum Papam dimiserunt, ipsos etiam judicabant, non tamen judicabant Pontificem, quia sic ex uno ore erant * corroborati, ut intra horum septuaginta duorum testimonia ipse judex, ipse reus, ipse semetipsum in præsentia eorum se innocentem servaret, aut infidelem se damnaret: quoniam in septuaginta duorum libra occidua * in reparatione m resurgit annus. Hoc quoque factum est novi, ut introiret unus de testibus, qui cùm uxorem haberet, & filios ex ea, ipsi tamen illi spretæ adulteram superinduxit, & dedit uxori repudium. Et introierunt alii decem, & alii quatuor dicentes: Nos te vidimus mittentem, & thurificantem Herculi, Jovi, & Saturno. Dixit ergo Marcellinus: Quo die? Respondit unus eorum, & dixit: Quo die exuisti purpuram, & induisti coccum, & gaudebat super te Diocletianus, & quos paulò antè negabas, & ante ejus tribunal eis thurificabas. Athanasius Episcopus dixit: Itane vera sunt, quæ testantur isti? Et respondit Petrus Episcopus, & dixit: Loquere Pontifex, & judica causam tuam. Et subscripserunt quinquaginta Episcopi, qui suprà dicti sunt, cum 14. viris, qui ex uno ore loquebantur cum septuaginta duobus, & firmabant judicium.

* cõcordati.

al. per.

De triginta tribus Presbyteris urbis Romæ, qui celebrant Synodum servandam.

Alia autem die venerunt 31. Presbyteri urbis Romæ, & in eorum judicio Urbani, Castorii, & Juvenalis Presbyterorum, & Gaji, & Innocentii Diaconorum damnationem integram perspexerunt, ac ipsi de suo ordine, suo judicio justitiam tenuerunt, dicentes: Amisso ordine, negent se esse horum, qui sunt socii Ecclesiæ. Convenientibus autem eis secundo post damnationem Presbyterorum Urbani, Castorii, & Juvenalis, Gaji, & Innocentii Diaconorum, venerunt alii quinquaginta Episcopi, & introierunt in cryptam, ut tertia pars Synodi compleretur. Et dum ingressi fuissent in cryptam propter tempestatem temporis, introivit & Marcellinus urbis Romæ Episcopus, tùm adhuc nomen tenens Episcopatus, nondum enim fuerat damnatus, nisi numerus secundum ordinem Synodi libræ probaret exemplum. Introierunt autem in cryptam.

De responsione Athanasii, & Anthymi Episcoporum.

Responderunt Athanasius, & Anthymus Episcopi, & dixerunt: Tuo ore judica causam tuam, & non nostro judicio solve conditionem. Respondens autem Sebastianus Episcopus dixit: Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, & introduc testes, ut testificentur veritatem, quoniam ex te justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis: quoniam rectè præscripti Patres nostri, & Coepiscopi damnaverunt, sicut nostro ore petimus, & uno conformi judicio damnari, Urbanum, Castorium, & Juvenalem, Presbyteros; Gajum, & Innocentium Diacones: Unde quia isti ex spelunca fugierunt, & sæpè fatum Marcellinum Episcopi hi dimiserunt, amisso ordine, intrent in examen: quia omnes regulæ (dicit Petrus Episcopus) dum * cultæ in fornace fuerint coctæ, iterum coguntur sole, & pluvia, & ibi probatur, ut sint super habitaculis hominum. Moram ergo non facientes, ut damnationi eorum jam ante dictorum subscriberent hi quinquaginta Episcopi, omisso ordine, introierunt in Synodum.

* coctæ.

De testimonio adversus Marcellinum Episcopum, quod vidissent eum thurificantem.

Et ecce introierunt 14. testes, qui dicebant se vidisse Marcellinum thurificantem. Respondit unus Episcopus nomine Salustius, dicens: Dicite coram veritatem. Respondit Petrus, & dixit ad Marcellinum Episcopum. Jam audi, Pontifex, & judica causam tuam, quoniam ex ore tuo justificaberis, & ex ore tuo condemnaberis: quoniam nulla membra sana esse possunt, si caput mœstum fuerit. Respondit Marcellinus Episcopus, & dixit clara voce: Non diis sacrificavi, sed tantùm grana * levatis manibus super prunas combussi. Levaverunt se omnes quinquaginta præscripti Episcopi,

* elevata.

ſcopi, dicentes ad 14. teſtificantes: Quid vidiſtis hunc faciéntem? Qui ex ore ſuo teſtati ſunt, quaſi uno ore loquentes. * Et ſubſcripſerunt omnes quinquaginta quinque in teſtata 14. virorum, ita ut 28. complerent cum participantibus. Unus autem de Epiſcopis nomine *Quirinus dixit: Infudiſti cor tuum Pontifex malitia, quod decem, & octo * ſiccaveras caſtitate, præſul vulneraſti univerſa membra tua. Propterea ego non recedam de omni cœtu Synodi, donec purpureum cor tuum manifeſtetur.

** Et ſubſcripſerũt omnes quinquagintaquinque teſtimoniis, 14. virorum.*
**Quirillus.*
** Sanctificaveras.*
** annis ſiccaveras manifeſtare.*

Altera autem die hi ducenti Epiſcopi conſtituerunt, quatenus & ipſi introirent in Synodum. Et facta collocutione in ſimul cum præſcriptis centum, ſederunt in eadem civitate, omneſque uno examine trecenti alligaverunt, & damnaverunt hos, Urbanum, Caſtorium, & Juvenalem Presbyteros, Gajum, & Innocentium Diaconos. Reſpondit Sebaſtianus Epiſcopus: Huic tribunali noſtro ſermone, noſtro chirographo, noſtro eloquio, noſtro auxilio, noſtra conſtantia, & veritate fixa, & præclara diſpoſitione auditionis exhibemus ligamen. Non enim noſtro ore juſtificaberis, aut noſtro ore condemnaberis. Quapropter conſue tunicam: & quam paulò ante induebas ſutam, modò conſciſſam conſue ex toto corde tuo, & ex manibus tuis involve in peccato tuo, Marcelline Pontifex Romæ. Reſpondit Urbanus Epiſcopus ad Sebaſtianum Epiſcopum, & dixit: Introducantur teſtes viri veridici numero quadraginta quatuor, ut libra occidua compleatur à multis, * quod à multis fabricatum eſt. Et introierunt teſtes, numero * 42. Singulis autem aſtantibus in gremio trecentorum Epiſcoporum, & triginta Presbyterorum Romanorum, & 28. teſtium ſupradictorum, ut libra compleretur, quoniam 12. unciis in libra probabitur cenſus, & in 42 comparentibus damnabitur præſul. Reſpondit Quiriacus, & dixit ad Marcellinum: Nunc cognoſces univerſum velamen cordis tui. Judica ipſe cauſam tuam, & disjectam à te maceriem tuam ipſe ſcrutare. Non enim noſtro, ſed tuo ipſius judicio condemnaberis, noſtro autem excuſaberis. Nihil time, quoniam nos in tui damnationem nihil opponimus cauſale, nihil defendimus, ſed damnamus eos, qui evacuaverunt templum, & dimiſerunt fabricam manu deſuper conſtructam, ut introirent lupi, & facerent ſpeluncas, & comederent agnos immaculatos, & eos, qui ex veteri ad novum venerant, inveterarent. Te enim non condemnamus, præſul, quoniam ex ore tuo juſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis. Marcellinus autem in conſpectu Synodi cecidit in terram. Ibi ergo jacentem, & moram eum facientem damnaverunt. Synodus autem, & Presbyteri 30. voce clara chirographum firmaverunt ſuper Urbanum, Caſtorium, & Juvenalem Presbyteros, numero 27. tres autem Diaconi. Subſcripſerunt autem in damnationem horum quinque, Urbani, Caſtorii, & Juvenalis Presbyterorum, & Gaji, & Innocentii Diaconorum.

** quoniam.*
** 44.*
Non cognoſcis. Nunc cognoſce.

De confeſſione Marcellini Epiſcopi, & condemnatione ejus.

In ſinu autem trecentorum Epiſcoporum, caput cinere convolutum habens Marcellinus Epiſcopus urbis Romæ, voce clara clamans dicebat: *Peccavi coram vobis, & non poſſum in ordine eſſe Sacerdotum, quoniam avarus * corrupit me auro.* Subſcripſerunt igitur in ejus damnationem, & damnaverunt eum extra civitatem. Sacerdos, nomine Helchiades Epiſcopus, ſubſcripſit primus in ejus damnationem, non tantum pro hoc tempore (quod exigebat ordo) ſed etiam in exemplum futuri temporis, quoniam & ipſe voce clara dicebat: *Juſtè ore ſuo judicatus eſt, & ore ſuo condemnatus eſt. Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec præſul Sacerdotem ſuum: quoniam prima ſedes non judicatur à quoquam.* Hoc autem facto, Diocletianus cum eſſet in bello Perſarum, audivit, quod

corrupi.
Melchiades.

A trecenti Epiſcopi, & triginta Presbyteri, & tres Diacones in eandem damnationem conveniſſent, quique dum ſubſcriberent omnes, ipſe omnium primus Marcellinus manu ſua propria concluſerat in ſuum anathema, anathemati ſubſcribens. Et iratus Diocletianus in eandem civitatem miſit, & multos Epiſcopos ad martyrii coronam traxit. Factum eſt autem nihil aliud, niſi quod dum primo damnati fuiſſent tres Presbyteri, & duo Diacones, damnatus eſt & Marcellinus ſuo judicio 10. Kalendas Septembris, Diocletiano 8. & Maximiano 7. clariſſ. Conſſ.

Controverſia.

Magdeburgenſes, quaſi à Donatiſtis confictum ſit, rejiciunt, ideò, quod putent non eſſe probabile, hoc anno Diocletiani 20. quo perſecutionis ſæviſſimum incendium flagrabat, & Imperatorum toto orbe Romano in Chriſtianos acerbior ira ſæviebat; trecentos B Epiſcopos congregari potuiſſe. Verùm ſi, nullo metu perſecutionis Decii obſtante, ante annos 50. circiter, ut ſuprà diximus in Annotatione ad Romanum Concilium ſub Interregno habitum, ad litteras Cleri Romani remotiorum Provinciarum Epiſcopi plurimi, cum multis aliis vicinis Italiæ, & Romæ in exilio degentibus convenerunt, & Concilio ibidem celebrato ea ſtatuerunt, quæ pro neceſſitate Eccleſiæ tunc requirebantur; cur magis à veritate alienum erit, ejuſdem Cleri Romani vigilantiſſimo ſtudio, tranſmarinæ Eccleſiæ Epiſcopos per litteras Circulares convocatos, nullo metu, aut periculo vitæ prohibente, loco, ac tempore conveniſſe ad illam cauſam omnium deploratiſſimam decidendam, aut tranſigendam, qua non tantùm Romana Eccleſia, ſed univerſa Chriſtiana religio in ſummo diſcrimine collocata erat; quia in Antiſtite C fidei Catholicæ ipſum fundamentum Eccleſiæ concutiebatur, & propè excuſſum erat? Quis credat, ad medendum, & ſuccurrendum huic communi omnium cauſæ, Clerum Romanum aliàs vigilantiſſimum officio ſuo defuiſſe; aut Epiſcopos quoſvis hujus litteris convocatos, quanquam tempora periculoſiſſima eſſent, non comparuiſſe? Commentum Donatiſtarum eſſe nequit, quod teſte Auguſtino ipſis nunquam cognitum fuit. *Lapſum Marcellini Donatiſtæ quidam Catholicis objecerunt*, inquit Auguſtinus de Unico Baptiſmate contra Petilianum, cap. 16. *Sed crimen commiſſum eſſe hactenus nondum probarunt.*

Circa hoc Concilium, & ejus Acta, quamquam virorum doctiſſimorum plurimi ea ſpuria, & nullius ponderis eſſe validis argumentis probare conati ſint, ut D Baronius anno 302. & 303. in prima editione, adeoque aliud nihil eſſe ſentiant, quàm commentum à Donatiſtis callidè excogitatum, ut ſcilicet nomen Marcellini ab omnibus antiquioribus benè acceptum, & magnæ æſtimationis habitum infamaretur; nos tamen eadem Acta non modò non commentitia, Donatiſtis adſcribenda, ſed potius in magna veneratione habenda eſſe exiſtimavimus: tùm quod pro iiſdem ipſa veneranda antiquitas, majeſtate ſua ab invitis etiam reverentiam extorquens acerrimè militet: tùm quod communi omnium conſenſu credita, in antiquis Romanæ, aliorumque Eccleſiarum Martyrologiis, ac Breviariis recepta hactenus, ſine ulla controverſia retenta fuerint. Ita Baronius re graviori lance perpenſa in aliis editionibus.

Baronii varium judicium.

E Quod S. Auguſtinus de Unico Baptiſmo contra Petil. cap. 16. ait, lapſum Marcellini per rumuſculum dumtaxat recentioribus Donatiſtis cognitum, & Eccleſiæ objectum, demonſtrari, ac probari non potuiſſe, ideoque neque hoc judicium in hac cauſa agitatum, neque Concilium hanc ob rem congregatum fuiſſe; nihil antiquitati, nihil rei geſtæ præjudicat. Eſto, de lapſu Marcellini Donatiſtis antiquioribus, totique Africanæ Eccleſiæ (quod ex querela adverſus Melchiadem de abſoluto Cæciliano Imperatori oblata, ſatis firmiter colligitur) nihil conſtiterit, eumdemque Sanctus Auguſtinus compertum non habuerit, numquid

D. Auguſt. potuit neſcire iſtud Concilium.

quid igitur verum erit, nihil horum Actorum in causa, & judicio labentis Marcellini Pontificis gestum esse? Potuit enim fieri, ut hæc S. Augustinum latuerint, qui etiam diu Presbyter, jam ordinandus Episcopus, Nicænos Canones toto orbe vulgatos (ut Epist. 110. de seipso fatetur) non modò non viderat, sed etiam eosdem tanto Concilio constitutos esse, planè ignoravit. Et quid tàm novum, si hujusmodi lapsus Marcellini, & Concilii Sinvessani Acta conscripta minimè perlata fuerint ad Africanas Provincias, cùm illud, quod cunctis tàm Græcis, quàm Latinis præ manibus fuerat Eusebii Chronicon, in Africam numquam pervenerit; ut Alypius, quod scribit Augustinus ep. 35. ex Italia à S. Paulino Nolano Episcopo illud petere debuerit? Nemo igitur prudens, antiquissima Acta Marcellini propterea dumtaxat velut spuria, illegitima, ac commentitia rejecerit, quod eadem vel S. Augustino, vel etiam toti Africanæ Ecclesiæ antiquiori incognita fuerint. Ut autem Donatistis adscribantur, eorumq; figmenta esse dicantur, quæ ipsi, Augustino, & rationibus suprà memoratis attestantibus, neque unquam noverunt, neque iisdem aliquando usos fuisse reperiuntur, minùs commodè, & convenienter defendi potest.

Hæresiarchæ nostri temporis cum Donatistis tempore D. Augustini propter lapsum prædictum Marcellini mirificè admodum triumphant, quasi Ecclesiæ Catholicæ turpissima macula inusta sit ex eo, quod caput Ecclesiæ hanc turpitudinem commiserit: sed quod solent aliàs, ante victoriam triumphum cantant. *Quid tùm*, inquit Tertullianus de præscript. *si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem obtinuere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* & S. Augustinus lib. de Unico Baptismo contra Petilianum agens, *Non sanè parva est*, inquit, *parumque gloriosa consolatio cujusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur, ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro sua defensione, quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ, nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.* Vita ergo Præsulum turpiter acta, ipsis plurimum, nihil dogmatibus Orthodoxis Ecclesiæ præjudicat. Quod malè vivendo multis scandalum præbeant, ob hoc gravis suo tempore pœna luenda ipsos manet. Vide Baronium anno 302. n. 8. 9. & seqq.

Marcellini lapsus non prodit eum fuisse infidelem.

Quod Centuriatores ex lapsu Marcellini urgent, Petrum, & Petri successores in definiendis fidei dogmatibus errare posse, & quosdam de facto errasse, ineptè urgent: Marcellinus enim idolis sacrificando metu mortis inductus, contra fidei confessionem peccavit, adeoque externo actu fidem negasse visus est: verum interiore actu contra fidem nihil credidit, nihil etiam docuit, atque ideò hæreticus, vel infidelis esse non potuit. Cujus rei pœnitentia paulò post peracta, Pontificatus spontè abdicatus, martyrium ob finem susceptum, indicium evidentissimum præbent. Vide Bellarminum lib. 4. de Rom. Pont. c. 9. Sed & ea, quæ dicta sunt de Summo Pontifice Rom. in controversiis Conciliorum Constantiensis, Basileensis, ac Florentini, tertia classe, ne dicta multoties repetamus.

CONCILIUM ELIBERITANUM HISPANIÆ, 19. Episcoporum sub Marcello I. Anno 305.

TITULI CAPITULORUM
Concilii Elibertini.

Al. Eliberini.

1 *De his, qui post baptismum idolis sacrificant.*
2 *De Sacerdotibus gentium, qui post baptismum immolarunt.*
3 *De eisdem, si idolis tantum munus dederint.*
4 *De eisdem, si Catechumeni adhuc immolant, quando baptizabuntur.*
5 *Si domina per zelum ancillam occiderit.*
6 *Si quicunque per malitiam hominem interfecerit.*
7 *De pœnitentibus mœchiæ, si rursus peccaverint.*
8 *De fœminis, quæ adulteros maritos relinquunt.*
9 *De fœminis, quæ, relictis viris suis, aliis nubunt.*
10 *De relicta Catechumeni, si alterum duxerit.*
11 *De relicta Catechumeni, si graviter ægrotaverit.*
12 *De mulieribus, quæ lenocinium fecerint.*
13 *De Virginibus Deo sacratis, si adulteraverint.*
14 *De Virginibus sæcularibus, si mæchatæ fuerint.*
15 *De conjugio eorum, qui ex gentilitate veniunt.*
16 *De puellis fidelibus, ne infidelibus conjungantur.*
17 *De eis, qui filios Sacerdotibus gentilibus conjungunt.*
18 *De Sacerdotibus, & ministris, si mœchati fuerint.*
19 *De clericis, negocia, vel nundinas sectantibus.*
20 *De clericis, & laicis usurariis.*
21 *De his, qui ad Ecclesiam tardè accedunt.*
22 *De Catholicis, in hæresim transeuntibus, si non revertuntur.*
23 *De temporibus jejuniorum.*
24 *De his, qui peregrè baptizantur, ut ad clerum non veniant.*
25 *De epistolis communicatoriis confessorum.*
26 *De hoc, ut omni sabbato jejunetur.*
27 *De clericis, ut extraneam mulierem in domo non habeant.*
28 *De oblationibus eorum, qui non communicant.*
29 *De energumenis, qualiter habeantur.*
30 *De his, qui post lavacrum mœchati fuerint, ut nec subdiacones fiant.*
31 *De adolescentibus, qui post lavacrum mœchati fuerint.*
32 *De excommunicatis Presbyteris, ut in necessitate communionem dent.*
33 *De Episcopis, & ministris, ut ab uxoribus abstineant.*
34 *Ne cerei in cœmeteriis incendantur.*
35 *Ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent.*
36 *Ne picturæ in Ecclesia fiant.*
37 *De energumenis baptizandis.*
38 *Ut in necessitate, & fideles baptizent.*
39 *Ut gentilibus manus imponatur.*
40 *Ne de hoc, quod idolis datum est, fideles accipiant.*
41 *Ut prohibeant Domini idola colere servis.*
42 *De his, qui ad fidem veniunt, quomodo baptizentur.*
43 *De celebratione Pentecostes.*
44 *De meretricibus paganis, si convertuntur.*
45 *De Catechumenis, qui Ecclesiam non frequentant.*
46 *De fidelibus, si apostataverint, quandiu pœniteant.*
47 *De eo, qui uxorem habet, si sæpius mœchatur.*
48 *De baptizandis, ut nihil accipiant clerici.*
49 *De frugibus fidelium, ne à Judæis benedicantur.*
50 *De Christianis, qui cum Judæis vescuntur.*
51 *De hæreticis, ut ad clerum non promoveantur.*
52 *De his, qui in Ecclesia libellos famosos ponunt.*
53 *De Episcopis, qui excommunicato alieno communicant.*
54 *De parentibus, qui fidem sponsaliorum frangunt.*
55 *De Sacerdotibus gentilium, qui jam non sacrificant.*
56 *De magistratibus, & dominantibus.*
57 *De his, qui vestimenta ad ornandam pompam dederint.*
58 *De his, qui communicatorias litteras portant.*
59 *De fidelibus, ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant.*
60 *De his, qui destruentes idola occiduntur.*
61 *De his, qui duabus sororibus copulantur.*
62 *De auguribus, & pantomimis, si convertantur.*
63 *De uxoribus, quæ filios de adulteris necant.*
64 *De fœminis, quæ usque ad mortem cum alienis viris adulterantur.*

65 De

65 *De adulteris uxoribus clericorum.*
66 *De his, qui privignas suas ducunt.*
67 *De conjugio Catechumenæ fœminæ.*
68 *De Catechumena adultera, quæ filium necat.*
69 *De viris conjugatis postea in adulterium lapsis.*
70 *De fœminis, quæ consciis maritis adulterantur.*
71 *De stupratoribus puerorum.*
72 *De viduis mœchis, si eundem postea maritum duxerint.*
73 *De delatoribus.*
74 *De falsis testibus.*
75 *De his, qui Sacerdotem accusant, nec probant.*
76 *De diaconibus, si ante honorem peccasse probentur.*
77 *De baptizatis, qui nondum confirmati moriuntur.*
78 *De fidelibus conjugatis, si cum Judæa, vel gentili, mœchati sint.*
79 *De his, qui tabula ludunt.*
80 *De libertis.*
81 *De feminarum epistolis.*

CAPITULA CONCILII Elibertini.

1 PLacuit, ut quicunque post fidem baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale, nec in fine eum ad communionem suscipere.

2. Flamines, qui post fidem lavacri, & regenerationis sacrificaverint, eo quod geminaverint scelera accedente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

3. Item, Flamines, qui non immolaverunt, sed munus tantum dederunt, eo quòd se à funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item ipsi si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur.

4. Item, Flamines, si fuerint Catechumeni, & se à sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad baptismum admitti debere.

D. 50. Si qua fœmi. 5. Si qua femina, furore zeli accensa, flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum sit, voluntate, an casu occiderit: si voluntate, post septem annos: si casu, per quinque annorum tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

Nota. *Disceptatur de significatione communionis, an absolutio Sacramentalis secreta, vel publica, an communicatio in oratione, an perceptio Eucharistiæ intelligatur. Hinc origo multarum diatribarum, & controversiarum.*

6. Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quòd sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impartiendam esse illi communionem.

7. Si quis fortè fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta acta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.

8. Item, fœminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteris se copulaverunt, nec in fine accipiant communionem.

32. q. 8. Fidelis fœm. 9. Item, fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is, quem reliquit, de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

10. Si ea, quam Catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc & circa fœminas Catechumenas erit observandum. *a* Quòd si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam reliquit, placuit hujusmodi in fine dari communionem.

Ita legitur in cod. membranaceo. al. *Quod si ducitur ab eo, qui inculpatam reliquit uxorem, & eum scierit habere uxorem, quam sine*

A *causa reliquit: Placuit nec in fine hujus dari communionem.*

11. Intra quinquennii autem tempora, Catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum, placuit non denegari.

12. Mater, vel parentes, vel qualibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit eam nec in fine accipere communionem.

13. Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderunt Virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem. Quòd si semetipsas pœnituerint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se à coitu, eo quod
B lapsæ potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.

14. Virgines, quæ Virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverunt, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd solas nuptias violaverint, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel, si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sint, placuit per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

15. Propter copiam puellarum, gentilibus minimè *2. Cor. 6.*
in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio resolvatur animæ.

16. Hæreticis, qui errant ab Ecclesia Catholica, nec ipsis Catholicas dandas puellas, sed neque Judæis, ne-
C que hæreticis dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet.

17. Si qui fortè Sacerdotibus idolorum filias suas junxerint, placuit nec in fine eis dandam communionem.

18. Episcopi, Presbyteri, Diacones si in ministerio positi, detecti fuerint, quòd sint mechati, placuit & propter scandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

19. Episcopi, presbyteri, & Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias quæstuosas nundinas sectentur. Sanè, ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum,
D aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant, &, si voluerint negotiari, intra Provinciam negotientur.

20. Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari, & abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correptus se jam cessaturum, nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si verò in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia sciat se esse projiciendum.

21. Si quis in civitate positus, tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, * pauco tempore abstineat, ut *al. tanto.*
correptus esse videatur.

22. Si quis de Catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque ad Ecclesiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quòd cognoverit peccatum suum, qui etiam decem annis agat
E pœnitentiam, cui post decem annos præstari communio debet. Si verò infantes fuerint transducti, quòd non vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

23. Jejunia, seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti, ob eorundem infirmitatem.

24. Omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eo quòd eorum minimè sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

25. Omnis, qui attulerit litteras confessorias, subla- *D. 98. Omnes qui in peregre.*
to nomine Confessoris, eo quòd sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

26. Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die jejunium superpositionem celebremus.

27. Epi-

27. Episcopus, vel quilibet clericus alius, aut sororem, aut filiam Virginem dicatam Deo, tantum secum habeat, extraneam verò nequaquam secum habeat. A

28. Episcopum, placuit ab eo, qui communicat, munera accipere non debere.

29. Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret.

30. Subdiaconem eum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, eo quòd postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus. Si autem aliqui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.

31. Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti debere. B

32. Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine Episcopi consultu, sed potius apud Episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præstare debere, nisi eis jusserit Episcopus.

33. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

34. Cereos per diem placuit in cœmeterio non accendi, inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione. C

Nota. *Cereorum accensio gentilium more ad sollicitandas animas defunctorum hìc prohibetur. Juxta illud animæ Samuelis.* 1 Reg 28. Quare inquietasti me, ut suscitarer? *Alii referunt ad displicentiam, quam sancti post hanc vitam de superstitione viventium habent: alioquin cereos in exequiis fidelium adhibere, ut fieri solet ad denotandam lucem æternam, quæ post hanc vitam justis affulget, & quam tantopere Ecclesia iis precatur, & exoptat, non est, quod reprehendatur.*

35. Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo quòd sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committant.

Propter abusus prohibentur vigiliæ in cœmeteriis: quemadmodum vigiliæ, & pernoctationes in Ecclesia in jeu nia commutatæ sunt. D

36. Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.

Hic canon 36. tunc temporis forte propter aliquem errorem, qualis est Anthropomorphitarum existimantium Deum esse corporeum, fuit expediens: postea tamen per septimam Synodum œcumenicam imagines, & picturæ approbatæ sunt, & earum veneratio. Aut habet rationem loci, quòd non decenter servato decoro in parietibus imagines depingebantur, & brevi incrustationis lapsu accidere solet deformitas imagini, & efficitur ridicula potius, quàm veneranda. Aut quod vigente persecutione à gentilibus deturpabantur, cum asportari non possent.

In decret. Ivo. lib. 2. 37. Eos, qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. Si verò fideles fuerint, dandam eis esse communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineant à communione. E

38. Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare, in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.

39. Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.

40. Placuit prohiberi, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non inferant. Si verò post interdictum fecerint, per quinquennii spacia temporis à communione esse arcendos.

41. Admonere placuit fideles, ut, quantum possunt, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si verò vim metuunt servorum, vel seipsos puros conservent, si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur.

42. Eos, qui ad primam credulitatis fidem accedunt (si bonæ fuerint conversationis) intra biennium temporis placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio, vel socio subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti.

43. Pravam institutionem emendari placuit juxta authoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus. Quod qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur.

44. Meretrix, quæ aliquando fuerit, & postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

45. Qui aliquando fuerit Catechumenus per infinita tempora, & nunquam ad Ecclesiam accesserit, si eum de clero quisquam agnoverit, voluisse esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit baptismum ei non negari, eo quod in vetere homine deliquisse videatur.

46. Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit idololatra, post decem annos placuit eum communionem accipere.

47. Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus. Quòd si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non edere eum de communione pacis.

Nota. *Ex hoc canone prætendit Gregorius Ambianus ad librum Tertulliani de pudicitia, negatam fuisse absolutionem in fine vitæ: sed ut hoc adstruat, pro verbis istis*, non edere eum de communione pacis, *ad denotandam Eucharistiam, quæ denegebatur, ista reponit nescio unde desumpta*, non ludere eum de communione pacis, *id est non amplius in fine vitæ absolvi: lusit enim de pristina absolutione, quia promissis non stetit, quia in eandem colluviem recidit.*

48. Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt à Sacerdotibus, vel clericis.

1. *Quæst.* 1. *Emendari placuit. Hi clerici ex pietatis prætextu quæstum facientes condemnantur. Tamen teste Ambrosio libro de Sacramentis, eadem consuetudo invaluerat in Ecclesia Mediolanensi lavandi pedes baptizandorum.*

49. Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos à Deo percipiunt, cum gratiarum actione à Judæis benedici, ne nostram irritam, & infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab Ecclesia abjiciatur.

50. Si verò aliquis clericus, sive fidelis fuerit, qui cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, ut debeat emendari.

51. Ex omni hæresi, qui ad nos fidelis venerit, minimè est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.

52. Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.

53. Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quòd si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, illo adhuc minimè sciente, vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum. *5. quæst. 1. Si qui inventi.*

54. Si

54. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se à communione. Si tamen iidem sponsus, vel sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si verò in eodem fuerint vitio, & polluerint se consentiendo, superior sententia servetur.

55. Sacerdotes, qui tantùm sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem.

56. Magistratum verò anno, quo agit duumviratum, prohibere placet, ut se ab Ecclesia cohibeat.

57. Matronæ, vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam seculariter pompam non dent. Et si fecerint, triennii tempore abstineant.

58. Placuit ubicumque, & maximè in eo loco, in quo primæ cathedræ constitutus est Episcopus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant, & suo testimonio comprobent.

59. Prohibendum, ne quis Christianus, aut gentilis, ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat, & videat. Quòd si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos, acta pœnitentia, recipiatur.

60. Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

61. Si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit, & ipsa sit fidelis, quinquennio à communione placuit abstinere: nisi fortè velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

62. Si augur, aut pantomimi credere voluerint, placuit, ut priùs artibus suis renuncient, & tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius non revertantur. Quod si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia.

63. Si qua mulier per adulterium, absente marito, conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam esse communionem, eo quòd geminaverit scelus.

64. Si qua mulier usque in finem mortis suæ cum alieno fuerit viro mœchata, placuit nec in fine dandam ei esse communionem. Si verò eum reliquerit, post decem annos recipi ad communionem, acta legitima pœnitentia.

65. Si cujus clerici uxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus suus mœchari, & eam non statim projecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his, qui exemplum bonæ conversationis esse debent, videantur magisteria scelerum procedere.

66. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo, quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.

67. Prohibendum, ne qua fidelis, vel Catechumena aut comicos, aut viros scenicos habeat: quæcunque hæc fecerit, à communione arceatur.

Nota. *Alia lectio habet*, aut viros cinerarios, *qui alio nomine dicuntur ciniflones, qui calamistra exsufflantes in cineribus, & languidiori calefaciebant foco ad crispandos matronarum capillos. Sed non hoc totum eorum ministerium, dominarum quoque lecticas comitabantur, seu portabant, de quibus Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 8. Horum igitur virorum famulitium interdicit canon honestis viduis, unde vitiatus est titulus hujus canonis, qui est de earum conjugio, ut etiam observat Albaspinus Aurelianensis Episcopus ad quosdam canones hujus concilii. Quod verò Sherlogus per hujusmodi cinerarios Gallos, & Germanos intelligit in cant. c. 5. vestigatione xxxii. in explan. hist. sect. 1. levi fundamento nititur.*

68. Catechumena si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit eam in fine baptizari.

69. Si quis fortè habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennio agere debere pœnitentiam, & sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas observandum.

70. Si conscio marito fuerit mœchata uxor, placuit nec in fine dandam ei esse communionem. Si verò eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam, cùm scierit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuit. *31. qu. 1. Si qua mulier.*

71. Stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem.

72. Si qua vidua fuerit mœchata, & eundem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam communione reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei esse communionem. Vel si fuerit ille fidelis, quem acceperit, communionem non accipiat, nisi post decem annos, acta legitima pœnitentia, nisi infirmitas coegerit velocius dare communionem. *5. q. 6. Delator si quis.*

73. Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si Catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.

74. Falsus testis, prout crimen est, abstinebit, si tamen non fuerit mortis, quod objecit. Et si probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebit. Si autem non probaverit in conventu clericorum, placuit per quinquennium abstineri.

75. Si quis autem Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.

76. Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si spontè fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.

77. Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si antè de seculo recesserit, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse justus.

78. Si quis fidelis habens uxorem, cum Judæa, vel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod si alius eam detexerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit Dominicæ sociari communioni. *D. 54. Prohibendum.*

79. Si quis fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit eum abstinere. Et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione reconciliari.

80. Prohibendum est, ut liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum non provehantur.

81. Ne fœminæ, suo potiùs, quàm maritorum nominibus, laicis scribere audeant, qui fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

Fragmenta, quæ à Gratiano, Ivone, & Burchardo ex Concilio Elibertino citantur, & in eo non extant, juxta editionem Garciæ.

Ex Cap. I.

Definitio incauta laudabiliter solvenda est: nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio. *Grat. 22. q. 4. Definit. Ivo part. 12. cap. 80.*

Ex Cap. II.

Omnis homo ante sacram communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut aliàs quinque, aut septem, aut octo diebus. Nec inter Catholicos connumeratur, qui in istis videlicet temporibus, Pascha, Pentecoste, & Natali Domini non communicaverit. *Burch. l. 12. cap. 25. qui id ex Conc. Eliber. cit. De Consec. d. 2. Omnis homo. Burch. ibi, l. 5. cap. 22.*

Nec inter. *Hæc usque ad finem absunt ab hoc loco in Burchardo, ac Ivone.*

Ex eodem Cap.

p.2.cap.32. 2.1. quæ.5. Pueri. Ivo p.12.ca.81. Burch. l. 12. cap.6

PUeri ante annos quatuordecim non cogantur jurare. Puella quoque, si in puerili ætate sita, in domo Patris, illo nesciente, se juramento constrinxerit, & pater, statim ut audierit, contradixerit, vota ejus, & juramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.

Ex Cap. 5.

Burch.l.19. cap.75. Ivo p.14.c.88.

QUi in Quadragesima, aut Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium, videlicet 25. solidorum, ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.

Ex Cap. 9.

Burch.l.11. c.66. Ivo p.14.c.115.

DEcrevit sancta Synodus, ut Episcopi, ac ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum; ut ipsi criminosi corrigantur, & vel inviti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si verò seniores ipsorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne distringantur, defendere præsumpserint: sciant se excommunicationis Ecclesiasticæ sententia feriendos.

Ex Cap. 85.

Burch. l. 6. cap. 39 & Ivo p. 10. c. 168.

SI mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit: quia Dominum, & seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in monasterio pœniteat.

Hunc Canonem sic habet Joverius, si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit: & si probare potest ille vir eam ream esse consilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere: & si voluerit, aliam ducere: ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subjecta absque spe matrimonii maneat. *Unde hoc hauserit, videat, nam lex Ecclesiæ repugnat.*

Ex eodem Concilio.

Burch.l.19. cap.155.& Ivo p. 15. c. 163.

IN tribus Quadragesimis anni, & in die Dominico, & in quarta Feria, & in sexta Feria, conjugales continere se debent, nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor, id est, à quo die filius in utero motum fecerit, usque ad partum: à partu post 33. dies, si filius; si autem filia, post 65.

Ex eodem.

Ivo p. 15. c. 164.

SI mater filium suum spontè occidit, quindecim annos pœniteat, & numquam mutet, nisi in die Dominico. Mulier autem paupercula, si fecerit pro difficultate nutriendi, sex annos pœniteat.

Ex eodem.

Burch.l.19. c. 132.

SI verò quis Clericus, vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstineri, ut debeat emendari.

Ex eodem.

Ibidem.

ADjectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam (quod dici nefas est) transeuntes, & idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione profanatos: quos à Christi Corpore, & Sanguine, quo dum redempti fuerant renascendo, jubemus abscindi: & si resipientes fortè aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quamdiu vivunt, agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda; dicente Domino: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. *Ezech.33.*

Ex eodem.

Burch. l. 19.c. 134.

DE his, qui apostatant, & rarò se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, postea in infirmitate arrepti petunt communionem; placuit, non dandam eis communionem; nisi revelaverint eorum rectam fidem, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Controversia hujus Concilii:

Primo de tempore, & anno hujus Synodi variant scriptores: habitam tamen fuisse anno Domini 305. quo Marcellus Pontifex Ecclesiæ, Constantius, & Ga- A lerius Imperii gubernacula tenebant, quique est vigesimus annus ante celebratum Concilium Nicænum, huic adscripti Canones evidenter ostendunt. Primo enim, & quibusdam aliis sequentibus Canonibus, fidelibus in persecutione lapsis pœnitentia quidem conceditur, sed ad terrendum alios communio negatur. Item Canone 25. agitur de illis, qui adferebant litteras à Confessionibus scriptas, quarum interventu lapsi faciliùs reciperentur. Apparet igitur, Episcopos Hispaniæ eo tempore, quo pax Ecclesiæ nondum reddita, & persecutio nondum prorsus extincta erat, Constantii, non Constantini temporibus Eliberim convenisse, & contra imminentem furoris gladium, arma, & scuta hæc præparasse. Constantinus omnes Ecclesiæ persecutores devicit, & tranquillissimam pacem eidem B reddidit: nulla igitur ratio, aut necessitas urgebat, ut ab eodem bellum aliquod sibi inferendum Ecclesia metueret, qui pacis, & tranquillitatis redditæ auctor extiterat. Galerius tempore Constantii erga Christianos optimè affecti, Christianorum alios exilio, alios morte dirissima in Oriente multavit. Tempore igitur supradicto, nimirum Christi nati 305. quo Constantius cum Galerio collega ultimum annum Imperii sui agebat, hanc Synodum Provincialem habitam esse, verior est sententia: maximè quod Innocentius illis verbis (quæ infrà allegabimus) hæc à nobis dicta evidentissimo testimonio confirmet; illud nimirum Concilium, quo lapsis, ac gravibus peccatoribus in extremo vitæ periculo pœnitentia conceditur, communio negatur, tunc habitum esse, quando crebris persecu- C tionibus Ecclesia affligeretur, eique pax nulla reddita esset.

Si quis dicat, Innocentium non de Concilii Elibertini, sed potiùs Cypriani temporibus locutum fuisse, aliquid fortè diceret, si Cyprianus cum patribus hujus Concilii de lapsis tempore persecutionis ad Ecclesiam recipiendis non aliter sensisset: Cyprianus enim Epist. 8. ad Concilium scribens, existimat, cum lapsis tempore persecutionis mitius, atque indulgentiùs agendum esse; Patres verò hujus Concilii contrario modo sentiunt. Innocentius ergo prædicto loco de his, non de Cypriani temporibus locutus est. Ita Baronius anno Christi 305. num. 40.& 43. Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 9. Habes causam, ait hic Binius, cur de tempore habiti Concilii Illustriss. Cardinalis Baronii sententiam amplectamur, & sequamur, & à Garciæ Loaisæ diligentissimi Conciliorum Hispaniæ collectoris, atque D interpretis doctissimi sententia discrepemus. Hæc de tempore hujus Concilii.

De loco Concilii etiam est disputatio, cum duplex sit Illiberis in Hispania I. Bætica una, quæ bellis diruta est: alia Narbonensis vulgò Colioyre.

De ejus etiam auctoritate Scriptores mirificè variant. Quòd 1. 2. 6. 8. 12. 17. 18. &c. Canones lapsis communionem in fine vitæ adimentes, Novatiano, quodque 34. Canon Vigilantio, 36. Iconomachis favere viderentur; nonulli etiam viri doctissimi hanc Synodum vel reprobatam, vel erroneam esse senserunt. Melchior Canus lib. 5. de Locis, cap. 4. scribit, Canonem 36. hujus Concilii erroneum esse: Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Imagin. cap. 9. ait hoc Concilium Provinciale fuisse, & minimè confirmatum, frequenter errasse, ideò quòd lapsos, aliosque plures E peccatores graves, licèt pœniteant, ne quidem in mortis articulo absolvi concedat: putat enim vir solidissimè doctus, per denegatam communionem, non Eucharistiam, sed Sacramentalem reconciliationem, & absolutionem intelligi debere: propterea quòd Canone 69. reconciliatio, & communio significatu eodem accipiantur. Baronius, cùm ob prædictam causam de hoc eodem Concilio, quasi propè Novatiani fines attigisset, Tom. 1. anno Domini 56. num. 119.& tribus sequentibus paulò liberiùs, & acriùs scripsisset, ea deinceps Tom. 2. anno Christi 305. num. 42. valdè mitigavit; ita enim ibidem de patribus Concilii, & lapso-

Quæ com- munio lap- sis negat.

lapsorum reconciliatione scribit: *Cùm quæ ab illis de ea re sunt statuta, ab Innocentio Romano Pontifice excusentur, nemo sit, qui accusare præsumat*. Existimat igitur hanc Synodum legitimam fuisse, atque ab omni erroris culpa liberam, addens, illius nullam, sicut de aliis, apud antiquiores nominatim mentionem fieri, ideoque propè antiquatam remansisse, ea de causa, quòd hæc de lapsis constituta, malè fortè ab ipsis accepta, displicuerint. Novatiani lapsos simul à communione, ac pœnitentia excludebant, Patres hujus Concilii eosdem, quod frequentia lapsorum, ac traditorum eo tempore exigebat, ad deterrendum alios, à communione dumtaxat arcebant; pœnitentia autem, & peccatorum absolutione non prohibebant: ita Baronius num. 41. & 43. cum inhumanum sit animam sanguine Christi redemptam in extremo vitæ corporalis, & spiritualis discrimine piam matris Ecclesiæ opem implorantem, ne inter frementium dæmonum manus incidat, non adjuvare beneficio absolutionis; cum id in promptu sit, & sine injuria sacramenti, ac Redemptoris fieri possit, qui totum hujus vitæ tempus usque ad ultimum instans tempus viæ esse voluit, & non termini. Reliqui verò Canones quomodo explicandi, & ab erroris nota vindicandi sint, infrà patebit apud eumdem.

Severior disciplinæ primitivæ Ecclesiæ.

Notat quoque Joverius in Præfatione, si nostri temporis, in quo disciplina, morumque integritas elanguit, ratio habeatur, nonnulla statuta Synodorum particularium ante Nicænam videri posse rigida, difficilia, aspera, & æquitati adversa: at si priscam illam ætatem consideres primitivæ ferventis, ac novitiæ Ecclesiæ, equi bonique consules eum, qui tunc expediebat, rigorem. Ad hæc prudentia Christiana ita exigebat ad eliminandos prophanos quosdam ritus paganorum, qui recens Christo dabant nomen, quos imbiberant, cum quibus adoleverant, ac proinde eosdem Religioni Christianæ conjungere conabantur. Contra hæc monstra in antiquis Synodis acerrimè pugnatum est. Et nisi quis in hujusmodi consideratione in legendis antiquis Conciliis probè munitur, multa leviter, insulsè, ac ridiculè in eis statuta existimabit. Quod Theologus ille scripsit ad hanc Synodum intendens, quæ videri possit omnium severissima, multis denegans Eucharistiam in fine vitæ. Quod tamen vix debet pati majorem difficultatem, quàm cum reis in Gallia, & alibi denegatur. Censentque Julius Clarus, Corsetus, Vega, Zerola apud Dianam p. 3. tract. 6. in resol. 59. indecenter recipi à reis ipso die mortis, & ob id à Judicibus non esse permittendum ministrari, quamvis eam damnato concedant pridie mortis. Quia autem Ecclesia accepit à Christo potestatem distribuendi Sacramenta, prout magis expedire, ac decere videbitur, idcirco variis temporibus varios servat modos, modò liberalior, modò strictior pro loco, & tempore.

Reis communio denegatur.

Quare quemquam morari non debet, quod objicitur contra primum hujus Synodi Canonem.

Contra hunc Canonem est Ancyrana Synodus cap. 6. & Nicænæ I. cap. 12. & Aurelianensis II. cap. 12. ubi statuitur, sincerè pœnitentibus non esse in fine vitæ negandum Viaticum, etiam non acta legitima pœnitentia, si mortis periculum supervenerit. Hæc enim discrepantia sic solvitur ab Innocentio I. Epist. 3. c. 2. *De his*, inquit, *observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitùs negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis; ne Novatiani hæretici, negantes veniam, asperitatem, & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro*, &c. Quæ verba an intelligenda sint de Cypriani, an Concilii Elibertini temporibus, licet aliqui priori modo sentiant, ego tamen cum Baronio anno Christi 305. 11. 40. & 43. & Bellarmino lib. 2. de Imag. c. 9. de tempore hujus Concilii intelligo.

Propterea distinguenda.

Origo controversiarum de pœnitentium reconciliatione.

Tandem quia sæpe recurrunt hæ difficultates, nota momenta hujus controversiæ, quod alii misericordiam Dei in peccatores extollebant, alii verò severitatem justitiæ divinæ urgebant, ut Tertullianus l. de pudicitia cap. 2. contra primos insurgens. *Talia*, ajebat, *& tanta futilia eorum, quibus & Deo adulantur, & sibi lenocinantur, effeminantia magis, quàm vigorantia disciplinam: quantis & nos, & contrariis possumus repercutere, quæ & Dei severitatem, & nostram constantiam provocent?* Quia & si bonus natura Deus, tamen & justus. Ex causa enim sicut sanare novit, ita & cædere: faciens pacem, sed & condens mala; pœnitentiam malens, sed & Jeremiæ mandans, ne pro populo peccatore deprecaretur. *Quoniam si jejunaverint*, inquit, *non exaudiam deprecationem eorum*, &c. Deus enim Zelotes, & qui naso non deridetur, adulantium scilicet bonitati illius; & qui licèt patiens, tamen per Esaiam comminetur patientiæ finem. *Tacui, numquid & semper tacebo, & sustinebo? Quidni velut parturiens exsurgam, & arescere faciam*, &c. Sed non decet ultra de auctoritate scripturarum ejusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere, ut hæc restringere frenos disciplinæ, illa laxare videantur, quasi incertæ, & pœnitentiæ subsidium illa prosternere per lenitatem, hæc negare per austeritatem. Porro & auctoritas scripturæ in suis terminis stabit sine alterutra oppositione, si & pœnitentiæ subsidium suis conditionibus determinatur sine passiva concessione, & ipsæ prius causæ ejus distinguantur sine confusa propositione. Hæc, & plura Tertullianus in illo capite, concludens quædam peccata graviora, qualia sunt post baptismum Idololatria, homicidium, mœchia esse irremissibilia per potestatem Ecclesiasticam, non apud Deum, si legitimè peniteat. Et in hoc punctum est à Concilio Tridentino duobus verbis expressum, nempe *sicut oportet*; de divina enim misericordia nulla quæstio esse potest, sed de hominis pœnitentia, nullum enim tàm grande scelus, quod divina majus sit misericordia, ut advertit ibidem quidam ejus interpres, notans ita scripsisse Tertullianum contra edictum Zephirini Papæ Rom. de quo cap. 1. Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: *Ego & Mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. O edictum, exclamat ille, cui adscribi non poterit bonum factum: & ubi proponitur liberalitas ista! ibidem opinor in ipsis libidinum januis, &c. illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, & Virgo est. Absit, absit à sponsa Christi tale præconium: illa, quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculis. Non habet, quibus hoc repromittat; & si habuerit, non repromittit: quoniam & terrenum Dei templum citius spelunca latronum appellari potuit à Domino, quàm mœchorum, & fornicatorum, &c.

Tertul. exaggerat vigorem justitiæ divinæ.

Edictum Zephirini Papæ.

Bone Deus, quales contentiones! tantæne animis celestibus iræ! dum variè agitaretur causa pœnitentium in quibusdam provinciis, Romanus Pontifex pro officio summi Pastoris non destitit compescere æstus immoderatos quorumdam Sacerdotum, donec veritas cum tempore magis eluceret: scilicet in pœnitentia quædam esse de jure divino, quæ immota semper manserunt: Alia de jure Ecclesiastico circa varios modos reconciliationis peccatorum, quorum praxis varia esse

Solutio difficultatis.

eſſe potuit ratione temporum, locorum, morum, & perſonarum, ſine detrimento diſciplinæ hodiernæ, quam probat Eccleſia Catholica Romana ſponſa Chriſti, qui, & ſi omnipotens, vult tamen cum ipſa condonare peccata, eo modo, ſalvis, quæ de jure divino ſunt, quem ipſa probat, & præſcribit. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ait Abbas Iſaac de Stella ſer. Dom. 3. poſt Epiphan. *nihil vult humilis, & fidelis ſponſus ſine ſponſa*. Non eſt ergo, quod ſcandalum quidam accipiant, ſi non tot leges pœnitentiales adhuc obtineant.

Concilium Carthaginenſe Schiſmaticorum ſub Marcello habitum anno 308.

DOnatiſtę ſchiſmatici, anno Domini 308. ſub Marcello Pontifice, & Imperio Conſtantini, Carthagine in Africa Concilium celębrarunt, in quo poſtquam 75. diebus acriter diſceptatum fuiſſet, ducentis ſeptuaginta Epiſcopis Donatiſtis communi conſenſu placuit, ut Traditores, etiamſi baptizari nollent, ad communionem reciperentur tanquam integri, etſi immenſi criminis rei. Atque ita vigore hujus decreti Donatus unà cum omnibus ſuæ factionis ſectariis, Deuterio Macrinenſis Eccleſiæ, univerſiſque Maurorum Epiſcopis deinceps uſque ad perſecutionem Macarianam per 40. annos jugiter communicarunt, facta cum Traditoribus unitate, ut refert ex Tychonio Donatiſta D. Auguſtinus Epiſt. 48. tàm malè ſibi conſtant hæretici. Unde ut hoc Concilium penitus ab hominum memoria deleretur, Donatiſtæ magno ſtudio curarunt. Cùm enim ſe puriſſimos, & innocentiſſimos eſſe oſtentarent, nulla traditionis macula fœdatos umquam fuiſſe glorioſè admodum prædicarent: ac propterea adverſus Cæcilianum, ejuſque ſocios traditionis nota conſperſos, ſe juſtitiæ ſolius amore bellum gerere jactitarent, quaſi Eccleſia apud ipſos ſolos remanſiſſet, ac de toto orbe terrarum periiſſet, quod alii, aut traditores eſſent, aut traditoribus adhærerent; Concilium verò hoc numeroſiſſimum ex Traditorum grege collectum, mendacia, impietatem, atque immunditiam eorum detegeret, illud ſummoperè oderunt, & maximo conatu obliteratum eſſe voluerunt. Vide Baronium anno Chriſti 308. num. 28. & 29.

Concilium Romanum I. in Laterano ſub Melchiade anno 313. in cauſa Donatiſtarum.

HOc Concilium, teſte Auguſtino Epiſtola 152. Romæ habitum eſt Conſtantino, & Licinio tertiùm Conſulibus, anno Domini 313. qui eſt Imperii Conſtantini octavus, hanc ob cauſam: quod Donatiſtæ indignè ferrent, Cæcilianum Epiſcopum nihil ſchiſmaticorum omnium factionibus, conviciis, ac contumeliis, quibus eum afficiebant, commoveri, atque uno dumtaxat unius Apoſtolicæ Sedis præſidio, ac communicatione fulciri: ſuos verò potiùs univerſos conatus in ſchiſmate promovendo irritos fieri. Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. 1. contra Parmenianum rem totam deſcribit, & originem diſſidii, & ipſum Concilium, nec decet relictis fontibus rivulos ſectari.

Cæciliani virtus.

Origo ſchiſmatis Donatiſtarum in Africa ex Optato Milevit. lib. 1. contra Parmenianum.

Hoc apud Carthaginem poſt ordinationem Cæciliani factum eſſe, nemo eſt, qui neſciat: per Lucillam ſcilicet, neſcio quam fœminam factioſam, quæ ante concuſſam perſecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo eſſet Eccleſia, cùm correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritualem cibum, & potum, os neſcio cujus martyris, ſi

Reliquiæ,

A tamen martyris, libare dicebatur, & cùm præponeret calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi martyris, ſed nec dum vindicati, correpta, cum confuſione irata diſceſſit. Iraſcenti, & dolenti, ne diſciplinæ ſuccumberet, occurrit ſubitò perſecutionis enata tempeſtas. Iiſdem temporibus Felix quidam Diaconus, qui propter famoſam neſcio quam de tyranno Imperatore factam tunc Epiſtolam appellatus eſt, periculum timens apud Menſurium Epiſcopum delituiſſe dicitur. Quem cùm poſtulatum Menſurius publicè denegaret, relatio miſſa eſt: Reſcriptum venit, ut ſi Menſurius Felicem Diaconum non reddidiſſet, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro, & argento quàm plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat.

B Quaſi fidelibus ſenioribus commendavit commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dediſſe dicitur, itaut, ſi ipſe non rediret, reddita pace Chriſtianis, anicula illa illi daret, quem in Epiſcopali Cathedra ſedentem invenerit. Profectus cauſam dixit. Juſſos eſt reverti Carthaginem, pervenire non potuit. Tempeſtas perſecutionis peracta, & definita eſt: jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, libertas Chriſtianis eſt reſtituta. Botrus, & Cæleſius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes operam dederunt, ut, abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc ſuffragio totius populi Cęcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano Epiſcopo ordinatur. Botrus, & Cæleſius de ſpe ſua dejecti ſunt, brevis au-

C ri, & argenti ſedenti Cæciliano, ſicut delegatum à Menſurio fuerat, traditur adhibitis teſtibus. Convocantur ſupra memorati ſeniores, qui facibus avaritiæ commendatam ebiberant prędam. Cùm reddere cogerentur, ſubduxerunt communioni plebem. Non minùs & ambitores, quibus & ordinari non contigit: necnon & Lucilla, quæ jamdudum ferre non potuit diſciplinam, cum omnibus ſuis potens, & factioſa fœmina communioni miſceri noluit. Sic tribus convenientibus cauſis, & perſonis factum eſt, ut malignitas haberet effectum. Schiſma igitur illo tempore confuſa mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit: ab iis tribus perſonis contra Cæcilianum cauſæ confictæ ſunt, ut vitioſa ejus ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigi-

D ſitanum miſſum eſt, ut Carthaginem veniretur: proficiſcuntur omnes ſupra memorati Traditores: ſuſcepti hoſpitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non à Catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea ad Baſilicam, ubi cum Cæciliano tota Civitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc à Cæciliano mandatum eſt, *ſi eſt, quod igne probetur, exeat accuſator, & probet*. Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de ordinatore tuo, quòd ab iis falsò traditor diceretur, meruit infamari. Iterum à Cęciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Cęcilianus filius ſororis ejus eſſet, ſic ait: *Exeat huc, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pęnitentia* His rebus compertis, tota

Tres cau[…] ſchiſma[…] African[…] Donatiſ[…] rum.

E Eccleſia Cęcilianum retinuit, ne ſe latronibus tradidiſſet. Illo tempore aut reus debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Eccleſia populis, plena erat Cathedra Epiſcopalis, erat altare ſuo loco, in quo pacifici Epiſcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus, & cęteri. Sic exitum eſt foras, & altare contra altare erectum eſt, & ordinatio illicitè celebrata eſt, & Majorinus, qui Lector in Diaconio Cæciliani fuerat, domeſticus Lucillæ, ipſa ſuffragante, Epiſcopus ordinatus eſt à Traditoribus, qui in Concilio Numidiæ (ut ſuperiùs diximus) crimina ſua ſibi confeſſi ſunt, & indulgentiam ſibi invicem tribuerunt. Manifeſtum eſt ergo exiſſe de Eccleſia & ordinatores, qui tradiderunt, & Majorinum, qui ordinatus eſt. Intereà de ſuorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorũ venis exuberat,

Concilia[…] lum, in […] eligitur […] Majorin[…]

berat, unum Traditionis convicium in Ordinatorem Cæciliani derivandum esse putaverunt, providentes, quòd fama duas res similes uno tempore loqui non possent, ut crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam, & cùm possent ipsi ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes ubique litteras Liliore dictante conscriptas: quas inter cæteros actus habemus in posterum.

Habes in istis primā originem Concilii istius Lateranensis primi, quod subsequuta sunt circiter octuaginta alia diversis temporibus ob varias necessitates celebrata. Schisma nempe Donatistarum in Africa, Lucilla muliere divite non ferente reprehensionem Cæciliani adhuc Diaconi, quod veneraretur reliquias nondum vindicatas, & Ecclesiæ judicio probatas. Hinc multorum malorum scaturigo, adjuncta ambitione Boti, & Coelesii Cathedram Carthaginensem ambientium, necnon avaritia eorum, qui vasa sacra in persecutione deposita reddere nolebant, quibus tamdem à Religione excidit tota Africa, cum ipsa dejectum vellet à throno Episcopali Cæcilianum, uno ex suis domesticis in ejus locum suffecto Majorino, aut, ut vocat Petrus Saxius in Pontificum Arelatensium Historia, Majolino, qui suos successores habuit oppositos Cæciliano, & ei post mortem subrogatos, quibus Donatistæ adversabantur diviso sic populo cum Cathedra. Ac quia Majorino substitutus est Donatus vir eloquens, ab ipso denominati sunt, non ab alio Donato à *casis nigris*, quamvis ab utroque sic vocatos fuisse nihil vetet. Quod autem propius ad ipsum Concilium pertinet, sic idem Optatus in eodem libro explanat, ad cujus verba tantum opus est attendere, ut hoc Concilium perspectum habeas.

Concilium ipsum ex eodem Optato.

Quod de nobis dicitis (ò Donatistæ) quid Christianis cum regibus, aut quid Episcopis cum palatio? si nota est nosse reges, vos tota perfundit invidia. Nam majores vestri Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri Imperatorem Constantinum harum rerum adhuc ignarum his precibus rogaverunt: quarum exemplum infrascriptum est. *Rogamus te, ò Constantine Optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus Pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia (non erant in ea traditores) nam in Africa inter nos, & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Datæ à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati* (is successerat Majorino) quibus lectis Constantinus pleno livore respondit. In qua responsione, & eorum preces prodidit, dum ait: *Petitis à me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem*. Et tamen dati sunt judices.

Maternus ex Agrippina civitate. Rheticius ab Augustoduno civitate. Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino III. & Licinio III. Consulibus sexto nonas Octobris, die sexta feria. Cum considissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Rheticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani, & Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Felix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventia, Proterius à Capua, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, Secundus à Præneste, Felix à tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus à foro Claudii. His decem, & novem Episcopis considentibus, causa Donati, & Cæciliani missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ. *Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est:* Testes inducti à Donato confessi sunt se non habere, quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis. *Cum constiterit Cæcilianum, ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec à Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum meritò esse censeo*. Sufficit ergo & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit, ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit. *O rabida furoris audacia: sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*.

Hæc ad Concilium primum Lateranense, de quo etiam meminit D. Augustinus in Libris contra Julianum. Quæ eruditè illustrat cum doctis observationibus Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis lib. 1. *De rebus Ecclesiæ, earumque regimine*, in editione secunda, quam hic laudamus, ut ab onere plura circa hæc scribendi levemur. Tantum monemus ex hac appellatione Donatistarum ortam esse occasionem, aliud Concilium Arelatense, scilicet congregandi, cum quererentur, non satis causam examinatam fuisse, ac nihil pronuntiatum de Felice Aptungitano Cæciliani ordinatore, de quo infra.

Nec conditiones pacis à Melchiade propositas, ut Majorino de alio Episcopatu provideretur, acceptare voluerunt, nec judicio alteri Constantini, qui causa cognita Mediolani Cæcilianum innocentissimum ipsos improbissimos declaravit, acquiescere voluerunt, quin extra Ecclesiam baptizarent, etsi potuissent, Ecclesiam rebaptizarent, sacrilega separatione ab unitate populi Catholici seipsos separantes, quasi lucem orbis amisisset, si Cæcilianus in Africa Lucillam læserit. Nemo delet de Cœlo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei, ille totum orbem promisit: ista totum orbem replevit. Et malos habet, & bonos: sed nec in terris amittit, nisi malos, nec in Cœlum admittit, nisi bonos. Qui illi non communicat, exhæredatum à Deo se esse cognoscat. Nec si quidpiam in ea desideretur, justam se separationis causam invenisse arbitretur. Lex quippe est Cypriani omnibus probatissima. *Etsi videantur in Ecclesia zizania, non tamen debet impediri fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*.

Ecclesia propter malos non est deserenda.

Concilium Arelatense I. habitum tempore Constantini Imperatoris, & Sylvestri Papæ primi, Anno 314.

Tituli capitulorum Concilii Arelatensis.

1 *Ut uno die, & tempore Pascha celebretur.*
2 *Ut, ubi quisque ordinatur, ibi permaneat.*
3 *Ut, qui in pace arma projiciunt, excommunicentur.*
4 *Ut aurigæ, dum agitant, excommunicentur.*
5 *Ut, qui theatris conveniunt, excommunicentur.*
6 *Ut in infirmitate conversi manus impositionem accipiant.*
7 *De præsidibus, ut cum conscientia Episcopi sui communicent.*
8 *Ut ex hæresi conversi in Trinitate baptizentur.*
9 *Ut, qui confessorum litteras portant, alias accipiant.*
10 *Ut cujus uxor adulteravit: ipse aliam non accipiat.*
11 *Ut fœminæ fideles, quæ gentilibus se junxerunt, excommunicentur.*
12 *Ut clerici fœneratores excommunicentur.*
13 *Ut proditores fratrum, vel vasorum, seu scripturarum cum verberibus deponantur*
14 *Ut falsi accusatores fratrum usque ad exitum excommunicentur.*
15 *Ut levitæ non offerant.*
16 *Ut pœnitentes, ubi acceperint ordinationem, ibi communicent.*
17 *Ut nullus Episcopus alium conculcet Episcopum.*

18 *Ut Diaconus nihil sine Presbytero suo agat.*
19 *Ut Presbyteri sine conscientia Episcoporum suorum nihil faciant.*
20 *Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi detur.*
21 *Ut sine tribus Episcopis nullus Episcopus ordinetur.*
22 *Ut clericus alibi transiens excommunicetur.*
23 *Ut apostatæ, qui tardiùs revertuntur, nisi per dignam pœnitentiam non recipiantur.*

Capitula Concilii Arelatensis I.

DOmino, & sanctissimo fratri Sylvestro Episcopo, Marinus, vel cœtus Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quæ decrevimus communi consilio, charitati tuæ significamus, ut omnes sciant, quid in futurum observare debeant.

De cons. dist. 3 De observatione pasc.

1. De observatione Paschæ Domini, ut uno die, & tempore per omnem orbem observetur, & juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

2. De his, qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in locis perseverent.

In codice manuscripto in membrana antiquissima legitur (in bello) quod videtur magis consentaneum tales puniri, tàquam desertores.

3. De his, qui arma projiciunt in pace, placuit abstinere eos à communione.

4. De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, à communione separari.

5. De theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, à communione separari.

6. De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

7. De præsidibus, qui fideles ad præsidatum impetu prosiliunt, ita placuit, ut, cum promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas communicatorias, ita tamen ut, in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur, ut, cum cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui rempublicam agere volunt.

De cons. dist. 4 de Arrianis. Alii legūt de Afris.

8. De Arrianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit, si ad Ecclesiam aliqui de hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes Symbolum. Etsi perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum. Quod si interrogati, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.

Supra in conc. Elibertino. c. 25.

9. De his, qui Confessorum litteras afferunt, placuit, ut, sublatis eis litteris, alias accipiant communicatorias.

D 10. De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidē sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut, inquantū potest, consiliū eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

Petavius ad hæres. 59. super D. Epiphanium putat negationem deesse, & legendum, non prohibentur.

14. qu. 4. ministri, qui fœne. Codex manuscriptus legit: veriberibus multis.

11. De puellis fidelibus, quæ gentilibus junguntur, placuit, ut aliquanto tempore à cōmunione separentur.

12. De ministris, qui fœnerantur, placuit eos juxta formam divinitus datam à communione abstinere.

13. De his qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, vel verbis nudis, ab ordine clerici amoveatur. Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, & si in his, qui ordinaverunt, ratio subsistit, non tamē illis subsistat ordinatio: quoniam multi sunt, qui contra Ecclesiasticam regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, qui omnino non admittantur, nisi (ut supra diximus) actis publicis docuerint omni se suspicione carere.

Prov. 19.

14 De his, qui falsò accusant fratres suos, placuit, eos usque ad exitum non communicare, sed falsum testem, juxta scripturam, impunitum non licere esse.

15 De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.

16. De his, qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, ut quibuscumque locis fuerant exclusi, * eodem loco communionem consequantur.

Aliàs, in iisdem locis.

A 17. Ut nullus Episcoporum alium Episcopum conculcet.

18. De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur.

19. Ut Presbyteri, sine conscientia Episcoporum, nihil faciant.

20. Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi detur.

21. De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare.

In dec. lib. 3.

22. De presbyteris, aut diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transferunt, placuit, ut his locis ministrent, quibus præfixi sunt. Qui, si relictis locis suis, ad alium locum se transferre voluerint, deponantur.

B

Aliàs n[...] quam.

23. De his, qui apostatant, & * antequam se ad Ecclesiam repræsentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

Controversia hujus Concilii Arelatensis I.

D. Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas sæpius meminit Concilii Plenarii, per quod causa rebaptizantium ultimò dijudicata est. Per hoc autem Concilium Plenarium, quod videtur cum universali confundere ibidem D. Augustinus l. 2 de bapt. cap. 9. si benè perpendantur ejus verba, Bellarminus l. 1. de Sacramentis in genere cap. 26. Nicænum 1. intelligit, quem C sequitur Thomas Hauzeur in lectione D. Augustini versatissimus, in Anatomia operum ejusdem tom. 2. ad libros illius de Baptismo. At Sirmondus tom. 1. Concil. Galliæ in præfatione ad Lectorem dissentit, ac D. Augustinum autumat per Plenarium Concilium intellexisse Arelatense I. quod appellaverit plenarium, & universale, & universæ Ecclesiæ Concilium: vult proinde œcumenicas Synodos ab Arelatensi originem ducere: quamvis in paucis verbis sibi non constet Sirmondus, dicens de Arelatensi illa Synodo, quod sive spectentur Episcopi, qui ad eam convenere, sive res in ea gestæ, nulla unquam post œcumenicas habita fit illustrior: unde licet inferre, illum non existimasse, illam fuisse œcumenicam, sed post œcumenicas illustriorem. Nihilominus ea de re dissertationem instituens Launojus Theologus Parisiensis non modicæ eruditionis, ac sedulus veterum monumentorum indagator, opinionem Sirmondi præferens opinioni Bellarmini cap. 4. ejus dissertationis hæc ait: Quæ primo capite de Arelatensi Concilio docuimus, perspicuè ostendunt eos, qui Concilia simul omnia identidem ediderunt, vel etiam qui in compendium redegerunt, graviter errasse, cum hoc Concilium Provinciale inscripserunt. Quod enim Concilium Augustinus in causa Donatistarum plenarium Ecclesiæ universæ Concilium appellavit, Provinciale meritò quis appellet? *Restabat*, inquit, *adhuc plenarium Ecclesiæ universæ concilium, ubi cum ipsis judicibus causa posset agitari.* Quæ verba si accuratè expendantur, Arelatense Concilium intelligi non inficias irent etiam ii, qui, quæ huic Concilio de non iterando hæreticorum baptismate tribuimus, Nicæno tribuenda E putarunt. Verum ut huic rei Augustinus non intersit, Arelatensis certè Synodus altera, quæ post primam annis tantùm octo, & triginta celebrata est, nullum de eo dubitandi locum relinquit, hujus autem verba sunt Canone 18. *ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis sub Marini tempore legimus celebratum.* Collectam igitur ex omnibus mundi partibus Synodum nemo provincialem vocabit unquam, nisi qui nomine provincialis abutitur. Deinde quod excusationem vix patitur ullam, hi Conciliorum editores Arelatensi subjiciunt catalogum multorum Episcoporum, qui in hanc urbem ex diversis totius occidentis provinciis coiverunt. Hæc ille.

Plenari[...] concilium

Quæ

Quæ tamen abducere me non poterunt ab antiqua, A & communi ſententia, quæ Nicæno contra Arrium concilio, primi Concilii univerſalis poſt tempora Apoſtolorum gloria refert. Nunquam enim invenimus Concilium Arelatenſe, cum ſæpius apud antiquos enumerantur concilia œcumenica, ut obſervari poterit in ſecunda claſſe horum conciliorum. Etſi verò ex pluribus mundi partibus Epiſcopi in eo interfuerint, ſecundum quoſdam uſque ad ducentos, ſecundum alios uſque ad ſexcentos, cui etiam Conſtantinus interfuerit, non tamen convocatio, & indictio aliqua generalis omnium Epiſcoporum facta eſt. Sed cum Donatiſtæ Africani libentes ſe ſubmitterent Epiſcopis Galliæ, Conſtantinus Imperator, ad quem provocarant, alios etiam quoſdam magis illuſtres in variis occidentis partibus deſignavit, quibus etiam tractorias litteras dedit, ut ſumptibus publicis in itinere alerentur, ut ſic frequentior, B & celebrior Synodus cauſam, qua tota Africa turbabatur cum diſpendio religionis, majori authoritate dijudicaret. Hoc porro non eſt ſatis ad œcumenicum, & univerſale concilium, quod indictio quædam generalis debet præcedere. Hoc autem videre eſt in Epiſtola Conſtantini ad Ablavium, quam hujus Concilii actis inſeruit Binius, ubi agitur de eligendis Epiſcopis, qui ad hoc Concilium venire debebant, ut dentur illis litteræ tractoriæ: in convocatione enim generali non ita ſeliguntur Epiſcopi. Sed & D. Auguſtinus cum loquitur de Concilio Arelatenſi Epiſtol. 48. *Rurſus*, inquit de Donatiſtis, *ab alio Epiſcopali judicio appellaverunt ad eumdem Imperatorem.* Ac minimè vocat illud plenarium, cum tamen magis inde arguiſſet Donatiſtarum inſolentiam, ſi etiam à Plenario appellaſſent. C

Indictio Concilii non fuit generalis.

Nonnulla autem advertit Franciſcus Rothomagenſis Archiepiſcopus circa hoc concilium ſilentio minimè prætermittenda l. 2. hiſt. de rebus Eccleſiæ.

1. Eſt, quod Epiſcopi hujus Concilii majori ex parte Galli Pontifici Rom. Communione juncti ſint, eique, quæ acta ſunt, exponant in præfatione, eique debitam reverentiam exhibeant. En, inquit, ad Apoſtolorum limina primi Gallorum expectant. Quod autem Archiepiſcopus Marinus, cætuſve Epiſcoporum in capite canonum, & in Synodica vocat Sylveſtrum fratrem, mirum quàm hic delicati quidam avidè annotant, canonem verò ſequentem, ac omnium primum intactum ſupervolant, &c. cum alioquin & Chriſtum omnium caput quotidiè audiant non confundi vocare nos fratres, D ſic à nobis viciſſim primogenitum in multis fratribus dici, noſque ejus appellari, credique cohæredes. Sed & magis urgent contra hæreticos verba hæc, quæ in Synodica ad Sylveſtrum continentur. *Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidiè ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur.* Ex quibus videre eſt, quantus ſit ſtupor Novatorum ætatis noſtræ ſedem Roman. impugnantium.

Epiſcopi Galli Papæ conjuncti ab antiquo.

Circa can. 8. ubi de Arrianis ſermo, melius de Afris, quia nondum Arrianorum nomen increbuerat. Afri autem Cæciliano adverſantes facti ſunt ſchiſmatici, è ſchiſmaticis facti ſunt Anabaptiſtæ, ex Anabaptiſtis facti ſunt Trinitarii, qui paulò poſt orti, dictique Arriani. Et certè Africana rebaptizatio rupta communione, E factoque Traditorum, ac partis Donati, atque Majorini concurſu, & quaſi confluente, Orientem haud multò poſt inundavit. Degenerante, ac augeſcente natura, audaciaque Orientalium ingeniorum, & quo licentius repeteretur baptiſma irrumpente errore, uſque ad negationem characteris baptiſmalis, ex quo conſequenter fluxit negatio ejus, quæ tanto myſterio ſignata eſt conſubſtantialis Trinitatis. Vix error ſe continet, vel torrente ſuperbit, vel obicibus ruptis totum alveum effundit, ſi quid refluit. Atque Donatus Carthaginenſis, qui Majorino in diviſione ſucceſſit, non ſolùm ſchiſmati hæreſim junxit, eamque eloquentia ſua confirmavit, ſed ſecuturo Arrianiſmo viam, arcemque ſtruxit, Catholicam de Trinitate ſententiam labefactantem.

Africanorum ruinæ initium.

Cæciliano conſultum eſt per 2. Canonem, *De his, qui in quibuſcumque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeverent.* Quamvis & antequam ſeſe patres accingerent ad condendos canones, confirmata illi eſſet ſedes, ac repulſus Donatus.

Can. 15. de Diaconibus, ut non offerant, ideò fortaſſis conditus eſt, quod quemadmodum Presbyteri in die ordinationis ſolent cum Epiſcopo conſecrare, ſic ipſi altari aſſiſtentes verba conſecrationis cum ſacerdote proferebant, velut in paraſceve ex præſanctificatis ipſa oblata offerre, aut quid ſimile, quod hic vetatur.

Diaconi non ſacrificabant.

Canon 3. Eccleſiæ ſubjicit magiſtratuum ordinem: eſtque contra ſæculares incurſus, ac inſultus tutiſſimum munimentum. Prima lex antiquitatis Gallicanæ, ne grex Paſtorem ducat. Ideò conditus, quod in Cæciliani cauſa, licentia aulæ nimium progreſſa eſſet.

Cæterum & ſi pro Cæciliano reſtituendo judicium tulerit Synodus, priuſquam de Canonibus ad reformationem morum pro temporis neceſſitate ageretur, minimè acquieverunt Anticæciliani Donatiſtæ, nam dimiſſa Synodo pugnam reintegrarunt, ac Parthica fuga novam defectionem pararunt, atque ab Eccleſiæ judicio ad Imperium appellarunt. Unde factum, ut ſchiſmatis malum augeretur. De quibus omnibus plura habentur lib. 2. hiſtoriæ de rebus Eccleſiæ, quæ ſummæ brevitas non patitur, ut hic exponamus.

Epiſtola Synodica Concilii Arelatenſis.

Cæterum Epiſtola Synodica hujus Concilii magis integra exhibetur, etſi mutilata, quam viſum eſt hic lectorum curioſitati attexere.

Dilectiſſimo Papæ Sylveſtro Marinus, Agræcius, Cæcilianus, Fauſtinus, Surgentius, Gregorius, Rhetitius, Ambitauſius, Termatius, Merocles, Pardus, Adelphius, Hibernius, Fortunatus, Ariſtaſius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Gregorius, Creſcens, Anitianus, Dafnus, Orientalis, Quintaſius, Victor, Epictetus, in Domino æternam ſalutem. Communi copula charitatis, & unitatis matris Eccleſiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatenſium civitatem, Piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, religioſiſſime Papa, commerita reverentia ſalutamus, ubi graves, ac pernicioſos legi noſtræ, atque traditioni, effrænatæque mentis homines pertulimus; quos & Dei noſtri præſens authoritas, & traditio, ac regula veritatis ita reſpuit, ut nulla in illis, aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſandi modus ullus, aut probatio conveniret: ideò judice Deo, & matre Eccleſia, quæ ſuos novit, & comprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi. Et utinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſes: tanti feciſſes profectò credimus, quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante cætus noſter majori lætitia exultaſſet: ſed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione & Dei gloriam teſtatur, non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater chariſſime, ad quæ fueramus invitati, ſed & conſulendum nobiſmetipſis (legendum videtur, cenſuimus) & quàm diverſæ ſint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere. Placuit ergo præſente Spiritu ſancto, & Angelis ejus, ut & his, qui ſingulos, quos movebat, judicare, proferremus de quiete præſenti. Placuit etiam, antequam à te, qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimùm omnibus inſinuari, quid autem ſit, quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubjunximus. Et id primò in loco de vita noſtra, atque utilitate tractandum fuit, ut qui unus pro multis mortuus eſt, & reſurrexit, ab omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſervetur, ne diviſiones in tanto obſequio devotionis poſſint exurgere: cenſemus ergo

Antiquum dicendi genus Gallicanum, judice Deo, & matre Eccleſia.

Aliquid deeſt.

Pascha Domini, per orbem totum una die observari. De his quoque, qui quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, ut in ipsis locis perseverent. De his agitur enim, qui arma in pace projiciunt, placuit abstineri eos à communione. De corciflariis agitatoribus, qui fideles sunt; placuit eos quamdiu agitant, à communione separari: de theatricis;ipsos placuit,quamdiu agunt,à communione separari. De his, qui in infirmitate sunt constituti, & recedere volunt, placuit eis manum imponi. De præsidibus autem, qui fideles sunt, & ad præsidatum consiliunt,ita placuit,ut cum promoti fuerint, literas quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias, ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopis ejusdem loci cura de illis agatur:& si cœperint contra disciplinam agere, tunc demum à communione excludantur, & de his quidem, qui in republica agere volunt, similiter. De Afris autem, quòd propria sua lege utuntur, ut rebaptizent; placuit, & ad Ecclesiam si aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum, & si viderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantùm ei imponatur. Quod si interrogatus symbolum, non responderit Trinitatem hanc, meritò baptizetur, &c. Tunc Tedianus jussit omnes ad suas sedes redire.

Hæc Arelatensis Synodica, ex parte mutila injuria temporum, forsan etiam Donatistarum, aut Arrianorum, ut etiam pleraque ex Optato expuncta, ac præsertim, quæ spectant ad Arelatensem historiam. Præfatio autem canonum, nonnisi summa est, & Epitome hujus Synodicæ, circa quam non omittenda Cardinalis Perronii Archiepiscopi Senonensis conjectura ad hæc verba illius Synodicæ: *Placuit etiam antequam à te, qui majores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari*. Ubi lacunam satis patentem explet, ac locum acri, quo pollebat,ingenio sic restituendum censet. *Placuit etiam hæc juxta consuetudinem antiquam ad te, qui majores Diœceses (vel majores Diœceseos) tenes, & per te potissimum omnibus insinuari*. Ubi per majores Diœceseos summam rerum intelligit, primasque partes administrationis Ecclesiæ, haud secus, ac veteres imperii Diœcesim pro universa reipublicæ administratione dixerunt.

Card. Perronius.

An potestas Pontificis Romani læsa sit per hoc Concilium.

In hoc Concilio non ad Papam, ut supremum judicem, sed à Papa ipso appellatum erat. Unde colligit Calvinus l. 4. instit. c. 7. n. 10. minimè supremam jurisdictionem in causis Ecclesiasticis Pontifici Romano competere. Vincit illic, ait de Concilio Romano, Cæcilianus,Donatus à casis nigris cadit actione calumniosa. Provocat. Constantinus appellationis judicium demandat Episcopo Arelatensi. Sedet ille judex, ut post Romanum Pontificem, quod visum fuerit, pronuntiet. Si Romana sedes summum habet judicium sine provocatione: cur sibi tàm insignem calumniam irrogari permittit Melchiades, ut sibi Episcopus Arelatensis præferatur, & quis Imperator hoc facit? Constantinus scilicet, quem jactant omne suum studium, ac omnes fere imperii opes contulisse ad amplificandam sedi suæ dignitatem.

Calvini objectio.

Verum perpendere oportet non ex rigore juris concessum fuisse Donatistis judicium Arelatense aliud à Romano sub Melchiade,à quo de jure appellari non poterat. Sed id concessum fuisse duntaxat ex indulgentia. Nec propter Cecilianum motam quæstionem fuisse juris, aut fidei, sed facti,an rectè scilicet in thronum Carthaginensis Ecclesiæ ascendisset, nec Synodum hanc Arelatensem citra consensum summi Pontificis celebratam fuisse. Nec illam Synodum sibi ullam potestatem arrogasse supra Pontificiam, quasi ejus decreta invito Pontifice Romano, vel reformare,vel immutare potuisset. Quinimò ipsa Synodus Arelatensis subditam se agnovit illius jurisdictioni, ut testata est per Epistolam Synodicam ad Sylvestrum Melchiadis successorem missam eo fine, ut, quæ statuisset, ipse auctoritate Pontificia confirmaret. Ipsa porro Epistola ex Bibliotheca P. Pithæi deprompta est, & ex ipsa Synodus ipsa, ut vulgò à collectoribus Conciliorum proponitur, extracta est jamdudum, nec præter ipsam aliud restat monumentum Synodi, quæ vera non potest agnosci sine ipsa Epistola. Appellatio ergo Donatistarum iniqua fuit, & admissa est ex indulgentia, nec citra consensum Romani Pontificis, & examen aliud quæstionis, quæ de facto erat, ac judicium exinde subsequutum Romani Pontificis judicio submissum fuit:in quo ergo violata esset Pontificis Romani authoritas?

Responsio.

Concilium Ancyranum tempore Sylvestri Papæ I. celebratum anno Christi 314.

POstquam per obitum Maximini persecutoris ab Ecclesia omnis metus tyrannidis propulsatus esset, Orientales Episcopi hac pacis occasione freti ad instantiam lapsorum in Ecclesiæ communionem, à quo tormentorum metu exciderant, recipi petentium, auctore Vitali Antiocheno Episc. ut probabile est, convocati, Ancyræ convenerunt: ideò, quod ad eam urbem in meditullio regionis sitam, minoris Asiæ Episcopi, Cappadoces, Pontici, Armeni, & Cilices, & Syri faciliùs convenire possent. Octodecim Episcopi congregati in causa lapsorum, afflatu Spiritus sancti edocti, illud idem constituerunt, quod sub Deciana persecutione Romæ Cornelius, Carthagine Cyprianus, in Ponto Gregorius, & demum sub Diocletiani tyrannide Petrus Alexandrinus Episcopus in Ægypto, Episcopi Hispaniæ Eliberi, unanimi consensu, quantumvis loco, & tempore separati fuerint, piè, ac sanctè decreverunt, ne scilicet quispiam lapsorum ad Ecclesiæ communionem admittatur, qui non ante penitentiam delicto convenientem egerit, & pro crimine debitè satisfecerit. In quem finem vigintiquatuor Canones ediderunt, unde quam quisque penitentiam agere debeat, facilè cognoscere potest. Extat autem Canonum triplex editio,quarum primam, quæ est Dionysii Exigui, jure, meritoque sequimur. Hoc Concilium à Nicæna Synodo universali approbatum esse, constat Act. 4. Concilii Florentin. Fuit autem celebratum hoc Concil. anno Pontif. Sylvestri I. Constantini Imper. 9. qui est Christi nati 314.

Agitur de penitentia lapsorum.

Cap. I.

PResbyteros immolantes, & iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerint, ut iterum teneri viderentur, aut tormentis subjici, quo facinus pati viderentur inviti: hos ergo placuit, honorem quidem sedis retinere, offerre autem illis, & sermonibus ad populum facere, aut aliquibus Sacerdotalibus officiis fungi non liceat.

Distinct. 50. Presbyteros, qui.

Cap. II.

DIaconi similiter,qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare verò ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando. Quòd si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas.

Cap. III.

QUi fugientes comprehensi sunt, vel domesticis traditi, vel ademptis facultatibus sustinuere tormenta, aut in custodiam trusi, proclamaverunt se Christianos esse, & eo usque adstricti sunt,ut manus eorum comprehendentes, violenter attraherent, & funestis sacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur: confitentes jugiter se Christianos esse, & luctum rei, quæ contigit,incessabiliter ostendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ, hos velut extra delictum constitutos, à communionis gratia non vetamus. Si verò prohibiti sunt ab aliquibus, propter ampliorem cautelam, vel propter quorundam ignorantiam, statim recipiantur. Hoc autem similiter & de Clericis, & de laicis

laicis cæteris observari conveniet. Perquisitum est autem & illud, si possunt etiam laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad Clericatus ordinem promoveri: placuit ergo & hos, tanquam qui nihil peccaverunt, si & præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officium provehi.

Cap. IV.

DE his, qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in idolio, quicunque eorum, cùm ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit, eos inter audientes uno anno constitui, succumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire.*

Quotquot autem ascenderunt templa veste lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere discubitus, si compleverunt pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio subjecti pœnitentiæ; tertio anno sine oblatione communicent, ut perfectionem quatriennio consequantur. Penes autem Episcopos erit potestas, modum conversationis eorum probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

** i. ad sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Sic Baronius ann. prædicto num. 87.*

Cap. V.

DE his, qui minis tantùm cessere pœnarum, aut privatione facultatum territi, aut demigratione, sacrificaverunt, & hactenus pœnitudinis negligentes, neque conversi, nunc hujus Concilii tempore semet obtulerunt, conversionis suæ consilia capientes: placuit usque ad magnum diem* eos inter audientes suscipi, & post magnum diem triennio pœnitentiam agere, & postmodum duobus diebus sine oblatione* communicare, & tunc demum sex annis completis, ad perfectionis gratiam pervenire. Si verò quidam ante hanc Synodum suscepti sunt ad pœnitentiam, ex illo tempore initium eis sexennii computetur. Si quod autem periculum, vel mortis expectatio, aut infirmitate, aut ex aliqua occasione contigerit, his sub definitione statuta communio non negetur.

** i. sanctū Pascha.*
** i. ad communicandū in orationibus publicis, non ad Sacramentū Corporis, & Sanguinis Christi participādum.*

Cap. VI.

DE his, qui festis diebus Gentilium, in remotis eorum locis convivia celebrarunt, cibosque proprios deferentes, ibidem comederunt: placuit, post pœnitentiam biennii eos suscipi: utrum verò cum oblatione, singuli Episcoporum, probantes vitam eorum, & singulos actus, examinent.

Cap. VII.

HI, qui secundò, & tertiò sacrificaverunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ subjiciantur: duobus autem aliis sine oblatione communicent, & septimo anno perfectè recipiantur.

Cap. VIII.

QUotquot autem non solùm ipsi deviarunt, sed etiam insurrexerunt, compulerunt fratres, & causas præbuerunt, ut cogerentur: hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud verò sexennium pœnitentiæ subjiciantur acriori, & alio anno communionem sine oblatione percipiant, ut perfectionem (expleto decennio) consequantur. Inter hæc autem & eorum vita pensanda est.

Cap. IX.

DIaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodùm uxores duxerint, in ministerio maneant, proptereà quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & posteà nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.

Cælibatus Diaconorum.

Is Canon abrogatus est per Canonem 6. Concilii VI. Generalis, ut ait Balsamon. Quare vera est communis Theologorum, & Canonici Juris Interpretum opinio, nulli post Diaconatum, aut subdiaconatum licere matrimonium contrahere: id non quidem Jure divino, sed Canonico prohibente.

Cap. X.

DEsponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit.

17. quæst. 2. Desponsatas puellas

Cap. XI.

EOs, qui ante Baptisma sacrificaverunt idolis, & postea Baptismum consecuti sunt, placuit ad Ordinem provehi, eo quod probentur abluti.

Cap. XII.

CHorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis, in unaquaque Parochia aliquid impetrare, nec sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere.

Nota. Hic Canon non leves patitur difficultates, mendosum esse suspicatur doctissimus Petavius, notis in Epiphanium ad hæresim 63. quæ est Arrianorum, & aliqua ex eo verba expungenda putat. In oppositum Doctor Hallier de sacris Ord. sect. 5. c. 2. art. 2. §. 2. Non facilè expungenda putaverim, quæcumque palato nostro non sapiunt, si antiquis monumentis exarata habeantur. Argumentum porro ex hoc Canone deducitur, Chorepiscopos nonnunquam Episcopali charactere insignitos fuisse, hic verò modum illis adhiberi, tàm in ordinatione, quàm in regimine, ut licentiam prius in scriptis habeant ab Episcopo loci. Quo posito cessat difficultas de versione horum verborum in *unaquaque Parochia*, pro quibus in Græco habetur ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ in Parochia aliena.

Chorepiscopi.

Cap. XIII.

HI, qui in Clero sunt Presbyteri, & Diaconi, & à carnibus abstinent, placuit, eas quidem contingere, & ita si voluerint, continere. Quod si in tantùm eas abominantur, ut nec olera, quæ cum eis coquuntur, existiment comedenda, tanquam non consentientes regulæ, ab Ordine cessare debebunt.

Cap. XIV.

DE his, quæ pertinent ad Ecclesiam, quæcumque, cùm non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, placuit, rescisso contractu, ad Jura Ecclesiastica revocari. In judicio autem erit Episcopi, si pretium debeat recipi, necne: quia plerumque rerum distractarum redditus ampliorem summam pro pretio dato reddiderit.

Cap. XV.

DE his, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, quotquot ante vigesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterint, & ita misericordiam consequantur. Quòd si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis Sacramenta percipiant. Quòd si qui & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

Hoc est, peccato bestialitatis cum bruto, aut cum homine.

Cap. XVI.

EOs, qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.

Nota. Versio Dionysii Exigui textui græco conformior habet, *jussit sancta Synodus inter hyemantes orare*, εἰς τοὺς χειμαζομένους. Erat hic primus gradus pœnitentiæ ejectorum ab Ecclesia, seu templo inter flentes, & la-

& lachrymantes, instar hyemis pluviosæ. Unde dicti sunt inter hyemantes, vel secundum alios, quod non sinerentur ingredi in portum salutis ad audiendas scripturas inter audientes, sicut tempestate jactati in hyeme à portus ingressu repelluntur: hi enim sub dio manebant extra vestibulum templi. Putat Gregorius Ambianas ad lib. Tertull. *de pudicitia*, sic abjectos ab Ecclesia numquam ad ulteriorem gradum pœnitentiæ admissos fuisse. Sed severitas ista nimia, quæ quibusdam ingeniis placet, non congruit Canoni 15. Interim adverte censeri, hìc de gravitate peccati juxta provectiorem ætatem, in qua magis temperati debent esse homines: magisque reos censeri, qui alios actu, vel scandalo ad peccatum induxerint, ut qui alios polluunt. Quare autem quidam homines ad hæc abominanda habeant inclinationem, tractat Tostatus Abulensis in c. 5. Matth. q. 211. & sequentibus. In quibusdam causa specialis est, quod habeant passiones ægritudinales, quæ simul sunt ægritudines, ut amentia, furor, mania, & similes, quæ privant ratione: & cum sola ratio illicitos motus cohibeat, fit in eis operatio totaliter inordinata propter defectum principii regulativi. In aliis causa est alteratio naturæ per morbum, quo cerebrum immutatur, & turbantur organa specierum: unde conceptiones per illas species fiunt multum differentes à veris, sic, ut appareant terribilia, quæ non sunt, & delectabilia quæ non sunt, alterata complexione naturali homini, & ad bestialem ferè assimilata, quo fit, ut bestialia, delectabilia videantur tali homini. In aliis est propter complexionem naturalem: sicut enim membra externa, quandoque malè proportionata sunt, idem est de complexione, ad quod quandoque cooperatur regio, aliquando error materiæ. In aliis verò id provenit ex prava consuetudine mollitiei, quæ non emendata ad alia peccata trahit hominem novitatis semper avidum. In aliis otiositas virtutum noverca, & mater omnium vitiorum: cum enim mens vacat à seriis cogitationibus, impuræ adveniunt. At ex cogitatibus, & apprehensionibus appetitus excitari solet. Vide ibidem.

Cap. XVII.

SI qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa Parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando, hos abjici placuit. Quod si voluerint in Presbyterii ordine, ubi priùs fuerant, ut Presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commovent ibidem constitutis Episcopis, Presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles.

Cap. XVIII.

QUotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur. Virgines autem, quæ conveniunt cum aliquibus tanquam sorores habitare prohibemus.

Cap. XIX.

SI cujus uxor adultera fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pęnitentia, oportet eum perfectionem cósequi secundum pristinos gradus.

Cap. XX.

DE mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant; vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus, secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

Cap. XXI.

QUi voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.

Cap. XXII.

DE homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit: secunda verò quinquennii tem- A pus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem pœnitentium possint & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.

Cap. XXIII.

QUi divinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.

Cap. XXIV.

QUidam sponsam habens, sororem ejus violavit, gravidam reddidit: post modum desponsatam sibi duxit uxorem: illa verò, quæ corrupta est, laqueo se peremit. Hi, qui fuerunt conscii, post decennem satisfactionem jussi sunt suscipi secundum gradus pœnitentiæ constitutos.

B UT Episcopi, eorumque ministri, omnibus viribus elaborare studeant, ut perniciosam, & à diabolo inventam sortilegam, & maleficam artem penitus ex Parochiis suis eradicent. 26 qu. 1. 3. & 4. potissimu q. 5. ubi e... pressè h... betur h... editum ... Tit. 3.

Etsi aliquem virum, aut fœminam, hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum, de Parochiis suis ejiciant. Ait enim Apostolus: Hæreticum hominem post secundam, & tertiam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est. Subversi sunt, & à diabolo capti tenentur, qui derelicto creatore suo, à diabolo suffragia quærunt. Et ideò à tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non est omittendum, quod quædam C sceleratæ mulieres, retrò post satanam conversæ, dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spacia intempestæ noctis spacio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in sua perfidia periissent, & non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deviat, & in errorem paganorum revolvitur, cum aliquid divinitatis, aut numinis extra unum Deum arbitratur. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas, po- D pulo omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnimodis esse falsa: & non à divino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipse satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cujusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species, atque similitudines, & mentem, quam captivam tenet in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per devia quæque ducit. Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire. Quis enim non in somnis, & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tàm stultus, & hebes est, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu E fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cum Ezechiel Propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore vidit? Et Joannes Apostolus Apocalypsis Sacramentum in Spiritu, non in corpore vidit, & audivit, sicut ipse dicit: Statim (inquit) fui in spiritu. Et Paulus non audet dicere se raptum in corpore. Omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit. Et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, idest, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliam creaturam in melius, aut in deterius mutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui

Maleficæ & sortilegæ mulieres.

2. Cor. 11.

Ezech. ... multis ... Apo. 1. c. ... Cor. 12.

Joan. 1.

qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul- A
dubio infidelis est, & pagano deterior.

Et subscripserunt Episcopi numero octodecim, qui in eodem Concilio convenerant.

Controversia de ultimo Canone.

DE illo Canone ultimo magna est controversia, sitne legitimus, an additititus. Ex hoc enim videtur inferri imaginarias esse translationes, aut transportationes virorum, ac mulierum ad conventus dæmonum, in quibus horrenda multa perpetrantur. Quæ fuit opinio Authoris Fortalitii fidei lib. 5. ubi de dæmonum bello agit, probatque ex hoc Canone fantasticas esse hujusmodi transportationes, corpore manente in eodem loco, aut in somniis contingere, nec facile aliter ista accidere credendum esse, cùm etiam dubitaverit Div. Paulus in corpore, an in spiritu raptus fuerit. Hocque B
Sabbatum dæmonum. fieri à dæmone volente imitari ea, quæ Deus verè facit per Angelos, sicut quando deduxit Abacuc Prophetam de Judæa in Babylonem. Atque plures alii idem sentiunt. De quibus fusè Delrio disquisit. Magic. lib 2. quæst. 16. ubi veras esse hujusmodi transportationes saltem aliquando contendit, simulque legitimum hunc esse Canonem Concilii Ancyrani, licèt hodie in exemplaribus Græcis, ac Latinis non extet. Reperitur enim in aliquibus antiquis collectionibus in Damasi vitis Pontificum (si tamen ipse est Author) in decretis Burchardi lib. 10. cap. 1. & Ivonis par. 11. cap. 30. & retentus fuit in decreto Gratiani jussu Gregorii XIII. correcto. Porrò in hoc Canone narrantur, quæ minimè perfici possunt à dæmone, ut alloqui Herculem, & Achillem, qui sunt in inferno, equitare cum Diana, quæ C
nulla est, &c. Alia verò, quæ perfici possunt à dæmone, ut translatio ad conventum dæmonum, non negat Canon posse contingere, sed tantùm voluit non semper reipsa contingere, αὐτοπροσώπως in persona propria, sed aliquando in imaginatione. Quia tamen in Canone illo est aliquid aliud damnandum, & verum, sicut bonum est ex integra causa, malum, & falsum ex quovis defectu, & sufficit ad alicujus opinionis damnationem partem aliquam fidei contrariam esse: ideò Synodus potuit damnare hæreseos, qui omnia in illo Canone contenta credunt, aut faciunt, licèt in eo sit aliquid verum.

Pœnitentiæ Canonicæ, & Sacramentales.

Alia controversia moveri potest circa pœnitentias injunctas in hac Synodo, an essent pro foro purè interiori, cùm pœnitentes Sacramentaliter se accusabant, D
an pro foro exteriori mixto, quod magis tunc erat in usu, cùm Episcopi quævis externa fidelium peccata graviora pœnis condignis mulctabant tùm ad Deo satisfaciendum, tùm ad deterrendos peccatores, tùm etiam ad exemplum. Illud autem posterius magis probandum videtur juxta ea, quæ diximus secunda parte Concilii Niceni in classe secunda, tùm etiam in tertia parte, *de examine pœnitentium*, quæsito octavo. Ubi multis conjecturis, ac etiam authoribus id firmatum à nobis est. Quia in antiqua Ecclesia præter absolutionem Sacramentalem à peccatis, alia in usu erat externa Canonica, & ceremonialis, quam condigna satisfactio juxta Canones debebat præcedere: quæ vix hodie exercetur, nisi circa Sacerdotes graviùs delinquentes, aut circa Religiosos. Porrò ex illa observatione E
duplicis absolutionis non modica lux affulget pluribus antiquis Conciliis. Quam observationem qui respuunt, multa confundunt in Sacramento Pœnitentiæ, armaque suppeditant hæreticis hodiernis ad impugnandum Sacramentum Pœnitentiæ, ac absolutionem, quæ sit prævia satisfactioni, satis non distinguentes externam pœnitentiæ disciplinam, quæ pro variis sæculis, variisque hominum statibus, diversis Canonibus à Pastoribus Ecclesiæ, Episcopis maximè administrata est absque præjudicio secretæ Confessionis, & absolutionis, quæ semper in Ecclesia retenta fuit, non obstantibus pœnitentiis istis Canonicis, quæ peccatis publicis, ac pœnitentiæ publicæ inserviebant.

CONCILIUM NEOCÆSARIENSE

Sub Sylvestro, anno Christi 314.

Cap. 1. *De Presbyteris, quod uxores ducere non debent.*

PResbyter si uxorem duxerit, ab Ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi. *Can. Neocæsariensis Concilii. Dist. 28. Presbyter.*

Cap. 2. *De muliere, quæ duobus fratribus nupserit.*

MUlier, si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis suis Sacramentis reconciliari oportet, ita tamen, ut si fortè sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur.

Cap. 3. *De multinubis.*

DE his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, quæ sæpiùs nubunt, tempus quidem pœnitentiæ his constitutum manifestum est; sed conservatio, & fides eorum tempus abbreviat. *31. q. 1. de his, qui frequenter.*

Cap 4. *De concupiscentia non consummata.*

SI quis concupita muliere, etiamsi concubitus ejus desiderium habeat, non autem subsequatur effectus; manifestum est, hunc fuisse per divinam Gratiam liberatum.

Cap. 5. *De Catechumenis peccantibus.*

CAtechumenus, id est audiens, qui ingreditur in Ecclesiam, & stat cum Catechumenis, si peccare fuerit visus, figens genua, audiat verbum, ut se abstineat ab illo peccato, quod fecit. Quod si in eo perdurat, abjici omninò debere.

Cap. 6. *De prægnantibus baptizandis.*

DE prægnantibus, quod oportet eas baptizari, quando volunt. Nihil enim in hoc Sacramento commune est pariturae, & illi, qui de ejus utero fuerit editus, quia uniuscujusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.

Cap. 7. *Presbyteros in secundis nuptiis non debere orare.*

PResbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, maximè cùm præcipiatur, secundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit Presbyter, qui propter conviviū illis consentiat nuptiis? *31. q. 1. de his, qui.*

HUnc Canonem nonnulli de iis, qui simul plures uxores habere volunt, explicant. Alii eundem intelligunt de iis, qui sæpius nuptias contrahunt successivè, eosque peccare ajunt, non quidem contrahendo, sed quod indebitam solemnitatem, & celebritatem suis nuptiis licitè contractis, adhiberi importunè solicitarint. Rectius vero dicitur, quòd sicut Laodicenum can. 1 Nicænum can. 8. secundas nuptias approbant, ipsis tamen contrahentibus per Laodiceni Concilii Canonem allegatum, propter emissum incontinentiæ signum certi temporis pœnitentiam injungunt, ita hoc Concilio à bigamis pœnitentiam requiri, non quod secundum matrimonium contrahendo peccent, sed quod suam ipsius incontinentiam manifestent, & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium, 1. Cor. cap. 7. instituta est licentia, usurpent. Ita Baronius anno 314. num. 91. Bellarminus lib. 1. de Sacram. matrim. cap. 9.

Cap. 8. *Uxoris adulteræ virum Clericum fieri non debere.* *34. d Si cujus uxorē.*

SI cujus uxorem adulterium commisisse, cùm esset laicus, fuerit comprobatum, is ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest. Quòd si in Clericatu jam constituto eo adulteravit, dato repudio, dimittere eam debet. Si verò retinere ejus consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.

Cap. 9. *De Presbyteris corporali peccato præoccupatis.*

QUi admiserit corporale peccatum, & hic postea Presbyter ordinatus est, si confessus fuerit, quòd *15. dist 8. Qui admisit.*

ante

ante ordinationem suam peccaverit, non quidem offerat, maneat tamen in aliis officiis propter ejus studii utilitatem. Nam cætera, censuerunt plurimi, etiam ordinatione tolli. Quòd si de his non fuerit confessus, nec ab aliquibus potest manifestè convinci, huic ipsi de se potestas est permittenda.

Cap. 10. *De Diaconis similiter.*

Ibidem. Similiter & Diaconus: si in eodem culpæ genere fuerit involutus, sese à ministerio cohibeat.

Cap. 11. *Quo tempore conveniat Presbyterum ordinare.*

d.78. Presbyter ante. Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ, sed observet usque ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & tunc prædicavit.

Cap. 12. *De his, qui in ægritudine Baptisma consequuntur.*

dist. 57. Si quis in ægritudine. Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

Nota irregularitatem quamdam pro Clinicis, *ut tales per ludibrium vocabat D. Cyprianus ep. 76. sicut vocabat* Peripateticos, *qui semicorpore baptizati fuerint.*

Cap. 13. *De Presbyteris alterius regionis.*

Presbyteri, qui corregionales sunt, in Ecclesia, præsentibus Episcopis, vel Presbyteris civitatis, offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Quòd si absentes sint civitatis Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationem, soli debebunt dare. Vicarii autem Episcoporum (quos Græci *Chorepiscopi.* Chorepiscopos vocant) constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta Seniorum, sed tanquam Consacerdotes propter solicitudinem, & studium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

Cap. 14. *De numero certo Diaconorum.*

d. 93. Diaconi septé Act. Diaconi septem esse debent secundum regulam, quamvis magna sit civitas. Regulæ autem auctoritas ista est. Quod & liber Actuum Apostolorum insinuat.

Concilium Romanum primum sub Sylvestro, anno 315. contra Judæos.

Invidia supra modum tabescebant Judæi contra Christianos, quos dolebant Christianum Imperatorem habere, cùm præsens Concilium celebratum est Romæ, Constantino, & Licinio quartum consulatum agentibus, anno nimirum Christi 315. qui est Sylvestri secundus, & Constantini Imperatoris decimus. Acta Sylvestri, & Lex 1. de Judæis, C. Theodos. his Consulibus consignata, testantur. In hoc Concilio in præsentia Constantini Imperatoris celeberrima illa disputatio inter Judæos, & Sylvestrum habita est, qua ad instantiam Imperatoris, ac matris illius Helenæ, utrimque viri doctissimi convenerunt eo fine, ut Scripturis simul, & miraculis singularum partium defensores suæ Religionis veritatem probarent, ac manifestarent. De cujus eventu Acta Sylvestri, quæ ab Adriano Romano Pontifice ad Carolum Magnum scribuntur, 3. epist. his verbis citata reperiuntur: *In ipsis exordiis* *Disputatio contra Judæos.* *Christianorum, cùm ad fidem converteretur Imperator Christianus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim Scribis, & Pharisæis, ac Magistris, & Principibus Judæorum in urbem Romam venit, & ipsa unà cum filio suo Constantino Augusto, Concilium Judæos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsides sanctus Sylvester Papa, cum plurimis sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tàm per sacram Scripturam, quàm per miracula, Domino protegente, victores effecti sunt.* Hæc ibi. Quæ victoria judicata est, & declarata per Cratonem Philosophum, & Zenophilum V. C. quos ad id delegerant. Attamen hac disputatione confusi Judæi non tantùm Christianis contumelias, & graves injurias inferebant, verùm & in ipsum etiam Imperatorem seditionem concitabant: unde Imperator ad injuriam à Christianorum capitibus propulsandam, allegata Lege *Lex contra Judæos.* adversus illos promulgata constituit, ut si cui suæ sectæ desertori Christiano lapidibus, aut alio immani supplicio molesti essent, statim flammis dederentur. Ut verò rebellionem, & seditionem eorum compesceret, seditiosos, auriculis eorum amputatis, corporique illorum signo impresso, velut mancipia fugitiva, & verberones, per omnia loca circumducebat. Chrysostomus Orat. adversus Judæos, Homil. 2. Baronius prædicto anno 315. numero 9. & 10. Convictiones contra Judæos vide suprà in classe 1. in Concilio sub Hærode habito tomo 1.

Concilium Alexandrinum primum sub Sylvestro, contra Arrium, anno Christi 315.

In hac Synodo diuturna, & multiplicia certamina contra teterrimam hæresim Arrianorum è throno majestatis Verbum divinum ejicere molientium initium sumpsere. Hanc celebratam fuisse anno Christi 315. Sylvestri Pontificis 2. Constantini Imperatoris 10. tradit Orosius lib. 7. cap. 28. dum ait, eo tempore Arrium suam hæresim in vulgus sparsisse, quo Crispus, & Constantinus Cæsares creati sunt, anno nimirum 315. Causam huic Concilio ab Alexandro Alexandrino Episcopo indicto, & Alexandriæ centum ferè Episcopis præsentibus celebrato, dedit Arrius ejusdem Ecclesiæ *Arrius.* Presbyter ambitiosus: qui, cùm hactenus, velut Proteus, modò Catholicis, modò schismaticis adhærescens, sub diversis formis latuisset, hoc demùm tempore virulentam impietatem, ac blasphemiam suam, quam hactenus in pectore occultam circumgestavit (hanc nimirum: Filium Dei non sine principio à Patre genitum, sed in tempore creatum esse) turpiter evomuit. Ad quam revocandam, dum illum Alexander Episcopus frequenter admonuisset; ille verò cum sociis impietatis duodecim, quos seduxerat, perseverans, hæresim suam pertinaciter defenderet: convocato centum ferè Episcoporum Concilio, perversi, atque hæretici dogmatis tenacissimus, condemnatur, à communione Catholica rejicitur, & Presbyteratus Ordine exuitur. Baronius anno 315. num. 19. & 318. num. 42.

Concilium Alexandrinum secundum, sub Sylvestro, præside Osio, anno 319.

Concilium hoc anno Domini 319. qui est Sylvestri 6. & Constantini Imp. 14. annus, Alexandriæ in Ægypto habitum est, cui omnes Episcopi, qui Alexandrino Primati parebant, unà cum Osio Cordubense Episcopo, qui Legationis Pontificiæ munere fungebatur, atque ideò huic Synodo præsidebat, interfuere. Ob quam causam Athanasius Apolog. 2. hanc Synodum Generale Concilium appellavit: quòd nimirum illi per Legatum Pontifex unà cum prædicto numero Episcoporum interfuerit. Hic verò incipit prima Osii præsidentia, quam plures aliæ consecutæ sunt. In qua enim Synodo ille non dux, & antesignanus fuit? quem non ille rectà tuendo in sententiam suam pertraxit? quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet; scribit de illo D. Athanasius in Apol. de fuga sua. Causa autem primaria hujus Concilii hæc fuit.

Cùm Sylvester Pontifex per Encyclicas ab Alexandro scriptas, Arrianorum turbas ibi excitatas cognovisset, Osium Cordubensem Episcopum, qui erat Constantino à consiliis, Legatum suum istuc ablegavit, qui sumptis à Constantino Imperatore litteris, quas illi communicavit, pacis, & concordiæ suasoriis, in Ægyptum veniens, ad Arrianorum motus componendos Synodum indicit, eorumque causam in judicium prædictorum Episcoporum deducit. Quid autem illo Concilio

lio actum sit, penuria Actorum, quæ interierunt, non constat. Auctore Athanasio Apolog. 2. & Socrate lib. 3.c 5. constat, quòd non modò Arrianorum, sed etiam Meletianorum, ac Colluthianorum schismaticorum causa, impiaque Sabellii de sacrosancta Trinitate dogmata, hoc Concilio cognita, & dijudicata fuerint. Dicebantur autem Meletiani, qui causam Meletii Episcopi Theopolis in Ægypto tuebantur, qui ordinationes Episcoporum ad jus Episcopi Alexandrini pertinentes sibi arrogabat: sicut & Colluthiani dicebantur, qui causam Colluthi presbyteri Alexandrini defendebant, qui, cùm non esset Episcopus, Presbyteros ordinabat, inter quos Ischyras ab ipso malè ordinatus ad statum laicalem reductus est. Quamvis & ipsius Colluthi, alius feratur error, quod Deus non esset author malorum pœnæ. Ita imperitus erat, ut malum culpæ cum malo pœnæ confunderet. Sabellius homo Lybicus, Noeti discipulus, errore opposito contra errorem Arrii, dicebat in divinis unicam esse personam, diversis nominibus nominatam: proinde patrem etiam passum fuisse, unde ejus sectarii dicti sunt Patropassiani apud D. Augustinum in libro de hæresibus, & Eusebium Cæsariensem Eccles. hist. lib 10. cap. 29. qui ait inde profectam hanc hæresim, quod nesciret distinguere inter substantiam, & subsistentiam.

Concilium Laodicenum sub Sylvestro pro reparanda disciplina, anno 320.

CONcilium hoc antiqua nobilitate celeberrimum, Græcorum, atque Latinorum scriptis celebri memoria commendatum fuit. In quo ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restaurandam, auctore Nunechio Phrygiæ Metropolitano, congregati fuerunt 32. Episcopi, & hos quinquaginta novem Canones ad mores singulorum fidelium reformandos ediderunt, ut constat apud Gratianum can. 11. dist. 16.

Quòd verò hoc Concilium in Syria sub Theodoto, vel Theodosio Episcopo celebratum fuisse scribitur, planè falsum est, quia Laodiceæ in Phrygia Pacatiana celebratum est, ut constat ex ipsius Synodi titulo, qui disertis verbis sic habet: *Sancta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ convenit ex diversis regionibus Asiæ.* Et prætereà Theodotus, sive Theodosius, qui fuit Episcopus Laodiceæ Syriæ, ut testatur Eusebius lib. 7. cap. ult. fuit successor Stephani, & habetur tertio loco subscriptus inter eos Episcopos, qui ex Cœlesyria Magno Nicæno Concilio interfuerunt, & subscripserunt. Unde convincitur, verum esse non posse, Synodum hanc in Phrygia celebratam, illius auctoritate indictam convocatam fuisse: sed potiùs ex errore accidisse, ut cui verè Nunechius Laodicensis Episcopus, ac Metropolitanus præsedit, Theodotus Laodiceæ in Syria Episcopus præsedisse dicatur: propterea nimirum, quòd Theodoti celebrius nomen esset, quàm Nunechii. Vide Baron. in Append. 4. tom.

Error Su... næ Carranzæ, & Anselm. apud Grat. c. 11. dist. 11.

Prætereà falsum est id, quod etiam asseritur, Synodum hanc celebratam esse circa annum Domini 364. sub Papæ Liberii finalibus annis; nam fuit celebrata medio tempore inter Neocæsareensem, & Nicænam Synodum Universalem, quando Sylvester Pontificatum Ecclesiæ Catholicæ administrabat, sub præsidio Nunechii Metropolitani. Hoc autem sic probatur: Primò, Laodiceno Concilio Canon primus, quo bigamis pœnitentia aliqua injungitur, implicitè allegatur, quem Neocæsareense Concilium tertio loco, & ordine editum constituit: proinde hanc Synodum ante Ancyranam, & Neocæsareensem habitam fuisse dici non debet. Secundò, liber Judith auctoritate hujus Provincialis Concilii inter Canonicos non numeratur, quem, teste S. Hieron. epist. 3. Patres Nicæni Concilii velut sacrosanctum, in Canonem Scripturæ receperunt. Oporter igitur concedere, Laodicense hoc Concilium ante Nicænum celebratam fuisse: vel saltem (quod dictu inconvenientius est) Catholicæ Ecclesiæ

...s Summæ Carranzæ.

...epus hu...s Concil.

...iber Judith.

A Episcopos ea, quæ de Canonicis libris in magno Oecumenico Concilio magna consideratione decreta erant, convellere, & retractare ausos fuisse. Tertiò, quòd quinque Canonibus Nicæni Concilii hisce 2. 4. 14. 18. & 19. constitutum est, hoc idem à Patribus Laodicenæ Synodi 3. 5. & 8. sine ulla commemoratione, & allegatione primum Constitutionum decretum esse constat. Quorum sanè Episcopi in hac Synodo Laodiceæ jure, meritoque magna cum reverentia meminissent, sicut & Neocæsareensis, bigamis pœnitentiam Canone desuper edito imponentis, honorificam in principio primi Canonis Laodiceni mentionem fecerunt. Itaque hanc Synodum medio illo tempore, quod est inter Neocæsareense, & Nicænum Concilium, celebratam fuisse, certum est; quo autem anno, incertum. Quòd
B apud Gratianum prædicto can. 11. Sexta numeretur post Nicænam, &c. erroneum est. Vide, quæ habet Severinus Binius hìc. Non moror quosdam recentiores, qui ista volunt evertere; sed nonnisi levibus argumẽtis.

Sequuntur Canones Concilii Laodiceni, juxta editionem Dionysii Exigui.

SAncta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ convenit ex diversis regionibus Asiæ, definitiones exposuit Ecclesiasticas, quæ subter annexæ sunt.

Cap. I. *De bigamis.*

DE his, qui secundum Ecclesiasticam regulam liberè, ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt,
C nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut, parvo tempore transacto, vacent orationibus, & jejuniis, quibus etiam, juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus.

Corrigitur error quorumdam, qui ex zelo præpostero bigamis communionem negabant. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 8.

Cap. 2. *De his, qui pro diversis erratis pœnitudinem ferventiùs exegerunt.*

DE his, qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione confessionis, & pœnitentiæ, conversionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.

Cap. 3 *Quod non oporteat ad Clerum statim post Baptisma promoveri.*

D DE his, qui nuper sunt illuminati Baptismate, quod eos in Sacerdotali non conveniat ordine promoveri.

Cap. 4. *De tempore Ordinationum.*

QUod non oporteat Ordinationes sub conspectu audientium celebrari.

Nota, quod alia editio habet: Non licere manus impositionem super ordinandos, præsentibus catechumenis, fieri.

Cap. 5. *Ut hi, qui sacrario serviunt, usuras non exigant.*

QUod non oporteat Sacerdotes, & Clericos fœnerantes usuras, vel quæ dicuntur sexcupla, id est, summam capitis, & dimidium summæ percipere. *d. 46 Non licet fener.*

Cap. 6. *De hæreticis intrantibus in Ecclesias, vel Basilicas Martyrum*

E QUod hæretici non permittendi sint ingredi in domum Domini, in hæresi permanentes.

Cap. 7. *De his, qui ad Ecclesias ab hæreticis veniunt.*

DE his, qui ab hæreticis convertuntur, idest Novatianis (*quidam addunt, aut Photinianis*) aut Thessaradecatitis, sive baptizati sint illi, seu Catechumeni, non ante suscipiantur, quàm omnes hæreses anathematizent, & præcipuè illam, qua detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos detinebantur fideles, nostræ doceantur Fidei Symbolum: & uncti sancto Chrismate, sic mysteriis communicent sacrosanctis.

Cir-

Circa initium, & finem hujus canonis controversia est. Cabassutius, ut Baronium impugnet circa tempus hujus Concilii, præfert versionem primam Dionysii Exigui, quæ Photinianos exprimit, alteri versioni Isidori Mercatoris, quam multis scatere mendis nemo græcè doctus ignorat, inquit. Sic controversiarum nullus finis.

Verùm, quia auctoritate Concilii Arelatensis II. c. 16. decretum est, Baptismum Photinianorum, quod Filium Dei dumtaxat hominem fuisse assererent, nullum esse, veriorem, & magis germanam editionem putamus illam, à qua prædicta verba, aut Photinianis, absunt. Accedit, quòd Theodoretus lib. 2. Hæret. fabul. affirmat, Photinum cum Paulo Samosateno de SS. Trinitate eadem docuisse. Sicut igitur ex Decreto Concilii Nicæni can. 19. statutum est, ut Paulianistæ ad Ecclesiam venientes baptizentur; & de Photinianis servatum oportuit esse. Et, licèt S. Hieronymi contra Lucifer. aliorumque auctoritate constet, Arrianorum Baptismum Ecclesiam Catholicam recipere consuevisse; Baptismus tamen Photinianorum nunquam ab ea receptus fuit. Vide Baronium in append. 4. tomi.

Confirmatio an iterata? Circa finem Canonis, ubi de Chrismate non levior est difficultas, circa quam Bruno Signiensis Episcopus in responsione ad eam quæstionem, *cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ status?* probare nititur ex ultimis verbis hujus canonis, reiteratum fuisse Sacramentum confirmationis circa revertentes ab hæresi ad Ecclesiam, nec aliter reconciliatos fuisse, ad quod inducit aliud decretum Concilii Rom. 277. Episcoporum, quo idem servatur. Item decretum Siricii Papæ, quo declaratur totum orientem, & occidentem idem custodire, &c. Alii distinguunt, si confirmatio collata fuerit ab hæretico Episcopo, non à catholico Episcopo; iterari non poterit; atque per hanc distinctionem Morinus solvit objectionem ex Concilio Tridentino factam de impresso charactere in tribus sacramentis. Ita ille de pœnit. lib. 9. cap. 11. Eadem est sententia Joannis Maldonati in tract. de sacramentis. Sed Algambius in Bibliotheca negat istud opus esse Maldonati, ac ullius è Societate Jesu. Plura de ista quæstione, quæ factum respicit, subministrat Christianus Lupus ad 8. Synod. ut certum afferat, istud à catholica Ecclesia, & Rom. semper alienissimum fuisse. Canon ergo de alio chrismate, aut de nondum confirmatis est.

Cap. 8. *De his, qui veniunt ab hæresi Cataphrygarum.*

DE his, qui convertuntur ab hæresi, quæ dicitur Cataphrygarum, etsi in Clero, qui apud eos esse creditur, fuerint, & si maximi nominentur; hos sub omni diligentia ab Episcopis Ecclesiæ, vel Presbyteris instrui, & baptizari conveniet.

Cataphrygarum Baptismum iterari jubetur, quia non ea forma, qua Ecclesia utitur, collatus fuerit.

Cap. 9. *De his, qui ad Ecclesias ab hæreticis veniunt.*

QUod non permittantur Ecclesiastici ad hæreticorum cœmeteria, vel ad ea, quæ ab eis Martyria appellantur, orationis causa, vel sanitatis accedere: sed hujusmodi, si fideles fuerint, certo tempore communione privari; pœnitentes autem, & confitentes se deliquisse, convenit suscipi.

Cap. 10. *De his, qui cum hæreticis nuptiarum copula junguntur.*

D. 32. Mulieres, quæ. QUod non oporteat indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque conjungere.

Cap. 11. *Non congruere, Presbyteras in mulieribus ordinari.*

QUod non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præsidentes, Ecclesiis ordinari.

Presbyteræ hoc loco appellantur viduæ seniores, ut posterior editio declarat. Frequentissimè tamen Presbyteræ in Conciliis nominantur mulieres cælibem vitam agentes illæ, quarum viri Presbyteratus Ordine initiati vel erant, vel fuerant. Ita intelligendus est Canon 21. Concilii Autisiodorensis, quo inhibetur, ne Presbytera cum suo Presbytero dormiat. Ita etiam Diaconissarum, & Episcoparum mentio satis frequens apud scriptores reperitur, eadem ferè significatione. Vide Baronium anno 34. num. 288.

Cap. 12. *De Episcopalibus Ordinationibus.*

UT Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcircà sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem, hi videlicet, qui plurimo tempore probantur tàm verbo fidei, quàm rectæ consolationis exemplo. *D. 61. Episcopum oportet.*

Cap. 13. *Judicio multitudinis Ordinationes fieri non debere.*

QUod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi. *dist. 63. est permittendum.*

Cap. 14. *Ad alias Parochias Eulogias, quæ oblatæ sunt, minimè destinandas.*

QUod sancta nullo modo, causa eulogiarum tempore Paschalis festi, ad alias Parochias debeant destinari.

Cap. 15. *De his, qui debeant in ambone, idest, in pulpito psallere.*

QUod non oporteat ampliùs, præter eos, qui regulariter Cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.

Cap. 16. *De lectoribus, qui debeant Sabbatis recenseri.*

QUod in Sabbatis Euangelia cum aliis Scripturis legi conveniat.

Cap. 17. *Quod interstitium psalmorum debeat in Sabbatis fieri.*

QUod in conventu fidelium nequaquam Psalmos continuare conveniat, sed per intervallum, idest, per Psalmos singulos recenseri debeant Lectiones.

Alia editio habet, in Processionibus. Et sic hoc Canone docemur, his, & anterioribus temporibus fideles aliquando procedentes, publico conventu preces suas ad Deum fundere consuevisse, quod etiamnum Ecclesia rectè facit. De horum ritu precandi, & de processionibus est intelligendum illud Tertulliani ad uxorem lib. 2. cap. 4. Si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio adveniat. *Has, quòd expiationis causa publicè indicantur, Litanias nominatas fuisse, multa exempla habemus. Tempore Gregorii Thaumaturgi Neocæsareæ habitas esse, testatur Basilius epist. 63. De his, aliisque precandi ritibus plura vide apud Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum, item in Annalibus anno Christi 58 num. 108.* *Alia editio habet Processionibus.*

Cap. 18. *De precibus nona, & vespera celebrandis.*

QUod idipsum officium precum, & nona, & vespera semper debeat exhiberi.

Cap. 19. *De precibus post Homilias proferendis; & de his, quos intra Sacrarium communicare conveniat.*

QUod oporteat seorsum primum post allocutiones Episcoporum, orationes super Catechumenos celebrari. Et postquam Catechumeni egressi fuerint, super eos, qui sunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & discedentibus, tres orationes consummari fidelium, ita ut prima quidem sub silentio, secunda verò, & tertia per exclamationes solitas expleantur, & ita demum pacem sibi invicem dabunt. Et posteaquam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent, & ita sancta celebrabitur oblatio. Solis autem ministerio sacro deditis, ad altare ingredi, & communicare ibidem liceat.

Hoc Canone confirmantur ea, quæ suprà in Annotationibus ad Concilium Ancyranum diximus can. 4. sequi nimirum, quod pœnitentium alii instar catechumenorum à communione orationum simul, & Sacramentorum, alii tan-

tantùm à sola Corporis, & Sanguinis participatione prohibiti fuerint, donec injunctum pœnitentiæ tempus complessent. Binius. A

Cap.20. *De honore, quem Presbyteris Diaconi, & Diaconis hi, qui sunt ipsis inferiores, debeant exhibere.*

d. 93. Non oportet, & in Conc. Agat.c.66. QUod non oporteat Diaconum coram Presbytero sedere, sed jussione Presbyteri sedeat. Similiter autem & Diaconis honor habeatur ab obsequentibus, idest, à Subdiaconis, & omnibus Clericis.

Cap.21. *Quòd Subdiaconi à Diaconio, idest à Secretario, vel Sacrario sint remoti.*

d. 13. Non oportet. QUod non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconio, & Dominica vasa contingere.

Cap.22. *Subdiaconos cum Orariis assistere non debere.* B

d.23. Ministrum non oportet. QUod non oporteat Subdiaconum uti orario, nec ostia relinquere.

Orarium idem est in antiquis Patribus, quod Stola, quæ est vestis sacra, longa, non lata, cujus usus Sacerdotibus, ac Diaconis concessus, Subdiaconis interdictus est. Significat autem mysticè jugum Christi, & hac significatione sumitur vox ista in Concilio Bracarensi I. c. 27. ubi Diaconi præcipiuntur ferre Orarium super scapulas. Unde aliqui putant, esse dictum Orarium, quod Oratoribus, seu Prædicatoribus Evangelii concedatur. Aliquando verò vox Orarium accipitur pro Sacerdotali veste honesta, & talari: sic in Concilio Moguntino sub Carolo, cap.27. Vide Suarem tom. 3. disp.82. sect.2.

Cap.23. *Lectores, Cantoresque cum Orariis agere suum officium non debere.* C

d.44. Non oportet. QUod non oporteat Lectores, aut Cantores orariis uti, & ita legere, vel psallere.

Cap.24. *Ecclesiastici in tabernis comedere non debent.*

QUod non oporteat sacro ministerio deditos, à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum Ordinem, idest, usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium, & Monachorum ingredi tabernas.

Cap.25. *Subdiaconi non debent benedicere, vel benedictionem tribuere.*

d.93. Non oportet. QUod non oporteat Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.

Cap.26. *Qui ab Episcopo ordinati non sunt, exorcizare non possunt.* D

d. 69. Non oportet. QUod hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tàm in Ecclesiis, quàm in domibus exorcizare non possint.

Cap.27. *De conviviis, quæ ex Agape fiunt, escarum partes accipi non debeant.*

QUod non oporteat sacro ministerio deditos Clericos, ad laicos ad Agapen vocatos, ciborum partes accipere, propterea quòd hinc Ecclesiastico ordini fit injuria.

Agape. *Agape est convivium publicum, quod olim in Ecclesia in sanctorum Martyrum natalitiis celebrari consuevit: ut patet ex Gregorio lib. 1. ep. 14. ubi dedicaturus Oratorium B. Mariæ, pro Agape parari mandat. Quæ omnia in sequenti Canone temperata sunt. Et ideò rectè Concilii Carthaginensis tertii, can 10. eadem circumstantia loci interdicta est. Baronius anno 57. n. 1. 7. & seq.* E

Cap.28. *In Ecclesiis prandia fieri non debent.*

d. 42. Non oportet in Basilicis. QUod non oporteat in domiciliis divinis, idest, in Ecclesiis, convivia, quæ vocantur Agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.

Cap.29. *Christianis Sabbatizare, vel Judaizare non licet.*

QUod non oporteat Christianos judaizare, & otiari in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint à Christo.

Cap. 30. *De viris cum mulieribus lavacra celebrantibus.*

QUod non oporteat sacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem laicum Christianum, lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud Gentes reprehensio prima est. d.81. Non oportet ministros.

Cap. 31. *Catholicis cum hæreticis fœdera jungere non licet.*

QUod non oporteat cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare, vel filias, sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri promittant. 1.q.1. Non oportet.

Cap. 32. *Ab Hæreticis Eulogias accipere non debere.*

QUod non oportet ab hæreticis eulogias accipere, quia sunt maledictiones potiùs, quàm benedictiones.

Cap. 33. *Cum Hæreticis, & Schismaticis non orandum.*

QUod non oporteat cum hæreticis, aut schismaticis pariter orare.

Cap.34. *De martyribus Hæreticorum.*

QUod omnem Christianum non oporteat deserere Martyrem Christi, & ire ad pseudomartyres, idest, hæreticorum, & quos ipsos constet hæreticos extitisse. Hi namque sunt alienati à Deo. Sint igitur anathema, qui ad tales accesserint.

Cap.35. *De his, qui Angelos colunt.*

QUod non oporteat Ecclesiam Dei relinquere, & abire, atque Angelos * nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia dereliquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, & se idololatriæ tradidit. * angulos.

Ut Canone 34. veri Martyris cultus Religiosus recipitur, falsorum verò martyrum superstitiosa veneratio prohibetur: dum ergo sequente Canone subjungitur decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens, expressè patet, sacrosanctam Synodum voluisse, ut veri Angeli, qui æternam salutem adepti sunt, sicut veri Martyres colantur: falsorum autem Angelorum, sicut pseudomartyrum, cultus, ac veneratio sub pœna anathematis evitetur. Angeli enim naturæ, & gratiæ donis omnes ferè Sanctos excellunt. Quis ergo credat, Patres hujus Synodi, Martyribus ob sanctitatem, qua donati sunt, cultum, ac venerationem adjudicasse, Angelicæ autem creaturæ excellentiori, & sanctiori omnem honorem, ac piam observantiam ademisse? Falsos autem Angelos, quos Gentiles, & Magi religiosè colebant, Genios fuisse, ait Baronius, quorum gratia ipsi, ut ex Censor. de die Natali, & Macrobio in Saturnalibus constat, diem natalitium celebrantes, affines, & amicos suos convocabant, & quod ait Canon, ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes faciebant. Quamquam probabilius esse judicet, per falsos Angelos intelligi debere dæmones, quos, cùm illi ad magias suas perficiendas occultè invocarent, à Patribus hujus Concilii idololatræ nominati sunt: cùm verò ad imposturas suas honesto nomine velandas profiterentur se Angelos invocare, ut ait Tertullianus in Apolog. cap. 23. idololatræ occulti appellantur, quod nimirum idololatriam honestissimo nomine Angelorum velatam, & occultatam committerent. Vide Baronium anno Christi nati 60. num. 20. & seqq. Aliqui verò Codices habent, ad angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere. *Et tunc littera Canonis nullam haberet difficultatem.* Genii.

Cap.36. *De his, qui incantationibus utuntur.*

QUod non oportet ministros Altaris, aut Clericos, magos, & incantatores esse, aut facere, quæ dicuntur phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus rebus utuntur, projici ab Ecclesia jussimus. 16. q. 5. Nō oportet.

Cap.

Cap.37. *De his, qui ab hæreticis dona feriatica suscipiunt.*

QUod non oporteat à Judæis, vel hæreticis feriatica, quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere feriatos.

Cap.38. *De Christianis, qui Judæorum azyma comedunt.*

NOn oportet à Judæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.

Cap.39. *Non licere cum Paganis festa celebrare.*

NOn oportet cum Paganis festa celebrare, & impietatis eorum habere societatem.

Cap.40. *Episcopos ad Synodum vocatos non debere contemnere.*

d.18. Non oportet. B NOn oportet vocatos Episcopos ad Synodum contemnere, sed abire debere, & aut docere, aut doceri, quæ sunt ad Ecclesiæ, cæterorumque correctionem utilia. Quòd si contempserit, seipsum videbitur accusasse, nisi fortè per infirmitatem ire non possit.

Cap.41. *Non debere Clericum sine epistolis peregrinari.*

De consecr. dist.5. Non oportet. NOn oportet ministrum Altaris, vel etiam laicum, sine Canonicis litteris, idest Formata, alicubi proficisci.

Cap.42. *Nullum Clericum debere sine Episcopi sui jussione peregrinari.*

NOn oportet ministrum Altaris, vel quemlibet Clericum præter jussionem Episcopi ad peregrinandum proficisci.

Cap.43. *Ut Subdiaconi ad ostia perseverent.*

C NOn oportet ministros, id est ostiarios, vel brevi tempore ab ostiis deesse, & orationi vacare.

Cap.44. *Ut ad Sacrarium mulieres non introeant.*

NOn oportet mulieres ingredi ad Altare.

Cap.45. *De his, qui circa mediam septimanam ad Baptisma veniunt.*

NOn oportet post duas hebdomadas Quadragesimæ quemquam ad Baptismum suscipi.

Cap.46. *De redditione fidei baptizandorum.*

De consecr. dist.4. Baptizandos. BAptizandos oportet fidei Symbolum dicere, & quinta Feria ultimæ septimanæ, vel Episcopo, vel Presbyteris reddere.

Cap.47. *De his, qui in ægritudine baptizantur.*

D QUi in ægritudine constituti Baptismum perceperunt, facti sani, fidei Symbolum doceantur, ut noverint, qua donatione digni sunt habiti.

Cap.48. *Ut post Baptisma Chrisma detur.*

OPortet baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri.

Cap.49. *Oblationes offerri in Quadragesima non oportere.*

NOn oportet in Quadragesima panem offerri, nisi Sabbato, & Dominica tantùm.

Cap.50. *Non licere quinta Feria Septimanæ majoris jejunium solvi.*

De consecr. dist.3 Non oportet. E NOn oportet in Quadragesimæ quinta Feria ultimæ Hebdomadæ jejunium dissolvi, & totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies jejunare, & escis abstinentiæ convenientibus, idest, aridioribus uti.

Cap.51. *Non debere in diebus jejuniorum commemorationes Martyrum fieri.*

33. quest.4. Non licet. NOn oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato, ac Dominica tantùm memoriam fieri.

Cap.52. *Non licere nuptias fieri in Quadragesima.*

NOn oportet in Quadragesima aut nuptias, vel quælibet natalitia celebrare.

A Cap.53. *Ut in Christianorum non saltetur nuptiis.*

NOn oportet Christianos ad nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed castè cœnare, vel prandere, sicut competit Christianis.

Cap.54. *Non licere Clericis spectaculis interesse.*

NOn oportet ministros Altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, interesse, sed antequam Thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio, & abire debere. *De consec. dist.3. No[n] oportet. Qui exhi[bent] scu[...] rilia.*

Cap.55. *Non congruere Christianis comessationibus interesse*

NOn oportet ministros Altaris, vel quoslibet Clericos, vel etiam laicos Christianos, ex Symbolis (quæ vulgus Comissalia appellat) convivia celebrare. *dist.44. N[on] oportet.*

Cap.56. *Non licere Presbyteris ante ingressum Episcopi introire ad Altare.*

NOn oportet Presbyteros ante ingressum Episcopi ingredi Ecclesiam, & sedere in Tribunalibus, sed cum Episcopo ingredi, nisi fortè aut ægrotet Episcopus, aut in peregrinationis commodo eum abesse constiterit. *dist.95. N[on] oportet.*

Cap.57. *Qui in agris, vel possessionibus debeant ordinari.*

NOn debere in villis, & vicis Episcopos ordinari, sed Visitatores, idest, qui circumeant, constitui. His autem, qui ante hoc ordinati sunt, nihil agere censemus sine conscientia Episcopi civitatis. Similiter etiam Presbyteri nihil sine præcepto, & consilio Episcopi agant. *dist.80. N[on] debere.*

Cap.58. *Oblationes offerri in domibus non oportere.*

NOn oportet in domibus oblationes ab Episcopis sine Presbyteris fieri.

Cap.59. *Quæ psallere, vel legere in Ecclesia conveniat.*

NOn oportet ab idiotis Psalmos compositos, & vulgares in Ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra Canonem, legere, nisi solos Canonicos novi, & veteris Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in authoritatem recipi, hæc sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri 4. Paralipomenon, libri 2. Esdræ, liber Psalmorum numero 150. Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Job, Esther, duodecim Prophetarum libri, idest, Osee, & Amos, Joel, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel. Novi Testamenti Euangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Lucam, secundum Marcum, secundum Joannem, Actus Apostolorum, canonicæ Epistolæ septem, Jacobi una, Petri duæ, Joannis tres, Judæ una; Epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una. *Catalogus librorum scripturæ.*

Nota. *In omni professione litteraria certi sunt authorum libri conducentes ad illius professionis studium, & ad summos illius professionis principes, ac magistros pertinet decernere quinam libri sint utiles, ac necessarii ad illius litterariæ professionis studiosos, ac alumnos. Haud aliter fidem Christianam profitentes, libros habent sacros suæ professioni congruentes, quos determinare ad Ecclesiam pertinet. Hæc autem Synodus eos tantùm libros enumerat, de quibus non erat controversia, alios porrò, qui dubii erant, tacendo non rejicit.*

CON-

Concilium Romanum II. sub Sylvestro anno 324. Canon, vel constitutio Sylvestri Episcopi Urbis Romæ, & Domini Constantini Augusti, qualiter Ecclesiastici gradus custodiantur, vel Religio.

ACTIO PRIMA.

EO tempore, cùm multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus esset à Sylvestro Episcopo urbis Romæ, & emundatus fuisset à lepra, pro hoc beneficio, quod accepit à Domino nostro Jesu Christo per Sylvestrum Episcopum, cœpit integrè prædicare Dominum Jesum Christum, & confiteri ejus beneficia. Sylvester igitur Episcopus urbis Romæ congregavit fratres, compresbyteros, & coepiscopos, & Diaconos suos, & cives Romanos: & quem mater Ecclesia genuerat Filium charissimum Constantinum. Integrè igitur Sylvester Episcopus urbis Romę cum suis eam ordinare desideravit, & filios ejus frequenter lactare, & gradus ejus, ordinesque, & consuetudines constituere, & honorare legibus canonicis Ecclesiæ statum cupit, atque hunc canonem modò subter annexum constituit. Collegit autem universam Synodum Episcoporum cum Consilio Augusti, & matris ejus, & fecit parari in urbe Romæ, intra thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio sedis suæ ducentos octoginta quatuor, quibus Augustus Constantinus vehicula, & annonas omni loco præstari præcepit. Et alios quinquaginta septem Episcopos partis Rinocoruræ, quorum chyrographus in eorum concilio declaratur, & centum quadraginta duos Presbyteros urbis Romæ, & Diaconos sex, & Subdiaconos sex, acolythos ejus concilio factos quadraginta quoque, exorcistas viginti duos, lectores urbis Romæ nonaginta, qui omnes præsentes aderant. Notarios Ecclesiæ quatuordecim, qui gesta diversorum Martyrum suscipientes, ordinatè narrabant. Has omnes etiam dum in uno articulo ad examen sanctitatis ejus colligeret in thermas supradictas, voluit, ut nemo laicorum præsens videretur.

Prima hujus Synodi exemplaria depravata sunt.

Hìc interseruntur Episcopi tàm ex urbe Roma, & circumjacenti regione, quàm ex Græcia.

Dum hi omnes venissent in Synodum, similiter & alii, quorum chyrographus cucurrit, & opinio sanctitatis, sederunt in eodem specu thermarum supradictarum. Presbyteri autem Romani omnes, & Diaconi, clerusque, & gradus sequentes, à tergo Episcoporum steterunt. Nemo enim sedit in eodem loco, nisi tantum Episcopi, & Sylvester Episcopus, & Pontifex urbis Romæ. Erat enim ibi & Calphurnius, qui primò gentilis, & præfectus urbis, postea Christianus effectus est. Dicit autem Sylvester Episcopus urbis Romæ rationem hanc. Audite me, fratres, & coepiscopi, & universus ordo Ecclesiæ Romanæ, quoniam bonum est, ut fixas contignationes habeat Ecclesia, ut regia Ecclesia non vacillet, sed sit firma, & claudat ostium propter persecutorem, & habeat firmum murum, unde expugnet adversarios.

2. Cognitos loquor, improbum Hippolitum, & Callistum, qui pro arbitrio suo fecerunt creatorem Christum creaturam: & Victorinum, qui in sua extollentia dicebat, Pascha non venire die suo, nec mense, sed decimo Kalendas * Maji custodiri. Ego enim (sicut lex commemorata) in vestro judicio meum commendo sermonem, ut introducantur hi tres. Et primò quidem arbitror Callistum damnari, ut nostro sermone corroboraretur examen, quia sequutus est ita dogma Sabellianum, ut arbitrio suo præsumat, unam esse personam Trinitatis. Non enim coæquat Patri Filium, & Spiritum sanctum. Victorinum quoque præcipuum Pictaviensis regionis antistitem, qui in sua ferocitate, quicquid vellet, affirmabat hominibus, & cyclos Paschæ pronunciabat fallaces, ut & hoc, quod constituit decimo Kalendas Maji custodiri, vestro sermone (sicut veritas habet) cassetur, & vestro judicio condemnetur, & filiorum nostrorum Augustorum præcurrat authoritas ad condemnandum Victorinum Episcopum. Et introierunt omnes, ut suo sermone damnarentur in judicio. Damnaverunt autem Hippolytum, Diaconum Valentinianistam: & Callistum, qui in sua extollentia separabat Trinitatem, & Victorinum Episcopum, qui ignorans lunæ rationem, sub arbitrii sui tenacitate disrumpebat veritatem. Et in præsentia Episcoporum supradictorum, & Presbyterorum, clericorumque diversorum graduum, damnavit & Sylvester Episcopus Hippolytum, Victorinum, & Callistum. Et dedit eis anathema, & damnavit eos extra urbes suas.

** al. Aprilis.*

3. Posteà autem fecit hos gradus in gremio Synodi, ut non Presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non acolythus adversus Subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus testibus: neque præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum*. Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur, Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in triginta sex non condemnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testibus. Testes autem, & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores, & filios habentes, & omnino Christum prædicantes, sicut dat mystica veritas.

4. Commoneo autem vobis omnibus, mihi consortibus monimentum hoc, ut de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant: quarum una cedat Pontifici ad sui sustentationem: alia Presbyteris, & Diaconis, & omni clero: tertia templorum, & Ecclesiarum reparationi: quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis. Constituit & hunc ordinem, ut si quis de clero, vel Presbyteris universi loci transierit (quod commune est) de hoc mundo, si neminem de suo genere habuerit consortem, quicquid paupertas ejus haberet, conferret Ecclesiæ, & exinde quatuor partes fierent, sicut suprà dictum est.

Divisio bonorum Ecclesię.

5. Constituit etiam clara voce idem Sylvester Episcopus urbis Romæ, ut nemo Presbyterorum chrisma confirmaret, dicens. Quoniam Christus à chrismate vocatur.

6. Et ut Diaconi non essent plures per Parochiarum examen, nisi duo, & Cardinales urbis Romæ septem: ita tamen, ut dalmaticis uterentur, & palla linostima læva eorum tegeretur.

Prima mentio Cardinalium.

Romana urbs in quatuordecim regiones divisa erat, quæ Parochiæ dictæ sunt, in unaquaque erant duo Diaconi, qui necessitates pauperum examinarent simul, & iis providerent. Unde Diaconiæ, idest, loca quædam in unaquaque regione, aut Parochia, in quibus stipes egentibus ministrabant: instituit autem Sylvester, ut essent septem præcipui, ac Cardinales Diaconi, qui singuli binis regionibus præessent, ut benè prospectum foret pauperibus. Hoc olim ministerium Cardinalium Diaconorum. Atque hìc fit primum mentio Cardinalium, quorum tunc non erat adhuc tanta auctoritas, quanta postea extitit, cum illis attributa est potestas eligendi summum Pontificem à Leonis noni inauguratione, ut quidam putant, & constituendi ordinarium ejusdem summi Pontificis Consilium, ac Ecclesiæ senatum ad providendum, judicandumque cum ipso pro universæ Ecclesiæ necessitatibus, ut eodem fungantur officio, quo septuaginta seniores apud Moysem in synagoga. Unde ipsorum tanta demum eminentia.

tia. De quorum origine, & officio legi potest Ciaconius in vita Hygini Papæ, & Cararias parte 1. summæ Canonicæ, ubi multa de iis disputantur.

7. Ita quoque Sylvester voce clara dicebat ad coepiscopos, ut à Subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali urbis Romæ in Ecclesia honorem repræsentantes eidem. Pontifici verò Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono acolythus, acolytho exorcista, exorcistæ lector, lectori ostiarius in omni loco repræsentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ.

7. Ordines hic numerantur. 8. Nullus autem Subdiaconorum ad nuptias transire, ne aliqua prævaricatione præsumpserit, præcipimus.

9. Nullus lector, vel ostiarius, vasa sacrata audeat contingere, nullus acolythorum rem sacratam à Presbytero jam alii porrigere: quia aliud est minister, aliud assistens est, nisi tantùm supportet, quod ei Sacerdos imposuerit, suo ore benedictum.

10. Nullus etiam Episcoporum Virginem sacratam, si maritale expetierit consortium, benedicere attentet, nisi eam probaverit septuaginta duorum annorum esse constitutam, ubi probabitur judicium veræ pudicitiæ, ut septuaginta duobus annis requirens verum Christũ, pudicitia custodita, uncta vertice, introducatur ad nuptias Christi velamen capitis ferens, non cordis. Nulla schemata Monachorum oportet fieri, nisi prius viginti-quinque ætatis annos propter scandala, ut vigintiquinque annis jam evacuato omni fervore diaboli, inveniat sibi mundum vas Spiritus sanctus. Et subscripserunt supradicti Episcopi in istud, prædicante Sylvestro Episcopo urbis Romæ. Subscripsit autem & novissimus Calphurnius præfectus urbis Romæ. Subscripsit & Augustus Constantinus cum matre sua Helena Augusta, Tunc fecit orationem, sedens in eodem loco, & discesserunt.

Actio secunda.

ALia autem die venerunt omnes Presbyteri urbis Romæ, & Diacones, & omnes Episcopi ducenti octoginta quatuor intra thermas Domitianas, quæ nunc Trajanæ vocantur; & sedit in sede sua in eodem loco, ubi & fecit septem regiones, & divisit Diaconibus. Erant autem Diacones isti, Fabianus, Marcus, Liberius, Arcidamus, & Julius. Ordinavit quoque & alios duos, Priscum, & Theodorum. Universus enim cœtus Presbyteri, & Diacones, & clerus hoc poposcerunt à Sylvestro Episcopo, ut eos ordinaret. Ibi ergo in thermis hos duos, Priscum, & Theodorum subordinavit, & non ordinavit, aut consecravit eos, nisi in gremio Basilicæ occulto consecrarentur.

11. Et præsente Synodo constituit, ut nullus ex laica persona ab honore acolythi usque ad Episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis triginta, deinde una die exorcista, postea caperet onus acolythi, & faceret in eodem ordine annos decem, ut acciperet onus subdiaconi, & in subdiaconatu esset annis quinque. Deinde ad Diaconatus honorem pertingeret fixus, donec rogantibus triginta Presbyteris examen, ut esset Diaconus Cardinalis, quia à prima sede erat constitutum, ut serviret annos septem. *Interstitia ordinum.*

Hoc etiam constituit, quòd si quis desideraret ordinem Presbyterii, ita exequeretur, ut in septem annis à cuncto clero Romano probaretur gratia doctrinæ, nativitatis, generositatis, & consilii, non expetens prædam à quoquam, & cujus opinionem claram, & firmam omnes Presbyteri declararent, & confirmarent, & sic ad ordinem Presbyterii accederet, & faceret in eodem ordine annos tres; & ita si exigat ordo, vel dispositio, vel causa pietatis, aut sanctitatis ad onus Episcopatus ascenderet, & omnis clerus peteret ordinari ex uno voto perenni. Quod cùm ita fieret sermonibus Sylvestri Episcopi nil opponebat synodus, sed magis firmabat prece.

Dixit autem & hoc Sylvester urbis Romæ Episcopus: Audite sancti, & coepiscopi: Nemo abscondat, A quod ei videtur justitia abjurgare. Responderunt omnes Episcopi, & dixerunt, clamantes cum universis Presbyteris, clericisque: In te justitia, & pietas à te non discedat. Quoniam à nobis nihil judicabitur in opinione dictorum tuorum, quoniam sapientia non est, nisi in patientia fuerit constructa. Dixit autem Sylvester Episcopus: Quoniam si sapientia non est, nisi in patientia, quicquid sermone fixero, vestro chirographo confirmetur.

12. Nemo det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum petenti. Baptismum enim prædicantes date omnibus infirmis: sanis autem, sicut veritas commonet, in Pascha, & Pentecoste. *Te... pœnite... & Ba... mi.*

13. Nemo enim, nisi velamen cœleste acceperit primi conjugii per manus sacerdotis, ad clericatus honoB rem accedat. Fictus est enim.

14. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat.

15. Nemo etiam clericum quemlibet in publico examinet, nisi in Ecclesia.

16. Nemo etiam clericus, vel subdiaconus, vel diaconus, aut Presbyter, aut Episcopus propter causam quamlibet intret in curiam: quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Quòd si quis clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam. Communione autem non privetur propter tempus turbidum.

17. Nemo etiam quenquam peccantem clericum cæde attingat, non Presbyter, non Diaconus, nec Episcopus clericum ad cædem perducat. Sed si ita causa evicit C clerici, triduo privetur honore, ut pœnitens redeat ad matrem Ecclesiam.

18. Nemo etiam Diaconus adversus Presbyterum afferat crimen turpitudinis. Quòd si quis accusatur, cum grandi examinatione accusetur. Et nisi detineatur, cum chirographo suo in communione perpetua distringatur. Multi enim livore corrupti crimen exerunt.

19. Nemo etiam Presbyter à die oneris Presbyterii sumat conjugium. Quòd si quis negligenter egerit, duodecim annis eum dicimus privari honore. At si quis contra hunc præsentem chirographum, ac publicè dictum egerit, condemnetur in perpetuum. *Cælibat...*

20. Nemo etiam dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari. Neque quoque ab Augusto, neque ab omni cleD ro, neque à regibus, neque à populo judex judicabitur. *Prima ... des.*

Et subscripserunt 284. Episcopi, & quadraginta-quinque Presbyteri, & quinque Diacones, & duo sequentes, & Augustus Constantinus, & mater ejus Helena. Et fixit canonem hunc Sylvester Episcopus urbis Romæ, & omnibus Episcopis scripsit. Actum in Trajanis thermis tertio Cal. Junii Domino Constantino Augusto, & Prisco Consule tertio.

Hoc Concilium ex veteri collatione Cresconiana descriptum asserit Baronius ad annum 324. num. 124. Episcopos 210. tantum interfuisse memorat eadem collatio Cresconiana. Irrepsisse in reatum (Pictaviensem) ubi de Victorino, putat idem Baronius, cum ignoE retur, quis sit ille Victorinus. Nulla fit mentio de Arriana hæresi, quod anno sequenti in Nicæa Sylvester, & Constantinus pari consensu decreverant de ea agendum. Canon ultimus hujus Synodi citatur à Nicolao Papa in Epist. ad Michaelem Imperatorem.

CONCILIUM ROMANUM III. *sub Sylvestro pro confirmatione Nicæni Concilii. Anno Domini 325.*

Cresco. Concilii Nicænum generale an. Chri 325. hab tur in classe.

CUm Patres Concilii Nicæni constitutiones sacrosanctæ Synodi ad Sylvestrum Pontificem Romæ agentem transmisissent, easque Pontificia authoritate confirmari per epistolam quamdam Synodicam, quæ in

Actis

Actis Pisani libro 4. reperitur, humiliter petivissent: justæ postulationi eorum Silvester Pontifex non gravatè detulit, subitoque in dicta Synodo, ex Italia, aliisque vicinis Provinciis Episcopos convocat, atque post confirmatum Nicenum Concilium, nonnulla mores fidelium concernentia decrevit, ex quibus aliqua fragmenta sequentia supersunt. Ex vetusto quodam codice, de quo vide apud Baronium anno 325.

[Confirmatio Nicænæ Synodi.] Silvester Episcopus sanctæ Apostolicæ Sedis urbis Romæ, dixit: Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem, & octo, nostro ore conformiter confirmamus, Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, & Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.

Nicænum Concilium ab Apostolica sede confirmatum, & approbatum fuisse testatur Felix Papa Tertius, Epistola 4. his verbis. Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: eam vocem sequentes trecenti decem, & octo Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanę Ecclesiæ detulerunt. *Silvestri epistola ad Synodum rescripta, idem firmissimè attestaretur, si non ob Consulatum Constantii quartum, & Constantini octavum perperam in ea positum, mendosissima, & ferè commentitia reputaretur. Imò si neutra epistola extaret, vel utraque omnino ut spuria rejiceretur, ipsa tamen antiqua jura Ecclesiæ, vetustissima observatio, traditio, & constitutio Apostolica (de qua Socrates lib. 2. cap. 13.) hæc:* Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiæ sanciantur, *satis manifestè indicarent, sacrosanctæ Nicænæ Synodi decreta ab Episcopo Romanæ Ecclesiæ firmitatem, & robur accepisse.*

[Paschæ dies.] Omnibus Episcopis, & Presbyteris præceptum est, Paschæ observantiam custodire à Luna 14. usque ad 21. ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi: Placet. Rursus Silvester Episcopus dixit: Robustius duximus consilium (si placet) ut omnis Episcopus, qui convenit ad Concilium, fidem suam chirographo confirmet, ut deinceps rediens ad Parochiam suam, compaginem nostræ salutationis plebi suæ innotescat, ut, fide Concilii declarata, intemeratus ordo servetur. Et dixerunt Episcopi: Placet.

[Exemptio Clericorum.] Silvester Episcopus dixit, Nulli omnino Clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec ullum Clericum ante judicem laicum stare. Et dixerunt Episcopi: Placet.

Si quis Clericatum promereri desiderat, hoc justum est, ut sit Ostiarius annum unum, Lector annos 20. Exorcista annos 10. Acolythus annos 5. Subdiaconus annos 5. Diaconus annos 5. Et si ad honorem Presbyterii accedat, & faciens in eo Ordine annos sex, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens * gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ * intercidente, & omni Ecclesia conveniente. Et dixerunt Episcopi: Placet.

[* præcipiens. * intercedente.]

Ut nulli Episcopo liceat sine cuncta Ecclesia, à novissimo gradu usque ad primum ordinare neophytum. Et dixerunt Episcopi: Placet.

Silvester Episcopus dixit: A nobis incipientes moderamine lenitatis indicare commonemus, ut nulli Episcopo libeat quemlibet gradum Clerici ordinare, aut consecrare, nisi cum omni adunata Ecclesia. Si placet? Et dixerunt Episcopi: Placet.

In eadem Synodo Silvester Pontifex ethnica dierum nomina Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, & Saturni in Dominicam feriam primam, secundam, tertiam, quartam, quintam, & sabbatum commutavit. *Starovolscius ex Isidoro tom. 1. Concil. in Sylvestro.*

Concilium Gangrense sub tempore Sylvestri Papæ Primi circa ann. 324. contra errores Eustathii Episcopi Sebastiensis in Armenia multa innovantis.

Gangra civitas est Paphlagoniæ in minori Asia, à Dejotaro Castoris filio justo Imperio occupata. Hæc Strabo lib. 12. Plinius lib. 6. cap. 2.

Tituli Capitulorum Gangrensis Concilii.

1 *De his, qui nuptias execrantur.*
2 *De his, qui abominantur eos, qui carnibus vescuntur.*
3 *De servis, qui jugum famulatus abjiciunt Christianitatis obtentu.*
4 *De presbyteris, qui habuere conjugia.*
5 *De his, qui ab Ecclesia conventus spernendos æstimant.*
6 *De iis, qui Ecclesiastica ministeria præter Ecclesiam faciunt.*
7 *De fructuum oblationibus, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur.*
8 *De his, quæ in usus pauperum conferuntur.*
9 *De his, qui in virginitate, continentiaque persistunt.*
10 *De his, qui pro virginitate superbiunt.*
11 *De his, qui agapas, id est pastiones pauperum risui deputant.*
12 *De his, qui palliis utuntur, & idcirco superbiunt.*
13 *De mulieribus, quæ utuntur virilibus indumentis.*
14 *De his, qui velut peccatum copulam deserunt nuptiarum.*
15 *De his, qui Christianitatis obtentu despiciunt filios.*
16 *De his, qui patres Christianitatis occasione contemnunt.*
17 *De mulieribus, quæ se attondent Christianitatis obtentu.*
18 *De his, qui Dominico die jejunant, tanquam nihil præ cæteris differente.*
19 *De his, qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.*
20 *De his, qui collectas, quæ fiunt in martyrum commemorationibus, execrantur.*

Capitula Gangrensis Concilii.

SI quis nuptias in accusationem duxerit, & mulierem fidelem, ac religiosam cum viro suo dormientem abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tanquam non possint conjugati in regnum Dei ingredi, anathema sit. [d. 31. Si quis vituper.]

2. Si quis carnem manducantem ex fide, cum religione, præter sanguinem, & idolo immolatum, & suffocatum, crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, quòd eas manducat, anathema sit. [d. 30. Si quis nuptias.]

3. Si quis servum alienum, occasione religionis, doceat dominum suum debere contemnere, & ejus ministerium destituere, ac potius non docuerit eum suo domino bona fide, & cum omni honorificentia deservire, anathema sit. [d. 30. Si quis carnem.]

4. Si quis discernit presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo se abstinet, anathema sit. [17. q. 4. Si quis alienum.]

5. Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes, quæ in ea fiunt, anathema sit. [d. 28. Si discernit.]

6. Si quis extra Ecclesiam privatim populos congregans, contemnat Ecclesiasticas sanctiones, aliterque ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente presbytero, juxta decretum Episcopi, ipsamque Ecclesiam apud se, sine consilio Episcopi, * cum presbytero agat, anathema sit. [d. 30. Si quis docet.] [d. 30. Si quis extra Eccles.] [alias fine.]

7. Si quis oblationes fructuum, vel primitias Ecclesiæ debitas voluerit extra Ecclesiam accipere, aut dare præter conscientiam Episcopi, vel hujus, cui hujusmodi officia commissa sunt, & non magis cum consilio ejusdem hæc agenda putaverit, anathema sit.

8. Si quis dederit, vel acceperit fructuum oblationes præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, qui dat, & qui accipit, anathema sit.

d. 30. Si quis vel virg.

9. Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc solum, quod continentiæ, & virginitatis bonum, sanctum propositum est, anathema sit.

d. 30. Si quis propter Deū.

10. Si quis propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.

d. 42. Si quis despicit.

11. Si quis contemnendos duxerit agapem facientes, & propter honorem Dei fratres ad se pauperes convocantes, & noluerit communicare vocationibus eorum, tanquam nihili, quod fit, ducens, anathema sit.

d. 30. Si quis virorum. Birrus vilior, et grossior vestis.

12. Si quis virorum putaverit sancto proposito, id est, continentiæ convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habiturus, & reprehendat, vel judicet alios, qui cum reverentia birris utuntur, & alia veste communi, quæ in usu est, anathema sit.

d. 30. Si qua mulier. Ibidem.

13. Si qua mulier suo proposito utile judicans, ut virili veste utatur, & ad hoc in viri habitum mutatur, anathema sit.

14. Si qua mulier, derelicto viro, discedere voluerit, soluto vinculo conjugali, nuptias condemnando, anathema sit.

d. 30. Si quis dereliquerit.

15. Si quis dereliquerit proprios suos, & non eos aluerit, &, quod pietatis est, necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.

d. 30. Si qui filii.

16. Si qui filii parentes, maximè fideles, deseruerint occasione Dei cultus, hoc justum judicantes esse, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sit.

d 30 Quæcunque mulier.

17. Quæcunque mulier religioni judicans convenire comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus, & ad memoriam subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, anathema sit.

d. 30. Si quis tanquam hoc.

18. Si quis, tanquam hoc continentiæ convenire judicans, die Dominico jejunaverit, aut in ejusdem diei contemptum, anathema sit.

d. 30. Si quis eorū, qui in.

19. Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem, & superbiens, jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.

d. 30. Si quis per superbiam.

20. Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca, & basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas, anathema sit.

Et subscripserunt sexdecim Episcopi.

d. 30. Hæc autē scrip.

Synodi conclusio.

Hæc autem scripsimus non abscindentes eos, qui in Ecclesia Dei secundum scripturas sanctorum propositum continentiæ eligunt, sed eos, qui suscipiunt habitum ejus, & in superbiam efferuntur adversus eos, qui simplicius vivunt. Sed & hos condemnamus, qui se extollunt adversus scripturas, & Ecclesiasticos canones, & nova introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cum castitate, & religione, Deo acceptissimam dicimus, & renunciationem secularium negotiorum, atque actuum, cum humilitate approbando laudamus, & nuptiarum vinculum, quod secundum castitatem secum perdurat, honoramus, & divites cum justitia, & operibus bonis non abjicimus, & parsimoniam cum veste humili non reprobamus, sicut etiam ornatum, præter corporis diligentiam, infucatum laudamus. Dissolutos autem, & fractos, in vestibus incessus non recipimus, & domos Dei honoramus, & conventus, qui in his fiunt, tanquam sanctos, & utiles recipimus, pietatem in privatis domibus non includentes, omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in Ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, & bona opera, quę juxta vires in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia, quæ conveniunt traditionibus Apostolicis, & sanctarum scripturarum præceptis, in Ecclesia fieri exoptamus.

d. 41. Parsimoniam cum.

Synodica Concilii Gangrensis cum quibusdam notis Joannis Quintini Juris Doctoris.

DOminis reverendissimis in Armenia collegis, & comministris, Eusebius, Ælianus, Eugenius, Olympius, Bithynicus, Gregorius, Philetus, Pappus, Eulalius, Hypatius, Proæresius, Basilius, Basus, qui convenerunt in Gangran ad sanctam Synodum, in Domino gaudium, & salutem.

Can P... ma An... tatio. 1... dist. Annota. L. 4. ac... pius in ... ff. de ... quir. rei...

In Episcoporum numero cum Græcis latina discrepant exemplaria. Zonaras nullos omnino nominat hìc Episcopos: nec habet hanc Epistolam. Tredecim convenisse dicuntur hìc ex Hilariano Codice: Tres ab interpretibus Latinis adduntur, Osius Cordubensis, Heraclius, & Bassianus. Unde Gratianus post Isidorum recensens Topica, sive Localia quædam concilia scribit. Tertia est Synodi Gangrensis annotatio, quæ post Nicænam legitur fuisse. In qua Patres sexdecim statuerunt canones viginti. Annotatio (quod obiter admoneam) peculiare Jurisconsultorum vocabulum, significat Principis, ac Superiorum de noxio, vel reo quopiam, seu de re quavis alia decretum. Sic ab Isidoro capitur hìc.

Osius Cordubensis.

Porro Osius in asserenda Catholica vehementissimus: quum novationes Eustathianistarum per Cappadociam, & universam Galatiam, Armeniamque percrebuissent, è Bithynia, ubi degebat adhuc, illò convolavit (ut credere par est) Constantino mandante, qui prius & eundem miserat Alexandriam, quum suboriri cœpissent inter Alexandrum Episcopum, & impiissimum Arrium dissensiones, ad eas sedandas, annis aliquot ante Nicænum conventum. Qui autem primus hoc loco nominatur Eusebius, puto, quod fuerit ille Cæsariensis Eusebius, verè profectò πολυΐστωρ inter Christianos omnes appellandus, Constantino similiter charissimus, atque familiarissimus.

Eusebius Cęsariensis.

Episcopi vocitanti Domini ... verendissimi.

In hujus Epistolæ perantiqua sanè inscriptione duo consideremus. 1. Honorificas Episcoporum tunc temporis appellationes. Domini jam salutabantur. Honoris magni vocabulum est Dominus. Etiam priscis Latinis usitatissimum, ad excellentiam pertinens, quam quis præ cæteris habet. Neque solummodo Κύριοι, sive Domini vocitantur Episcopi, additur & Epithetum gloriosum, τιμιώτατοι. Id est, Præstantissimi, Honoratissimi, Reverendissimi.

Desinant igitur Gnostici nostris in Presbyteris hosce veteres titulos calumniari. Non minus claros invenies in Nazianzeni, Basilii, Hieronymi, Augustini litteris, quas æqualibus, & synepiscopis ipsi scribebant.

Gnostici (quo maledicendi cachoete laborant) quum Dominationem, vel Sanctitatem, vel quid ejusmodi legunt in salutationibus, aut allocutionibus nostris, Adulatores nos protinus, qui falsis istis honoribus homines captemus, altè vociferantur. Atqui nullus unquam vel ipsi Pontifici summo sic assentatus est, ut infelices fugitivi suis receptatoribus adulantur. Illustrissimos Senatores appellant (non dico Bubulcos, aut Aratores, quod alienum à dignitate minus forte est) sed obscurissimos è fece plebis homines, Venalitios, Καρδόνας, mediis in officinis (quæ nihil unquam proferre possunt ingenuum) natos, & altos.

Clarissi-

Clarissimumque Senatum vocant Hominum, mercaturis, usuris, tabernis, propoliis pleonexiis, rem sibi miserè quærentium, quorum jam se, non nomine, sed numine tutos prædicantes deprædicant. Quid hoc est, si blandiri non est? Et iis blandiri, quos nec alloquio dignaretur honestior paulò civitatis liberæ civis.

Secundo, mihi diligenter animadverte Salutationem *in Domino gaudium, & salutem*. Laertius in Platone scribit Cleonem quemdam suis Epistolis præponere solitum duntaxat Χαίρειν, Id est, Gaudere, Lætari, voluptatem capere. Christianis apta certè salutatio non est: nisi (quod hic) addatur, *in Domino*. Sic enim Paulus ad Philippenses scribit, *Gaudete in Domino*. Rursus, *Gaudete in domino semper, & iterum dico, Gaudete*. Luctus occupare solet alterius cujusvis extrema gaudii, Proverb. 14. Hæc de salutatione. Sequitur Epistola, quam per cola, commataque sua singula legemus.

lliud in eculo, & liud in omino audere. d Phil. , & 4.

QUoniam congregata sanctissima synodus Episcoporum in Ecclesiam Gangrensem propter Ecclesiastica negotia quædam necessaria: Pariter ut inquireretur in sectatores Eustathii, deprehendit multa nefariè, contraque leges ab iis ipsis Eustathii sectatoribus acta: necessariò decrevit, & studiosè curavit omnia palàm facere ad abrogationem, sublationemque malè, & improbè ab eo factorum.

Causam videmus hìc omnium Synodorum, scilicet ob urgentes Ecclesiæ necessitates: utque prospiciatur his, quibus indiget, & opus habet Ecclesia, vocant *Ecclesiastica negotia*, Potissimùm, ne diu latitent hæretici, quorum quidem mos iste perpetuus est, atque fuit, ut ore clanculum sibilantes, dogmata sua, tanquam serpentes venena, diffundant. Quod enim sibi invicem ganniunt in aurem, super tecta (nisi fortè phygadeuteriorum suorum tecta) prædicare non audent. Episcoporum verò munus est, ex adverso publicè, ac sæpè congregari, cautè omnia rimari, noxia prævidere, populoque manifesta facere: ne simplices oves istis intricentur diaboli laqueis, mel quidem præ se ferentibus, sed mortem mox ferentibus. O sanctam, divinamque Lateranensium Patrum legem! quæ jubet ab Episcopali officio deponi Episcopum, qui de sua Diœcesi negligit, aut non valet suis concionibus, moribus, & crebris visitationibus expurgare pravitatis Hereticæ fermentum! Substituique mandat alium, qui velit, ac possit hoc præstare. Sanctę Jesu crucifixi (scilicet, Ecclesiarum) cathedræ Theologis nunc illustrarentur, quæ nescio quibus regalibus, & aulicis Diotrephis obscurantur.

oncilia ob mnium oncordiã ongregari lebent. n fine ca. 3. de hæres. in aniq.

Hìc refricabo, Hæreses tàm multas, aliasque super alias quotidiè novitates exoriri, quia simul convenire Provinciarum desierint Episcopi. Pro dolor! Qui nunc, & qui (Bone Jesu) convenire possunt? Ergo, Tu, Domine, Tu judica causam tuam.

Dist. 15. in rin. Can. 1.

Hìc mihi præterea diligenter observa, qui justi, legitimique sint assessores, judices, & præsides Conciliorum. In antiquis illis, primariisque Synodis Episcopos, Chorepiscopos, Archimandritas (animarum, videlicet, in populo curatores institutos) vel eorum legatos, solos interfuisse, præfuisseque legimus, atque sententiam dixisse. Historiam vide Constantini, Valentiniani, Theodosii, multorumque non minus pietate, quàm potentia magnorum quondam regum. Videbis istorum quidem litteris pariter, & impensis, evocatos Orientis, & Occidentis Episcopos ob Ecclesiarum dissensiones in unum sæpè coivisse. Conventibus illis ipsos interfuisse, cum Sacerdotibus unà quoque sedisse: controversiarum verò de fide judices illos non invenies unquam fuisse. Fidei jubebant fieri dis-

Canon. Principes, & seq. 23. uæst. 5. . Quoniã

A quisitionnem, non à Stratiotis, sed ab ipsis congregatis Episcopis. Ad quam rem, quia vocantibus, & quippiam decernentibus Orthodoxis Heterodoxi non paruissent (ut modò non parent) Episcopis gladium gestantes aderant, si qua foret opus. Non ipsi decreta fidei ponebant, sed ab Episcoporum consessu posita defendebant, ab omnibus observari curabant. Hæreticos contradicentes durissimè puniebant: quod unicum, propriumque regum est officium. Theodoritus de Synodo illa magna scribens, quæ Constant. Mag. sumptibus, & cura convenerat Nicæam, refert, dum primi consedissent Episcopi, cum paucis omnium postremum introgressum fuisse Constantinum: Qui, throno parvo posito, in medio sedit, ab Episcopis postulans hoc sibi

venerabilis de Episcopo, et cleri L. Quicumque de hæret. Can.

B concedi. Rem longè copiosius, & elegantius enarrat Eusebius paulò post initium libri tertii de vita Constantini, quo ex loco sua Theodoritus decerpsit. Idem probat exemplo Martiani Imperatoris in Concilio Chalcedon. in sexto consessu.

Cap. 7. l. 1.

Paucis ostendisse sufficiat, qui soli possint Ecclesiæ Concilia celebrare. Superest, ut dicamus, quisnam fuerit Eustathius, cujus causa Patres Gangram convenerunt. Socrates, qui post Eusebium, & Ruffinum commodè prosequutus est Ecclesiasticam historiam, de Eustathio Sebastiæ Episcopo, antea Monacho, quem postea Synodus Gangrensis, ob innovatos veteris Ecclesiæ ritus, novasque ceremonias introductas, damnavit, amplissimè scribit in cap. 43. lib. 2. & in cap. 11. lib. 4. Sozomenus etiam in cap. 14. libri sui tertii. Deinde (sicut ajunt) à prædictis missam pilam more

C claudi tenens Nicephorus Callistus eadem de eodem refert Eustathio in cap. 16. & in fine, cap. 45. lib. 9. Si quid hìc desideras, illinc petito.

Eustathius habuit Eulalium Patrem, Episcopum Cæsareæ Cappadocum, beatissimi Hermogenis successorem; qui quidem Hermogenes Eustathium delegerat in Presbyterum: sed Pater ipse postea filium dejecit ab Ecclesia, propterea quòd vestem Presbyteris insolitam, nec ordini congruentem gestaret. Inde conversus Eustathius ad Monachismum fertur ille primus apud Armenios, & Paphlagonas, & in Ponti montibus Author fuisse monasticæ, ac solitariæ vitę degendæ. Suis autem Sectatoribus privatis habitus novos præcepit: à communi discretum victum, nec assueta jejunia mandavit: precationes, & cantilenas inauditas in Ecclesia præscripsit: quin & domi quemque suæ jubebat orare, Synaxes, & conventus in pu-

Eustathius et Aerius, qui causam dedere Synodo Gangrensi.

D blica templa negligens, & alia, quæ statim singula proferemus. Hoc in instituto Monachico sic ille claruit, & alios excelluit, ut Monachorum dux optimus haberetur. Cui magni Basilii perutilem sanè, & perquàm necessarium Monachis omnibus ΑΣΚΗΤΙΚῶΝ librum, nonnulli tribuerunt. Hos tamen absurdè fuisse deceptos nemo dubitat, qui Basilium legerit. Ecclesiasticos enim conventus, & antiquorum traditiones ille nullibi contempsit: ubique toto studio defendit. Ab ipso Basilio, quis fuerit hic nefarius hæreticus, describitur, isque damnatur in Epistola 74. Sed quia Cappadox erat Basilius, amator solitariæ, seu Monasticæ vitæ maximus: qui Cæsareæ quoque Cappadociæ sacris Ecclesiæ rebus præfuit Episcopus, in qua pridem vixerat, & ordinatus fuerat Eustathius, hinc arrepta pertinaces Eustathii sectatores occasio-

E ne, pulcherrimum illud Basilii scriptum non erubuerunt in teterrimum nebulonem transcribere, quo persuaderent ipsum culpa vacasse, neque justè damnatum fuisse. Sed ad id, quod cœperam. Nec enim modò dicta conveniunt huc, attamen dicenda fuere: nequis cum Gnosticis illa contemnat instituta monastica, velut ab hæretico scripta: quibus Ecclesiæ nihil est conducibilius. Utinam præ manibus illas veteres pro novis nescio qualibus regulis assiduè nunc haberemus. Ad Eustathium Monachum, de quo fama tàm celebris erat in montibus illis Ponticis, ac tantus de Sanctitate, Politejaque vitæ suæ rumor increbuerat,

Basilii Ascetica.

 ut Pres-

ut Presbyteris, & vicinis Epiſcopis hypocriſi tali decepṫis apparuerit dignus, qui vacanti Sebaſtianenſi præficeretur Eccleſiæ. Delectus utcumque ſuorum Monachorum factione, ſic fuit Epiſcopus Sebaſtius in Armenia.

Sebaſtiæ factus Epiſcopus Euſtathius, quas in angulis pravas, & à Canone diſcrepantes opiniones privatim ſuis Monachis inſuſurrarat, pro concione palam prædicare cœpit: Nec in Eccleſiam recipiendos eſſe dicebat aliter viventes, ac ſe gerentes, quàm docebat. Homo non tàm facundus, quàm ſermone vehemens, innumeram multitudinem pelliciebat in ſuam ſententiam. Qua re Patres exciti, ſe protinus Gangram contulerunt; Anathemate rebellem dogmatiſten cum diſcipulis damnarunt, ordineque rurſus, & Epiſcopatu moverunt. Epiphanius ſcribens in Hereſim ſeptuageſimam quintam, Tomo primo libri tertii, tradit & hunc Arrii dogma tenuiſſe pertinaciſſimè: quem (ſicut ait) nec etiam tribulationes perſequutionum correxerunt. Quibus ille preſſus, ſuas ſubinde impietates abjurare ſe ſimulabat, & ſanæ fidei conſentire, ut in Antigrapho fidei per Baſilium prædicatæ patet: cui ſubſcripſerat is Euſtathius. Hoc annectitur Epiſtolæ 78. Semel hoc Romæ fecit apud Liberium Papam, quo confugerat poſt hanc Synodum, ſub annum Chriſti 350. per quem fuit etiam reſtitutus. Mox tamen ac evaſerat, in cœno ſolito volutabatur, apud Sozomenum cap. 24. libri quarti. Vide quoque Baſilium: qui dicit & hunc Alexandriæ ab Arrio doctum fuiſſe, connumeratumque in germaniſſimis, & ſelectiſſimis Arrii diſcipulis. Macedonii quoque Spiritum ſanctum negantis eſſe Deum, blaſphemia fuit etiam notatus, Pneumatomachis patrocinans, ut ait Baſilius Magnus. Ita Suidas: Euſtathius Sebaſtianus Macedonicæ ſuperſtitionis, cœpit cum Baſilio Ancyrano, ipſius urbis Epiſcopo. Similiter Euſtathium cum Macedonio ſenſiſſe ſcribit etiam Socrates cap. 45. lib. 2. Nicephorus in cap. 47. dicti lib. 9. qui poſt Suidam, & Epiphanium, meminit etiam Baſilii Ancyrani Epiſcopi, jam dicto cap. 45. Tale nihil objicit ei Synodus, nec ejus ſectatoribus: quos tamen, ut hìc vides, vehementer exagitat. Sed quia jam diu pluſquam damnati fuerant errores illi, dumtaxat ipſorum novitates inſectatur. Hæc de Euſtathio.

Euſtathius ficte abnegat hæreſim.

Inter Euſtathii præcipuos aſſeclas, primoſque ſodales, inſignis unus extitit, Aerius nominatus. Ex quo nomen hæreſeos Aerianæ. De qua nunc indicato loco ſcribit Epiphanius. Fuit Aerius Monachus pariter Armenius, Euſtathii in Monachatu ſocius. Ἀπότακτοι uterque. Sic eos vocabant, qui communibus Eccleſiæ legibus, & Canonibus non contenti, ſingulare quoddam converſationis, & vitæ genus ſibi deligebant, ab aliorum ſolito more diverſum, quaſi diceres, à cæterorum diſcretos, & ſelectos ordine. Victum, Veſtitum, Feſtivitates, Orationes, aſſuetos in Eccleſiam conventus, breviter, antiquas omnes Eccleſiæ ceremonias innovabant. Sic inſignes haberi prodigioſa quadam rituum novitate volebant. Euſtathius, & Aerius tales erant. In quos demum Synodus Gangrenſis convenit poſt Nicænam. Quæ ſolius tamen meminit Euſtathii, eò quòd Epiſcopus erat, & Aerium Synaſceten ſuum ordinaverat in Presbyterum, quem Ptochotrophio præfecerat. Ægrè tamen ferens Aerius in Epiſcopatu prælatum ſibi fuiſſe ſynmonachum ſuum Euſtathium, diu ſuam non diſſimulavit æmulationem. Seceſſit enim, jam planè de ſocio factus inimicus, ab eo: ſed in Eccleſiæ calumnia perſeveravit: Impietatis tamen ſuæ primæ dogmati addens aliquid, aut detrahens, quod Euſtathii doctrinæ diſſentiret. Auditor Chriſtiane, Mos fuit, & eſt Hereticorum perpetuus, ut una de re, communis & una nunquam ſit, aut fuerit his omnibus ſententia. Sola ſunt in maledicentia, & Catholicorum detractione concordes. Aerius in multam ſenectutem pervenit. Adhuc enim ſuperſtes erat in vita, cum ſcriberet Epiphanius adverſus hæreſes, anno Chriſti, circiter 376. Euſtathius jam tunc obierat, ut ex eodem conjicere licet Epiphanio. Qui cum meminerit utriuſque, de Concilio Gangrenſi miror hominem tacuiſſe: Synodumque de Aerio. Puto, quòd hic nondum famoſus erat. Ex Euſtathii ſectatorum nomine ſatis intelligitur.

Aerius.

Apotactici.

Hæretici ſunt in tranſitu ab Eccleſia concordes: in perfidia ſua diſcordes.

Quis fuerit Euſtathius, & qui ſequaces, videmus. Jam novas, atque damnabiles inſpiciamus turbas, quas in Eccleſia ſuſcitarunt illi: ſingulas ſingulis ſubſequentibus decretis damnatas.

NAm, ex eo, quod illi nuptias damnarent, & docerent, quòd nullus eorum, qui ſunt in conjugio, habet in Deo ſpem, Seductæ mulieres multæ ſuis ſubditę maritis, ab ipſis maritis diſceſſerunt, & à propriis uxoribus, Viri. Sed hoc interim medio, dum continere non valent, adulterium commiſerunt: Eaque de cauſa diffamati ſunt, & probris inſimulati.

Error de nuptiarum calumniatoribus, & disjungendis conjugibus in 1. Synodi Canone, & in 14. damnatur, Erroriſque prædicator Euſtathius: qui facilè multas in illa regione ſectatrices, ac diſcipulas invenerat. Ibi namque, viciniſque locis, Amazonum (quæ matrimonium pro ſervitute ducebant, & maritorum, non aliorum tamen virorum, coitum vitabant) olim ſedes fuerat, ad amnem Thermodoontem, in ora Cappadociæ.

Tu quoque videas hìc epithetum conjugatæ mulieris: ὕπανδρος γυνὴ vocatur: quod ad Rom. cap. 7. ad verbum tranſtulit interpres antiquus, *Quæ ſub viro eſt mulier*. Sic in Proverbiorum cap. 6. verſum legimus licet. *Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus*. Itaque mulier ſub viro, vel hypandros, eſt mulier nupta, ſive marita.

ὕπανδρος

COmperiebantur etiam, qui magna contemptione, ac deſpicientia commoti adverſus Eccleſiam, & ea, quæ geruntur in Eccleſia, ſecederent à Dei domibus, & Eccleſia: Et etiam qui clanculum Synaxes, & conciones haberent, diverſaſque doctrinas traderent: & alia facerent adverſus Eccleſias, & adverſus res Eccleſiaſticas.

Græca vox illa (quam reliqui) Synaxis, in aliquot Eccleſiæ Græcæ doctoribus, & Synodis eſt uſitatiſſima, ſæpius hac in Synodo repetitur. Vix apud alios invenias. Legere certè non memini. Latinus nullus de veteribus utitur, quod equidem ſciam. Conventum ſignificat, & congregationem populi (non quamlibet, aut quolibet illam, ſed in Eccleſiam dumtaxat, & in ſacratum Deo templum (modò fieri poſſet) ad gratiarum actionem, Deique laudem confluentis, & adunati populi. Ex Apologia Athanaſii ad Imperatorem Conſtantium. De quibus conventibus apud Epiphanium legimus ad finem Syntomi Catholicæ fidei. Qui liber eſt ultimus Panarii. Synaxes autem fieri conſtitutum fuit ab Apoſtolis, Quarta (ſubaudias, Hebdomados die) Profabbato (ideſt, Sexta) & Dominica: jejunia ſervari pręcipiebantur in duabus primis ad horam uſque nonam, qui nobis eſt meridies. De priſcorum Chriſtianorum Synaxibus, earundemque certis, atque ſtatis diebus, habes (quod huc attineat) in Eccleſiaſticæ Socratis hiſtoriæ libro quarto cap. 22.

Synaxes.

Dum verò Paſchę, Pentecoſtes, ſimiliumque feſtorum dierum, vel martyrum Synaxes agerentur, myſteria quoque corporis, & ſanguinis Dominici tùm peragebantur, omneſque tunc de myſteriis participabant. Ubi namque non erat ſacrificium, nec ibi Feſtum quid erat: eò quòd omne Feſtum ſacrificio peragi oportebat. Et in multis orbis Eccleſiis obſervabatur,

tur, ut omnes, Hebdomadis cujusque periodo recurrente, communicarent mysteriis. Præter has synaxes festas, aliæ fiebant absque sanguinis, & corporis consecratione: in quibus scripturæ tantùm legebantur, & Doctores illas interpretabantur. Has modò vocamus Conciones, atque sermones. Alia quædam de synaxibus huc pertinentia dicentur in Can. ultimo.

INtroducunt etiam peregrinos, & insolitos habitus, ad indumentorum communiter usitatorum sublationem.

Seditiosus Eustathius multis persuaserat, cultum corporis sæcularem (videlicet, quo populus, pro suo quisque statu, vulgariter uti solitus esset) illis obstare, qui salutem sibi propter populi mores quodam speciali studio quærerent. Ideoque vestium distinctionem docebat habendam: salutiferas nonnullas, reliquas damnabiles esse dicens. In vilibus, ac sordidis constituebat sanctitatem. Sancto vivendi proposito dicebat alias impedimentum facere. Semper hinc fucus Religioni maximus factus fuit. Utinam jam non fiat. Dictis nunc in locis damnatur error hypocriticus, de quo prolixius ibi tractabitur. Hieronymi dumtaxat ea de re sententiam modò proferam: quam Salvinæ de viduitate servanda scribit. *Hujus maritus Nebridius, juvenis adhuc, obierat, in Cæsaris aula præ cæteris honoratissimus*: cujus Eleemosynas, & Orationes, & assidua cum Monachis, & Clericis consortia cum descripsisset ille, subdit: *Nihil nocuit militanti Paludamentum, & Baltheus, & Apparitorum catervæ: quia sub habitu alterius alteri militabat. Sicut è contrario, nihil aliis prodest vile palliolum, fulva tunica, corporis illuvies, & simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruat.* Hæc Hieronymus. Perpetuò meminerimus, quòd Personarum non est acceptor Deus. Sed in omni proposito, sub quacumque veste, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.

Vestis neminem sanctificat; sed neque damnat.

Tob. 1.

Cap. 5. de Instit. in Antiq.

ET Ecclesiasticas fructuum obventiones, ac oblationes Ecclesiæ donatas olim, Sibi, Secumque sentientibus, tanquam Sanctis, dispertiuntur, atque distribuunt.

Hac invidia semper Ecclesia laboravit, & vexata fuit ab hæreticis: etiamnum laborat adhuc, & divexatur. Qui nihil habentes, quod immaculatæ Jesu Sponsæ possint objicere, Sandalium (si nobis hac uti similitudine permittatis) in ea calumniantur, idest, Exteriores nescio quas illius opes reprehendunt, invadunt, involant, & miserrimis discerpunt modis. Nudam videre volunt, ut ejus vestiantur spoliis. Nostra suffodiunt, ut ædificent sua. Quod est, proculdubio, cum nefando illo prodere Dominum, propter unguentum effusum super caput ejus.

Hic interim venit observandus impiæ deprædationis, & rapinæ titulus. Eustathianistæ sibi, tamquam sanctis, faciunt Ecclesiasticorum proventuum distributiones, atque divisiones. Isti se solos Apostolicos esse, Sanctos, & Euangelicos existimabant: Ideo se tantùm dignos prædicabant, qui de fructibus Euangelii viverent. Antiquis Sacerdotibus, & ministris, ut indignis, exclusis. Incredibile, planeque diabolicum genus hominum: qui, nisi quod faciunt, rectum nihil existimant: qui mera se pedere thura putant. (Honor sit auribus) unde miri nihil est, si, juxta veterem paræmiam, suus sibi crepitus oleat benè. Quicquid ipsi loquuntur, quicquid scribunt, quicquid agunt, hoc, suggerente, dictante, dirigente Spiritu Dei, dictum, scriptum, factum credi volunt: intolerabili blasphemia non timentes arrogare sibi, quod habeant Spiritum Dei: quo sancto Spiritu post Apostolorum decessum (si credas dementibus) ad hoc usq; seculum suum, Catholica semper caruit Ecclesia. Gregalis istorum (quem tamen à se postea justissimo gladio segregarunt) non tàm latè primis ante nos temporibus Dei spiritum negavit. Ab annis enim mille ducentis, & sexaginta dumtaxat Ecclesiam Christi, terris dimissis, relegavit in Cœlum. Benè habet. Ergo trecentos liberos annos relinquit Spiritui. Vicimus, dummodo velit ejus temporis exempla, patrumque decreta sequi. Sed scio, quid isti nebulones ventosi, quasi forenses, è fori formulis respondere soleant. Hoc recipio, quatenus, & in quantum pro me facit. Ambrosium cites, Hieronymum, vel Augustinum; vel quemvis alium de veteribus in illo felicissimo, Christique triumphis proximo sæculo scribentibus adducas: Homines fuisse respondent, qui nescio quid humanum resipiunt, quando secum non sapiunt: ac eos delirasse dicunt. Augustinus non ita de Cypriano, Basilio, Chrysostomo, cæterisque sanctis scriptoribus se præcedentibus existimat: quibus honorem tantum defert, ut eos errasse non ausit credere: sed se potius non intelligere dicat. Optimè certè præcipiunt, qui cum talibus Gnosticis disputare vetant. Litigatores enim rixosi mihi magis videntur, quàm disputatores. Hic tibi, si quid ex Clemente proferas, Anacleto, vel Alexandro, Sacrosanctisque primæ Pontificibus, aut Conciliis Ecclesiæ, quod illis non conveniat: Mox referent esse fictitios Clementes, larvatos Alexandros, Rhapsodias ab indocto Monacho malè consarcinatas, & ab hujusmodi scriptoribus, qui spiritum non habuerint: quem nudiustertius ipsi de Cœlo repente facto sono post Apostolos receperunt, & linguis variis loqui cœperunt: Hic non habeo, quod dicere possim, auditor Christiane. Nisi quod sunt illo quondam Patriarcha suo Montano Phryge (nam verum negare non decet) hac quidem parte modestiores: qui nec in Apostolos, sed in se primùm, suasque fœminas sanctum Spiritum descendisse prædicabat, & se Paracletum nominabat.

Heretici sibi soli Christiani videntur.

Heretici Patres antiquos spernunt.

Can. Ego solis 9. dist.

Non asseverabat se Dei spiritu (quod verissimè tamen poterat) sed opinabatur Paulus Corinthiis honestè, casteque vivendi præcepta scribere, & consilium dare. *Puto*, inquit, *quod & ego Spiritum Dei habeam* 1. Corinth. 7. Rursus ait idem ad Philip. 3. *Fratres, Ego me non arbitror comprehendiße*. Gnostici contra nudo jam capite proclamant, Omnia sumus assequuti. Scripturas, & occulta Scripturarum tenemus. Ac revelata sunt nobis omnia. Nos verò, Papistæ, Rasi, Babylonis inquilini, Meretricis alumni, potius omnia, quàm Christiani, traducimur. Quid hoc est? an non est criminatorem, & susurronem esse in populis? Ac dicere fratri suo *Racha*? Sat sciunt utrumque vetitum. Sed interim, soli isti Christiani, Soli sancti homines, Ecclesias Christi parum Christianè, parumque sanctè spoliant, & supra quoscumque Turcas evertunt, & in se avertunt. Basilius Magnus Epist. 71. scribit hoc esse commentum Diaboli, suam malignitatem sub nomine Christiano (quod hostes, & Hæretici prætexunt) obtegentis. Ne, dum sectis, & opinionibus novis, dum bonorum depopulationibus, mulctis, ac decimationibus Ecclesiam Christi persequitur, ista pro Christo pati Ecclesia videatur, cum persecutores ejus eodem Christi nomine censeantur.

Levit. 19. Matth. 5.

ET, servi (*comperiebantur*) à suis Dominis abscedentes: qui propter inusitatos habitus (*religionem præferentes*) haberent Dominos in contemptu.

Servus à Domino suo recedere non debet occasione religionis. Et hominis enim servus, & Christi libertus, quis unus esse potest. Anathema docenti contrarium.

ET, Mulieres præter solitum morem pro vestimentis muliebribus Virilia sumpsisse (*compertum est*) indeque se credere justificari.

cari. Sed & multæ per speciem religionis detondent excrescentem comam muliebrem.

Eustathii sectatrices, quæ nescio quid Amazonium referentes, nolebant esse capillatæ, quia revera nolebant videri cuiquam subjectæ: Verumtamen simplicitatem quamdam, & humilitatem prætexebant. Passis enim capillis, aut spiris, & antiis capillorum, mulieres efferri, & lascivire solent. Interpres antiquus ita vertit hunc locum. *Pluresque earum, occasione religionis, tonsuras genuini decoris comas amputaße.* Videtur aliud sequutus exemplar: aut exponere paraphrasi voluit, quid esset in mulieris coma Physis, aut Physa, id autem reprehendit Synodus, quod inde se credebant justificari.

IN die quoque Dominico Jejunia peragunt, B sanctitatem liberæ diei contemnentes, & in Ecclesiis ordinata jejunia spernentes, in hisque comedentes.

Dies Dominicus est dies liber. Hoc pertinet ad infrà positos canones 17. & 18. ubi dicetur. Hic modò consideremus, quod Dies Dominicus vocatur à Patribus ἐλευθέρα ἡμέρα Libera dies. Sabbati quietem observabant Judæi, qui dies erat hebdomadæ postremus. In eo nihil quicquam facientes operis laboriosi, nec ullo modo sese affligentes. Hanc autem requiem Christiani transtulerunt in primum Septimanæ diem, quem vocavere Dominicum: Multaque semper cum religione, parique lætitia coluerunt ob memoriam salutaris Domini nostri Jesu Christi resurrectionis. Omnibus tunc externis soluti curis, nisi qua fortè proximi charitas, & necessitas exposceret, omni tùm labore vacui diem transigebant: etiam jejuniis, & piacularibus quibuscumque pœnis interdictis. Illud subinde Vatis divini carmen decantantes. *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea:* Semper Ecclesia Dominicas omnes lætas, & delicatas egit: non tamen ventris deliciis vacans, In dicto can. 18. Dominicus itaque dies est Dies liber. Idest, vacuus, expers, & solutus ab opere quocumque negocioso: qui nulla re molesta, nulla re fatigante corpus est implicatus (apud Senecam, principio Thiestæ sic exponunt) Liberum dedimus diem.

Meminerimus tamen, Auditores Christiani, quòd in isto Libero die pariter animus à cupiditatibus, à delictis, ab omni perturbatione debet esse liber sic, ut requiem corporalem referamus ad Spiritualem: Nostrumque novum hoc Sabbatum sit requies sancta Domino. Liberi nostri, festique dies alioqui distare non videbuntur à nescio quibus gentium Liberalibus, & Hilaribus.

ISTorumque nonnulli (*comperiebantur*) qui sumere carnes, & his vesci detestarentur.

Rerum natura nulla noxia, vel mala est. Si quà fuit Hæresis unquam, quæ poneret os suum (sicuti dicitur) in cœlum (quod omnes quidem faciunt) in primis hæc una fuit, audax, & blasphema: dicere non verita, Rerum quarundam substantiam sua natura malam, nocivam, abominandam esse. Dictum sanè impiissimum, cùm Malum per naturam creari non possit: Nec enim Deus omnium rerum creator optimus esse potest author Mali: quin, Opere mundi perfecto, vidit ille cuncta, quæcumque fecerat, & erant in suo quæque genere singula valdè bona. Genes. c. 1. Quis adeo demens, & insanus (ait Chrysostomus hoc explicans) ut hic os aperire, & his contradicere Dei verbis audeat? Augustinus tamen quemdam Florinum scribit fuisse, qui contrarium asseruerit: cujus sectatores ab eo vocantur Floriniani, post Isidorum Gratianus appellat Florianos. Nullum esse naturale malum, nullamque substantiam per se malam, sed per incongruentiam, seu disconvenientiam disserit idem Augustinus pluribus in locis, maximè cap. 8. lib. 2. de morib. Manichæorum. Scorpiones, & Serpentes, & id genus venenosa demon-

De Hæresi. tom. 6. can. Quidam §. Florian. 24 q 3. tom. 1.

Can. Illi qui. 6. q. 1.

A strans non esse per se mala. Non est igitur alicujus carnis natura damnanda. Carnis opera (non caro) sunt à nobis tantummodo repudianda, Christiani Auditores: Quæ qui perpetrant, regnum Dei non consequentur, ad Galatas cap. 5.

ET, qui nolunt in ædibus conjugatorum facere preces: factasque despiciunt: ac sæpè numero de oblatis in illis conjugatorum domibus non participant.

Primæ nostræ religionis mos fuit amoris, & mutuæ charitatis plenissimus (quo præcipuè signo suos à cæteris dignosci Christus voluit) ut in privatorum quorumque domos discipuli perquam sæpè cum fidelibus aliis convenirent, annunciantes, & docentes Christum per singulas domos: Ibique panem tùm frangebant, & unà cibum sumebant. In fine cap. 2. & cap. 5. act. Apost. Quibus in locis, Panem frangere Chrysostomus interpretatur, Alimentum cum jejunio & auctoritate sumere. Sic etiam legimus in Oecumenio. Hoc autem, Frangentes panem, dicit, ut frugalem, & inelaboratum ostenderet ipsorum victum. Frangentes verò panem, sumebant alimoniam, non autem delitias. Hoc sensu, Paulus in navi dicitur fregisse panem, & manducasse, Act. 27. Est ubi tamen, Fractio panis accipitur pro Sacrato pane, & Eucharistiæ participatione, jam dicto cap. 2. & 1. ad Corinth. 10. quod exponebamus in can. Apost. 3. Mos verò domesticatim conveniendi, panisque frangendi, hoc est, C simul epulandi cum exultatione, & simplicitate cordis, apud veteres diutissimè perduravit, ut hinc, & historiis aliis perquam multis Ecclesiasticis apparet. Quem tollere volens Eustathius, & conjugibus nolens communicare, à patribus excommunicatur. Undecimi canonis est argumentum.

Panem ... domos ... vicè frangere so... bant Ch... stiani. ... est, U... convivia & Agap... agere.

ET, qui Presbyteros conjugatos contemnunt, eorumdemque Liturgias non attrectant.

Nescio planè quid isti mentis habuerint: quove ore errorem suum defendere potuerint, existimantes ob initas aliquando nuptias ab altaris obeundo postea ministerio semel dumtaxat maritum perpetuò repelli debere. Petri socrus apud Marcum, & apud Lucam Philippi filiæ redarguunt eos. Cùm dixit Apostolus. *Oportet Episcopum unius uxoris esse virum*, dixisse mihi videtur, si maritus aliquis eo virtutis devenerit, ut idoneus sit, cui Presbyterii manus imponatur, & Ecclesia fuerit eo necessitatis adacta, ut assumere talem cogatur, assumi rectè potest. Nec enim, si non ipsa dissentiat, uxor sola (Nuptialis, puta, copula) Viri Chirotoniæ obstat, quod Apost. can. 6. declarabam. Synodi præsentis canon quartus huc pertinet.

Sacerd... & Ma... tus aliqu... unus e... potest. N... enim M... trimoniū repugna... Sacerdo... tio. Marci c. Acto. ... post. ... Dist. 26.

Λειτουργίας vertit antiquus interpres in Oblationes, & quandoque in Sacramenta, & in Sacrificia. Neque non benè, quod sæpius annotavi. Sed ubique vocem græcam relinquere malo. Sacrificium, Missa (quæ vulgo dicitur) Sacerdotium, Sacerdotale munus, Officium, quodcumque Sacerdotis in Ecclesia ministerium vocatur Liturgia.

Liturgia...

ET, qui Martyrum synaxes, & eo convenientes, atq; sacrificantes reprehendunt.

A librariis locum mutilatum fuisse judicavi ex vetere interprete, qui sic transtulit.

Loca Sanctorum Martyrum, vel Basilicas contemnere: & omnes, qui illuc conveniunt, & Sacramenta conficiunt, reprehendere.

Librarii festinantes in prælo suo primam clausulam reliquere: quam de postremo Synodi Canone sumptam

ptam reposui. Non est ad manum codex Hilarianus manu scriptus, unde fortassis incuria librariorum restitui posset. Editio Parisiensis anno 1540. corrupta est.

ET qui divites etiam condemnant, tanquàm spem non habentes apud Deum, nisi suis omnibus possessionibus, & facultatibus cedant.

Marc. 10. Lucæ 18. Matth. 7. Lucæ 13.

Divites in Euangelio comparantur Camelis. Hoc animal est tuberibus, & colli proceritate longum, tortuosum, vastum; quod itinere spatioso, latèque patenti solummodo potest agi. Cœlestis autem regni porta dicitur esse perangusta: & Via, qua tenditur illuc, est arctissima. Divitiis igitur onusti, pecuniis distenti, possessionibus tuberosi, pingues terræ (Cameli, videlicet, Euangelici) per angustam regni viam non possunt ingredi, nec intrare per arctam portam. Quod si contendant (sicuti contendere jubemur omnes) hoc demum facere valebunt, quum sarcinas, ac tubera pecuniarum deposuerint.

Bonæ quidem sunt divitiæ, sed periculosæ. Bona quoque paupertas, sed etiam periculosa. Propterea neque divitias, neque paupertatem dederis mihi, Domine. Prover. 30.

Id Eustathius reipsa præstari volebat, & esse necessarium dicebat: Ut se prædiis, pecuniis, facultatibus suis, & omnibus omnino terrenis bonis abdicaret, quicumq; syncerè Christianus esse desideraret. Nec alios, quàm sic nudatos, & spoliatos, in suam Synodiam recipiebat, asseverans malas, perniciosas, noxias, abominabiles esse Divitias. Si periculosas, fallaces, insidiosas, aliud agentes, & aliud pollicentes, denique si spinas appellasset, quæ bonum semen suffocare soleant, nemo contradicere potuisset. Dicenti verò Divitias natura malas, Anathema. Dicenti Divitias obesse religioni, Anathema. Non enim res ipsa, sed avaritia, cupiditas, utentium voluntas reddit aurum malum. Nec divitias habere, sed divitiis uti malè, & in divitiis confidere malum est. Quum dixit Dominus. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm Divitem intrare in regnum cœlorum*. Difficultatem rei proposuit, non impossibilitatem.

Super hujus Hæreseos damnatione Patres hìc legem non edidere specialem. Fuisse tamen damnatam cognoscimus ex Anacephaleosi concilii, in versu, *Et, Divitias*. Condemnatur etiam satis ex decretis in Canonibus 7. 8. & 12. Cuperem nos habere Clementis Alexandrini præceptoris Origenis librum, quem memorat Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis agens, inscriptum. *Quisnam dives salvetur*. Expedita quæstio foret. Hieronymus breviter explicavit ad Salvinam, citata superius Epistola. *Nec opes obsunt Diviti*, ait, *si eis benè utatur. Nec egestas facit Paupertatem commendabiliorem, si inter sordes, & inopiam non caveat peccata.*

ET, alia multa, quæ nemo numerare possit (*Eustathii sectatores facere, docereque deprebendebantur*) Unus enim quisque istorum, posteaquàm recessit ab Ecclesiastico Canone, tamquàm proprias, atque privatas leges instituit, nec enim communis ipsorum sententia. Nec unus animus postmodum fuit: Sed unusquisque, quod intra se cogitasset, hoc addidit in Ecclesiæ calumniam, & ipsius injuriam.

Quantum malum sit hæresis, uno verbo Patres Gangrenses explicat, cùm numerari non posse asseritur mala omnia, quę ab ea promanent, una enim hæresis mox aliam trahit, catenati quippè sunt errores, & juncta mutuo vitia.

Liber extat Augustini, De Pastoribus in 17. capita divisus. In 8. cap. refert ille Pastor verè sanctus, & exponit verbum Domini. Ezech. 34. *Erraverunt oves meæ* (dicit Dominus) *in cunctis montibus, & in universo colle excelso*, idest, in Hæreticis, quos illæ se-

Tom. 9. Oves errāt in monti-

A quuntur. Donati nempè superbia, Mons est. Parmeniani, Collis est excelsus. In montibus autem, & collibus istis, quos terrenus tumor, & superbia seculi extulit, & erroris novi Authores effecit, errantes oves, dum pascua quærunt, in montem terræ faciem dispersæ sunt. Idest, Hæreticos ubique reperiunt, ad quos deflectant. In terra nunquam defuerunt Hæretici, nusquamque desunt, aut defuturi sunt. Sed hìc alii, & ibi sunt alii. Diversis in locis diversi. Quos tamen omnes, ubicumque terrarum degant, una mater superbia genuit: ut una mater nostra Catholica Fideles, & Christianos orbe toto diffusos generavit. Non ergo mirum, si superbia dissentionem parit: ut Charitas Unionem. In asserendis Hæreticorum discordiis concordantem Patribus Augustinum vides. Quod nec ipsi negant, anticathegoriis, & mutuis recrimi-
B nationibus alter alterius vitam suam perniciosissimam prodentes: ubi Magos seinvicem, & simones Magos, & Cacodæmonas Furiis agitatos, Sabellianos, Manicheos, Anabaptistas, Horribiles blasphemos, Execrabiles bestias, Horrenda denique monstra se vocitant.

bus, quæ sequuntur pastores Hæreticos.

Hæresis Hydra verè est, & ποικίλος, & πολυκέφαλος, idest, Varia, sibi non constans, nec uno capite contenta. Legimus in Ecclesiasticis Historiis olim, quod & hodiè comprobamus. Ex una, vix dum quinquagenaria, quot eruperint Echidnæ: concolores quidem, ac similes in impietate, sed in impietatis genere dispares, nec unius coloris omnes. Antris, & cavernis dissident, nec una spelunca clauduntur. Sibili quoque dissoni, sed in perfidiæ veneno consonant adversus Ecclesiam: prout sequitur.

Hydra.

Hæreticorum diversi quidem sunt, atque multifor-
C mes errores: una tamen in omnibus est, atque similis voluntas. Mendax, & Vana, videlicet. *Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*. Psalm. 61. Quem locum sic interpretatur Augustinus enarrans octogesimum psalmum. Quamvis, ait, opinionum varietate discordent, simili tamen Vanitate colligantur. In pejus isti consentiunt, quamvis à seinvicem dissentire videantur. Ideo Samson caudas vulpium colligavit. Vulpes autem significant insidiosos, maximeque Hæreticos dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Hæc inibi Divus Augustinus. Post quem Patres in Lateranensi concilio sub Innocentio III. Papa 1215. dum per Excommunicationem de vineis, & segetibus Ecclesiæ Vulpes istas universas (quas Hæreticorum nomine
D generali volunt intelligi, tametsi specialia quædam magistrorum suorum nomina retineant) expulsas, & longè fugatas volunt, hanc demum suæ sententiæ causam reddunt. Facies quidem diversas habent, sed caudas adinvicem colligatas. Quia de vanitate conveniunt in idipsum. Concilii cap. 3. Illud verò; De vanitate conveniunt in idipsum, sic interpretatur Isidorus in fine cap. 5. libri octavi Etymolo. Hæreses, dum inter se multis erroribus divisæ, invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Ergo voluntas una est omnium Hæreticorum, scilicet, ut oppugnent, & expugnent Ecclesiæ simplicitatem. Sed oppugnantium machina non una. Regum tertius, & quartus liber, à Roboam filio Salomonis, & ab Hieroboam filio Nabeth., duorum regno-
E rum, Judæ, & Israelis historiam describit: Illam quidem simplicibus, & nudis verbis: quorum tamen abstrusior sensus Hieronymo designat Hæreticorum bella contra Ecclesiam. Quibus bellis, ut plurimùm suæ præfuerunt, ut etiam præsunt, Jezabeles, & Athalię. Nam, quæ fuit Hæresis unquam sine fœmina, vel duce, vel perpetua comite?

Etsi de opinionū varietate in diversum eant, de vanitate tamen unum sunt Hæretici. Opinio diversa est. Vanitas una.

Vulpes. Tom. 8.

Cap. 13. & 15. de Hæret. In antiq. can. quidam autem Hæretic. in fin. 24. q. 3.

Hieronym. ad Paulinū in præfatione Bibliorum. Tom. 3.

QUapropter hæc sancta Synodus in Gangris habita est, ac celebrata; Ut eos condemnaret, suisque regulis definiret ipsos foris, & extra Ecclesiam esse.

Hære-

Hæreticos intelligi vulpium nomine bis oſtendimus in ſuperiore colo propter aſtutias, & occultas ipſorum nequitias, quibus homines parum firmos invertere, vagos, & voluptarios, tàm facilè, quàm facilè Uulpes pirum comeſt (ut eſt in Proverbio) decipere ſolent. Ab his autem circumventos, atque ſupplantatos Hieronymus intelligit eorum nomine, de quibus in Pſalm. 92. canitur, *Partes Vulpium erunt*. Ideſt, in ſortem cedent, & in portionem crudelium, pariter & aſtutorum (quæ Vulpis eſt natura) Gnoſticorum, à quibus vorabuntur, & cum quibus in manus gladii, & in inferiora terræ mittentur.

Epiſcopis mandavit Dominus, ut iſtiuſmodi Vulpes in foveis ſagaciter inveſtigent, omni cum ſolertia venentur, & capiant. Hieronymus, & Auguſtinus in duobus antè citatis locis ita verbum Salomonis interpretantur, *Capite nobis Vulpeculas, quæ demoliuntur vineas*, Cant. 2. Divus Bernardus totus eſt in iſtius explicatione dicti. Sermone 65. ſuper cant. locum vidiſſe juvabit. Ad hanc venationem, capturamque Vulpium Patres Gangras convenerunt: ut hìc legitis. Quæ (ſicut initio diximus) una ſingularis, & ſumma eſt Eccleſiaſticorum conventuum cauſa juxta Innocentii tertii monita ſcribentis ad Archiepiſcopum Senonenſem. *Inter ſolicitudines noſtras illa debet eſſe præcipua, ut capiamus Vulpeculas, quæ moliuntur vineam Domini demoliri*. Vulpeculas (ait Hoſtienſis) ideſt, hæreticos, ad modum Vulpecularum latentes, & doloſos.

Ezech. 13. & Pſ. 80.

Capiendæ ſunt Vulpeculæ.

Videre ſupereſt, quid in deprehenſos Hæreticos ab Eccleſiaſticis, & Catholicis veniat agendum.

Cap. 10. de purg. can.

QUod ſi mentem mutarint, & Anathematizarint ea ſingulatim, quæ malè ſunt ab eis, & perperam dicta, definit ipſos recipiendos. Propterea ſancta Synodus expoſuit unumquodque, quod anathematizantes admitti debent.

Quonam modo reſipiſcentes, ad Eccleſiamque redire volentes Hæretici debeant ab Eccleſiæ præſidibus admitti, Patres hìc decernunt.

Qua ratione poſſit hæreticus ad Eccleſiam revertens ab Eccleſia recipi. Tom. 1.

Divus Athanaſius ſcribens Antiochenſibus tradit apertè conditiones, quibus à conventu Catholicorum pax iniri poſſit, & concordia ſanciri cum ſeditioſis Hæreticis, à ſcelerata ſua factione reſilire volentibus, & pacificè cum fratribus, qui permanſerunt in veteris Eccleſiæ communione, deinceps agere deſiderantibus. *Vos tanquam pii Patres*, ait, *iſtos benignè recipite: Nec amplius quid ab eis exigite, quàm ut omnem deteſtentur, & execrentur Hæreſim: confiteanturque Sanctorum Patrum in Nicæa fidem catholicam*, videlicet, univerſalis Eccleſiæ fidem. Tales quoque per pœnitentiam redeuntes Hæreticos, ab Eccleſia ſemper fuiſſe receptos, quin eos ad pœnitentiam multa cum ſolicitudine provocandos, Hieronymus exemplis, & canonibus majorum probat in fine dialogi ſuprà jam laudati, contra Luciferianos. Ambroſius in Alexandria vir dives, & nobilis, errore Marcionis infectus, ab Origene correctus, & converſus eſt, ab Eccleſiaque receptus. Quin & poſtea fuit Eccleſiæ Diaconus, inſignis gloria dominicæ confeſſionis, ut atteſtatur Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Agit Euſebius de hoc Ambroſio, cap. 18. & 22 & 36. libri ſexti Hiſt. Auguſtinus idem pariter affirmat adverſus Creſconium, cap. 11. 12. & 16. libri ſecundi, & innumeris aliubi locis. In quibus omnibus de bando, ſeu compoſitione pecuniaria nihil ego lego.

Ambroſ.

Tom. 7.

Verumtamen hìc eſt diligentiſſimè cavendum, ne ſimulanter Hæreſim verbis, & ore dumtaxat inficientur, animo, ſenſuque retineant. Et ideo, qui ſe reſipuiſſe dicunt, in primis (quod Baſilius jubet) ſuam pœnitentiam, ſive reſipiſcentiam ſcriptam demôſtrent: Et quod Hæreticos execrantur, ab hiſque ſeparantur. Id autem pro quorumcunque judicum tribunali feciſſe nequaquam ſatis eſt. Ævi tamen præſentis apud judices hypocriſis uſitatiſſima, quæ planè, pleneque perdit Eccleſiam noſtram. Se namque ſimulant, impoſtores, ad priſtinam veritatem reverti: Non ut pectoris venena deponant, ſed ut ea cæteris adhuc infundant, & interim, conniventibus judicibus, pœnas evadant. Hieronymi verba ſubſcribam, in principio cap. 3. & in fine c. 12. Hieremiæ Prophetæ. *Quotidie cernimus, & rebus probamus, quòd ideo Hæretici fidei ſimulent veritatem, ut ſimplices, quoſque decipiant: & non ipſi convertantur ad fidem, ſed fideles trahant ad infidelitatem*. Longè plus nocet falſus Hæreticus (ait Bernardus) quàm manifeſtus Hæreticus.

In Latinis ea eſt Epiſ. 72.

Diligenter cavẽdum, ne fictos catholicos

habeam... quos ap... tos hær... cos aliq... do novi... mus.

Tom. 7.

Quare Cyprianus iſtos recipi non vult ante Exomologeſim publicam, ante peractam publicè pœnitentiam cum ſatisfactione, ante manum ab Epiſcopo, & univerſo clero in pœnitentiam lapſis impoſitam. Multas hujus argumenti ſcriptas ejus Epiſtolas invenies lib. 3. ep. inter quas lege decimamquintam cum ſequenti, qua duriſſimè reprehendit, & exactiſſimè vetat, aut ipſis dari, aut pro ipſis offerri Euchariſtiam, ideſt, Sanctum Domini corpus. Hæc ſunt Epiſcopi, Martyriſque Dei verba. Præterierunt anni mille quadringenti. Per homines ergo Domini corpus offertur pro aliis: etſi non pro lapſis, aut hæreticis. Sed hoc parergon. Concludamus Auguſtinum ſequuti, quod ſciri non poteſt, an ſanati ſint Hæretici, niſi cum non ſolùm ſua dogmata falſa tacuerint, ſed etiam vera, ſuis illis contraria, tanto, quo ſolebant illa falſa, ſtudio defenſarint, Epiſt. 104.

Cap. ad abolendã de Hæret. in antiq...

D. cap. ... de purg. Canon.

Item ſcias, auditor Chriſtiane, dum Patres Hæreticum pœnitentem jubent in Synaxin recipi: Hos tamen non voluiſſe, quod Hæreſeos inventor unquam reciperetur ad communionem, quod etiam Deus noluiſſe videtur, Arrium fœda morte prohibens ab Eccleſiæ ſuæ ingreſſu. Athanaſius ad Serapionem ſcribens, hanc hiſtoriam narrat: & cauſam prohibitionis reddit, ne, tali recepto in Eccleſiam, videatur ſimul cum eo & Hæreſis recipi: deindeque impietas pro pietate habeatur. Marcion, dum Romæ pœnitentiam publicè confeſſus eſſet, haud aliter tamen ad Eccleſiæ pacem receptus eſt, quàm ſi cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret. Morte præventus conditionem non implevit. Hæc à Tertulliano referuntur in libro de præſcriptionibus adverſus Hæreticos. Eleutheri benedicti Pontificatu (tàm reverenter Papæ defuncti meminit) & Antoninorum principatu geſta, circiter anno Domini 180. Hieron. paulò ante finem dialog. contra Luciferianos. *In Alexandrina Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis authoribus Hæreſeos* (quos error excuſare non poteſt) *Hæretici pœnitentes ſociarentur Eccleſiæ*. Berengarius Andegavenſis Eccleſiæ Diaconus in publica Synodo Romana, cùm Nicolaus ſecundus præſideret, circiter anno Domini 1060. ex Auguſtini præſcripto fecit, quod Marcion non fecerat. Ideo receptus, & admiſſus fuit. Alioqui Hæreſiarches, qui lingua ſua tàm multos perdidit, pænitentia ſua non deſinit eſſe nocens: Nihilo magis, quàm fur, aut homicida, quem pœnitentem Leges quotidie gladio feriunt. Alius eſt Hæreticus (ait Auguſtinus) alius eſt homo credens Hæreticis. Quapropter iniquum putare noli: Si perpetuò rejiciatur unus, altero pœnitente recepto. Gregorius nonus judicavit, erroribus Hæreticorum credentes: Hæreticos ſimiliter eſſe diſcrimen nullum eſt inter pertinaces.

Tom. 2.

Can. ego Berengarius de c... ſecr. diſt. ...

L. Quis ... fugitivus ff. de edi... edict.

Initio ſtatim libri de utilitate credendi.

Tom. 6.

Cap. pen. de hæret.

De recipiendis fugitivis Hæreticis ad religionis veritatem redeuntibus dicta ſufficiant. Verùm, quid ſi pervicaciter pro more ſuo rixentur, nec errorem corrigere velint? De talibus ita Synodus cenſuit.

SI verò quis non paruerit his dictis, hunc, ut Hæreticum, Anathematizari, & eſſe excommunicatum, & ab Eccleſia ſeparatum opor.

oportebit. Et oportebit Episcopos evitare, cavere, & adversari omnes, qui tales apud ipsos deprehenduntur.

Can. Episcopi 26. qu. 5. Can. ad mensam 11. qu. 3. Can. omnis, qui recedit 24. qu. 1.

Hinc apparet, in Ecclesia Christi, quænam semper fuerit Hæreticorum pœna, qualis primùm, videlicet, à Paulo præscripta legitur ad Titum cap. 3. cum dicit, *Hæreticum hominem, post unam, & secundam correptionem, devita: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Adeoque devita, *ut ne cibum quidem capias cum illo*, 1. Corinth. 5. *Sed nec Ave dixeris illi; Nec in domum recipias*, In 2. Joan. Epist.

Hæreticus. *Excommunicatio.*

Ista, quam præcipit Apostolus, fuga, rejectio, repudiatio, vitatio, detestatio Hæretici; videlicet hominis Christianum se simulantis, Ecclesiam verò Christi novis opinionibus, & factiosis doctrinis perturbantis, & per verba legis (ut ait Ambrosius) ipsam legem impugnantis, est excommunicatio. Idest, ab omni fraterna Christianorum communicatione prohibitio, & interdictio, cum, videlicet, à colloquiis, & mutua fidelium conversatione, à sacrorum frequentatione, sacramentorumque participatione quis, ut immoderatus, & ἈΤΑΚΤΟΣ, ordinem, regulamque sequi nolens aliorum, removetur, & arcetur.

Mirum est, quod Hæretici discunt non blasphemare, in schola blasphemi Satanæ.

Paulus ista rejectione punivit illos in fide naufragos, de quibus in priore ad Timoth. cap. 1. & in posteriore ad eundem cap. 2. Videlicet, Hæreticos, qui finem, & bonam conscientiam de Jesu Christo repulerant, & abjecerant; aliosque sermone suo in simile naufragium præcipites agebant. Ideo Satanæ traditi fuerunt, ut discerent non blasphemare. Sed quonam, quæso, modo Hæretici non blasphemare discent in ejus schola, qui Pater est, & Author omnis blasphemiæ? Chrysostomus hìc tibi respondet. Ita sub Satana discunt Hæretici ab impietate, & hæresi temperare, sicuti fures, & Homicidæ traditi carnificibus, ut plurimum sceleratissimis hominibus, discunt non furari, vel occidere. Sic enim cognoscunt se deliquisse, & ab eventu persæpè contingit, quod neque dæmon, neque carnifex intendit.

Can. omnis Christianus 11. q. 3

Igitur Hæreticum tradi Satanæ, est à Christi consortio in diaboli contubernium detrudi propter ingens admissum crimen. Qui non est enim Christi, oportet, quòd sit Diaboli; quem si, subsequente pœnitentia, deserat, iterum fit & ipse Christi. Quapropter jubet Chrysostomus observari, quod Apostolus hìc, & 1. Corinth. cap. 5. *Non dixit, dare hujuscemodi hominem Satanæ, sed tradere. Aperiens ipsi pœnitentiæ januas, ac tanquam pædagogo tradens ipsum diabolo.*

Can. audivimus 24. q. 1. *Can. Ananias 17. q. 1 Can. quod Christus 23. q. 4.* *Apostolis in corpus, & in animam jurisdictio data.*

Talis verò traditio (quæ dicitur à nobis excommunicatio) quandoque fit absque molestia, seu vexatione corporis, ut illis naufragis inflictam fuisse videmus. Et est ista Spiritalis traditio, cui nonnunquam accedit etiam corporalis, cum corporis (puta) cruciatu conjuncta, & quemadmodum loquitur Apostolus, *ad interitum carnis*, ut etiam depulsus à piorum societate luat insuper & pœnas in corpore. Quod pœnæ genus illatum legimus per ipsosmet Apostolos enormibus quibusdam criminibus puniendis. Quale fuit Ananiæ mendacis: quale fuit & Bar-Jesu, rectas Domini vias subvertere non desinentis, Act. 5. & 13. Illius quoque incestuosi Corinthii. Nec enim defuit Apostolis authoritas etiam corporaliter illos puniendi, qui se pertinaciter avertebant à fide, vel infamibus aliis erant operti criminibus. Id affirmat Chrysostomus in eo c. 1. ad Timoth. Eoque pertinere dicit illam, quam Paulus Corinthiis minatur, virgam, scribens eis, *Quid vultis? In virga veniam ad vos? An in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1. Corinth. c. 4. (quærit Chrysostomus.) *Quid est in virga? in punitione. In supplicio, hoc est, perdam. Cæcabo.*

Can. Schismatici 23 qu. 6.

Cœlestis est ista planè, divinaque potestas, in corpus, & animam simul Apostolis, Apostolorumque successoribus, à Deo concessa, de qua publicè gloriabantur;

A & qua parati semper ad ulciscendam omnem inobedientiam, nonnunquam durius, nonnunquam, pro re nata, lenius utebantur: *ad ædificationem tamen, non ad destructionem*, 2. Corinth. c. 10. & 13.

Can. de excommunicatione 24. q. 3.

Chrysostomus deinde subjicit, Apostolos per seipsos adversus eos, qui non credebant, & pervicaciter credere nolentes fidei doctrinæ resistebant, hanc tantam exercuisse potestatem, velut in Anania factum fuit. Sed in discipulos apostatas, puta, qui defecerant ab auditis, & jam creditis per alios crimen hoc Apostasiæ vindicabant, & hos alii puniendos tradebant. Viri sancti verba proferam, quò planum fiat, quod dico. Sunt in eo cap. 1. Prioris, ad Timoth. *Denique, quid infideles? etenim Ananias infidelis erat, Apostolos enim tentabat. Ut infideles itaque addiscerent, quod* B *latere non possent, ideo per seipsos Apostoli puniebant illos. At eos, qui jamque didicerant istud, & à via postea digrediebantur, Satanæ tradiderunt: Ostendentes, quòd non propria virtute, sed Apostolorum custodia continebantur, & vallabantur, quicumque se contumaciter in superbiam efferebant. Ut igitur videmus in Regibus, qui suos hostes in bello trucidant suis propriis manibus, sibi verò subjectos tradunt lictoribus: Ita hic.*

Hæretici nolunt Hæreticos corporaliter puniri: sed Heresi suæ liberos dimitti volunt. Et hoc etiam Sicarii de se volunt.

Audis Chrysostomum. Sed aspides surdæ, quæ suas obturant aures (istius ævi, scilicet, Gnostici) non audiunt hanc auream vocem. Nolunt enim pars istorum maxima, vinculis, inedia, jejuniis, carcere, pane doloris, & aqua tristitiæ, denique scuticis, & flagris ab Ecclesiarum præsidibus Apostatas coerceri. Cum ta- C men ad Pastoralem diligentiam (sicut est in Augustino) pertineat oves perditas, & à grege aberrantes, inventas, ad ovile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, ac etiam doloribus revocare, Epistola 50. de quo & nos agebamus in Can. Apostol. 27.

23. qu. 6. Can. Schismatici.

Maternis autem plagis non emendatos nolunt aliis in cædem carnis tradi: sed suæ quemque conscientiæ, suæ, sibi quamcunque finxerit, religioni solutum relinqui volunt: cum Donatistis planè, Circuncellionibus, atque Manichæis clamitantes, *quem coegerunt Apostoli? Cui vim fecerunt? Credere, vel non credere liberum est.*

Tom. 2.

Hæresibus hanc super Hæresim cumulantes ad hoc usque tempus, omnes, quotquot abyssi puteus effudit (effudit innumerabiles) Hæretici contenderunt, D Imperatores, & Principes, etiam Christianos, in Euangelii causa debere nihil, aut posse jubere: Nec ad eos hujuscemodi rerum curam pertinere. Vocant homicidas, & reos agunt sanguinis Ecclesiasticos, qui terrenis potestatibus hæreticum judicandum tradunt: & auxilium postulant à regibus, & magistratibus adversus ipsorum tumultus, & insolentias non ferendas; quas nequit amplius Ecclesiæ pia manus continere, nec potest Ecclesiæ virga coercere. Quibus dudum respondit Augustinus duabus prolixissimis, & utilissimis Epistolis, aut verius libris, ad Vincentium Rogatistam. Priore, qui nulla vi, sed solo Dei verbo disputabat, agendum esse cum hæreticis, ea est quadragesima octava. Altera est quinquagesima, ad Bonifacium virum militarem, de Cæsaris comitatu, cui demandata fuerat Aphrica regenda. Consulebat, an age- E re liceret legibus imperialibus in hæreticos? & licere probat Augustinus; castigarique debere, si resipiscere nolunt: attamen citra pœnam mortis, quamvis atrocia facinora commiserint, & quæ lex capite punit. Non quia mortem non sint illi commeriti: sed quia mansuetudinis Ecclesiasticæ non est, mortem miseris imprecari, quare totum committit arbitrio, religionique judicantis. *Audire namque soleo* (inquit) *in judicis esse potestate molliri sententiam, & mitius vindicare, quàm leges.* Ista forte didicerat ex Ulpiani responso, quod invenies in Pandectarum libro 48. Titulo 16. Videas Epistolas 158. 159. & 160. Quæ scribebantur omnes circiter annos Domini 390 ad

l. hodie ff. de pœnis.

annum

annum 430. sub imperiis Gratiani, Valentiniani 2. Theodosii senioris, Arcadii, Honorii, Theodosii junioris, & Valentiniani 3. Novis hi legibus observari præceperunt antea latas à Constantino Magno, Filiisque, Leges in Hæreticos: novasque tulerunt. Quo etiam tempore, Nazianzenus Olympium suum, Provinciæ præsidem clarissimum, super Apollinaristis, hoc interpellat modo, cum gravia, nec pientissimis ferenda regibus dixisset Hæreticorum scelera, subdidit, *Persequi velis eorum commissa: quamvis ipsorum flagitiis, & arrogantia minus*. Ea est Epistola (nisi me supputatio fefellerit) 137. inter Epistolas Basilii Magni.

Sed forsitan quæris, quænam fuerint adversus Hæreticorum seditiones Christianorum Cæsarum leges? Expediam paucis, quia res in promptu est ex titulo 8. libri primi Codicis Justinianei.

Regum Christianorum leges adversus Hæreticos. Monarcharum primus Christum Deum publicè coram hominibus confessus est Constantinus Magnus. Is inde constituit, ut res, & bona convictorum Hæreticorum pervicaciter unitati resistentium, suarumque congregationum loca fisco vendicarentur. Hanc legem repetitam leges in duabus illis Augustini modò citatis prælongis Epistolis. Extat & altera lex ejusdem principis, quam refert Eusebius in fine libri tertii de vita Constantini, quæ sic habet. Imperator Catholicus ibi scribit Hæreticis: causamque non unam reddit, cur exterminatos esse velit. Inter alias & eam ponit, quam vides, sic dicens. *Per hanc legem præcipimus, ne quis vestrum colligere, sive collectas facere amplius audeat. Et propterea cunctas ædes vestras, in quibus talia synedria, seu conventicula peraguntur, everti jubemus*. *L. Conventicula.* Arcadius, & Honorius, annis postea circiter centum, vel octoginta, non destrui, sed proscribi domos illas mandarunt. Lex est 15. de Episcopis, & Clericis, C. Tres Constantini filii, Constantinus, Constantius, & Constans primo post obitum *L. 1. C. de Hæretic.* Patris anno, scilicet anno Christi 340. tulere legem, qua, Privilegiis, & favoribus omnibus Regioni generaliter indultis, & concessis hæreticos excludunt. Appellatione religionis noluerunt hæreticorum phantasias, & novas cantilenas intelligi, quantum de Christo, de puro Christi cultu, meraque religione garriant illi. Non enim sunt Ecclesiastici, vel Christiani. Nec illorum cœtus, & synaxes appellare decet Ecclesias, nisi dicas, πονηρευομένων. Prout est in Psalmo. Parasynaxes nominantur in lege Martiani. Αἱρετικῶν συνέδρια ἐκκλησίας ὀνομάζειν οὐ προσήκει. Hæreticorum Conventus Oratoria nominare non convenit, hoc invenies in citata modò Constantini ad Hæreticos Epistola. Theodosius Major mitius egisse videtur, quàm Constantinus adversus hæreticos. In convictos enim dumtaxat decem librarum auri pœnam constituit. *Tom. 7. in fin. lib. 1. ff. de pœn.* Ut refert Augustinus ad Dulcitium tribunum scribens, Epist. 68. & cap. 47. libri tertii contra Cresconium. Non dubito, quin vetus illa Romana lex in eis observata fuerit: Ut si qui fortassis egentes eluderent hanc pecuniariam pœnam, subirent extraordinariam coercitionem.

L. 5. & 6. C. de Hæret. Duo Theodosii nepotes, Junior (dico) Theodosius, & Valentinianus 3. austeriores, ac severiores in hæreticos fuere: quos omni solo Romano, post omnium bonorum publicationem, jusserunt exulare, omnibusque modis intestabiles esse. Voluerunt insuper & Manichæos, & Manichæis consentientes nominatim capitali supplicio tradi. Quam legem nòn vidit Augustinus. Data nempe fuit Constantinopoli 3. Kal. Julii, Felice, & Tauro coss. hoc est, anno Christi 430. Quo ipso anno Divus Augustinus 5. Calendas Septembris (hoc est sexaginta solis post eam datam legem diebus) obiit Hipponæ, Gothis Aphricam vastantibus. Eo nondum lex pervenerat. Nam scribens Augustinus ad illum tribunum Dulcitium, cum moneret hominem, ne Donatistas (qui Manichæos tamen, sive Macarianos habebant pro Catholicis) occideret, sed tantummodo corrigeret, sic ait. *Non enim tu in eos jus gladii ullis legibus accepisti: aut imperialibus constitutis, quorum tibi injuncta est executio, hoc præceptum est, ut necentur*, Epist. 61. In libro legum novellarum Theodosii Junioris titulus est, de Judæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis, qui secundus est. In quo præter cætera, sic illi cum Valentiniano jubent. Præterea bona sua proscripta cernat, mox pœnæ sanguinis destinandus, quicumque fidem alterius expugnavit perversa doctrina. Vocant hanc jussionem Trabalem, quasi diceres, Trabali clavo fixam, quod Proverbio fertur, hoc est, indissolubilem, & nunquam movendam legem, datam Constantinopol. pridie Cal. Febr. Theodosio Augus. 17. Cos. hoc est, anno Domini 441. Neque tùm primum damnare cœperunt Hæreticos ad mortem. Nam Priscillianus & sæculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus antea fuerat, ut Author est Hieronymus ad Ctesiphontem contra Pelagianos. Id actum Treveri, cum Valentinianus II. & Major Theodosius regnarent, anno 388. plus annis ante Theodosium Juniorem quadraginta, quod à Prospero scriptum legimus in principio sui Chronici.

Martianus Imperator anno postea 459. generaliter sancivit, ut quicumque illicita, & hæretica docere tentarent, ultimo supplicio coercerentur. Auditores, ac discipuli decem libris auri mulctarentur. In hæresi deprehensi deportatione damnarentur. Hæreticorum præterea libros conquiri, ac publicè comburi jussit. Quod & anteà Theodosius Junior, & Valentinianus fecerant. Imitati Constantinum, qui lege præceperat istorum libros exquiri, & auferri de medio, sicuti refert Eusebius in citato tertio libro. Mos in Ecclesia vetustissimus, ut impii libri comburantur, Act. Apost. cap 19.

Diversas externarum potestatum leges in Hæreticos videmus: Pecuniarias quasdam, nonnullas capitales, quarum causa generalis una est omnium pœnalium legum, ne maleficia remaneant impunita. Hæresim crimen esse, ac maleficium, crimen (inquam) publicum, quod omnes offendit, quod in omnium fertur injuriam, denique quod nos excludit à regno Dei, non minus quàm vel idololatria, furta, homicidia, vel adulteria, vel alia quævis opera damnata, Galatis enumerata, nemo dubitat, nisi qui de Paulo dubitat. Si verò crimen est hæresis, ergo Reipublicæ expedit, ut puniatur. Et ut exacerbetur etiam maleficii supplicium, quando, multis personis grassantibus, opus est exemplo. Quæ causa est justissima, cur, Ecclesiasticis (ne diutius opprimatur, & vexetur ab improbis, & malignis Ecclesia) denunciantibus, ad capitis quandoque periculum, non ad bona tantùm, pro motu animi sui legem suam Princeps extendat: & maleficos vivere non permittat (quod judicium præcepit ei Dominus) nec opprobrium dissimulet illius, qui nostra omnium probra delevit.

Ab Augustino docti dicere nostri solent in Canonibus, & Ecclesiæ legibus hæreticorum pœnas esse quatuor, excommunicationem, depositionem, rerum ablationem, & militarem persecutionem. Qua postrema, pertinaces de more concremantur. Ut enim transfugæ per leges civiles vivi exuruntur, ita Gnostici quoque damnandi videntur, cum, prodita Christianorum civitate, deficiant, & ad hostes transfugiant. Hostiensis Cardinalis exponens cap. 9. de hæret. in antiq. ubi est: Quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, arbitrio sæcularis judicis relinquatur: debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem. Ultio debita (inquit) est ignis crematio, quam pœnam generalis approbat consuetudo, secundum quam igni traduntur hæretici universi. Deinde citat illud Christi prognosticum Joan. 15. quod huc totum pertinere dicit. *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut Palmes: & arescet: & colligent eum: & in ignem mittent: & ardet.* Hostiensem reliqui nostri com-

Trabal[…] *Tom. 2.[…]* *Hære[…] prædica[…] tes, mo[…] audente[…] pecunia[…] servant[…] deporta[…] ne plect[…] tur, lib.[…] de Hære[…]* *l. ita v[…] neratur[…] ff. ad le[…] aquil.* *In fine l[…] aut fa[…] 16. ff. pœnis.* *13. quæst[…] Can. re[…] cap. 15. Jud. in a[…] tiq.* *l. 8. Host[…] ff. de p[…] c. ad ab[…] lendam.*

commentatores insequuntur: Aridis palmitibus, arbori fructum non ferenti, paleis, zizaniis ignem Christus ubique minatur: inextinguibilem quidem illum, & æternum, quo sunt, qui se ab eo per hæresim disjungunt, arsuri perpetuò, quid vetat infelices istos hic sua, Dei jam judicio, prævenire tormenta; *Vindicta carnis impii, ignis, & vermis*. Item, *Synagoga peccantium est veluti stupa collecta: & consummatio illorum flamma ignis*. Præterea, solidorum, sive monetæ publicæ corruptor, & adulter illico flammarum exustionibus à lege mancipatur. Euangelii corruptoribus, & adulteratoribus (idest, illud suo sensu, non Ecclesiæ Catholicæ, majorumque tractantibus, & interpretantibus) Gnosticis par supplicium debetur.

Eccl. cap. 7. & 21. l. 2. C. de falsa-men.

Nihil (ajunt isti) corrumpimus, aut innovamus; imò corrupta per vos, & omnes majores vestros adulterata restituimus, & curamus. O Christe, patientissime Domine, qui tot annis inversionem prædicationis tuæ sustinuisti, donec tibi Prædicantes isti subvenirent! Istis jamdudum Tertullianus sic respondit, Marcionem confundens, quid aptius aliud respondere possumus? quandoquidem sunt & Marcionistæ.

Lib. 1.

Sed objiciunt, Apostolos, & Apostolicos viros à Regibus, & Principibus terræ contra persecutores, & adversarios suos auxilium numquam petiisse, patienter omnia propter Christum sustinuisse. Quamvis hoc verum foret, malè tamen colligeretur, quod nec postea fas fuit petere. Ab amico namque peto, quod non ab hoste. Præterea ex mera negativa nihil concluditur. Atqui falsissima sumunt, quod duobus in locis Aristocratiæ nostræ disputantes ostendimus, cùm de utroque apud Ecclesiam gladio, deque mero Ecclesiæ imperio dissereremus. Ab insidiantibus, & conjuratis in se Judæis, cùm sibi timeret Paulus, ad Tribunum confugit: à quo supra quadringentos milites accepit ad sui defensionem. Quid, nisi interfecturos, quicumque repugnassent? Ergo Paulus effusi sanguinis reus? Hierosolymis idem judicari noluit, sed ad Cæsarem provocavit? Quid agis, Paule? Christus Angelorum legiones auxilio sibi non accersivit, imò nec gladiolum quidem stringi voluit, quo protegeretur ab invasoribus. Impiè damnatus, velut ovis coram tondente siluit, non appellavit: Et Centuriones, ac Tribunos tu solicitas? Cæsarem appellas? Facto suo respondet Apostolus argumentum non valere, quod à negativa trahitur. Cùm dispensationis alia sit, & alia ratio.

In fidei, & Ecclesiæ rebus Christi fideles ab infidelibus principibus auxilium petierunt. Act. 23. & 25.

Can. Maximianus, 23. qu. 3.

Sed Gnosticos ostendamus dicere falsa, quanquam se falsarios ubique dissimulent. Ab idolorum servis, & infidelibus Apostolici viri non semel implorarunt, & obtinuerunt auxilia. Quod nemo non audivit, inculcans hìc referam Lampridii verbis in Alexandri Mameæ vita. Dum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contrà, Popinarii dicerent eum sibi deberi: rescripsit Imperator, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur. Id Origenis ætàte gestum sub anno Domini 230. Circiter anno Domini 260. Galienus ad Christianorum supplicationem vetuit edicto publico, ne quis ipsis negotium facesseret, aut molestus esset. Iisdem quoque postulantibus ea loca restitui jussit, quæ vocabant Κοιμητήεια. Refert hoc Eusebius in cap. 13. lib. 7. Cùm scelestus, & impius Paulus Samosatenus Antiochiæ propter execrabilem hæresim fuisset à Catholicis Episcopis excommunicatus, ordineque depositus, neque tamen vellet Ecclesiæ domo excedere, sed eam vi retinere contenderet, à Christianis interpellatus Aurelianus Imperator, præcepit, ut illa domus traderetur eis, quibus Italiæ, & urbis Romanorum concordes Episcopi tradendam scriberent. Sic igitur homo deprehensus extrema cum sui sceleris infamia per mundanam potestatem depellitur Ecclesia. Author idem in ejusdem septimi libri cap. 30. quod evenit circiter anno Domini 280. Itaque Gnostici desinant Ecclesiasticos increpare, quod adversus ipsorum furores modò concitent, & arment reges, ejusdem

Gentiles pro Catholicis contra Hæreticos.

A præsertim secum dogmatis, atque fidei cultores.

Te scire tamen, auditor Christiane, velim, Gnosticos hìc opinionibus etiam variare, quas pro modo virium suarum subinde mutant. Apostasiæ suæ principio, cùm paucos adhuc, & debiles sectatores habent, ipsi tùm nolunt, quod in se judicia de religione exerceantur. Sed tùm libris editis, atque sermonibus suis prædicant nolle, neque debere sævire cautos homines, quia vident se non posse. Cùm sua verò factio crevit, & efferos, barbarosque populos, mundique principes nonnullos, Belial filios, Satanas ipsis conciliarit, è vestigio prodeunt in publicum libelli clamitantes, occidite, mactate, pervicaces istos hæreticos vivere non sinite: nec alia manu, quàm carnificis, istarum bestiarum cervices rebelles, & contumaces frangi posse putant. Hic utor ipsorummet verbis. Viderique volunt scripturarum pondere contradicentes obruere. Hæreticos autem vocant eos, qui dissentiunt ab ipsis, Catholici quicumque tandem sint.

B

De singulis exinde Canonibus agamus. Quos inprimis sciamus omnes esse jam latæ sententiæ Canones, idest, Patres ex eo tempore, quo damnarunt ista, velut Hæretica, subjecisse mox omnes anathemati, quicumque pertinaciter in has aut lapsi fuerant, aut postea laberentur, hæreses: neque moniti resurgere vellent. Sanè, si convicti fuerint, & ab Ecclesia tales (videlicet, hæretici contumaces) pronunciati, seu declarati fuerint: eo ipso suppositi sunt pœnis in hæreticos per Canones decretis. Et alia non est opus sententia, quàm quæ sit admissi criminis declaratoria, puta, quòd obstinati sunt hæretici. Ergo jure ipso, idest, jure disponente, & hoc statuente, sunt excommunicati. Græcum illud, ἐϛῶ, quòd est ἐνεςῶς προςατικῶ, Latinum pariter illud sit. Et alia quæcunque sunt præsentis temporis verba, cùm vel à lege, vel à judice proferuntur, sententiam tùm quoque proferri denotant. Anathema esto. Sit excommunicatus. Anathemati supponatur. Excommunicatione plectatur, & in similibus: statim post admissum crimen intelligitur delinquens incurrisse pœnam. Docetur hoc in scholis nostris, cap. 12. de foro competen. De quo rhapsodia extat Felini satis prolixa in fine cap. *Rodolphus*, de rescript. Cùm dicitur in Euangelio, *Sit tibi velut Ethnicus*, Matth. 18. Rursusque Joan. 3. *Qui non crediderit, jam judicatus est*. Cùmque jubet Apostolus hæreticum non obedientem vitari: causam reddens, quia sit proprio judicio condemnatus. Non aliud intelligendum puto, quàm quod hìc dicimus. Etiamsi taceant homines, & si delinquens per Sacerdotes ab Ecclesia non expellatur, excommunicationis tamen pœnam esse perpetuam comitem delicti. Neque benè consequi, non est probatum crimen. Hypocrita non est declaratus hæreticus. Ergo non est excommunicatus. Ipse namque semet excommunicavit, cum suo solus arbitrio de Ecclesia recessit. Quisquis in hæresim jam semel damnatam labitur, ejus se damnatione involvit: nova non opus est sententia: Quod propter fictos, & simulatos modo nescio quàm multos dixerim: qui pro veris tamen, ac sinceris magis Christianis volunt haberi. *Quicumque* (ait Hieronymus) *aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licèt de Ecclesia non recessit, hæreticus tamen appellari potest.*

Heretici sunt ipso jure excommunicati.

C

Cap. Novit. de jud. Can. Benedictus, de pænit. d. 4.

D

2. qu. 1. can. 1. & can 3. Omnis Hereticus, sive manifestus, sive occultus est excommunicatus, Can. Heresis, 24. qu. 3.

E

Neque putes Armenios solos, & Paphlagonas hisce Canonibus teneri: quia sint in metropoli Paphlagonum conditi, à qua Synodus ipsa nominatur Gangrensis, ut initio declaratum fuit. A locis, in quibus habentur, etiam generalia Concilia sortiuntur nomina sua singularia: Nicænum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, &c. quæ non propterea singulares talibus dumtaxat in locis constituunt leges, imò sunt omnium locorum communes.

Atqui non universalis omnium ex habitabili terra Episcoporum congregatio, sed particularis extitit: in quam de certis Provinciis pauci convenerunt. Hoc ve-

rum. Non ligat igitur universos. Hoc falsum. Quando lex particularis generali ratione, & quæ sit omnium communis, innititur: idemque jubet, aut prohibet, quod lex generalis potius esse videtur, quàm lex aliqua nova. Canones autem Gangrenses nihil sanciunt, quod Apostolicis Canonibus, ac litteris non contineatur. Insuper ab universali recepti sunt Ecclesia: per Pontifices etiam comprobati sunt: ergo generales, & universales, atque publici sunt. Quod etiam dictum volo de Carthaginensibus, Sardicensibus, Aurelianensibus, Arelatensibus, & aliis omnibus Eparchicis, Topicis, aut Mericis Ecclesiarum conventibus.

Can. quoniã, & seq. dist. 16.

Pergam ex dicto Quintino juris Doctore, ac Professore ordinario in Parisiorum universitate, qui acrior quibusdam videri possit in Hæreticos, quamvis ei non contradixerit Theologia in hoc, quod de excommunicatione hæreticorum asserit, cum hoc additamento, quod licèt sint excommunicati, non sunt tamen vitandi adhuc sub pœna excommunicationis, donec nominatim denuntiati fuerint. Dico vitandi sub pœna excommunicationis: namque jure naturali semper vitandi erant ab omnibus, qui ex ipsorum periculosa conversatione detrimentum in anima incurrere possent, ut taceam de jure divino positivo, quo idem cavetur.

Advertentiæ ejusdem ad Canones Synodi Gangrensis.

Ad I. Canonem.

SEditiosus Monachus Eustathius, cum suo synmonacho Aerio, Encratitarum sectabatur hæresim. Inter alios infandos errores, quibus Ecclesiam turbabant, à Patribus in præsenti Concilio notatos, atque damnatos, unus erat ab Apostolica doctrina, si quis unquam fuit, alienissimus, puta, Nuptiarum contemptus, & execratio. Dicebant enim, Matrimonio convenire nihil cum Dei, & Euangelii regno. Propterea (sicuti post videbimus) Uxores nolebant suis viris cohabitare: sed ad innovatores istos Apostatas, castæ, scilicet, ac religiosæ mulieres transfugiebant. Ut nunc etiam Gnosticorum persuasione faciunt, omnes œstro simili percitæ: sibi, videlicet, conditionem quærentes.

Matrimonium, quamvis unà cum duorum primorum hominum creatione statim quoque fuerit ab ipsomet creatore institutum, suis tamen calumniatoribus, & hæreticis oppugnatoribus non caruit, neque dum caret: aliis aliter hoc tàm sanctum maris, & fœminæ consortium, pro suo quippe sensu prophanè tractantibus.

Gen. cap. 2.

Matth. 19. 35. qu. 10. can. 1.

Uxoris, & mariti conjunctionem quidam non pluris facere videbantur, quàm quorumvis animalium coitionem: quæ subinde, prout moventur, altero derelicto, ad alterum ineunt. Sic illi conjugum repudia, nuptiarumque divortia, vel nulla, vel levi de causa fieri non improbabant, nec adhuc improbant. Hos Apostolorum canon quinquagesimus abundè refutat. Ibi causas confutationis exponebamus. Diversi mihi non videntur alii, qui simul uni plures concedunt uxores, cùm Deus inseparabiliter uni soli conjunxerit unum solum. Utraque spurcissimi Mahumetis opinio, non tantùm mutationem pro libito, sed uxorum quoque multitudinem concedentis in nuptiis. Octodecim simul habuit, alienarum prætereà quamplurimarum corruptor, & adulter impurissimus. Ego (dicebat asinus ille magnarum carnium, fœtidissimus Arabs) virorum quadraginta vires in meis lumbis habeo. Legas Alcoranum, didicerat hoc à Nicolaitis. Neque velim mihi Patriarchas hìc alleges cum suis uxoribus: illi namque suæ legi, suoque tempori servierunt. Nostræ pariter legi, nostroque tempori serviamus, ut admonet Hieronymus. Cujusvis Christiani cœlibatus non est Abrahæ, vel Jacob nuptiis anteferendus. Hæc prima de nuptiis Hæresis.

Hæreses multæ circa matrimonii sacramentũ.

Mahumetis infana libido.

Can. quis ignorei, & seq. 32. q. 4.

Altera fuit eorum, qui nuptias quidem recipiebant, sed unas duntaxat, & primas: Secundas autem, repetitasque post conjugis mortem, damnabant, & crimen esse dicebant. Quæ fuit Hæresis Catharorum: veniens à Montano quodam, primæ post Apostolos in Phrygia successionis, cum Priscilla, & Maximilla suis insanis vatibus. Unde κατὰ τῶ φρυγῶν nominatur. Quæ Tertullianum decepit, alioqui sanctitatis, & doctrinæ excellentis presbyterum: continentiæ, puritatis, & omnis abstinentiæ amatorem maximum, quod indicant ejus libelli .... de pudicitia, de jejuniis, de monogamia. Nicæni Patres ab Hæresi conversis hanc abjurari præcipiunt in octavo Concilii canone. Non damno digamos (ait Hieronymus) imò nec trigamos, &, si dici potest, octogamos, in apologetico pro libris contra Jovinianum. Nulla certè jura Digamiam condemnarunt unquam. Civilia tamen eandem puniunt, & à Canonum commentatoribus disputatur. Nunquid & à Canonibus hæc etiam puniatur. Obiter hìc dicam, non aberrans à via longè. Chrysostomus apud Gratianum vocat Digamiam, honestam quamdam fornicationem. Convicii nonnihil est in hoc verbo, sonareque videtur in aliquam pœnam, si non in aliam, certè in malæ existimationis pœnam. Quare non ab omnibus pecuniariis mulctis excusare vellem Viduam nubentem. Videas Archiepiscopum Panormitanum in d. cap. 5. Erraret tamen ille graviter, qui propterea secundò nubentem, vel secundam uxorem ducentem virum peccare diceret.

Cataph ges ex circa tẽ ra Ma Antonin Sub ann D. 160.

Can. Ap riant, ca Hæc rat ne 31. q. Cod. de s nupt. A th. de nu collat. 4. Cap. 4. & de sec nu in antiq. d. Can. H ratione.

Digamia quidem est peccat pro foribu tamen pe catum st bulatur.

Ex abysso locustarum, una nuper evolavit, eorum dux, & antesignana, qui postea nihil divini, nihil gratiæ credentes inesse Matrimonio, negarunt illud esse sacramentum. Nunc alienum foret hanc impietatem pluribus confutare. Mihi non videtur abesse procul ab ea, quæ nuptias vituperat, quam præsens canon anathemate damnat. Gratianum cum suis commentatoribus ad eas 27. q. 1. & recentiores in tit. de sacram. non iterand. Non semel à nobis usurpata vox magni cujusdam Romæ civis (Scauri, ni fallor) ἐρωτήσῃ rogabo. Mihi, quæso, bona fide respondete. Augustinus cum tota Catholicorum schola, dicit matrimonium esse Sacramentum: πηλώδης, aut Myconinus (homines heri nati) Matrimonium dicit non esse Sacramentum. Utri magis vos creditis, & addicitis? Ubicumque de moribus antiquis, de vetustis Ecclesiæ Conciliis, de Patrum priscorum legibus aliquid, imò cuncta, Gnostici negant, omnia confundunt, & innovant, haud aliter interrogatos volo vos, quos non dubito, variis istis explosis, Scaurum sine mora sequuturos.

Hìc alio currens obiter admonebo, Cœlibes à nobis vocari, qui conjugem nec habent, nec habere volunt: Viduæ, Virgines, & omnes, qui castè vivere proponunt. Ideò Cœlibes appellati, qui cœlo sint digni, quia coitu careant. Ita scriptum reliquit Hieronymus in fine libri secundi contra Jovinianum, quod Accursius in dicto quoque tit. sentit. Hoc etymum Pompejus Festus de antiquis vocabulis etiam tradit. Ut sint Cœlibes dicti, quasi Cœlites. Et sunt Cœlites, qui sibi faciunt iter ad cœlum, ut ait Augustinus. Ergo qui meretricatur, scortatur, adulteratur, Cœlebs propriè non habetur. De Grammatica tractans Augustinus, ait, Cœlebs dicitur, qui non habet uxorem, vel quæ non habet maritum: qualia sunt numina in cœlo, quæ absque conjuge sunt: si Agapetas non attendamus. Hæc Augustinus. Α᾽γαπηταὶ, id est, Dilectæ, nomen hoc nonnullis visum fuit honestius, quàm vel Amicarum, vel Concubinarum, sic occultas suas voluptates obtegere se credentibus. Auditor Christiane, scito, quod in suis Ecclesia non approbat nescio quem dissolutum cœlibatum, sine continentiæ voto, dum quis (ut vulgi circumfertur joco) neque Presbyter, neque maritus, ac neque mortuus est. Aut nubant, aut voveant.

Cœlibes.

Tom. 1.

Can. Lect res, 32. di

In hanc Hæresim, quæ, cœlibatu reprobato, connubia sine discrimine cunctis imperabat, Apostolus de cœlibatu quæstionem moventibus Corinthiis scri-

Eccle neque f des, ne dissuad conjugi

scribit: . . . Agamis, & viduis dico: Bonum eis esse, si sic maneant: Quòd si se non continent, matrimonium contrahant: Igitur nemo compellatur ad matrimonium, sed etiam, Nemo contemnat Matrimonium, quod præsens canon vetat, alteram circa nuptias Hæresim condemnans, quæ sequitur . . . .

8. q. 1. can. icenim, & liis seq.

Quidam omnino prohibebant matrimonium.

Omnem virorum cum fœminis congressum quidam non secus detestabantur, quàm si cum dæmonibus pessimis, animi tranquillitatis, & omnis honestatis hostibus infensissimis, coiretur. Eaque μισογύνεια laborabant, ut hominis partem quidem mediam, supra umbilicum, esse Dei: sed alteram dimidiam, sub umbilico, qua fœminis junguntur mares, esse diaboli formationem dicere non erubescerent. A Satana verò mulierem totam formatam fuisse mentirentur. Et sic erant à nuptiis aversi μισογυναῖ, ut illos diceret opus diaboli explere, qui matrimonium contraherent: quod nihil à scortatione differre putabant, & inter ea peccata reponebant,
B
quibus homo sordidissimè coinquinatur. Ideò (quod futurum prædixerat Paulus) in hypocrisi mendacium loquentes, Matrimonia prohibebant. De quibus in can. 6. & in can. 51. Apost. Severiani, Tatiani, Archontici, Manichæi, sed & alii plures Hæretici hoc affirmarunt apud Epiphanium Philastrum, & Augustinum: qui pariter, nuptiis improbandis, hunc habuerunt Eustathium sectatorem, quem Synodus anathematizat.

Ab Hæreticis Judæorum, Nazaræis, & Essenis venit hæc Hæresis ad Hæreticos Christianorum, Cerdonistas, Marcionistas, & subsequentes alios modò nominatos. Qui (sicuti nunc fit à Gnosticis) Hæresiarcharum suorum nomine derelicto, se postea cognomi-
C
narunt ἐγκρατήτας, id est, Continentes, ac Temperantes, qui non tantùm mulieris corpus tangere, sed cujusvis animalis carnem, velut inquinantem, execrabantur, ut in can. seq. &c.

Ad IV. Canonem.

EUstathius, Aerius etiam cum sequacibus, præ cæteris omnibus virtutibus, unam sic se fingebant amare Castitatem, sic haberi Casti volebant, ut nec ad mensam, vel convivia conjugatorum vellent accedere, & Agapas agere, quod in 11. can. videbimus. Si quis autem maritus, & unius uxoris vir (Ecclesiæ tùm necessitate sic exigente) factus esset Ecclesiæ minister, & ordinatus Sacerdos, ab hoc illi secedebant: per quem
D
Sacra pollui, quia conjugatus esset, ob matrimonium solum credebant. Error sanè vanissimus, ut in superiore prosphonetica ostendimus Epistola, vers. Et qui Presbyteros conjugatos. Ad cujus erroris condemnationem Patres hanc specialem tulere legem. Qua quidem non permittitur Sacerdotibus, ut uxorem ducant (fraudem Legi faciunt, qui sic ejus sententiam circumveniunt). Sed qua tùm Gnosticis vetabatur, ne quempiam putarent inhabilem esse ad Sacerdotium, propterea quòd adhuc uxorem haberet, injuria siquidem magna fiebat honestati, sanctitatiq; matrimonii.

Nō Matrimoniū, sed opera Matrimonii repugnant altaris ministerio.

Vos tamen hic, Auditores Christiani, monitos necessariò velim. Tametsi Matrimonium constans adhuc inter virum, & Uxorem non arceat ab altaris accessu
E
Virum: tamen altaris accessus hunc arcet ab uxoris amplexu. Venit à ministerio deponendus, qui simul & ministerio vacat, & conjugio. Nec enim debet amplius altaris tractare munda, qui mulieris contrectat immunda, sive sit ea conjux, sive συνείσακτος, alia mulier dicta, quam Sacerdos in domum suam subintroduxerit habitaturam secum. Talis neque sacrum quid agat, neque sacris adsistat: sed à communi fratrum societate pellatur.

Presbyteri cum mulieribus, etiā conjugibus, habitare nō debent.

Impurissimus sanctissimi protomartyris collega Nicolaus Antiochenus ab Apostolorum collegio fuit ejectus, quòd ille, postquam Diaconus electus fuisset, ad uxorem suam, quam formosam habebat, ὡς κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον, reverti non erubuisset. Hæc Epiphanius contra Nicolaitas scribens in libro primo tomi

A
1. Socratis adhuc ævo, sub Theodosio Juniore, mos fuit ab illustribus Ecclesiarum per Orientem, Græciamque rectoribus, & Episcopis observatus, quem verbis ipsius referam. Γενόμενος κληρικὸς ἐκεῖ, ἣν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένηται, μετὰ τὸ κληρικὸς γενέσθαι, συγκαθευδήσας αὐτῇ, ἀποκήρυκτος γίνεται. Hæc in lib. 5. cap. 22. Id est, factus ibi (in Orientis, & Græciæ multò maxima parte) Clericus, quam lege duxerat uxorem, priusquam Clericus fieret, posteaquam Clericus factus est, si cum illa dormierit, alienus sit, & abdicatur à Clericatus munere. Ergo jam non debent amplius cohabitare. Sed nec etiam mulieres aliæ quævis. Antiquorum Canonibus interdictæ, cum Presbyteris versari, commorarive debent. Alioqui Mulierosorum Missas nullus audiat, Sacrificia nemo recipiat, quod argumentum plenè tractatur integra dist. 32. per Gratianum. Faxit Jesus Christus, ut ordinariis prælectionibus nostris illud explicare vobis, ut optamus, sic etiam valeamus.

Ad V. Canonem.

ORigo rei divina est. Inter homines enim Deus conversari dignatus, à promiscuis mundi locis divisum, unique sibi proprium locum semper habere voluit, separarique præcepit, id est, quod Templum nunc appellamus. Exodi cap. 25. Loquere filiis Israel, ut faciant mihi Sanctuarium: Et habitabo in medio eorum. Neque præcepisse contentus, ædificii quoque formam designavit, inquiens. Faciant illud secundum exemplar, & juxta similitudinem tabernaculi, quod tibi in monte monstratum est. Satis & hoc visum non est. Sui præterea tabernaculi docuit Architectos, Fabros, Sculptores, atque Pictores, quod in 20. Can. dicemus. Mandatum repetitur in repetitæ legis libro cap. 12. Ad locum, quem Dominus Deus vester elegerit de cunctis tribubus vestris, ut ibi nomen suum ponat, & habitet in eo, venietis: Et offeretis in loco illo victimas, & holocausta vestra, decimas, & primitias manuum vestrarum, vota, atque donaria. Postea, ne perfunctorium, atque temporarium videretur hoc esse mandatum, post annos ab hac prima Tabernaculi divini constructione, quadringentos, & octoginta (qui fuerunt inter Mosen, & Salomonem) per ipsum Salomonem construi sibi domum illam mirabilem voluit, de qua 2. Reg. cap. 7. tertiique Reg. cap. 5. & 6. Item 1. Paral. cap. 17. & 22. Ab hac ædificatione stetit illa domus annis 442. cùm Rex Chaldæorum Nabuchodonosor, Hierosolymis eversis, hanc incendit, quod non impunè tulit, ut mox audietis. Incensam sic, miserabiliterque dirutam, post istius desolationis annos septuaginta, rursus ædificari sibi Dominus Deus cœli præcepit Persarum monarchæ Cyro. Et ædificata fuit 2. Paralipom. cap. ult. & octo primis capitibus libri primi Esdræ.

Cū hominibus quidem vult, & gaudet habitare Deus. Prov. 8. Delitię meę esse cū filiis hominum; sed in habitaculo separato.

Tempora Tabernaculi Mosaici, & Templi Salomonici.

Neque sancti primi Patres, qui mandata de Domini tabernaculo, seu templo præcesserunt, Adam, videlicet, Abel, Seth, Enos (qui cœpit invocare nomen Domini) Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, ipsi denique duo fratres, Moyses, & Aaron, ante factum sibi de tabernaculo mandatum (post annum repromissionis de vocatione gentium, quæ fuerat Abrahæ facta, quadringentesimum trigesimum) absque tabernaculo tamen, sive Templo Deum coluerunt. Evectis namque thysiastiriis, invocantes ibi Deum, sua deferebant illuc, & offerebant Holocausta. Noe doctus à majoribus suis ædificavit altare Domino de cunctis pecoribus, & volucribus mundis ponens super altare, Gen. cap. 8. Sic Abraham, & Abrahæ nepotes fecerunt. Ista verò θυσιαστήρια, id est Altaria, quamvis non in formam Templorum constructa, pro templis tamen, & locis accipio nominatim Deo consecratis, quandoquidem Templum nobis eum locum significat, in quo sola divina specialiter, & unicè contemplamur, & agimus. Locus ædificio vacuus, & absque pa-

Patres āte legē habebant etiam Templa.

parietibus in agro deserto, Lapis ille solus, quem Jacob in στήλην statuerat, οἶκος θεοῦ, Domus Dei nominatur. Gen. 28. in fin. cap.

Neque sanctos illos patres credere fas est, super altaria sua post oblata sua sacrificia commune quid, & immundum statuisse, vel fecisse, proque stabulis ea duxisse. Quod impius nescio quis de grege Gnosticorum non erubuit de templis nostris evomere, Δρατέτη sceleratissime, de stabulo, ut neque de foro, Deus non ejecisset ementes, & vendentes: quos tamen furore divino expulit è templo. Taceo, quod illud Amos Prophetæ cap. 4. Juravit Dominus in sancto suo, plerique priscorum doctorum, sanctorumque scriptorum interpretantur, quod juravit Dominus per templum sanctum suum, veluti per rem sacerrimam. Et audes cum stabulo componere templum? quod & nominatur Domus Dei. Domus Patris. Domus Orationis. Stabulum non sic appellavit. Nicanoras audire mihi videor, conjurantes in planitiem se deducturos Dei phana, & effossuros altaria; quæ libero Patri (suæ, videlicet, Gnosticæ libertati) sint consecraturi. Finem non expectent igitur alium, quàm Nicanoris. Sed in cœpto pergamus argumento.

2. Machab.

Solent, qui sacra tractant, hominum mores, & instituta distinguere (sanè convenienter) in tria tempora.... Naturæ, Legis, & Gratiæ.... Quod accipias.... Cùm Natura ducerentur, cùm Lege regerentur, cùm per Euangelium monerentur homines. Heri conabamur docere tàm Naturam, quàm Legem construxisse Deo templa. Monstrare superest Euangelium non destruxisse Templa.

Christianorum tẽpla designãtur per illam Propheticã, & Euãgelicã Turrim in vinea Domini constructam.

Paterfamilias (qui Deus intelligitur) vineam plantavit: In ea Turrim ædificavit: Agricolis eam locavit, ut suo tempore fructus redderent, Matth. cap. 21. Vinea Domini est Gens à Domino vocata, Populus electus: qualis primò fuit Domus Israel. Quam quidem vineam transtulit Dominus de Ægypto, Psal. 79. Turris in vinea, haud dubium, quin Templum, prout Hieronymus interpretatur ibidem, & Esaiæ cap. 5. Ædificavit turrim in medio ejus. Templum, videlicet, in media civitate (ait Hieronymus) & Torcular extruxit in ea, quod Altare quidam significare putant. Agricolæ verò primi fuere Judæi, qui, quia nedum servos locatoris Domini, sed ipsum hæredem vineæ, puta Filium Patrisfamilias interemerunt, ablata est ipsis vinea: & aliis, id est, nobis Christianis, ad Euangelii gratiam, Deique legem vocatis locata, sed non absque torculari, vel turri. Per quæ, sicut olim Hieron. Altare, Templumque, sic modò nostras è materia factas Ecclesias intelligere mihi non absurdè videor. Vulgaribus hominum vineis abundè est, si plantatæ sint, & cultæ diligenter. Si sæpibus circundatæ. Si torcular (quod non omnes adhuc) habeant, & excipiendo musto Lacum. In vinea verò Domini Turris insuper ædificari debet, ad vineæ Dominicæ custodiam, quo sese frequenter agricolæ recipiant, invicem vineæ cultum procurantes. Hic igitur mihi Gnostici πυργομαχεῖν desinant, & sciant, quòd absque Turri coli commodè nequit vinea Domini: quæ quidem Turris, Vinitorum commune est asylum, non singulare cujuspiam domicilium.

Non in alicujus privatas ædes ad Dominicam Cœnam manducandam Christiani congregabantur. Ecclesiæ Dei communis erat ille locus, ita conjicio. Paulus enim dixit: Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? 1. Corinth. cap. 11. quasi diceret: Hoc in loco publico, qui sacris nostris conventibus est dedicatus, agendum nihil est prophanum, & quod sacris nostris non congruat mysteriis.

Nonnisi in Spiritu, & Veritate verè Deus adorari potest.

Sed (ajunt) in Spiritu, & Veritate oportet adorare. Argutè, quasi non possimus in templo sic adorare: sed oporteat nos in pratum Clericorum, vel in suburbanos lucos, & hortos exire, vel in aliquod nuptiale triclinium convenire, si velimus in Spiritu, & Veritate Patrem adorare. Nunquid isto Spiritali modo prisci Patres Abel, Seth, Enos, & alii nominati superius in principio Canonis, ad altaria sua convenientes adorarunt, & coluerunt Deum? Non equidem puto Christum de talibus hìc negare voluisse, quin Spiritu, & Veritate fidentes adorarint. Deus enim Spirituales adoratores & à Judæis olim, & nunc à suis etiam Christianis exegit, quæsivit, & quærit ubique. Nam, qui Spiritaliter, & in Veritate non orat, sive id in templo, sive in agro faciat, is nec orat, nec adorat. Deus igitur ubivis coli vult in Spiritu, & Veritate. Hoc est, animo non ficto, non hypocrita, sed in Fide, Spe, & Charitate, in corde contrito, & humiliato, quod tùm demum fit, cùm pias, & puras manus attollimus in cœlum, nulli malè volentes, absque ira, & disceptatione. Semigentilis quidam Sapiens & hoc nos dudum docuit, alloquens filium suum.

Si Deus est animus nobis, ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Spiritalibus enim sacrificiis Deo tantùm litatur.... Huic interno, & spirituali cultui (quando colentis, & adorantis animus nullis avaritiæ, libidinis, ambitionis sordibus est maculatus) loca nostra sacra non obstant, imò contrà, juvant, & incitant affectum precantis. Ergo sacrilegus, & impius est, quisquis ea contemnit, & violat. Idolorum fana Gregorius everti noluit: sed in Ecclesias dedicanda mandavit, Epist. 71. libri noni: Et impiè tu Misonae non formidas sacrata Deo, manu, verbisque temerare? Sed quid non audet lingua dolosa dicere? & manus impia facere?

Atheniensis illa concio, qua Deus hominum coli manibus, & in templis hominum manu constructis habitare negatur, ab ipso concionante exponitur, Χολοβόται, Gnostici mutilam pro more suo citant. Ibi enim subditur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus. Id est, Deo templa non ædificantur, Deo nihil offertur, quasi vel egeat ille, qui mundum, non sibi, sed homini fecit; qui de se ait: Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terrarum, & plenitudo ejus. Psal. 49. vel quasi re delectetur alia, quàm pura, & resipiscente anima, quod est acceptissimum Deo templum. Non semel hoc attestante Paulo: Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Iterum: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Item.... Membra vestra Templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est. Atque iterum.... Vos estis Templum Dei vivi. Prioris ad Corinth. 3. & 6. cap. & 2. Corinth. cap. 6. ad Hebr. cap. 3. Domus Christi sumus nos: si fiduciam, & gloriam spei firmam usque ad finem retineamus. In lapideo quidem, sive materiali Templo Deum colimus, & Sacramenta recipimus, de quo quidem nihil vetat illud intelligere Pauli: Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Verum tamen sciamus, quòd τὸν ναὸν τὸν χειροποίητον τύπος ἐστὶ τοῦ ναοῦ τοῦ ἀχειροποιήτου. Id est, illud manufactum, sive materiale templum, typus est, & figura templi non manufacti, videlicet, omnium Christi fidelium, de quibus ait Petrus; Et vos, tanquam vivi lapides, ædificamini domus spirituales, 1. Petr. 2. Paulus quoque: Dei ædificatio estis; cujus & se profitetur Architectum, d. cap. 3. Dei Templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse: qui figuram Dei gestat, ut ait Lactantius cap. 8. lib. de Justitia.

Nec ob... tionibus... stris, neq... tẽplis in... get Deu... sed ipsi... mus, qui... libus in... gemus. Ir... næus c. ... lib. 4.

Ad VI. Canonem.

IN Cataphronitas hoc decretum fuit. Id est, in eos, qui non ad sobrietatem, nec ad modestiam, sed nimis quàm superbè sapiunt, altius aliquid, & excellentius de se, quàm par sit, ac deceat, existimantes, de seque nimium magnifica sentientes, & non in humilitate, & simplicitate, prout unicuique Deus dona sua gratuita divisit, ad Rom. 12. Immorigeri propterea facti, majoribus obedire nolebant. Immo nullos in Ecclesias se majores, aut superiores agnoscebant. Atqui legimus à Paulo mandatum..... Obedite præpositis

ſitis veſtris, & ſubjacete. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris rationem reddituri, ad Hebr. ult. Hegemonas illos Apoſtolus proculdubio vult intelligi, qui nobis in via ſalutis præſides, & duces exiſtunt, ſanè Presbyteros, & Epiſcopos.

Id autem genus homines, qui, derelicta majorum via, ſemitas, & diverticula quærunt (Presbyterorum ſuorum, dicimus, & Epiſcoporum contemptores) Canones appellant συστασιάστας, στασιώδας, φράτορας, atque τυράννους, id eſt, Conjuratores, Seditioſos, denique tyrannos, ideò, quòd obedire nullius imperio, ſed ſuo parere velint omnes.

[T]yrannus [e]ſt in Ecleſia, qui [l]egibus re[c]i non vult [E]ccleſiaſti[c]is.

Annis non adeò multis poſt Synodum Chalcedonenſem, quæ congregata fuerat anno Chriſti 454. neſcio quis Severus ex Abyſſo putei ſolutus exiliit, eam ſanctam ſexcentorum triginta Patrum Synodum, pariter & omnia, quæ præceſſerant, Concilia ſuperbè deſpiciens, diſſolutè ridens, & procaciter impugnans, Epiſcoporum ſe decretis, & obedientiæ ſubtrahens, uni ſibi de rebus divinis, & Eccleſiæ ſacramentis credebat. Succeſſoribus non caruit. Et his (quæſo) quando caruit diabolus? in rebus etiam quantumvis abſurdis, & horrendis?

[C]an. conjurationũ, & ſequ. can. 11.q.1.

[S]everus in Eccleſia primus dictus Acephalus.

Eccleſiæ conſuetudo poſtea, Clericos illos, qui nullius Epiſcopi diſciplina, nullius ſenioris providentia gubernari vellent, qui Præpoſitos ſuos contemnerent, & ab ipſis temerariè ſecederent, & ſi aliter à Fide non aberrarent, Acephalos nominavit, can. Nulla ratione, 93. diſt. Ravennatum Eccleſiam, quæ multo ſe tempore ſegregata à Romana, nec ullam ſupra ſe volebat agnoſcere, propterea vocarunt Α'κεφάλων, ſive Αὐτοκεφάλων, quæ ſibi caput eſſe volebat. Hanc diſſenſionem, quæ plures, quàm trecentos durarat annos, Domnus Papa ſedavit, Apoſtolicæque ſedi obtemperantem reddidit circiter anno Domini 675.

Non plura tunc proponemus, nec aliud concludemus, quàm quod Irenæus colligit cap. 43. lib. 4. adverſus Hæreſes, inquiens.... Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet: His, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus; qui, cum Epiſcopatus ſucceſſione, chariſma veritatis certum, ſecundum placitum patris, acceperunt. Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocumque loco colliguntur, ſuſpectos habere: vel quaſi Hæreticos, & malæ ſententiæ: vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes: aut rurſus, ut Hypocritas, quæſtus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Vir ſanctus exinde confert Hæreticos, & alias ipſorum doctrinas, Abiu, & Nadab, filiis Aaronis, alienum ignem offerentibus ad Altare Dei: quapropter, ut hi, ſic igne cœleſti comburentur & illi. Levit. cap. 10. Qui autem ſcindunt, & dividunt unitatem Eccleſiæ (noſtri, puta, Staſiodæ) ſicuti de Jeroboam, non relinquet ex eis Dominus mingentem ad parietem. Jamdudum ſua cœpit exercere, & exercet occulta quotidie judicia. Donet ille tandem nobis, ut unum ſimus omnes, quemadmodum ille cum Patre unum eſt. Amen.

Quicunque veteres Eccleſiæ ritus, & ſucceſſiones, atq; traditiones nõ ſequuntur, aut hæretici, aut ſchiſmatici, aut hypocritarũ. Hoc ſentit Irenæus.

Can. inter hæc de pænit. diſt. 3.

Ad VII. Canonem.

Quod in hoc canone, ſequentique ſtatuitur, ex quatuor Apoſtol. canonib. emanaſſe videtur 38. 39. 40. & 41. quorum ſumma eſt. Neque ſpirituale quid, neque temporale gerendum eſt in Eccleſia ſine Rectoris Eccleſiæ (puta) Presbyteri, & Epiſcopi voluntate. Conveniunt ea, quæ dicta modò fuere in præcedenti Canone.

Quid per Oblationes intelligant Eccleſiaſtici ſcriptores, dudum nos in Analectis noſtris explicabamus, cap. 13. & cap. 29. de verb. ſignif. in antiq. Græci canones appellant Προσφόρας, & Καρποφορίας. Priſca latinitas (quod ibi cum Feſto Pompejo dicebamus) Offerrumenta vocabat ea, quæ Diis ſuis offerebat. Noſtrum vulgus Offerendas: Ideò futuri voce, quia populus in manum dabat Sacerdoti, quod Sacerdos poſteà, nomine populi, ſpecialiter offerret Deo. Sic enim Hieronymus adverſus Luciferianos..... Sacerdos quippe pro Laico offert oblationem ſuam, imponit manum ſubjecto, reditum ſancti Spiritus invocat, quod obſervari ſolitum cognoſcis ex Innocentii Primi Epiſtola prima. Res in Eccleſiis antiquiſſima inter pios omnes, ac Religioſos Dei cultores, ab ipſo Abel durans in hoc uſque tempus. Benedictiones, Eulogiæ, Collectæ Paulinæ, ſunt Oblationes. Juxta quod in Deuteronomii cap. 16. mandatum fuerat. Non apparebit ante Dominum vacuus. Sed offeret unuſquiſque, ſecundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei. Subindeque repetitum legimus. Honora Dominum de tua ſubſtantia. Prov. cap. 3. Sic enim pro modo facultatum noſtrarum foris, & exterius interioris animi noſtri gratitudinem teſtamur erga Dei beneficentiam: & in bonis noſtris agnoſcimus erga nos bona, beneficiaque Dei. Neque mihi (quod Gnoſtici movent) Paupertatem quis obtendat. Etiam, quæ ſola ſuperſunt ad victum, mittamus in gazophylacium. Laudavit enim Dominus pauperculam viduam, quæ ſic feciſſet, Lucæ 21. Una tamen cum donis, & oblationibus iſtis meminerimus Hoſtiam vivam, rationalem, Deo placentem (noſmetipſos videlicet) offerre Deo. Nam ſupervacanea forent alia quævis munera.

Cap. cauſa Carpẽſis, & cap. cùm inter vos.

tom. 2. can. ult. de cõſ. diſt. 1.

Chriſtiani debent in primis offerre ſe totos Deo, poſtea de ſuis id, quod poſſunt.

Can. omnis Chriſtianus de conſecr. diſt. 1.

Ad XII. Canonem.

Tertullianus factus Chriſtianus mox libellum de Pallio ſcripſit ad Carthaginenſium primores: qui, quòd hominis Centurionis, & Proconſularis filius, derelicta Toga, Pallium ſumpſiſſet, ipſum deridebant, atque ſubſannabant, ſive (ut loquitur) eum denotabant: objicientes è trivio tunc proverbium: De Toga ad Pallium; quaſi diceres: A ſplendidis, & lautis ad vilia dejici. De principe coquus, aut molitor factus, ut noſtri loquuntur. In ejus libelli ſtatim principio deſcribit ille Pallium, dicens... Pallii extrinſecus eſt habitus, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſtructus, infibulæ morſu humeris acquieſcebat. In fine rurſus libelli, quam Togæ formam retuliſſet, qua nihil erat impeditius, ut ita, qui Togam geſtaret, indutum ne ſe, an onuſtum. Habere veſtem, an bajulare neſciret. Poſt hæc ait... Pallio, contra, nihil eſt expeditius: quod operit ſolutum (id eſt, uno circunjectu ſine plicis, non inculto illo, nec inhumano) & omnia hominis ſimul contegit. Pallii deſcriptionem vides. Per quam ſatis intelligitur ipſum propriè nominari Peribolæum. Pollux in Onomaſtico. Αἱ ἐφεστρίδες, καὶ ἀμφιεστρίδες, περιβόλαια ἂν εἶεν. Id eſt, Exteriores veſtes, & quæ ſuperinduuntur, ac ſuperinvolvuntur, Peribolæa ſunt, cap. 13. lib. 7. Tale quondam fuiſſe Pallium conjicio, qualis nunc eſt ea veſtis, quam Talarem, Longam, ſive Presbyteralem vulgò nominamus: quæ ſine rugis, latiſque manicis, & ambitu ſpatiante conſuta eſt, Honeſtati Clericorum præſcripta per Concilia. Cùm verò Tertullianus dicit, Pallium cervicibus circumſtructum fuiſſe, mihi dicere videtur, Pallium fuiſſe penè cucullatum, quòd altum ſic eſſet, ut collum totum retrò contegeret. Pariter, quod apud eumdem ſequitur... Infibulæ morſu, humeris acquieſcebat... Patrum confirmat decretum longiſſimo poſt tempore vetantum, ne Clerici Palliis diſſibulatis utantur, id eſt, ut fibulis ad collum Sacerdotum veſtes connectantur, dummodo non ſint aureæ, vel argenteæ fibulæ. Fibulas, & infibulas noſtri vocant Agraphas. Ex Tertulliano præterea cognoſcimus, illis Apoſtolicis Eccleſiæ temporibus ad Chriſtum converſos, aliis indumentis omnibus derelictis, omnes ferè veſtire ſe Pallio ſolitos: Ob hujus veſtimenti (ſicuti puto) facilitatem, frugalitatem, atque ſimplicitatem. Quæ res dedit Hæreſi cauſam, quæ præſenti Canone damnatur, ad cujus plenam declarationem fuit iſtud neceſſariò prænotandum...

Palliũ eſt genus veſtis oblongũ, ſimplex, & frugale, hominis totũ corpus, à cervicibus ad talos uſque, uno circunjectu contegens, fibulis annexum, & aptatum corpori, Græcè Peribolæum.

Cap. 15. de vit. & honeſt. Cler. in antiq. & cap. 2. in Clement.

d cap. 15.

Ad XV. Canonem.

NOster Canon statuit, ut Patres erudiant Filios suos πρὸς θεοσέβειαν, id est, ad pietatem, & cultum divinum. Paulus educari præcipit, ἐν νεθεσίᾳ Κυρίου, id est, in monitis, & institutione, ac in disciplina Domini. Non sunt ista duo diversa mandata: quæ summam puerilis omnis institutionis continent. Heli mortuus est: Et Samuel judicatum populi amisit ob filios in lege, ac timore Domini malè institutos. Ad negligentum patrum noutheosiam voluit ista Deus in selectis illis viris & fieri, & litteris postea mandari, quorum meminisse posteri perpetuò debeant. Non est enim parvi apud Deum meriti benè filios educare, quod ad Salvinam scripsit Hieronymus. De quo sermo nobis erit in Speculo, declarantibus illud Apostoli: Suæ domui benè præpositum 47. dist.

Inter alios legendus est hunc in locum Divus Chrysostomus. De Hieronymo dicemus in Can. Legant. inferius 37. dist. Nunc unam laudati modò Chrysostomi sententiam super hac re vobis referam, qua nostrum simul Canonem concludam....... Βέλει εἶναι τὸν υἱὸν πειθήνιον; ἐξ ἀρχῆς αὐτὸν ἔκτρεφε ἐν παιδείᾳ, καὶ νεθεσίᾳ Κυρίου. Ἄτοπον γὰρ τὰ τέκνα εἰς τέχνας ἐκπέμπειν, καὶ εἰς διδασκαλεῖον, καὶ πάντα πράττειν ὑπὲρ τούτου, ἐν δὲ παιδείᾳ, καὶ νεθεσίᾳ Κυρίου μὴ ἐκτρέφειν τὰ τοιαῦτα. Ore certè aureo dignissima verba: quæ Patres omnes æterna tenere memoria deberent: quibus ita loquitur ille Græc. disertissimus. Heus Pater..... Vis tibi morigerum, & obedientem esse filium? Mox à principio in disciplina, & cognitione Domini ipsum enutrias. Absurdum namque est, Filios vestros ad artes addiscendas, & in Didascalium mittere, omniaque facere eò spectantia: Ipsos verò non educare in Domini monitis, & eruditione. Sic aureus ille Doctor, cujus consilia, Canonumque decreta sequi donet omnibus Parentibus gratia Domini nostri Jesu Christi; cui laus à nobis, & perpetuus honor.

Quemodo filii redduntur obedientes parentibus.

Ad XVI. Canonem.

EUstathius author novi cujusdam monachismi quadamtenus renovabat illam Pharisæorum doctrinam, quam Christus reprehendit multum vehementer, & acerbè Matth. 15. cap. Legimus in Euangelio, Pharisæos docuisse filios apud egentes Parentes, sibique subveniri postulantes, excusare se Templi prætextu posse. Christus ait ibi... Deus dixit.... Honora Patrem, & Matrem. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit Patri, vel Matri, munus quodcumque ex me tibi proderit: & non honorificabit Patrem suum, aut Matrem suam. Sensus est aliquanto involutior, aperietur alterius Euangelistæ verbis idem de Christo referentis. Indigenti Patri, & à Filio rem necessariam petenti, respondebat Filius à Pharisæis edoctus: Mi Pater, id quod à me tibi dari postulas (finge domum, nummos, agrum quempiam, vestem, aliquidve simile) Corban est. Marci cap. 7. id est, jam Deo promissum, jamque Deo devotum est. Ideò nefas est, ut in alienos usus convertatur. Verùm, non mihi soli, sed tibi quoque Deus majora restituet. Ista sacratarum rerum prophasi pauperes parentes destituebantur. Atque ita fiebat (ait Hieronymus) ut egentibus patre, & matre, Sacrificium offerrent filii, quod Sacerdotes, & Scribæ consumerent, quod ibi Christus improbat. Corban sic interpretatur Hieronymus ad Gerontiam scribens de monogamia. Corban, non quodvis donum significat, sed propriè, quod templo dicatur: unde & arcam, ubi talia dona servabantur, Corbanam vocant. Matth. 27. Syriacas dicunt esse voces.

Corban.

Eustathii sectatores, Parentibus contemptis, hoc modo se totos nescio cui vitæ generi devovebant, quod author ille novus instituerat. Et hanc non erubescebant appellare Θεοσέβειαν, id est, pietatem, Religionem, Dei cultum. Verborumque sumentes corticem, non spiritum, sic illud interpretabantur Christi..... Qui non reliquerit patrem, & matrem propter me, & Euangelium, non est me dignus. Matth. 19. Marc. 10.

Ad XVII. Canonem.

MOnachas suas Eustathius jubebat, Ἀποκείρειν τὰς κόμας. Condere suos capillos, & comas, ut puto, volens ostendere solutas illas esse aliena quacumque potestate, & imperio. Nam veterum consuetudine, rasum caput indicabat libertatem. Radere caput in servis erat signum manumissionis, ex Plautino Sosia in Amphitryone. Christum solum jam pro domino, & unico suo capite ducebant illæ novæ Monachæ. Sic suus Eustathius instituerat eas: Paulo reclamante, vetanteque mulieres quascumque, κείρασθαι, ἢ ξυρᾶσθαι, tonderi, vel radi. Ne Prophetantibus quidem, vel orantibus mulieribus hoc permittit. Neque tantùm de mulieribus illis, quas in præfatione vocari docebamus, Ὕπανδρος, id est, viro subditas, & connubio junctas, intellige dicta, videlicet, quod solæ potestatem debeant habere super caput suum, idest, velari. De viduis, atque virginibus accipi Tertullianus in eo libello demonstrat. Quòd si dixeris Virgines, & Viduas non esse viris subditas, ergo non astringi lege velandi capitis, quod est signum subjectionis. Fateor. Viris, id est, Maritis, quos non habent, subditæ non sunt. Non tamen ideò liberæ sunt, ac suæ potestatis, etiam si Patribus orbæ sint. Quemadmodum nostris nunc privatis Gallorum legibus, & consuetudinibus, uxor absque mariti sui consensu non potest rem quampiam gerere: Donare (puta) vendere, quoquomodo contrahere. Φερνῆς enim Dominus est: & παραφερνῆς administrator, procuratorque (modo sit ipse frugi) constitutus. Sic etiam, prisco Romanorum more (quem scripta lex aliqua nobis utinam confirmasset) curatores, atque tutores aliis mulieribus olim per Prætorem dabantur, sine quorum voluntate nihil agere valebant. Ita Cicero scribit pro Lucio Murena, nec semel apud eundem, cæterosque Romanarum rerum scriptores, occurret. Mulieres omnes (ait ille) propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt. Illud, quod ad mulierem Dominus dixit. Sub viri potestate eris..... Tertullianus de quibuscumque mulieribus accipit: ibique, vir, & mulier, sexus, non conditionis esse vocabula dicit. Ergo mulier omnis, Ὕπανδρος. Eustathius contentiosus aliud prædicabat.

Ecclesia semper in id genus adiaphoris habuit Philonicos. Augustini tempore nonnulli Monachi de crinibus, & coma nutrienda contendebant. Hos reprehendit, & falsè ridet, appellans ipsos, Fratres crinitos, qui timerent, ne tonsa sanctitas vilior esse, quàm comata crederetur. Hypocritas increpat, populo persuadere volentes, ut qui tales videret, antiquos illos cogitaret, Samuelem, & cæteros, qui non tondebantur. Omnes demum Fratres, juxta Pauli regulam, tonderi præcipit, in ult. trib. cap. libri, de opere Monachorum. Non minus acriter Hieronymus istos impetit comatos fratres, quibus (ut vir sanctus loquitur) fœminei contra Apostolum crines, & hircorum barba dependet mento. Tales fugito. Diaboli sunt hæc (ait) argumenta. Sic suam monet Eustochium, scribens ad eam de custodia virginitatis. Pauli traditio, de tondendis viris, in Ecclesia tàm diligenter observata viguit, ut Hilarion, qui septuaginta prope continuis vixit annis in Eremo sine tonsoribus: Ne superstitiosus traditionis contemptor aliquibus videretur, vel in coma prolixa religionem collocare, Capillum semel in anno die Paschæ totonderit; in ejus vita scribit hoc Hieronymus. Breviter, quod Apostolus attestatur: Natura docet comam non decere Virum: quam tamen, ceu propriam, & genuinam mulieri dedit. Hunc exponens Canonem Zonaras ait,

Augusti... voluit fr... tres in re... gione to... deri, t. 3.

To-

Τοσαῦτην γὰρ οἰκεῖον οἶδεν ἡ φύσις ταῖς γυναιξὶ τὴν κόμην, ὅπεὶ δὲ φαλάκρωμα ταύταις ἐγγίνεται φυσικῶς. Ideſt, tàm proprium novit Natura fœminis eſſe comam, ut ipſis Calvitium non fiat naturaliter. Idem, vel non diſſimile, quod Plinius ſcribit cap. 37. lib. 11. Capillorum defluvium in muliere rarum eſt. Nihil igitur fœmina cauſari, vel excuſare poteſt, quo minus faciem tegat. Nam flammeo carens habet operimenti vice capillos: quos vel religionis occaſione tondere nunquam debet. Anathema legem ſolventi.

Sed huic mos in Eccleſia receptus modò refragatur, quo Sanctimonialibus capita radunt, & comas amputant. Hugo ſic argumentatur, & reſpondet. Fortè malè faciunt, vel (ait) hoc intelligas de fœminis laicis, & ſecularibus, quales non ſunt Monachæ, vel Nonnæ. Radi quoque Veſtales apud Romanos Plinius oſtendit cap. 44. lib. 16. ſcribens Virginum Veſtalium capillos ad arborem quandam Lotum deferri ſolitos, quæ propterea dicebatur Capillata. Nihil ad nos de Romanis iſtis. Chriſtianas tonderi non juſſit Auguſtinus in Epiſtola. 109. quam jam citavimus in d.can. Quod interrogaſti. Hugonis mihi neutra ſolutio placet. Si quò faciebat Euſtathius animo, pariter & id aliquis modò faceret, in tonſura, vel neceſſitatem, vel ſummam Theoſebiæ conſtituens, in legem graviter peccare talem puellarum tonſorem aſſerere non dubitarim, qui noſtri ſenſus eſt Canonis.

Nec in dimittendis, nec in demittendis capillis cōſtituenda eſt religio.

Concilium Viennenſe non videtur in Sanctimonialibus capillos improbaſſe, dummodò Comati, & Cornuti non ſint earum crines, hoc eſt, Dummodò cincinnos non habeant. Omnibus in mulieribus Apoſtoli ſine diſcrimine damnant hujuſcemodi laſciviam, prioris ad Timoth. cap. 2. Mulieres ornent ſe cum modeſtia, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis. Et 1. Pet. 3. Externus mulieris ornatus non ſit, ἐκ πλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, in plicatura crinium, & aureorum circumpoſitione.

In Clem. 2. de ſtatu Mon.

Utinam ſic externa iſta ſervemus, ut interna placeant illi, qui πάντων καρδιογνώστης eſt, Dominus, ac Deus noſter, Jeſus Chriſtus. Amen.

Ad XIX. Canonem.

IN alio mundo verſari mihi videntur interpretes, dum, quæ ſcripſerunt in iſtum canonem, lego: quos ego modò neque referendos, neque refellendos eſſe puto....... Patres, per τελείους λογισμοὺς intelligunt antiquas Eccleſiæ leges de jejuniis, & aliis rebus ad Dei cultum neceſſariis, & utilibus: quæ, quia magno conſilio, multa cum deliberatione, ratiocinatione, & conſideratione ferri ſolent, ideò λογισμοὶ nuncupantur: & τέλειοι, perfecti, abſoluti, quibuſque nihil deeſt. Interpretes omninò nihil afferunt, quod huc attineat.

Semper in Eccleſia fuerunt jejunia certa.

Itaque ſciendum, ſtata, determinataque jejunia ſemper in Eccleſia fuiſſe. Semper, hoc eſt, A prima per ipſum Chriſtum Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutione. Dubitare nemo poteſt, niſi pariter Euangelium revocet in dubium; tria hæc opera (videlicet) Orationem, Jejunium, & Eleemoſynam, ſi qua ſint alia, eſſe opera merè Euangelica: ut magna duci ratione videantur, qui Jejunia dicant ab ipſo inſtituta fuiſſe Chriſto. Ab Apoſtolis ambigit nemo.

Certos, & ordinarios, atque ſtatos ad jejunia dies in Eccleſia prima fuiſſe cognoſcimus: quos humana præſumptione quiſquis non obſervabat, Anathema protinus audiebat......... Euſtathius, & Aerius jejuniis quidem non detrahebant (quod Jovinianus poſteà fecit, ut antea retuli) Salutare Jejunium dicebant illi, ſed voluntariè ſuſceptum, non imperatum. Theſis hæc una fuit iſtorum, δογματιστῶν. Οὔτε νηστεία ἔσται τεταγμένη. ταῦτα γὰρ Ἰουδαϊκά ἐστι, καὶ ὑπὸ ζυγὸν δουλείας. Δικαίῳ γὰρ νόμος οὐ κεῖται. Ideſt, Non eſt aliquod jejunium ſtatum (puta, quod ordinatis, & deſtinatis temporibus fieri debeat, iſtud eſt, τεταγμένον.) Hoc enim jejunium eſt Judaicum, & ſub jugo ſervitutis. Atqui juſto lex non eſt poſita. Sic illi prædicabant, ὡς τάχα φθασάντων εἰς τελειότητα, καὶ οὐκέτι δεομένων νηστείας (ait hic Zonaras) ideſt, ac ſi fortè jam perveniſſent ad perfectionem, nec amplius indigerent jejunio. Quæ fuit hæreſis à Begardis, & Beguinis Alemaniæ renovata. anno 1300. In Clement. 3. de hæret.

Ad XX. Canonem.

ET hic alius erat Euſtathii, necnon eorum, qui decepti ſe ad ejus dogmata conferebant, error. Hi loca deſpiciebant, & nihil faciebant, in quibus reliquiæ ſanctorum Martyrum ſervabantur. Ibi miniſtrantes, & athletarum Chriſti memoriam venerabundè colentes irridebant, & Anthropolatriæ accuſabant: Fidelium congregationes ad ea loca fieri ſolitas avertebant: Veteres eorundem ſanctorum typos, & imagines à priſcis Eccleſiaſticis religionis authoribus, tamquam veritatis notas, Eccleſiæ traditas evertebant. Ob quod à Synodo poſitus eſt præſens canon: qui faſtuoſos, & arrogantes iſtos innovatores, Eccleſiæ toti ſeſe præponentes, & conventus, qui fiebant ad Martyres, pro deteſtabilibus ducentes, Anathemate condemnat. Anathema autem iſtud nihil aliud eſt, quàm ſeparatio à Chriſto, ſcilicet, ut jam Chriſtianus non cenſeatur, qui talia ſentit.

Qui contemnunt memorias Sanctorum non ſunt Chriſtiani.

Auditor Chriſtiane, vides inſolentis tumidorum Gnoſticorum exercitus duces, & anteſignanos. Quorum fœtidas opiniones contra ſanctorum Martyrum reliquias & audire, & proferre, & non abominari, Sacrilegium eſt, ut ad Riparium ſcribit Hieronymus. Ideò rem (quia mihi cauſa poſtulare videtur) prolixiùs agitabo: de qua viri multi ſancti jamdudum non paucis egere. Septima Synodus Epiſcoporum trecentorum quinquaginta circiter annum Dom. 781. quæ ſecunda Nicæna dicitur, in iſtiuſmodi blaſphemos Iconomachos nihil execrationis, ac deteſtationis omiſit. In eaque decretum fuit...... τὰς σεπτὰς εἰκόνας, καὶ προσκυνεῖσθαι, καὶ σέβεσθαι, Quod Zonaras refert in vita Conſtantini, ejuſque matris Irenes, poſt explicabimus. Eodem penè tempore, dum regnaret in Gallia Ludovicus pius, ſub annos Dom. 830. (cui ſucceſſit in regno filius, Carolus calvus) Jonas Aurelianenſis Epiſcopus elegantes ſanè libellos tres ſcripſit adverſus quemdam Presbyterum, natione Hiſpanum, nomine Claudium, Taurinenſem Epiſcopum, de cultu Imaginum, maximè de Crucis adoratione. Divus Hieronymus annis antea ferè quingentis, certè multò pluribus, quàm quadringentis (imperabat Arcadius, tùmque temporis Oſſa beati Samuelis de Judæa tranſtulerat in Thraciam, circiter an. Do. 390.) ſpeciali tractatu, nec ſine conviciis magnis, impium quemdam Vigilantium (de quo mox) confutarat, qui Gallicas Eccleſias, hactenus monſtris hæreſeon carentes, hac hæretica lue corrumpere tentabat. Poſteà Gregorius Papa, non præterierant anni ducenti, vehementer arguit Epiſcopum Maſſilienſem, Serenum, quod inconſiderato zelo fregiſſet imagines Sanctorum. Id quod à nullo unquam factum fuerat ſacerdote, ut ait. Epiſt. 109. lib. 7. & Epiſt. 9. lib. 9. Citatos in ea ſeptima Synodo comperies Eccleſiæ græcæ doctores ex antiquitate complures, iſtud idem crimen coarguentes. Suidas Epiphanium quemdam memorat, Epiſcopum Σηλυμβρίας, ἢ Ὀλυβρίας· ὃς ἔγραψε λόγον Ἀντιρρητικὸν, κατὰ Εἰκονοκαυστῶν, λίαν ὠφέλιμον. Epiſcopum Selymbriæ, vel Olybriæ. (Selymbria, Oppidum Thraciæ in Propontide non procul Bizantio, ſive Conſtantinopoli. Plinius cap. 11. libr. 4.) Qui ſermonem ſcripſit confutatorium, contra combuſtores imaginum, valde utilem. Deſideramus has ſanctas Epiſcoporum ſanctorum vigilias. Quorum quidem dictis, atque ſententiis addi nihil poteſt, quod ſuperfluum non videatur. Attamen, res impræſentiarum nonnihil me dicere cogit, ob Gnoſticorum ſuperbas impietates, quibus nulla ſatis unquam ratio fecit. Neque tamen ſequentia retulerim, quo mortuos iſtos audituros, lecturoſve

noſtra

nostra credam, qui suo tantùm lolio sepulti victitant. Orationibus, & Jejuniis, non Libris, aut Scripturis, certandum jam nunc est adversus illos. Hæc itaque scripserim, quo nos Idiotæ, nihil aberrantes omni cum humilitate sequamur vestigia majorum, præceptaque teneamus.

Ad Synodi Gangrensis conclusionem.

HUmanis multis concupiscentiis hìc fræna laxari videbantur: Dum carnium permittitur esus, Jejunia continua vetantur, Uxores cum viris suis habitare jubentur. Et alia, quæ diversa videri poterant à nonnullis Apostolorum mandatis Coloss. 4. Mortificate membra vestra terrestria.— Fraternitatem diligite.— Et similia, quæ tamen Patres hìc ostendunt abs se non fuisse contempta. Protestantur in primis, & ajunt,

Ideo prædicta non statuimus, quod opera bona Jejunium, Continentiam, Virginitatem, cæteraque negligamus, neque quod Pium, verumque religionis exercitium damnemus (ut astruunt) sed quia, Fictum, fucatumque reprobamus, dum summa religionis in cibis, atque vestibus, & aliis externis quibusdam collocatur, & si qui fortè non utantur, minus pii putantur, & ab utentibus contemnuntur. Hoc modo laudamus, ac veneramur instituta Benedicti, Dominici, Francisci, Brunonis, atque similium Domino Jesu dilectorum virorum. Sed si quis salutis viam præcluderet ea non profitentibus, insanissimæ foret hæreseos damnandus, quemadmodum damnantur hìc Eustathianistæ. Tu enim quis es, qui judicas fratrem tuum? Quare spernis fratrem tuum? Non est ista Christianorum, sed Pharisæorum religio, quæ præ se despicit alios, tamquam peccatores. Omnis enim religionis veræ fundamentum est animi modestia cum vitæ simplicitate conjuncta. Propterea, Frater, noli altum sapere; sed time. Ex hac autem singulari patrum protestatione veniunt observanda quædam, scitu certè necessaria. Primum

Luc. 18. Rom. 11. & 12.

De principibus hoc existimandum venit — Ipsos per sua quæcumque rescripta nolle juris communis dispositionem tollere: si non ita se velle dicant. Hoc licet ex præsenti Patrum decisione cognoscere, dum se scripserunt, Ἄσκησιν non improbare, quæ Scripturis, & Canonibus non improbatur. Exempla sunt in jure, perquàm trita. Secundum—

L. ult. C. Si contra jus. C. Si quando C. de in off. testa. c. 57. de elect. in antiq.

Extra Catholicam nulla est religio.

Et tantùm vera est religio, quam divina Scriptura, & Ecclesia catholica definit: non quam sua quis opinione novam fingit. Hoc ipsum est, quod Deus per Mosen præcepit Israelitis—Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur: sed quod Deus facere præcepit. Deutero. cap. 12. Suos quoque Christus admonuit.— Si quis vobis dixerint—Ecce, Hic est Christus, alius verò clamitet — Ecce, illic est, alium locum, speciem, cultum demonstrans, Nolite ire: Neque sectemini. Lucæ 17. quasi nos moneret, ea tantùm credite, quæ de Christo Dei prophetæ vobis, & vestri majores annunciarunt. Ore circumfertur omnium Augustini verbum, quod propius huc respiciat.— Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. capit. 5. libri contra Epistolam Manichæi, quam, Fundamenti vocant. Idem Vincentio scribens contra Donatistas. Epist. 48. Similiter in Cresconium grammaticum Donatistam libr. 4. gravissimè reprehendit illud, quod inter Hæreticorum Præfectos, & Episcopos jactabatur, proverbium, dicebant illi ---- Quod volumus, Sanctum est. Neque tantum, quod volumus; sed etiam, Quando volumus: & quamdiu volumus. Dicere conveniebat --- Quod à Scripturis, & Canonibus Ecclesiasticis sanctum est, Hoc sancitum est, ut hoc in loco dicitur. Superstitio quoque Romana voluit (quod jam superius proponebamus) id habendum non esse sacrum, quod sibi quis privatim sacrum constituit: sed id solum, quod ritè per Pontifices publicè consecratum fuit. Unde cautum Pontificio jure legimus, illum voti reum non esse, qui se religioni

To. 6.

To. 2. & To. 7.

A per Apostolicam sedem non approbatæ devovit.

Præterea, diligenter hìc annotandum venit, Anathemate damnari omnem Morum, Legum, omnium denique rerum non necessariam innovationem. Καινισμὸς hìc appellatur. alibi, Καινοτραγία, longevæ consuetudini, seu vetustati opposita. Sic & Apostolus Καινοφωνίας, vitari præcipit. Idest, Vocum, Verborumque novitates. 1. ad Timoth. cap. ult.

Suspe[...] nihil e[...] religio[...] quàm [...] vitas.

Unum vobis, & alterum referam de quamplurimis exemplum, quo rhetoricationes istas (putate, Καινοφωνίας, seu Καινελογίας.) In sacris attrectandis, uti stibia, vel cerussas in facie pudicæ mulieris, juxta Pauli mandata, summè displicuisse patribus ostendam.

Tatianus quidam rhetor post gloriosum præceptoris sui Justini martyrium, circiter annum Dom. 190. regnante Commodo, defecit ab Ecclesia, damnatus inter B alia, quòd Euangeliorum, Paulique phrasi contempta; παραφράζειν non dubitarit, ornatiore stilo cuncta invertens. Author Eusebius.

Hist. lib[...] c. 16. &[...]

Versio[...] novæ Sc[...] pturaru[...]

Spyridon Trimythuntis in Cypro civitatis Episcopus Triphyllium pariter Episcopum--- Ἐλλόγιμον ἄνδρα multi nominis, & existimationis virum non tulit concionantem, cum verba Joannis immutasset, innuens quod Euangelista non satis propriè loquutus fuisset, dicens: Ἆρον σου τὸν γράβατον. Tolle tuum Grabatum. Itaque Triphyllius dixisset, --- Ἆρον σου τὸν σκίμποδα. Tolle tuum Scimpoda. Non tu Triphylli (Spiridon dixit) illo præstantior es, qui Grabatum scripsit, cujus tu verbis erubescis uti, moxque sua cathedra surgens concionem dereliquit. Author Sozomenus. Σκίμπος C (ut hoc obiter explicem) ἤτοι γράβατος, sed Σκίμπος (non Γράβατος) est vox Attica, propriè significans humiles, & viles lectulos, quibus debiles, & σκάμβοι decumbentes mendici circumferuntur, χωλογράβατος. ait Suidas.

In 1. hist[...] suæ l. c. [...]

Skimpu[...] Grabatu[...]

Scilicet, Hi sanctitate, similiter & antiquitate venerandi Patres tulissent nescio quos modò Jovas, & Genios, quibus jam Sacra nostra prophanè corrumpuntur? Ac non pugnis, & calcibus expulissent à suo cœtu dicentem--- Adeste, Cantemus Jovam: Resonemus numen salutare nobis: interpellemus eum celebrando, & cantionibus resonando. Etenim, Deus magnus est Jova, & Rex omnium maximus Deorum. Micant per orbem ejus fulgura: quo viso, terra concutitur. Ab Homero sic lego, suum nescio quem celebrari D Jovem. Non alia prece Jovem suum puto Flamines Diales invocasse, cum singulis idibus eidem bovem mactabant. Ἴοβις enim παρὰ Ἰταλοῖς ὁ Ζεύς. ait Suidas. Apud Italos Deus dicitur Jovis. Cujus quidem nomen, atque laudes uno cantari non possunt ore cum laudibus Christi.

Can. Cu[...] multa. 8[...] dist.

Cur istum, quæso, Gnosticorum Jovam nobis invidere Septuaginta? Cur Hieronymus occultavit? Nisi fortè tantum virum nesciisse dicas, quod isti sciunt. Quia nescio quos Genios legimus Homericorum deorum ministros, atque nuncios, ideo dicemus— Missus est Genius ad Mariam. Quid? Num tibi sacrilega videtur, & impia Kænophonia, dum super cœlestem Dominici panis hostiam vocant panis crustulum? etiam si sacrosanctum dicant: Quid superest, quàm quod cum Poeta dicant. Orbem Fatalis Crusti? Quid hoc est, E si non est in Christi religionem verbis apertissimis inducere velle Paganismum, quasi Professio nostra (quibus alia nulla caret) sibi quoque peculiaria vocabula, longissimo tàm multorum sæculorum usu corroborata non baberet. Anathema Bonatibus istis καινοπράγοις, καινοφώνοις, καινοποίοις, καινέργοις, καινολόγοις, & quicumque demum sint,

Sed fortè rogabis me. Nova ne sunt omnia tibi suspecta? Num tibi videntur omnia rejicienda? Certè sunt in religione. Scilicet. Ex eo tempore, quo Vetera transierunt, & facta sunt omnia nova. 2. Corinth. 5. Si quis aliud quid evangelizet: nec fuerit sequutus doctrinam Domini nostri Jesu Christi, sit Anathema, & Maranatha. In aliis autem rebus tibi post Orato- rum

14. q. 3[...] Can. Cu[...] ergo. Cice[...] in Lælio

rum ſapientiſſimum reſpondebo --- Novitates, ſi ſpem afferunt, ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ: Vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt; Maxima eſt enim vis vetuſtatis, & conſuetudinis. Itaque, Novatores videant, Ne (quod Juſtinianus cavit) Novitatis additio ſit Vetuſtatis interemptio.

uth. Ut mpe. no. ræpo. in- it.Coll. 5.

Nos autem & Virginitatem cum humilitate miramur.

Pertinet hoc ad decimum Synodi canonem, quo virgines prohibentur efferre ſeſe, vel extollere ſupra conjugatos. Inde calumniabantur, quod Virginitas non eſſet excellentior conjugio. Imo, Nulli comparabilis virtus eſt, Virginitas; aliis omnibus eo mirabilior, quo difficilior, quod in eo can. x, dicebatur. Si tamen Virginitas omnis boni fundamento nitatur, quod eſt, Humilitas, Pręcipua conſervatrix, & quędam virtutum omnium cuſtos, quod ad Cælantiam ſcribens Hieronymus affirmat, qua Deus tantum placatur: Et Bernardus homilia prima de laudibus Virginis matris ait. Laudabilis quidem virtus eſt, Virginitas: ſed magis neceſſaria humilitas. Poteſt humilitas placere, quæ Virginitatem deplorat amiſſam. Sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuiſſet. Hęc Bernardus. Ubique ſuperbam vides improbari virginitatem, deinde proſequuntur.

an.quicũ- ue 26. qu. .de pœnit. iſt. 2. can. .Tom. 1.

Humilitas ſola eſt propter quam Deo placet Virginitas.

Et à negociis mundanis receſſum cum humilitate, commendamus.

Patres in Synodo prohibuerant, ne quis ob religionem deſereret familiarium, domeſticarumque rerum ſolicitudinem, & curam can. 3. can. 15, & 16. Calumniabantur Euſtathii ſectatores. Ergo mundi nos implicari vultis negociis. Haudquaquam, ſed hortamur, ac monemus, ut his vos explicetis: dummodò ſæcularia negligantur, animo de ſe nihil altum ſentiente, vel ocium ignavum non quærente, & ſine proximi injuria, vel incommodo ullo. Nec enim continuo melior eſt, quiſquis Ἀμελέστερος eſt. Illud Euangelicum. Luc. 14. Qui non renuntiat omnibus, quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, ad Romanas de ceſſione bonorum leges referri nolim; ſed nec licet. Ære aliquis obrutus alieno ſe devovet inſtituto Monachico, non propterea ſuis cenſetur abſolutus eſſe debitis. Imò nec ordinandus eſt. De oblig. ad ratio. in antiq. declarabamus in Apoſt. can. 80. Quemadmodum ſi poſt abligurita bona ſua Decoctor creditores fruſtretur, ac cedat bonis: aut etiam paupertate preſſus id faciat, hominem lex ideò non liberat, ff. & C. de ceſſ. bon. c. 3. de ſolut. in antiq. Quod autem pertineat ad hanc ſpontaneam renuntiationem bonorum --- Divus Auguſtinus in Epiſt. 89. fine, ſe ſua omnia reliquiſſe teſtatur. Et hanc ipſe viam perfectionis appellat, de qua Dominus loquutus eſt, Matth. 19. Ad quam ingrediendam pro ſuis ille viribus alios exhortabantur. Et in nomine Domini habeo conſortes (ait) quibus hoc, per meum miniſterium, perſuaſum eſt. Sic tamen, ut præcipuè ſana doctrina teneatur: Nec eos, qui iſta non faciunt, vana contumacia judicemus, dicentes nihil prodeſſe, quòd pudicè, quamvis conjugaliter, vivunt: quod domos ſuas, & familias Chriſtianè regunt. Et alia, quæ ſequuntur ibi, propoſito convenientia. Geminianus hic duo nobis aſtruit, authoritate canonis. 1. quod -- Qui ſæculi renuntiat rebus, & ſuis facultatibus, hic vitam mutare, profiterique religionem cenſetur: Etſi certo nulli ſit addictus ordini. 2. Habitus religionis aſſumptio non prodeſt, ſi propter humiliandam, magnificandamque vitam facta non eſt. Ergo fieri Monachum, vel Presbyterum, ut ocioſè vivas, non eſt verè Monachari, vel Presbyterari. Jam ſæpè monui. De membro ſequenti.

2. Can. olo. 12.

e ſpontanea bonorum renũtiatione.

Et caſtum nuptiarum conſortium nos honoramus.

neſtæ ptię, æ.

Can. 4. ſtatuerant ob uxorem legitimè ductam non

A eſſe idoneum quempiam poſtea delectum Presbyterum, contemnendum, quod Euſtathius faciebat. Conjugatos etiam nolebant à mutua cohabitatione ſecedere can. 1. & 14. quod Euſtathius volebat. Non propterea nos intemperanter libidinari permittebant, ut Euſtathianiſtæ calumnioſi blaterabant. Sed illa ſtatuebant, propterea quòd nuptias honorabiles ducebant: ſi modò foret immaculatus, & impollutus thorus, ideſt: Si nec ex parte Mariti, nec ex parte uxoris interveniat adulterium. Sic honeſtas nuptias Hugo putat eſſe. Deinde proteſtātur.

Et divitias cum Juſtitia, & Beneficentia non contemnimus.

Euſtathius, & ſui non magis facilè credebant eſſe,
B Camelum per foramen acus tranſire, quàm Divites intrare in regnum cœlorum poſſe. Putabant impoſſibile penitùs utrumque. Cujus erroris meminit Iſidorus apud Gratianum ſcribens Euſtathium dixiſſe, quod-- Nullus fidelis, qui non renuntiaret omnibus, quæ poſſideret, Spem ullam ad Deum haberet. Euſtathio longè priùs, hæreſis iſta fuit eorum, qui ſe, ſtatim ferè poſt Apoſtolos, cognominarunt Apoſtolicos, apud quos obſervabatur, ut nihil omninò poſſiderent, extrema paupertate gloriantes. Quibus & alios non diſſimiles hæreticos conjungit Epiphanius, qui vocabantur σακκοφόροι. Sacciferi. Legas Epiſtolam, quam ſcripſit Acatio, & Paulo, ſtatim Panarii ſui principio, & quæ libro ſecundo Tomi primi refert de Apoſtolicis. Eandem fuiſſe Manichæorum, Pelagianorumque opi-
C nionem teſtatur Auguſtinus in ea jam dicta Epiſtola 89. Hilarii percunctationibus reſpondens in quæſt. 4. Superiùs Ebionitas, & miſeros alios Pauperes deſcripſimus in can. 2. & 18. bis in Ariſtocratia noſtra, cùm de divitiis Eccleſiaſticis ageremus, hanc hæreſim refutabamus. Et pleniùs in Apoſtolico canone 40. Dixiſſe nunc ſatis erit --- Euangelio Chriſti, neque divitias, neque divites improbari. Foret hoc, nationem filiorum Dei reprobare, ideſt, pleroſque pietate, vitæque integritate excellentes viros peccati condemnare, quod opibus, ac divitiis pariter excelluerint. Id autem nefas eſt. Pſal. 72.

Luc. 18.

Can. prima annotatio §. Tertio Gang. diſt. 16.

Divitiæ nõ reddunt poſſeſſores ſuos ingratos Deo.

Abraham ſiquidem valde Dives erat in poſſeſſione auri, & argenti: cui Vernæ plus quàm trecenti fuerunt: qui penè ſolo familiæ comitatu quatuor ſuperbos vi-
D ctoria reges expugnare valuit. Iſaac à Domino locupletatus, & magnus vehementer effectus eſt: habuitque poſſeſſiones ovium, & armentorum, & familiæ plurimum. Tàm potens extitit Jacob, ut obvius potentiſſimo regionis illius tyranno Eſau fratri ſuo ſibi infeſto ſtuporem incuſſerit: Et Chananæis etiam timori fuerit, & Amorrhæis, omnium, quos Judæi poſtea vicerunt, fortiſſimis, urbe Sichimitarum per ſuos deleta, Agrum in gladio, & arcu ſuo (ideſt, vi, & jure belli) abſtulerit, quem teſtamento reliquit Joſeph filio ſuo. Vides hìc opulentiſſimos, atque ditiſſimos homines: quorum tamen nomine Deus in terra nominari voluit, & ab hominibus vocari, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob. De filiis Eſau poſtea Job inter omnes Orientales maximus regnavit: his tamen ni-
E hil obſtantibus divitiis, dixit Deus, in terra ſe non habere ſervum, qui Job ſimilis eſſet. Iſtos, & omnes ævi ſui reges, regni gloria, ſplendore vitæ, rerum copia, David excelluit, homo tamen ſecundum cor Domini factus fuiſſe dicitur. Et alios legimus viros quamplurimos in ampliſſimis facultatibus, & patrimoniis, quàm ſanctiſſimè vixiſſe.

Gen. c. 13. 14. 26. 32. 34. 48.

Job 1.

2. Reg. 8.

Nec Euangelium Chriſti caret ſuis Divitibus. Zachæus, in cujus domum Chriſtus invocatus divertit, dives erat: Abrahæ filius nuncupatus. Joſeph Jeſu diſcipulus erat, & ipſe quoque dives ab Arimathia. De domo Cæſaris quidam Romæ cum Paulo familiariter verſabantur, quos & Sanctos appellat. Hos ego nunquam crediderim mendicantes, & egentes fuiſſe. Neque ſuis Epheſii, Galatæ, Corinthii, Romani, reliquæ

Luc. 19. Matth. 27. Ad Phil. 4

liquæ gentes à Paulo subactæ, renuntiarunt opibus, inopes hac illac cum pallio, & pera vagantes. Imò religione, pariter & rerum multarum possessione claros fuisse, vitamque Apostolicam vixisse non dubito. Nec enim dixit Christus --- Impossibile est Divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Ubi verò Difficile ponitur, non Impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Hæc Hieron. Euangelistam declarans. Ne dixerimus ergo peccatores in sæculo solos obtinuisse divitias. Quæ si fortè nobis à Deo contigerint, hunc audiamus admonentem --- Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, & in incerto divitiarum sperare nolite: sed in eo solo, qui largitor est earum. Divitias non vituperemus, nec obesse religioni putemus. Illa planè falsa est nescio quorumdam Philosophorum sententia dicentium apud Hieronymum --- Omnis dives aut iniquus est, aut iniqui hæres. Prædictis, & innumeris aliis constat hæc falsitas exemplis.

Psal. 61. 1. Tim. 6.

In cap. 5. Hier. & alibi sæpe.

Quæ tamen omnia sunt ad Canonem nostrum referenda, puta, quando quis cum justitia, & Beneficentia Dives est. Patres hìc dicere volunt, quod tùm demum bonæ sunt Divitiæ, quando nullo proximi malo, sed ipsius indigentis bono, possidentur. Aliena cum jactura locupletari & injustum est, & contra naturam dicitur esse: certè non minus est inhumanum, minusve injustum, cum potes, miseris opem non ferre. Divitiarum namque finis in homine Christiano est, Ἐλεημοσύνη, καὶ Εὐποιΐα, idest, misericordia, & Beneficentia. Beneficentiæ, & Communicationis (Εὐποιΐας, καὶ Κοινωνίας) ne obliviscamini. Talibus enim Deus hostiis promeretur. Hebr. cap. ult. Redemptio animæ viri sunt divitiæ suæ. Proverbior. 13. Suæ autem cujusque nostrum, sive propriæ Divitiæ sunt, quas nos Christi veritas docuit: qui præcepit, ut faciamus nobis amicos de iniquo Mammona, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Luc. 16. Nam tùm demum Divitiæ nostræ sunt, cum donantur Pauperibus. Altera quoque sequitur circa vestes protestatio, pertinens ad 12. can. superiùs. ---

Divitiarum possidendarum finis inter Christianos.

Regula jur. 206. ff. & 48. in 6.

Et ut semel omnia dicamus. Quæcumque per Scripturas divinas, & Apostolicas traditiones constituta sunt, in Ecclesia fieri vehementer optamus, & etiam precamur.

Quemadmodùm Romani suæ civitatis jus constare dixerunt ex scripto, & ex non scripto: Sic etiam Patres jus Christianæ civitatis diviserunt in Ἔγγραφον, in Scriptum, & in Ἄγραφον. Non scriptum, quæ juris Ecclesiastici divisio probatur hìc, & in can. Ecclesiasticarum, sequentibusque can. 11. dist.

§ Constat autem jus Instit. de jure naturali, &c.

Jus Scriptum est, quod per Divinas scripturas docet ea, quæ fidelibus ad salutem sunt ordinata. Puta. Per legem, Psalmos, Prophetas, per Euangelium Jesu Christi, per Apostolicas Epistolas, per sancta patrum concilia, per sacros Ecclesiæ canones. Ad quod quidem scriptum jus refero, quod Apostolus scribit Romanis --- Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus cap. 15.

Ecclesia regitur Jure duplici, Scripto, & non scripto.

Jus autem non scriptum est, quod usus Ecclesiæ catholicæ longævus, & mos Patrum diutinus comprobavit. Ab ipsis Apostolis, & Patribus Apostolicis hoc veluti per manus ab initio traditum, venit ad posteros, absq; ulla publica scriptura, vel aliquo cõmuni concilio. Jus istud Ecclesia græca Παραδόσεις nominavit, & Latina, Traditiones. Quales Apostolorum discipulus, & auditor Clemens Octoginta quinque Canones in libellum collegit à suis magistris Ecclesias primas instituentibus viva tunc voce perceptos. Magnus per omnia Basilius de Paradosibus istis observandis in multis suis Homiliis multa coacervavit, & præsertim cap. 27. libri de sancto Spiritu ad Amphilochium. Similiter & Hieronymus adversus Luciferianos. Etiamsi scripturæ non subesset authoritas, totius tamen (ait) orbis

Quæ per traditiones in Ecclesiis observantur, Authoritatem scriptæ legis habent.

aliquam in rem consensus instar præcepti obtineret: Non differt hoc ab eo jure, quod vel Gentium, vel naturæ vocamus. Tertullianus annis utroque penè prior trecentis non pauciora proposuerat, uti, Signum crucis in omnibus actibus Christianorum frequentissimum: Baptismalis aquæ, & olei consecrationem. Versus orientem, quum volunt orare Christiani, conversionem. Jejunia certa: Cibos delectos: Cilicia: Vigilias: & alia, quæ sola traditione defenduntur: in libello, de corona militis. Innumera observantur per scripturas nobis non injuncta, sed introducta duntaxat per assiduam, & longam Majorum cõsuetudinem. Cujus quidem consuetudinis authoritatem, viresq; magnas in Ecclesia Dei semper fuisse ad ea confirmanda, quę sacris litteris nõ exprimuntur, Apostolus satis ostendit, aliud non respondens contentiosis quibusdam Corinthiis, de mulieribus non tondendis, quàm --. Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Gnosticis omnia modò novantibus, & quibus nihil consuetum placet, à Paulo docti sic etiam respondeamus, & fugiant confusi.

1. Corin. 11.

Paternis profectò traditionibus istis, non minus, quã scripturæ legibus Ecclesiastica Hierarchia nostra continetur. Hominum tamen superstitiosorum inventa (pròh blasphemiam!) Dæmoniorum doctrinas, impudens, & impia Gnosticorum maledicentia vocat. Omnes pii contrà vociferantur, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque tales devenisse, processisseque traditiones à Spiritu sancto contestantur. Non quòd in eis constituerint unquam, vel constituant spem salutis: ut in supervacaneis quibusdam suis Deuterosibus olim Judæi: propter quas etiam Dei mandata faciebant irrita. Matth. 15. Traditiones amplectimur, quia promoveant observantes ipsas ad pietatem: quia fraternam communionem firment, & ad finem societatis, & unionis Ecclesiasticæ tendant, ac legem persæpè declarent, ut paulo superius vidimus de eleemosyna. Legem vocat Apostolus Pædagogum ad Christum cap. 3. ad Gal. Quid ni quoque Ritus, & Ceremonias, & Ecclesiæ consuetudines antiquas appellemus, etiam Pædagogos nostros, morum custodes, & vitæ Magistras? quibus certè remotis, atque sublatis, Ecclesiæ tranquillitas, rerumque publicarum omnium status, & honestas, ut una turbetur, & confundatur, necesse est.

Quomo[do] Priscoru[m] traditio[ni]bus utat[ur] Ecclesia.

De quib[us] Hierony[mus] ad Algasia[m] quæst. 10 Tom. 3. alibi.

Hactenus ex commentariis in hanc synodum quædam defloravimus, quod hæc lucem pluribus difficillimis allatura sperare possimus.

Concilium Arelatense II. tempore Sylvestri Papæ Primi circa annum 330.

Tituli Capitulorum Concilii Arelatensis secundi.

1 *De neophytis clericis non ordinandis.*
2 *Qualiter conjugati ad Sacerdotiũ provehantur.*
3 *Ut nullus Clericus, aut Diaconus in solatio suo extraneam habeat mulierem.*
4 *Ut nullus clericus in cellario, vel in secreto intromittat puellam,*
5 *Ut Episcopus cum ordinatur, cum consensu metropolitani, tres eum ordinent Episcopi.*
6 *De Episcopo, qui sine metropolitani consensu fuerit ordinatus.*
7 *De his, qui seipsos abscindunt.*
8 *De his, qui excommunicatos alterius suscipiunt.*
9 *Ut Novatiani in communionem non suscipiantur.*
10 *De his, qui in persecutione prævaricati sunt.*
11 *De his, qui pœnis victi, sacrificare compulsi sunt.*
12 *De his, qui in pœnitentia positi, vitam excesser[unt].*
13 *Ut ne quis qualibet necessitate suã relinquat Ec[clesi]ã.*
14 *Ne clericus usuram accipiat.*
15 *Ne Diaconus coram Presbytero sedeat, vel Eucharistiam tradat.*
16 *Ut Photiniani, & Paulianistæ baptizentur.*
17 *Ut hæretici, qui in Trinitate baptizati sunt, cum chrismate, & manus impositione recipiantur.*

18 *Me-*

18 *Metropolitani arbitrio Synodus congregetur.*
19 *Ut nulli Episcopo liceat à Synodo deesse: vel ante peractam Synodum discedere.*
20 *De aurigis, & theatricis fidelibus.*
21 *Si post acceptam pœnitentiam quis nupserit.*
22 *Ut pœnitentia conjugatis ex consensu detur.*
23 *De Sacerdotibus, qui idololatriam non everterunt.*
24 *De accusatoribus fratrum.*
25 *De apostatis, si non revertuntur.*

Capitula ejusdem Concilii.

d. 28. Assumi aliquem. 1. ORdinari ad diaconatus, vel sacerdotii officium, neophytum non debere.

2 Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet.

3 Si quis de clericis à gradu diaconatus, in solatio *Ex 3. cap. Nicænæ Synodi.* suo mulierem, præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem (si se separare noluerit) pœna percellat.

4 Nullus diaconus, vel presbyter, vel Episcopus, ad cellarii secretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam.

Exc 4 Nicæ. Syn. 5 Nullus episcopus sine metropolitani permissu, nec Episcopus metropolitanus, sine tribus Episcopis comprovincialibus præsumat Episcopum ordinare, ita ut alii comprovinciales Epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero metropolitanus in electione consentiat.

Ex 6. cap. Nic. Syn. 6 Illud autem ante omnia clareat, eum, qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit Episcopus, juxta magnam synodum esse Episcopum non debere.

Ex 1. cap. Nicæ Syn. 55. hi, qui se carn. 7 Si qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum pervenire non possunt.

Ex cap. 8. Nicæ. Syn. Ibidem. 8 Si quis excommunicatum alterius, sive clericum, sive sæcularem recipere post interdictum præsumpserit, noverit se reum fraternitatis factum, causam in Concilio redditurum.

9 Novatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentia incredulitatis, præteritum damnet errorem.

10 De his, qui in persecutione prævaricati sunt, si voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, ut quinque annis inter Catechumenos exigant, & duos inter discommunicantes, ita ut communionem inter pœnitentes non præsumant. In potestate tamen, vel arbitrio erit Episcopi, si eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipere.

Ex eodem. 11 Si qui verò dolore victi, & pondere persecutionis negare, & sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter Catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione suspensi.

Ex cap. 12. Nicæ. Syn. 12 De his, qui in pęnitētia positi vita excesserunt, placuit nullum cōmunione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit pœnitentiā, oblatio illius recipiatur.

Ex cap. 15. ejusdem. 13 Nullus cujuscunque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam, sed omnimodè aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quòd si aliquis commorationis tempore, invito Episcopo suo, in aliena Ecclesia habitans ab Episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.

Ex cap. 18. 14 Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus à clero, à communione alienus habeatur.

Ex cap. 14. ejusdem. 15 In secretario Diaconos inter Presbyteros sedere non liceat, vel Corpus Christi, præsente Presbytero, tradere non præsumant. Quod si fecerint, ab officio Diaconatus abscedant.

Ex cap. 19. ejusdem. 16 Photinianos, sive Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportet.

A 17 Bonosiacos autem ex eodem errore venientes (quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

18 Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam (ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Martini tempore legimus celebratum fuisse Concilium, atque conventum) si quis commonitus, infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat. *Marini.*

19 Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissolvatur Concilium, crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus. *dist. 18. Si quis autē.*

B 20 De agitatoribus, sive theatricis, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt, à communione separari. *Idem Can. est 4 in 1. Conc Arelat. Probabile est hos aurigas fuisse agitatores currū quib. gladiatores certabāt, quod à Concilio prohibetur, quia videbatur habere duelli speciē; vide Hilarionis vitam.*

21 Pœnitentes, quæ, defuncto viro, aliis nubere præsumpserint, vel suspecta, vel interdicta familiaritate se cum extraneo junxerint, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari.

22 * Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

23 Si in alicujus Presbyterio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes, vel saxa venerentur, si hæc eruere neglexerit, sacrilegii se esse reum cognoscat. Dominus autem, vel ordinator rei ipsius, C si admonitus emendare noluerit, communione privetur.

24 * Eos qui falsa fratribus capitula objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare (sicut magna Synodus ante constituit) nisi digna satisfactione pœnituerint. ** 33. qu. 4. Pœnitentiam Conc. * 10. qu. 1. Eos qui.*

25 Hi, qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille sit, post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat. Quod si præsumpserit, ab Ecclesia alienus habeatur. *Ex hoc cæ. claret, plures esse Nicęn synod. constit. quā 20. cū ista non sit de illarum numer.*

D *Hi sequentes titulis carent.*

26 De his, quos clericatui ipsa vitæ gratia suggesserit, si fortè inter nupta, & duplicata matrimonia inciderint, non ultra Subdiaconum Ecclesiasticas capiant dignitates. Quòd si facti forsitan sunt, ab Ecclesiastico removeantur officio.

27 Professas viduas, * si in cohibendam perstiterint, cum raptoribus esse damnandas. ** Locus obscurus. Ca. 4 ejusdem con.*

28 Secundum constitutionem Synodi Valensis (aliàs Vasensis) qui oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia, cui fraudem fecit, excludatur.

29 Si quis Episcopus suæ sententiæ non acquiescit Synodi legibus audiendum.

E 30 Secundum instituta seniorum si à communione Sacerdotali fuerit authoritate suspensus Episcopus hunc non solùm à clericorum, sed etiam à totius populi colloquio, atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

31 Hi, qui publicis inter se odiis exardescunt, ab Ecclesiasticis conventibus sunt removendi, donec ad pacem recurrant.

32 Si expositus ante Ecclesiam, cujuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is, qui collectus est intra decem dies, quæsitus, agnitusque non fuerit, securus habeat, qui collegit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida Ecclesiastica districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit authoritas.

33 De

33 De puellis, quæ se voverunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, si post viginti, & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias spontè transierunt, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his, cum quibus se obligaverint, communione priventur, ita ut, eis postulantibus, pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.

34 Si quis famulorum cujuslibet conditionis, aut generis, quasi ad exacerbandam Domini discretionem, se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad Dominum sceleris alieni invidia pertinebit.

35 Placuit in ordinatione Episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco venalitate, vel ambitione submota, ab Episcopis nec nominentur, de quibus Clerici, vel Laici cives erga unum eligendi habeant potestatem.

36 Si quis sæcularium religionis se ad quemcumque Sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratia suscepit, vindicabit.

37 Hoc etiam placuit custodiri, ut nihil contra magnam Synodum Metropolitani existiment vindicandum.

Nota. Plures Canones hujus Synodi habet Sirmondus tom. 1. Concil. Galliæ, scilicet quinquaginta sex ex codice Ecclesiæ Rhemensis, in quo primam editionem hujus Concilii extitisse autumat, nec inter eos invenitur Can. 28. in quo fit mentio Synodi Vasensis. Unde videntur incerti Canones sine titulo.

Controversia.

SUnt qui ad annum 389. sub Syricio Papa remittant hanc Synodum. Verum qui res Arelat. diligentius scrutatus est Petrus Saxius in Historia *Primatum sanctæ Arelatensis Ecclesiæ*, sub Martino secundo, aliud censet. Scrupulus tamen, inquit, ad Chronologiam superest nonnullus; tùm quod hæc Synodus secunda eosdem habeat Patres subscriptos, quos prima; tùm quod nulla de Photino, & Bonozo Hæreticis ante Siricii tempora, qui anno octogesimo quinto supra sæculum tertium vixit, memoria habeatur. At multiplici ratione hic scrupulus penitus evellitur. Nimirum Donatistæ, qui opera Optati Milevitani detruncarunt, hoc Concilium cum primo permixtum, confusumque voluere, ut sententia in ipsos prolata nullum pondus, & authoritatem ex Concilio mutilo, & incerto sibi conciliarent: Canones verò, qui de Bonozo, & Photino mentionem faciunt, nullus est, qui non videat ex marginali annotatione in textum superinductos. Stet ergo Concilium Arelatense secundum proximè peracto Nicæno fuisse celebratum, quod voluere Authores permulti nec obscuri nominis Baronius an. 314. licèt dubius. Azorius instit. moral. p. 2. l. 5. c. 19. Genebrardus in Sylvestro, & Gauterius in tabula Chronographica sæculo 4. columna 3.

Porro de primatu Arelatensi eo in Concilio egere Patres. Unde colligere est æmulos jam aliquos fuisse, qui Arelatensem Ecclesiam ex sancti Trophimi privilegio consecutam, in dubium vocabant: præsente tamen Vero (non Claudio) Viennensium Episcopo, nec reclamante decrevere Patres Can. 18. *ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam*, &c.

Observatum labentibus post sæculis hoc decretum, testantur omnes Pontificum Romanorum ad Arelatenses Episcopos litteræ. Nolim verò censeas ex hoc canone ortum esse Metropolitanæ Arelatensis Ecclesiæ primatum, qui à Beato Trophimo tanquam vero, Germanoque fonte in subsequentes Episcopos effluxit.

Consignat autem Episcopatum Marini ab ann. 325. ad annum 335. ut intra hoc tempus celebrari debuerit hoc secundum Arelatense Concilium.

Atque hanc sententiam sequitur Joverius, qui in classe Provincialium Conciliorum hanc Arelatensem secundam Synodum adjungit Synodo Gangrensi, & ante Carthaginense primum sub Sylvestro celebratum collocat. Unde nec tàm absurdum fuerit, ut multi Episcopi, tàm primæ Arelatensi, quàm secundæ subscripserint.

Dubium autem de Concilio Vasionensi, quod hìc laudatur, dissolves, si minus certæ fidei agnoscas Canones præter viginti quinque primos: aut citationes istæ, quas collector quispiam Synodorum pro arbitrio margini inscripsit, ex ea in textum irrepsisse existimes.

CONCILIUM, VEL POTIUS

Conciliabulum Tyrium, sub Sylvestro, anno Domini 335. in causa Athanasii Episcopi Alexandrini habitum.

NOn immeritò hoc, quod Tyri celebratum est, Concilii nomine indignum, Conciliabulum, & malignantium conventum tres potissimum ob causas nominavimus. Quarum prima est: Quia ab Imperatore, præter munus, & officium ejus, indictum fuerit in civitate Tyri contra eum, quem malitiosè à Meletianis, Arrianis, & Eusebianis accusatum innocentissimum esse cognoverat, cujusque innocentiam litteris ad Alexandrum scriptis probaverat: adeoque non tàm facilè, neque tàm breviter, quartò, aut sæpius convictis hæreticis nefariis deferre debuerat. Altera est, quod ad eorumdem instantiam Imperator ad Concilium illos dumtaxat Episcopos convocaverit, quos nefarii Hæresiarchæ designaverant, quodque adeò in eadem causa iisdem accusandi, & judicandi munus concessum esse voluerit, ipsumque innocentem Athanasium citaverit, ut à nefariis hæreticis non tàm judicaretur, quàm condemnaretur. Athanasius huic quantumvis illegitimo Conventui cum quadraginta septem Ægypti Episcopis Catholicis, ac Confessoribus se præsentem adhibuit, ne causæ suæ diffidere videretur, & adversariis ampliùs sæviendi causa preberet: neve demum invitus adesse cogeretur. Tertia causa illegitimi Conventus est, quod Præsidem illius ageret Dionysius Comes cum militari manu sub prætextu comprimendi tumultus, & imperandi, si opus esset, silentii, coercendæque procaciæ insolentium, cum tamen præsidio militum revera innocentia expugnaretur, & denuo hostibus Athanasii ad fidem Catholicam oppugnandam aditus aperiretur.

Hunc autem Conventum malignantium collectum fuisse anno Christi nati 335. probatur. Primo auctoritate Eusebii, dum lib. 4. cap. 11. Vitæ Constantini ait, ipsis tricennalibus, idest, trigesimo Anno Imperii Constantini, qui cum prædicto anno Christi coincidit, Tyri Episcopos convenisse, ut discordiæ inter Egyptios ortæ componerentur. Secundò idem probatur ex Epistola Ecclesiæ Mareoticę in Ægypto, dum Tyri Synodus ageretur, Constantino, & Albino Consulibus data, quorum Consulatus, juxta Fastos emendatiores cum anno Christi 335. & Sylvestri 22. Constantini Imperatoris 30. concurrit.

Causæ verò habiti Concilii fuerunt variæ calumniæ Athanasio objectæ: quarum prima fuit, quòd illegitimè electus esset. Secunda, quòd Philumeno cuidam Imperatoris hosti magnam pecuniæ quantitatem misisset. Tertia, quòd Arsenium Episcopum interfecerit. Quarta, quòd meretriculæ cuidam vim intulerit. A quibus omnibus Athanasius se purgavit, suamque innocentiam in omnibus ostendit; maximè verò circa pudicitiam; nam ingressus Synodum, cum mulier ipsum, quem non agnoscebat, de adulterio accusaret, Timotheus sub nomine Athanasii se excusabat: at mulier ipsum Athanasium credens vehementer objurgat: sicque de falsa accusatione convicta est, & confusa: nec minus confusi fuere Episcopi, cum Arsenium pre-

præsentem in Concilio aspexerunt, quem ab Athanasio occisum dicebant. Tunc conclamatum est Athanasium magum esse, suisque discerpere manibus parant, sed per occultos exitus è Synodo eductus aufugit. Interim Concilium rursus conveniens, tanquam si nihil deprehensum fuisset, ut confessum de intentatis criminibus, Athanasium condemnat, qui postea novis calumniis exagitatus, quasi minatus fuisset, ne quid frumenti Alexandria Constantinopolim deveheretur, in Galliam relegatus est, Eusebianorum audacia in dies crescente. Sic ergo fidei Athleta magnus Athanasius magis exosus redditus Imperatori adversariorum æmulatione, & susurratione, ac velut Imperii hostis habitus, exul factus est. Maximinus Trevirensis Episcopus ut de impietate triumphantem in urbe sua eum excepit cum magno honore.

CONCILIUM, SEU POTIUS CONCILIABULUM Jerosolymitanum,

Eusebianorum, in causa Arrii restituendi, anno 334. celebratum.

CAusa celebrandi hoc Conciliabulum fuit, quia Eusebiani persuaserant Constantino Arrium de fide Orthodoxa rectè, & Catholicè sentire: unde cum Episcopi iidem, qui Tyri fuerant ad dedicandam Ecclesiam ab Imperatore recens erectam, convenissent, vocatum ad se Arrium cum sua, quam obtulerat, fidei confessione ambigua, & in specie Catholica, ad Episcopos Jerosolymis congregatos remittit, mandans, ut illi confessionem oblatam examinent, & si Arrius rectè sentiret, ac crederet, probarent, eumque non tantùm reciperent, sed etiam Alexandrinam Ecclesiam, & urbem, à cujus aditu jussu Nicæni Concilii abstinere debebat, ipsi restituerent. Peracta igitur templi dedicatione, cœtuque dimisso, convenientes, Arrium, ejusque fidem probant, recipiunt, & Alexandriam ei restituunt. Vide Baronium anno 335. num. 42. 46. 54.

CONCILIUM, SEU CONCILIABULUM Constantinopolitanum,

Occasione Marcelli Ancyrani celebratum ab Arrianis, anno 337,

CUm Arriani in Concilio Nicæno Marcellum Ancyranum in Galatia Episcopum suæ factioni infensissimum adversarium sensissent, ipseque vocatus ad Encænia Jerosolymitanæ Ecclesiæ, cum Eusebianis communicare nollet, ad Imperatorem eumdem detulerunt. Hujus auctoritate, deinde ad Synodum Constantinopolitanam anno Christi 336. celebratam, dicturus causam convocatus comparuit cum propinquioribus Episcopis, ferè omnibus Eusebianis, Eusebius Nicomediensis, Eusebius Cæsariensis, Theognis, Patrophilus, Ursacius, & Valens Arrianorum antesignani, ut Athanasium sede sua, modo, quo supra diximus, exturbarent, illuc convenerant. Ubi cùm Athanasium per novam calumniam in exilium expulissent, viribus omnibus laborarunt, ut Marcellus, alter fidei Catholicæ defensor acerrimus, eadem sententia percelleretur. Itaque post multas calumnias, eum crimine hæreseos falsò insimulatum, quasi contra Asterium scribens, cum Paulo Samosateno sentiret, Christumque purum hominem esse doceret, condemnarunt, & Episcopatu abdicatum in exilium ejecerunt.

Deinde hac re pro voto suo egregiè peracta, Arrium ob infidelitatis, & hæresis suspicionem ab Alexandrinis rejectum, rectè, & orthodoxè sentire judicant. Juramento eamdem fidem professus, in Ecclesiæ communionem recipi ab Imperatore jubetur, ad quam cùm deduceretur magno cum Eusebianorum fastu, exonerandi alvum necessitate ad locum secretiorem declinare compulsus, unà cum excrementis viscera effudit, Judæ instar, ait Gregor. Nazianz. orat. 21. ob eamdem Verbi proditionem disruptus; sic Deo hæresim ejus damnante, unde multi ad fidem redierunt. Hæc ex Ruffino, Epiphanio Hæresi 73. Athan. Apol. 2. de Synodis, epist. ad Solitarios. Baronius anno 336. num. 27.

Synodus Romana habita à Julio Papa I. & reliquis centum, & sexdecim Orthodoxis Episcopis anno 339.

SYnodus hæc à Julio Papa ipso sui Pontificatus exordio convocata est, duas potissimùm ob causas; quarum prima est, ut certæ fidei confessionem ederet, ipsamque Synodum suo quoque calculo confirmaret. Altera est, quòd Arrianam hæresim ante condemnatam, sua etiam sententia excommunicari, ac proscribi voluerit.

De tempore verò, quo hæc Synodus congregata est, inter varias opiniones, Baronii sententiam sequimur, quòd nimirum Feliciano, & Titiano Coss. anno Christi nati 337. Julii Pontificis primo, primo item Imperii Constantini, Constantii, & Constantis, celebrata fuerit. De hac autem Synodo nihil aliud habetur, nisi confessio Fidei Catholicæ, quæ refertur à Binio.

Concilium Alexandrinum ex Catholicis Episcopis Alexandrinæ Ecclesiæ, in causa Athanasii, anno 339.

CUm Constantinus Imperator voluntatem Patris defuncti executus, Athanasium biennio exulantem Ecclesiæ suæ restituisset, reditum illius Arriani indignè admodum ferentes, veteribus calumniis tres alias noviter excogitatas addiderunt. Primò, Quod reditus illius omni populo ingratus fuisset, cædesque plurimorum concitasset. Secundò, Quòd à Synodo damnatus, Synodali decreto temerè, & contra Canones Sedem recipere præsumpsisset. Tertiò, Quòd frumentum ex liberalitate Imperatoris Ægypti, ac Libyæ viduis exhiberi solitum, surripuisset. His commentis instructi, ad Julium Romanum Pontificem, sicut etiam ad Occidentalis Imperii Imperatores Constantium, & Constantem, Legatos quosdam ex suis ablegarunt, qui spuria illa Acta Tyri secum deferentes, eaque Julio Pontifici offerentes, peterent, ut Athanasii condemnatio Tyri facta, rata, ac firma haberetur. Quod cùm Orthodoxi Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ rescivissent, subitò congregati accusationes Arrianorum novas simul, ac veteres ad examen, & judicium vocarunt: dum accusationes eorum calumniis plenissimas esse animadvertissent, utilissimum fore judicarunt, ut ad Legatos Arrianorum refutandos, suos ipsi etiam ablegarent, eosque Synodali epistola adversus omnes Eusebianorum accusationes, tàm veteres Tyri productas, quàm etiam novas ab iisdem recens excogitatas, scripta, instruxerunt, & confirmarunt. Quos cùm eodem tempore simul Romæ, & apud Imperatorem cum Arrianis præsentes esse contigisset, mendaciis Arrianorum utrobique refutatis, de hoste prostrato, ac devicto, apud Imperatorem, & Pontificem gloriosè admodum triumpharunt. Ad pudorem, quo suffundebantur adversarii, minuendum, ad Concilium aliud subitò provocarunt. Hæc Baronius anno 339.

Concilium Antiochenum I. sub Julio Papa I. celebratum, in quo Arriani Athanasium deposuerunt, atque Gregorium Cappadocem substituerunt, anno 340.

CUm Julius Pontifex anno Christi 340. Concilium, quod Arrianorum legi, per Alexandrinæ Sy-

Synodi deputatos convicti, ad causam Athanasii ab exilio revocati latiùs discutiendam, Romæ indici, ac celebrari petiverant, indixisset, eosque ad præfinitum terminum citasset, jamque Athanasius ultrà annum eorum adventum præstolatus fuisset, ut honesto prætextu indictum Romæ Conventum subterfugerent, auctore Constantino procurarunt, ut Antiochiæ nobilissimi illius templi, quod à Constantino magno inceptum, quodque sub Constantino postmodum absolutum, præ sui excellentia, Dominicum aureum appellatum fuit, encænia, & dedicatio celebraretur. Callidum Imperatoris inventum placuit: convocantur à Constantino per litteras Episcopi, teste Athanasio lib. de Synodis, nonaginta, vel quod habet Hilarius libro de Sinodis, nonaginta septem; quamquam Sozomenus lib. 3. cap. 5. nonaginta novem convocatos, ac congregatos fuisse scribat. Ex his triginta sex Arriani erant: verùm, quam occultam in pectore gerebant hæresim, ac fraudem, mirificè admodum tegebant. Ne enim viderentur non Catholici hujus Conventus principio Arrianum nomen publicis scriptis aversati; atque intrinsecus insignes sese fidei, ac morum vindices jactitarunt, eo ipso quòd Eustathium ob adulterium, & Sabellii hæresim condemnatum, Episcopatu deposuissent. Mirum igitur videri non debet, quod cùm Arrianis Catholici convenerint, simul in sacris Encæniorum solemnitatibus communicaverint, simulque in uno, eodemque Concilio consederint.

Peracta igitur templi dedicati celebritate, in eodem Episcoporum Conventu causa Athanasii in judicium deducta est: post repetitas eas calumnias, quæ in Tyrio Conventu propositæ, ac refutatæ fuerant, accusatur, quòd contra Canones ab exilio revocatus, & pristinæ Alexandrinæ Ecclesiæ restitutus sit: nam Episcopatu amotum, non aliter quàm per Concilium restitui oportere ajebant: hoc modo cùm Athanasius restitutus non fuisset, Eusebianorum calculo dumtaxat dijudicatum est, eum justè depositum à sede Alexandrina, cui non legitimè restitutus esset, deturbandum, aliumque in ejus locum subrogandum esse. Huic decreto, quantumvis Episcopi Catholici majoris numeri voto suo contradicerent, tamen Constantii Imperatoris nutu, favore, ac voluntate, illud sartum, tectumque habitum est, quod Eusebiani numero pauciores constituerant. Post multa de subrogando in locum ejus alio Episcopo, ex sententia Eusebii Nicomediensis olim, nunc Constantinopolitani, Eusebius Emissenus, homo nondum sacris initiatus, quem sancti Hieronymi Chronicon Arrianæ factionis signiferum appellat, *ad sedem Ecclesiæ Alexandrinæ* (hæc Sozom. lib. 3. cap. 5.) *capessendam designatus est: nam putabat illum tùm propter piæ vitæ institutionem, tùm propter singularem in dicendo facultatem, animos Ægyptiorum à benevolentia, qua Athanasium complectebantur, facilè avocaturum. At ubi Episcopatum capessere recusavit, ratione secum inita, quòd paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanasii subrogatum, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatus Gregorio tributus est*: homini nimirum Arriano, peregrino Cappadoci, quem Philagrius, & Arsacius præfecti magna Catholicorum strage, anno Christi 342. introduxerunt, Sardicensis Concilii Patres deposuerunt: quem denique populi Alexandrinæ Ecclesiæ decimo mense post habitum Sardicense Concilium occiderunt. His rebus contra Athanasium Nicęnæ fidei acerrimum defensorem ita peractis, ut Nicænæ fidei Symbolum evertant, nomenque *Consubstantialis* inde callidè, vafrè, & quasi per cuniculos expungant, se Arrium detestari, ac procul ab ejus sententia abhorrere, fidei confessione conscripta profiterentur, ut videre est apud Sozomenum, ubi suprà, & apud Binium hìc.

Circa Canones verò viginti quinque hujus Con-A cilii, & hic infrà positos, sciendum quod ab antiquis rejecti fuerunt, eò quod ab Eusebianis instituti essent, ut infrà patebit in Annotatione Canon. 12. Horum nonnulli antiqua fidei dogmata, fideique Nicęnæ decreta confirmant: nonnulli verò tanquam Orthodoxæ fidei, & bonis operibus ab Ecclesia receptis contrarii, exploduntur. Cum Apostolica, & antiqua lege, ac consuetudine hactenus observatum esset, ut Episcopi quavis injuria affecti, ad Apostolicæ Sedis judicium appellarent, non citra fraudem hìc constitutum est, ne Episcopus à Concilio depositus, ad sedem pristinam aliter, quàm à majoris numeri Episcoporum Concilio, ac sententia absolutus redire præsumeret. Ac quia Athanasius Eusebianorum Synodali sententia condemnatus fuerat, ut docerent, eum justè, ac legitimè restitutum non fuisse, qui Romani B Pontificis sententia absolutus, & Imperatoris decreto revocatus fuerat; talem scilicet Canonem excudisse oportuit. Insuper, ut hęreseos Arrianæ, & Nicænæ Fidei contemptæ suspicionem, quam justè incurrerant, aliquo modo declinarent, ipso ingressu Canonem illum posuerunt, quo Nicæni Concilii Canonis de Paschatis tempore instituti, se vindices exhibuerunt.

Appell. ad Pap.

Ad nomina subscriptorum Episcoporum etiam addiderunt insignem illum Jacobum Nisibitam Episcopum, ut authoritatem aliquam Concilio conciliarent. Hic enim est, qui obsidione Nisibis per Saporem Regem Persarum, magno miraculo urbem liberavit. Quare Constantinus Magnus admirabili sanctitate hujus Episcopi in Nicęno Concilio cognita, Con-C stantino filio hoc in mandatis dedit, ut hunc Episcopum non tantùm viventem coleret, & observaret, sed ejus quoque cadaver honore prosequeretur; ac proinde non abhorreret à fide, quam sciebat ab eodem sancto Episcopo prædicari.

Iacobus Nisibita

Contrà verò eorum, qui Arrianæ factionis Antesignani erant, Eusebii Nicomediensis olim, jam Constantinopolit. Arrarii Episc. Cęsariensis, Maris Chalcedonensis, Patrophyli Scyrhopolitani, Theognis Nicæni, aliorumque famosissimorum Arrianorum nomina omiserunt, aut saltem dolosè suppresserunt, epistolamque verborum lenocinio fictam suo Conciliabulo præfixerunt. Unde accidit, ut Canonum Collectores hos Canones, velut ab Orthodoxis editos collegerint, Ecclesiæ legendos ediderint, atque duos ex D iis Patres Concilii Chalcedonensis absque titulo Antiocheni Concilii citaverint; non aliter sanè, quàm ut ea, quæ secundum Ecclesiasticam disciplinam antiquitùs traditam, ab eis in Synodo deposita esse videbantur, ab ipsis tanquam ab injustis possessoribus vindicarent.

Quòd Gratianus Can. 11. dist. 16. hanc Synodum inter Concilia à Catholicis habita recenseat, gravi errore lapsus est: poterat enim intellexisse, non à Catholicis, sed ab Eusebianis, & Arrianis hoc Concilium collectum fuisse, cui Eusebium Arrianæ factionis in Palæstina Episcopum, velut Præsidem interfuisse scribit. Vide Baronium anno 341. numero 29. 32. 34. & 37. Et eodem errore lapsus videtur Carranza, qui in fine huius Concilii sic ait: Proba-E tum est Concilium Antiochenum in sexta Synodo Generali Constantinopoli in Trullo celebrata, ut ex secundo Canone editionis Græcæ constat, & per Dionysium Papam, ut patet per Eusebium libro septimo capite 24. & 25. in Histor. Eccles. hæc ille. Sed tàm à Carranza, quàm ab aliis quibusdam confunditur hoc Concilium cum aliis in Antiochia celebratis, ut optimè Bellarminus perpendit: sex enim fuerunt Concilia Antiochena. Primum, & secundum contra Paulum Samosatenum, tempore Dionysii Papæ, circa annum 266. & 272. Vide Eusebium lib. 7. Histor. cap. 23. 24. 25. & 26. Tertium Arrianorum, tempore Julii Primi, anno 340. & est hoc præsens. Quartum est Macedonianorum pro sua hæresi

Error Gr... tiani, Carranz...

Plura C... cilia A... tiochena

hęresi, anno 367. tempore Liberii Papę, Hieronymus in Chronico. Quintum est Catholicum Provinciale Episcoporum 30. cujus Canones 25. habentur, in Tomo primo Conciliorum. Videtur fuisse tempore Joviniani, & Liberii. Vide Sozomenum lib. 6. cap. 4. Sextum est incertum Act. 14. Concilii Chalcedonensis. Hoc autem vocatur primum Antiochenum, quia apud hęreticos censetur Generale. His omnibus sic annotatis, sequuntur Can. hujus Conc. Antiocheni.

Canon I. *Pascha celebrandum esse juxta Concilium Nicænum.*

OMnes, qui ausi fuerint dissolvere diffinitionem sancti, & Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, & venerabilis Principis Constantini de salutifera solemnitate sacratissimi Paschæ; excommunicandos, & de Ecclesia pellendos esse censemus, si tamen contentiosius adversus ea, quæ benè sunt decreta, perstiterint. Et hæc quidem laicis dicta sint. Si quis autem eorum, qui præesse noscuntur Ecclesiæ, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, post hanc definitionem tentaverit, ad subversionem populorum, Ecclesiarumque perturbationem, seorsim colligere, & cum Judęis Pascha celebrare: Sancta Synodus hunc alienum jam hinc ab Ecclesia judicavit, quòd non solùm sibi, sed & plurimis causa corruptionis, & perturbationis extiterit. Nec solùm tales à ministerio removet, sed etiam illos, qui post damnationem hujusmodi communicare tentaverint: damnatos autem omni quoque extrinsecus honore privari, quem sancta regula, & Sacerdotium Dei promeruit.

Can. II. *Non licere cum excommunicatis communicare.*

OMnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia à perceptione sanctæ communionis avertunt, hi de Ecclesia removeantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur. Cum excommunicatis autem non licere communicare, nec cum his, qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est, ab alia quoque Ecclesia non suscipiendum, qui in alia minimè congregatur. Si quis autem de Episcopis, aut Presbyteris, vel Diaconis, seu quilibet ex Clero deprehensus fuerit excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ.

Nota: *Probabile est id contra Audæanos, qui etiam Antropomorphitæ dicti sunt, constitutum fuisse, de quibus hæc Epiphanius hæresi 70.* Cęterùm quod gravissimum, ac horrendissimum est, non faciunt preces cum aliquo, etiamsi probatus videatur, & nihil habeat, quod accusari mereatur, &c. *Teodoretus lib. 4. hæretic. fabul.* Prætexunt, *inquit*, se fugere Ecclesiæ communionem propter fęneratores, & eos, qui mulieribus cohabitant. *Sed insuper cùm peccatoribus peccata remitterent, nulla satisfactione Sacramentali imposita, ut prædicto loco attestatur Theodoretus, Eusebiani hoc Canone decreverunt id, quod docet Ecclesia Catholica: nimirum, quod per simplicem confessionem peccata non dimittantur, si digna satisfactio prescripta non impleatur. Baron. an. 341. n. 44.*

Can. III. *Non debere Clericum ad aliam Ecclesiam migrantem ibi perseverare.*

q. 1. Si quis Presbyter. SI quis Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quilibet ex Clero, Parochiam propriam deserens, ad aliam properaverit, vel omninò demigrans in alia Parochia per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret, maximè si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam Parochiam commonenti obedire contempserit. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus removeatur, itaut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si verò pro hac causa damnatum alter Episcopus susciipiat, hic etiam à communi arceatur Synodo, velut qui Ecclesiastica constituta dissolvat.

Can. IV. *Non licere Episcopo, vel Clerico, si exauctoratus fuerit, ministrare.*

SI quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive Episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed communicantes ei omnes abjici de Ecclesia, & maximè, si posteaquam didicerit adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint. 11. q. 4. Si quis Episc.

Can. V. *Ne Clerici, contempto Episcopo, seorsum se colligant.*

SI quis Presbyter, aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestravit, & seorsum colligens, altare constituit, & commonenti Episcopo non acquieverit, nec consentire, vel obedire voluerit semel, & iterùm convocanti; hic damnetur omnimodò, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare, & sollicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

Ab Eusebianis hunc Canonem ideò constitutum fuisse putamus, quod cum Eustathium Antiochenum Episcopum quasi adulterum, & Sabellianismi sectatorem amovissent, & Euphronium quemdam Arrio faventem substituissent: Catholici, quos illi ignominiæ causa Eustathianos nominabant, Arriani Antistitis communionem, ut rem execrabilem, detestati, seorsum ab eo conventus egerint, nulloque modo adigi potuerint, ut cum Arrianis, & Eusebianis communicarent. Quod idem accidit Alexandriæ, cùm illuc Gregor. in locum Athanasii intrusus fuisset. Fideles enim illius Ecclesiæ nulla vi militum, nullisque tormentis ad ejus communionem compelli potuerunt. Canonem igitur hunc Apostolico jure ad schismaticos, & seditiosos coercendos utiliter constitutum, Eusebiani ad vexandos Catholicos Synodali hac constitutione renovarunt, & in pravum usum converterunt. Unde quod hoc Canone hoc loco dispositum fuit à Patribus Chalcedonensis Concilii (cujus 4. Actione, suppresso Antiocheni Concilii nomine, integrè recitatur) non plane abjectum, sed ab Arrianis, tanquam ab injustis possessoribus vindicatum fuit. Vide Baronium an. 341. n. 35. & 36.

Can. VI. *De excommunicatis.*

SI quis à proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio, sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laicos, & Presbyteros, & Diaconos, omnesque, qui sub regula esse monstrantur. 11. quæst. 3. Si quis à proprio.

Can. VII. *De Peregrinis.*

NUllus peregrinorum sine Pacificis, id est Commendatitiis, suscipiatur Epistolis.

Can. VII. *Ut Epistolæ à solo fiant Chorepiscopo.*

PResbyteri, qui sunt in agris, Canonicas Epistolas dare non possunt: ad solos tantùm unicos Episcopos literas destinabunt. Chorepiscopi autem, qui D. 71. nullus absque.

qui sunt irreprehensibiles, dare possunt Pacificas, id A est generales Epistolas,

Can. IX. *De Metropolitanis Episcopis.*

6. qu. 3. Per singulas. PEr singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm, quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentias gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate, itaut Presbyteros, & Diaconos ordinet, & singula suo ju- B dicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus sine cæterorum gerat Concilio Sacerdotum.

Can. X. *De Chorepiscopis.*

QUi in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint; tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter C civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur, honore privetur. Chorepiscopum verò civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.

Can. XI. *De Episcopis, vel Clericis adeuntibus Imperatorem.*

23. qu. 8. Si quis Episcopus. SI quis Episcopus, aut Presbyter, aut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ præter Concilium, & litteras Episcoporum Provinciæ, & præcipuè Metropolitani adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abjici oportere non solùm à communione, verùm & ab honore, cujus particeps videtur existere, quia venerandi Principis auribus molestiam tentavit inferre contra D leges Ecclesiæ. Si igitur adire Principem necessaria causa desposcit, hoc agatur cum tractatu, & Concilio Metropolitani, & cæterorum Episcoporum, qui in eadem Provincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur Epistolis.

Can. XII. *De damnatis Episcopis, aut Clericis adeuntibus Imperatorem.*

10. qu. 5. Si quis à proprio. SI quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorumque discussiones, ac judicia præstoletur. E Si verò hæc parvipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitùs operiri dijudicamus.

Hunc Canonem adversus Athanasium constitutum fuisse, hinc constat, quod quem illi Concilio Tyrio condemnaverant, & sede Alexandrina per sententiam deposuerant, ac demum auxilio Imperatoris Constantini Magni relegarant, solus Imperator Constantinus Junior citra alterius Concilii majoris numeri Episcoporum sententiam, ac decretum, ab exilio revocaßet, & pristinæ sedi Alexandrinæ restituißet. Hic est ille Canon, quem adversarii sancto Chrysostomo objiecerunt, sed illius defensores libera voce dixerunt objectũ Canonem ab Arrianis sancitum, & per Sardicense Concilium, quo cuivis Episcopo, à quovis Concilio deposito, libera facultas Romanum Pontificem adeundi, & interpellandi potestas conceditur, planè abrogatum esse. Vide Socratem libro 6. capite 16. & Innocentium Romanum in epistola ad Clericos Constantinopolitanos. Advertat ergo Lector, qua authoritate Gratianus, Carranza, & aliqui alii hanc Eusebianorum Synodum in numerum Orthodoxorum Conciliorum retulerint. Vide Baronium 341. num. 29. 30. & 31.

Can. XIII. *Ne Episcopi in aliena Provincia Ordinationes efficiant.*

NUllus Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licèt consensum videantur præbere nonnulli, nisi litteris tàm Metropolitani, quàm cæterorum, qui cum eo sunt, Episcoporum rogatus adveniat, & ad actionem Ordinationis accedat. Si verò, nullo vocante, inordinato amore deproperet super aliquibus Ordinationibus, & Ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem, quæ ab eo geruntur, existant: ipse verò incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus à sancto Concilio. *9. qu. nullu[s] [E]pisco[pus]*

Can. XIV. *De Episcopis accusatis.*

SI quis Episcopus de certis criminibus judicetur, & contingat de eo comprovinciales Episcopos dissidere, cùm judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur, pro totius hujus ambiguitatis absolutione sanctæ Synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia Judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul, & per comprovinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, approbetur. *6. qu. Si qu[is E]pisco[pus]*

Can. X V. *Ad idem.*

SI quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sententiam. *6. qu. Si qu[is E]pisco[pus]*

Can. XVI. *De Episcopis vacantibus.*

SI quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque integro, perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, & si cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. *D. 9[.] quis [Epi]scopu[s]*

Can. XVII. *De Episcopis, qui cùm ad Episcopatum convocantur, evitant.*

SI quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieverit, ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari, donec susceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreverit ejusdem Provinciæ Synodus Sacerdotum. *Dist. quis [Epi]scopu[s] man[us]*

Can. XVIII. *Ad idem.*

SI quis Episcopus ordinatus ad Parochiam minimè, cui est electus, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, *Dist. quis [Epi]scop[us or]dina[tus]*

non

non tamen ejus vitio perpetratam, hic & honoris sit, & ministerii particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet, quidquid Synodus perfecta Provinciæ, quod visum fuerit, judicando decreverit.

Nota. *Plures Pastores à populis tunc abjiciebantur propter hæresim Arrianam.*

Can. XIX. *Non licere Episcopum ordinari sine consilio Metropolitani.*

Dist. 65. Episcopus non est.

EPiscopus præter Synodum, & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur.

Can. XX. *Ut bis in anno Synodus celebretur.*

Dist. 18. Propter.

PRopter utilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum, quæ dubitationem, controversiamque recipiunt, optimè placuit, ut per singulas quasque Provincias Episcoporum Concilia celebrentur.

Can. XXI. *Ne Episcopus de una Parochia in aliam transeat,*

7. q. 1. episcopus.

EPiscopus ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est; nec inde transmigret, secundum pristinum de hac re terminum constitutum.

Can. XXII. *Episcopum non debere in alienam irruere civitatem.*

9. q. 2. episcopum non debere.

EPiscopus alienam civitatem, quæ non est illi subjecta, non adeat, nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, super Ordinationem cujusquam, nec constituat Presbyteros, aut Diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi fortè cum consilio, & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus Ordinatio, & ipse coerceatur à Synodo.

Can. XXIII. *Episcopo non licere successorem sibi constituere.*

8. q. 1. episcopo non liceat.

EPiscopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licèt ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujuscemodi, est constitutum. Servetur autem Jus Ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri nisi cum Synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis, potestatem habent, eum, qui dignus extiterit, promovere.

Can. XXIV. *De rebus ad Ecclesiam pertinentibus.*

. quæst. 1. Quæcumq; es.

QUæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine, & conscientia bona, & fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatque, servetur, quæ etiam dispensanda sunt judicio, & Potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ, quæ in Ecclesia congregantur. Manifesta verò sint, quæ pertinere videntur ad Ecclesiam, cum notitia Presbyterorum, & Diaconorum, qui circa ipsum sunt, ita ut agnoscant, nec ignorent, quæ sunt Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat. Ut si contigerit Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi, sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque, & acceptum est coram Deo, & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat; & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ; ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec

A Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causis incidant, qui ad eum pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur.

Can. XXV. *Ut Episcopus dispensandi res Ecclesiasticas habeat potestatem.*

EPiscopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget, si tamen indiget, tàm in his, quàm in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem: *Habentes victum, & tegumentum, his contenti* B *simus.* Quod si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda, vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia, Diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè cæteræ lædantur Ecclesiæ, Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut Presbyteri, qui cum ipso sunt, quod ea, quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Ecclesiastica facultate sibimet usurpent, ita, ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò, & blasphemiis tàm sermo prædicationis, quàm hi, qui dispensant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi, sancta Synodo id, quod condecet, approbante.

12. quæst. 1. episcopus ecclesiasticarum rerum.

1. Tim. 6.

C Et subscripserunt 30. Episcopi, qui in eodem Concilio convenerunt.

Concilium Romanum II. sub Julio in causa Athanasii, aliorumque Episcoporum, à sedibus per Arrianos expulsorum, anno Domini 340. & 341.

CUm Arriani per Alexādrinæ Ecclesiæ Legatos Romæ coram Julio Pontifice convicti, ad Concilium appellassent, Pontifex eorum appellationi deferens, hanc Synodum Romæ celebrandam indixit: cumque querelæ adversus Arrianos aliunde accumularētur ipsos cum Athanasio per litteras debitè citatos, certo, atque præfixo termino præsentes adesse mandavit. Athanasius Pontificis mandato obtemperans, tempore, quo oportebat, maturè præsto fuit. Arriani verò post D futiles, & inanes excusationes, Encæniorum Antiochenæ Ecclesiæ celebritatem protexentes, non modò contumaciter se absentarunt, verùm etiam Conciliabulo quodam, de quo suprà, ibidem celebrato, Athanasium Episcopatu, & Sede Alexandrina amoverunt, inque ejus locum Gregorium Cappadocem Arrianum subrogarūt. Interea Athanasius Romæ Ægyptiorum Monachorum institutionem, & admirabilem vitam Magni Antonii adhuc viventis à se descriptam promulgavit, & ad imitandam, & consectandam vitam Monasticam, omnibus hominibus reverendam, ex Romanis fœminis nobilissimas plurimas induxit: Sanctus Hieronymus epistola 16. ad Principiam. Publicam etiam Catholicæ fidei professionem, quæ Symbolum Athanasii appellatur, Latino sermone coram Pontifice, eique assidentibus recitavit. Hanc Pontifex ab ipso cognitam, atque susce-E ptam unà cum Actis Synodi in amplissimo Romanæ Ecclesiæ Archivio collocari mandavit.

Symbolum Athanasii.

Cum jam Athanasius Romæ ultra annum, & sex menses adventum Eusebianorum expectasset, ne diutiùs, quàm par erat, ab Ecclesia abesset, causa illius in judicium quindecim Episcoporum deducta est: quia cùm Actis Tyriis, & Mareoticis (quæ nocturno tempore fugientes Arrianorum Legati turpiter convicti, ut patet ex Epistola 4. Julii Romani, reliquerant) diligenter pervisis, accusantium calumniam deprehendissent, Athanasium calumniosè accusatum absolverunt, in communionem Ecclesiæ receperunt, eumque litteris Communica-

catoriis ad suos redeuntem dimiserunt. Id quidem Julius epistola 4. quam ad Eusebianos ex tertio Romano Concilio post cladem Alexandrinam scripsit, testatur his verbis: *Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tàm justa pro se adferret: quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis est? hominemque proinde non condemnaremus; sed potiùs acciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus, &c.* Hoc secundum est judicium, quo ipse Athanasius à calumniis sibi ab Eusebianorum malitia illatis publicè absolutus est. Qua de re initio suæ Apologiæ secundæ hæc ipse scribens, ait: *Presbyter enim Vitus plures Episcopos, quàm quinquaginta ad Concilium adduxit, ubi & nostra defensio recepta fuit, nosque digni habiti sumus communione, & agape.* Ibidem hæc: *Quod ad nos attinet, nullo judicio opus est. Judicatum est enim non semel secundum nos, sed sæpiùs, & sæpiùs: primùm quidem in nostra Provincia, cùm ad id coißent propemodum centum Episcopi: secundum Romæ, nobis, cæterisque adversariis Eusebii ad ejus criminosas litteras judicio comparentibus, fuerunt autem in eo consessu plusquam quinquaginta Episcopi.*

Marcellus Ancyranus. De cognita hoc eodem Concilio causa Marcelli Ancyrani Episcopi, qui, ut in Conciliabulo Constantinopolitano sub Marco videre est, ob Samosatenianam hæresim ab Eusebianis sede sua deturbatus, & in exilium relegatus, Romanum Pontificem appellans, Romam (teste Athanasio) profectus est, hæc Julius Pontifex, prædicta Epist. 4. *De Marcello autem, postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum, cùm huc venißet, affirmaße falsa esse, quæ de se litteris vestris scripta essent. Sed tamen cùm à nobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à veritate proferre alienum; sed eadem pietate, qua Ecclesia de Domino, ac Salvatore nostro, sentire: neque jam tantummodò, sed etiam olim hujus sententiæ se fuiße confirmabat, &c.* Quod verò non Athanasii tantùm, atque Marcelli, sed & aliorũ quamplurium, querelas de illata sibi ab Arrianis vi, & injuria asserentium, causæ hac Synodo discussæ fuerint, subditur his verbis: *Non solùm Athanasius, & Episcopi, cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere: Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim, & injurias Ecclesiis illatas eße, suasque Ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas eße.* Id sanè non citra probabilitatem intelligi posset de Eustathio Antiocheno Episcopo, quem sede Antiochena deturbatum (ideò quòd in matrem Constantii Principis contumeliosè locutus fuisset, atque Sabellianæ hæreseos sectator, mulierculæ cuidam stuprum intulisset) in exilium relegaverant, anno nimirum Christi 340. quo post Synodum hanc Romæ indictam, Paulum Constantinopoli Alexandro in Episcopatu suffectum, Eusebius Nicomediensis olim Antistes, Constantinopolitanæ sedis invasor dejecit. Ita tres acerrimos Nicænæ fidei defensores ab Arrianis sedibus suis amotos, legitima judicii forma observanda absolvi, sedibus suis restitui, intrusos exinde amoveri, necessum erat. Vide Baronium anno Christi 340. num. 12. & seqq. item 341. num. 46. & seqq.

Synodus Agrippinensis, seu Coloniensis, tempore Julii Papæ primi celebrata propter hæresim Eufratæ, anno 346.

Agrippina (quæ vulgo etiam Colonia dicitur) Belgica est civitas Rheno adjacens. Vide Ptolemæum lib. 2. c. 9. vulgo Cologne.

Post consulatum Amantii, & Albini quarto Idus Majas, cum consedissent Episcopi in Agrippi- A nensium civitate, idest, Maximinus Treverorum, &c.

Hìc recensentur, qui huic synodo interfuerunt.

Quumque recitata fuisset Epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorum Germaniæ secundæ, de nomine Eufratæ, qui Christum Deum negavit, Maximinus Episcopus dixit: Quia Dei voluntas patris nostri Jesu Christi voluit nos juxta postulatum fratrum ad hoc Agrippinense oppidum convenire, propter perditum, & blasphemum Eufratam, quem omnis mundus jam ore Domini cognovit esse damnatum, qui in Spiritum sanctum eatenus blasphemavit, quòd Christum negat, hanc mediocritas mea sententiam fert, sicut Dei, & Domini nostri Salvatoris ore prolata est dicentis: Omnia peccata, & blasphemiæ remittuntur hominibus: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, B non remittetur ei, neque hic, neque in futuro, sed reus erit æterno judicio. Ideo Episcopum eum manifestum est esse non posse.

Valentinus Episcopus dixit: Quia Eufrata Christum Deum negat, consentio eum Episcopum esse non posse, qui nec laicam debet communionem accipere.

Donatianus Episcopus dixit: In pace negavit Christum Deum, & ideo constat, Eufratam non esse Catholicum.

Severinus Episcopus dixit: Cùm constet, Eufratam subscriptione fratrum plurimorum in Spiritum sanctum blasphemasse, negando Deum Christum, & ego consentio eundem juxta Euangelica præcepta jure ab Episcopatu esse dejectum.

Optatianus Episcopus dixit: Et ego sentio, Eufratam in Episcopatu permanere non posse, qui in Spiritum sanctum blasphemavit, negando Christum C Deum.

Tessis Episcopus dixit: Non solùm Epistolis omnium Ecclesiarum, qui audierunt, Eufratam negare Deum Christum, sed quod ego ipse auribus meis audivi, sub præsentia Martini consenioris nostri, & Metropii Presbyteri, & Quintini Presbyteri, & Victoris diaconi, ideo consensi, illum jure esse depositum.

Victor Episcopus dixit: Quoniam palam factum est, & probatum, Eufratam immemorem Sacramenti cœlestis blasphemasse in Spiritum sanctum, negando Christum Deum Dei filium, & multis criminibus coarguitur, quod Episcopum nullo modo decet, consentio, eum esse depositum.

Valerianus Episcopus dixit: Etsi non omnes conseniores me apud Agrippinam Dei voluntate, qui sumus D adunati, convenissemus, sufficeret à quinque Episcopis Eufratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari, eodem jure esse depositum. Nunc autem in præsenti majora cognovimus, multorum etiam charorum laicorum subscriptione manifestum est, quia primordialem Dominum, & Deum nostrum negat, cùm per universos prophetas manifestetur, illum ante mundi constitutionem fuisse cum Deo Patre omnipotente, & quia omnes cecinerunt illum venturum, & pati pro totius mundi salute, sicut ipse complevit. Quapropter Eufrata falsus doctor, qui nudum tantum hominem asserit Christum, rectè omnium consacerdotum voce damnatus est. Ideo consentio, ut, si quis epistolas ipsius per Catholicam Ecclesiam attulerit, communione privetur, eundemque E censeo justè esse depositum.

Simplicius Episcopus dixit: Esse Episcopum non posse Eufratam consentio, quia Christum Deum negat.

Amandus Episcopus dixit: Siquidem in præsenti, quando Eufrata à quinque Episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum, qui epistolis meis ad eundem deponendum consensi, secundum falsam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum negat, meritò in ipsum sententiam collatam esse constat, ad cujus condemnationem consentio.

Justinianus Episcopus dixit: Exempla clericorum Agrip-

Agrippinensium, necnon & fratrum per singula castra constitutorum, quorum Epistolę, & subscriptiones tenentur, cognovimus, Eufratam esse blasphemum, qui Christum Salvatorem Dominum nostrum Deum esse negat: quapropter & ego consentio, illum ab Ecclesia Catholica esse damnatum.

Eulogius Episcopus dixit: Diabolus, qui ab initio fuit, qui periit primus, & cæteros * prodidit, ipse hodie in Eufrata persistit. Nam & idem multos secum trahendo decepit, qui tamen meminisse debuerat Apostolum prædicasse, qui ait: *Etsi Angelus descenderit de cælo, & vobis aliter prædicaverit, quàm vobis est prædicatum, anathema sit*. Quare Eufrata falsus doctor, legisque subversor, meritò omnium Episcoporum sententia damnatus est, qui benedictum Dominum, & Salvatorem nostrum, authorem lucis, & vitę, Jesum Christum Deum negare ausus est. Et ideo pusillitatis meæ consensu, ut meretur, damnatione percussus est.

Servatius Episcopus dixit: Quid fecerit, quidve docuerit Eufrata pseudoepiscopus, non opinione, sed veritate cognovi, pro finitimi loci conjuncta civitate, cuique publicè, & domesticè obstiti sæpe, cum ille Christum Deum negaret, audiente Athanasio Episcopo Alexandriæ, & Presbyteris, & Diaconibus plurimis, & idcirco censeo Christianis Episcopum eum esse non posse, quia Deum Christum sacrilega voce negavit: neque illum Christianum esse judicandum, qui ejusdem confinitimus fuerit inventus.

Discolius Episcopus dixit: qui Christum Deum negat, in Ecclesia non potest permanere, dicente Domino nostro Christo: *Qui me negaverit coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo, qui in cælis est*. Et ideo Eufratam inter cæteros fratres meos arbitror, & rectissimè censeo esse Episcopum non permitti. Item in epistola Diapeti Episcopi Aurelianorum: Inter omnium voces Eufrata damnationi tradatur, atque puniatur, qui Christum negat esse Filium Dei, cujus falsa machinatio multis innocentibus attulit pravitatem: sed necesse est, ut ipse veterator, qui tantum molitus est scelus, cœlesti plaga feriatur. *Excommunicationem intelligit*.

NOTA. *Duo habita fuiße concilia in causa Eufratæ Agrippinensis, aut Coloniensis Episcopi probabiliter colligit Binius in notis ad hoc concilium ex suffragio Amandi Argentinensis, ac quemadmodum ex Arelatensi primo, & secundo, similiter ex Vasensi primo, & secundo compilator unum fecit confusis canonibus: sic ex duplici Agrippinensi, in quorum primo, vel calumniosè denunciatus fuerit absolutus, vel palinodiam recantarit, in secundo verò è throno dejectus. Suspicione autem non carere hanc Synodum putat Baron. an. 346. Quod anno sequenti Eufrata legatione honorificentissima legatur functus ad Constantium, quod minimè decuisset hominem adeo infami nota inustum, & quem gravior hæresis, quàm Arrii infamasset, post tam breve tempus, etiamsi palinodiam recantasset, & fuißet restitutus.*

Concilium Romanum tertium sub Julio pro defensione actorum præcedentis Synodi Rom. contra Arrianorum calumnias an. 342.

Concilium hoc celebratum est Romæ anno Domini 342. post cladem illam Alexandrinam, qua Gregorius in locum Athanasii ab Eusebianis Antiochena Synodo suffectus, magna Christianorum calamitate, & templorum incendio in urbem introductus est, quove cladem Alexandrinam prævisam fugiens, Romam reversus, ibique deinceps triennio commoratus est: cumque eo Elpidius, & Philoxenus, ab Eusebianis in Oriente hucusque detenti cum litteris ex Antiocheno Conciliabulo ad Julium acerbissimè, & contumeliosè scriptis, tandem dimissi fuerunt. Qui ubi prædicto an. Romam venissent, obtulissentque Pontifici Arrianorum litteras, quibus de Athanasio absoluto, de termini ad comparendum præfixi angustia, de judicio Romani Pontif. & Concilii illegitimè usurpato, deque aliis pluribus conquerebantur; Pontifex hac Synodo comprovincialium secundum Apostolicam constitutionem congregata, litteras eorum, aliter quàm statuerat, legi, & publicari demandavit, quidque calumniatoribus respondendum videretur, inquisivit. Placuit autem omnibus ibidem congregatis, ut per Epist. à Julio omnium nomine scriptam, calumniæ Eusebianorum refutentur, injuriæ depellantur, & justæ Athanasii, Marcelli, & aliorum factæ Synodales absolutiones defendantur.

Hanc verò Synodum à priore Romana diversam non esse arbitrantes, ideò quòd Athanasii, aliorumque absolutiones subsequente epistola post cladem Alexandrinam enarrantur, graviter errant: id enim factum est per anticipationem, qua solent quandoque propter rerum affinitatem priùs enarrari ea, quæ posterius acciderunt. Anno 341. Romana Synodo prædictos Episcopos absolutos; alia quadam an. 342. celebrata, Eusebianorum litteras expostulatorias prælectas; ac demum mandato Synodi, per rescriptum Julii ad Synodum sequente anno 343. Romæ congregandam, vocatos fuisse, mirum esse non debet: cùm non tantùm lege Apostolica, de qua in Can. Apost. suprà egimus; verùm etiam Antiocheno Eusebianorum Conciliabulo constitutum fuerit, ut bis in anno Concilia Episcoporum saltem Provincialium celebrentur. Vide Baronium anno 341. num. 47. anno 342. num. 28. & 34.

Concilium Antiochenum II. ab Arrianis celebratum sub Julio ad condendam fidei formulam, anno 344.

Hanc Synodum ab Arrianis anno tertio post Antiochenam in Encæniis celebratam, habitam fuisse Antiochiæ anno Christi 344. atque in ea prioribus fidei formulis rejectis, aliam cæteris, prolixiorem, & ad Occidentales Episcopos, quos nulla adhuc Arrianæ perfidiæ labecula contaminarat, decipiendos, convenientiorem edidisse, eamque in Occidentem nullo cum fructu transmisisse, post Athanasium Sozomenus libro 1. cap. 20. apertè indicat. *Episcopi enim Occidentis eam non receperunt: responderuntque se decretis Niceni Concilii velle acquiescere: & præter illa nihil ampliùs curiosè inquirendum curarunt*. Sic Sozomenus, quem secutus est Socrates lib. 2. c. 15.

Prædicto autem tempore hanc Synodum habitam fuisse, etiam manifestè colligitur ex Athanasio de Synodis, cùm ait. *Rursum quasi istorum pœnitentia laborarent* (nempe de editis quatuor fidei regulis) *pœnitentes, post triennium iterum in consessum veniunt*. Ut ergo Orientales Episcopi eam, qua laborant, Arrianæ hæreseos suspicionem eluerent, & ab Arriano contagio se procul abhorrere significarent, probatum in Magna Nicæna Synodo nomen *consubstantialitatis* delerent, ipsumque vocabulum prædictum crebris, validisque arietum ictibus quatientes, omnem simul cum eo fidem Orthodoxam prosternerent, sicque Arrii impietatem diu dolo suppressam erigerent, aliam fidei Formam, qua Arriana hæresis specie tenus condemnatur, omnesque ejus positiones simplicioribus destrui videntur, ediderunt; editamque per Eudoxium, Martyrium, Macedonium, & Demophilum ad Occidentalis Ecclesiæ Episcopos transmiserunt. Quo autem eventu, sequenti Concilio constabit. Vide Baronium anno 344. num. 1. 2. 3. 4. Vide etiam Binium, qui hìc ponit fusè prædictam Formulam, decies enim fidei formam immutarunt.

Concilium Mediolanense I. sub Julio à Catholicis celebratum, ad examinandam novam fidei formulam Arrianorum, anno 344.

Cum Eudoxius, Martyrius, Macedonius, & Demophilus Orientalium Legati prædicto Concilio Antiocheno designati, juxta Formulam fidei, quam velut

velut Catholicam, & Orthodoxam venditabant, sibi, atque omnibus Orientalibus, velut Orthodoxis, & Catholicis Episcopis, communionem Romanæ Ecclesiæ impertiri petivissent, Orthodoxi Patres in hoc Conventu Mediolanensi congregati, ante omnia oblatam fidei formulam examinantes, ipsam ob novitatem, & nomen *consubstantialitatis* omissum rejecerunt; ideò maximè, quòd ad abluendam labem ex Arrianæ hæreseos suspicione contractam, & ad communionem Ecclesiæ Catholicæ impetrandam, satis fuisset, Catholicæ fidei Nicænum Symbolum profiteri, ipsumque suo chirographo consignatum, quod fecerant antehac alii, Romam misisse. Cum igitur, fraude eorum cognita, Orthodoxi Episcopi Arrii sententias condemnare vellent, Legati, qui hactenus & verbis, & scriptis se id facturos esse præ se tulerant, B continuò resilierunt, simulque suam, & aliorum imposturam detexerunt. Ad fidem Verbi Divini, Deo Patri consubstantialis, per occultos meatus, & cuniculos evertendam, non satis hominibus perfidis, ac turbulentis fuit, quòd Athanasium falsis criminibus affictis circumvenissent, ipsumque cum plurimis aliis fidei defensoribus sedibus exturbassent; sed oportebat etiam apud Occidentales hoc ad fraudem, & imposturam adjicere, ut, crebris de fide Catholica Conciliis celebratis, velut mole quadam unicum Nicænum obruerent, statutamque in ea unicam fidei Catholicæ professionem toto orbe receptam, Formulis aliis à se frequenter commutatis, eliminarent. Rem hoc Concilio gestam Liberius Pontifex in ea Epistola, quam ad Constantium scripsit, quæque in tomo 9. Bibliothecæ C SS. Patrum, & apud Binium habetur, tractat. Vide Baronium anno 344. num. 45. & 49.

Cur tàm crebra Arrianorum concilia.

Sardicense anno Christi 347. habetur in 2. classe.

Conciliabulum Sardicense à Semiarrianis habitum Philippopoli in Thracia, anno 347.

EPistola Concilii Sardicensis in priori tomo initium, & originem hujus pseudosynodi aperit: vocati à Julio Pontifice omnes Episcopi Sardicam, eò etiam venerunt Eusebiani, ne de absentia notarentur: invitati autem à Patribus synodi, ut Concilium introirent, cum scirent se de gravissimis criminibus accusatum iri, ac accusatores suos paratos esse, ut est timida nequitia, non ausi sunt comparere coram numerosa Patrum multitudine. Itaque Sardica per fugam elapsi, D ideò quòd in legitimo Sardicensi Concilio justa judicii forma constituto, de futura victoria nihil sibi pollicerentur, in urbe Philippi, quæ est in Thracia, anno Christi 347. vel saltem 348. seorsim convenerunt, ibique instar canum petram eam, à qua læsi fuerant, frustrà mordentium, in Julium Romanum Pontificem, Osium Cordubensem, Maximum Trevirensem, aliosque Orthodoxæ Fidei Episcopos, quòd cum Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepa suo judicio condemnatis communicassent, anathematis sententiam pronuntiarunt, eamque subitò per litteras Encyclicas ad diversos Episcopos scriptas denuntiarunt. Ac exemplar earum literarum, quas ad Donatum Carthaginensem miserunt, ex Bibliotheca Pith. extat apud E Baronium Tomo tertio, anno Christi 347. numero octuagesimo, & in fragmentis D. Hil. quas cum ex archiviis Donatistarum legisset D. Augustinus, putavit absolutè Sardicense Concilium fuisse Arrianorum l. 3. cap. 34. contra Crescomium Donatistam, non advertens diffidium Sardicensium Episcop. quis enim omnia sciret?

Audax facinus Arr. Ep. in Ro. Pontif.

Post quatuor fidei Regulas Antiocheno Conventiculo in Encæniis celebrato editas, hoc eodem malignantium congressu quintam perfidiæ Formulam, ementito Sardicensis Concilii nomine insignitam fabricarunt; in qua Arrii positionibus quibusdam damnatis (unde teste Epiphanio Hæresi 75. Semiarriani nominari meruerunt) nomen *Consubstantialitatis* Filii cum Patre omittentes, hoc callidè suo more egerunt, ut instar ludionum in scena, suo vultui alia forma persona superinducta, Arrii hostes, & Catholicæ Fidei propugnatores viderentur; atque ita universam Ecclesiam deciperent: Quamvis histor. tripart. l. 4. c. 23. ex Socrate referatur, apertè ipsos consubstantialitatem anathematizavisse, & sectam inæqualis substantiæ Epistolis subscribentes undiquaque misisse. Sic in rebus facti sæpe variant scriptores, ut cui magis sit credendum, non facilè discernas.

Plura hujus Pseudosynodi gesta, & decreta disci poterunt ex Epistola ipsius ad Africam missa, ad cujus calcem ipsorum fidei Symbolum reperitur, cum hac additione ad articulum de judicio, *cujus regnum incessabile permanet in æterna sæcula*. Quod addiderunt contra Marcellum Anciræ Episcopum, qui regnum Christi in fine mundi cessaturum docebat, cum aliis pluribus erroribus: licèt incautè à vera Sardicensi restitutus fuisset, ut Orthodoxus, cum in talibus judiciis de personis innocuè falli posse Ecclesiam videri possit apud Facundum Hermianensem Episcopum in Africa l. 7. c. 3. Quamvis de isto Marcello variantes sint sententiæ, nam innocens declaratus est ex lectione libri, in quo quædam quærendo posuerat, quæ Eusebiani, quasi asseruisset, calumniati sunt. Quid si postea errores prædicarit? potuit ab Athanasio à communione suspendi, ut refertur in fragmentis Synodorum D. Hilarii absque nota veri Concilii Sardicensis. Quæ diximus classe 2. in Concilio Sardicensi, & ad canonem 7. primi Concilii Constantinopolitani.

Concilium Carthaginense I. post Nicænum pro reformatione collapsæ disciplinæ sub Julio, anno 349.

HOc Concilium appellatur primum, quia inter Orthodoxa, & approbata Concilia Carthagine habita, ea, quæ etiamnum extant, cum primum sit, & antiquissimum post exturbatos schismaticos ex Africa. Post absolutum siquidem Sardicense Concilium, Gratus Carthaginensis Episcopus Catholicus cum triginta collegis Episcopis Africanis in Africam reversus Constanti Imperatori Religionis, pacis, & concordiæ amantissimo statum Africanæ Ecclesiæ exponit, quod duo Donati, alter Carthaginensis, alter Bagajensis, Episcopi schismatici homines factiosissimi, diro, ac implacabili schismate, tempore Diocletiani exorto, Africanam Ecclesiam proscidissent, & gravissimè etiamnum inquietarent; quodque per Circumcelliones sectæ suæ defensores (qui etiam gloria Martyrum illecti sibi ipsis mortem inferrent, vel à conductis à se interfectoribus inferri procurabant) Præfectis Provinciarum resistere auderent, per nundinas, villas, vicosque circumvagantes sese publicæ justitiæ vindices jactitarent: eoque prætextu servos ad pileum vocarent, oppressos ære alieno à creditoribus liberarent, minacibus litteris ad eos scriptis, nisi eorum debita expungerent, mortem minantes. Addidit præterea, quia quantumvis Schismatis Authores præ nimia pertinacia omnes pacis conditiones repudiarent, populum tamen oblatis concordiæ, pacis, & unionis conditionibus facilè consensurum, si modò legati ab Imperatore missi collatis beneficiis eumdem ad unitatem amplectendam provocarent; tandem à Constante Imperatore obnixè admodum petivit, ut memor paterni affectus in rem Christianorum, Africanæ Ecclesiæ gravissimis calamitatibus exagitatæ, suo subsidio succurrere non dedignaretur. Imperator annuæ petitioni annuens Paulum, & Macarium viros ex multis aliis amplissimis, maximeque piis selectissimos in Africam ablegat, ut populum collatis beneficiis, & muneribus ab imbuta ferocia avocatum, ad ineundam cum fratribus concordiam provocent, & inducant. Legati fideliter munus exequentes principio ipsos Donatistarum Episcopos ad concordiam invitarunt, qui non

modò

A modò non consenserunt, sed potiùs magno conatu iisdem pro viribus resistere tentarunt: Donatus Carthaginensis tantæ superbiæ vir, ut etiam per suum nomen tanquam per numen aliquod jurare homines docuerit apud Optatum l. 3. contra Pharmenianum. Hic suæ partis homines per litteras, & nuncios monendo, ne quidpiam à peccatoribus, etiam eleemosynæ loco acciperent (puta ab Imperatore, ejusque legatis, quod à sua parte alienæ communicationis essent) Donatus verò Bagajensis ad arma circumcellianos suos, & ad tumultum convocando. Sed hi omnes à præfectis Imperatoriæ militiæ fugati sunt, Donatusque ipse Carthaginensis malorum omnium fons, cum aliis quibusdam captus, atque urbe expulsus est, & ex hac occasione exturbatis Episcopis schismaticis, Catholici Concil. congregarunt, &, quæ ab iisdem schismaticis in Christiana disciplina corrupta fuerant, restituere, ac reformare laborarunt scriptis Canonibus 14. anno Pontificatus Julii 13. Christi verò Domini 349. probatumque à Leone IV. dist. 20. cap. *de libellis*.

Fuit autem celebratum hoc Concilium, non, ut dicit Carranza, tempore Sylvestri I. Papæ, sed tempore Julii Papę I. anno nimirum sui Pontificatus 12. vel 13. qui est Christi 348. vel 349. Constantis 12. vel 13. ut rectè colligit Binius hic. Fuisse autem celebratam hanc Synodum post Sardicense Concilium, evidentissimè colligitur ex cap. 5. Carthaginensis I. ubi Sardicensis antè habiti fit mentio nominatim. Ante verò Constantis Imperatoris necem, quæ contigit an. Christi 350. qui est Julii, & Constantii 14. habitam fuisse, Africana Legatio manifestissimè indicat. Tempore igitur intermedio, quod inter Concilium Sardicense, anno Christi 347. Julii, & Constantis 11. celebratum, atque inter obitum Constantis, anno Christi 350. Julii 14. occisi, intermedium est, hanc Synodum congregatam fuisse oportuit; anno nimirum Christi, Pontificis, & Imperatoris eodem, quo suprà dixi.

Et vocatur primum concilium hoc, non quòd nullum aliud Concilium Carthagine ante hæc tempora celebratum fuerit, cùm ne quidem sub ethnicis Imperatoribus, & persecutoribus Ecclesiæ, Carthagine Concilia celebrari desierint; sed quia inter Orthodoxa, & approbata Concilia Carthagine habita, ea, quæ etiam num existant, primum sit, & antiquissimum hoc Carthaginense Concilium post exturbatos schismaticos in Africa celebratum. Baronius anno 347. num. 43.

Concilii I. *Carthaginensis Exordium*.

CUm Gratus Episcopus Carthaginensis in Concilio unà cum collegis consedisset, & qui ex diversis Provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt, Felice Bajanensi, Fortunatiano Raptano, Crescente Vagensi, Vindiciano Lacobricensi, Abundantio, Adrumentio, Privato Vegesilitano, Gaudentio Tusdritano, Patricio Sincensi, Quieto Uticensi, Rumulo Tebestensi, & cæteris, quorum manus continentur, idem Gratus Episcopus dixit: Gratias Deo omnipotenti, & Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus finem, & respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa, qui imperavit religiosissimo Constantino Imperatori, ut votum gereret unitatis, & mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum, & Macarium. Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per diversas Provincias Concilia celebremus, & universæ Provinciæ Africæ hodierna die Concilium gratia Dei Carthaginem veniret: unde considerantibus vobis cum mea mediocritate tractentur tituli necessarii, de quibus necesse est, nos memores præceptorum divinorum, & magisterii divinarum Scripturarum, contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

Constanti legendum putat Baron. an. 348.

Cap I. *Ne Baptismus reiteretur*.

GRatus Episcopus Carthaginensis, qui præsidebat in Concilio, dixit: Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis. Universi Episcopi dixerunt: absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera fide, & Catholica disciplina rebaptizari.

Cap. II. *De Martyrum sepulchris, & honorificentia, & ut nemo semetipsum interficiat, aut morti tradat*.

B MArtyrum dignitatem nemo prophanus infamet, neque ad passiva corpora, quæ sepulturæ tantùm propter misericordiam Ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat, ut aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati disjunctos, non ratione, vel tempore competenti, quo martyria celebrentur, Martyrum nomine appellet. At si quis ad injuriam Martyrum claritati eorum adjungat infamiam, placet, eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi; si autem sunt Clerici, post commonitionem, & post cognitionem honore privari. Universi dixerunt: Rectè stabilit sanctitas vestra. Hoc & singulis Conciliis statutum est.

Donatistarum opera execrandum illud, atque nefandum scelus inter ipsos schismaticos coaluerat, ut gloria Martyrum illecti, seipsos præcipitio necarent, mortemque voluntariam, vel ipsi appeterent, vel à conductis suis C *interfectoribus sibi inferri procurarent, ideò sanè, ut apud suæ sectæ homines titulo Martyrum, & honore illis congruo frequentarentur: Optatus libro 3. Quo facto, cùm nihil perniciosius Reipublicæ Christianæ accidere posset, ne voluntarium sui ipsius homicidium deinceps impunè committatur, hac sanctione hoc scelus patrantibus, tàm laicis, quàm Clericis gravissima pœna meritò indicta fuit.*

Cap. III. *Ut Clerici, & sanctimoniales fœminæ cum extraneis viris, vel fœminis non habitent*.

GRatus Episcopus dixit: Et illud præcipuè, si videtur vestræ dilectioni, cavendum est, ut Pastoris cura, quantum debet, & potest regularis providentia, præmoneat, ut nullis liceat ab affectu abstinentibus carnali apud extraneas pariter commorari. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli sub prætextu charitatis, & dilectionis, incautas animas, vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur, nullaque sanctimoniæ, & virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesię, si vobis placet, in una domo cum extraneis penitùs commorari debeat. Universi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, hæc vitare debent. Et non solùm non habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo lex jubet, & sanctitas vestra commendat, ut in singulis Conciliis statutum est. Gratus Episcopus dixit: Ergo persuasio interdum prudentes solet arcere à peccatis, dum imprudentes debet metus hujusmodi constringere, si sanum consilium respuunt, & salutare mandatum. Si ergo laici sunt, post commonitionem, si contempserint, à communione separentur. Universi dixerunt: Placet.

D E

Cap. IV. *Ut Clerici cum viduis, vel aliis extraneis personis non commorentur*.

GRatus Episcopus dixit: Etsi infinita sunt, quæ lege præscripta, proficientia sunt disciplinę, & unusquisq; nostrum tractatu assiduo, & commonitione frequenti, per singulas quasque species proficientes, ac

ac disciplinam poterit populos invitare, tamen aliqua ex eis propter blasphemias suggerenda sunt à nobis, & in Concilio statuenda. Si videtur vobis, pari sententia teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nulla secum germanitate conjuncti sunt. Universi dixerunt: Juxta viduos, & viduas eadem lex maneat, & sententia.

Cap. V. *Ut Clerici in alterius Ecclesia non ordinentur.*

Dimissoriæ litteræ. PRivatus Episcopus Vegeselitanus dixit: suggero sanctitati vestræ, ut statuatis, non licere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit: Hæc observantia pacem custodit: nam & memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarium, petat à collega suo, & per consensum habeat.

Cap. VI. *Ut clerici actus secularium, vel procurationes non suscipiant.*

NEcasius Episcopus Culusitanus dixit, Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & displicere vobis, ut qui serviunt Deo, & annexi sunt Clero, * non accedant ad actus, seu administrationem, vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: Et Apostolorum statuta sunt, qui dicunt: *Nemo militans Deo, ingerit se negotiis sæcularibus.* Proinde, aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum. Universi dixerunt: Hoc observemus.

** non concurrant.*

2. Tim. 2.

Cap. VII. *Ut Clerici, vel Laici in Ecclesia aliena non communicent sine litteris sui Episcopi.*

CAsianus Ususensis Episcopus dixit: statuat gravitas vestra, ut unusquisque Clericus, vel Laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit: Nisi hoc observatum fuerit, communio fiet passim. Nam si cum litteris receptus fuerit, concordia inter Episcopos servatur, & nemo subtilis alterius fugens communionem, ad alterum latenter accedit. Universi dixerunt: Omnibus provides, & clero, & laicis consulis.

Cap. VIII. *Ut implicati negotiis alienis ante redditam rationem Clerici non ordinentur.*

MAgnus Episcopus Astyagensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur? Procuratores, & actores, etiam per se tutores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus Episcopus dixit: si post deposita universa, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint probati in omnibus, debent & cum laude Cleri (si postulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum, ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt. Rectè omnia statuit sanctitas vestra: ideoque ita est, & nostra ista quoque sententia.

Cap. IX. *Laici Clericos actores, vel ratiocinatores sibi non constituant.*

MEtus Caunensis Episcopus dixit: Rectè statutum est, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur. Tamen dimissi & gratias referre debent, & à Clericorum injuria temperare; & ipsis non liceat Clericos nostros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. Gratus Episcopus dixit: Nulli dubium est, quod omnes, vel Domini, vel procuratores, vel quicumque

A præsunt, cum audierunt saluberrima instituta Concilii, & sibi esse consultum, nec impeditum, propriam debebunt temperare injuriam in Clericis nostris. Quod si injuria Constitutionis Imperatoriæ Clericos inquietando putaverint, si defensio Ecclesiastica nos non deridet, pudor publicus vindicabitur. Universi dixerunt: Saluberrimæ professiones debuerunt à tanto concedi Concilio.

Cap. X. *Ne Episcopus alterius Episcopi plebes, vel fines usurpet.*

FElix Episcopus Bajanensis dixit: Nullus debet collegæ suo facere injuriam. Multi enim transcendunt sua, & usurpant aliena, ipsis invitis. Gratus
B Episcopus dixit: Avaritiæ cupiditatem, radicem omnium malorum esse nemo est, qui dubitet. Proindè inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum collegam suum, aut usurpet alterius plebes sine ejus petitu: quia inde cætera mala omnia generantur. Universi dixerunt: Placet, placet.

Cap. XI. *De Clericis contumacibus, & de numero judicantium Presbyterorum, & Diaconorum.*

ELpidophorus Cuiziatanus Episcopus dixit: Statuat sanctitas vestra, ut Clerici, qui superbi, vel contumaces sunt, coerceantur, ut, qui minores majoribus irrogarunt injurias, metum habeant. Gratus Episco-
C pus dixit, Manifestum est, illum non esse Dei, qui humilitatem contemnit, sed diaboli, qui superbiæ inventor, & princeps est. Unde si quis tumidus, vel contumeliosus extiterit in majorem natu, vel aliquam causam habuerit, à tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur: si Presbyter, à sex: si Episcopus, à duodecim consacerdotibus audiatur. Universi dixerunt: Contemptus debet contumaciæ, & superbiæ in omnibus frangi: causa verò pro personis à statuto numero audiatur.

Cap. XII. *Ut pacta inter Episcopos inita custodiantur.*

D ANtigonus Episcopus Madurensis dixit: Gravem injuriam patior, & credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam, & computare communem injuriam. Optantius, cum se repræsentaret, pactum mecum habuit, & divisimus plebes. Manuscriptiones nostræ tenentur epittacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, ut illum Patrem, me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se illiciat populorum imperitorum animas contra disciplinam, contra Euangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam si sibi id posse contingere arbitraretur, nunquam profectò in fratrem aliquis deliquisset. Unde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam.

E

Cap. XIII. *Ut non liceat Clericis fœnerari.*

ABundantius Episcopus Adrumetinus dixit; In nostro Concilio statum est, ut non liceat Clericis fœnerari. Quòd si & sanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præsenti Placito designetur. Gratus Episcopus dixit: Novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis, formam accipient. Cæterum, de quibus apertissimè divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potius exequenda. Proinde quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari. Universi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelia facit sine periculo.

CAP.

Cap. XIV. Ut Laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici verò honore priventur.

GRatus Episcopus dixit: Juxta statuta Concilii, & meæ mediocritatis sententiam, placet facere rerum omnium conclusionem. Universi tituli designati, & digesti teneant sententias suas. Sanè credo vos retinere, multis Conciliis à Patribus nostris, & traditionem temerariam esse damnatam, rebaptizationis impietatem esse puniendam, quas res etiam nostro Concilio credo jam terminum accepisse. Reliqua verò, quæ vel facta, vel dicta, superius comprehensa sunt, vel ab aliis Conciliis conscripta, quæ secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si Laicus est, communione, si Clericus est, honore privetur. Universi dixerunt: Placet, placet. Gratus Episcopus dixit: Superest jam, ut placita omnium nostrum, quæ ad consensum vestrum sunt scripta, vestra quoque subscriptione firmetis. Universi dixerunt. Et consensisse nos, Concilii hujus scripta testantur, & subscriptione nostra consensus declarabitur noster. Et subscripserunt.

Concilium Mediolanense I. sub Julio, anno Domini 347.

ANno Christi 347. cùm adhuc Constans Imperator in humanis celebris esset, Mediolani Episcoporum celebris conventus agebatur, cui cùm pluribus aliis Episcopis Romanæ Ecclesiæ Presbyteri interfuerunt. Hoc conventu Ursacius, & Valens, quorum Ecclesiæ Murcia, & Singidon in ditione Constantis erant, seu ut ipsi gratum facerent, aut quasi à sua ipsorum conscientia flagellati, præmissis ad Athanasium litteris pacificis, & Communicatoriis, pœnitentiam egerunt, confitentes omnia, quæ vel dixissent, vel fecissent contra Athanasium, falsa esse, & nihil aliud, quàm calumniam. Neque id simpliciter egerunt, sed ita, ut Arrianam fidem anathemate execrarentur, suamque pœnitentiam scripto promulgarent. Quod negotium cum gravius esset, quàm ut hoc Mediolanensi conventu, licèt eidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteri interessent, absolvere liceret: neve contra antiquum Ecclesiæ Catholicæ morem, alibi quàm Romæ coram ipso Pontifice, hæresiarchæ hæresim suam abjuraturi, ad communionem Ecclesiæ reciperentur, eosdem ad Julium Romanum Pontificem miserunt, ut coram ipso post oblatum pœnitentiæ suæ libellum, universa Romana Ecclesia spectante, exomologesim agerent. Quibus peractis, non solùm venia donati, & in gratiam, Ecclesiæque communionem recepti fuere, sed etiam Encyclicis illis litteris Athanasii Pacificis, & Communicatoriis, quas Alexandriam reversus miserat ad omnes extra Palæstinam Episcopos, cum multis aliis Episcopis, subscripserunt. Hæc ex epistola Synodali sanctorum Patrum Ariminensis Concilii, & ex epistola Osii Cordubensis ad Constantium scripta, apud Athanasium ep. ad solitariam vitam agentes. Constante tamen mortuo cum magno Ecclesiæ detrimento, sub Constantio Arriano, ut canes ad vomitum reversi sunt, & mirum quantam stragem isti duo ursi in vinea Domini intulerunt. Cæterum de anno hujus Concilii dissentit Dionysius Petavius à Baronio in Notis ad Epiphanium, & in dissertatione de Photino, reponitque ad annum 347. cùm Baronius ad an. 350. referret. Sequitur Cabassutius Petavium, licèt in Notis ipsius ad Epiphanium id nondum occurrerit. Controversia hæc sit penes ipsos.

Concilium Jerosolymitanum, pro restitutione D. Athanasii in suam sedem, ann. Dom. 350.

CAusa Concilii congregati hæc est: Athanasium judicio Sardicensis Concilii absolutum, Aquilejæ exulantem, Constantius Orientis Imperator metu admonentis fratris inductus, ad sedem Alexandrinam tranquillè possidendam pluribus litteris benignè admodum invitaverat: sed accidit, dum adhuc in itinere esset, ut à nefando, crudelique tyranno Magnentio Constans Imperator, Orthodoxæ fidei columna, exulumque Episcoporum magnus defensor, ac patronus, innocentissimè occideretur. (*Constantis mors.*) Qua occasione Arriani novam calumniam in Athanasium commenti, quasi ad Magnentium tyrannum adversus Constantium litteras scripsisset, eum à reditu, & ingressu urbis, minando, & terrendo prohibere conati fuerunt: verùm post fraudem, ac malitiam eorum cognitam, acceptis denuò ab Imperatore litteris, benè animatus Jerosolymam usque progreditur. Quò cùm venisset, Maximus Jerosolymitanus Episcopus ibidem Synodum coegit, in qua Episcopi illi, qui olim sententię in Athanasium subscripserant, delictum suum detestati, atque confessi, eam, quam postularunt, communionem, & reconciliationem pręsentis Athanasii impetrarunt. Hęc ex Athanasii Apol. 2. Baron. anno 350. num. 1. usque ad 15.

Concilium Vasense sub Julio in Gallia Narbonensi circa annum Domini 337. contra Arrianos.

DE hoc Concilio solùm habemus testimonium Adonis Viennensis Archiepiscopi in Chronico ad annum 337. (*Vaison.*) Maximus, inquit, Treverorum Episcopus clarus habetur, à quo Athanasius cum à Constantino quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est. Florebat & tunc temporis Nectarius Viennensis Episcopus in doctrina fidei eximius: qui in Vasensi illa Synodo venerabili primus interfuit, & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam esse naturam, & potestatem, & Deitatem, & virtutem in Ecclesia publicè prędicavit, & docuit.

Porro Canones, qui à quibusdam hìc reponuntur, alterius Concilii Vasensis posterioris esse videntur. Non agnoscit autem hoc pręsens Concilium Sirmundus, tantumque duo esse Concilia Vasensia putat, non tria, primumque reponit ad ann. Christi 442. frustraque se torquere ait, & nondum in cirpo quęrere, qui plura asserunt: Duo quippe, nec plura in antiquis exemplaribus leguntur suis aptè distincta Canonibus, neque in his ulla, quod putant, est confusio. Hęc ille. Pręsens tamen Concilium à duobus aliis distinctum negare non possumus authoritati Adonis.

Concilium Romanum sub Liberio, an. Dom. 352.

HAbitum est hoc Concilium Romæ, initio Pontificatus Liberii, anno Christi 352. hanc ob causam: Arriani, dum mortem Julii, & suffectionem Liberii cognovissent, collectis suę communionis Episcopis, Concilium habent in Oriente, ex quo dant litteras ad Liberium, quibus Catholicę unitatis communionem ab eo exposcunt, atque Athanasio nova crimina impingunt. Primum hoc, quòd post Maximinum Trevirensem, & Servatium Tungrensem Legatos Magnentii, Alexandrię hospitio suo exceptos, adversus Constantium Imperatorem ad Magnentium tyrannum scripsisset. Secundum, quòd anno Christi 350. Alexandriam reversus, Basilicam ibidem à Constantio extructam, citra ipsius scitum, ac jussum consecrare, atque in ea sacram Synaxim celebrare ausus fuisset. Tertium, quòd per litteras ab Imperatore in Italiam evocatus, venire recusasset.

Ad has calumnias in Athanasium excogitatas abstergendas Catholici, ex consensu 75. Episcoporum Ægyptiorum, pro defensione Athanasii, ad eundem Liberium litteras hujus argumenti reddiderunt; quòd per Legatos Magnentii Catholicos ad Magnentium Athanasius nihil litterarum rescripserit. (*Crimina objecta Athanasio diluuntur.*) Maximum cum Servatio ab Athanasio hospitio exceptos fuisse,

tùm

tùm quòd à Maximino tempore primi sui exilii Treviris optimè habitus fuerit; tùm etiam, quòd utrumque in Sardicensi Concilio contra Arrianorum calumnias sui defensorem fuisse agnoverit. Dominicum Imperatoris, Athanasium non (quod calumniabantur Arriani) consecrasse, sed saltem ad petitionem populi, cujus multitudinem Ecclesia non capiebat, in eadem sacram Synaxim celebrasse, atque in ea pro salute Imperatoris preces ad Deum effudisse. Demum ab Imperatore in Italiam evocatum non venisse, quia Imperator ad commentitias, & dolosas Arrianorum litteras, nomine Athanasii Salvumconductum in Italiam veniendi expetentes, responderit, eoque responso veniendi potestatem concesserit, nullamque necessitatem accedendi injunxerit. Hæc ex Apologia Athanasii ad Constantium. Utrimque igitur his litteris acceptis, Liberius Pontifex Romæ Concilium Episcoporum coegit, in quo recitatis partis utriusque litteris, visum est Arrianis id, quod à Liberio postulabant, negandum esse. Ne tamen ejusmodi occasione Constantius Imperator (cujus voluntate cuncta ista fieri sentiebant omnes, qui in eadem Synodo cum Liberio erant) in Romanam Ecclesiam grassandi ansam arriperet; illud ibi ab iis tunc decretum fuit, ut Legatio de cogendo Aquilejæ Concilio ad ipsum Constantium mitteretur. Deputati sunt Vincentius, & Marcellus Campaniæ Episcopi. Verùm cùm Magnentianum bellum impedimento esset, quò minùs hæc pertractari possent, ad annum sequentem, post expugnatum tyrannum, Legatio dilata fuit. Quis effectus fuerit Legationis, vide in sequenti Conciliabulo Arelatensi. Hæc ex epistola Liberii ad Osium, & Constantinum. Baronius anno 352. num. 11.

Conciliabulum Arelatense Arrianorum, sub Liberio, anno 353.

CUm post devictum Magnentium, anno Christi 353. audisset Constantius, non ex Arrianorum sententia evenisse, ut à Liberio Papa, ipsi iidem Arriani in communionem acciperentur, atque Athanasius damnaretur, in furorem exarsit: & ut ab omnibus Episcopis Athanasius condemnaretur, teste Sulpitio lib. 2. publico edicto mandavit. A quo furore, ut eum Liberius placaret, atque persecutionem cum Athanasio universæ Ecclesiæ imminentem anteverteret, Legationem præcedente Romano Concilio decretam ad Constantium Arelate agentem ablegat. Qui cùm post expetitum coram Imperatore Concilium ab Arrianis, quorum complures ibidem invenerant (Valentem, Ursacium, Saturninum) sollicitati fuissent, ut ante omnia Athanasium condemnarent. Hac occasione *itur in Concilium* (verba sunt Liberii in epist. ad Constantium) *accipiunt cum deliberatione responsa: Arrii doctrinam se damnare non posse: Athanasium, quod solùm exigebant, communione esse privandum.* Severus lib. 2. *Petebatur*, inquit, *ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potiùs disceptarent, & tùm demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset. Sed Valens, sociique ejus, priùs Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi, &c.*

Lapsus Vincentii Capuani Episcop. Postquam igitur hæc per decretum statuissent, principio Vincentium primarium Sedis Apostolicæ Legatum, quique Nicænæ Synodo præfuerat nomine Sylvestri importunitate sua, atque Constantii imperio per vim, & contumelias inducunt, ut coactus tandem, & deceptus, Athanasii damnationi subscribat. Quod *cùm ille per vim*, ut inquit Athanasius Apologia ad Constantium, *coactus præstitisset*, suo exemplo Fortunatianum Aquilejæ, & Herminum Thessalonicæ ad idem facinus patrandum commovit. Ex eodem hoc Arrianorum Conventiculo, ideò quod Athanasii condemnationem detestarentur, unà cum Paulino Trevirensi Episcopo in exilium missum esse Rhodianum, nec non Lucium Annæum Episcopum Moguntinum relegatum in Phrygiam, & secundo anno exilii sui, qui Christi 354. Arrianorum insidiis strangulatum, atque in locum ejus ab Orthodoxis Maximum subrogatum esse, Acta ejusdem Maximi, quæ Trithemius collegit, sæpè attestantur. Hæc ex prædictis Auctoribus Baronius an. 353. num. 15. usque ad 23.

Conciliabulum Universale Mediolanense, ac reprobatum, in causa Athanasii, sub Liberio habitum, anno Domini 355.

HOc est illud Concilium, quod occasione promulgati ab Imperatore edicti de subscribendo sub pœna exilii condemnationi Athanasii, à Liberio Pontifice ad avertendam ab Ecclesia imminentem persecutionem duabus Legationibus suprà habitis, fuerat expetitum. Liberius enim, ut se expediret à mandato Constantii, petiit causam istam tractari in plena Synodo intra Italiæ fines convocata.

Fuit autem hoc Concilium Oecumenicum, & Universale, quòd permissu Constantii Imperatoris à Liberio Pontifice est indictum. Ad hoc (Orientalibus ferè omnibus morbo, vel itineris longitudine impeditis, pauci tamen præsentes fuerunt) Lucifer Episcopus Calaritanus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus Sedis Apostolicæ Legati, cùm Occidentalibus Episcopis trecentis, & amplius convenerunt, Arletione, & Lolliano Consulibus, anno nimirum Christi 355. qui est Liberii Pontificis quartus, & Constantii Imperatoris 9. Scribit enim Severus lib. 2. exilia Episcoporum ex eodem Concilio irrogata, prædictis Consulibus contigisse. Tyrannidem Conciliabuli Eusebius Vercellensis prævidens, eidem interesse recusavit; per Synodicas tamen ab Arrianis, nomine totius Synodi conscriptas, perque epistolam Legatorum Pontificiorum, ut veniret, rogatus fuit.

Reprobatum fuisse Concilium, Actorum, quæ apud Hilarium, Athanasium, & Severum supersunt fragmenta, evidenter attestantur. Cum enim huic Conventui ab Ecclesia ad Palatium translato, unà cum satellitio adhuc cruentus innoxiorum sanguine præsideret hæreticus Imperator, cumque in eo Arrianis omnia concederentur; Catholicis autem Episcopis, suffragiis eorum vetitis, intercisis, ac vilipensis, omnia negarentur, parati astarent Commentarienses, atque expediti lictores, sancirentur non Canones, sed Episcoporum degradationes: scriberentur, ac subscriberentur exiliorum sententiæ: cùm denique in eodem Arriana procacia, Orthodoxorum constantiam, & in dicendo libertatem per vim opprimens, nihil non auderet, quis non illi præfixum Concilii nomen jure ademerit, idque tyrannicam potiùs consultationem, diaboli synagogam, conventum malignantium, conjurationem Arrianorum, factionem sceleratorum, conspirationem impiorum, ac demum publicorum latronum violentam grassationem appellaverit?

Acta Conciliabuli ab Hilario ad Constantium, Severo libro 2. Hist. Athanasio Epistola ad Solitar. descripta, hìc summatim recensita, hæc sunt: Inchoato Concilio in absentia Imperatoris adhuc catechumeni, (quippe cui legitimo Concilio interesse non liceret) convenerant ferè Catholici Episcopi, se omnia, quæ postularent Arriani, facturos esse, si Nicænæ fidei priores subscriberent: quod cùm Valens, & Ursacius Arrianæ Hæresis principes, ac nebulones relapsi, fieri posse negarent, & paulò post Epistolam Imperatoris omni pravitate, & falsitate refertam in Ecclesia legendam proposuissent, populus magno cum clamore eam, quasi veritati contrariam, est aversatus. Unde illi veriti populum, ab Ecclesia in Palatium transeuntes, Concilium in sæculare judicium commutarunt. In quo dum Valens, & Ursacius Athanasii novas calumnias, supra in summa Romani Concilii recensitas, atque adeò novam condemnationem proponerent; illi verò

verò tamquam infames relapsi, ac fœdifragi, à Catholicis non audirentur, impius Imperator assurgens. *Et*, inquit, *Athanasii accusator sum, meo nomine illis credite.* Lucifero autem, Eusebio, Dionysio, aliisve Athanasii defensoribus magna audacia, & libertate respondentibus, reum absentem, ac non auditum, injustè damnari; concitatior in Athanasium factus, editoque promulgato Athanasium damnari, sede sua dejici, & exturbari, ejus defensores omnes relegari jubet: ac demum data Arrianis potestate, quidvis in Athanasium pro arbitratu suo constituere permittit. Lata sententia, ad subscribendum condemnationi sollicitantur omnes Episcopi Catholici. Plurimi, qui ipsius condemnatione bellum Ecclesiæ sopitum fore sperabant, obtemperantes subscripserunt, cumque Arrianis communicarunt. Legati autem Apostolici, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis Episcopus, ne condemnatione Athanasii fidem quoque Nicænam damnare viderentur, subscribere recusantes, post Hilarium Diaconum virgis cæsum, postque subscriptum nomen Dionysii, arte quadam, & industria Eusebii, è tabella expunctum, omnes in longinquas, & diversas regiones relegati fuerunt. Post hæc Notarii, & Palatini per Provincias emissi, Episcopos omnes in Ecclesiis suis commorantes, ad parendum sententiæ coegerunt: nisi facerent, vincula, contumelias, exilia, bonorumque omnium direptiones expectarent.

Persecutio Ecclesiæ per Constantium.

His auditis, Liberius Pontifex Epistolam Encyclicam ad Episcopos exules misit, qua gloriam eorum laudans conqueritur, se cum ipsis esse non posse. Cogitantes secum Arriani, se brevi omnes superaturos, si in suam sententiam Liberium Romæ Episcopum pertrahere possent, Constantium Imperatorem ad eum alliciendum, & trahendum impellunt. Is igitur Eusebium Spadonem Præfectum cubiculi cum donis, & litteris ad eum mittit, ut per dona blandiendo, per litteras minando, subscriptionem Pontificis extorqueret. Quæ omnia cum (donis, & muneribus ab ipso Pontifice contemptis) Eunuchus frustrà egisset, Leontius Urbis Præfectus, metu populi amore Liberii flagrantis, medio noctis eum furtim abducere coactus fuit. Mediolanum cùm venisset, Constantius post dialogum cum eodem habitum, eumdem in exilium, quod præelegerat, in Thraciam deportari mandavit. Quos autem illi Constantius, & Imperatrix in sumptus exilii obtulerant mille aureos, cum hac exprobratione remisit: *Tu Ecclesias orbis terræ expilasti, & jam mihi, ut damnato, & egenti affers Eleemosynam? abi primum, & Christianus ipse fias.* In locum relegati Pontificis Felicem Diaconum Liberii, Catholicum schismaticum Pontificem Arriani suffecerunt, cujus communionem, licèt fidem Nicænam integrè servaret, universus populus Catholicus cum Clero Romano usque ad lapsum Liberii vitavit: utpote quòd schismaticus esset, ab Arrianis intrusus, eorumque communione pollutus. Ejecto in exilium Liberio Papa, furorem suum Arriani convertunt in Osium Cordubensem Episcopum, gloria confessionis jam ante sexaginta annos illustrem, & tunc propè centenarium. Qui à Constantio evocatus, Imperatorem magnis rationibus conterritum à sententia deduxit, atque ita in patriam, & Ecclesiam suam rediit. Rursum eum ad se accersit Imperator, & cum ad subscriptionem in Athanasium impellere nequiret, pro exilio, integro anno illum Sirmii detinet.

Liberius Papa.

Osius.

His Episcoporum relegationibus Imperator necdum contentus, impulsu Arrianorum ad Rectores Provinciarum scribit, ut omnes Orthodoxos Clericos, & populos, qui Arrianorum communionem detestabantur, ad communicandum cum illis impellerent. Quam vim impiam, Hilarius ex conjugato recenter factus Episcopus Pictaviensis, vitam deinceps cælibem agens oblato libello supplici, qui inter ejus Opera, & apud Baronium extat, deprecatur. Hoc ejus petitioni in Gallia indulgendum esse censebat, ne Gallias, quas sciebat esse Catholicas, ob invasionem barbarorum nutantes, à se alienaret. Hæc ex prædictis Auctoribus Baronius anno 355. per totum.

De Lucifero Calaritano.

Patet verò ex hoc maximè Concilio, quantum Constantius Imperator Magni Constantini filius degener unum nomen, & unum hominem odio incenso prosecutus sit. Scilicet nomen consubstantialis, & unum hominem Athanasium orthodoxæ fidei propugnatorem invictissimum. Lucifer Calaritanus in Sardiniæ insula Episcopus librum à se compositum ad ipsum misit, in quo erant hæc varia opuscula, quibus ad veritatem flecteretur, si non pessimè Arrianismi tenebris obcœcatus fuisset, durior Pharaone. Sunt autem hæc sequentia.

Luciferi Episcopi pro Athanasio l. II.
De Regibus Apostaticis l. I.
De non conveniendo cum hæreticis l. I.
De non parcendo in Deum delinquentibus l. I.
De eo, quod moriendum fit pro filio Dei l. I.

Opuscula Luciferi Caralitani.

Librum I. *pro Athanasio* sic orditur. Cogis nos (Constanti) absentem damnare consacerdotem nostrum religiosum Athanasium, sed divina id facere prohibemur lege. Impellis auctoritate totius regali Domini sacerdotes ad effundendum cruorem, ignorans jura justitiæ tradita nobis divinitus, te conatum ex nostris auferre mentibus. An divinitus poteris asserere permissum, absentem inauditum, & quod est maximum, innocentem damnari? Quo modo enim arbitraris divinitus permissum, puniri inauditos, quando videris Adam, & Evam principes nostri generis auditos, sententia percussos Dei? *& vocavit Deus Adam, &c.* Abel interficitur justus, & interrogatus Cain sumit sententiam: & tu Domini inauditum vis puniri sacerdotem? Sic toto libro Imperatorem super hoc argumento varias percurrens scripturæ sententias ad id confirmandum, quod inauditus damnari non debeat. De eodem argumento extat opusculum Theophili Rainaudi inscriptum, *Gemitus columbæ de judiciis sæculi de damnatione inauditi.*

Liber *de regibus Apostaticis*, varia exempla profert ex scripturis regum impiorum, qui à Deo puniti fuerunt; sic autem incipit. Usitatum quia habere dignaris verbum: quod enim nisi & integrè crederes, & hæc, quæ geris circa nos, Deo essent placita, jam fuisses extinctus, paucorum tibi in Apostasia, atque crudelitate æqualium regum facta desideravi referare, quo possit vox illa tua sepeliri, quæ dicat: nisi catholica est fides Arrii, hoc est mea, nisi placitum esset Deo, quod illam persequar fidem, quam contra nos scripserint apud Niciam, nunquam profectò adhuc in Imperio florerem. Non illorum regum facio mentionem, qui à Dei notitia fuerunt alieni, de his solis tracto, qui in Judæa noscuntur regnasse.

Librum *de non conveniendo cum hæreticis*, sic orditur: Cum omnibus perniciosis tuis conatibus, advertisses itum obviam, cumque omnia machinamenta contra Dei Ecclesiam tua reperisses cuncto Dei populo revelata, dixisti nos fuisse, atque esse inimicos pacis, hostes unitatis, adversarios etiam fraternæ charitatis: si inter Dei cultores, & ejus religionis inimicos nihil esse debet inter, cur Moyses tempore, quo vidit populum illum carnalem Judaicum, cujus tu sapientiam tenes, Idololatriæ incurrisse reatum, postquam gladio certos percuti fecit, etiam stationem suam segregatam esse voluit? quæ ita esse accipe scriptum, *& dixit Dominus ad Moysem: dic filiis Israel: vos populus duræ cervicis videte, ne aliam plagam inducam super vos, nec deleam vos: nunc ergo deponite stolas gloriæ vestræ, &c.*

Librum *de non parcendo in Deum delinquentibus*, sic incipit: Superatum te Imperator, à Dei servis, ex omni cum conspexisset parte. Dixisti passum te, ac pati à nobis con-

contra monita facrârum fcripturarum contumeliam : A dicis nos infolentes extitiffe circa te, quem honorari docuerit. Si quifquam Dei cultorum pepercit Apoftatis, fint vera, quæ dicis de nobis: unde ordiamur, ut tu nunc à nobis corriperis, ita effe correptos omnes erraticos per Dei cultores, quo probare poffimus? unde, nifi à Moyfi fervi Dei actibus? legibus in Exodo? Sic argumentum tractat ex fcripturis: inde veni ad factum Oziæ regis, fic eum increpat.

Conftantius increpatus acriter.

Dicit contumeliofos illi fuiffe regi facerdotes, nec ne? fi nec dum fuerunt contumeliofi, nec nos tibi videamur, quandoquidem fimilia audias à nobis, quæ audierit & ille: Non licet tibi Conftanti Arriano cum Dei convenire populo. Non licet tibi Idololatriæ Arrianæ hærefis auctori, negatori unici filii Dei de Dei facerdotibus judicare facrilegè, fingens te Chriftianum, cum fis Antichrifti præcurfor &c.

Librum denique infcriptum *moriendum effe pro Dei filio*, fic incipit. Decuerat quidem, Conftanti Imperator, nihil jam tecum de divinis retractare fcripturis. In hoc libro ferè totus eft ad defcribendum crudelia facta Conftantii contra Catholicos, qui conftanter ubique illi refiftebant tormenta, & mortem ipfam nihil metuentes ob fpem cœleftis premii. In his omnibus, inquit, in quibus te numquam putas effe miferum, contemnique omnem carnificinæ tuæ rabiem à fervis Dei, volui ifto præfertim libro notum facrilegio funeftatæ facere menti tuæ: fi enim miferum putas, quod malim quovis crudeli fupplicio pro Dei filio, ut omittam æternam beatorum Martyrum gloriam, quocumque genere effe moriendum fcio: dabo tibi denique multos, qui in lectulis crudelius pereant, quos C interior aliqua fuppuratio inflavit, & nervorum fecum luctantium dolore contraxit. Intereft, ex qua caufa, non ex quo pendeam ftipite, &c.

Hi libri denique produnt, quæ fuerit facies Ecclefiæ fub Conftantio, & quantus zelus Luciferi Calaritani. Etfi nonnulli eum velint fuiffe, & mortuum fuiffe hæreticum. Sed id quàm levi, aut nullo fundamento fubnixum fit, prodit Epiftola Joannis Tillii Epifcopi Meldenfis ad Pium V. profixa ipfius Opufculis, quæ ipfe primùm in lucem evulgari curavit typis Parifinis an. 1563. apud Michaelem Sonnium. Nihil huic magno Confeffori, inquit, vitio vertitur, quàm nimia durities, atque feveritas adverfus matris noftræ Ecclefiæ folitam indulgentiam, & conniventiam; quod ab his recederet, qui Epifcopos, & Clericos in hærefim lapfos & relictam à fe fidem catholicam repetentes, ad honorem, & priftinum in ea munus recipiebant: ac quoniam, ubi hærefes, ac fchifmata plurimum regnant, nullus difciplinæ locus relinquitur, & mores magis inquinantur: ipfe, ac ejus affeclæ hoc veluti colore, ut vitia, & vitiofos fugerent, fefe à fidelium focietate fegregabant. Ex elegantioribus D. Hieronymi libris, unus nobis fupereft, qui adverfus eos infcribitur. Hæc, & alia Tillius. Porro hæc pio animo gefta, nullo dogmate ab ipfo propofito, non deterruerunt plures, quin ipfum poft mortem uti fanctum colerent, ac venerarentur.

Tillii Epifc. Meldenfis judiciũ de Lucifero Calarit.

Conciliabulum Byterrenfe, anno Domini 356. à Saturnino Arelatenfi habitum.

Beziers.

CUm Epifcopi fama celeberrimi ob fidem Catholicam in exilium acti effent, jamque fatis Arrianorum perfecutio adverfus Ecclefiam Catholicam declarata effet, Hilarius, & Epifcopi Gallicani in unum convenientes, edito decreto, fe mutuo confenfu à communione Saturnini, Valentis, & Urfacii fepararunt; addentes, excommunicationis fententia feriendos effe, qui ad vitandam eorum communionem admoniti fententiæ Epifcoporum Catholicorum non obtemperarent. Quod cùm inter alios Arrianos Saturninus Arelatenfis Epifcopus iniquo animo ferret, indignum judicans fe ab Epifcopis fuæ Provinciæ communicatione excludi, & anathemati traditum ab omnibus evitari, favore Conftantii egit, ut in fua Diœcefi prope Arelatem Byterris Concilium cogeretur, ad quod vi Præfidum, Catholici Epifcopi venire compellerentur. Hoc conventu coacto, fanctus Hilarius timens, ne Arriani, quod aliàs ante hæc fecerant, fimulatè, fub mentito *fubftantiæ* nomine, fimplicitatem plurimorum Orthodoxorum Epifcoporum circumvenirent, libellum legendum obtulit, quo Arrianorum latebræ, eorumque dolofæ infidiæ, ac blafphemæ hærefes omnibus innotefcerent. Sed ne hæc ab Hilario ingefta legerentur refiftentes, tandem ipfum Hilarium, ex cive Pictavienfi conjugato, Epifcopum, folum vertere exilii fententia coegerunt. Rodanum quoque Tolofanum antiftitem, qui natura levior, non tàm fuis viribus, quàm Hilarii focietate non cefferat Arrianis, eadem conditio implicuit. Apud Petrum Saxium in Saturnino.

Concilium Sirmienfe contra errores Photini Epifcopi Sirmienfis an. Chrifti 357. fub Conftante.

Aut fecundum alios an. 351.

SIrmium urbs eft in Pannonia inferiori, cujus Epifcopus Photinus errore Pauli Samofateni infectus Chriftum purum hominem prædicabat, nec aliud habere principium, quàm Mariam Virginem: hinc origo hujus Concilii, cum exofus effet omnibus tàm iis, qui Nicænam fidem, quàm qui Arrianam profitebantur, ac Conftantio Imperatori maximè, qui hoc Concilium congregavit, cum exul effet Liberius Papa, & ipfe Sirmii commoraretur, atque ad indicendum Concilium ab Arrianis Epifcopis follicitaretur. Duplici enim ftimulo ferebantur, tùm ut fe catholicos profiterentur non ferentes Photinum ad tantam impietatem deveniffe, hancque ignominiam ab Ecclefia depellerent ipfius condemnatione: tùm ut nancifcerentur occafionem cudendi aliquam fidei formulam, à qua nomen *confubftantialis* expunctum effet, ut eam profitentes ipfi Catholici haberentur, etfi Verbum creaturam exiftimarent.

Sirmium vulgo Sirmifch.

In hoc autem Concilio cum prævalerent Catholicis Epifcopis, cumque primò auditum Photinum, poftquam Bafilius Ancyranus cum ipfo coram Imperatore congreffus fuiffet, tefte Epiphanio in Photinianorũ hærefi, damnaffent, ac è throno dejeciffent, primam hanc fidei formulam ediderunt, in qua, tacito nomine confubftantialis, quid de Verbo Divino fentirent, exponunt, verbis ambiguis, ut Catholicis recta etiam videri poffet.

Credimus in unum DEUM, Patrem omnipotentem, Creatorem, & factorem univerforum, ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in Terra nominatur. Et in unigenitum ejus Filium, Dominum noftrum Jefum Chriftum, qui ante omnia fæcula ex Patre natus eft, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta funt omnia in Cœlis, & in Terra, vifibilia, & invifibilia, Verbum exiftens, & fapientia, & lumen verum, & vita. Qui noviffimis diebus propter nos humanatus ex fancta Virgine, & crucifixus, & mortuus, & fepultus; & refurrexit à mortuis tertia die, & afcendit ad Cœlum, & fedet ad dexteram Patris. Et venturus eft in confummatione fæculi judicare vivos, & mortuos, & reddere unicuique fecundum opera fua, cujus Imperium fine fine exiftens in fæcula permanet infinita. Erit enim fedens in dextra Patris, non folum in hoc fæculo, fed etiam in futuro. Et in Spiritum fanctum paracletum, ideft, confolatorem, quem promittens Apoftolis poft Afcenfionem ad Cœlos effe mittendum, ut doceret, et commemoraret eis univerfa, tranfmifit. Per quem etiam fanctificantur animæ credentium in eo veraciter. Eos autem, qui dicunt ex non exiftentibus filium, aut ex altera effentia, et non ex Dei, et quia erat tempus ante fæculum, quando non erat, alienos novit fancta Ecclefia. Rurfus igitur dicimus.

Si

Si quis Patrem, & Filium duos Deos dicit, anathe- A ma sit. 1

Et si quis Deum Christum, ante sæcula Filium Dei ministrantem Patri ad creationem universorum, non confitetur, anathema sit. 2

Si quis ingenitum, aut partem ejus ex Maria natam dicere præsumit, anathema sit. 3

Si quis secundum præscientiam ante Mariam dixerit filium esse, & non ante sæcula ex Patre natum apud Deum esse, & per ipsum omnia facta, anathema sit. 4

Si quis substantiam Dei dilatari, aut contrahi dixerit, anathema sit. 5

Si quis dilatatam substantiam Dei Filium dixerit facere, aut dilatationem ejus substantiæ Filium nominaverit, anathema sit. 6

Si quis affectivum, & prolativum Verbum dixerit B Dei Filium, anathema sit. 7

Si quis hominem solum dixerit Filium, qui ex Maria est, anathema sit. 8

Si quis Deum, & hominem ex Maria dicens, Deum ingenitum eundem intelligit, anathema sit. 9

Si quis illud, quod scriptum est, Ego Deus: primus & ego postea, præter me non est Deus: cum ad destructionem idolorum, & Deorum non existentium dictum sit, ad destructionem magis unigeniti ante sæcula Dei, Judaicè percipit, anathema sit. 10

Si quis audiens, Verbum caro factum est, Verbum in carnem mutatum putaverit, aut conversione facta suscepisse carnem, anathema sit. 11

Si quis unigenitum Filium Dei crucifixum audiens, corruptionem, aut passionem, aut conversionem, aut C mutationem, aut peremptionem sustinuisse dicit, anathema sit. 12

Si quis, quod scriptum est, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dicere, sed ipsum ad semetipsum asserit dixisse Deum, anathema sit. 13

Si quis contra Jacob, non Filium tamquam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum, aut Patrem ejus dixerit, anathema sit. 14

Si quis illud, quod scriptum est: *pluit Dominus à Domino*, non de Patre, & Filio perceperit, sed ipsum à semetipso pluere dixerit, anathema sit, pluit enim Dominus Filius à Domino Patre. 15

Si quis audiens Dominum Patrem, aut Filium Dominum, & Dominum Patrem, & Filium, & Dominum à Domino, dicens, duos asseruerit Deos, anathema sit: non enim coaptamus Filium Patri, sed subditum D novimus, neque enim descendit in Sidonia sine voluntate P. neque pluit à seipso, sed à Domino, authoritatem videlicet præbente Patre, neque sedet à dextris à semetipso, sed audit dicentem Patrem, sede à dextris meis. 16

Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unam personam dicit, anathema sit. 17

Si quis Spiritum paracletum dicens, ingenitum asserit Deum, anathema sit. 18

Si quis, sicuti docuit nos, non alium dicit paracletum præter Filium, ait enim, *& alium paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo ego*, anathema sit. 19

Si quis Spiritum dicit Patrem Patris, aut Filii, anathema sit. 20

Si quis consilio Dei tamquam unam creaturam fa- E ctum asserit Filium Dei, anathema sit. 21

Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres dicit Deos, anathema sit. 22

Si quis, nolente Patre, natum Filium dixerit, Anathema sit: non enim invitus, & vim passus Pater necessitate generandi, quasi nolens, genuit Filium, sed illum, ut voluit etiam sine tempore, & sine passione ex semetipso genuit. 23

Si quis ingenitum, & sine principio, & duo ingenita dicens, & duos faciens Deos, anathema sit. Caput enim est, & principium omnium Filius. Caput autem Christi, Deus. Sic enim ad unum omnium principium, quod est sine principio, per Filium piè omnia referuntur. 24

Rursum autem subtiliter inspicientes Christianum sensum dicimus. 25

Si quis Christum Deum, Filium Dei ante sæcula ministrantem Patri ad omnem creationem non dixerit, sed, ex quo ex Maria natus est, ex eo dicit Filium, & Christum esse vocatum, & initium accepisse, ut Deus esset, anathema sit, sicut Samosatenus.

Hæc fuit prima fidei formula, quæ in hoc Concilio edita est, consentientibus (ægrè tamen) Catholicis Episcopis, & Arrianis quasi per eam utrique satisfactum fuisset: illis quidem, quod alieni ab Ecclesia haberentur, qui dicerent filium esse ex non extantibus, &c. His verò, quod nomen consubstantialis in ea omissum esset illis invisum, & propter quod cavillabantur simplicitatem Patrum Nicænorum, ut refert D. Athanasius in Epist. de Synodis Arimin. & Seleuciensi, cum non possent illi adaptare sensum Arrii, nam reliqua explicabant ad suam mentem, & apparitiones veteris testamenti factas fuisse per Verbum, sub specie hominis libenter admittebant. Qua de re dictum est supra in Conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum. Hanc Sirmii factam fidei expositionem aliquot articulis adhuc auctiorem refert D. Hilarius in libro de Synodis adversus Arrianos rationem reddens ejus prolixitatis. Non enim infinitus Deus, & immensus brevibus humani sermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel ostendi. Fallit enim plerumque, & audientes, & docentes brevitas verborum: & compendio sermonum, aut non intelligi potest, quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod significatum magis, quàm enarratum rationis absolutione non constat. Nihil autem nobis mirum videri debet, quod tàm frequenter exponi fides cœptæ sunt; necessitatem hanc furor hæreticus imponit. Tum addidit de ignorantia Episcoporum Orientalium. Absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intra quas consisto, Deum nesciunt. Atque utinam eum nescirent, cum procliviore enim venia ignorarent, quàm obtrectarent. Hæc D. Hilarius.

Ignorantia Episc. Orientalium.

Quia verò sciebant Concilia nullius esse ponderis absque authoritate Pontificis Romani, qui tunc exulabat in Thracia, quod fortiter Constantio contra Arrianos restitisset, per Valentem, & Ursacium Episcopos ex Pannonia Arrianismo addictissimos, licèt aliquando inconstantes, ad illum delata est extorquendæ illius subscriptionis causa.

Interim quia Photini sententias optimè destruebat, laborarunt, ut ei etiam subscriberet, proposita ei Episcopatus, & dignitatis restitutione: ille verò provocavit eos potius ad disputationem, eloquentia, qua pollebat, confisus, ac jussu Constantii assignato loco ad disputandum, cum Basilius Ancyranus conditionem disputandi contra eum acceptasset, visus est in disputatione inferior Photinus, nec tamen ab hæresi recedere voluit, quare exilio mulctatus est, ut est apud Nicephorum l. 9. c. 31. ubi degens, opinionem suam Græcè, & Latinè, multa enim in utroque sermone ei inerat gratia, scriptis mandavit.

Liberius Papa.

Liberius ex tædio exilii remissior factus, & ut creditur invidia exstimulatus contra Felicem Diaconum suum cathedram suam occupantem, nec non deteriora metuens à Constantio, adduci se passus est ad subsignandum formulæ, cum nihil expresse contra fidem in ea contineri putaret. Forsan animo ejus inerat, quod scripsit postea Arnulphus Lexoviensis Episcopus ad Thomam Cantuariensem. Si quid tractandum inciderit, nolite singulos articulos nimia subtilitate discutere, quia subtilitas contentionem parit, contentio verò sopitos odiorum ignes quasi quibusdam flatibus excitat, & accendit. Non erit vobis ad singularia decurrendum, sed quasi generalibus studiosius inhærete, quia salva res est, nisi pactiones specialiter expressæ perimant libertatem. Ut ut sit, decreto ejusdem Concilii Felix à fide Romana expulsus est, & Liberius restitutus.

Sed nec hic conquievit pseudozelus Arrianorum, for-

formula de consubstantialitate filii tacebat, eam tamen non excludebat, & aliud est non confiteri, aliud negare: aliud negativè circa quidpiam se habere tacendo, aliud negare positivè improbando. Ut opera Semiarrianorum primum obtinuerant in prima formula, tentant secundum assequi, ac in eadem Synodo, ut Dei Filius non Deus ex Deo, sed creatura ex nihilo, vel saltem ex creatura genitus esse credatur, secundam Fidei formulam, ac confessionem ediderunt, qua nomen *substantiæ*, prorsus abdicarunt; decernentes, ne voces *substantiæ*, & OMOOYΣION, quarum nulla mentio fit in Scriptura, in sermonibus usurparentur. Utque impietati à se conscriptæ auctoritatem adderent, Athanasio, Socrate, & Sozomeno testantibus, Osium Cordubensem Episcopum, Sirmii in loco exilii ab Imperatore detentum, multarum Synodorum auctorem, & principem, multis Legationibus, & publicis actionibus functum, non ad scribendum, quod vitiosè, & corruptè præ se fert titulus hujus formulæ apud Hilarium; sed potius ad subscribendum sollicitarunt; qui dum aliquamdiu id facere recusasset, vir imbecillis, propè centenarius senio confractus, & immemor gestorum suorum, tandem per vim, tormenta, & plagas usque ad fidiculas, & verbera, inductus (proh scelus!) ignominiosè subscripsit, luctuque, & horrore immenso fidelibus incusso, turpius, quàm ante Origenes, & Tertullianus, lapsus fuit, meritoque illa pœna, quam Isidorus Hispalensis ipsi affixit, puniendus, nisi paulò post, de vi, & injuria sibi illata protestatus, Arrianorum hæresi condemnata, eorumque communione fidelibus interdicta, pœnitentiam egisset, atque ita Dei vindicis iram antevertisset. *Tantam*, inquit Athanasius ad Solitarium, *vim intulit seni, quem Sirmii pro exilio detinebat, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus, attritusque malis tandem, ægreque cum Ursacio, & Valente communicaret: sed tamen, ut contra Athanasium non subscriberet. Verùm ne ita quidem eam rem pro levi habuit: moriturus enim* (post biennium circiter, aut annum) *quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arrianam hæresim condemnavit, vetuitque eam à quocumque probari, ac recipi*. Item de Osio Apologia secunda, in fine ait: *Vis illa, & Constantii tyranni potestas, multæque contumeliæ, & interminationes satis ostendunt, minime eum in nostri condemnationem consensisse, sed senii imbecillitate imparem verberibus ad tempus cessisse*.

2. fidei formula.

Osii lapsus

CONTROVERSIA.

DE authoritate verò hujus Concilii Bellarminus libro primo de Conciliis, capite septimo, Oecumenicum fuisse ait, cui præter Orientales, trecenti, & amplius ex Occidente Episcopi interfuerunt. Ex parte probatum esse scribit, quia sententiam condemnatoriam in Photinum hìc pronuntiatam omnes Orthodoxi approbarunt. Posset idem confirmari per hoc, quod primam Sirmianam fidei Confessionem, utpotè, quæ nullam manifestam hæresim contineat, velut Catholicam Hilarius interpretatus fuerit: ego tamen Baronium secutus, Conciliabulum potius, quàm ulla ex parte probatum Concilium fuisse, verius esse putarem; tùm quòd manifestum sit, in prima Formula Fidei, quæ Catholica esse indicatur, nomen *Consubstantialis* ad Fidem Nicęnam explodendam omissum esse, eamque veteratoriè, & per summam simulationem editam fuisse: tùm etiam, quòd Liberii communionem Catholici evitarint, ideò maximè, quòd Fidei Confessioni primæ, quæ videbatur Catholica, subscribens, Arrianorum communione pollutus ab unitate Ecclesiæ Catholicæ meritò exciderit.

De Liberio Papa.

DE Liberii lapsu gravior est controversia an hæreticus fuerit. Quia cum subscripsisset formulæ fi-

A dei contra Photinum editæ, in quo nomen *Omoousios*, seu consubstantialis tacebatur, fama malum ingens, quod vires acquirit eundo, percrebuit ope Arrianorum, quod Liberius subsignasset formulæ, in qua asserebatur Filius dissimilis Patri. Refert Sozomenus l. 4. cap. 14. licet idem Sozomenus asserat hanc fidei formulam Arrianos à Liberio obtinuisse, in qua ab Ecclesia interdicebatur iis, qui assererent Filium non esse similem Patri in substantia, & in omnibus. Quo denotatur Liberium tantum illi formulæ subscripsisse, quæ erat contra Photinum, quæ orthodoxa habita est, cum abstrahentium, ut dicunt Philosophi, non sit mendacium, tantumque in ea non exprimeretur nomen consubstantialis, non autem improbabatur. Etsi verò Arriani pretenderent secundum sensum proprium opinio-
B nem suam in hac formula stabilire, cum tamen secundum legitimum verborum sensum hæretica non esset, non magis hæreticum erat ea uti, quàm verbis iis scripturæ, quibus hæretici expromunt errores suos, ac in ea re simile habetur exemplum in D. Augustino Epist. 174. ad Pascentium Arrianum, ubi ejus confessioni fidei se subscribere paratum asserit, si nihil veritati contrarium inesset, quamvis nomen consubstantialis ibi non inveniretur. Sic etiam Symbolum D. Athanasii de hæresi suspicionem non habet, etsi in eo nomen Ὁμοουσίῳ consubstantialis minimè reperiatur. Aliud autem est de Osio, qui alteri formulæ subscripsit, ut propterea vituperetur à D. Hilario in libro de Synodis. Scandalosa tamen fuit hæc Liberii subscriptio, tùm quod aditum faceret Arrianis ad impugnandam
C Filii consubstantialitatem juxta eorum intentionem, & habita ratione temporum erat contra externam fidei confessionem, & sapiebat hæresim: tùm etiam subscribebat damnationi Athanasii, in qua fidei causa implicata videbatur, licèt, cum Athanasius ob alia crimina accusatus esset, ejus damnatio hæresim non adstrueret. Sed ut ista sic se habeant, pœnitentia delevit Liberius peccata hæc: nec poterat censeri ex Cathedra, & ex authoritate scripsisse, quod per tyrannidem Constantii adactus non voluntariè agebat. Vide Duchenium in ejus vita.

Liberii & Osii dissimilis

Alia etiam est controversia de anno, quo celebrata est Synodus. Dionysius Petavius in Chronologia temporum sicut in plerisque aliis valde oculatus certissimè statuit ad annum 351. celebratam fuisse Sergio, ac Ni-
D griano consulibus. Pergam, inquit, de Historiis, & Analibus Ecclesiasticis benè mereri, ac, quemadmodum dirigi ad veritatis amussim debeant, proponam hoc loco breviter, ut, hac offensione sublata, rectam deinceps viam insistant. Tùm refert suas probationes, quas apud ipsum videre est in Notis ad Epiphan. ad hæresim 73. quæ est semiArrianorum. Cui nos non refragamur: ut eadem observatio spectet etiam ad sequens Ancyranum.

Concil. Ancyranum Semiarrianorum, an. 358.

EPiscopi Orientales secundam illam, ac perfidam Sirmianam confessionem fidei detestati, à Sirmio recedentes in Asiam migrarunt, atque Ancyræ in Ga-
E latia anno Domini 358. convenerunt, ibique ablegatum à Filio Dei *substantiæ* nomen restituentes, impia statuta secundæ Confessionis, ac Formulæ planè condemnarunt, Filiumque Dei secundum substantiam Patri per omnia similem esse asseruerunt. Unde, ut fidem suam profiterentur, duodecim regulas, ac definitiones fidei secundæ Sirmiensi planè contrarias, quas recenset Hilarius libro de Synodis, expresserunt, easque per Legatos ad Constantium Imperatorem Sirmii morantem miserunt. Quas cùm ille accepisset, Orientales verò omnes ad Ariminense Concilium profecturi, opportunè Sirmium, ubi Imperator agebat, revertissent, post secundam Sirmiensem Confessionem publico edicto reprobatam, jussu Imperatoris ibidem 11. Kalend. Junias, nocte illucescentis sacræ diei Pente-

Pentecoſtes, tertiam Sirmienſem Fidei Formulam com-A poſuerunt; eamque ſua ſubſcriptione munitam, atque Ariminum aſportatam, ibidem in Concilio Ariminenſi recitarunt. Ubi Catholicorum omnium riſu, ac ludibrio excepta eſt, & contemptui habita. Vide Baronium anno 357.

Dicuntur autem hi, qui ad hoc Concilium convenerunt, Semiarriani, quia nomen Arrii deteſtati, divinam in Filio Dei ſubſtantiam, utcumque ſpecie tenus confitebantur: quia tamen vocem *Conſubſtantialitatis* non recipiebant, Nicænumque Symbolum explodebant, Semiarriani nominabantur. Horum erat illa Fidei Profeſſio, quæ Antiochiæ in Encæniis, Sardicæ, & Sirmii primo, & tertio loco edita fuit, quæque hìc Ancyræ declarata fuit.

Concilium Ariminenſe, Euſebio, & Hypatio Coſſ. habitum, in quo 400. Epiſcopi, omnes ferè Catholici, Arrianis confeſſionibus rejectis, Nicænam Fidem confirmarunt primo, ſed in fine Arrianæ fidei formulæ ſubſcripſerunt, Anno Domini 359. B

SIrmienſi Synodo abſoluta, cùm Arriani non tàm inter ſe pace aſtricti, quàm majori diſcordia diviſi eſſent, ſtatuerat Imperator, Diacono, & Cereali Coſſ. anno Chriſti 358. ad eoſdem inter ſe conciliandos, Nicomediæ Concilium congregare: verùm urbis illius prodigioſo interitu impeditus, ex ſubito terræ motu, quo ædificia omnia corruerunt cum ingenti hominum clade, Euſebio, & Hypatio Coſſ. anno Chriſti 359. ad eaſdem fidei controverſias componendas, Oecumenicā Synodum indixit, eamq; in duas diviſit, ſtatuens, ut Occidentales Arimini, Orientales Seleuciæ in Iſauria convenirent: eo nimirum fraudulento Arrianorum conſilio, ut Orthodoxi loco diviſi, animis, & votis inter ſe dividerentur, & quia facilius eſſe putarent, paucioribus, quā ſimul omnibus imponere. Sed & alteram ſaltem Synodum in ſententiam ſuam ſe pertracturos ſperabant, ſicque eorum hæreſis omnium calculo non damnaretur. Quod agebant per Eunuchum Euſebium aulæ Conſtātii præfectum. Accedebat minor laboris, & impenſarum difficultas, ſi in diverſis locis congregarentur Epiſcopi. Unde claret, quàm vere ſcripſit de Conſtantio Ammianus Marcellinus Ethnicus, licèt hiſtoricus, ipſum diſſidia plurima in religione Chriſtiana aluiſſe quam perplexius ſcrutabatur, ut externis antiſtitum jumentis publicis ultro citroque diſcurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum conatur trahere arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit nervos.

Initio Concilii Epiſcopi Arriani, qui erant quinquaginta, & amplius, chartulam exhibuerunt, recitatiſque conſulibus, ſub quibus ſcripta erat, quaſi fides nova eſſet, poſtulabant, ut ea omnibus Synodis anteponeretur, omiſſa omni de hæreſi quæſtione, erat autem hujuſmodi Latinè. Edita eſt Catholica fides in præſentia Domini noſtri Religioſiſſimi, præclarique victoris Regis Conſtantii Auguſti æterni, conſulibus clariſſimis viris Flavio Euſebio, & Hypatio Sirmii undecimo Kalendas Junii. *[Margin: Refert D. Athanaſ. in ep. de Synodis.]*

Credimus in unum, & ſolum, & verum Deum Patrem omnipotentem, &c. Vocabulum porro ſubſtantiæ, quia ſimplicius à Patribus poſitum eſt, & à populis ignoratur, & ſcandalum adfert, eo quod in ſcripturis non contineatur, placuit, ut de medio tolleretur, & nullam poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam, eo quod ſacræ ſcripturæ nuſquam meminere ſubſtantiæ Patris, & Filii, Filium autem Patri per omnia ſimilem eſſe dicimus, quemadmodum ſacræ litteræ & dicunt, & docent. *Hæc hæretici.*

Quibus recitatis non longè poſtea cognita eſt iſtorum, qui hæc ſcripſerunt, vafrities. Epiſcopis enim proponentibus, ut cæteræ cum Arriana damnarentur hæreſes, reliquiſque omnibus in id conſentientibus, Urſacius, & Valens cum ſociis ſuis abnuerunt. Ac deinde cognitum eſt eos ad abolendum ea, quæ Nicææ acta erant, hæc propoſuiſſe. Dixeruntque alii Epiſcopi. Nos, non quia fide indigeremus, huc convenimus: habemus enim ſanam fidem, ſed ut eos, qui veritati contradicunt, confunderemus. Si igitur vos quaſi nunc incipientes credere iſta ſcripſiſtis, nondum Clerici haberi poteſtis, ut qui nunc rudimenta fidei condiſcere incipiatis: quod ſi eo animo, quo nos, huc veniſtis, ſit omnium concordia, & hæreſes anathemate exſecremur, &, quæ Patrum ſunt, teneamus, ne poſthac captatæ Conciliorum occaſiones obverſentur, cum ſemel illi, qui Nicææ convenerunt, omnia præoccupaverint, & nihil non egerint pro Catholica fide. Omnibus ergo Epiſcopis ita ſuffragiis inter ſe conſentientibus, illis è diverſo abnuentibus, ac proinde ut doloſis, ac hæreticis condemnatis totum Concilium ſuis calculis Nicænam Synodum approbavit, & eam ad omnia ſufficere judicavit, literaſque Synodales ad Conſtantium Auguſtum Romana lingua ſcripſit.

Conſentiunt iſtis relata ab Epiſcopo Cyrenſi. At Epiſcopi, refert Theodoretus l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 15. fraude intellecta (Arrianorum) eos, qui hæc dicebant, abdicarunt: mentem verò ſuam ipſi per litteras Imperatori aperuerunt. Filios enim, & hæredes Patrum, qui apud Nicæam convenerant ſe eſſe dixerunt. Si quid, inquiunt, aliquid eorum, quæ ab illis ſcripta ſunt, detrahere, vel rectè conſtitutis addere auſi fuerimus, ſpurios nos eſſe, velut Patrum accuſatores, oſtendemus. *[Margin: Conſtans fides Epiſc. Cathol.]*

C

Epiſtola Conſtantii ad Synodum Ariminenſem.

VIctor Conſtantius Maximus triumphator ſemper Auguſtus. Continent priora inſtituta, Venerabiles, ſanctimoniam legis rebus Eccleſiaſticis niti: ſatis ſuperque proſpeximus litteris ad noſtram prudentiam datis, iiſdem oportere operam dare; cùm profecto & Epiſcoporum id officio congruat, & ſalus omnium longè, lateque populorum hoc fundamine roboretur, ſed res admonuit inſtituta rurſus exiſtere. Non enim aliquis definita geminari ſuperfluum judicabit, cùm rebus conſueverit admonitio augere cumulum diligentiæ. His ita ſe habentibus, de fide, atque unitate tractari debere cognoſcat ſinceritas veſtra, & operam dari, ut Eccleſiaſticis rebus ordo competens præ- D beatur. Diſcurret namque cunctorum poſteritas ubique populorum, & concordia fide ſervabitur, cum penitus amputatis nec hujuſmodi quæſtionibus cunctis ſectando commoverit, res iſta non debet ita intentionem animi propagare. Non enim de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proinde ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit gravitas veſtra, tractare debebitis, & completis celeriter univerſis, conſentiente conſeſſu, decem mittere ad Comitatum meum, ut prudentiæ veſtræ prioribus litteris intimavimus. Prædicti enim poterunt omnibus, quæ eiſdem Orientalibus propoſuerint, reſpondere, vel tractare de fide, ut exitu competenti omnis quæſtio terminetur, & ambiguitas ſopiatur. Quæ cum ita ſint, adverſus Orientales nihil ſtatuere vos oportet, aut ſi aliquid volueritis contra eoſdem prædictis abſentibus E definire, id, quod fuerit uſurpatum, irrito evaneſcet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui noſtra ſtatuta teſtantur jam nunc robur, & copiam denegari. Quæ cum ita ſint, moderatione religionis venerabilibus Antiſtibus conſentanea debetis veneranda perficere, ut id, quod religio poſtulat, explicetur, & quod audiri prohibet ratio, nullus uſurpet. Divinitas vos ſervet per multos annos Parentes. K. *[Margin: Extat apud Hilar. Frag. l. 3. p. 44.]* *[Margin: Deeſt quidpiam.]*

Dat. 6. Kalend. Junias, Euſebio & Hypatio Coſſ.

Definitio Catholica Concilii Ariminensis apud Hilarium extans hæc est.

Extat apud Hilar. Frag. l. 2. p. 45. & 46

INcipit Definitio Catholica habita ab omnibus Catholicis Episcopis, priusquam per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur in Concilio Ariminensi.

Si credimus placere omnibus posse Catholicis, Symbolo accepto nos reddere non oportere, quod in collatione apud nos integrum recognovimus: nec à fide recessuros, quam per Prophetas à Deo Patre per Christum Dominum nostrum, docente S. Spiritu, & in Euangeliis, & in Apostolis omnibus suscepimus, ut per traditionem Patrum secundum successionem Apostolorum, usque ad tractatum apud Nicæam habitum contra hæresim, quæ tunc temporis exsurrexerat, positum nunc usque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui posse manifestum est. Placet ergo nihil novum fieri: *substantiæ* quoque nomen, & rem à multis sanctis Scripturis insinuatam mentibus nostris, obtinere debere sui firmitatem. Quam rem cum suo nomine Ecclesia Catholica, cum doctrina deifica semper confiteri, & profiteri consuevit. Subdit Actor: Huic definitioni omnes in unum Catholici conspirantes subscripserunt.

Damnatio Arrianæ hæreseos apud Hilarium extans.

Extat apud Hilar. l. post. de Synod. Arimin.

DAmnatio blasphemiæ Arrii, & expositio integræ, & Catholicæ fidei, quam Catholici in tractatu Ariminensi firmaverunt, & manu sua subscripserunt.

Blasphemiæ Arrii, licèt antehac fuerint damnatæ, latebant tamen occultæ, quia eum blasphemasse ignorabant. Verum, favente DEO, procuratum est, ut constitutis nobis apud Ariminum, ejus pestifera hæresis repeteretur. Et ideò simul cum ejus blasphemiis omnes quoque hæreses, quæ antehac exsurrexerunt contra Catholicam, & Apostolicam traditionem, sicut jam dudum damnatæ sunt præteritis Conciliis, & diversis in locis, nos quoque damnamus, & anathematizamus eos, qui dicunt, Filium Dei, nullis extantibus, & de alia substantia, & non de Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero.

Et si qui Patrem, & Filium duos Deos, hoc est, non nota duo principia dixerit, & non Patris, & Filii unam Deitatem profiteatur, anathema sit.

Si quis Filium Dei creaturam, vel facturam dixerit, anathema sit.

Si quis Deum Patrem ipsum de Maria natum, eundemque Patrem, & Filium dixerit, anathema sit.

Si quis Filium Dei de Maria initium sumpsisse dixerit, vel fuisse tempus, quando non erat Filius, anathema sit.

Si quis Filium Dei, aut temporalem, aut hominem solum, & non ante omnia sæcula de Deo Patre natum profiteatur, anathema sit.

Si quis Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam personam, aut tres substantias divisas dixerit, & non perfectæ Trinitatis unam Deitatem profiteatur, anathema sit.

Si quis Filium Dei esse ante omnia quidem sæcula, & non ante omne omnino tempus dixerit, ut ei tempus assignet, anathema sit.

Si quis creata omnia non per Verbum, sed sine eo, vel ante eum facta dixerit, anathema sit.

Si quæ autem aliæ blasphemiæ Arrii, vel cujuslibet repertæ fuerint, similiter anathematizamus.

Epistola Synodica per Legatos ad Constantium transmissa hæc est.

Extat apud Athanas. de Synod.

DEi jussu, tuoque piè edicto parentes, quæ olim dogmatibus tradita ita esse, ut tradita sunt, nostris suffragiis stabilienda judicavimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentem positis civitatibus in unum convenimus, ut fides Catholicæ Ecclesiæ cognosceretur, & qui alterius opinionis essent, manifesti fierent. Ibique post longam deliberationem optima visa est ea fides, quæ hactenus usque à priscis temporibus perduravit, quam & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli per Dominum nostrum Jesum Christum prædicarunt, qui est tui Imperii custos, tuæ valetudinis defensor. Statutum est igitur, ut eam retinentes coleremus: & colentes usque ad finem conservaremus. Indecens enim, & nefarium, aliquid ex rectè, & justè decretis, & ex Nicææ publicè cum Illustrissimo Principe Constantino Patre tuo, per accuratam deliberationem constitutis immutare velle, in quibus tanta B doctrina est, prudentia, ut ea ubique deprædicata ad omnium aures, animosque pervenerit, quæ sola hostis, & interfectrix Arrianæ hæreseos, & per quam non illa, sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt: in qua certè & addere aliquid, temerarium est; & auferre, periculosum: quorum si alterum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas. Atque ea de causa Ursacius, & Valens, jam pridem socii, & adstipulatores Arriani dogmatis, à nostra communione, sententia data, segregati fuere, &c Reliqua fusè extant apud Athanasium.

Atque hactenus rectè Concilium Ariminense: quomodo verò malè finierit, perpendendum est.

CONTROVERSIA.

C QUomodo acciderit, quod plures ex Ariminensibus subscripserint Arrianæ confessioni. Si fides adhibenda Juliano Pelagiano apud D. August. l. 1. operis perfecti contra Julianum Pelagianum, de sexcentis, & quinquaginta, ut fertur, Episcopis vix septem inventi sunt, quibus chariora essent Dei precepta, quàm regis, videlicet, ut nec in Athanasii damnationem convenirent, nec Trinitatis confessionem negarent. Illa verò omnis dejectorum pectorum multitudo, extra injuriarum metum hac est potissimum vel nominis comminatione, ne Athanasiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta. Nam cum proponerent Arriani, qui rerum ea tempestate potiebantur, *homousion* sequi vultis, aut Christum? Responderunt illico Christum se sequi, *Homousion* repudiare, atqui ita exeunt D gestientes, quasi qui Christo crederent. Sed hæc ab adversario Catholicorum prolata fide indigna sunt: rem aliter narrat D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ex ipsis actis Ariminensis Concilii, quę legerat.

Julia[n.] Pelag. [...]sent.

Itaque alia die in Ecclesia, quæ est apud Ariminum, & Episcoporum simul, & Laicorum turbis concurrentibus, Muzonius Episcopus Provinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem, primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est: Ea, quæ sunt jactata per publicum, & ad vos usque perlata, aliquem è nobis sanctitati vestræ legere præcipimus; ut quæ sunt mala, & ab auribus, & à corde nostro abhorrere debent, omnium una voce damnentur. Responsum est ab universis Episcopis, placet. Itaque cum Claudius Episcopus Provinciæ Piceni, ex præcepto omnium blasphemias, quæ Valentis E ferebantur, legere cœpisset: Valens suas esse negans, exclamavit, & dixit: si quis negat Christum Deum Dei Filium, ante sæcula ex Patre genitum, anathema sit.

D. Hiero[n.]

Sonaba[nt] verba pi[e]tatem, n[e]mo ven[e]nũ insi[...]tum pu[ta]bat.

Ab universis consonatum est, anathema sit.

Si quis negat Filium similem Patri secundum scripturas, anathema sit.

Omnes responderunt, anathema sit.

Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema sit.

Ab universis conclamatum est, anathema sit.

Si quis dixerit creaturam Filium Dei, sicut cæteræ creaturæ, anathema sit.

Simi-

Similiter dictum est, anathema sit.

Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre, anathema sit.

Omnes conclamaverunt, anathema sit.

Si quis dixerit, erat tempus, quando non erat Filius, anathema sit.

In hoc verò cuncti Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam, & tripudio Valentis vocem excepe- runt. Quod si quis à nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur, plenæ sunt certè Ecclesiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria est. Supersunt homines, qui illi Synodo interfuerunt: & quod veritatem firmet, ipsi Arriani, hæc ita, ut diximus, gesta non denegant. Cùm ergo cuncti Valentem ad cœlum laudibus tollerent, & suam in eum suspicionem cum pœnitentia damnarent: idem Claudius, qui supra legere cœperat, ait: Adhuc B sunt aliqua, quæ subterfugerunt Dominum, & fratrem meum Valentem. Quæ si vobis videtur, ne quis scrupulus remaneat, in commune damnemus.

Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema sit.

Dixerunt cuncti, anathema sit.

Multaque alia, quæ suspiciosa videbantur ad pronuntiationem Claudii, Valens damnavit, quæ si quis plenius discere cupit, in Ariminensis Synodi actis reperiet, unde & nos ista libavimus.

His ita gestis, Concilium solvitur, læti omnes ad Provincias revertuntur. Idem enim Regi, & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens, atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur. Sed diu scelera non C latent: & cicatrix malè obducta incocto pure dirumpitur. Cœperunt postea Valens, & Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii, egregii videlicet Christi Sacerdotes palmas suas jactitare, dicentes se Filium, non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc usiæ nomen abolitum est, tunc fidei Nicænæ damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Igitur alii intra suam communionem remansere, alii ad eos Confessores, qui sub nomine Athanasii exulabant, cœperunt litteras mittere, nonnulli initam societatem meliorum desperatione planxerunt: pauci verò (ut se natura hominum habet) errorem pro consilio defensavere. Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur: nihil jam supererat spei. Dominus excitatur, D imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redit, manifestius dicam; Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerunt exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt: tunc triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit: 37. Tunc Hilarium de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est: 38. Tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit. Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis E proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare; multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arrianorum blasphemias condemnare. Hoc loco interrogo istos nimium religiosos, quid de Confessoribus agendum putaverint? Depositis, inquient, veteribus Episcopis, novos ordinassent. Tentatum est: sed quotusquisque benè sibi conscius patitur se deponi? præsertim cùm omnes populi, Sacerdotes suos diligentes, pene ad lapides, & ad interemptionem deponentium eos convolaverint? Mansissent, ajunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate orbem totum diabolo condonassent.

A Ex his innotescit, quo tandem modo Catholicis tantum prævaluerint Arriani, dolo scilicet Valentis Mursiensis Episcopi, qui cùm nihil proficere videret contentiones disputationum, minasque per Taurum præfectum à Constantio missum ad dimovendos à fide Catholicos, finxit cum asseclis suis se idem credere de Filio Dei, quod Catholici; solamque esse quæstionem de voce *usiæ* abjicienda, quæ in scripturis non erat, & infirmis scandalo erat: ac tunc ea egit, quæ ex actis ipsius Concilii à D. Hieronymo plenè, & exuberanter referuntur. Sic enim ad partes Hæreticorum inclinare cœperunt Catholici, partim tædio moræ diuturnioris in civitate Ariminensi, in qua à septem mensibus detinebantur, partim imbecillitate ingenii, qua non satis articulos fidei ab hæreticis propositos examinarunt. Unde factum est, ut mundus ingemuerit, ac Ecclesia improbarit hoc Concilium, cùm in Christianis non laudentur initia, sed finis. Unde Bellarminus illud inter reprobata Concilia enumerat lib. 1. de Concil. cap. 6. nulla habita ratione legitimi Ariminensis ab illegitimo, quod plures confingunt, cùm revera unum fuerit Concilium Ariminense, initio rectum, in fine depravatum, sicut in Basileensi accidit. Quibus etiam favet Marianus in scholiis ad Dialogum D. Hieronymi contra Luciferianos. Est autem Ariminum urbs Italiæ, Adriatico mari adjacens, intra Pisaurum, Ravennam, & Celenum posita.

Verùm, qui attenderit ad narrationem Theodoreti lib. 2. Eccles. hist. cap. 15. & 16. rem aliter se habuisse comperiet. Qui conatus Arrianorum, qui expectabant, ut Catholici Episcopi longioris moræ tædio sibi consulerent, scribit inutiles fuisse, cùm enim rescivissent priores suas Epistolas ab Imperatore non lectas, alteram Epistolam miserunt, inquit, generosi fidei defensores Imperatorem obtestantes, ut & Legatos admitteret, & sibi potestatem faceret discedendi. Perlata autem hæc Epistola, cùm Imperatoris animum irritassent Arriani, plurimos Episcoporum in urbem quamdam Thraciæ, Nicam nomine, invitos deducunt, & partim dolo circumventis ob simplicitatem, partim metu exterritis, persuadent, ut detractis de fidei formula vocibus, *substantiæ*, & *consubstantialis*, harum loco, *simile* substituant, quamvis, inquit, hanc formulam non usurpent hujus ætatis hæretici, sed pro simili dissimile prædicant. Ac subjungit hanc formulam, à qua prædictæ voces subtractæ sunt, & nomen *simile* adaptatum filio. His ita positis, satis videre est Ariminensem Synodum integram fuisse, & non posse ipsi tribui, quæ Concilio dissoluto in alia civitate remota acta sunt à pluribus Episcopis: licèt in primo conventu Ariminensi extitissent. Ut unicuique in sua arte magis credendum Theodoreto, qui ex professo historiam Ecclesiæ tractat, magis fidendum, quàm quibusdam actis à D. Hieronymo lectis, quæ depravata esse potuerunt per Arrianos, & suspecta sunt in hoc, quod præsentiam Valentis Episcopi asserant, qui jam damnatus erat, & à Concilio abdicatus. Sed nec cum actis Athanasianis ista acta Hieronymiana concordant, si quis conferat utraque. Cùm ergo quidam tantùm vituperant, & improbant Concilium Ariminense, non distinxerunt satis verum Ariminense ab eo, quod in Nica, seu Nicæa Thraciæ actum est. Et quod quidam ob dictum D. Hieronymi, *totus mundus ingemuit*, &c. putant hæresim Arrianam totam Ecclesiam occupasse, valdè falluntur. Nam si mundus ingemuit, & miratus est se esse Arrianum: ergo re ipsa non erat Arrianus, & ingemiscendo testaretur se non consentire Arrianismo. Totus ferè Occidens diffidebat, & plures in Concilio Seleuciensi, in quo erat D. Hilarius. Divus ergo Hieronymus Rhetor insignis figura hyperboles usus est, ut hæretici de pusillo grege sibi ex hoc non blandiantur: sicut quidam ex ultimis novatoribus tutabantur paucitatem suam ex hoc dicto Hieronymiano.

Verior narratio Theodoreti.

Con-

Conciliabulum Seleuciense, in quo à Semiarrianis Acaciani damnantur, anno Domini 359.

SYnodus hæc Ariminensis æmula celebrata est Seleuciæ eodem tempore, quo Arimini in Occidente. In qua circiter centum sexaginta Episcopi convenerunt, partim Acaciani, id est Aerianorum consortes, Christum omnis cum Patre substantiæ expertem impiè tradentes: partim Semiarriani, divinæ cumPatre substantiæ suo quodam sensu assertores. Ad eamdem etiam S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, jam quartum annum agens in exilio in Phrygia, divino planè consilio evocatus fuit. Missi sunt ab Imperatore duo Comites, qui Synodo interessent. Antequam in consessum iretur, Hilarii fides (quem, sicut omnes alios consubstantialitatis assertores Catholicos, Sabellianum nominaverant) explorata fuit. Multum initio Synodi disputatum est, an primum de fide, vel de moribus, & causis Episcoporum definiretur. Ac vicit eorum sententia, qui prius de fide disputandum censuerunt. Deinde quatuor dierum sessionibus, quartam Semiarriani formulam fidei in Encæniis Antiochiæ constitutam, retinendam esse, ac subscribendam definierunt. *Acaciani.* Acaciani verò eam urgebant, à qua voces *substantiæ*, ac *consubstantialitatis*, tanquam à Scripturis alienæ abessent. *Arriani in se invicem pugnant de formula fidei.* Quippe Synodum Nicænam apertè diffamabant: alii verò permulti reliqua Synodi approbabant, solummodo de voce *consubstantialitatis*, quasi obscura, cavillantes. Atqui hi erant Semiarriani. Qua ratione, cùm prædicto tempore de fide contendissent, tandem à Semiarrianis Acaciani, vel Arriani condemnati fuerunt. Absentibus à Synodo excommunicatis, reliquos omnes Arrianos sedibus suis abdicarunt, &, litteris missis ad cujusque istorum Parochiam, seu Diœcesim, sententiam contra eos datam promulgaverunt, sicut refert D. Athanasius in Epist. de Synodis Arimin. & Seleuciensi. Damnati ad Imperatorem Constantinopolim reversum appellarunt, novamque Synodum ibidem congregari pro voto impetrarunt, ut in sequenti Conciliabulo patet. Factiones hujus Synodi fusè satis refert Nicephorus lib. 9. cap. 43.

Conciliabulum Constantinopolitanum, in quo nova Fidei formula promulgata, Semiarriani ab Acacianis, & Arrianis condemnantur, anno Domini 359.

COnciliabulum hoc Constantinopoli celebratum est præsente Constantio, eo tempore, quo Episcopi Arimini congregati, illic adhuc detenti erant: nova enim illa fidei Professio Constantinopoli scripta, teste Athanasio de Synodis, ad eos, qui Arimini convenerant, ut eidem omnes vel subscriberent, vel in exilium relegarentur. Convocati sunt ex proxima tantùm Provincia, ut tradit Socrates lib. 2. cap. 33. Episcopi Bithyniæ numero quinquaginta. Novam, eamque nonam à Nicæno Concilio fidei Professionem ediderunt, in qua non modò vox *substantiæ*, sed etiam *hypostasis*, vel *subsistentiæ* impiè abolita fuit. Quam cùm Semiarriani detestarentur, mutua illis gratia vicissim reddita, eosdem condemnarunt, sedibusque privatos in exilium relegarunt. *Aerius.* Ut viderentur Catholici, suæ hæreseos auctorem Aerium condemnarunt, ut scilicet Deo ita volente, suo ipsius judicio condemnati excusationis prætextum nullum haberent. Quod Silvanus, & Eleusius Semiarriani, vocis *consubstantialitatis* inimici, eo tempore, quo Acaciana impietas invalescebat, defensores facti fuerint, eamque, teste Theodoreto, libro 2. cap. 27. ad sui relegationem usque, contra Arrianos propugnaverint, propè miraculum esse arbitramur. Tanta enim est veritas Orthodoxæ fidei, ut quandoque inimici nostri judices sint æquissimi. Interea, dum hæc agerentur, Arimino alia fidei Formula Con-

A stantinopolim adfertur, cui omnes Episcopi, etiam Orientales Seleuciensis Synodi, jussu Constantii, subscripserunt, adeò ut iidem Episcopi, eodem propè tempore, duplici fidei diversæ, Constantinopolitanæ, & Ariminensi, subscripserint. Harum alteram in Oriente, alteram in Occidente Imperator observari voluit. Hæc latius apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum, & Baronium anno 359. num. 79. & sequentibus.

De tot fidei formulis sic Nicephorus lib. 9. cap. 44. *Variæ formulæ.* Quandoquidem verò nos vix tandem ex formularum fidei labyrinto expedivimus, breviter jam numerum earum inire visum est. Ac primum quidem professio fidei Nicænæ rectè est dictata. Secunda formula Antiochiæ in dedicatione dupliciter est prolata. Tertia à Narcisso, sectatoribusque ejus Imperatori Constantino B Juniori in Galliis est exhibita. Ad has quarta Eudoxii accessit, quæ in Italiam est missa. Sirmii tres aliæ editæ, quarum una quoque Arimini est recitata. Octavam Seleuciæ Acacius composuit. Nona, & ultima Constantinopolitana est, cui etiam Ariminensis addita, ne in Deo vel subsistentia, vel substantia nominaretur. De his satis.

Conciliabulum Antiochenum, quo ab Arrianis Meletius Episcopus Antiochenus sede deponitur, & Filius Patri dissimilis declaratur, anno 360.

HOc Conciliabulum habitum est Antiochiæ, anno Constantii, ut testatur in Chronico Hieronymus C 34. qui est Christi 360. Causa habiti Concilii ista primaria fuit, ut Acaciani, & Arriani declararent Meletium Antiochenum Episcopum sede sua justè dejectum, eique Euzojum Arrio quondam familiarem, suæ factionis sectarium impurissimum, æquissimo judicio substitutum esse. Cùm enim Meletius, teste Sozomeno lib. 4. cap. 27. ab Eudoxianis, & Acacianis, post aliorum Semiarrianorum depositionem, in sedem Antiochenam introductus, præter spem, & opinionem eorum, Dei nutu, ac singulari providentia, Nicæni Concilii fidem publicè, tanto zelo, & Orthodoxæ Religionis ardore prædicaret, ut dum ipsius concionantis os Archidiaconus manu obstrueret, digitos ille primò tres, deinde unum proferens, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate doceret: jussusque ab Imperatore recantare palinodiam, recusaret: *Meletii pietas.* D ejusdem Constantii Imperatoris mandato depositus, in exilium contra pacta assecurationis data, & apud Eusebium Samosatenum velut sequestrum deposita, ejectus fuit. Arriani itaque metuentes, ne decreti illius conscripti testimonio coarguerentur, persuadent Constantio, ut per nuntium ab Eusebio decretum repetat. Ad quod faciendum, cùm ille neque verbis, neque minis, manus scilicet abscissionis, ab Imperatore induci potuisset, respondissetque se commune decretum communi consensu acceptum nunquam redditurum, nisi omnes, qui suæ fidei illud commiserant, in unum convenirent.

Hac occasione Acaciani Antiochiæ convenientes, approbata Meletii injusta depositione, ac relegatione, E novam rursus fidem, eamque omnium deterrimam, Constantio, & Acacio auctoribus condiderunt, qua Filium Patri substantia, & voluntate dissimilem, atque ex nihilo ortum esse statuerunt, sicut Arrio ab initio placuerat. Et hìc tandem finis magnæ tragœdiæ, ab Arrianis post Nicænum Concilium per triginta, & amplius annorum spatia confectæ, cujus tot fuerunt acta, quot celebrata Concilia. Quorum ultimo funestum illud, quod primum in eorum animis insedit, *Extremum scelus Arrianorum.* Dei Filium (proh scelus!) substantia, & voluntate Patri esse dissimilem infeliciter conclusum est. Nam eo tempore, quo Constantius Filio Dei Divinitatem ademit, non sine prodigio eidem Imperium abripitur, cùm in Galliis Julianus à militibus aliàs acclamatus Im-

Imperator eligitur, & quantumlibet invitus imperare cogitur. Anno enim sequenti procul omni dubio Constantius cùm Orientali Imperio vita exutus fuisset, nisi eum mors citiùs confecisset. Hæc ex Theodoreto, Epiphanio, Sozomeno, & Ammiano. Baronius anno 360. n.45. & seq.

Concilium Alexandrinum de Lapsis recipiendis, ac de reformanda Ecclesia Alexandrina post reditum Athanasii, sub Liberio approbatum, anno 361.

CONcilium hoc congregandi hæc causa fuit: Cùm post occisum Georgium Cappadocem, Alexandrinæ sedis invasorem Athanasius à tertio exilio, & quinquennalibus latebris, anno Juliani secundo, qui est Christi 362. Alexandriam reversus, magnoque omnium gaudio, & applausu exceptus fuisset, hortatu, & auctoritate Liberii Pontificis Concilium indixit: tùm ut Ecclesiam suam ab Arrianæ hæreseos inquinamentis, ac sordibus expurget, tùm ut inter eos, qui diffidebant, pacem conciliet, atque tyrannide oppressos liberet, adeoque statum Catholicæ Ecclesiæ, dira multorum annorum persecutione collapsum, restituat, atque reformet. Pontificis Legationi adfuit Eusebius Vercellensis Episcopus remeans ab exilio, quod ultra terminos Thebaidos fuerat, unà cum Lucifero Calaritano, qui tamen Lucifer misit in locum suum Diaconum, per quem professus est ratum se habiturum, quod esset Concilio ordinante constitutum. Unde præsens non adfuit Concilio ex epist. scrip. lib. 6. cap. 19. Cum his Ægypti, aliarumque Ecclesiarum Episcopi convocati convenerunt; eò libentiùs, ut simul reducem ab exilio Athanasium inviserent.

Exemplo Antiocheni, & Nicæni Concilii, Paulum Samosatenum, aliosque Episcopos ad pœnitentiam, citra pristinæ dignitatis jacturam, admittentium, magna etiam consilii maturitate à Patribus in hac Synodo constitutum fuit: Primò, ut Episcopi per ignorantiam, vel tormenta in hæresim lapsi, cùm ad Catholicam Ecclesiam reverterentur, in eodem honoris gradu, quo insigniti fuissent, prævia pœnitentia, ablatis honoribus, laica communione impertirentur. S.Hieronymus tom. 2. adversus Lucifer.

Secundò, adversus Eunomium, Macedonium, & Semiarrianos, Spiritus sancti Divinitatem negantes, necnon recens emergentem hæresim, quæ postea dicta est Apollinaris, perfectam Christi Incarnationem diminuentem, animam nimirum ab humanitate Christi detrahentem. Synodus antiquam doctrinam retinendam decrevit, quam ab initio Eccles. traditio docuit Christianos. *Ejusdem hist. cap.20.*

Tertiò, Controversia illa gravis, & periculosa de nominandis in sacrosancta Trinitate suppositis inter Græcos, & Latinos exorta, feliciter admodum sopita fuit, hoc modo: Græci, qui tres hypostases dicebant, videbantur Latinis tres Οὐσίας, sive essentias cum Arrio dicere, *eo quod tota Græcorum prophanorum schola discrimen inter hypostasim, & usiam ignorabat*, teste Hieron. in ep. Latini verò, qui, rejecto nomine hypostasis, personas dicebant, Græcis videbantur distinctionem non realem, sed tantùm ratione muneris, sive officii inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum agnoscere: eò quod personæ vocabulum ad auctoritatem officii significandam accommodari solet. Ob quam verborum contentionem, *eo res adducta est*, inquit Nazianzenus orat. de laud. Athanas. sub fin. *ut periculum esset, ne orbis terrarum fines* (idest Orientalis, & Occidentalis Ecclesia) *una cum syllabis à se invicem distraherentur, & abrumperentur*. Effecit itaque Athanasius, ut deposita tandem controversia nominum, Græci Personæ vocabulum pro Hypostasi usurparent; & vicissim Latini Hypostasim pro Persona dicerent. Et quamquam S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9. Latinisque posteris hæc conciliatio deinceps displicuisse videatur; tamen S. Hieronymus ep.57. apud Damasum impetravit, ut hujus, de nomine dumtaxat, controversiæ conciliatio admitteretur. Deinceps verò apud posteros communi usu in Ecclesia receptum fuit, ut quamquam olim pro essentia, & subsistentia vox Hypostasis usurpata fuerit; nunc idem in divinis, & creaturis rationalibus significet Græcè Hypostasis, quod Latinè persona. Ita S.Bonavent. S.Thomas, & reliqui communiter.

Hypostasis nomen.

Quartò, hac eadem Synodo Alexandrina declaratum est, Professionem illam fidei ab Arrianis titulo Sardicensis Concilii promulgatam, spuriam, & surreptitiam esse, atque ad Nicænam confessionem in Sardicensi Concilio nihil additum fuisse: adeoque Appendicem illam Synodali epistolæ Sardicensi apud Theodoretum falsò additam fuisse.

Tandem cùm Athanasius per rescriptum, Liberium Romanum Pontificem de omnibus in hac Synodo gestis certiorem reddidisset, de iisdem priùs ad Antiochenos, post ad Orientales universos missa est Synodica epistola. Vide Baronium an.392. n. 176. & seq.

Concilium Parisiense contra Arrianos, anno Domini 362.

HOc Concilium unum est ex his frequentibus Conciliis, anno Domini 362. post Hilarium ab exilio reversum in Gallia habitis; quibus testimonio Severi lib.2. Orientalium error adversus Nicænam fidei professionem in diversis Synodis comprobatus unà cum suis auctoribus, nomen *consubstantialitatis* in Filio Dei proscribentibus, penitus condemnatur. Quid in hoc, reliquisve Galliæ Conciliis sub Hilario hoc tempore celebratis actum fuerit, ex Synodali epistola Concilii apud Parisios (mendosè, & corruptè, quod habet inscriptio, Fariseam civitatem) congregati colligere licet, quæ extat apud Binium hic.

Concilium Alexandrinum II. Orthodoxorum post mortem Juliani Imp. sub Pontificatu Liberii, anno 363

POstquam Athanasius audivisset, Julianum, quem & citò defiturum divino oraculo præmonitus senserat defunctum, exulesque Episcopos à Joviniano per edictum revocatos esse, litterasque Imperatoris, fidemque doceri petentis, accepisset, citra omnem moram primarios Ægypti, Thebaidis, ac Lybiæ Episcopos Orthodoxos sibi subditos ad hanc Synodum Alexandrinam convocavit. Qua deliberatione prævia, decretum est, ut scriptum Catholicæ fidei libellum è vestigio ad novum Imperatorem Jovinianum mitterent, ne ille (quod Constantio accidit) ab hæreticis præoccupatus, in impietatem transversus penitus ageretur. Athanasius itaque, ut periculum antevertat, scriptum in Synodo ejusmodi libellum ad Imperatorem mittit; *quo perlecto*, inquit Theodoretus lib.4. cap. 4 *tùm cognitio Imperatoris, quam de rebus divinis imbiberat, confirmata est; tùm amor ejus erga easdem exardescere cœpit*. Extat epistola Synodalis apud Athanasium de fide *ad Jovinian.* Theodoretum lib. 4. cap. 3.

Concilium Antiochenum II. pro confirmanda Nicæna fide sub Liberio, anno Domini 363.

SEmiarriani Imperatoris animum præoccupaturi, è Perside redeunti, obviam processerunt, fideique libello oblato, postularunt, ut Acaciani Filium Dei Patris dissimilem esse docentes, sedibus suis ejicerentur, ipsique in eorum locum sufficerentur. *Acaciani.* *Imperator*, inquit Socrates, *accepto eorum libello, ipsos absque responso dimisit, hæc verba dumtaxat locutus: Ego contentionem odio prosequor; eos, qui concordiæ dediti sunt, complector amore, veneror que.* Quod cùm Acaciani intellexissent, ne, quod Catholicis Episcopis, ipsi

ipſi fecerant, Eccleſiis ſuis ejicerentur, pietate confeſtim ſimulata inſtiterunt, ut per Meletium Orthodoxorum Antiochiæ Epiſcoporum Concilium cogeretur. Quod cùm Antiſtes Catholicus præſtitiſſet, viginti ſeptem Epiſcopi Arriani ad Synodum convenerunt, in qua Nicænam fidem abſque altercatione in medium prolatam, recitatam, ac recognitam communi ſuffragio omnes ad unum comprobarunt: quique per multa annorum curricula eamdem impugnarant, quaſi è longo inſaniæ lethargo expergefacti, palinodiam recantantes, abſque tergiverſatione aliqua cognoverunt, ſuoque eam chirographo munitam ad Imperatorem Jovinianum tranſmiſerunt. Tanti intereſt, Principes palàm profiteri ſe verè Catholicos, & Orthodoxæ fidei acerrimos defenſores eſſe: ſua enim fidei confeſſione publica, & ſincera hæreticos timore correptos ad palinodiam recantandam inducunt; vel ſaltem hoc efficiunt, ut rubore ſuffuſi ſileant, lateant, aliove procul abſcedant. Baronius anno 363. n. 140.

Arriani 17. cōverſi.

Exemplum regis.

Epiſtola Synodalis prædicta extat apud Socratem lib. 3. cap. 21. Sozomenum lib. 6. cap. 4.

Conciliabulum Lampſacenum Semiarrianorum adverſus Arrianos celebratum, anno 364.

LAmpſacus urbs eſt in anguſto Helleſponti, ad quam convocatum eſt hoc Concilium anno Chriſti 364. quando Valentinus per Legatum Hypatianum Heracleæ Epiſcopum ad Synodum indicendam ſollicitatus, præclarum hoc reſponſum dedit: *Sibi, qui unus è laicorum numero erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere. Et ideò Sacerdotes, & Epiſcopi, inquit, quibus hæ curæ ſunt, ſeorſum per ſe, ubicumque ipſis libitum fuerit, in unum conveniant. Quo reſponſo ad Legationem Hypatiani dato, Lampſaci Concilium cogunt.* Hæc Sozomenus lib. 6. cap. 7. Quod ibidem ait, Epiſcopos Catholicos Conſubſtantialitatis aſſertores Imperatorem de hac Synodo indicenda ſollicitaſſe, adeoque Concilium Catholicum fuiſſe; non tantùm ex Actis hujus Concilii, ſed etiam ex 72. & 82. epiſt. ſancti Baſilii falſum eſſe conſtat, ubi Lampſacenam confeſſionem inter eas enumerat, quæ ab hæreticis diverſis in locis editæ fuerunt.

Sozomenus, aliive plures, putantes hoc Catholicum fuiſſe Concilium, errandi occaſionem inde accepiſſe videntur, quòd eos, qui horrendas Arrianorum blaſphemias in Conſtantinopolitano Conciliabulo per Eudoxiam, & Acacium editas execrarunt, & condemnarunt, Catholicos fuiſſe exiſtimaverint. S. Baſilius epiſt. 79. confitetur ſe cum aliis Epiſcopis, fortaſſe Catholicis, vocatum, huic Conventui interfuiſſe. Neque tamen argumentum hoc ſufficit, ut prudens aliquis Lampſacenam Synodum ideò Catholicam fuiſſe affirmet.

Hæretici inter ſe pugnant.

Quid in hoc Concilio actum, conſtitutumve fuerit, Sozomenus lib. 8. cap. 7. enarrat his verbis: *Decernunt Acta Conſtantinopoli, opera, & ſtudio Eudoxii, & Acacii cum ſuis ſancita, abroganda eſſe.* Et paulò infrà: *Porrò formulam fidei in conſecratione Eccleſiæ Antiochenæ editam, & Seleuciæ omnium Epiſcoporum conſenſu confirmatam in omnibus Eccleſiis tenendam. Quin etiam, ut ii, qui ab iis, qui Filium Patri diſſimilem aſſeverabant, abdicati eſſent, ſuas ipſorum ſedes, utpote Eccleſiis per nefas ejecti, denuò reciperent.* Socrates lib. 4. cap. 4. eadem brevius enarrans, inquit: *Rurſus contra Acacium, & Eudoxium, utpote jure abdicatos, tulere ſententiam.* Ex iis, quæ paulò poſt ſubjungit, Eleuſium Cizici Epiſcopum, dogma illud, quod à Macedonio ejus auctore nomen invenit, quodque in Lampſaceno Concilio multò evidentius omnibus patefactum fuit, propugnaſſe; illudque Concilium cauſam fuiſſe, cur Helleſpontus tanta Macedonianorum frequentia abundaret: ex eo ſanè manifeſtiſſimum fit, hoc eodem Conciliabulo Spiritus ſancti Divinitatis negationem à Semiarrianis ex ſententia Macedonii additam fuiſſe.

Spiritus S. Divinitas impetitur.

His peractis, Statuta Synodi per Euſtathium Sebaſtenum, Theophilum, & Sylvánum Legationis munere functuros, Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopis, ac præcipuè Liberio Romano Pontifici per Synodicas ſignificarunt. Ut verò ejuſdem Pontificis, atque Catholicæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ communionem aucuparentur, ac ſedes ſuas, quibus juſtè privati erant, recipere poſſent, ſimulantes ſe Catholicos, fideique Nicænæ obſervantiſſimos eſſe, fidei ſuæ libellum, quem recitat Socrates lib. 4 cap. 11. Pontifici offerunt. Quòd cùm feciſſent, non tantùm Communicatorias à Pontifice, aliiſque Epiſcopis litteras impetrarunt, ſed etiam alias acceperunt, quibus auctoritate Apoſtolica præcipiebatur, ut iidem, qui ante ſedibus ſuis expoliati fuerant, poſt habitam Catholicæ fidei profeſſionem ſuis Eccleſiis reſtituerentur. Tædium diuturnæ diſſenſionis, amor pacis Eccleſiaſticæ, ſpeſque meliorum inducebant Liberium, ut hujuſmodi nebulones venia indignos facilius reſtitueret. His impetratis, quod egerint, dicemus in ſequentibus Conciliis. Epiſtola Liberii Pacifica eſt undecima inter epiſtolas ejuſdem Liberii, quem vide apud Binium.

Concilium in Sicilia, anno Domini 365.

EUſtathius Sebaſtenus, cæterique Legati Lampſaceni in Siciliam profecti fuerunt, ubi Concilio Epiſcoporum Siculorum convocato, coram illis ſimiliter fidem Conſubſtantialitatis ſe ſervare confitentur, fideique Formulam in Nicæno Concilio confirmatam, ratam faciunt. Ita Socrates lib. 4. cap. 11. addens, quòd cùm Profeſſionem fidei per litteras Communicatorias à Pontifice acceptas confirmaſſent, Pontificiis epiſtolis ſuas ejuſdem argumenti ad Orientales ſcriptas addiderint. Tanta enim erat Romani Pontificis auctoritas, ut quos ille communione Catholica dignatus fuerat, quantumvis de fide maximè ſuſpecti eſſent, nemo eos recipere detrectaret. Baronius anno 365. num. 16.

Illyrica Synodus ſub Liberio propter controverſias in Aſia de conſubſtantialitate Spiritus ſancti, anno 365.

TUnc ſicut & antea, ait Nicephorus Eccleſ. hiſtor. lib. 11. cap. 30. quæſtio multa per Aſiam, & Phrygiam orta eſt, an Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patri, & Filio confiteri oporteat. Nec minoris momenti ea quæſtio habebatur, quàm quæ de Verbo fuerat.

Valentinianus Occidentalis partis Imperator flagranti amore in Nicæna decreta nulli concedens, quibus dogmata fidei credita eſſent, ut, quid facto opus eſſet, proferrent, & ſtatuerent, conceſſit, excedere namque talia explorationem ſuam, ſive cognitionem putavit.

Liberius hoc cognito, Epiſcopis finitimis convocatis, Nicænam fidem confirmans, ſcripſit ex mente Concilii Orientalibus Epiſcopis, ut Trinitatem ejuſdem ſubſtantiæ, & ejuſdem gloriæ prædicarent. Miſſa eſt Epiſtola per Elpidium Presbyterum, quæ habetur apud Theodoretum lib. 4. Eccleſ. hiſtor. cap. 8. unde excepit Nicephorus. In qua hæc breviter annotare libet.

Epiſcopi Illyrici Eccleſiis Dei, & Epiſcopis Diœceſis Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ in Domino ſalutem. Conventu à nobis acto, & diſquiſitione multa facta de ſalutari verbo, decrevimus conſubſtantialem eſſe Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & æquum eſſe duximus litteras ad vos exarare, &c.

Quod reliquum eſt, etiamſi errori aliquando implicati fueritis, tamen veterem hominem exuentes, induite novum, nam & ipſe frater, & adminiſter Elpidius veram fidei profeſſionem vos docebit, quod ſancta Trinitas conſubſtantialis Deo, & Patri cum Filio, & Spiritu ſancto, ſanctificata, glorificata, & manifeſtata eſt: Pater in Filio, Filius in Patre cum ſancto Spiritu in ſæcula. Hoc namque manifeſtato, manifeſtè ſan-

ſanctam Trinitatem conſubſtantialem profiteri poterimus juxta Nicænam fidem Nicææ dudum promulgatam, quam & Patres confirmarunt. Itaque fides hæc, ſi prædicata fuerit, tùm exitioſi dæmonis plagas effugere, tùm eo extincto, pacificis litteris pacatè viventes, mutuò nos venerari poterimus. Scripſimus ſanè vobis, ut exhautoratos ſciretis inſanientes Arrianos, qui non profitentur ex ſubſtantia Patris eſſe Filium, neque Spiritum ſanctum, quorum nomina ſubjecimus. Polichronius, Telemachus, Fauſtus, Aſclepiades, Amantius, Cleopater. Atque hæc quidem ita in gloriam Patris, & Filii, & Spiritus ſancti in ſæcula ſæculorum. Valere vos multis annorum curriculis optamus Patri, & Filio ſervatori noſtro cum ſancto Spiritu.

Concilium Thyanenſe Catholicorum, anno Domini 365.

THyane urbs eſt Cappadociæ ad radices montis Tauri poſita, in qua Synodus habita eſt ab Euſebio Cæſareæ Cappadociæ, Athanaſio Ancyræ, Pelagio Laodiceæ, Zenone Tarſi, Paulo Emeſæ, Otreio Melitinę, Gregorio Nazianzi, aliiſque multis Epiſcopis, qui *conſubſtantialis* verbum ſervandum eſſe Antiochiæ decreverant, Joviniano imperante. Ac eo tempore celebrata fuit, quo Legati Orientalium ex Occidente diſcedentes, in Orientem venerunt, anno nimirum Chriſti 365.

[…]athius […]aſtenus […]us. Euſtathius Epiſcopus Sebaſtiæ cum aliis collegis ad eam ſe conferens, Liberii Pontificis, aliorumque Occidentalium Epiſcoporum Communicatoriis Epiſtolis oſtenſis, ad Profeſſionem fidei Nicænæ ſe obtulit, ſimulque juxta mandatum, & ſpeciales litteras Romani Pontificis hac de re ſcriptas, in ſedem ſuam reſtitui petiit. Epiſcopi verò omnes Thyanæ congregati, primæ Sedis majeſtatem, & auctoritatem veriti, non modò eum Catholica communione dignati fuerunt, ſed etiam in ſedem, à qua Acacianorum ſententia dejectus fuerat, reſtituerunt. Receptus, ſedique priſtinæ reſtitutus, relapſus eſt, quia fortaſſe, *omnia hæc ſimulatè tantùm actitaverit, Nicænamque confeſſionem ad decipiendum, larvæ dumtaxat loco, uſurpaverit*, ut dicit S. Baſilius epiſt. 74. ad Orientales ſcripta.

Addit Nicephorus lib. 10. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 9. Synodum ad univerſas ſcripſiſſe Eccleſias, Orientis ſcilicet, ut legerent Epiſtolas Liberii, Italorum, Afrorum, Gallorum, & Occidentalium, qui longè Ariminenſe Concilium ſuperabant, ut tanto ſecum conſentientium numero conſiderato, ad eorum ſententiam, & communionem accederent: necnon ut litteris ſuis ſignificarent ſe ejuſdem eſſe ſententiæ, circa Filii nempe conſubſtantialitatem.

Conciliabulum Arrianorum in Caria, anno 366.

VAlens Imperator hactenus Catholicus, in procinctu Gothico propter Procopii tyrannidem, anno Imperii ſui tertio, qui eſt Chriſti 366. feliciter debellatam, bono conſilio ſalutarem Baptiſmum expetens, uxoris Arrianæ blanditiis, peſſimo conſilio ad Arrianos tranſierat, & ab Eudoxio Arrianorum nequiſſimo baptizatus, ab eodem juramento obſtrictus fuerat, ut in impio ſuſcepto dogmate perſeveret, & di- […]ens Im- verſa ſentientes ubique Eccleſiis exigat. Cùm itaque […]t. per- impulſu Eudoxii Conſtantinopolitani iniquo furore, […]itur. non tantùm Catholicos, ſed etiam Novatianos, Macedonianos, & Semiarrianos exagitaret, & perſequeretur, Arriani eam occaſionem captantes, novas Synodos indicere, & congregare cœperunt. De hoc eorumdem Conventiculo hæc ſcribit Sozom. lib. 6. cap. 12. *Cùm autem jam Concilium Tarſi cogeretur, circiter triginta quatuor Epiſcopi Aſiani in Caria, quæ eſt regio Aſiæ, in unum congregati, ſtudium Eccleſiæ concordia ſtabilienda poſitum, probabant illi quidem, ſed tamen vocabulum*

A *conſubſtantialis rejiciebant, conſtanterque affirmabant, formulam fidei Antiochiæ, & Seleuciæ editam tenendam eſſe, quippe quæ etiam à Luciano martyre ante edita habetur, & non ſine multorum tùm periculorum, tùm laborum ſuſceptione, ab his, qui ipſos ætate anteibant, confirmata. Imperator verò, impulſu Eudoxii, Concilium, quod in Cilicia futurum expectabatur, partim literis, partim minis diremit.* Vide Baronium anno 366. num. 25.

Conciliabulum Singedunianum Arrianorum in Myſia, anno 366.

ANno Chriſti 366. Valens, & Urſacius Arrianorum fæces, unà cum collegis ſuæ perfidiæ adverſus Semiarrianos Singeduni in Myſia Conciliabulum habuerunt, quo Semiarrianos ad Formulam Ariminenſem, & Conſtantinopolitanam, qua Filius Patri tantùm abſolutè ſimilis eſſe dicitur, approbandum inducere tentarunt; atque in eum finem ad Geminium Epiſcopum Semiarrianum Epiſtolam ipſi ſcripſerunt, ab eoque reſponſoriam acceperunt; ut eo valentius Valente in ſuas partes pertracto Catholicos exagitarent. Utrumque ex lib. 1. Fragmentorum S. Hilarii exhibet Baronius anno Chriſti 366. num. 26. & 27.

B

Concilium Romanum I. ſub Damaſo, in quo Urſacius, & Valens Arriani damnati ſunt, an. 367.

C IN hac Synodo Romæ ſub Damaſi Pontificatus initio celebrata, Valens, Urſacius, cæterique manifeſtò Arriani damnati, totique orbi terrarum per litteras Pontificis denuntiati fuerunt. Sic Athanaſius ſcribit ad Epiſcopos Africanos. Hanc verò Synodum ante damnationem Auxentii Romæ coactam fuiſſe, ex verbis ejuſdem Athanaſii præcedentibus manifeſtè patet: nam prædicta Epiſtola de Auxentio multa locutus ſcripſit, ſe mirari, cur ſtudio, & opera Damaſi Papæ, cui de Auxentii hæreſibus plura ſcripſiſſet, Hæreſiarcha nondum ex Eccleſia ejectus, & depoſitus fuerit. Illo igitur tempore, quo Athanaſius Pontificem de Auxentio condemnando per litteras admonuerat, hanc in cauſa Urſacii, Valentis, aliorumque Arrianorum coactam fuiſſe, ex verbis Athanaſii patet. Sic enim ait: *Gratiam habemus & illius* (Damaſi) *pieta-*
D *ti, & cæteris, qui Romæ convenerunt, quod Urſacio, & Valente cum ſociis ſuis ejuſdem ſententiæ ejectis, concordiam Eccleſiæ conſervarint.*

Concilium Romanum II. ſub Damaſo, in quo Auxentius Mediolanenſium Epiſcopus Arrianus deponitur, & Urſicinus ſchiſmaticus damnatur, anno Domini 369.

POſt relegatum, auctoritate Conſtantii Imperatoris, & Mediolanenſis Conciliabuli, Dionyſium, ſubſtituitur Auxentius, homo ne Romanæ quidem linguæ, ſed tantùm hæreſeos peritus, ingenio vafer,
E ſerpens veternoſus, & callidus, hæreſim ſuam Mediolanenſibus civibus peroſam, Arriique nomen ipſis execrabile callidè occultans, adeò ut ab Euſebio Vercellenſi, aliiſque Catholicis Epiſcopis exagitatus, Imperatoris edictum pro ſe extorſerit. Quod cùm Hila- *Hilarius.*
rius ferendum non putaret, deceptumque Imperatorem doleret: Mediolanum, ubi agebat Imperator, profectus eſt, ut coram Imperatore Auxentii fraudes, & dolos detegeret. Sed cùm ille ſe contra denunciationem Hilarii Catholicum eſſe reſpondiſſet, Hilarius, ut turbarum auctor, edicto Imperatoris juſſus eſt Mediolano diſcedere. Hac de re, poſt Encyclicam ad omnes fideles decimo anno poſt Ariminenſe Concilium ſcriptam (hanc Hieronymus Libellum contra Auxentium nominat) Hilarius meritò conqueſtus, omnes fideles adhortatur, ne Auxentio com-

communicent. Intereà Auxentius communione ignorantis populi, & Imperatoris patrocinio fretus, dictis, factisque in Eusebium Vercellensem, Philastrium, Brixianum, aliosve Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, quos sibi adversarios passus fuerat, insultabat, Formulamque fidei Ariminensem Nicææ in Thracia constitutam, Illyricis Episcopis promulgabat.

Damasus igitur Romanus Pontifex per Athanasii, aliorumque Ægypti Episcoporum, de damnando, & deponendo Auxentio Synodalem Epistolam admonitus, Romæ Concilium hoc congregavit, atque ne latiùs serperet lethale virus, quod lento tabo proximos quosdam in Illyrico Episcopos infecerat, nonaginta Episcopos ex Italia, & Gallia convocavit, qui loco prædicto, anno Christi 369. qui est Pontificatus Damasi tertio, & Imperii Valentiniani, & Valentis sextus, congregati, Auxentium Mediolanensis Ecclesiæ invasorem Arrianum condemnarunt, Episcopatu deposuerunt, atque sub pœna anathematis vitari decreverunt. Ad Illyrici Episcopos, quos ille magna ex parte seduxerat, Synodalem miserunt epistolam, qua Auxentius Pontificia, & Synodali sententia condemnatur, & sub pœna excommunicationis, & depositionis ad Catholicam veritatem redire monentur. Decreta hujus Concilii confirmantur, teste Athanasio ad Epict. *Diversis Conciliis per Galliam, Hispanias, & Romæ celebratis, omnes, qui in eo Conventu fuere, istos lucifugas, qui sese etiamnum occultant, &, quæ Arrii sunt, sapiunt, Auxentium dico Mediolanensem, Ursacium, Valentem, & Cajum Pannonem communi calculo, unius Spiritus incitatu, anathemate percusserunt.*

Auxentius quamquam Synodali judicio hoc anno condemnatus esset, non tamen ante 374. annum Christi, sede Mediolanensi exturbari potuit, ideò, quòd Imperator per summam nequissimi hominis simulationem deceptus, illi de hæresis infamia calumniam inferri existimaret. Nisi enim eum summa Imperatoris suffulsisset auctoritas, quo pacto ipse tot Conciliis damnatus, & à populo Mediolanensi, ut hæreticus derelictus, subsistere potuisset? Eumdem, invitis quoque magistratibus, hanc sedem usque ad obitum detinuisse, ex eo exploratum videri potest, quòd Ambrosius à Probo ad eam Provinciam administrandam missus, agens Mediolani, eum, quem execrabatur, pati coactus fuerit. Post quinquennium Auxentio è vivis sublato, Ambrosius, cui Probus Præfecturam administraturo dixerat: *Vade, age, non ut Judex, sed ut Episcopus,* diu, multumque reluctatus, in Episcopatu Mediolanensi suffectus fuit. In hac eadem Synodo Ursicinum schismaticum, crebrius in Damasum studia renovantem, rursus damnatum fuisse, constat ex epist. Valentiniani Imp. apud Baronium anno prædicto.

Ambrosius.

Concilium Romanum III. sub Damaso, in quo Apollinaristarum hæresis damnata fuit, anno 373.

HAnc Synodum ante annum Domini 373. qui est Damasi septimus, Valentiniani, & Valentis decimus, non fuisse celebratam, duæ rationes evincunt. Una, quòd, teste Sozomeno, huic Concilio interfuerit Petrus Alexandrinus, Athanasii anno 372. defuncti successor, qui ex persecutione Arrianorum post Lucii iniquissimi Arriani ingressum concitata, nonnisi prope finem anni 372. Romam venerat. Altera, quòd tertia Legatio Basilii ad Damasum, hæresim Apollinaristarum damnari petentis, anno Christi 372. contigerit, quodve ante hæc tempora, non tantùm Basilius, & Gregorius Nazianzenus, sed etiam Damasus, atque Hieron. Apollinarem Hæreseos auctorem, virum pium, atque eruditum existimaverint, cumque eo usque ad præsens tempus litterarum consuetudine communicarint. Postquam verò Pontifex per epistolam Basilii 74. quam Legatio tertia Romam attulerat, Apollinaris hæresim cognovisset, probabile est, hoc anno statim sine mora adversum eum Synodum coegisse, eumque cum suæ hæreseos sectatoribus condemnasse, & excommunicasse, ne habita cum Hæresiarcha per litteras communio Pontificem in suspicionem mutuæ societatis cum Apollinari induceret. Vide Baronium anno prædicto num. 1.

A

Causa verò hujus Romæ celebrati Concilii hæc est: Vitalis in Christo carnem, & mentem fuisse, dolosè confessus (per mentem enim, Divinitatem Christi intelligebat) in communionem Catholicam susceptus fuerat. Sed cùm fraus, & dolus impostoris hæretici animadversa fuisset: *Damasus* (ait Gregor. Nazianz. ep. 2. ad Hellen.) *cùm posteà rectiùs edoctus fuisset, simulque in pristinis ipsos expositionibus perstare audiißet, eos ab Ecclesiæ cœtu abdicavit, fideique libellum* (oblatum scilicet ante Romæ) *cum anathematismo delevit.* Ita igitur hoc Concilio cum ipsa hæresi, hæresis auctor Apollinaris, Vitalis, & Timotheus ejusdem discipuli, ac sectarii meritò condemnati. Qua de re hæc Sozomenus lib. 6. cap. 25. *Hanc quidem Apollinaris hæresim apud multos serpere, Damasus Episcopus Romanus, & Petrus Episcopus Alexandrinus certiores facti, primi omnium Concilio Romæ convocato, eamdem alienam esse ab Ecclesia Catholica pronuntiarunt.* Apollinarem cum Timotheo ejus discipulo, hac Synodo condemnatum fuisse, Damasus Episcopis Orientalibus, per litteras ad eos scriptas, & à Theodoreto lib. 2. cap. 22. relatas significavit.

Ficti *tici.*

B

Qui sacrosanctam Nicænam fidem violarant, sive viventes essent, sive defuncti, omnes hac eadem Synodo, teste Justiniano Imperatore in epist. ad Joannem Romanum Pontificem, excommunicati fuerunt. *Quidam*, inquit, *ex ipsis, qui in Nicæna sancta Synodo convenerunt, & expositæ ab ea fidei definitioni, vel Symbolo subscripserunt, quoniam posteà contraria sapientes apparuerunt, alii quidem vivi, alii autem post mortem anathematizati sunt à Damaso sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, &c.* Millenariorum antiqua hæresis per Apollinarem restaurata, in ipso ita condemnata fuit, ut posthac omninò conticuerit, nec amplius audita fuerit. Vide Baron. anno 373. n. 1. usque ad 14.

C

Contra Apollinarem, & contra ejus falsa dogmata S. Gregor. Nazianz. decem infrascriptos anathematismos constituit, orat. 51. seu epist. ad Cledonium.

Apol *heres*

Si quis S. Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est.

D

Si quis Christum per Virginem, tanquam per canalem, decurrisse, ac defluxisse, ac non in ea divino modo, quia absque viri opera; humano, quia procreationis lege formatum esse dixerit, in simili impietate versatur.

Si quis creatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse pronuntiaverit, damnationi obnoxius est.

Si quis duos Filios, alterum ex Deo, & Patre, alterum ex matre, non autem unum, eundemque induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est.

Si quis Divinitatem in eo velut in Propheta per gratiam operatam fuisse, ac non secundum essentiam connexam fuisse, atque connecti dixerit, divino afflatu careat, immo contrario impleatur.

Si quis cruci affixum non adoret, anathema sit, atque in eorum, qui Deum interemerunt, numerum adscribatur.

E

Si quis eum ex operibus perfectionem affecutum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem à mortuis, in Filium adoptatum fuisse dixerit, quemadmodum quos Græci Deos adscriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id, quod cœpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus est: tametsi hæc de eo idcircò dicantur, quòd paulatim hominibus innotuerit.

Si quis sanctam carnem nunc exutam, & abjectam, Divinitatemque corpore spoliatam esse, non autem cum assumpta parte & esse, & venturam esse dixerit, præsentiæ illius gloriam non cernat.

Si quis carnem è cœlo descendisse, & non hinc, atque

atque à nobis esse dixerit, anathema sit.

Si quis in hominem mente carentem speret, amens professò est, nec dignus, qui totus salute donetur.

Præterà ex epistola illa Athanasii, quam adversus errores Apollinaris scripsit ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, constat, eundem Hæresiarcham asseruisse, carnem Christi de cœlis descendentem Verbo coæqualem esse, Verbumque sic carnem factum, ut in ipsam carnem mutatum fuerit. Hos errores primus omnium Athanasius impugnans, non tantùm prædictam Epistolam, sed etiam egregios illos Commentarios de Christi incarnatione, & salutari ejusdem adventus editos conscripsit. Sanctus Hieronymus epistola 82. ad Oceanum, eundem cum Tertullianistis de origine animarum sensisse, eas ex traduce generari, atque instar corporum ex corporibus, ex animabus animas pariter propagari. De eodem quoque Theodoretus lib. 4. Hebr. fabul. habet, quòd non tantùm divinarum personarum proprietates, verùm etiam ipsas personas instar Sabellii confuderit. Sunt & alia, quæ Apollinaris impiè sensit, de quibus vide Auctores apud Baron. anno 349. an. 25. & 26. item 373. num. 15.

Ex eodem Concilio missa est professio fidei ad Paulinum Antiochenum, quæ dicta est libellus Occidentalium, & lecta est in Concilio Constantinopolitano primo, ubi habetur integra parte 2. vide in 2 classe. Ne hic repetatur.

CONCILIUM VALENTINUM GALLIÆ sub Damaso Papa primo, æra 413. anno Christi 374.

Valentia Allobrogum (qui nunc Sabaudienses, & Pedemontani vulgo dicuntur) civitas est in Gallia Transalpina, juxta Viennam ad Rodanum sita, vulgo, Valence, dicta. De qua Plinius lib. 3. cap. 4. Ptol. lib. 3. cap. 9.

Tituli Capitulorum Concilii Valentini.

1. *De digamis non consecrandis.*
2. *Ut devota, si se maritaverit, aut mœchata fuerit, pœnitentia deputetur.*
3. *Circa eorum verò personas, qui se post unum, & sanctum lavacrum, vel prophanis sacrificiis dæmonum, vel incesta lavatione polluerunt.*
4. *Et Sacerdos, vel Levita, si de se crimen aliquod confitetur, deponatur.*

Capitula Concilii Valentini.

Dilectissimis fratribus per Gallias, & quinque Provincias constitutis Episcopis, Fegadius, Emerius, Florentius, Artemius, Æmilianus, Britto, Justus, Evodius, Rodamius, Evortius, Chrestus, Concordius, Constantinus, Paulus, Anterius, Felix, Neuterius, Nicetius, Urbanus, Simplicius, & Vincentius Episcopi in Domino salutem. Transactis Valentiæ omnibus, & in Dei nomine in statu meliore compositis, quæ fuerunt cœpta causa dissidii, quorumdam fuit Patrum utilis, & religiosa suggestio retractata de his, quæ nec recipere possumus ob Ecclesiæ sanctitatem, nec tamen usquequaque consuetudinis causa damnare. Ita enim per omnes Ecclesias ejusmodi vitiorum germen inolevit, ut ad plena remedia non facilis sit recursus, certè non sine verecundia eorum, quibus causa contigit. Quocirca, fratres, librato diu, moderàtoque consilio, ea cautelę ratio servata est, quæ & scandala submoveret, & sanctitatem Ecclesiæ custodiret.

1. Sedit ergo, neminem post hanc Synodum, qua ejusmodi illicitis, vel sero succurritur, de digamis, aut internuptarum maritis ordinari clericos posse, nec requirendum, utrum ne initiati Sacramentis divinis, an ne gentiles hac se infelicis sortis necessitate maculaverunt, cum divini præcepti sit forma. Sed quia fratrum nostrorum, vel imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam præsumptionem damnare non possumus, nec per omnes Ecclesias, quæ sunt jampridem malè gesta, corrigere: placuit etiam de eorum statu, qui prius ordinati sunt, nihil revolvi, si nulla extrinsecus causa procedit, qua indigni ministerio comprobentur.

2. De puellis verò, quæ se Deo voverunt, & præclari nominis decore floruerunt, si ad terrenas nuptias spontè transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut pœnitentes non statim ad pœnitentiam recipiantur: & cum data tamen fuerit, nisi plenè satisfecerint Deo, in quantum ratio popoścerit, eisdem communio differatur. *Pœnitentia 3. absolutio.*

3. Circa eorum verò personas, qui se post unum, & sanctum lavacrum, vel prophanis sacrificiis dæmonum, vel incesta lavatione polluerunt, eam censuræ formam duximus esse servandam, ut his, juxta Synodum Nicænam, satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel solatii janua desperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo planè sperare debebunt, qui ejus largitatem & solus obtinet, & tàm dives misericordia est, ut nemo desperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. *Nicena Syn. c. 11.*

4. Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicunque sub ordinatione, vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, supra dictis ordinationibus submovendos, reos scilicet, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest is, qui in seipsum dixerit, quod dictum in alios puniretur, cum omnis, qui sibi fuerit mortis causa, major homicida est. Divina pietas vos in æternum custodiat, dilectissimi fratres. *Sap. 1.*

Decretum, sive statutum unum Concilii Valentini ex Gratiano. Nisi ut meliora prospiciat, rem Ecclesiæ non liceat distrahere Episcopo.

Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Sacerdotum. *Art. 4. c. 32.*

Aliud decretum Valentinum. Non nisi à propriis Episcopis Presbyteri chrisma petant.

Presbyteri, qui Diœcesanas Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suo, non per juniorem clericum, sed per seipsos, aut per illum, qui ejusdem ordinis sit, ante Paschæ solemnitatem chrisma petant.

Et subscripserunt triginta Episcopi, qui in eo Concilio convenerunt.

Concilium Antiochenum in causa schismatis Antiocheni sub Damaso, anno Domini 377.

Gregorius Nyssenus in Epist. ad Olimpium Monachum, de vita, obituque S. Macrinæ sororis, scribit, Orthodoxos Orientales Episcopos, per Edictum Valentis ab exilio relaxatos, suisque Ecclesiis sanctione Gratiani Imperatoris restitutos, nono mense post obitum S. Basilii, Antiochiæ convenisse, ut prostratæ Orientali Ecclesiæ paribus votis, ac suffragiis consulerent, & auxilium ferrent: *Post hanc jacturam* (nempe obitus S. Basilii Episcopi Cæsareæ Cappadociæ) *nonus mensis*, inquit, *aut paulò ampliùs cùm Episcoporum Concilium indictum est Antiochiæ, cui nos item interfuimus.* Cùm igitur auctoritate ejusdem Gregorii, & Hieronymi certum sit, Basilium in exor-

exordio anni 378. ipsis nimirum Calend. Januarii, vita defunctum esse, hoc Antiochenum Concilium anno præcedente, mense Septembri, celebratum fuisse, necessario est concedendum.

Tres Ep. Antioch. simul. Causa verò congregandi tale Concilium fuit, quod Antiochena Ecclesia à tempore obitus Juliani Apostatæ, diro, ac periculoso admodum schismate exagitata fuit. Principio enim tres Episcopi erant in una civitate, nempe Meletius ab Arrianis; Euzojus in locum Meletii depositi; & Paulinus à Lucifero Calaritano Episcopo Sedis Apostolicæ Legato institutus. Cum Meletio communicabant Catholici, illi dumtaxat, qui ab Arrianis baptizati fuerant. Alii verò Catholici Eustathiani, qui fidem Catholicam perpetuò servarant, quòd Meletius ab Episcopis Arrianis Episcopus creatus fuerat, quodque ejusdem fautores Catholici ab Arrianis baptizati essent, eum fugientes, cum Paulino à Lucifero Calaritano Episcopo, & Legato Sedis Apostolicæ instituto, ideò quod is nullà umquam vel tenui suspicione pollutæ fidei Catholicæ laborasset, sed eam potiùs magna laude inter tot, tantaque discrimina propugnasset, communicarunt. Aliarum verò Ecclesiarum Episcopi, alii Meletio, alii Paulino favebant. Illius electionem Basilius, hujus verò institutionem, post Alexandrinum Concilium sub Liberio habitum, approbavit Damasus, eamque causæ, & electioni Meletianæ prætulit.

Cùm igitur hoc schismate Antiochena Ecclesia per annos quindecim exagitata, universam propè Ecclesiam in periculum schismatis induxisset, jamque Euzojo Arriano per mortem sublato, ea, quæ majoris erat periculi, Catholicorum dumtaxat discordia restaret, atque neutra pars alteri cederet, hac Synodo indicta, illud remedium est excogitatum, ut inter utramque partem transigeretur hac ratione, ut cum alteruter, Paulinus, vel Meletius, prior ex hac vita decederet, qui superstes esset, in locum demortui, nullo alio creato Episcopo successore, solus illius Ecclesiæ Antistes remaneret. Ad quod præstandum jurejurando adegerunt sex primores Ecclesiæ illius Presbyteros, qui propinquiores ad eum gradum consequendum esse viderentur. Quod cum utrique parti placuisset, schisma Antiochenæ Ecclesiæ sublatum fuit. Ita Socrates lib. 5. cap. 5. Sozomenus lib. 5. cap. 3. Theodoretus post obitum Meletii, partes sectatus Flaviani schismatici, qui contra præstitum juramentum in locum defuncti suffectus erat, in gratiam illius res in hoc Concilio gestas, aliter, quàm se habent, narravit, & contra adversarium ejus Paulinum malè congessit. Cujus rei manifestum satis indicium præbet illa Epistola Synodalis, quam Damasus ad Paulinum scripsit, in qua ille pro *Paulino Antiocheno*, scripsit, *Paulinum Thessalonicensem*.

Престереà etiam ad visitandas Orientis Ecclesias, easque sublevandas, & in fide Catholica confirmandas, decretæ sunt complures Legationes, illique, qui præclarioris nominis Synodo intererant, electi sunt, Gregorius Nyssenus, Eusebius Samosatenus, Gregorius Nazianzenus, atque Meletius Antiochenus, qui ad ruinas Ecclesiæ restaurandas profecti, amotis Arrianis, Catholicos ubique locorum substituerunt. Vide Baronium anno 374. num. 35. usque ad 55.

CONCILIUM I. CONSTANTINOPOL. Generale 2. anno 381.

Habetur in 2. classe.

CONCILIUM AQUILEJENSE

contra duos Episcopos Arrianos celebratum, Palladium, & Secundianum, præside D. Ambrosio, anno Domini 381.

PAlladius, & Secundianus Episcopi Arriani cum vellent intrudere quemdam Arrianum in sedem A Sirmiensem, malè audierunt, ac de hæresi Arrianà palam infamati sunt, & extra Ecclesiam pulsi. Ac cum hujusmodi homines nihil magis refugerent, quàm ut Arriani haberentur, Gratianum Imperatorem Sirmium venientem constanter interpellarunt, ut ad sui purgationem generale Concilium à Pontifice indici curaret. Sed D. Ambrosius continuo intercessit, indignum judicans, ut propter duos cariosos hæreticos Justinæ Valentini senioris conjugis patrocinio fretos totus orbis commoveretur. Acquiescens ei Imperator indixit, ut finitimi Episcopi convenirent, præcipiens præsidibus, ut venientes publicis expensis deducerentur, & alerentur, facta reliquis Episcopis potestate conveniendi, si vellent. Unde triginta duo convenerunt omnes virtute sublimes, ex Orientalibus nul- B lus adfuit, quod non esset generale Concilium: ex Hispania quoque nullus, quod turbata esset à Priscilliano, cujus hæresis plerasque ejus Diœceses jam pervaserat. Quarum rerum pleraque patent ex ipsis actis, licèt mutila sint, nec quicquam habeant, nec de damnatione Secundiani Episcopi, nec Attali Presbyteri. Horum tantùm hìc specimina aliqua dabimus, ut præcipua argumenta in eo Concilio agitata appareant, & tergiversationes Arrianorum, qui quidem Christum verum Dei Filium confitebantur, non tamen Deum verum. De quibus fusè apud Baronium anno 381. qui ipsa acta illustrat, & ex eo Binius.

Ex quibus actis etiam confutari potest Calvinus lib. 4. instit. cap. 7. num. 22. ubi vocat hoc Concilium Universale, cui, inquit, Romanus Pontifex non inter- C fuit. Præerat Ambrosius, qui tunc insigni authoritate pollebat apud Cæsarem. Nulla illic Pontificis Romani fit mentio. Ergo tunc Ambrosii dignitate factum est, ut illustrior esset Mediolanensis sedes, quàm Romana. Sed mirum est, quot mendaciis scateant, quæ scripsit Calvinus de Conciliis. Istius acta si legisset, manifestè agnovisset non fuisse universale, cum de hoc conqueratur Palladius, ac sæpe respondere nollet, quod non esset universale Concilium. Quisquis verò Episcoporum præsit in Provincialibus Conciliis, non derogat authoritati Summi Pontificis, quamvis nec sine authoritate illius præfuerit D. Ambrosius, etsi ea de re mentio non habeatur, cum omnia non scribantur.

D

Ex actis Concilii Aquilejensis.

SYagrio, & Eucherio viris clariss. Consulibus, Nonis Septembris Aquilejæ in Ecclesia considentibus, cum Episcopo Aquilejensium civitatis, Valeriano, Ambrosio, Eusebio, Limenio, Amenio, Savino, Abundantio, Artemio, Constantio, Justo, Filastro, Constantio, Theodoro, Almachio, Domino, Amantio, Maximo, Felice, Basiliano, Numidio, Januario, Proculo, Heliodoro, Jovino, Felice, Exuperantio, Diogene, Maximo, Macedonio, Cassiano, Marcello, & Eustachio Episcopis.

Ambrosius Episcopus dixit: Diu citrà acta tractavimus. Et quoniam tanta sacrilegia à parte Palladii, & Secundiani nostris auribus ingeruntur, ut difficilè quis- E que credat, tàm apertè eos blasphemare potuisse, vel ne qua ipsi calliditate dicta sua postea negare conentur, licèt de tantorum Sacerdotum testificatione dubitari non queat: tamen, quoniam omnibus Episcopis placet, fiant acta, ut unusquisque professionem suam negare non possit. Quid ergo vobis sancti viri placeant, declarandum est. Omnes Episcopi dixerunt. Placet.

Ambrosius Episcopus dixit: Disceptationes nostræ ex re firmandæ sunt scripto Imperat. ut allegentur.

Sabinianus Diaconus recitavit Epistolam Imperatoris, qua testatur se antistites Aquilejam vocasse, ut, videlicet à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem discordis eruditionis repugnantia solvetur.

tur. Neque sanè nunc aliter jubemus, ac jussimus, non invertentes præcepti tenorem, sed superfluam convenarum copiam recolentes. Nam quod Ambrosius & vitæ, merito, & Dei dignatione conspicuus Episcopus Mediolanensium civitatis, ibi multitudine non opus esse suggerit, ubi veritas non laboraret in pluribus, seque eorum, qui contra astarent, assertionibus, & Sacerdotes vicinarum ex Italia civitatum satis, abundeque sufficere posse suggerit: abstinendum venerabilium virorum fatigatione censuimus, ne quis vel maturo ævo gravis, vel corporali debilitate confectus, vel laudabili paupertate mediocris insuetas repetent terras, & reliqua.

Ambrosius Episcopus dixit: Ecce quod Christianus constituit Imperator. Noluit injuriam facere Sacerdotibus, ipsos interpretes constituit Episcopos. Ac per hoc, quoniam in Sacerdotali Concilio consedemus, responde ad ea, quæ tibi proponuntur. Arrii Epistola lecta est, etiam nunc recitabitur, si tibi videtur, à principio habet blasphemias, solum Patrem Æternum dixit: Si tibi videtur, quòd Dei Filius sempiternus non sit, hoc ipsum (quemadmodum vis) astrue. Si damnandum putas, damna Euangelium. Præsens est & Apostolus, omnes scripturæ præstò sunt, undè vis astrue, si putas non esse Dei Filium sempiternum.

Palladius dixit: Vestro studio factum est (sicut dictat lectio sacra à vobis prolata) ut non esset generale, & plenum Concilium. Absentibus Sacerdotibus nostris, nos respondere non possumus.

Ambrosius Episcopus dixit: Qui sunt consortes vestri?

Palladius dixit: Orientales Episcopi.

Ambrosius Episcopus dixit: Interim quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium, Occidentales in Occidente: nos in Occidentis partibus constituti convenimus ad Aquilejensium civitatem juxta Imperatoris præceptum. Denique etiam præfectus Italiæ litteras dedit, ut si vellent convenire, in potestate haberent. Sed quia sciérunt consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non esse veniendum.

Pal. dixit: Imperator noster Gratianus jussit Orientales venire, negas tu jussisse eum? Ipse Imperator nobis dixit, se Orientales jussisse venire.

Amb. Episc. dixit: utique jussit, qui non prohibuit huc venire.

Pal. dixit: Ut non venirent, tua petitio fecit, sub specie falsæ voluntatis hoc impetrasti, & distulisti Concilium.

Ambrosius Episcopus dixit: Non opus est evagari diutius, responde nunc. Bene dixit Arrius, solum æternum Patrem, & secundum scripturas hoc dixit, an non?

Pal. dixit: Non tibi respondeo.

Episcop. Bononiensis. Eusebius Episcopus dixit: Sed debes simpliciter fidei tuæ prodere libertatem. Si te gentilis exigeret, quemadmodum in Christum crederes, confiteri, erubescere non deberes, &c.

Amb. Episc. dixit: Sequestrata sit causa Orientalium, sententiam tuam hodie quæro. Arrii tibi epistola lecta est. Soles te Arrianum negare. Aut damna hodie Arrium, aut defende.

Pal. dixit: Non est hoc authoritatis tuæ, ut hoc à me quæras.

Eusebius Episcop. dixit: Non credimus religiosum Imperatorem aliud dixisse, quàm scripsit. Episcopos jussit convenire, non potuit tibi soli contra rescriptum suum dicere, ut sine Orientalibus causa minimè diceretur.

Pal. dixit: Si Itali soli jussi sunt convenire?

Evagrius Presbyter, & legatus dixit, ut ante quatuor dies, & ante biduum responderet se affuturum.

A Quid ergo expectabas (ut dicis) Orientalium consortium tuorum sententiam expectandam, sic debuisti mandare, non promittere conflictum?

Pal. dixit: Quia quasi ad Concilium plenum veneram, vidi non meos consortes convenisse: ut convenirem, & dicerem, secundum jussionem egeritis in præjudicium futuri Concilii.

Ambros. Episc. dixit: Ut hodie resideremus, ipse exegisti. Denique etiam hodie tu ipse dixisti: quia Christiani ad Christianos venimus. Christianos nos probasti. Promisisti te conflictaturum, promisisti te allaturum esse rationem. Libenter itaque accepimus præfationem tuam. Optavimus, ut quasi Christianus venires. Obtuli tibi Epistolam Arrii, quam scripsit Arrius, de cujus nomine dicitis vos injuriam frequen- B ter sustinere. Dicitis, quod Arrium non sequamini. Hodie aperta debet esse sententia. Aut condemna illum, aut astrue quibusvis lectionibus. Et addidit: Ergo juxta epistolam Arrii Christus Dei Filius non est sempiternus?

Pal. dixit: Nos diximus, probaturos nos Christianos, sed in Concilio pleno. Non vobis respondemus omnino in præjudicium Concilii futuri.

Eusebius Episc. dixit: Sine calliditate fidei tuæ professionem debes exponere.

Pal. dixit: Et quid Concilio reservamus?

Amb. Episc. dixit: Omni ori condemnatio facta est in eum, qui negaret Dei Filium sempiternum. Negavit Arrius, hunc sequitur Palladius, qui non vult condemnare Arrium. Itaque utrum hujus probanda C sententia sit, considerate, & utrum secundum scripturas dicat, aut contra scripturas intelligere liquet. Lectum est enim, *Sempiterna virtus Dei, atque divinitas*, Dei virtus Christus est. Si igitur sempiterna Dei virtus est, sempiternus utique Christus est, quia Christus est Dei virtus. ad Rom. 1.

Euseb. Episc. dixit: Hæc fides nostra est, hæc intelligentia Catholica. Qui hæc non dixerit, anathema.

Omnes Episcopi dixerunt: anathema.

Eusebius Episcopus dixit: Specialiter dicit solum Patrem sempiternum, & Filium aliquando cœpisse?

Pal. dixit: Arrium nec vidi, nec scio, qui sit.

Euseb. Episc. dixit: Arrii blasphemia prolata, in qua negat Dei Filium sempiternum. Hanc perfidiam da- D mnas cum authore, aut asseris?

Pal. dixit: Ubi authoritas pleni Concilii non est, non dico.

Amb. dixit: Dubitas damnare post divina judicia, cum crepuerit medius? Et addidit: Dicant enim sancti viri legati Gallorum.

Constantius Episcopus, & Legatus Gallorum dixit: Hanc impietatem ejus hominis & semper damnavimus, & nunc damnamus, non solùm Arrium, sed & quicumque Filium Dei non dixerit sempiternum.

Ambros. Episc. dixit: Quid etiam dicit Dominus meus Justus?

Justus Episcopus, & Legatus Gallorum dixit: Qui Filium Dei coæternum cum Patre non confitetur, E anathema habeatur. Omnes Episcopi dixerunt: anathema.

Ambrosius Episcop. dixit: Dicant etiam Aphrorum legati, qui omnium civium huc attulere sententias.

Felix Episcop. & legatus dixit: Si quis Filium Dei negaverit, & sempiternum, & coæternum negaverit, non solus ego legatus totius Aphricanæ Provinciæ damno, sed & cunctus chorus Sacerdotalis, qui ad hunc cœtum sanctissimum me misit, etiam ipse ante damnavit.

Amenius Episcopus dixit: Caput Illirici, non nisi civitas est Syrmiensis. Ego igitur Episcopus illius civitatis sum. Eum, qui non confitetur Filium Dei æternum, & coæternum Patri, quod est sempiternum, ana-

anathema dico, sed etiam is quidem non confitetur.

Amb. Episc. dixit: Audite sequentia. Et recitatum est: Solum æternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem.

Ambros. Episcop. dixit: Et in hoc damna eum, qui
1.Joan.1. negat Filium Deum verum. Cum enim ipse sit veritas, quemadmodum non est Deus verus? Et addidit: Quid est hoc?

Tergiversatio Palladii.

Pal. dixit: Filium verum quis non dicat?

Amb. Episc. dixit: Arrius negavit.

Pal. dixit: Cum Apostolus dicat, Christum super omnia Deum, potest aliquis negare verum Filium Dei?

Amb. Episcop. dixit: Ut scias quàm simpliciter veritas à nobis requiratur, ecce dico ego, ut dicis, sed semiplenum habeo. Cum enim ita dicis, videris negare Deum verum: si autem simpliciter confiteris verum Deum Filium Dei, eo ordine astrue, quo ipse propono.

Pal. dixit: Ego secundum scripturas tibi loquor, verum Filium Dei Dominum dico.

Ambros. Episc. dixit: Verum Dominum dicis, Filium Dei?

Pal. dixit: Cum verum Filium dicam, quid amplius?

Ambros. Episcop. dixit: non quæro tantummodò, ut verum Filium dicas, sed ut verum Dominum Dei filium dicas.

Eusebius Episcopus dixit: Christus Deus verus est, secundum omnium fidem, & Catholicam professionem.

Pal. dixit: Verus Dei Filius est.

Eusebius Episc. dixit: Nam & nos per adoptionem filii sumus, ille secundum proprietatem generationis divinæ. Et addidit: Confiteris ergo verum Filium Dei, Dominum verum esse, secundum nativitatem, & proprietatem?

Pal. dixit: Verum Dei Filium unigenitum dico.

Euseb. Episcop. dixit: Hoc ergo putas contra scripturas, si Christus Deus verus est, dicatur?

Cumque Palladius reticeret, Ambrosius Episcopus dixit: solum verum Filium Dei qui dicit, & non vult dicere Dominum, verum videtur negare. Hoc igitur ordine confiteatur, si tamen confitetur Palladius, & dicat, utrum verum Dominum Dei Filium dicat.

Pal. dixit: Cum dicat Filius: *Ut cognoscant te so-*
Joan. 15. *lum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, cum affectu, an veritate?

Amb. Episcop. dixit: Joannes dicit in epistola sua,
1.Joan.5. *Hic est verus Deus*. Nega hoc.

Pal. dixit: Cum dicam tibi verum Filium, profiteor veram etiam divinitatem.

Ambros. Episcop. dixit. Et in hoc est fraus. Sic enim soletis dicere, unam, & veram divinitatem, ut Patris tantummodo, non etiam filii veram, & unam divinitatem dicatis. Ergo si apertè vis dicere, quia ad scripturas me provocas, dic, quod dixit Euangelista Joannes. *Hic est verus Deus*, aut nega dictum.

Pal. dixit: Absque filio alius genitus non est.

Euseb. Episcop. dixit: Christus verus Deus secundum omnium fidem, & Catholicam professionem. An in sententia tua Deus verus non est?

Pal. dixit: Virtus Dei nostri est.

Amb. Episc. dixit: Non habes libertatem profitendi, ac per anathema, ei, qui non confitetur verum Filium Deum Dei. Omnes Episcopi dixerunt: anathema habeatur, qui Christum Filium Dei, Dominum verum non dixerit. Iterum addidit: Solum verum, solum immortalitatem habentem.

Amb. Epis. dixit: Filius Dei habet immortalitatem, aut non habet secundum divinitatem?

1.Tim.6. Pal. dixit: Apostolum admittis, an non? *Rex regum, qui solus habet immortalitatem.*

A Ambrosius Episcopus dixit: De Christo Filio Dei quid dicis?

Pal. dixit: Christus nomen divinum est, an humanum?

Euseb. Episcopus dixit: Secundum carnis quidem Sacramentum Christus dicitur, sed idem Deus, & homo est.

Pal. dixit: Christus nomen carnis est, Christus nomen humanum est, & respondete vos mihi.

Eusebius Episcopus dixit: Quid superfluis immoraris? Cum legeretur impietas Arrii, qui hoc dicit de Patre, quia solus habet immortalitatem, attulisti testimonium ad consensum impietatis Arrii ex Apostolo, dicens: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem*
B *inaccessibilem habitat*. Sed si intelligis, totius naturæ dignitatem in Dei nomine expressit, siquidem in Dei nomine Pater, & Filius designantur.

Pal. dixit: Et ego vos quod interrogavi, respondere noluistis.

Amb. Episc. dixit: Apertè de te sententiam quæro: Filius Dei habet immortalitatem secundum generationem divinam, an non habet?

Pal. dixit: Secundum generationem divinam incorruptibilis, & per carnem mortuus est.

Amb. Epis. dixit: Non divinitas mortua est, sed caro mortua est.

Pal. dixit: ante vos mihi respondete.

Amb. Episc. dixit: Filius Dei secundum divinitatem habet immortalitatem, an non habet? Sed etiam fraudes, & insidias tuas, non secundum Arrii profes-
C sionem prodidisti. Et addidit: Qui Filium Dei negat habere immortalitatem, quid vobis videtur? Omnes Episcopi dixerunt: anathema habeatur.

Pal. dixit: Status divinus immortalis est.

Amb. Episc. dixit: Astute & hoc, ut de Dei Filio nihil exprimas evidenter. Et ego dico, immortalitatem habet Dei Filius secundum divinitatem? aut nega, quia non habet immortalitatem.

Pal. dixit: Christus mortuus est, an non?

Amb. Episcopus dixit: Secundum carnem anima nostra non moritur: Scriptum est enim: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Cum igitur anima nostra mori non possit, putas, quod Christus secundum Divinitatem mortuus sit?

Pal. dixit: Mortis appellationem quare tu horres?

D Amb. Episc. dixit: Imò non horreo, sed confiteor secundum carnem meam. Est enim, per quam à mortis vinculis sum revinctus.

Pal. dixit: Mortem separatio facit spiritus. Nam Christus Filius Dei carnem suscepit, & per carnem mortuus est.

Ambros. Episcopus dixit: Scriptum est, Christum passum. Secundum carnem igitur passus est, secundum divinitatem habet immortalitatem. Hoc qui negat, diabolus est.

Pal. dixit: Ego Arrium non novi.

Amb. Episcop. dixit: Ergo malè dixit Arrius, cum etiam Filius Dei habeat immortalitatem secundum divinitatem. Et addit, bene dixit, an malè?

Pal. dixit: Non consentio.

Amb. Episcop. dixit: Cui non consentis? Anathe-
E ma illi, qui non explicat fidei libertatem. Omnes Episcopi dixerunt: anathema.

Pal. dixit: Dicite, quod vultis, ejus est divinitas immortalis.

Amb. Episcop. dixit: Cujus? Patris, an & Filii? Et addidit: Multas impietates congessit Arrius, ad alias transeamus. Et recitatum est, solum sapientem, &c. In hunc modum acta exhibent mutuas altercationes similes circa sapientiam, potentiam, & alia divina Christi attributa.

Euseb. Epis. dixit: Nisi impietatem Arrii ex ordine damnaveris, interrogādi tibi non dabimus facultatem.

Pal.

Pal. dixit: Non tibi respondeo.

Ambr. Episcop. dixit: Filius Dei (sicut lectum est) judex est, an non?

Pal. dixit: Si non respondes mihi, ego tibi ut impio non respondeo.

Amb. Episcop. dixit: Habes professionem meam, qua respondebo tibi. Interim perlegatur epistola Arrii. Et addidit: In epistola Arrii invenies & hoc sacrilegium, quod tu moliris.

Pal. dixit: Ego quæ interrogo, non respondetis.

Eusebius Episc. dixit: Filium Dei Deo æqualem dicimus.

Pal. dixit: Tu judex es, tui exceptores hic sunt.

Amb. Episc. dixit: Scribunt tui, qui volunt.

Pal. dixit: Pater major est, an non?

Euseb. Episc. dixit: Secundum divinitatem æqualis
Joan. 5. est Filius Patri. Habes in Euangelio, quod Judæi persequebantur eum, quia non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Quod ergo impii persequentes confessi sunt, nos credentes negare non possumus.

Philip. 2. Amb. Episc. dixit: Et alibi habes: *Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, obediens usque ad mortem.* Et addit: Vides, quia in forma Dei æqualis est? Et formam, inquit, servi accepit. In quo ergo minor est? Secundum formam utique servi, non Dei.

Euseb. Episc. dixit: Sicut in forma servi constitutus, inferior servo non fuit: ita in forma Dei constitutus, inferior Deo esse non potuit.

Amb. Episc. dixit: Aut dic, quia secundum divinitatem minor est Filius Dei.

Pal. dixit: Pater major est.

Amb. Episc. dixit. Secundum carnem.

Pal. dixit: Qui me misit, major est me. Caro missa est à Deo, aut Filius Dei?

Amb. Episc. dixit: Falsari à vobis divinas scripturas
Joan. 14. hodie comprobamus. Sic enim scriptum est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Non turbetur cor vestrum. Non quomodo hic mundus dat, & ego do vobis. Si diligeretis me, gauderetis, quia dixi. Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Non dixit, Qui me misit, major me est.

Pal. dixit: Pater major est.

Amb. Episc. dixit: Anathema illi, qui divinis scripturis addit aliquod, aut minuit. Omnes Episcopi dixerunt: anathema.

Pal. dixit: Pater major est Filio.

Ambrosius Episcopus dixit: Secundum carnem filius minor est Patre, secundum divinitatem æqualis est Patri. Legi igitur æqualem Dei Filium Patri, sicut jam & prolata exemplaria testantur. Secundum carnem autem qui miraris minorem, cum dixerit se servum, cum dixerit se lapidem, cum dixerit se vermem, cum dixerit se minorem Angelis, quia scriptum est: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis.*

Pal. dixit: Impiè asserentes video, non respondemus vobis sine auditoribus.

Sab. Episc. dixit: Nemo requirat ab eo sententiam, qui tàm innumeris sententiis blasphemavit.

Pal. dixit: Non vobis respondemus.

Sabinus Episcopus dixit: Ab omnibus jam damnatus est Palladius. Arrii blasphemię multò minores sunt, quàm Palladii. Et cum Palladius surrexisset, atque foras exire voluisset. Ideo (inquit) surgit Palladius, quoniam apertis scripturarum testimoniis convincendum esse se cernit, sicut jam convictus est. Sic enim lectum est, secundum divinitatem quòd æqualis Patri Filius sit. Accipiat autem, quod secundum divinitatem majo-
Heb. 9. rem non habet. Scriptum est: *Abrahæ cum repromisisset Deus, quoniam nullum alium habebat majorem, per quem juraret, juravit per semetipsum.* Vides igitur scripturam, quia nullum alium majorem habet, per
Joan. 8. quem juraret. Filius autem est, de quo dicitur, Quoniam ipse visus est Abrahæ. Unde & ait: *Abraham diem meum vidit, & gavisus est.*

Pal. dixit: Pater major est.

Euseb. Ep. dixit: Quando ut Deus locutus, majorem non habuit.

Palladius dixit: Pater genuit Filium, Pater misit Filium.

Amb. Episc. dixit: Anathema illi, qui negat Filium secundum divinitatem æqualem Patri. Omnes Episcopi dixerunt: anathema, &c.

Ambr. Episc. dixit: Veneras tractaturus, sed postquam objeci tibi, vidisti epistolam Arrii, quam damnare noluisti, asserere autem non potes: idcirco nunc refugis, & cavillaris, plenariè ipsam recito. Ad singula dic, utrum Christus creatus videatur, an fuit, quando non fuit Christus, an verò semper fuit unigenitus Dei Filius? Cum Arrii Epistolam audieris, aut damna, aut proba.

Pal. dixit: Cum impietatis te arguam, te judice non utor. Transgressor es.

Sabinus Episc. dixit: Quas impietates objicis fratri nostro, & consacerdoti Ambrosio, dicito.

Pal dixit: Jam vobis dixi, Pleno Concilio respondebo, & præsentibus authoribus.

Ambr. Episc. dixit: In consessu fratrum cupio confutari, & redargui. Quæ igitur impiè dixerim, dicito, si impius tibi videor, qui pietatem astruo.

Sab. Episc. dixit: Ergo impius tibi videtur, qui Arrii blasphemias arguit?

Pal. dixit: Ego non negavi, bonum Filium Dei.

Ambr. Episc. dixit: Dicis ergo Christum Deum bonum?

Pal. dixit: Non vobis respondeo.

Valerianus Episc. dixit: Nolite multum adigere Palladium, non potest vera nostra simpliciter confiteri. Ipsius enim conscientia duplici blasphemia confusa est. Nam à Photinianis est ordinatus, & cum ipsis est damnatus, & nunc plenius damnabitur.

Pal. dixit: Hoc proba.

Sabinus Episc. dixit: Non aliter poterat Christum verum negare, nisi auctores suos sequeretur.

Ambros. Episcop. dixit: Objecisti me esse impium, hoc proba.

Pal. dixit: Expositionem afferimus. Cum attulerimus, tunc dispositio habebitur.

Ambr. Episc. dixit: Damna impietatem Arrii. Cum reticeret Palladius.

Eusebius Episc. dixit: Superfluis immoramur. Tot impietates Arrii Palladius noluit condemnare, imò potius asserendo confessus est. Hunc qui non damnat, similis illius est, & hæreticus jure dicendus est. Omnes Episcopi dixerunt: à nobis omnibus anathema sit Palladius.

Amb. Episc. dixit: Acquiescis, ut cætera legantur Arrii, Palladi.

Pal. dixit: Date auditores, veniant & ex utraque parte exceptores. Non potestis esse judices, si auditores non habuerimus, & nisi ex utraque parte venerint, qui audiant, non vobis respondemus.

Amb. Episc. dixit: Quos quæris auditores?

Pal. dixit: Sunt hic honorati multi.

Sabinus Episc. dixit: Post tot blasphemias auditores petis.

Amb. Episc. dixit: Sacerdotes de laicis judicare debent, non laici de Sacerdotibus: sed tamen quos judices petas, dicito.

Pal. dixit: Auditores veniant.

Cromatius Presbyter dixit: Salva condemnatione Sacerdotali, quin & qui Palladii sunt, etiam in pleno legantur.

Pal. dixit: Non permittantur loqui. Auditores veniant, & ex utraque parte exceptores, & respondebunt vobis hi in Concilio Generali.

Ambr. Episcop. dixit: Etsi in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, ut videatur, qui Sacer-

Sacerdotium sibi vindicat, à laicis esse damnatus. Ac per hoc quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam: cum magis de laicis Sacerdotes debeant judicare juxta ea, quæ hodie audivimus Palladium profitentem, & juxta ea, quæ condemnare noluit, pronuncio illum Sacerdotio indignum, & cavendum, ut in loco ejus Catholicus ordinetur. Omnes Episcopi dixerunt: anathema Palladio.

Condemnatio Palladii hæretici à Concilio.

Ambrosius Episcopus dixit: Imperator clementissimus, & Christianus Sacerdotum judicio causam, ut & ipsi arbitri essent altercationis, ipsi (inquit) constituissemus: quoniam igitur nobis judicium videtur delatum, interpretes esse scripturarum, condemnemus Palladium, qui impii Arrii noluit damnare sententiam. Et qui ipse Filium Dei sempiternum, & cætera, quæ actis hærent, negavit, ergo anathema habeatur. Omnes Episcopi dixerunt: Omnes condemnamus eum. Anathema habeatur.

Aliquid deest.

Ambros. Episcopus dixit: Quoniam omnes consistunt viri Christiani, & Deo probati fratres, & consacerdotes nostri: dicat unusquisque, quid sibi videatur.

Valerianus Episc. dixit: Mihi quidem videtur, quia qui Arrium defendit, Arrianus est, qui blasphemias ipsius non condemnat, ipse blasphemus est. Ideoque hujusmodi hominem à consortio Sacerdotum censeo esse alienum.

Pal. dixit: Cœpistis ludere, ludite: sine Concilio Orientali vobis non respondemus.

Armenius Episcopus Syrmiensis dixit: Quicumque hæreses Arrianas non condemnat, Arrianus sit necesse est. Hunc igitur alienum etiam à nostra communione, & Sacerdotali cœtu privatum esse censemus.

Constantius Episc. Arausicus dixit: Palladium Arrii discipulum, cujus impietates jam olim damnatæ sunt à Patribus nostris in Concilio Nicæno, & nunc hodie probatæ, cum recenserentur à Palladio singulæ, quia non confusus est, dum Dei Filium à Deo Patre esse alienum, eum creaturam confitetur, cum tempore dicit, Dominum verum negat, in sempiternum censeo esse damnandum. *Sic cæteri Episcopi.*

Et cum Secundianus subscripsisset, Ambrosius Episc. dixit: Audisti Secundiane cujusmodi Palladius impius sententiam Sacerdotali Concilio damnatus exceperit, licèt displicuerit nobis, quod ejus, hoc est, Palladii non horrueris amentiam, tamen de te aliqua specialiter quæro. Utrum Dei filium, Dominum nostrum Jesum Christum, vel non verum Deum dicas.

Secundianus dixit: Qui negat Dominum verum esse Patrem Domini, & Dei nostri Jesu Christi, non est Christianus, nec qui negat Dominum Filium verum.

Tergiversatio Secundiani.

Ambrosius Episcopus dixit: Deum verum Dei Filium confiteris?

Secundianus dixit: Verum Dei Filium, unigenitum Dei Filium verum dico.

Ambros. Episc. dixit: Verum Dominum dicis?

Secundianus dixit: Verum unigenitum Filium, quis negat verum Filium Dei?

Eusebius Episcopus dixit: Non sufficit, quod Filium Dei unigenitum confiteris, nam hoc omnes confitentur: sed hoc movet, quod Arrius dixit Dominum solum Patrem, solum verum negavit Filium Dei Dominum verum. Simpliciter Filium Dei Deum verum confiteris?

Arriani negabant Arrium.

Secund. dixit: Qui fuerit Arrius, ignoro: quid dixerit, nescio: mecum loqueris vivus ad vivum. Illud dico, quod Christus dixit: Unigenitum Filium se asserit Patris, Filius unigenitus est Dei Filius verus.

Ambrosius Episcopus dixit: Deus verus est, verus Dei Filius Deus? Et addidit: In divinis Scriptum est:

A *Quia qui jurant super terram, jurabunt Deum verum.* Quod utique de Christo esse non dubium est. Nos ergo verum Deum profitemur, & fides nostra hæc est, & professio, quia unigenitus Patris Filius est verus Deus. Dic & tu de Deo vero, deinde Filium Deum verum.

Secund. dixit: De Deo vero.

Amb. Episc. dixit: Filius Dei Deus verus est?

Secund. dixit: Ergo mendax.

Ambrosius Episcopus dixit: In hoc fraudem facis, ut non Deum verum dicas, sed Deum unigenitum: ac per hoc dic simpliciter, unigenitum Dei Filius, Deus verus.

Secund. dixit: Unigenitum dixi Dei Filium.

Euseb. Episcop. dixit: Hoc Photinus non negat,
B hoc Sabellius confitetur.

Amb. Episc. dixit: Et qui hoc non confitetur, jure damnatur. Ac per hoc sæpe te convenio, licèt cavillando negaveris veritatem. Non quæro tantummodo unigenitum Filium dicas Dei, sed etiam Deum verum,

Secund. dixit: Veritatis me servum profiteor. Quæ dico, non scribuntur: & quæ dicis, scribuntur. Christum verum Dei Filium dico. Quis negat Filium Dei verum esse?

Amb. Episc. dixit. Qui negat unigenitum Dei Filium, anathema sit.

Secund. dixit: Deum verum unigenitum Filium Dei, quid mihi profiteris, quod non est scriptum?

Amb. dixit. Apertum sacrilegium est, quando Christum
C Dei Filium Arrius negavit, &c.

Ex his intelligi possunt præcipua argumenta disputationis habitæ in hoc Concilio, & quæ fuerint Arrianorum in disputando cavillationes. Exemplar totius disputationis, prout extat, habetur tom. 5. operum D. Ambrosii novissimarum editionum, & apud Binium: quamvis non integrum, sed mutilum, & defectuosum esse benè advertat Joverius classe 2.

Controversia.

Controversia de hoc Concilio Aquilejensi gravissima existit post Opusculum secundum Francisci Chifletii de Vindiciis operum Vigilii Tapsensis (Traphensem dicunt alii.) Contendit ille de duobus actum fuisse in Concilio isto 1. de compescendo Ursicino
D PseudoPapa, qui Damasum Papam, & alios turbabat, pro Pontifice se gerendo sine electione populi Romani. 2. de Orientalibus Ecclesiis Antiochena, & Alexandrina tranquillandis. Cæterum longam illam disputationem contra Palladium, & Secundianum, Attalumque Arrianos esse fictitiam, & data opera fabricatam fuisse à Vigilio Tapsensi Episcopo Bizacenæ Provinciæ ad confutandos hæreticos, servata nihilominus hujus Synodi Aquilejensis Epocha, & Patrum, qui ei adstiterunt, nominibus.

Disputa[tio] fictitia h[u]jus Con[cilii].

Liber Synodicus, quem de Græco Latinè reddidit Joannes Puppus, editusque est primo Argentorati an. 1601. & Lutetiæ Parisiorum anno 1661. cujus auctor græcus Anonymus, Synodos omnes ab Apostolorum temporibus usque ad octavam Synodum, quæ super Joannis Papæ VIII. & Photii unione celebrata est
E compendio complexus est; hæc habet cap. 74. de Aquilejensi Synodo, loquens de Gratiano Imperatore. Damaso etiam Papæ mandavit, ut Aquilejæ Synodum convocaret, cui præfuit Ambrosius Mediolanensis, & Ascholius Thessalonicensis. Quæ quidem Synodus tomum componens hortationis plenum (tanquam & ipsa esset Oecumenica) ad piissimum Imperatorem Theodosium cum idoneis viris eum transmisit. Ex Romanis enim etiam quid de Hisp. & Gallis sunt, ab hæretica lue inventi sunt immunes: de SpanoGallia, Italia, Campania, Dalmatia, Sardinia, Achaja, quicumque Occidentales Gratiano erant subjecti.

Porro tomum illum interpretari pronum est de duabus

bus epistolis Synodicis, quæ res gestas in Synodo continent, de duobus istis capitibus, abjiciendo scilicet Ursicino ex auctoritate Imperatoris, ut Romana sedes turbari desineret, & Alexandriæ Concilium fieri jubeat ad pacem procurandam Ecclesiis Orientalibus, obiterque moneat non nisi duos hæreticos inveniri in Occidente, qui Concilio obviare possint. Hi sunt scilicet Palladius, & Secundianus, contra quos Stropham hujus disputationis adinvenit Vigilius ad ipsorum majorem confusionem. A

Vigilii apsensis rs contra Arrianos.

Hæc est Chifletii sententia, quam pluribus, nec levibus momentis confirmare nititur ad exsibilandam vulgo receptam opinionem, quam etiam secuti sunt Sirmondus, Petavius, Baronius, nec non Cardinalis Perronius, qui vulgata acta hactenus à cavillis hæreticorum vindicavit, in responsione iterata ad magnum Britanniæ Regem. B Non enim mirum, si cùm hæc acta veram doctrinam contineant, pro veris Synodi actis ab eruditis habita fuerint. Quod idem contigit dialogo cuidam cum Arrio, qui D. Athanasio tributus est à plerisque, & Vigilii Tapsensis esse quosdam de Trinitate libros, recentior ætas deprehendit. Magnanimorum est, ut ait Aristoteles, facilè in fraudem induci: nec ignaviæ, inscitiæve maculam canæ vetustati adspergunt inventa, aut reperta juniorum. Sed de his majorem fidem faciet prædictum Opusculum, cujus author rem accuratè expendit; studiosorum erit consulere.

Chifletius .I.

Concilium Cæsaraugustanum in Aragonia duodecim Episcoporum, sub Damaso contra Priscillianistas celebratum, anno Domini 381. C

ERat Priscillianus Laicus nobilis, qui totam Hispaniam infecit suis erroribus, adhibitis mulieribus, quæ publicè, & per domos prædicabant contra præceptum Apostoli, 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant*. Contra ejus errores egregiam scripsit epistolam D. Leo Papa epist. 93. ad Turbium Asturicensem Episcopum per 15. capita. Sub Damaso autem, ac circa hunc annum habitam hanc Synodum indicant verba Idacii Episcopi in Chronico. Priscillianus, inquit, declinans in hæresim Gnosticorum per Episcopos, quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ Episcopus ordinatur. Qui aliquot Episcoporum Conciliis auditus, Italiam petit, & Romam. D Ubi ne ad conspectum quidem sanctorum Episcoporum Damasi, & Ambrosii receptus, cum his, cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi similiter à sancto Martino hæreticus judicatus, appellat ad Cæsarem, quia in Galliis his diebus potestatem tyrannus Maximus obtinebat Imperii. Hæc & plura de eo Idacius, qui & hæresim ejus vocat blasphemissimam. Hocque consignat ad Olympiadem ccxci. quæ non longè distat ab hoc anno. Sic autem habent acta. Quarto nonas Octobris Cæsaraugustæ in secretario residentibus Episcopis Hiradio, Delphino, Raticio, Ampolio, Augentio, Leucio, Italio, Splendidio, Valerio, Symposio, Caterio, & Italio, ab universis dictum est: recitentur sententiæ.

Nota. *Delphinus erat Episcopus Burdigalensis, adversarius Priscilliani. Pro Jtalio, & Italio legendum putat Baronius Idachium, & Itachium.* E

Can. I. *Ut fœminæ fideles à virorum alienorum cœtibus separentur.*

LUcius Episcopus legit: Ut mulieres omnes Ecclesiæ catholicæ, & fideles à virorum alienorum lectione, & cœtibus separentur, nec ad ipsas legentes aliæ studio vel docendi, vel discendi conveniant. Quoniam hoc Apostolus jubet. Ab universis Episcopis dictum est, anathema futuros, qui hanc Concilii sententiam non observaverint.

Can. II. *Ut diebus Dominicis nullus jejunet, nec diebus Quadragesimæ ab Ecclesia se absentet.*

ITem legit: Ne quis jejunet die Dominica, causa temporis, aut persuasionis, aut superstitionis: ut de Quadragesimarum diebus ab Ecclesiis non desint, nec habitent in latibulis cubiculorum, ac montium, qui in his suspicionibus perseverant: sed exemplum, & præceptum custodiant Sacerdotum, & ad alienas villas agendorum conventuum causa non conveniant. Ab universis Episcopis dictum est: Anathema sit, qui hoc commiserit.

Can. III. *Ut qui Eucharistiam in Ecclesia accipit, & ibi eam non consumit, anathematizetur.*

ITem legit: Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum. Ab universis Episcopis dictum est: Placet.

Can. IV. *Ut tribus hebdomadis, quæ sunt ante Epiphaniam, ab Ecclesia nemo recedat.*

ITem legit: Viginti, & uno die, quo à 16. Kal. Januarii usque in diem Epiphaniæ, quæ est 8. Idus Januarii, continuis diebus, nulli liceat de Ecclesia se absentare, nec latere in domibus, nec secedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad Ecclesiam. Quod qui non observaverit, his decretis anathema sit in perpetuum. Ab universis Episcopis dictum est: Anathema sit.

Sanctus Leo Epist. 93. tradit, eosdem Priscillianistas tempore Natalis Domini consuevisse jejunare, ideo quod non crederent Christum verè humanam carnem aßumpsisse: hac igitur occasione Patres Concilii hunc Canonem edidisse, non est dubitandum.

Can. V. *Ut qui à suis Episcopis communione priventur, ab aliis non recipiantur.*

ITem lectum est, ut hi, qui per disciplinam, aut sententiam Episcopi ab Ecclesia fuerint separati, ab aliis Episcopis non sint recipiendi. Quod si scientes Episcopi fecerint, dictum est: Qui hoc commiserit, non habeat communionem.

Can. VI. *Ut Clericus, qui propter luxum Monachus voluerit eße, excommunicetur.*

ITem legit: Si quis de Clericis propter luxum, vanitatemque præsumptam de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis Monachum videri voluerit esse magis, quàm Clericum, ita de Ecclesia repellendum, ut nisi rogando, atque obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis Episcopis dictum est. Ita fiat.

Sanctitatem habitu astruant.

Can. VII. *Ut Doctoris sibi nomen non usurpet, cui concessum non est.*

ITem lectum: Ne quis Doctoris sibi nomen imponat, præter has personas, quibus concessum est: secundum quod scriptum est. Ab universis Episcopis dictum est: Placet.

Can. VIII. *Ut ante quadraginta annos Sanctimoniales Virgines non velentur.*

ITem lectum est. Non velandas esse Virgines, quæ se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata ætate, quam Sacerdos comprobaverit. Ab universis Episcopis dictum est: Placet.

Con-

Concilium Romanum IV. sub Damaso propter schisma Antiochenum, an. Domini 382.

CUm Damasus de rebus in Synodo Constantinopolitana gestis nuncium accepisset, & inter alia in contumeliam Paulini, Flavianum Meletio successorem designatum esse intellexisset, Concilium generale Romæ celebrandum indixit; idque favore, & patrocinio Gratiani, & Theodosii Imperatorum congregari, & convocari impetravit.

Præter Paulinum, Epiphanium, & Acholium Thessalonicensem ex Oriente nemo adfuit: omnes quidem litteris Damasi, quas ad illos transmisit Imperator, vocati fuerunt; sed astuto consilio Constantinopoli indicta Synodo convenientes, ne suas Ecclesias Pastoribus destitutas, hæretici præ foribus eorum excubantes incursarent, missis isthinc Romam Legatis hanc ob rem excusari petiverunt, literasque Synodicas earum rerum, quæ præcedente Constantinopolitano Concilio gestæ fuissent, ad Concilium Romanum transmiserunt. His literis Synodalibus acceptis, Legatisque eorum auditis, quid Romæ factum fuerit, non constat. Acta enim perierunt.

Libellus Occidentalium. Confessio fidei ad Paulinum scripta, non in hac, quod existimat Theodoretus, sed in præcedenti Romana Synodo III. scripta fuit; ipse enim Paulinus huic interfuit: atque ne totus Oriens ab unitate Ecclesiæ se præscinderet, ab excommunicatione Flaviani cessatum est, & schisma Antiochenæ Ecclesiæ ad tempus certum toleratum fuit.

Damasus subodoratus, affectatam ab Orientalibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchalem sedem, ac dignitatem, etsi nihil hac de re in sua ad Concilium Synodica meminerit. Canonem in collectione Cresconiana, & Vaticana, aliisve antiquis codicibus, post anathematismos supra descriptos extantem, edidisse videtur, hunc: *Post has omnes Propheticas, & Euangelicas, & Apostolicas, quas superiùs deprompsimus, Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est; etiam intimandum putavimus, quod quamvis per orbem Catholicæ diffusæ Ecclesiæ, quasi unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est. Sed & Euangelica voce Domini Salvatoris nostri Primatum obtinuit:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum: & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlo. *Addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso (sicut hæretici garriunt)* Matth. 16. *sed uno tempore, uno, eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cęsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus in universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apost. sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliud hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus discipulo, atque Euangelista consecrata est: ipseque in Ægyptum directus à Petro Apostolo, Verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia autem sedes est apud Antiochiam beatissimi Apostoli Petri, quæ habetur honorabilis, eo quod illam primitùs, quàm Romam venisset, habitaverit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exorditum est.*

In Actis Damasi, quæ in Ecclesia recitari solebant, habentur Decreta Romani Concilii hæc:

Ut decimæ, atque primitię à fidelibus dentur; qui detractant, anathemate feriantur.

Qui fœnori vacant, eadem sententia plectendos esse.

A Qui in Ecclesia vanis sermonibus operam dant, ab ea ejici præcipiuntur.

Omnes maleficos, sacrilegos, augures, aliisve superstitionibus vacantes excommunicandos esse. *Vide supra in Concil. Ancyrano.*

Fęminas illas, quæ à dęmone illusæ, putant se noctu super animalia ferri, atque cum Herodiade circumvagari, eadem sententia plectendas esse.

Ex præscripto Nicæni canonis, ut ibi ponitur, ne diebus festis ante tertiam horam Missæ canerentur: aliis verò diebus à media quarta usque ad nonam facere liceret, additumque Decretum, quo jubetur in fine cujusque Psalmi apponi, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Vide Baronium anno 382. num. 1. 2. 3. 17. 18. 19. & 20.

Subjungitur hìc à quibusdam Concilium Constantinop. 2. quasi Provinciale, cùm fuerit generale secundum, prout diximus classe 2. in secunda Synodo generali. Vide ibidem dicta.

B

Synodus Sydæ habita adversus Massilianos sub Damaso, an. 383.

HIs temporibus adversus Massilianos Sydæ in Phęnicia prope Tyrum congregata Synodus. Præfuit Amphilocius Iconii Episcopus. De hac Photius in Bibliotheca: *Legimus synodum Sydæ factam adversus hęresim Massilianorum, idest Euchaitarum, vel Adelphiorum. Præfuit synodo Amphilocius Episcopus Iconii, cum Episcopis 25. Ex synodo ibi est synodica ad Flavinianum Antiochenum Episcopum, qui ea de causa aliam synodum habuit. In eo Concilio Sydæ habito Adelphius, licèt pęnitentiam polliceretur, non est admissus, quamvis hæresim detestari videretur; quoniam non ex corde pęnitentia, & renuntiatio facta esset.* Seu, ut habet versio Andreæ Scotti: *Quod neque ea hæreseos abjuratio, neque pęnitentia vera esse probaretur*. Is verò Adelphius neque Monachorum, neque Sacerdotum in ordinem lectus erat, sed plebejus, ac privatus.

C

Quod verò Dionysius Petavius Notis in Epiphan. ad hæresim 59. quæ est Novatianorum, probat ex hac Synodo negatam olim in periculo mortis communionem; per quam intelligit tàm absolutionem, quàm Eucharistiam, nullius est momenti. Nam hęc Synodus non habet tale decretum, quod ipsi tribuit, scilicet, *si quis hac hęresi, seu verbis, seu factis infectum se prodiderit, nunquam in posterum admittatur, quamvis millies se pœnitentium gradus omnes expleturum promittat*, sed est exclamatio quædam Neonis Episcopi contenta in epist. Synodica, quam ad Episcopos Pamphiliæ misit Synodus quædam Constantinopoli congregata Sisinnii Episcopi consecrandi causa, ut in eodem Photii codice LII. videre est. *Petavius*

D

Quales verò fuerint errores, diximus inter acta Concilii Ephesini, in quo etiam damnati fuerunt.

Concilium Burdigalense adversus Priscillianum sub Syricio, anno Domini 385.

CUm Priscillianus Cæsaraugustano Concilio damnatus, Gratiani rescripto restitutus fuisset, Ithacius Episcopus Hispanus apud Maximum Imperatorem eumdem vicissim citra potestatem, de hæresi, aliisve criminibus accusavit, mortisque supplicio dignum denuntiavit. Maximus Imperator his accusationibus permotus, hanc Burdigalensem Synodum indici, atq. Priscillianum cum Ithacio ad eam citari, & adduci mandavit. Ubi causam dixissent, Ithacius Episcopatu indignus pronunciatus est. Priscillianus se damnandum intelligens, ad Principem provocavit. Cùm judices appellationi malè detulissent, eamque contra jus, & constitutiones Ecclesiæ admisissent, Treveris Hæresiarcha auditus, bis convictus, tandem cum quibusdam aliis, jussu Maximi, gladio occisus est. Hæc ex Severo l. 2. & Prosperi Chronico Baron. an. 385. nu. 22. 23. & 24. *Ecclesia nescit sanguinem.*

E

Con-

Concilium Romanum sub Syricio, anno Domini 386.

ANno Christi 386. ipso mense Januarii, Romæ in Basilica S. Petri celebratum est Concilium octoginta Episcoporum ad collapsam disciplinam in Africana Ecclesia restaurandam. In Synodo nihil decretum, quod non Apostolicis, aut Nicænis Canonibus ante constitutum fuerat. Unde Concilium, quod nominatur Carthaginense, cœlibatum Sacrorum Ministrorum non ex lege Syricii, sed Apostolica auctoritate institutum sibi vendicat. Quos in Synodi epistola Syricius Pontifex Montenses appellat (Donatistas fuisse sciendum est: sic dictos, quod in montibus agere, & convenire solerent, Innovatæ constitutiones hujus Concilii, in Concilio Teleptensi, sub Honorio Imperatore in Africa celebrato, recitatæ fuerunt. Vide Baronium anno 386. num. 2. & 3.

Donatistæ dicti Montenses.

Concilium Trevirense, in quo Ithacius ob irregularitatem, quam justè incurrerat, injustè absolvitur, anno Domini 386.

CAusa habiti Treviris in Gallia Concilii hæc est; Ithacius, teste Isidoro de Viris illustribus cap. 2. Hispaniæ Episcopus, cognomento, & eloquio clarus, acerrimus Priscillianorum hostis, apud Imperii perduellem, ac Gratiani interfectorem Maximum hoc procuraverat, ut Priscillianus, ejusve sectatores hæretici non tantùm compescerentur, sed ut de iisdem etiam capitis, vitæque supplicium sumeretur, atque de reliquiis eorum in Hispania per ferrum, & flammam exturbandis mandatum edidisset. Quod cùm à mansuetudine Christiana, qua exemplo Christi in primis Episcopi, ac Sacerdotes imbuti esse debebant, plurimum abhorreret, Theognostus, aliique Catholicæ communionis Episcopi, Ithacium cùm sociis velut sanguinarium, ac crudelem, Sacedotio indignum excommunicarunt: non quidem ideò quòd adversus hæreticos auxilium Principis implorasset (hoc enim S. Augustinus, aliique sæpius fecisse leguntur) sed quòd importuniùs, ac sævius agens in eosdem pœnam capitis procurasset, solitamque protestationem non interposuisset, qua se delinquentium incorrigibilium correctionem sic expetere declararet, ut tamen à sanguinis pœna abstineretur.

...fectus ...itatis.

Ithacius verò maximi Imperatoris patrocinio fretus, decimo sexto anno ante obitum S. Martini, qui est Christi 386. Treviris Synodum congregari impetravit, quæ eum velut innocentem absolvit, nullaque culpa teneri pronunciavit. Præsides sanguinolenti, adventu S. Martini Episcopi, qui duorum Comitum Gratiani fautorum reconciliationem, & decretam in Hispania inquisitionem periculosam deprecaturus veniebat, valdè turbati (metuebant enim morte Priscilliani, vel absolutione Ithacii nihil fore actum, si in urbem, admitteretur) rogarunt Imperatorem, urbis accessu Episcopum prohiberi. At ille nocturno tempore urbem ingressus, Imperatorem adiit: qui cùm post diuturna colloquia de duobus Comitibus illis, pro quorum vita peccatum venerat, supplicium sumi mandasset; vir sanctus, & clarus miraculis cum Ithacianis se communicaturus spopondit, si Imperator innocentum vitæ parceret. Maximus omnia indulget, & sanctus Martinus Felicem Ithacianæ factionis Episcopum ordinando, cum ipso, aliisve ejus consortibus communicat; satius existimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Ut verò communionem illam subscriptione firmaret, nequaquam induci potuit. Cùm hanc ob rem postero die plurimum doleret, astitit ei Angelus dicens: *Merito, Martine, compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam periculum* A *gloriæ, sed salutis incurras.* Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterùm cùm quosdam ex energumenis tardiùs, quàm solebat, & gratia minore curaret; subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum virtutis sentire. Sexdecim posteà vixit annos, nullam Synodum adiit. Hæc ex Severo Dialog. l. 3. Vide Baronium anno 386. n. 25. & seqq.

...Marti... ...

Martinus quare ... Ithacianis communicarit.

...rtinus Angelo consolante... ...m exci... ...ur.

Capuana Synodus in causa Antiochenæ dissensionis, & Bonosi hæretici, virginitatem B. Mariæ impugnantis, celebrata sub Syricio, anno Domini 389.

B

POstquam Paulinus, quem Lucifer Calaritanus Antiochiæ contra Meletium Antiochenæ Sedis Episcopum designaverat, anno 389. obiisset, auditores illius contra Flavianum Meletii successorem, Evagrium in loco Paulini surrogarunt, ortamque ante aliquot annos discordiam continuarunt. Pontifex, & cum eo ferè Occidentales universi, contra Flavianum, sicut antè à Paulino, ita nunc ab Evagrii partibus steterunt, atque Imperatorem contra Flavianum per litteras animarunt. Quibus ille permotus, circa hæc tempora proculdubiò (in hac causa certus enim annus ignoratur) Capuæ Synodum indixit. Flavianus ad eã vocatus non venit, sed per litteras ab Imperatore petivit, hoc ejus auctoritate procurari, ut Occidentales C Episcopi patiantur in Oriente Concilium celebrari, in quo causam suam ipse coram agere possit.

Continuatio schismatis Antioch.

Qui autem Capuæ convenerant, ad schisma totius Ecclesiæ avertendum, constituerunt, ut tàm Flaviani, quàm Evagrii fautores ad communionem Catholicam admittantur, modò Catholicæ fidei assertores esse inveniantur. Prætereà, ut dissentiones periculosissimæ omnino sedarentur, Theophilo Alexandrino unà cum aliis Ægypti Episcopis cognitionem causæ, ac dissensionis inter Flavianum, & Evagrium demandarunt; tùm quòd ille principalioris Sedis in Oriente Antistes esset; tùm etiam quòd à neutrius partibus staret. Præscripta est arbitrio limitata conditio hæc, ut suam à se prolatam sententiam Romanæ Ecclesiæ auctoritate confirmandam, ac comprobandam offerret,

Theophilus Alexandrinus.

D Judicium Theophili cùm Flavianus, ut constat ex ep. 78. Ambrosii, refugisset, causa Bonosi cujusdam in Macedonia Episcopi hæretici, negantis illibatam Dei genitricis Mariæ virginitatem post partum, in judicium deducta est. Synodus cognitionem causæ Anysio Thessalonicensi cum Episcopis ipsi subjectis delegavit. Quod videre est ex ep. 79. apud Ambrosium. Ab Anysio autem Episcopo Thessalonicensi Bonosum (à quo Bonosiani, ad hæreses Photini suam addentes) damnatum, eorumque, quos ordinasset, communione privatum esse, testatur Innocentius Papa epist. 22. cap. 5.

Hac eadem Capuensi Synodo constitutum fuit, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes. Hæc ex 78. & 79. epist. Ambrosii.

E *Concilium Mediolanense, quo Jovinianus hæreticus condemnatus fuit, sub Syricio Papa, anno Domini 390.*

CUm Jovinianus hæresiarcha, post octo annorum latebras anno Christi 390. qui est Syricii Pontificis 6. & Theodosii Imperatoris 12. annus post cladem Thessalonicensem, teste Ambrosio epist. 28. Mediolano, ubi sub habitu monastico, & Catholico nomine latuerat, ejectus Romæ plures sermone, scriptisq; à se Commentariis seduxisset, idque Pammachii cujusdam nobilissimi Catholicæ fidei propugnatoris opera, studio, ac diligentia Syricio Pontifici innotuisset, coacto statim auctoritate Pontificis Romani Ecclesiæ

Pammachius Senator.

Pres-

Presbyterio, Jovinianus hæresiarcha, cum Helvidio, aliisque sectatoribus collegis damnatur. De qua re, ut Mediolanensis Ecclesia, unde exierat, certior fieret, litteras de rebus omnibus in causa Joviniani Romæ gestis ad eandem Ecclesiam scribit, easque per tres Legatos Presbyteros istuc deferri procurat (epistola Pontificis extat apud Binium.)

Cùm Mediolanum venissent, indicta est Synodus ex Gallia, aliisve vicinis Provinciis. Episcopi, quorum nomina Synodalis epistola subscripta refert, convocati convenerunt. Post lectam Syricii epistolam, & causæ cognitionem, ea, quam Syricius contra Jovinianum, ejusque collegas protulerat Romæ sententiam, Synodico hoc Patrum decreto confirmata fuit. Vide Baronium anno 399. num. 35. 36. & seqq.

Dogmata Joviniani sanctus Hieronymus sic describit: *Dicit, virgines, viduas, & maritatas, quę semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse mariti. Nititur approbare, eos, qui plene fide in Baptismate renati sunt, à diabolo non posse subverti. Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione sumptionem eorum nullam esse distantiam. Quartum, quod & extremum est, esse omnium, qui suum Baptisma servaverunt, unam in regno cœlorum remunerationem.* Hæc Hieronymus libro 2. contra Jovinianum. Sed longius progressus, Deiparam Mariam desiisse Virginem esse, cùm Christum peperit, affirmavit. Cum Manichæis negavit, Filium Dei veram carnem assumpsisse. Hæc ex Ambrosio, Augustino, Hieronymo Baronius anno 382. num 29. & seqq. Hunc Honorius Imperator servili affectum supplicio relegavit in insulam, cæteris ejus sectariis in in diversa loca dispersis.

Concilium Novatianorum Angaris celebratum sub Syricio, anno 391.

SOcrates libro 5. cap. 20. refert, hoc Novatianorum Conventu, Canonem constitutum fuisse de festo Paschatis: *quem ἀδιάφορον, id est indifferentem vocabant, dicebantque dissensionem de festo Paschatis non satis justam causam fuisse, cur Ecclesia dirimeretur; neque eos, qui in Pazo coacti fuissent, præjudicium generali Canoni fecisse.* Licuisse cuilibet, absque dispendio Catholicæ veritatis, Pascha celebrare die, qua vellet, deinceps subjungit, ut scilicet Episcopos Novatianos schismaticos, & hæreticos, Novatianus Scriptor contra conscientiam, & veritatem defendat. Vide Baronium anno 391. num. 17. 18. & 19 Est autem Angaris emporium Bithyniæ in Asia prope Helinopolim.

Concilium Hypponense in Africa celebratum sub Syricio, anno 393.

HOc Concilium celebratum esse anno Christi 393. Pontificatus Syricii, Imperatoris Theodosii 15. colligitur ex principio Africani Concilii, ubi hæc verba leguntur: *Gloriosissimo Imperatore Theodosio semper Augusto tertium, & Abundantio viro clarissimo Coss. octavo Idus Octobris, Hyppone regio, in Secretario Basilicæ Pacis.* Horum consulatum cum prædicta Christi, Pontificis, & Imperatoris Chronologia coincidere, Fastos Consulares intuenti patebit.

Ob quam causam habitum fuerit, Patres Carthaginensis Concilii initio Breviarii his verbis indicant: *Ea, quæ in Concilio Hypponensi jamdudum maturata sunt, & legitimè ad corrigendam disciplinam salubriter gesta, & statuta noscuntur, effrænata temeritate quosdam minimè custodire.* Quod quidem adeo efficaciter præstiterunt, ut cætera Concilia postea in Africa celebrata, ex Hipponensi, tamquam archetypo quodam, complura mutuata fuerint.

Decreto Concilii Carthaginensis, Cæsario, & Attico Consulibus, anno Christi 397. celebrati, ex quadra-
A ginta Canonibus, & uno confectum est quoddam Breviarium, quo eorumdem, ut faciliùs innotesceret, brevis Summa descripta est, quæ aptius hìc exhibetur.

STATUTA

Concilii Hypponensis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginensi cum Byzacenis Episcopis collata, & diligentiùs pertractata, hæc sunt.

B Placuit etiam propter errorem, qui sæpè solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ observationem diei paschalis ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere.

Ut Lectores populum non salutent.

Ut Clerici instructi promoveantur.

Ut Sacramenta Catechumenis non dentur.

Ut corporibus defunctis Eucharistia non detur

Ut per singulos annos Concilium convocetur.

Si Episcopus accusatus fuerit, ad Primatem Provinciæ causam suam referat.

Episcopus accusatus, si ad Concilium anniversarium non venerit, sententiam damnationis suæ tulisse judicetur.

Presbyter, si accusatus fuerit, cum quinque collegis ex vicinis Episcopis, causa sua discutiatur.

Diaconus cum duobus.

Episcopo, aut Clerico si fuerit crimen institutum.

C Ut Judices Ecclesiastici ad alios judices causam non provocent.

Ut filii Clericorum spectacula non exhibeant.

Ut filii Episcoporum hæreticis non conjungantur

Ut Episcopi, & Clerici filios suos non ejiciant

Ut Episcopi, & Clerici nihil conferant rerum suarum, nisi Catholicis.

Episcopus, presbyter, aut Diaconus non sint conductores.

Ut Clerici cum extraneis fœminis non habitent.

De sacris Gradibus.

De Lectoribus.

Ut Clericum alienum nemo retineat.

Ut Clericus non ordinetur, antequam probatus fit.

D Ut in Precibus, nec Pater pro filio, nec Filius pro Patre nominetur.

Ut nullus Clericus amplius accipiat, quàm dedit.

In Sacramentis aliud non offeratur, quàm panis, & vinum aqua mixtum.

Ut Episcopi, Presbyteri, aut Clerici, ad viduas, aut Virgines soli non accedant.

Ut primæ Sedis Episcopus Princeps Sacerdotum non appelletur.

Clerici in tabernis non manducent, nec bibant.

Ut Episcopus trans mare non proficiscatur.

Ut à jejunis altaris Sacramenta celebrentur.

Ut in Ecclesia neque Episcopus, vel Clerici conviventur.

E Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem

Ut Virgines gravioribus fœminis commendentur.

Ut ægrotantes baptizentur.

Ut reversis reconciliatio non negetur.

Ut Presbyter Chrisma non conficiat.

Ut in aliena civitate Clerici non morentur.

Scripturæ Canonicæ in Ecclesia legendæ, quæ sint; & præter quas alię non legantur.

De his, qui in nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut baptizentur.

Ut Donatistæ in numero laicorum recipiantur.

Hujus Concilii Hypponensis meminit Possidius in vita

vita S. Auguſt. c. 7. quæve in eo fuerint partes S. Auguſtini, ita deſcribit: *Per idem tempus coram Epiſcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hyppone agebant, de fide, & Symbolo Presbyter adhuc Auguſtinus disputavit*. Sic ille. Et quidem cum omnium laude, & admiratione tanta, ut quem omnes Epiſcopum cuperent, Valerius, ne ſuæ Eccleſiæ eriperetur, poſtularit, & impetrarit, anno Chriſti 394. ſibi adhuc viventi in Epiſcopatu ſurrogari. Poſſidius ubi ſuprà, cap. 8. Cui totius Africæ Provinciæ Epiſcopi interfuerunt, jure meritoque alibi Generale, alibi Plenarium Concilium appellatur: licèt verè tantùm Provinciale fuerit. Vide Baronium anno 393. num. 33. & 34.

A

Concilium Conſtantinopolitanum, in quo cauſa duorum Epiſcoporum eundem Boſtienſem Epiſcopatum ſibi vendicantium definita fuit, anno Domini 394.

OB controverſiam duorum Epiſcoporum, Agapii, & Gebapii, eundem Boſtienſem Epiſcopatum ſibi vendicare ſatagentium, cum multis aliis Eccleſiæ Orientalis Epiſcopis, duos Patriarchas, Alexandrinum nimirum, & Antiochenum conveniſſe probabile non eſt. Sed potius illud majori fide aſſeri poſſe videtur, quod ad dedicandam novam Baſilicam Apoſtolorum Petri, & Pauli nomine, à Ruffino Præfecto Prætorio erectam, convocati, & congregati poſt ſacra ſolemnia ex more expleta, prædictam controverſiam inter nominatos ſupra Epiſcopos obortam, judicio ſuo definiverunt, eo modo, quo acta à Theodoro Balſamone enarrata declarant, nimirum, ex ſententia Theophili Alexandrini deciſum fuiſſe, non aliter, quàm Synodali judicio, cui Epiſcopi ferè univerſi interſint, Epiſcopum deponi poſſe, aut licere. Vide Baronium anno 394. n. 25. & ſeq.

B

C

Concilium Adrumetinum in Africa, anno Domini 394.

ARcadio III. & Honorio II. Conſulibus, anno nimirum Chriſti 394. Adrumeti in Africa hanc Synodum celebratam, atque ad eam ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo Legationem miſſam fuiſſe, patet initio Concilii Africani; ubi hęc ſcripta leguntur: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio III. & Honorio II. Auguſt. Conſulibus, 6. Kalendarum Juliarum Carthagine. In hoc Concilio Legati directi ſunt Epiſcopi proconſulares ad Concilium Adrumetinum.*

D

Quæ verò in hac Synodo conſtituta fuerint, non apparet; ideò quòd diverſorum Conciliorum Canones in unum collecti, ſimul ſub uno titulo Concilii Africani, admixti habeantur. Vide Baronium anno 394. num. 32.

Concilium Cavernenſe Donatiſtarum, in quo Maximianiſtæ Primianiſtas cum ſuo auctore Primiano condemnarunt, anno Domini 394.

E

APud Cavernas Suſis, qui eſt locus Carthagini propinquus, Arcadio III. & Honorio II. Conſulibus annò nimirum Chriſti 394. ex Maximianiſtis convenerunt 53. Epiſcopi, qui poſt aliquantulam cognitionem cauſæ, Primianum cum ſuis ſectatoribus jam ante Cebarſuſſi à centum, & ampliùs Epiſcopis Maximianiſtis prædamnatum iterata ſententia condemnarunt.

Primianus Parmeniano defuncto ſuffectus erat: adverſus hunc poſteà ab aliis Donatiſtis creatus eſt Maximianus Diaconus, ſicque maximum inter eos ſchiſma conflatum eſt. Fautores Primiani, Primianiſtæ, Maximiani, Maximianiſtę: ſicut etiam alii à Claudio, Claudianiſtæ; à Rogato, Rogatiſtæ appellati fuere. Ita qui Donatiſtæ ante à Donato nominabantur; deinceps, ex occaſione electionis Epiſcoporum ſuorum, in qua non conveniebant, in partes, & varias factiones, more hæreticorum omnium diviſi, àb auctoribus ſciſſionum nuncupati fuere. Quod Deo permittente ſic factum, ut ab exemplo Maximianenſium ipſi Donatiſtæ convincerentur. Quærebantur enim, quod Donatiſtæ appellarentur. Quod Donatus non author Eccleſiæ, quæ ante non fuerat, ſed à Chriſto deductæ, & antiquæ unus ex Epiſcopis fuerit. Ad quod D. Auguſt. lib. 4. contra Creſconium ex 6. dicebat. *Nonne attendis hoc, & de ſeipſo Maximianum dicere: ex cujus tamen nomine univerſam ejus communionem appellatis*, & lib. 3. cap. 82. cùm gloriarentur apud ſe ſolos Eccleſiam eſſe Chriſti, cum tamen Maximianenſes execrarentur. *Quid dignius*, inquit, *adverſus hanc falſiſſimam elationem, quam cauſa Maximianenſium potuit vobis procurari?*

Concilium Bagajenſe Primianiſtarum contra Maximianum, anno Domini 394.

BAgai civitate Numidiæ trecenti, & decem Epiſcopi à Primiano Carthaginenſi Epiſcopo Donatiſta adverſariæ factionis vocati, convenerunt; ubi confidentes, examinata cauſa ipſius Primiani, qui aderat, & Maximiani itidem Epiſcopi Carthaginenſis abſentis, aliorumque eidem communione conjunctorum, in Maximianiſtas, eam, quam recitat Auguſtinus contra Creſconium lib. 3. cap. 53. damnationis ſententiam protulerunt ſcilicet: *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Eccleſiæ matris inimicum, Dathan, Core, & Abiron miniſtrum de pacis gremio ſententiæ fulmen excuſſit, &c. Nec ſolùm hunc ſceleris ſui mors juſta condemnat, trahit etiam ad conſortium criminis plurimos catena ſacrilegii.* Cętera apud eumdem D. Auguſtinum eodem loco.

Concilium Taurinenſe circa tempora Syricii Papæ, & paulò poſt obitum ſancti Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis celebratum. Eſtque Provinciale, anno Domini 397.

COncilium hoc ſub Pontificatu Syricii adhuc viventis, & paulò poſt obitum S. Ambroſii Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopi, habitum fuiſſe, verba Canonis 5. circa finem manifeſtò indicant. Cùm itaque Sario, & Attico Conſulibus, teſte Marcell. in Chronico, Ambroſius defunctus fuerit, iiſdemque Conſulibus Simplicianus eidem ſuffectus eſſe reperiatur, Canon. 48. Concilii Carthaginenſis III. demum non ultra ſequentem annum Syricius Pontifex ſuperſtes fuerit, hanc Synodum præciſè decimo kalend. Octobris, anno Chriſti 397. qui eſt Syricii penultimus, Arcadii, & Honorii Imperatorum 3. celebratam fuiſſe neceſſariò eſt concedendum. Movet tamen dubium Sirmondus to. 1. Concil. Galliæ in notis, quod ex Zoſimi Papę epiſt. ad Africanos Briccius Turonenſis Epiſcopus fuerit tempore hujus ſynodi: At nondum mortuus erat D. Martinus, cui Briccius ſucceſſit. Unde ſynodi epocham differri oportebit.

In hoc Concilio, principio duæ epiſtolæ, in cauſa communicationis cum Felice Ithacianæ factionis Epiſcopo, à Syricio, & Ambroſio ad Taurinenſem ſynodum ſcriptæ, lectæ fuerunt. Extant epiſtolæ apud Binium. Hinc ſubſcribitur ab aliis Taurinenſe Concilium, quod putetur celebratum Taurini, quæ urbs in Italia Tranſpadana ad radices Alpium ſita eſt.

Obſervat hìc Cabaſſutius jus primatus collatum hìc Proculo Maſſilienſi Epiſcopo, ſed tantùm ad vitam ipſius, quod forſan quiſpiam Arrianus poſſideret tunc Eccleſiam Aquenſem.

TITULI CAPITULORUM Concilii Taurinatis.

1 *Ut qui comprobaverit suam civitatem metropolim fuisse, teneat primatum.*
2 *Ut Episcopi, qui contra statuta faciunt, honore priventur.*
3 *De laicis, qui clericis crimen intendunt.*
4 *De Clericis, qui per culpam ab Episcopo suo excommunicantur.*
5 *De his, qui se ab hereticis separare voluerint, ut ab Ecclesia Catholica suscipiantur.*
6 *Ut alterius Clericum non promoveat alter, nec abjectum recipiat.*
7 *De his, qui contra interdictum sunt ordinati, vel in honore filios genuerunt.*

CAPITULA CONCILII TAURINATIS.

Fratribus dilectissimis per Gallias, & quinque provincias constitutis, sancta synodus, quæ convenit in urbe Taurinatum die decimo kal. Octobris. Cùm ad postulationem Provinciarum Galliæ sacerdotes convenissemus ad Taurinatum civitatem, atque in ejusdem urbis Ecclesia, authore Domino, vel mediatore sederemus, auditis allegationibus Episcoporum, eorum (videlicet) qui ad judicium nostrum fuerant congregati, de singulis negotiis hæc sententiæ forma processit, ita ut pacis bonum, & instituta canonum servarentur, & plurimorum contentionibus adhibeatur utilis medicina.

Massiliensis Metropolitanus. 1. Nam cùm primò omnium vir sanctus Proculus Massiliensis Episcopus civitatis, se tanquam Metropolitanum Ecclesiis, quæ in secunda provincia Narbonensi positæ videbantur, diceret præesse debere, atque per se ordinationes in memorata Provincia summorum fieri sacerdotum, si quidem assereret easdem Ecclesias vel suas fuisse, vel Episcopos à se in eisdem Ecclesiis ordinatos, & è diverso ejusdem regionis Episcopi sibi aliud defensarent, ac sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere contenderent, id judicatum est à sancta synodo contemplatione pacis, atque concordię, ut non tàm civitati ejus, quæ in altera provincia sita est, cujus magnitudinem penitùs nesciremus, quàm ipsi potissimùm deferretur, ut tanquam Pater Filiis honore primatus assisteret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate provinciæ minimè tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipsi tantùm in diebus vitæ ejus forma servabitur, ut in Ecclesiis provinciæ secundæ Narbonensis, quas vel suas parochias, vel suos discipulos fuisse constiterit ordinatos, Primatus habeat dignitatem. Illud quoque à partibus sit observandum, quod licèt ex superfluo, non tamen inutiliter commonetur, ut ipse Proculus, tanquam pius pater consacerdotes suos honoret, ut filios, & memoratæ provinciæ sacerdotes, tanquam boni filii, eundem habeant, ut parentem, & invicem sibi exhibeant charitatis affectum, impleto hoc, quod ait beatus Apostolus: *Honore mutuo prevenientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* (*Rom. 12.*) Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis, & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, à sancta synodo definitum est, ut qui ex eis comprobaverit, suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta præceptum canonum ordinationum habeat potestatem. (*Dissidium Arelat. & Viennensis Episc.*) Certè ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliori decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi inter provincias vendicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis proximas magis esse constiterit, ita ut memores unanimitatis, atque concordiæ, non alter alterum sibi longiùs usurpando, quod est alii prius, inquietet.

A 2. Gestorum quoque seriem conscribi placuit ad perpetem disciplinam, quæ circa Octavium, Ursionem, Remigium, & Triferium Episcopos sancta synodus decrevit, qui in usurpatione quadam de ordinatione sacerdotum ad invidiam vocabantur, quod eis eatenus idcirco videtur indultum, ut de cætero hac authoritate commoniti nihil tale usurpare conentur, siquidem ea se ab hac causa excusatione defenderint, qua dicerent, prius se non esse conventos.

Proinde judicavit synodus, ut si quis ex hoc fecerit contra statuta majorum, sciat is, qui ordinatus fuerit, Sacerdotii se honore privandum; ille verò, qui ordinaverit, auctoritatem se in ordinationibus, vel in Conciliis minimè retenturum. Non solùm autem circa memoratos Episcopos hæc sententia prævalebit, sed & B circa eos, qui simili errore decepti, ordinationes hujusmodi perpetrarunt.

3. De Palladio autem laico, qui Spano Presbytero non leve crimen intenderat, inter quos Episcopus Triferius ejusdem criminis causas se cognovisse testatus est, id Concilii decrevit auctoritas, ut idem Palladius in eadem sententia maneret, qua cognitionis tempore à Triferio fuerat sacerdote mulctatus, hoc ei humanitate reservato Concilii, ut ipse Triferius in potestate habeat, quandò voluerit, ei relaxare.

4. Statuit quoque de Exuperantio Presbytero sancta synodus, qui in injuriam sancti Episcopi sui Triferii gravia, & multa congesserat, & frequentibus eum contumeliis provocaverat, ita nonnulla fecerit contra Ecclesiasticam disciplinam, propter quam causam ab C eo fuerat Dominica communione privatus, ut in ejus sit arbitrio restitutio ipsius, in cujus potestate ejus fuit abjectio, hoc est, ut quando vel idem Exuperantius satisfecerit, vel Episcopo Triferio visum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.

5. Illud decrevit præterea sancta synodus, ut (quoniam legatos Episcopi Galliarum, qui Felici non communicant, destinarunt) si quis ab ejus communione se voluerit sequestrare, in nostræ sanctæ pacis consortium suscipiatur juxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas, quæ in Concilio legatis præsentibus recitatæ sunt.

Felix Episcopus Trevirensis, cujus ordinationi interfuit D. Martinus, ac de ea re pœnituit, sentiens ex in virtutis imminutionem ad patranda miracula.

D 6. Nec illud prætermittendum fuit, quod synodi sententia definitum est, ut clericum alterius, secundum statuta canonum, nemo suscipiat, neque suæ Ecclesiæ in alio gradu audeat ordinare, neque abjectum recipiat in communionem.

7. Hi autem, qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio genuerunt filios, ne ad majores gradus ordinum permittantur, synodi decrevit authoritas. Incolumes vos Dominus noster ævo longissimo conservare dignetur, Domini fratres dilectissimi. *In Ca... 3. can... In Ca... 3. ca...*

Concilium Carthaginense ordine II. quòd vulgò dicitur III. circa tempora Syricii Papæ, & ann. 397. præside Aurelio Carthaginensi Episcopo.

E

TITULI CANONUM CONCILII Carthaginensis tertii.

1 *Ut comprovinciales Episcopi de Pascha suum inquirant primatem.*
2 *Ut per singulos annos Concilium fiat.*
3 *Ut Episcopus, priusquam ordinetur, canones agnoscat.*
4 *Ut Levitæ, & virgines ante viginti quinque annos non consecrentur.*
5 *Ut Sacramentum catechumenis non præbeatur.*
6 *Ut baptismus mortuis, vel Eucharistia non detur.*
7 *Ut Episcopus accusatus ubi, vel infra quod tempus examinetur.*

8 *De*

8 *De Presbyteris, & Diaconibus, quanti Episcopi eos audiant.*
9 *Ut clerici publica judicia non appellent.*
10 *Si à quoquam ab aliis judicibus Ecclesiasticis ad alios judices, & Ecclesiasticos majoris authoritatis provocatum fuerit, non obesse prioribus diversas sententias proferentibus.*
11 *Ut filii clericorum ad spectacula non accedant.*
12 *Ut clericorum matrimoniis infideles non socientur.*
13 *Ut clerici de rebus suis nihil infidelibus conferant.*
14 *Ut clerici filios suos à sua potestate exire non sinant, nisi ætate, & moribus comprobatos.*
15 *Ut clerici non sint conductores, vel negociatores.*
16 *Ut clerici non sint usurarii.*
17 *Ut cum clericis extraneæ fœminæ non cohabitent.*
18 *Ut clerici non ordinentur, nisi omnes, qui cum eis sunt, fideles existant.*
19 *Ut clerici, cùm ad pubertatem venerint, aut conjugium, aut castitatem profiteantur.*
20 *Ut plebes alienas alius Episcopus non usurpet.*
21 *Ut nullus Episcopus alienum clericum audeat retinere, vel ordinare.*
22 *Ut nullus clericus ordinetur, nisi fuerit probabilis.*
23 *De precibus, & orationibus.*
24 *Ut in sacrificio tantùm panis, & calix offeratur.*
25 *Ne clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines soli habeant accessum.*
26 *Ut primæ sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur.*
27 *Ut clerici tabernas non ingrediantur.*
28 *Ut Episcopus sine formata metropolitani longius non proficiscatur.*
29 *Ut missa à jejunis celebretur.*
30 *Ut nullus in Ecclesia convivetur.*
31 *Ut pœnitentibus juxta peccatorum modum pœnitentia detur.*
32 *Ut presbyter præter jussa, vel absentiam Episcopi non reconciliet pœnitentes.*
33 *De custodia sacrarum virginum.*
34 *De baptizandis ægrotis, qui jam loqui non possunt.*
35 *Ne apostatis, vel histrionibus conversis pœnitentia negetur.*
36 *Ut Presbyter chrisma non conficiat.*
37 *Ut clerici sine necessitate in aliena civitate non immorentur.*
38 *Ut non liceat fieri translationes Episcoporum.*
39 *Ut non præsumant duo Episcopi ordinare Pontificem.*
40 *Ut dum Episcopus eligitur (si contradictores habet) quinque sacerdotes conveniant.*
41 *Ut per singulos annos convenientes Episcopi ad Concilium etiam de Paschali solemnitate à Primate suo informentur.*
42 *Ut non accipiat alium Episcopum plebs, quæ in diœcesi semper subjacuit.*
43 *Ut qui plebe sua contempta ad Concilium venire detrectant, & plebem, & honorem amittant.*
44 *Ut clericum alienum nullus sibi præsumat Episcopus ordinare.*
45 *Ut Episcopus, qui plures habet clericos, ei, qui eget, ad ordinandum postulatus, largiatur.*
46 *Ut Episcopus in diœcesi factus solùm plebem teneat, qua extitit ordinatus.*
47 *Ut præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum.*
48 *De baptizatis, & Donatistis.*
49 *Ut ea, quæ quis in Ecclesiastico posita acquisivit, Ecclesiæ conferantur.*
50 *Ut gesta Concilii Episcoporum subscriptionibus confirmentur.*

Canones Concilii Carthaginensis tertii.

CÆsario, & Attico viris clarissimis Consulibus, Kal. Septemb. Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ, cùm Aurelius Episcopus unà cum Coepiscopis suis consedisset, astantibus etiam Diaconibus, constituta sunt hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt. (…lorū consulatus in… dit in an. 97.)

Basilica restituta, ita dicta vel à Virgine Martyre ejus nominis, vel à Restituto Episc. Carthag. vel ab eo, quod à Donatistis prius occupata, Catholicis fuerit restituta. Baron. anno 397.

1. Placuit ergo in principio propter errorem, qui sæpè solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere.

2. Similiter placuit, ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur. Ad quos omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos elegerint, Episcopos mittant, (*al. lectio, ternos mittant.*) ut & minus invidiosi, minusque hospitibus sumptuosi existant, ut, congregato conventu, plena possit esse authoritas. De Tripoli autem, propter inopiam Episcoporum, unus Episcopus veniat.

3. Item placuit, ut, ordinandis Episcopis, vel Clericis, prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteat. (*38. Placuit, ut ordin.*)

4. Item placuit, ut ante vigintiquinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec Virgines consecrentur. Et ut lectores populum non salutent. (*77. placuit, ut ante annos.*)

5. Item placuit, ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec catechumenis oportet mutari. (*25. & 20. qu. 1. placuit, ut supra, & in dec. Ivon. lib. 3.*)

Nota. *Ex 3. Canone Apostolorum, multa offerebantur à fidelibus pro sacrificio, & sustentatione ministrorum, puta panis, vinum, lac, sal, &c. Ex his sal dumtaxat vult Canon hic dari catechumenis: vetatque illis dari sacramentum, hoc est reliquias panis consecrati. Nos hostias diceremus. Vide Petavium in animad. ad expositionem fidei num 22.*

6. Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est enim à Domino: *Accipite, & edite.* Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistia dari licitum est.

7. Aurelius Episcopus dixit: Quisquis Episcoporum accusatur, ad primates Provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, electorum judicium, die statuta litteris evocatus, minimè occurrerit, hoc est, infra spacium mensis ex ea die, qua eum litteras accepisse constiterit. Quòd si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem. Verum tamdiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad Concilium anniversarium occurrere voluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis suæ sententiam dixisse judicetur. Tempore sanè, quo non communicat, nec in sua Ecclesia, vel parochia communicet. Si verò aliquando fuerit subtrahens, se restituto in communionem Episcopo, removeatur à communione accusator, ita tamen, ut nec ipsi admittatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem occurrere voluisse, sed non potuisse probaverit. Illud verò placuit, ut cùm agere cœperit in Episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non adimatur, nisi proprias causas, non tamen Ecclesiasticas, asserere voluerit. (*4. quæst. 5. Quisque.*) (*4. q. 6. Illud verò placuit.*)

8. Si autem Presbyteri, vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis cum proprio Episcopo legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, idest, una secum in Presbyteri nomine sex, in Diaconi tribus, ipsorum causas discutiant, eadem dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum inter accusatores, & eos, qui (*15. q. 7. Si Presbyt.*)

accusantur, forma servata. Reliquorum autem Clericorũ causas etiam solus Episcopus loci agnoscat, & finiat. A

11. qu. 1. Placuit, ut quisquis.

9. Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione. In civili verò perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit, siquidem ad eligendos judices sibi de Ecclesiæ consortio dubitat, vileque Ecclesiæ consortium judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium, cùm privatorum causas Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.

2. Cor. 6.

2. q. 1. Placuit, & in dec. Ivon. l. 4.
2. q. 6 Sanè, si & in dec. Ivonis, l. 4.

10. Hoc etiam placuit, ut à quibuscunque judicibus Ecclesiasticis, ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major authoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati. Sanè, si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est, non liceat provocari. B

11. Ut filii Sacerdotum, vel Clericorum spectacula sęcularia non exhibeant, sed nec spectent, quoniam quidem ab spectaculo & omnes laici prohibeantur. Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut, ubi blasphemi sunt, non accedant.

12. Item placuit, ut filii, vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non jungantur. C

13. Episcopi, vel Clerici in eos, qui catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, nec per donationes rerum suarum aliquid conferant.

14. Ut Episcopi, vel Clerici suos filios à sua potestate per emancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint & ætate securi, ut possint ad eos jam propria pertinere peccata.

21. quæst. 3. Placuit, ut Ep.

15. Item placuit, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi, vel inhonesto negotio victum quærant, quia respicere debent, scriptum esse: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

2. Tim. 2.

14. quæst. 4. nullus Cleric.

16. Ut nullus Clericorum amplius recipiat, quàm cuiquam accommodaverit, si pecuniam accipiat, speciem eandem, quantam dederit, accipiat, & quicquid aliud tantum, quantum dederit, accipiat. D

18. Cum omnibus.

17. Ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, & matertera, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum, & quæcunque ex familia domestica, necessitate etiam, antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant, vel si filii eorum jam ordinatis parentibus uxores acceperunt, aut servis non habitantibus in domo, quas ducunt, aliunde ducere necessitas fuit.

19. Ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui sunt in domo eorum, Christianos catholicos fecerint.

d. 23. Lect. cum ad. Et dec. Ivonis lib. 3.

19. Placuit, ut lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. E

7. q. 1. Placuit, ut à d. 71. Cleric. alien.

20. Placuit, ut à nullo Episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis Episcoporum supergrediatur in diœcesi suum collegam.

21. Ut Clericum alienum, nisi concedente eis Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores, & psalmistæ, & ostiarii retineant.

24. Nullus cler.

22. Ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.

23. Ut nemo in precibus vel Patrem pro filio, vel filium pro Patre nominet. Et cùm ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quascunque sibi preces aliquis describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit.

Controversia de directione Orat. ad personam Patris.

Arri... argu... Can. I

ARgumentum, quo utebantur Arriani ex initio Canonis Missæ, *Te igitur clementissime Pater per Jesum Christum, &c.* potuit tunc aliquos commovere ad immutandam istam formulam precandi in Altaris sacrificio. Ut enim hæreticis assuetum est omnem lapidem movere ad corroborandum suum dogma, præter trecentas rationes ex natura rerum desumptas, & quadraginta locos scripturæ ad decipiendos fideles, adhibebant etiam Canon. Missæ, in quo ad solum Patrem dirigitur sacrificium; erat autem hoc eorum argumentum quasi palmare, ut meminit D. Fulgentius lib. 2. ad Monimum cap. 2. Gravis erat enim difficultas, num istud decretum faveat Arrianis, qui volebant sacrificium, & orationes ad solum Patrem dirigi, eo quod sola prima persona sit verus Deus: Unde nolebant his personis, origine posterioribus, offerri sacrificium, & honorem æqualem honori, qui Patri defertur: quæ est, ait Theophilus Rainaudus in Heteroclitis spiritualibus sect. 1. punct. 1. atrocissima impietas, & vertex blasphemiæ, quam refellit S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum cap. 2. ubi videtur hanc difficultatem tractare. Si qui verò, inquit, Catholici fideles, hujus sacramenti nunc usque videbantur ignari, deinceps scire debent, omne cujuslibet honorificentiæ, & sacrificii salutaris obsequium, & Patri, & Filio, & Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi. In cujus utique uno nomine manifestum est sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præjudicium Filio, vel Spiritui sancto comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur. Cujus consummatio, dum Filii, & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur: & cùm ad Patrem litantis intentio destinatur, sacrificii munus omni Trinitati uno, eodemq; offertur litantis officio. Ex quibus verbis D. Fulgentii dissolvitur argumentũ Arrianorum, qui volebant inferre, solum Patrem esse Deum, quod ad ipsum dirigeretur oratio, & sacrificium, cùm ad totam Trinitatem, omnesque personas dirigatur, licèt sola persona Patris nominetur. Etsi enim licitum sit, singulas personas seorsim ab aliis invocare ad aliquod beneficium consequendum, seu ad ipsas specialiter honorandas: non tamen id fieri debet cum intentione excludendi alias personas, quasi pari cultu dignæ non essent, aut ab una sola emanaret beneficium, non etiam ab aliis, cùm opera Trinitatis ad extra sint indivisa, id est, omnibus communia. Quare & ad omnes Trinitatis personas dirigi potest oratio, & ad singulas seorsim haberi devotio, sicut in Theologia Affectiva ostendimus tract. 2. qui est de S. Trinitate, medit. 6. Quia autem scripturæ sacræ methodus est nobis repræsentare Patrem offensum hominibus, qui per solum Filium pacari potest, in quo magis commendatur mysterium redemptionis humani generis, exinde Ecclesia in precibus publicis orationem ad Patrem per Filium adimplendam dirigit. Non est verò privatorum preces publicas immutare, ideò decretum Concilii istud prohibet in precibus publicis: estque istud magis conforme modo loquendi scripturæ sacræ propter ordinem redemptionis. Porrò ex eodem canone 23. Molinæus Calvinista famosus in libro, cui nomen imposuit: *Novitas Papatus, sive Replicatio ad Responsionem Serenissimi Jacobi Regis Magnæ Britanniæ.* Ex hoc ipso decreto Patrum Carthaginensium bellum movet adversus invocationem, & adorationem Christo exhibitam in Eucharistia, quasi Patres Carthaginenses, inter quos emicabat D. Augustinus, decernendo orationem ad Patrem dirigi in altari, prohiberent dirigi ad Filium, ac consequenter illi exhiberi adorationem in altari, seu in Eucharistia. At si hoc verum est, sequeretur Patres istos fuisse Arrianos, qui adoratio-

Sacrif. Missæ.

tionem Filio denegarent, fuisse quoque Macedonianos, seu Pneumatomachos, qui Spiritum sanctum coadorandum cum Patre, & Filio negabant, tantum enim valet consequentia contra Spiritum sanctum, ac contra Christum in Eucharistia, si ratiocinatio Molinæi valet, fas non fuisse ad Christum preces dirigere in Eucharistia: itidemque nefas erat, ut loquitur, corpus ejus adorare: siquidem in religione Christiana omnis adoratio invocationem includit, & hinc nomen suum mutuatur, adoratio enim quædam est oratio: Atque hoc ideò, quia tertio Concilio Carthag. ferie 2. 3. definitum est, ut cùm altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. At quis credat, D. August. si comperisset Concilium vel Arrianis, vel Macedonianis tantillum favere, non saltem moniturum Patres illos, vel ab eorum cœtu, si reperisset pertinaces, non discessurum? Respexerunt ergo illi Patres ad sacrosanctum Missæ Canonem ab Apostolis traditum, & ægrè ferentes pro quorumdam arbitrio variari, ex quacumque occasione id accideret, sanxerunt, ut sacerdotes ad Patrem dirigerent orationem in sacrificio incruento offerendo, sicque uniformitatem Deo gratam, & Ecclesiæ decoram in rebus sacris servarent illibatam, ut scitè observavit Saussajus nunc Episcopus Tullensis in Appendice *de Christi invocatione, & adoratione.*

...ã sub-...nxit Pa-...pl. Sa-...d. cõtra ...tr. Moli-...ũ Calv.

24. Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum. Nec ampliùs in sacrificiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis.

...conf. d. in sacr. ...clerici, ...l cont.

25. Ut Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines, nisi jussu, vel permissu Episcoporum, & Presbyterorum non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum Clericis, vel cum his, cum quibus Episcopus jusserit, vel Presbyter. Nec Episcopi, aut Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas, nisi aut Clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani.

...Primæ ...lis.

26. Ut primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.

Nota. *Hadrianus Papa in epist. ad Episc. Hispaniæ contra Elipandum Toletan. vocat se primæ sedis Episcopum, Joannes octavus secundæ Tricassinæ Synodo subscripsit se primæ sedis Episcopum, nec Concilium hoc provinciale legem statuit, nec statuere potuit Pont. Rom. sed Episcopis Africanis, ac primatibus, qui his titulis principis sacerdotum, aut summi sacerdotis insignes haberi volebant. Quod tituli illi ab aliis usurpabantur, ut patet vel ex sola historia Ruffini, quam ad Chromatium Episcopum Aquileensem direxit, vocans eum Pont. Maximum, ut advertit Franciscus Rhotomag. Archiep. lib. 1. hist. cap. 15. licèt quædam exemplaria id non habeant.*

27. Ut Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

28. Item placuit, ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis Episcopo, sive cujuscunque Provinciæ Primate, ut ab Episcopo præcipuè possint sumere formatam, vel commendationem.

...conf. d. ...acram.

29. Ut Sacramenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum promeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.

30. Ut nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur: populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.

...q. 7. pæ-...entibus ...undum.

31. Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiã, Episcopi arbitrio pœnitentiæ, tempora decernantur.

32. Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente. Cujuscunque pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidem manus eis imponatur.

33. Ut virgines sacræ, si parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi providentia, vel Presbyteri, ubi Episcopus absens est, in monasterio Virginum, vel gravioribus fœminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagantes Ecclesiæ lædant opinionem.

34. Ut ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum est.

De conf. d. 4. ægrotãtes. Et in dec. Ivonis lib. 1.

35. Ut scenicis, atque histrionibus, cæterisque hujusmodi personis, vel apostaticis conversis, vel reversis ad Dominum, gratia, vel reconciliatio non negetur.

36. Ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, chrisma verò nunquam conficiat.

37. Ut Clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas Episcopi loci, vel Presbyteri locorum perviderint.

38. Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum; quod non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villeregiensis Episcopus, plebe sua derelicta, Tibinensem invasit Ecclesiam, & usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam invaserat, plebem, contempsit. Adversus istum, quę pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus, sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, qua necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis rectorem provinciæ, secundum statuta gloriosissimorum principum, adversus illum adire, ut qui miti admonitioni sanctitatis vestræ acquiescere noluit, & emendare illicitum, authoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius Episcopus dixit: Servata forma disciplinæ non æstimabitur appetitus, si à vestra charitate modestius conventus recedere detrectaverit, cùm fuerit suo contemptu, & contumacia faciente, etiam authoritate judiciaria conventus. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Hoc enim omnibus placet. Ab universis Episcopis dictum est: Justum est, placet.

De conf. d. 4. Non licet fieri. Et in dec. Ivonis l. 1.

11. q. 1. Petimus.

39 Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, ut, quia proximè fratres nostri Numidiæ duo Episcopi ordinare præsumpserunt Pontificem, nonnisi à duodecim censeatis Episcoporum celebrari ordinationes. Aurelius dixit: Forma antiqua servabitur, ut non minus, quàm tres sufficiant, qui fuerint à Metropolitano directi ad Episcopum ordinandum, propterea, quia in Tripoli fortè, & Arguze interjacere videntur barbaræ gentes. Nam in Tripoli (ut asseritur) Episcopi sunt quinque tantummodo, & possunt fortè de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari. Difficile est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere. Numquid debet hoc ipsum impedimento Ecclesiasticæ esse utilitati? Nam & in hac Ecclesia, ad quam dignata est sanctitas vestra humaniter convenire, crebrò, ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus. Nunquid nam frequenter potero duodecim, vel decem, vel multo minus advocare Episcopos? Sed facile est mihi duos adjungere meæ parvitati Episcopos vicinos. Quapropter cernit mecum charitas vestra, hoc ipsum observari non posse.

40. Sed illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta (quia talia facta sunt apud nos) non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres jam, sed postulentur ad numerum supradictorum duo, vel tres, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur, primò personæ contradicentium, postremò illa etiam, quæ objiciuntur, pertractentur. Et cùm purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignitatis responsione. Ab universis Episcopis dictum est: Placet satis.

d. 23. Illud statuendũ est.

41. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Quoniam de Concilio quædam tractata noscuntur, adjicimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi (sicut prædictum

ctum est) instruamur, & non sub angusto temporis spacio. Aurelianus Episcopus dixit: Si sanctitati vestræ videtur (quoniam nos spopondisse jam superius meminimus) ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus, & cùm convenerimus in unum, tunc divulgabitur sanctus Paschæ dies per legatos, qui fuerit in Concilio. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Nunc de præsenti cœtu petimus, ut litteris provinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius Episcopus dixit: Ita fiat necesse est.

19 quæst. 1. Multis Conciliis.

24. Epigonius Episcopus dixit: Multis in Conciliis hoc statutum est à cœtu Sacerdotali, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant rectores, id est, Episcopos. At verò, quia nonnulli quodam dominatu adepto communionem fratrum abhorrent, vel certè, cùm elevati fuerint, quasi in quadam arce, tyrannicam sibi dominationem vindicant, quod plerique stolidi adversus Episcopos suos cervices erigunt Presbyteri, vel conviviis sibi conciliantes plebem, ut persuasu maligno, & illicito eosdem velint sibi collocare rectores, quod quidem insigne mentis tuæ tenemus votum, frater religiose Aureli, qui hæc sæpè oppressisti, non curando tales petitiones, sed propter eorum malos cogitatus, & pravè concinnata consilia hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem, quæ in Diœcesi semper subjacuit, nec umquam proprium Episcopum habuit. Quapropter si universo sanctissimo Concilio complacet hoc, quod prosequutus sum, confirmetur. Aurelius Episcopus dixit: Fratris, & consacerdotis nostri prosequutioni non obsisto, sed hoc me fecisse, & facturum esse confiteor, circa eos sanè, qui fuerint concordes, non solùm circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne Sacerdotale consortium.

43. Sunt enim plerique conspirantes cum propriis plebibus, quas decipiunt (ut dictum est) earum scalpentes aures, ad seducendum vitiosæ vitæ homines, vel certè inflati, & ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum, & nonnunquam conventi ad Concilium venire refugiunt, & detrectant, sua fortè ne prodantur flagitia metuentes. Dico, si placet, circa hos, non tantùm Diœceses non esse servandas, verum etiam & de propria Ecclesia, quæ illis malè faverit, omnino adnitendum, ut etiam authoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur. Oportet enim, ut qui universis fratribus, ac toti Concilio adhæserit, non solùm sua jure integro, sed & diœceses possideat. At verò qui sibimet putant plebes suas sufficere, fraterna dilectione contempta, nec tantùm Diœceses amittant, sed (ut dixi) etiam in propriis publica careant authoritate, ut rebelles. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Summa provisio sanctitatis tuæ cohæsit mentibus singulorum, & puto omnium responsione ea, quæ prosequi dignatus es, probanda. Universi Episcopi dixerunt: Placet, placet.

44. Epigonius Episcopus dixit: In multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est vestra providentia, fratres beatissimi, ut clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus. Dico autem Julianum (qui ingratus Dei beneficiis per meam parvitatem in se collatis) ita temerarium, & audacem extitisse, ut eum (qui à me baptizatus est, cùm esset puer egentissimus, mihi ab eodem commendatus, cumque multis annis à me aleretur, atque increscerct) hunc, ut dixi, baptizatum in Ecclesia mea per manum parvitatis meę, constat (idem in Diœcesi Mapaliensi lector esse cœperat, imò annis fermè duobus legerat) nescio quo contemptu humilitatis meæ, idem Julianus arripuit, quem dicit quasi proprium civem sui loci Uzaritani, me inconsulto usurpare: nam & diaconum illum ordinavit, hoc si liceat, pateat hæc licentia à vobis, beatissimi fratres: sin minus, tàm impudens cohibeatur, nec se misceat communioni cujusquam. Numidius Episcopus dixit: Si non postulata, neque consultata tua dignatione id videatur fecisse Julianus, judicamus omnes iniquè factum, atque indignè. Quapropter, nisi idem Julianus correxerit errorem suum, & cum satisfactione eundem Clericum, quem fuit ausus ordinare, revocaverit tuæ plebi contra statuta Concilii faciens, contumaciæ suæ, separatus à nobis, excipiet judicium. Epigonius Episcopus dixit: Ætate Pater, & ipsa promotione antiquissimus vir laudabilis, frater, & collega noster Victor vult, hanc petitionem generalem omnibus effici.

45. Aurelius Episcopus dixit: Sermonem meum admittite, fratres. Contingit nonnunquam, ut postulemur ab Ecclesiis, quæ præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris, & tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, atque ei inculcem, quod ejus clericus à qualibet Ecclesia postuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati sunt, & ne quando contingat, ut reluctentur, cùm fuerint à me in hac causa postulati, quem scitis multarum Ecclesiarum, & ordinandorum causam sustinere. Justum est ergo, ut quemlibet consacerdotum conveniam cum duobus è consortio nostro, vel tribus testibus. Si verò indevotus extiterit, quid censet charitas vestra faciendum? Ego enim cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei (ut scitis fratres) solicitudinem sustineo. Numidius Episcopus dixit: Fuit semper hæc licentia huic sedi, unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum. Epigonius Episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem. Minus enim præsumis, frater. Et cùm te bonum, & clementem omnibus reddis (habes enim hoc in arbitrio) satis est, ut satisfiat personæ uniuscujusque Episcopi in prima tantummodo conventione. Si autem quodlibet huic sedi vindicandum fuerit sibi arbitratus, necesse habes tu, omnes Ecclesias suffulcire. Unde tibi, non potestatem damus, sed etiam assignamus, ut liceat voluntati tuæ & semper tenere, quem voles, ut præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde voles. Posthumianus Episcopus dixit: Deinde, qui unum habuerit, nunquam debet illi ipse unus Presbyter auferri? Aurelius Episcopus dixit: Sed Episcopus unus esse potest, per quem dignatione divina Presbyteri multi constitui possunt, unus autem Episcopus difficile invenitur constituendus. Quapropter si necessarium Episcopatui quis habet Presbyterum, & unum (ut dixisti, frater) habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Posthumianus Episcopus dixit: Ergo si habet alius abundantes clericos, debet mihi alia plebs subvenire. Aurelius Episcopus dixit: Sanè, quomodò Ecclesiæ alterius tu subveneris, persuadebitur illi, qui plures habet clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.

46. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Audivimus constitutum, ut Diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi cum consensu ejus, sub quo fuerint constitutæ. Sed in Provincia nostra, cùm aliqui fortè in Diœcesi (concedente coepiscopo, in cujus potestate fuerant constitutæ) ordinati sunt Episcopi, etiam Diœceses sibi vindicant. Hoc & corrigi charitatis vestræ judicio, & inhiberi de cætero docet. Epigonius Episcopus dixit: Singulis Episcopis servatum est, quod decebat, ut ex massa Diœcesium nulla caperetur, ut proprium Episcopum habuisset, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi. Sufficiat enim, si consenserit, ut eadem Diœcesis permissa proprium tantùm Episcopum habeat, & cæteras sibi non vindicet Diœceses, quæ exempta de fasce multarum, sola meruit honorem Episcopatus suscipere. Aurelius Episcopus dixit: Non dubito charitati vestræ omnium placere, eum, qui in Diœcesi concedente Episcopo, qui matricem tenuit, solam eandem retinere plebem, in qua fuit ordinatus.

47.

47. Item placuit, ut præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem Canonicæ scripturæ, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job unus, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem testamenti viginti septem, Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, & Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus, qui sunt viginti septem. Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cùm anniversarii dies eorum celebrantur.

1.q.4.Ut de infatibus. Nota. *Bonifacius sedere cœpit anno 418. unde ex alio Concilio Carthaginensi hic Canon hìc transcriptus est.*

48. De Donatistis placuit, ut consulamus fratres, & Consacerdotes nostros Syricium, & Simplicianum de solis infantibus, qui baptizantur penes eosdem, ne, quod suo non fecerunt judicio, cùm ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, nec provehantur sacri altaris ministri. Quibus insertis Honoratus, & Urbanus Episcopi legati provinciæ Mauritaniæ Sifensis dixerunt: Jamdudum, cùm apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus ea contemplatione, quòd fratres nostri advenire possent de Numidia legati: sed quia non pauci dies sunt, quibus expectati minimè venerunt, ultrà prætermittere, quæ nobis mandata sunt à nostris Coepiscopis, non oportet, atque ideò, fratres, suggestionem nostram libenter admittite. De fide enim Nicæni tractatus audivimus. Verum & de sacrificiis inhibendis post prandium, ut à jejunis (sicut dictum est) offerantur, & tunc, & nunc confirmatum est.

49. Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum divinarum invasionis, crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis venerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quod si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tanquam reprobi, judicentur.

50. Aurelius Episcopus dixit: Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si omnia cum animo vestro convenerunt, sermone vestro cuncta roborate. Universi Episcopi dixerunt: Omnibus hæc placuerunt, & hæc nostra subscriptione firmamus. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & relecto subscripsi. Epigonius Episcopus Bullensis, Regiensis subscripsi. Augustinus Episcopus plebis Hyppone subscripsi. Similiter & omnes Episcopi quadraginta quatuor numero subscripserũt.

Nota. *Hìc addunt aliqui plura decreta alicuius Concilii Carthaginensis; at, quia incertum est, quale sit, aut sub quo tempore, & præside habitum, chartam hìc non occupabunt. Abbreviationes verò Concilii Hypponensis supra datæ sunt in eodem Concilio Hypponensi.*

Concilium Carthaginense ordine tertium, licèt vulgò dicatur quartum, habitum ab Episcopis ducentis quatuordecim, tempore Anastasii, æra 436. anno 398.

INgens Episcoporum numerus ad hanc Synodum convenit, quod extincto Gildone tyranno, qui res Africæ perturbabat, facilius convenire potuerint ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restituendam potissimum, licèt etiam pauca habeat contra novas Origenistarum hæreses emergentes.

TITULI CANONUM CONCILII

Carthaginensis quarti.

1 *QUaliter debeant Episcopi ordinari.*
2 *Qualiter consecrentur Episcopi.*
3 *Qualiter Presbyteri ordinentur.*
4 *Quemadmodum Diacones constituantur.*
5 *Quemadmodum subdiaconi ordinentur.*
6 *Quemadmodum acolythi ordinentur.*
7 *Qualiter exorcistæ constituantur.*
8 *Qualiter lectores fiant.*
9 *Qualiter ostiarii ordinentur.*
10 *Qualiter psalmistæ.*
11 *Qualiter virgines sanctimoniales.*
12 *Qualiter viduæ, vel sanctimoniales ad baptisterium ordinentur.*
13 *Qualiter sponsi, & sponsæ benedicantur.*
14 *De cellula Sacerdotis.*
15 *De victu, & habitu Sacerdotis.*
16 *Ut Episcopus libros gentilium non legat.*
17 *Ut Episcopus indigentium curam per Presbyteros, & Diaconos agat.*
18 *Ut Episcopus testamentum per tuitionem non suscipiat.*
19 *Ut Episcopi pro rebus sæcularibus non litigent.*
20 *Ut Episcopus tantùm divinis vacet.*
21 *Ut Episcopus ægrotans per se legatum ad Synodum mittat.*
22 *Ut Episcopus sine testimonio clericorum, & plebis clericos instituat.*
23 *Ut Episcopus causas clericis absentibus non audiat.*
24 *Ut quando Episcopus verbum facit, nullus discedat.*
25 *De discordantibus Episcopis.*
26 *Ut Episcopus dissidentes concordare compellat.*
27 *De Episcopo, vel clerico in alium locum non transferendo.*
28 *De damnatione Episcoporum à Synodo tractanda.*
29 *De Episcopo, qui alicui crimen objecerit.*
30 *Quod irrita sit sententia Episcoporum in absentem.*
31 *Qualiter res Ecclesiæ ab Episcopo habeantur.*
32 *De irritis distractionibus Episcoporum.*
33 *De Episcopis, vel Presbyteris, ut à cujuscumque Ecclesia in ordine suo recipiantur.*
34 *De primatu consessus Presbyterorum cum Episcopo.*
35 *De consessu Presbyterorum in Ecclesia cum Episcopo.*
36 *Ut Presbyteri Parochiani aut per se, aut per alios, qui sacra tractant, chrisma ab Episcopo petant.*
37 *De obedientia Diaconorum erga Presbyteros.*
38 *Ut Diaconus Eucharistiam jussu Presbyteri ministret.*
39 *Ut Diaconus, jubente Presbytero, sedeat.*
40 *Ut Diaconus coram Presbyteris interrogatus respondeat.*
41 *Ut Diaconus, tempore tantùm officii, albam induat.*
42 *De clericis, qui pro fide tentati sunt.*
43 *De his, qui pro fide ab infidelibus persecutiones passi sunt.*
44 *De tonsura clericorum.*
45 *De habitu clericorum.*
46 *De continentia clericorum.*
47 *De incessu clericorum.*

48 *De clericis, qui extra necessitatem ad nundinas vadunt.* A
49 *De vigiliis clericorum.*
50 *De clericis ab officio continentibus.*
51 *De clericis, ut artificio victum quærant.*
52 *De clericis, qualiter sibi victum, & vestitum quærant.*
53 *Ut legant clerici, qui orare possunt.*
54 *De clericis invidis.*
55 *De clericis accusatoribus.*
56 *De clericis adulatoribus, & proditoribus.*
57 *De clericis maledicis.*
58 *De clericis frequenter litigantibus.*
59 *De clericis discordantibus.*
60 *De clericis turpiloquis, sive vagis.*
61 *De clericis per creaturas jurantibus.* B
62 *De clericis inter epulas cantantibus.*
63 *De clericis sanis jejunia polluentibus.*
64 *De his, qui studiosè Dominico die jejunant.*
65 *De Pascha suo tempore celebrando.*
66 *Ut clericus ab Episcopo injustè damnatus recurrat ad Synodum.*
67 *De seditionariis, aut usurariis, ne clerici fiant.*
68 *Ut ex pœnitentibus ordinatus clericus deponatur.*
69 *Ut Episcopus viduæ, vel repudiatæ, maritum ad clerum promovens, deponatur.*
70 *Ut clericus hæreticorum convivia, vel consortia fugiat.*
71 *Quod hæreticorum cœtus non Ecclesia, sed conciliabulum sit.* C
72 *Quod cum hæreticis nec orandum sit, nec psallendum.*
73 *Ut cum excommunicatis communicans, vel orans, excommunicetur.*
74 *De pœnitentium lege.*
75 *De negligentioribus pœnitentibus.*
76 *De poscentibus pœnitentiam, si postea obmutescant.*
77 *De pœnitentibus, ut in morte viaticum accipiant.*
78 *De pœnitentibus, si post viaticum supervivant.*
79 *De pœnitentibus, si casu aliquo moriantur.*
80 *De manus impositione super pœnitentes.*
81 *Ut pœnitentes mortuos efferant, & sepeliant.*
82 *Ut pœnitentes semper genua flectant.*
83 *De senibus honorandis.* D
84 *Usque ad missam Catechumenorum nullus Ecclesiam ingredi prohibeatur.*
85 *Ut, qui baptizandi sunt, nomen dent, & à vino, & à carne abstineant.*
86 *Ut nuper baptizati castè, & continenter vivant.*
87 *De Catholicis, qui causam apud infideles proponunt.*
88 *De his, qui, Ecclesia prætermissa, ad spectacula pergunt.*
89 *De his, qui auguriis, vel incantationibus, vel Judaicis superstitionibus serviunt.*
90 *De energumenis.*
91 *Item de energumenis.* E
92 *De victu energumenorum.*
93 *Ut oblationes discordantium non recipiantur.*
94 *Ut oppressorum pauperum oblationes non suscipiantur.*
95 *De his, qui oblationes defunctorum Ecclesiis fraudant.*
96 *De accusatore, & accusato.*
97 *De eo, qui religiosis fœminis præficitur, ut probetur.*
98 *Ut laicus præsentibus clericis non doceat.*
99 *Ut mulieres publicè docere non præsumant.*
100 *Ut mulieres baptizare non præsumant.*
101 *De viduis adolescentibus, & infirmis.*
102 *Ne clerici viduarum familiaritati associentur.*
103 *De viduis, quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur.*
104 *De viduis, quæ professæ continentiam prævaricatæ sunt.*

STATUTA ECCLESIÆ ANTIQUA.

AUgusto Honorio quarto, & Eutychiano Consulibus, sexto Idus Novembris, cùm Aurelius Episcopus in Concilio universali Carthagine in secretario cum omnibus Consacerdotibus suis consedisset, placuit cum eo cunctis, qui fuerunt in eadem sancta Synodo, constituere hæc, quæ ad ordines Ecclesiasticos Canonicis sunt necessaria disciplinis. Ibi in principio constitutum est, qualis ordinari debeat Episcopus.

B 1. Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negociis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coessentialem, & consubstantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans, si singulam quamque in Trinitate personam plenum Deũ, & totas tres personas unum Deum, si incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantùm credat, ut qui erat in divinitate C Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis Matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationalem, simul in eo veritas utriusque naturæ, idem Deus homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus Creator omnium, quæ sunt, & author, Dominus, & rector cum Patre, & Spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos, & mortuos. Quærendum etiam ab eo, si novi, & veteris testamenti, id est, legis, & Prophetarum, & Apostolorum unum, eundemque credat authorem, & Deum, si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit D malus. Quærendum etiam ab eo, si credat hujus, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem, si credat judicium futurum; & recepturos singulos pro his, quæ in carne gesserint, vel pœnas, vel præmia, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tàm illud originale contractum, quàm illa, quæ voluntariè admissa sunt, dimittatur, si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur. Cùm in his omnibus examinatus fuerit, inventus plenè instructus, tunc cum consensu clericorum, & laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani, vel authoritate, vel præsentia ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopa- E tu, non suæ delectationi, nec suis motibus, sed his Patrum diffinitionibus acquiescat. In cujus ordinatione etiam ætas requiratur, quam sancti Patres in præeligendis Episcopis constituerunt. Dehinc disponitur, qualiter Ecclesiastica officia ordinantur.

Episc... litate

2. Episcopus, cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & * cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.

dist. 23 cum or... indec. lib. 3. ... ticem.

3. Presbyter, cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

4. Diaconus, cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum

cum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. A

Annotatio.

AD Canones iſtos gravis tractatur quæſtio de materia ordinationum, an ſola manus impoſitio ſufficiat, an porrectio inſtrumentorum inſuper requiratur in ordinatione Presbyteri, & Diaconi, & cætera. Joannes Morinus *de Sacris ordinationibus, p. 3. exercit. 7. c. 1.* Solam impoſitionem manuum omnis Eccleſia Latina, Græca, barbara ſemper agnovit. Hanc ſolam, inquit, commemorant omnes antiqui Rituales & recentiores Patres Græci, & Latini. Favetque hic Canon ſecundus, tertius, quartus, imo & quintus. Sed argumenta Morini ſunt ab auctoritate negativa. Ideo minus probant. Non omnia ad Euchar. ſpectantia antiquitus divulgata fuerunt. Et Caballutius ejuſdẽ Inſtituti cum Morino hic monet, ipſum Morinum non advertiſſe Ordinẽ Romanum libellũ ab Alcunio Caroli Magni Præceptore alicubi allegatum, ac per conſequens altioris antiquitatis referre in ea parte non ſolum manus ab Epiſcopo illis imponi, qui Sacerdotio initiantur, & manus inungi, ſed etiam calicem cum vino aqua permixto, & patenam cum pane tradi, ſimulque iſta iis enuntiari: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tàm pro vivis, quàm pro defunctis.* Unde colligas porrectionem inſtrumentorum non eſſe rem adeo novam, ut putat Morinus, cujus proinde initium cum neſciatur, ad tempora anteriora, imo & Apoſtolorum referendum erit. *Ordinationis materia.* B

Quod adjungit de praxi aliquot Eremitarum, quos refert Theodoretus ordinatos fuiſſe in Presbyteros nulla facta mentione porrectionis inſtrumentorum, id indebitè factum de Macedonio teſtatur idem Theodoretus hiſt. religioſæ cap. 13. Scimus ſanè inquit, haud laudandam iri à multis hanc narrationem. Deinde ait hunc Eremitam altari admotum fuiſſe cum inter Sacerdotes cooptatus, quæ ad altare admotio eſt quidam virtualis contactus inſtrumentorum, ut diximus in controverſia Concilii Florentini, ad quam lectorem remittimus, ubi de iſta difficultate plura. Extra *de conſuetudine c. 2. ex litteris*, Innocentius III. ſcribit rem cenſeri traditam per poſitionem ipſius ſuper altare ſub teſtimonio videntium, & audientium. Sic igitur poteſt fieri traditio inſtrumentorum per approximationem ad illud, aut ipſius contactum, cum in eo inſtrumenta fuerint. Nec tàm ſollicitè præcipui ordines, ad altare, ſemper cautum fuiſſet, ut conferrentur, ſicut ſemper cautum fuit, niſi quod illa admotio, aut contractus altaris ſuppleret vicem porrectionis inſtrumentorum. Supponit autem concilium ad altare ordinatos fuiſſe Presbyterum, & Diaconum pro more uſitato, & ſi expreſsè non meminerit: Sicut meminit Toletan. 4. cap. 27. ut infra patebit. Inde verò poterunt concordari Latinorum, & Græcorum ordinationes, de quibus hactenus tanta fuit inter Doctores diſputatio. *Contactus virtualis inſtrumentorum.* C D

5. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. E

6. Acolythus cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceriferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.

7. Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſive baptizatum, ſive catechumenum.

8. Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſt hæc ſpectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto * lector verbi Dei, habiturus, ſi fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei miniſtraverunt. *elator.*

9. Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altario, dicens: Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. *Ib. oſtiarius.*

10. Pſalmiſta, id eſt cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero: Vide, ut, quod ore cantas, corde credas, &, quod corde credis, operibus comprobes. *Ibid. Pſal.*

11 Sanctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt, profeſſioni, & ſanctimoniæ aptis.

12 Viduæ, vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tàm inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint * aperto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres, tempore, quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant. *al. apto.*

13. Sponſus, & ſponſa cum benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant. *di. 23. & 30. qu. 5. Sponſus à ſponſ. Ivo. lib. 6.*

14. Ut Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat. *di 41. Ep. diſt 37. ep. Synod. l. 2.*

15. Ut Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat.

16. Ut Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate, & tempore.

17. Ut Epiſcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum non per ſeipſum, ſed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat. *Ibid.*

18. Ut Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.

19. Ut Epiſcopus provocatus pro rebus tranſitoriis non litiget.

Gratianus diſt. 14. qu. 1. aliter, & melius legit in hunc modum: Epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis litiget, & ita legit codex S. Victoris. Gratianus clarè explicat hunc Canonem. In 1. tomo Conciliorum ſic legitur: ut Epiſcopus, non provocatus, pro rebus tranſitoriis litiget. In noſtro codice antiquiſſimo habetur; Ut Epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis non litiget.

20. Ut Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe revocet, ſed ut lectioni, & orationi, verbo, & prædicationi tantummodo vacet. *di. 88. Epiſ. nullam rei.*

21. Ut Epiſcopus ad Synodum ire non tardet, ſi non ſine ſatis gravi neceſſitate inhibeatur, ſic tamen, ut in ſua perſona legatum mittat, ſuſcepturus ſalva fidei veritate, quicquid Synodus ſtatuerit. *diſt. 18. Ep. ad Synod. di. 24. Ep. ſine conſilio.*

22. Ut Epiſcopus ſine conſilio clericorum ſuorum, clericos non ordinet, ita ut civium aſſenſum, & conniventiam, & teſtimonium quærat. *15. qu. 7. nullius cauſam.*

23. Ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum, alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi clericorum præſentia confirmetur.

24. Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. *de conſec. diſt. 1.*

25. Diſſidentes Epiſcopos ſi non timor Dei, Synodus reconciliet. *diſt. 90. diſſidentes.*

26. Studendum eſt Epiſcopis, ut diſſidentes fratres,

ſive

five clericos, five laicos, ad pacem magis, quàm ad judicium cohortentur.

7. q. 1. epis. de loco ignobili per sententiã.

27. Ut Episcopus de hoc loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum, & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur, nihilominus alio in loco ejus Episcopo subrogato. Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alii clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.

11. q. 3. Irritam esse, & 6 q. 2. Epis. Si cle. 3. q. 9. Caveant in decr. el. 12. q. 2 Si except. & in dec. Ivo. lib.

28. Irritam esse injustam Episcoporum damnationem, & idcirco à Synodo retractandam.

29. Episcopus si clerico, vel laico crimen imposuerit, deducatur ad probationem in Synodum.

30. Caveant judices Ecclesiæ, ne (absente eo) cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, imo & causam in Synodo pro facto dabunt.

7. q. 1. Epis. vel Presb.

31. Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.

32. Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque conniventia clericorum.

33. Episcopi, vel Presbyteri, si causa visitandæ Ecclesiæ alterius Episcopi ad Ecclesiam venerint, & in gradu suo suscipiantur, & tàm ad verbum faciendum, quàm ad oblationem consecrandam invitentur.

d. 93. Epis. in quolib. loco 59. ep. in Ecclesiis.

34. Ut Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.

35. Ut Episcopus in Ecclesia cum consensu Presbyterorum sublimior sedeat. Intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.

al. minor. d. 95. Presbyt qui per al. diac. ita se Presb. ut Epis. ministros esse cognoscãt.

36. Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis: nec per juniorem * clericum, sed omni anno aut per seipsos, aut per illum, qui sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem chrisma petant.

37. Diaconus ita se Presbyteri, ut Episcopi ministrum esse cognoscat.

d. 93. diac. ita ib. presbyter. præsente.

38. Ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo (si necessitas cogat) jussus eroget.

d. 93. Diac. ibid. in ib.

39. Diaconus quolibet loco, jubente Presbytero, sedeat.

40. Ut Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur.

41. Ut Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis alba induatur.

42. Clericum inter tentationes officio suo incubantem, gradibus sublimandum.

43. Christianum Catholicum, qui pro Catholica fide, & pro Ecclesiastica re, & Christiana religione tribulationes patitur, honore omni à Sacerdotibus honorandum. Etiam & per Diaconum ei victus administretur.

al. tondeat.

44. Clericus nec comam nutriat, nec barbam * radat.

De barbirasio.

Hic 44 Canon vario modo legitur in diversis codicibus. In Gemblacensi habetur barbam tondeat. in Gandensi barbam radat: exemplar ex bibliotheca sancti Victoris circa muros Parisienses legit, nec comam nutriat, nec barbam radat. Noster verò codex membranaceus ita habet, clericus nec comam nutriat, nec barbam, & ita pleraque exemplaria legunt, ait Joverius.

Nota.

At quo modo tamdem legendum, lis adhuc pendet indecisa; quamvis quoad praxim Græci prolixa barba utantur ab antiquis temporibus, Latini è contra; nec in pluribus conciliis, in quibus simul assederunt, ullus in alterum de barba litigavit, quæ cum spectet ad corporis vestem, cujus apud varias nationes non unus modus est, haud ex illa varietate læditur fides, & religio. Notatque Christianus Lupus ad Synodum 8. ubi refellit calumnias Photii contra Latinos, inter quas octava est, quod Latini non abnuant barbas radere, nuper Clementem VII. compescuisse quosdam Episcopos Latinos, qui Clericos Græcos in suis diœcesibus habitantes ad barbæ rasuram cogebant.

45. Clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet, & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.

46. Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.

47. Clericus per plateas, & andronas, nisi certa, & maxima officii sui necessitate, non ambulet.

48. Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

49. Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privatus, excommunicetur.

50. Clericum inter tentationes ab officio suo declinantem, vel negligentius agentem ab officio suo removendum.

51. Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.

52. Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, præparet.

53. Omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola, & litteras discant.

54. Clericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoveatur.

55. Ut Episcopus accusatores fratrum excommunicet. Et, si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, ad clerum.

56. Clericus, qui adulationibus, & proditionibus vacàre deprehenditur, ab officio degradetur.

57. Clericus maledicus, maximè in Sacerdotibus, cogatur ad postulandum veniam. Si noluerit, degradetur, nec unquam ad officium absque satisfactione revocetur.

58. Clerici (qui frequenter litigat, & ad causandum facilis est) testimonium nemo absque granbi examine recipiat.

59. Discordantes clericos Episcopus, vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat, inobedientes Synodus per *audaciam damnet.

60. Clericum scurrilem, & verbis turpibus joculatorem ab officio * detrudendum.

61. Clericum per creaturas jurantem acerrimè objurgandum. Si perstiterit in vitio, excommunicandum.

62. * Clericum inter epulas cantantem supradictæ sententiæ severitate coercendum.

63. Clericum, qui tempore indicti jejunii, absque inevitabili necessitate, jejunium rumpit, minorem habendum.

64. Qui Dominico die studiosè jejunat, non credatur Catholicus.

65. Paschæ solemnitas uno die, & tempore celebranda.

66. Clericus, qui Episcopi circa se districtionem injustam putat, recurrat ad Synodum.

67. Seditionarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios, nec injuriarum suarum ultores.

68. Ex pœnitentibus (quamvis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ipse ab Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.

69. Simili sententiæ subjacebit Episcopus, si sciens ordinaverit clericum eum, qui viduam, aut repudiatam uxorem habuit, aut secundam.

70. Clericus hæreticorum, aut schismaticorum tàm convivia, quàm sodalitates evitet æqualiter.

71. Quod

11. q. 3. qui communi. 26. q. 7. Sacer pœnit. 26. qu. 6. Is qui.

71. Quod hæreticorum cœtus non Ecclesia, sed Conciliabulum sit.

72. Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum.

73. Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive clericus, sive laicus, excommunicetur.

74. Ut Sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentis leges injungat.

75. Ut negligentiores pœnitentes tardius reconcilientur.

76. Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

26. q. 6. Is, qui in infirmitate. 26. qu. 7. Sacer. pœn.

77. Pœnitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant.

78. Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

Distinguenda hìc duplex absolutio. Sacramentalis una, canonica altera. Hi, qui pœnitentes viaticum receperant, sacramentaliter absoluti fuerant. Restabat absolutio canonica, cum satisfactionem canonicam adimplevissent. Quod etiam indicat Canon 76.

79. Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.

Ibidem.

80. Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.

81. Mortuos pœnitentes Ecclesiæ afferant, & sepeliant.

82. Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

83. Pauperes, & senes Ecclesiæ plus cæteris honorandi sunt.

de con d. 1. Ep. nullum Ivo lib. 2. usque ad conf. tunc enim minist. dicere solebat, exeant catechumeni de con. d. 4. Baptizan. de con d. 5. Neophyti. 2. q. 6. Ca. de con. d. 1. Qui die. 26. qu. 5. August. de con. d. 5. Omni die.

84. Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam Catechumenorum.

85. Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione baptismum percipiant.

86. Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis, & spectaculis, vel conjugibus abstineant.

87. Catholicus, qui causam suam, sive justam, sive injustam ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur.

88. Qui die solemni prætermisso solemni Ecclesiæ conventu ad spectacula vadit, excommunicetur.

89. Auguriis, vel incantationibus servientem, à conventu Ecclesiæ separandum. Similiter & superstitionibus Judaicis, vel feriis inhærentem.

90. Omni die exorcistæ energumenis manus imponant.

91. Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.

d. 90. Obl. diffident. Ibid. Qui paupe. 13. qu. 2. Qui oblat. 2. qu. 7. quærendū. 38. qu. 2. Qui.

92. Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

93. Oblationes diffidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

94. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus refutanda.

95. Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

96. Quærendum in judicio, cujus sit conversationis, & fidei is, qui accusat, & is, qui accusatur.

A

97. Qui religiosis fœminis præponendus est, ab Episcopo loci probetur.

98. Laicus, præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus docere non audeat. *d. 23. Mulier.*

99. Mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat. *de con. d. 5. Mulier.*

100. Mulier baptizare non præsumat. *d. 81. ad reatum.*

101. Viduæ adolescentes, quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ, cujus viduæ sunt, sustententur.

102. Ad reatum Episcopi pertinet, vel Presbyteri, qui parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causa, adolescentiores viduæ, vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subjiciantur. *Ibidem.*

10. Viduæ, quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tàm Assiduè in Dei opere esse debent, ut & meritis, & orationibus suis Ecclesiam adjuvent. *Viduæ, quæ.*

B

104. Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia, & præceptione custodiendum est. Ut si quæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & maturæ ætate, à viro relictæ se devoverunt Domino, & veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ etiam nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ conjuges reatu suo sunt viris suis obnoxiæ, quanto magis viduæ, quæ religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo spontè, non coactè obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, atque ad sæculares nuptias transitum fecerint? Quæ etsi violentia irruente ab aliquo præreptæ fuerint, ac postea delectatione carnis, atque libidinis permanentes in conjugio, raptori, vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus: Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius Episcopus Carthaginensis Ecclesiæ subscripsi. Donatianus Talabricensis primæ sedis supscripsi. Augustinus Hipponæ Regiensis subscripsi. Similiter omnes Episcopi subscripserunt.

26. qu. 1. Sicut bo. — 1. Tim 7. — al. Secundas. — 1. Tim. 5.

C

D

Capitulum ex codice sancti Bavonis excerptum.

Falsus accusator deprehensus absque Ecclesia fiat, donec pœnitendo emendetur.

CONCILIUM CARTHAGINENSE ordine quartum, licèt vulgo habeatur nomine quintum, ab Episcopis septuaginta tribus, circa tempora Anastasii Papæ, post Consulatum Cæsarii, & Attici, 6. Cal. Junii habitum. Æra 438. anno Domini 368.

Æra non sine mēdo.

E

Concilium hoc celebratum est ad disciplinam Africanæ Ecclesiæ restaurandam, & mores ejusdem reformandos, licèt in duobus primis canonibus patres Africani interturbare incipiant jurisdictionem Summi Pontificis in causis appellationis. Eodem autem anno cum præcedenti habitum. Sic tempore D. Cypriani plura Concilia in eodem anno celebrata retulimus suprà.

Tempus verò hujus Concilii fuit anno Pontificatus Anastasii primo, qui est Arcadii, & Honorii Imperator. 4 & Christi nati 398. Annus enim ille, qui post Consulatum Cæsarii, & Attici inscribitur, cum prædictis temporibus coincidit. Baronius anno 398.

Addidit verò idem huic Concilio *post Consulatum Cæsarii, & Attici*, ex scripto codice, & meritò: antè enim quàm Honorius Imperator Edictum de reliquiis idololatriæ tollendis promulgasset, hanc Syno-

Synodum celebratam fuisse constat. Nam ad petitionem Legatorum, quos inter alias causas Patres Concilii ad Imperatorem ablegaverunt, de reliquiis idololatriæ extirpandis Edictum Imperatoris extorserunt.

Circa assignationem Æræ 438. sciendum, quod sicut aliis plerisque in locis, ita hìc etiam mendosus numerus Æræ trigesimæ octavæ inhæret. Nam si triginta Octo, quibus Æræ computatio Chronologiam nati Christi excedit, ab ea demas, remanebunt anni 400 Unde sequeretur, hanc Synodum anno 400. habitam fuisse, quam anno 398. celebratam esse, ex præcedentibus patet.

TITULI CANONUM.

1 *De clericis ad testimonium non pulsandis.*
2 *De clericis pro crimine suo damnatis, ut à quolibet non defensentur.*
3 *De Sacerdotibus, & Levitis, ut ab uxoribus se contineant.*
4 *De rebus Ecclesiæ sine consilio Metropolitani Episcopi non alienandis.*
5 *Ut nullus Episcopus relicta Cathedra in Diœcesi resideat.*
6 *De his, qui nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut baptizentur. Similiter de consecratione Ecclesiarum faciendum est.*
7 *De tempore Paschali, seu concilii.*
8 *De intercessoribus, ne cathedram morientis Episcopi diu retineant, sed infra ann. Sacerdotem provideant.*
9. *De defensore Ecclesiarum à Principe postulando.*
10 *Ut Episcopi ad diem concilii occurrant.*
11 *Ut lapsis Sacerdotibus manus sicut laicis non imponatur.*
12 *De clericis excommunicatis quamdiu eis asserere liceat innocentiam suam.*
13 *De clericis, vel Monachis ab alio Episcopo ordinatis.*
14 *De basilicis, quæ sine Martyrum reliquiis dedicatæ sunt.*
15 *De idololatriis destruendis.*

CAPITULA CONCIL. CARTHAG. V.

POst consulatum placuit, ut die sexta Kalend. Junii Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ subter inserta statuerentur. Cum Aurelius Episcopus unà cum Episcopis suis consedisset, astantibus Diaconibus constituta sunt hæc, quæ in sequenti Concilio definita sunt.

2. q. 6. Statutum est, ut qui in. 1. In principio statuendum est, ut qui fortè in Ecclesia quamlibet causam, jure Apostolico Ecclesiis imposito, agere voluerit, & fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum in judicium ad testimonium devocari eum, qui cognitor, vel præsens fuit, & nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.

21. q. 5. Si quis cujus. 2. Et illud statuendum, ut si quis cujuslibet honoris clericus judicio Episcoporum pro quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipimus.

d. 84. Cum de quorundam. d. 32. placuit. Ep. Presb. Diaconos. al. priora. 3. Præterea cum de quorundam clericorum, quamvis erga uxores incontinentia referretur, placuit Episcop. & Presbyteros, & Diaconos secundum *propria statuta etiam ab uxoribus cōtinere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

Id, quod dicitur in hoc Canone, secundum propria statuta, *intelligitur, secundum legem in prioribus Carthaginensibus conciliis conditam. Quædam alia lectio melior habet* secundum priora statutà. *Græci hæc verba malè intelligentes verterunt* κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. *Hac translatione nostri temporis hæretici cœlibatum clericorum impugnant, quasi hujus canonis authoritate canonici ab uxoribus in ordine tantum vicis suæ abstinere deberent: reliquis verò temporibus iisdem maritali consortio cohabitare liceret. At inepte, siquidem præter hoc, quod major sit auctoritas Latinæ editionis, quàm Græcæ translationis, prædicta verba exponi possent,* secundum proprias regulas, ac leges, ὅρος *enim non tantùm significat* terminum, *sed etiam* regulam, *ac* præceptum.

4. Placuit etiam, ut rem Ecclesiæ nemo vendat. Quod si aliqua necessitas cogit hanc insinuandam esse primati provinciæ ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit ante primatem consulere, saltem post factum curiositatem habeat, & vicinis Episcopis hoc ante indicare, & ad Concilium referre eas suæ Ecclesiæ necessitates. Quod si non fecerit, reus Concilii venditor teneatur. *17. q. Nullus Ecclesiæ*

5. Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quàm oportet, constitutum, curam, vel frequentationem propriæ cathedræ negligere. *7. q. 1. Placuit, ut nemini.*

6. Placuit de infantibus, quotiens non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt. Similiter & de Ecclesiis (quotiens super earum consecratione hæsitatur) agendum est, idest, ut sine ulla trepidatione consecrentur. *de cons. 4. placuit de infan. Et in dec. Ivonis l.*

7. Placuit, ut dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur, dies verò Concilii undecimo Kalendas Novembris servetur: & scribendum ad singularum quarumque Provinciarum primates, ut quando apud se Concilium congregant, illum diem non impediant. *de cons. 3 placuit, ut dies.*

8. Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eidem Episcopum provideat. Quod si neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur. *7. q. Constitutum est, ut nulli.*

9. Ab Imperatoribus universis visum est postulandum, propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur. *23. q. 3. Imperatoribus universis.*

10. Item placuit, ut quotiescunque congregandum est Concilium, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, primatibusque suarum quarumcūque Provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ, vel tres fiant turmæ, ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissimè occurrant. Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractatoria subscribant: vel si post adventum tractatoriæ, aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint (nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint) ab Ecclesiæ communione debere esse contemptos. *d. 18. Placuit, ut quotiescunque.*

11. Item confirmatum est, ut si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur, neque unquam permittendum, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur. *d. 50. Confirmandum est.*

12. Rursus constitutum est, ut quotiens clericis convictis, & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum, quo- *1. q. 3. Rursus constitutum e*

quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum, atque gentilium, si fortè causæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.

13. Item placuit, ut si quis de alterius Monasterio
58. Si repertum, vel ad clericatum promovere voluerit, vel
s de al. in suo Monasterio majorem Monasterii constituere, Episcopus, qui hoc fecerit à cæterorum communione sejunctus, suæ tantùm plebis communione contentus sit, & ille neque clericus, neque præpositus perseveret.

14. Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros,
onf. d. aut vias tanquam memoriæ martyrum constituuntur,
acuit, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum con-
altaria ditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt
. Et in (si fieri potest) evertantur. Si autem hoc propter tu-
e. Ivo. multus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententent, ut, qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria, omnimodè reprobentur.

15. Item placuit ab Imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiæ non solùm in simulachris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodo deleantur. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginis, supra comprehensis in nostro Concilio statutis, subscripsi. Similiter septuaginta duo Episcopi subscripserunt.

Nota. *Gentiles, ut cultores idolorum suorum in officio continerent, ex divinis oraculis, & responsis acceptis, jactitabant fore, ut in fine anni 365. à Passione*
pro- *Christi, qui est nati Salvatoris 398. Christiana Religio planè extirparetur, finemque ultimum acciperet. Ut ergo vanitas, & stultitia Ethnicorum, ac falsitas oraculorum Gentilium toti mundo innotesceret, atque adeo ipsi radicitus evellerentur, qui Christianam religionem extinctam exoptabant; per deputatam ad Comitatum Legationem petiverunt, reliquias idololatriæ extirpari. Arcadius, & Honorius, promulgatis Edictis per Orientem, & Occidentem Manlio Theodoro Consule, anno nimirum Christi 399. omnes idololatriæ reliquias sustulerunt, simulachra fregerunt, sacrificia Gentium prohibuerunt, eorumque templa funditus everterunt: verùm cùm clarissima ædificia omnino eversa urbibus immensam deformitatem adderent, posterioribus Edictis rescripsere, ut omni Gentilitate sublata, publicorum operum ornamenta servarentur.* Vide Baron. an. 399. n. 18. 20. & 21. &. n. 54. & seqq.

SINODUS ALEXANDRINA sub Anastasio, in quo Origenistæ damnantur, Anno Domini 399.

ia
eti- CAusam habiti Concilii exponam à primo initio. Melania Romanorum nobilissima, quæ tempore persecutionis Valentis quinque millia Monachorum occultarat, triduoque panibus suis sustentaverat, relegatos magno fidei ardore prosecuta est, ut de suis facultatibus iisdem vitæ subsidio ministraret. Quibus ab exilio revocatis, ipsa Monasterium Jerosolymis construxit, in quo præter 50. Virgines secum habitantes, 27. annis sanctos eò peregrinos Episcopos, Monachos, & Virgines ex voto suscepit, & fovit. Qua occasione accidit, ut ipsa cum Ruffino, à cæco, sed eru-
ius dito, & magni nominis viro, Didymo Alexandrino, Operum Origenis nimio admiratore, erroribus ejus-

A dem Origenis imbuti fuerint, ejusque *Periarchon*, (verum multarum hæreseon promptuarium) tanquam magnum thesaurum non modò ipsi reciperent, verùm etiam toto terrarum orbe vulgari desiderarent. Post 25. igitur annos absentiæ in Ægypto, & Palæstina exactos, magna sanctitatis fama Romam revertentes, particulamque Crucis secum adferentes, Origenis errores, magna fraude vulgatis *Periarchon* libris circumtectos, Romanæ Ecclesiæ obtrudere moliuntur. Sed fraudem Melaniæ fœminæ Deus per fœminam Marcellam detexit. Detecta fraude, ipsum *Periarchon* sua opera in Latinum conversum esse, seque cum Origene sentire, negarunt: & ut se Catholicos esse simularent, communicatorias literas à Syricio Pontifice impetrarunt, ac ab urbe vicissim recesserunt. Interim Pammachius, & *Marcella.*
B Oceanus viri clarissimi, atque doctissimi multa improbantes in eo libro *Periarchon*, quem Latinè versum, & quasi emendatum Romæ Melania, & Ruffinus vulgaverant, Hieronymum Jerosolymis agentem per epist. 64. rogant, ut *Periarchon* Origenis Latinè integrè edat, Auctoris etiam errores simul, & Interpretis in eo notet. *D. Hieron.* Quod cum vir sanctus doctissimè præstitisset, opus à se absolutum, anno Christi 399. ad eosdem Romam misit, Præfatione apposita, qua omnes, qui eo libro sunt errores Origenis, omnibus manifestos redderet, ac dolum pariter prioris Interpretis aperiret, demum etiam à suspicione hæreseos Origenistarum, quam per laudes Ruffini Interpretis incurrisse potuerat, sese expurgaret.

Hac occasione, Ruffini, & Melaniæ sectatores in sanctum Hieronymum commoti, turbasque, ac rumo-
C res excitantes, Theophilo Alexandrinæ Sedis Episcopo causam dederunt, ut indicta Synodo Alexandriæ celebranda, errores Origenis cognoscerentur. Anno itaque Christi 399. qui est Anastasii 2. Arcadii & Honorii 5. hac occasione in unum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi convenientes, Origenem, ejusque sectatores condemnat, atque Synodicam Epistolam ad Anastasium Romanum Pontificem, Joannem Constantinopolitanum, Epiphanium Cypri, aliosve Episcopos, ac Monachos transmiserunt: Interea Theophilus per se, suosque Legatos, Origenis sectatores ex Ægypto, & Palæstina expulit.

Expulsi Constantinopolim ad Chrysostomum profecti, ibidem de injuriis, sibi velut hominibus Catholicis, & innocentibus à Theophilo illatis conque-
D sti fuerunt, ejusque auxilium implorarunt: ille benignè exceptos communione tantùm peregrina, idest, orationis, non Sacramentorum dignatus, reconciliandi eos Theophilo negotium suscepit. Epiphanius Constantinopolim profectus, à Chrysostomo eos damnari, & expelli volebat, Chrysostomus contrà, qui se calumniam passos esse dicebant, & speciem pietatis præ se ferebant, absque Synodo damnare, & expellere non audebat. Qua ex causa Epiphanius Chrysostomo infensus communionem ejus vitavit. *I. Chrysost. & Epiph. dissidium.* Hæc Sozomenus, Socrates, & Palladius, Origenistarum fautores prolixè; Hieronym. epist. 67. 73. 78. Baron. anno 399. n. 36. & seqq.

E

Concilium Africanum primum sub Anastasio, anno Domini 399.

CUm Gildonem tyrannum potentissimum septuaginta millibus militum Africam, à decennio devastantem, Mascezil parva militari manu, quinque millium scilicet, in somno admonente eum Ambrosio, Deoque auxiliante felicissimè fudisset, & profugasset, fratremque germanus frater pro suo merito strangulari mandasset, rei prosperæ insolentia Maschezil victor elatus, posthabito sanctorum consortio, quorum ope, ac monitu, Deo militans vicerat, Ecclesiæ immunitatem violare ausus, fugientes ad Ecclesiam ab eo extraxit, atque paulo post pœnas sacrilego dignas Deo vindici persolvit; ut testantur Oro-

Orosius, & Zosimus libro 5. Hac occasione Africanæ A Ecclesiæ Episcopi anno 399. quinto Calendas Majas Carthagine Synodo convocata, ac celebrata, Legatos deputarunt, qui ad Imperatorem profecti, Edictum exorarent, & impetrarent, ne quis quocumque reatu involutos ab Ecclesia abstrahere auderet, si ad eam confugissent. Et dubium non est, quin hæc Legatio ab Imperatore obtinuerit, quod Honorius Imperator ad Sapidianum Vicarium Africæ pro Africana Ecclesia rescripsit his verbis: *Si Ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta; commissum quinque librarum auri (sicut etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Ecclesias, vel Clericos per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab hujusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum; hujus san-* B *ctionis auctoritate vacuamus. Data 7. Kalend. Jul. Brixiæ, Theodoro V.C. Consule.*

Extat l. 34 de Ep. & Cler. C. Theodos. Bar. an. 399. n. ult.

Concil. Constantinopolitanum, sub Anastasio in causa Episcopi Ephesini Simoniaci anno 400.

ANno Domini 400. Anastasii 3. Arcadii, & Honorii 6. Constantinopoli Ecclesiasticorum necessitatum gratia viginti duo Asiæ Episcopi convenerunt, & hanc Synodum ibidem celebrarunt: in qua ab Eusebio Valentinianopolitano Episcopo accusatus est Antonius Ephesi Episcopus de multis, & maximè de Simoniacis Ordinationibus: de quibus Palladius in vita Chrysostomi. C

Hoc autem judicium cùm ob testium absentiam agi non potuisset, mortuo interim Ephesi Episcopo, ad petitionem Cleri Ephesini cum Joanne Chrysostomo septuaginta Episcopi Asiæ Ephesum convenerunt, ibique in locum demortui Episcopi Ephesini Heraclidem Diaconum elegerunt, & judicium defuncti Constantinopoli inchoatum hic absolverunt, sexque Episcopos per Simoniam ab ipso ordinatos deposuerunt. Hæc Palladius in vita Chrysostomi, Socrates lib. 6. cap. 10 Sozomenus lib. 8. cap. 6. Vide Baronium anno 400. num. 73. & seqq.

Concilium Toletanum primum sub Anastasio Papa, æra 438. anno Christi 400. præside Patrono contra Priscillianistas. D

TOletum, quæ nunc Metropolis est Hispaniæ, cujusque Archiepiscopus titulo primatis insignitur à Plinio libro tertio capite 3. sub titulo Hispaniæ citerioris collocatur. Ait enim: caput Celtiberiæ Segobrigenses, Tarpetani, & Toletani Tago flumini impositi. Hæc civitas multis nominibus, & divitiis clara, & religione clarissima hoc etiam nomine celebris habetur, quod tredecim concilia totius provinciæ in ea celebrata sint Fidem, & bonos mores concernentia: vulgo Toledo dicitur.

De hoc Concilio sic Idatius Episcopus Lemicensis in Chronico sub Olympiade ducentesima nonagesima quarta, cujus primus annus coincidit cum anno E Christi quadringentesimo. In Provincia Carthaginensi in civitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur Simphosius & Dictinius, & alii cum his Galliciæ Provinciæ Episcopi, Priscilliani sectatores hæresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam observanda de Ecclesiæ disciplina, communicante in eodem Concilio Ortigio Episcopo, qui Celænis fuerat ordinatus, sed agentibus Priscillianistis pro fide Catholica pulsus factionibus exulabat.

TITULI CANONUM CONCILII Toletani primi.

1 De Presbyteris, & Diaconibus, si post ordinationes filios genuerint.
2 Ut pœnitens, si necessitas cogat, lector, aut ostiarius fiat.
3 De his, qui viduas acceperint, ne diacones efficiantur.
4 Ut Subdiaconus, si defuncta uxore aliam duxerit, ostiarius fiat.
5 Ut si cujuslibet ordinis clericus tardius ad Ecclesiam venerit, deponatur.
6 Ut religiosa puella virorum familiaritatem in domo non habeat.
7 Ut clericus, cujus uxor peccaverit, præter necem, potestatem habeat distringendi eam, & cum ea cibum non sumat.
8 De eo, qui post baptismum militaverit, ut ad diaconatum non permittatur.
9 Ut nulla professa, vel vidua, absente Sacerdote, in domo sua, sacerdotale officium, vel lucernale impleat.
10 Ut nullus obligatum cuiquam absque consensu Domini, vel patroni clericum faciat.
11 Ut si quis potentum expoliaverit quemlibet, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur.
12 Ut nullus clericus ab Episcopo recedat, & ad alium se transferat.
13 De his, qui Ecclesiam intrant, & non communicant, ut excommunicentur.
14 De eo, qui acceperit Eucharistiam, & non sumpserit, ut sacrilegus repellatur.
15 De his, qui excommunicantur à sacerdotibus, ut nullus ad eos accedat.
16 Ut devota, si adultera fuerit, decem annos pœniteat. Si maritum duxerit, non permittendam ad pœnitentiam, nisi maritus decesserit.
17 De eo, qui uxorem habet, si concubinam habuerit, non communicet.
18 Si vidua Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi maritum acceperit.
19 Si Sacerdotis, vel Diaconi filia religiosa peccaverit, in fine tantùm communicet.
20 Ut nullus præter Episcopum chrisma conficiat.
21 De regulis fidei catholicæ contra Priscillianos.

CONCILIUM TOLETANUM PRIMUM sequitur Novemdecim Episcoporum, tempore Honorii, & Arcadii Stilicone Consule habitum; Patrono Episcopo præsidente sub die septimo Idus Septembris.

CAPITULA CONCILII TOLETANI Primi.

COnvenientibus Episcopis in Ecclesia Toleto, id est, Patrono, Marcello, Aliciano, Aphrodisio, Jocundo, Olympio, Severo, Asterio, Hilario, Lampadio, Eustochio, Exuperantio, Sereno, Floro, Leporio, Aureliano, Lampadio, Leona, Gallia, Lucentio, (Hic conventus municipiis Celænis actus est. Isti sunt, qui & in aliis gestis adversus Priscilliani sectatores, & hæresim, quam astruxerat, libellarem dedere sententiam) Considentibus Presbyteris, astantibus Diaconibus, & cæteris, qui intererant Concilio congregato, Patronus Episcopus dixit: Quoniam singuli cœpimus in Ecclesiis nostris facere diversa, & inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt, si placet communi Concilio, decernamus quid ab omnibus Episcopis in ordinandis Clericis sit sequendum. Mihi autem placet constituta primitus Nicæni Concilii perpetuo esse servanda, nec ab his esse recedendum. Universi Episcopi dixerunt: Hoc nobis placet, ita ut si quis cognitis gestis Nicæni Conc. aliud

aliud, quàm statutum est, facere præsumpserit, & non in eo perseverandum putaverit, hic excommunicatus habeatur, nisi per correptionem fratrum emendaverit errorem.

decret. on.l.3. 1. Placuit, ut Diacones si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen ut si qui, etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyteri honore non cumulentur. Si quis verò ex Presbyteris ante interdictum filios suos susceperit, de Presbytero ad Episcopum non admittatur.

50.Plac. in decr. p.d.3. 2. Item, placuit ut pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas, aut usus exegerit, & tunc inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita ut Euangelia, aut epistolam non legant. Si qui autem ante ordinati sunt Diacones, inter Subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant, nec sacra contingant. Eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens sub * Concilio divino fuerit reconciliatus altario.

*l. cilicio.

3. Item constituit sancta Synodus, ut lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur, aut fortè Subdiaconus.

4. Subdiaconus autem, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter ostiarios, vel lectores, ita ut Euangelium, & Apostolum non legat, propterea ne qui Ecclesiæ servierit, publicis officiis servire videatur. Qui verò tertiam (quod nec dicendum est) acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.

*epistolã

5. Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vici sunt, aut villæ, si ad Ecclesiam, aut ad Sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem, veniam ab Episcopo noluit promereri.

6. Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum Confessore, aut cum quolibet laico sanguinis alieni, aut convivium sola adeat, nisi ubi sit seniorum, aut honestorum, aut viduarum, honestarumque frequentia, ubi honestè Confessor quilibet cum plurimorum testimonio testium convivio interesse possit. Cum lectoribus autem in ipsorum domibus non admittendas penitus, nec videndas, nisi fortè consanguinea soror sit, vel uterina.

q. 2. acuit, ut uorum m q. 7. Placuit, ut si quorumcumque Clericorum uxores peccaverint (ne fortè licentiam peccandi plus habeant) accipiant mariti earum hanc potestatem: præter necem custodiendi, ligandi in domo sua, ad jejunia salutaria, non mortifera, eas cogentes, ita ut invicem sibi Clerici pauperes auxilium ferant, si servitia fortè non habeant. Cum uxoribus autem ipsis, quæ peccaverint, nec cibos sumant, nisi fortè ad timorem Dei, acta pœnitentia, revertantur.

51. Si s post tismũ. 8. Si quis post baptismum militaverit, & chlamydem sumpserit, aut cingulum ad necandos fideles, etiam si gravia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, Diaconii non accipiat dignitatem.

9. Nulla professa, vel vidua absente Episcopo, vel Presbytero in domo sua antiphonas cum Confessore, vel servo suo faciat: Lucernalium verò nisi in Ecclesia non legatur ? aut, si legatur in villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.

ta. Lucernarium antiquis dicebatur pars prima vespertina Officii, quæ nunc vesperæ dicuntur, post quas solebant Episcopi, vel Sacerdotes exhortationem habere, ac scripturam interpretari, ideo sine eorum præsentia vetantur hìc celebrari. Dicebantur autem vesperæ lucernarium à lucernis, quæ tunc in fine diei accendebantur. Ita Garcias.

10. Clericos siquidem obligati sint, vel pro æquatio-

A ne, vel de genere alicujus domus non ordinandos, nisi probatæ vitæ fuerint, & patroni consensus accesserit.

11. Si quis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum expoliaverit, & mandaverit eum ad se venire Episcopus, ut audiatur, & is contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes Provinciæ Episcopos, & quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur ipse, donec obediat, & reddat aliena.

12. Item, ut liberum nulli Clerico sit discedere ab Episcopo suo, & alteri Episcopo communicare, nisi fortè ei, quem Episcopus alius libenter habeat de hæreticorum schismate discedentem, & ad fidem Catholicam revertentem. Si qui autem de Catholicis discesserint, & in communione eorum vel palàm, vel occultè cum eis (qui vel excommunicati sunt, vel per sententiam jam notati) fuerint inventi, habeant illorum, ad quos ire voluerint, etiam in damnatione consortium. 24. q. 3. Si quis, de pœnit.

B

13. De his, qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quod si non communicant, non semper abstineantur. Si non fecerint, abstineantur. de cons. d. 2. Hi, qui intrant.

14. Si quis autem acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.

15. Si quis laicus abstinetur, ad hunc, vel ad domum ejus, vel Clericorum, vel Religiosorum nullus accedat. Similiter & Clericus si abstinetur, à Clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad Clericos, qui ejus sunt Episcopi, & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, sive laico quolibet, sive Clerico. 11. qu. 3. Si quis laicus abstinetur.

C

16. Devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit: &, si desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priusquam autem in Ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam hæc, quæ eam receperit, habeatur abstenta. Corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc ipso vivente marito castè vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit. 27. q. 1. Devotam peccantẽ non.

17. Si quis habens uxorem fidelem, si concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm, ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus. Aliàs verò vivens abjiciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam revertatur. dist. 34. Is, qui, & in dec. Ivon. lib. 6.

D

Per concubinam hìc intelligitur vera uxor, sed sine dote, & sine solemnitate in matrimonium ducta. Sicut Genes. 25. Agar, & Cethura veræ uxores Abrahæ dicuntur concubinæ. Nota.

18. Si qua vidua Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet, morienti tantùm ei Sacramentum subveniat.

E

19. Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi filia, si devota fuerit, & peccaverit, & maritum duxerit, si eam Pater, vel Mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. Pater verò causas in Concilio noverit se præstaturum. Mulier autem non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem vivente eo secesserit, & pœnituerit, nullo modo, nisi vitæ deficiens, accipiat communionem.

20. Quamvis plenè ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma non conficiat, tamen, quia aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum, nisi Episcopum, chrisma conficere, & per Diœcesim destinare, itaut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, qui confectum chris-

chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ, possint ad tempus deferre. Episcopo sanè certum est, quod omni tempore licet chrisma conficere. Sine conscientia autem Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant. Statutum verò est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum. Hujusmodi constitutionem meminerit semper Archidiaconus vel præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerendam, ut eam & Episcopi custodiant, & Presbyteri non relinquant.

Intellige de chrismatione verticali in baptismo, quæ olim à Presbytero sine licentia Episcopi non adhibebatur: apud Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 3.

Regulæ fidei contra omnes hæreses, quàm maximè contra Priscillianistas, quas Episcopi Tarrasconensis, Carthaginensis, Lusitani, & Betici fecerunt, & ex præcepto Papæ Leonis ad Balconium Episcopum Gallicìæ transmiserunt. Ipsi etiam & suprascripta viginti canonum capitula statuerunt in Concilio Toletano.

Nota. *Putat Baronius anno* 447. *regulam hanc fidei editam fuisse in duabus aliis Synodis tempore Leonis habiti, cùm repullularet hæresis Priscilliana, quæ non tàm citò extincta fuit, atque errore collectoris huic primo Concilio Toletano additam fuisse. Verùm Idatii Lemicensis verba indicant, etiam in hac Synodo professionem fidei ab Episcopis contra Priscillianum subscriptam fuiße: nulla autem alia præter istam invenitur: ideoque potius in aliis Synodis renovatam fuiße videtur, & indicant hæc verba*, ipsi etiam, &c. *quæ verba sunt collectoris, non ipsius Synodi.*

Aßertio fidei ejusdem Concilii.

Credimus in unum verum Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum sanctum, visibilium, & invisibilium factorem, per quem omnia facta sunt in cœlo, & in terra, unum Deum, & unam esse divinæ substantiæ Trinitatem. Patrem autem non esse Filium ipsum, sed habere Filium, qui Pater non sit. Filium non esse Patrem, sed Filium Dei de Patris esse natura. Spiritum quoque esse paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre, Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed à Patre, Filioque procedens. Pater est, cujus vox hæc audita est de cœlis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* (Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joan. 16.) Filius est, qui ait: *Ego à Patre exivi, & à Deo veni in hunc mundum.* Paracletus est Spiritus, de quo Filius ait: *Nisi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet.* Hanc Trinitatem personis distinctam, substantia unitam, virtute, & potestate, & majestate indivisibilem, indifferentem, præter hanc nullam credimus divinam esse naturam, vel Angeli, vel Spiritus, vel virtutis alicujus, quę Deus credatur. Hunc ergo Filium Dei Deum natum à Patre ante omnia principium, sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine, suscepisse duabus dumtaxat naturis, idest, deitatis, & carnis in unam convenientibus omnino personam, idest Dominum nostrum Jesum Christum. Nec imaginarium corpus, aut phantasmatis alicujus in eo fuisse, sed solidum, atque verum, hunc & esurisse, & sitisse, & doluisse, & flevisse, & omnes corporis injurias pertulisse, postremo à Judæis crucifixum, & sepultum, & tertia die resurrexisse, conversatum postmodum cum discipulis suis, & quadragesima post resurrectionem die ad cœlum ascendisse. Hunc Filium hominis etiam Filium Dei, & Filium Dei, & hominis filium appellamus. Resurrectionem verò futuram humanæ credimus carnis, animam autem hominis non divinæ esse substantiæ, aut Dei Patris, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam. Si quis autem dixerit, aut crediderit, à Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, atque omnia

A ejus instrumenta, anathema sit. Si quis dixerit, atque crediderit, Filium eundem esse Patrem, vel Paracletum, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, Filium eundem esse Patrem, vel Paracletum, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit Paracletum esse vel Patrem, vel Filium, anathema sit. Si quis crediderit, vel dixerit, carnem tantùm sine anima à Filio Dei fuisse susceptam, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, Christum innascibilem esse, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit deitatem nascibilem esse, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit deitatem Christi convertibilem fuisse, vel passibilem, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit alterum Deum esse priscæ legis, alterum Euangeliorum, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, , ab altero Deo mundum factum fuisse, & non ab eo, de quo scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum, & terram*, anathema (Gen. 1)

B sit. Si quis dixerit, vel crediderit, corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas, præter quas Ecclesia Catholica recipit, in authoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit deitatis, & carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit esse aliquid, quod se extra divinam Trinitatem possit extendere, anathema sit. Si quis astrologiæ, vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit. Si quis crediderit conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit. Si quis dixerit, vel (*Notat... vores... scillia... starum*)

C crediderit carnes avium, seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantùm pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, ut aliud in salutari baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Explicit regula fidei Catholicæ adversus Prisciallinistas.

Patronus Episcopus subscripsi.

Marcellus Episcopus subscripsi.

Afrodisius Episcopus subscripsi. Subscripserunt & alii Episcopi, qui interfuerunt Concilio.

D

SÆCULUM V.

Concilium Africanum II. sub Anastasio, anno Christi 401. *post Consulatum Stiliconis,* 14. *Kalend. Julias celebratum, in quo ad Anastasium Romanum Pontificem, & Venerium Mediolanensem Episcopum Legatio decreta fuit, propter inopiam clericorum, anno Domini* 401.

HÆc Synodus celebrata post primum Consulatum Stiliconis, quando adhuc Anastasius Pontifex in vivis superesset, ad annum Domini 401. qui

E est Anastasii IV. Arcadii, & Honorii VII. est referenda.

Causa habiti Concilii fuit, ut decernerentur Legati, qui ab Anastasio Romanæ, à Venerio Mediolanensis Ecclesiæ Episcopo peterent, ut Africanæ Ecclesiæ Clericorum inopia laboranti succurrerent. Utrumque Africanæ Ecclesiæ petitioni acquievisse, ex conjecturis colligit Baronius anno prædicto, num. 7. His peractis, triginta duo Canones de Ecclesiastica disciplina hoc, aliisque præcedentibus Conciliis Africanis constituti, in hac Synodo confirmati, vel saltem iterùm promulgati fuerunt.

Con-

Concilium Africanum III. sub Anastasio, anno Christi 401. Vincentio, & Flavito Coss. Idibus Septembr. habitum de Donatistis Ecclesiæ reconciliandis, anno Domini 401.

CAusa habiti Concilii hæc est: Anastasius Pontifex de universali Ecclesia ex officio jure, meritoque sollicitus, sciens Africanam Ecclesiam ex Donatistarum schismate magnopere laceratam, de unitate ardentiore studio procuranda ad Aurelium Carthaginensem, aliosque aliarum Provinciarum in Africa Episcopos litteras dederat. Cujus admonitionem iidem plurimi facientes, Generale Concilium Idibus Septembris anno 401. Carthagine celebrandum indixerunt.

Statuto tempore convenientes, ne, qui sepofita severitate leniter cum ipsis agere decreverant, rationibus, si foret necessarium, destituti viderentur, illud in primis excogitarunt, ut ab Africanarum Provinciarum Præfectis, & Judicibus, Primianistarum contra Maximianistas, res gestas in publica monumenta relatas, consequerentur, eo fine, ut ex propriis Actis manifesti erroris convinci possent; utque etiam quæ ipsi contra Maximianistas sæpiùs perpetrassent, frustrà Catholicis objici intelligerent.

Secundò decretum est, ut quò faciliùs ad pacem, & unitatem Ecclesiæ schismatici redeant, ab Anastasio Pontifice, aliisve transmarinæ Ecclesiæ Episcopis pro bono pacis indulgeri, ac permitti petatur, ut Donatistæ ad Ecclesiam Catholicam redire volentes, in iisdem Ordinibus apud suos ante susceptis (si hoc recipiens Episcopus conducere existimat) perseverare possint. Hoc ipsum Anastasium Pontificem indulsisse, certum illud est argumentum, quod constet ex August. contra Crescon. lib. 2. cap. 11. & 12. Africanos Episcopos ea potestate sibi proculdubio concessa usos fuisse.

[Margin: ...dulgen... erga ...reticos.]

Tertiò ex suggestione sancti Augustini decretum, ut ad facilius conciliandos Donatistas Legati mittantur, qui litteras à Carthaginensi Episcopo omnium nomine scriptas, secum asportarent, eo fine, ut qui ad bonum pacis cum Maximianistis conjunctionem ineundam esse decreto universalis Concilii decreverant, scirent, id propter totius orbis Christiani pacem, & concordiam ineundam magis sollicitè à se præstari, ac fieri debere.

His peractis, XIV. Canones ad disciplinam Ecclesiasticam rectè instituendam, & ex antiquioribus regulis reformandam, partim hoc, partim aliis præcedentibus Conciliis constituti, in hac Synodo promulgati reperiuntur. Baronius anno 401. num. 9. & sequentibus.

Concilium Milevitanum I. sub Innocentio, Kalend. Septemb. anno Domini 402. ad dijudicandas quorumdam Episcoporum controversias.

MIlenum civitas Numidiæ in Africa vulgò *Milevi*, quam malè quidam Maltham putaverunt. In hac duæ Synodi celebratæ sub Innocentio. In quarum prima post confirmata Synodalia decreta diversorum Episcoporum causæ in medium allatæ sunt.

Cresconii Villaregiensis Episcopi causam ante omnes alias in judicium deductam esse, constat; sed quid in ea decretum, ac constitutum fuerit, non apparet.

[Margin: *Episcopus Quodvult-Deus.*]

Post hanc tractata fuit causa QuodvultDei Centuriensis Episcopi, de qua illud à Patribus definitum, quod Canon sub titulo de Judiciis in Decretalium lib. 2. editus, habet, ut excommunicatus esset.

Tertiò lectus est libellus Maximiani Vagiensis Episcopi, qui cum ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam

A Catholicam conversus, non pacificè à populo reciperetur, bono pacis consulens, significabat se suæ Sedi renuntiare: rogans etiam, ut ad benè consulendum paci Ecclesiasticæ alius in locum suum subrogetur. Causa igitur diligenter examinata, Patres spontaneam, & honorificam illius propter bonum pacis factam abdicationem admiserunt, atque fratrem ipsius Castorium, ad quem sancti Augustini, & Alypii litteræ hoc anno cum laude Maximiani descriptæ extant, in ejus locum subrogarunt.

Ad hanc Synodum spectare videtur, quod scribit S. Augustinus Epist. 236. ad Xantippum de Presbytero quodam, qui in die natalis Domini contra morem suæ Ecclesiæ non jejunasset, sed apud quamdam malæ famæ mulierem & prandisset, & cœnasset, & in una domo mansisset; atque ob id cum officio suo per Augu-
B stinum meritò privatus fuisset, ad Synodum appellavit, suamque causam sex delegatis Judicibus Episcopis committi impetravit.

Cùm de primatu Numidiæ inter Xantippum Constantinæ, & Victorinum alterius civitatis in Numidia disceptatum esset, ut constat ex 217. Epist. Augustini ad Victorinum, in hoc Concilio Primatus Numidiæ Xantippo, sedique Constantinæ adjudicatus fuit. Unde Justinianus Imperat. *lib. 2. Cod. de Officio Præf. Prætor. Afric.* Constantinam civitatem primam Sedem Numidiæ appellat.

De hac Synodo intelligendum est illud Augustini Epist. 168. ad Eusebium, qua negat, sui muneris esse, parricidium à filio quodam Catholico ad Donatistas
C transfuga matri intentatum, ad Melevitanam Synodum deferre: maximè cum res in aliena Diœcesi gesta, ob imminens periculum, ad Magistratum delata esset. Is matri viduæ, & seni violentas manus inferre solitus, minatus eidem erat se in partes Donatistarum transiturum, & eam, quam cædere soleret, peremptürum. Quod & præstitit. O quales solent esse Ecclesiæ Catholicæ desertores! O si liceret omnium Apostatarum nostri sæculi scelera in unum cogere, eis profectò replendæ latrinæ decies centies superarent Augiæ stabuli sordes; ut plenè nec unus sit reperiri, qui antequam ab Ecclesia Catholica migrat, non ea sæpius perpetrarit, quæ si ad Ecclesiastica tribunalia perlata fuissent, rectà sententia ab Ecclesia ejiciendus fuisset, ait Baronius ad an. 402.

D

SYNODUS AD QUERCUM HABITA, anno 403. in causa Chrysostomi præside Paulo Heracleæ Metropolitano.

CAusa habitæ Synodi hæc est: Origenistæ, de quorum erroribus in quinta Synodo classe 2. actum est, damnati à Theophilo Alexandrino, & ex Ægypto expulsi, Theophilum accusarunt apud Arcadium Imperatorem, quod antropomorphita esset. Quare Constantinopolim vocatus est, ut sese ab accusatione purgaret: intercedebat autem inter eum, & D. Joan. Chrysostomum simultas, quod hic Origenistas Constantinopoli suscepisset, cum quinquaginta ex eis selecti venerandæ canitiei Monachi ipsum adiissent, ac verbis blandis ipsius opem implorassent; ratus enim
E Chrysostomus iram Theophili adversus illos in gratiam transferri posse, ut in Ægypto morari possent, tanquam sequester, nihil de hæresi eorum suspicatus ad Theophilum scripsit pro ipsis in Ægyptum revocandis, interim eorum victui, ac necessitatibus in Constantinopolitana urbe providit. Unde odium Theophili in Chrysostomum. Sed & plures alii infensi erant Chrysostomo ex variis causis, seu quia ab ipso reprehensi fuerant, ac depositi, seu ex invidia, qua nonnulli contra eum ferebantur ob eloquentiam, qua de causa si quid asperius contra fœminarum intemperiem, aut luxum dixisset, ad Eudoxiam Imperatricem referebatur, tanquam ipsam intendisset palam arguere inter concionandum. Unde & ipsi innatum est de-

siderium depositionis Joannis Chrysostomi. Quæ omnia probè noscens Theophilus, cum ex Alexandria ad dicendam causam de criminibus illi ab Origenistis impositis Constantinopolim evocatus veniret, in itinere collegit Episcopos, quibus ad Chrysostomi depositionem abuteretur, propterea quòd Chrysostomus Origenistarum fautor esse videretur. Cùm igitur Constantinopolim pervenisset, in suburbio per tres hebdomadas subsistens, ex reo subitò factus actor, & Judex, consilio suo patefacto omnes variis de causis Chrysostomo infensos Episcopos, Clericos, Monachos, viros, feminas, ipsam quoque Imperatricem Eudoxiam excitat ad accusationes in eum intendendas.

Capita omnia accusationum refert Photius in Bibliotheca num. 59. partim per Joannem ejus Diaconum viva voce, partim per Isaacium Episcopum per libellum proposita. Inter illa dicebant, quod Epiphanium delirum, & parvulum dæmonem appellarit. Quod Antonium sepulchrorum violatorem convictum ordinarit Episcopum. Quod neque incedens ad templum, neque egrediens Deum precatus sit. Quod sine testibus multos ordinarit. Quod solus edat intemperanter Cyclopum vitam degens. Quod mulieres suscipiat, solus cum solis, aliis omnibus foras emissis; quod propter Olympiadem, Nicætam, & alias ipsi ministrantes improperabant. Quod pugno contuderit Memnonem in Apostolorum sacra æde, & sanguine ex ipsius ore manante, nihilominus Eucharistiæ obtulerit ministeria. Quod in Ecclesia dicat mensam esse furiarum plenam. Quod licentiam peccantibus præbet sic docens: *Si iterum peccasti, pœniteat iterum: & quoties peccaveris, veni ad me, & iterum te salvabo.* Quod in Ecclesia docens blasphemet Christum orantem ideo non auditum, quia non, ut oportet, orasset. Quod Origenistas receperit. Communicantes verò cum Ecclesia Monachos, & si literas commendatitias afferentes, in carcerem conjectos non dimiserit, & ibi morientes non inviserit. Quod Ecclesiæ reditus nemo noverit, quo abeant. Et alia ejusmodi nugarum plaustra in sanctum virum conficta, ut est etiam istud, quod extra altare ordines conferret. Ut nemo stupeat, si aliquando malarum linguarum dicteriis impetatur, cum nec sancti immunes evaserint. Aut quæ sanctè egerunt, aut dixerunt, in malam partem detorquentur. Citatur Chrysostomus.

Calumniæ in D. Jo. Chrysost.

Respondit: *Abjicite de medio vestrum apertos inimicos meos, & de loco non contendam, in quo oportet me judicari.* Cum quartò citatus, quartò sic respondisset, ad extremum ad Synodum Oecumenicam provocavit. At illi, nulla habita ratione appellationis, sententiam depositionis in eum tulerunt, relationemque ad Imperatorem miserunt: *Quoniam accusatus*, inquiunt, *Joannes quorundam criminum, consciusque ad ea diluenda occurrere noluit: hujusmodi verò deponunt leges, id quod & passus est. Continent autem libelli & læsæ Majestatis crimen. Jubeat hunc pietas vestra expelli, vel invitum, daturum tanti criminis pœnas. Nobis enim ista non licet inquirere.* Misso igitur tertiò die post abdicationem cum militibus Comite, circa vesperum, ne tumultus fieret, se ad navim perducendum præbuit. Abductione ejus cognita, magna populi seditio concitatur, ut etiam alieniores ab eo ad Innocentis ejecti commiserationem commoverentur. Qua causa, & quòd terræmotus ea nocte factus, terrorem Imperatrici incussisset, pluribus nuntiis uno post alium missis, Imperator eum revocat, & magno populi applausu accipitur. Restitutus petit ab Imperatore suam causam in legitima Synodo tractari; quam Theophilus futuram timens, cum suis fugam arripuit. Per litteras Imperatoris vocatus, prætexens plebis furorem, ejusque timorem, venire contempsit. Hæc ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Palladio, & maximè est epist. ipsiusmet Chrysostomi ad Innocentium, Baron. anno 403. num. 1. usque ad 32. inclusivè.

Chrysost. provocat ad Concil. generale.

Ab exilio revocatur.

Præses porro Concilii Paulus fuit Heracleæ Episcopus, ut notat expresse Photius, propterea opinor, ait Andreas Scottus in Scholiis, quod Patriarcha solet ab Heracleæ Metropolita impositionem manus accipere, quia Byzantium in ejs Episcopatu olim fuit, Auctore Curopalata de offic. Constantin. ex qua observatione dici poterit non fuisse necesse improperare Theophilo, quod extra terminos jus diceret, cum non præsideret.

Locus autem Synodi *ad Quercum* dictus, fuit suburbium Chalcedonis, quod à Ruffino Consulari jam cognomen habet, ac dicitur *Ruffini suburbium*, in quo & Regia est, & ampla Ecclesia, quam ipse Ruffinus in honorem Apostolorum Petri, & Pauli extruxit, & Apostolæum ex his appellavit. Hunc locum Episcopi adversarii consultò delegerunt, ne scilicet vim populi suo Pastori addictissimi experirentur. Baronius prædicto loco ex Palladio, & Sozomeno.

Concilium Africanum primum sub Innocentio ad habendam collationem cum Donatistis, celebratum Carthagine, anno Domini 403. octavo Cal. Septembris.

PRæcedente Concilio Africano inter alia decreta fuit Legatio ad Romanum Pontificem pro assequenda indulgentia, qua Donatistis ad Ecclesiam Catholicam redeuntibus liceret retinere eandem dignitatem, quam apud suos accepissent. Legati itaque Romam reversi, in hoc Concilio, coram omnibus Carthagine significarunt, quæ ab ipso Romano Pontifice Anastasio obtinuissent: quod Aurelius in Præfatione insinuare videtur his verbis: *Jam dudum enim, &c.* Pro reconciliandis Donatistis decretum, debere unumquemque in sua civitate Donatistarum Præpositos convenire, unumque collegam sibi vicinum adjungere, propterea quòd (teste Augustino contra Cresconium lib. 3. cap. 45.) Donatistæ laici ab Episcopis Catholicis conventi responderunt, de fide cum Episcopis suis agi debere, seque nostram collationem vehementer optare. Forma conventionis certa præscripta est, & publicata Can. 59. qua Donatistas Catholici convenire deberent. Sed quæ hæc subsecuta fuerint, Augustinus prædicto loco subdit his verbis: *Factum est, conventi sunt, recusarunt, quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum est demonstrare.* Extat conventio duorum, Augustini, Proculianum Hipponensem Episcopum Donatistarum: & Possidii, Crispinum Calamensem convenientis. Sed quo illi supercilio, & superbia responderint, dici non potest. Non contenti verbis atrocibus, & minacibus egisse, Crispinus quidem Possidio insidias per suos tetendit: post apertè insecutus, obsedit, lapidationem fecit, ignem domui injecit, expugnavit, Episcopum contumeliis affecit. Ex his, quid alii fecerint, conjici potest. Vide Baron. an. 403. n. 35. 37. & seqq.

Concilium Africanum secundum sub Innocentio, anno 404. sexto Calend. Julias habitum Carthagine, in quo contra Donatistas ad Honorium Imperatorem Legatio decreta fuit.

COncilium hoc celebratum est Carthagine anno 404 hanc ob causam. Donatistæ ad pacem, & concordiam amicè invitati, fraternam communionem non tantùm contempserunt, verum etiam convenientes se Episcopos Catholicos armata manu exagitarunt. Ut huic malo remedium quæreretur, decreta est Legatio ad Honorium Imperatorem, ut is, sua auctoritate interposita, Donatistarum furorem coerceat, & compescat. Legatis in Synodo designatis, in scriptis data est admonitio, quæ commonitorium dicitur; unde, quid agendum foret, cognoscerent. Ut autem securitati Catholicorum intereà consulerent, Judices ad sui patro-

patrocinium per litteras sollicitarunt, Legatis Commendatitias ad Romanos, aliosque Episcopos illius loci, ubi Imperator moraretur, scriptas, addiderunt. Baron. anno 404. num. 123.

Concilium Africanum III. sub Innocentio, anno 405. in quo iterum decreta Legatio ad Honorium.

COncilium hoc propter hanc causam congregatum est: Antequam Legati præcedenti Africano Concilio deputati, Imperatorem convenissent, privatæ Episcoporum, & inter alias Maximiani Bagajensis Episcopi querelæ præcurrerant. Ut ergo Donatistarum furor, & sævitia coerceretur, Honorius Imperator diversas Sanctiones adjecit, quibus mulctam decem librarum iisdem persolvendam imposuit, testamento, aut donatione aliquid accipere prohibuit, emptionis, & venditionis contractu interdixit, ac demum recusantes redire ad unitatem Ecclesiæ, relegari mandavit. Harum legum severitate, & timore plurimi ad Ecclesiam reversi fuerunt, idque magno totius Africanæ Ecclesiæ gaudio: Augustinus Ep. 48. 50. & 68. Quam ob causam Stilicone secundùm, & Arthemio Consulibus, anno nimirum Christi 459. Innocentii IV. Carthagine convenientes nihil aliud decreverunt, quàm ut per Legationem ad comitatum ablegatam, Imperatori de illis, qui, relicto schismate, ad Catholicam Ecclesiam rediissent, gratiæ agerentur. Baron. anno 405. num. 54.

...um ri... Donatas con...rtit.

TOLETANA SYNODUS sub Innocentio.

HÆc est illa Synodus Toletana, in qua de Ordinationibus perperam factis actum fuit, & ad quam Innocentius epist. 23. scripsit, ut causidici curiales, vel sæculari militiæ dediti ad clerum non admittantur, & si tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur, hanc ab illa priore sub Anastasio habita diversam esse, probat Baronius contra Marianæ opinionem.

Concilium Africanum IV. sub Innocentio, Honorio VIII. & Theodosio secundùm Coss. anno Domini 407.

HOc Concilium, ut ex annotatis Consulibus liquet, habitum fuit Carthagine anno salutis nostræ 407. qui est Innocentii VI. Arcadii, & Honorii 13. inter alia statuta ibidem decreta est Legatio ad Honorium Imper. pro defensione rerum Ecclesiasticarum adversus Donatistas, atque Paganos: sancitumque, ut ad Comitatum euntes, Formatas acciperent ad Romanum Pontificem, à quo aliam quærerent formatam ad Imperatorem: ideo sanè, ne hæretici Catholico nomine velarentur. Nam illi tantùm manifesti Catholici habebantur, quos cum Romano Pontifice communicare, Formatæ ab eo acceptæ testabantur. Præceptum est etiam, ut Formatis dies Paschæ illius anni apponatur: & si propter nondum divulgatum diem Paschæ is definitè non sciretur, decretum est apponi diem anni præteriti, scilicet: *Post diem Paschæ anni præteriti*, ut evenire solet, cùm in publicis scriptis, post Consulatum, quid factum sit, scribitur.

Joan. ...ysost.

Circa causam verò Chrysostomi, sciendum, quòd Rom. Pontif. in causa S. Joannis Chrysost. adversus Theophilum Alexandrinum, & in omnes alios Episcopos, qui cum illo adversus eundem Chrysostomum conspiraverant, mirum in modum commotus fuit, adeo ut missas ab illis epistolas accipere noluerit. De hac dissensione Theodorus Diaconus apud Palladium hæc scribit: *Est autem Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem usque Orientalibus Episcopis; maximeque Theophilo, donec Dominus universalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ita gesserunt*. Publico itaque Decreto Legatis Romam missis mandatum est, ut Alexandrinam Ecclesiam, per litteras ad Innocentium scriptas, Romanæ Ecclesiæ reconcilient. Nec enim quiquam ex Catholicis cum Theophilo communicare volebant. Baronius anno 407.

Concilium Africanum V. & VI. sub Innocentio anno 408. in quibus decreta Legatio ad Honorium contra Donatistas.

B

POst Stiliconem, Occidentalis Imperii perduellem, ac proditorem, ab Heraclio anno Christi 408. interfectum, in Africa Gentiles, & Donatistæ falso rumore jactabant, nequaquam ex voluntate Honorii Imperatoris, sed opera dumtaxat Stiliconis leges contra se latas extitisse: adeoque earum auctoritatem unà cum ipso Stilicone extinctam esse. Vicissim itaque in Catholicos insurrexerunt, plurimosque etiam Episcopos necaverunt. Hac occasione Carthagine duobus Conciliis duæ Legationes ad Imperatorem decretæ fuerunt, quæque per Stiliconem in hæreticos, & Gentiles statuta erant, Honorius per Legatos, & Augustini epistolas sollicitatus, ex sua sententia multis rescriptis confirmavit, & amplificavit. Baron. anno 408. n. 18.

Concilium Africanum VII. sub Innocentio habitum, anno Domini 409.

C

IN hoc Concilio confirmantur ea, quæ in præcedentibus definita sunt.

Concilium Africanum VIII. Carthagine, sub Innocentio habitum, anno Domini 410.

CUm Attalus Tyrannus invasisset Imperium, & jam Africam esset tentaturus, accidit anno Domini 410. Innocentii Pontificis nono, ut Heracliani in Africa Comitis, vel Macrobii in ea Proconsulis consilio, leges adversus Donatistas datæ silerent: etenim universa Africana Provincia in discrimine posita videbatur, si tot legibus exagitati, & exasperati Donatistæ pro patribus Attali dimicarent. Quamobrem elicitum fuit ab Honorio Imperatore rescriptum, quo iidem sinerentur eam, quam vellent, religionem amplecti: sicque res transacta fuit. Cùm autem Attalo exauctorato, periculum illud cessasset: Episcopi Africani, quòd viderent Honorii Rescriptum in magnum Christianæ Religionis dispendium vergere, collecto Carthagine Episcoporum conventu, una omnium sententia decreverunt, mittendam esse ad Imperatorem Honorium Legationem, quam quatuor Episcopi ad hoc munus electi ornarent: rogarentque Imperatorem, ut edictum pro Donatistis latum revocaret. Et hoc est, quod in hujus Synodi Præf. sic habetur: *Lex data est, ut libero cultu quis Christianitatem acciperet*. Hæc ex præscripto Honorii Imperatoris, quod extat l. 51. *De hæret. Cod. Theod.* manifestè colliguntur. Vide Baron. anno 410.

D *Libertas religionis permissa.*

E

Synodus Ptolemensis in Lybia, auctore Synesio Ptolemaidis Episcopo congregata, sub Innocentio Papa, anno Domini 411. contra Andronicum Præfectum.

ANno salutis 411. Innocentii X. Honorio, & Theodosio Imperat. celebrata est Synodus Ptolemaide in Pentapoli Ægypti. Causa habiti Concilii ibidem hæc intercessit: Andronicus Provinciæ Præfectus multa crudelia in subditos, atque irreligiosa, & impia adversus Ecclesiam perpetrarat, quibus in Synodo propositis, atque probatis communi omnium sententia diræ excommunicationis pœna mulctatur. Baron. anno 411. num. 53.

Summa Collationis Carthagine habitæ inter Donatistas, & Catholicos per tres dies jussu Honorii Imperatoris, anno Domini 411. tempore Innocentii I Papæ.

COllationem hanc, quia inter Concilia reponit Binius, omittendam esse non duximus, maximè cum in ea appareat Spiritus hæreticorum, quem nosse multis prodest ad cavendos eorum errores. Sed & ex hac collatione methodum habemus disputandi cum hæreticis, ut scilicet nos Catholici, qui antiquitate priores sumus, ac in possessione fidei, defensorũ dumtaxat partes agamus, in hoc insistentes, ut diluamus eorum rationes, quibus à nobis justam separationis causam habere contendunt; cum enim iis rationibus responderimus, apparebit eos iniquè ab Ecclesia antiqua secessisse, atque adeo ad unitatem Ecclesiæ redire debere. Quæ methodus à Catholicis observata fuit contra Donatistas. Hi, ut supradictum est, se separaverant ab Ecclesia Catholica sub hoc prætextu, quod quidam ex Catholicis libros Scripturæ sacræ metu tormentorum paganis tradidissent, quod crimen multis etiam innoxiis per calumniam imposuerunt, cum non pauci ex ipsis ejusdem traditionis rei essent. Hinc eorum odium adversus Catholicos in tantum exarsit, ut se pollui eorum societate putarent, nec posse veram Christi Ecclesiam tàm malos homines habere, qui traderent scripturas: Ecclesiam proinde Christi apud se solos remanere putarunt in Africa, juxta illud Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Cum potius sensus loci illius esse posset, quod cum hæretici, & Catholici essent in Africa, quæreret anima, ubi esset Christus, an apud Catholicos, an apud alios, si vis aliqua esset in hoc textu ad causæ illius definitionem. Odio eorum in dies magis effervescente multi tumultus excitabantur, multæ persecutiones, & occisiones Catholicorum per Donatistas, multæ disputationes, multæ Synodi. Tamdem cum remedium aliquod speraretur ex amica collatione, in qua audirentur conquestus Donatistarum contra Ecclesiam ex consensu, & ad instantiam partium, Honorius Imperator Cognitorem, seu præsidem misit Marcellinum tribunum, & notarium (quæ dignitas tanta erat, quanta nunc Regiorum Secretariorum quatuor in Gallia) non ad definitionem doctrinæ, sed ad libertatem partium, & ut omnia inter eos cum ordine, & pacificè agerentur sine violentia, ac tumultu. Quod necessarium fuisse eventus demonstravit. Quippe cum Catholici ad omnia, quæ juris, & rationis erant, consentirent, contrà Donatistæ ad omnia protervirent (mirum enim quot moras, tricas, rixas, & suffugia nexuerint, traxerint, quæsierint, antequam ad causæ ventilationem veniretur) sapienti quodam mediatore inter utramque partem opus erat, qualis fuit hic Marcellinus, qui etiam in quibusdam plus visus est deferre Donatistis, quàm Catholicis, ne tumultuariè hi erumperent, collatioq; ad finem non pertingeret. Unde nullum præjudicium jurisdictioni Ecclesiasticæ illatum est ex hujus Cognitoris præsidentia, ex qua magis innotuit, & hæretica pravitas, & Catholica sinceritas.

Methodus disputandi cum hæreticis.

Aderat autem præsens D. Augustinus inter Catholicos Episcopos ad disputandum selectos. Nam ad hoc septem ex utraque parte Episcopi nominati sunt. Inter Donatistas Episcopos, qui numero 279. cum pompa Carthaginem ingressi erant, primus erat Primianus Episcopus Carthaginensis ex eorum parte, qui ubi primum à Catholicis conventus est de collatione habenda, ista ore rotundo verba turgida protulit. *Indignum est, ut in unum conveniant filii martyrum, & progenies traditorum.* Etsi verò ipsi Episcopi Donatistæ, quos nebulones Baronius appellat, minimè fructum retulerint ex hac collatione, multa tamen millia plebis, & circumcellionum resipuerunt, & ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem redierunt.

Donatistarũ typus.

A Quod verò collatio, non Concilium dicta sit hæc Episcoporum congregatio, ratio est, quod hæretici, & schismatici vocati sint non tamquam judicandi, sed tamquam fratres ad unitatem, perpensis causæ momentis, attrahendi.

Disputationis capita primaria duo fuerunt. 1. utrum Ecclesia Catholica per totum orbem esset diffusa. Donatistæ enim ad solam Africam eam coarctabant. 2. caput, an Ecclesia tantùm ex bonis constaret. Quia multis hæreticis scandalo fuit, quod essent etiam mali in Ecclesiæ communione. Hinc enim Novatiani ansam suæ discissionis arripuerunt. Hinc schisma Luciferianum duxit originem, quod zelo Lucifer Calaritanus non ferret lapsos in communionem per pœnitentiam recipi, itaut quidam ex ejus asseclis Helladius videns plures Episcopos Arrianos restitutos, diceret mundum esse diaboli, & Ecclesiam in lupanar conversam. In B quem spiculum orationis intorquet D. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos. Nec alia de causa tàm eloquentes sunt Calvinistæ in enarrandis Sacerdotum, ac religiosorum peccatis seu veris, seu sæpius etiam confictis, quàm ut adornent sibi prætextum separationis suæ ab Ecclesia, quasi ipsi sancti essent ab utero matris suæ: idem erat Spiritus Donatistarum: tantum sui ipsorum æstimatione inflati erant, ut etiam vox ipsorum esset familiaris apud Optatum, *quicquid volumus, sanctum est.* Unde magno fastu aspernabantur Catholicos. Sed quàm benè D. Cyprianus lib. 3. epist. 3. etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen debet impediri fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus: C & D. Aug. concione 3. in Psal. 36. suspicamini, quod vultis de nobis: si boni sumus in Ecclesia Christi, frumenta sumus: si mali sumus in Ecclesia Christi, palea sumus, tamen ab area non recedimus. Tu vento tentationis foras volasti, quid es? &c. quare tu propter malos ipsam cathedram dimisisti? redi ad pacem, redi ad concordiam, quæ te non offendit. Si bona loquor, & bona facio, imitare me, si autem non facio, quod dico, habes consilium Domini: quæ dico, fac, quæ autem facio, noli facere, tamen ab Ecclesia Dei noli recedere. Sed rem, qua brevitate poterimus, modò exhibeamus ex gestis famosæ istius collationis sæpius desideratæ, & tentatæ, sed resilientibus Donatistis retardatæ, donec accedente Imperatoris Honorii authoritate, cui & propter D hoc res Imperii felicius successerunt, ad exitum perducta est.

2. ca[...] dispu[...] nis.

Præte[...] hæreti[...] separ[...] se retu[...] tur. à Augu[...]

Specimina collationis primæ diei.

Ex præfatione. Cum Catholici Episcopi, & partis Donati, jussu Imperatoris disputando inter se gestis apud Tribunum, & Notarium Marcellinum cognitorem habitis contulissent, &c. qui causam bonam non se habere sciebant, id egerunt primum quantum potuerunt, ut ne ipsa collatio fieret, & ut prorsus causa ipsa non ageretur: sed quia hoc obtinere minimè potuerunt, id effecerunt multitudine dictorum, ut quod actum est, non facilè legeretur. Unde visum est isto breviario cuncta complecti.

E Ex cap. 1. Ingressis itaque utrisque partibus primo loco recitatum est rescriptum Imperatoris, quo jussit collationem fieri, &c.

Ex 2. Secundo loco recitatum est edictum ipsius cognitoris, quod per Provinciam misit, ut convenirentur utriusque partis Episcopi, & intra diem Calendarum juniarum conferendi causa congregarentur Carthagine. In eo edicto Basilicas sine jussione Imperatoris reddidit Donatistis, qui se pollicerentur esse venturos, &c.

Ex 3. Tertio loco recitatũ est alterum cognitoris edictũ, quod proposuit jam præsentibus utriusq; partis Episcopis, qui locus, & modus collationis futurus esset, &c.

Ex 4. Quarto loco recitata est Notaria Donatistarum: in qua dixerunt non sibi placere, quod in edicto suo posuit, &c. Sed petiverunt se omnes potius, qui

Don[...] tergi[...] sant[...]

qui venerunt adesse debere, ut eorum numerus appareret, dicentes, quod eos adversarii paucos esse mentitisint.

Ex 5. Quinto loco recitatæ sunt litteræ Catholicorum, quas rescripserunt cognitori, sicut edicto commonuerat, insinuantes consentire se ad omnia, quæ illo edicto fuerant ordinata.

Ex 6. Sexto loco recitatum est etiam edictum ipsum cognitoris, &c. insinuans populos, quæ illi pars utraque rescripserit.

Ex 7. Recitatæ sunt litteræ Catholicorum ad cognitorem, concedentes Donatistis, quod petierant, ut universi, qui venerant, præsentes essent in loco, ubi erat futura collatio: cùm tamen illic ex Catholicis Episcopis illi soli adessent, quos edicto suo cognitor definierat, ut si aliquis tumultus existeret, quod Catholici valdè metuebant, non illis imputaretur, qui paucissimi adessent, sed eis potius, qui multitudinem suam præsentem esse voluissent. In eisdem litteris etiam tota ipsa causa comprehensa est; ut ostenderetur, quod Ecclesia Catholica non esset pars Donati, sed illa potius, quæ per totum mundum fructificaret, incipiens ab Jerusalem, &c.

Ex 8. Octavo loco, cùm cognitor inquisisset, utrum sicut à Catholicis videbat, ita etiam à parte Donati electi jam essent, qui susceptam causam peragerent: Responsum est à parte Donati, quod jam esset acta à Catholicis causa, propter illas litteras, quæ totam causam breviter continebant. Deinde instare cœperunt, ut prius ageretur de tempore, de mandato, de persona, de causa, tunc ad negotii merita veniretur. Et cùm cognitor interlocutus esset, nihil de causa esse mutilatum: & rursus inquisisset, utrum de constituendo numero disputantium edicto ejus paritum fuerit, &c. cœperunt Donatistæ agere de tempore, quoniam causa ipsa agi non posset, quia dies præteriisset, &c. quoniam inter 4. menses agi causam præceperat Imperator, & petebant, ut, tamquam in contumaces Catholicos sententia proferretur, quasi admoniti Catholici, vel evocati defuissent, &c. Sed ad hoc eis respondit ipse cognitor, quod in Kalend. Junias pars utraque consenserit, quamvis etiamsi quælibet pars adhuc usque non occurrisset, duos alios menses superesse potuisse, quos Imperator adjunxit trinis edictis fuisse servandos.

Ex 9. Nono loco, quoniam cognitor dixerat de tempore præscribere, ut causa non ageretur, non Episcopalis, sed forensis potius esse objectionis: Invenit occasionem pars Donati, qua diceret nihil ergo secum agi publico jure debere, sed tantùm divinis testimoniis: unde cùm quæsisset cognitor, quid utrique parti de hac re placeret: responsum est à Catholicis, ut interest mandatum Catholici Concilii recitari, ubi electis disputatoribus, agendi modus injunctus est.

Ex 10. Decimo loco mandatum Concilii Catholici recitatum est. Hoc iterum breviter tota causa comprehensa est. *Infra*. Ne fortè, sicut fama jactabat, aliquas moratorias præscriptiones Donatistæ ingerere conarentur.

Ex 11. Cùm cognitor interlocutus fuisset, in mandato Catholicorum magis divina testimonia, quàm forensia vincula esse prolata, & jussisset etiam subscriptiones omnium recitari, conflictus exortus est, cùm Donatistæ exigerent eorum præsentiam, qui mandato subscripserant, &c. Catholici autem, ne sui præsentarentur, resistebant, verentes, ne illi tumultum præpararent, per quem prorsus abrumperetur ipsa collatio, &c. Sed voluntati eorum cedentibus Catholicis, ut omnes, qui subscripserant, ingrederentur, apparuit postea hoc ideò voluisse Donatistas; quia existimabant non convenisse Carthaginem tot Catholicos, quot subscriptiones ostendebantur, &c. quia Catholici non ea pompa, qua illi, Carthaginem fuerant ingressi.

Ex 12. Ingressis Episcopis Catholicis, omnes singillatim recitati, & in medium procedentes, à Donatistis recogniti sunt, &c.

Ex 13. Cognitor obtulit petens, ut confidentes potius agerent, quàm stantes: Donatistæ autem recusaverunt, gratias tamen agentes, quod talibus senibus obtulisset consessum, &c.

Ex 14. Mandatum etiam Donatistarum prolatum, & recitatum est, ut hi, quos elegerant, agerent, velut adversus traditores, & persecutores suos. Recitata sunt etiam eorum nomina, &c. inventi sunt quidam, pro quibus absentibus, alii subscripserunt. Inventus est etiam unus, qui cum, suo nomine recitato, non responderet, dixerunt eum in itinere esse defunctum. Et cùm quærerent Catholici, quomodo potuerit apud Carthaginem subscribere, qui fuerat in itinere defunctus: illi diu fluctuaverunt nescientes, quid responderent, &c. cognitor hanc eorum falsitatem deprehensam, judicio Dei relinquens, jussit cetera nomina recitari. Quibus recitatis, quæsivit de numero Episcoporum partis utriusque. Respondit officium, nomina Donatistarum Episcoporum esse 279. annumeratis etiam illis, pro quibus absentibus alii subscripserant, & illo defuncto, Catholicorum autem omnium præsentium nomina esse constitit 286. In loco ergo collationis, hoc est, in thermis Gargilianis, &c. quoniam se Donatistæ de universitate jactabant, &c. dictum est à Catholicis alios Episcopos 120 non venisse Carthaginem; quod quidam eorum senectute, quidam infirmitate, quidam diversis necessitatibus impediti essent. Donatistæ responderunt, etiam suos multò plures non venisse Carthaginem, &c. cùm in sua Notaria, quam cognitori dederant, apertissimè dixerint, se omnes venisse, &c.

Donatistæ mendacii arguuntur.

Numerus Episcop.

Ex 15. In perendinum diem collatio dilata est, utrorumque consensu.

Specimina collationis 2. diei.

Ex cap. 1. obtulit consessum iterum cognitor, deprecans, ut fieret: & mox Catholici consederunt: Donatistæ autem recusaverunt, &c. quod scriptum sibi esset cum talibus non sedere, Psal. 25. Tunc ergo etiam ipse cognitor stando se cogniturum esse respondit.

Ex 2. recitata est Notaria, quam pridie dederant, petentes, ut sibi mandatum Catholicorum ederetur, &c. & responsio cognitoris in eadem Notaria, qua jussit fieri, quod petebant.

Ex 3. cùm cognitor quæsisset, utrum eis placeret, quod edicto proposuerat, ut prosecutoribus suis quisque subscriberet, & Catholici respondissent, jam se in hoc consensum suum litteris expressisse: illi dixerunt, quod hoc consuetudo non haberet, cùm cognitor interrogasset, utrum eis sufficeret, quod dati fuerant gestorum conscribendorum ex utraque parte custodes, dilationem petere cœperunt, ut sibi conscripta gesta ederentur, & tunc responderent. Hìc ortus est diuturnus conflictus cum eis, cùm consensus, quo placuerat, ut illo die res ageretur, sæpè recitaretur ex tabulis. *Infra*. Et concessa est sex dierum dilatio, &c.

Specimina collationis 3. diei.

Ex cap. 1. tertio die collationis, id est sexto Idus Junias, ingressis partibus, primo loco, utrum edita eis gesta fuerint, cognitor inquisivit. Respondit officium, se ante diem, quam promiserat, edidisse, quod ex utriusque partis cautionibus probaretur. Et recitatæ sunt cautiones, &c.

Ex 2. cùm cognitor jussisset principale negotium jam proponi, dictum est à Catholicis, olim se agere velle principale negotium, & hoc esse, ut crimina, quæ solent Donatistæ dicere in Ecclesiam toto orbe diffusam, si possent, probarent. Responsum est à Donatistis, ut prius quæreretur, qui essent, qui agerent, &c. Catholicis recusantibus, &c. Donatistæ contendebant, ut exprimerentur, qui petissent ab Imperatore fieri istam collationem: volebant enim, ut constaret Catholicos esse petitores, ut ex forensi jure possent discutere per-

Initium disputat.

personas petitorum, cùm jam in actione prima recitatum fuisset Catholicorum mandatum, ubi ostendebant se non petitores esse, sed defensores, &c. cùm ipsi prius exegerint, ut Ecclesiæ causa, non forensibus formulis, sed magis divinarum scripturarum testimoniis ageretur, &c. seque ex divinæ legis auctoritate vicissim acturos esse promiserint. *infra*. Perventum est, ut Imperatoris præceptum, quo collationem jussisset fieri, legeretur, & ut eo modo petitorum persona constaret, &c. præcepto ergo Imperiali recitato, collationem petiisse Catholicos declaratum est, eamque esse concessam. Tunc Donatistæ, etiam preces, quibus ab eis hæc collatio petita est, postulare cœperunt, &c. *infra*. Catholici afferebant omnino, quod peterent ad causam non pertinere, &c.

Catholici defẽsores.

Ex 3. inter hæc etiam de Catholico nomine, apud quos potius esset, pauca ab utraque parte invicem dicta, & objecta sunt, & jussum est principali causæ potius reservari. Et post aliquanta identidem, cùm Catholici nominis facta mentione dicerent Donatistæ apud se potius esse Catholicam: interlocutus est cognitor, se interim sine cujusquam præjudicio non posse aliter appellare Catholicos, quàm eos appellavit Imperator, à quo cognitor datus est: illos autem quantò magis se esse Catholicos dicerent, tantò magis jam causam ipsam, remotis morarum interpositionibus, agere debere, in qua probare possent se potius esse Catholicos. Hìc Donatistæ, &c. dixerunt, ut si noluissent Catholici obtemperare judicatis, saltem hoc responderent: Utrum loco petitorum consisterent, &c. interrogaverunt ergo Catholici: quibus judicatis non paruerint. Et Donatistis ad hoc non respondentibus, interlocutus est cognitor: ad illud, quod de loco petitoris Donatistæ quæsierant, Catholici responderent. Et responderunt se hoc proponere, ut crimina, quæ solent Donatistæ communioni eorum objicere, vel probentur, vel diluantur: ut possit Donatistarum separatio vel defendi, vel corrigi. Tunc cognitor, cùm responsionem à Donatistis exigeret, responderunt: Afros, qui se Catholicos dicerent, alienam causam velle defendere, hoc est, totius orbis Ecclesiam, de qua nihil sibi debere præjudicare, cùm inter Afros hoc negotium ventiletur, & expectare potius Ecclesiam transmarinam, ut, qui vicerit, ipsi ad eam pertinere videantur, & ipsi habeant Catholicum nomen, &c. hìc Catholici breviter responderunt, &c. quia Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cui testimonium perhibet scriptura divina, ipsi, non Donatistæ communicant: unde Catholici meritò & sunt, & vocantur: Donatistæ autem responderunt: Non Catholicum nomen ex universitate gentium, sed ex plenitudine Sacramentorum institutum: & petiverunt, ut probarent Catholici sibi communicare omnes gentes. Quod Catholici cùm gratissimè acciperent, & peterent, ut hoc probare permitteretur, rursus cœperunt à causa Ecclesiæ iterum resilire: modò mandatum supradictum petendo, modò de petitoris persona, ut constaret, instando, modò, ut de his ipsis, quæ petierant, judicaret cognitor, exigendo, de quibus jam toties fuerat interlocutus, & eos illa frustrà petere pronunciaverat.

Nomẽ Catholici vertitur in disput.

Ex 4. Cognitori non videbatur injustè illos petere, ut petitoris persona constaret. *infra*. Hoc ergo videntes Catholici noluerunt personam suscipere petitorum, asserentes non se objicere crimina, sed objecta defendere, &c. Hìc Donatistæ asserebant, quocumque modo ultro Catholici cogerent sibi adversarios respondere, petitorum eos habere personam. Sed Catholici respondebant, ad hoc se petiisse collationem, non ubi objicerent diluenda, sed ubi objecta diluerent. *infra*. Hìc Donatistæ identidem petere cœperunt, ut Cognitor de persona pronunciaret. Et pronunciavit, dicens: *Si collationem pars utraque petivisset, eum esse petitorem, qui crimina objiceret*. Et exegerunt Donatistæ, ut probaretur à Catholicis, utrum collationem utrique petiverint. Ubi Cognitor

Catholici defensores, non petitores.

cùm dixisset, hoc Catholici probare debebunt, ortus est iterum moratorius conflictus de Catholico nomine, & Donatistarum, & Cæcilianistarum. Deinde obtulerunt Catholici gesta habita in judicio præfecturæ, quibus probarent etiam Donatistas collationem petiisse. *infra*. Quorum gestorum, cùm dies, & consules fuissent recitati, continuò rursus Donatistæ interruperunt, & eadem illa præterita poscere cœperunt.

Ex 5. Obtulerunt Donatistæ gesta proconsularia, &c. his gestis, Catholicos volebant ostendere loco assistere petitorum, quia eos illic dixerant hæreticos, multa contra divinas leges, humanasque committere. Contra hoc Catholici dicebant, ideò se etiam tunc flagitasse collationem, ut contra eorum crimina pro Ecclesia responderent. Itaque petiverunt sæpius, ut, si ea gesta recitanda essent, quæ priora esse constaret, illa potius legerentur, ubi Donatistæ primitus causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum per Anulinum proconsulem accusando miserunt, &c. Ista ergo, ne recitarentur, vehementer Donatistæ obluctabantur, &c. In hac autem obluctatione sæpè repetebant illud tot interlocutionibus Cognitoris repulsum, de mandato legatorum sibi edendo, & utrum testimoniis legis, an publicis gestis Catholici agere mallent: & tamen si hoc eligerent Catholici, &c. se non permissuros, ut ea, quæ à Catholicis offerebantur gesta, legerentur, eo quod haberent validam temporis præscriptionem, &c. vehementer enim eos timere apparebat, ne gesta legerentur, &c. hoc est, ne ipsa causa omnino ageretur, &c.

Ex 6. Contrà Catholici, &c. *infra*. Sed aliquando vicit Cognitor tàm longas obstinationes, & jussit recitari, quæ à Catholicis data sunt, & cœpit agi causa, &c. quod mirabiliter factum est: ut cùm Donatistæ propterea quærerent petitoris personam, ne perveniretur ad causam, ipsa inquisitio petitoris subito in medium mitteret causam.

Ex 7. Lecta est relatio Anulini proconsulis ad Imperatorem Constantinum, &c. qua perlecta, Donatistæ quærere cœperunt, &c. utrum Catholicis Cæcilianus pater esset, an mater: cùm dictum jam fuisset à Catholicis, nec patrem sibi eum esse, nec matrem, sed fratrem sive bonum, sive malum, &c. objecerunt Donatistæ, quomodo diceret Apostolus, 1. Corinth. 4. *Etsi multos pædagogos habeatis in Christo, sed non multos patres: in Christo enim Jesu per Euangelium ego vos genui*. Et responsum est à Catholicis, hoc honorificentiæ causa dictum, &c. Nam Patrem ad fidem, salutemque æternam non esse, nisi Deum, Matth. 13. *Ne vobis dicatis patrem in terra: unus est enim Pater vester Deus.*

Ex 8. Quartò itaque loco lectæ sunt litteræ Donatistarum, quibus conati sunt respondere mandato Catholicorum, &c. cui non potuisse eos respondere, qui utraque considerare voluerit, comperit: quia testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Catholica per totum mundum diffundi, incipiens ab Hierusalem, unde in propinqua, & longinqua crescendo, etiam in Africam venit, & in alia loca, & Civitate, in quibus multæ Ecclesiæ ad ipsam unicam pertinentes, Apostolico labore fundatæ sunt, quibus Donatistas non communicare manifestum est, non solùm non pertractare, sed omnino nec attingere voluerunt. Nec aliquod testimonium in tàm prolixa epistola sua proferre ausi sunt de scripturis sanctis, quo assererent Ecclesiam partis Donati esse prædictam, & prænunciatam: sicut tàm multa Catholici protulerunt pro Ecclesia, cui communicant, quæ, incipiens ab Jerusalem, toto orbe diffunditur. *infra*. Illud ostendere tentaverunt, quod Ecclesia Dei non cum malorum hominum commixtione futura prædicta sit: & tamen ad similitudinem de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos à malis in littore, hoc est in fine sæculi separari, Matth. 13. etiam ipsi fassi sunt in Ecclesia esse permixtos, saltem occultos malos: Zi-

Zizània verò inter triticum, non in Ecclesia, sed in ipso mundo permixta dixerunt: quoniam Dominus ait, *Ager est hic mundus*. De area sanè, cui paleam Catholici dixerant usque ad tempus ventilationis admixtam, &c. quasi hoc à seipsis Catholici dixerint, tantummodo reprehenderunt, velut ex testimonio Hieremiæ capite 23. quid paleis ad triticum? Non attendentes, unde hoc dixisset: non enim ajebat de Ecclesia, sed de divinis visionibus, & humanis somniis, &c. Similitudinem de ovibus, & hædis, qui simul pascuntur, & in sæculi fine segregabuntur, omnino attingere noluerunt: neque enim poterant illic dicere etiam hædos à pastoribus in communibus pascuis ignorari, sicut dixerant inter retia pisces malos in mari à piscatoribus non videri. *infra*. De Juda traditore, ipse Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum Catholici in suo mandato posuerunt: quod & Dominus Judam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum pertulerit. *infra*. De persecutionibus, quas perpeti se queruntur, multa in suis litteris posuerunt: nec tamen respondere ausi sunt ad illud, quod ipsi primitus apud Constantinum Imperatorem accusaverunt Cæcilianum. *infra*. De purgatione, & absolutione Cæciliani, &c. cum illic tota causa, propter quam venerant, versaretur, nihil omnino respondere in tàm prolixis litteris voluerunt, &c.

Ex 9. Donatistæ ad ea, quæ scripserant, ut responderetur, flagitare cœperunt, &c. Incipiebant ergo Catholici respondere, Donatistæ interrumpere, & obstrepere cœperunt, ne perpetuus respondentis sermo decurreret, sicut eorum litteræ, nullo interpellante, fuerant recitatæ. *infra*. Flagitantibus itaque patientiam eorum Catholicis, & permultas Cognitoris interlocutiones vix impetrantibus: responderunt litteris eorum, ostendentes multis sanctarum Scripturarum testimoniis, & exemplis, malos in Ecclesia sic nunc esse permixtos, ut quamvis debeat vigilare Ecclesiastica disciplina, ad eos non solùm verbis, sed etiam excommunicationibus, & degradationibus corripiendos; tamen non solùm in ea latentes nesciantur, sed plerumque propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur. *infra*. Hoc etiam significasse, quod corvus avis immunda exierit de arca, & non redierit: quæ tamen arca, exeunte corvo, non utique omnibus immundis animalibus caruit: sed in ea fuerunt munda, & immunda usque ad diluvium, sicut in Ecclesia boni, & mali usque ad finem sæculi. Sicut non de immundis animalibus Noe obtulit sacrificium: ita non ii, qui mali sunt in Ecclesia; sed ii, qui boni sunt, perveniunt ad Deum. De Prophetis etiam, quia dixerunt Donatistæ in litteris suis, non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerunt: Responderunt Catholici, quod unum templum fuerit, quo universi utebantur, nec quemquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi aliud templum, sacrificia, Sacerdotes. Et quod Donatistæ posuerant, ad peccata parentum etiam filios pertinere (cùm hoc utique numquam rectè intellectum sit, nisi de iis filiis, qui parentum iniquitates imitarentur.) Responderunt Catholici. *infra*. Quàm calumniosè objicerentur Catholicis toto orbe diffusis crimina Cæciliani, cùm Simeoni, & Annæ, & talibus objici non possent crimina illius populi, in quo nati fuerant, Sacramentis ejusdem populi consecrati, quæ crimina eidem populo non humana opinio, sed sermo divinus objecerat. *infra*. Ibi etiam opportunissimo loco responsum est Donatistis ad illud, quod dixerant, cùm eos peteret Cognitor, ut sederent, scriptum sibi esse, ut cum talibus non sederent, Psal. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo*; non sic intelligendum, nam ibi sequitur: *Et cum iniqua gerentibus non introibo*. Cùm ergo illi intrassent cum eis, quare non etiam sederunt? &c.

Ex 10. Ad hæc Donatistæ, cùm respondere non possent ad illud, quod jam peractum fuerat, redierunt, dicentes, mundum non benè intelligi Ecclesiam, &c. *infra*. Et quomodo potuerit diabolus in Ecclesia seminare zizania: Deinde calumniantes, quod duas Ecclesias Catholici dixerint, &c. Ad hoc Catholici responderunt inter alia: eandem ipsam unam, & sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos permixtos, tunc non habituram: sicut nunc mortalem, quod ex mortalibus hominibus constaret, tunc autem immortalem, sicut non ideò duo Christi, quia prius mortuus, postea non moriturus, &c. Multas etiam Ecclesias in Scripturis inveniri dictas, quæ tamen multæ, illius unicæ membra esse intelligerentur. Ad hæc Donatistæ rursus eadem replicare non destiterunt, insuper addentes, & invidiosè jactantes, quod Ecclesiam mortalem Catholici dixerint; quasi non eam dixerint fieri immortalem gratia Dei, &c.

Ex 11. Hæc inter eos cùm agerentur, &c. promisit Cognitor se de his, quæ satis audisset, extrema sententia judicaturum. *infra*. Donatistæ resistere cœperunt, dicentes, hujus causæ Christum judicem esse debere, & invidiam facientes Catholicis, quod hominem petiverant judicem. Ad hoc Catholici responderunt: Nec de homine judice postulato eos debere facere invidiam, qui & de causa Maximianistarum judicaverunt, nec eam Christo judici servaverunt, & ipsam Cæciliani causam primitùs ad hominem, hoc est, ad Imperatorem Constantinum, accusantes miserunt. *infra*. Cùm Donatistæ persecutores, quas patiuntur, exaggerantes commemorarent, &c. commemoraverunt Catholici ab eis horrenda esse commissa, &c. Cùmque in hujusmodi objectis diu conflictio versaretur, maluit Cognitor hæc omnia cohibere, promittens de his judicium posteriore sententia, &c. sic peracta est causa Ecclesiæ, quam magnopere Catholici curaverant à Cæciliani causa distinguere, quoniam ei non posset cujuslibet præjudicari criminibus, quæ contra humanas criminationes tot testimonia divina meruisset. Ex hoc jam cœpit agi etiam causa Cæciliani.

Ex 12. Recitatæ sunt duæ relationes Anulini proconsulis ad Constant. Imperat. &c. deinde lectæ sunt etiam litteræ supradicti Imperatoris ad Episcopos datæ, ubi eis causam Cæciliani injunxit audiendam, &c. legi cœpit etiam Episcopale judicium Melchiadis Romani Episcopi, & aliorum cum illo Gallorum, & Italorum Episcoporum in eadem urbe Roma factum.

Ex 16. Habet Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis ordinent: sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus: sed de proximo Ostiensis Episcopus.

Ex 17. Cognitor jussit gesta apud Melchiadem habita cætera recitari, & recitata sunt: quibus apparuit omnium, qui tunc consederant, Episcoporum sententiis, & ipsius Melchiadis, Cæcilianum absolutum, atque purgatum: Donatum verò damnatum, qui præsens in prima actione fuerat convictus, illi scilicet dictus à Casis nigris.

Ex 18. Tunc Donatistæ ipsum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere propterea majores suos illius judicium refugisse.

Ex 19. Responderunt etiam Imperatorias aures pravis suggestionibus inflatas.

Ex 22. Donatistæ responderunt Cognitori, de libero arbitrio nihil dicit potestas tua: hoc putantes, secundum Constantini litteras, sibi posse à præsente Cognitore concedi, &c. Hìc, cùm eis Cognitor respondisset, aliud sibi esse à præsentis temporis Imperatore præceptum, ierunt in aliud, &c.

Ex 25. Urgere Cognitor cœpit, ut si qua posteriora gesta Donatistæ haberent contra absolutionem Cæciliani, vel Felicis, jam jamque proferrent, ut posset de omnibus pronunciari: quoniam legibus prohiberetur semiplenam ferre sententiam. *infra*. Si contra nihil est, quod legatis, exire dignemini, ut possit plena de omnibus scribi sententia. Et utrisque exeuntibus, sententiam *Sententia pro Catholicis.*

sententiam scripsit, quam rursus intromissis partibus, recitavit, &c. *Confutatos à Catholicis Donatistas, omnium documentorum manifestatione pronuncians.*

Objectiones Donatistarum post collationem diluit D. Augustinus.

ATque hæc in illa collatione, in qua victi à Catholicis Donatistæ multa jactarunt, quibus omnem iniquitatis notam à se depellerent, quibus respondit D. Augustinus in Epistola ad Donatistas, tùm in libro, qui inscribitur post collationem. Dicebant illi inter cætera, judicium fuisse corruptum. *Non ergo*, ait in præfata Epistola, *vobis dicant, quia præmio corrupimus judicem*. Quid enim aliud solent victi homines dicere? &c. Et in præfato libro post collationem. *Cùm vobis dicunt, judicem fuisse corruptum, quid novum faciunt? quid aliud omnes victi facere consueverunt? & quid adhuc hominibus victis creditis, & veritati, quæ nunquam est victa, non creditis?* Dicebant, nocte fuisse prolatam sententiam, cap. 12. *Quis ferat victos homines conqueri, quod nocte contra eos prolata est sententia?* Infra. *Adhuc dies erat, quando volentes destruere judicium Romani Episcopi Melchiadis, &c. etiam ipsum Melchiadem traditorem esse dixerunt.* Dicebant partem Donati pati persecutionem, cap. 17. *& ad hæc etiam convicti, inde se jactant, inde nos lacerant, quia nos facimus persecutionem, ipsi patiuntur: quanta mala nostris fecerint furiosissimi Clerici, & Circumcelliones partis Donati, nostis & vos, &c.* cap. 18. *Expergiscimini aliquando, non vos Tartareus obliget somnus.* cap. 31. *Ubi est illa vox, qua vos decipere consueverunt? illi portant multorum Imperatorum sacras, nos sola portamus Euangelia. Contigit eis apud Imperatorem Constantinum, quod inimicis S. Danielis*, cap. 35. *Quomodo erat carcer, ubi erat & Judex? clausos fuisse nos nesciebamus, qui simul intus eramus: ipsi unde sciunt, nisi quia fugere fortassis voluerunt? Sed quis non videat, quod ista inania, & ridicula de tali cognitore non dicerent, si pro sua causa possent aliquid validum invenire, quod dicerent?*

Concilium Cirtense in causa Donatistarum sub Innocentio, anno Domini 412.

CAusa habiti Concilii ista fuit, quod Donatistæ collatione victi, & confutati atrocius grassarentur, & verbis simul, ac scriptis plura mendacia spargerent, quasi nostri Judicem corrupissent, suæ factionis hominibus autem ne quidem loqui permissum fuisset. Ut his ergo mendaciis occurrerent, Silvanus Numidiæ Primas, S. August. aliique plures ejus Provinciæ Episc. convenerunt, acturi, & consulturi de communi modo, quo Donatistis calumniantibus, suisque mendaciis, collationem habitam irritare conantibus, resistendum foret. Quid verò inter eos transactum sit, & communi sententia decreverint, licèt acta ipsa perierint, Synodalis Epistola ad Donatistas laicos scripta refert. Extat apud August. ep. 152 De qua illud admonendum putamus, quod in fine ipsius octavus pro nono Consulatu Honorii mendosè positus sit. Baron. an. 412.

In hac autem epistola, quam à se dictatam agnoscit D. Augustinus lib. 2. retractat. cap. 40. scribunt Patres Cyrtenses ad Donatistas de gestis in collatione Carthaginensi, quæ eorum Episcopi in ea victi, multò aliter narrabant ipsis, urgentque maximè, ut, nulla habita ratione eorum, quæ ab Episcopis suis audiebant, ad Catholicæ Ecclesiæ per orbem dispersæ unitatem redirent. Quod à pluribus eorum factum est. Epistola autem hæc incipit: *Sylvanus senex, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cæteri Episcopi de Concilio Cirtensi ad Donatistas.*

Ep. Synodica circularis.

Cùm in auribus nostris famâ crebresceret, hoc vobis vestros Episcopos dicere cognitorem præmio fuisse corruptum, ut contra eos sententia proferretur, vos autem ista facilè credere, ac propterea multos vestrum adhuc nolle acquiescere veritati: Placuit nobis, cogente Domini charitate, ac Concilio nostro hæc ad vos dirigere, quibus primitus admoneremini, illos vobis victos, atque convictos hæc mendacia jactare, &c.

In progressu epistolæ continetur summarium collationis, ut in ea mendaces ostensi sunt Episcopi Donatistæ, & veris probationibus contra Ecclesiam destituti. In quibus hæc magis notanda.

Nolite ergo esse ingrati tantæ misericordiæ, quæ per istam diligentiam vobis ministrata est. Nulla excusatio jam remansit, nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifestationi veritatis obsistunt, &c.

In Ec... salus

Quisquis ergo ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quia *unusquisque in ea onus proprium portabit*, ad Galat. 6. &c.

Nam cùm ventum fuisset ad causam Cæciliani, quam nos ab Ecclesiæ causa distinguebamus, ut si fortè malus esset inventus, ipsum anathematizaremus, non tamen propter ipsum Ecclesiam Christi relinqueremus, cui per malam causam suam præjudicare non posset.

Sic etiam ipsis sociis suis Maximus non præjudicat, quibus isti dilationem dederunt, dicentes eos ab illo, cum quo fuerunt, non fuisse pollutos, quia nec causa præjudicat, nec persona personæ. Quid ergo quæritis amplius? multis quidem verbis superfluis gesta oneraverunt, & quia non potuerunt efficere, ut causa non ageretur, hoc fecerunt, multum loquendo, ut difficile ageretur, &c.

Conclusio epistolæ est. Sed quid vos pluribus litteris oneremus? Si vultis nobis credere, credite: & teneamus pariter unitatem, quam jubet, & quam diligit Deus. Si autem nobis non vultis credere, gesta ipsa legite, &c. Si autem nihil horum facere vultis, & manifestissima veritate convictam partis Donati falsitatem adhuc sequi desideratis, mundi erimus à pœna vestra, quando vos serò postea pœnitebit. Si verò id, quod vobis præstitit Deus, non contempseritis, & post causam tàm diligenter actam, & tàm diligenter manifestatam, perversam consuetudinem relinquentes, paci Christi, & unitati consenseritis, de vestra correctione gaudebimus: & Sacramenta Christi, quæ in sacrilegio schismatis ad judicium habetis, utilia, & salubria vobis erunt, cùm in Catholica pace habueritis caput Christum, ubi charitas operit multitudinem peccatorum, 1. Petri 4. hæc ad vos scripsimus 18. Kalend. Julias piissimo Honorio Augusto octavo Consule. Ut, quando possunt, ad quosque vestrum istæ litteræ pervenirent.

Hæc tunc scribenda ad populos Donatistarum schismate, ac hæresi simul jam à plusquam centum annis ab Ecclesia divulsos post collationem Carthaginensem. Quæ frustra scripta non sunt, cùm multi, ut jam dictum, ad Ecclesiam redierint, ut non desperemus omninò, sicut multi faciunt, de conversione Lutheranorum, ac Calvinistarum. Quidni enim, qui in principio, & progressu hæreticos Donatistas imitati sunt, perpetuis calumniis Ecclesiam Christi accusantes, redire aliquando cum illis possint, si non negligeretur, tanquam desperata eorum salus? sed aliquoties ingemui, quod in majoribus Jubilæis, facta licentia cuilibet Sacerdoti absolvendi quoslibet parricidas, miseris hæreticis in errore Patrum suorum involutis, nulla fiat paterna invitatio, saltem semel in sæculo integro, nec facilior aditus pateat ad Ecclesiam data majori Sacerdotibus ad eorum reconciliationem jurisdictione.

Urbs porrò Cirtæ in Numidia ipsa est, quæ aliquando fuit Regia Masinissæ, & in qua initia schismatis Donatistarum conflata sunt, in reconciliatione faciliori Episcoporum traditorum, ut supra sæculo tertio expositum fuit.

Conciliabulum Donatistarum in Africa, sub Innocentio I. anno 414.

CUm Honorius Imperator in Africa, anno Domini 414. lege quadam promulgata, Donatistas intestabiles, infames, hæreditatis adeundæ incapaces, exitio, ac relegatione dignos fore declarasset, legisque executionem Dulcitio demandasset, triginta Donatistarum Episcopi statim in Concilium convenerunt; atque in eo decreverunt, Ecclesias nequaquam deferendas esse: deportatos in exilium non obtemperare: sed voluntaria suiipsius nece unumquemque vim Præfectorum antevertere debere; ideò, quod ita futurum arbitrarentur, ut vel sui tanquam Martyres colerentur, vel saltem commiseratione Judicum talia exhorrentium, in suis ipsorum Ecclesiis tolerarentur. Plures id fecerunt, adeo ut plurium nece voluntaria perterritus Dulcitius, quod sibi agendum foret, Augustinum consuluerit. Ex epistola ad Dulcitium scripta apparet, eum respondisse, præstare, ut per mortem etiam paucorum voluntariam, plures servarentur. Hæc ex Augustino libro primo contra Gaudentium, capite 19. 37. 38. Baronius anno prædicto, numer. 5. & sequentibus.

[margin: ...natistæ se interimunt.]

Synodus in Macedonia Provincialis, sub Innocentio I. anno 414.

EX hac, pro confirmatione rerum gestarum, missa est Legatio ad Innocentium Papam per Vitalem Archidiaconum. Idque actum est anno Christi 414. scripserat autem prius ad ipsos Episcopos Innocentius, nec ejus litteras secuti sunt. Quare iteratò scribens, ea de re conqueritur, quod sedi Apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliqua fieret injuria, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Scribit autem ad eos epist. 22. aliàs 27. ut Sacerdos, qui viduam duxisset, suum perdat officium, ac deponatur: ut clericus esse non possit, qui, cùm ante baptismum uxorem duxisset, ea mortua, post baptismum aliam adhuc duxerit, cùm sit verè bigamus: ut ab hæreticis ordinati clerici non habeantur, licèt enim à Bonoso ordinati in ordine remanserint, id tantùm propter vitandum majus scandalum, & propter necessitatem factum fuit, &c. ex quibus datur intelligi Concilium hoc Macedoniæ circa hoc errasse, ac per Innocentium acta ejus correcta fuisse ex authoritate, qua super Ecclesias pollet.

[margin: ...dinati ... hæreticis.]

Synodus Diospolitana in Palæstina, præside Eulogio Cæsariensi, tempore Innocentii I. anno Christi 415. in qua Pelagius Monachus declaratus est Orthodoxus.

QUid actum sit in hac Synodo quatuordecim Episcoporum, non melius, & certius declarari potest, quàm ex libro D. Augustini de gestis Pelagii, qui liber totus ferè est in narratione gestorum in hac Synodo, in qua Pelagio Monacho præsenti, & ad hoc vocato, ut se defenderet, varii errores tùm ex Cœlestii discipuli sui assertionibus, tùm ex propriis suis libris excerpti, objecti sunt in faciem, ipsum Pelagium accusantibus duobus Episcopis Gallis, Eros Arelatensi, Lazaro Aquensi apud Episc. Palæstinæ, cùm in Monasterio ejus regionis tunc degeret. A quibus sese expedivit fraude, & impostura, partim negando à se dicta, partim in bonum aliquem sensum, saltem speciosum, & apparentem interpretando, non sine æquivocationibus. Quò factum est, ut, cùm nullos adversarios satis perspicaces, & acutos ibi haberet, à quibus urgeretur, ab illis Episcopis declaratus sit Catholicus, & Orthodoxus. Unde factum est, ut Pelagius post hoc judicium gloriaretur, quasi de parta victoria, hæresesque suas latius disseminaret sub nomine Catholici. Unde D. Hieronymus epist. 79. ad Alipium, & Augustinum Synodum hanc vocat miserabilem, quod non satis cautè, & prudenter actum sit in illa contra Pelagium ab Episcopis, & illam noluerit confirmare, sicut nec infirmare Innocentius. Liber autem iste Divi Augustini de gestis Palagii in lucem prodire cœpit anno circiter 1611. ac de illo meminit lib 2. retract. cap. 47. Quod sit autem verus fœtus D. Augustini, patere potest ex pari stylo, ac concordia ejus cum sententiis aliorum librorum, aliisque conjecturis, quas suppeditabit tibi Thomas Hauzerius in Epitome Divi Augustini, confirmatque Hieronymus Vignier in supplemento operum ejusdem Divi Augustini. Quia verò totum librum hunc in hanc summam transferre operosius esset, satis nobis fuit ex illo præcipua quædam delibare, cum brevibus quibusdam annotationibus, ex quibus patere possit, quæ dogmata ex illo Concilio retenta, & approbata sint, & quibus subterfugiis coluber Britannicus, ita enim dictus Pelagius, integer eruperit, & liberaverit se, indemnis à censura hujus Concilii.

[margin: Lib. D. August. de gestis Pelag.]

1. Objectum est Pelagio, quod in libro suo quodam scribit: *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* Quo recitato, Synodus dixit: Tu hoc edidisti, Pelagi? At ille respondit: Ego quidem, sed non sicut illi intelligunt: non dixi, non posse peccare, qui scientiam legis habuerint, sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est; Legem in adjutorium dedit illis. Hoc audito Synodus dixit: Non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt à Pelagio.

[margin: 1. Fraus Pelagii.]

Planè subjungit Divus Augustinus cap. 2. non sunt aliena, quæ respondit: illud verò, quod de libro ejus prolatum est, aliud sonat. Sed hoc Episcopi Græci homines & ea verba per interpretem audientes discutere non curarunt, &c. Latebat autem venenum in ista prima propositione, quod per eam indicaret gratiam Christi non esse necessariam, ut quis esset sine peccato, sed ad hoc sufficere legis notitiam habere.

2. Adjecit Synodus, & ait: Legatur aliud capitulum, & lectum est in eodem libro posuisse Pelagium: *Omnes voluntate propria regi.* Quo lecto, Pelagius respondit: Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona: homo verò peccans, ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii. Quo audito Episcopi dixerunt: Neque hoc alienum est ab Ecclesiastica doctrina. Quis enim condemnaret, vel negaret liberum arbitrium, cum quo Dei adjutorium prædicatur?

Subjungit Divus Augustinus cap. 3. hoc dictum Pelagii meritò placuisse Episcopis. Et tamen, inquit, illud, quod in libro ejus positum est, omnes voluntate propria regi, fratres, qui noverant, quid adversus gratiam Dei solent disputare isti, procul dubio debuit permovere. Sic enim dictum est, omnes propria voluntate regi, tanquam Deus neminem regat, & tanquam frustra scriptum sit, *& rege eos, & extolle illos usque in sæculum, &c.* Et tamen tantum præstat gratia Salvatoris, ut non dubitet dicere Apostolus. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, &c.* Nota iterum per hanc propositionem Pelagium intendisse exclusionem gratiæ Dei. Aliud quippe sonat propositio quædam in ore hæretici, aliud sæpè in ore Orthodoxi.

[margin: 2. Fraus Pelagii.]

3. Item recitatum est, quod in libro suo Pelagius posuit, *in die judicii iniquis, & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos.* Respondit Pelagius, hoc secundum Euangelium se dixisse, ubi dicitur de peccatoribus. *Isti ibunt in supplicium æter-*

æternum, justi autem in vitam æternam. Et si quis aliter credit, Origenista est. Dixit Synodus hoc non esse alienum ab Ecclesia.

Nota hanc propositionem Pelagii movisse Catholicos contra ipsum; quod significaret omnes, qui fuissent peccatores igne inferni puniendos, non eis exceptis, qui fundamentum habent Christum, quamvis superædificent lignum, fœnum, stipulam, de quibus dicit Apostolus: *Si cujus opus arserit, salvus erit, quasi per ignem*; itaut nullus ex iis, qui igne purgatorii detinerentur, accedente Judicio, misericordiam Dei consequerentur. Sed rursus ait D. August. cap. 3. qui nullum peccatorem in Dei Judicio misericordia Dei dignum existimat, quod vult, ei nomen imponat, dum tamen & hunc errorem Ecclesiastica veritate non recipi intelligat. *Judicium* enim *sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam*. Advertitque post hoc Episcopale judicium non satis apparere de mente Pelagii in hac propositione.

4. Objectum est Pelagio, tanquam in libro suo scripserit: *Malum nec in cogitationem venire*. Scilicet sanctis. Respondit autem: hoc non ita posuimus, sed diximus debere studere Christianum, ne malè cogitet. Quod, sicut docuit, Episcopi approbarunt, ait D. August. cap. 4. & potuit fieri, ut codicem mendosum legerent, qui hoc illi objiciendum arbitrati sunt. Sanctis enim cogitatio mali potest inesse, etsi consensio non sequatur, & ideò culpam non habet.

Ambiguũ nomen veteris testamenti. 5. Recitatum est aliud, quod in suo libro scripsit: *Regnum cœlorum etiam in veteri testamento promissum*. Ad quod Pelagius: hoc & per scripturas probari possibile: hæretici autem in injuriam veteris testamenti hoc negant. Ego verò authoritatem scripturarum secutus dixi, quoniam in Prophera Daniele scriptum est: *& accipient Sancti regnum Altissimi*. Qua ejus accepta responsione, Synodus dixit: Neque hoc à fide Ecclesiastica alienum est.

Nota Pelagium voluisse æquare vetus testamentum novo, ut infra patebit: ideoque hoc illi objectum. Sed objectionem elusit, accipiendo latius vetus testamentum tàm pro lege data in monte Sina, quàm pro libris Prophetarum. Non pro sola lege data in monte, in qua non invenitur apertissimè promitti, nisi terrena felicitas, ait D. Aug. cap. 5.

6. Post hæc objectum est, quod Pelagius in eodem suo libro scripserit, *Posse hominem, si velit, esse sine peccato*, & quod scribens ad viduam, adulatoriè dixerit: *Inveniat apud te pietas, quæ nusquam invenit locum: inveniat ubique peregrinans sedem justitia: veritas, quam jam nemo cognoscit, domestica tibi, & amica fiat & lex Dei, quæ ab omnibus prope hominibus contemnitur, à te sola honoretur*. Et iterum ad ipsam. *O te felicem, & beatam, si justitia, quæ in cœlo tantùm esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris, &c.* Ad hoc autem Pelagius respondens ait, posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire, si velit, diximus: hanc enim possibilitatem Deus illi dedit: non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam, qui nunquam peccaverit, sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore, & Dei gratia possit esse sine peccato: nec tamen per hoc in posterum inconversibilis. Reliqua verò, quæ subjecerunt, neque in libris nostris sunt, neque talia unquam diximus. His auditis, Synodus dixit: Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos, qui sic tenent. Pelagius respondit: Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos: siquidem non est dogma. Deinde judicaverunt Episcopi, dicentes: nunc quoniam anathematizavit Pelagius insertum stultiloquium rectè respondens homine cum adjutorio Dei, & gratia posse esse sine peccato, respondeat & ad alia capitula.

Alia fraus Pelagii in nomine gratiæ. Nota hic Pelagium fefellisse Episcopos, non intelligendo per gratiam, veram Christi gratiam supernaturalem, qua speramus nos posse liberari de corpore mortis hujus, sed aliquid aliud naturalis ordinis, ut liberum arbitrium, vel scientiam legis. Quod illi non discusserunt exactius: sicut an alia verba ad viduam in ejus aliquo libro continerentur, cùm negaret ille à se dicta, licèt, ut testatur Divus Augustinus cap. 6. inventa sint in libro, qui sub ejus nomine divulgabatur. Potuit enim aliquis liber sub ejus nomine falsò fuisse conscriptus.

7. Hæc sequuntur objecta Pelagio, quæ in doctrina Cœlestii discipuli ejus referuntur inventa. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum*. Quoniam lex sic mittit: *ad regnum quemadmodum Euangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat*.

Deinde & objecta sunt quædam capitula. *Posse hominem sine peccato, si velit, esse. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus renuntient, si quid boni visi sunt facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse illos habere*. Ad hæc sibi objecta Pelagius respondit: Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius. De eo autem, quod fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè, & justè secundum scripturarum sanctarum traditionem; reliqua verò & secundum ipsorum testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo, sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi anathematizo eos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt. Post hanc ejus responsionem Synodus dixit, ad hæc prædicta capitula sufficienter, & rectè satisfecit præsens Pelagius, anathematizans ea, quæ non erant ejus.

Hinc rectè infert D. Aug. cap. 1. omnia ista capitula, quæ damnavit Pelagius, damnata fuisse ab hac Synodo, de quorum contentiosissimis assertionibus usquequaque ferventibus multorum fratrum perturbaretur infirmitas. Quare & ipse propter solicitudinem charitatis, quam circa Ecclesiam gerebat, coactum se dicit fuisse de quibusdam hujusmodi quæstionibus scribere, maximè de baptismo parvulorum.

8. Objectum est Pelagio, quod diceret: *Ecclesiam hic sine macula, & ruga esse*. Respondit: Dictum est à nobis ita, quoniam lavacro ab omni macula, & ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere. Ad quod Synodus dixit. Hoc & nobis placet. Quis enim nostrum negat in baptismo omnium peccata dimitti, & omnes fideles sine macula, & ruga de lavacro ascendere? aut cui Christiano Catholico non placet, quod & Domino placet, idque futurum est, ut in Ecclesia permaneat sine macula, & ruga?

Nota per istam propositionem intendisse Pelagium excludere necessitatem orationis, in tempore hoc medio inter lavacrum, & regnum, qua de re sæpè disputat contra ipsum D. August. sed deficientibus adversariis, qui urgerent, nullo negotio expedit se à quibusvis objectionibus.

9. Objectum est illi de libro Cœlestii capitulo primo: *Quoniam plus facimus, quàm jussum est in lege, & in Euangelio*. Ad quod Pelagius respondit, hoc quasi nostrum posuerunt. Dictum est verò à nobis secundum Apostolum de Virginitate, de qua Paulus dicit: *Præceptum Domini non habeo*. Synodus dixit: hoc & Ecclesia recipit.

Nota. Intendebat Pelagius tantam nos habere per naturam liberi arbitrii possibilitatem non peccandi, ut plus etiam, quàm præceptum sit, plures faciant, servando Virginitatem: sed judices pro sensu Pelagius, seu Cœlestius id dixerit nescientes, probaverunt ejus responsum, quoniam plus Virginitas, quàm pudicitia con-

conjugalis, licèt neutrum sine gratia Dei habeatur.

10. Objectum est Pelagio ex eodem libro Cœlestii cap. 3. ipsum scripsisse, *Gratiam Dei, & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, ac doctrina*. Et iterum. *Dei gratiam secundum merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus*: & his verbis intulisse, *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato: non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit*. Et iterum ait. *Si gratia Dei est*, quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpa, quando *vincimur à peccato, quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit*. Ad ista Pelagius respondit. Hæc utrum Cœlestii sint, viderint, qui dicunt esse Cœlestii: ego verò nunquam sic tenui, sed anathematizo, qui sic tenet, Synodus dixit. Recipit te sancta Synodus ita verba reproba condemnantem.

...usat se ...agius ...criptis ...stii.

Hinc infert Divus Augustinus cap. 14. quamvis sit adhuc occultum, quid de istis sentiat Pelagius, hæc tamen omnia per Synodum damnata fuisse, & Pelagium simul fuisse damnandum, nisi ista damnasset: unde post hoc judicium, inquit, quando contra istas sententias disputamus, contra hæresim damnatam disputamus.

11. Objectum est Pelagio ex eodem libro Cœlestii cap. 5. *Quod affirment unumquemque hominem omnes virtutes posse habere, & gratias, & auferant diversitatem gratiarum, quam Apostolus docet*. Pelagius respondit: dictum est à nobis, sed malignè, & imperitè reprehenditur: non enim auferimus gratiarum diversitatem, sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, sicut Paulo Apostolo donavit: ad hoc Synodus dixit: consequenter & Ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto Apostolo continentur.

Adverte non potuisse Pelagium non esse suspectum, cùm dixit, Deum donare gratiam ei, qui dignus est, ipsum quippe gratiæ nomen, ait Divus Augustinus cap. 14. & ipsius intellectus aufertur, si non gratis datur, sed is, qui dignus est, accipit. An fortè quis dicat me Apostolo facere injuriam, quia eum gratia fuisse dignum non dico? immo tunc facio illi injuriam, & mihi pœnam, si, quod ipse dicit, non credo. An ille gratiam non ita definivit, ut eam sic appellatam, quod gratis daretur, ostenderet? nempe ipse dixit: *Si autem gratia, jam non ex operibus, &c.* Quæ D. Augustini, & Divi Pauli verba intelligenda veniunt de operibus puræ naturæ, aut solius liberi arbitrii, quibus Pelagius vim justificandi tribuebat, quicquid interim senterit de justificatione, an in habituali dono consisteret, an in favore Dei externo: Quæ quæstio nondum adeò profundè suo sæculo discutiebatur.

12. Objectum est Pelagio ex sexto Capitulo libri Cœlestii, quod assereret, *Filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti*. Unde secundum ipsum dictum est, neque Apostolum esse Filium Dei, qui dixit: *Non quod jam acceperim, aut quod jam perfectus sim*.

In septimo, oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem, cùm David dicat, delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantias: *& cùm in lege sacrificia pro ignorantia offerantur*.

In decimo capitulo, non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. In duodecimo capitulo victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio, quod inferre dictus est his verbis, nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus: sicut è contrario nostrum est, quod vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsimus. Et de Apostolo Petro posuit testimonium, Divinæ nos esse consortes naturæ. *Et Syllogismum facere dicitur, quoniam si anima non potest esse sine peccato: ergo & Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est anima, obnoxia est peccato*.

In decimotertio capitulo dicit, quoniam pœnitentibus venia non datur secundum gratiam, & misericordiam Dei, sed secundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerant misericordia.

His recitatis, Synodus dixit. Quid ad hæc, quæ lecta sunt capitula, dicit præsens Pelagius Monachus? hoc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia. Pelagius respondit: Iterum dico, quia hæc secundum ipsorum testimonium non sunt mea, pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo: quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea, secundum judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti sanctæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundum doctrinam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, si quis verò aliena ab hac sapit, anathema sit.

Synodus dixit. Nunc quoniam satisfactum est nobis persecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit; contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat, & anathematizat, communionis Ecclesiæ eum esse Catholicæ confitemur.

Sensus Pelagii circa veniã datã pœnitent.

Nota. Quando Synodus reprobavit ultimam propositionem, qua fertur veniam peccatorum non dari secundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia; hoc dictum esse secundum sensum Pelagii, qui intendebat aliquem mereri, & dignum esse venia peccatorum ex merito purè humano, & labore pœnitentiæ naturalis, quæ non procederet saltem ex præveniente Dei gratia, quam ipse non admittebat. Nam quod venia peccatorum detur pœnitenti ex actibus supernaturalibus contritionis, vel attritionis, non est contra fidem, immo scriptura id sæpè prædicat. Quamvis non debeat dici per hos actus peccatorem mereri veniam peccatorum, supple merito ex condigno: quia Deus, quando veniam dat pœnitenti, non illi dat misericordiam, tanquam illam merenti, sed tanquam ad illam se disponenti, ex gratia saltem præveniente. Non inutile est autem ista annotare, quia doctrina Pelagii non probè intellecta, fomes est errorum plurium, quibus firmantur hæreses hujus sæculi, quarum exitum vix sperare quis possit. Hoc enim statuendum est, Pelagium censuisse æquè bona, ac mala dependere ab humana voluntate, ut annotari potest in fasciculo hujus ultimæ objectionis, & clarè expressit Prosper Aquitanicus contra ingratos.

Unde non magis requirebat gratiam ad rectè agendum, quàm ad peccandum. Quod Ecclesiæ sensui contrarium est, quæ docet ad rectè agendum prærequiri gratiam Dei, neutiquam autem ad peccatum.

Heresis damnata, etsi non ipse.

Cæterum Divus Augustinus cap. 21. non putavit Pelagium purgatum fuisse his responsis; illi enim, inquit, tanquam de ignoto judicantes, his præsertim absentibus, qui contra eum libellum dederant, duobus scilicet Galliæ Episcopis Heroto, & Lazaro, hominem quidem diligentius examinare minimè potuerunt: hæresim tamen ipsam penitus peremerunt. Illi autem, qui benè sciunt, quæ Pelagius docere consuevit, sive qui ejus disputationibus restiterunt, sive qui ex ipso errore se liberatos esse gratulantur, quomodo possunt eum non habere suspectum, quando ejus non simplicem confessionem præterita errata damnantem; sed talem confessionem legunt, quasi nunquam aliter senserit, quàm isto Judicio in ejus est responsionibus approbatum? Hunc autem defectum attribuit idem Divus Augustinus cap. 2. eorumdem gestorum ipsismet Episcopis Judicibus, quòd multa indiscussa reliquerunt Latini sermonis ignari, & ejus, qui causam dicebat confessione contenti: præsertim ubi ex adverso nullus instabat, qui verba libri ejus

ejus exponendo aperire interpretem cogeret, atque, unde fratres non frustra moverentur, ostendere. Paucissimi quippe sunt legis periti: multitudinem autem membrorum Christi usquequaque diffusam, & legis tàm profundæ, ac multiplicis imperitam, simplicis fidei pietas, & spes firmissima in Deo, & charitas sincera commendat, quæ his donis prædita, gratia Dei se confidit à peccatis posse mundari per Jesum Christum Dominum nostrum. Atque in libro de Gratia Christi contra eumdem Pelagium magis subdolum ejus animum ostendit, & quas latebras habuerit: etsi enim diceret anathema ei, qui dicit, vel sentit Gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam, debere tamen haberi hæc ejus verba suspecta: quia, inquit, etsi Gratiam Dei in sola peccatorum remissione constituat, potest huic sensui ista verba coaptare, dicens. Ideò eam per singulos actus esse necessariam, ut semper reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, &c. ut in omni conversatione nostra intueamur dominicæ conversationis exemplum: & cap. 3. in libris, quos edidit pro libero arbitrio, nihil aliud sentire monstratur, quàm id, quod damnasse videbatur.

Controversia.

Porrò extant alia acta in Pelagium Synodi Orientalis, in Opusculo quodam inscripto, *Pauli Orosii Presbyteri liber Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate.* Sed hunc minimè esse Paulum Orosium D. Hieronymi, ac D. Augustini discipulum, sed authorem Novatianum, ac Nestorianum multis ostendit Petrus Vvastellius Carmelita lib. 3. vindiciarum operum Joannis Jerosolymitani, adeoque acta illa spuria esse, ac solùm ea legitima, quæ multum conquisita, & ab Aurelio Carthaginensi accepta sub suo nomine in lucem emisit D. Augustinus. Sed nec in eodem loco, nec sub eodem præside acta illa edita esse asseruntur à Pseudo Orosio. Siquidem Concilium Diospolytanum in urbe Sepheris prope Carmelum, Patria est S. Joachim, & Annæ, in qua educata beata Virgo ex Bertio Epistol. 2. ad Filium. Aliàs Lydda, quæ & urbs Jovis dicebatur, celebratum est, unde illi nomen Diospolytanum, & sub præside Eulogio Cæsariensi Episcopo: acta verò illa Pseudo-Orosii Jerosolymæ habita referuntur, præside Joanne Episcopo Jerosolymitano. Fictaque videntur ab hæretico ad elevandum fidem gestorum Pelagii in Synodo Diospolytana, quam solam contra ipsum celebratam fuisse agnoscunt antiqui, de Jerosolymitana tacentes. Etsi admittat præfatus Vvastellius potuisse Joannem Jerosolymitanum ad se vocare Pelagium cum suis Monachis conversantem, ut pro ratione debiti Episcopalis cum eo collationem aliquam haberet præviam ad Synodum Diospolytanam. Sed hæc sine præjudicio amplioris cujusdam discussionis eorum actorum sub Joanne Jerosolymitano. Quia autem Pelagius sub pallio æquivocationis errores dissimulans, damnationis sententiam evaserat, unde magis, magisque ejus hæresis grassabatur, hinc D. Hieronymus, qui nulli unquam pepercit, ubi de hæresi agebatur, dialogum edidit tribus libris contentum adversus Pelagianos, in quo interlocutores sunt Critobulus pro Pelagianis, & Atticus pro Catholicis, qui sic variis interrogationibus urget Critobulum, ut vera sensa, virusque occultum Pelagii expromat. Sicque ipsum Pelagium refellit, hac arte parcens famæ Synodi Diospolytanæ, quæ minus Pelagii errores notos reddiderat, ut vitarentur, ac de ea nihil memorans.

Dialog. D. Hier. cōtra Pelag.

Atque ex his actis intelligi possunt errores Pelagii, & quid damnaverit, ut necesse non sit alium indiculum texere errorum illius. Ille scilicet, eraso peccato originali, media supernaturalia ad beatitudinem assequendam negabat, nec Christum Jesum, & Redemptorem agnoscebat, quippe natura integra, ac in tali statu, in quo à Deo primum condita fuerat, remanens sibi ipsi ad salutem sufficiebat absque gratiis internis cum sola Euangelii promulgatione externa; tantùm igitur Christus apud eum legislatoris partes agebat, qui omnium virtutum exempla præbebat hominibus, ac maximè patientiæ in morte sua, per quam & divinitatem commeritum fuisse putabat, sicut in secunda classe diximus in Concilio Ephesino, in quo etiam damnatus fuit cum Nestorio, cui ostium ad hæresim aperuerat, juxta illud Prosperi contra ingratos. *Nestoriana lues successit Pelagianæ.* Ut non immerito totis viribus contra tàm nefarium dogma primus scripserit D. August magno scripturarum, ac rationum pondere in ipsum irruens, ac Julianum Episcopum Capuanum ejus defensorem cum Cœlestio.

Hæresis Pelagii quæ.

Concilium Carthaginense, in quo à 37. Episcopis, Pelagius, & Cœlestius hæretici, Theodosio septimùm, & Palladio Coss. anno Domini 416. damnati fuerunt sub Innocentio Papa I.

QUa occasione hæc Synodus Carthagine in Africa celebrata sit, quidve in ea actum fuerit, ex Synodali epistola, quæ inter B. Augustini epistolas est 70. cognoscere licet: nimirum, quòd cùm ex Orosii Presbyteri relatu, litterisque sancti Hieronymi ad Augustinum redditis, aliorumque Episcoporum Galliæ intellexissent, Pelagium à Patribus Diospolytani Concilii in Palæstina, eo quòd hæresim suam fraudulenter dumtaxat condemnasset, Catholicæ communioni redditum esse; omnino necessarium fore existimarunt, ut Concilio desuper indicto, Africanæ Ecclesiæ Episcopi congregentur, & causa Pelagii, & Cœlestii Synodali Episcoporum judicio iterum examinetur, quòd à Diospolytanæ Synodi Patribus in communionem Ecclesiæ receptus Pelagius cum magno periculo fidelibus conversaretur.

Initio consessus epistolæ Herotis, & Lazari Episcoporum in Gallia exhibitæ, & perlectæ fuerunt. Post causa Pelagii, & Cœlestii sedulo discussa fuit, ac contra eorum errores oppositi Canones editi sunt. Ac actorum confirmatio per Synodicam ab Innocentio petita fuit. Lecta quoque fuerunt acta quædam ante quinque annos contra Cœlestium sub Aurelio Carthaginensi Episcopo, disputante contra ipsum Paulino Diacono, quod in libris suis negaret peccatum originale. Ac damnatus Cœlestius ad Innocentium appellavit. Horum actorum fragmenta extant apud D. Augustin. de peccato originali contra Pelagium lib. 2. cap. 2. & 3. in quibus patet Ruffinum Presbyterum fuisse Pelagianum, quamvis errores suos cautè occultaret. Non apparet autem plures ad id convenisse Episcopos, ut minimè Judicium tunc latum contra Cœlestium inter Concilia recenseri debeat.

Porrò Canones editi contra Pelagium, & Cœlestium in sequenti Concilio Milevitano huic Carthaginensi adscribuntur in codice Canonum Africanorum, qui extat apud Binium sub finem tom. 1. tùm etiam apud Photii Nomocanonem in Concilio Carthaginensi, in quo in unum corpus redigit variorum Conciliorum Canones. Hos dabimus in sequenti Concilio, in quo forsan iidem relecti sunt, & probati: unde & Cœlestinus Papa in epist. ad Episcopos Galliæ, quosdam Canones Concilii Milevitani refert, ac si esset ex Concilio Carthaginensi. Epistolarum autem Synodicarum hæc summa est.

Ex Ep. 90. Patrum Concilii Carthaginensis ad Innocent. Papam, de actis contra Pelagium, & Cœlestium.

Cùm ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter venissemus, &c. Compresbyter noster Oro-

Orosius nobis litteras Sanctorum Fratrum, & Consacerdotum nostrorum dedit, Herotis, & Lazari, quarum formam constituimus his esse subdendam. His ergo perlectis, Pelagium, & Cœlestium Authores nefarii prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante fermè quinquennium super Cœlestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. *Vide 2. Retr. cap. 33. & 50. &c.* Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, Charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut, &c. Nullum relinquant locum Gratiæ Dei, qua Christiani sumus, &c. Quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Isti autem asserunt, sicut B à fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, &c. Veremur ne apud te ista commemorando, quæ majore gratia de sede Apostolica prædicas, inconvenienter facere videamur, &c. Si ergo Pelagius gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi justè visus fuerit absolutus: error tamen ipse, & impietas, quæ jam multos assertores habet, etiam authoritate Apostolicæ sedis anathematizanda est, &c.

Ex 91. Epistola B. Innocentii Papæ ad Patres Concilii Carthaginensis.

C Antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes, quid Apostolicæ sedi, cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tàm mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda. Patrum instituta non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quicquid de discretis, remotisq; Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret; ubi tota hujus authoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, &c. Gratulor D igitur, fratres charissimi, quòd per fratrem, & Coepiscopum nostrum Julium litteras ad nos destinastis, &c. Sanandum ergo celerius, ne longius execrandus animis morbus inserpat: ut si Medicus, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, &c. Nam quid nos de his posthac rectum existimemus, qui sibi se putant debere, quòd boni sunt, &c. Ergo eris tibi in prævidendo præstantior, quàm potest in te esse, qui te, ut esses, effecit? & cui putas debere, quod vivis? quomodo non putes debere, quòd quotidianam consequendo gratiam taliter vivis, &c. Quid tàm mortiferum, si Authoris nostri obliti, ejus potentiam abjuremus, quasi jam amplius, quod possit dare, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit, &c. Cùm pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. *infra.* Liberum E enim arbitrium olim ille perpessus, cùm suis inconsultus utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus, nihil, quemadmodum exinde surgere posset, invenit, &c.

[L]ib. de dogmat. Eccl. [c]ap. 22. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Cùm hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus nihil agamus, nisi quatenus Dei misericordiam consequamur, quomodo ferre possimus ista jactantes? &c.

[O]rdo actor. [i]n Pelag. Quia verò multum confusa sunt Africana, ac Carthaginensia Concilia, quod eorum omnium acta separatim edita non extent. Sed quædam Canonum collectiones, in quibus multa indistinctè satis coacervantur,

A ideò hìc annotare juvabit, ad dissolvendas harum rerum controversias ex Prospero Aquitanico lib. de ingratis, quos intelligit Pelagianos, ipsos Pelagianos primò damnatos fuisse à Romano Pontifice Innocentio, tùm à Palæstina Synodo Diospoleos, in qua sic restitutus est Pelagius, ut tamen famosæ ejus sententiæ damnatæ haberentur, & ejus asseclæ ab omnibus ferè expellerentur, unde postea sequuta sunt Africana, aut Carthaginensia Concilia, quæ tria, vel quatuor extitisse docet Joannes Olivarius in quadam annotatione ad responsionem objectionis VIII. Gallorum per D. Prosperum, qui in prædicto libro contra ingratos, ubi primum Pelagii errores descripsit, sic prosequitur cap. 2.

Pestem subeuntem prima recidit — *In Synodo Diospolitana.*
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet: non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis authorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malis tolerasse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, & divino munere cautum,
Ut licèt instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem;
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlæi præclari nominis hospes,
Hebræo simul, & Grajo, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus libris valdè excellentibus hostem — *D. Hieron.*
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ, &c.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostra
Exequeris; tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exorta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque resectum est
Hæretici sensus: nullumque omnino relictum,
Docta fides, quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Aeterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severa,
Ut qui damnato vellent dè errore reverti,
Acciperent pacem, pulsis qui prava tenerent,
An alium in fines posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque — *D. August.*
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum verò de lumine? nam cibus illi
Et vita, & requies Deus est, omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & est, sancto regnat sapientia templo.

Vides in istis versibus progressum Synodorum contra Pelagium, & quàm accurato examine ejus argumenta discussa sunt in Africanis Conciliis, in quibus etsi majorem lucem desiderares, vix tamen sperari potest in tàm magna scriptorum dissensione, & obscuritate,

Concilium Milevitanum II. contra Pelagium, & Cælestium, 60. Episcoporum: Theodosio septimum, & Palladio Coss. celebratum sub Innocentio I. anno Domini 416.

DUm Patres hujus Concilii Pelagianam hæresim octo Canonibus adversus eam editis unanimi consensu condemnassent, Synodicam ad Innocentium Romanum Pontificem per eumdem Julium Legatum, quem Concilium Carthaginense cum litteris Synodalibus Romam miserat, dederunt. Quinque Episcopi hi, Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius, & Possidius suas privatas familiares litteras addiderunt; quibus illum admonuerunt, ne, quod jactitabant Pelagiani, cum iisdem Romæ degentibus communicaret, aut saltem conviveret: idque privatis, iisdemque familiaribus litteris præstiterunt, ne verenda Patris retegere viderentur. Quas verò Innocentius reddiderit, quomodo se iisdem expurgavit, omnemque suspicionem è cordibus Africanorum Episcoporum sustulerit, patet ex Epistolis ad Concilium Milevitanum, & quinque Episcopos redditis, quæ extant apud Binium. Quare autem hoc Concilium dicatur Secundum, jam dictum est supra in primo Concilio Milevitano sub anno 402.

Sequitur Concilium.

GLoriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augustis, viris clarissimis Consulibus, 6. Kalend. Septemb. in civitate Milevitana, in Secretario Basilicæ, cùm Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginis in Concilio Universali consedisset, astantibus Diaconibus, Aurelius Episcopus dixit: Quoniam Ecclesiæ sanctæ unum est corpus, omniumque membrorum caput est unum, factum est, volente Domino, ac nostram infirmitatem juvante, ut ad hanc Ecclesiam conveniremus, dilectionis, & fraternitatis gratia invitati. Unde quæso charitatem vestram, quia ita credendum est, quod noster accessus ad vos, nec superflus, nec insuavis est cunctis, ideoque pariter quædam de causis fidei, unde nunc quæstio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu sanctissimo primitus tractentur: deinde subsequantur & aliqua, quæ disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria existunt.

Cap. I. *Contra Pelagianos, qui dicunt etiam sine peccato mori potuisse Adam.*

PLacuit ergo omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt: ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

Cap. II. *Quod omnes in peccatorum remissionem veraciter baptizentur.*

De conf. d. 4. placuit. ITem placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis In remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Rom. 5.* *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil pec-

A catorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Controversia de peccato originali.

REctè scribebat de peccato originali D. Augustinus *lib. de moribus Ecclesiæ* cap. 22. quod hoc peccato antiquo nihil sit ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius, & lib. 3. *de peccatorum meritis*, cap. 3. propositis Pelagii argumentis contra peccati originalis existentiam, & traductionem, fatetur cap. 4. tantam in illis esse difficultatem, ut solvendæ non sufficiat. Ego autem, inquit, etsi refellere istorum argu- *Diff. de ... orig.*
B menta non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in scripturis sunt apertissima.

Locus scripturæ inter alios ad probandum istud peccatum est in Job cap. 14. *nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*, juxta versionem 70. Interpretum. Quod idem explicat id, quod sequitur in vulgata. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Sed eludebat Pelagianorum Demosthenes, ait per Ironiam D. Hieronymus, exponendo verba Job de sordibus pannorum infantilium. Sed elusio ridicula erat, *l. 2. ... Pela...* cùm mundatio illarum Deo tribuatur, cujus est dimittere sordes peccati, sordes autem pannorum infantilium etiam obstetrix mulier eluit. Unde ex hoc loco satis probatur existentia peccati originalis: sed utrum
C propagetur per immunditiam seminis, sicut insinuant verba Prophetæ, sicut lepra, quæ per semen corruptum à Patre filio communicatur, gravior est difficultas. D. Thomas lib. 4. contra gentes, cap. 50. admittit ex immunditia humani seminis aliquam immunditiam ad hominem ex semine conceptum pervenire. Sunt verò, qui hæc penitus rejiciunt, sicut & quod dicunt alii per concupiscentiam transfundi peccatum originale, imò ipsum peccatum esse ipsam concupiscentiam, quæ nihil aliud est, quàm appetitus inordinatus, per quam, secundum D. Augustinum, superiora inferioribus turpiter serviunt, aut inferiora superioribus contumaciter reluctantur. Etsi verò hæ opiniones deficiant in hoc, quod non explicant perfectam, & totalem viam proseminationis istius peccati, ali-
D quid tamen attingunt, quod saltem partialiter pertinet ad quidditatem istius peccati, & ipsius transfusionem. Nam cùm justitia originalis resideret partim in anima ex parte superiori, partim in corpore ex parte inferiori, peccatum originale, quod est propriè justitiæ originalis privatio, partim est in anima, quæ embrioni indita tanquam in vitioso vase corrumpitur, juxta D. Augustinum lib. 5. contra Julianum cap. 3. partim in corpore in vitiosis habitibus, & inclinationibus appetitus inferioris ipsi congenitis, qui vocantur concupiscentia, ut pluries in libris contra Julianum idem Div. August. videtur asserere: cùm inquam peccatum originale in utraque parte hominis, superiori, & inferiori resideat, qua parte residet in inferiori, nihil prohibet *Justit... originæ... tribus ... nis co... bat.*
E semen corruptum ad illud conferre occasionaliter, & esse etiam concupiscentiam, sed partialiter, & minus præcipuè. Unde non expedit omnia reprobare, quæ aliqui Doctores Catholici de isto peccato tradunt, in quo cùm multa reperiuntur, dum unus aliquam ejus particulam tangit, alius aliam, videntur sibi contradicere, cùm tamen eorum dicta molliri possent aliqua interpretatione, & commoda aliqua distinctione, & reduci omnia ad bonum aliquem sensum.

Loquendo autem de peccato originali magis completè, & integrè sic describendum videtur.

Est privatio justitiæ originalis inesse debitæ in posteris Adæ ex vi pacti divini cum ipso. *Pecca... origin... definiti...*

Quid sit illud pactum, & quale, supra explicatum est 1. par. Apparatus ad priora capita Genesis. Justitia autem originalis, cùm ex tribus donis constaret, 1. gratiæ san-

sanctificantis, quo anima Deo subjiciebatur. Secundò temperiei appetituum, qui rationi obtemperabant. Tertiò dono immortalitatis, qua corpus animæ subditum erat. Peccatum originale est privatio primariò quidem gratiæ sanctificantis, secundariò verò, & consequenter temperiei illius appetituum ad nutum rationis, & immortalitatis insuper corporis.

Unde cùm in baptismo remittatur peccatum originale, necesse est aliquo pacto restitui tria illa dona, ac gratia sanctificans integrè restituitur: quia verò cum gratia sanctificante simul infunduntur virtutes, daturque gratia sacramentalis, quæ includit jus quoddam recipiendi gratias actuales ad servanda præcepta opportuno tempore concedendas, per quas motus concupiscentiæ contineri possunt, restituitur aliqua ex parte temperies illa appetituum, licèt non sine pugna aliqua fiat. Deinde per Baptismum Christiani Christum induunt, jus habent ad resurgendum cum ipso in gloria, si obicem non apponant; unde illud est, quod asserit Hervæus Britto in 4. sent. dist. 4. q. 2. art. 2. tolli indignitatem, qua homines digni sunt pœna mortis. Acquiritur dignitas ad vitam æternam, ut mors non sit baptizatis, qui innocentiam servaverint in pœnam reatus, sed magis ad exercitium.

Ita enim loquitur: per baptismum tollitur omnis pœna naturæ pro tempore suo, quia per baptismum fit dignus habere corpus impassibile, & agile, sic de aliis in resurrectione, nisi postea peccent. Tamen differtur ablatio istius pœnæ usque ad resurrectionem finalem, ita quod nunc non aufertur. Cujus ratio duplex assignatur, una propter profectum spiritualem, ut scilicet homo, cum quo pugnat, habeat, dum tales pœnas sustinet, &c. alia ratio sumitur ex universali reparatione naturæ: quia tunc conveniens est, quod tota, & plena reparatio naturæ fiat, quando numerus omnium suppositorum naturæ, quæ reparanda est, erit completus.

[B]aptismi [ef]fectus.

Quæ verba, si debitè ponderentur, valent ad respondendum magnis difficultatibus, quæ afferri solent contra doctrinam Ecclesiæ de peccato originali, & ejus remissionem in baptismo. Ad quod etiam proderit aliquot loca D. Augustini contra Julianum Episcopum Capuanum, qui ferè extinctam Pelagii hæresim restauravit, & explicationem non vulgarem, quam insignis Theologus Ægidius Romanus Cardinalis affert in volumine quodlibetorum.

Ac D. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli refellit Pelagianos, dicentes, peccatum ortum esse quidem ex Adamo, sed per imitationem, quia exemplum præbuit peccandi: legatur mihi, inquit alicubi, omnes in Diabolo peccaverunt, &c. nemo vos fallat, scriptura evidens est, auctoritas fundatissima est, fides catholicissima, &c. miraris, quare peccator nascatur de semine justi: non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivæ.

[O]bjectiones Pelagianorum contra peccatum originale.

Lib. 4. contra Julianum probat peccatum originale ex gravi jugo, & miseriis, cum quibus nascuntur homines: non enim aliter judicia Dei justa forent; & lib. 3. disertè ponit ignis pœnam cum diabolo inter istas miserias. Hæc, inquit, cùm creduntur, & intelliguntur, Manichæorum, & Pelagianorum error extinguitur. Manichæorum scilicet, quia mala ista generis humani malunt deputari, nescio cui malo principio æternitati Dei coæterno: Pelagianorum autem, quia volunt ea imputare peccato.

Idem argumentum reperit lib. 1. operis imperfecti contra eundem Julianum: & quia vocabat Catholicos traducianos propter traductionem originalis peccati, non mirum, inquit, quod novi hæretici Catholicis, à quibus exeunt, novum nomen imponant. Hoc & alii fecerunt, quando similiter exierunt.

Imputabant Catholicis, quod damnarent nuptias, si ex iis oriretur homo cum peccato. Quare scripsit D. Augustinus lib. de bono conjugali.

Urgebat Julianus, impossibile esse parvulos pecca- A re, cùm nondum vellent aliquid: & Deo repugnare ipsos innocentes flammis addicere, inde trucem vocabat Augustinum, qui horridius exhalaret, quam puteus Averni. Resp. Augustinus, homines fuisse in lumbis Adam, sicut Israel in lumbis Abrahæ: aliena sunt peccata, ait, sed paterna: ac per hoc jure seminationis, atque germinationis & nostra sunt.

Ex quibus videre est, quanto fervore disputatum fuerit de peccato originali, cujus fides si destruatur, evertitur etiam fides mysterii redemptionis humani generis: sic enim colligatæ sunt veritates fidei Catholicæ, ut ex veritate unius dependeant aliæ.

Porrò Ægidius Romanus quodlibeto 6. viam faciliorem demonstrat ad intelligendum peccatum originale, in quo duo distinguit, debitum habendi justitiam B originalem, & privationem illius justitiæ. Primum vocat formale peccati originalis secundum materiale. Adam autem transfundit peccatum in posteros, non immittendo ipsum peccatum, sed ad aliquid obligando, scilicet ad habendam justitiam originalem, ut possint per eam salutem consequi: quia sic erat primus ordo constitutus, ut per eam salvarentur. Cùm ergo peccatum sit non habere id, quod quis tenetur habere, ex hoc homines habent peccatum originale per Adamum, quod per illum nascuntur obligati ad habendam justitiam originalem, qua privati sunt: sicque in Adam nascuntur omnes mortui, & impotentes ad vitandam mortem, & acquirendam salutem.

Ægidii Romani doctrina notabilis de peccato originali.

Baptismus autem tollit peccatum originale, quia tollit illam obligationem habendi justitiam origina- C lem, non quidem ipsam justitiam restituendo, sed in ejus locum substituendo gratiam Christi. Absolvuntur enim baptizati ab ordine, in quo erant, ut membra Adami, & facti membra Christi, in ordinem alium relabuntur ad consequendam salutem per ipsam Christi gratiam.

Baptismi effectus.

Quemadmodum si quis vellet transire aquam, ignarus natandi, deberet habere navem. Quod si super aquam fieret pons, liberaretur à debito habendæ navis: quia haberet pontem ad transeundum. Ad propositum, juxta primum Dei ordinem, homo non poterat transire ad salutem, & vitare mortem, nisi habendo navem justitiæ originalis, quia erat filius Adami: sed Christus Pontifex futurorum bonorum, veluti pontem fecit per baptismum, in quo nobis dat suam gratiam in locum justitiæ originalis. Per hanc & vitare mortem, & salutem consequi possumus: sic absolvit nos à D debito habendæ justitiæ originalis, & ponit nos in alio ordine, quàm primò ad transeundum sic flumen præsentis vitæ, ut salutem consequamur. Illi sit honor, & gloria, qui talem sapientiam dat hominibus ad difficillima fidei mysteria sic elucidandi.

Gratia Christi.

Cap. III. *Quod gratia Dei non solùm peccata dimittit, sed etiam adjuvat, ne committantur.*

ITem placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jamjam commissa sunt, non etiam adjutorium, ut non committantur, anathema sit.

De cons. d. 4. placuit, ut.

E Cap. IV. *Quod per gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.*

ITem quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat*; valdè impium est, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habe-

De cons. d. 4. Quisquis dixerit.

1. Cor. 8.

habere gratiam Christi, ad eam, quæ ædificat, non habere; cùm sit utrumque donum Dei & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus; ut, ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam*; ita scriptum est: *Charitas ex Deo est*.

Psal. 63. Joan. 4.

Cap. V. *Quod gratia Dei præstet, ut lex impleatur, non gratia (sicut ait Pelagius) facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.*

De cons. d. 4. placuit, etc.

ITem placuit, ut quicumque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Domini loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed ait: *Sine me nihil potestis facere*.

Joan. 15.

Cap. VI. *Quod juxta sententiam Joannis Euangelistæ nemo sit, qui esse possit sine peccato.*

ITem placuit, quod ait sanctus Joannes Apostolus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*; quisquis sic accipiendum putavit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate*. Ubi satis apparet hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cùm ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*; satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Joan. 1. Ibidem.

Cap. VII. *Quod unicuique, etiam justo, dicere oportet*: Dimitte nobis debita nostra.

ITem placuit, ut quicumque dixerit in Oratione Dominica, ideò dicere sanctos, *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant; quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; & ideò non dicere unumquemque sanctorum: *Dimitte mihi debita mea*; sed: *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim, & justus erat Apostolus Jacobus, cùm dicebat: *In multis enim offendimus omnes*. Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: & in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccet*; & in libro Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*. Unde etiam Daniel sanctus, & justus, cùm in oratione pluraliter diceret: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, &c.* cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed populi sui potius dixisse peccatis, posteà dixit: *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro*. Noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua, quia futuros istos, qui tàm malè intelligunt, tamquam Propheta prævidit.

Jac. 3. Psal. 142. Eccles. 7. Job 37. Dan. 9.

Cap. VIII. *Quod à sanctis veraciter dicitur*: Dimitte nobis debita nostra.

ITem placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicæ Orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, ità volunt à sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita non habere?

Matth. 6.

Hucusque de fide contra Pelagianos, nunc Regulæ tractentur Ecclesiasticæ.

Cap. IX. *Quod ad communes causas Ecclesiæ Generale Concilium congregari oporteat; in privatis verò causis speciale uniuscujusque Provinciæ.*

Regi Eccl. sticæ

PLacuit, ut non sit ultrò fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, idest, totius Africæ, undecumque ad hanc sedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam esse Synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.

Cap. X. *Ut Epistolæ ad Concilium evocandum Metropolitanus subscribat, & dirigat, impetretur.*

PLacuit etiam peti, ut omnium Episcoporum Epistolis omnibus, de Concilio dandis, sanctitas tua sola subscribat.

Cap. XI. *Ut de hæreticis, & infidelibus quidquid in Concilio constituitur, à Principe impetretur.*

PLacuit & illud adversus hæreticos, vel paganos, vel eorum superstitiones, ut Legati missi de hoc glorioso Concilio, quicquid utile providerint, à gloriosissimis Principibus impetrent.

Cap. XII. *Ut Preces, & Orationes compositæ, nisi probatæ fuerint in Concilio, non dicantur.*

PLacuit etiam & illud, ut Preces, vel Orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive Præfationes, sive Commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per minus studium sit compositum.

Cap. XIII. *Ut posteriores anterioribus Episcopis non præferantur.*

PAlentius Episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequar ea, quæ necessaria sunt Ecclesiasticæ disciplinæ. Scimus enim sic inviolatè permansisse Ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationabiliter semper acciperetur. Hunc ordinem jubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutoribus roborare. Aurelius Episcopus dixit: Non decuerat quidem, ut hæc repeteremus, nisi fortè existerent inconsideratæ mentes quorumdam, quæ & ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed & communis hæc causa est, quam insinuavit frater, & Coepiscopus noster, ut unusquisque nostrum ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliqui agere præsumant. Qua de re oportet eos, qui putaverint, spretis majoribus, aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio coercendos. Universi Episcopi dixerunt: Hic ordo & à patribus, & à majoribus est servatus, & à nobis, Deo propitio, servabitur, salvo etiam jure primatus Numidiæ, & Mauritaniæ.

Cap.

Cap. XIV. *Ut Episcopi pro tempore consecrationis suæ literas ab Ordinatoribus habeant.*

DEinde placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, literas accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.

Cap. XV. *Ubi primum quis legerit, ibi permaneat Clericus.*

ist. 72. cuit, ut. ITem placuit, ut quicumque in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur.

Cap. XVI. *Ut pro causis Ecclesiarum Executores, vel Advocati à Principe postulentur.*

PLacuit præterea, ut Executoribus in omnibus justis desideriis impertiatur. Placuit etiam, ut petatur à gloriosissimis Imperatoribus, ut jubeant Judicibus dare petitos sibi defensores Scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum Ecclesiasticarum, more Sacerdotum Provinciæ, ut iidem ipsi, qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum (quoties necessitas flagitaverit) vel ad obsistendum calidè recipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi Judicum secretaria.

Cap. XVII. *Ut neque dimißus, neque dimissa alteri conjungantur.*

2. q. 7. cuit, ut. er. 7. PLacuit, ut secundum Euangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem Imperialem petendam promulgari.

Patres hujus Concilii legem Imperialem desiderarunt, non qua declararetur, novum conjugium post divortium utroque adhuc conjuge vivente illicitum esse (id enim ex Euangelio, & Apostolo constare, ipsimet Patres hìc affirmant) sed qua à potestate temporali severe etiam punirentur, qui crimen illud admitterent. Bellarminus libro 1. de Matrim. cap. 17. object. 10.

Cap. XVIII. *De his, qui in sua Provincia non communicant, alibi non communicent.*

PLacuit, ut quicumque non communicat in Provincia propria, & in aliis Provinciis, vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis, vel clericatus excipiat.

Cap. XIX. *De Clericis, qui apud Principem sæculare judicium, aut Synodale impleverint.*

. q. 1. cuit, ut ciique. PLacuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit.

Cap. XX. *Ut sine Formatis nemo ad Comitatus proficiscatur, & qualiter Formatæ fiant.*

PLacuit, ut quicumque Clericus propter necessitatem suam alicubi ad Comitatum ire voluerit, Formatam ab Episcopo suo accipiat. Quod si sine Formata voluerit pergere, à communione removeatur. Quòd si alicubi ei repentina necessitas orta fue-

A rit ad Comitatum pergendi, alleget apud Episcopum loci ejus ipsam necessitatem, & de hoc scripta ejusdem Episcopi deferat. Formatæ autem, quæ à Primatibus, vel à quibuscumque Episcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quòd si adhuc ejusdem anni Paschæ dies incerta est, ille præcedens adjungatur, quomodo solet, post Consulatum, in publicis gestis adscribi.

Cap. XXI. *De Episcopis, qui, quod repetere poterant, prætermissa Synodo invaserunt.*

ITem placuit, ut quicumque Episcopi, quascumque Ecclesias, vel plebes, quas ad suam cathedram æstimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas Episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerint, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, ille discedat, quem constiterit, prætermissis judiciis Ecclesiasticis, irruisse. Non sibi quisque blandiatur, si à Primate, ut retineat, litteras impetraverit: sed sive habeat litteras, sive non habeat, conveniat eum, qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos Judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consultu Primatis delegerint. 16. q. 6: placuit, ut. B

C Cap. XXII. *De Clericis, qui de judicio Episcoporum suorum conqueruntur.*

ITem placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. 2. qu. 6. placuit, ut Presbyter.

Nota. Hic Canon non de Episcopis, sed tantùm de Presbyteris, & minoribus Clericis loquitur, & Gratian. 2. q. 6. hunc Canonem citans, non satis convenienter eidem hanc limitationem addit: *Nisi fortè Romanam Sedem appellaverint*; quasi Africani trans mare appellare consuevissent. D

Dices: *Si Clericis inferioris Ordinis ab Episcoporum suorum sententia ad Sedem Apostolicam appellare prohibitum fuit, quo jure Romani Pontifices Apiarium Presbyterum ex Africa appellantem susceperunt, & quod referunt Africani Patres in Epistola ad Bonifacium, & Cælestium, in gradum suum restitui fecerunt? Respondeo: Licet ipsis Clericis ab Episcopis suæ Provinciæ appellare prohibitum fuerit; non tamen prohibitum fuit, neque etiam prohiberi potuit Summo Pontifici, ne, si vellet, eos admitteret. Præterea Romani Pontifices appellationem Apiarii non tàm admiserunt, quàm ejus querelas audierunt, & Africanis mandarunt, ut ejus causam diligenter cognoscerent, & fideliter judicarent.* Vide infra in Carthagin. 5. Apiarius Presbyter. E

Cap. XXIII. *De his, qui apud hæreticos pœnitentiam acceperunt.*

PLacuit, ut quicumque conversus ab hæreticis dixerit, se apud eos pœnitentiam accipere, unusquisque Catholicus Episcopus requirat, ubi, & ob quam causam apud eosdem hæreticos pœnitentiam susceperit, ut cum documentis certis hoc ipsum approbaverit, sibi pro qualitate peccati, sicut eidem Episcopo Catholico visum fuerit, tempus pœnitentiæ, vel reconciliationis decernat.

Cap.

Cap. XXIV. *De Episcopis negligentibus adversus hæreticos.*

16. q. 3. placuit, ut. ITem placuit, ut quicumque negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in Catholicam unitatem lucrari, conveniantur à diligentibus vicinis Episcopis, ut id agere non morentur. Quod si intra sex menses à die conventionis, non hoc fecerint: qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineant, ita sanè ut (si ille, ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, impune ut ibi sint, & suam diligentiam fuisse præventam, ut eo modo ejus cura solertior vitaretur, cum hoc Judices Episcopi cognoverint) suæ cathedræ loca restituant. Sanè, si Episcopi, inter quos causa versatur, diversarum sunt Provinciarum, ille Primas det Judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos Judices elegerint, aut duo eligantur, aut tres. Quod si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum. A Judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocari. Et quisquis probatus fuerit, pro contumacia nolle obtemperare Judicibus, cum hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.

2. qu. 6. A Judicibus. 2. qu. 6. Quisquis.

Cap. XXV. *Ad idem.*

SI in matricibus Cathedris Episcopus negligens fuerit adversus hæreticos, conveniatur à vicinis Episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demonstretur, ut se excusare non possit. Quod si ex die, quo convenitur, intra sex menses, si in ejus Provincia executio fuerit, & non eos ad unitatem Catholicam convertendos curaverit, non ei communicetur, donec impleat. Si autem executor ad loca non venerit, non adscribatur Episcopo. Si autem probatum fuerit, eum de communione illorum fuisse mentitum, dicendo, eos communicasse, quos (eo sciente) non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

Cap. XXVI. *De Virginibus, quæ infra 25. annos necessitate cogente velantur.*

ITem placuit, ut quicumque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur: vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet) velaverit Virginem, seu velavit intra vigintiquinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

Cap. XXVII. *De Episcopis, qui post Acta Carthaginensis Synodi retenti sunt ad reliqua peragenda.*

ITem placuit, ne diutiùs universi Episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur, ab universo Concilio ternos Judices de singulis Provinciis eligi. Et electi sunt de Provincia Carthaginensi, Vincentius, Fortunatianus, & clarus: de Provincia Numidiæ, Alypius, Augustinus, & Restitutus: de Provincia Byzacena, cum sancto sene Donatiano Primate Cresconius, Jocundus, & Æmilianus: de Mauritania Sitifensi, Severianus, Asiaticus, & Donatus: de Provincia Tripolitana, Plautius, qui (ex more) Legatus unus est missus, qui omnes cum sancto sene Aurelio universa cognoscant. A quo petiit universum Concilium, ut cunctis sive gestis, quæ confecta jam sunt, sive Epistolis ipse subscribat. Et subscripserunt; Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic Decreto consensi, & perlecto subscripsi. Donatianus Teleptensis primæ Sedis subscripsi. Augustinus Hipponæ

A Regiensis subscripsi. Similiter & omnes Episcopi subscripserunt.

Ex Epist. 92. B. August. & reliquorum Patrum Concilii Milevitani ad Beatum Innocentium Papam.

QUi te Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in Sede Apostolica collocavit, diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. Nova quippe hæresis, & nimium perniciosa tentat surgere, inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. *Subdunt, ac breviter reprobant eorum errores, ut solet Aug.* Non opus habemus tantam impietatem vobis exaggerare, &c. Hujus B autem perniciosissimi erroris Authores esse perhibentur Pelagius, & Cœlestius, &c. Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.

Ex August. Epist. 93. B. Innocentii Papæ ad Patres Concilii Milevitani.

INter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, frater, & Coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ litteras ex Milevitano Concilio mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam Synodi querelæ parilis scripta subjungens. Exultat Ecclesia tantam sollic tudinem C commissis gregibus exhibere pastores, &c. diligenter ergo, & congruè Apostolico consulitis honori, honori illius, inquam, quem sollicitudo manet omnium Ecclesiarum. 2. Cor. 11. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris Authorem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse: *Infra.* Quid acerbius in Deum fingere potuerunt, quàm cum adjutoria divina cassarent, causamque quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere, quid mihi opus Deo? merito in hos Psal. 51. *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorium sibi, &c.* Audi David dicentem Psalm. 125. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Et Psalm. 26. *Adju-* D *tor meus esto, ne derelinquas me. Infra.* Quare Pelagium, Cœlestiumque, idest, inventores vocum novarum, &c. 2. Tim. 2. Ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis, &c. Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinacia simili defensare nitantur, par eos vindicta constringat, &c. Datum Kalend. Febr. Honorio, & Constantino viris clarissimis Consulibus.

Fid... gotiu... Papa... feren...

Notat autem Baronius anno 416. tantum priores octo Canones esse Concilii hujus Milevitani, reliquos verò diversorum esse Conciliorum Africanorum, ipsamque ad finem appositam subscriptionem longè diversam ab hoc Concilio Milevitano, qui nomina legerit Episcoporum, qui huic Synodo interfuerint, inveniet: adeo E ut unum videas corpus ex diversis membris esse compactum, cujus caput, pedes, & reliqua membra sunt ex diversis membris compaginata: quæ nisi quis accuratè perspexerit, in ambages inextricabiles, & nodos insolubiles incidat necesse est.

Conf... Canon...

Sed & in his duabus ultimis Conciliis demandata est D. Augustino cura scribendi contra Pelagianos. Quod videtur significari his verbis Philippi Abbatis in ejus vita cap. 28. Deinde dixit (D. August.) ad populum: Nostis, quod ante aliquot annos, cum in duobus Conciliis, Numidiæ scilicet, & Carthaginis à sanctis Fratribus, & Patribus Coepiscopis meis, cura mihi scripturarum imponeretur, petii à vobis, ut per quinque dies in hebdomada liceret mihi assiduè vacare otio, imo litterali inservire negotio, &c. Aque iterum Possidius

D. Au... puta... ad sc... dum... tra ...

Poſſidius in ejus etiam vita cap. 18. Adverſus Pelagianiſtas quoque novos noſtrorum temporum hæreticos, & diſputatores callidos, arte magis ſubtili noxia ſcribentes, & ubicumque poterant publicè, & per domos loquentes, & per annos fermè decem laboravit librorum multa condens, & edens, & in Eccleſia populis ex eodem errore frequentiſſimè diſputans, &c. additque illi divinitùs donatum fuiſſe, ut de laborum ſuorum fructu etiam in hac vita gauderet in Hipponenſi Eccleſia, & aliis Africæ partibus ſive per ſeipſum, ſive per alios, quos ipſe dederat Sacerdotes pullulaſſe, & multiplicatam fuiſſe Eccleſiam Dei pervidens, Manichæoſque, Donatiſtas, Pelagianiſtas, & paganos ex parte defeciſſe, & Eccleſiæ Dei ſociatos eſſe congaudens. Hæc ibi Poſſidius, quæ tamen non obſtiterunt, quominus ex ejuſdem doctrina Pelagianis adverſa, dum non benè à quibuſdam capitur, occaſio nata ſit aliarum hæreſum, de quibus infra dicendum erit.

Unde tot ri Divi ugustini. Interim ex hoc Synodorum mandato data eſt occaſio D. Auguſtino plurium laborum, ac certaminum. Statim enim emittit duos libros; unum *de gratia Chriſti*, alterum de peccato originali, retegens fraudulentias Pelagii, & quàm parum illi fidendum demonſtrans poſt acta Synodi Paleſtinæ. Sed inde à Donatiſtis traducitur, quod admittendo peccatum originale damnaret nuptias: ideò ſcribit librum primum *de nuptiis, & concupiſcentia*. Contra quem librum Julianus acris ingenii Epiſcopus volens Pelagianiſmum reſtituere quatuor libros repoſuit. Ad ſui verò defenſionem Auguſtinus vulgat ſecundum librum de *nuptiis, & concupiſcentia*. Huic ſecundo libro Julianus octo oppoſuit, plus atra bile, quàm atramento exaratos, contra quos reſcripſit D. Auguſtinus. Interim prodeunt conqueſtus Adrumetinorum, & Maſſylienſium: ex quibus nata occaſio aliorum librorum vulgandorum, ut dicetur infrà. Sic ſcribendi nuſquam finis Auguſtino, & viginti, & amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vicit, ait Proſper libro contra Collatorem.

Concilium Africanum ſub Zozimo, anno Chriſti. 418.

INnocentius acceptis litteris Synodorum Africæ damnaverat ſectam Pelagii, & Cœleſtii. Cumque ipſi mortuo ſubrogatus fuiſſet Zozimus, nihil non tentant Pelagius, & Cœleſtius, ut ſe purgent coram Zozimo. Cœleſtius Romam profectus libellum purgatorium Zozimo offert: Pelagius è Paleſtina ſcribit ad ipſum. Omnia cum tanta aſtutia, & ficta ſubmiſſione, ut Zozimus putaret catholicos, & licèt nondum obſolveret, ſcribit tamen ad Africanos Præſules, quod tàm facilè aures præbuiſſent ipſorum accuſatoribus. Turbati Epiſcopi talibus litteris congregantur Carthagine num. 217. acta, ſcriptaque Pelagii accuratius diſcutiunt, ac Zozimum monent de Pelagii, & Cœleſtii mendaciis, & hypocriſi, qui tulit in eos ſententiam damnationis, & ad totius orbis Epiſcopos deſtinavit. Poſtquam Honorius edicto Imperiali eos ex omnibus urbibus expulit, non ſine magno Eccleſiæ Catholicæ augmento, Zozimus quidem ſimulantes conatus eſt lucrari, ſed quando eos ſtrictius examen fidei ſubterfugere animadvertiſſet, hoc egit, quod in cauſa Pelagii, & Cœleſtii deinceps actum fuiſſe deſcribit breviter in Chronico S. Proſper, his verbis: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem, & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata ſunt: quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*. Baronius anno 418.

Concilium Teleptenſe in Byzacena Provincia Africæ, ſub Zozimo, anno Chriſti 418.

MEndosè dicebatur anteà Telenſe, hancque emendationem valde laudat Aurelius in Antyr-

A retico contra Sirmondum. Vix autem de hoc aliud reperitur, quàm quod lecta in eo epiſtola Syricii Papæ ad Africanos Epiſcopos, & habitum eſt in Eccleſia Apoſtolorum urbis Teleptenſis. Hoc ejus fragmentum eſt. Cum beatus Pater primæ Sedis Epiſcopus Donatianus civitatis Telenſis reſediſſet, conſidentibus ſecum Januario, Felice, &c.

Hìc recenſentur alii, qui huic concilio adfuerunt.

Et cæteris Epiſcopis, necnon etiam Vincentio, & Fortunatiano legatis provinciæ Proconſularis ad Byzacenum concilium directis, & reliqua.

Vincentius, & Fortunatianus dixerunt.

Etiam cum eſſemus Tuſdrum (ſicut mecum recolit B memorabilis auditio veſtra) & epiſtolas ſanctæ memoriæ Syricii Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi dederamus recitandas, ex quibus cum legeret unum ſanctimonium fratris noſtri Epiſcopi Latoni, utraſque nunc nos referre ſuggeſtio indicat, has recitari donate. Epiſcopi dixerunt: Recitentur epiſtolæ venerabilis memoriæ Syricii, ut noverimus, quid earum textus contineat. Cumque traderentur, Privatus notarius dixit: Exemplum tractatoriæ Epiſcopi urbis Romæ.

Epiſtola Syricii Papæ quarta.

DIlectiſſimis fratribus, & coepiſcopis per Africam, Syricius. Cum in unum plurimi fratres conveniſC ſemus ad ſancti Apoſtoli Petri reliquias, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, placueritque propter emergentes plurimas cauſas (quæ in aliquantis non erant cauſæ, ſed crimina) ut de cætero ſollicitudo eſſet unicuique in Eccleſia curam hujuſmodi habere, ſicuti Apoſtolus prædicat Paulus, talem Deo Eccleſiam exhibendam, non habentem maculam, aut rugam, ne per alicujus morbidæ afflatum ovis, conſcientia noſtra contaminata videretur, hac de re meliore conſilio id ſtuduit, propter eos maximè, qui in præſenti valetudine corporis, aut feſſæ ætatis cauſa adeſſe minimè potuerunt, quo perpetuò iſtiuſmodi forma ſervetur, literas tales dare placuit, non quæ nova præcepta aliqua impedirent, ſed quibus D ea, quæ per ignaviam, deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſervari cupiamus, quæ tamen Apoſtolica, & patrum conſtitutione ſunt conſtituta. Scriptum eſt; *State, & tenete traditiones noſtras, ſive per verbum, ſive per epiſtolam*. Illud certè veſtram debet mentem, dilectiſſimi fratres, vehementius excitare, ut ab omni labe ſeculi iſtius immunes ad Dei conſpectum ſecuri veniamus. Nec enim erimus immunes, qui præſumus plebibus, cum ſcriptum ſit: *Cui multum creditum fuerit, plus ab eodem requiretur*. Ergo quoniam non pro nobis tantùm, ſed pro populo credito cogimur præſtare rationem, populum diſciplinam deificam, & humilem erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui ſtatuta majorum contemnentes, caſtitatem Eccleſiæ præſumptione violarunt, voluntatem populi ſequentes, E Dei judicium non timentes. Ergo ne pari more ſilentio connivere, atque adhibere conſenſum talibus videamur, unde gehennæ pœnas poſſimus incurrere, dicente Domino: *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Hæ ſunt, quæ deinceps intuitu divini judicii omnes Catholicos Epiſcopos expedit cuſtodire.

Idem habetur in epiſt. Innoc. ad Victricium. — *Epheſ. 1.* — *2. Theſſ. 2.* — *Pſal. 39.*

1. Ut extra conſcientiam ſedis Catholicæ, hoc eſt, primatis, nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium eſt, quod plurimorum ſententia conſequitur.

2. Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim in ſynodo Nicæna conſtat eſſe definitum.

3. Item, ſi quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum *Vide in*

lum militiæ sęcularis habuerit, ad clerum admitti non A debet.

can. Nicæ-nis classe 2 4. Ut mulierem, id est viduam, clericus non ducat uxorem.

5. Ut is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.

6. Ut de aliena Ecclesia ordinare clericum nullus usurpet.

7. Ut abjectum clericum alia Ecclesia non admittat.

8. Ut venientes à Novatianis, vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur præter eos, quos rebaptizant.

9. Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus, ut sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios (1. Cor. 7.) namque sic Paulus scribit, dicens: *Abstinete vos, ut* B *vacetis orationi*. Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quanto magis sacerdos, utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? Excusabit? Quo pudore, qua mente usurpabit? Qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credat? (Tit. 1.) cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum?* Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas accusare. Fortè creditur, quia scriptum est: (1. Tim. 3.) *unius uxoris virum*. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integras non C admisit, qui ait; (Rom. 8.) *vellem autem omnes homines sic esse, sicuti & ego*. Et apertius declarat, dicens. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.*

Hæc itaque, fratres, si plena vigilantia fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissentio conquiescet, hæreses, & schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur. Charitas spiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate concordavit. Pax utique Dei nostri Salvatoris, quam proximus passioni servandam esse præcepit, & hæreditario eam nobis jure dereliquit, dicens: (Joan. 4.) *Pacem do vobis, pacem relinquo vobis*: & dictum Apostoli: (Philip. 2) *Ut unanimes, unum sentientes, permaneamus in Christo*: D *nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes, nec hominibus, sed Deo nostro salvatori placentes*. His præceptis omnibus si fideliter (2. Thess. 2. Rom. 8.) voluerimus obedire, custodiet Dominus corpora nostra, & animas nostras in die, qua redditurus est unicuique juxta opera sua. Si quis sanè inflatus mente carnis suæ ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se & à nostra communione seclusum, & gehennæ pœnas habiturum. Præterea misericordia cum judicio esse debet, talibus oportet labentibus manum porrigere, qui sic currentem non pertrahant in ruinam. Data Romæ, in Concilio Episcoporum octoginta, sub die octavo Idus Januarii, post consulatum Arcadii Augusti, & Bautonis viris clarissimis Consulibus

Hæc epistola lecta est, quod inserviret ad controver- E siam in Concilio judicandam, quæ, qualis fuerit, noscitur.

CONCILIUM CARTHAGINENSE quintum ordine (quod solet vocari sextum) ab Episcopis ducentis septemdecim sub Zozimo inchoatum, ac sub Cælestino absolutum præside Aurelio circa annum 418. &c.

Contenta in hoc Concilio.

1 *Allocutio Aurelii Episcopi sancti ad synodum.*
2 *Responsio Faustini Episcopi legati Romanæ Ecclesiæ de his, quæ in Ecclesia partim canone, partim consuetudine sunt firmata.*
3 *De commonitorio Romani Papæ recitatio.*
4 *Alypii Episcopi responsio, pro veris exemplaribus Nicæni Concilii perquirendis.*
5 *Ubi Faustinus Episcopus dixit, ut Romano Papæ synodus pro inquirenda Nicænæ synodi veritate innotescat.*
6 *De Sententia Sardicensis Concilii recitata à postulante Novato Episcopo.*
7 *Ubi Augustinus Episcopus cum synodo Nicænum concilium servare promittit.*
8 *Ubi Faustinus Episcopus, pro dubietate recitati capituli Romano Papæ petit scribendum.*
9 *Ubi synodus exemplaria Nicæni Concilii magis ab Orientalibus competenda decrevit.*

In hoc Concilio actum est, ut Nicænum Concilium ab Episcopis Orientalibus peteretur, cui Synodo interfuit legatio Ecclesiæ Romanæ, Faustinus Episcopus, Philippus, & Asellus presbyteri.

Capitula Concilii Carthaginensis sexti.

Post consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii duodecimi, & Theodosii octavi Augustorum, octavo Cal. Junii, scripta hæc sunt Carthagine, in secretario basilicæ Fausti, cum Aurelius Papa unà cum Valentino primæ sedis Numidiæ, & Faustino Ecclesiæ Potentinæ primæ sedis, provinciæ Italiæ Piceni, legato Ecclesiæ Romanæ, sed & legatis diversarum provinciarum Africanarum, idest, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifensis, & Mauritaniæ Cæsariensis, sed & Tripolis, & Vincentio Culucitano, Fortunatiano, & cæteris Episcopis Provinciæ Proconsularis ducentis decem, & septem, necnon Philippo, & Asello presbyteris Romanæ Ecclesiæ, cum consedisset astantibus Diaconibus Aurelius Episcopus dixit.

1. Post diem præstitutam Concilii, ut recordamini fratres charissimi, multa flagitata sunt per expectantes fratres nostros, qui nunc ad præsentem synodum legati advenerunt, quæ gestis necesse est consocientur. Qua de re Domino nostro de tantæ congregationis cœtu gratias referimus. Superest, ut tàm exemplaria Nicæni concilii, quæ nunc habemus, & à Patribus constituta sunt, quàm etiam hìc à decessoribus nostris eandem firmantes synodum, vel quæ secundum eam formam per omnes clericorum gradus, à summo usque ad ultimum salubriter ordinata sunt, in medium proferantur. Ab Universo concilio dictum est: Proferantur. Daniel Notarius recitavit. Nicæni concilii fidei professio vel statuta sic se habent.

2. Et cùm legisset, Faustinus Episcopus plebis Potentinæ, provinciæ Italiæ Piceni, legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Injuncta sunt nobis à sede Apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus: hoc est, de Nicænis canonibus, ut conserventur & constitutio eorum, & consuetudo, quia aliqua ordine, & canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitus si placet beatitudini vestræ tractemus, & postea cætera, quæ acta, vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, ut ad sedem Apostolicam rescriptis vestris intimare possitis, atque nos vos admonuisse, apud venerabilem Papam evidenter pateat, licèt & capitula actionum jam inserta sint gestis. De ipsis ergo, ut dictum est superius, quid vestræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medium, ut scire possit vestra beatitudo, quid in eo contineatur, ut ad singula respondeatur.

3. Aurelius Episcopus dixit: Proferatur commonitorium, quod fratres, & consacerdotes nostri in actis nuper allegaverunt, & cætera, quæ acta sunt, vel quæ agenda sunt, subsequantur. Daniel notarius

rius recitavit commonitorium, Fratri Faustino, & filiis Philippo, & Asello Presbyteris Zozimus Episcopus. Vobis commissa negotia non latent. Vos ita ut nostra, imò quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite, maximè cum & hoc nostrum possitis habere mandatum, & verba canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt (dilectissimi fratres) in Concilio Nicæno, cum de Episcoporum appellatione decernerent. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eum; & appellasse Episcopus videatur, & confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani, quid velit, & quid existimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes authoritatem ejus, & à quo destinati sunt, erit suo arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.

...dicens. ...ncilii ...7. Et ...decretis ...6. Si ...Epi- ...us ac- ...atus.

4. Et cùm recitaret, Alypius Episcopus Tagastensis, legatus provinciæ Numidiæ dixit: De hoc jam superioribus etiam literis Concilii nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur, quod in Nicæno Concilio constitutum est. Adhuc tamen me movet, quoniam cum inspiceremus græca exemplaria hujus synodi Nicænæ, ista ibi nescio, qua ratione minimè invenimus. Unde petimus venerationem tuam, sancte Papa Aureli, ut quia hoc authenticum Concilium Nicænum in urbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuæ sanctitatis mittere digneris, & non solùm ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum, sed etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum venerabiles sacerdotes, qui hoc nobis Concilium sub stipulatione litterarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur, quia nos ita, ut frater Faustinus attulit, minimè invenimus. Ista nos tamen tantisper servaturos, ut anteà dixi, donec integra exemplaria veniāt, profitemur. Petendus est autem litteris nostris & venerabilis Ecclesiæ Romanæ Episcopus Bonifacius, ut ipse quoque ad memoratas Ecclesias aliquos mitteret, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni Conclii secundum ejus possint scripta proferre. Nunc autem memorati Concilii qualia exemplaria habeamus, his gestis sociemus.

...equiri- ... conci- ...m Ni- ...um.

5. Faustinus Episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Nec vestra sanctitas præjudicat Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc capitulo, sive de aliis, quia dicere dignatus est frater noster, & Coepiscopus Alypius, dubios esse canones. Sed hæc ipsa ad sanctum, & beatissimum Papam nostrum scribere dignemini, ut & ipse integros canones inquirens, cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem, ut & ipse beatissimus Episcopus urbis Romæ, sicuti vestra sanctitas apud se tractat, ita & ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quid melius observari debeat. Aurelius Episcopus dixit: præter ista, quæ promisimus actis, necesse est, ut etiam nostræ parvitatis litteris sancto fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio singula, quæ tractamus, plenissimè intimemus. Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Universum Concilium dixit: Placet.

6. Novatus Episcopus legatus Mauritaniæ Siticensis dixit: Nunc meminimus in hoc præsenti commonitorio lecto etiam de Presbyteris, sive Diaconibus contineri, qualiter ab Episcopis suis, vel à finitimis audiri

A debeant, quod in Nicæno Concilio minimè legimus. Unde hoc ipsum jubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius Episcopus dixit: Recitetur ad locum etiam hoc, quod deposcitur. Daniel notarius recitavit. De appellationibus autem clericorum, idest, minoris loci, restat ipsius synodi certa responsio. De qua re quid acturi sitis, credimus inferendum, quod taliter dictum est ex Sardicensi Concilio. Osius Episcopus dixit. Quid me adhuc moveat, reticere non debeo. Si Episcopus fortè iracundus, quod esse non debet, citò, aut asperè commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit; providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet episcopos, ut causam suam audiant, & diligenter tractent; quia non oportet B negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui aut justè, aut injustè eum ejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, aut probetur ejus, aut emendetur sententia, &c.

In Sardicen. con. cap. 17.

7. Cumque recitaretur, Augustinus Ecclesiæ Hipponis Regiensis, legatus provinciæ Numidiæ dixit: Et hoc nos servaturos profitemur, salva diligentiori inquisitione Concilii Nicæni. Aurelius Episcopus dixit: Si hoc etiam omnium vestræ charitati placet, responsione firmate. Universum concilium dixit: Omnia, quæ in Nicæno concilio statuta sunt, nobis omnibus placent. Jocundus Episcopus Ecclesiæ Sufetulæ legatus provinciæ Byzacenæ dixit: Quod constitutū est in Nicæno concilio, violari à quoquam nullatenus potest.

Submissio D. August. & Episcoporum.

8. Faustinus Episcopus, Legatus Ecclesiæ Romanæ C dixit: Adhuc secundum professionem sanctitatis vestræ, tàm sancti Alypii, quàm & fratris nostri Jocundi aliqua infirmari credo, aliqua firmari debeant, cùm jam in dubium ipsi canones venerunt. Ergo ut placet & nobis, & beatitudini vestræ, ad sanctum, & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium Episcopum vestra scribere dignetur sanctitas, ut & ipse, quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, utrumnam & hoc concedendum sit, an reticendum, hoc de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, justum est, ut beatissimæ Romanæ sedis Episcopus informari debeat, si tamen in approbatis canonibus hoc inveniri possit.

Deest aliquid.

9 Aurelius Episcopus dixit: Etiam quæ dudum ve- D stræ charitati intimavimus, nunc patimini exemplaria statutorum Nicæni concilii, sed & quæ hìc salubriter à nostris decessoribus secundum ejusdem concilii normam formata sunt, vel quæ nunc ordinata sunt, à nobis recitari, & gestis inseri. Omne concilium dixit: Exemplaria fidei, & statuta Nicęnæ synodi, quæ ad nostrum concilium per beatæ recordationis olim prædecessorem tuæ sanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Episcopum allata sunt, sed & quæ Patres ea exemplaria sequentes hìc constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt, ita ut superius dictum est venerabilibus viris Antiochenæ, & Alexandrinæ, sed & Constantinopolitanæ ecclesiarum Episcopis scribere vestra beatitudo dignetur, ut exemplaria verissima Concilii Nicæni sub astipulatione litterarum suarum dirigant; quo declara- E ta veritate, ea capitula (quæ in commonitorio præsens frater, & coepiscopus noster Faustinus, & compresbyteri Philippus, & Asellus secum attulerunt) aut ibidem reperta, à nobis firmabuntur, aut si non inveniuntur, collecta synodo de hoc in sequenti tractabimus. Daniel notarius Nicæni concilii professionem fidei, vel ejus statuta recitavit, in concilio Africano. *Habentur 2. classe.*

CON-

CONTINUATIO HUJUS CONCILII, seu Concilium Carthaginense sextum (vulgò septimum) sub Bonifacio primo, circa an. 419.

TITULI CAPITULORUM CONCILII Carthaginensis septimi.

1 *De excommunicatis, ut ad clericorum accusationem non admittantur.*
2 *De personis, quibus clericorum accusatio interdicitur.*
3 *De his, qui primum crimen objectum non probarunt, ut ad cætera non admittantur.*
4 *De personis, quæ adversus clericos testimonium dicere prohibentur.*
4 *De eo, quem solo suo testimonio præsumpserit excommunicandum Episcopus.*

Capitula Concilii Carthaginensis septimi.

POst consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii duodecimi, & Theodosii octavi Augustorum, tertio Kal. Julii, Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ, cùm Aurelius Episcopus unà cum Faustino Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Italiæ Piceni, legato Romanæ Ecclesiæ, Vincentio Culucitano, Fortunatiano Neopolitano.

Hìc prætermissi nomina cæterorum legatorum.

Numeriano Rugunienſi legatis Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis, ac universis in Concilio judicibus delectis, astantibus Diaconibus consedisset, & quibusdam peractis multi Episcopi cæterorum peragendorum moras se conquererentur sustinere non posse, & ad proprias Ecclesias festinarent, placuit universo Concilio, ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque Provinciis, qui propter alia peragenda residerent. Et factum est, ut hi adessent, quorum subscriptiones eos adfuisse testantur.

4. q. 1. definimus eum rite, & in decr. Ivonis lib. 4. 1. Placuitque, quoniam superioribus Conciliorum decretis, de personis, quæ admittendæ sunt ad accusationem clericorum, jam constitutum est, & quæ personæ non admittantur, jam expressum non est, idcircò definimus eum ritè ad accusationem non admitti, qui posteaquàm excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus, sive laicus, accusare voluerit.

Ibidem 4. q. 6. Omnibus, quibus accusatio. 2. Item placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ. Hæretici etiam, sive pagani, sive Judæi. Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.

3. q. 10. placuit, ut quotiescúnq; 3. Item placuit, quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur.

4. q. 2. & 3. Testes autem ad testimonium, 4. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

5. Item placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quandiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat quidquam, quod aliis documentis convincere non potest. Et subscripserunt Aurelius Episcopus Ecclesiæ

A Carthaginensis, & alii octodecim diversarum Provinciarum legati, quorum nomina recensere supervacaneum visum est.

Continuatio alia ejusdem Concilii: seu Africanum Concilium.

Præcedentium Conciliorum sub Aurelio Canones per epitomen hic renovantur, quibus lectis Aurelius Episcopus dixit: Juxta statuta totius Concilii congregati, & meæ mediocritatis sententiam placet facere rerum omnium conclusionem. Universi tituli designati, & digesti hujus diei tractatum Ecclesiæ gesta suscipiant: quæ verò adhuc expressa non sunt, die sequenti per fratres nostros Faustinum Episcopum, Philippum, & Asellum Presbyteros venerabili fratri, & Coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus. B

Epistola totius Concilii Africani ad Bonifacium urbis Romæ Episcopum.

Domino beatissimo, & honorabili fratri Bonifacio, Aurelius, Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ, & cæteri, qui præsentes adfuimus numero ducenti septem ex omni Concilio Africæ.

Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, & Compresbyteri Philippus, & Asellus non beatæ memoriæ Episcopo Zozimo (à quo ad nos mandata & litteras attulerunt) sed tuæ venerationi (qui in ejus C locum es divinitus constitutus) humilitas nostra subscriberet, ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata sunt, non ea, quæ prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore, demorati sumus, ea gestis delibantes, quæ nunc ad causam pertinent, quanquam & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum. Domine frater Apiarius Presbyter, de cujus & ordinatione, & excommunicatione fuerat exortum, non solùm Siccensi, verum etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem Coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia verò paci, & quieti Ecclesiæ D non tantùm ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oportet, placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius, accepto epistolio, ubicunque alibi vellet, & posset, Presbyterii munere fungeretur, quod eidem ipsi, per litteras proprias postulanti, sine difficultate concessimus. Sanè priusquam hæc causa isto termino clauderetur, inter alia, quæ diuturnis disceptationibus versabamus, quia rogatio ipsa poscebat, ut apud acta Ecclesiastica à fratribus nostris Faustino Coepiscopo, & Philippo, atque Asello Compresbyteris quæreremus, ut promerent, quicquid eis nobiscum fuisset injunctum agendum, nonnulla quidem sine ullo scripto E prosecuti sunt verbis: sed cùm id potius flagitaremus, quod in litteris ferrent, commonitorium protulerunt. Quod recitatum nobis, etiam gestis, quæ secum ad vos defecerunt, est alligatum. In eis quatuor quidem nobiscum agenda mandata sunt: unum de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem. Alterum ne ad Comitatum Episcopi importunè navigent. Tertium de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint. Quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo, & tertio idest, ut Romam liceat Episcopis provocare, & ut clericorun

rum causam apud suarum Provinciarum Episcopos finiantur. Jam priore anno, etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zozimum Episcopum datis, insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni. Et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam à Patribus acta, vel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri, idest, si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes authoritatem ejus, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo suo consilio judicaverit. Item de Presbyteris, & Diaconibus. Si Episcopus quis iracundus, quod esse non debet, citò, aut asperè commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet Episcopos, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti, & ille Episcopus, qui aut justè eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia. Hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplariorum Nicæni Concilii inserta gestis sunt: quæ si ibi, quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex Apostolica sede directi, commonitorio allegaverunt, continentur, eoque ordine, vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quòd tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typum passuri, & servabuntur erga nos ea, quæ, nobis etiam non differentibus, custodiri debeant cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam, atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse prospicis esse servanda, si fortè aliter se habent Canones Concilii Nicæni. Quamvis enim plurimos codices legeremus, sed nunquam in Nicæno Concilio in Latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto commonitorio inde directa sunt: tamen, quia hìc in nullo codice Greco ea potuimus invenire, ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc est, Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ, & aliis, si etiam tuæ placuerit sanctitati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicæam civitatem à Patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim dubitet, exemplaria esse verissima Concilii in Græcia Nicænæ Synodi congregatæ, quæ de tàm diversis locis, & de nobilibus Græcis Ecclesiis allata, & comparata concordant? Quod donec fiat, hæc quæ in commonitorio supradicto nobis allata sunt, de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & de Clericorum causis apud suarum Provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem

Concil. l. c. 17. 1. q. 3. rte Ep. undus. in dec. ois l. 5.

A servaturos esse profitemur, & beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus. Cætera verò, quæ in nostra synodo gesta, vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus Coepiscopus, Philippus, & Asellus Compresbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota facient sanctitati. Et alia manu, Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat, beatissime frater. Subscripserunt quoque Alipius, Augustinus, Possidius, Marinus, & cæteri Episcopi ducenti septemdecim.

Interim obeditur summo Pōtifici.

Epistola Cyrilli ad Synodum.

B 104. Dominis honorabilibus sanctis fratribus Coepiscopis Aurelio, Valentino, sed & omni sanctæ congregationi in Carthaginensi synodo congregatæ, Cyrillus salutans in Deo charitatem vestram. Scripta venerationis vestræ multam habentia querimoniam cum omni lætitia per filium vestrum Innocentium Presbyterum suscepi, quibus à nobis speratis, ut de scrinnio nostræ Ecclesię verissima exemplaria ex authentica synodo apud Nicæam civitatem Metropolim Bithiniæ à sanctis Patribus constituta, atque formata, sub nostræ fidei professione vestræ dilectioni porrigamus. Unde, Domini venerabiles fratres, salute præeunte, necesse habui per harum latorem filium nostrum Innocentium Presbyterum fidelissima exemplaria ex authentica synodo in Nicæa Bithyniæ C habita, vestræ charitati dirigere, quæ & in Ecclesiastica historia requirentes invenietis. De Pascha verò, ut scripsistis, nunciamus vobis decima septima kalendas Majas nos futura indictione celebrare. Et alia manu, Deus, & Dominus noster sanctam vestram congregationem custodiat, quod optamus, charissimi Fratres.

Ecclesiastica hist. lib. 10. c. 6.

Epistola Attici ad Synodum.

Dominis sanctis meritò beatissimis fratribus Coepiscopis Aurelio, Valentino, vel ceteris charissimis in Synodo apud Carthaginem habita constitutis, Atticus Episcopus. Per filium nostrum Marcellum Subdiaconum vestrum scripta vestræ dilectionis cum omni gratiarum actione suscepi, Domino gratias agens, D quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui, Domini beatissimi fratres. Scribitis sanè, ut verissimos Canones apud Nicæam civitatem Metropolim Bithiniæ à Patribus constitutos, sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem, vel statuta à Patribus firmata suis fratribus deneget? Qua de re per eumdem filium meum Marcellum Subdiaconum vestrum nimiùm festinantem, sicut statuti sunt in Nicæa civitate à Patribus, Canones integros, ut jussistis, direxi, petens, ut pro me plurimùm vestra sancta congregatio orare jubeat. Et alia manu, Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sancti fratres.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, &c. sicut habet Symbolum Nicænum, &c.

Epistola Synodi ad Cęlestinum.

E Domino dilectissimo, & honorabili Fratri Cœlestino Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celticius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus, & cęteri, qui in universali Africano Concilio Carthaginis affuimus: Optaremus, si quemadmodum sanctitas tua de adventu Apiarii lętatos vos fuisse, missis per compresbyterum nostrum Leonem litteris intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione hęc scripta cum lætitia mitteremus. Esset profectò & nostra, & vestra modò alacritas certior, nec festinata, nec præpropera videretur, quæ adhuc tàm de audiendo, quàm de audito præcesserat. Adveniente sancto fratre, & Coepiscopo no-

noſtro Fauſtino Concilium congregavimus, & credidimus ideò cum illo miſſum, quoniam ſicut per ejus operam Presbyterio ante redditus fuerat, ita nunc poſſet de tantis criminibus à Tabracenis objectis eo laborante purgari: cujus tanta, ac tàm immania flagitia decurſus noſtri Concilii examen invenit, ut & memorati patrocinium potius, quàm judicium, ac defenſoris magis operam, quàm diſceptatoris juſtitiam ſuperarent. Nam primum quantum obſtiterit omni congregationi diverſas injurias ingerendo, quaſi Eccleſiæ Romanæ aſſerens privilegia, & volens eum à nobis in communionem ſuſcipi, quem tua ſanctitas (credens appellaſſe, quod probare non potuit) communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit, quod etiam geſtorum ex lectione melius cognoſces. Triduano tamen laborioſiſſimo agitato judicio, cùm diverſa eidem objecta afflictiſſimi quæreremus, vel moras Coepiſcopi noſtri Fauſtini, vel tergiverſationes ipſius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex juſtus, fortis, & longanimis magno impendio reſecavit. Tetriore quippe, ac putidiore obſtinatione compreſſa, qua tantum lividum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo noſtro ejus conſcientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde, tanquam involuta criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confeſſionem cunctorum objectorum flagitiorum doloſus negator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus ſe ipſe convicit, atque ipſam quoque noſtram ſpem, qua eum & credebamus, & optabamus de tàm pudendis maculis poſſe purgari, convertit in gemitus, niſi quoniam iſtam noſtram mœſtitiam uno tantùm ſolatio mitigavit, quod & nos labore diuturnioris quæſtionis abſolvit, & ſuis vulneribus qualemcunque medelam, etſi invita, ac ſua conſcientia reluctante, confeſſione providit, Domine frater. Præfato itaque debitæ ſalutationis officio impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures huc venientes, non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua Provincia communione ſuſpenſi, à tua ſanctitate, vel feſtinato præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui. Presbyterorum quoque, & ſequentium clericorum improba refugia, ſicuti te dignum eſt, repellat ſanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna, ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropol. apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim, juſtiſſimèque viderunt, quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur, maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit Cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quiſquam eſt, qui credat, unicuilibet poſſe Deum noſtrum ex animis in animis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt. Nam ut aliqui tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum. Quia illud, quod pridem per eundem Coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde tranſmiſiſtis, in Conciliis verioribus (quæ accipiuntur Nicæni) à ſancto Cyrillo Coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano antiſtite, ex authentico miſſis;

Apiarii multa crimina.

Agit Concilium per modum libelli ſupplicis, inſinuando incommoda.

Niceni Conc. c. 5.

Ibidem 6.

Ibidem 5.

A quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa ſunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo prædeceſſori veſtro, à nobis tranſmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos veſtros, quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typum ſæculi in Eccleſiam Chriſti (quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert) videamur inducere. Nam de fratre noſtro Fauſtino (amoto jam pro ſuis nefandis nequitiis de Chriſti Eccleſia dolendo Apiario) ſecuri ſumus quod eum, probitate, ac moderatione tuæ ſanctitatis ſalva, fraterna charitas ulterius in Africa minimè ſubſtinere patiatur. Et alia manu. Dominus noſter ſanctitatem veſtram ævo longiore orantem pro nobis cuſtodiat, Domine frater.

B

Controverſia de appellationibus ad ſummum Pontificem Romanum.

Calvinus lib. 4 inſt. cap. 7. ſupponens Eccleſiaſticam poteſtatem his capitibus contineri, ordinatione Epiſcoporum, Conciliorum indictione, audiendis appellationibus, aut juriſdictione, monitionibus colligatoriis, aut cenſuris, dum tertiam partem hujus poteſtatis diſcutit, quæ appellationibus conſtat; ſummum enim imperium penes eum eſt, ad cujus tribunal provocatur, putat ſe ex actis in hoc Concilio poteſtatem ſummi Pontificis circa appellationes poſſe infringere. In Africa, inquit, diu fuit de ea re diſceptatum. Nam cùm in Milevitano Concilio, ubi aderat Auguſtinus, excommunicati fuiſſent, qui provocarent ultra mare, conatus eſt Romanus Pontifex efficere, ut id corrigeretur. Legatos miſit, qui id privilegii ſibi à Nicæno Concilio datum oſtenderent. Proferebant legati acta Nicæni Concilii, quæ ex Eccleſiæ ſuæ armario ſumpſerant. Reſtiterunt Africani, negaruntque fidem Rom. Epiſcopo habendam eſſe in propria cauſa: proinde ſe Conſtantinopolim miſſuros, & in alias Græciæ urbes, ubi exemplaria minus ſuſpecta haberentur. Compertum eſt nihil illic tale ſcriptum, quale obtenderent Romani. Ita ratum fuit decretum illud, quod Romani Pontificis ſummam cognitionem abrogaverat. Qua in re flagitioſa ipſius Rom. impudentia apparuit. Nam cum fraude Sardicenſem Synodum pro Nicæna ſuppoſuiſſet, turpiter in manifeſta falſitate deprehenſus fuit, &c. Sic Gratianus, 2. q. 4. c. *placuit*, malitia ne, an inſcitia, neſcio, ubi decretum illud retulit, ut communione priventur, qui trans mare provocaverint, adjungit exceptionem, niſi fortè Romanam ſedem appellarint. Quid facias iſtis beſtiis, quæ adeò ſenſu communi carent, ut illud unum à lege excipiant, cujus cauſa legem eſſe poſitam, nemo non videt? Siquidem Concilium cum tranſmarinas appellationes damnat, hoc tantum prohibet, ne quis Romam provocet. Hic bonus interpres Romam à communi lege excipit.

C

D

Hæc Calvinus in contemptum ſummi Pontificis, temerariis his verbis commonſtrans, quo proſiliat ejus in Vicarium Chriſti odium, nempè ut omnem ejus authoritatem, ſimulque omnem Eccleſiæ ordinem funditus convellat. At reſp. Patres Concilii Carthaginenſis ſexti non arguere falſi Zozimum, ſed dubitare de Canonis allati per legatos veritate, ac temerè judicaſſe, quod non eſſet ex Nicænis, quia multi alii Canones ſunt Nicæni, qui in exemplaribus Africanis non habebantur. D. Auguſt. epiſt. 110. Canonem Nicænum citat, *Ne Epiſcopus ſibi ſucceſſorem faciat*. Concil. Carthag. 3. Can. 48. alium Canonem Nicænum citat, *Ne quis, niſi jejunus, ſacrificet*. Et in iſtis exemplaribus nullus eſt Canon vel contra Arrianam hæreſim, vel propter obſervationem diei Paſchæ, propter quas duas cauſas Concilium hoc congregatum eſt. Unde non debuerunt Africani Patres exemplaria pro veriſſimis habere, aut ideo Canonem à Zozimo allegatum rejicere, quia in his exemplaribus non habe-

E

be-

beretur. Ubi etiam notandum, quòd solus Cæcilianus ex tota Africa Concilio Niceno interfuerat, ut habetur in 5. synodo, collat. 5. cujus exempla, si quod habuit, in tàm varia Donatistarum persecutione facilè interire potuit. Græca quoque exemplaria magis debebant esse suspecta, quod ab illis Ecclesiis missa erant, in quibus dominati fuerant Arriani, qui ea depravare poterant odio definitionis Nicænæ. Deinde Attici exemplar remittit illos ad Historiam Ecclesiasticam, in qua tamen Canones Nicæni non habentur, nisi apud Ruffinum, qui & latinè scripsit, & alio ordine, ac numero, quàm ab Attico, rebusque, & materia dissident. Adjungam recens antiquæ Græcorum fidei testimonium. Siud Sulaka Patriarcha Nestorianorum in confessione suæ fidei Romæ facta anno 1553. affirmat, in Nicæno Concilio scriptum esse de Ecclesia Romana, quòd sit caput omnium Ecclesiarum propter verba Christi ad Petrum Matth. 16. addens hanc ipsam definitionem Nicæni Concilii apud ipsos haberi, atque servari.

Quod Patres Africani ex causa allegata rejiciunt appellationes ad Rom. Pontificem, temere id faciunt, & à majorum suorum obedientia, & exemplis recesserunt. Nam paucis ante annis Stephanus Archiepiscopus Numidiæ, & alii Africani Episcopi in tribus Conciliis congregati apertè scribunt in litteris suis ad Damasum Pontificem, *neminem Episcopum quantumvis disjunctum, nisi consulto Romano Episcopo, damnari debere, omnes graviores causas ad illius fidem referendas*. Extant hę litteræ inter decretales Damasi Papæ tom. 1. Concil.

Patres autem Sardicenses illum Canonem ex Concilio Nicæno, ut omnia ferè alia ibi definita acceperunt. Non enim alia de causa illi Patres convenerunt, quàm ut Nicænos Canones refricarent, & Nicæni Concilii decreta, ab Arrianis convulsa, restaurarent. Unde ex eo, quod esset ex Canonibus Sardicensibus, existimari poterit fuisse quoque ex Nicęnis. Sed & Canon sextus Nicęni Concilii primatum attribuit Rom. Ecclesiæ, sicut lectus fuit in Concilio Chalcedonensi, prout notatum est 2. classe in nota ad hunc Canonem. His certè de causis paucis post annis Africani Episcopi sub Eulalio Carthag. Archiepiscopo cum Rom. Ecclesia reconciliati sunt, nam schisma peperit ista contentio, & Bonifacius tunc Romanus Pontifex meritò scripsit: *Africanos Episcopos instigante diabolo contra Rom. Ecclesiam sub Aurelio, qui huic Concilio sexto Carthaginensi præfuit, superbire cœpisse*. In epist. ad Eulalium tom. 2. Concil. multò mitiùs autem, & moderatiùs in epist. sua ad Bonifacium Papam Africani egerant in Concilio 3. quàm postea in Concilio 6. in epist. ad Cœlestinum, ubi in schisma res erupit. Quod Deus per Vvandalos Ecclesiam Africanam devastantes ultus est hoc eodem sæculo.

Sed etsi nec clericis, nec Episcopis jus daretur appellandi ad Rom. Pontificem, sed omnes causæ terminari deberent per Primates, aut per Concilia, salvus esse potest tamen primatus Rom. Pontificis. Quia potest ipse remittere hoc jus Primatibus, aut Conciliis ex voluntate sua, sine præjudicio, sicut olim Imperatores Præfectis prætorio, & Reges Galliæ Parlamentis suis judicium causarum concedunt, nulla appellatione permissa, salva nihilominus eorum suprema authoritate. Stapleto controv. 3. de primario subjecto potestatis Eccles. q. 7. hæc ferè omnia in Calvinum circa præsentem controversiam, quo vix alius aptior ad petulantiam retundendam hęretici hominis, ac mendacia coarguenda.

Denique tota quæstio in hoc Concilio agitata fuit non juris, sed facti, an appellatio ad Romanum Pontificem contineretur inter Nicænos Canones. Et Patres Africani precibus agunt cum summo Pontifice, ut ad eum non provocaretur, donec de veritate constiterit: Impendio deprecamur, ajunt, ita ut tantùm in-

A dicent incommoda talium judiciorum, interim verò manent subditi, & obedientes, donec de Nicęno Canone constiterit. Nec invenitur, quòd Summus Pontifex in hac parte eis acquieverit. *Usus appellationis ad Papam antiquus.*

Nec enim facilè credendum est Calvino falsum Canonem misisse Zozimum. Ex exemplaribus Ro. Ecclesiæ, ubi integra magis servari potuerunt Decreta omnia Nicæna, deprompsit canonem illum Zozimus, qui suppressus fuerat in aliis exemplaribus per Arrianos, exceptis illis viginti, qui Arrianæ impietati tali nihil præjudicant. Aut certè Nicęna, & Sardicensis synodus pro una, eademque synodo habitæ fuerant, quod ferè iidem Episcopi interfuerint, ac eandem causam tractaverint. Non mirum ergo, quòd ex hac parte tumultus in hoc Concilio exortus fuerit. Cæterùm appellationem ad Romanum Tribunal ante Nicænum

B Concilium extitisse, multa produnt exempla, ut Marcionis, qui ab Episcopo Ponti excommunicatus appellans ad summum Romæ Episcopum auditus fuit, teste Epiphanio, hęresi 42. Fortunati, & Felicissimi, qui à Cypriano Carthaginensi depositi, appellantes admissi sunt à Cornelio Papa, ipso teste Cypriano epist. 55. ad Cornelium Papam: Basilidis in Hispania, qui depositus ad Stephanum provocat apud eumdem Cyprianum. Athanasii quoque à Synodo Tyri provocantis ad Julium Papam, antequam Sardicensis synodus colligeretur, ut valdè certum sit antiquum istud jus Romani Pontificis, quod tantopere aversantur hęretici omnes. Sed ut ad Africanos Patres redeamus,

C Quod insuper exposcunt ex ignorantia veri Concilii Sardicensis, ne quemquam mittat in Africam commissarium ex parte sua ad dijudicandas causas provocantium ad suam sedem, ne fumosum sęculi typum in Ecclesiam introduceret, id non tàm spectat ad ipsam appellationem, quàm ad modum executionis judicii lati per delegatos cum vi, ac potestate militari, quæ minimè decet Ecclesiasticos judices. Hoc enim comminabatur Antonius Fessulanensis Episcopus munere Episcopali per Africanos Episcopos privatus. Propter quod D. Augustinus idem petit à Bonifacio Zozimi successore, quod Patres hujus Concilii, occasione Apiarii, & Faustini Presbyterorum, quorum appellationem admiserat Summus Pontifex, ab eodem postulant.

D Hic autem Antonius, quem D. August. parti cuidam suæ Diœcesis præfecerat Episcopum, cùm ob enormia quædam scelera, officio, & ministratione Episcopali privatus, honori verò, & Episc. ordini, ac titulo relictus fuisset (August. qui his Conciliis interfuerat, epistola 261. editionis Plantinianæ tomo secundo attestante) ad Bonifacium Zozimi successorem, acceptis à Primate Numidiæ litteris commendatitiis appellans dixit: *Aut in mea cathedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui*. Bonifacius acceptis litteris in commendationem Antonii à Primate Numidiæ scriptis, magna cautela, quod sanctus Augustinus laudat, pro eodem rescripsit; eo temperamento adhibito, si nulla videlicet surreptio intercessisset. Nam in litteris hæc apposuit: *Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit, &c.* Bonifacio interim defuncto, contigit eandem causam ad Cęlestinum ejus successorem integrè devolvi; addita Fessulanensium querela, quod sanctus Augustinus perditissimum hominem illis Episcopum dedisset. Cùm itaque hoc rerum statu adversarius jactaret fore, ut Cęlestinus Pontifex Legatos militum comitatu stipatos mitteret, qui invitis etiam, & rebellantibus Fessulanensibus, Antonium in sedem suam, & Eiscopatus administrationem restitueret, S. Augustinus epistola prædicta 261. ad Cœlestinum Pontificem scripta post alia ad finem hæc precatur. *Accipe*, inquit, *nunc, quæ post ejus sanctæ memoriæ viri* (nempe Bonifacii Papæ) *in Africa litteras gesta sunt, & subveni hominibus opem tuam in Christi misericordia multò avidiùs, quàm ille, poscentibus, à cujus inquietudine desi-*

Antonius Fessulanensis.

E

derant liberari. Judicia quippe illis, & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executores Apostolicæ sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur: ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quàm cùm essent hæretici, à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi Sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Hoc est, quod Patres Africani ad eundem Cœlestinum Pontificem ex Carthaginensi Concilio scripserunt his verbis: *Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Unde satis perspicuum est, quòd sicut Augustinus, ita & reliqui Africani Episcopi Apostolicæ sedis judicium, quod pro confirmandis à se latis sententiis, defendendisque contra impugnantes implorabant, non refugisse, executionem etiam judicii non denegasse, sed tantùm modum judicandi, & exequendi cum militibus, & Magistratuum apparitura exhorruisse. Quid quod sanctus Augustinus prædicta epist. 261. ad Cœlestinum Pontificem Antonio respondens, ostendit frequentissimè accidisse, ut Episcopi Africani Episcopatus administratione in Africa privati, post appellationem ad Sedem Apostolicam interpositam, eamdem condemnationis sententiam impetrarint? *Existat*, inquit, *exemplo, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum* (Africanorum, & Orientalium, &c.) *judicia firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali privatos honore, nec relictos omnimodo impunitos; quę, ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo: Clamet Priscus Provincię Cæsareensis Episcopus: Aut ad primatum locus, sicut cæteris, mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pęna, in qua & Priscus fuit nusquam, nisi in Diœcesi ejus ab alio communicabatur Episcopo, clamet, inquam: Aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui, &c.* Undè nihil novi videas juris furari voluisse sibi Zozimum, ut imperitè jactant hæretici.

Quoad Gratianum spectat, multi idem adverterunt, quod Calvinus. Nec dubium, quin ista additio emendari debuerit, sicut & in pluribus aliis decretum ejus correctum fuit, & restitutum à viris quibusdam eruditissimis auctoritate Gregorii XIII. Pontificis anno Domini 1580. quod ex eo Gratiano accidisse putat Bellarminus de Scriptor. Eccles. ad annum 1145. quod in scribendo decreto delectum non habuerit authorum, quod per modum exempli in aliquot ejus locis ostendit ibidem.

Gratia. decretum.

Dubium movent aliqui, cur missi à Zozimo non præfuerint, sed Aurelius Carthaginensis Episcopus. Facilis responsio: non erant missi ad præsidendum, sed ob alios fines.

An unum, vel plura Concilia.

Alia verò est controversia, an Concilium istud in duo, aut tria debeat dividi, sicut plures hactenus fecerunt. Conferenti autem mihi varios codices Conciliorum Carthaginensium, visum est, ea duo Concilia, sextum, & septimum Carthaginense vulgò nuncupata, ac aliud Africanum simpliciter dictum pro uno debere haberi, quod quintum Carthaginense vocamus post Nicænum, remisso eo, quod secundum vocabatur à collectoribus ad annum 424. quodque sextum ordine haberi potest, relictis Conciliis, quæ vocantur Africana, in sua sede ordinaria, prout visum est hactenus collectoribus Conciliorum, ne interturbarent ordinem Carthaginensium, etsi ipsa inter Carthagin. majori ex parte numerari possent. Cur autem ista Concilia pro uno numeremus, Photii Nomocanon cogitationem hanc indidit primò, apud quem videntur ad unum Concilium pertinere, quæ exhiberi solent in istis. Conjecturam verò hanc video confirmare Binium in notis ad sept. Concil. Carthaginense. Quod iis sexto, & septimo Conciliis inveniatur subscripsisse Episcopos 217. eodem mense, eadem prope septimana. Qui refert etiam Baronium idem videri censere. Itaque hæc Synodus tempore Zozimi inchoata, sub Bonifacio propter indagata exemplaria Nicæna suspensa est, ac demum circa initium Cœlestini Papæ absoluta. Ne igitur multiplicemus entia sine necessitate, ac Concilia, quorum satis ingens est numerus, sine veritate, in hac stabimus sententia, quamvis, etsi quis ea distincta malit, ea hìc exhibuerimus cum distinctionis nota per titulos haud inevidenti.

Pollicetur autem P. Labbeus in Synopsi, se hę diligentiùs examinaturum, in magna illa editione, scilicet Conciliorum, quę propediem proditura est. Ista omnia, inquit. Afrorum Cōcilia pensiculatius erunt à nobis, Deo dante, examinanda. Ista enim ὡς ἐν τύπῳ, & soloce, crassoque filo deproperata. Interim videri poterit Cabassutius in notitia Conciliorum.

Concilium Carthaginense ultimum, quod vulgò secundum dicitur, celebratum sub Genedio Carthaginense Episcopo tempore Cęlestini Papæ ad annum 425.

TITULI CAPITULORUM CONCILII Carthaginensis secundi.

1 *Ut Trinitas & credatur, & prædicetur.*
2 *Ut castitas à Levitis, & Sacerdotibus custodiatur.*
3 *Ut chrisma, & benedictio puellarum, & reconciliatio pœnitentium à Presbyteris non fiant.*
4 *Ut Presbyter pœnitentem jussus ab Episcopo suo reconciliet.*
5 *Ut diœcesis, quæ Episcopum nunquam habuit, non habeat.*
6 *Ut, qui criminibus implicati sunt, clericos non accusent.*
7 *Ut, qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur.*
8 *Ut si Presbyter excommunicatus sacrificare præsumpserit, anathematizetur.*
9 *Ut si Presbyter inconsulto Episcopo agenda celebraverit, honore privetur.*
10 *Quanti debeant judicare Sacerdotem, atque Levitam.*
11 *Ut nullus Parochiam alienam præsumat.*
12 *Ut sine consultu Metropolitani nullus ordinetur Episcopus.*
13 *Ut, qui contra professionem, & subscriptionem suam venerit, in concilio deponatur.*

Capitula Concilii Carthaginensis secundi.

Gloriosissimo Imperatore Valentiniano Augusto quarto, & Theodosio, viris clarissimis Consulibus decimoquarto kalendas Junii, Carthagine in Basilica perpetua restituta, cùm Genedius Episcopus unà cum Victore Abderitano, & alio Victore Pupputanensi, & cęteris Coepiscopis suis provinciarum diversarum consedisset, Genedius Episcopus dixit.

1. Omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune concilium habitum in prætorio, etiam ita juxta tenorem petitionis litterarum mearum ad Carthaginem pro fide, atque utilitate Ecclesiastica veniretis, licèt non omnes. Tamen cùm charitas totum persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse conjuncti: id-

idcircò, Deo propitio, quia præsentes estis, pari professione fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioso primitùs confitenda est. Tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum ex consensu omnium est extruendus, atque roborandus, ut fratrum, & Coepiscoporum nuper promotorum, mentes de his, quæ proponenda sunt, roborentur. Et sicut à Patribus certa dispositione accepimus, ut Trinitatem, quam in nostris sensibus consecratam retinemus, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam, sicut didicimus, Dei populos instruamus. Ab universis Episcopis dictum est: Planè sic accepimus, sic tenemus, fidem Apostolicam sequentes.

dist. 84. ... in pre-... r. di. 31. ...piscopos ...resbyt. Et ... dec Ivo-... l. 3.

2 Aurelius Episcopus dixit: Cùm in præterito Concilio de continentiæ, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altario deserviunt.

...q. 6. Si ...bet san-... ...itas.

3 Fortunatus Episcopus dixit: Si jubet sanctitas vestra, suggero. Nam memini præterito Concilio fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant. Si quis autem emerserit hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius Episcopus dixit: Audivit dignatio vestra suggestionem fratris, & Coepiscopi nostri Fortunati. Quid ad hæc dicitis? Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.

26. q. 6. Aurelius ...piscopus ...xit. ...q. 1. Fe-...

4 Aurelius Episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem debemus salubri concilio corroborare. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, quòd sanctitas vestra necessariò nos instruere dignata est.

5 Felix Episcopus Selemselitanus dixit: Etiamsi hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut Diœceses, quæ nunquam Episcopos acceperunt, non habeant, & illa Diœcesis, quæ aliquandò habuit, habeat proprium. Et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Diœcesis constituta, habeat Episcopum. Secundum autem hanc prosecutionem sanctitas vestra existimet, quid fieri debeat. Genedius Episcopus dixit: Si placet insinuatio fratris, & coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab universis Episcopis dictum est: Placet.

6 Numidius Episcopus Massylitanus dixit: Præterea sunt quamplurimi non bonæ conversionis, qui existimant majores natu, vel Episcopos passim, vagèque in accusationem pulsandos. Debent tàm facilè admitti, necne? Aurelius Episcopus dixit: Placet ergo charitati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majores natu non habeat accusandi. Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur, omnibus placet.

7 Felix Episcopus Selemselitanus dixit: Illud autem vestrę suggero sanctitati, ut si qui pro facinoribus suis

A de Ecclesia pelluntur, & ausi fuerint ad comitatum pergere, aut ad judicia publica prosilire, aut forsitan Ecclesiæ Catholicę limina conturbare, si Episcopus, vel clericus cujuslibet plebis eos sine consensu susceperit, de his quid censetis? Epigonius Episcopus Bullensis Regiens. dixit: Si quis Episcopus communionem tenens Catholicam hujusmodi homines vanis blandimentis incedentes temerè susceperit, sciat cum his se rectissimè depravatum, vel damnatum. Genedius Episcopus dixit: Ergo rectè suggerunt fratres, & Coepiscopi, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt (si ab aliquo Episcopo, aut Presbytero, vel clerico fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eis crimi- 11. q. 3. Qui meritò & in dec. Ivo l. 5.
B ne teneatur obnoxius) refugientes sui Episcopi regulare judicium. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet.

8 Alipius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis legatus Provinciæ Numidiæ dixit: Nec illud prętermittendum est, ut si quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore, vel superbia inflatus, putaverit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra Ecclesiasticam fidem, disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primę sedis Provinciæ Numidiæ dixit: Necessariò disciplinæ Ecclesiasticæ, & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alipius prosecutus est. Proinde, quid eximiæ videtur vestræ dilectioni, edicite. Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, ana- 11. q. 3. Si quis Presb.
C thema sit. Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter à præposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac ipse suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus, secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de civitate, & congregatione, in qua fuerit, longius repellatur, ne vel ignorantes, vel simpliciter viventes serpentina fraude decipiat, quoniam secundum Apostolum Ecclesia una est, una fides, unum baptisma. Et si querimoniam justam adversus Episcopum habuerit, inquirendum erit. Ephes. 4.

D 9 Numidius Episcopus Massylitanus dixit: in quibusdam locis sunt Presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter præsente, & inconsulto Episcopo complurimis in domiciliis agant agenda, quod disciplinæ incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genedius Episcopus dixit: Fratris, & coepiscopi nostri dignæ suggestioni respondere non immoremur. Ab universis Episcopis dictum est: Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

10 Felix Episcopus Selemselitanus dixit: Etiam hoc adjicio secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus: quòd non opinamur, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur, & à sex Presbyteris, & à tribus Diaconibus cum proprio suo Episcopo. Ge- 15. q. 7. Felix 3. q. 8. Suggero secundum statuta.
E nedius Episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab universis Episcopis dictum est: A nobis veterum statuta debere servari.

11 Victor Episcopus Abderitanus dixit: Roboranda est Ecclesiastica disciplina, ne quisquam Episcoporum alterius plebes, vel Diœcesim sua importunitate pulsare debeat. Qui hoc facere tentaverit, quemadmodum coercendus est? Genedius Episcopus dixit: Et lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quemquam aliena concupiscere. Proinde quid etiam vobis omnibus placeat, propria voce signate. Ab universis Episcopis dictum est: Placet secundum divinæ legis, & sancti Euangelii authoritatem, ut nemo nostrum alienos limites transgrediatur. Exod. 10. Deuter. 5. & 7. Deuter. 19 & 27. Prov. 22.

12 Numidius Episcopus Massylitanus dixit: Aliqui Episcopi usurpatione quadam existimant contempto Primate cujuslibet Provinciæ, sive ad desiderium populi Episcopum ordinare, ne litteris ad se primæ cathedræ manantibus, neque postea acceptis. Quid de hoc statuit sanctitas vestra? Genedius Episcopus dixit: Quoniam communis est honorificentia, quæ unicuique servari oportet, idipsum fraternitati vestræ convenit pronunciare. Ab universis Episcopis dictum est: Placet omnibus, ut inconsulto primate cujuslibet Provinciæ tàm facilè nemo præsumat, licèt cum multis Episcopis in quocunque loco sine ejus, ut dictum est, pręcepto, Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocumque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

13 Genedius Episcopus dixit: Omnia ergo, quæ à vestro cętu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, placet, ut custodiantur ab omnibus. Genedius Episcopus dixit: Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat? Ab universis Episcopis dictum est: Qui contra suam professionem, vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genedius Episcopus dixit: Gratulemur, Domino nostro præstante, quod pro statu Ecclesiæ Catholicæ cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus. Et ideò, quæ ab omnibus sunt dicta, propria debemus subscriptione firmare. Ab universis Episcopis dictum est: Fiat, fiat. Et subscripserunt.

Controversia.

Dubium est, cur hoc Concilium, quod in ordine Conciliorum Carthaginensium, prout ab antiquis collectoribus digesta fuerunt, secundum ponebatur, in præcedenti titulo, à nobis cæteris postponatur. Sed rei veritas nos cogit, cùm sęcula Conciliorum observare nobis propositum esset. Nam hoc Concilium verè post omnia Carthaginensia celebratum fuisse, non modò ex canonibus, verumetiam Episcoporum præsentium nominibus evidentissimè probatur. Si, quod habent Acta Concilii, Valentinus Numidiæ Primas, Xantippi successor huic Concilio interfuerit, post Milevitanum, adeoque post quinque saltem anteriora, hoc, cui Genedius præfuit, quodque secundum appellatur, habitum fuisse oportet.

Nam Milevitano Concilio Xantippus Numidiæ Primas Valentini antecessor interfuit. Illud igitur, in quo Valentinus Episcopalem sententiam decisivam dixisse scribitur, ante Milevitanum sub Innocentio, multò minùs ante tria Carthaginensia sub Syricio, & Anastasio celebrata, habitum fuisse sustineri non potest. Valentinus Numidiæ Primas, initio Actorum Carthaginensis VI. & in litteris Synodalibus ad Bonifacium, & Cœlestinum Pontifices scriptis, nominatim recensetur. Xantippi igitur non antecessorem, ed potius successorem fuisse, nemini dubium esse potest.

Secundò, Anterioribus Carthaginensibus omnibus Aurelium Episcopum præfuisse, ex actis eorundem Conciliorum apertè constat. In hoc cum Aurelio Carthaginense Episcopo Genedius Carthaginensis re, & nomine Episcopus præsedit, quod ille litteris suis Carthagine celebrandum indixit, in quo primo loco sedens, primam sententiam pronuntiavit. Dubium atque nullum est, quin Aurelius post sex, aut septem Concilia Carthagine habita, post multos in Ecclesia Carthaginense exantlatos labores, Episcopatu se abdicarit, atque ad imitationem Valerii Hippone S. August. substituentis, in Genedium munus Episcopale Carthaginensis Ecclesiæ transtulerit: sicque authoritate Genedii Carthaginensis hoc Concilium postremo loco Carthagine habitum fuerit. Nam inauditum est, ut alius quàm Carthaginensis Episcopus Carthagine Concilium indixerit, per literas convocarit, atque in eo primo loco sedens, primam sententiam pronuntiaverit. Quòd Aurelium Carthaginensem Episcopum interfuisse, & sententiam suam dixisse scribitur, honoris causa accidit.

Tertiò, sub Pontificatu Cœlestini post Africanum, adeoque post omnia Carthaginensia Concilia hanc Synodum Carthaginensem, quæ sub præsidio Genedii habita est, celebratam fuisse, secundus, & tertius Canon hujus Concilii, in quibus Africani Concili anno primo Cęlestini Pontificis celebrati Canones, decimus nimirum, & vigesimus septimus citati reperiuntur, manifestissimè testatur.

Quartò demum. Ex addita ad secundum Canonem hujus Concilii antiqua lectione habetur expressum, quod Faustinus Episcopus Potentinus in Piceno, Legatus à latere à Bonifacio Papa missus, in hoc Concilio sententiam dixerit. Sive igitur in Africa hucusque perseveraverit, sive iterum à Cœlestino missus fuerit, ex præsentia illius colligitur, hanc Synodum Carthaginensem sub Pontificatu Cœlestini, post Africanum, aliaque omnia Carthaginensia Concilia habitam, & congregatam fuisse. Hęc ex Baronii Appendice ad Tom. 5. anno 397.

Concilium Constantinopolitanum contra Massalianos hæreticos celebratum anno 427. sub Cęlestino Pontifice.

Anno Christi 427. Cœlestini 4. Theodosii 20. celebrata est Synodus, in qua adversus Massalianos hæreticos, aliàs sæpè damnatos, constitutum fuit, ne, licèt summam præseferrent pœnitentiæ speciem, amplius in Ecclesiam reciperentur, quam sępiùs gravissimè eluserant.

Photius in Biblioth. num. 51. hanc Synodum habitam testatur ex occasione consecrationis Sisinnii Episcopi Constantinopol. jussu Imperatoris Theodosii, ac scripsisse epistolam ad Episcopos Pamphiliæ, in qua epistola Neon Episcopus exclamavit contra Massalianos: *Si quis post anathematismum fuerit aliquandò deprehensus, vel verbo, vel opere in suspicionem hujus morbi lapsus, nunquam amplius in posterum locum habeat, neque si decies millies polliceatur se esse paratum ad omnia, quæ ad pęnitentes attinent.* Quod ita factum intellige, quòd ficti essent hæretici, nec seriò pœniterent. Vide ipsum Photium, & quæ de ipsis diximus in Concil. Ephes. classe 2. sed quid vetat id etiam intelligere de restitutione ad gradus, & officia, non autem de remissione peccati in foro interiori?

Concilium Romanum sub Cęlestino contra Nestorium, anno 430.

Hujus Concilii habita causa hæc est: Scripserat Nestorius ad Cœlestinum Pontificem epistol. de Pelagianis Episcopis, qui ob hęresim Pelagianam suis Episcopatibus privati, Constantinopolim ad Theodosium confugerant, de injuria sibi illata conquesturi. Atque ut Cœlestium in suas partes callidè pertrahere posset, semine suę impietatis totam illam epistolam replet, quasi hæreticos illos correxisset, ac S. Mariam *Theotocon*, non *Christotocon* appellandam esse docuisset. Suos hac de re scriptos commentarios addidit, eosque cum litteris per Antiochenum virum illustrem transmisit. Eodem tempore Possidonius Diaconus cum litteris Cyrilli, & commentariis, quibus Nestorii impietas confutabatur, supervenit, expectans, quid de Nestorio excommunicando Pontifex sentiret. His itáque litteris acceptis, Cœlestinus, congregata Synodo, Nestorii hæresim, nemine refragante, condemnavit; ipsique Nestorio decem dierum spatium ad resipiscendum per litteras ad eum missas pręscripsit: demum, nisi resipiscat, anathema comminatus.

Scri-

Scripta quoque epist. ad Cyrillum de rebus in hac Synodo gestis, qua suas illi vices committens, mandat, ut nisi Nestorius intra decem dierum intervallum tàm verbi prædicatione ad populum, quàm scriptis, palinodiam recantet, anathemate illum feriat, aliumque Episcopum Constantinopolitanæ Sedi præficiat. Vide Concil. Ephesinum 2. classe. A

Porro quod hìc vides Nestorium agere partes Pelagianorum, causa est, quod Nestoriana, & Pelagiana hæresis simul conspirarent, & quod petulanter jactabat Pelagius de corpore, ac membris Christi, unumquemque pro merito voluntatis Spiritum sanctum appellare, & repellere, Nestorius affirmabat de ipso capite Christo, qui ex Maria editus ob naturalis voluntatis dignitatem verbum habeat concomitans, unde illi ratio filiationis. Adeundus Photius in Biblioth. num. 54.

CONCILIUM ALEXANDRINUM in causa Nestorii, anno 430.

Epist. ad Nestorium quæ incipit cum Salvator,&c.

CYrillus acceptis Cœlestini litteris, quibus delegatam in causa Nestorii potestatem acceperat, statim coegit Synodum, in qua quatuor Legati decernuntur hi: Theopentus, & Daniel Episcopi, Potamon, atque Macarius Ecclesiæ Alexandrinæ ministri. Hos cum litteris Romani Pontificis ad Nestorium ablegavit, præscripturos ei decem dierum spatium ad hæresim suam abjurandam. Addidit quasdam epistolas Synodales, quarum una cum duodecim anathematismis ad Nestorium delata est: reliquæ ad Clerum Constantinopolitanum, & Patres Monasteriorum scriptæ fuerunt.

Illa porro epistola cum 12. anathematismis incipit, *cum Salvator noster directè pronuntiet*, &c. est magni momenti ad cognoscendum diversos errores Nestorii, fuitque recepta in Concilio Ephesino, ut testatur Gelasius Cizitenus: idcirco illam inseruimus in Concilio Ephesino inter Epistolas cum aliquot annotationibus, maximè propter errorem Græcorum de processione Spiritus sancti. Deprehenditur siquidem exinde additionem ad Symbolum, *filioque*, non esse contra intentionem Patrum Concilii Ephesini.

Legati Constantinopolim profecti, die Dominica, dum Synaxis in Basilica haberetur, acceptas litteras, & anathematismos Nestorio obtulerunt: quibus ille cum se in crastinum responsurum pollicitus esset, toto biduo delusit; tandem nec respondere quidquam dignatus est. In perversis dogmatibus docendis perseverans pro more hæreticorum ad declinandum judicium Ecclesiasticum, & ad eludendam sententiam in se prolatam, Theodosium Imperatorem adversus Cyrillum, velut dirum persecutorem, movet: anathematismos Cyrilli ad Joannem Antiochenum, aliosque sibi amicitia conjunctos Episcopos Syriæ missos, cavillatur, & de Apollinaristarum hæresi suspectos in crimen adducit; eo sanè consilio, ut sententiæ contra se latæ executionem effugeret, & Romani Pontificis decretum eluderet. Arbitrabatur enim nequaquam fieri debere, ut sententia contra hæreticum prolata, illi exequenda committeretur, qua ipse de hæresi accusatus esset. Theodosius Imperator hanc ob causam arbitratus, quod ad has turbas componendas opus esset Universali Concilio, de illo in annum sequentem Ephesi celebrando apud Cœlestinum Pontificem egit. Vide Baronium anno 430. num. 50. & sequentibus.

Nestorius adversus Cyrillum.

CONCILIUM EPHESINUM generale 3. habetur in 2. classe.

CONCILIUM ANTIOCHENUM in quo Joannes Antiochenus Patriarcha Nestorium condemnat, anno Christi 432.

THeodosius Imperator ad tollenda Ecclesiæ dissidia, inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum pacem iniri sub gravibus pœnis mandabat, ut dictum est in historia Concilii Ephesini classe 2. cumque nullum pacis modum videret Joannes, nisi in fide, & doctrina cum Cyrillo conveniret, B synodum hanc habuit, in qua confessionem fidei Catholicam, & Nestorio oppositam edidit. Quam ad se missam Cyrillus cum suscepisset, non aliter acquievit, ut patet ex ejus epistola 38. ad Dynatum, quam Joannes Antiochenus illi subscripsisset, sociique ejus Episcopi Nestorii dogmata manifestius anathematizassent, confessique essent, illum se pro deposito habere, & Ordinationi Maximiani Episcopi Constantinopolitani consensissent. Et quamquam cunctationem Aristolaus molestè ferret, tamen conditionibus requisitis obtemperatum fuit. Joannes Antiochenæ subscripsit, ejusque collegæ expressè Nestorii dogma anathematizarunt, Nestorii depositionem, & Maximiani surrogationem approbarunt, ac tandem petitam communionem impetrarunt. Ita arbitrio Cyrilli cuncta C adversus Nestorium gesta, feliciter transacta fuerunt. De hac epistola Cyrilli 38. ad Dynatum Baronius anno 432. sed & de hoc Concilio actum est 2. classe in historia Concil. Ephesini, ac extant epistolæ ad hanc synodum spectantes in actis Peltanis to. 5. quæ acta minimè esse Gelasii Ciziceni putamus, re melius expensa.

CONCILIUM ROMANUM à Sixto Pontifice ad sui expurgationem indictum, & congregatum, anno 433.

COncilium hoc celebratum est Romæ mense Decembri anno Domini 433. qui est secundus à creatione Sixti Pontificis. Causa habiti Concilii hæc fuit: Sixtus Papa criminatus fuit à quodam Basso de stupro virgini Deo consecratæ illato. Facto igitur conventu, D cum magna examinatione per judicium Synodicum purgatus præfatus summus Pontifex à quinquaginta sex Episcopis. Et condemnatur Bassus à Synodo, ita tamen, ut ultimo die Viaticum ei non negetur, propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus cum matre sua Placidia Augusta furore sancto commoti proscriptione Bassum condemnarunt, & omnia prædia facultatum ejus Ecclesiæ Catholicæ sociarunt. Qui Bassus intra tres menses moritur: cujus corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus suis tractans recondidit, & sepelivit ad D. Petrum Apostolum in cubiculo parentum ejus.

Acta Concilii nimia antiquitate corrupta, atque undique depravata extant apud Binium.

E

CONCILIUM ARMENIÆ, in quo libri Nestorianorum sunt condemnati, anno 434.

CUm Theodosius Imperator libros Nestorii publica sanctione edita condemnasset, ideo quod ex scriptis Nestorii in Orientali Ecclesia controversiæ, & tumultus agitarentur, Nestoriani ad fontem, unde suum venenum hauserant, revertentes, libros Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis legendos exposuerunt, atque in Syriorum, Armenorum, & Persarum linguam translatos velut Catholicos, duas natu-

Libri Theodori Mopsuesteni.

naturas in Christo contra Eunomium, & Apollinarem confitentes divulgarunt. Qua re cognita, Episcopi Armeniæ in Synodum convenerunt, inventosque libros impietate plenos condemnarunt. Quos ne soli condemnasse viderentur, per Legationem missam ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum sententiæ suæ confirmationem petiverunt. Proclus, re examinata cum Armenis, non tantùm ipse consensit; verum etiam per Joannem Antiochenum, aliosque Episcopos, qui cum ipso congregati erant, eamdem sententiam subscribi curavit. Hæc ex Liberati Breviario cap. 10.

Justa sanè damnatio, si enim vivus sermo hæretici, qui ut cancer serpit, Christiano devitandus est, quanto magis scriptio, quæ non citò volat, & momento dilabitur, ut verbum ore prolatum, sed perstat veluti perennis quidam fons virulentiæ transmittendæ in infinitos simul mortales, ad quos viva oratio nunquam pertigisset. Nec ullo unquam instrumento hactenus magis hæresis impietas obtinuit, quamquam præstaret multa ignorare absque his libris, quàm scire cum periculo salutis. Plura in hanc rem suppeditat Theophilus Rainaudus in libro de bonis, ac malis libris Erotemate 3. & passim occurrunt in hac summa.

CONCILIUM CONSTANTINOPOL. in causa Primatus Alexandrini sub Præsidio Procli Constantinopolitani Episcopi, anno 439.

CUm Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, Constantinopoli degens, ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ Apocrisarium ageret, veterem controversiam de jure Diœceseos, & primatus exsuscitans, ad Alexandrinum Episcopum pertinere instabat, omnibus Orientis Ecclesiis præsidere, utpote quod in Ecclesia Catholica post Romanum Pontificem, Alexandrinus primatum obtineret. Cui cum Episcopus Antiochenus potissimum contradiceret, ideo, quod distinctio, & divisio Diœcesium authoritate Apostolica semel ordinata Nicæni, aliorumque Conciliorum Canonibus confirmata esset, congregata hanc ob causam Synodo, post diligentem causæ discussionem, fratres unanimi consensu definierunt, ut quæ in Nicæno, aliisque Conciliis hac re olim constituta fuissent, rata, ac firma manerent. Pro juribus Antiochenæ Ecclesiæ Theodoretus Cyri Episcopus acerrimus defensor insurrexit. Unde factum, quod (sicut ipse testatur) Dioscorus in hoc tempore cum gravi, & diuturno odio ipsum prosecutus fuerit. Hæc ex epist. 86. Theodoreti Baronius anno 439. num. 42. & 43.

Concilium Rhegiense, vel potius Rigense, aut Regenense, in Gallia Narbonensi habitum tempore Sixti III. Papæ ab Episcopis tredecim, Æra 472. anno Domini 439. Riez.

TITULI CANONUM CONCILII Rhegiensis.

1. *Ut perversi ordinatores nullis denuo ordinationibus intersint.*
2. *Ut à duobus Episcopis ordinatus aliquando Episcopus possit non esse.*
3. *De hæreticis, & schismaticis Episcopis, si ad catholicam fidem venerint, quid observari debeat.*
4. *Ut Episcopus & benedicat, & confirmet neophytum.*
5. *Ut Episcopus cum sepelierit Episcopum habeat curam Ecclesiæ ipsius.*
6. *Ut absque Metropolitani literis, & consensu nullus accedat ad destitutam Ecclesiam Episcopo.*

CANONES, ET CAPITULA Rhegiensis Concilii.

De mulcta duorum, qui ordinationem præsumpserunt.

ITaque eos, qui tàm incondita, ac tàm instabilia usurpaverant, placuit misericordiæ, & charitatis occursu, ita in communionem, dilectionemque recipi, ut scirent secundum recentem, & saluberrimam Taurinatis synodi definitionem, ad perpetuam vitæ istius suffusionem nullis se de cætero ordinationibus, nullis ordinariis futuros interesse conciliis, quia nihil salubre ab illis statuendum expectaretur, qui tantæ corruptionis detestanda exempla præbuerant Ebredunensi Ecclesiæ, cui ante omnia maturè visum est consulendum (quia quatuor, & biennio mensibus sacerdote legitimo destituta hoc graviùs ægrotaverat) quod clerus innocens disciplinæ, ut probatum est, memor, quorundam laicorum insolentia, ac varia perturbatione vexatus, etiam in sacerdotibus, ac ministris minas, ac jurgia, & vim acerbissimam periculosè perniciosa nuper cæde pertulerat, nec poterat differri bonorum, ac disciplinæ mœror, ne vel expectatione videretur contumacium, & inquietorum vota palpare, quorum conspirationes iniquæ, machinationesque, & in præteritum, quantum deprehendi possint, animadversione Ecclesiastica puniendæ, & in futurum mancipandæ erant supplicio. Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque vacandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprovincialium literis, metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est. ca. 2 Taurinat. conci

2. *De remotione ejus, quem ordinare perperam duo præsumpserunt.*

Itemque voluntate Domini placuit, remoto hoc, qui perperam assumptus erat Episcopus, fieri omnino fratrum constitutionem, Ecclesiastica traditione servata. Verùm quia hæc sancta synodus non disciplinam tantùm, sed & misericordiam gestit, cùmque occurrerit, quod se Armentarius diebus proximis eidem Ecclesiæ multa assentatorum insolentia retulisset, occurrebat tamen quod ante admonitionem discessisset, quod à nonnullis sacerdotibus in hoc ipsum confirmatus, se etiam privatæ domui reddidisset, quod epistolas ad clerum ipsum emiserat, quibus Episcopatum, quem se ineptum agnoscebat, appetere, renunciaverat, eradi nomen suum petens, & hoc est ipsum, quod instabiliter in se præsumptum erat, jam tunc inordinatum, & irritum futurum protestatum esse confirmans: in illam potius partem declinata sententia est, ut juveni educato in timore Domini plus suffragaretur, quòd in actu vitiosissimo interdum sana sensisset, quàm quod juvenilibus titillationibus aliqua in parte cessisset. Itaque prætermissis his, quæ in ingressu ipsius eum absque ullius excusationis effugio, culpæ associatum asseverant, velut innocentem eumdem præterire Sacerdotes Domini, qui huic concilio aderant, damnatione vacuum maluerunt.

3. *De indulto eidem peregrini, vel Chorepiscopi nomine.*

Quod ergo in quibusdam schismaticis magis, quàm hæreticis recipiendis Nicænum concilium statuit à singulis per territoria sua, hoc etiam præsens conventus in hoc statuit ab omnibus servari debere, id est, ut cuicunque de fratribus tale aliquid charitatis concilia dictaverint, liceat ei in unam parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua aut chorepiscopi nomine, ut idem canon loquitur, aut peregrina (ut ajunt) communione foveatur. Primùm itaque statuitur, ut ob Nicæn. Conc.

hoc in qualibet provincia, præterquam in Alpina maritima liceat, quam si in aliqua parte accesserit, ut malorum incitator, & quietis impatiens, damnationi, quam in se provocaverat, subjacebit. Sed & si quis, eidem quicquam ex his, quæ statuta sunt, transgredienti communicaverit, à communione omnium fiat alienus. Deinde ut quolibet in loco, præterquàm in publico gererentur, ne quisquam ei locus decernatur, quem curiæ, & civitatis species, aut ordo nobilitat. Additur, ne unquam in civitatibus, nisi sub Episcoporum absentia offerre præsumat, nec ordinare vel ultimum clericum, ne in eadem quidem Ecclesia, quæ illi cujuscunque misericordia fuerit attributa, nec ulli Episcoporum vel succedente ætate assumpto aliquo, in rudimentis suis huic in aliquo quasi pro ætatis reverentia cedere liceat, nec usquam ipsi quicquam de episcopalibus officiis usurpare, preterquam in Ecclesia, quam cujusquam misericordia fuerit indeptus, in qua ei solùm neophytos confirmare, & ante presbyteros offerre conceditur. Quod si unquam aliter aliquis charitate alterius provocatus, de habitationis commutatione variaverit, non aliter in alia Ecclesia requiem accipiat, quàm in priori habuit, cui renuntiaverat. Nec omnino unquam gubernationem obtineat, cui etiam in ea, quæ ipsi conceditur, ministros à civitatis Episcopo necesse est ordinari. Sanè quia ministrorum mentio facta est, & nonnulli ab ipso inventi excommunicati, temerè in clero dicuntur provecti, statutum est, eos, qui ita assumpti sunt, deponendos. Quibus autem nulla macula conversationis præjudicarit, prout Ebredunensi sacerdoti constituendo visum est, aut in Ecclesiæ suæ ministerio tenendos, aut ad ipsum, quocumque habitasset, transferendos, plebique, quam acceperit ex constitutionis hujus permissu, benedicere, &, ut suprà definitum est, in una, eademque Ecclesia neophytos confirmare in castellis, ac vicis totum illi ante presbyteros, sicubi venerit, liceat, quod in civitatibus omnino præscribitur.

Indeptus.

4. *Ut presbyteri privatim fidelibus desiderantibus benedicant.*

Et inter minutas has discussiones, & indefinitas, visum est omni presbytero per familias, per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium habere facultatem benedictiones aperire, quod nonnullas jam provincias habere occurrit. Hinc autem etiam in Ecclesiarum plebibus, per loca tamen magis, quàm per urbes, hoc idem visum est esse tribuendum. In Ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum jus habebit. Et per omnia, ut sit multæ indulgentiæ testimonium, semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat. Mandatis, votisque omnium sanctorum prosequentibus vivat in timore Domini, & Episcopum suum colat, Deo serviat, Synodi circa se benevolentiæ gratias agat, semperque indignum se indultis etiam negatis imparem esse fateatur.

5. *De ordinanda Ecclesia defuncto Episcopo.*

In commune autem omnes, qui convenerant Sacerdotes, sibimetipsis contra hujusmodi scandala præcavendum censuerunt. Itaque propter ejusmodi temeritatem stabili definitione consultum est, ut de cætero observaretur, ne quis ad eam Ecclesiam, quæ Episcopum perdidisset, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exequiarum tempore accederet, qui tamen statim Ecclesiæ ipsius curam districtissimè gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus clericorum subversione liceret. Itaque cum tale aliquid accidit, vicinis vicinarum Ecclesiarum inspectio, descriptio, recensioque rerum mandatur.

6. *Ne quis ad ordinationem veniat, nisi Metropolitani litteris invitatus.*

Hæc autem omnia exequiarum tempore usque ad septimam defuncti agat diem. Exinde Ecclesiæ referens mandatum Metropolitani, simul cum omnibus sanctis Episcopis sepeliatur. Nec quisquam ad Ecclesiam, quæ summum amiserat Sacerdotem, nisi Metropolitani litteris invitatus (ne à plebe decipiatur) accedat, & vim pati voluisse videatur.

ALIUS TITULUS, ET CANON ex vetusto codice Gemblacensi. 7. De conventu annuo.

Hæc, quæ communi consensu de voluntate Domini servanda sunt, neque, quod absit, sine offensa Dei, ac omnium à quoquam transgredienda definierunt ita dicentes, ut secundum antiquam consuetudinem (si qui ex tempore ruerint) bis in anno conventus agant, ac certè inter quaslibet anxietates neglectis propriis, & domesticis necessitatibus, gratias simul Deo agentes, quicquid in Spiritu considerant consurgentes, solum Ecclesiæ remedium, remota ultionis prurigine, atque omni animositate quærant. Subscripsit Hilarius Arelatensis cum aliis Episcopis. Unde potius in Gallia, quàm apud Reginum in Italia, ut quidam falsò putant, habitum est hoc Concilium.

Concilium Arausicanum primum sub Leone Papa I. & tempore Theodosii junioris, & Cyri consulum, sexto idus Novembris, in Ecclesia Justinianensi, præside Hilario Arelatensi, anno Domini 441.

Aurenge.

Arausio, seu Arausiensis civitas Narbonensis est Galliæ, nunc Anaponensium principum ditioni subjacens. Plin. lib. 3. cap. 4. In mediterraneo colonia Secundorum dicta, quòd è secunda legione milites coloni eò deducti sint. Ejus meminit Ptolom. lib. 2. cap. 10. & Strabo lib. 4. Vulgo dicitur *Aurenge*.

TITULI CANONUM ARAUSICENSIS Concilii sequentis.

1 *Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur.*
2 *De hæreticis, si in mortis discrimine convertantur.*
3 *De pœnitentibus, qui de corpore exeunt.*
4 *De Clericis pœnitentiam volentibus.*
5 *De his, qui ad Ecclesiam confugiunt, ne tradantur.*
6 *Nullus pro suis mancipiis, qui ad Ecclesiam confugiunt, clericorum mancipia occupet.*
7 *De libertis, qui in Ecclesia commendati sunt, ne opprimantur.*
8 *De his, qui clericum alienum ordinare præsumunt.*
9 *De his, qui cives alienos ordinaverint.*
10 *De Episcopis, qui in possessione, & in aliena Diœcesi Basilicam construxerunt.*
11 *De Episcopis, qui excommunicatum alterius suscipiunt.*
12 *De his, qui subito obmutescunt, quod & baptismum, & pœnitentiam accipere possunt.*
13 *De his, qui mente desipiunt.*
14 *De energumenis baptizatis.*
15 *Ut energumenis, & Catechumenis de baptismo consulatur.*
16 *Ut energumeni ad clerum non promoveantur.*
17 *Ut in unum propositio Sacramenti consecretur.*
18 *Ut Euangelia Catechumeni non audiant.*
19 *Ut Catechumeni ad baptisteria non accedant.*
20 *Ut catechumeni cum fidelibus benedictionem non accipiant.*
21 *Ut duo Episcopi Episcopum non faciant.*
22 *Ut Clerici conjugati, nisi continentiam profiteantur, diaconi non fiant.*

23 De

23 *De his, qui post acceptum Diaconatum incontinentes inveniuntur.*

24 *De his, qui priusquam ordinarentur, incontinentes inventi sunt.*

25 *De viris probatis, si coniugia duplicaverint.*

26 *De Diaconissis non ordinandis.*

27 *De fœminis, quæ viduitatem professæ sunt coram Episcopo.*

28 *De his, qui professi sunt castitatem, si prævaricati fuerint.*

29 *Ut nullus Episcopus de Concilio sine consensu discedat, aut ad Concilium ire recuset.*

CANONES CONCILII Arausicensis primi.

De consf. d. 4. Nullus ministror.

NUllus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non ut præjudicans quicquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.

Nota ad istud, *Sacerdos commonebitur*, nempe Sacerdos Episcopus: ad ea verba *non nisi una benedictio est*, quia idem chrisma inservit chrismationi baptismi in vertice, quæ est ex institutione B. Sylvestri apud Amalarium Fortunatum lib. 1. de Offic. Eccles. c. 27. & chrismationi confirmationis. Ad istud *non ut præjudicans quidquam dico*, idest, si chrismatio in vertice desit, nullum inde salutis periculum, *sed ut necessaria videatur chrismatio* in fronte; quasi non tàm necessaria haberetur chrismatio frontalis, cùm verticalis non defuisset, vide infrà.

2. Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.

26. qu. 6. Qui rece.

3. Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

4. Pœnitentiam desiderantibus etiam clericis non negandam.

d. 87. Eos, qui ad ec.

5. Eos, qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportere, sed loci sancti reverentia, & intercessione defendi.

6. Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugentibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.

Et in dec. Ivon. lib. 2.

7. In Ecclesia manumissos, & per testamentum Ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem, vel obsequium, vel ad coloniarum conditionem imprimere tentaverit, animadversione Ecclesiastica coercebitur.

8. Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, priùs definiat, ut cum ipso habitet. Nec eum sine consultatione ejus Episcopi, cum quo ante habitavit, ordinare præsumat: quia non sine causa diu ab alio non ordinatus remansit.

9. Si qui autem alienos cives, aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusentur, aut ad se eos revocent, aut ipsi eis impetrent, cum quibus habitent.

10. Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui negocio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro quacunque

A sua opportunitate permissa licentia ædificandi (quia prohibere hoc nefas est) non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodè reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit: reservata verò ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, in cujus civitatis territorio est: vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat. Et omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum (in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexit) pertinebit. Quod si etiam sęcularium quicunque ædificaverit Ecclesiam, & alium magis, quàm eum, in cujus territorio ædificat, invitandum putaverit, tàm ipse, qui contra constitutionem, ac disciplinam gratificare vult, quàm omnes Episcopi, qui ad hujusmodi dedicationem invitantur, à conventu abstinebunt. Si quis excesserit, in reatum

B devocabitur. Si quis excesserit, ordinem recognoscat canonicum.

11. Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujusquam, sine reconciliatione ejus, qui eum excommunicavit, ei communicare præsumpserit, ut integra omnia (si reconciliatio intercesserit) de injustitia, vel iniquitate excommunicationis proxima Synodo reserventur. *7. q. 6. reced.*

12. Subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. *Carth. can. 7*

13. Amentibus quæcunque sunt pietatis conferenda sunt.

14. Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua

C curent, & se sollicitudini clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodè communicent Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum iam ostenditur vita purgatior.

15. Energumenis Catechumenis in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum.

16. Energumeni non solùm non assumendi sunt ad ullum ordinem clericatus, sed & illi, qui ordinati jam sunt, ab imposito officio sunt repellendi.

17. Admixtionem Eucharistiæ simul consecrandam censuimus.

18. Placuit catechumenis non legi Euangelium in Ecclesia.

19. Ad baptisterium catechumeni numquam admit-

D tendi.

20. Segregandi, informandique sunt catechumeni, ut se revocent, & signandos, vel benedicendos semotim offerant eos fideles.

21. Duo si præsumpserint ordinare Episcopum in vestris provinciis, placuit de præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos Episcopos invitum Episcopum facere authoribus damnatis, unius eorum Ecclesię ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet, & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duorum fecerint, & ipse damnabitur, quo cautius ea, quæ sunt antiquitus instituta, serventur. *d. 64. de jectione ambitio Et in Ivonis l*

22. Sedit præterea, ut deinceps non ordinentur diacones conjugati, nisi qui prius conversionis proposito confessi fuerint castitatem.

E 23. Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.

24. De his autem, qui priusquam ordinati fuerint, in hoc ipsum inciderint, Taurinatis synodi sequendam esse sententiam, qua jubentur non ulterius promoveri. *Cap. 7. ult. Ut colligit, Taurin ten. sy dum ha præcess*

25. De idoneis autem, probatisque viris, quos clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggerit, si forte inciderint in duplicata matrimonia, ut non ultra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates.

26. Diaconissæ omnimodè non ordinandæ. Si quæ jam sunt benedictioni, quæ populo impenditur

27.q.1. Viduitatis. ditur, capita submittant.

27. Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, impositam à presbytero veste viduali, non esse violandam. Raptorem verò talium, vel ipsam talis professionis desertricem, meritò esse damnandam.

28. Hi verò, qui sunt desertores professæ castitatis, prævaricatores habendi, & his omnibus per pœnitentiam legitimam consulendum.

29. Hæc, quæ subscripsimus cum eorum quoque concordia, qui cōsensus dederunt; rata deinceps inter nos, ac nostros haberi volumus, & habenda sancimus, non prætereuntes eos, qui synodo aut per se, aut per consensus suos, vel ad vicem sublegatos destinando esse detrectant, ut, quid sibi de illis placeat, qui Patrum statuta despiciunt, innotescat, non quod nobis temporum qualitate difficile sit ad sanctam synodum convenire, adjicientes, quod si similibus deinceps paginis pro salubritate ecclesiastica, ac remediis congregare conventus voluerimus, constituamus, ut nullus conventus sine alterius conventus denunciatione solvatur. Itaque sequenti anno, si, Domino, ac Deo nostro Jesu Christo permittente, conceditur, die decimoquinto Calendas Novembris, in Arausico territorio conventum habeamus. Qui ideo tanto prius ante denuntiatur, ut tàm excusationis libertas, quàm invitationis necessitas non sit. De die enim, ac loco per ipsos non commonebimur, singuli nobiscum exemplaribus ea, quæ per nos sunt constituta, referentes, reliquos, qui defuerunt, beatissimi fratris nostri Hilarii sollicitudini relinquamus, datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos. Si post omnia occurrerit imbecillitas fragilitatis humanæ, ut si quis Episcopus per infirmitatem, debilitatemve aliquam, aut hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea, quæ non nisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat: sed evocet Episcopum, cui hoc, quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.

De negatione addita 1. Canoni controversia inter Sirmundum, & Aurelium.

Circa primum Canonem hujus Concilii non levis orta est controversia, ex eo quod Petrus Sirmundus in Conciliis Gallicis sub finem hujus Canonis, quem secundum posuit, negationem addidisset juxta aliquot manuscripta, in quibus illam repererat. Animadvertit negationem istam Aurelius, ac arbitratus vergere in detrimentum Sacramenti confirmationis, & Episcopalis authoritatis, scripto edito Sirmundum arguit de falsato Canone, qui, ut erat multæ doctrinæ, & eruditionis, scripto alio negationem rectè à se additam defendit; cui respondit Aurelius scripto alio, unde non pauci libelli sibi invicem adversantes pro hac negatione prodierunt, qui videri possunt inter opera Aurelii cleri stipendiis in lucem edita, quod Episcoporum authoritatem non crassa Minerva in iis tueretur. Jam ante hanc controversiam inter duos pugiles exercitatissimos sententiam suam protulerat de istis correctionibus Canonum, ex manuscriptis nunquam visis in hunc modum, in monitione, quam ad calcem Synodi Gangrensis commentariis non contemnendis à se illustratæ, Joannes Quintinus juris Canonici Professor in Facultate Parisiensi. Nec ignotos ullos produco nondum visos, non auditos, in Bibliothecis, ut in quibusdam Bibliotaphiis, hactenus conditos authores. Res ista suspicionis est plenissima. Leges enim testibus, non testimoniis credi volunt. Quis non se libros, manu tantùm scriptos, publicis haud excussos typis, hominum manu nequaquam tritos jactitare possit habere? mare profluit hinc annotationum, correctionum, castigationum, dispunctionum, denique novorum intellectuum: quod utinam prophanis, & humanis tantùm, non etiam divinis exundasset in rebus. Con-

[Joannis Quintini dictum de manuscriptis.]

A cors nostra pacis, & unionis religio multo pacatissima, & conjunctissima foret, in tàm diversas modo propter hu jusmodi annotatores dilacerata partes:

Sed ex Anæretico Aurelii, in quo Antirrethicum, (nomen est libri) à Sirmundo editum pro defensione negationis, inserto ipsius textu refellit, melius controversia parebit, exinde aliqua carptim collecta subjicimus.

Sirmundus in epistola. Nos optima, & antiqua exemplaria secuti sic edidimus. *Nullum ministrorum, qui baptizandi recipit officium, &c. non ut præjudicans quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.*

Hic tu sine reprehensione cætera præteriens, postremis verbis censoriam notam inuris. Alii, inquis, eadem B penè omnia retinent, nisi quod postremam clausulam addita negatione ita legunt. *Sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio:* Sic antiqua editio Coloniensis, quam nescio cur P. Sirmundus sine causa sequi maluerit, contra P. Frontonem Ducæum, qui exploratis vetustissimis manuscriptis ultimæ illi parti negationem non addidit. Tota ergo inter nos de tribus litteralis est disceptatio, in qua duo accusationis tuæ sunt capita: sine causa enim, & contra P. Frontonem adjectam negationem criminaris. *De tribus litteris contentio.*

Aurelius. Clarè demonstravi ex serie ipsa scriptionis meæ, nullam mihi propositam fuisse reprehensionem adjectæ à te negationis Canoni Arausicano, nec de Canonis omnino editione, aut sententia laborasse, sed miratum esse dumtaxat, quod tu novitatem intu-C lisses Canoni cæteris collectoribus inauditam, nec causæ tamen quicquam subjecisses, cur id tibi faciendum statuisses. Hanc meam mentem, hoc meum consilium ex tota disputatione mea emicans laborare debuisti, ut perspiceres; vel si de eo laborare nolueris, abstinere debuisti animum à querela, & criminatione mea, ne id me reprehendisse arguerere, quod verè non reprehendissem, & id accusares, quod nescires. Non nisi temerè ad hanc adversum me contentionem provolare potuisti.

Sirmundus. Hoc à te reprehensum liquet, quod sine causa, & contra P. Frontonem Canoni negationem intulerim. In quo quidem, quod sine causa interpretaris sine veterum librorum testimonio, quos ad Canonem D illum non laudarim, quamquam ridicula, & futilis est declinatio, eam non respuo.

Aurelius. Ego sine causa à te insitam Canoni negationem dixi. Hoc est sine argumento, ac ratione ulla, imo sine ulla penitus ejus rei in notis tuis mentione plena est hoc sensu oratio mea, quam ita denique conclusi. Quis tibi concedat, ut quod universi tandiu susceperunt, tuo arbitrio sine causa, sine ratione regia potestate quadam proscribas, & eruditorum omnium judicia tuo submittas? hæc mea fuit interpretatio, & reprehensio, Sirmunde, justa, solida, aperta, quam tu ridicula illa, & futili declinatione, quam mihi superbè tribuis, evadere voluisti. Non enim veterum dumtaxat librorum authoritatem desideravi, sed vel illam, vel rationem omnino tolerabilem aliquam, vel denique aliquam saltem in notis E tuis, in quibus alia multa minutiora commemorasti, mentionem. Non enim tàm fui absonus, ut manuscriptorum authoritatem putarim solam idoneam causam emendandi Canones, aut vitiatas scripturas, cum vel sine manuscriptorum ope Canonis Arausicani editionem adversus te manuscriptis, ut videri vis, succinctum tuerer. Longè enim firmiora novi testimonia, quibus germanas, & spurias scriptorum Ecclesiasticorum lectiones internoscamus, quam manuscriptorum codicum fidem, qui tùm demum valent, cum alia præsidia desunt, quibus illi præponantur. Gravior multo est in primis majorum traditio, perpetua doctrina, & authoritas Ecclesiæ, quibus si codices manuscripti tantillum obstrepere videantur, longè aspernandi judicantur à sanis hominibus, quantumlibet nume- *Manuscripta.*

numerum, vel consensum exhibeant, &c.

Sirmundus. Quod si à me vetera stant exemplaria, quorsum vulgatas editiones velut oppositam ex adverso aciem intentas? an nescis istorum inter se quàm dispar sit conditio? vulgatosque libros ex manuscriptis natos, authoritatem ab iisdem petere, non scriptos ex vulgatis?

Manuscr. quæ authoritas.

Aurelius. Non solùm editiones vulgatas opposui manuscriptis tuis, ut malè simulas, sed manuscriptos codices, unde tùm vulgatæ omnes editiones, tùm multo ante illas universi Canonum collectores Canonem Arausicanum sine negatione deprompsissent, quatuor manuscriptis, quibus negationis adjectamentum in tua epistola tuebare, &c.

Nec tamen vulgatorum codicum authoritatem tàm exiguam tecum puto, ut eam semper manuscriptis inferiorem, & ex illis metiendam assentiar. Quis enim paulò humanior veterum codicum ab indocto fortassis scriba, certè ignoto, scriptorum tantam, ac tàm irrefragabilem authoritatem putet, ut eorum fidei, quos doctissimi homines summa cura ediderint, & recensuerint, semper præponantur? Quis tanto honore notarios ignobiles, tanto dedecore clarissimos, & eruditissimos homines afficiat? fatendum est codicum ab his editorum lectiones manuscriptorum authoritati rectè interdum præponi, si rerum ipsarum genio, & rationi magis consentaneæ, & melioribus argumentis fultæ videantur. Hoc critici, hoc eruditi homines agnoscunt, & reipsa passim probant. Doctissimi Gratiani emendatores planè profitentur se vulgatorum codicum lectiones non rarò prætulisse ipsis, ut loquuntur, originalibus. *Ex ipso*, inquiunt, *Originali emendavimus, nisi sicubi vulgata lectio visa est melior. Nam tunc illa retenta notatum est, quomodo originale ipsum habeat.* Et Criticorum decus prudentissimus Lipsius in præfatiuncula ad veterem scriptorem castigandum. *Præterea*, inquit, *veteres editiones inspeximus, quas hìc, & in aliis scriptoribus nihilo deteriores invenimus manuscriptis*. Nec mirum, cum veteres editiones ex manuscriptis propius sint expressæ, adeoque manuscriptorum quodammodo vicem obtineant. Tu ipse non uno loco idem agnosti, tùm alibi, tùm in primis ad illum Canonem Concilii Aurelianensis V. in quo editionem vulgatam, quæ regis voluntatem ad Episcopi ordinationem exigit, retinuisti, repugnantibus quinque manuscriptis codicibus à teipso, & Frontone citatis, qui eam omnes expungunt, ut priori mea responsione tibi objectum est., licèt tu egregiè dissimularis. Tu ergo, quacunque ex parte opponis aciem tuam nudam, & imbellem, nec telis solùm nostris, sed tuis quoque confractam, &c.

In præfatione emendatorum Gratiani. In præfat. ad Valer. Maxim.

Sirmundus. Contra manuscriptos, inquis? ergo negationem habuit Isidorus? habuit, inquam, Aureli. Hoc est enim, quod te præter spem auditurum prænuntiaram, Isidorum ipsum, cujus collectionem priore suo tomo edidit Merlinus, ipsius, inquam, Isidori vetera exemplaria negationem in Canone Arausicano præferre, quam impugnas. Si fidem apud te non mereor, Isidori codicibus non negabis, quorum unum in Bibliotheca S. Victoris videre licebit, alterum in Thuana. Tertium Laudunensem tibi amicus ille suggeret, qui nuper Reginonem commodavit: Bellovacensem, & alios non commemoro, ne te longius amandatum conquerare.

Pluter. 6. d ff. 1. num. 113.

Aurelius. Ergone præter spem quicquam à te audio, quem jamdudum vanissimè fabulantem nihil allaturum esse perspexi præter fabulas inanissimas, & vigilantis animi somnia? dic tandem, sodes, censesne probi esse critici statuere ex tribus codicibus, si maximè tibi concedantur tres isti, quos commemoras, quæ vera, & germana sit authoris cujuspiam lectio? censesne omnem editionem, cui tres codices faveant, probam; à qua dissentiant, vitiosam, & adulterinam esse, & qui hanc primus emiserit, perfidiæ, vel incuriæ reum? imo verò censesne ex tribus codicibus certo pronun-

A tiandum esse, quid in cæteris omnibus codicibus scriptum sit? quid tibi vis cum ineptissimorum argumentorum umbris, quibus nihil nisi Criticorum, sanorumque omnium risus assequi potes? quæ tandem lectio certa erit, ac firma, si trium codicum consensus labefactandæ illi sufficiat? quàm facilis est trium codicum aberratio, cum multo plures in rebus etiam certissimis passim aberrasse constet? cur legitimè ratiocinaris, libros, quibus Merlinus usus est, negationem habuisse, quam ille compresserit, quia tres Isidori codices inveneris, qui eam habeant, quasi trium illorum testimonio efficere possis, nullos usquam esse, aut fuisse negationis expertes, quorum è numero illi fuerint, quod ad editionem suam adornandam sibi ab Archie-

Mer... Doct...

B piscopo Senonensi, & Episcopo Parisiensi præbitos esse testatur Merlinus. Præcipuè cum tu eos non videris, adeoque de non visis ridiculè pronuntiare, & eum, qui illos vidit, mira tua temeritate, & cæcitate coargui posse absurdissimè putes, &c. Audi modò de libris tuis. Thuanum in primis, & Laudunensem tibi eripimus, quos indignè simulas Isidori collectionem exhibere, à qua longè dissentiunt. Nam nec priores illas veterum Romanorum Pontificum habent epistolas, quas constat Isidori collectioni præfixas esse, & ab eo primum congestas, & planè discrepant à Merlini editione, &c. tot temeritatis tuæ argumenta merito fidem imminuunt Bellovacensi, & aliis, quos te alibi vidisse ais.

Epist... decre...

Ita reliquus est unus codex Victorinæ Bibliothecæ; quem vide etiam atque etiam num codicem omnium velis statuere normam, & ex eo uno de vera, & nativa

C Isidori scriptura sententiam ferre. Vide, inquam, num quod scriptori nulli contigit, Isidori codices omnes integrè, emendatèque descriptos putes? aut si fateris esse aliquod Isidori exemplar vitiosè scriptum, unde probes unum illud Victorinum rectè scriptum esse? &c. Quibus si adjicias Merlinum Isidori collectionem sine illa negatione ex manuscriptis edidisse, tot congruentissima testimonia facillimè efficient Isidorum nullam negationem Canoni Arausicano admiscuisse; & ita puram, integramque in eo edendo fuisse Merlini fidem, quam tu summa iniquitate, & vincendi libidine primus omnium temerè insimulasti, cujus tamen Theologiæ, & Canonum peritia ita perspecta fuit meritissimo Parisiensium Episcopo, ut eum principem Pœnitentiarium in sua Ecclesia constituerit, & apud ipsum suos Conciliorum codices manuscriptos deposuerit, &c.

D *Sirmundus in epistola*. Verum ego hac sola defensione non utor: ipsa pro me Synodi verba loquuntur, & negationem salva sententia tolli non posse testantur. Relege, sodes, Canonem integrum, & singulas ejus partes expende. Tùm ego fidem tuam obtestabor, æquum ne censeas de Synodi Arausicanæ Patribus tàm leviter suspicari, ut qui chrismationem unicam tot modis toto Canone inculcarant, eosdem placeat in extrema ejus clausula necessariam chrismationem alteram affirmare.

Aurelius. Duplicem in Canone chrismationem planè reperio. Primùm illam, quæ in baptismate jubetur fieri à ministris baptizantibus: Deinde illam, quæ in Confirmatione à Sacerdote, seu Episcopo fieri dicitur. Ex qua utramque per se, & in suo genere unica, fit duplex illa unctio, quæ in clausula Canonis necessaria es-

Chris... multi...

E se concluditur. Quæro ex te, qua sententia poni velis ultimam Canonis clausulam negatione inserta, *Sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio?* Qua de chrismatione sermo est? Si de baptismali, seu verticali, ridiculè iteranda negabitur, cùm illa ipsa chrismatio prius constituenda esset, quàm de iteranda ageretur. Hoc autem Canone primùm decreta reperitur in Ecclesia Gallicana. Superest, ut de chrismatione Episcopali loquatur, & non necessariam habendam dicat repetitam chrismationem, nempe Episcopalem in Confirmatione post Presbyteralem, seu verticalem in baptismo. At hoc quoque sensu adeò absurdum est, ut

minus

minus quàm prior ferendus fit. Si enim ii soli, qui in baptismo chrismari nō potuerunt, ab Episcopo sunt chrismandi, Episcopalis chrismatio baptismalis chrismationis merum est supplementum. Hinc via patet ad pleniorem Canonis expositionem. Primum enim statuendum est, quod diximus, Arausicanos Patres chrismationem baptismalem in Galliis antehac minus notam, minusque, quod constet, usurpatam, hoc Canone primum sancire. Statuunt enim nullum deinceps baptismum sine chrismatis unctione administrandum esse. Unde claret non rectè hinc à te avulsum illud *in baptismate*, cum series ipsa Canonis indicet non generatim edici semel esse chrismandum; sed semel in baptismate chrismari: & significent Patres chrismationem iis verticalem, non Episcopalem permitti. Porro ita præcipiunt ejusmodi chrismationem, ut eam, si quo casu omissa fuerit, suppleri jubeant ante confirmationem Episcopalem. Nempe ne talem confirmet Episcopus, nisi eum ad Presbyterum prius chrismandum miserit. Ipse enim Episcopus ejusmodi chrismationem præbere non potest, *Quia chrismatis ipsius non nisi una benedictio est*. Esset autem duplex, si prius eam, quæ à ministris petenda erat, deinde suam expleret. Hoc sensu istius partis posito, nihil interest legatur, *Nam inter nos*, aut *inter quoslibet*: Est enim vera utraque oratio. Hinc ad Canonis conclusionem proficiscuntur Patres. Jusserant de eo, qui baptizatus à ministris quacumque necessitate, chrismatus non fuerat, in confirmatione moneri Episcopum, ne prius eum confirmet, quàm baptismalem chrismationem à ministro perceperit. Ejus rei rationem afferunt, non quo chrismatis baptismalis omissionem sola necessitate contractam cuiquam obesse, aut chrismationis Episcopalis vim minuere velint, sed ut sine ullo ejusmodi præjudicio, repetita chrismatio, seu chrismatio duplex, necessaria habeatur. Ex quo patet sententiam intercipi, si negationem ultimæ parti adjicias. Nec quemquam moveat loquutio illa, *Non ut præjudicans quicquam dico*, quam tu vocem *dico* sustulisti, cum sine ea sententia deficiat: quia frequentissima est in Conciliis oratio, ut ab uno quopiam Episcopo proposita suo nomine sententia cæterorum assensu probetur. Refellitur eadem opera titulus, quem tuo marte affinxisti, *De non iteranda chrismatis benedictione*, contra omnium codicum, qui antehac à collectoribus inspecti sunt, fidem, qui omnes uno consensu Canonem inscribunt, *Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur*. Certè enim titulus tuus à scopo Canonis aberrat. Confirmatur codicum titulus à Concilio Arelatensi II. seu verius rapsodia, & centone variorum Canonum à te edito, ut patet rapsodiæ istius compilatorem spectasse Canonis sensum, quem nos edidimus. Cæterum isti quoque centoni Arelatensi videris more tuo abstulisse voces illas *in baptismate*, contra vim, scopumque Canonis.

Sirmundus. Quæ sit mea mens de sensu Canonis Arausicani, adeo alii intelligere nequeant ex tua ista responsionis meæ deformatione ignavissima, ut ego ipse vix capiam, aut in ea quicquam meum agnoscam. Qui enim passim in tanta dictorum, argumentorumque meorum inversione, detractione, mutilatione? studuisti nempe cùm in aliis ubique locis, tùm in hoc potissimum primario, & capitali, ut oratio mea, si non ex tuis argumentis, saltem ex tuis fallaciis, & ex indignissimo isto breviandi artificio, insulsa videretur, perplexa, obscura, absona, & imbellem tuam pertinaciam, quam suo robore, & insita sibi veritatis luce aperit, affusa ei à te caligine, & fœditate velaret. Nam pleraque mea prorsus siles: quæ autem refers, ea mutilas, & spolias additarum à me rationum firmamentis, sine quibus capi omnino non possunt; alia rursus ita perstringis uno verbulo, & prætervolas, quasi pluribus ea declarare verearis, quæ tamen sine expositionibus meis absurda, & inania videri necesse est, ut iis, quæ retulisti, majorem injuriam inflixeris, quàm iis, quæ tacuisti. Longum esset sigillatim enarrare tuas fraudes, quibus integras pagellas passim absorpsisti, & in eis præcipua robora orationis meæ: nec id aliter fieri posset, nisi tota illa hìc repræsentata, quam tu, tùm simulando, tùm dissimulando, tùm loquendo, tùm silendo, totam evertisti, & è medio abstulisti, bis falsarius, & canterio, & stylo. Cæterum harum fraudium pleræque à nobis aperientur in procursu responsionis nostræ, & exposita à nobis veritatis germana facies, una cum somniorum tuorum absurditate declarabitur, ne prolixa, & odiosa enumeratione quemquam hoc loco obtundamus, *&c.*

Sed quid plura transcribere necesse est, cum extet hìc Anæreticus Aurelii, in quo insuper hos errores, & hæreses in Theologiam, & fidem Sirmundo improperat.

1. Chrismationem Sacramenti Confirmationis passim in Ecclesia commissam olim Presbyteris fuisse, idque à quibusvis Episcopis.

2. Quosvis Episcopos Chrismationem illam vulgo, & sine necessitate committere potuisse, & commisisse non Presbyteris solùm, sed etiam Diaconis: & hos non Episcopos ministros illius ordinatos fuisse. Nam canon Arausicanus loquitur de omnibus ministris baptizandi officium suscipientibus.

3. Sacramentum Confirmationis non constitisse ex illa Chrismatione, nec in illa à sanctis Patribus positum fuisse.

4. Chrisma adhiberi in Sacramento Confirmationis ex Ecclesiæ instituto, non ex lege Christi.

5. Fuisse olim administratum Sacramentum Confirmationis per Ecclesiam ab Episcopis tempore Concilii Arausicani sine Chrismate.

6. Chrismationem Sacramenti iterari posse, ejusque iterationem non esse noxiam, seu præjudicantem.

7. Ludicrum fore spectaculum, ut Episcopus hominem in baptismo non Chrismatum ad Parochum Confirmandum remittat ante Confirmationem. Hos inquam errores improperat Sirmundo præter alias in criticam, falsitates, & imposturas, ratiocinandi absurditatem, temere dicta, &c. ut libri illi non modò fellea amaritudine tincti, sed penitus imbuti sint, dum ab his stylo fere consimili seniles lacertos juveniliter movens Sirmundus, sicut quondam D. Augustinus senex contra Julianum conatur se defendere. De quibus judicium esto Lectori.

Quidam codices habent ad finem hujus Concilii formam absolutionis, ut sequitur, tanquam ab hoc Concilio institutam, quam minimè prætermittendam censuimus.

Reconciliatio excommunicati.

CUm aliquis excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus, qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc, & inde circunstare debent. Ubi etiam esse debent illi, quibus injuria, vel damnum commissum debet emendari: aut si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si pœnitentiam, juxta quod Canones præcipiunt pro perpetratis sceleribus, suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu ejus dextra in Ecclesiam illum introducat, & ei communionem, & societatem Christianam reddat, & septem psalmos pœnitentiales decantet cum istis precibus Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Salvum fac servum tuum. Deus meus sperantem in te. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Et de Sion tuere eum. Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. A facie inimici. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c.

11. q. Cum aliquis.

Oratio.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio.

Majestatem tuam quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, ejus planctum in gaudium tuæ miserationis converte, scinde delictorum saccum, & indue eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus satietur, ingressusque cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Amen.

Alia Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum altitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum N. & remissionem omnium peccatorum suorum tibi tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi, innova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus, & non habentem fiduciam, nisi in tua magna misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum Amen. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & litteras per Parochiam suam dirigat, ut omnes noverint eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam Episcopis hoc notum faciat. Nullus autem Episcopus alterius Parochianum excommunicare, vel reconciliare præsumat sine consensu, vel conscientia proprii Episcopi.

Item, *Ut sabbato sancto jejunia non solvantur.*

Ut in sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, jejunium ante noctis initium, nisi à parvulis, & infirmis non solvatur, nec in ipsa parasceve, quia cœna Domini, & parasceve, & sabbatum ad illos quadraginta dies respiciunt, vel divina mysteria his duobus diebus celebrantur, Canonibus quippe jubentibus in biduo isto, id est, parasceve, & sabbato Sacramenta penitus non celebrari.

Concilium Vasense secundum, vulgò primum, tempore Leonis Papæ primi, in quo octodecim Episcopi convenerunt, anno Christi 442. *Præside Hilario Arelatensi.*

Vasio in Narbonensi Gallia Vocontiorum est oppidum, de quo Ptolom. lib. 2. cap. 10. Plin. lib. 3. c. 4 Pomp. Mela lib. 2. cap. 3. Scaliger vocat *Vaison* Gallicæ.

TITULI CAPITULORUM HUJUS Concilii Vasensis.

1 *Ut Gallicani Episcopi in Galliis non discutiantur.*
2 *De pœnitentibus subitò mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.*
3 *Ut alterius Episcopi chrisma nullus accipiat, sed tantummodo proprii.*
A 4 *Ut qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.*
5 *Ut qui sententiæ Episcopi sui non acquieverit, recurrat ad Synodum.*
6 *Ut excommunicatus humiliet semetipsum.*
7 *Ut accusatores de levibus causis non audiantur, de criminibus verò discutiantur.*
8 *Ut Episcopus alienum clericum redarguat peccantem.*
9 *Ut qui expositum invenerit, Ecclesiam contestetur.*
10. *Ut qui præter constitutum exposcit, ut homicida habeatur.*

Capitula Concilii Vasensis primi.

Constitutiones sanctæ synodi habitæ in civitate Vasensi apud Urbicum Ecclesiæ catholicæ, temporibus Theodosii junioris, & Dioscori Consulis sub die Iduum Novemb. B

1. Placuit ergo, tractatu habito, Episcopos de Gallicanis provinciis venientes, intra Gallias non discutiendos, sed solum sufficere si nullus communionem eis interdixerit: quia inter circumhabitantes, ac sibi penè invicem notos, non tàm testimonio indigent probi, quàm denotatione, & denunciationibus depravati.

2. Horum, qui, pœnitentia accepta, in bono vitæ cursu, satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam: quia nefas est, eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiantur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset. C

3. Per singula territoria presbyteri, vel ministri ab Episcopis, non (prout libitum fuerit) à vicinioribus, sed à suis propriis, per annos singulos petant chrisma, appropinquante solemnitate Paschali: nec per quemcunque Ecclesiasticum, sed si qua necessitas, aut ministrorum occupatio est, per subdiaconum: quia inhonorum est, inferioribus summa committi. Optimum est autem, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est. Si quid autem obstat, saltem is, cujus officium est sacrarium disponere, & Sacramenta suscipere. D

4. Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi: quia usque ad inanitionem fidei pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi sunt. Unde & quidam Patrum hoc scriptis suis inseruit, congruente sententia, qua ait: *Amico quippiam rapere, furtum est: & Ecclesiam fraudare, sacrilegium.* 13.q obla... Hier. epist. Ne...

5. Si qui Episcopi sui sententiæ non acquiescit, recurat ad synodum. E

6. Ex Epistola sancti Clementis utilia quæque præsenti tempore Ecclesiis necessaria sunt honorificè proferenda, & cum reverentia ab omnibus fidelibus, ac præcipuè clericis recipienda. Ex quibus quod specialiter placuit propter venerandam antiquitatem, statutis præsentibus roboramus, quod supradictus beatus martyr de beatissimi Petri Apostoli constitutione commemorat, dicens: *Quædam autem etiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sint, quæ ipse propter insidias hominum malorum non potest evidentius, & manifestius proloqui. Verbi gratia: Inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter* Ex d... Clem... & d... Si... cus.

ter

ter observare debetis, & voluntati ejus, videlicet, qui Ecclesiæ curam gerit absque commonitione obsecundare, & averti ab eo, cui ipsum sentitis adversum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisque, qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum sibi gratiam reparare, citius festinet reconciliari ei, qui omnibus præest, ut per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis, &c. quæ in consequentibus denotant amicos eorum, qui veritati inimici sunt. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, sed & populus fidelium ad culpam sibi adscribendum, si quis in hoc vitium majorum confortator, & disciplinæ subversor cognoscitur.

7. Placuit præterea accusandi licentiam in vestris ordinibus, si qua existat levitate comprimere. Quod si Episcopus aliquem judicat abstinendum pro humiliatione, & correctione fratris, & assurgitur exorari à cæteris, acquiescat fratri, de quo agitur, correptione, & communicatione adhibita. Sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum, accusatoris vice discutiendum se sciat. Fas est enim, ut quæ uni probantur, probentur ab omnibus.

2. Si ... m. 8. Quod si tantum episcopus alieni sceleris se conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret. Quod si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicè ingesserit, etiamsi Episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probatione deficiat, indemnatus licèt ab his, qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona majoris authoritatis jubeatur, illo, quamdiu probari nihil potest in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permanente.

9. De expositis (quia conclamatur ab omnibus) querela processit, eos non misericordiæ jam, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu (quamvis inflexa præceptis misericordiæ mens humana detrectet) id servandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum, piissimorumque Augustorum, & Principum quisquis expositum colligit, Ecclesiam contestetur, contestationem colligat, nihilominus de altario Dominico die minister annunciet, ut Ecclesia sciat expositum esse collectum, ut intra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis probaverit se agnovisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit, aut præsens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit, possideat.

(margin: ... parte ... 254.)

10. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator extiterit, homicida habendus est.

Testatur Sirmundus in annot. ad tom. I. Concil. Galliæ omnia manuscripta habere apud Auspicium, non Urcum. Et ex citato Hieronymi loco jugulari, qui volunt hoc Concilium habitum fuisse sub Julio.

Concilium Romanum I. in causa Manichæorum sub Leone anno 444.

EX Africa per Gildonem turbata navigarant in Italiam Manichæi hæretici, qui sub finem sæculi tertii exorti insignem labem Christiano nomini intulerant. Ac cum Romæ tandem obscœnitates suas perpetrarent, vigilantia pastorali D. Leonis detecti sunt, ac anno Pontificatus sui quinto, qui est Christi 444. & Theodosii Imperatoris 37. adversus eosdem Romæ Concilium indixit. Cui, ut Manichæorum scelera notiora redderentur, non tantum Episcopos, & Presbyteros, sed & Senatores complures, illustresque viros, imo & plebis partem præsentem esse voluit. Quid in hoc Concilio actum fuerit Serm. 5. de Jejunio decimi mensis, describit his verbis: *Residentibus itaque mecum Episcopis, ac Presbyteris, ac in eundem consessum Christianis viris, ac nobilibus*

A *congregatis, Electos, & Electas eorum jussimus præsentari. Qui cum de perversitate dogmatis sui, & de festivitatum suarum consuetudine multa reserarent: illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt. Quod tanta diligentia investigatum est, ut nihil minus credulis, nil obtrectatoribus maneret ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas nefandum facinus fuerat perpetratum: puella scilicet, ut multum, decennis, & duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant, & huic sceleri præpararant. Præsto erat etiam adolescentulus vitiator puellæ, & Episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum, & una confessio, & patefactum est execratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertius loquentes*
B *castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficiant, quibus plenissimè docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitùs reperiri castitatem: in qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Hos ideò homines, dilectissimi, per omnia execrabiles, atque pestiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitus abdicate, vosque præcipuè mulieres à talium notitia, & colloquiis abstinete; ne dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis.*

Controversia de erroribus Manichæorum.

C Qui nam fuerint eorum errores, apud multos dubium est, seu quod eorum mystæ non omnibus eos propalarent, seu quod ita absurdi sunt, ut difficile sit sibi imaginari Christianos homines, tàm prodigiosa, ac fabulis similia potuisse sibi imaginari. Collectanea hæc sine ordine digesta ad aliquam eorum notitiam accipe.

D. Augustinus in lib. contra epistolam Manichæi, quam vocat *fundamenti*. Cap. V. Manichæus vocabat se Apostolum Christi, ejus enim epistola sic incipit: *Manichæus Apostolus Jesu Christi.* Non credo istum esse Apostolum Christi, & lege mihi jam si potes in Euangelio, ubi Manichæus Apostolus dictus est.

Cap. VI. Illa superbia mater omnium hæreticorum impulit hominem, ut non missum se à Paracleto
D vellet videri, sed ita susceptum, ut paracletus diceretur.

Lib. I. Rectrat. cap. 15. introducebant insanissimo errore naturam mali æterno bono coæternam. lib. contra epist. fundamenti cap. 43. detestamur istam hæresim, quæ suorum phantasmatum fidem secuta, divinam substantiam per locorum spatia quamvis infinita, velut informem molem disjecit, atque diffudit, & eam ex una parte truncavit, ut inveniret locum malo.

Cap. XXXVI. Contra eamdem epist. brevissimè responderi potest quærentibus, unde corruptio est: ex eo quod hæ naturæ non de Deo genitæ, sed ab eo de nihilo factæ sunt. Scilicet difficultas, quam habuit Manichæus, cum in errorem impulit, cum originem mali, ac peccati nesciret. Non enim à Deo bonum creatum fuit. Ad quod *Malum est ex bono finito, & imperfecto.*
E alibi respondet D. August. malum esse à bono, sed à bono finito, quod non excludit omne malum Hoc non capiebat Manichæus, & ideo multa dixit esse à diabolo, seu à malo principio, quod & vocabat gentem tenebrarum, utebaturque illo textu Joan. 8. *vos ex Deo non estis, vos ex Patre diabolo estis.*

Admittebant duas animas in homine, bonam, & malam, hanc bona agentem, mala illam, hanc ex Deo, illam ex Diabolo, hanc partem boni Dei, illam mali Dei. Unde lib. de duabus animabus cap. 14. quæro ex duabus illis animabus, cujus sit pœnitere peccati. Scio quidem neque illius esse posse, quæ malè facere, neque illius, quæ malè facere non potest, &c. pœnitendi enim illa affectio, quæ prodit malè fecisse pœnitentem, & benè facere potuisse testatur, &c. quamobrem

aut negent isti esse pœnitendi magnam utilitatem, & A
aut animarum illa duo genera, unum, ex quo nihil mali, alterum, ex quo nihil boni sit, discere, atque docere jam desinant; quod si faciant, Manichæi utique esse jam desinent, nam tota illa secta ista bicipiti, vel potius præcipiti animarum varietate fulcitur. Putabant Manichæi, quod Deus corpus esset lucidum, & immensum, unde D. August. lib. 4. confess. cap. 16. sed qui mihi proderat putanti quanti, quod tu Deus meus veritas corpus esses lucidum, & immensum, & ego frustum de illo corpore? & cap 14. quid autem superbius quàm ut assererem mira dementia me id esse naturaliter, quod tu es.

Lib. III. Confess. cap. 6. describit genium Manichæorum. Incidi itaque in homines superbè delirantes, &c. in quorum ore laquei diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, & Domini Jesu Christi, & paracleti consolatoris nostri Spiritus sancti, & B
dicebant, veritas, & nusquam erat in eis. c. 7. quasi acutulè movebar, ut suffragarer stultis deceptoribus: cum à me quærerent, unde malum.

Lib. I. Contra Fortunatum Manichæorum Presbyterum, contra quem disputavit, & quem ad fidem convertit. Docet inter Manichæos alios fuisse, qui dicebantur electi, alios, qui adjutores, ex quibus tantum erat. D. Aug. ibid. urget contra eos. Quare nobis est pœnitentia, si nos nihil mali facimus, sed gens tenebrarum? Dignare etiam mihi illud exponere, quo modo dictum est ab Apostolo: Eramus naturaliter filii iræ? Quomodo dicis naturaliter animam filiam esse, & portionem Dei? Ibid. vocabat Fortunatus concupiscentiam, quæ est radix mali, portiunculam mali Dei, scilicet, unde exclusa li- C
bertate, malum procedere docebant, & gentem tenebrarum mala facere.

Ex libro de moribus Manichæorum cap. 15. & 16. apparet eos existimasse omnia creata esse ex mixtione bonæ substantiæ cum mala ad reprimendam, & quasi temperandam hujus malitiam: unde anima erat bona substantia, caro mala; quare cum anima exhalasset, non remanebat, nisi malum, ideo à carne abstinebant. In frugibus terræ, & fructibus mixturam illam manere adhuc putabant, purgandam tamen sancta eorum manducatione cum psalmis, & orationibus: inde superstitiosæ eorum abstinentiæ ab aliquibus cibis, & deliria plura, quæ tanta perversitas est, vinum putare fel principum tenebrarum uvis comedendis non parcere? panem mendicanti *Christiano* dare prohibetis. Quid, si nummis illis, D
quos dederitis, panem sibi emat? non putabant in pane aliquid manere bonæ substantiæ.

Porro ex hoc, quod vinum ita abhorrebant, non nisi sub una specie Eucharistiam accipiebant, ac per hoc agniti sunt Romæ, cum tunc indifferenter communicarent fideles, vel sub una, vel sub utraque specie.

Isti quoque sentiebant hominis partem mediam supra umbilicum esse Dei, sed alteram dimidiam sub umbilico esse diaboli formationem, à diabolo verò totam mulierem formatam. Hinc μισογύνεια, & odium mulierum, & matrimonii in Severianis, Tatianis, Archonticis, Manichæis, & aliis apud Epiphanium, Philastrium, & D. Augustinum, refert Joan. Quintinus ad Can. 1. Synodi Gangrensis. Nec propterea castiores erant, imo in libidinem projectiores.

D. Leo Serm. 5. de jejunio decimi mensis. Sed cum E
in cunctis perversitatis (dæmon) multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, & latissimam aulam, in qua se exultantius jactaret, invenit, ubi non unius pravitatis speciem, sed omnium simul errorum, impietatumque mixturam generaliter possideret. Quod enim in paganis prophanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus heresibus sacrilegum, atque blasphemum est, hoc in istos quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit. Plura de iis idem D. Leo variis in locis habet.

Horum omnium, aliorumque errorum origo erat dogma eorum primarium, quod duo principia statuerent, quæ à principio carerent, & nunquam desinerent, invicemque contraria forent, quorum unum lucem, ac bonum appellabant, alterum tenebras, ac malum, ut idem sint, ac Deus, & diabolus, quos quidem ambos nonnunquam Deos nominarent, Deum bonum, ac Deum malum. Ab his duobus principiis exorta esse omnia, ab altero bona, ab altero mala. Ab uno animam, ab alio corpus. Idque ita asserebant, cum non possent imaginari Deum bonum authorem esse malorum, quæ sunt in mundo, accusabantque Christianos, quod non adhiberent fidem Jesu Christo dicenti Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Ex D. Epiphanio hæresi 61.

Hinc verò generationem humanam Christo negabant, ac principium Euangelii secundum Matthæum respuebant, sicut & totum vetus testamentum propter bella ibi approbata, quę nequaquam bono Deo, ac principio convenirent. Explanare verò omnes eorum errores, & quomodo inter se connecterentur, difficile esset iis, qui eorum mysteriis initiati non essent, ac inter perfectos eorum: unde nec D. Augustinus, qui tantùm fuit inter audientes inter ipsos, omnia adhuc noscebat, maximè quæ ad turpitudines eorum spectabant. Adeundus est in libris contra Faustum Manichæum.

Concilium Romanum II. sub Leone, in causa Hilarii Arelatensis Episcopi, anno Domini 445. celebratum.

CUm Hilarius Arelatensis Episcopus, Patrocli, aliorumque antecessorum suorum vestigiis insistens, contra Taurinensis Concilii definitionem, Bonifacii, & Cœlestini Pontificum Constitutionem, Projectum Archiepiscopum Viennẽsem, & Celidonium Bisuntinensem, dum visitaret Provinciam deponere, aliosque in locum adhuc viventium substituere præsumpsisset, apud Sedem Apostolicam jure, meritoque hanc ob rem denunciatus, ad sui defensionem sponte se Romam pedes contulit, ac subodorata Leonis mente, cui se præsentaverat, ac nulla licentia impetrata, Arelatem rediit.

Quæ post abitum illius in Concilio acta fuerint, S. Leo in ep. 89. ad Viennenses scripta prolixè recenset. Sententiam in eum pronunciatam, Leonis Pontificis rogatu, Valentinianus Imperator, dato rescripto ad Aetium Magistrum militiæ in Gallia executus fuit. Extat rescriptum Valentiniani inter Novellas Theodosii Cod. Theod. tit. 24. De Episcopis ordinandis: quod inter cætera præclara de auctoritate Romani Pontificis hæc habet: *Et erat ipsa quidem sententia* (Romani Pontificis) *per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Rom. Pont. liceat obviare: ausibus enim talibus fides, & reverentia nostri violatur Imperii.* Et paulo post: *Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tàm Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerat Apostolicæ Sedis auctoritas, &c.* Integrum Edictum recenset Baron. anno 445. n. 9. & 10. Quibus omnibus cessit Hilarius ipsi Summo Pontifici, ejusque animum delinivit cum multa humilitate, missa in eam rem ad ipsum legatione; vide P. Saxium in Pontif. ubi fusius ista narrantur in vita Hilarii, simulque asseritur contra Scaligerum primatus Are-

Arelatensis, quod urbs esset Galliarum primaria, quæque sub Trofimo fidem Galliis dedit. Licet primatus ipse desierit, quod primates sibi quemdam Papatum ex nimio fastu designare inciperent, ut notat Doctor Filesacus de sacra Episc.authoritate c.9.

Concilium Hispanicum in urbe Lucensi Galliciæ suasu Leonis Pontificis, in causa Priscillianistarum indictum, anno Domini 447. Præside Balconio Bracarensi.

CUm ingruentibus barbaris, Uvandalis, Gothis, atque Suevis florentissima illa Hispaniarum Ecclesia sanctissimorum Antistitum solita cultura careret, pulchra immutata facie, reddita est velut ager incultus, vepribus undique repletus, ac spinis, in quibus feræ sua latibula quærebant. Accidit, quod dum S.Turibius Asturicensis Episcopus, vehementi Catholicæ veritatis ardore succensus, hac de causa Hispaniæ Ecclesias lustraret, ejusdem bestiarum lustra inveniens, ad eas pellendas, earumque latebras destruendas, Apostolicæ Sedis, à qua Hispaniæ sincerum Euangelium acceperant, subsidium imploraverit, atque per Diaconum suum Romam ad hoc opus ablegatum, Leonem Pontificem de his omnibus certiorem reddiderit. Quæ dum S. Leo exactè examinasset, redditis litteris post alia eum admonuit, ut in Hispania Generale Concilium celebraretur.

His literis in Hispaniam perlatis, ad celebrandum Generale Concilium Episcopi diversarum Provinciarum convenerunt, Priscillianam hæresim condemnarunt, atque contra eam Regulam quamdam fidei cum aliquot Capitulis ediderunt. Lecta quoque est Leonis epistola, cui quidam Episcopi nonnisi fictè subscripserunt.

Leo Episcopus Turibio Episcopo Salutem.

ep.93.

QUàm laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate movearis, & quàm solicite dominico gregi devotionem officii Pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquis pestilentiæ reliquiis errorum morbus exarserit. Nam & epistolæ sermo, & commonitorii series, & libelli tui textus demonstrat Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quæ in hoc dogma non confluxerint: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fæcem commiscuerunt, ut soli totum biberent, quidquid alii ex parte gustassent. Denique si universæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, diligentius retractentur, nullus penè invenietur error, de quo non traxerit impietas ista contagium: quæ non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi sub Christi nomine deviaverunt, tenebris etiam paganitatis immersi sunt, ut per magicarum artium prophana secreta, & mathematicorum vana mendacia, religionis fidem, morumque rationem, in potestate dæmonum, & effectu syderum collocarent. Quod si & credi liceat, & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debetur, omniaque non solùm humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur: quia neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque patrem fatalis necessitas motum mentis impellit: & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet & prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cœli signa distinctio, ut diversis partibus diversæ præsideant potestates: & creatura, quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione syderum, in quanta est connexione membrorum. Merito patres nostri, sub quorum temporibus

A hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut authorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus, humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Et profuit diu ita districtio Ecclesiasticæ lenitatis: quæ etsi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, & executionem legum tempestates interdixere bellorum: ex quo inter Sacer-
B dotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem: & ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ verò illic, aut quanta pars plebium à contagione pestis hujus aliena est, ubi (sicut charitas tua indicat) lethali morbo etiam quorumdam Sacerdotum corda corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas, & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani Euangelium subditur Christi, ut ad prophanos sensus, pietate Sanctorum voluminum depravata, sub nominibus Prophetarum, & Apostolorum non hoc prædicetur, quod Spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit? Quia ergo
C dilectio tua fideli quantum potuit diligentia, damnatas olim opiniones decem, & sex capitulis comprehendit, nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum, aut tolerabile videatur, aut dubium.

Potestas Ecclesiastica. *Interclusere.*

1. Primo itaque capitulo demonstratur quàm impiè sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam, atque eandem afferunt esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit, quem genuit, alius, qui genitus est, alius, qui de utroque processit, sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, & non tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellii opinione sumpserunt: cujus discipuli et-
D iam Patri-passiani meritò nuncupantur: quia si ipse est Filius, & Pater, Crux Filii Patris est Passio: & quicquid in forma servi Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod Catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ Trinitatē unitatis sic homousion confitetur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales: quam unitatem in Trinitate non ex eadem persona, sed eadem implet essentia.

2. In secundo capitulo ostenditur ineptum, vanumque commentum de professionibus quarumdam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentia sua ipse præcesserit: in quo Arrianorum quoque suffragantur errori dicentium, quod Pater Filio prior sit, quia fuerit
E aliquando sine filio, &c.

3. Tertii verò capituli sermo designat, quod iidem impii afferant, ideo unigenitum dici Filium Dei, quia solus sit natus ex Virgine. Quod utique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni, & Photini virus hausissent, qui dixere Dominum nostrum Jesum Christum, antequam nasceretur ex Virgine Maria, non fuisse, &c.

4. Quarto autem capitulo continetur, quod natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non verè isti honorent, sed honorare se simulent, jejunantes eodem die, sicut & die dominico, qui est dies resurrectionis Christi, &c. Quasi vera non fuerit, sequentes dogma

Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes. Qui (sicut in nostro examine directi, atque convicti sunt) dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in mœrore jejunii, soli (ut proditum est) reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia sint à nostra fidei unitate discordes: & dies, qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum est, ut inimici Crucis Christi & resurrectionis talem accipiant sententiam, qualem elegere doctrinam.

5. Quinto autem capitulo refertur, quod animam hominis divinæ asserant esse substantiæ, nec à natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex Philosophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem Catholica fides damnat, sciens nullam tàm sublimem, tàmque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit, &c.

6. Sexta adnotatio indicat eos dicere, quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei sit, sed cum ex Agar, & tenebris emersisse, qui scilicet nullum sui habeat authorem, sed omnis mali ipse sit principium, atque substantia; cum fides vera, quæ est Catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam, quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, descivit, sicut ipsi, qui talia asserunt, à veris in falsa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria perversitate damnantur. Quod utique in ipsis malum erit: & ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.

Joan. 8.

7. Septimo loco sequitur, quod nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt: in quo (sicut pene in omnibus) cum Manichæorum prophanitate concordant; ideo (sicut ipsorum mores probant) conjugalem copulam detestantes, quia non est illic & libertas turpitudinis, ubi nec pudor matrimonii servatur, nec spes sobolis.

8. Octavum eorum est, plasmationem humanorum corporum diaboli dicere esse figmentum, & semina conceptionum, opera dæmonum in mulierum uteris figurari. Propterea resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est: & talia prodigia opinionum figmenta sunt dæmonum, qui non in fœminarum ventribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimum virus de Manichææ impietatis specialiter fonte procedens olim fides Catholica deprehendit, atque damnavit.

9. Nona autem adnotatio manifestat, quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos: ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere videatur. Quod Catholicæ fidei repugnans, atque contrarium est, quæ omnem hominem in corporis, animæque substantiam à conditore universitatis formari, atque animari intra materna viscera confitetur, manente quidem illo peccati, mortalitatisque contagio, quod in prolem à primo parente transcurrit: sed regenerationis sacramento subveniente, quo per Spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis. Unde & David, qui utique erat promissionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt, & plasmaverunt me.* Et ad Hieremiam Dominus ait: *Priusquam te formarem in utero, novi te, & in utero matris tuæ sanctificavi te.*

Ps. 118. Job. 11. Hier. 1.

10. Decimo autem capitulo referuntur asserere, animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc à sublimibus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis principes incidisse, & per aerias, ac sidereas potestates alias duriores, alias mitiores, corporibus esse inclusas sorte diversa, & conditione dissimili: ut quicquid in hac vita variè, & inæqualiter provenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos Catholica fides à corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator, & corporum, &c.

11. Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum, & corpora opinantur adstringi: per quam amentiam necesse est, ut homines paganorum erroribus implicati, & faventia sibi (ut putant) sidera colere, & adversantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in Ecclesia Catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus abscessit.

12. Duodecimum inter hæc illud est, quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt, & qualitates interiorum præsulum in Patriarcharum nominibus statuunt: quibus è diverso signa siderea, quorum virtuti corpora subjiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili se errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis, &c.*

13. Decimo tertio loco positum est eosdem dicere, quod omne corpus scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit, quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, ut in eam substantiam, de qua prodiit, reformetur. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet Christiana sapientia, quæ novit veræ Deitatis inviolabilem, & inconvertibilem esse naturam, animam autem sive in corpore viventem, sive à corpore separatam, multis passionibus subjacere. Quæ utique si divinæ esset essentiæ, nihil adversi posset incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator est, aliud creatura. Ille enim semper idem est, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis est etiam non mutata: quia ut non mutetur, datum poterit habere, non proprium.

14. Sub quartodecimo vero capitulo de statu corporis sentire dicuntur, quod sub potestate siderum, atque signorum pro terrena qualitate teneatur: & ideo multa in sanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiri; ut in ipsis scripturis inter divinam, terrenamque naturam quædam sibi repugnet adversitas, & aliud sit, quod sibi vendicent animæ præsules, aliud, quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo asseruntur, ut & anima divinæ affirmetur esse substantiæ, & caro credatur malæ esse naturæ: quoniam & ipsum mundum cum elementis suis non opus Dei boni, sed conditionem mali profitentur authoris. Atque ut hæc mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia sensuum nefandorum immissione violarunt.

15. De qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam merito detestatur: quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui Cano-

Canonici titulantur, invenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & Sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsati codices, & à sincera veritate discordes in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis; & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscunque erroris involvant. Unde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum: quoniam, qui alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.

ticinii ic dein. 16. Postremo autem capitulo hoc prodidit justa querimonia, quod Dicticinii tractatus, quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, à multis cum veneratione legerentur: cùm si aliquid memoriæ Dicticinio tribuendum putant, recuperationem ejus magis debeant amare, quàm lapsum. Non ergo Dicticinium, sed Priscillianum legunt: & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impunè præsumat, nec inter Catholicos censeatur, quisquis utitur scripturis, non ab Ecclesia solummodo Catholica, sed etiam à suo authore damnatis, &c.

17. In eo verò, quod in extrema familiaris epistolæ tuæ parte posuisti, miror cujusdam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulchro, quæ sicut verè & mortua est, & sepulta, ita verè est die tertia resuscitata. Hoc enim & ipse Dominus denuntiaverat, dicens ad Judæos: *Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* (n.2.) Ubi Euangelista subjungit. *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Cujus rei veritatem etiam David Propheta prædixerat, loquens sub persona Domini Salvatoris, & dicens: *Insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* (l.51.) Quibus utique verbis manifestum est, quòd caro Domini & verè sepulta requievit, & corruptionem non subiit: quia celeriter vivificata animæ reditu resurrexit. (isti & sepul.)

Quod non credere, satis impium est, & ad Manichæi, Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est: qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut Incarnationis, & mortis, & resurrectionis auferant veritatem.

Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant sacerdotes: ut secundum quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus hæreseos contagio polluantur, (ilium.) à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra Euangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra universalis Ecclesiæ symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, ubi tales docebunt magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, ubi contra humanam societatem, pudoris sanctitas, sive verecundia tollitur, conjugiorum fœdera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra autem verum Dei cultum trinitas Deitatis negatur, Personarum proprietas confunditur, anima hominis divina essentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur, Dei Filius per id, quod ex Virgine or- (Dei s in- icitur.) A tus, non per id, quod ex Patre natus est, unigenitus prædicatur, idemque nec vera Dei proles, nec verus filius Virginis asseritur, ut per falsam passionem, mortemque non veram mendax etiam resurrectio resumptæ de sepulchro carnis habeatur. Frustra autem utuntur catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Dedimus itaque literas ad fratres, & Coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis authoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quominùs possit celebrari generale Concilium Galliciæ, saltem in uno conveniant Sacerdotes: B quibus congregatis fratres nostri Hydatius, & Ceponius imminebant, conjuncta cum eis instantia tua, quatenus de provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.

Idatius in Chronico ad Olympiadem 306. meminit hujus epistolæ inter varia scripta Leonis Papæ contra Priscillianistas ad Episcopos Hispanienses missa. Inter quæ, inquit, ad Episcopum Turibium de observatione Catholicæ fidei, & de hæreticis blasphemiis disputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus subdolo probatur arbitrio. Hæc est porrò epistola, quæ missa ad Synodum Lucensem in Gallicia sub Barconio Bracarensi Episcopo, ubi renovata regula fidei, quæ habetur in Toletano primo, & hæc Epistola admissa est, sed à quibusdam ficta subscri- C *ptione, ut est hæreticis familiare. Subdolo arbitrio, ait Idatius, nec enim facilè hæresis, quæ Manichæi pars erat de turpitudine, ut loquitur D. Hieronymus ad Ctesiphonem, quæque à Gnosticis ex Aegypto in Hispania exulibus, initium ducens nocturnos amplexus, congressusque virorum, ac mulierum promiscuè docebat, fovebatque, evelli potuit ex omnium corde.*

Concilium Constantinopolitanum primum, Zenone, & Posthumiano Coss. celebratum, quo sub præsidio Flaviani Eutyches Archimandrita condemnatus est, sub Pontificatu Leonis, anno Domini 448.

D CUm in causa Florentii Sardiorum Metropolitani adversus Episcopos sub eo constitutos Joannem, & Cossinium, Flavio Zenone, & Posthumiano Consulibus, anno nimirum Domini 448. Concilium haberetur Constantinopoli, Eusebius Dorilæi Episcopus, cùm vulgatam incerto authore novam hæresim (qua docebatur in Christo Domino ante Incarnationem duas, post Incarnationem verò non duas, sed unam dumtaxat fuisse naturam) ab Eutychete Archimandrita prædicari, ac doceri præsens audivisset, nihilque piis admonitionibus apud eum profecisset, scriptum adversus eum querelarum libellum huic Synodo legendum obtulit, petens, dum lectus esset, ejusdem copiam Eutycheti communicari, & ad sui defensionem E citari, ac cùm citatio prima actione Concilii decreta, & nondum executa fuisset.

Secunda actione, pridie Idus Novembris, Synodo præsto fuit Eusebius, eam, quam semper coluit, fidem rectam, palam ex scriptis Cyrilli exponit, eademque se sapere, ac sapuisse etiamnum sapere profitetur. Ostendit etiam sanctos, & Orthodoxos Patres semper in Christo duas in una, eademque persona conjunctas naturas agnovisse. Quæ quidem, ut sanctè, pièque dicta, ab omnibus, qui præsentes erant Patribus, singulis candidum calculum porrigentibus, recepta, atque probata fuerunt.

Inchoata rursum actione tertia decimo quinto Novembris, Feria secunda, ad instantiam Eusebii, contra Eutychem querelam suam prosequentis; decreto Synodi prima citatio per Joannem, & Andream executa,

cuta, in judicio reproducta fuit. Postquam autem uterque retulisset, Eutychetem respondisse, se Monasterio suo non egressurum; dixisse etiam se paratum esse expositioni Sanctorum Patrum, qui in Nicæa, & Ephesio congregati sunt, consentire, eorumque interpretationibus, quatenus Scripturæ conformes essent, & non aliter (quod hæreticorum est) subscribere, ad instantiam Eusebii per Mamantem, & Theophilum Presbyteros Eutyches secundò citari jussus est, quibus abeuntibus, & scriptam citationem exequentibus, Eusebius ad suæ querelæ, & accusationis probationem addidit Eutychetem de sua hæresi libros scripsisse, eosque ad diversa Monasteria misisse, eo fine, ut subscriptione Abbatum, & Monachorum aliorum approbarentur. Quod cùm Flavianus testimonio Abrahami Presbyteri verum esse cognovisset, ablegavit ex Synodo diversos ad diversa Monasteria, qui missum ab Eutychete fidei tomum inquirerent, & ad Synodum referrent. Cùm post hæc responsum simile priori retulissent illi, qui secundam citationem executi fuerant, institit tertiò Eusebius accusator, ut vel invitus Eutyches ad Synodum trahatur. Tùm verò secundum judicii formam à sancta Synodo decretum est, ut per Memnonem sacrorum vasorum custodem, Epiphanium Presbyterum, Germanum Diaconum tertiò citaretur. Traditus est illis libellus citationis scriptus, quo significabatur, ut post diem sequentem Feriâ quarta ad decimam septimam mensis Novembris Eutyches judicio præsto esset.

Eutyches tergiversatur.

Interea Actione quarta, sequenti die, qui erat 16. Novembris ad Synodum venit Abrahamus Archimandrita, allegans Eutychetem ob ingravescentem morbum venire non posse. Quam excusationem, licèt cum Flaviano reliqui Patres acceptarent, per eundem tamen Abrahamum Eutychetem moneri voluerunt, ut qui ad accusandum Nestorium Monasterio egressus fuisset ad Concilium Ephesinum, idem ad sui defensionem egredi, & ad Concilium venire non recuset; maximè ideò, quod plures verbo, & opere scandalizasset: nihil peti aliud, quàm, ut veniat, errorem suum aut defendat, aut deprecetur, & revocet.

Actione quinta, quæ decima septima mensis Novembris habita fuit, ii, qui ad tertiam citationem Eutycheti insinuandam missi erant, retulerunt se mandatum citationis fideliter executos fuisse: Eutychetem respondisse, quod Abrahamum Archimandritam ad Synodum destinarit, qui suo nomine diceret, se Sanctorum Patrum dictis, & Nicænæ Synodo acquiescere: quibus si sancta Synodus contenta non esset, unius septimanæ inducias, & dilationes peteret. Auditi sunt etiam illi, qui à sancta Synodo missi fuerant ad Monasteria, inquisituri de voluminibus ab Eutychete ad ea missis, retuleruntque Archimandritas volumen fidei ab Eutychete missum accepisse, sed subscribere noluisse. Cùm itaque Eusebius post causæ suæ defensionem instaret, Eutychetem ex scriptis suis damnandum esse, ne tamen præcox videretur esse judicium, petitam septem dierum dilationem, Patres Concilii ei concesserunt.

Post tertiam citationem executam, inveteratus dierum malorum hypocrita, qui sæpè contestatus fuerat, se è Monasterio nequaquam egredi posse, licèt totius Synodi jussu urgeretur. *Dum hæc agerentur*, ait Liberatus cap. 11. *refugiens Eutyches ad Theodosium Imperatorem* (more hæreticorum) *impetravit ab eo per Chrysaphium Eunuchum, quem ipse Eutyches susceperat in sacro Baptismate, ut cum Patricio Florentio, & Magno Consiliario Concilium ingrederetur. Dicebat enim se Flaviani calumnias timere.*

Sexta actione ad instantiam Eusebii, vigesima secunda Novembris audita est relatio eorum, qui ad tertiam citationem peragendam deputati fuerant. Qui, dum habitam cum ipso de fide disputatiunculam, ejusque responsum hoc, quod nulla pœna depositionis à sententia deterreri posset, exposuissent, adveniente præscripto septem dierum termino, qui vigesima secunda Novembris expiraverat, septima Actione magna militum apparitura stipatus adfuit, ac cum licentia, & consensu Patrum, unà cum Florentio patricio in Synodum intromissus fuit. Cùm in præsentia Florentii de hæresi convictus, ad palinodiam induci non potuisset, judicio omnium Patrum hæc sententia in eum prolata fuit: *Lachrymantes, & lugentes perfectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, extraneum esse ab omni officio Sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterii. Scientibus hoc omnibus, qui posteà colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœnæ excommunicationis, sicut non recedentes ab ejus collocutione.*

Huic sententiæ subscripserunt Episcopi triginta duo, & Archimandritæ, qui aderant, viginti tres. De rebus in Synodo gestis, Flavianus Leonem Pontificem certiorem reddit per Epistolam, quæ extat post Epist. 8. Leonis, estque talis initio: *Nulla res diaboli venena compescit, &c.* Unde Eutyches quoque subdolas, & mendaciorum plenas scribit litteras ad S. Leonem Papam, quas per Regios ministros Flaviani litteris malitiosè detentis, citiùs Romam deferri obtinet. Ad Pontificem quidem appellavit, eique blandis verbis correctionem pollicitus est, sed appellationi non est delatum. Mendacem quoque libellum, & fraudulentum Theodosio Imperatori offert, quo se vim passum esse prædicat. Ut celebriores Episcopos Italiæ in suam sententiam pertraheret, litteras ad eosdem scripsit. Hæc ex Actis Concilii recitatis in prima actione Concilii Chalcedonensis; item ex epist. Leonis 12. ad Flavianum, ex Liberato Diacono cap. 11. Breviarii.

Concilium, vel potius Judicium Ecclesiasticum Tyri in causa Ibæ Episcopi Edessæ in Syria, Flavio Zenone, & Posthumiano Consulibus, celebratum anno Domini 448.

Ibas Edessæ in Syria Episcopus à quatuor Presbyteris Edessenæ Ecclesiæ, quos sua sententia excommunicaverat, principio apud Domnum Antiochenum de hæresi Nestoriana accusatus fuit, quasi post initam inter Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum concordiam, in antiqua sententia pro Nestorio contra Cyrillum perstaret. Cùm mandato Domini Antiocheni Ibas excommunicatos absolvere, seque post festum Paschæ Synodali judicio præsentem sistere jussus esset, quatuor verò Presbyteri accusatores, juramento præstito promisissent, se non ante finem Synodi Antiochia discessuros: accidit, quod duo ex illis, Samuel, & Cyrus nominati, præstiti juramenti parum memores, istinc discesserint, & Imperatori supplicarint, petentes, ut quia Domnus Ibæ plus nimio faveret, aliis Judicibus non partialibus causæ inquisitio committeretur.

Intereà Domnus Antiochiæ Synodum celebravit, duobus tantùm accusatoribus præsentibus, in qua post causam Ibæ innocenter accusati præcognitam, duo accusatores condemnati fuerunt. De rebus gestis Domnus ad Flavianum Constantinopolitanum perscripsit. Cumque supplicantibus perjuris Presbyteris Imperator detulisset, judicium Ibæ tribus aliis Episcopis, Photio nimirum Tyri, Eustathio Berythi, & Uranio Himeriæ commisit, Damascium Tribunum, & Notarium Judicem cognitorem misit, mandans ei, ut judicio præsens assisteret, quæque delecti à se in ea causa Judices definirent, executioni mandaret. Missus est etiam à Flaviano Constantinopolitano Episcopo Eulogius Diaconus. His omnibus Tyri præsentibus, vigesima quinta Februarii, Indictionis primæ, ad dissidia tollenda tres Episcopi pacis sequestres agere cœperunt, idque convenientissimè statuerunt, ut Ibas Nestorii hæresim, ob quam potissimum accusatus fuerat, omnesque

que alias ad eum spectantes execraretur, deinde fidem Catholicam purè, sincerè, & integrè profiteretur. Quod cùm ille præstitisset, eum à suspicione hæreseos absolverunt. Clericos etiam accusatores cum suo Episcopo reconciliarunt. Vide Baronium anno 448. num. 59.

Acta hujus Concilii extant in Concilio Chalcedonensi, actione nona, & decima.

Concilium, seu potius Judicium Ecclesiasticum Berythi in causa Ibæ, Flavio Zenone, & Posthumiano Coss. celebratum mense Septembri, anno Domini 448.

IBas cum duobus aliis Episcopis denuò à tribus diversis Edessenæ Ecclesiæ Presbyteris in judicium vocatus, apud Flavianum Constantinopolitanum Episcopum accusatus fuit: verùm is cognitionem causæ tribus iisdem Judicibus Episcopis Berythi, Tyri, & Himeriæ, qui præcedenti judicio interfuerant, commisit. Primò objectum est, quòd blasphemiam horrendam dixisset hanc: *Non invideo Christo facto Deo: in quantum factus est, & ipse factus sum.* Vel: *Si voluero, & ipse, ut ille, fieri possum.* Quam Ibas testificatione totius Cleri Edesseni ad Episcopos Judices transmissa omninò diluit. Secundam calumniam hanc adduxerunt, quod S. Cyrillum hæreticum appellasset, ideoque non temerè Nestorianus esse videretur. Respondit Ibas, id quidem ante initam cum Joanne Antiocheno concordiam à se factum esse; ab eo autem tempore, quo opera, & studio Pauli Emeseni inter utrumque pax composita fuit, numquam accidisse. Cùm illi contrà ursissent, post factam utriusque reconciliationem Cyrillum ab Iba hæreticum esse nominatum, idque ex ejus epistola ad Marim Persam scripta probari posse asseruissent: illius epistolæ fragmentum, quod Actis Chalcedonensis Concilii Act. 10. intextum habetur, editum fuit. Hanc epistolam suam esse agnovit Ibas; sed cùm in ea nihil eorum, quæ objiciebantur, probari posset, Episcoporum judicio absolutus fuit. Patres Chalcedonensis Concilii eandem sententiam confirmarunt. Sed cùm hac occasione Nestoriani spargerent epistolam Ibæ, qua laudes Theodori Mopsuesteni, & vituperia Cyrilli Alexandrini continerentur, à Patribus Chalcedonensis Concilii approbatam, & receptam fuisse, Quinta Synodus Oecumenica, collatione octava eam merito condemnavit; quippe quæ in Orthodoxum Scriptorem, gravius, quàm oportebat, inveheretur, & Theodorum Mopsuestenum hæreticum nimium laudaret. Quod verò non epistolam, sed auctorem epistolæ tantùm Patres Chalcedonensis Concilii, horum Judicum sententiam imitati, à calumnia adversariorum absolverint, judicaverintque eum fautorem Nestorianæ hæreseos, esse desiisse, post initam Cyrilli cum Joanne Antiocheno concordiam, Catholicum, & Orthodoxum fuisse ostendit Binius in Notis Concilii Chalcedonensis, verbo *Approbatum.* Vide Baronium anno 435. num. 11. & 12. & anno 448. num. 61. & seqq. usque ad 77.

Epistola est in Synodo.

Concilium Constantinopolitanum secundum in causa Eutychetis, anno Domini 448.

DAmnato Eutychete (ut vidimus suprà Concilio Constantinopolitano primo) Chrysaphius Eunuchus, Imperatorii cubiculi præfectus, nullum non movit lapidem, ut Acta Synodalia à Flaviano legitimè confecta planè irrita reddat, & in ipsum Flavianum damnationis pœnam convertat. Permovit itaque Imperatorem, ut pro Eutychete ad Leonem Pontificem scribat; & ut judicium, atque examen Eutychetis prius eludatur, persuadet Imperatori, ut confestim Constantinopolim triginta Episcopos convocet, qui sub præsidio Theodosii Cæsareæ Cappadociæ Episcopi, Eutychetis causam potissimè cognoscant.

Mira celeritate res confecta est. Quinto Idus Aprilis anno Christi 449. qui est 10. Leonis, Synodus inchoata est. Interfuerunt triginta Episcopi, quorum nomina in Actis Concilii Chalcedonensis recensentur. Inter eos Florentius Patritius ab Imperatore missus est, ut interesset. Theodosius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus Synodo præsidere jussus fuit. Intereà ante omnia, contra jus, & æquitatem omnem, ab Imperatore concessum est Eutycheti per Procuratorem causam suam in Synodo agere; accusatori, nequaquam. De ordine judicii non observato, de querelis Eusebii Episcopi Dorilæi non auditis exceptum est; sed nihil impetratum. Pro Eutychete causam acturi cum libello ejusdem Eutychetis intromissi sunt in Synodum Constantinus, Eleusius, & Constantius, Monachi. Quibus intromissis, Macedonius Tribunus, & Notarius, nomine Imperatorum, ab omnibus Episcopis juramentum assertorium exegit; sed intercessione Basilii obtentum est, ne Episcopi jurare cogerentur. Post hæc ordine rerum oblatus est ad legendum libellus Eutychetis, quem jam ante damnatus, Imperatoribus obtulerat. Recitato libello, Acta Constantinopolitani Concilii vera, & originalia à Notariis ejusdem Concilii exacta, & lecta fuerunt. Ea, quæ produxerunt Eutychetis Procuratores, originalia quidem, sed aliunde mendosè descripta esse cognitum fuit. Cùm allegasent Procuratores Eutychetis appellationem, apud Episcopos Prioris Constantinopolitani Concilii interpositam, ex Actis, omniumque Episcoporum præsentia ostensum est, id nequaquam contigisse.

Florentius.

Hæc cùm prima Sessione habita fuisent, contigit, ut vigesima septima ejusdem mensis Aprilis iidem 30. Episcopi convenirent. Ubi oblatus Eutychetis libellus, legi jussus est. Silentiarius testatus est, se à Flaviano accepisse, quod Eutychetem ipse, concepta in scriptis sententia, condemnaset, antequam Synodi actio cogeretur. Asterii cujusdam testificatione dictum, & in Acta relatum est, ipsa prioris Synodi Acta à Notariis commutata fuisse. His cavillis legitimæ damnationi Eutychetis à priore Synodo factæ illusum fuit. Vide Baronium anno 448.

Mendaciis res agitur.

Conciliabulum, seu Latrocinium Ephesinum reprobatum, quo centum, & viginti octo Episcopi, anno Domini 449. *Eutychetem absolverunt, hæresim ejusdem confirmarunt, & Flavianum cum quibusdam aliis Episcopis condemnarunt.*

THeodosius Imperator, Chrysaphii Eunuchi fraude, & dolo inductus, usurpata sibi Pontificia potestate, Synodum Oecumenicam contra jus, & consuetudinem Ecclesiæ indixit, datoque ad Dioscorum Alexandrinum rescripto, eum Synodi Præsidem constituit; concessa eidem facultate adducendi, quos vellet, Episcopos, quique Eutychetis causæ contra Flavianum faverent. Hæc Liberatus Diaconus in Breviario cap. 12. Nicephorus lib. 4. cap. 47. Qua occasione accidit, quòd illi, qui Eutychetis studiosissimi erant, tamquam acerrimi Nestorianæ perfidiæ impugnatores, Synodo interesse, & præesse juberentur.

Quoniam verò Imperator non ignorabat, Concilium Oecumenicum nullum fore, quod absque Pontificis auctoritate indictum esset, illud iniit consilium, ut eum quidem vocaret, sed tamen, ne vel per se, vel etiam per Legatos adesset, cautè admodum præcaveret. Et quomodo id factum? Primùm augustissimo termino tempus clausit, ut non nisi magno incommodo adesse posset. Et quia præter antecessorum suorum consuetudinem, atque exemplum esse sciebat, ut ipse Pontifex in persona propria Concilio universali interesset, scribens ad Leonem Pontificem, ejus personam huic Synodo præsentem esse petivit. Hæc ex epistola Leonis XIII.

Cùm

Cùm Pontifex litteràs Theodosii accepisset, mala, A quæ Ecclesiæ suæ imminere præsagiebat, antevertere conatus, persuasit Imperatori, ut si in Italia conventus Episcoporum haberi non posset, planè omitteretur, eo quod in re adeo perspicua tanta consultatio non esset adhibenda. Sed cùm hac in re frustrà laborasset, ne per absentiam Romani Pontificis causa fidei aliquod dispendium pateretur, tres Legatos à latere misit, Julianum Puteolanum Episcopum, Renatum Presbyterum Cardinalem tituli sancti Clementis, atque Hilarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Diaconum. His Encyclicam epistolam ad Flavianum inscriptam dedit (extat apud Binium) eo consilio, ut in conventu Episcoporum legeretur: & quid de Verbi Incarnatione sentiendum sit, universa Synodus intelligeret. Appropinquante jam die cogendæ Synodo B præstituta, Imperator Magistratui suo, quem interesse jusserat, scripto curare mandavit, ut Episcopi, qui in Synodo Constantinopolitana causam Eutychetis judicassent, nihil interloquantur.

Legati Pontif. Roman.

Ac, cùm omnes simul in Basilica S. Dei genitricis Mariæ consedissent, Dioscorus litteras Imperatoris sibi datas legi mandavit. Legati Sedis Apostolicæ, postquam de sua Commissione, & Legatione Synodum informassent: & Leonem Papam, quod in propria persona non comparuisset, excusassent, ex eo, quod Romani Pontifices nonnisi per Legatos extra urbem Synodis interesse consuevissent, Encyclicam illam Epistolam Leonis de Verbi Incarnatione ad Synodum, & ad Flavianum transmissam, legendam obtulerunt. Dioscorus ubi eam accepisset, jurato quidem promisit fore, C ut legeretur; sed parum præstiti juramenti memor, ex composito varias Imperatoris epistolas legi, ac recitari præcepit, ut à legenda Romani Pontificis epistola præsentes avocarentur: quamobrem non injustè Act. 3. Concilii Chalcedonensis Dioscorus perjurii est accusatus. Absoluta recitatione litterarum Imperatoris, facta est suggestio de Fide agendum esse: contrà Dioscorus ex decreto Imperatoris de controversiis inter Flavianum, & Eutychetem Constantinopoli obortis tractandum esse respondit. Hoc idem placuisse Episcopis omnibus Notarii Dioscori falsò exceperunt; prout Acta Concilii Chalcedonensis Act. 1. apertè monstrant. Ingressus in consessum Episcoporum Eutyches, libellum fidei obtulit. Quo recitato Flavianus Eusebium Dorilæi Episcopum accusatorem audiri petivit, sed frustrà: quasi non fuerit Flaviani aliquid in hoc Synodo petere, cùm olim Eutychetis judex, hìc verò D cum Eusebio reus dumtaxat assisteret judicandus; ita facti turpitudinem in Concilio Chalcedonensi Comes Elpidius excusavit.

Epist. Leon. non legitur actu Dioscori.

Deinde Acta Constantinopolitani Concilii publicè legi voluit Dioscorus: Legati autem non ante illum admittendum esse dixerunt, quàm epistola Encyclica Pontificis lecta foret. Cùm Eutyches oppositam Legatorum contradictionem allegasset, eo suspicionis argumento, quòd apud S. Flavianum mansissent, & cum eo pransi fuissent, Dioscorus incompetenti exceptione attenta, Legatorum petitionem repulit, ipsisque invitis, Acta Constantinopolitana legi permisit. Quæ, dum legerentur, illi, qui Dioscoro ablandiebantur, bis, terve Eutychianam hæresim, clamoribus suis interpositis, confirmarunt. Lectione Actorum absoluta à Dioscoro, ejusque sectatoribus, reclamante Flaviano, E Eutyches est absolutus Flavianus Constantinopolis, Eusebius Dorilæi, Ibas Edessenus, Theodoretus Cyri Episcopi condemnati, sedeque Episcopali, surrogatis aliis, amoti fuerunt.

A Flaviano, & Theodoreto ad Sedem Apostolicam appellatum esse, ex Actis Concilii Chalcedonensis, epistola Theodoreti 113. aliisque Scriptoribus liquidissimè constat. Sententiam in Flavianum, & Eusebium pronuntiatam, præter Legatos Pontificios, subscriptione sua omnes ferè Episcopi approbarunt. Quod, qua ratione acciderit in Synodo Chalcedonensi, Dioscoro præsente, testatus est Acacius Episcopus his verbis: *Puræ chartæ subscripsimus compulsi, & violenter, multa mala perpessi nolentes, sed & per potentiam perpessi subnotavimus. Usque enim ad vesperam tenuerunt nos recludentes in Ecclesia, & ægrotantes nos, neque quiescere permiserant, neque concedere, ut aliquantulum refocillaremur, sed milites nobis cum fustibus, & gladiis imposuerunt, & sic nos fecerunt subnotare.* In hoc tàm horrendo Episcoporum naufragio sola Navicula Petri incolumis emergens salvatur. Legati enim Apostolicæ Sedis Dioscoro audacissimè in faciem restiterunt, contestantes, nullius roboris esse, quæ per vim, & metum extorquerentur. Quæ contestatio, etsi in actis, quæ Dioscorus, ut diximus supra, per suos Notarios ad libitum confici voluit, desideretur; tamen de his est expressa mentio in pluribus litteris Leonis Romani Pontificis ad Theodosium, & Pulcheriam datis.

Lega... man...

Hilarium Dioscorus (ne, quæ tyrannicè gesta erant, Romano Pontifici nuntiarentur) vi adhibita retinere tentavit; sed ipse ocyus fuga elapsus, per invia loca, perque multa pericula, ope divina potius, quàm humana liberatus Romam pervenit, atque Pontifici singula, prout gesta fuerant, enarravit. Qui postea creatus Pontifex sancti Joanni Euangelistæ liberatori suo in gratiarum actionem Ecclesiam dedicavit, eo quòd evasisset.

Ex litteris Pulcheriæ Augustæ ad Leonem Romanum Pontificem, quæ extant inter præambulares Concilii Chalcedonensis, constat, Episcopos, qui subscribere recusarunt, à Dioscoro per milites in exilium deportari jussos esse. Cùm Flavianus post interpositam viva voce appellationem animo prosequendæ ejusdem appellationis scriptum libellum appellatorium Legatis obtulisset, *cæsus est* (inquit Liberatus Diaconus in Breviario cap. 12.) *& multis injuriis affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum.* Vide, quæ dicta sunt in Concil. Chalcedon.

Fla... mart...

Controversia.

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. num. 1. Quid dicam, inquit, de Concilio Ephesino secundo, ubi cùm adessent Leonis Legati, Alexandrinus tamen Patriarcha Dioscorus, velut suo jure, præsidebat? Excipiunt non fuisse orthodoxum Concilium, à quo sanctus vir Flavianus damnatus, & Eutyches absolutus, ejusque impietas comprobata. At cùm Synodus cogeretur, cùm sessiones inter se distribuerent Episcopi, illic certè inter alios Romanæ Ecclesiæ Legati, non aliter, quàm in sancto, & legitimo Concilio sedebant. Non contendunt tamen de primo loco, sed eum alteri cedunt, nequaquam id facturi, si suum jure esse crederent. Nunquam enim puduit Romanos Episcopos maximas quasque contentiones pro suis honoribus suscipere, & hanc solam ob causam multis sæpè, & perniciosis certaminibus vexare, & turbare Ecclesiam. Sed quia videbat Leo nimis improbum fore postulatum, si Legatis suis primam sedem ambiret, eo supersedit.

Cal... refell... de pr... Rom.

Hæc Calvinus more suo primatum Pontificis Romani, ac Christi opus destruere satagens, nulla habita ratione, quod in hoc Conciliabulo nullus ordo, sed perpetuus horror fuerit. Sed sufficit ad ea omnia convellenda, quod contra ipsum scripsit Bellarminus lib. 1. de Conciliis, cap. 19. non sine probationibus, quibus ille destituitur, litem hanc temerariè intentatam dirimens. Quod Leo, inquit, non sit ausus petere primam sedem, mendacium est. Scribit enim Liberatus in Breviario cap. 12. Legatos Romani Pontificis noluisse in Concilio sedere, cùm vidissent præsidere Dioscorum: porrò Dioscorum extorsisse contra fas ab Imperatore præsidentiam illam, scribunt Zonaras in vita Theodosii, & Evagrius lib. 1. & 10. Unde etiam Leo epist. 24. 25. 26. ad Theodosium, & Pulcheriam conqueritur Dioscorum in eo Synodo vindicasse principatum, ubi etiam testatur Flavianum Episcopum appellan-

lantem ab hoc Concilio ad Apostolicam sedem, libellum tradidisse Legatis Romani Pontificis. Quomodo ergo non auderet Leo in eo Concilio præsidentium petere, à quo ad se tanquam ad majorem appellabatur? hæc Cardinalis Bellar.

Sed, ut appareat Leonem nihil improbum existimasse, si Dioscoro se prælatum, ac superiorem diceret, evidentissimè indicat ejusdem Leonis epist. 81. ad Dioscorum, ubi satis authoritatem suam prodit.

Leo Episcopus Dioscoro Episcopo Alexandrino Salutem.

QUantum dilectioni tuæ dominicæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, cùm tibi specialis gratiæ merita (ut probavimus) suffragantur. Paterna igitur, & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligis proficisci. Unum enim nos sentire oportet, & agere, ut (sicut legimus) in unoquoque unum esse cor, & anima probetur. Cùm enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ unus Spiritus fuerit & discipuli, & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut, cùm unius nos esse corporis, & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia Doctoris, alia discipuli instituta videantur.

[c.]4. 24. [...]1. cùm [...]eiss.

1. Quod ergo à patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri: ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati, ejusque noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, hoc est sub lege Divini Officii substituantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & à jejunantibus sacra benedictio conferatur, &c.

2. Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cùm solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, &c.

Concilium Romanum tertium, quo Leo Pontifex Acta Ephesini Conciliabuli reprobavit, anno Domini 450.

CUm moris esset, ut ad tertium Kalendas Octobris singulis annis plurimarum Provinciarum Episcopi ad Synodum celebrandam Romam convenire solerent, opportunè accidit, ut absque alia Episcoporum vocatione post Hilarii Diaconi reditum Romæ ex pristino usu sancta Synodus cogeretur; in qua cuncta, quæ, more prædonum, Ephesi ab Eutychianis hæreticis gesta erant, penitus condemnata fuerunt. Ultra 15. Octobr. anni 459. initium hujus Synodi dilatum non esse, epistolæ Leonis, quas post hanc Synodum celebratam, ad Clerum Constantinopolitanum, Theodosium Imperatorem, & Pulcheriam scripsit, manifestè satis ostendunt. De rebus in Synodo gestis, Hilarius Diaconus in fine epist. ad Pulcheriam Augustam, quæ extat inter præambulares Concilii Chalcedonensis, hæc summatim perscripsit: *Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, à præfato Papa cum omni Occidentali Concil. reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones, & tumultus, & sæcula omnia à Dioscoro Episcopo gesta sunt, & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præjudicio sanctissimi viri, innoxiique commissa sunt.* Vide epist. Leonis 22. ad Clerum Constantinopol. 24. ad Pulcheriam, 27. ad Flavianum, 28. ad Archimandritas.

Hæc cùm Dioscoro innotuissent, vix Alexandriam reversus, habito Episcoporum conventu, in S. Leonem Romanum Pontificem excommunicationis sententiam protulit, idque scelus perpetravit, quod nullus perditorum hominum cogitasset. Mirum est dictu, quod cùm Eutychianam fidem, præcedente Conciliabulo, confirmasset Dioscorus Episcopus, plus minus nonaginta invenerit, qui latam à se sententiam subscribendo confirmarint, & non potuerit nisi decem dumtaxat, eosque lachrymantes, & invitos inducere, ut latam à se in Romanum Pontificem excommunicationis sententiam chirographo suo approbarent. Adeo enim omnes inauditum hactenus exhorruere facinus, portentumque insolitum execrati sunt, & licèt hæretici facti essent, & Catholicæ fidei adversarii; sublimitatem tamen, & majestatem throni Apostolici veriti, & reveriti fuerunt. Vide Liberatum Diaconum in Breviario cap. 12. Libellum Theodori Diaconi extantem apud Acta Concilii Chalcedonensis actione 3. Baronium anno 449. *Diosc. Papā excom.*

Concilium Constantinopolitanum, anno Domini 450. celebratum, in quo Anatholius, aliique Episcopi confessionem fidei Catholicam ediderunt, anno 450.

CUm Theodosius Imperator Anatholium Constantinopolitanum Episcopum, in locum Flaviani surrogatum, confirmari petisset, adeoque jam omnibus lapsis Episcopis ab errore resipiscendi, & ad fidem Catholicam revertendi via aperta esset; visum est sancto Leoni, ad Anatholii, aliorumque lapsorum fidem probandam, & confirmandam, mittere quatuor Legatos à latere, hos, Abundium, Asterium, Basilium, ac Senatorem, Presbyteros, qui lapsos redire volentes ad Ecclesiam, à qua impiè, Dioscoro cogente, vel Eutychete fallente, turpiter defecerant, probarent. Hi, dum Constantinopolim venissent, litterisque Leonis, quas ad Theodosium scripserat, Marciano Imperatori oblatis, honorificè excepti essent, jussu Pontificis Constantinopoli, anno Domini 450. Leonis undecimo, Synodum haberi, & ex vicinis locis Episcopos Catholicos convocari jusserunt. Primum omnium ex sancti Leonis Papæ litterarum præscripto Anatholius fidei confessionem edidit talem, quæ in omnibus S. Leonis Papæ scriptis consentiens, & planè Catholica inventa fuit. Post Anatholium alii eamdem fidem professi fuerunt. Absentibus mandatum est, ut per suos Legatos idem exequantur. Constat ex epist. 33. Leonis ad Theodosium, 34 ad Archimandritas, & 35. ad Pulcheriam, item ex Epistola Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter præambulares Concilii Chalcedonensis. Ex hac Synodo per Legatos Apostolicæ Sedis ad singulos Metropolitanos Orientis missam esse Epistolam Leonis 10. olim ad Flavianum datam, eo fine, ut omnes eidem subscriberent ea, quæ habentur post actionem quartam Concilii Chalcedonensis in causa Photii, & Eustathii, in Græcis codicibus testantur. In hac Synodo constitutum fuisse, ut Episcopis in satanico conventu Ephesino lapsis, ad communionem Ecclesiæ redire volentibus, suæ tantùm, non totius Ecclesiæ Catholicæ communio concedatur: sicut etiam, ne Dioscori Alexandrini, Juvenalis Jerosolymitani, & Eustathii Berythi Episcoporum nomina in Sacris nominarentur: ideò quod impœnitentes antesignani schismaticorum essent. Epistola Leonis 40. aut 42. ad Anatholium scripta manifestè indicat. Vide Baronium anno 449.

Concilium Chalcedonense generale tertium, anno 451. *habetur in secunda classe.*

Con-

Concilium Andegaven. pro reformatione Disciplinæ in Gallia, sub Leone I. anno 453.

HOc Concilium Frontoducæus Societatis Jesu in orbe litterario clarissimus ex obscuritate vindicatum misit ad Cardinal. Baronium, dum Annalibus suis ordinandis incumberet, ut illis insereretur, ex quibus postea ad tomos Conciliorum Binii corrivatum est.

1. De eo, cùm convenissent Episcopi Andegavis.

Cùm ad ordinandum Episcopum in civitate Andegavorum convenisent, & Talassius eset Episcopus ordinatus: omnibus pariter residentibus Leone, Eustochio, Charilatone, Rumorido, Vincentio, Victorio, & Malassio Episcopis, pari consilio, atque tractatu, Decisionem, quam verbis decreverant, etiam scripturæ mandare voluerunt, ut hac die, hoc est 4. Nonas Octobris, Opilione v. Consule, hæ regulæ Ecclesiasticæ servarentur, quæ à senioribus juxta authoritatem Scripturarum jam fuerant constitutæ.

2. De eo, ut contra Episcopale judicium clericis non liceat prosilire.

Primum, ut contra Episcopale judicium clericis non liceat prosilire, neque, inconsultis sacerdotibus suis, sæcularium judicia expetere: sed nec de loco uno in alium sine Episcopi permissione transire, nec sine commendatitiis sacerdotum suorum litteris commeare.

Occasione Sanctionis Valentinianæ anno 452. Romæ promulgatæ, qua Ecclesiasticum Forum suis privilegiis spoliabatur, nullaque extra causas Fidei, ac Religionis jurisdictio relicta erat, hunc canonem sancivere runt Patres.

3. De eo, ut Diaconi Presbyteris humiliter deferant.

Ut Diaconi Presbyteris noverint omni humilitate deferendum esse.

Hoc idem constitutum fuit ante annos plusquam centum in Concilio Arelatensi primo, can. 14. Sed qua occasione hoc statutum fuerit, sciendum, quod Diaconi, ob bonorum administrationem sibi commissam, majore honore à populo observabantur, eaque occasione adversus Presbyteros cervicem erigebant, eosque contemnebant: & cùm ex antiqua lege Ecclesiæ, Presbyteris sedentibus, ipsi stare tenerentur, ex administratione bonorum elatiores facti, contra has leges, & observationem Ecclesiæ agebant. Cùm ergo ille Diaconorum fastus aliquoties depressus, hoc tempore in Galliis vicissim repullulasset, opus fuit, ut Ecclesiasticæ censuræ securi, malum aliàs amputatum, iterum succideretur.

4. De violentia, & crimine.

Ut à violentia, & crimine perputationis abstineant.

Mendosè legitur, *perpurationis*, & legendum est *pervasionis*, ut *pervadere* sit *alienas res invadere, ac per vim usurpare*. Sic Concilio Agathensi c. 29. *Libertos legitimè à Dominis suis factos Ecclesia tueatur, quos si quis ante audientiam aut pervadere, aut expoliare præsumpserit, ab Ecclesia repellatur.* Item Turon. 1. can. 9. *Ut aut Diœceses alienas transgrediendo, terminos à Patribus constitutos pervadat.*

5. De familiaritate extranearum fœminarum.

Debiles. Familiaritatem extranearum fœminarum noverint esse vitandam. Sed si qui sunt cælibes, non nisi à sororibus, aut amitis suis, aut à matribus consolentur. Quia sicut bonum non est homini solum esse, ita familiares esse Clericos fœminis non oportet extraneis; quia frequenter plurimorum ruinas sub hac occasione deflemus. Si quis autem post hoc interdictum se à prædictis familiaritatibus revocare noluerit, nequaquam gradu altiori donabitur: &, si jam ordinatus fuerit, non ministret. Tùm si qui in tradendis, vel capiendis civitatibus interfuisse fuerint detecti, non solùm à communione habeantur alieni, sed ne conviviorum quidem admittantur esse participes.

6. De iis, qui accepta pœnitentia resilierunt.

Quod etiam de his, qui accepta pœnitentia resilierint, debita severitate servabitur. Quæ forma etiam circa eas, quæ de virginitate Sanctimonialium crimine proprio deciderunt, statuto rigore permaneat.

7. De iis, qui alienis uxoribus maritatis, conjugio abutuntur.

Hi quoque, qui alienis uxoribus, superstitibus ipsorum maritis, nomine conjugii abutuntur, à communione habeantur extranei.

8. De clericis, qui relicto clero, ad sæcularem militiam se contulerint.

Clerici quoque, qui relicto Clero se ad sæcularem militiam, & ad laicos contulerint, non injustè ab Ecclesia, quam reliquerunt, amoveantur.

9. De Monachis, qui cœptam observationem suam relinquunt.

Monachi quoque, qui cœptam observationis viam reliquere, & absque Epistolis, & absque certis negotiis, vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione, si se non emendaverint, ab Abbatibus suis, vel à Sacerdotibus ad communionem non recipiantur.

10. De Episcopis, quibus alienis clericis gradum augere non liceat.

Aliis quoque Episcopis aliorum Clericis gradum augere non liceat.

11. De Clericis, quibus excommunicare non liceat, nisi probatis criminibus.

Quicumque autem vel de laicis, vel de Clero ministri fuerint ordinati, & observare noluerint; si laicus, criminare non liceat, nisi fortè reprobaverint criminosos.

12. De Diaconibus, vel Presbyteris, ut bigami non ordinentur.

Nonnisi unius uxoris viri, iidemque virginibus copulati, Diaconi, vel Presbyteri odinentur.

13. De pœnitentibus, qui conversi errorem suum voluerint confiteri.

Pœnitentiæ sanè locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri, quibus perspecta qualitate peccati, secundum Episcopi æstimationem, erit venia largienda.

Quod ita inter prædictos viros pari Consilio, & ordinatione decretum est, ut si quis ex ipsis contra hanc ordinationem agendum esse præsumpserit, obvius fuisse regulæ Ecclesiasticæ judicetur: adversus quem cæteris fratribus suis, quasi adversus contemptores, licebit insurgere.

Con-

minore ... tannia.

Concilium Veneticum tempore Leonis Papæ I. celebratum, circa annum Domini 453.

no Do... i 453.

COncilium hoc licèt nulla Consulum nota perspicuum sit, constat tamen circa tempora Andegavensis, & Turonensis Concilii celebratum esse: qui enim huic Concilio interfuerunt, Sinodicam ad Victurium Cenomanensem, & Thalassium Andegavensem Episcopos dederunt, qui & Turonensi, & Andegavensi Concilio interfuerunt. Causam habiti Concilii prædicta Synodica indicat his verbis: *Itaque quoniam nos in Ecclesia Venetica causa ordinandi Episcopatus congregavit, &c.* ut scilicet disciplinam Ecclesiasticam barbarorum incursionibus in Gallia plurimum laxatam, emendent, & corrigant.

Dominis beatissimis, & nobis in Christo omni charitatis honore venerandis fratribus, Victurio, & Thalassio Episcopis, Perpetuus, Paternus, Albinus, Arthemius, Nunechus, & Liberalis Episcopi. Cùm semper à nobis cura Religionis haberi debeat in promptu, nec aliunde debeat esse meditatio, eo præcipuè tempore, quo nos, aut voluntas, aut occasio congregarit, ut communes ex multorum collatione tractatus, consentiente in Christo spiritu, multarum sententiarum authoritate firmetur, ne per singularem pro arbitrii sui qualitate definitio, aut imperitiæ decipiatur errore, aut tumore præsumptionis, vel iracundiæ depravetur: & dum unusquisque sine fratrum collatione suo tantùm credit arbitrio, statuat, quòd meritò omnibus possit displicere. Itaque quoniam nos in Ecclesia Venetica causa ordinandi Episcopatus congregavit, rectum esse credidimus, de regula Ecclesiastica, quæ nobis, donante Domino, credita est, & de districtione, cujus coram non sine culpa nostra omittemus, habita consultatione, ut quæ in priorum Patrum statutis vidimus omissa, & procedente tempore, ex nimia licentia prolabente sæculari libertate præsumpta, statutis celeberrimis sanciremus. Quod in notitiam beatitudinis vestræ, quia præsentia vestra nobis necessitate faciente fraudata est, credidimus deferendum, ut si probabile duxeritis, id quoque & vestra auctoritate firmetur, & districtione servetur.

I. Itaque censemus homicidas, & falsos testes à communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

II. Eos quoque, qui relictis uxoribus suis sicuti in Euangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sive adulterii probatione alias duxerint, statuimus à communione similiter arcendos, ne per indulgentiam nostram prætermissa peccata, alios ad licentiam erroris invitent.

III. Pœnitentes quoq; qui susceptam publicè pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitæ se sæculari, conversationique reddiderint, non solùm à communione Dominicorum Sacramentorum, sed etiam à conviviis Fidelium submovendos.

IV. Eas etiam, quæ virginitatem professæ, & benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione hujus propositi consequutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cum adulteris ipsarum arcendas à communione censemus.

V. Clericis, aut Monachis, sine commendatitiis Epistolis Episcopi sui, licentia non pateat ambulandi, aut evagandi: & in omni loco, ad quem sine Epistolis Episcopi sui (ut dictum est) venerint, à communione habeantur alieni.

VI. In Monachis quoque par sententiæ forma servetur. Quod si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri.

VII. Servandum est de Monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat à congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab Abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem Monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur.

VIII. Abbatibus quoque singulis diversas cellulas, aut plurima Monasteria habere non liceat, nisi tantùm propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

IX. Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui, servorum suorum sæcularia judicia adire non liceat. Sed si fortasse Episcopi sui judicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua adversus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam, non sæcularium potestatum, debebit ambire; aliter à communione habeatur alienus.

X. Clericos quoque ab Episcopis ordinatos, sine permissu eorum, à quibus fuerant ordinandi, promovere ad superiorem aliquem Ordinem non præsumant, ne concordiam fraternam injuria illata contaminet.

XI. Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, ne his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantentur, & turpia, aut obscœni motus corporis, choreis, & saltibus efferuntur, ne auditus, & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum, atque verborum contagio polluantur. *Jurisdictio Ecclesiastica.*

XII. Omnes deinceps Clerici Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquam excipiat: quia sicut apud Christianos cibis communibus non utuntur, indignum, atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi, cum ea, quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda: ac si inferiores incipiant esse Clerici, quàm Judæi, si nos, quæ ab illis apponuntur, utamur, illi à nobis oblata contemnant.

XIII. Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. Nec quis potest liberum corporis sui, ac mentis judicium habere, cùm captus vino à sensu probetur alienus, & proclivis ad vitium, mente labefactata ducatur, ac plerumque possit peccatum, aut crimen, dum nescit, incurrere. Sed ignorantia talis non potest subjacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaq; eum, quem ebrium esse constiterit (ut ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum esse supplico. *Ebrietas.*

XIV. Clericus, quem inter muros civitatis suæ manere constiterit, & matutini hymnis sine probabili excusatione ægritudinis, inventus fuerit defuisse, septem diebus à communione habeatur extraneus: quia ministrum sacrorum, eo tempore, quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est à salubri deceptione cessare.

XV. Rectum quoque duximus, ut vel intra Provinciam nostram Sacrorum, & ordo psallendi una sit consuetudo, ut sicut unam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, unam & Officiorum regulam teneamus, ne variata observatione, in aliquo religio nostra discrepare credatur.

XVI. At ne fortasse id videatur omissum, quod maximè fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti Clerici student auguriis, & sub nomine confictæ religionis (quas Sanctorum sortes vocant) divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque Scripturarum inspectione futura promittunt, in hoc quicumque Clericus detectus fuerit vel consulere, vel ducere, ab Ecclesia habeatur extraneus. Incolume regnum, & coronam vestram Ecclesiæ suæ Deus protegat, Domini fratres.

A

Concilium Constantinopolit. 73. Episcoporum, anno Domini 459. celebratum sub Leone.

CUm Leo Imperator apud Leonem Pontificem de indicenda universali Synodo diu frustra egisset, rogavit tandem, ut à latere suo Legatum mitteret Constantinopolim, qui unà cum Gennadio ejusdem Sedis Antistite vigilantissimo Ecclesias ab Eutychiana hæresi, & à labe Simoniaca expurgarent. Præsentibus igitur Domitiano, atque Geminiano Episcopis, Apostolicæ Sedis à latere Legatis, Gennadius Episcopos è proximioribus 73. convocavit. Inchoato Concilio, ex more primo omnium actum est de firmando Fidei decreto in Chalcedonensi Concilio edito, quod hæretici frequentibus ictibus concutere, atque penitus dejicere conabantur. B

Deinde recitatæ fuerunt ibidem omnes Epist. quas & Episcopi Orientis, & sanctissimi Anachoretæ conscripserant. Ad tollendam Simoniacam labem, quæ Constantinopolitanam Ecclesiam deturparat, Canonem illum ediderunt, qui in Epistola encyclica hujus Concilii apud Binium extante continetur. Reliqua acta omnia præter fragmentum à Theod. Balsamone post Nomocanonem, item Tom. 1. Biblioth. Sanctorum Patrum, interierunt. Vide Baronium anno 459. num. 1. 2. 3.

C

Concilium Romanum 48. Episcoporum sub Hilario celebratum anno Domini 467.

CAusam convocandi hoc Concilium indicat Hilarius Papa Epistola 8. his verbis: *Præsidente fratrum numeroso concilio ex diversis Provinciis ad diem natalis nostri in honorem Beati Petri Ap. per D gratiam congregato, &c.* & Ep. 1. *Lectis in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, literis vestris, quæ ordinandis Episcopis secundum statuta Canonum, vel prædecessorum meorum decreta sunt, discetis.* Unde patet, quod cum ad celebrandum diem creati Pontificis Hilarii 48 Episcopi Romam convenissent, ex Hispania diversæ Epistolæ Tarraconensium Episcoporum allatæ sunt; quarum prima Silvanum Calagurritanum de ordinatione perperam facta contra Canones denuntiabat; altera Irenæum, quem sibi Nundinarius Barcinonensis jam moriturus successorem designaverat, confirmari petebat. Utrumque improbatum est hoc in Concil. cum ordinatio Episcopi Deo, non homini referenda sit: & deponi debeant Episcopi præter decreta Ecclesiæ ordinem conferentes. Attamen Hilarius Papa Epist. 1. Synodica à se fatetur pro Silvano Episcopo quædam producta fuisse, quæ ad vitandum schisma Ecclesiæ Hispanicæ Pontificem ad dispensandum cum eodem Silvano commoverent. Quæ cum in Actis hujus Concilii desiderentur, ea mutila, & non integra esse evidentissimo argumento convincitur.

C A N O N E S.

Primò, ut Canones Nicæni Concilii, & Apostolicæ Sedis Decreta custodiantur.

2. quæst. 1. nulli fas. Secundò, ut Bigami, aut viduæ, aut corruptæ mariti ad gradus Ecclesiasticos non accedant.

Dist. 38. curandum. Dist 55. Pœnit. vel. Tertiò, ut pœnitentes, aut inscii litterarum, sive defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habentes, ad superiorem Ordinem non accedant.

8. quæst. 1. Plerique. Quartò, ut nullus Episcopus sibi eligat successorem, ad petitionem Episcoporum Tarraconensium. Nam Episcopus Barcinonensis post mortem suam velut jure hæreditario voluit Irenæum successorem in Ecclesia derelinquere.

Quibus Hilarius respondit ex sententia Episcoporum, qui in ipso Concilio sunt congregati per subjecta capita.

Primum, Quòd nullus ordinetur Episcopus sine consensu Metropolitani Episcopi.

Secundum, ut nullus Episcoporum, relicta una Ecclesia, ad aliam transeat.

Concilium Viennense in causa Rogationum triduanarum ante Ascensionem Domini celebrandarum, à B. Mammerto Viennensi Episcopo sub Simplicio Papa, & circa annum Christi 474.

IN civitate Viennensi tunc temporis inaudita cives prodigia terruerunt: nam motu terræ nimio, multarum Ecclesiarum subita eversione, & ruentium palatiorum concussione, gravis animi dejectio incubuerat, instantibus prodigiis mundi terminum, & extremum Judicii diem superventurum spectantibus. Porrò ibi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi, ac cervi ingressi per portam civitatis, homines plures devorantes, hoc per totum annum faciebant. Superveniente solemni die Paschæ sanctus Mammertus Viennensis Episcopus cùm in ipsa Vigilia sacrum Mysterium celebraret, Palatium quoque regale, quod editiore urbis loco eminebat, divino igne succensum est. Hanc divinæ indignationis animadversionem ex offensa hominum accidisse advertentes Episcopi, communi consilio decreverunt servari jejunium, quod triduo ante Ascensionem Domini usque nunc per omnes Galliarum Ecclesias agitur: sicque ipsa tribulatio, atque subversio quievit. Hæc Chron. Cameracens.

Concilium Arelatense à Leontio Arelatensium Episcopo contra Prædestinianorum errorem congregatum, temporibus Simplicii Papæ, & Enrici in Gallia Visigothorum Regis, circa annum Christi 475.

D

COngregatum fuisse à Leontio Arelatensi Concilium contra Prædestinianos testatur Faustus Regiensis in Præfatione libri de Gratia, & Libero arbitrio, quam ipse Leontio direxit, his verbis.

Domino beatissimo, ac Reverendissimo Leontio Papæ Faustus; Quod pro sollicitudine pastorali, B. Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis, &c.

Sed & jussus fuerat Leontius ab Hilario Papa concilia congregare, ex quibus posset Provinciis, in cujus mandati obedientiam hanc Synodum Arelate congregavit, anno 475. ad damnandum Prædestinationis errorem Epist. 4. in Sirmundo, aliàs octava in editione regia hujus mandati meminit.

E

Quæ verò acta, & decreta sint in speciali, non constat, nisi quod in eodem Concilio cura demandata sit eidem Fausto scribendi contra istam hæresim, juxta ea, quæ contra eam inducta fuerant, dum discuteretur à Patribus Concilii. Quod indicant verba hæc sequentia ejusdem præfationis. *Quod verò ad ordinanda ea, quæ consultatione publica doctissimè protulistis, operam infirmis humeris, curamque mandastis, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, &c.*

Quod autem circa hunc annum, quem Sirmundus assignat, Concilium hoc celebratum sit, ex eo probabilius fit, quod sub Leontio habitum fuerit; at Leontius anno salutis 462. sedem auspicatus est, cujus rei testis est Hilarius Papa, qui ad illum rescripsit tanquam ad novum Metropolitam ann. 462. extantque literæ apud Baronium eodem anno, probat que aliis ratio-

rationibus Petrus Saxius in Pontificio Arelat. qui & conjicit sedem produxisse ad annum 480. unde intra annum 462. & 480. habitum fuisse Concilium necesse est, quod circa annum 475. consignat Sirmundus, non determinando quis fuerit. Sed & coincidunt tempora Fausti, qui Prospero successit in Episcopatu ad annum 464. apud Petrum à Natalibus in catalogo Sanctorum.

Epistola Fausti ad Lucidum Presbyterum errore Prædestinatianorum infectum, & alia epistola Lucidi ad Synodum Lugdunensem non videntur fuisse lectæ in hoc Concilio, nec approbatus liber Fausti de Gratia, & libero Arbitrio, licet ex his, quæ in Concilio dicta fuerant, conflatus sit. Probatur, quia nondum ista conscripta erant, cum habitum est hoc Concilium. De Epistola Lucidi res est evidens, quia epistola scripta ad posteriorem Synodum in anteriori non legeretur. De Epistola verò Fausti, & ejus libro, id probatur ex anteà dictis, quia demandata est illi cura scribendi de istis per Synodum: ergo tantùm post Synodum, saltem quod spectat ad librum prolixiorem, & majoris operæ: licèt verò epistolam durante adhuc Synodo scribere potuerit, aut jam scriptam exhibere Synodo, seu ad probationem ejus habendam, ut multorum est sententia, seu ad testandam fidem suam, de qua suspectus à quibusdam habitus est: hoc tamen probari non potest, quia debuisset subscribi à Leontio præside Synodi prius, quàm ab aliis Episcopis: at ejus subscriptio minimè invenitur in hac epistola. Quare mihi verisimilius est ex mandato hujus Concilii Arelatensis tàm epistolam ad Lucidum, quàm librum de Gratia, & libero Arbitrio Faustum scripsisse, quam epistolam à pluribus subscribi curavit, ut majori fide digna à Lucido haberetur.

Nec obstat, quòd in fine præfationis laudatæ dicat Faustus: in quo quidem opusculo, post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit: incertum est enim, quo referatur subscriptio. Et ad quid librum Leontio dedicasset Faustus, si jamdudum ab ipso approbatus, ac subscriptus fuisset. Nec novi isti errores in libro Fausti inventi intelliguntur, sed magis in Prædestinatianis hæreticis, qui ut volunt latere, omnes suos errores simul non profundunt. Nisi malis cum aliis existimare epistolam Lucidi bis propositam fuisse. Primo in hoc Concilio Arelatensi, sed imminutam, nec omnibus numeris absolutam: secunda vice in Concilio Lugdunensi completam, prout habetur in Sirmundo tomo primo Conciliorum Galliæ, necnon in Bibliotheca Patrum Coloniensi tomo 5. parte 3. Quæ non observata à pluribus, nebulas offundunt. Non minus, quàm variæ consignationes annorum de synodis ob præsentem hæresim celebratis.

Sciendum est enim Epistolas Fausti, & Lucidi non uno modo inveniri in antiquis manuscriptis, ex quibus in volumina Conciliorum reposita fuerunt. Primò enim in quodam volumine manuscripto sancti Galli, eoque perturbatissimo inventæ sunt ab Henrico Canisio sine ullis subscriptionibus, propter quod nullius Concilii auctoritate firmatas esse existimavit, imo & in hunc errorem inductus est, ut putarit esse semiPelagianas. Attamen in prædicto manuscripto post aliqua opuscula interdicta legitur: *Item alia manu, Faustus exemplar epistolæ meæ relegi, & subscripsi*.

Secundò inventæ sunt cum subscriptionibus, sed in minori numero Episcoporum, & sine fusiori aliqua explicatione aliquot propositionum in ipsa contentarum, maximè illius, quæ Christum pro omnibus mortuum asserit, cujus verba, si nihil addatur, possunt trahi in diversos sensus. At isto modo reperiuntur in Margarino de la Bigne, Baronio, Binio, & aliis, sicque eas Catholicas esse Basfichelanus Magister sacri Palatii, & alii scriptores Catholici sentiunt.

Tertiò inventæ sunt cum subscriptionibus plurium adhuc Episcoporum, & cum explicatione fusiori aliquot propositionum ad tollendam omnem ambiguitatem sensuum, quibus tuentur hæretici suos errores, qualiter inveniuntur in libris jam anteà indicatis, & exhibebuntur in sequenti classe.

Est ergo mens Joannis Eusebii, quod juxta secundum modum in hoc Concilio Arelatensi lectæ fuerint, & approbatæ: sed cum postea novi errores apparerent, puta ex mala interpretatione propositionum aliquot, hinc est, quod novis erroribus deprehensis, dicitur, quod synodus Lugdun. aliqua adjici exegit, quæ fuit ratio, cur in Synodo Lugdunensi cum additamentis prædictæ Epistolæ lectæ sint, & approbatæ. Plures enim Episcopi subscripserunt epistolis cum additamentis: sunt enim triginta, inter quos plures Sanctorum catalogo inserti sunt, ut injuriosè nimium habiti sint ab hodiernis Novatoribus, qui post Usserum Dublinensem Archiepiscopum Calvinistam non verentur eos appellare semiPelagianos, quo securiùs eorum doctrinam damnent. Sunt enim inter eos S. Pragmatius Episcopus Augustodunensis, S. Patiens Lugdunensis, & S. Claudius Bisontinus, de quibus Baronius ad annum Christi 490.

Præcipuum autem caput istius hæresis erat opinio de prædestinatione, & reprobatione, quam sic concipiebant quasi Deus absoluto decreto, nullo habito respectu operum futurorum quosdam in certo numero elegisset ad gloriam, & pro ipsis solis Filius incarnatus, & crucifixus fuisset, non pro aliis, quos in majori numero, absoluto etiam decreto, reprobasset, quia sic sibi placitum erat: Unde si ante examen operum de omnibus irrevocabili præjudicio est definitum, perspicuum esse putabant tolli omnem sollicitudinem bene operandi, quia si es deprehensus, in priori numero nulla incuria faciat, ut excidas: sin aliter nulla sollicitudo faciat, ut intres: sic enim pronum est pluribus speculationem ad praxim applicando ratiocinari, unde notat Lessius in prologo ad disp. de præd. & reprobatione, ex consideratione prædestinationis quosdam in gravissimos Melancoliæ affectus incidisse; alios studium pietatis, & religionis abjecisse; alios penè per totam vitam in anxietate versari, prædestinationem Dei semper suspectam habentes: sunt aliqui verò tàm felici, vel facili ingenio, ut nullæ absolutæ, & inseparabiles Dei prædefinitiones, nullæ prædeterminationes in voluntatem immissæ eos commoveant, perinde ista habent. Speculativè illa considerant, ad praxim non applicant. Solantur de tenebris mysterii, & quod malle se dicunt esse in manibus Dei, quàm in manu consilii sui. At tanta non est facilitas pluribus, & exactioribus mentibus, cùm res sit omnium gravissima, & nondum ab Ecclesia determinata, non ita cito sentiunt, quod volunt, sicut alii, unde nec possunt ferre talia doctrinæ principia, ex quibus plus desperationis, quàm spei consequitur ex inæqualitate numeri prædestinatorum, & reproborum: quidni ergo concilia inquirant quid magis expediat credere in re tanti momenti?

Prædestinatio res gravissimi momenti.

Cæterum hoc Concilium non fuisse primum contra Prædestinatianos congregatum, ex eodem demonstramus, quod incęperint sub finem vitæ Cœlestini Papę, & D. Augustini circa annum 430. non est autem probabile tandiu Synodos conticuisse, cùm tunc frequentissimæ essent de heresi tàm perversa. Qua de re agendum erit pluribus in sequenti classe, ubi epistolis Fausti, & Lucidi locus erit. Interim ad aliquam notitiam hujus hæresis aliqua specimina libri Fausti Regiensis *de Gratia, & libero Arbitrio* subjungimus, nonnullis pręmissis de hæresi Prædestinatianorum.

De hæresi Prædestinatianorum.

Ut initium istius hæresis sępius renascentis fiat evidentius, sciendum est illam profluxisse ex hoc, quod non satis Massilienses Presbyteri in Gallia, mentem D. Augustini assecuti sunt, cum ejus doctrinam de Gra-

Gratia, & libero arbitrio, ac ei annexis articulis, acriter carpebant, & criminarentur. Simile scandalum passi fuerant Adrumetini Monachi in Africæ oppido Adrumeto; colligebant enim ex doctrina D. Augustini, non esse liberum arbitrium, & in die judicii non reddendum unicuique secundum opera sua, quibus consuluit D. Aug. per librum de *gratia, & libero arbitrio*. Cumque occasione hujus libri in alium errorem incidissent, scilicet neminem corripiendum, si præcepta non servasset, sed tantùm pro eo orandum, quod sola Dei gratia omnia præstaret, eidem malo occurrit D. Aug. per alium librum de *correptione, & gratia*, ex quibus sedati sunt illi Adrumetani, sed quibus post Cassianus, & alii in Gallia, ex iisdem libris D. Augustini exacerbati sunt, quasi totum tribueret gratiæ, nihil libero arbitrio. Hi dicti sunt Massilienses, & Semipelagiani, quod rejecto Pelagii dogmate particulam ejus retinerent, nempe initium fidei esse ex libero arbitrio: ob id tumultuatum est, prout manifestum est ex Epistolis Prosperi, & Hilarii Arelatensis, in quibus de his contradictionibus ipsum admonent. Scripserat autem D. Augustinus ea, ex quibus ipsi scandalum patiebantur, contra Pelagianos totam salutem hominis solius liberi arbitrii viribus, & operibus tribuentes, seu illa peragenda essent, seu tantùm præscita se vixissent homines. Etiam prædestinationem ob ipsa factam putabant, ut nihil gratiæ Dei supernaturali reliquum facerent. Contra quos dum D. Augustinus & respondet ad ipsos, in errores, qui satis noti erant, scribit, intelligendus est, non alia opera humana excludere voluisse, quàm ea, quibus Pelagiani omnia tribuebant, scilicet solius liberi arbitrii opera. Nihilominus dùm contra tales inimicos gratiæ Dei scripsit libros de *prædestinatione*, & de *perseverantia*, non acquieverunt. Itaque post hos libros magis adhuc visus est Massiliensibus semiPelagianis, quasi in alteram foveam delapsus esset, minus tribuere libero arbitrio, atque adeo ipsius doctrinam vellicarunt, ac criminati sunt, ipsi injuriosè affingentes, quæ non asseruerat. Quod alii, dicti Prædestiniani postea non ferentes, cum benè affecti essent ad D. Augustinum, dogmata illa, quæ illi improperabant Massilienses sine debito, ac sufficienti examine, an verè essent D. Augustini, defendere cœperunt, ut illius causam susciperent; & sub eo prætextu quod essent D. Aug. sic factum, ut D. Augustinus & ab adversariis, & ab amicis simul malè haberetur; ab illis quidem, quia eum criminabantur ob falsam doctrinam; ab his verò, qui eum tuebantur in falsa doctrina, quasi ab eo emanasset. Nec facilè judicet quispiam, qui gravius in eum peccarent, amici ne, an adversarii: nisi quod dicat Salomon, meliora esse vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.

Ut ut sit, hinc prima mali labes, hinc origo Hæreticorum Prædestinianorum, quorum errores in hoc Concilio carpuntur: ac cum hanc hæresim verè extitisse multis probet Hincmarus *de prædestinatione* c. 1. sub præsulatu Cœlestini Papæ, maximè ex scriptis Gennadii, Hyginique, nec non antiqua chronica Prosperi, Sigeberti, & recentiora Vincentii Belvacensis, ac Philippi Bergomatensis, Baronii quoque, & Genebrardi, & aliorum testatum faciant, inveniuntur tamen in hoc sæculo, qui ista inter fabulosa esse aliis persuaserunt, ut inter cæteros Jansenius Episcopus Iprensis l. 8. de hæresi Pelagiana c. ultimo, quod errores Prædestinianorum revocaret, ut cum docet l. 10. de gratia Christi c. 4. nullam aliam esse causam electionis, & reprobationis hominum, quàm merum Dei beneplacitum, qui ex pariter damnatis per peccatum originale quosdam elegit, in quibus misericordiam suam ostenderet, alios reliquit, erga quos suam justitiam exerceret. Ac quamvis hoc principium solitariè sumptum de hæresi non debeat accusari, cùm è multis catholicis Lectoribus passim asseratur, sitque de profundioribus quæstionibus, de quibus noluit Cœlestinus determinare, sicut nec determinarunt hactenus Pontifices. Ex hoc tamen principio facili consequentia errores suos derivabant; sicut fecit Calvinus, & post eum Jansenius ex hoc principio errores consequentes defendit, ut quod gratia non detur omnibus ad mandata Dei adimplenda, ut propterea etiam quibusdam justis impossibilia sint. Quod liberum arbitrium indifferentiæ ad bonum, & malum nullum supersit, quod Christi mors solis electis prosit, & alios. In uno tamen differt, quod ignes æternos, non obstantibus istis, admittit, non tantùm pro adultis, sed etiam pro infantibus in peccato originali extinctis; quod peccatum originale totam causam reprobationis esse docet, nec aliam admitti à D. August. libro eodem c. 3. Atque cum disserendi contra ista omnia seges sit ingens, tantum hic ostendere libet prædestinationem, ac præscientiam Dei minimè libertati indifferentiæ obstaculum inferre, ut, capitali errore hìc everso, præjudicium detur de aliis erroribus.

Sic autem rem istam conficit Joannes Driedo de captivitate, & redemptione generis humani sub finem: quamvis contingere non possit, quod aliquid non fiat, aut futurum sit aliter, quàm Deus, aut prædestinaverit, aut reprobaverit, tamen secundum Canonicas scripturas firma fide tenendum est, Deum ea, quæ facturus est libera sua volūtate, & contingenter facturum esse, ex quo consequens est hominem, qui prædestinatus est, posse damnari, & eum insuper, qui est reprobatus, posse salvari; cum sit ex scripturis sacris manifestum, Deum ea posse nunc facere, quæ proposuit facere, & eumdem insuper multa posse facere, quæ tamen ipse facturus non est, prædestinatum quoque hominem posse facere mala, quæ non facit, & à charitate cadere usque in finem vitæ, & posse perseverare in mala voluntate. Deinde operatur quidem divina prædestinatio in omnibus prædestinatis benè vivere, & rectè operari, sed id tàm suaviter, tàmque sapienter Deus operatur, ut non adimat eis declinandi ad vitia possibilitatem, neque præscientia, neque reprobatio cogit reprobos, si converti noluerint. Et quia hoc difficillimè penetratur, magis studeas in hac vita Deum diligere, timere, & revereri, quàm ejus secreta mysteria comprehendere. Præterea ex eo, quod Salvator dicit Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, consequens est, hominem à Patre tractum aliquid etiam voluntariè agere, scilicet sua sponte venire, quamvis nequaquam venire potuisset, nisi tractus esset. Agit enim Deus aliquid sine nobis, & aliquid agit cooperantibus nobis. Et ut idem Driedo in eodem tractatu paulo superius dixerat, Providus sanctæ Scripturę Spiritus omnibus obviat erroribus. Nam interdum exaggerando, & inclinando gratiam tacita libera voluntate totum tribuit divinę misericordię, ne homo putet aliquid esse suum, quod non sit ex Dei munere. Interdum tacita gratia totum tribuit homini, ne ita in Deum cuncta rejiciat homo, ut se putet posse otiosum esse, & segnem. Hęc est per omnem locum Prophetica, Euangelica, & Apostolica doctrina, quę nec superbos vult nos esse, nec desides. Unde Deus, & liberum arbitrium simul ad opus bonum concurrunt, non perinde, atque duo homines ad navis motum, ubi uterque suis agens viribus trahit. Ubi tametsi ipsius navis motus non fieret, nisi uterque traheret, tamen nec alter ab altero vim accipit agendi, nec impetum, inclinationem, aut affectionem trahendi; sed concurrit ad opus bonum Deus cum homine, quemadmodum sol cooperatur aeri ceram mollienti per acceptum ab ipso sole lumen, & calorem, quemadmodum & doctor concurrit viam monstrans, & erigens ducit languidum, & imbecillimum. Hęc ille doctor.

Sed ut hęc ratiocinatio aliquorum mentem tranquillare valeat, non tamen eorum, qui rem tantam magis oculatè perspiciunt, ut meretur perspici res, in qua de summa hominis agitur. Quod enim Deus tàm suaviter, ac sapienter agat, hoc non minus eripit libertatem homini, qua meretur, & demeretur, nam talis præde-

prædestinatio infert necessitatem benè agendi, & talis reprobatio infert necessitatem malè agendi. Ubi verè necessitas adest, libertas abest. Hoc jam fixum est in damnatione 5. propositionum Jansenii, de quibus infra: Nec salvat libertatem suavitas illa agendi ex parte Dei: quemadmodum, absit verbo injuria, latro, qui tàm sapienter, & subtiliter tibi bursam eriperet, ut non sentires, numquid propterea minus esses spoliatus? ò sapientia humana quanta es! ferè me in opinionem tuam induxisti: ut crederem me liberum, modò suaviter, & subtiliter ad bonum, vel malum ducerer, licèt necessariò. Sed hæc simplicioribus solatio sint, nihil proficiunt eruditis, qui necessitatem excludere libertatem dogma esse Catholicum noverunt. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Medicina hæc suavitatis divinæ præmotionis perplexitatem non sanat, sed magis exasperat: decet sapientes consequenter loqui ad ea principia doctrinæ, quæ posuerunt, aut ea certè repudiare. Omnis arbor bona bonos fructus facit. Sed mali erant fructus errorum Prædestinianorum, quos ex sua prædestinatione vi satis rationabilis consequentiæ inferebant: debebant ergo corrigere principium istud, ut errores consequentes vitarent; hoc est facere arborem bonam, & fructus ejus bonos.

[margin: ...vitas ...ina ...salvat ...rtatem ...cessita-]

Demum notanda verba Tertulliani cap. 2. de exhortatione castitatis. *Non est bonæ, ac solidæ fidei sic omnia ad voluntatem Dei referre, ut non intelligamus esse aliquid in nobis ipsis.*

Quædam specimina librorum Fausti de gratia, & libero arbitrio.

Faustus lib. 1. De Gratia Dei, & libero arbitrio, ubi in primis duobus capitibus Pelagianos refutavit, incipit ca. 3. Prædestinianos refellere, variasque eorum sententias, cap. 3. Nunc veniendum est ad illos, inquit, qui dum gratiam aliis dare, aliis negari asserunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt, &c. totum, inquiunt, solius est gratiæ; istud melius à nobis poterit dici, hoc magis nostris partibus poterit applicari, qui non in partem, sed in totum genus humanum gratiæ beneficia fatemur extendi: sic tamen ut ei vigilantiæ humanæ studium judicemus adjungi.

[margin: ...ogma ...edest. ...fellitur.]

Cap. IV. Cum dixerint, totum gratiæ Dei est: quis non ad tàm reverendum nomen omni cordis inclinetur affectu? sed cum responderimus, totum planè gratiæ est, sed omnibus eam offert, atque ingerit ad salutem omnium conditor, ac Redemptor. Ad hæc illi longè à pietatis tramite recedentes respondere præsumant. Non eam omnibus salvator dedit, quia nec pro omnibus mortuus est. Ecce statim in secundis apparet gratiæ impugnator, qui in primis putabatur assertor. Objiciunt nomen gratiæ, ut abominandum sensum operiant blasphemiæ. In alterutram itaque partem subsidia orationis excludunt. Quid enim ultra speret, quem jam gratia suum fecit? in quo contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit, &c. Sed dicis, ideo orare debet, quia, ex qua parte sit, nescis, &c. Quid refert, si nondum noverit locum suum, qui definitissimè novit, quia nullum jam recipiat vel dextera periculum, vel sinistra profectum?

[margin: ...Cor. 15. ...ratia ...ævenit.]

Cap. VI. Vide, quomodo ad gratiæ donum semper subjungit laboris obsequium. *Non ego autem.* Quia mentionem solius laboris intulerat: cito quasi ad amplexum matris gratiæ recurrit dicens: *sed gratia Dei mecum. Gratia*, inquit, *Dei sum.* Primas partes soli gratiæ piè subjectus adscripsit, media quæque labori magister obedientiæ deputavit.

Cap. VIII. Contra hoc, quod dicunt, liberum arbitrium ex toto fuisse sublatum. Hoc intelligebant de libertate indifferentiæ.

Cap. IX. Sed interrogas, & ais, quomodo intelligendum est infirmatum humanæ mentis arbitrium?

A attenuata libertas ejus, ita gratiæ adminicula plus requirit, sicut homo longa infirmitate confectus, adjutoriis, ac solatiis gradu titubante magis indiget, &c.

Audi Legislatorem de voluntatis arbitrio disputantem. *Posui ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum, elige vitam, ut vivas.* Et iterum *viam veritatis elegi.* Vides, quod neminem hoc cogit tali vel impositæ perditionis necessitas, ubi competit eligendi potestas, &c. [margin: Deut. 30. Psal. 118.]

Cap. X. Sed dicis, in totum nihil est hominis, sed totum gratiæ Dei, ut Apostolus dicat. *Non volentis, neque currentis*, sicut sibi arrogat Judæus ex lege, vel B Pelagius ex liberi arbitrii præsumptione, sed licèt cum hominis servitute, totum tamen miserentis est Dei, non volentis, neque currentis. Hic illum evidenter notat, & arguit, qui solum se sibi sufficere sine manu adjuvantis existimat, &c. Hoc loco Apostolus gentium afferens fidem Judæorum superbiam coercet, & comprimit, qui sibi justitiam de legis operibus abrogabant. [margin: ad Rom. 9.]

Cap. XII. Contra eum sensum qui dicit, quod vas in contumeliam non possit adsurgere, ut sit vas in honorem.

Cap. XIV. Sed dicis: Si prædestinatio non est, cur in parvulis alii baptizantur, alii sine baptismi sanctificatione rapiuntur? serpentinæ fraudis est ad tenebrosas cavernas relicta luce transfugere, &c. C quid utilitatis est certa omittere, & incerta consulere, de quibus nihil invenis Catholica lectione conscriptum? non intelligis, quod in veritatis injuriam perscrutaris, quicquid veritas scire te noluit? materiam de liberi arbitrii ratione proponis, & ad discutiendum infantiæ statum pernicioso errore delaberis? in quo nullum penitus vestigium liberi arbitrii, nullum apparere potest propriæ voluntatis judicium.

Cap. XVI. Dominum nostrum Jesum Christum ajunt carnem non pro omnium salute sumpsisse, nec pro omnibus mortuum esse. Hoc omnimodis Catholica detestatur Ecclesia. Nam si ita esset, quomodo Apostolus diceret (1. Cor. 15.) *Sicut in Adam omnes moriuntur, &c.* Idem etiam impii per virtutem resurrectionis Christi resuscitandi etiam creduntur, D &c. [margin: Dogma prædestin. de morte Christi refellitur.]

Quod si quemadmodum abrupta blasphemat impietas, alii ad mortem prædestinati, alii prædestinati videntur ad vitam, nullam Christus veniendi causam, nullam moriendi, quam pietas ejus invenit, habuit necessitatem. Novum ergo remedium nihil agere potuit; si ante sæcula res humanas definitio vetusta præfixit, &c.

Cap. XVII. *Nemo* (inquit Joan. 6.) *venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quis tàm immemor salutis suæ sit, qui attrahentis misericordiam negare præsumat? Sed ille verè impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi, &c. quid vos oportet inter ista sentire, nisi ut semper gratiæ subjiciamus laborem, & semper gratiam cum labore sociemus? [margin: Gratia omnibus datur.]

Cap. XIX. Si autem, ut dicit hæreticus, per volunta- E tem Dei trahuntur homines in perditionem, quomodo in lectione Regum mulier loquitur ad David. *Nec vult, inquit, Deus perire animam.*

Lib. 2. cap. 6. Quia ergo dicit, *Cum enim nondum egissent boni aliquid, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum, quia major serviet minori.* Ex vocante quidem dictum est, non tamen ad compellendos, vel repellendos, sed ad credituros, & non credituros dictum esse mandatum est: ut divina sibi constante justitia ad hominis pertineat voluntatem, vel renuere, vel observare præcepta, &c. [margin: Nota solutionem.]

Quomodo hic juxta pravi sensus interpretem circà nondum natos sententia cœlestis exeritur? nec reus enim esse potest nondum genitus, nec dilectus: nihil

nihil enim meretur nondum productus in lucem: sed sicut in futurum adhuc erat eorum reposita conversatio, ita futura præscientis offensio, futura prænuntiatur electio.

Cap. VIII. Sed dicis naturalia bona commemoranda non esse, quia ante adventum Christi nequaquam gentes ad salutem pertinuisse manifestum est, &c. ut extollam beneficia curantis, sed in immensum præferam redimentis. Nec hoc quidem videbor incautus, si profitear, quod aliquoties in dispositionibus nostris, non quidem in vitæ nostræ primordiis, sed dumtaxat in mediis gratias speciales, & ex accidenti largitate venientes, voluntas nostra Deo ita largiente præcedat, &c.

Cap. IX. Contra hoc, quod dicunt, quia ante gratiæ tempus agnitio unius Dei gentibus concessa non fuerit. In grandi profundo ignorantiæ volutantur, qui dicunt, quod unius Dei notitiam habere non potuerint gentes ante Salvatoris adventum, &c.

Deteriorem pecude hominem facis, cur enim ei relinquis peccatum, cui tollis arbitrium? aut si eum subdis peccato, noli privare judicio. Non ergo mentiatur iniquitas sibi, novit quid in occulto dederit homini cognitor occultorum (intellige de gratiis interioribus, quæ datæ sunt gentibus) & ideo quando ab eo quisque corripitur, & condemnatur, bonum facere potuisse convincitur, &c.

Ex paucis istis excerptis duorum librorum Fausti de gratia, & libero arbitrio agnosci potest ipsorum puritas, cum omnia ad hos sensus reducenda sint ab æquo lectore: agnoscitur quoque prædestinatianos hæreticos verè extitisse, quandoquidem Faustus in istis libris abjurato Pelagianismo, imo & semiPelagianismo, cum ejus sententiæ utrumque improbent, eorum tanquam hæreticorum errores refert, refellitque eorum præcipua argumenta, quos quidem errores, & argumenta manifeste conati sunt restaurare Calvinistæ, & Jansenius Yprensis, ejusque sectatores. Ut vel ex his solis libris confutari possit, quod ajunt, nunquam in rerum natura extitisse prædestinatianos hæreticos, sed id confinxisse Hincmarum Remensem. Unde enim melius errores aliquando viguisse cognoscimus, quàm ex scriptis Patrum, qui eos improbaverunt?

Nec obstat, quod dicitur, Faustum Pelagianum, aut SemiPelagianum extitisse. Esto enim eorum erroribus aliquando adhæserit, at duodecim menses anni sunt, in uno retractat homo, quod in altero malè conceperat. Certè in isto opere, si benè expendatur, Pelagianismi, & SemiPelagianismi errores improbantur, & Gennadius Episcopus Massiliensis, qui fuit aliquando SemiPelagianus, sed præcepto Gelasii emendavit se, cum circa illius tempus, nemo ad fastigium Episcopalis dignitatis assumeretur, qui prius professionem fidei ad præscriptum Rom. Ecclesię non edidisset. Gennadius, inquam, post palinodiam, in vita Fausti, quam Margarinus *de la Bigne* præmisit his libris in Bibliotheca Patrum, laudat eximiè hoc opus. Edidit quoque, inquit, egregium opus de gratia Dei, qua salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet gratiam Dei semper & invitare, & præcedere, & juvare voluntatem nostram: & quicquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse propium meritum, sed gratiæ donum. Quibus verbis ostendit hunc librum immunem esse ab errore SemiPelagianorum, qui negabant gratiam Dei necessariò prævenire libertatis opus.

Fausti defensio.

Quod autem à tribus Pontificibus damnati libri Fausti de gratia, & libero arbitrio ferantur; nequaquam de his libris accipiendum est, sed de aliis ejusdem argumenti, quos dum esset Pelagianus scripserit, Nec isti speciatim designantur inter Apocryphos à Gelasio, ut infra videbitur in Concilio Romano sub eodem; similiter quod contra ejus libros plures ex Pa-

A tribus scripserint, contra alios scripsisse intelligendi sunt. Quod manifestè docet Trithemius in libro de script. Ecclesiasticis anno 496. Tandem inquit à B. Fulgentio Ruspensi Episcopo correptus, & emendatus, errorem deseruit, & ad veritatem Catholicæ fidei reversus est: in cujus rei argumentum egregium volumen edidit contra pristinos errores, quod de gratia Dei prænotavit. Hæc Trithemius. Atque hoc ipsum manifestum fieri posset ex septem opusculis, quæ scripsisse fertur Fulgentius contra libros de gratia, & libero arbitrio, qui interierunt, sicut & duo alii libri ejusdem Fulgentii *de differentiis gratiæ*, ex quibus lux affulget istis difficultatibus.

Cæterum de causa Fausti multi se immiscuerunt; Aliqui contra ipsum scripserunt, & famam ejus dehonestarunt viri etiam doctrina, & auctoritate insignes. B Alii verò ab ejus partibus steterunt non pauciores numero, nec merito impares. Ut etiam in catalogo sanctorum insulæ Lyrinensis reponatur apud Vincentium Barralem, & à pluribus aliis nomine sancti decoratur. Difficultates aliæ ex hoc consilio nascentes tractabuntur infra pluribus in locis, ac maximè in 5. classe in Concilio Lugdunensi. Prodierunt autem ann. 1659. Lugduni opera Parthenica Joannis Eusebii S. J. in quibus dissertatio epistolaris valdè erudita de hoc Fausti negotio continetur, quæ non multum nobis adversatur. Hanc lectori studioso indicare operæ pretium nobis visum est.

C *Turonicum Concilium primum tempore Simplicii Papæ, anno Domini* 482. *Turones Lugdunensis Galliæ populi ad Fluvium Ligerim authore Plinio lib.* 4. *cap.* 18. *Ptolomæo lib.* 2. *cap.* 10. *Urbs vulgò dicitur TOURS.*

SEverino viro clarissimo Consule, sub die 18. Cal. Decembris, cum ad sacratissimam festivitatem, quo Domini Martini receptio celebratur, in civitate Turonorum beatissimi Sacerdotes, quorum subscriptio subter adjecta est, venissent, necessariò crediderunt, ut quia per longam incuriam in aliquo de rebus Ecclesiasticæ disciplinæ regula fuisset vitiata, diffini- D tionem suam, quę cum Patrum authoritate concordat, pręsentis scripturæ emanatione firmarent, non quæ prius illicitè commissa sunt revolventes, sed in posterum universorum utilitati prospicientes, ut secundum Euangelica præcepta, & Apostolicam doctrinam Patrum statuta servantes, Ecclesia Domini pura, & immaculata permaneat.

Canones Turonensis Concilii primi.

Primo ergo loco Sacerdotes, vel ministri Ecclesiæ (de quibus dictum est, Vos estis lux mundi) ita in omni sancta conversatione à Dei timore actus suos dirigant, ut & divinæ possint placere clementiæ, & bonum fidelibus præbeant exemplum; quia sicut væ eis interminatur, per quos nomen Dei blasphematur, ita E illi immortalitatis gloriam consequentur, per quorum actum nomen Dei benedicetur. Si enim universis fidelibus secundum Apostolicam doctrinam castitas custodienda indicitur, ut qui habent uxores, ita sint quasi non habentes, quanto magis Sacerdotes Dei, ac Levitæ divino mancipati altario custodire debent, ut non solùm cordis, verum etiam corporis puritatem servantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad divinum mereantur introire auditum, quia secundum authoritatem Apostoli, qui in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Et iterum: Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum, sed polluta est mens eorum, & con- *Matth. 5*

scien-

ſcientia. Cùm ergo laico abſtinentia imperetur, ut A poſſit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri, quantò magis Sacerdotes, vel Levitæ, qui omni momento pacati eſſe debent, ac in omni munditia, & puritate ſecuri, ne aut ſacrificium offerre, aut baptizare, ſi id temporis neceſſitas popoſcerit, cogantur imparati, aut immundi. Qui ſi contaminati fuerint carnali concupiſcentia, qua fronte excuſabunt, quo pudore uſurpabunt, qua conſcientia, quo merito exaudiri ſe credunt?

2. Et licèt à Patribus noſtris è commiſſa authoritate id fuerit conſtitutum, ut quicunque Sacerdos, vel Levita filiorum procreatione operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineret, nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſta conſtitutione molientes, id decrevimus, ut Sacerdos, vel Levita conjugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens; ad altiorem gra- B dum non conſcendat, neque ſacrificia Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficit his tantùm, ut à communione non efficiantur alieni. Sed ut hæc valeant obſervare, fomitem omnium vitiorum oportet abſcindi, Apoſtolo præcipiente: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Et quàm gravi ebrietas ſupplicio expietur, eadem Apoſtolica manifeſtat doctrina, inter cætera dicens; Neque fornicatores, neque idolis ſervientes, neque ebrioſos regnum Dei poſſeſſuros. Si quis verò in omni officio clericali Deo militans ab ebrietate ſe non abſtinet, ſecundum ſtatus ſui ordinem competens vindicta tribuatur.

[E]pheſ. 5. [C]or. 6.

3. Et quia nullum Diabolo locum dari oportet, hoc præcipuè cuſtodiendum decrevimus, ut nullam clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, ne C ullum malè loquendi, vel ſentiendi hominibus aditum tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occaſionem contingit, ut diabolus, qui inſidiatur, ſicut leo in cubili ſuo, de ruina ſervorum Dei exultet. Si quis clericus poſt interdictum Epiſcopi ſui illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus.

[E]pheſ. 4.

4. Et ut clericus, cui datur nubendi licentia, internuptam non accipiat uxorem. Quod ſi fecerit, ultimum in officio clericali teneat locum.

5. Si quis verò clericus, relicto officii ſui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

6. Qui verò ſe ſacratis virginibus per conjunctionem nefandam miſcuerit, vel propoſitum profeſſæ D religionis dereliquerit, utrique à communione habeantur alieni (quia ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus) donec reſipiſcentes à laqueo diaboli, à quo capti tenentur, ab ipſius voluntate ad auxilium pœnitentiæ revertantur.

[T]i. 3.

7. Homicidis penitus non communicandum, donec per confeſſionem pœnitentiæ ipſorum crimina diluantur.

8. Si qui verò poſt acceptam pœnitentiam, ſicut canis ad vomitum, ita ad ſæculares illecebras, derelicta, quam profeſſus eſt, pœnitentia, fuerit reverſus, à communione Eccleſiæ, vel à convivio fidelium extraneus habeatur, quo faciliùs & ipſe compunctionem per hanc confuſionem accipiat, & alii ejus terreantur E exemplo.

9. De præſumptoribus etiam placuit obſervari, ut ſi quis Epiſcopus in jus fratris ſui ſuam conatus fuerit inſerere poteſtatem, ut aut diœceſes alienas, tranſgrediendo terminos à Patribus conſtitutos, pervadat, aut clericos ab aliis ordinatos, vel ſanctimoniales promovere præſumat, ab univerſorum fratrum, & conſacerdotum ſuorum communione ſe alienum efficiendum non dubitet, quia Apoſtolo docente cognoſcimur, nullam nos cum fratribus inordinatè ambulantibus, & non ſecundum traditionem à Patribus conſtitutam, poſſe habere participationem.

[2. T]heſ. 3.

10 Ordinationes verò illicitas irritas denunciamus, niſi per ſatisfactionem, quæ ad pacem pertinent, componantur.

11. Si quis verò clericus abſque Epiſcopi ſui permiſſu, derelicta Eccleſia ſua, ad alium ſe transferre voluerit locum, alienus à communione habeatur.

12. Et ut clerici non abſque ſacerdotum ſuorum commendatione ad alias provincias, ſive civitates ambulare diſponant.

13. Illud etiam ſecundum ſcripturarum authoritatem, vel Patrum conſtitutionem addendum credidimus, ut ne quis clericus, qui negotiandi ſtudium habere voluerit, uſuras accipiat, quia ſcriptum eſt: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Et alio loco: *Et non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.*

Pſal 14. Pſal. 54.

Manifeſtum eſt enim, beatitudinis non poſſe conſequi gloriam, qui à præceptis divinis deviaverit. Et humilitatis noſtræ conſtitutio, ut adjuvante Domini miſericordia valeat cuſtodiri, ſancti, ac beatiſſimi Sacerdotis Domini Martini, quæ Deo accepta eſt, obtinebit interceſſio. Confidimus enim Sacerdotum Domini conſenſu diffinitionem noſtram firmandam, quæ cum Patrum noſtrorum authoritate concordat.

Concilium Romanum ſub Felice III. contra Acacium Conſtantinopolitanum, & Petrum Fullonem Antiochenum propter additionem in triſagiis anno Domini 483.

CUm in locum defuncti Timothei Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi Orthodoxi, communi conſenſu Epiſcoporum, Joannem virum optimum, hominemque orthodoxum; Timotheo in ſede Alexandrina ſuffectum, Zeno Imperator impulſu Acacii Epiſcopatu amoviſſet, eique Petrum Mogum hæreticum, antea ſemel inde fugatum, ſubſtituiſſet: Joannes de vi, & injuria ſibi illata proteſtatus, ad Sedem Apoſtolicam appellavit.

Anno Domini 483. Romam veniens, ſuam, quam interpoſuerat, appellationem introducturus, & debito modo proſecuturus. Felici Papæ (Simplicium enim defunctum invenerat) libellum injuriarum obtulit. Quo ſuſcepto, Felix ob cauſam, qua non unius tantùm, ſed trium præcipuarum Sedium Orientis Eccleſiarum vertebatur periculum, Concilium ex Epiſcopis Italiæ, more majorum celebrandum eſſe putavit.

Appellatur ad Summum Pont. Rom.

Convocatis itaque ſanctiſſimis Patribus, habita eſt ſacra Synodus, qua poſt graviſſimas ſententias plurimorum interpoſitas omnium conſenſu illud conſtitutum fuit, ut ad Zenonem Imperatorem, Conſtantinopoli degentem, Legatio decerneretur, ſcriberenturque robuſtiſſime ad eum litteræ, quibus de proditione Catholicæ fidei, ejuſque proditoribus querelæ ingererentur: adderet ſuas ad Acacium Conſtantinopolitanum, quibus cum eo ob fidem non defenſam, & conniventiam cum hæreticis expoſtularet. Præterea viſum fuit eſſe convenientiſſimum, ut tranſmiſſa copia illius libelli, quem Joannes Alexandrinus Pontifici obtulerat, Acacius ad ſui defenſionem in ſcripto citaretur, ſcriptoque libello rogaretur Imperator, ut Acacium ad reſpondendum querelis adverſum ſe objectis impelleret.

Acta in Concilio.

Hæc omnia debito modo peracta fuiſſe, epiſtolæ Felicis ad Acacium, & Zenonem, quæ nunc primùm cum prædictis libellis quibuſdam opera Illuſtriſſimi Cardinalis Baronii in lucem prodierunt, apertè demonſtrant.

Petrus Fullo.

Hac etiam Synodo damnatus eſt Petrus Fullo, aliàs Cnapheus nominatus, intruſus poſt Calendionem electum Epiſcopus Antiochenus. Qui dum ſacro Triſagio in omnibus Orientis Eccleſiis ex revelatione Dei cantari conſueto, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis:* hanc blaſphemiam addidit, *qui paſſus eſt pro nobis*, quaſi ſcilicet tota ſanctiſſima Trinitas mortem, ac paſſionem ſubiiſſet: ſe non tantùm

Triſagium

Eu-

Eutychianum, sed etiam Apollinaristam, atque Sabellianum esse detexit. Cùm enim diceret, unam in Christo esse naturam, Eutychianum se prodidit. Cùm diceret, carnem de cœlo allatam in Verbum esse conversam, se Apollinaris sectatorem professus est: Cùm verò Patri, Filio, ac Spiritui sancto passionem conjungeret, Sabellianum se esse aperuit; quoniam eo ipso unam tantùm totius Trinitatis personam esse asseruit, sicque nefandum Theopaschitarum errorem jamdiu ante proscriptum, majori cumulo reddidit.

In hoc judicio Fullonis tres actiones habitæ videntur, quarum prima directa est ad eum epist. Synodica, qua Pontifex confutatis singulis illius blasphemis erroribus, in fine sic eum alloquitur: *Hec tibi scripsi unà cum præsente Synodo, conveniens te coram Deo, & sanctis Angelis, ut ea doceas, & nobiscum sentias, ut illibata fides nostra permaneat ad gloriam Dei*. Extat hæc epistola Felicis ordine 3. Incipit sic: *Quis dabit capiti meo aquam?* Secunda Actione visum fuit, secundas litteras Commonitorias ipsi transmittere, minis adhibitis, ut nisi benè monentibus acquiescat, excommunicationis, & depositionis sententiam sibi infligendam precognoscat. Hæc constat ex epistola quarta Felicis, qua laturus in eum depositionis sententiam sic eum alloquitur: *Nec ambulare in veritate, nec nostris duabus epistolis aurem voluisti accommodare. Nunc igitur sum exorsus adversus te proferre sententiam, &c.* Secundæ litteræ Felicis ad Petrum interierunt.

Cum duabus hisce admonitionibus, maximè paternis, homo scelestissimus nec dum acquiesceret, consilio, & hortatu Patrum quadraginta duorum Romæ hac de causa diutius commorantium, Felix Pontifex excommunicationis, & depositionis sententiam in eum conceptam promulgavit, scriptaque ad eum epistola synodica, latam sententiam eidem intimavit. Adjecit his Felix Papa litteras ad Zenonem, monens eum, ut caveat à communione Petri Ecclesiastico judicio jam condemnati. At non Felix tantùm, sed etiam Quintianus magni nominis Asculanus, Justinus Siciliæ, & Flavianus Rhodopensis, Episcopi ex occidente, ad Petrum Fullonem blasphemum litteras dederunt, quibus post refutatas illius horrendas blasphemias, eumdem ad pœnitentiam, & meliorem mentem exhortati fuerunt. Quæ epistolæ extant apud Binium.

Concilium Constantinopolitanum sub Felice III. Papa in causa Petri Fullonis Antiocheni Episcopi, anno Domini 483. celebratum.

PEtrus Fullo, aliàs Cnaphæus, epistolam quamdam blasphemiis plenissimam scripsit ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, quandò ejus opera expulso Calendione, in Sedem Antiochenam invectus fuit. Hanc cùm Acacius accepisset, exhorrescens tot blasphemiarum involucrum, instar serpentum mutuis spiris inter se invicem glomerantium, quantumvis eisdem nonnihil studuisset, ad dementem hominem curandum, Constantinopoli Concilium Episcoporum congregavit, quo omnium Orthodoxorum unanimi consensu, insanus ille insani Fullonis error condemnatus fuit. Hæc autem anno Domini 483. initio Pontificatus Felicis, quando in eadem causa Romæ haberetur Concilium; facta esse, certo inde deducitur argumento, quòd in ep.4. Felicis, qua Petrus Fullo condemnatur, mentio habeatur de Acacio adhuc præsidente Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem tamen anno 2. Felicis, qui est Christi 484 exauctoratum esse constat. Binius.

Concilium Romanum II. sub Felice III. in quo Episcopi 77. damnatis Vitale, & Miseno Sedis Apostolicæ Legatis, in Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Mogum Alexandrinæ Sedis invasorem, Synodali judicio anathematis, & depositionis sententiam pronuntiarunt, Petrique Fullonis damnationem repetiverunt, anno 484.

HUic Synodo celebrandæ occasionem præbuerunt Vitalis, & Misenus, duo Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati. Destinarat eos Romana Synodus prima, ut ad instantiam Joannis Antiocheni, Acacio, & Zenoni synodicas epistolas porrigerent; quibus si nihil impetraretur, Acacium citarent, oblatoque Imperatori scripto alio, peterent eumdem ad parendum compelli. Cùm itaque his litteris instructi Constantinopolim venissent, contra jus Gentium, omnemque pietatem à Zenone tractati fuerunt; ereptis litteris, in carcerem conjecti sunt, & ab Acacio blanditiis, mellitisque sermonibus inducti, ipsi Acacio non tantùm communicarunt, verum etiam nefandissimi Petri Mogi Alexãdrinæ Sedis invasoris hæretici nomen in Diptychis publicè recitari audiverunt, & sine ulla contradictione sustinuerunt.

Prævaricatio Legatorum per Monachos Orthodoxos Romam nuntiata fuit. Quibus auditis, Felix Papa in tanto rerum discrimine, licèt Ecclesia sub Erulis Arrianis, quasi captiva videretur, majoresque tumultus ab Eutychianis in Oriente concitatos esse sciret, fideique Catholicæ Imperatorem adversari conspiceret, indicit Synodum septuaginta septem Episcoporum, ut tantum nefas ex proditione Legatorum admissum omnium sententia damnaretur, ut tàm ipsos proditores, quàm ad scelus impulsores per damnationis sententiam percelleret. Episcopi ex Italia vocati properarunt ad Synodum. Qui dum simul in unum congregati essent apud sanctum Petrum Apostolum solemnibus ex more ritè peractis, præsidente Felice Papa Romano, jusserunt, Misenum, atque Vitalem Episcopos jam Constantinopoli reversos de credita sibi Legatione rationem reddere. De transgressione, & prævaricatione suorum mandatorum, deque inita cum hæreticis communicatione, ex litteris Acacii, quas secum detulerunt, & quorumdam præsentium testimonio convicti, una omnium sententia, quãtamvis vim, fraudes, & injurias sibi illatas pro defensione prætexerunt, Apostolica communione indigni habiti sunt condemnati, & Episcopatus honore dejecti. Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ.

His peractis, alia Sessione cognita est causa Acacii, allatisque in medium cunctis manifestis ab eo perpetratis criminibus, hæreticorum participatione pollutus, omnium Episcoporum judicio de hæresi est condemnatus. Sub pœna excommunicationis infligendæ admonitus, ut resipisceret, non modò non resipuit, verùm ampliùs perversè agere, & contra Romanum Pontificem niti constituit: Joannem illum Apamæ Episcopum, quem nuper ad instantiam ipsius Acacii cum Petro Felix Papa excommunicarat, Tyri Episcopum creavit: Petrum Fullonem synodali Decreto depositum, etiam in Sede Antiochena confirmavit, superbè nimis existimans, Præsulem amplissimæ Constantinopolitanæ civitatis, in qua sola Romani Imperii sceptra vigebant, cedere non debere Romanæ Ecclesiæ, quæ cum Romano Imperio in Occidente humi depressa esset. Cùm igitur ipsi Romano Pontifici, & sanctæ huic Synodo simul innotuisset, Acacium more suo novissimam admonitionem contempsisse, adeò ut nulla planè spes emendationis relicta foret, collatis calculis, una omnium sententia eum condemnarunt, Catholica communione indignum, Episcopi honore privarunt, ipsam damnationis, & excommu-

municationis sententiam scripto conceptam, teste Liberato ca. 18. Constantinopolim miserunt. Quam cùm Acacius præsidio Imperatoris fultus acceptare nollet, ignotus quidam Monachus Acoemetensis ad pallium Acacii, dum ad Sacra peragenda procederet, sententiam suspendit. Formula sententiæ hæc est: *Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententia presenti, quam per tuæ tibi direximus Ecclesiæ defensorem, à Sacerdotali honore, & communione Catholica, necnon etiam à fidelium numero segregatus: sublatum tibi nomen, & munus ministerii Sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio, & Apostolica auctoritate damnatus, numquam anathematis vinculis exuendus*. Exstat apud Binium in fine Synodicæ epistolæ Felicis ordine sextæ, quæ sic incipit: *Multarum transgressionum, &c.*

Concilium Romanum III. triginta octo Episcoporum, de Lapsis Africanæ Ecclesiæ recipiendis, celebratum sub Felice III. anno Domini 487.

CUm post obitum Hunerici, Gundabundus Rex Vvandalorum, teste Isidoro, pacem Ecclesiis donasset, & Catholicos ab exilio primus revocasset, illi, qui lapsi fuerant, à Confessoribus postliminiò redditis vitabantur. Sed cùm resipiscentes vulneribus inflictis medicinam quærerent, Romanamque Ecclesiam, velut quamdam pharmaciam, ex qua congruum, & præsentaneum antidotum ægrotantibus prepararetur, adirent; Felix Romanus Pontifex, cujus muneris est lapsos Sacerdotes potissimum erigere, collecto triginta octo Episcoporum Concilio, pro qualitate vulnerum, opportuna pharmaca composuit, eaque aliquot diversis capitibus distinxit.

Institutio Concilii. De Episcopis, Presbyteris, & Diaconis constitutum est, ut quantumvis pœnis coacti miserè lapsi fuerint, exclusi ab omni cœtu fidelium, atque Catechumenorum, usque ad finem vitæ laica tantùm communione impertirentur. Reliqui inferioris Ordinis Clerici, Monachi, vel laici, triennio inter audientes perseverarent: inter pœnitentes septem annis sub manibus Sacerdotum collocarentur, peregrinæ tantùm communicationis participes effecti, dum cum sæcularibus sine perceptione Eucharistiæ orare permitterentur. Additum, neque pueros, aut puellas, quas ætas excusat, sine pœnitentia in Ecclesiam admittendos: sed inter pœnitentes sub manus impositione retineri debere, ut tandem communicationis participes esse possint. Denique constitutum fuit, ut ejusmodi lapsis ad Clericatum nullus umquam aditus pateret; sed inter laicos Catholicos tantummodò usque ad exitum vitæ connumerari deberent.

Concilium Romanum I. quo à septuaginta Episcopis libri sacri, & Authentici ab Apocryphis sunt discreti, sub Gelasio, anno Domini 494. Asterio, atque præsidio Coss.

AD fidem Catholicam illibatè custodiendam, dissidia tollenda, pacemque in Ecclesia restituendam, Pontifex unà cum Concilio in eo potissimum laboravit, ut Apostolicæ, & Catholicæ Ecclesiæ communio, nulla vel levi macula conspersa, illibata penitùs, & impolluta, sarta tecta in omnibus servaretur. Ad hoc autem præstandum, sollicitiorem curam impendens, non solùm vindicasse voluit ipsam Ecclesiam ab omnibus, ut semper fuit, immunem hæresibus, atque hæreticorum consortio: sed ut eam redderet à pravorum scriptorum contagione securam, omne studium adhibens, delectum habuit Ecclesiasticorum librorum, qui hactenus editi legi solerent: distinguens, separansque, quasi os Domini, mundum ab immundo, & secernens pretiosum à vili.

A Cujus rei perficiendæ gratia Decretum constituit ab Ecclesia Catholica perpetuò servandum, in quo post recensitos Veteris, ac Novi Testamenti libros Canonicos, adjecit de primatu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum Patriarchalium Ecclesiarum Juribus, ad reprimendam Constantinopolitanorum Antistitum præsumptionem, & audaciam infringendam, qua se Acacius primum, inde ejus successores adversus Romanam Ecclesiam protervè nimis erexerant. *Acta Concilii.*

Ordo librorum Veteris Testamenti, quem sancta, & Catholica Romana suscipit, & veneratur Ecclesia, digestus à B. Gelasio Papa cum septuaginta Episcopis.

B Genesis liber unus.
Exodi liber unus.
Levitici liber unus.
Numeri liber unus.
Deuteronomii liber unus.
Jesu Nave liber unus.
Judicum liber unus.
Ruth liber unus.
Regnorum libri quatuor.
Paralipomenon libri duo.
Psalmorum 150. liber unus.
Salomonis libri tres.
Proverbia.
Ecclesiastes, &
Cantica Canticorum.
C Item Sapientiæ liber unus.
Ecclesiasticus liber unus.

Item ordo Prophetarum.

Isaię liber unus
Jeremiæ liber unus.
Cinoth, idest, de Lamentationibus suis.
Ezechielis liber unus.
Danielis liber unus.
Osee liber unus.
Amos liber unus.
Michææ liber unus.
Joel liber unus.
Abdiæ liber unus.
Jonæ liber unus.
Nahum liber unus.
D Habacuc liber unus.
Sophoniæ liber unus.
Aggæi liber unus.
Zachariæ liber unus.

Item ordo Historiarum.

Job liber unus.
Tobiæ liber unus.
Esdræ liber unus.
Esther liber unus.
Judith liber unus.
Machabæorum liber unus.

Item ordo Scripturarum novi, & æterni Testamenti.

E EUangeliorum libri quatuor.
Secundum Matthæum liber unus.
Secundum Marcum liber unus.
Secundum Lucam liber unus.
Secundum Joannem liber unus.
Actuum Apostolorum liber unus.
Epistolæ Pauli Apostoli numero XIV.
Ad Romanos epistola una.
Ad Corinthios epistolæ duę.
Ad Galatas epistola una.
Ad Thessalonicenses epistolę duæ.
Ad Ephesios epistola una.
Ad Philippenses epistola una.

Ad Timotheum epistolæ duæ,
Ad Titum epistola una.
Ad Philemonem epistola una;
Ad Hebræos epistola una.
Item Apocalypsis Joannis liber unus,
Item Canonicæ epistolæ numero VII.
Jacobi epistola una.
Petri Apostoli epistolæ duæ.
Joannis Apostoli epistolæ tres,
Judę Zelotis Apostoli epistola una,

B. Gelasii *Papæ decretum cum 70. Episcopis habitum de Primatu Ecclesiæ Romanæ, & de Apocryphis Scripturis.*

Hoc decretum est contra Constant. Episcopos.

Post Propheticas, Euangelicas, atque Apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per Gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quòd quamvis universæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris prælata est, sed Euangelicâ voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinuit, *Tu es Petrus*, inquientis, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli Vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno, eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt.

Romana Ecclesia omnibus ep. Prælata Domini voce.
Mat. 16.

Est ergo prima Petri Apostoli Sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem Sedes, apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus discipulo, & Evangelista consecrata est. Ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium. Tertia verò Sedes, apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eò quòd illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Et quamvis *aliud fundamentum nullus possit ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; tamen ad ædificationem nostram eadem sancta Romana Ecclesia post illas Veteris, vel Novi Testamenti, quas regulariter suscepimus, etiam has suscipi non prohibet Scripturas; id est, sanctam Synodum Nicænam trecentorum decem, & octo Patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hęreticus condemnatus est: sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Teodosio Seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit: sanctam Sinodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est consensu beatissimi Cœlestini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato: sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Marciano Augusto, & Anatholio Constantinopolitano Episcopo: in qua Nestoriana, & Eutychiana hęreses simul cum Dioscoro, ejusque complicibus damnatę sunt. Sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus hactenus instituta, post horum auctoritatem, & custodienda, & recipienda, & decernimus, & mandamus.

1. Cor. 3.

Synodi.

Sic in textu. Deinde ponit Indicem Auctorum probatorum, & librorum Apocryphorum.

Jam nunc subjicendum est de opusculis sanctorum patrum, quę in Ecclesia Catholica recipiuntur: Opuscula beati Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi. Item opuscula beati Athanasii Alexandrini Episcopi. Item opuscula beati Gregorii Nazianzeni Episcopi. Item opuscula beati Basilii Cappadocensis Episcopi. Item opuscula beati Joannis Constantinopolitani Episcopi. Item opuscula beati Hilarii Pictaviensis Episcopi. Item opuscula beati Augustini Hyponensis Episcopi. Item opuscula beati Hieronymi Presbyteri. Item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi. Item opuscula beati Prosperi viri religiosissimi. Item epistolam beati Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum destinatam: cujus totum, aut unum jota si quisque idiota disputaverit: & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit. Item opuscula, seu tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab ejus fideli prædicatione sejuncti sunt: sed communionis ipsius gratia Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ participes fuerunt, legenda decernimus.

Auctores probati

Subjunguntur illis epistolæ decretales ab urbe Romana datæ pro diversorum patrum consultatione. Gesta sanctorum Martyrum. Vitæ Patrum, quas vir beatissimus Hieronymus scripsit. Actus B. Sylvestri: Scripta de inventione crucis Dominicæ, & alia scripta de inventione capitis B. Joannis Baptistæ. De quibus ait; Novellæ quidem revelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt: sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apostoli sententia præcedat. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Item Ruffinus, &c. Sed quoniam B. Hieronymus de aliquibus eum de arbitrii libertate notavit: illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus: & non solùm de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiat legenda, suscipimus. Reliqua autem omnia cum authore suo ducimus esse renuenda. Item Chronicum Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Ecclesiasticæ historiæ libros, &c. Item Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde necessaria adversus paganorum calumnias ordinavit, miraque brevitate contexuit. Item venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod heroicis versibus descripsit, insigni laude proferimus. Item Vincentii nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed imitamur. Cæterum quæ ab hæreticis conscripta, vel prędicta sunt, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana. Quibus & pauca, quæ ad memoriam venerunt, & catholicis vitanda sunt, decrevimus esse subdenda. Imprimis Ariminensem Synodum à Constantio Cæsare Constantini filio congregatam mediante Tauro præfecto ex tunc, & in æternum confitemur esse damnatam. Item Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri octavi, apocryphus. Actus nomine Andreæ Apostoli, apocryphus. Actus nomine Thomæ Apostoli, apocryphus. Euangelia Thaddæi nomine, apocrypha. Euangelia nomine Thomæ Apostoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha. Euangelia nomine Barnabę, apocrypha. Euangelia nomine Bartholomæi, apocrypha. Euangelia nomine Andreæ Apostoli, apocrypha. Euangelia, quæ falsavit Lucianus, apocrypha. Euangelia, quæ falsavit Hyrcius, apocrypha. Liber dę infantia Salvatoris, apocryphus. Liber de nativitate Salvatoris, & de Sancta Maria, & de obstetrice Salvatoris, apocryphus. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus. Libri omnes, quos fecit Lentitius discipulus diaboli, apocryphi. Liber, qui appellatur fundametum, apocryphus. Liber, qui appellatur thesaurus, apocryphus. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ, vel genesis, apocryphus. Liber, qui appellatur pentametrũ de Christo, Virgilianis cõpaginatũ versibus, apocryphus. Liber, qui appellatur actus Thedę, & Pauli, apocryphus. Liber, qui appellatur Lepotius, apocryphus.

D. Hieronymus.

Index librorum prohibitorum.

phus. Liber proverbiorum ab hæreticis transcriptus,& S. Sixti nomine signatus, apocryphus. Revelatio, quæ appellatur Pauli, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Thomæ, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber, qui appellatur transitus sanctæ Mariæ, apocryphus. Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ, apocryphus. Liber, qui appellatur Diogenes nomine gigantis, qui post diluvium cum dracone, ac hæreticis pugnasse perhibetur, apocryphus. Liber, qui appellatur testamentum Job (aliis est Jacob) apocryphus. Liber, qui appellatur de pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber de pœnitentia Cypriani, apocryphus. Liber, qui appellatur Jamnæ, & Mambræ, apocryphus. Liber, qui appellatur sors Apostolorum, apocryphus. Liber Susannæ, apocryphus. Liber canonum Apostolorum, apocryphus. Liber philologus ab hæreticis conscriptus, sed beati Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus. Historia Eusebii Pamphili, apocrypha. Opuscula Tertulliani, sive Africani, apocrypha. Opuscula Joviani, & Galli, apocrypha. Opuscula Montani, & Priscillæ, & Maximillæ, apocrypha. Omnia opuscula Fausti Manichæi, apocrypha. Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha. Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuscula Pictaviensis Victoris, apocrypha. Opuscula Faustini Thegiensis Galliarum, apocrypha. Opuscula Frumentici, apocrypha. Epistola Jesu ad Abagarum, apocrypha. Passio Gregorii, apocrypha. Passio Quirici, & Julitæ, apocrypha. Scriptura, quæ appellatur Salomonis contradictio, apocrypha. Philacteria omnia, quæ non ab Angelo, ut illi confingunt, sed magis à dæmone conscripta sunt, apocrypha. Hæc, & his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cherintus, Tervidus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, & Bonesius, qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus: Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Vonacius, Sebacius, Calentus, Donatus, & Eustachius, Julianus Pelagius, Julianus, & latini Celestinus, & Maximianus, Priscilianus ab Hispania, Lapedius, Dioscorus, Eutychius, Petrus, & alius Petrus, ex quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis: necnon & omnes hæreses, quas ipsi, eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinemus, non solùm repudiata, verum etiam ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

Ceterùm, qui libri in Ecclesiasticis officiis per anni circulum à nonnullis legantur (quem ritum illum Apostolica non reprobat, sed sequitur Ecclesia) pro fidelium ædificatione annotandos censuimus. Quidam quod in Septuagesima ponunt Pentatheucum usque in XI. diem ante Pascha, à XV. die ante Pascha ponunt Hieremiam usque in Cœnam Domini. In Cœna Domini legunt tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ. Quomodò sedet sola civitas plena populo, &c. & tres lectiones de tractatu Augustini in Psalm. 54. Exaudi, Domine, deprecationem meam, & ne despexeris: & tres de Apostolo, ubi ait in Epistola ad Corinth. Convenientibus vobis in unum. Secunda lectio sic incipit: Similiter postquam cœnavit. Tertia de spiritualibus: Nolo autem vos ignorare fratres. In Parasceve tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ. Tres de tractatu sancti Augustini in Psalmum: Exaudi, Deus, deprecationem meam. Et tres de Apostolo, ubi ait in Epistola ad Hebræos. Festinemus ingredi, &c. Secunda lectio: Omnis namque Pontifex. Tertia: De quo nobis est grandis sermo. In sabbato tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ Prophetæ. Et tres de tractatu sancti Augustini in 63. Psal. Exaudi, Deus, orationem meam, cum tribulor; & tres de Apostolo, ubi ait in Epistola ad Hebræos: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum. Secunda lectio: Ubi enim Testamentum: Tertia: Umbram enim lex habens futurorum bonorum. In Pascha Domini homil. ad ipsum diem pertinentem. Infra Hebdomadam homilias. In octavis Paschæ ponunt Apocalypsim, & actus Apostolorum, & Epistolas Canonicas usque in octavam Pentecostes. In octava Pentecostes ponunt librum Regum, & Paralipomenon usque in Kalendis Augusti. In Dominica prima mensis Augusti ponunt Salomonem usque in Kalendis Septembris. In Dominica prima mensis Septembris ponunt Job, Tobiam, Esther, Esdram usque in Kalendis Octobris. In Dominica prima mensis Octobris ponunt librum Machabæorum usque in Kalendis Novembris. In Dominica prima mensis Novembris ponunt Ezechielem, & Danielem, & minores Prophetas usque in Kalendis Decembris. In prima Dominica mensis Decembris ponunt Isaiam Prophetam usque in nativitatem Domini. In natali Domini legunt primùm de Isaia tres lectiones. Prima lectio: Primo tempore alleviata est terra Zabulon, &c. Secunda: Consolamini. Tertia: Consurge Hierusalem. Deinde Sermones, vel Homilias ad ipsum diem pertinentes. In natali sancti Stephani homilia de ipsa die. In natali sancti Joannis similiter. In natali Innocentium similiter. In natali sancti Sylvestri similiter. In octava natalis Domini homiliam de ipsa die. In Dominica prima nativitatis Domini ponunt Epistolas Pauli usque ad septuagesimam. In Epiphania lectiones tres de Isaia. Prima lectio incipit: Omnes sitientes. Secunda: Surge, illuminare Hierusalem. Tertia: Gaudens in Domino gaudebo. Deinde leguntur Sermones, vel homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

CONTROVERSIA.

Explicatio difficilium, quæ in hoc decreto occurrunt, quia multa dici possunt in utramque partem de pluribus libris hic approbatis, aut damnatis, de quibus doctorum variantes sunt sententiæ, volumen integrum desideraret, paucula hìc attingemus.

Didacus Covarruvias variarum resolutionum l. 4. c. 14. plura advertit notatione digna circa istius decreti varias partes. Pauca excipiemus. Ad istud de scripturis canonicis, *quibus Ecclesia fundata est*, id est, quibus utitur ad probandum probatione irrefragabili, quę ad fidem, ac religionem Christianam attinent, & ad evertenda, quæ hæretici quotidie adversus Catholicam unionem, ejusque Canones, ac decreta comminiscuntur. Hæc etenim ratione divinæ scripturæ, propter irrefragabilem, ac sacrosanctam auctoritatem, principia, atque elementa pietatis, ac religionis nostræ dici jure optimo poterunt, ac dicuntur, à Nicephoro Græco Ecclesiasticę Historiæ auctore l. 12. c. ult. Circa illud de Ecclesia Romana *primatum obtinuit*, advertit, quòd etsi concessione Pontificis Rom. vel Conciliorum, aliquot Pontifices in provinciis primatum in alios Episcopos obtinuerunt, similitudo tamen cum Romano Pontifice non sit concedenda in radice, & auctoritate hujus Prælationis, nec in ipsius majestate, aut extensione, siquidem primatus Papę competit ex divina institutione, & in totum Christianum orbem protenditur, ac vires habet. Primatus verò aliorum Pontificum jure humano, & in provincię tantùm Episcopos, aut regionis prælatos conceditur. Ex quo poterit lector expendere veram interpretationem Nicęni Concilii in d. c. *mos antiquus*.

Ad illa verba: *jam nunc subjiciendum est*, à libris Canonicis, & Opusculis Sanctorum Patrum distinguit libros Hagiographos, qui libri dicuntur, quos Ecclesia Catholica probavit, ut publicè legerentur ad ædificationem fidelium, non tamen haberent canonicam auctoritatem ad probandum ea, quæ ad fidem pertinent irrefragabili probatione. Ejusmodi olim erant apud

apud Hebræos *Ecclesiasticus*, *& Sapientia*. Quam definitionem deducit ex D. Augustino lib. 8. de Civit. Dei c. 38. legi potest prædictus Covarruvias de Opusculis hujus indicis Gelasiani, nec non Theophili Rainaudi S. I. Erotemata de malis, ac bonis libris, deque justa, aut injusta eorum confixione, nempe de eorum censura, quod aliquandò de ea verum sit istud Juvenalis: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*. Qua de re dedimus aliqua in libro *de triplici examine* parte 3. ubi quærimus de examine Doctorum, ipsorumque peccatis. Addimus tantùm hìc circa idem decretum Gelasii, quod Vincentius, qui ultimus ponitur inter probatos Authores, videtur esse Vincentius Gallus Presbyter, qui commentarios edidit in Psalmos, & alia quædam, de quo meminit Gennadius de scriptor. Eccles. apud Trithemium de iisdem scriptoribus, qui floruit sub Martiano anno 450. nam, ne Lirinensem intelligamus, prohibet brevitas commonitorii illius.

Vincentius.

Liber Pastoris.

Liber Pastoris quis sit, indicatur à Tertulliano in lib. *de pudicitia*. Crederem tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum vestrarum inter apocrypha, & falsa judicaretur, adultera & ipsa, & inde Patrona sociorum. Quibus verbis denotat Tertullianus & adulterorum absolutionem, quam ipse tunc dandam negabat, hunc librum docere.

APOCRYPHUM.

Quid hìc per Apocriphum intelligi debeat, dubium est. Glossa ad dist. 15. Gratiani, ubi integrum refertur hoc decretum, nihil aliud intelligit, quàm id, quod absconditum est, unde Hieronymus super Isaiam ad illa verba: *Ecce virgo concipiet*, monet observandum in Hebræo esse *alma*, quæ græcè dicitur Apocrypha, id est, abscondita, quæ scilicet nunquam viri aspectibus apparuit. Unde libri dicerentur Apocriphi, quorum authores ignoti essent. Sed non uno sensu usurpatur nomen hoc. Nam & libri dicuntur Apocryphi, qui authorem præseferunt, sed suppositiium: sic enim plerique, ut virus suæ perfidię tegant, piorum auctorum nomina suis libris affigunt, qui metum periculi tollant. Cui malo præcaventes Apostoli Can. 60. statuunt deponendos, qui tale quid attentaverint. Dicuntur etiam alio sensu libri Apocryphi scriptorum quorumdam Ecclesiasticorum, doctrinaque celebrium, qui vario semine bonæ, & malæ doctrinæ mixti sunt, itaut inter pleraque vera, errores aliqui gravioris notæ reperiantur. Quo sensu hìc Gelasius pleraque magnorum, & illustrium scriptorum opera inter Apocrypha refert, ut Tertulliani, Clementis Alexandrini, Victorini Pictaviensis, & aliorum. Cùm enim horum operum Authores noti sint, non alio nomine inter Apocrypha deputantur, quàm quia labe aliqua adsperguntur. Ideòque non prohibentur sub anathemate, sed cum cautela legendi sunt; non enim damnaret Pontifex Tertulliani Apologeticum, aut de præscriptionibus librum. Legendi, inquam, privatim, non in conventibus Ecclesiasticis, quærendo in eis, quæ utilia sunt, noxia fugiendo.

Unde multa conciliari poterunt, si Apocryphum hìc sumamus juxta Covarruviam pro iis, quæ in Ecclesia publicè legi non debent, privatim tamen legi possunt: talia sunt Eusebii Pamphili historiæ, ob quarum damnationem satis temerè scripsit Rhenanus, vel Gelasium sibi contrarium, vel hæc verba ab aliquo asino addita fuisse; favet enim Arrio Eusebius, dissimulando subdolè ipsius damnationem, licèt orthodoxus fuerit mortuus.

Alio adhuc modo hìc usurpatur Apocryphum pro opusculo, cujus author indubitatus agnoscatur esse hęreticus, sic liber Proverbiorum, qui est ab hæreticis conscriptus, & sub Christi nomine (al. Sixti) signatus, est Apocryphus. Libri omnes, quos fecit Lenti-

A cius (al. Lucius) discipulus diaboli, Apocryphus, &c. Quę hìc sub anathematis indissolubili vinculo in ęternum damnata asserit Gelasius. Verùm, cùm Synodi conclusio cadat in omnes libros hìc damnatos, talis distinctio potiùs effugium est, quàm difficultatis solutio. Nam, etsi à scriptoribus in vario sensu usurpetur istud nomen, hìc tamen propter generalem conclusionem omnium sub anathemate, locum non habet: nisi, quòd generalis illa conclusio de libris hæreticorum intelligenda sit secundum sensum formalem, id est, de libris scriptis ab hęreticis, quatenus tales erant, non de aliis scriptis extra statum hæresis. Qua moderatione adhibita multis authoribus, qui jam in pretio sunt, sua constabit authoritas, & salvatur contradictio.

B Porrò ante Gelasium extitisse aliquem Catalogum apocryphorum librorum, etiam ex authoritate Concilii, innuit D. Augus. l. 15. de Civ. Dei, c. 23. unde forsan hic Gelasianus catalogus non est primus in Ecclesia index librorum vitandorum expurgatorius, sicut nec postremus, siquidem alius generalis index prodiit ad annum 1552, cùm Lutheranorum libri increbrescerent, qui deinceps auctus est.

Laborem hunc utilissimum Ecclesiæ valdè improbabat Josephus Scaliger, dicens: *Expurgatorios indices habere Marannorum est*. Proh supercilium, imò infrunitam audaciam! igitur Maranni Pontifices omnes, ac præsules. Ludo operam, qui homini Calvinianam ganeam ructanti, proferam Pontifices, ac præsules, quos omnes spiritu hæretico despuit. Urgendus potiùs fuerat (hoc quidem censore) tot Imperatorum, ac regum Marannismus. Exclamat contra eum Theophilus Rainaudus in lib. de bonis, ac malis libris, qui totus est de hoc argumento.

Sc... retum

C Cùm autem de indice hujusmodi multa moveretur quæstio in congregationibus Concilii Tridentini, quomodò legi possent, & per quos. Si citarentur, & audirentur prius Authores, quàm damnarentur, quid de vivis, quid de mortuis, quid de absentibus, & remotis, quid etiam de anonymis; quid de jam segregatis ab Ecclesia, cùm etiam censerent quidam parentes Catholicorum defunctorum vocandos prius, ad quos eorum fama, vel infamia pertingit: quorum si minimè interesset, mortuorum tamen memoriam haudquaquam esse damnandam, nisi prævia justa defensione.

D Cùm, inquam, hæc, & plura alia agitarentur, Gregorius P.P. Eremitarum Generalis dixit: non tot subtilitates necessarias esse. Librorum enim prohibitionem omninò esse instar cibi à medico vetiti. Ejus interdictum neque esse sententiam contra cibum, quasi malum in se, neque contra eum, qui præparaverit: audiendum tamen ab ægro medicum, cui ægri bonum, & salus curæ est. Ad eumdem modum debere Synodum instar medici id solùm spectare, quos libros conveniat fideles legere, quos minùs, damnosos autem, ac noxios vetare. Neque cuiquam fieri injuriam, si à lectione libri, qui ex se bonus arceatur, si infirmitati hominum præsentis sęculi parum sit accommodus. Hæc Petrus Suavis l. 6. Hist. Conc. Trid. nec obstat revelatio facta Dionysio Alexand. circa annum 240. de quovis libro

E legendo, & in eo prava à rectis discernendo. Non omnes enim, imò pauci admodùm ad gradum doctrinæ, qua ille insignis erat, attigerunt.

Videretur autem Gelasius in præsenti decreto maximè illud spectavisse, scilicet hominum sui sæculi morbum, & infirmitatem, quibus plurium librorum lectio non expediebat, ob grassantes hæreses ex eorum lectione, quibus plurium mentes depravabantur tunc: sicut & nunc ex quorumdam Novatorum scriptionibus. Sunt autem quidam tempore magis nocivi, ut fervet contentio: quod sufficeret ad componenda multa dissidia ex hoc decreto orto, nisi Gelasius (quod aliquis objicere posset) uteretur ista clausula: *sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata*.

Con-

Concilium Romanum secundum sub Gelasio, in quo ab Episcopis 55. Misenus absolvitur, anno 495. tertio Idus Maji.

CUm Vitalis, & Misenus Apostolicæ sedis Legati per Zenonem Imperatorem inducti, Acacio communicassent, & Petri Mogi Alexandriæ Ecclesiæ invasoris nomen in Diptychis publicè recitari sine contradictione audivissent; ideoque justo judicio à Felice Papa in Synodali Patrum consessu excommunicati fuissent: tandem post intervallum undecim annorum, postque Vitalem in excommunicatione defunctum, Misenus gratia Dei adjutus, ad mentem rediit, suumque delictum plurimum detestatus, ad pœnitentiam, & Ecclesiæ unitatem recipi postulavit. Indicto igitur hac de causa Concilio, post causæ cognitionem, magno omnium applausu humeris pastorum impositus, ad ovile Christi, unde annis prope undecim aberraverat, vicissim reductus fuit.

Habitum est hoc Synodale judicium in Basilicâ S. Petri, anno Christi 495. tertio Idus Maji, sub Consulatu viri Clar. Flavii Viatoris, qui est Gelasii 4 & Anastasii Imperatoris ann. Imperii 5. Acta hujus Concilii per Dionysium Exiguum translata fuerunt. Vide Baronium prædicto anno 495.

Synodus Romana sub Symmacho Papa, Episcoporum 72. de tollendo ambitu in electione Pontificis, post consulatum Paulini V. tempore Theodorici Regis Arriani, anno Domini 499.

ARtibus Anastasii Constantinopolitani Imperatoris Laurentius electus fuerat contra Symmachum in Pontificem, cumque ambo suos partiarios haberent, ingens schisma in Ecclesia ortum est. Ad quod sedandum ad Theodoricum Regem Ostrogothorum Ravennæ habitantem, ac Italiæ Dominum causam detulerunt, necessitate rerum cogente. Ac cùm jam Rex Arrianus, suo judicio schismate Ecclesiæ, & tumultu populi sedatis, Symmacho, utpote qui plurium suffragiis electus esset, Sedem Apostolicam adjudicasset; jamque legitimæ cogendæ Synodo locus concessus esset, mox Symmachus Papa ad Italiæ Episcopos litteras dedit, quibus iidem ad Synodum quamprimum convenire jubebantur, ut omnium etiam Episcoporum cognitione, & judicio approbaretur legitimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, quem Rex Arrianus sua sententia legitimè electum confirmaverat. Id habent Acta Concilii in principio cap. 1. Anastasius in vita Symmachi his verbis: *Papa Symmachus Synodum congregavit*. Errat igitur Theodorus Lector in Collectaneis suis, ubi hanc Synodum à Theodorico Rege congregatam scribit.

Causam habiti Concilii indicat Symmachus Pontifex cap. 2. his verbis: *Ut Episcopalem ambitum, & confusionis incertum, vel popularem tumultum, quem per subreptionem diaboli usurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus, robustè amputare.*

Acta Concilii summatim recensentur.

I. Suggestio Fulgentii Archidiaconi Ecclesiæ Romanæ de congreganda Synodo ex præcepto Papæ Symmachi.

II. Interlocutio Symmachi, ut Episcopalis ambitus radicitus amputetur.

III. Sententia Synodi, ut si quis, Papa superstite, pro Romano Pontificatu cuiquam quolibet modo favorem præstare convincitur, loci sui ordine, vel communione privetur.

IV. Ut si Papa præventus morte non potuerit ante de sui successoris electione decernere, is ordinetur

A Antistes, quem cunctus Clerus, aut certè pars major elegerit.

V. Ut si quis ambientes, vel fautores ambientium, conjuratoresque prodiderit, non solùm purgatus videatur esse, si fuerit particeps, verum etiam remuneratione dignissimus.

Ad quartum Caput sciendum, neminem Romanorum Pontificum post Petrum Apostolum sibi successorem aliquem subrogasse, vel etiam subrogare tentasse: modestiæ tamen causa observatum fuisse, ut decedentis Pontificis de successore sententia rogaretur: quem postea Clerus Romanus suo suffragio liberè vel approbare, vel rejicere poterat, si ita Ecclesiæ expedire judicaret.

B *Synodus Romana secunda, habita anno Domini 300. in qua 515. Episcopi Symmachum ab objecto crimine absolverunt, atque Petrum Altinensem Episcopum deputatum Visitatorem condemnarunt.*

LAurentio Antipapa non acquiescente priori Synodo, sed nullum non movente lapidem contra Symmachi electionem plura Concilia ob eam rem habita sunt, ut ab impositis calumniis purgaretur Symmachus. Hinc Anastasius in Symmacho paucis hæc scribit: *Eodem tempore beatus Symmachus congregavit Episcopos centum quindecim, & facta Synodo purgatur à crimine, & damnatur Petrus Altinas invasor Sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui, vivo Symmacho Episcopo, sedem ejus pervaserunt*, &c. C

SÆCULUM SEXTUM.

Synodus Romana tertia sub Symmacho Papa, in causa ejusdem Symmachi congregata, anno Domini 501. Avienno Seniore, & Pompeio Consulibus.

CUm Ecclesiæ Romanæ status præsentia Theodorici Regis aliquantisper quievisset, ea schismaticorum spe, quòd favore Principis Symmachum Papam falsis calumniis circumventum deponendum sperassent, tandem ubi Regem æqui amantissimum nihil D de causa Symmachi decernere, sed ex sententia Episcoporum, qui convenerant, definiri velle cognovissent, furore perciti, ad violentiam conversi, cædibus omnia miscere sunt ingressi. Interea verò Theodoricus, interpellatione Catholicorum, & aliorum, qui erant in Urbe Symmacho faventium Senatorum, de cogenda Synodo cogitat. Cùm verò sciret, non esse suarum partium Orthodoxos Antistites ad Synodum convocare, sibi nihil plus æquo tribuens, Regia via incedens, more majorum, ipsius Symmachi Papæ auctoritate id perficiendum curavit, & ab ipso Pontifice litteras eadem de re dari voluit, ac præcepit. Hæc ita se habere non tantùm constat ex Actis Synodalibus, verum etiam ex illis Theodorici, aliorumque Episcoporum litteris, E quæ in hac causa ultro, citroque transmissæ fuerunt, quæ apud Binium extant.

Synodus Romana tertia sub Symmacho, aliàs Palmaris appellata, electione ubi Symmachi confirmata, Regis Odoacri lex, Ecclesiasticæ libertati, & Pontificis electioni repugnans, est abrogata, anno Domini 502. Avienno Juniore Consulatum agente.

SYnodus hæc Palmaris dicta est, quia Concilium hoc in Basilica sancti Petri, ad quam Pontifex ab adversariis lapidibus impetitus se recepit, celebratum,

tum, denominatâ à porticu ejusdem Basilicæ, quæ Pal- A maria dicebatur; de qua Anastasius in Honorio Papa hæc habet; *In Porticu B. Petri Apostoli, quæ appellatur ad Palmaria, &c.*

In hac ergo Synodo primùm confirmata est electio Symmachi Papæ à schismaticis sæpius calumniata. Deinde Regis Odoacri lex libertati Ecclesiasticæ, & electioni Pontificis repugnans, abrogatur. Ipse enim Odoacer Rex Erulorum, & Italiæ, post obitum Simplicii, quando Sedes Apostolica vacabat, anno Domini 483. suasu, ac monitu, ut ajebat, ejusdem Simplicii, duas per Basilium Præfectum Prætorio leges tulerat: Unam, ne absque consultatione, & consensu Regis Italiæ electio Summi Pontificis fieret: Alteram, qua bona Ecclesiæ non necessaria distrahi, & in usus pios converti mandabat, quaque prædia Ecclesiastica alie- B nari prohibebat. Utraque Constitutio laici Principis jure, meritoque est irrita: prior, quod Canonibus sacrorum Conciliorum repugnaret: posterior, quod ab incompetente Legislatore profecta, nullaque summi Pontificis subscriptione munita esset. Quibus irritatis, legitima deinceps Patrum authoritate constitutum, ac declaratum fuit, quid de alienatione bonorum Ecclesiæ teneri, & observari deberet. Vide Baronium an. 483. num. 10. & 11. Tertio demum in hac eadem Patrum corona, Anastasii Imperatoris hæretici causa in medium posita, communi omnium consensu Imperator impius à Symmacho excommunicatus fuit. Hæc ex Epistola Symmachi Apologetica ad Imperatorem scripta apertè constant, licèt Acta Synodalia horum non meminerunt. Baronius anno 502. num. 30. ubi C post alia hæc demum subjungit: Quid præterea hic Symmachus Papa egerit, accipe ex Theodoro lectore, dum ait: *Symmachus Papa Laurentium iterum intrusum deponi, & iterum in exilium mitti curavit: quo facto, quievit seditio.*

Animadversione tamen indiget id, quod legitur in cap. 2. hujus Synodi, ubi sic habetur non longè à principio: *Tamen admonitione beatissimi viri Papæ nostri Simplicii hoc nobis sub obtestatione fuisse mandatum* (meministis) *ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio.* Hoc, inquam, animadversione dignum est, non enim est putandum, voluisse Simplicium, sine consensu Regis Italiæ Pontificem eligi non debere, D sed fortasse rogasse, ut ad comprimendas turbas, & ad vitanda dissidia, electioni dumtaxat successoris Rex præsto esse non gravaretur. Baronius anno 483. numer. 11.

Ennodius. In eadem Synodo demandatum fuit Ennodio Diacono, postea Episcopo Ticinensi, ut scripto defenderet Synodum adversus impugnatores Symmachi. Quod præstitit refellens decem fere objectiones, quibus Synodum hanc calumniabantur; ac in sequentis Synodi initio lectus est ejus Apologeticus, ac honorificentissimo elogio ornatus: extat apud Binium, & tom. prim. supplem. Biblioth. Patrum edito Parisiis anno 1639.

TIO QUINTÆ SYNODI ROMANÆ E

entorum octodecim Episcoporum sub Symmacho Papa, tempore Thedorici Regis, Indictione nona, anno 503.

Canones Conc. Rom. 5. sub Symmacho.

1. *De confirmando libello ab Ennodio conscripto.*
2. *De insidiatoribus Symmachi Papæ, & ut oves Pastorem suum non accusent.*
3. *De Episcopis rebus expoliatis, aut à sede pulsis.*
4. *De accusatoribus.*
5. *De his, qui prædicta transgressi fuerint.*
6. *Item de insidiatoribus Pontificum, & de his, qui eos manifestaverunt.*

Post Consulatum Avieni, cùm in unum, annuente Domino, ante confessionem Beati Petri Apostolorum Principis resedissemus, sancta Synodus dixit: Libellus, qui Synodali auctoritate contra eos, qui adversus quartam nostram Synodum, quæ habita est Romæ palmari, mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur, & in præsentia omnium legatur, atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus consona voce roborato, sancta Synodus dixit: Hæc futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus serventur. Hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ, & quintæ Synodorum nostrarum actiones interponatur, & ita, sicut harum Synod. decreta habeatur, quia Synodali authoritate conscriptus est, & roboratus. Ad quæ ter beatissimus Papa respondit: Juxta vestram omnium fiat voluntatem, &, ut judicatis, Apostolica habeatur authoritate, & inter Apostolica, quod dicitis, interponatur decreta, & sicut cætera Apostolica ab omnibus teneatur decreta. Ad quæ omnes ter una voce responderunt, dicentes.

Ut fiat, rogamus. Ut fiat, rogamus. Ut fiat, rogamus.

2. Postquam acclamatum est ab omnibus Episcopis, & Presbyteris: Illi, qui Papam Symmachum accusaverunt, & damnationem ei inferre tentaverunt, & illi, qui eum judicaverunt, aut contra nostram Synodum garrire, aut scribere præsumpserunt, ut damnentur, rogamus. Et paulò post omnes Episcopi, & Presbyteri voce magna clamantes, dixerunt: Exaudi, Christe, Symmacho Papæ vita. Dictum est octies. Cujus sedem, & annos. Dictum est decies. Ut fiat, rogamus. Dictum est duodecies.

Quibus cessatis, Symmachus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ dixit: Quoniam fraternitas vestra singulari charitatis studio, pio, ac vigilanti affectu, indefessis laboribus, ac spiritu vivaci studuistis, venerandi Patres, tutelam rerum Ecclesiasticarum fovere, sedem Apostolicam (quæ solida Petri confessione stabilita est) tueri viriliter, cui, licèt indigni, Domino sic disponente, præsumus, ac parvitatem nostram jamdudum multis afflictionibus impulsam, virili protectione defendistis, oblocutoribus, & susurrantibus resistendo, qui novis semper insidiis aliquid adversum nos, & famam nostram moliuntur, quos spiritus ille divisionis continuis exagitat aculeis, quibus est pax inimica, & discordia placens, & quia vestra bonitas curam provisionis nostræ suis exhortationibus incitavit, & parilem circa Ecclesiæ tranquillitatem Dei *man-* nostri contemplatione animi præstet, flagitamus, ut *do.* circa insidiatores, & persecutores nostros mitius agatis. Et licèt justè damnentur, propter misericordiam tamen conserventur, ut in nobis illa Domini declaretur sententia, qua præcipitur ita fratribus dimitti, sicut sibi à Domino cupiunt dimitti. De cætero verò, ne unquam talia non solummodò in Apostolicæ sedis præsule à quoquam præsumantur, sed nec in ullo Christianorum Episcopo usurpentur. Non ergo necesse est super his nova cudere, sed vetera recitare, atque firmare. Est enim à multis antecessoribus nostris synodaliter decretum, atque firmatum, ut oves, quæ Pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, præsumant, nec ullatenus pro quacumque re alia, nisi pro sua injustitia accusare audeant, quoniam Pastorum actus gladio oris non sunt feriendi, quamquam ritè reprehendi æstimentur.

3. Nec ullos Episcopos suis rebus expoliatos, vel à sedibus vi, aut dolo, aut quocumque ingenio pulsos, sicut & vos de nobis judicastis, aut ad Synodum tàm Provincialem, quàm generalem posse convocare, aut in aliquo judicare, antequam cuncta, quæ eis ablata sunt legibus potestati eorum pacificè per omnia reintegrentur, decernimus. Prius ergo oportet omnia illis legibus reintegrari, & Ecclesias, quæ sibi sublatæ sunt,

cum

cum omni privilegio suo restitui, & postmodum non sub angusto temporis spacio, sed tantùm temporis spacium eis indulgeatur, quantum expoliati, vel expulsi esse videntur, antequam ad Synodum convocentur, & ab omnibus quisque Provinciæ suæ Episcopis audiatur. Nam nec convocari ad causam, nec dijudicari potest expoliatus, vel expulsus, quia non est privilegium, quo expoliari possit jam nudatus: Unde & antiquitus decretum est: Omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante contestatam litem prætor, aut primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur. Ille, qui violentiam pertulit, universa in statu, quo fuerant, recipiat: & quæ possidet, securus teneat. Et alibi in Synodalibus Patrum decretis, & Regum edictis legitur statutum. Redintegranda sunt omnia expoliatis, vel ejectis Episcopis præsentialiter ordinatione Pontificum, & in eorum, unde abscesserunt, potestatem funditus revocanda, quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum, aut per quascumque injustas causas res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accusationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum, & reliqua. Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde & in Euangelio scriptum est: *Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum*. Et in legibus sæculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi, cujus res direpta est, in decuplum, quæ sublata sunt, restituat. Et in lege divina legitur: *Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus, Amen*. Talia ergo non præsumantur absque ulla ultione, nec exerceantur absque sua damnatione.

4. Accusatoribus verò inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, ne credatur, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint.

5. Quid ad hæc vobis, charissimi fratres, videtur prudentia vestra pro Ecclesiastica quiete, vel indemnitate universi edicite? universa Synodus dixit: Episcoporum persecutionem, & Ecclesiarum abscissionem, vel vastationem, atque servorum Dei insectationem fulti prædicta auctoritate, & omnium sanctorum Patrum prohibitione, vestraque consolatione communi tractatu pariter in futurum robustè, ac veraciter amputantes, sanctorumque Patrum statuta firmantes expressis sententiis sancimus, ne unquam talia à quoquam nostris, aut futuris temporibus præsumantur. Et silentio facto, Symmachus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ dixit: Quod si aliqui hæc transgressi fuerint, & talia præsumpserint, quid super his vobis videtur, pari adunatione manifestate. Cumque surrexissent, & paulò post iterum consedissent, una voce dixerunt: Si quis hæc, quæ hodie in hac sancta Synodo prohibita sunt, infringere præsumpserit, aut voluntariè transgredi tentaverit, si clericus est, gradu proprio penitus careat: si verò Monachus, aut laicus fuerit, communione privetur. Et si non emendaverit vitium, anathemate feriatur.

6. Secretas verò insidias, vel manifestas Pontificibus à quibuscumque illatas, vel ea, quæ hujus sanctæ Synodi sententia complectitur, si quis ad Ecclesiæ pertulerit notitiam, potiatur honore: & hi, qui adversa eis moliuntur, sicut & à Sanctis Patribus dudum statutum est, & hodie Synodali, & Apostolica authoritate firmatur, penitus abjiciantur, & exilio sui omnibus sublatis perpetuò tradantur. Hæc verò, quæ in hac sancta Synodo statuta sunt, & ea, quæ in libello, quem Ennodius nostra authoritate conscripsit, sicut in præsentia nostra relecta sunt, ut propriis manibus roborentur, rogamus, atque in perpetuum conserventur (sicut prædictum est) vestra Apostolica authoritate firmentur. Symmachus Ecclesiæ urbis Romæ Catholicæ Episcopus dixit. Acclama. vestras, Synodique judicium præsentia suscipient gesta. Adjecitque, & dixit:

A Ea, quæ ad suscipiendos veternosæ præsumptionis errores, vel infensæ Pontificibus præsumptionis morbos, quibus status affligi solet Ecclesiæ, servorumque ejus, deliberatione religioni congrua, pacique constituit, perpetua socientur firmitate, ut, annuente Domino, quem custodem rerum constat esse bonarum, Synodalis ordinatio vigeat, atque omnis, qui sine personæ alicujus districtione venire præsumpserit, imposita superius distinctione plectetur. Universa Synodus dixit: Ut fiat, rogamus. Dictum est decies: ut scandala amputentur, & insidiæ, atque detractiones erga Episcopos vitentur, rogamus. Dictum est duodecies. Et facto silentio, universi in sancta Synodo congregati clamantes dixerunt: Exaudi, Christe, Symmacho vita. Dictum est octies: Hic est pax cum Symmacho. Dictum est decies: Ut de præsenti fiat. Dictum est duodecies. Et paulò post, cùm resedissent, facto silentio, universa Synodus dixit: Quisquis Clericorum, aut Monachorum, aut Laicorum, tàm majoris ordinis, quàm etiàm inferioris post hanc formam à nobis prolatam, his decretis contraire præsumpserit, statutis Canonicis, velut schismaticus, percellatur.

Synodus Romana sexta sub Symmacho Papa, habita tempore Theodorici Regis sub die Kalendar. Octobr. de invasoribus rerum Ecclesiasticarum, anno 503.

Hoc Concilio decretum est, ut invasores bonorum Ecclesiasticorum, nisi ea restituerint, velut manifesti hæretici anathematizentur: neque aliter, quàm per satisfactionem ad commmunionem Ecclesiæ admittantur. Multi scilicet, ut habent acta Concilii pro remissione peccaminum suorum, & pro æternæ vitæ mercatione dederant Ecclesiis, quæ à diversis minus Deum timentibus mortifera calliditate tenebantur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, &c.

Additum est, eadem sententia teneri omnes, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis Regiæ obtinuissent, eo quod Regum non sit de bonis Ecclesiæ decernere. Nec licere Imperatori, vel Regi contra divina mandata, & Patrum constituta, sibi aliquid quovis modo usurpare.

Paruit Decreto Concilii Rex Theodoricus. Testatur enim Cassiodorus Variarum libro secundo, Epistola 29. quod interpellatus ab Eustorgio Juniore Episcopo pro bonis Ecclesiæ Mediolanensis, hæc rescripserit: *Quamvis nullos velimus gravamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra potegere (quia regnantis est gloria, subjectorum otiosa tranquillitas) tamen specialiter Ecclesias ab omni injuria cupimus reddi alienas, quibus dum æquabilia præstantur, misericordia Divinitatis acquiritur. Et ideò beatissimi viri Eustorgii Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoniti, præsentibus te affatibus admonemus, ut prædiis, vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis, tutionem studeas salva civilitate præstare: nec à quoquam cujuslibet rationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu sublevari.* Huic veritati certissimam fidem faciunt, quæ apud Cassiodorum Variarum libro quarto, epistola decima septima, postea rescripsit de possessionibus Ecclesiæ Narbonensis, & alia rescripta, quæ dedit pro defensione bonorum, & jurium Ecclesiarum. Præstitit hac in re Princeps Arrianus. Quod in pluribus Orthodoxis Regibus (proh dolor!) etiamnum desideratur. Sed consecutus est in hac vita præmium, quia Dei voluntate frequenter contra hostes gloriosè triumphavit.

Theodorici Arriani æquitas.

Concilium Byzacenum Africæ eo tempore, quo persecutio per Trasamundum Regem excitabatur, anno Domini nimirum 504. celebratum, de subrogandis novis Episcopis.

CUm Trasamundus Rex Byzacenæ Provinciæ in Africa præcepisset, ne quis in locum defuncti Antistes subrogaretur, eo quidem consilio, ut absque exerto ad persequendum gladio, ipsæ orthodoxorum Ecclesiæ aliquo temporis spatio Pastoribus orbatæ, universæ sua sponte conciderent, cumque ex eo ejusdem Provinciæ Episcopi Orthodoxi brevi temporis spatio fore prospicerent, ut jussu Regis prohibentis, defunctis Episcop. novos subrogari, arescentibus truncis absque palmitibus, omnes Ecclesiæ desolarentur, hoc Concilium indixerunt, quo sanctissimi Patres magno numero congregati una omnium sententia decreverunt, ut non obstante Principis mandato; omnibus Ecclesiis Pastoribus destitutis, Episcopi constituerentur, idque confestim opere expleverunt.

Quæ autem ex his acciderint, in ipsis sancti Fulgentii rebus gestis extant apud Surium die primo Januarii, & ab eodem rerum inspectore his verbis accuratè narrantur: *Postquam verò sacra turba Pontificum, qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt, adversus præceptum Regis in omnibus locis celebrare Ordinationes Pontificum; cogitantes aut Regis iracundiam, si qua forsan existeret, mitigandam, quo facilius ordinati in suis plebibus viverent, aut si persecutioni violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inveniebant promotione: ministerium verò suum faciliùs impleturos, atque in ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstituros. Fit repente communis assumptio: Presbyteros, Diaconos, & si quos inveniret electio, rapere, benedicere, & consecrare certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus, aut novissimus videretur.* Hæc Fulgentius de Episcopis Byzacenæ Provinciæ: Persecutionem Africanam cœpisse anno 504. probat Baron. ibid. n. 23.

Concilium Agathense tempore Symmachi Papæ, tertio Idus Septembris, Messala Consule, cui interfuerunt Episcopi triginta quinque: vulgò Agde, anno 505.

HOc Concilium permissu Alarici Regis Arriani, auctoritate Cæsarii Arelatensis Provinciæ Primatis congregatum est, ad collapsam Ecclesiasticam disciplinam in vigorem pristinum restituendam: quod Patres Concilii in Præfatione ipsius Concilii indicant his verbis: *De disciplina, & Ordinationibus Clericorum, atque Pontificum, vel de Ecclesiarum utilitatibus tractaturi.*

Huic Concilio præsedisse Cæsarium Arelatensem Episcopum, non tantùm ex prima nominis Cæsarii subscriptione apertè colligitur, verum etiam manifestis verbis indicatur cap. 73. Concilii Meldensis, ubi Canon, qui sic habet: *Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis cum aliis triginta quinque Episcopis, omnes inquiunt. Deinceps Clerici, sive laici Judæorum convivia evitent, &c.* ad verbum in prædicto Meldensi Concilio allegatus, est hujus Concilii quadragesimus.

Fuit autem celebratum Consule Messala, anno nimirum Christi 506. qui est Symmachi Papæ 8. Anastasii Imperatoris 10. Theodorici in Italia regnantis 14. & Alarici Gothorum Regis Arriani in Gallia regnantis annus regni, qui in fine Actorum hujus Concilii notatus habetur 22.

Concilii Agathensis exordium.

CUm in Dei nomine ex permissu Regis in Agathensem civitatem sancta Synodus convenisset, & in sancti Andreæ Basilica consedissemus, ibique flexis genibus in terra pro regno ejus, pro longævitate populi Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis permiserat potestatem, regnum ejus Dominus felicitate extenderet, justitia gubernaret, virtute protegeret, de disciplina, & ordinationibus Clericorum, atque Pontificum, vel de Ecclesiarum utilitatibus tractaturi, in primis id placuit, ut Canones, & statuta Patrum per ordinationem legerentur. Quibus lectis.

Cap. I. *De Bigamis clericis, ut non administrent.*

PLacuit de bigamis, aut internuptarum maritis, quamquam aliud Patrum statuta decreverint, ut qui huc usque ordinati sunt, habita miseratione, Presbyteri, vel Diaconi nomen tantùm obtineant: officium verò consecrandi Presbyteri, & ministrandi hujusmodi Diacones non præsumant.

Cap. II. *De contumacibus clericis, & ad officium tardis.*

COntumaces verò Clerici (prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint: peregrina eis communio tribuatur, itaut, cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum, dignitatemque suscipiant.

Cap. III. *De Episcopis, qui vel innocentes, vel pro minimis causis aliquos excommunicant.*

EPiscopi verò, si Sacerdotali moderatione postposita, innocentes, aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes*, recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet Provinciæ litteris moneantur. Et si parere noluerint, communio illius usque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur: ne fortè propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore, morte præveniantur.

Cap. IV. *De his, qui suas, vel propinquorum oblationes Ecclesiæ defraudant.*

CLerici etiam, vel sæculares, qui obligationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donaverunt Ecclesiis, vel Monasteriis, crediderint auferendum: sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, excludantur Ecclesiis.

Cap. V. *Si Clericus furtum Ecclesiæ fecerit.*

SI quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

Cap. VI. *Si Episcopo à quibuslibet quidquam fuerit derelictum.*

POntifices verò, quibus in summo Sacerdotio constitutis ab extraneis dumtaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur; non quasi

quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computabatur: quia justum est, ut sicut Sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat, quod relinquitur Sacerdoti. Sanè quidquid per fidei commissum aut Sacerdoti, aut Ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computare, aut retinere non poterit.

Cap. VII. *De rebus Ecclesiæ, quomodo ab Episcopis habeantur; & de servis Ecclesiæ, qualiter ab Episcopo manumittantur.*

CAsellas, vel mancipiola Ecclesiæ Episcopi (sicut prisca Canonum præcepit auctoritas) vel vasa ministerii, quasi commendata fideli præposito, in integro Ecclesiæ jure possideant, ideft, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, unde pauperes vivunt, alienare præsumant. Quod si necessitas certa compulerit, ut pro Ecclesiæ argumento, aut necessitate, aut utilitate, vel usufructu, vel indirecta venditione aliquid distrahatur, apud duos, vel tres comprovinciales, vel vicinos Episcopos, causa, qua necesse sit vendi, primitus comprobetur, ut habita discussione Sacerdotali, eorum proscriptione, quæ facta fuerit venditio, roboretur. Aliter facta venditio, vel transactio, non valebit. Sanè, si quos de servis Ecclesiæ benemeritos sibi Episcopus libertate donaverit, collatam à successoribus libertatem placuit custodiri, cum hoc, quod eis manumissor in libertatem contulerit, quod tamen jubemus viginti solidorum numerum, & modum in terrula, vel vineola, vel hospitiolo tenere. Quod amplius datum fuerit, post manumissoris mortem, Ecclesiæ revocetur. Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minus utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus.

Cap. VIII. *De clericis, qui ad sæculares confugiunt.*

ID etiam placuit, ut si Clericus, relicto officio suo, propter districtionem ad sæcularem judicem fortasse confugerit, & is, ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

Cap. IX. *De Presbyteris, & Diaconibus, qui ad conjugalem coitum revertuntur.*

PLacuit etiam, ut si Presbyteri, vel Diaconi conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, vel Syricii Episcopi auctoritas, quæ est his Canonibus inserta, servetur. Quod si ad aliquos Formula illa Ecclesiasticæ vitæ, pariter & disciplinæ, quæ à Syricio Episcopo ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse; eis ignorationis venia remittitur, ita ut de cętero penitus incipiat abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retineant, ut ad potiora eis non liceat ascendere. Quibus in beneficio esse debet, quod locum ipsum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem scisse formam vivendi missam à sancto Syricio Episcopo detegantur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse; illi sunt modis omnibus submovendi, eo quod post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

Cap. X. *Ut nullus clericorum cum extraneis feminis habitet.*

ID etiam ad custodiendam vitam, & famam speciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ mulieri qualibet collatione, aut familiaritate jungatur. Et non solùm in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantùm, sorore, filia, aut nepte, si habuerit, aut voluerit, vivendi liberam habeat potestatem. De quibus nominibus nefas est aliud, quàm natura constituit, suspicari.

Cap. XI. *Ut nullus Clericus in cellario, vel in secreto fœminam intromittat.*

ANcillas, vel liberas à cellario, vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua Clericus manet, placuit removeri.

Cap. XII. *Ut omni Quadragesimæ Sabbato jejunetur.*

PLacuit etiam, ut omnes Ecclesiæ filii (exceptis diebus Dominicis) in Quadragesima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione, & distinctionis commi-natione jejunent. *De consf. d. 3. Placuit, ut omnes.*

Cap. XIII. *Ut Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur.*

SYmbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis una die, ideft ante octo dies Dominicæ Resurrectionis, publicè in Ecclesia competentibus prædicari. *De consec. d. symbol.*

Cap. XIV. *Ut Altare & benedicatur, & ungatur.*

ALtaria placuit non solùm unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. *De consec. d. 4. altar.*

Cap. XV. *Qualiter majores, qualiter minores pœnitentiam accipiant.*

POenitentes, tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput à sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur.. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur. Et nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda est propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non est negandum. *D. 50. Pœnitentes.*

Cap. XVI. *Qua ætate Diacones ordinentur.*

EPiscopus benedictionem Diaconatus minoribus, quàm vigintiquinque annorum penitus non committat. Sanè, si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postea, qui pariter conversi fuerint, ordinentur. *D. 77. Episcop. benedictionem.*

Cap. XVII. *Qua ætate Episcopi, vel Presbyteri consecrentur.*

PResbyterum verò, vel Episcopum, ante triginta annos, ideft, antequam ad viri perfecti ætatem perveniat, & Diaconos ante vigintiquinque nullus Metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem (quod aliquoties evenit) aliquo errore culpentur. *D. 77. Episcop. benedicendi.*

Cap. XVIII. *De laicis, quibus temporibus communicare debeant.*

SÆculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. *De consecr. d. 1. sæcul.*

Ex hoc Canone infertur contra Casaubonum exercitat. 18. *adversus Baronium, fideles non fuisse adstrictos ad communicandum toties, quoties missam audirent. Petavius in animadversionibus ad expositionem fidei.*

A

Cap. XIX. *De sanctimonialibus, qua ætate velentur.*

SAnctimoniales, quantumlibet vita earum, & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.

Cap. XX. *De Clericis, qui comam nutriunt.*

dist. 13. Clerici, qui.

CLerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono (etiamsi noluerint) inviti detondeantur. Vestimenta etiam, vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant, uti, aut habere non liceat.

Cap. XXI. *Ut solemnitates majores in civitatibus celebrentur.*

De consec. d. 1. si quis esset.

SI quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, justa ordinatione permittimus: Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali sancti Joannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici verò, si qui in Festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis (nisi jubente, aut permittente Episcopo) Missas facere, aut tenere voluerint, à communione pellantur.

B

Cap. XXII. *Ut non liceat Presbyterum, aut Clericum rem Ecclesiæ vendere, aut donare.*

12. q. 2. statuimus.

ET licèt superfluum sit de re nota, & antiquis Canonibus prohibita aliquid iterato definire, attamen quo faciliùs cupiditas, aut improbitas reprimatur, id statuimus, quod omnes Canones jubent, ut civitatenses, sive Diœcesani Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant, vendere autem, aut donare penitus non præsumant. Quod si fecerint, vel fecerunt, & facta venditio non valebit, & de facultatibus (si quas habent proprias) indemnem Ecclesiam reddant, & communione priventur.

C

Cap. XXIII. *Ut Clericus minor seniori non præponatur.*

d. 57. Episc. etiam.

EPiscoporum etiam, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullus præponat, nisi fortè elatus superbia, quod pro necessitate Ecclesiæ Episcopus jusserit, implere contemnat. Sanè, si officium Archidiaconatus, propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur.

D

Cap. XXIV. *De expositis inventis.*

DE expositis id observandum, quod jamdudum Synodus sancta constituit.

Cap. XXV. *De sæcularibus, qui suas uxores derelinquunt.*

32. q. 2. sæculares, & in Côc. Carthagin. c. 130.

SI verò sæculares, qui conjugale consortium, sine culpa graviori, dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia sua dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præsumant, si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & prius uxores, quàm judicio damnentur, abjecerint, à communione Ecclesiæ, & sancto populi cœtu (pro eo, quod fidem, & conjugia maculent) excludantur.

E

Cap. XXVI. *Ut si voluntariè Clericus damnum Ecclesiæ fecerit, & satisfaciat, & excommunicetur.*

SI quis de clericis documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere, damnabili, & punienda obstinatione præsumpserit, quidquid per absentiam documentorum, damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam, qui in damno Ecclesiæ impiè solicitati, à traditoribus aliquid acceperint, superiori sententia teneantur.

Cap. XXVII. *Ut Monasterium novum, inconsulto Episcopo, nullus fundare præsumat, nec constituat de Monachis.*

MOnasterium novum, nisi Episcopo aut permittente, aut probante, nullus incipere, aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes, ad officium Clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in civitatibus, nec in Parochiis ordinentur. Monachum, nisi Abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum Monasterium commigrantem, nullus Abbas suscipere, aut retinere præsumat: sed ubicumque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum revocetur. Si enim necesse fuerit, Clericum de Monachis ordinari cum consensu, & voluntate Abbatis præsumat Episc.

Cap. XXVIII. *Ut monasteria puellarum procul à Monachis constituantur.*

MOnasteria puellarum longius à Monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur.

Cap. XXIX. *De libertis, ut in necessitate ab Ecclesia tueantur.*

LIbertos legitimè à Dominis suis factos Ecclesia (si necessitas exegerit) tueatur, quod si quis ante audientiam aut pervadere, aut expoliare præsumpserit, ab Ecclesia repellatur.

Cap. XXX. *Ut post Antiphonas Orationes dicantur.*

ET quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut ubique fit, ut post Antiphonas, Collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & Hymni Matutini, vel Vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione Matutinarum, vel Vespertinarum, & Missarum, post Hymnos, Capitella de Psalmis dicatur, & plebs collecta oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione mittatur.

Cap. XXXI. *De his, qui propter odium ad pacem non revertuntur.*

PLacuit etiam, ut (sicut plerumque fit) quicumque odio, aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, à Sacerdotibus civitatis primitus arguantur. Qui, si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

Cap. XXXII. *Ut Clericus, inconsulto Episcopo, ad Judicem sæcularem non pergat.*

CLericus nec quemquã præsumat apud sæcularem Judicem, Episcopo non permittente, pulsare. Sed, si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere.

nere. Si quis verò sæcularium per calumniam Ecclesiam, A
aut Clerum fatigare tentaverit, & convictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione, (nisi dignè pœnituerit) coerceatur.

Cap. XXXIII. *Si Episcopus, hæredes non habens, Ecclesiam, cui præfuit, hæredem non fecerit.*

uæst. 2 c. qui. EPiscopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium, quàm Ecclesiam, reliquit hæredem, si quid de Ecclesia, non in Ecclesiæ causa, aut necessitate insumpserit, quod distraxit, aut donavit, irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis, quæ reliquit, ab hæredibus ejus indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.

Cap. XXXIV. *De Judæis, qui converti cupiunt, qualiter suscipiantur.*

onf. d. dei. JUdæi (quorum perfidia frequenter ad vomitum redit) si ad legem Catholicam venire voluerint, octo menses inter Catechumenos Ecclesiæ limen introeant: & si pura fide noscuntur venire, tùm demum Baptismatis gratiam mereantur. Quod si casu aliquo periculum infirmitatis intra præscriptum tempus incurrerint, & desperati fuerint, baptizentur.

Cap. XXXV. *Si Episcopus à Metropolitano admonitus, pro Synodo, vel ordinatione Episcopali, venire distulerit.*

18. Si ... vel. II. & in ... m. c. 2. SI Episcopus Metropolitanus ad comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos ad ordinem summi Pontificis, aut Synodum invitet, postpositis omnibus (excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia) ad constitutum diem adesse non differant. Quod si defuerint (sicut prisca Canonum præcepit auctoritas) usque ad proximam Synodum, charitate fratrum, & Ecclesiæ communione priventur.

Cap. XXXVI. *Ut stipendia Clericorum juxta meritum distribuantur.*

2. Cle- CLerici etiam omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum, à Sacerdotibus consequantur.

Cap. XXXVII. *De homicidis, & falsis testibus.*

uæst. ITaque censuimus, homicidas, & falsos testes à communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina diluerint.

Cap. XXXVIII. *Ut sine Episcopi sui epistola non liceat Clericum, vel Monachum proficisci. Et de Monachis, vel Abbatibus.*

u. 4. chii. CLericis sine Commendatitiis epistolis Episcopi sui, licentia non pateat evagandi. In Monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur. Quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri. Servandam quoque de Monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat à congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab Abbatibus regula permittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem Monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque singulis diversas cellulas, aut plura Monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

Cap. XXXIX. *Ut clerici nuptiarum vitent convivia.*

PResbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia. Nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus corporum choreis, & saltationibus efferuntur, ne auditus, & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. Dist. 34. Presbyteri

Cap. XL. *Ne Christiani Judæorum utantur conviviis.*

B OMnes deinceps Clerici, sive laici Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquam excipiat, quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est, atque sacrilegum, eorum cibos à Christianis sumi: cum ea, quæ Apostolo permittente non sumimus, ab illis judicentur immunda; ac si inferiores incipiant esse Christiani, quàm Judæi, si nos, quæ ab illis ponuntur, utamur; illi verò à nobis oblata contemnant. 28. qu. 1. Omnes deinceps.

Cap. XLI. *Ut à Clericis vitetur ebrietas.*

ANte omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit (ut ordo patitur) aut triginta C dierum spatio communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. D. 23. Ante omnia.

Cap. XLII. *De sortilegis, vel auguratoribus, ut ab Ecclesia separentur.*

AC ne id fortasse videatur omissum, quod maxime fidem Catholicæ religionis infestat, quod aliquanti Clerici, sive laici student auguriis, & sub nomine fictæ religionis, per eas, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicumque Clericus, vel laicus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus. 26. qu. 1. Aliquam.

D Cap. XLIII. *Ne de pœnitentibus Clericus ordinetur, & ut Presbyter Altare non erigat.*

DE pœnitentibus id placuit observare, quod sancti Patres nostri Synodali sententia censuerunt, ut nullus de his Clericus ordinetur, & qui jam sunt per ignorantiam ordinati, aut sunt bigami, aut internuptarum mariti locum teneant. Ministrare diaconus, consecrare Altare Presbyter non præsumat. In Conc. Arel. II. c. 25.

Cap. XLIV. *Presbyter benedictionem populo vel pœnitenti, in Ecclesia dare non præsumat.*

BEnedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non liceat. 26. qu 6. Ministrare Diacon.

E Cap. XLV. *Episcopus exiguum aliquid sine Clericorum conniventia (si necessaria fuerit) non distrahat.*

TErrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas, Episcopus sine cosilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi non habeat potestatem. 22. qu. 2. Terrulas.

Cap.

A

Cap. XLVI. *Servos Ecclesiæ fugitivos Episcopo liceat vendere.*

52. qu. 1. *Fugitivi.* Fugitivi domus suas, aut familias deserentes, qui etiamsi revocati fuerint, non possunt teneri, simili ratione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.

Cap. XLVII. *Ante Missam expletam egredi populus non præsumat.*

De Consec. d. 1. Missas. Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

B

Traditione Apostolica diem Dominicum colendum esse, eodemque Missas audiendas, tradit sanctus Augustinus 21. *Serm. de tempore.* Dominicum ergo diem, *inquit*, Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum esse sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit: quique ideo Dominica appellatur, ut in eo terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus. *Et post multa de Missa audienda subjungit.* In die verò nullus se à Missarum sacrarum celebratione separet, neque quis domi remaneat, cæteris ad Ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet.

C

Cap. XLVIII. *De rebus Ecclesiæ propriis, vel acquisitis.*

7. qu. *Episcopi.* Ut de rebus Episcopi propriis, vel acquisitis, vel quidquid Episcopus de suo proprio habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat. Quidquid verò de provisione Ecclesiæ suæ fuerit, sive de agris, sive de frugibus, sive de oblationibus, omnia jure Ecclesiæ reservare censuimus.

Cap. XLIX. *De non alienandis rebus Ecclesiæ, & de libertis.*

2. qu. 2. *Diacon.* Diacones, vel Presbyteri in Parochia constituti de rebus sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res sacratæ Deo esse noscuntur.

D

Similiter & Sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ sibi commissæ (ut superius comprehensum est) alienare præsumant. Quod si fecerint convicti in Concilio, & ab honore depositi, de suo aliud tantum restituant, quantum visi sunt præsumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse, tunc demum istud stare licebit. Libertos tamen, quos Sacerdotes, vel diaconos de Ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus Ecclesiæ prosequi jubemus. Quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

Cap. L. *De Clericis capitale crimen incurrentibus.*

E

D. 50. *Si Episcop.* Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in Monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.

Cap. LI. *De Episcopi testamento.*

12. q. 15. *Si Episc. condito.* Si Episcopus, condito testamento, aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantum de juris proprii facultate suppleverit.

Cap. LII. *De Clericis sine sui Episcopi litteris proficiscentibus.*

Presbytero, aut Diacono, vel Clerico sine Antistitis sui epistolis ambulanti, communionem ei nullus impendat.

Cap. LIII. *De Presbyteris Parochianis res Ecclesiæ distrahentibus.*

Quidquid Parochiarum Presbyter de Ecclesiastici juris possessione distraxerit, inane habeatur, & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis. 12. *Quid Paro*

Cap. LIV. *De eisdem, ut quidquid emerint, in nomine comparent Ecclesiæ.*

Presbyter, dum Diœcesim tenet, de his, quæ emerit ad Ecclesiæ nomen, scripturam faciat, aut ab ejus (quem tenet) Ecclesiæ ordinatione discedat. 12. *Pres*

Cap. LV. *Ut Sacerdotes, & Levitæ canibus ad venandum, & accipitribus non utantur.*

Episcopis, & Presbyteris, & Diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se suspendat à communione, Presbyter duobus mensibus se abstineat, Diaconus verò ab omni officio, vel communione cessabit. D. 34 *scopi Conci relat.*

Cap. LVI. *De venditionibus, quas Abbates facere præsumunt.*

In venditionibus, quas Abbates facere præsumunt, hæc forma servetur, ut quidquid sine Episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur. Mancipia verò Monachis donata, ab Abbate non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut Monachis quotidianum rurale opus facientibus servi eorum libertatis otio potiantur. 17. *In v tione centia*

Cap. LVII. *Ne unus Abbas duobus Cœnobiis præponatur.*

Unum Abbatem duobus Monasteriis præsidere interdicimus. 21. *Unum*

Cap. LVIII. *Ne Monasterium sine notitia Episcopi constituatur.*

Cellulas novas, aut congregatiunculas Monachorum absque notitia Episcopi prohibemus institui. 18. *Cellul nova.*

Cap. LIX. *De rebus Ecclesiæ usui collatis, ut præscriptionis tempore non defendantur.*

Clerici quilibet, quantacumque diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in jus proprium, præscriptione temporis, non vocentur, dummodo pateat Ecclesiæ rem fuisse, ne videantur etiam Episcopi administratione prolixas, aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates, in jus proprietatis suæ posse transcribere. 16. *Cleri libet.*

Cap. LX. *De lapsis, qui de Catholica fide in hæresim transeunt.*

Lapsis, idest, qui in Catholica fide baptizati sunt, si prævaricatione damnabili post hæresim transierint, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breviata pœnitentiam biennii, conditione infrascriptæ observationis

tionis imponimus, ut præscripto biennio, tertio fine relaxatione jejunent, & Ecclesiam studeant frequentare. In pœnitentium loco standi, & orandi humilitatem ita noverint observandam, ut etiam ipsi, cum Catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint, constituto tempore admittendis ad Altarium observatio relaxetur. Quod si ardua, vel dura forte putaverint, statuta præteritorum Canonum implere debebunt. A

Cap. LXI. *De incestis conjugiis.*

.q.2.3. nce stis DE incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos verò nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse: Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali conjunctione polluerit: si quis frater germanam uxorem acceperit: si quis novercam duxerit: si quis consobrinæ suæ se sociaverit: si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ, aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit uxorem. Quos omnes, & olim atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt hactenus instituta, non dissolvamus. Sane, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

Cap. LXII. *De his, qui servos suos extra Judicem necant.*

SI quis servum proprium sine conscientia Judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit.

Cap. LXIII. *De Laicis, qui in solemnitatibus majoribus ad civitatem non occurrunt.*

UT cives, qui superiorum solemnitatum, idest Paschæ, ac Natalis Domini, vel Pentecostes festivitatibus, cum Episcopis interesse neglexerint (cum in civitatibus, communionis, vel benedictionis accipiendæ causa positos se nosse debeant) triennio à communione priventur Ecclesiæ.

Cap. LXIV. *De Clericis, qui ab Ecclesiæ officio diebus solemnibus desunt.*

1. Si SI quis in Clero constitutus, ab Ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, idest, Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecostes, dum potius singulari lucro studeat, quàm servitio suo parere, convenit, ut triennio à communione suspendatur. Similiter Diaconus, vel Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.

Cap. LXV. *De Levitis, ut non sine jussu Presbyteri sedeant.*

7. 93. opor- QUoniam non oportet Diaconem sedere præsente Presbytero, sed ex jussione Presbyteri sedeat. Similiter autem honorificetur Diaconus à ministris inferioribus, & omnibus Clericis.

Cap. LXVI. *De ministris, ne Secretarium ingrediantur.*

. Non et. QUoniam non oportet in sacros ministros licentiam habere in Secretarium (quod Græci Diaconion appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica.

Cap. LXVII. *De Catholicis, ne hæreticorum connubiis copulentur.*

QUoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profitentur, Christianos futuros esse se, & Catholicos. q.1.28. Nō oportet.

Cap. LXVIII. *De Levitis, & Clericis, ne magi, vel incantatores sint.*

QUoniam non oportet ministros Altaris, aut Clericos, magos, & incantatores esse, aut facere, quæ dicunt phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum. Nos autem, qui talibus utuntur, projici ab Ecclesia jussimus. 26.q.6. Nō Magicis.

B

Cap. LXIX. *De seditionariis Clericis.*

SEditionarios numquam ordinandos Clericos, sicut nec usurarios, vel injuriarum suarum ultores. D.4.6. Seditionarios

Cap. LXX. *De scurris, & joculatoribus Clericis.*

CLericum scurrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio retrahendum. D. 46. Clericum.

Cap. LXXI. *De Synodo annis singulis congreganda.*

C SYnodum etiam secundum constituta Patrum annis singulis placuit congregari. Et quia in nomine Domini in omnibus salubriter constitutis, Synodus cum pace dimittitur, gratias Deo primitus, & Domino nostro Regi agamus, orantes divinam clementiam, ut hæc eadem facere, & docere per multos annos in honorem Domini possimus. Et ego Cæsarius in Christi nomine Episc. juxta id, quod universis Episcopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, instituta Patrum secutus, his definitionibus annuens, sub die quinto Kalendas Septembris, anno 22. Regis Alarici, subscripsi.

Huic Concilio subscripsit Cæsarius Arelatensis Episcopus cum 24. aliis Galliæ Episcopis, & novem Presbyteris, aut Diaconis absentium Episcoporum procuratoribus. D

CONCILIUM AURELIANENSE I.

triginta trium Episcoporum, anno Christi 511. sub Symmacho Papa tempore Clodovei I. Francorum Regis Christiani.

Aurelia, aliàs Aureliæ, Galliæ Celticæ urbis, multis nominibus, & jurisprudentiæ potissimum celebris, olim Gennabum, nunc Vulgo Orleans. Cujus frequens mentio habetur in Commentariis Cæsaris.

TITULI CAPITULORUM
Aurelianensis Synodi primæ.

1 *Clodovei Franciæ Regis epistola ad Synodum.*
E 2 *Rescriptum Episcoporum ad Regem Clodoveum.*
3 *De his, qui pro qualibet culpa ad Ecclesiam confugerint.*
4 *Si raptor cum rapta ad Ecclesiam confugerit.*
5 *Si servus à Domino de Ecclesia excussus, vel ductus injuriam, aut cædem pertulerit.*
6 *Ut filii, vel nepotes clericorum in Episc. sint potestate, & de laicis sine voluntate Episc. non ordinandis.*
7 *Qualiter ab Episcopo facultas Ecclesiæ dispensetur.*
8 *Eum, qui Episcopum proprio jure invitat, non excommunicandum.*
9 *Nullus Clericorum sine commendatitiis Episcopi sui ad regem accedat.*
10 *Si, nesciente Domino, sciens Episcopus servum alienum promoverit.*

CAPITULA CONCILII Aurelianensis I.

al. Clotoveghus. **D**ominis sanctis, & Apostolica sede dignissimis Episcopis Clodoveus Rex. Enunciante fama quid actum fuerit, vel præceptum, omni exercitui nostro priusquam in patriam Gotthorum ingrederemur, beatitudini vestræ præterire non potuit. In primo quoque de ministerio Ecclesiarum omnium præcepimus, ut nullus ad subripiendum in aliquo conaretur, neque de sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini devotæ esse probarentur. Simili conditione & de Clericis, vel filiis supradictorum tàm Clericorum, quàm viduarum, qui cum illis in domo ipsorum D consistere videbantur. Idem & de servis Ecclesiarum, quos de Ecclesiis tractos per Episcoporum sacramenta constiterit, præceptum est observare, ut nullus ex ipsis aliquam violentiam, vel damnum patiatur. Quod ita ad integrum est intelligendum, ut ex his supradictis, si aliquis vim captivitatis pertulisset, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, omnino sine aliqua dilatione præcipiamus esse reddendos. De cæteris quidem captivis laicis, qui extra pacem sunt captivati, & fuerint approbati Apostoli, aut cui volueritis arbitrii vestri est non negandum. Nam de his, qui in pace nostra tàm Clerici, quàm Laici subrepti fuerint, si veraciter agnoscitis, vestras Epistolas de annulo vestro infra signatas, sic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte nostra præceptionem latam noveritis esse firmandum, sic tamen populus noster petit, ut cuicunque epistolas vestras præ- E stare fueritis dignati, cum sacramento per Deum, & benedictione vestra dicere non tardetis, rem istam, quæ poscitur veram esse, quia multorum varietates, & falsitates inventæ sunt, ut comprehendantur, sicut scriptum est:
Genes. 8. *Perit justus cum impio.* Orate pro me, Domini sancti, & Apostolica sede Papæ dignissimi.

2. *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio Clodoveo gloriosissimo Regi.* Omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis, quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundum vestræ volun- A tatis consultationem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visa sunt, definitione respondimus, ita ut si ea, quæ nos statuimus, etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus regis, ac Domini majoris auctoritatem servandam, tantorum firmat sententia Sacerdotum.

3. Cum authore Deo in Aurelianensi urbe fuisset Concilium Summorum antistitum congregatum, communi omnium collatione complacuit, ut hoc, quod verbis statuerunt, etiam scripturæ testimonio roborarent.

De homicidis, adulteris, & furibus si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat, sed nec alteri consigna- B re, nisi ad Euangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate, & omnium pœnarum genere sint securi, ita ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat. Quod si quis sua sacramenta convictus fuerit violasse, reus perjurii, non solum à communione Ecclesiæ, vel omnium Clericorum, verum etiam & à Catholicorum convivio separetur. Quod si is, cujus reus est, noluerit, intentione faciente componi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur. *17.q. consti*

4. De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor mortis, vel pœnarum impunitate concessa, aut serviendi con- C ditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò, quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius. *36.q. rapt*

5. Servus, qui ad Ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si Domino pro amissa culpa Sacramentum susceperit, statim ad servitium Domini sui redire cogatur, & postea quam dato Sacramento Domino suo fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excusatur, probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ, & prævaricatione fidei à communione, & convivio Catholicorum extraneus habeatur. Si verò servus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus, Sacramenta Domini Clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à Domino liceat occupari. *17 cons*

6. De ordinationibus clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus sæcularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum regis jussione, aut cum judicis voluntate, ita ut filii clericorum, idest, patrum, avorum, ac proavorum, quos supradicto ordine parentum constat observatione subjunctos, in Episcoporum potestate, & districtione consistant.

7. De obligationibus, vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non adhibentibus, Deo sibi inspirante contulerit, ipsorum agrorum, vel clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & clerici ad adjutorium Ecclesiastici operis constringantur. Quod si aliquis Sacerdotum, seu minoris officii ad hanc curam minus solicitus fuerit, ac devotus extiterit, publicè à cõprovincialibus Episcopis confundatur. Quod si nec sub tali se confusione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus, minores verò (ut dignum est) distringantur.

8. Si quis ab Episcopo suo, vel de Ecclesia, vel de proprio jure crediderit aliquid repetendum, si nihil convicii, aut criminationis objecerit, eum pro sola contentione à communione Ecclesiæ non liceat submoveri. *2. quis pisc*

9. Abbatibus, Presbyteris, omnique clero, vel in religionis professione viventibus, sine discussione, vel

vel commendatione Episcoporum,pro petendis beneficiis ad Dominos venire non liceat. Quod si quisquam præsumpserit, tamdiu loci sui honore, & communione privetur, donec per pœnitentiam plenam ejus satisfactionem Sacerdos accipiat.

54. Si ...us Ab. ...pœnit. De his 10. Si servus absente, vel nesciente Domino suo, Episcopo tamen sciente, quod servus sit, Diaconus,aut Presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, Episcopus eum Domino duplici satisfactione compenset. Si verò Episcopus cum servum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitioni teneantur obnoxii.

11. Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiserit, simul & ab officio, & communione pellatur.

12. De hæreticis Clericis, qui ad fidem Catholicam cum plena fide, ac voluntate venerint, & de Basilicis, quas in perversitate sua Gothi hactenus habuerunt, id censuimus observari, ut clerici fideliter convertantur, & fidem Catholicam integrè confiteantur, vel ita dignam vitam morum, & actuum probitate custodiant, officio, quo eos Episcopus dignos esse censuerit, cum impositæ manus benedictione suscipiant, & Ecclesias simili,quo nostræ invocari solent, placuit ordine consecrari.

13. De his, qui suscepta pœnitentia religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi,& ab omnium catholicorum conviviis separari. Quòd si post interdictum, cum eis quisquam præsumpserit manducare,& ipse communione privetur.

14. Si Diaconus, vel Presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis professione submoverit, sic quoque, si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

Si se. 15. Si se cuicunque mulier duplici conjugio Presbyteri, vel Diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur: aut certe, si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.

16. Antiquos Canones relegentes priora statuta credimus renovanda, ut de his, quæ in altero oblatione fidelium conferuntur, medietatem Episcopus sibi vendicet, & medietatem sibi dispensandam secundum gradus, clerus accipiat, tàm de prædiis propriis, quàm de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus.

1. De ...æ. 17. De his,quæ parochiis in terris,vineis,mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen,quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur. Decimæ autem secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto anno totam Episcopi accipiant.

Epis. ...r. 18. Episcopus pauperibus, vel infirmis,qui,debilitate faciente,non possunt suis manibus laborare, victum, & vestimentum, inquantum possibilitas habuerit, largiatur.

19. Omnes Basilicæ,quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidiè construuntur, placuit secundum Priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi, in cujus positæ sunt territorio, potestate consistant.

20. Nec superstes frater torum defuncti fratris ascendat, nec se quisquam amissæ uxoris sorori audeat sociare. Quod qui fecerint, Ecclesiastica districtione feriantur.

q. 2. ...tes 21. Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant. Et si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur. Qui semel in anno, in loco, ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia, & devotione subjaceant. Quod si quis per contu-

A maciam extiterit indevotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia, quæ acquisierit, ab Abbatibus auferentur, secundum regulam Monasterio profutura. Ipsi autem,qui fuerant pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur. Et reum se ille Abbas futurum esse cognoscat,qui in hujusmodi personis non regulari animadversione distrinxerit, vel qui susceperit Monachum alienum.

22. Monacho orarium in Monasterio, vel zonas habere non liceat. *27. q. 1. Monacho.*

23. Monachus in Monasterio conversus, si pellici postea, vel uxori fuerit sociatus, tantæ prævaricationis reus, nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.

B 24. Nullus monachus,congregatione monasterii derelicta, ambitionis, & vanitatis impulsu cellulam construere, sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat. *18. qu. 2. Nullus.*

25. Si Episcopus humanitatis intuitu, manciopiola, vineolas, vel terrulas clericis, vel monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spacia comprobentur,nullum Ecclesia præjudicium patiatur: nec sæcularis legis præscriptio,quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur. *16.q.3. Si Episcop.*

26. Id Sacerdotibus omnibus est decretum, ut ante Paschæ solemnitatem non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur. *De Consec. d.3. Sacer.*

C 27. Ut nulli civium Paschæ natalis Domini,vel Quadragesimæ solemnia in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

28. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: &, ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis. *De Consec. d. 1. Cum ad. tollit negationē Sirmūdus*

29. Rogationes, id est, litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur,per quod triduum servi, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebis universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant,& quadragesimalibus cibis utantur. *De Consec. d.3. Rogat.*

D 30. Clerici verò,qui ad opus sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium Episcopi Ecclesiasticam suscipiant disciplinam. *26. q.3. Si quis Cler.*

31. De familiaritate extranearum mulierum tàm Episcopi, quàm Presbyteri, vel diaconi præteritorum canonum statuta custodiant.

32. Si quis Clericus,Monachus, vel sæcularis divinationem, vel auguria crediderit observanda, vel sortes (quas mentiuntur esse sanctorum) quibuscunque putaverint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.

33. Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debet. *De Consec. d.3.Epis.si.*

Primus subscripsit huic Concilio Cyprianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Burdigalensis Metropolis, E *deinde Tetradius Episcopus Ecclesiæ Bituricæ Metropolis, Licinius Turonicæ Metropolis, Leontius Elusanæ Metropolis, & Gildaridus Rothomagensis Metropolis, tùm alii Ecclesiarum, quæ non dicuntur Metropoles, sicut quinque. Elusa vulgo* Eausse *olim Metropolis, nunc Auscensi Archiepiscopo redacta. Litaredus Ecclesiæ Oxomensis, olim Episcopali. Nunc sub Sagiensi Episcopo est in Normania.*

PSEUDO SYNODUS SYDONIÆ Palestinæ, quam ad damnandam Synodum Chalcedonensem Eutychiani, & Acephali congregarunt, atque in ea jussu Anastasii Imperatoris Flavianum Antiochenum, & Eliam Jerosolymitanum Orthodoxos Episcopos, Chalcedonensis Concilii defensores, sedibus suis ejiciendos esse decreverunt.

Con-

Conciliabulum hoc ab Anastasio Imperatore hæretico adversus Dominum, & adversus Christum ejus indictum, celebratum est ab hæreticis, & perfidis octoginta Episcopis apud Sidonem in Palæstina, anno Domini 512. qui est Symmachi 14. & Anastasii Imperatoris 22.

De rebus in Synodo gestis hæc summatim Marcellinus in Chronico sub Consulatu Pauli, & Musciani: *Porro redintegrata pravitate, Anastasius infamem, & irridendam Synodum apud Sidonem civitatem, octoginta ferme perfidorum Episcopis congregatis, adversus Orthodoxorum Episcopos fieri imperavit. Flavianus Antiochiæ Catholicus Patriarcha, & Joannes Paltensium Pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerunt, in castellum, quod Petra dicitur, exules missi sunt. Ibi Flavianus Confessor Christi in Domino requievit. Joannem Justinus Augustus mox Imperator factus revocavit.* Concilio Nicæno II. Act. I. ex actis hujus Conciliabuli hæc B recitata sunt. *Variis modis Flavianum afflixerunt, & vexarunt, cogentes interim, & obtorto collo huc trahentes, ut Acta Chalcedonensis Synodi anathemate persequerentur: quo nolente, Episcopatu suo privatus, in exilium quoque damnatus est.* Vide Baron. anno. 512. n. 19. & seqq.

Concilium Rhemense sub Hormisda in causa disciplinæ Ecclesiasticæ in Gallia reformandæ congregatum, anno Domini 514.

S. Remigius. Cum S. Remigius scriptam ad se epistolam Hormisdæ Papæ accepisset, usurpata sibi potestate delegata, Concilium Gallicanorum Episcoporum Rhemis collegit, in quo Arrianus quidam Episcopus tanta C superbia inflatus fuit, ut solus omnes Catholicos ad certamen provocaret. At verò ingredienti Remigio Synodum, cæteri Episcopi omnes, ut par erat, assurgunt: ille fastu plenus assurgere dedignatur. Sed transeunte apud illum Remigio, obmutuit, admirantibus omnibus garrulam hæretici linguam sola Remigii umbra compressam: qui postmodum cum eloqui nihil posset, ad pedes sancti Remigii procidens, nutibus veniam petiit, & S. Præsulis sanctimonia, & ab hæresi, & linguæ impedimento sanatus est, promens confestim Catholicam professionem tàm de mysterio Trinitatis, quàm de Christi Incarnatione. Hincmarus in D Vita S. Remigii apud Surium tom. 1. die 13. Januarii. Recitat ejusdem Concilii Acta Baronius anno 514. nu. 19. & 20.

Synodus veteris Epiri in causa Joannis Nicopolitani Episcopi, & Metropolitani veteris Epiri, celebrata sub Hormisda anno Dom. 516.

Mortuo Alcysone Episcopo Nicopolitano, anno Domini 516. qui est tertius Hormisdæ, surrogatus est Joannes: qui statim more majorum coacta Synodo Episcoporum veteris Epiri, cujus ipse erat Metropolitanus Antistes, communionem sedis Apostolicæ amplexurus, fidei suæ libellum illico per Ruffinum Dia- E conum ad Hormisdam Papam misit, probans quatuor Generalia Concilia, damnansque omnes hæreticos, eorumque in primis socium Acacium. Synodicam ejusdem argumenti ipsa Synodus universa adjunxit, & per eumdem Ruffinum ad Pontificem transmisit. Utraque epistola habetur apud Binium.

Concilium Tarraconense decem Episcop. tempore Hormisdæ Papæ habitum Æra 554. anno Dom. 517. Anno 6. Theodorici Regis.

Tarraco citerioris Hispaniæ urbs opulentissima, quæ potiori totius Hispaniæ parti nomen dedit, A Metropolis ipsa, & civitatum Hispaniæ mater ad Pyrenea juga posita, Scipionum opus, ad excipiendas principum peregrinationes egregiè nata est. Hæc ex Ptolom. lib. 2. cap. 4. Plin. lib. 3. cap. 2. & 3. Strabone lib. 3.

TITULI CAPITULORUM Concilii Tarraconensis.

1 *Ut etiam ad proximas sanguinis cum testimonio clerici vadant.*
2 *Ut clericis emendi vilius, vel vendendi carius non permittatur licentia.*
3 *Ut quantum clericus præstiterit, tantum recipiat.*
4 *Ut nullus episcopus, vel infra positus die Dominica causas judicare præsumat.*
5 *Ut qui in metropolitana civitate episc. non fuerit ordinatus, post duos menses se metropolit. præsentet.*
6 *Ut Episc. qui à metropolitano commonitus ad synodum non venerit, excommunicetur.*
7 *Ut Diœcesani clerici septimanas teneant, & die sabbato omnes in unum conveniant.*
8 *Ut annis singulis Episcopi diœcesim visitent, & non plus quàm tertiam partem de parochiis accipiant.*
9 *De clericis, & ostiariis, qui adulteris mulieribus admiscentur, ut prohibeantur.*
10 *Ut nullus Episcop. pro judiciis munera accipiat.*
11 *Ut Monachus missus alicubi, ministerium Clericatus agere non præsumat, nec negotiator existat.*
12 *Ut si Episcopus intestatus obierit, inventarium de rebus ejus Clerici faciant, & nullus exinde aliquid auferat.*
13 *Ut Episcopus diœcesanos Presbyteros, & quosdam ex laicis moneat litteris convenire.*

CANONES CONCILII Tarraconensis.

In nomine Christi habita Synodus Tarracone, anno sexto Theodorici Regis, consulatu Petri, sub die octavo Idus Novembris. Antiquorum Patrum statuta de *In Hi[spa]nia.* his censuisse videntur, quæ in tempore, aut ad illos relata pervenerunt, aut acta certe testimonio proprio comprobaverunt. Cujus rei & nos sequentes exemplum, illa, quæ nunc fiunt, placuit observanda decernere, ut præterita absque ambage custodiantur, & præsenti hac observatione sint firma. Igitur cum in unum pariter convenissemus in urbem Tarraconensem, quæ est Metropolitana observantissimè fundata, titulos subter annexos conscripsimus observandos.

1. De his, quibus cura pro parentelæ proximitate haberi permittitur, ea cautela earum necessitates sustineant, ut pietatis beneficia, quæ eis sunt necessaria præbeant. Ipsi verò pro visendis eis cum ingressi fuerint, celeri salutatione recurrant, nec sibi faciant mansionem. Qui tamen cum ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide, & ætate probatum adhibeant secum. Si quis hæc à nobis statuta contempserit, si Clericus est, loci sui dignitate privetur. Si verò Religiosus, vel Monachus, in cella Monasterii inclusus pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis, & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.

2. Canonum statutis firmatum est, ut quicunque in *14. nonu[...] tutis.* Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur. Certè si hæc voluerit exercere, cohibeatur à Clero.

3. Si quis Clericus solidum in necessitate præstiterit, *14. quis [...] cus [...] cessi[...] in d[...] Ivo.* hoc de vino, vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit venundari. Cæterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum, quod dedit, sine ullo augmento recipiat.

4. Nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Cle-

Clericorum die Dominico propositum cujuscumque causę negotium audeat judicare, nisi hoc tantùm, ut Deo statuta solemnia peragant. Cęteris verò diebus convenientibus personis, illa, quæ justa sunt, habeant licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis, A

15. q. 4. ...isc. aut ...sbyt. ...l cler.

5. Si quis in Metropolitana civitate non fuerit Episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione per Metropolitani litteras honorem fuerit Episcopi adeptus, id optimum esse decrevimus, ut postmodum statuto tempore, idest, impletis duobus mensibus, se Metropolitani sui repræsentet aspectibus, ut ab illo monitis Ecclesiasticis instructus pleniùs, quid observare debeat, recognoscat. Quod si fortè hoc implere neglexerit, in synodo increpatus à fratribus corrigatur. Et si fortè infirmitate aliqua (ne hoc impleat) fuerit præpeditus, hoc suis litteris Metropolitano indicare procuret. B

...65. Si ...s in ...ropolit.

6. Si quis Episcoporum commonitus à Metropolitano, ad Synodum nulla gravi intercedente necessitate corporali venire contempserit, sicut statuta Patrum censuerunt, usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur.

...l. 18. Si ...s Ep. ...moni-

7. De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clero id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum clericis septimanas observent, id est, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta, succedat Diaconus ei, similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis Clerus die Sabbati ad vesperam sit paratus, quo faciliùs die Dominico solemnitas cum omnium præsentia celebretur, ita tamen, ut omnibus diebus vesperas, & matutinas celebrent, quia desistente Clero (quod est pessimum) comperimus, in Basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sanè negligentiæ vitio hæc implere noluerint, noverint secundum statuta canonum se pro modo personarum canonicæ disciplinæ subdendos. C

8. Multorum casuum experientia magistrante reperimus, nonnullas Diœcesanas Ecclesias esse destitutas. Ob quam rem hac constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœceses visitentur. Et si qua fortè Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparari præcipiatur, quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus statutum.

...q. 1. ...ecrevi- ...r, ut ...iqua.

9. Si quis Lector adulteræ mulieri voluerit misceri, vel adhęrere consortio, aut relinquat adulteram, aut à Clero habeatur extraneus. Simili sententia Ostiariorum lascivia punietur. D

10. Observandum quoque decrevimus, ne quis sacerdotum, vel clericorum more sæcularium judicum audeat accipere pro impensis patrociniis munera, nisi fortè in Ecclesiis oblata gratuitè, quę non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata. Quòd si quis ista probatur accipere, velut exactor fœnoris, aut usurarum possessor, secundum statuta patrum se noverit degradandum.

...qu. 2. ...servan- ...n quoq.

11. Monachi à Monasterio foras egredientes, ne aliquod Ministerium Ecclesiasticum præsumant agere, prohibemus, nisi fortè cum Abbatis imperio. Similiter, ut nullus eorum, id est, Monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi quod Monasterii exposcit utilitas, Abbate nihilominus sibi imperante, Canonum ante omnia Gallicanorum de his constitutione servata. E

...qu. 1. ...nachi à ...onast.

12. Sic ubi defunctus fuerit Episcopus intestatus, post defunctionem ejus à Presbyteris, & Diaconibus de rebus ipsius inventarium fideliter conscribatur à minimo usque ad maximum, id est, de utensilibus, vel omni suppellectile, ita tamen, ut si quis exinde vel præsumpsisse aliquid, vel occultè fuerit tulisse convictus, secundum furti tenorem restituat universa.

...2. q. 5. Sicubi ...efunctus ...erat.

13. Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigendæ, ut non solùm è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesię sæcularibus secum adducere debeant.

Subscripserunt Joannes Episcop. Tarracon. cum novem aliis.

Decretum ejusdem Tarraconensis Concilii ex Gratiano desumptum, quod scribitur esse cap. 6. nec tamen habetur inter priora capitula.

Secundo, vel tertio nullus confirmetur.

Dictum est nobis, quòd quidam de plebe bis, vel ter, aut eo amplius ab Episcopis ignorantibus tamen, ab eisdem Episcopis confirmentur. Unde visum est nobis, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere: quia bis, vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos, non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari, vel clericali religiosissimè famulari decretum est.

Concilium Epaonense tempore Hormisdæ Papæ, & Childeberti Regis Francorum, anno Domini 517.

De Epaonensi civitate, ubi hoc Concilium celebratum est, nihil certi potuimus ex cosmographis colligere: quocirca maluimus ignorantiam candidè fateri, quàm aliquid incerti proponere, *ait Joverius*. Et Sirmundus tom. 4. Concil. Galliæ existimat Epaonense, quod in veteribus libris non Epauna, sed Epaone celebratum dicitur, ac in Epistola Aviti Viennensis Archiepiscopi, qui Episcopos Provinciæ Viennensis ad hanc Synodum vocat. *Cunctos*, ait, *simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium in Parochia Epaonensi adesse dignemini.*

de conf. d. 5. dictum est, & in dec. Ivo. l. 1. et in cod. l. 16. l. 4. c. 6.

1. *Qualiter Episcopus ordinetur.*
2. *De illicitis clericorum ordinationibus.*
3. *Episcopi non sint venatores, nec accipitres habeant.*
4. *Ne pœnitentes ordinentur.*
5. *Ne alterius Episcopi clericus in alia civitate constituatur.*
6. *De vagis clericis ad communionem non assumendis.*
7. *Ne quid Archipresbyter vendat.*
8. *De Archipresbyterorum emptionibus, & Abbatum venditionibus.*
9. *Unius Monasterii sit unus Abbas.*
10. *De novis Monasteriis, ac congregationibus.*
11. *Qualiter clericus publicum judicium non interpellet.*
12. *De venditionibus Episcoporum.*
13. *De falsis testibus.*
14. *De his, quæ aliquis ante Episcopatum de alterius Ecclesia possedit.*
15. *De hęreticorum, & Judęorum conviviis.*
16. *De hęreticis se convertentibus.*
17. *De donationibus in testamento.*
18. *De possessionibus clericorum.*
19. *De corruptione Abbatis peccantis.*
20. *Ne illicitis horis clericus ambulet.*
21. *De benedictione viduarum.*
22. *De criminationibus Sacerdotum.*
23. *De pœnitentibus.*

24. *De propositione laicorum contra clericos.*
25. *De sanctorum reliquiis.*
26. *De altaribus consecrandis.*
27. *De Divino Officio per Metropolitanum ordinando.*
28. *De his, quos moriens Episcopus excommunicatos reliquit.*
29. *De lapsis à Catholica fide Ecclesiæ restituendis.*
30. *De incestis conjunctionibus.*
31. *De pœnitentia homicidarum.*
32. *De relictis mulieribus Sacerdotum.*
33. *De Basilicis hæreticorum Divinis non applicandis.*
34. *De pęna occidentium servos proprios.*
35. *De invitandis civibus ad certas solemnitates.*
36. *Nullus in desperatione ab Ecclesia renuatur.*
37. *De laicis ordinandis.*
38. *De Monasteriis puellarum.*
39. *De fugitivis servis.*
40. *De confirmatione Canonum.*
41. *De illis, qui excommunicati moriuntur.*

Canones Concilii Epaonensis.

QUod præcipientibus tantis Dominis meis ministerium proferendi sermonis assumo, facio hoc non tàm præsumptionis ausu, quàm præsumptionis obsequio, dum exequi, & implere contendit non audacia temeritatem, sed obedientia jussionem, simulque tantò major obtemperantis apparebit humilitas, quantò minor comprobatur facultas, majorque profectò præcipientium reverentia prodetur, quandò obedientia nulla possibilitatis fiducia suffragatur. Sic Dominus mediocritatis meę eo amplius honorabit imperitiam. Charitas quoque vestra, si nequaquam facundo oblectabitur, aut instruetur eloquio, ædificetur saltem humilitatis exemplo. Quoniam ergo (sicut volumus) tacere non sinimur, aliquid (ut possumus) jam loquamur. Deo propitio ad Epaonensem Ecclesiam congregati, quid vel de antiquis regulis, vel de nostris ambiguitatibus senserimus expressis, singulatimque descriptis constitutionibus, præferentibus titulis, credimus adnotandum.

1. Prima, & immutabili constitutione decretum est, ut cùm Metropolitanus fratres, vel comprovinciales suos ad Concilium, aut ad ordinationem cujusque consacerdotis crediderit vocandos, nisi causa evidens extiterit, nullus excuset. *1. Tim. 3.*

2. Ne secundæ uxoris, aut renuptæ maritus Presbyter, aut Diaconus ordinetur, abundè sufficeret ab Apostolo constitutum: sed quia præceptum hujusmodi excidisse quorumdam fratrum simplicitate cognovimus, speciali observantia renovamus, ut qui scienter eum contra dicta ordinaverit, reum fratribus se futurum. Illum autem, qui contra fas honorem prohibitæ benedictionis ambierit, nihil se Clericalis ministerii præsumpturum. *Con. Aga. c. 36. d. 34. c. Episcop. presbyter.*

3. Episcopis, Presbyteris, atque Diaconibus canes ad venandum, & accipitres ad aucupandum habere non liceat. Quòd si quis talium personarum in hac fuerit voluntate detectus, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat, duobus Presbyter abstineat, uno Diaconus ab omni officio, & communione cessabit.

4. Pœnitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur.

5. Ne Presbyter territorii alicujus sine conscientia sui Episcopi in alterius civitatis territorio præsumat Basilicis, aut oratoriis inservire, nisi fortè Episcopus suus illum concedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disposuit. In quo si excessum fuerit, Episcopus, cujus Presbyter non fuerit, fratri suo noverit culpabilem se factum, qui Clericum juri suo illicita facientem, sciens ab scandali admissione non revocavit.

6 Presbyter, vel Diaconus sine Antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat. *Con. c. 15. q. 2. mus.*

7. Quicquid Parochiarum Presbyter de Ecclesiastici juris possessione distraxerit, inane habeatur, & vacuum in venditorem, vel heredes suos comparantis actione.

8. Archipresbyter, dum diœcesim tenet, de his, quæ emerit, aut Ecclesiæ nomine scripturam faciat, aut ab ejus, quam tenet, Ecclesię ordinatione discedat. Similis quoque de venditionibus, quas Abbates, vel Abbatissæ facere præsumpserint, forma servetur, ut quicquid sine ipsorum notitia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur. Mancipia verò monasteriis donata, ab Abbatibus utriusque sexus non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut Monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis usu potiantur.

9. Unum Abbatem duobus Monasteriis interdicimus præsidere.

10. Cellas novas, aut congregatiunculas Monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui. *Bur. 74. et. con. ca & 18. de M con. A 37. 27. in ven Bur. l. c. 24. tur h canoni officii ne de detur.*

11. Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum judicium non præsumant: & si pulsati fuerint, sequi ad sæculare judicium non pręsumant.

12. Nullus Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ sine conscientia Metropolitani sui vendendi aliquid habeat potestatem, utili tamen omnibus commutatione permissa.

13. Si quis clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.

14. Quisquis clericus aliquid de munificentia Ecclesiæ, cui servierit, adeptus, & ad sacerdotium alterius civitatis est, aut fuerit ordinatus, quod dono accipit, vel acceperit, reddat, & quod suum est ex proprietate, vel secundum instrumenti seriem probatur emisse, possideat.

15. Si superioris loci clericus hæretici cujuscunque convivio interfuerit, anni spacio pacem Ecclesiæ non habebit. Quod si minores clerici præsumpserint, vapulabunt. A Judęorum conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit, & ne cum illo clericus panem comedat, quisquis in Judęorum fuerit convivio inquinatus.

16. Presbytero propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis, & in lecto recumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate subvenire permittimus. Quod etiam omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.

17. Si Episcopus, condito testamento, aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi vel tantam de juris sui propria facultate supplerit.

18. Clerici, quod etiam sine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis, de Ecclesiæ remuneratione possederunt, cum authoritate Domini gloriosissimi principis nostri, in jus proprietatis temporis præscriptione non vocetur, dummodò pateat Ecclesiæ rem fuisse, ne videantur Episcopi etiam administrationes prolixæ, aut precatorias, cùm ordinatæ sunt, facere debuisse, aut diuturnitas Ecclesiæ facultatis proprietatis suæ.

19. Abbas, si in culpa reperiatur, aut fraude, & innocentem se asserens, ab Episcopo suo accipere noluerit correptionem, ad metropolitani judicium deducatur.

20. Episcopo, Presbytero, & Diacono, vel diversis clericis horis indebitis, id est, meridianis, vel vespertinis, ad fœminas prohibemus accessum: qui tamen, si causam habuerit, cum presbyterorum, aut clericorum testimonio videatur.

21. Vi-

A 21. Viduarum consecrationem, quas diaconissas vocant, ab omni religione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem, si converti ambiunt, imponendo.

22. Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus, in Monasterium retrudatur, ibi tantummodo, quandiu advixerit, communionem sumendo.

23. Si quis accepta, professaque pœnitentia boni immemor, ad sæcularia revolvatur, prorsus communicare non poterit, nisi confessione, quam illicitè prætermiserat, reformetur.

24. Laicis contra cujuslibet gradus clericum, si quid criminale parant objicere, dummodò vera suggerant, B proponendi permittimus potestatem.

25. Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsan clericus cujuscunque parochiæ in cujus Ecclesia esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famuletur.

26. Altaria nisi lapidea infusione chrismatis non sacrentur.

27. Ad celebrandum divina officia, ordinem, quem Metropolitani tenent, provinciales observare debebunt.

28. Si Episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum, aut pœnitentem successori licebit absolvere.

29. Lapsi, idest, qui in catholica baptizati, si prævaricatione damnabili post in hæresim transierant, C grandem eis redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine privatis, pœnitentiam biennii conditionibus infrascriptæ observationis imponimus, ut præscripto biennio, tertia die sine dilatione jejunent, & in Ecclesia studeant frequentare pœnitentiam, locum standi, orandi, humilitatem noverint observandam, & etiam si ipsi cum catechumenis procedere commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint, constituto tempore admittentur ad altarium, & relaxatio observetur. Quam si arduam, vel duram fortè putaverint, statuta præteritorum canonum complere debebunt.

30. Incestis junctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint. Incestus verò nec ullo conjugii nomine pallietur. D Quod propter illos (quod dinumerare funestum est) esse censuimus. Ut si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit, si quis germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ se societ, quod ut à præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anterius instituta, non solvimus. Si quis relictæ avunculi misceatur, aut patrui, vel privignæ concubitu polluatur, sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, non habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

31. De pœnitentia homicidarum, qui sæculi leges evaserunt, hoc summa reverentia de eis inter nos placuit observari, quod Ancyrani canones decreverunt.

32. Relictæ Presbyteri, sive Diaconi, si cuicumque nupserint, eatenus ab Ecclesia elongentur, donec à conjunctione illicita separentur, maritum quoque E jus simili usque ad correctionem severitate plectentur.

33. Basilicas hæreticorum, quas tanta exceratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus, nisi quas per violentiam nostris abstulerint, possimus revocare.

34. Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.

35. Cives natalium superiorem noctem Paschæ, ac Nativitatis Domini solemnitatem, Episcopis nec interest, in quibus civitatibus positus accipiendæ benedictionis desiderio non venerit expetendus.

36. Ne ullus sine remedio, aut spe veniæ ab Ecclesia repellatur, neve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit ad veniam redeundi aditus obstruatur: Et si cuique forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constitutæ tempora relaxentur. Quod si ægrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spacia observare conveniet.

37. Ne laicus sine religione promissa clericus ordinetur.

38. Monasteria puellarum nonnisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ ad quascunque earum necessitates, vel ministrationes laici permittantur intrare. Ad faciendas verò Missas, qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt, aliàs autem nec clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc aut paterna, aut germana personæ necessitudo probetur admittere.

39. Servus reatu atrociore culpabilis, si ad Ecclesiam confugerit, à corporalibus tantùm suppliciis excusetur. De peccatis verò, vel quocunque opere placuit, à dominis juramenta non exigi.

40. Quocirca hæc superna inspiratione communi consensu placuerunt. Si quis sanctorum Antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, nec non & quos eorum Deus esse voluerit successores, relicta integritate observationes excesserit, reum se divinitatis, pariter & fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

Canon Concilii Epaunensis ex Burch. & Grat. transcriptus.

Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis. *Bur. lib. 11. c. 51. Grat. 26. q. 6. ca. Si aliquis.*

Item Canon 11. in editione Sirmundi sic legitur. Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum non præsumant. Sed si pulsati fuerint, sequi ad sæculare judicium non morentur, ubi *pulsati* idem est, ac in jus vocati.

Concilium Gerundense septem Episcoporum, habitum tempore Hormisdæ Papæ, Æra 555. anno Domini 517.

CAPITULA CONCILII GERUNDENSIS.

Caput primum. *Unaquæque Ecclesia in officio unum ordinem teneat.*

UT institutio Missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi Provincia tàm ipsius Missæ ordo, quàm psallendo, vel ministrando, consuetudo servetur. *De Conf. d. 2. Instit.*

Cap. II. *Litaniæ post Pentecosten celebrentur.*

UT expleta solemnitate Pentecostes in sequenti septimana à quinta Feria in Sabbatum, hoc triduum abstinentia celebretur.

Cap. III. *De secundis Litaniis.*

ITem secunda Litania facienda est Kalendis Novembris, ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia Hebdòmada, secundum prioris abstinentiæ observantiam, à quinta Feria incipiatur, & in Sabbati vespere Missa facta finiatur: quibus tamen diebus à carnibus, à vino decrevimus abstinendum. *Abstinentia à vino.*

His duobus Capitibus agitur de primis, & secundis Litaniis faciendis, Litaniæ Græcè, Latinè Rogationes dicuntur, ut constat ex Concilio 1. Aurelianensi, cap. 29. & 32. & Moguntiaco sub Carolo Magno. Sunt autem Rogationes ad rogandum Deum, à Patribus, & ad impetrandam Dei misericordiam institutæ. Sunt autem aliæ Majores, aliæ Minores: neque statuto tempore in principio celebrari solitas invenio, sed multoties, & pluries pro consuetudine, & devotione Ecclesiæ, & ingruentibus necessitatibus, cùm auxiliares sint ad cor populi ad pœnitentiam emolliendum. Apud sanctum Gregorium epist. 66. lib. 8. Ind. 2. ad Pastorem, habetur memoria de quatuor, vel quinque solemnibus Litaniis in Ravennate Ecclesia celebrari solitis. A quo autem fuerint primò editæ, nondum constat. Hoc autem certum fuisse totius Ecclesiæ Catholicæ vetustissimum institutum, Supplicationes publicas in calamitatibus, & pressuris habere, &c.

Litaniæ Rogationes

Caput IV. *In Pascha tantùm, & Pentecoste Baptismus detur.*

DE Catechumenis baptizandis id statutum est, in Paschæ solemnitate, vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis celebritas major est; tantò magis ad baptizandum veniant. Cęteris solemnitatibus infirmi tantummodò debeant baptizari, quibus quocumque tempore convenit baptismum non negari.

de Cons. d. 2. de Catechumen.

Cap. V. *Ut unius diei infans, si in discrimine est, baptizetur.*

DE parvulis, qui nuper è materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi (ut assolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

Cap. VI. *Ut conjugati ab Episcopo usque ad Subdiaconatum non sine testimonio vivant.*

DE conversatione vitæ id statuere placuit, à Pontifice usque ad Subdiaconatum, post suscepti honoris officium, si quis ex conjugatis fuerit ordinatus, ut semper alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere.

Cap. VII. *Ut, qui sine uxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant.*

DE his, qui sine uxoribus ordinantur, & familias domus habent, habito secum pro vitæ conversatione fratre in testimonium, non per quamcumque fœminei sexus personam, eorum substantia gubernetur, aut per puerum; sed aut per amicum domum suam debeant ordinare, nisi matrem, aut sororem in domo habuerint, ut secundum priorum Canonum statuta, per earum personas eorum debeat contutari substantia.

Cap. VIII. *Ne laici, qui viduam, aut dimissam acceperint, in Clero admittantur.*

SI quis de laicis post uxorem, aliam cujuscumque conditionis cognoverit mulierem, in Clero nullatenus admittatur.

Cap. IX. *De his, qui publicè pœnitentiam non accipiunt, sed tantùm Viaticum, ut in Clero promoveantur.*

IS verò, qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem, quam Viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodum reconvalescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

Dist. 10. Is verò.

Cap. X. *Ut omnibus diebus, horis vespertinis, & matutinis Oratio Dominica dicatur.*

ITem nobis semper placuit observari, ut omnibus diebus post Matutinas, & Vespertinas Oratio Dominica à Sacerdote proferatur. Joannes in Christi nomine Episcopus subscripsi, &c. Similiter reliqui Episcopi subscripserunt.

Concilium Constantinopolitanum ex parte reprobatum, anno Christi 518. die Julii 20. sub Hormisda Pontifice, & Justino Imperatore, quo Episcopi 40. Sacrosancti Concilii Chalcedonensis, Sancti Leonis Papæ, Euphemii, & Macedonii Episcoporum Constantinopolitanorum nomina Sacris Diptychis restituerunt, & Severum, aliosque ejusdem Concilii adversarios condemnarunt.

POstquam Justinus Imperator, magnus Catholicorum patronus, & defensor, singulari Dei beneficio Imperium adeptus fuisset, populus Ecclesiam ingressus 15. & 16. Julii magno zelo extorserat, ut excommunicatis Eutychianis, eorumque defensoribus; sacrosanctum Chalcedonense Concilium, cum S. Leonis Papæ, Euphemii, & Macedonii Episcoporum nominibus, sacris Diptychis restituerentur: Quod cum importunis clamoribus populi convictus, Joannes Episcopus præstitisset, idque minus legitimè factum judicaret; procuravit idem Episcopus, ut eadem ritè more majorum in Conventu Patrum agerentur. Post quatuor dies à dictis publicis Actis in Ecclesia habitis, nempè 20. Julii, Constantinopoli collecta est Synodus 40. Episcoporum ibidem commorantium, vel in vicinia proxima habitantium. Sicque restituta sunt nomina Euphemii, & Macedonii Episcopi Constantinopolitanorum, Acacio Eutychiano nimis addictorum. Hæcque fuit occasio Synodi. Quæ insuper ab Hormisda Pontifice per synodicam quandam, & Justini Imperatoris intercessionem expetivit, ut Legati Constantinopolim mittantur, qui auctoritate Apostolica lapsos ad Ecclesiam recipiant, omnibusque Ecclesiis pacem concilient.

Fuit autem hoc Concilium ex parte roboratum, quia auctoritate Hormisdæ Romani Pontificis, per Legatos anno 519. nomina Euphemii, & Macedonii unà cum nomine Acacii è sacris Tabulis vicissim expuncta sunt, idque propterea, quòd nomen Acacii schismatici, & hęreticorum communione polluti, nimis pertinaciter retinentes, communione Sedis Apostolicę exciderint, quantumvis in schismate pro fide Catholica exulassent. Reliqua verò, quæ in hac Synodo, pro firmitate Chalcedonensis Concilii, & contra Severum, aliosque Eutychianos hæreticos decreta fuerunt, ab eodem Romano Pontifice rata habita sunt, & novis accedentibus scriptis firmata, atque roborata.

Synodus Jerosolymitana, qua 33. Episcopi omnia, quæ pro confirmatione Concilii Chalcedonensis, & pro restituendis nominibus Orthodoxorum, & damnatione hæreticorum Concilio Constantinopolitano acta sunt, confirmant. Anno Domini 518.

CUm Jerosolymitana Ecclesia per litteras Joannis de rebus Constantinopoli in synodo gestis, certior reddita esset, subito convocato Episcoporum Concilio, protritam Fidem Catholicam erigunt, & pristino majestatis suæ throno honorificè collocant. Quid in hac Synodo gestum sit, synodalis epistola ad

ad Joannem Constantinopolitanum, & Concilium A ibidem congregatum reddita, liquidò demonstrat. Vide Binium.

Concilium Tyrium, quo acta legitima Constantinopolitani Concilii confirmantur. Celebratum fuit anno Domini 518. die 16. Septembris, sub Hormisda Papa.

NOn tantùm Palęstinæ, sed etiam Tyrii Episcopi, habito Synodali conventu, sacrosancti Concilii, & orthodoxorum Patrum restitutionem, atque Severi, aliorumque hæreticorum condemnationem confirmaverunt. Rusticus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, hujus sæculi Scriptor, dum contra B Acephalos per Dialogismum disputat, testatur, duo millia, & quingentos Sacerdotes sub hoc eodem Justino Imperatore Fidem Catholicam probasse. Extat allegatus Dialogismus Tomo quarto Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Cùm hæc perferrentur ad Justinum Imperatorem, calumniati sunt apud eum Proceres Eutychiani, hos omnes, qui Concilio interfuerant, esse Nestorianos hęreticos, ideòque dignos, qui pœnis subjicerentur. Quibus auditis Imperator, Syros, ac Palęstinos scripto admonuit, ut, cujus essent fidei, docerent. Qua occasione Antiocheni, & Jerosolymitani clerici cum Monachis earumdem Ecclesiarum convenientes, libellum scripserunt ad Justinum Imperatorem, quo se verè Catholicos esse absque ulla ambiguitate perspicuè C declararunt.

[tholici ... itun-] His acceptis, Justinus Imperator pro ipsorum voto promulgavit edictum, quo præcipiebatur, ut omnes exules fidei causa sub Anast. condemnati, ut ad propria postliminio redirent, pristinosque gradus, & honores reciperent, surrogati verò in locum ipsorum hæretici procul pellerentur, aliisque pœnis exagitarentur, sacrosanctum Chalcedonense Concilium in sacras Tabulas referretur, ab omnibusque Ecclesiis tutissima pax redderetur. Vide Acta magni Sabæ apud Surium Tomo 6. die 5. Decembris. Deinde iterum edixit Imperator piissimus, ne hęretici publicis muneribus fungantur, sintque ab omni militia alieni. Mentio est hujus Edicti in Constitutionibus novellis Justiniani D adversus omnes hęreticos.

[ęretici ... eribus fun- ... ur.]

Concilium Romanum de Acacii, Euphemii, & Macedonii Constantinopolitanorum Episcoporum nominibus è sacris Diptychis expungendis celebratum Romæ sub Hormisda, anno Domini 518.

ACceptis ex Oriente Justini Imperatoris, Synodi Constantinopolitanæ, Joannis ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopi, necnon Comitis Justiniani Epistolis, pacem, & communionem cum Romana Ecclesia expetentibus, detento paulisper Romæ Grato, Legationis Imperatoriæ officio fungente, Hormisda Pontifex Episcoporum conventum col- E legit. Qui omnes post diligentem inquisitionem, quid hac de re prædecessores Romani Pontifices, Simplicius, Felix, Gelasius, & Symmachus sensissent, una, eademque sententia decreverunt, recipiendam Orientalem Ecclesiam ad communionem Apostolicæ Sedis, si Acacium schismaticum condemnarent, nomen ejusdem penitus abolerent: denique si Euphemium, & Macedonium eadem schismatis labe respersos è sacris Tabulis delerent, & expungerent. Quibus ita peractis; Pontificia Legatio designata est, quæ Decretum Synodi exequeretur. Hac Legatione Orientalis Ecclesia Romanæ est reconciliata. Vide Binium hic.

[econci- ...ur Ec- ... Const.]

Synodus Constantinopolitana ab Epiphanio ejusdem Ecclesiæ Episcopo collecta, anno Domini 520. Hormisdæ 7. & Justini Imperatoris 3.

SYnodus hęc ad Hormisdam Papam unà cum Legatione synodicam epistolam misit de ordinatione Epiphanii Episcopi, ac de pace, & unione Ecclesiarum, quæ Epistola extat apud Binium, ejusque exordium hujusmodi est: *Innumerabilem, & investigatam magni Dei, &c.*

Concilium Ilerdense octo Episcoporum tempore Symmachi Papæ, vel Joannis habitum, & anno quintodecimo Theodorici Regis 8. Idus Augusti.

Ilerda in Hispania citeriori Ilergetum, ut Ptolom. 2. c. 6. vel Sardoum, ut Plinius l. 3. c. 3. civitas juxta Sycorium fluvium, quę Leryda, & Leyda vernaculis dicitur.

TITULI CAPITULORUM CONCILII Ilerdensis.

1. *De his, qui altario ministrant, ut à sanguine hominis se abstineant.*
2. *De his, qui abortivum faciunt, vel natos suos extinguunt.*
3. *De Monachis, ut clerici ordinentur cum voluntate Abbatis, & quæ Monasterio offeruntur, non auferantur, & de basilicis, quas laici fecerunt.*
4. *De incestis, ut quandiu in scelere sunt, inter catechumenos habeantur.*
5. *De his, qui altario serviunt, si subitò in fragilitatem carnis inciderint.*
6. *De eo, qui viduæ pœnitenti, vel religiosæ virgini stuprum intulerit.*
7. *De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant.*
8. *Si clericus servum, vel discipulum de Ecclesia traxerit, ut pęnitentiam agat.*
9. *De his, qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant.*
10. *De his, qui, jubente Episcopo, remissa culpa, ab Ecclesia exire contemnunt.*
11. *De clericis, qui in mutuam cędem prorumpunt.*
12. *De his, qui contra canones ordinati sunt, ut deponantur.*
13. *De catholicis, qui filios suos hæreticis baptis. tradiderunt.*
14. *De catholicis, ut cum rebaptizatis non conversentur.*
15. *Ut clerici cum extraneis mulieribus non habitent.*
16. *Cùm sacerdos moritur, quid de rebus Ecclesiæ observetur.*

Capitula Concilii Ilerdensis.

DE his clericis, qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi corpus, & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ut ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant: Quod si in hoc inciderunt, duobus annis tàm officio, quàm communione corporis Domini priventur, ita ut his duobus annis, vigiliis, jejuniis, orationibus, & eleemosynis pro viribus, quas Dominus donaverit, expientur, & ita demum officio, vel communioni reddantur, ea tamen ratione, ne ulterius ad officia potiora provehantur. Quod si in definito tempore negligentiores circa salutem suam extiterint, protelandi ipsius pœnitentię tempus in potestate maneat Sacerdotis.

2. Hi vero, qui malè conceptos ex adulterio fœtus, A vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris, post septem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen, ut omni tempore vitę suæ fletibus, & humilitati insistant. Si verò clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat, attamen in choro psallentium à tempore receptæ communionis intersint. Ipsis autem veneficis in exitu tantùm (si facinora sua omni tempore vitæ suæ defleverint) communio tribuatur.

c. 27. cont. Agath. 16. q. 2. Cùm pro utilitate. 3. De Monachis id observari placuit, quod Synodus Agathensis noscitur decrevisse, hoc tantummodo adjiciendo, ut cùm pro Ecclesiæ utilitate aliquos Episcop. probaverit in clericatus officio promovendos, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Ea B verò, quæ jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœcesana lege ab Episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam à se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub Monasterii specie, ubi congregatio non colligitur, vel regula ab Episcopo non constituitur, à diœcesana lege audeat segregare.

4. De his, qui se incestus pollutione commaculant, placuit, ut quousque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere ullum Christianorum (sicut Apostolus jussit) oportet.

d. 50. Hi, qui altar. 5. Hi, qui altario Dei deserviunt, si subitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis C contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quòd si iterato, velut canes ad vomitum, reversi fuerint, & veluti sues in volutabris luti jacuerint, non solùm dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

6. Qui pœnitenti viduæ, vel Virgini religiosæ vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrare noluerit, pariter à communione Christianorum, & consortio segregentur. Si verò illa, quæ vim pertulit, ad sanctam religionem redierit, in illo solo sententia excommunicationis teneatur, quoadusque publicè pœniteat.

22. q. 4. Qui sacram. se obli. D 7. Qui Sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à communione sanguinis, & corporis Domini segregatus reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis poterit jejuniis absolvat. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

8. Nullus clericorum servum, aut discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.

c. 11. Nicæn. syn. 9. De his, qui in prævaricatione rebaptizati, sine aliqua necessitate, vel tormento delapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicænæ Synodi statuta serventur, quæ de prævaricatoribus censita esse noscuntur: id est, ut septuaginta annis inter Catechumenos orent, & duobus inter Catholicos, & postea moderatione, & clementia Episcopi fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent.

11. qu. 3. Qui jubente sac. 10 Qui jubente sacerdote pro quacunque culpa Ecclesiam exire contempserit, pro noxa contumaciæ tardiùs recipiatur ad veniam.

11. Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à Pontifice districtius vindicetur.

12. Qui contra decreta canonum indiscretè clericos usque nunc ordinaverunt, eis Dominus, vel sancta, & Ecclesiastica charitas ignoscat. A modo verò, si in tali ausu proruperint, decretum canonum, quod circa eorum personas statutum est, id est, nullum ordinare jam audeant, observetur: vel, qui deinceps ordinati fuerint, deponantur. Si verò, qui tales hactenus ordinati sunt, nullo tempore promoveantur.

13. Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia nullatenus recipiatur.

14. Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

15. Familiaritatem extranearum mulierum, licèt ex toto sancti Patres antiquis monitionibus præceperint Ecclesiis evitandam, id nunc tamen nobis visum est, ut qui talis probabitur, si post primam, & secundam commonitionem se emendare neglexerit, donec in vitio perseverat, officii sui dignitate privetur. Quod si se (Deo juvante) correxerit, sancto ministerio restauretur.

16. Licet de re hujusmodi, quam constituere salubri ordinatione decernimus, prisca authoritas canonum nequaquam siluerit, sed evidenti sanctione præceperit, ut cujuscunque Ecclesiæ Pontifice defuncto non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem, quas obediens dereliquit, quisquam irruat, domumque subvertat: sed sacerdos, qui exequiarum tempore est, ea omnia, quæ ad utilitatem, & conservationem pertinent, debeat diligenti circumspectione munire, tamen quia ipsa sanctio (quod pejus est) à multis clericis nunc cognoscitur violari, ita ut non jubente sacerdote expectorato affectu, totaque disciplinæ severitate posthabita, immaniter, quæ in domo Pontificali reperiuntur, invadunt, & abradunt, ideò nunc hæc hujus placiti constitutione internos censura placuit custodiri, ut defuncto antistite, vel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum cujuslibet ordinis, officii, gradusve sit, quicquam de domo præsumat, vel quod de utilitate instrumenti domus esse agnoscitur, id est, mobilis, & immobilis rei Ecclesiasticæ conetur invadere, nihil furto, nihil domo supprimens, auferens, atque abscondens, sed is, cui domus commissa est, subjunctis sibi cum consilio uno, vel duobus, fidelissimis clericis, omnia usque ad tempus Pontificis substituendi debeat conservare, & his, qui in domo inveniuntur clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus autem Antistes susceptæ sedis commoda ordinabit, velut Deus imperabit, ut eis uti cum his debeat, quos cognoverit disciplinæ, & charitatis prædecessoris sui fideliter paruisse. Quod si quisquam post hæc cujuslibet ordinis (ut superius dictum est) quacunque clericus occasione de omni facultate quippiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur: quia durum est, ut hi, quos constat in servitio Domini cum primæ sedis Antistite desudasse, de his, qui suarum rerum incubitatores, atque vacantes fuisse noscuntur, despecti aliquatenus crucientur. *12. Hæc h[...] placiti*

E QUATUOR CAPITULA ILERDENSIS Concilii ex Gratiani decreto, & similiter Ivonis desumpta.

1. *In diebus quadragesimæ nuptias celebrare non licet.*

NOn oportet à Septuagesima usque in octavam Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur. *33 Non[...] tet à & in Ivo.*

2. Non

2. *Non prohibetur à sacris ordinibus, qui à medicorum incisione claudus efficitur.*

55. Si s in in- nitate. in dec. li.2.2. Si quis in infirmitate positus clericus, medicorum incisione claudus efficitur, promoveri ad sacros ordines eum non denegamus.

3. *De purgatione clericorum si convinci non potuerunt.*

quis Si quis Presbyter à plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, & Episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur Presbyter usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis, à quibus reus creditur, post rectam securitatem de imposito crimine innocens esse manifestetur. Quod ita à nobis, & à majoribus constitutum esse docetur, si sive secundum canones, sive ad arbitrium Episcopi, sibi collegas septem adjungat, & juret in sacro coram posito Euangelio, quod eum sancta Trinitas, & Christus Filius Dei, qui illum fecit, & docuit, quod Euangelium continet, & sancti quatuor Euangelistæ, qui illud scripserunt, sic adjuvent, quod ille prænominatam actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illo oblatum est. Et is hac satisfactione purgatus, securè deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium Patrum, sanctum Leonem Papam in basilica sancti Petri Apostoli, coram reverendiss. Cæsare Carolo, ac clero, & plebe ita fecisse commemorant, atque ita mox venerandum principem contra ejusdem sancti Papæ adversarios dignæ ultionis vindictam exercuisse.

4. *Ad baptizandi officium, & ad vestimenta altaris lavanda, sacerdos propria debet habere vasa.*

onf. d. Omnis f. Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens solummodo ad baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Ex Decreto Ivonis libro VII. Ut duobus, vel tribus testibus testimonium dicentibus consanguinei separentur.

t. 19. 17. & t. 18. z. 13. UT omnis controversia, quæ de Ecclesiasticis rebus fit, secundum divinam legem sub duobus, vel tribus testibus terminetur, testis est Dominus, cum dicit: Non unus stet contra alium, sed in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.

CONCILIUM VALENTINUM IN HISPANIA sex Episcoporum, tempore Joannis Papæ, habitum, & anno quintodecimo Theodorici Regis, anno Christi 524.

Valentia Hispaniæ citerioris maritima civitas, authore Plinio libro 3. cap. 3. tribus millibus passuum à mari distans, nunc verò milliari unico remota: Archiepiscopatus est, atque metropolis regni ejusdem nominis, nobilitate non minus, quàm rerum variarum ubertate, ac cœli amœnitate insignis.

CAPITULA CONCILII VALENTINI HISPANIÆ.

ANno decimoquinto Theodorici Regis, sub die secundo nonas Decembris in nomine Domini nostri Jesu Christi Valentino in concilio congregati, dum Ecclesiasticas regulas tractaremus, antiquos ca- A nones relegentes, inter cætera hoc esse censuimus observandum.

1. Ut sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum, in ordine lectionum post legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui è diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus.

2. Hoc etiam placuit, ut Episcopo ab hoc sæculo, jubente Domino, accersito, clerici ab omni omnino supellectili, vel quæcunque sunt in domo Ecclesiæ, vel Episcopi in libris, speciebus, utensilibus, vasculis, B frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui si nec Canonum authoritate prohibiti fuerint, omnia, quæ pervaserint, Metropolitani, vel omnium comprovincialium Sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur, &c.

3. Statuit, ut propinqui morientis Episcopi de rebus ejus nihil usurpent sine Metropolitani, & comprovincialium conscientia.

4. De exequiis morientis Episcopi, & qualiter humetur.

5. De vagis, & inobedientibus clericis, si officium in delegata sibi Ecclesia, non dependent, excommunicentur.

6. Ut clericum alienum nullus ordinet, nec sit clericus, qui non spondeat locum, ubi sit delegatus.

C *Concilium Arelatense vulgo tertium sub Cæsario, anno 524. pro disciplina morum tempore Joannis I.*

PEtrus Saxius in Pontificio Arelatensi in Cæsario: Indixit etiam, inquit, tertium Arelate Concilium non Vincomolao, & Opilione consulibus, anno salutis 455. sed Opilione cum Justino Augusto Consulatum agente anno 524. Vincomolaus enim à sciolo additus est, erroremque induxit annorum ferè septuaginta. In hoc Provinciali Concilio dedicata est Basilica B. Mariæ, quam vulgus Virginem de Majori appellat. Hodie est Collegium Canonicorum. Post illud convocatum est Arausicanum, cui præfuit ipse Cæsarius, anno Domini quingentesimo undetrigesimo, non Basilio D Juniore, sed Decio Consule anno 529. fatetur verò clarissimus Baronius (anno 529.) se collectorem Conciliorum secutum bis errasse: errorem verò emendavit in annalibus.

Ex his inferre licet non benè Carranzam, & alios ad tempora Leonis in sæculo antecedenti Concilium istud revocare. Sed & aliorum hallucinatio rejicienda, qui in hoc Concilio lectas esse Epistolas Fausti, & Lucidi de errore Prædestinianorum arbitrantur. Non enim congruunt tempora Fausti cum anno hujus Concilii. Scitè hoc inter alios advertit Joannes Eusebius Epistola 5. dissertationum Epistolicarum de Immaculata Conceptione: omnia quidem clamant, inquit, se fefellisse Binium, simul cum Francisco Longo, imo cum Cardinali Baronio longe diversum, ac multo ante celebratum Concilium fuisse, in quo approbata fuit Epi- *Epist. Fausti, & Lucidi.* E stola Fausti, necesse est. Baronius, aliique eum secuti conjiciunt in annum 490. Atque nos id secuti sumus in classe 5. sequenti, ubi tractatur negotium Lucidi, quem Faustus ad sanam mentem reduxerat ab errore Prædestinatianorum. Prætermissis ergo Epistolis Fausti, ac Lucidi, Actorum hujus Concilii summa est, quæ sequitur.

Concilii Arelatensis III. Decreta.

CUm in Basilica S. Mariæ in Arelatensi civitate Sacerdotes Domini convenissent, congruum eis, & ra-

& rationabile visum est, ut primum de observandis A Canonibus attentissima sollicitudine pertractantes, qualiter ab ipsis Ecclesiasticæ regulæ servarentur, salubri Concilio definirent.

I. Ut Diaconus ante 25. annos, & Sacerdos ante 30. non ordinetur.

II. Ut bigami, vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad Sacerdotium non provehantur.

III. Ut laicus ante annum conversionis non ordinetur.

IV. Ut qui Clerum alienum defendere nititur, communione privetur.

V. Ut laici, qui excubias funeris observant, cum timore, & terrore, & reverentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec jocos, nec saltationes facere, quæ Pagani, docente diabolo, adinvenerunt. Quis enim nesciat, diabolicum esse, & non solùm à religione Christiana alienum, sed B etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus, & planctus flebilibus vocibus debuerit resonare pro amissione chari fratris? Patres siquidem veteris, & novi Testamenti, mortes sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deplorasse, in nullo autem loco de illis, qui à sæculo discesserant, exultasse. Nam & Jacob Patriarcham tota flevit Ægyptus 70. diebus, & Joseph, & fratres ejus, cum patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum, celebrantes exequias, planctu magno, atque vehementi impleverunt septem dies. Tantus autem fuit planctus, ut locus inde nomen acceperit. Et de Beato Stephano legitur, quòd *sepelierunt eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum*. Et C ideo talis inepta lætitia, & pestifera cantica ex auctoritate interdicenda sunt. Si quis autem cantare desiderat, *Kyrie eleison* cantet: si autem aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult, in crastino à Presbytero taliter coerceatur, ut alii timeant.

Subscripserunt 13. Episcopi, & 4. Presbyteri absentium Episcoporum procuratores.

Canones Concilii Arausicani secundi à Cæsario Arelatensi tempore Felicis IV. Papæ anno Christi 529. contra Pelagianos: Massilienses, ac Prædestinianos, de gratia, & libero arbitrio. D

CUm ad dedicationem Basilicæ, quam Illustrissim. Præfectus, & Patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, & ipso invitante convenissemus, & de rebus, quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & lib. arb. minus cautè, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde & nobis secundum authoritatem, & admonitionem sedis Apostolicæ justum, & rationabile visum est, ut pauca capitula, quæ ab antiquis Patribus de certis E scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque, non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicę conveniunt, animam suam inclinare non differat.

1. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur scripturæ dicenti: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et, *Nescitis quoniam cui exhibebitis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis*. Et, *A quo* Eze *quis superatur, ejus & servus addicitur*. Rom.

2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & 2. Pe ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Rom.

3. Si quis invocationem humanam gratiæ Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaię Prophetę, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant*. Esa. 6 & Ron 10.

4. Si quis, ut à peccato purgetur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino*: & Apostolo salubriter prædicanti, *Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*. Prov. juxta Phi. 2.

5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis effectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, Beato Paulo dicente: *Confidimus, quia, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi*. Et illud: *Vobis datum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Et, *Gratia salvi estis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est*. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniunt. Phil. Ibidem

6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hęc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obediens, & humilius ipsius gratię donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes, quod non accepisti?* Et, *Gratia Dei sum id, quod sum*. 1. Cor. Ibid. 1

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ ęternę, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Euangelizanti prędicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hęretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: *Nunquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? sed sufficientia nostra ex Deo est*. Joan. 2. Cor.

8. Si quis alius misericordia, alius verò per liberum arbitrium (quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum hominem) ad gratiam baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis ęternę per semetipsos conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed

ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem A
nn. 16. Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit: *Beatus es Si-*
t. 16. *mon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit ti-*
Cor. 12. *bi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt.* Et Apoſtolus:
ilip. 2. *Nemo poteſt dicere Dominum Jeſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto.*

9. De adjutorio Dei.

Divini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.

10. De adjutorio Dei.

Adjutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

11. De obligatione votorum.

Nemo quicquam Domino rectè voverit, niſi ab ipſo acceperit, ſicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

12. Quales nos diligit Deus.

Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

13. De reparatione liberi arbitrii.

Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi.
n. 8. Unde ipſa Veritas dixit: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

14. nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur, ſicut
l. 78. dicit Pſalmiſta: *Citò anticipet nos miſericordia tua, Do-*
lm. 58. *mine.* Et illud: *Deus meus miſericordia tua præveniet me.*

15. Ab eo, quod formavit Deus, mutatur Adam, ſed in pejus per iniquitatem ſuam. Ab eo, quod operata eſt iniquitas, mutatur fidelis, ſed in melius per D
l. 6. gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi. Hæc ſecundum Pſalmum: *Mutatio dexteræ Excelſi.*

16. Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit: aut ideo ſe putet accepiſſe, quia litera extrinſecus, vel ut legitur, apparuit, vel ut audiretur, ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit: *Si per*
or. 4. *legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Aſcen-*
lat. 2. *dens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona*
ſt. 4. *hominibus.* Inde habet, quicunque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat, aut verè non habet, aut id, quod habet, auferetur ab eo.

17. De fortitudine Chriſtiana.

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, forti-
n. 5. tudinem Chriſtianorum Dei charitas fecit, quæ diffu-
n. 4. ſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.

18. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quę non debetur, præcedit, ut fiant.

19. Neminem niſi Deo miſerante ſalvari.

Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?

20. Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.

Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo. Eſa. 26.

21. De natura, & gratia.

Sicut eis, qui voluntates in lege juſtificari, & à gratia exciderunt: veriſſimè dicit Apoſtolus: *Si ex lege* Galat. 2.
juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ſic eis, qui gratiam, quam commendat, & præcipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſſimè dicitur, ſi per naturam B juſtitia eſt, *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*: jam hic enim erat lux, & non juſtificabat: jam hic erat & natura, & non juſtificabat: ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, ut & lex per illum repararetur, qui dixit: Mat. 25.
Non veni ſolvere legem, ſed adimplere: & natura per Luc. 19.
Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, veniſſe quærere, & ſalvare, quod perierat.

22. De his, quæ hominum propria ſunt.

Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem, atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam inrorati non deficiamus in via. Eſa. 10.

C

23. De voluntate Dei, & hominis.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ ſerviant voluntati, quamvis volentes agant, quod agunt: illorum tamen voluntas eſt, à quo eis præparatur, & jubetur, quod volunt.

24. De palmitibus vitis.

Ita ſunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, ſed inde accipiant, unde vivant. Sic quippe vitis eſt in Joan. 15.
palmitibus, ut vitale ſubminiſtret eis, & non ſumat & Aug. ſuper
ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chri- Joan.
ſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viva radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice vivere.

25. De dilectione, qua diligimus Deum.

Prorſus donum Dei eſt, diligere Deum. Ipſe, ut Joan. 4.
diligeretur, dedit, qui nos dilectos diligit. Diſplicentes amati ſumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. Joan. 14.
Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris, & Filii, quem cum patre amamus, & Filio. Rom. 5.
Ac ſic ſecundum ſupraſcriptas ſanctarum ſcripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum diffinitiones, E hoc Deo propitiante, & prędicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit. Unde Abel juſto, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omni antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per Hebr. 1. per totum.
gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quia gratiam etiam poſt adventum Domini omnibus, qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti novimus, ſimul & credimus largitate conferri, ſecundum illud, quod jam ſupra dictum eſt, & prędicat Pau-

Paulus Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis sed etiam, ut pro illo patiamini.* Et illud: *Deus, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri.* Et illud: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait apostolus: *Misericordiam consequutus sum, ut fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed ut essem. Et illud: *Quid habes, quod non accepisti?* Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quicquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio prætermissa sunt, quia & revera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse, nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio, ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tàm admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum. Et quia definitionem antiquorum Patrum, nostramque, quæ suprascripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus, & cupimus: Placuit ergo, ut etiam illustres, ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent.

Ad Phil. 2. Ephes. 2. 1. Cor. 7. 1. Cor. 4. Jacob. 1. Joan. 3.

Confirmatio synodi à Papa.

Subscripsit Cæsarius cum 13. Episcopis, & 8. Laicis illustribus. Ac extat apud Sirmundum tom. 1. Concil. Galliæ epistola Bonifacii 2. ad Cæsarium, in qua rogatus ab ipso Synodum confirmat. Effectu congruo, ait ibi, salutantes suprascriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis adprobamus.

CONTROVERSIA.

Suaris Judicium.

De hoc Concilio Suarez in prolegomenis librorum de gratia prolegomeno 6. cap. 5. Quamvis hoc Concilium provinciale sit, & non legamus fuisse confirmatum subsequente, ut sic dicam, approbatione, nihilominus Canones illius infallibillem fidei authoritatem continent, quia antecedenter, ut sic dicam, fuerunt authoritate Pontificia confirmati, vel potius editi. Nam ut Patres illius Concilii professi sunt, illi Canones non fuerunt ab illis facti, vel inventi, sed ab Apostolica sede fuerunt ad illos transmissi, ut ejusdem sedis authoritate, & admonitione promulgarentur; & hac ratione Concilium illud antecedenter ab Apostolica sede confirmatum dici potest, &c.

Non solùm autem Pelagianorum error, sed etiam aliqua ex parte hęresis Prædestinianorum in illo Concilio damnata est; hinc in Canone ultimo definitur, nullum esse prædestinatum ad malum, & quemlibet baptizatum posse per Christi gratiam, quæ ad salutem pertinent, operari, si velit, & debere id facere, si salvari velit. At verò hac definitione, & aliis non obstantibus, hic error Prædestinianorum, aut postea durasse, vel post aliquot annos repullulasse videtur.

Hæc, & alia Suarez de hoc Concilio. Quod ad confirmationem tamen hujus Concilii non modò antecę- A dentem, sed etiam consequentem, postea patuit à summo Pontifice confirmata fuisse illa decreta ex epistola Bonifacii II. quam ex codice Fossatensi, & alio, qui extat in Bibliotheca S. Mariæ Laudunensis publici juris fecit Sirmundus, & subjunxit huic Concilio tom. 1. Concilii Galliæ, & ad Cæsarium præsidem Concilii dirigitur, qui prius decreta Concilii ad ipsum miserat. In hac inter cætera habetur: quapropter affectu congruo salutantes, *supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis adprobamus, &c.* data 8. Kalend. Februarias, Lampadio, & Oreste VV. CC. Consulibus.

Quoad damnationem erroris Prædestinianorum verum est, quod notat Suarez, quamvis novi Prædestiniani Concilio illo existiment confirmari suos errores, B quod multum, ut æquum est, D. Gratiæ tribuat. Unde & ab aliquot annis Gallico sermone donavit quidam ex ipsis hoc Concilium, vocavitque Concilium gratiæ, additis ad singulos Canones reflexionibus Theologicis, in quibus passim, ac subdolè sic Pelagianis adversatur, aut semiPelagianis, ut prædestinianis suffragari videatur. Sed in hoc advertendum est Concilium hoc suos Canones edidisse relative ad errores Pelagianorum, ac semiPelagianorum, qui cùm aliquid tribuerent ex actibus, *ut oportet, aut ut expedit*, ad justificationem, aut salutem consequendam, naturæ soli nondum præventæ, aut confortatæ subsidiis gratiæ interioris, cùm hoc Concilium in contrarium soli gratiæ omnia tribuit, solùm excludere intendit naturam, aut libertatem prædictis gratiæ subsidiis non prævenC tam, aut confortatam, sicut Pelagiani, ac semiPelagiani intelligebant; quod quia jam non semel explicatum maxime in controversiis Concilii Tridentini, non est, quod hìc dicta repetamus.

Conc... grati...

Juxta... ba ca... & 25...

Multa porro controversa de Canonibus hujus Concilii inveniuntur apud Vasquez 1.2. disp. 89. c. 8. licet quod ibidem ait, non posse minimam vinci tentationem absque ope gratiæ, etiamsi non intelligatur de victoria, quæ fit cum merito vitæ æternæ, juxta Sotum de natura, & gratia cap. 21. non probatur ab omnibus, & quod disp. 290. cap. 4. nullum opus bonum ab homine fieri fine gratiæ auxilio, sed sine illa totum, quod agit, esse falsitatem, mendacium, vel peccatum, sic generaliter dictum, etsi verbis Concilii conforme appareat, non tamen sensui ejus congruit. Quippe relative ad mentem Pelagianorum, ac semiPelagianorum D isti Canones intelligi debent. Erat autem eorum mens attribuere voluntati aliquod initium boni illius, quod dicitur, *ut oportet*. Idest, quod conferret ad justificationem, ac gloriam consequendam, & Pelagiani non tantùm initium aliquod, sed etiam progressum usque ad finem tribuebant. Mens igitur Concilii est totum istud negare, itaut homo de suo, & ex vi suæ nativitatis depravatæ per peccatum, nonnisi peccatum habeat, & finaliter in eo permaneat absque gratia Dei. Idque asserit Concilium respectivè, & contradictoriè ad sententiam Pelagianorum, qui cum hominem sanum esse, & absque peccato originali putarent, totum emptionis beneficium putabant esse superfluū, & gratiæ interioris infusionem non necessariam ad salutem consequendam. Unde nec distinguebant inter fidem naturalem, aut acquisitam, & fidem superna-E turalem, aut infusam: nec distinguebant inter actum secundum genus, aut substantiam spectatum, & actū spectatum secundum modum, prout valet directè, & positivè ad salutem æternam, quam semper in mente habebant SS. Patres, dum de rebus hujusmodi dissererent. Nondum Theologię profectus tantus erat, qualis postea fuit. Ac quoniam circa hæc versatur precipua difficultas hujus synodi, non pigebit paulò diutiùs in gratiam studiosorum cum Theologico rigore momenta ejus ex utraque parte ventilare.

Gabri... Vasqu...

Actus ut op... tet quid ...

An

An aliquod initium fidei naturaliter possibile cum solo concursu generali, modò non desit prædicatio, & argumenta sufficientia ad faciendam fidem, ut sunt miracula, vaticinia prophetarum, aliaque credibilitatis motiva?

QUi nullam aliam fidem, nisi infusam, & supernaturalem admittunt, rejiciunt distinctionem illam satis fundatam in Conciliis Arausicano nempe II. can. 6. 7. 25. & Trident. sess. 6. can. 3. de actibus *ut oportet*, quæ valeant ad salutem, & de actibus naturalibus, quæ ad salutem directè, & per se non valeant. Quis enim, inquit unus ex ipsis, qui hanc quæstionem sæculo anteriori discutiebat lib. 5. *De tribus virt. cap.* 5. dicat nihil prodesse spiritualiter eam persuasionem, qua Deus non solùm unus, sed etiam trinus, & unus Dei, hominumque mediator Christus, & una in terris Ecclesia tanquam familia, & regnum ipsius agnoscitur, quamvis solius viribus liberi arbitrii sine speciali gratiæ illuminatione comparata sit.

Resp. prodesse quidem hanc persuasionem, si contingeret illam ita comparari, indirectè removendo prohibens, & impediendo peccatum infidelitatis, sed directè, & positivè non acceptari à Deo, ut dispositionem positivam ad justificationem, aut ad meritum vitæ æternę, quia ex hypothesi non esset ex Christo, & gratia ipsius, qui est mediator salutis, sine quo Deus neminem salvat, qui est ostium vitæ, ipso dicente, *sine me nihil potestis facere*. Joan. 15. Supple, quod sit, *ut oportet*, ad salutem consequendam. Hæc itaque est fixa Dei voluntas, quæ hoc ita statuit. Sic D. Bonavent. in 2. dist. 33. art. 2. qu. 2. Non indoctè dicunt aliqui, quod non solùm satisfactio pro peccato Adę, sed etiam pro quocumque alio peccato fundata est super meritum, & satisfactionem Christi, in cujus fide, & sacramentis Deus parcit, quibuscumque parcit, & ideo contingit omnes de plenitudine ejus accipere; & ipsum dedit caput totius Ecclesiæ tàm finalis, quàm primitivę. Item Scotus in 4. dist. 15. q. 1. Deus non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quàm offensa ejus displicens sibi erat; tale obsequium est passio Christi, & meritum ejus. Et D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. actus nostri sunt meritorii, in quantum procedunt ex libero arbitrio moto per gratiam. Nec deest ratio petita ex improportione actuum merè naturalium cum præmio supernaturali, quam urgent Theologi plures.

Instant, doctrinam Euangelicam humanum captum longo intervallo superare, unde multi illi resistunt, & stultitiam reputant. Unde scribit D. Joannes 1. c. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Resp. per revelationem, & prædicationem cum argumentis idoneis ad persuadendum reddi proximiorem humano intellectui, ut possit circa illam omnes tres suas operationes exercere: primam apprehendendo illam, secundam judicando illam veram esse, in quo consistit actus fidei, & tertiam ratiocinando circa ipsam. Aliud autem est objectum fidei, ut puta Trinitatis, aliud notitia, & cognitio ipsius objecti: Quamvis autem objectum ipsum sit supra intellectum, cognitio tamen ipsius, si fit in intellectu per revelationem antecedentem, reddit ipsum præsens intellectui in ratione objecti. Quod autem multi resistunt, hoc non infert magis necessitatem gratiæ divinæ ad credendam illam doctrinam, quàm subscribendum dogmatibus scientiarum naturalium, circa quæ ingenia Philosophantium in varias partes, & opiniones distrahuntur. Ipse actus fidei, ait Stapleto lib. 2. de justit. cap. 4. qui est assentiri articulo fidei, in dæmonibus est, & hæreticis.

Dicunt Apostolum 2. ad Cor. 2. nullos medios agnoscere cum ait: *Christi bonus odor sumus Deo in iis,*

A *qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*. Ibi nullos agnoscit, qui ita credant, ut ad vitæ æternæ fructum iis non prosit.

Resp. argumentum ab auctoritate negativa non concludit, & si gratiæ Dei non desunt, vix aliquis credit, cui hoc non proficiat ad salutem: nec quæstio hæc agitatur tàm de facto, quàm de possibili, in hypothesi, qua quis assentiret absque gratia actuali per fidem naturalem, de qua hic sermo.

Cur igitur Apostolus 1. ad Thessal. 2. gratias agebat, quod recepissent verbum Euangelicæ prædicationis, ut verbum Dei, nisi hoc gratiæ Dei tribuendum esse perspiceret?

B Resp. agendas esse Deo gratias de bonis naturalibus, ac supernaturalibus, cæterum æstimandum esse unumquemque credere, *ut oportet*, & ex inspiratione Dei, cum nihil obstat ad aliter existimandum, sicut benè noverat D. Paulus de illis credentibus, quod crederent fide supernaturali.

Tantum igitur, inquiunt, infidelitatis vitium, quod est cæterorum caput, poterit excuti solis naturæ viribus cum generali concursu providentiæ: & cum addatur posse hominem naturali amore super omnia diligere Deum, poterit solis naturæ viribus omnia saltem mortifera vitare peccata, quibus aliquid creaturæ præponitur creatori.

Resp. aliud esse exire à peccato infidelitatis antea commisso, aliud excutere infidelitatem actualem. Primum non potest fieri sine gratia tàm actuali, quàm habituali; at secundum non repugnat, supposita revela-
C tione, & prædicatione, quam D. Bonaventura, & D. Thomas in 2. sent. revocant ad gratias gratis datas, etsi sint gratiæ externę. Quod additur de amore Dei, & evitatione peccatorum mortalium, nec id implicare contradictionem, verius est de singulis peccatis divisim intellectum, & extra statum gravissimæ tentationis: non tamen propterea, qui innocens esset, beatitudinem consequeretur, quia impediret peccatum originale, quod sine gratia baptismi non remittitur.

Argumentantur ulterius ex plaga peccati originalis, qua homo vulneratus est, ut sicut cæcus à nativitate, quamvis lumen affulgeat, videre non potest: aut sicut febre correptus appetitu depravato, quæ dulcia sunt, non potest non amara sentire. Quid sibi vult ille Euangelicus ab Hierusalem descendens in Hiericho? quo modo à spoliatione tantorum vulnerum inflictio di-
D stinguitur, si per peccatum tantùm supernaturalibus est privata muneribus? Imo verò quęnam possit vulneris constare ratio sine corruptione, sine integritatis læsione? Dionysius quidem Areopagita dixit in hominibus, & Angelis integra naturalia remansisse, sed integra dixit quantum ad facultatis cujusque propriam rationem, atque naturam.

Resp. magnam cladem illatam esse humano generi per peccatum Adami. Catholicus non est, qui hoc negaverit, sed ut dixit D. Thomas, imminuta est libertas hominis, non corrupta. Ideoque potest adhuc circa bonum, & malum morale, quod poterat ante peccatum: sed quod tunc poterat circa bonum sine pugna, & difficultate, hodie non potest sine pugna, & difficultate, quod potentiæ non amplius armatæ sint, & vestitæ donis supernaturalibus justitiæ originalis, cujus jacturam
E fecit.

Cæterum ad discernendum, quid intersit inter spoliationem, & vulnera hominis illius Euangelici Adamum lapsum cum tota sua serie exhibentis, operæ pretium est distinguere id, quod primariè, & immediatè per peccatum Adami infertur, & id, quod secundariò, & consequenter. Primariò enim, & immediatè Adam cum sua progenie propter peccatum gratuitis, & supernaturalibus bonis justitiæ originalis spoliatus est: Secundariò verò, & consequenter secuta sunt in ejus intellectu ignorantia, in voluntate superbia, in appetitu concupiscibili ardor, seu concupiscentia ad sensibilia bona,

Vulnera 4. peccati originalis.

bona, & in iraſcibili infirmitas, quæ ſunt vulnera diſtincta ab ejus ſpoliatione, à qua tamen promanant: ac propter iſta homo in bono agendo patitur difficultatem, & repugnantiam, ut ſit illi pugnandum, cum aliquid boni agendum. Et ut eventus belli dubius ſæpe etiam cadit in plura peccata propter peccatum originale. Nihilominus, quia prædicatio verbi Dei diſſipat ignorantiam, & tenebras intellectus, & promiſſio bonorum ſpiritualium, & æternorum magno intervallo ſuperant omnia bona ſenſibilia, allicitur voluntas ad ea deſideranda, ſperanda, & proſequenda: ideoque poteſt naturaliter homo ea credere, & diligere, non minus quàm credit pleraque alia minus credibilia, ut ſunt errores infidelium; & diligit multa alia minus diligibilia, & majoribus difficultatibus obſita, ut ſunt pleraque bona hujus mundi. Et vanum eſt, quod dixerit D. Dionyſius tantum remanſiſſe naturalia poſt peccatum in Angelis, quia ipſæ potentiæ remanſerunt: cum enim potentiæ ſint propter actus, non aliter id intellexit D. Dionyſius, quàm quia remanſerunt potentiæ cum ſuis actibus connaturalibus. Nec deterius habitus eſt homo peccans, quàm Dæmon; cur non igitur in homine intelligemus poſt peccatum naturalia etiam remanſiſſe, ut eadem poſſit quoad ſubſtantiam?

Reſponſiones adverſariæ diſcutiuntur. Atque ut hactenus reſponſum eſt eorum objectionibus, ſolutionibus etiam, quas adhibent, argumentis, quibus impugnari ſolent, ſatisfaciendum reſtat.

1. Argumentum eſt, quod experientia doceat, quod quando ſunt rationes, & argumenta, quæ rem aliquam reddunt credibilem, ſitum ſit in libero arbitrio aſſenſum præbere, voluntate imperante, captivanteque intellectum ad ejuſdem aſſenſum.

Ad quod reſpondent, ſæpe reſiſtere, ut, cum Chriſto prędicante, ea, quę Deo digna erat, eloquentia dicebant, *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Joan. 6. Quod Pelagius cum ſolo libero arbitrio tribueret, Auguſtinus contra dicebat: cum Euangelium prędicatur, quidam credunt, quidam non credunt, ſed qui credunt, prędicatore foris ſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt, hoc eſt, inquit, illis datur, ut credant, illis non datur. Itaque volunt totum diſcrimen fidelium, & infidelium repeti à Deo, qui dat uni gratiam credendi, alteri denegat.

At contentio contra Pelagium erat de actu credendi, *ut oportet*, qui non eſt ſine Dei gratia, & inſpiratione, cui obaudiat voluntas pro jure ſuæ libertatis. Nam & D. Auguſt. in lib. *De bono perſever. cap.* 14. ſcripſit, habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant. In caſu ergo, in quo reſonante foras Euangelio omnes audientes interius inſpirat Deus, *Aliud audire, aliud diſcere.* omnes quidem intus audiunt, ſed non omnes diſcunt, aliud ſiquidem eſt audire Magiſtrum, aliud diſcere: etenim diſcunt in hac ſchola, qui obediunt aſſentiendo, & illis datur, ut credant utiliter ad ſalutem, aliis non datur de facto, quia indociles facti ſunt ſua culpa.

2. Argumentum erat ex multiplici exemplo, ut hæreticorum, qui adhuc credunt multis fidei articulis, & ſcripturis ſacris: ſicut & Judæi poſt Chriſtum, & Pagani, qui inſtructi in fide Chriſtiana per hæreticos, ſicut quondam accidit Gothos per Arrianos fidem capeſcere. Hi enim credunt fide acquiſita, & naturali ſine inſpiratione Dei, quæ non inducit ad talem fidem capeſcendam. At non aliter judicari debet, cum verę fidei, & integrę ſubſcribitur.

Ad quod reſpondent, Deum ſic homines illos regere, ut cum ſua gratia eos adjuvet ad aliqua vera credenda, ſinat tamen eos in aliquibus ſuę infirmitati, unde in quibuſdam errant. Nec intereſt, per quorum miniſterium id fiat, quia neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus: ſic per baptiſma hæreticorum ſua etiam dona communicat.

Hęc, & ſimilia reſpondent, quæ veriſimilitudinem obtinebunt apud eos, qui Deum auctorem peccati aſ-

A ſerere non reformidabunt: at cum fides talium hominum, talis qualis eſt, ſit peccatum fidei oppoſitum, quis credat Chriſtum ſanguinem fudiſse, ut tanquam donum ſingulare, & dignum immortalibus gratiis obtinerent, per quod itur ad viam perditionis?

3. Argumenti genus erat ex Conciliis Arauſ. & Trident. ubi requiritur inſpiratio, & gratia Spiritus ſancti, ut actus ſit, *ut oportet*, ad ſalutem. Dicunt enim per terminum illum aliud importari, nempe quod noxiè, & vitioſè quidam hos actus credere, pœnitere, eliciunt. Quo pacto non ſufficiunt ad juſtificationem, aut meritum. Nam impii, & prophani homines ſępe cogitant de iis, quæ ad ſalutem vitę ęternę pertinent, ſed non ut expedit: & ut alios pretercam, hęretici hodierni cogitant de ſua ſalute per fidem ſpecialem, qua ſibi per-
B ſuadent remiſsa eſse peccata, quæ fides potius ducit in damnationem.

Reſp. intentum Conciliorum fuiſſe aſſerere neceſſitatem gratię Dei ſupra opera naturę, quacumque naturali perfectione polleant: nam poſito, quod ab his actibus removeantur quicumque defectus, adhuc non ſunt, *ut oportet*, ad ſalutem, ſine gratia Jeſu Chriſti, quę eſt fons aquę ſalientis in vitam ęternam: nam ſunt actus humani, & naturales, quibuſcumque defectibus expiati, ſi non adſit virtus Spiritus ſancti.

4. Argumenti genus erat ex ſcripturæ locis, ut Luc. 10. de Tyriis, & Sidoniis, qui credidiſsent, & pœnitentiam egiſsent, ſi Chriſtus apud ipſos prędicaſset, & prędicationem miraculis confirmaſset. Item Joan. 4.
C Chriſtus dicit Judęis. *Cur à vobis non judicatis, quod juſtum eſt?* Hęc enim oſtendunt non requiri gratiam illam interiorem. Sed quoniam ea, quæ his reſpondent, obſcuriora ſunt, in his non vacat tamdiu immorari. Cum hactenus dicta ſufficiant ad difficultates de præſenti Concilio pullulantes eluendas.

Objiciunt alii, quod duobus modis poſſunt credi res fidei. Primo reſolvendo aſſenſum in externa motiva, vel ſigna credibilitatis tanquam in rationem credendi, & ad hoc genus fidei ſufficere poteſt voluntas naturalis, quia non tranſcendit fidem acquiſitam, neque certitudinem humanam. Alius modus credendi eſt purè ſiſtendo in auctoritate divina, & ad hunc modum dicimus eſſe neceſsariam voluntatem ſupernaturalem. Ita Suarez diſp. 6. de fide ſect. 7.

D Contra, modus ille credendi ob auctoritatem divinam, ſi modo illa ſufficienter proponatur ſimul cum rebus creditis, non habet difficultatem majorem, imo facilitatem affert actui fidei: nam quanto major eſt auctoritas dicentis, tanto facilius eſt ejus dictis aſsentiri. 1. Joan. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*: idcirco ſi ex conceſſis naturaliter poteſt voluntas velle, ut intellectus aſſentiatur ob rationem motivorum fidei, etiam poterit velle, ut aſſentiatur ob auctoritatem divinam. Et eadem motiva, quæ inducunt ad credendum res fidei fide acquiſita, inducunt etiam ad eas credendum ob auctoritatem Dei revelantis, eadem fide acquiſita.

Nec obſtant rationes in contrarium adductæ, quia ibi ſermo eſt de fide ſecundum modum, & *ut oportet*, & ut ſalutifera eſt, & conducens ad ſalutem æternam:
E de hac enim fide loquuntur ſcripturę, Concilia, & libri D. Auguſt. contra Semipelagianos: ſeſe enim ita clarè explicat lib. de dono perſever. cap. 8. & 13. & alibi paſſim, & ante ipſummet: *Sancti*, ait D. Ambroſius, *ſpiritualibus ſemper intendunt, & vitæ æternæ profutura vel cognoſcere geſtiunt, vel docere*. Ita in Pſal. 118. ad illa verba, *fundaſti terram*. Agitur ergo in his locis de fide, quæ vocatur, *ut oportet*, pręterquam concipimus fidem acquiſitam, ſuppoſita propoſitione rerum fidei cum ſufficientibus motivis, quæ naturaliter acquiri poteſt ab hominibus, licèt non ſit, *ut oportet*, & promovens ad ſalutem, quia ex hypotheſi non erit ex auxilio gratiæ, aut immediatè infuſa. Quamvis ordinariè præveniantur homines ſufficientibus auxiliis, cum illis annuntiantur myſteria fidei, ut ſic eorum fides

cenſeri

censeri possit infusa per accidens, & majorem fiduciam ob id concipiamus.

Hæc autem via vobis magis tenenda videtur, quia melius salvat liberum arbitrium, dum actus hujusmodi secundum substantiam producit, non obstante, quod simul, & conjunctim à divina gratia produci valeant. Deinde conservat hominem in humilitate, cum faciendo quæcumque præcepta fuerint, justè possit dicere, *servi inutiles sumus*, nesciens si, *ut oportet*, ea adimplevit: unde & cum metu, & tremore salutem suam operatur, sine securitate de suo statu, & suis meritis, quæ in hac opinione illi abscondita sunt, nesciens, ex quo principio prodierint: totum quoque negotium suæ salutis æternæ Dei gratiæ tribuit, quod tantopere commendat D. August. contra Pelagium, ac proinde se nonnisi per Jesum Christum in via progredi posse existimat. Ac adimplens præcepta Dei hac consolatione fruitur, quod ea sic sibi possibilia esse intelligens in sua potestate situm esse videt, post remissionem peccati in sacramentis, ab æterna damnatione eripi; quamvis quod spectat ad consecutionem summi, & æterni boni, spem non in homine, sed in Deo, ac Christo Jesu collocare debeat, sic timens occulta ejus judicia, ut eum, qui pro omnibus mortuus est, & qui dat omnibus affluenter, sibi tempore opportuno nō defuturum, confidat. Cur autem sint tàm variæ opiniones circa hæc, argumentum ex eo petitur, quod ratio entis supernaturalis non satis intelligitur à quibusdam. Quod nos movit, ut ante aliquot annos evulgaremus *Supplementum 1. Theologiæ Affectivæ*, quod est *summula de ente supernaturali*, quod distinguimus in ens supernaturale cognoscibile, & factibile, de cujus essentia est, ut tàm principium, quàm objectum supernaturale habeat. Atque in hoc libro præsens difficultas magis elucidatur.

Valeant ergo Pelagiani, qui totum redemptionis mysterium paganorum instar, ac Judæorum ignorant, ac despiciunt, ingratæ creaturæ, pro quibus Christus mortuus est.

Valeant Semi-Pelagiani, qui quamvis Christum ita non ignoraverint, primum tamen gradum boni salutaris sibi ipsis absque gratia vindicare voluerunt.

Valeant etiam Prædestiniani, qui sic ad bonum alios esse prædestinatos volunt, & alios ad malum, ut illi necessariò boni, hi necessariò mali, ac si sunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione, ait synodus, illis anathema dicimus.

De tempore, quo habitum est hoc Concilium, alia est controversia, Carranza, Joverio, & aliis ad tempora Leonis I. referentibus, in præcedenti sæculo: quorum sententia ex eo falsa apparet, quod præfuerit illi S. Cæsarius Arelatensis, sicut aliis pluribus hoc sæculo 6. celebratis, quibus ut primas primus subscripsit, Agathensi, Arelatensi 3. Carpentoratensi, Vasionensi 2. Epaonensi, & Valentino ad Rhodanum, quamvis huic ultimo impeditus morbo non interfuerit, sed per Cyprianum Legatum suum: At Cæsarius circa initium hujus sæculi Pontificatum auspicatus est, in quo quadraginta annos exegisse testatur in ejus vita Cyprianus Episcopus Tolonensis apud Petrum Saxium in Pontificio Arelatensi, qui & id probat ex diversis epistolis Pontificum, ut tempus ejus Pontificatus vindicetur ab errore, & achronismo omnium ferè antehac scriptorum. Scripsit enim ad eum Symmachus Papa, qui sedit ab an. 499. ad annum 514. eique pallium concessit, & ejus Diaconos, ut Ecclesiæ Romanæ Diaconos, Dalmaticis uti concessit. Scripsit quoque Vigilius Papa an. 544. ad ejus successorem Auxanium de ejus in Episcopum electione gratulatorias, cum obiisset Cæsarius anno 543. Unde necesse est hoc Concilium habitum fuisse hoc sæculo. Quod verò anno 529. indicat Consulatus Decii Junioris, sub quo acta consignata sunt, & subscriptio Liberii patricii Galliarum præfecti à Theodorico instituti sub finem vitæ suæ, & initium Athalarici, ut ex eorum litteris ad ipsum scriptis colligit Binius.

De occasione verò, ob quam celebratum est hoc Con-

A cilium præter dedicationem Basilicæ, quàm Liberius Patritius ædificari fecerat, Coriolanus ait Canones fuisse editos de gratia, & libertate ad refellendum Fausti librum de gratia, & libertate, contra quem scripserat Cæsarius cum approbatione Felicis IV. Sed non videtur verisimile, quod Faustus ad hæc tempora pervenerit, nec liber illius, cujus specimina aliqua supra dedimus in Conc. Arelat. an. 475. his antidotis indigebat, ut legenti patebit. Cum tàm sæpe gratiam interiorem præviam, & antecedentem ad bonos actus admittat, ac in ultimo etiam capite, in quo videri possit amicus Pelagianorum, ibi tamen sic scribit. Simulq; interposita obtinendi difficultate, dum munificentia absconditur, fides probatur, exercetur ambitus, manifestatur affectus, *totumque hoc in homine ignis interior à Deo insitus, & ab homine cum*

B *Dei gratia nutritus operatur*.

Sed & Sidonius Apollinaris lib. 9. epist. 9. ad Faustum tanti facit ejus libros, ut extra aleam censuræ Synodorum satis comprobet, indicatis inter eos, licèt subobscurè, duobus his de gratia, & libero arbitrio. Nihil, inquit, in facundia cæterorum, nihil in ingeniis facilè perspexi juxta politum, &c. Rapuisti Philosophiam, quæ violenter è numero sacrilegarum artium exempta, raso capillo superfluæ religionis, ac supercilio scientiæ sæcularis, &c. quin potius experietur, quisque conflixerit, Stoicos, Cynicos, Peripateticos, Hæresiarchas propriis armis, propriis quoque concuti machinamentis. Nam sectatores eorum Christiano dogmati si repugnaverint, mox te magistro ligati vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implaga-

C buntur, Syllogismis tuæ propositionis uncatis volubilem tergiversantium linguam inhamantibus, dum spiris categoricis lubricas quæstiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remedium contra venena, cum ratio compellit, & de serpente conficiunt. Nam quis æquali vestigia tua insequatur gressu; cui datum est soli, loqui melius, quàm didiceris, vivere melius, quàm loquaris?

At objicitur, Cæsarium scripsisse contra libros Fausti cum approbatione Felicis IV. referente Cypriano in vita Cæsarii. Forsitan contra alium à Fausto Regiensi scripserit Cæsarius libros, quos non Felix IV. sed Bonifacius II. approbavit, qui sedit anno Christi 530. vitam illam à Cypriano conscriptam legere nondum datum est, ut id falsitatis intrepidè arguam.

D Sed quo pacto Sidonius Arvernorum Episcopus, qui sub Zenone Imperatore Orientis florebat circa annum. 460. tot laudibus efferat scripta Fausti, & ea improbet post sexaginta annos Cæsarius, cum Faustus inter sanctos censeretur, vix possum intelligere. Sola temporum observatio ad quæstiones istas dissolvendas sufficiat, & agnoscendum, quod nuper scripsit Cælotius I. in histor. Gottescalchi lib. 2. cap. 4. Faustum ultra meritum ab adversariis vexari, ne doctrinæ ejus sana parte, qua maximè urgentur, penitus opprimantur. Sed & Baronius, qui non parum ejus famæ nocuit in appendice tom. 10. edi. Coloniensis mollit, quæ asperius in ipsum scripserat. Et nomen ejus lego in catalogo Sanctorum lib. 2. c. 91. Episcopi Equilini, & in Martyrologio Gallicano ad 4. Kal. Oct. recentioris nostri Adonis An-

E dreſi Saussai nunc Tullensis Episc. ut alios omittam. Vide dicta in Concil. Arelat. an. 475.

Cæterum post hoc Concilium Massilienses Semipelagiani dicti acquieverunt veritati per Concilium declaratæ, nec amplius sententiam priorem tutati sunt. Nec desunt, qui dicunt ante Concilium errasse quidem tùm propter dogma de initio fidei salutiferæ à seipsis, tùm de Prædestinatione absoluta, quam impugnabant in Divo Augustino, adstruentes illam ex bonis operibus non ex gratia, quod sanum dogma fuisset, sed ex natura: non habitos fuisse pro hæreticis, nec à communione fidelium separatos fuisse, qui aliunde D. August. admirabantur, & diligebant, ut propterea à D. August. vocentur fratres, & dilectores sui & ab Ecclesia Lugdunensi in libro de tribus Epistolis,

qui habetur in Annotat. Bibliothecæ Patrum vocantur fideles magni, & sancti apud Galliæ viros. Quæ, & alia de ipsis refert Joannes Eusebius epist. 5. dissert. Epistolicarum ab omnibus, inquit, examinanda, à pluribus toleranda, ab aliquis probanda, & aptè corrigenda.

Concilium Vasense, aliàs Vasionense, nomine II. re verò ipsa III. tempore Joannis Papæ II. sub Consulatu Decii junioris mense Novemb. anno 529. celebratum.

CAnones tertii, & primi Vasensis Concilii confusi sunt, ut diximus supra in Annotat. Concilii Vasensis I. sub Julio. Et quamquam duo Capitula hinc desumpta primo Vasensi adscribant quidam; placuit tamen eadem suis locis relicta hic vicissim adscribere, ne quam Lector confusionem incurrere, vel quid præter auctoritatem antiquorum, & doctiorum ablatum culpare valeat.

CANONES VASENSIS CONCILII nomine II. re ipsa verò III.

CAPITULUM I.

CUm secundum statuta Canonum, in Vasensi vico sanctorum Pontificum fuisset Concilium congregatum, juxta consuetudinem antiquorum Patrum regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præsentibus Dominis Sacerdotibus aliquid contra Decreta spiritualia, aut præterisse, aut præsumpsisse cognovimus. De qua re uberes Deo gratias agimus, quia servis suis secundum pietatis consuetudinem præstare dignatus est, pro quibus solo perfectæ charitatis affectu, & pro desiderio videndi, ad Synodum convenerunt. Et quamvis omnia, quæ à sanctis Sacerdotibus, vel Clericis observari debeant, & antiqui, & novelli Canones continere probentur, tamen ne congregatio sancta sine aliqua definitione discesserit, vel parum aliquid, quod ad ædificationem Ecclesiarum pertinere possit, inspirante Domino decreverunt.

Et hoc placuit, ut omnes Presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores quantoscumque, sive uxores habuerint secum in domo, ubi habitare videntur, recipiant; & eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, ut & sibi dignos successores provideant, & à Domino præmia æterna recipiant. Cum verò ad ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, potestas ducendi conjugem non negetur.

CAPITULUM II.

Ut Presbyteris prædicandi potestas suis plebibus concedatur.

HOc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem, ita ut si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuit prædicare, sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni sint Diaconi, quæ Christus in Euangelio locutus est, legere, quare indigni judicentur, SS. Patrum expositiones publicè recitare?

CAPITULUM III.

Ut Kyrie eleison *in omnibus Ecclesiis dicatur.*

ET quia tàm in sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provinciales dulcis, & nimium salubris consuetudo intromissa est, ut *Kyrie* A *eleison*, frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista consuetudo sancta, & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam, Deo propitiante, intromittatur.

CAPITULUM IV.

UT omnibus Missis, sive Matutinis, sive Quadragesimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, dicatur, & ut nomen Papæ urbis Romæ in nostris Ecclesiis recitetur.

CAPITULUM V.

B UT propter hæreticorum incredulitatem, post *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: etiam, *Sicut erat in principio, &c.* semper dicatur.

Concil. Carpentoratense celebratum circa tempora Joannis Papæ II. & anno Dom. 529.

QUo anno præcisè, quove die hæc Synodus celebrata fuerit, non constat; eandem verò circa hæc allegata tempora habitam fuisse, facilè conjicere possumus ex eo, quod fermè omnes iidem Episcopi huic interfuisse, & subscripsisse reperiantur, qui præcedentibus duobus Aurelianensi II. & Vasensi III. Conciliis subscripserunt. Placuit igitur hunc Conventum hisce subjungere, quibuscum eorumdem Episcoporum præsen- C tiam, & subscriptionem habere meruit.

Quid verò in hoc Concilio actum sit, ex epistola Cæsarii ad Agrœtium Episcopum Antipolitanum (vulgò d'*Antibe*) quæ extat apud Binium, constat, qua significatur, ipsum Agrœtium Patrum sententia suspensum esse per annum à sacrarum Missarum celebratione ob ordinationem ab eo perperam factam, & quod ad dicendam causam ad Synodum vocatus, neque ipse venerit, neque alium quemquam suo loco miserit, Baronius an. 463. nu. 13.

Hoc Concilium habitum fuisse anno 527. sub Felice IV. ostendit Sirmundus ex probatis codicibus, ex quibus unicum illius Canonem refert, qualiter Episcopus se habere debeat circa ea, quæ Parochiis collata fuerint à Christianis: ac in fine habetur: Hoc etiam placuit custodiri, ut in sequenti anno in vico Vasensi octavus idus D Novemb. debeat Concilium congregari. *Ex Codice Lugd.*

Concil. Romanum I. quo Bonifacius II. Vigilium Diacon. sibi successorem delegit: & quod idem Bonifac. paulo post reprobavit. Anno 530.

COncilii hujus Romæ ob prædictam causam congregati, mentio habetur apud Anastasium in vita Bonifacii his verbis: *Hic congregavit Synodum in Basilica B. Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto, cum chirographis Sacerdotum, & jurejurando ante confessionem B. Apostoli Petri, Diaconum Vigilium constituit.*

E *Concil. Romanum II. sub Bonifacio, quo ipsomet auctore, electio Vigilii, vivente adhuc Pontifice, facta, velut illegitima, & sacris Canonibus contraria irritatur, & rescinditur. Anno Dom. 530.*

HUjus etiam Concilii idem Anastasius in vita Bonifacii, ob assignatam in titulo causam Romæ convocati, meminit hisce verbis: *Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reverentiam sanctæ sedis, & quia contra Canones fuerat hoc factum: & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, quod Diaconum Vi-*

Vigilium sua subscriptione chirographi, ante confessionem B. Petri Apostoli constituisset; ac ipsum Constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio consumpsit.

Hinc Silverius Papa in decreto anathematis in Vigilium, scribit, ab eodem procuratum esse, ut hæc contra Canones decernerentur; ideo hæc illi exprobravit: *Quia contra Jura Canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ ipso vivente designari conabaris, nisi tibi amplissimi Senatus obviasset justitia: nunc providentia pastorali, ac Pontificali auctoritate tua execranda debuerant auspicia detruncari: sed dum parvum vulnus in te neglectum est, insanabile accrevit apostema, &c.*

CONTROVERSIA.

Circa factum Bonifacii successorem sibi eligentis, sciendum, quod merito ipsemet suam electionem retractavit, quia Papa non potest sibi eligere successorem, quamvis sub prætextu resistendi Regi Gotthorum Atalarico, qui jus subrogandi Pontificem, mortuo Pontifice, sibi arrogare volebat, id tùm factum fuerit. Ratio est, quia si, ut ait Apostolus ad Hebr. 7. necesse est, ut translato Sacerdotio legis translatio fiat: necesse est etiam transferri formam assumendæ personæ ad sacrificium. Et quia in Sacerdotio legali vim habebat successio originis, & carnis, unde sacerdotes debebant esse de stirpe Aaron, ut patet Exodi 28. Decuit, ut hujusmodi forma, translato Sacerdotio, transferretur in aliam, ut jam non per carnis originem, sed per electionem assumptio fieret personæ ad Pontificatum. Hæc ratio est Joannis de Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 51. Secunda ratio ejusdem, est ex spiritualitate Sacerdotii Euangelici, cujus summus principatus non carni, sed vitæ, & spiritui meritò debetur. Tertia est ex universitate sacerdotii, quod ad omnes tribus, & nationes pertinere potest, ac pertinet. Quarta est ex qualitate vitæ, & sanctimonia, quæ requiritur in maximo Sacerdote, quæ sanctitas minus periclitatur, difficiliusque perit, si Sacerdotium summum non origine, sed electione mandetur. Quinta ex periculo fortuito, quod accidere posset, si successione originis Pontifex eligeretur: nam cum sentiret Pontifex sibi mortem imminere, posset, sive ad illustrandum genus, sive ad familiæ ornamenta, & commoda augenda, sive ad propinquos locupletandos, alicui consanguineo tradere, seu verius prodere Pontificatum. Possent item duo nefarii, Simoniacique pactionibus partiri vices, ac tempora Pontificiæ potestatis gerendæ, exclusis viris optimis, ac rei Christianæ utilissimis. Unde subjungit Turrecremata: *De Jure naturali, quasi divino videtur esse, quod Papa non faciat sibi successorem, nec post mortem, nec post resignationem.* Et paulo post: *sic ergo patet, quod tàm juri divino, quàm juri naturali consonū videtur, quod ex electione universalis Ecclesiæ, vel illorum, ad quos de consensu universalis Ecclesiæ translatum est jus eligendi, sicut hodie sunt Cardinales, ut in cap. in nomine Domini, dist. 23. & 79. cap. 1. fiat Papa, sive assumatur Summus Pontifex.* Confirmat Turrecremata hanc ipsam sententiam Canone Anacleti cap. *Electione*, dist. 79. Archidiaconus in cap. *Transitus*, dist. 79. Panormitanus in cap. *Licet.* De vitanda elect. num. 2. Joannes Andreas in cap. *Transitus dictus*, & communiter Doctores idem docent. Et ratio est, quia effectus hujusmodi electionis refertur ad tempus, quo non est futurus Papa, L. *Eum, qui, ff. de jurisdict. omn. Judicum.* Sed Constitutio, quam facit super electionem, admittitur, quia providet futuris scandalis, & in casu, quo alius præter eum providere non potest. Posset tamen Papa dare potestatem alicui Prælato, eligendi sibi successorem, ut in cap. *Petisti.* 7. q. 1. & tunc fieret electio auctoritate Papæ, non propria.

Ad argumentum verò, quod in contrarium adduci solet, nempe quod S. Petrus instituit sibi successorem Clementem, multiplex est responsio. Primò, quod factum est incertum: siquidem Linus, & Cletus creduntur Romanam rexisse Ecclesiam, ut veri Pontifices ante Clementem; ergo videtur, quod non eum nominaverit successorem suum. Secundò. Si id fecit, fuit ex Spiritus sancti impulsu. Tertiò. Propter potestatis excellentiam, quæ illius fuit propria. Quartò id fecit assentiente Ecclesia: *Nam ad consensum*, inquit Turrecremata ubi supra, *Cleri, & populi, consuevit antiquitus fieri electio. cap. Quanto. &c. Plures, dist. 63.* Et ait, Clementis institutionem per modum electionis fuisse, quamvis formam ejusmodi, Ecclesia postea recusarit. Quintò, & ultimò dicendum est, Clementem verè per Petrum designatum fuisse Pontificem, sed oblatum sibi Pontificium post obitum Petri non acceptasse. Testatur hoc Epiphanius hæresi 27 ubi refert Clementem hæc verba dixisse: *Secedo, abeo, erigatur Ecclesia Dei*: sicque ad obitum utriusque, Lini nimirum, & Cleti, Episcopatum recusasse. Baronius anno Christi 69. num. 38. Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 5.

Magnum autem argumentum est, Papam non posse sibi eligere successorem, quia post Petrum numquam id à quoquam factum est: factum verò esset, si fieri potuisset, cum certum sit, non semper optimæ frugis homines in illa Pontificia, ac sanctissima Sede fuisse. Unde rectè Anacletus dixit, electionem summorum Pontificum Dominum sibi reservasse, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concesserit. Legitur benè in hoc, & in præcedenti Concilio, quod Bonifacius II. successorem sibi elegit Vigilium; sed cassavit paulo post electionem illam, quam sentiebat omnibus displicere. Cardinalis Bellarm. in Chronologia sub anno 530.

Electio Clement. in sedem D. Petr.

Concilium Toletanum II. habitum anno quinto Amalarici Regis, circa tempora Bonifacii Papæ II. Anno Domini 531.

TITULI CAPITULORUM CONCILII Toletani II.

1 *De his, quos parentes ab infantia in clericatus officio mancipaverunt, si postea voluntatem habeant nubendi.*

2 *De Clerico, qui ad aliam transit Ecclesiam, & qui eum receperit.*

3 *Ut nullus à subdiaconatu, & supra, extraneam habeat mulierem.*

4 *Ut quicquid de jure Ecclesiæ Clerici tenuerunt, post obitum eorum ad Ecclesiarum revertatur.*

5 *De his, qui se proximis suis copulant, ut à communione Christi separentur.*

CAPITULA CONCILII Toletani II.

Cum in voluntate Domini apud Toletanam urbem sanctorum Episcoporum præsentia convenisset, & de institutis sanctorum Patrum, canonumque decretis commemoratio haberetur, nobis in unum positis, placuit, ut si qua in antiquis canonibus minimè commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti consideratione instituantur. Si qua verò in anterioribus sunt neglecta, redivivam ordinationis censuram obtineant, quatenus dum his (quæ in Conciliis sunt decreta, sed abusione temporum hactenus dimissa, & ad cultum fidei pertinent) studium religiosæ impendimus observationis, Dei misericordiam facilius impetremus.

I. De his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatus officio, vel Monachali posuit, pariter statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius cleri, plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio

jugio ab Episcopo perscrutetur: quibus si gratia castitatis (Deo inspirante) placuerit, & promissionem castimoniæ suæ absque conjugali necessitate responderint servaturos, hi tanquam appetitores arctissimæ viæ levissimo Domini jugo subdantur, ac primo subdiaconatus ministerium, probatione habita professionis suæ, à vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter, ac inoffensè vicesimum, & quintum annum ætatis suæ peregerint, ad Diaconatus officium (si scientes implere posse ab Episcopo comprobentur) promoveri debent. Cavendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores ad terrenas nuptias, aut abortivos concubitus ultra recurrant. Quod si fortè fecerint, ut sacrilegii rei, ab Ecclesia habeantur extranei. His autem, quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo sententiam auferre non possumus, ita ut cum provectæ ætatis, in conjugio positi, renunciaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacros gradus aspirent.

1. Cor. 7.

2. Similiter placuit custodire, ne quis ex eis, qui tali educatione imbuitur, qualibet occasione cogente, propriam relinquens Ecclesiam, ad aliam transire præsumat. Episcopus verò, qui eum suscipere absque conscientia proprii sacerdotis fortasse præsumpserit, totius fraternitatis se reum esse noverit, quia durum est, ut eum, quem alius rurali sensu, ac squalore infantiæ exuit, alius suscipere, ac vendicare præsumat.

3. Illud verò præterea speciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua concilia in universis canonibus siluerunt, ut nullus clericorum à gradu subdiaconatus, & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam, sed si sunt ei hujusmodi servitia, matri, vel sorori, vel alii propinquæ contradat; & quicquid suis manibus perfecerit, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitatis memoria deest, alterius domus adhærentis habitaculum requiratur, dummodo nulla occasio introeundi domum clerici fœminæ permittatur, unde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortasse possit inuri. Sane deinceps post datam hanc admonitionem, quisquis earum consortio frui voluerit, noverit se non solùm à clericatus officio retrahi, vel Ecclesiæ foribus expelli, sed etiam omnium catholicorum, clericorum, vel laicorum communione privari, nulla prorsus vel colloquii consolatione relicta, quatenus malæ consuetudinis abrasa rubigo, in posteris radicis suæ veneno serpere non possit.

4. Si quis sanè clericorum agellos, vel vineolas, seu alia ædificia in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur, sustentandæ vitæ suæ causa, usque ad diem obitus sui possideat, Post suum verò de hac luce decessum, juxta priorum canonum constitutiones, jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat, nec testamentario, ac successorio jure cuiquam hæredum, aut prohæredum relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro servitiis, ac præstatione Ecclesiæ largiri voluerit.

5. Nam & hæc præcavenda salubriter sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Nec sine denunciatione sit sententiæ: nam paulo post infert, & dicit: Anima, quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui. Si quis ergo hujus decreti temerator extiterit, ac vetitum violare præsumpserit, tanto graviori sententia mulctandum se recognoscat, quanto eam propinquiorem, cui copulari se maluit, seriei originis esse non ambigit: tantoq; annosioris excommunicationis tempore à Christi corpore, & fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus. Hujus institutionis regulam qui subscripsimus, irrefragabili authoritate nos spondemus servaturos. Si quis autem nostrum, vel eo-

Levit. 8.

A rum, qui nunc sanctæ synodo ex hac provincia defuerit, huic tàm salubri ordinationi obviare præsumpserit, vel solerter adimplere neglexerit, convictus, totius fraternæ charitatis aliquandiu habeatur extraneus. Sane juxta priorum canonum decreta Concilium apud fratrem nostrum Montanum Episcopum (si Dominus voluerit) futurum pronunciamus. Itaque statuimus, ut frater, & Coepiscopus noster Montanus, qui in Metropoli est, ad Comprovinciales nostros Domini sacerdotes litteras de congreganda synodo, ad veniente tempore, debeat destinare. Nunc ergo in nomine Domini finitis his, quæ in consultationem venerunt, gratias agimus omnipotenti Deo, deinde Domino nostro gloriosso Amalrico regi, divinam clementiam postulantes, ut
B innumeris annis regni ejus ea, quæ ad cultum fidei proveniunt, peragendi nobis licentiam præstet.

Concilium Romanum sub Joanne Papa II. quo contra Acœmetas definitum est, Catholicè, & piè dici posse, unum de Trinitate passum esse in carne: quoque etiam declaratum est, quo sensu Hormisda Pontifex eam sententiam rejecerit, anno 532. & 534.

Tempore Hormisdæ Papæ oborta fuit quæstio inter pseudo Monachos Scythiæ, Eutychianæ hæ-
C reticos sectatores occultos, atq; Victorem Diaconum professorem Synodi Chalcedonensis, sitne addendum ad Chalcedonense Concilium, *unum de Trinitate esse crucifixum Christum*. Illi asserebant. Victor negabat. Facta submissione, declararunt Legati Sedis Apostolicæ, ut quis demonstretur Catholicus, satis esse absque ulla verborum additione Chalcedonense Concilium profiteri. Monachi repulsam passi, à sententia Legatorum ad Pontificem appellarunt: ubi cum libellum appellationis adversus Victorem, velut Nestorianum, & Legatos tanquam Nestorii fautores interposuissent, jussique ad reditum Legat. manere, fugissent, eadem sententia Pontif. Hormisdæ sunt condemnati.

Pro... suspe... uno t... re, non

His ita decisis, inferebant Nestoriani, eorumque defensores, ac sectarii Acœmatæ Monachi; Si non est
D passus unus de Trinitate, ergo neque natus est idem carne; ergo neque verè dici potest, ajebant, Mariam verè, & propriè esse Dei Genitricem. His accedebant Origenistæ, negantes Christum unum de Trinitate fuisse. Resistebant hæreticis cum Imperatore Epiphanius Constantinopolitanus, cæterique Orthodoxi Episcopi asserentes piè, sanctèque dici, unum de Trinitate esse passum, impiè verò negari, sanctissimam Virginem Mariam verè, proprieque Matrem Dei appellandam esse.

Acœ... quasi dormi... tes.

Acœmatæ cum ab Imperatore instinctu Epiphanii magnopere urgerentur, ad Joannem Romanum Pontificem Legatos miserunt, rogantes, ne sententiam illam vicissim reciperet, quam Hormisda semel explosisset. Si enim quæ ædificaret semel, destruxisset, prævaricatorem se constitueret juxta Apost. ad Galat. 2.
E Quod cum Epiphanius, & Imperator audivissent, ad eumdem Joannem Romanum Pontificem Hypatium Ephesiorum, & Demetrium Cæsareensem Episc. Legatos cum Epistolis à Binio recitatis, & excusis miserunt.

Justin...

Exceptis utrimque Legatis, lectisque, quas secum attulerant, epistolis, cognitum est, rem gravem, atque difficilem proponi, quæ diuturniorem inquisitionem, & indaginem requirebat. Post factam diligentem quæstionis indaginem, postque Ferrandi Diaconi Carthaginensis inquisitam mentem, qui censuit, dici posse unum de Trinitate passum esse, sed cum hoc additamento, *in carne*, aliorumque transmarinorum sententias exploratas, habito Romæ desuper Concilio, unanimi Patrum consensu Acœmetarum sententia recitata est, & confutata: ipsius verò Justiniani scripta fidei professio approbata fuit.

Qui-

Quibus peractis, Pontifex illam Epistolam ad Justinianum rescripsit, quæ Codici inserta, tit. *de summa Trinitate*, à quibusdam parum Orthodoxis avulsa est, tanquam nimis Pontificia. At tanquam vera restituitur ab Alciato Parerg. lib. 4. cap. 33. & Cujacio lib. 12. observat. cap. 26.

Ita mutatis hostibus, arma mutari necessum fuit. Cùm Pseudomonachi Eutychiani hac sententia dolosè Chalcedonensi Concilio, quasi imperfectum esset, & additamento indigeret, auctoritatem, Christo autem Domino Divinitatem adimere conarentur; necessarium fuit, ut Hormisda Pontifex sententiam insolitam, de fraude suspectam, & ab hæreticis primum noviter inventam, & usurpatam rejiceret: quantumvis ipsa fraude remota, velut catholica recipienda fuisset. Quando autem Nestoriani, & Origenistæ auctoritate Pontificis Hormisdæ abuterentur, requirebat Ecclesiæ utilitas, atque necessitas, ut declararet Pontifex Joannes, quo sensu Hormisda Pontifex allegatam sententiam rejecisset, quove admisisset; scilicet, quod eam non tanquam hæreticam, sed tantùm velut novam, atque de fraudibus Eutychianorum suspectam proscripserit, & rejecerit: quæ alioquin, si dolus ab Eutychianis abfuisset, omnino recipi potuisset. Vide Baronium anno Domini 519. 533. & 534.

Nota. Quod ne sub hac propositione Eutychiani fovebant hæresim suam, quod nempe divinitas passa fuisset, sicut Arriani sub hac propositione: *Pater major me est*, virus suum occultabant.

Concilium Africanum sub Joanne Papa secundo, anno 535.

AFricana Ecclesia in pristinam libertatem vindicata, ad restituendam collapsam ob longam servitutem Ecclesiasticam disciplinam convenerunt Episcopi, scriptaque ad Joannem Pontificem Epistola Synodica, ad eumdem Legationem miserunt, qua perfuncti sunt Petrus, & Lucius Episcopi, atque Liberatus Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ, cui his temporibus Reparatus præsidebat. Legatio dum Romam veniens, Joannem defunctum invenisset, Agapeto Papæ, qui in locum ejus successit, Synodales litteras dedit. Ex eadem hac Synodo Theodorus Diaconus missus est Constantinopolim ad Imperatorem pro recuperandis rebus, & Juribus Ecclesiasticis à Vandalis usurpatis. Qua Legatione accepta, Justinianus inter alias redditas litteras reperitur rescripsisse ad Salomonem Præfectum Prætorio in Africa de iis, quæ Africanis Ecclesiis concedit, Novella 36. & 37. Epistolæ præfatæ extant omnes apud Binium.

Concilium Constantinopolitanum post obitum Agapeti, tempore interregni Pontificis sub Menna, anno Domini 536. post Consulatum Belisarii, contra Anthimum, Severum, aliosque Acephalorum principes celebratum, anno 536.

LEgati sedis Apostolicæ, quos Pontifex anno 535. ad res componendas Constantinopolim præmiserat, quosque decedens, ibidem reliquerat, summo studio post obitum Agapeti Pontificis curarunt, ut quæ ab eodem Agapeto adhuc vivente constituta fuissent, nullo hæreticorum insultu labefactarent; sed potiùs sarta tecta, atque in omnibus illibata, & integra servarentur. Induxerunt Mennam Constantinopolitanum, aliosque Orientales Episcopos, ut idem procurarent. Antequam igitur depositi nuper hæretici, potentia Imperatricis freti rursus insurgerent, pari consensu decreverunt, ex vicinioribus, iisque, qui Constantinopoli morabantur, Episcopis, Synodum colligere, ut hæretici auctoritate Pontificis Agapeti compressi, aliorumque Orthodoxorum Præsulum sententia condemnarentur.

Synodum in Dytico habitam esse, ex singularum Actionum initio cognoscere licet. Dyticum autem fuit celeberrimum Constantinopolitanæ urbis Monasterium Dy appellatum, cujus hoc tempore Præfectus erat Agapetus, qui in ordine Archimandritarum, in libellis Synodo oblatis, primo loco subscriptus habetur. Appellatus est hic locus à Dio Archimandrita sanctitate celebri. Librarii cùm hanc vocem non intelligerent, pro *Dytico*, corruptè scripserunt *Dyptico*, vel *Dypsicho*. Vide Notas Baronii in Martyrolog. die 8. Februarii. *Monast. Dy.*

Ex farragine actorum hujus concilii excepta quędam subjungimus.

ACTIO PRIMA.

Post consulatum clarissimi Flavii Belisarii primo nonas Junias, Indict. 14. in Deo amata, & regia urbe Constantinopoli, præsidente autem sanctiss. & beatiss. Domino nostro Oecumenico Archiepiscopo, & Patriarcha Menna in atrio diitico venerandæ domus *al. dyphtico.* sanctæ, & gloriosæ dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ prope sanctissimam magnam Ecclesiam existentis, & à dextera quidem parte considentibus illi coadjutoribus, juxta pium jussum à Christo amati, & à Deo custoditi Imperatoris, excellentiss. & sanctissimis, ac Deo amantissimis Episcopis, Sabino Canusii, Epiphanio Esculanorum, Asterio Salernitanorum, Leone Nolanorum, Rustico Fesulanorum, Theophane Diacono Romano, Pelagio Diacono Romano, *al. Theodeto.* omnibus quidem ex Italica regione ab Apostolica sede nuper missis, postea autem consentientibus Agapeto Papæ antiquæ Romæ hùc advenienti, &c. præsente autem, & venerabili clero Regiæ urbis, Eufemius Deo amantissimus Diaconus, & primicerius notariorum dixit: Venerabiles Monachi Regiæ urbis, & quidam ex civibus suis, & Hierosolymitanis surgentes, supplicationem dederunt piiss. & serenissimo Imperatori nostro, & libellos vestræ beatitudini. Juxta igitur pium jussum Imperatoris nostri conveniente sancta vestra Synodo, sanctissimus Archiepiscopus Menna dixit: Intrent & Theodorus circumspectus referendarius piissimi Imperatoris nostri, & venerabiles Monachi, & intrarunt, Theodorus circumspectus referendarius Imperatoris tribunus, & notarius, & Marianus Presbyter, & Prior domus Dalmatii sanctæ memoriæ, & Princeps, & qui cum ipso erant venerabiles Presbyteri, & Abbates, & Monachi, qui & se subscripserunt libello ab ipsis oblato sanctissimo Domino nostro Archiepiscopo œcumenico, & Patriarchæ Mennæ, qui dixit: Dicat secundum primum ordinem Theodorus circunspectus causam, pro qua ad nos venit. Theodorus circumspectus dixit: Deo amantissimi Episcopi secundæ Syriæ Provinciæ relationem fecerunt de quibusdam Ecclesiasticis capitulis piissimo Domino nostro: & non solùm ipsi, sed & venerabiles Abbates Evagorum Monasteriorum regiæ urbis hujus, & quidam ex Orientali administratione, & venerabiles Monachi Hierosolymæ dederunt serenissimo Domino nostro supplicationes. Et statuit Imperium suum ipsas per me tradi vestræ beatitudini, & sanctissimis viris antiquæ Romæ, ac reliquæ præclaræ Synodo congregatæ, adducereque ad vos ipsos venerabiles viros, qui supplicationes dederunt, ut in his interpellantes, vos ipsis finem imponatis. Sanctissim. Archiepiscopus dixit. Legantur producta à circunspecto Theodoro. Accipiensque Diodorus duas supplicationes, alteram quidem ex parte Episcoporum, alteram verò ex parte Monachorum, legit, &c.

Interlocutio Mennæ Patriarchæ.

Sanctissimus Archiepiscopus, & tota Synodus dixit,

Non mirandum si suas, & nunc magna. Apostolica sedes sequitur sacras sanctiones sanctissimarum Ecclesiarum inviolatas conservando, & quæ rectæ fidei sunt defendendo, ac his, qui peccaverunt, clementem veniam tribuendo. Unde & nos implentes ea, quæ à sanctissimo Papa in Epistola Synodali data fuere, & tempus pœnitentiæ ipsis dantes deputemus, & decernamus Vesporium sanctissimum Episcopum Neocæsareæ Metropolitanæ, &c. Designentur 6. Ecclesiastici ad significandum Anthimo gesta, & ut intra tres dies concilio satisfaciat.

ACTIO SECUNDA.

Facta à Menna Patriarcha Constantinopolitano.

Hæ actiones, quia non sunt magni momenti, in compendiū sunt redactæ.

Post consulatum Flavii Belisarii clarissimi nonas Majas Indictione 14. in Christo amantissima, & imperiali Roma Constantinopoli, &c. ut in prima actione.

In hac sessione nihil actum, nisi quod deputati ad quærendum Anthimum referunt quæsitum diligenter, nec tamen inventum fuisse.

ACTIO TERTIA.

Post consulatum Flavii Belisarii clarissimi, &c. ut in act. prima. In hac sessione duo tantùm transiguntur: Primò audiuntur testes contra Anthimum. Secundò cum nusquam inveniretur Anthimus sæpè quæsitus, & diu, iterum jubet Concilium eum quæri.

ACTIO QUARTA.

Post consulatum Flavii Belisarii clarissimi, &c. ut in actione prima. Præsente venerabili clero Regiæ urbis Eufemius venerabilis diaconus, & notariorum primicerius dixit: Cum jam tertio convenerit nostra sancta Synodus juxta pium jussum Christo amantissimi, & serenissimi Imperatoris nostri, & quædam gesta fuerint super venerabili Anthimo, & ejus requisitione à vestra sanctitate, sententiaque sācta à vobis prolata sit, diffiniens dilationem 10. dierum ad inquisitionem ipsius, & proclamationem apponi jubens invitando ipsum venire ad sanctam nostram Synodum. Cumque etiam evenerit id, quod à vobis mandatum erat, ad effectum pervenire, & inducias per vestram sanctam sententiam datas decurrisse, convenienteque & nunc nostra Synodo, ac obversantibus audientiam nostram his, qui in principio accusationem contra ipsum venerabilem Anthimum fecerunt, venerabiles (videlicet) Monachi hujus regiæ urbis, & Theopolitanæ, petentibusque introitum habere, subjicimus ad notitiam.

Anthimi causa ventilatur.

Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Intrent: Et intravit Marianus Deo amantissimus Presbyter, &c. Testes contra Anthimum audiuntur. Hi, quibus injuncta erat Provincia inquirendi Anthimum, fideliter retulerunt se nusquam invenisse eum. Quare cum diligenter quæsitus non compareret, à Synodo condemnatus est. Sanctissimus Archiepiscopus, & tota Synodus dixit: Legatur proscriptio apposita secundum jam præcedentem sententiam. Et accipiens Diodorus Notarius, & Diaconus legit: Mennas Archiepiscopus Constantinopolitanus, œcumenicus Patriarcha, & tota Synodus in ipsa Deo amata Roma Constantinopoli congregata Anthimo venerabili. Siquidem aliqua ratio conveniens tibi fuisset, & spes pœnitentiæ de peccatis commissis, nihil certè opus fuisset præsentium proclamationum. Sed olim sanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ manifestam fecisti opinionem tuam, & jam in ipsis reprehensibilibus dogmatibus incusationem meruisti, cum Pontifex Trapezuntius appareas, sed neque inquisitionem illius sustinuisti, & cum à nobis tanto tempore ad pœnitentiam evocatus fueris, non moderatior teipso factus es, & inobedientiam tuam meliorem sacerdotali humilitate, sicut visum est, ostendisti. Et quidem, quæ à te gesta sunt, nulla venia digna sunt. Verumtamen adhuc hominum lubrico peccata ascribendo, & clementiam usque ad multum tempus erga eos, qui peccaverunt, & occasionem emendationis (licèt tardè) sæpius factam invenientes præsenti littera te provocamus, admonentes tuam venerabilitatem, non stare in ipsa contentione usque ad finem, & venire ad sanctam Synodum intra numerum sex dierum, & opinionem, quam in rectis dogmatibus adeptus es, pura voce ostendere, palamque facere universis aliis, quanta potest ad revocationem his, qui lapsi sunt, patrum mitissimorum, & judicum clementissimorum admonitio. Si verò & hanc nostram vocationem despexeris, tibi de cætero, non in tempore locus pœnitentiæ erit: nobis enim non aliunde, quàm ex his, quæ fecisti, ea, quæ judicii sunt, inducentur. Subsignavi apposita mense Maji die 15. Indictione 14. post consulatum Flavii Belisarii gloriosissimi, &c.

Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Sanctissimi comministri, qui vobiscum præsentes sunt ex regione Italiæ, & Deo amantissimi Diaconi, & venerabilissimi notarii sedis Apostolicæ audierunt supplicationes oblatas fidelissimo, ac à Deo custodito Imperatori nostro, & libellos oblatos, sanctæ, & beatæ memoriæ Agapeto, & accusationes, quas fecerunt contra impium Anthimum apud nos illi, qui ipsos porrexerunt, & sicut accusatio in ipsum provenit super approbatissimis, hoc quidem, quod non vult, consentire rectis Apostolicis doctrinis veræ fidei nostræ, hoc verò, quod ad errorem, & hæresim Eutychis declinat, & depositos, ac anathematizatos à sancta Chalcedonensi Oecumenica Synodo, & ab Apostolica sede, & ab Ecclesiastico statu, qui ex illa usque nunc fuit propter communicationem, & opinionem ad Eutychem, amplexatur, conspicientes ad Synodicas Epistolas sanctas à sanctæ, ac beatæ memoriæ patre nostro Agapeto Papa antiquæ Romæ contra Anthimum: cogitantesque ipsius usque ad finem inobedientiam, & quod neque Canonicis vocationibus obedire, neque accusationes in ipsum adductas repellere voluit, quam super his omnibus opinionem habent, dicere dignentur. Et Mennas in Deo venerabilis lector, & secundarius notariorum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ legit vocem, quæ sic se habet: Sanctissimi Episcopi partium Italiæ, & viri venerabiles Diaconi Apostolicæ sedis dixerunt: Diffinitionem sanctæ recordationis patris nostri quondam Papæ Agapeti Synodicis Epistolis pro Menna sanctissimo Archiepiscopo hujus Regiæ urbis Constantinopolitanæ factis additam de persona Anthimi Trapezuntii quondam Episcopi, nos sequi per omnia profitemur: Sanctissimus Archiepiscopus dixit: & reliqua sancta Synodus nobiscum congregata, quæ audivit omnia, quæ à principio super materia contra Anthimum gesta sunt, omnibusque, quæ à nobis dicta sunt, attendens dignetur manifesta facere, quæ vult provenire in Anthimum. Sancta Synodus Ipatium sanctissimum Episcopum Ephesinum Metropolitam Asianorum dixit.

Sententia Synodi Constantinopolitanæ contra Anthimum.

Multarum transgressionum Anthimus reus demonstratus est. Venerabiles quidem patrum leges, tanquam non positas, ad nihilum reputavit, & paulò minus suo exemplo omnem Ecclesiasticum statum conturbavit, introducendo se in patriarchalem sedem hujus regiæ urbis, quæ nullo modo sibi convenit, communemque confusionem sacerdotibus Dei, ac populis fidelissimis operatus est. Quinimo non hoc solùm studium erat, sed & Eutychis opinionem habet. Cumque sic obtinere potuerit magnum pontificium (quemad-

Amb. Anth Eutyc ni.

A admodum dictum est) paulatim putavit oportere depascere sanctissimas Dei Ecclesias tali morbo, & contrarium, quam divinæ voces dicant pro congregando rationabiles oves Dei ovilis divisiones excogitavit adversus omnes (ut ita dicatur) Ecclesias, ut periclitando unionem sanctissimarum Ecclesiarum tantis piissimi Imperatoris nostri laboribus reformatam in multas divisiones scinderet. Denique paulatim hanc corruptionem significabat, simulans quidem suscipere sanctas Synodos (Nicænam dicimus) contra impium Arrium, Constantinopolitanam contra hæreticum Macedonium, & Ephesinam primam contra impium Nestorium, ac Chalcedonensem contra impium Eutychem, saltem ipsas habens in sacris dypthichis: sed cùm inserta ipsis Synodis esset sancta memoria beatissimi

ticha æ, in s no- fide-

B Leonis Papæ, nullo tamen tempore aliter vel præcipit, vel participat sanctissimis Dei mysteriis, nec celebritatem ipsorum prædicat, ne in hac quidem sanctissima magna Ecclesia, resiliens universaliter à rectis ipsorum confessionibus, & neque magnorum Pontificum, neque venerabilium priorum, qui pro talibus respiciunt, aut omnino tolerat, aut aliquam defensionem dat, quomodo non parvum singulo die affert scandalum in talibus, infidelibus quidem irridentibus, fidelibus verò dolentibus, ut qui parum credunt, adhuc magis conturbentur, & in pejus incidant: Imperator seipsum disposuerit, ad memoriamque revocaverit sententiam Principis Apostolorum, qua dicit: Paratos nos semper esse oportere ad respondendum omni petenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe, nihil

C plus juvit, sed ad ejus serenitatem deceptibilibus rationibus usus, promisit se omnia facere, quæcumque summus Pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret, & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam sedem. At magno Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo non permittente talia usque in finem procedere missus est huic regiæ urbi secundum ipsius deitatem Agapetus sanctæ, & beatæ memoriæ Papa

petus i.

beatissimus, qui statim sacris canonibus manum cum Deo porrexit, & ipsum de sede sibi non conveniente depulit, data venia his, qui talis rei participes, aut communicatores sunt, & regiæ, ac à Deo custoditæ civitati sacrum ornatum suum reddidit, cùm ostendit vestram beatitudinem huic sanctæ magnæ sedi præesse. Quoniam verò & in dogmatibus impietatis sibi infinita crimina impendit, supplicationesque, & libelli

D multi porrecti sunt piissimo Imperatori nostro, & beatissimo Papæ à diversis venerabilibus viris, & multis quidem sudoribus ipse beatissimus Papa animam ipsius paternaliter revocare studuit, sic tamen insanabiliter habere invenit, & pia dogmata recusantem, insuper etiam, & criminantem illam vocem de duabus naturis, quod adversus maximè sancta Chalcedonensis Synodus diffinivit, prorsus negando, & rectè condemnatos à sancta Synodo recusantem evitare, immo è contra ipsos amplexantem, & quantum in ipso est, studentem ostendere Dioscorum, & ipsum Eutychem prorsus insontes (inter quos hæreticare deprehensus est) sententiam profert in scriptis plenam clementia,

E & decenti sanctitate, differens ei tempus pœnitentiæ, decernensque, donec à tali opinione mutatus satisfecerit his, quæ à sanctis Patribus doctrinaliter, & canonicè diffinita sunt, ipsum non habere nomen Catholici, neque Sacerdotis. Hæc autem sequutus piissimus Imperator noster, respiciensque ad supplicationes suæ serenitati à diversis personis venerabilibus porrectas, vestram beatitudinem, & nos omnes in idipsum super isto convenire, benè satisfaciendo justum judicavit. Nos itaque venerabiles canones Sanctorum Patrum sequentes, sacris vocationibus ipsum advocavimus, & tempus pœnitentiæ ei dedimus, & latenti, ac medelam recusanti, proclamatione manifesta fecimus, quæ à nobis facta sunt. Cumque in his omnibus ad conversionem adducere ipsum non potuerimus, apertam hanc suæ hæresis demonstrationem accipientes, sequentesque eà, quæ à beatissimo Papa benè examinata sunt, conspicimus (si hoc vobis astaret) omnino ipsum, tanquam membrum inutile, & putridum abjici de corpore sanctarum Dei Ecclesiarum, & extra Episcopatum Trapezuntinum esse, & alienum ab omni sacra dignitate, & efficacia, & juxta ipsius sanctissimi Papæ sententiam à Catholica appellatione.

Sententia Mennæ contra Anthimum.

Sanctissimus, ac beatissimus Oecumenicus Patriarcha, & Archiepiscopus dixit. Cùm Salvator noster Jesus Christus verus Deus noster dederit nobis potestatem propriis sacerdotibus evellendi, & plantandi, demoliendi, & ædificandi, oravimus quidem omne tempus nobis esse ædificandi, & plantandi, nullum autem evellendi, aut demoliendi: sed dira est (ut videtur) veritatis transgressio, & via maxima ad proditionem his, qui usi sunt. Est enim diligenter considerantibus voluntatem Anthimi videre in ipsum multas sacras sanctiones transgressas. Nam erga Deum cùm non servavit confessionem, sed & inde à spe separatus, quomodo non est esse contrarius accusator proprii defectus? hanc itaque & nos tanquam quandam usurpationem ulceris insanabilis sistere conabimur, si excisionem membri, quod passum est, fecerimus. Circumspicientes enim dolorem isthinc eventurum coacti necessitate sumus venire ad præsentem sententiam. Nam ducimur quidem ex hac mœroribus, sed universum plus tribuimus communi utilitati Catholicæ Ecclesiæ quilibet nostrum, quàm suis quibusque propriis compassionibus. Quia igitur diversæ in ipsum consultivæ, & canonicæ querimoniæ factæ sunt, & quidem sanctæ memoriæ Agapetus Papa Romanus pœnitentiæ tempus ei dans, usquequo universa, quæ à Sanctis Patribus diffinita sunt, visus fuerat despexisse, neque sacerdotis, neque catholici nomen habere ipsum permittit. Nos autem, quia non est possibile molestatos de ipsis despicere, quæ dicitur via sacerdotibus condecenti in talibus ambulantes, canonicis ipsum induximus vocationibus, induciasque tribuimus ad recognitionem, & quod jam ultimum est, neque à consuetis proscriptionibus abstinuimus. Ipse verò tantum abhorrebat tàm à mutatione in melius, quàm defensione denunciatorum, quod nec omnino venire voluit, nec hic videlicet inquisitionem à nobis factam sustinere. Nam erat ei accusator (ut videtur) conscientia, sed cedendo ab accusatoribus induxit delicti confessionem, & anima peccare consueta difficilis ad pœnitentiam, etsi maximè multa fuerint ad hanc trahentia. Unde super impœnitenti inobedientia voluntatis ipsius lachrymantes, & super errore, qui illius animam apprehendit, gemiscentes sequendo sanctissimam vocem magni Dei, & salvatoris nostri, qui docet non parcere propriis membris, si alicujus scandali causa nobis fiunt, sed ipsius incisionem facere insinuat ad integritatem totius corporis, respicientesque ad ea, quæ pridie à sanctæ memoriæ Agapeto Papa antiquæ Romæ, & quod nullum pœnitentiæ tempus accipiat, nec elegit melioris opinionis esse satisfaciendo his, qui ab ipso scandalizati sunt, atque etiam ad ea, quæ nunc judicata sunt à sancta Synodo nobiscum existente ipsum Anthimum constitui extra Pontificium Trapezuntinum decernimus, & ipsum alterum esse ab omni alia sacra appellatione, simul & dignitate, ac efficacia de cætero, & omnino inter Orthodoxos non numerari censemus.

ACTIO QUINTA.

Sententia Mennæ Patriarchæ contra Petrum, & Severum, & Zoaram.

Sanctissimus, ac beatissimus Oecumenicus Archiepiscopus, & Patriarcha Mennas dixit: Cùm Joannes 1.Jo.5.

nes divinus Apostolus, & discipulus magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi dicat quædam peccata esse non ad mortem, doceatque nos per hanc sententiam fugere blasphemias in Deum per opiniones hæreticorum, velut ad mortem ducentes, videnturque Severus, & Petrus sponte præeligere peccata ad mortem: opportunum est eos, qui à principio erraverunt, & opinionibus hæreticis subducti sunt, & propter hoc à sancta Catholica Ecclesia, & Apostolica, & ab omnibus, qui in ipsa partem Sacerdotii sortiti sunt, condemnationem sibi ipsis superinduxerunt, sobriè pœnam portare, & ipsam existimare occasionem pœnitentiæ, atque recognitionis. At cùm hi nihil tale videantur fecisse, neque toto tempore aliquam demonstrationem recognitionis fecerint, sed tanquam ad ipsum Deum superbientes, manserunt in propriis impietatibus, & parvum putaverunt stare usque ad perditionem suam, & si non omnes alios, quibus validi fuerunt perdidissent, & opus affectarunt dignum solius authoris, & inventoris iniquitatis, qui propriam ruinam communem omnium hominum perditionem constituere voluit, & usque nunc vult. Non ergo cessaverunt uti doctrinis scriptis, & non solùm & non scriptis in civitatibus, in quibus fuerunt commorantes, sed etiam in longè remotis, simpliciorum animas alliciendo, & participes propriæ perditionis faciendo, non ad intellectum accipientes judicium Dei, neque Dominicam sententiam manifestissimè clamantem: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis, obnoxius erit gehennæ ignis.* Insuper autem conculcaverunt venerabiles Canones, qui prudenter sanxerunt, condemnatum in aliqua Synodo, nullo modo posse Sacerdotale ministerium reassumere, donec de eo discussio ab alia Synodo facta, ipsum innocentem probasset Et si quis audebit sacrum medio tempore facere ante restitutionem in alia Synodo, hunc nec postea in alia Synodo spem aliquam restitutionis habere. Sed hæc omnia dispicientes prædicti Severus, & Petrus, & sui communicatores & participes, de quorum numero est Zoara quidam Monachus de Syria ortus, homo, qui neque intelligere aliquid sacri potest, neque secundum rationem facere, non quod aliis quicquam boni impartiri possit, sed simpliciter hic hypocrisim, veluti escam quandam animabus esurientium porrigit, imò (quod verius est dicere) materiam avaritiæ facit. Contempserunt quidem Ecclesiam Romanam successorem Apostolorum, quæ sententiam contra ipsos protulit, & ad nihilum reputaverunt hujus Regiæ urbis sedem Patriarchalem, & omnem Synodum in ea congregatam, & ejusdem Domini, & Salvatoris omnium in sanctis locis Apostolicam successionem, & ultra hæc omnia etiam omnem sententiam Orientalis Diœcesis contra ipsos latam. Dicendum etiam est, quod illotis manibus sancta contrectarunt, & tanquam porci quidam Margaritas conculcaverunt (dico autem Euangelicas, & paternas sententias) nec cessaverunt usque in hodiernam diem* graviter obviare statui, & paci sanctissimarum Ecclesiarum. Ipsi enim clam, & occultè faciunt ea, quæ canonibus interdicta sunt, alios quidem multos iniqua doctrina ipsorum persuadentium * pervertendo, conventiculaque, & parabaptismata per domos, & Monasteria faciendo contra canones, & ipsorum sceleratam communionem multis, qui ab ipsis perversi fuerant, tradendo: homines dicimus neque figura, neque re: qui habebant ordinationem ab ipsis datam similiter ipsis perversis. Porrò per hæc non solùm non eradicatur anathema primo impositum à patribus nostris, sed & ex nostra sententia, imò verò canonum authoritate spes restitutionis ipsis aufertur, & ut Catholici filii cùm hoc intelligunt, fugiant illorum errorem, & hæresim. Proprerea igitur sequentes Sanctorum Patrum nostrorum sententias, & Euangelicis, ac paternis inhærendo sanctionibus, suscipimus & sanctissimos fratres, & comministros, cùm ab ipsis lata fuerit sententia contra prædictos Severum, Petrum, & Zoaram, & alios, quicunque communicant ipsis in impietate, ac contra complices ipsorum. Et nos illos per Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum, tanquam lupos quosdam graviter irruentes in ovile Christi, abjicimus, & consentientes sumus sanctissimis fratribus, & comministris nostris: & sæpius prius nominatos Severum, & Petrum simili anathemate ferimus, non autem ipsos solùm, sed & Zoaram, & alios, qui conventicula, & parabaptismata faciunt, nec non & omnia ab ipsis conscripta, quæ venenum draconis authoris mali in ipsis nutriunt, & ipsum in simpliciorum animabus immittunt.

Matth. 18.

Zoara.

Gnaviter.

Perimēdo.

Locus obscurus.

A B C D E

CONSTITUTIO JUSTINIANI Imperatoris contra Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei nostri, Imperator Cæsar Flavius Justinianus Alemanicus, &c. semper Augustus, Mennæ Patriarchæ.

REm non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychem, Arrium, Macedonium, & Eunomium, ac quosdam alios ad iniquitatem non minores illis, toties Imperium ejusdem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum authoritate fuit, sicque divina, pariter & humana concurrentia, unam consonantiam rectis sententiis facere, quemadmodum & nuper factum esse circa Anthimum scimus, qui quidem dejectus est de sede hujus regiæ urbis à sanctæ, & gloriosæ memoriæ Agapeto sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romæ Pontifice, eo quod nullo modo sibi ipsi conveniens, contra omnes sacros canones se intruserat: sed & communi sententia ipsius sanctæ memoriæ viri primum, deinde etiam sacræ Synodi hic celebratæ condemnatus, & depositus fuit, eo quod à rectis dogmatibus recessit: & quæ prius multoties diligere videbatur, hæc demum diversis lustrationibus aufugit, simulans sequi sanctas quatuor Synodos 300. videlicet decem, & octo Patrum in Nicæa, & 150. in hac felici civitate, & in Ephesο primo congregatorum 200. & 630. venerabilium Patrum in Chalcedone. At quidem nec dogmata sequi, nec nostram clementiam, & condescensum, quem propter ipsius salutem habebamus, suscipere voluit, neque ipse abdicare authores impiorum dogmatum, qui prius à sanctis Synodis percussi fuerant, sed putat oportere secundum ipsum in æquali ducere & condemnatos. Nam semel alienis à sanctissima Ecclesia intellectibus mancipatus, & à rectis dogmatibus alienatus, merito ad ipsorum rectitudinem reverti non valuit, etiam ad hæc à nobis invitatus, & directus, qui omni studio usi sumus ad ipsius salutem. Propter hæc igitur omnem sententiam depositionis in ipsum à sancta Synodo factam, occasione non liciti, neque à sanctis canonibus approbati raptus sacrarum sedium hujus regiæ urbis, & aversionis à rectis, & veris dogmatibus Κυρίῳ propter nostrum ponit Imperium, & contra istum præsentem scribit legem. Interdicimus ei commorari in hac felici civitate, & ejus districtu, ac in quacumque alia insigni civitate: sancientes in quiete esse, & eos diligere, quibus eundem dignè supposuit, & non aliquibus communicare, neque eos imbuere perditionem interdictorum dogmatum. Nec utique extra imperialem confirmationem relinquimus sententiam justè contra Severum latam, ac ex omnibus (ut ita dicamus) Pontificalibus, & Patriarchalibus, unà cum monachicis consensibus provenientem sedibus, & anathematismum ipsi inferentem, &c.

Locus obscurus.

CON-

CONTROVERSIA.

Plures hoc Concilium ſub Menna quintam Synodum univerſalem reputant, cùm tamen non hoc ſub Menna, ſed aliud ſub Vigilio paucos poſt annos in eadem regia urbe congregatum pro quinta Synodo univerſali ſæpius numeretur 2. claſſe. Anſam dedit hallucinationi, ſi non placet conjectura à nobis allata in initio præludiorum quintæ Synodi univerſalis, erronea inſcriptio cujuſdam codicis antiqui græci Bibliothecæ Palatinæ, in cujus frontiſpicio habetur. *Acta ſanctæ quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ*. Ex hoc porrò codice acta ad hoc Concilium ſpectantia primò deſcripta ſunt, & typis edita.

Aliud dubium de præſide. Carranza cum aliis Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum præſidem ſtatuit hujus Concilii. Binius, Starovolſcius, & alii legatos ſummi Pontificis. Calvinus porrò Inſtit. lib. 4. cap. 6. numer. 2. Leonis ſucceſſor, inquit, cùm ad quintam Synodum Conſtantinopolitanam Legatos ſuos mitteret, non rixatus eſt de prima ſede, ſed Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum præſidere facilè eſt paſſus. Hinc volens concludere contra primatus ſedis Romanæ vetuſtatem in Conciliis generalibus. Sed cùm fuerit Concilium magis provinciale, nihil concludi poteſt contra primatum ſedis Romanæ, cùm in provincialibus Archiepiſcoporum, ac primatum ſit præſidentia. Nec Agapitus legatos ſuos miſerat Conſtantinopolim ad præſidendum: & quamvis ad hunc finem miſiſſet, ac delegaſſet, cùm mortuo interim Agapito, ac in integro coactum fuerit hoc Concilium, Mennæ præſidentia nihil officiebat legatis, quorum poteſtas in hac re nondum incœpta expirabat morte delegantis.

Dubitari etiam poſſet, an propter ſolas Eutychetis opiniones damnati ſint illi hæretici. Mens eſt Joverii in præludiis Conſtantinopolitanæ Synodi 11. duo capita religionis conſtituta hìc fuiſſe. Primò confirmatam quartam Synodum contra Severum Antiochenum, qui ex Neſtorii, & Eutychetis ſectis unam conſtituens, commune impiorum receptaculum erat. Additque egiſſe hanc Synodum contra novos hæreticos triſagio addentes particulam, *qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*. Quod favebat Sabellianis ſeu Theopaſſianis, aut Patropaſſianis, quorum hæreſis ſepulta erat. Quæ jam attigimus in præludiis veræ quintæ Synodi, claſſe 2.

Concilium Jeroſolymitanum poſt obitum Agapiti, tempore interregni Pontificii, anno Dom. 536. decima nona Septembris, contra Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos celebratum.

CUm Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus abſoluta Synodo, ut dictum ſupra, ejus Acta miſiſſet ad Petrum Jeroſolymitanum Epiſcopum (cujus juſſu Monachi Orthodoxi Palæſtinæ, & nonnulli Epiſcoporum contra prædictos hæreticos acturi, Conſtantinopolim abierant) idem Petrus Jeroſolymis, decima nona Septembris, poſt Conſulatum Beliſarii, anno nimirum Chriſti 536. Synodum hanc collegit, cui Epiſcopi quadraginta quinque interfuerunt. In qua dum legiſſent, & cognoviſſent ea, quæ Conſtantinopoli contra Anthimum, poſteà verò in Severum, Petrum, & Zoaram acta eſſent, condemnationis ſententiam pronunciaverunt. Binius hìc.

A

Concilium Aurelianenſe ſecundum triginta Epiſcoporum, anno 22. Childeberti Francorum Regis, qui eſt 533. celebratum, præſide Honorato Byturicenſi Metropolitano.

AURELIANENSIS CONCILII SECUNDI CANONES.

CUm ex præceptione glorioſiſſimorum Regum in Aurelianenſem urbem de obſervatione legis Catholicæ tractaturi (Deo auxiliante) conveniſſemus: ibique quid de antiquis regulis, quid de novis ambiguitatibus pro captu intelligentiæ (illuminante Domino)
B ſenſerimus, expreſſimus ſigillatim: deſcriptiſque conſtitutionibus, atque (Deo propitio) in poſterum, quæ ſint obſervanda, ex veterum Canonum authoritate conſcripſimus.

1. Id ergo eſt conſtitutum, ut nullus Epiſcoporum (admonente Metropolitano Epiſcopo) niſi certa tædii cauſa detentus, ad Concilium, vel ordinationem conſacerdotis venire penitus ulla excuſatione detractet.

2. Ut Metropolitani ſingulis annis comprovinciales ſuos ad Concilium evocent.

3. Ne quis Epiſcopus de quibuslibet cauſis, vel Epiſcoporum ordinationibus, cæterorumque clericorum aliquid præſumat accipere: quia Sacerdotem nefas eſt cupiditatis venalitate corrumpi. *Matth. 10.*

4. Si quis Sacerdotium per pecuniæ nundinum exe-
C crabili ambitione quæſierit, abjiciatur ut reprobus: quia Apoſtolica ſententia donum Dei eſſe præcipit pecuniæ trutina minimè comparandum.

5. Nullus Epiſcopus ad ſepeliendum Epiſcopum venire confictа occaſione diſſimulet, ne cujuslibet corpuſculum diutius inhumatum, negligentia interveniente, ſolvatur. Is verò Epiſcopus, qui defunctum advenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam, nihil pretii pro fatigatione depoſcat. *Act. 8.*

6. Ut Epiſcopus, qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non pereant.

7. In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis antiquam inſtitutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque Metro-
D politanus Epiſcopus à comprovincialibus clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Epiſcopis ordinetur, ut talis (Deo propitio) ad gradum hujus dignitatis accedat, per quem regula Eccleſiæ in melius aucta, plus floreat.

8. Si quis Diaconus in captivitate redactus, uxori fuerit copulatus, reverſus, ab officii omnino miniſterio removendus eſt. Cui ſufficere debet, pro actus ſui levitate impleta pœnitentia, pro ſatisfactione communio.

9. Nullus clericorum ſine permiſſione Epiſcopi ſui cum ſæcularibus habitare præſumat. Quod ſi fecerit, ab officii communione pellatur.

10. Nullus novercæ ſuæ, id eſt, uxoris patris ſui, ulla copulatiōne jungatur. Quod ſi præſumpſerit, nove-
E rit ſe anathematis ſupplicio feriendum.

11. Contracta matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntaria contrarietate ſolvantur. Quod ſi qui ex conjugibus fecerint, noverint ſe communione privandos.

12. Ne quis in Eccleſia votum ſuum cantando, bibendo, vel laſciviendo diſſolvat: quia Deus talibus votis irritatur potius, quàm placatur.

13. Clerici, qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſua ad Eccleſiam venire detrectant, loci ſui dignitate priventur.

14. Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi

tamen

tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse. A

15. Presbyter, vel Diaconus, si nec litteras, vel baptizandi ordinem nesciat, nullatenus ordinetur.

16. Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta Canonum acceperint, si ad conjugium probantur iterum devolutæ, à communione pellantur. Quod si hujusmodi contubernium, admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dissolverint, in communionis gratiam, acta pœnitentia, revertantur.

17. Placuit etiam, ut nulli postmodum fœminæ diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.

18. Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem; B quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gratia sunt sine dubio submovendi.

19. Catholici, qui ab idolorum cultu se non custodiunt, nec ad integram accepti baptismi gratiam revertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis, gustu illicitæ præsumptionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur.

20. Similiter & hi, qui bestiarum morsibus extincto, vel quolibet morbo, aut casu suffocato vescuntur.

Abbates Episcop. subditi. 21. Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam humilitate suscepta deponant. C

22. Sanè, si qui post hanc diligentissimam sanctionem non observaverint, quæ sunt superius comprehensa, reos se divinitatis pariter, & fraternitatis judicio futuros esse cognoscant.

Concilium Aurelianense tertium, tempore Vigilii Papæ, & tempore Childeberti Regis, anno Christi 540. sub Consulatu Paulini, præside Lupo Ecclesiæ Lugdunensi Metropolitano.

TITULI CAPITULORUM SEQUENTIS CONCILII.

1. *Ne à Metropolitano comprovinciales vocati ad Synodum intra biennium celebrandam venire prætermittant.* D
2. *Ne à Subdiacono, & suprà quis se propriis uxoribus misceat.*
3. *De electione Metropolitanorum, & de consensu populi.*
4. *De familiaritate, & cohabitatione extranearum mulierum cum clericis.*
5. *De oblatis, & collatis Basilicis.*
6. *Qua ætate Presbyter, vel Diaconus ordinetur, & ne duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professæ, nec publicè arreptitius promoveatur.*
7. *De ordinatis clericis, ne nubant, & ne quis invitus ordinetur.* E
8. *De clerico convicto de furto, aut falsitate, & de perjurio.*
9. *De his, qui, uxoribus defunctis, concubinas sibi crediderint sociandas.*
10. *De incestis conjunctionibus, vel si ante baptismum se conjunxerint, ignorantes, vel à quibus personis conjugalis copula sit observanda.*
11. *De clericis propter patrocinia sæcularium officium suum minus implentibus.*
12. *De agris Ecclesiæ ab Episcopo inutiliter distractis, & distractorum tricennaria repetitione.*
13. *De mancipiis Christianis, quæ Judæorum servitio detinentur.*
14. *Ut missarum celebritas hora tertia inchoetur.*
15. *Ut Episcopi in Diœcesi aliena clericos non ordinent, nec altaria consecrare præsumant, nec sine commendatitiis clericus usquam pergat.*
16. *De raptu virginum sacrarum.*
17. *De eo, quod id, quod clerici beneficio Ecclesiæ perceperint, à suo successore minimè auferatur.*
18. *De clericis contumacibus.*
19. *De clericis injustè oppressis à suis Pontificibus.*
20. *De clericorum conspiratione per rebellionem in scripturis, aut aliàs factam.*
21. *De sacerdotibus Ecclesiæ res debitas occupantibus, & in suam potestatem redigentibus, & de retinentibus defunctorum oblationes.*
22. *Ministris Ecclesiarum non liceat Ecclesiæ res sine Episcopi consensu alienare.*
23. *Quod pœnitentia non sit in juvenibus temerè credenda, nec senibus conjugatis sine consensu communi, nec his, qui accepta pœnitentia, ad malitiam redierint sæcularem.*
24. *Ne servus, vel colonus ad honorem promoveatur ante receptam ingenuitatem.*
25. *Ut clericus honoratus pecuniam non donet ad usuram.*
26. *Quod die Dominico operari non permittitur.*
27. *Ut ante Dominicam orationem expletam de Ecclesia nullus discedat.*
28. *Ut Judæis à die Cœnæ Domini usque ad secundum Sabbati inter Christianos procedere non liceat.*
29. *De Hæreticis, vel Bonosiacis.*
30. *Ut clericus sine Pontificis sui consensu nullum ad judicem trahat sæcularem, neque laicus clericum.*
31. *Quid de Episcopis, qui suprascripta observare distulerint.*

CANONES AUREL. CONCIL. III.

Cum in Dei nomine in Aurelianensem urbem ad Synodale Concilium venissemus, de his, quæ per longum tempus, observatione cessante, fuerint intermissa, priorum Canonum tenore servato, præsentibus regulis vetera statuta servanda, & nova pro causarum, vel temporum conditione addenda credidimus.

1. Primum, ut unusquisque Metropolitanus in Provincia sua cum comprovincialibus suis singulis annis Synodale debeat opportuno tempore habere Concilium. Quod si illum infirmitas, aut necessitas certa tenuerit, ut ad constitutum locum adesse non possit, ad suam civitatem suos evocet fratres, ut si intra biennium, divinitus temporum tranquillitate concessa, admonitis comprovincialibus à Metropolitano, Synodus indicta non fuerit, Metropolitanus ipse pro evocationis tarditate anno integro Missas facere non præsumat. Quod si evocati, non corporali infirmitate detenti, adesse suæ evocationi distulerint, simili sententiæ subjacebunt. Qui tamen & hanc accusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam vigore fortis crediderint excusandam.

2. Ut nullus Clericorum à Subdiacono, & supra, quos uxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè jam habeat) misceatur uxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, juxta priorum Canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac utilitate permixtionis viventem, ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus.

3. De Metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, ut Metropolitani à Metropolitanis omnibus (si fieri potest) præsentibus comprovincialibus ordinentur, ita ut ipsi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirat. Ipse tamen Metropolitanus à comprovincialibus Episcopis (sicut decreta sedis Apostolicæ continent)

tinent) cum consensu cleri, vel civium eligatur. De comprovincialibus verò ordinandis cum consensu metropolitani, clerici, vel civium, juxta priorum Canonum statuta electio, & voluntas requiratur.

4. Licèt jam multa, quæ observari debent, multis Canonicis sententiis fuerint statuta, tamen, quod agnoscitur sæpè transcendi, convenit replicari. Ideoque statuimus, ut ne quis antistitum, clericorumve omnium licentiam habeat intra domum suam ullam absque propinquis mulieribus, quas priores Canones eloquuntur, habere personam. Quibus etiam id specialiter inhibetur, ut si quis clericorum suspicionem adversam, aut oblocutionem populi de muliere quacumque fortassis incurrerit, eam statim, si intra domum habet, abjiciat. Si certè extranea, & sui juris est, ita omnibus conditionibus studeat obviare, ut infamia, quæ excitata est, abrogetur. Quilibet ille antistitum, vel clericorum, qui, quod scriptum est, vitare noluerit, pro inobedientia triennii excommunicatione mulctetur. Quod si adulterii permixtione fuerit comprobatus, in degradatione honorum priorum canonum statuta serventur, in quibus communionibus Metropolitanus à comprovincialibus suis, comprovincialis à Metropolitano cum reliquis comprovincialibus distringatur.

5. Si quæ oblationes in quibuslibet rebus, atque corporibus collatæ fuerint Basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur. Et in ejus sit arbitrio, quid in repetitione Basilicæ, aut observantium ibi substantiæ deputetur. De facultatibus verò Parochiarum, vel Basilicarum in pagis civitatum constitutis, singulorum locorum consuetudo servetur.

6. De clericorum præmittenda conversione, id omnimodis observetur, ne nullus ex laicis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam, id est, vigintiquinque annorum Diaconus, & triginta Presbyter ordinetur, ita ut de ipsis quoque, qui ordinandi sunt, clericis, regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut semus corpore, aut qui publicè aliquando arreptus sit, ad suprascriptos ordines promoveatur. Quod si sciens Episcopus contra hæc statuta agendum esse crediderit, is quidem, qui ordinatur, suscepto juxta anteriores Canones privatur officio, sed ille pro ordinationis temeritate sex mensibus à celebrandis officiis sequestretur. Quod si Missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrum charitate privetur. De quorum promotionibus si quis Clericus, aut civis testis extiterit, quorum testimonio dum creditur, frequenter Pontificis ignorantia prævenitur, cùm agnitum fuerit ordinationem illicitè celebratam, anno integro à communione pellatur. Qui si in infirmitate deciderit, eis viaticum non negetur.

7. Clerici verò, qui cùm uxores non habuerint, benedictione suscepta, conjugia crediderint eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperunt, excommunicatione percellantur. Quod si invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem, qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat. De adulteriis autem honoratorum clericorum id observandum est, ut si quis adulterasse, aut confessus fuerit, vel convictus, depositus ab officio, communione concessa, in Monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur.

8. Si quis clericus furtum, aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam ipsa sunt crimina, communione concessa, ab ordine degradetur. De perjurio verò id censuimus observandum, ut si quis clericus in causis, quæ sub jurejurando finiendæ sunt, præbuerit juramenta, & post rebus evidentibus detegitur pejerasse, biennii tempore à communione pellatur.

9. De his, qui ex concubinis filios habent, & uxores legitimas post habuerint, aut defunctis uxoribus, sibi concubinas publicè crediderint sociandas, id observandum esse censuimus, ut sicut eos, qui jam sunt clerici per ignorantiam ordinati, non removemus, ita statuimus, ne ulterius ordinentur.

10. De incestis conjunctionibus ita, quæ sunt statuta, serventur, ut hi, qui aut modò ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitia non venerunt, ita pro novitate conversionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur, id est, ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui. Quod si qui in hoc incesti adulterio potius, quàm conjugio fuerint, sociatique diu se non sequestraverint, à communione Ecclesiastica repellantur. Illud etiam adjiciendum esse credidimus, ut in Episcopi discussione consistant. De his, qui in civitate sua, ac territorio consistunt, & tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, aut per contumaciam, quæ sunt interdicta, præsumpserint: quia, sicut his, qui per ignorantiam lapsi sunt, subvenitur, ita illis, quibus prius Patrum statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum canonum in omnibus statuta serventur, ut non prius ad communionem recipiantur, quàm incesti adulterium (sicut scriptum est) separatione sanaverint: quia in lege Domini manifestè legitur: *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, cum privigna, vel uxoris suæ sorore*, & reliqua his similia. Quo fit, ut quos Deus maledixit, non nisi emendatos benedicere non possimus. *Deut. 27.*

11. Si qui clerici ministeria suscepta quacunque occasione agere, sicut & reliqui detrectant, & excusationem de patrociniis quorumcumque, ne officium impleant, prætendunt, ac sacerdotes suos sub hujusmodi causa æstimant per inobedientiam contemnendos, inter reliquos clericos Canonicos, ne à licentia alii vitientur, nullatenus habeantur, neque ex rebus Ecclesiasticis cum canonibus stipendia, aut munera ulla percipiant.

12. De agellis verò, cæterisque facultatibus Ecclesiasticis à Sacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, priorum canonum statuta serventur, ut nobis per nullos contractus res Ecclesiasticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam, quæ de rebus Ecclesiasticis ab antecessoribus alienata, vel quibuscunque instrumentis inutiliter in dispendium Ecclesiæ obligata noscuntur, & intra trecennaria tempora repetitio suppetit, quæ acta sunt, suffragante justitia per publicum, aut clericorum judicium revocentur. Quod si is, qui rem Ecclesiasticam tenet, admonitus, judicium declinarit, quousque aut ad discussionem veniat, aut rem Ecclesiasticam restituat, communione privetur.

13. De mancipiis Christianis, quæ in Judæorum servitio detinentur, si eis, quod Christiana Religio vetat, à Dominis imponitur, aut si eos de Ecclesia excusatos tollant pro culpa, quæ remissa est, & affligere, aut cædere fortasse præsumpserint, & ad Ecclesiam iterato confugerint, nullatenus à sacerdote reddantur, nisi pretium offeratur, ac detur, quod mancipia ipsa valere pronunciaverit juxta taxationem. Christianis quoque omnibus interdicimus, ne Judæorum conjugiis misceantur. Qui si fecerint, usque ad sequestrationem, quisquis ille est, communione pellatur. Item Christianis convivia interdicimus Judæorum, in quibus, si fortè fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subjacebunt.

14. De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat

xat solemnitatibus, id observare debemus, ut hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito, Sacerdotes possint ad vespertina officia, id est, in vespertino tempore convenire: quia sacerdotem vespertinis officiis ad Ecclesiam talibus præcipuè diebus nec decet deesse, nec convenit.

15. Episcopus in diœceses alienas ad alienos clericos ordinandos, vel consecranda altaria accedere non debet. Quod si fecerit, remotis his, quos ordinaverat, altaris tamen consecratione manente, transgressor canonum anno à Missarum celebritate cessabit. De his verò clericis, qui sub qualibet occasione, aut conditione in alienorum civitatibus, vel territoriis crediderint immorandum, nec ad ullum clericatus honorem absque sui Episcopi scripto, atque consensu habeant promoveri. Verum etiam Presbytero, Diacono, vel Subdiacono sine Episcopi sui litteris ambulanti, juxta statuta priora, communionem nullus impendat.

16. De raptu virginum consecratarum, seu in proposito sub devotione viventium id statuimus, ut quicunque sacratæ, vel devotæ, id est, religionem professæ vim inferre præsumpserit, à communione Ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantùm ei infirmitatis periculo reservato. Quod si quæ rapta dicitur, cum raptore habitare consenserit, & ipsa excommunicatione simili feriatur. Quæ & formam de pœnitentibus, ac viduis in proposito manentibus definitam sub districtione Ecclesiastica conservet. Quod si quis Sacerdos sciens, hujusmodi personis communicaverit, anno integro pacem Ecclesiasticam non habebit.

17. De munificentiis verò Sacerdotum id observandum, quod sicut si quid præsenti tempore à clericis decedentibus munificentiæ habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenus auferatur: ita qui decessorum largitatibus gaudent, officia, & Ecclesiæ obedientiam, & affectum sacerdotibus præbeant. De quibus tamen munificentiis, quæ præsenti tempore ab his (sicut dictum est) possidentur, si pro opportunitate Episcopo placuerit, quod voluerit commutare, sine accedente dispendio in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præsentibus, quas unusquisque clericus pro sua gratia eorum obsequiis existimat conferenda, sicut in arbitrio dantis est, ut tribuere, quibus voluerit, debeat, ita si inobedientia, vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita, in arbitrio sit præsentis, utrum, vel qualiter debeat revocare.

18. De his verò clericorum personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio Monasterii, vel Diœcesis, vel basilicis in quibuscunque locis positis, idest, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiuntur ordinandæ, in potestate sit Episcopi, si de eo, quod ante de Ecclesia habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit; quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis, vel basilicæ debet plena ratione sufficere.

19. Si quis superbia elatus officium suum indignatione quacumque implere noluerit, juxta statuta priora, à communione retentus, & ab ordine depositus tamdiu habeatur, quamdiu (sicut scriptum est) pœnitentiæ supplicatione satisfecerit præsidenti Pontifici. Tamen illis regulariter juxta charitatem integram, & quæcunque illis stipendiorum juxta consuetudinem debentur, pro qualitate temporis sunt ministranda. De quibus si querela procedat, officium agens recurrat ad Synodum.

20. Si quis clericorum circa se districtionem Episcopi sui putat injustam, juxta antiquas constitutiones recurrat ad Synodum.

11. q. 1. Si qui cler. 21. Si qui clericorum (ut nuper in multis locis per superbiam, diabolo instigante, actum fuisse perpatuit) rebelli authoritate se in unum conjuratione intercedente collegerint, & aut Sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus hæc præsumptio prævaleat, sed res detecta, cùm in Synodum ventum fuerit, in præsumptores juxta personarum, & ordinum qualitatem à pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, vindicetur. Quia sicut charitas ex præceptis Dominicis corde, non chartulæ conscriptione est, vel conjurationibus exhibenda, ita quod supra sacras admittitur scripturas, authoritate, & districtione pontificali est reprimendum.

22. Si quis Sacerdos res Ecclesiæ debitas, vel proprias horrenda cupiditate occupaverit, retinuerit, aut à potestate ex competitione perceperit, si eas non restituerit, nullis rebus excusetur. Sed & si agnito jure Ecclesiastico, non statim Ecclesiæ, vel sacerdoti reformaverit, ut ipsum jus agnoscere possit, & in judicium electorum venire distulerit, tamdiu à communione Ecclesiastica suspendatur, quamdiu restitutis rebus tàm Ecclesiam, quàm sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam de his, qui obligationes defunctorum legaliter dimissas, quolibet ordine assignare tardaverint, vel detinere præsumpserint, districtionis Ecclesiasticæ juxta priores canones forma servetur. Cui etiam sententiæ subjacebit, quisquis ille quolibet ordine, quod pro devotione sua Ecclesiis dedit, revocare præsumpserit.

23. Abbatibus, Presbyteris, cæterisque ministris de rebus Ecclesiasticis, vel sacro ministerio alienare, vel obligare absque permissu, & subscriptione Episcopi sui nil liceat. Quod qui præsumpserit, degradetur, communione concessa. Et quod præsumptum, vel alienatum, vel temerè ordinatum est, ordinationi Episcopi revocetur. 12. q. Abb.

24. De pœnitentium conversione, ut ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat. Certè conjugatis, nisi ex consensu pari, ætate jam plena, eam dare non audeat. Aut si quis pœnitentiæ benedictione suscepta, ad sæcularem habitum, militiamque reverti præsumpserit, excommunicatione plectatur, viatico concesso ad exitum.

25. Ut nullus servilibus, colonariisque conditionibus obligatus, juxta statuta sedis Apostolicæ, ad honores Ecclesiasticos remittatur, nisi prius aut testamento, aut per tabulas eum legitimè constiterit absolutum. Quod si quis Episcoporum ejus, qui ordinatur, conditionem sciens, transgredi per ordinationem indebitam fortasse voluerit, anni spatio Missas facere non præsumat.

27. Ut clericus à Diaconatu & supra pecuniam non commodet ad usuras, ne de præstitis beneficiis quicquam amplius, quàm datur, speret. Nec ut in exercendis negotiis turpis lucri cupiditate versetur, sicut publici negotiatores, qui ad populares pensum observant, aut sub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quod si quis adversus hæc statuta venire præsumpserit, communione concessa, ab ordine degradetur.

27. Quia persuasum est populis, die Dominico cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerare non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem nullatenus exercere (quæ res, quia ad Judæam magis, quàm ad observantiam Christianam pertinere probatur) id statuimus die Dominico, quod ante fieri licuit, licere: de opere tamen rurali, idest, agricultura, vel vinea, vel sectione, vel messione, excussione, vel exacto sæpè censuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam venientes orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendare debeant, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.

28. De Missis nullus laicorum ante discedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur. Sacrificia verò Matutina, Missarum, sive vespertinarum, ne quis cum armis

mis pertinentibus ad bellorum usum expetat. Quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat, qualiter ejus districtione debeat castigari.

28. Quia Deo propitio sub Catholicorum regum dominatione vivimus, Judæi à die Cœnæ Domini usque in secundam Sabbati in Pascha, hoc est, ipso quatriduo procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacunque occasione miscere præsumant.

30. Judex civitatis, vel loci, si hæreticum, aut Bonosiacum, vel cujuslibet alterius hæresis sacerdotem, vel quamcunque personam de Catholicis rebaptizasse cognoverit, quia reges nos constat habere catholicos, non statim rebaptizantes adstrinxerit, & ad regis fidem propterea distringendos adduxerit, annuali excommunicationi subdatur.

Nota. Bonosiaci hæretici, aliàs dicti *Monotelitæ*, Christum Filium Dei adoptivum non naturalem dicebant. De quibus Prateolus verbo Bonosiaci, & Baronius ann. 389. hæresis pessima sæpe rediviva, ut nunc etiam per Socinianos in Hollandia, & alibi.

qu. 1. eu. n dec. stola rcelli æ. 31. Clericus cujuslibet gradus sine Pontificis sui permissu nullum ad sæculare judicium præsumat attrahere. Neque laico, inconsulto sacerdote, clerum in sæculare judicium liceat exhibere.

32. Quocirca hæc, quæ, inspirante Deo, communi consensu placuerunt, si quis antistitum, vel eorum, quos Spiritus Dei esse voluerit successores, relicta observationis integritate, custodire, & implere neglexerit, reum se divinitatis, pariter & fraternitatis judicio futurum esse cognoscat. Quia & canones suos nec ignorare quemquam, nec dissimulare, id est præterire, permittitur.

il. tc. Interseritur hìc Concilium Provinciæ Bizacenæ in Africa, an. 541. in quo missa est legatio ad Justinianum Imperatorem, nec aliud de eo reperitur.

Concilium Arvernense tempore Agapiti Papæ, post consulatum Paulini junioris, an. Christi 541. sub Theodeberto Rege.

Arverni, seu potius Averni, aut Alverni, populi Galliæ in Aquitania, qui à Trojanis oriundi audebant se appellare Romanorum fratres, adversus quos etiam varia bella gesserunt. De his Strabo lib. 4. Plinius lib. 4. cap. 16. Vulgo oppidum hujus gentis Alebret dicitur, aut Joverius.

Capitula Arvernensis Synodi.

Apud Ecclesiam Arvernam sub die sexto Iduum Novembris post consulatum Paulini junioris, cum in Dei nomine, congregante sancto Spiritu, consentiente Domino glorioso, pioque rege Theodeberto in Arvernam urbem sancta Synodus convenisset, ibique flexis in terra genibus pro rege, pro ejus regno, & longævitate, & pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regno ejus Dominus noster felicitatem tribueret, imperium regeret, & in justitia gubernaret, in Ecclesia ex more consedimus. Inspectisque canonibus, id nobis rationabile visum est, ut quamvis Ecclesiasticæ regulæ pene omnia comprehendant, quædam tamen vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua.

dec. m. l. 4. 1. In primis placuit, ut quotiens secundum statuta Patrum sancta synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, ad serenitatem regulæ, ad animæ remedium pertinent, finiantur.

2. Placuit etiam, ut sacrum quis Pontificii honorem non votis quærat, sed meritis: nec divinum videatur munus comparare rebus, sed moribus: atque eminentissimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum favore. Sit in eligendis sacerdotibus cura præcipua, quia irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis. Diligenter itaque quisque inspiciat prædium Dominici gregis, ut sciat, quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Episcopatum ergo desiderans, electione clericorum, vel civium, consensu etiam metropolitani ejusdem provinciæ pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola, ad conscribendum decretum alius hortetur præmiis, alius timore compellat. Quod si quis fecerit, Ecclesiæ, cui indignus præesse cupit, communione privabitur.

3. Observandum, ne pallis, vel ministeriis divinis defunctorum corpuscula obvolvantur, & ne à potentibus sæculi clerici contra Episcopos suos ullo modo erigantur.

4. Qui regulam Ecclesiæ petunt à regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.

5. De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris, nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur, quia sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.

6. Si quis Judaicæ pravitati, jugali societate conjungitur, & seu Christiana Judæo, sive Judæus Christianæ mulieri consortio misceatur carnali, quicunque horum tantum nefas admisisse dignoscitur, à Christianorum cœtu, atque convivio, & à communione Ecclesiæ, cujus sociatur hostibus, segregetur.

7. Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur, ne dum improborum contactu, pompaque sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri mysterii videantur indigna.

8. Ne Judæi Christianis populis judices præponantur.

9. Ne parochiam cujuslibet Episcopi alterius civitatis Episcopus canonum temerator invadat, & vesanæ cupiditatis facibus inflammatus, suis quoquo modo non contentus, rapiat alienam.

10. Ne ullus Episcopus alterius clericum contra voluntatem Episcopi sui suscipere audeat, aut sacerdotio prærogare. Id est promovere.

11. Si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinamve relictam, id est, patrui, vel avunculi, carnalis contagii macula crediderit violandam, & usu sacrilego, authoritatem divinæ legis, ac jura naturæ præruperit, & cui charitatis, ac pii affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis, ac pudicitiæ expugnator, vim inferre tentaverit, Apostolicæ constitutionis sententia feriatur: & quandiù in tanto versatur scelere, Christiano cœtu, atque convivio, & Ecclesiæ communione privabitur.

12. Cum Presbyteri, atque Diaconi sublimi dignitatis apice prærogentur, actibusque omnino sæculi renuncient, & ad sacrum ministerium electi, repudient; & quisquis est Presbyter, atque Diaconus divino munere benedictione percepta, uxoris suæ prius frater illicò efficiatur, & conjugis. Attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abjecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, & inhibita rursus conjugia, repetisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotii violasse, quod nati etiam filii prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum (quam admisso jam crimine perdidit) dignitate privabitur.

13. Si quis cujuscunque Ecclesiæ munuscula qualibet, qualibet sub Sacramenti scriptura collata nefaria calliditate fraudaverit, invaserit, retinere tentaverit, atque suppresserit, & non statim, à sacerdote commonitus, collata reddiderit, ab Ecclesiæ Catholicæ communione pellatur.

14. Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque

Burch.li.2. cap. 23. in civitate, neque in parochiis, canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in oratorio sancto deserviens, celebret divina mysteria: festivitates præcipuas Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt festivitates reliquæ, nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in civitate teneat. Quicunque sunt etiam cives natu majores, pari modo in urbibus ad Pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant. Quod si qui improba temeritate contempserint, eisdem festivitatibus, quibus in civitatibus adesse despiciunt, communione pellantur. A

Episcopi sunt Curati.

15. Episcopus, Presbyter, atque Diaconus, tàm sancta conscientia resplendeant, ut effugiant probitate actuum maledicorum obloquia, & testimonium in se divinum implere contendant, quo Dominus ait: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

B 16. Igitur authoritate canonica, aliqua mensura in ea constitutione sanximus, ut fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantum cum avia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas compulerit, habitent. De quibus omnibus (ut priorum canonum series continet) nefas est, aliud, quàm natura constituit, suspicari. In cubiculo etiam horum, atque cellario, vel familiari quolibet servitio, neque sanctimonialis ulla, neque extranea mulier, neque ancilla ullo modo admittatur. Quod si quis præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, sciat se authoritate canonica communionis sine dubio jacturam subire. Quod si antistes culpam hanc in Presbytero, aut Diacono suo distringere canonico rigore noluerit, ipse severitate sententiæ, vel severitatis sententia feriatur.

C *Subscripserunt huic Concilio Honoratus Episcopus Ecclesiæ Bituricæ, Gallus Episc. Ecclesiæ Arvernicæ cum aliis tredecim Episc. inter quos est Domitianus Episc. Ecclesiæ Coloniensis.*

CAPITA QUÆDAM EJUSDEM CONCILII ex vetusto Codice.

Ut Presbyteri plebes suas admoneant, quod hospitales sint.

Placuit, ut Presbyteri suas plebes admoneant, ut hospitales sint, & nulli iter facienti mansionem denegent. Et, ut omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possint. Quod si carius vendere voluerint, ad Presbyterum transeuntes hoc referant, & illius jussu cum humanitate eis vendant. D

1. *De possessione triginta annorum, ne repetatur.*

Burch. l. 1, cap. 67. Quicunque Episcopus alterius Episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra, extra verò nullo modo: ne dum diœcesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

2. *Ut in vita Episcopi alius non superponatur.*

Burch. l. 1. cap. 186. Ut nullus vivente Episcopo alius superponatur, aut superordinetur Episcopus, nisi forsitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit. E

3. De Presbyteris, qui de crimine fornicationis, sive aliquo capitali flagitio accusantur, & non habent collegas, cum quibus se expurgare possint, aut si fortè lapsi fuerint, quomodo satisfaciant, in quorum judicio neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est, sed recta via gradiendum est. In Concilio namque Neocæsariensi scriptum est: Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

4. *Quod licitum sit Episcopis cum consilio Cleri de thesauro Ecclesiæ suæ familiæ succurrere.*

Licitum sit Episcopis præsentibus Presbyteris, & Diaconibus, de thesauro Ecclesiæ, familiæ, & pauperibus ejusdem Ecclesiæ secundum Canonicam institutionem, juxta quod indiguerint, erogare.

CONCILIUM AURELIANENSE IV. *tempore Vigilii Papæ, & tempore Childeberti Regis, anno Christi 545.*

TITULI CAPITULORUM sequentis quarti Concilii.

36 Ut

36. *Ut synodus annis singulis celebretur.*
37. *Ut, quæ statuta sunt, observentur.*

CAPITULA SYNODI *Aurelianensis IV.*

CUm in Aurelianens. urbem unanimiter in Christi nomine sancta adfuisset congregatio sacerdotum, & de his, quæ ad sacrum propositum pertinent, vel quæ secundum Ecclesiasticum ordinem regulari conveniunt disciplinæ (Deo medio) tractare cœpissent, placuit, ut, quę sunt definita secundum antiquam consuetudinem, inviolata monstrentur. Et quo firmius statuta serventur, cum consensu omnium docet adnotata subscriptio.

1. Placuit itaque, ut sanctum Pascha secundum laterculum Victoris, ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur. Quæ festivitas annis singulis ab Episcopo Epiphaniarum die in Ecclesiis denuncietur. De qua solemnitate quoties aliquid dubitatur, inquisita, vel agnita per Metropolitanos, à sede Apostolica sacra constitutio teneatur.

2. Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis ęqualiter teneatur. Neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere. Sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimale jejunium, nisi tantùm die Dominico prandeat. Quod fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquam transgressor disciplinæ à sacerdotibus censeatur.

3. Quisquis de Prioribus civibus Pascha extra civitatem tenere voluerit, sciat sibi à cuncta synodo esse prohibitum. Sed principales festivitates sub præsentia Episcopi teneant, ubi sanctum decet tenere conventum. Tamen si aliquis certa necessitate adstringatur, ut hoc implere non possit, ab Episcopo postulet commeatum. Quod si hoc postulare despexerit, & eumdem locum idem in festivitate præsentibus tenere voluerit, suspendatur.

4. Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum offerre præsumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.

Nota. Binius delet ista verba: *Et hoc sine*. Cùm tamen repugnare videatur ratio ipsius Concilii.

5. Id etiam regulare esse perspeximus decernendum, ut Episcopus in civitate, in qua decreto eligitur ordinandus, in sua Ecclesia, cui præfuturus est, constituatur. Sane si subitò necessitas temporis hoc implere non patitur, licèt melius esset in sua Ecclesia fieri, tamen aut sub præsentia Metropolitani, aut certè cum ejus authoritate intra Provinciam omninò à comprovincialibus ordinetur.

6. Parochiani Clerici à Pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne ipsi vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse.

7. Ut in oratoriis Domini Clericorum nemo contra votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos clericos intromittat, nisi forsitan, quos probatos ibidem districtio Pontificis observare præcepit.

8. De his, qui post baptismi sacramentum ad hæresis lapsum (carne suadente) descendunt, & agnoscentes reatum, ad unitatem fidei Catholicæ venire desiderant, in Episcoporum potestate consistat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quandò, vel qualiter communioni pristinæ reformentur.

9. Ut Episcopus, qui de facultate propria Ecclesię nihil relinquit, de Ecclesiæ facultate, idest, si aliter, quàm canones eloquuntur, obligaverit, vendiderit, aut distraxerit, ad Ecclesiam revocetur. Sanè si de servis Ecclesiæ libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita ut ab officio Ecclesiæ non recedant.

10. Si quis Episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum, ad officium Leviticæ dignitatis, sive Presbyterii contra jus Canonum promovere præsumpserit, sciat, se unius anni spacio ab omni officio sacerdotii esse suspensum. Qui si fortè sententiæ subjacere contempserit, à communione ejus usque in aliam synodum se fraternitas universa suspendat: illi verò, qui illicitè promoti sunt, degradentur.

11. Si quid Abbatibus, aut sacris Monasteriis, aut Parochiis pro Dei contemplatione oblatum fuerit, in sua proprietate hoc Abbates, vel Presbyteri minimè revocabunt, nec alienari à cunctis fratribus debet quacùnque occasione. Quibus si fuerit necessarium, ut statuta convellant, non aliter valeat, nisi fuerit sui Episcopi subscriptione firmatum.

12. Si inter Episcopos de rebus terrenis, aut possessionibus, sub repetitione, aut retentionis titulo nascatur contentio, impleto anni spacio, pro studio charitas, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epistolas fratrum affectuosè admoniti, aut inter se, aut in præsentia judicum negocium sanare festinent. Quod si distulerint, donec ipsa causatio abrogetur, à charitate fratrum, qui distulerit, habeatur extraneus: quia injustum est, ut, qui cunctis præsunt, inter se quacunque occasione dissentiant.

13. Si quis judicum clericos de quolibet corpore venientes, atque altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula Ecclesiæ tenentur inscripta, publicis actionibus applicare præsumpserit, si à sacerdote admonitus emendare noluerit, agnoscat se pacem Ecclesiæ non habere. Similiter & ad ullam administrationem Pontificis Presbyteros, atque Diaconos ideo excausatos esse decrevimus, quia quod lex sæculi etiam paganis sacerdotibus, & ministris ante præstiterat, justum est, ut erga Christianos specialiter conservetur.

14. Quæcunque Ecclesiis à Pontificibus sub competenti, ac justo documento fuerint derelicta, ab hæredibus legitimis, dignum est, ut pro Dei contemplatione serventur.

15. Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata dęmonibus sumenda, tanquam ad vomitum revertitur, si commonitus noluerit ex hac prævaricatione se revocare, à communione Catholica pro emendatione sacrilegii suspendatur.

16. Si quis Christianus (ut est gentilium consuetudo) apud cujuscunque feræ, vel pecudis exta invocatis insuper nominibus paganorum fortasse juraverit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à consortio fidelium, vel Ecclesiæ communione pellatur.

17. Ut sacerdotes, sive Diaconi cum conjugibus suis non habeant communem lectum, nec cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur. Quod si fecerint, juxta priscos Canones ab officio degradentur. *Castitas Sacerdotum.*

18. Ut quicunque clericus aliquid de jure Ecclesiastico, seu verbo, seu per scripturam acceperit ad utendum, & postmodum alienare quacunque occasione voluerit, non valebit, quia secundum Canonum instituta, proprietatem Ecclesiæ non violat in alios quamlibet longa possessio. Sed in Pontificis potestate consistat, qualiter pro conservando jure Ecclesiastico rem possessam inter Clericos debeat communicare.

19. Quicunque pro devotione sua oblationis studio aliquid in campellis, vel in vineolis etiam absque scriptura probatur Ecclesiæ contulisse, si postmodum ipse, vel hæredes ejus quacunque occasione auferre à jure hoc Ecclesiæ, vel alienare voluerint, quoadusque à tali intentione discedant, aut pervasa restituant, aut certe à communione Ecclesiastica suspendantur.

20. Ut nullus sæcularium personarum, prætermisso Pontifice, seu præposito Ecclesiæ, quenquam Clericorum

rum pro sua potestate constringere, & discutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus si pro causæ appetitione cujuscunq; fuerit ab Ecclesiastico ordine commonitus, se ad audientiam spondeat affuturum, & respondere nulla calliditate dissimulet, sed quæcunque causatio quoties inter clericum, & sæcularem vertitur, absque Presbytero, aut Archidiacono, vel si quis esse præpositus Ecclesiæ dignoscitur, judex publicus audire negotium non præsumat. Sanè si causam habentibus placuerit ire ad judicium fori ex voluntate communi, permittente præposito Ecclesiæ, Clerico licentia tribuatur.

21. Si quis necessitatis impulsu ad Ecclesiæ septa confugerit, & sacerdote, vel præposito Ecclesiæ prætermisso, atque contempto, eum quisque de locis sacris, vel altaris, seu vi, seu dolo abstrahere, aut sollicitare fortè præsumpserit, ut inimicus Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur, quousque juxta Pontificis districtionem digna pro indicta pœnitentia emendatio subsequatur, eo tamen, qui abstractus est, priùs Ecclesiæ restituto.

22. Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium (quod contra parentum voluntatem piam copulatur) velut captivitas judicetur: sed si quid est prohibitum, abnuatur. Si quis perpetraverit, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur. Item servo sæculari sacerdotum prædas, vel captivitates exercere non liceat, quia justum est, ut quorum Domini redemptionis debent præstare suffragium, per servorum suorum excessum disciplina Ecclesiastica non maculetur.

Nota. Binius duos canones hìc distinctos habet, ut sit 23. Item servo, &c.

23. Quæcunque mancipia sub specie conjugii ad Ecclesiæ confugerint septa, ut per hoc credant posse fieri conjugia, minimè eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio à Clericis defensetur, quia probatum est, ut sine legitima traditione conjuncti, pro religionis ordine, statuto tempore ab Ecclesiæ communione suspendantur, ne in sanctis locis tali coitu misceantur. De qua re decernimus, ut parentibus, aut propriis Dominis (prout ratio poscit) personarum accepta fide restituti sub separationis promissione reddantur. Postmodum tamen à parentibus, atque Dominis libertate concessa, si voluerint, eos propria voluntate conjungant.

24. Si quis clericus, aut laicus sub potentum nomine, atque patrocinio, res ad Ecclesiam pertinentes, contempto Pontifice, petere, seu possidere præsumpserit, primùm admoneatur, quæ abstulit, civiliter reformare, aut certè judicium sacerdotis, seu judicis operiri, ut poscit sacra religio. Quod si in perversionis pertinacia subsistit, tandiu ab Ecclesiæ liminibus arceatur, donec cum satisfactione justissima pervasa, aut occupata restituat.

25. Si quæ Parochiæ in potentatuum domibus constitutæ sunt, ubi observantes clerici ab Archidiacono civitatis admoniti secundum qualitates ordinis sui, fortasse quod Ecclesiæ debent, sub specie Domini domus implere neglexerint, corrigantur secundum Ecclesiasticam disciplinam. Et si ab agentibus potentum, vel ipsis rei Dominis de agendo officio Ecclesiæ ab aliquo prohibentur, authores nequitiæ à sacris ceremoniis arceantur, donec subsequuta emendatione, in pace Ecclesiastica sacris ceremoniis misceantur.

26 De incestis conjunctionibus id statuimus observandum, ut si quis post Synodum Aurelianensem antè hoc triennium constituta illicita tori jura præsumpserit, circa eum secundum statuta Epaonensium Canonum à sacerdotibus Ecclesiæ severitas retineatur.

Aurel. 3. c. 10 Epaonens. c. 30.

27. Quisquis homicidium voluntate commiserit, itaut occidere audeat innocentem, si à principibus, aut parentibus quacunque re se reddiderit absolutum, modus pœnitentiæ distringendi in sacerdotis potestate consistat.

28. Si quæ mulieres fuerint prolapsæ in adulterium cum Clericis, districtione adhibita, mulieres ipsæ, prout sacerdoti visum fuerit, districtioni subjaceant, & à civitatibus, ut sacerdos præceperit, propellantur.

29. Cùm prioribus Canonibus jam fuerit definitum, ut de mancipiis Christianis, quæ apud Judæos sunt, si ad Ecclesiam confugerint, & redimi se postulaverint, etiamsi ad quoscunque Christianos refugerint, & servire Judæis noluerint, taxato, & oblato à fidelibus justo pretio, ab eorum Dominio liberentur; ibidem statuimus, ut tàm justa constitutio ab omnibus Catholicis observetur.

30. Hoc etiam decernimus observandum, ut si quicumque Judæus proselytum (qui advena dicitur) Judæum facere præsumpserit, aut Christianum factum, ad Judaicam superstitionem adducere, vel si Judæus Christianam ancillam suam sibi crediderit sociandam, vel si de parentibus Christianis natum, Judæum sub promissione fecerit libertatis, mancipiorum amissione mulctetur. Ille verò, qui de Christianis natus Judæus factus est, si sub conditione fuerit manumissus, ut in ritu Judaico permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit, quia injustum est, ut ei libertas maneat, qui de Christianis parentibus veniens, Judaicis vult cultibus adhærere.

31. De genere servili id decrevimus observandum, ut descendens inde posteritas ubicumq; quamvis post longa spatia temporum, reperiatur in loco, cui authores ejus constat fuisse deputatos, studio sacerdotis, in ea, quæ constituta est à devotis, conditione permaneat. Cui præcepto si quis sæcularium humanæ cupiditatis impulsu crediderit obviandos, quousque se corrigat, ab Ecclesia suspendatur.

32. Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere diœcesim, primùm & terras eis disponat sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.

33. Quisquis agellum Ecclesiæ in die vitæ suæ, à quocunque sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcunque ibi profecerint, alienandi nullam habeat potestatem, nec ibi parentes sui ex ea re aliquid existiment vindicandum.

34. De substituendo antistite, si fortassis mora extiterit, & voluntate decessoris ante fuerit res reserata, quàm successor accedit Ecclesiæ, non impediat successorem. Si quispiam Clericorum aliquid de facultate illa præsumpserit, in potestate sit advenientis Episcopi, utrum sua debeat voluntate adire, an rejicere decessori, nec Ecclesiæ in objecto veniant tempora legibus constituta, dum non extitit persona, quæ de utilitate Ecclesiæ cogitaret.

35. Si quis Episcopus alterius Ecclesiæ Clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donaverit, post ejus obitum, qui acceperit, ad Ecclesiæ jus, de cujus facultate discesserat, revertatur, quia iniquum est, ut sub hac specie damnum Ecclesia, quæ multis subvenit, patiatur.

36. Placuit præterea, ut cuncti Metropolitani de Comprovincialibus suis in Provincia sua annis singulis Synodum debeant congregare, ut dum in unum se fraternitas jungit, semper & censura teneatur, & charitas.

37. Quapropter (auxiliante Domino) quæ Synodus sancta constituit, decernimus, ut à cunctis fratribus hæc definitio sancta conservetur. Quod si quisque salubriter perspicit instituta indecenter transgredi, quacunque occasione tentaverit, noverit se Deo, & cunctæ fraternitati culpabilem esse futurum: quia justum est, per unitatem antistitum, ut Ecclesiastica fulgeat disciplina, & inconvulsa maneat constitutio sacerdotum.

Subscripserunt Episcopi 13.

Sy-

Synodus Constantinopolit. triginta Episcoporum, in qua Vigilius Papa decrevit, sententiam de trium Capitulorum damnatione, usque ad Universale, & Oecumenicum Concil. suspendendam esse, anno 547. habita.

Cum Oriens, & Africana Ecclesia horrendis dissidiis scinderentur factione Eutychianorum, Nestorianorum, & Acephalorum, occasione cujusdam libelli de tribus capitulis, quæ exposita sunt 2. Classe in præludiis quintæ Synodi: ac Justinianus Imperator, proverbii immemor, *Ne sutor ultra crepidam*, suggestione Theodori Cæsariensis, non rectè de iis definiret in præjudicium Concilii Chalcedonensis, itaut inde magis excresceret dissensio, Papa Vigilius qui tùm in Regia urbe Constant. degebat, Synodum hanc habuit, in qua ad vitandum impendens schisma, controversiarum decisionem distulit ad universalis Concilii Conventum, suspendens interim sententias omnes excommunicationis, ut sicut tempore fœderis commercia habentur, sic concederetur communio tàm impugnatoribus, quàm defensoribus trium capitulorum, relicto unoquoque suæ conscientiæ. Quod Vigilii Judicium alii laudarunt, alii vituperarunt. Vide, quæ diximus in quinta synodo, ut eadem multoties non repetamus.

Sunt autem tria capitula: fides Theodori Mopsuesteni Episcopi: Epistola Ibæ ad Marim Persam: & scripta Theodoreti Cyrensis Episc. adversus XII. Anathematismos Cyrilli. Occasione verò hujus decreti idem quæri posset de multis aliis articulis, an Papa posset suspendere anathemata, relicto unoquoque suæ conscientiæ in iis, sine quibus pietas Christiana, & cultus divinus, ac præceptorum divinorum observantia posset subsistere, ut quidam putant de processione Spiritus sancti à Filio, de Transubstantiatione, & pluribus aliis: sic enim Clemens VIII. suspensa excommunicatione in controversia de auxiliis initio sæculi XVII. videtur pacem sustentasse in Ecclesia: vide dicta in controversiis Concilii Tridentini. Res est certè gravissima ob querelas hæreticorum de multitudine anathematum, per quæ multi separantur ab Ecclesia Romana.

Concil. Aurelianense V. tempore Vigilii Papæ, & Childeberti Regis, anno Christi 549. Episc. 50. præsidente Sacerdote Lugdunensi Metrop.

TITULI CAPITULORUM
Aurelianensis Concilii V.

1 *Dogmata Eutychis, vel Nestorii damnanda.*
2 *Neminem à sacerdote de levibus causis damnandum.*
3 *De extranearum mulierum familiaritate.*
4 *Si post acceptam benedictionem incontinens invenitur.*
5 *Nullus Clericum alienum recipere, vel promovere sine epistola Pontificis sui præsumat.*
6 *Servum alienum Clericum non ordinandum.*
7 *De manumissis.*
8 *Pontifice mortuo nullus in civitatem, aut per Parochias ordinare Clericos, aut altaria audeat consecrare.*
9 *Nullus ex laicis ante annuam conversationem Episcopus ordinetur.*
10 *Nulli Episcopatum pretio liceat comparare.*
11 *Nullus invitus ordinetur Episcopus.*
12 *Nullus vivente Episcopo, præter culpabilem, alius superior ordinetur.*
13 *Qui facultates Ecclesiæ substraxerit, alienaverit, vel retinuerit, puniatur.*
14 *Episcopus, vel quicunque res Ecclesiæ cujuscunque regni, vel loci non occupet.*

A 15 *De eo, quod ex Xenodochiis collatum fuerit.*
16 *Qui Ecclesiæ oblata auferre præsumpserit.*
17 *Ecclesiæ causæ qualiter, & per quos finiantur.*
18 *Vocati Comprovinciales à Metropolitano ad Concilium venire teneantur.*
19 *De oblatione puellarum in Monasteriis.*
20 *Incarcerati Dominicis diebus ab Ecclesiæ prepositis visitentur.*
21 *De solicitudine infirmorum, vel sustentatione.*
22 *De annua annunciatione Concilii.*
23 *De his, qui ad Ecclesiam confugerunt.*

CAPITULA AURELIANENSIS
Concilii V.

B Ad divinam gratiam referendum est, cum vota principum concordant animis sacerdotum, ut, dum fit Pontificale Concilium, normam vivendi teneat recapitulatio antiqua canonum, ut locus, & tempus est in quibuscunque titulis veteribus adhærens nova constitutio sanctionum. Igitur clementissimus princeps, triumphorum titulis invictissimus, Dominus Childebertus, cum pro amore sacræ fidei studio religionis in Aurelianensium urbem congregasset in unum dominos sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire, quod sacrum est, & quod pro Ecclesiastico ordine authoritate promoveretur pastorali, & quod advenientibus sit norma, & præsentibus sit disciplina, atque conveniens à præsenti tempore in posterum custodiri (præstante Deo) signanter est titulis prænotatum.

C 1. Primum itaque nefariam sectam, quam author malè sibi conscius, & à vivo sanctæ fidei Catholicæ fonte discedens, sacrilegus quondam condidit Eutyches, vel si qua à venefico similiter impio sunt prolata Nestorio, quas etiam sectas sedes Apostolica sancta condemnat, similiter & nos easdem cum suis authoribus, & sectatoribus execrantes, præsentis constitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus Apostolicum fidei ordinem in Christi nomine prædicantes. *Eutyches, & Nestorius damnantur.*

2. Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, & levibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab ecclesia arceri jusserunt committentes. *Causa excommunic. non sit levis.*

3. Ut nullus Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat. Quod etiam D de propinquis fœminis indicentes, similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia parentali, ex earum sequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur. Quod si Episcopus nunc vetitis uti sub quadam præsumptione voluerit, anno uno à metropolitano, vel à comprovincialibus suis ab officio suspendatur. Clerici verò à propriis episcopis, modo, qui scriptus est, corrigantur.

4. Si quis clericus post acceptam benedictionem cujuslibet loci, vel ordinis ad conjugalem torum, jam sibi illicitum, denuò redire præsumpserit, usque in diem vitæ ab honore accepti ordinis (sicut habent antiquorum Patrum canones) ab officio deponatur, ei tantùmmodo communione concessa. *Cælibat.*

5. Ut nullus clericum, seu lectorem alienum sine sui concessione episcopi vel promovere, vel sibi quibusE libet conditionibus audeat vendicare. Quòd si quis hanc constitutionem fuerit quacunque præsumptione transgressus, memoratæ personæ ab eo, cui sunt debitæ seu ecclesiastico jure, seu proprio revocatæ, quia illicita vacatione discesserant, & ab honore, vel officio suscepto, juxta arbitrium sui Pontificis, suspendantur. Episcopus verò, qui ordinaverit, sex mensibus Missas facere non præsumat. *Clerici propriis Episc. subditi.*

6. Ut servum, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, aut etiam jam libertum, nullus episcoporum absque ejus voluntate tantum, cujus servus est, & eum absolvisse dignoscitur, clericum au-

deat ordinare. Quod si quisquam fecerit, qui ordinatus est, à Domino revocetur: & ille collator ordinis, si sciens fecisse probatur, sex mensibus Missas tantùm facere non presumat. Si verò secularium servus esse cognoscitur, qui ordinatus est, benedictione servata, honestum in ordine Domino suo impendat obsequium. Quod si sæcularis Dominus amplius eum voluerit inclinare, ut sacro ordini inferre injuriam videatur, duos servos (sicut antiqui canones habent) Episcopus, qui eum ordinavit, Domino sæculari restituat, & Episcopus eum, quem ordinavit, ad Ecclesiam suam revocandi habeat potestatem.

7. Et quia plurimorum suggestione comperimus, eos, qui in Ecclesiis juxta consuetudinem à servitio fuerint absoluti, pro libito quorumcunque iterum ad servitium revocari, impium esse tractavimus, ut quod in Ecclesia Dei consideratione à vinculo servitutis absolvitur, irritum habeatur. Ideo pietatis causa communi consilio placuit observandum, ut quęcunque mancipia ab ingenuis dominis servitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc à dominis perceperunt. Hujusmodi quoque libertas, si à quocunque pulsata fuerit, cum justitia ab Ecclesiis defendatur, præter eas culpas, pro quibus leges collatas servis revocare jusserunt libertates.

8. Ut in civitate, ubi Pontifex jure humanæ conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem deputati per ordinem successoris, aut in civitate, aut per parochias ordinare clericos, aut altaria audeat consecrare, vel quicquam de rebus Ecclesiæ preter humanitatem presumat auferre. Quod si quisquam temerario ausu statuta transcenderit, conventus ab instituto pontifice, verecundię suę consulens, sine dilatione oblata restituat. Si verò suę voluntatis arbitrio, vel quorumcunque precibus actus, quamcunque personam promovere, aut contra interdictum ire præsumpserit, anno integro Missas facere non presumat.

9. Nullus ex laicis absque annua conversatione premissa Episcop. ordinetur, ita ut intra anni ipsius spatium, à doctis, & probatis viris, disciplinis, & regulis spiritualibus plenius instruatur. Quod si hoc quisquam Episcoporum transcendere quacunque conditione presumpserit, anno integro ab officio, vel charitate fratrum habeatur extraneus.

10. Ut nullum Episcopatum per præmia, aut comparatione liceat adipisci, sed voluntate regis juxta electionem clerici, ac plebis (sicut in antiquis canonibus continetur scriptum) consensu cleri, ac plebis, à metropolitano, vel quem vice sua permiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur. Quod si quis hanc regulam hujus sanctæ constitutionis per coemptionem excesserit, eum, qui per præmia ordinatus fuerit, statuimus removendum.

11. Item (juxta quod antiqui canones decreverunt) nullus invitus detur Episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum, ad consensum faciendum cives, aut cleri (quod dici nefas est) inclinentur. Quod si factum fuerit, ipse Episcopus, qui magis per violentiam, quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto pontificatus honore in perpetuum deponatur.

12. Nullus viventi Episcopo alius superponatur, aut superordinetur Episcopus, nisi forsitan in ejus loco, quem culpa capitalis dejecerit.

13. Ne cui liceat res, vel facultates Ecclesiæ, aut monasteriis, vel Xenodochiis pro quacumque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quisquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum sententiis constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea, quæ sunt ablata, vel retenta, reddantur.

14. Ut nullus Episcoporum, aut cujuslibet ordinis Clericus, vel alia quacunque persona, quibuslibet conditionibus, seu in uno regno, seu in alio positus, alterius cujuscunque Ecclesiæ res, aut petat, aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tamdiu habeatur à communione altaris, vel omnium fratrum, ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi Ecclesiæ * cujus directo ordine res est ablata, restituatur.

* F est dir din tua

15. De Xenodochiis verò, quod piissimus Rex Childebertus, & conjugalis sua Ultrotho Regina in Lugdunensi urbe (inspirante Domino) condiderunt (institutionis ordinem, vel exscriptionem firmavimus) Visum est nobis pro Dei contemplatione, junctis nobis in unum, permansura authoritate decernere, ut quicquid prefato Xenodochio, aut per supradictorum regum oblationem, aut per quorumcumque fidelium eleemosynam collatum, aut conferendum est, in quibuscunque rebus, atque corporibus nihil exindè ad se quolibet tempore antistes Ecclesiæ Lugdunensis revocet, aut ad jus Ecclesiæ transferat, ut succedentes sibi per temporum ordinem sacerdotes, non solùm de facultate Xenodochii ipsius, aut de consuetudine, vel institutione nihil minuant; sed dent operam, qualiter res, & ipsius stabilitas in nullam partem detrimentum, aut diminutionem aliquam patiatur, providentes ad intuitum retributionis ęternę, ut prępositis semper strenui, ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura ægrotantium, ac numerus, vel exceptio peregrinorum secundum indictam institutionem inviolabili semper instabilitate permaneat. Quod si quis quolibet tempore contra constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine, vel facultate Xenodochii ipsius abstulerit, ut Xenodochium (quod avertat Deus) esse desinat, ut necator pauperum, irrevocabili anathemate feriatur.

16. Quisquis etiam, aut majorum, aut mediocrium personarum, quodcunque muneris, vel facultatis sacerdotibus, aut Ecclesiis, aut quibuslibet locis sanctorum studio mercedis cum justitia pro Dei contemplatione contulerit, & hæc ipsa, quæ à parentibus donata noscuntur, postmodum quis auferre præsumpserit, superiori sententia, ut necator pauperum, communione privetur.

17. Placuit etiam, ut si quæcunque persona contra Episcopum, vel authores Ecclesiæ se proprium crediderit habere negotium, prius ad eam recurrat charitatis studio, ut familiari additione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tunc demum ad Metropolitani audientiam veniatur. De qua rę cum litteras suas Metropolitanus ad Comprovincialem Episcopum dederit, & causa ipsa inter utrosque quacunque occasione amicis mediis non fuerit definita, ut ipsi Metropolitano necessarium sit in eodem negotio iterare scriptum, & secundo admonitus, aut venire distulerit, tunc à charitate Metropolitani sui noverit se esse suspensum, donec ad præsentiam ejus veniens causę ipsius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quod si patuerit, Episcopum ipsum contra justitiam fatigatum, is, qui eum injusta interpellatione pulsavit, anni spatio à communione Ecclesiastica suspendatur. Si verò Metropolitanus à quocunque Comprovinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, ad proximam synodum, quæ constituetur, negotium suum in Concilium licentiam habeat exerendi, & quicquid pro justitia à Comprovincialibus suis statutum fuerit, studeat observare.

18. Etiam hoc decreto decrevimus, ut si quis de Provincialibus Episcopis à Metropolitano suo ad Concilium intra suam Provinciam fuerit evocatus, & præter evidentem infirmitatem ad Concilium venire distulerit, atque de synodali conventu, antequam cuncta conveniant, sine commeatu Concilii ipsius discedere fortasse præsumpserit, sicut est præcedentibus regulis statutum, sex mensibus à Missarum officio suspendatur. Quod si quem à Concilio quæcumque necessitas illata abstulerit, à Metropolitano suo veniam

niam postulans, ad Missarum faciendarum gratiam revocetur.

19. Quæcunq; etiam puellæ, seu propria voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa veste, qua intraverint, permaneant. In his verò Monasteriis, ubi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea, qua intraverint, veste permaneant, & postmodum secundum statuta Monasterii ipsius in loco, quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quæ si deinceps sacra relinquentes loca, propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint, illæ, quæ in domibus propriis tàm puellæ, quàm viduæ, commutatis vestibus convertuntur, cum his, quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur. Sanè si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revocentur.

20. Id etiam miseratione tua condiximus custodiri, ut qui pro quibuscunque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, seu à præposito Ecclesiæ diebus singulis Dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum præceptum divinum misericorditer sublevetur, atque à Pontifice, instituta fideli, & diligenti persona, quæ necessaria provideat, competens victus de dono Ecclesiæ tribuatur.

21. Et licet (propitio Deo) omnium Domini sacerdotum, vel quorumcumque hæc cura posset esse fidelium, ut egentibus necessaria debeant ministrari, specialiter tamen debilibus id pietatis causa convenit, ut unusquisque Episcoporum incolis, quos infirmitatem incurrisse, tàm territorii sui, quàm civitatis agnoverint, de domo Ecclesiæ juxta possibilitatem victui, & vestitui necessaria subministret, ut non eis desit misericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis constringit inopia.

22. His quoque (Deo propitio) constitutis (quod præcipue in omnibus Patrum Conciliis habetur scriptum) congrua diffinitione sancimus, ut intra anni circulum unusquisque Metropolitanus Episcopus, junctis in unum locum comprovincialibus suis, intra provinciam suam studeat habere Concilium, ut aut si qua accesserint, charitatis emendentur studio, aut si pax regalis, vel disciplina in cunctis (Deo adjuvante) permanserit, authore bonorum omnium Deo de charitate, & præsentia gratulentur. Hæc ergo (Deo propitio) constanter, & unanimiter definita servantes, etiam præteritorum statuta Canonum, his decernimus, ut (Christo authore) deinceps inconvulsa universa serventur, manente concorditer, quæ divina inspiratione salubriter in præsenti tempore definita sunt, amodo & habeant vigorem, & custodiant charitatem.

23. De servis verò, qui pro qualibet causa ad Ecclesiæ septa confugerint, id statuimus observandum, ut si quid in antiquis constitutionibus tenetur scriptum, pro concessa culpa, datis à Domino sacramentis, quisquis ille fuerit, egrediatur, de venia jam securus. Enimverò si immemor fidei, Dominus transcendisse convincitur, quod juravit, ut is, qui veniam acceperat, postmodum pro ea culpa, qualicumque supplicio cruciatur, Dominus ille, qui immemor fuit datæ fidei, suspensus sit ab omnium communione. Iterum, si servus pro venia datis sacramentis à Domino, jam securus exire noluerit, ne sub tali contumacia requirens locum fugæ omnino fortasse depereat, egredi nolentem à Domino, eum liceat occupare, ut nullam quasi pro retentione servi quibuslibet modis molestiam, aut calumniam patiatur Ecclesia, fidem tamen Dominus, quam pro concessa venia dedit, nulla temeritate transcendat. Quod si gentilis Dominus fuerit, aut alterius sectæ, qui à conventu Ecclesiæ probatur extraneus, is, qui servum repetit, personam requirat bonæ fidei Christianum, ut spe in persona Domini pro servo præstet sacramentum, quia ipsi possunt servare, quod sacrum est, qui post transgressionem Ecclesiæ metuunt disciplinam.

Subscripserunt Sacerdos Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, Aurelianus Arelatensis, & alii Episcopi omnes 50. & Presbyteri, vel Diacones, qui in loca Episcoporum venerunt 21. Quidam codices addunt duos Canones, unum de indicenda synodo quotannis à Metropolitano, alterum de observatione præteritorum Canonum.

Concil. Constan. tinop. II. Generale V. an. 553. habetur in 2. classe.

Concil. Ierosolymit. in quo quinta Synodus approbata fuit, anno 553. sub Pontif. Vigilii.

Acta hujus Concilii extant, atque summatim describuntur Act. 1. Concilii Nicæni II, his verbis: *Præterea Imperator noster, Dei amantissimus, Acta Synodi* (Quintæ) *Ierosolymam misit, in qua civitate, coacto Episcoporum conventu, quotquot erant Palæstinorum Episcopi, manibus, & pedibus, & ore sententiam & statutum Synodi confirmarunt: nisi quod Alexander Episcopus Abyles contrarium sensit. Quamobrem Episcopatu exutus, Byzantium se recepit, & terræ motu absorptus est, & defossus.* Baron. an. 553. n. 248.

Concil. Aquilejense contra quintam Synodum coactum anno Dom. 553.

Cum Occidentales Episcopi interpretarentur damnationem 3. Capitulorum in quinta Synodo factam, contigisse in odium Chalcedonensis Concilii, facto Concilio Aquilejensi (in locis enim Imperii id per Edictum Justiniani defensores trium Capitulorum persequentis, id non licebat) quintam Synodum respuendam esse decreverunt, seque ab unione Ecclesiæ Catholicæ segregarunt, atque in eodem schismate usque ad tempora Sergii Papæ per annos ferè centum perseverarunt, donec salutaribus beati Sergii Papæ monitis instructi, & ipsi huic cum cæteris Ecclesiis annuere consenserunt. Vide Baronium anno 553. num. 222.

Concil. Parisiense II. sub Pelagio I. in causa Saphoraci Paris. Episc. celebratum, Sapando Arelatensi præside, à Childeberto Rege convocatum, circa annum 555.

Cum in urbem Parisiensem ad invitationem Domini Regis gloriosissimi Childeberti venissemus, & in unum positi, quæ ad Ecclesiasticum ordinem, vel fidei Catholicæ authoritatem pertinent, Christo adjuvante, quæ erant necessaria, tractaremus, & ex hoc magis pro ordinanda Ecclesia memoratæ urbis, & ejus nos ordinatio jugiter admoneret, ut eundem sacerdotem (sicut deflendum est) manifesta siquidem culpa dejecerat, qualiter reparare Dominici gregis Pastor providus debuisset, Pontificalis conventio declararet. Ob hoc in domo Ecclesiæ unanimiter residentes gesta, in qua quondam discussio Saphoraci Episcopi habita fuerat, nobis postulavimus recenseri, quam per ordinem relegentes, cũ venissemus ad locum, ubi ejus confessio de crimine tenebatur, quam præsentibus sanctis, ac venerabilibus viris Episcopis Medovecho, Leubeno, vel Leubachario Abbate, Hilculpho Presbytero, Æterno Archidiacono, necnon & Astricio diacono professus fuerat memoratus quondam Episcopus Saphoracus, ipsos denuo interrogantes, suprascripti professionem nobis denuo ore proprio retulerunt, quod etiam facinus, necnon & Episcopus Ardaricus à memorati Saphoraci ore se etiam veridica assertione audisse perdocuit. Et quia tanti, ac tales viri, quos interfuisse discussioni veridica docet scripta relatio, quæque revera dicta, vel agnita sunt, gestis teneatur scriptorum Sanctorum antistitum, & laudabilium virorum, quos studiosissimè judicasse ostendit conscripta discussio, & tanta eorum discussione unanimiter præbente assensum, placere nobis, quod eum in Monasterio duxerunt, præsentibus etiam decretis

cretis unanimiter profitemur, & quia sine dubio culpas ejus esse capitales, canonum authoritate monstratur, utique confessione propriæ linguæ dejectioni ipse fecit se obnoxium. Igitur tam aperta confessione secundum sententiam Canonum, quæ de hujusmodi transgressione in Aurelianensi synodo nuper habita sunt decreta, à Metropolitano, cui redigendi actio, vel ordinatio de Comprovincialibus ejus Ecclesiæ manet, in memorata urbe scripta serventur, ac regulariter peragantur, ut disciplinæ modus maneat, & qui tanto ordini præsunt, adjuvante Christo, bonæ vitæ authoritate viventes, quem secundum ordinem sacrum possitis ordinare, provideant, ut nec falsa objectio culpe maculet innocentes: & illi, qui inventi, & comprobati in culpa fuerint, in nulla districtione habeantur immunes.

Subscripserunt Sapaudus Arelatensis, Esychius Viennensis cum aliis 25. Episcopis.

Concilium Parisiense III. contra sacrilegos, & ambitiosos tempore Joannis Papæ III. & Childeberti Regis Francorum in Gallia celebratum, circa annum Christi 557.

Causa habiti Concilii talis fuit: Cùm in Gallia inter Childebertum, atque Clotharium Francorum Reges, & fratres germanos, ob divisionem bonorum Theobaldi Regis defuncti, ingens civile bellum (quod prolixè describit Agathias lib. 2.) anno Domini 556. tempore Pelagii primi exortum fuisset; ejusque occasione accidisset, ut non tantùm in adversantium, verum etiam in res Ecclesiæ manus hostiles injicerentur, atque jura, & beneficia Ecclesiæ à Regibus obtinerent illi, qui ea ab Episcopis impetrare non poterant; necessarium erat, ut Galliæ Episcopi, sacro Conventu indicto, avaritiam cum sacrilegio, & ambitione conjunctam coercerent. Interfuerunt Episcopi quindecim: & constituti fuerunt Canones novem virtute pollentes, quibus Regum, eorumque ministrorum, atque aliorum sibi nimium attribuentium, temeritatem usurpatam represserunt: ex quibus non solùm qui illis temporibus vixerunt, sed & Novatores nostri temporis exagitantur. Nominamus autem hoc Concilium *Tertium*, propter Concilium, quod recenter insertum est, supra sub Pontificatu Liberii Papæ. Annum determinatum hujus Concilii incertum putat Sirmundus.

CONCILII PARISIENSIS III.

Præfatiuncula.

Parisiis. Conjuncti in unum (Christo opitulante) * Parisius pro utilitatibus Ecclesiarum, unde non leviter rationem sumus quandoque reddituri, in quantum divina pietas virtutem dare dignata est, tentavimus salubri consideratione prospicere, ne dum periculosa abusione ordinatio superna negligitur, in nobis aliorum crimina vindicentur.

Cap. I. *Nemo res Ecclesiæ aut pervadat, aut competat, aut retineat.*

Itaque placet, &c. In isto cap. agitur contra raptores, & injustos possessores rerum Ecclesiasticarum, & est idem, quod habetur in II. Synodo Turonensi, cap. 18.

Cap. II. *Nemo res Episcopi proprias aut competere, aut confiscare præsumat.*

Et quia Episcoporum res propriæ, Ecclesiarum res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, pervasores rerum memo- A ratarum, Canonum districtione feriantur, ut dum vindicta corrigit, qui non moribus propriis, ac nulla conscientiæ castigatione corripitur, saltem regulæ obtundatur aculeis: perpetuo enim anathemate feriantur, qui res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut pervadere periculosa infestatione præsumpserint.

Cap. III. *Ne Episcopus alterius Episcopi res competat.*

Et quia exempla boni operis à Pontificibus debent primùm (Christo opitulante) procedere, nullus Episcopus res competat alienas, aut si competitas aut à se, aut ab antecessore suo forte quis possedit, Domino proprietatis possessionem propriam, absque prejudicio B liberalitatis Regiæ, integra reformatione restituat: ut quia Deus dona reprobat iniquorum, non ad judicium suum Ecclesiæ res exteras derelinquat.

Cap. IV. *De illicitis, & incestis conjunctionibus.*

Convenit etiam universis fratribus, ut non solùm præsentium rerum actus, sed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita conjugia, contra præceptum Domini, sortiri præsumat, id est, fratris relictam, nec novercam suam, relictamque patrui, vel sororem uxoris suæ sibi audeat sociare, neque avunculi quoque, quæ relicta est, neque nurus sue, vel materteræ conjugio potiatur. Pari etiam conditione à conjugio amitæ, privignæ, ac filiæ privi- C gnæ conjunctionibus præcipimus abstinere.

Cap. V. *De Sanctimonialium raptarum indecenti copula.*

Sacrarum etiam virginum, neque per raptum, neque per competitiones aliqua quisquam conjugia sortiatur. Similiter de earum erit conjunctionibus abstinendum (& hi, qui eas rapere, aut competere voluerint, à communione sunt removendi, quæ vestium commutatione, tàm viduæ, quàm puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione professæ. Quod si contra interdicta quis venerit, & Sacerdotem suum audire neglexerit, & in præsenti à communione Ecclesiæ Catholicæ habeatur extraneus, & perpetuo anathemate feriatur.

D Cap. VI. *Nullus familiam alterius agere competat, aut rapiat.*

Et quia utilium rerum cœpit causa tractari, hoc universitas præcavere quoque debet, tàm Sacerdotes, quàm Principes, omnisque populus, ut nullus res alienas competere à Regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione remotus, anathematis damnatione plectatur.

Cap. VII. *Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.*

E Et quia universis Sacerdotibus ita convenit, ut si quis de eis communione Ecclesiæ pro contemptu Canonum, aut pervasione rerum Ecclesiasticarum, aliquem fortasse suspenderit, à nullo penitus Episcopo recipi præsumatur. Quod si factum fuerit, is, qui eum contra interdicta receperit, & à fratrum suorum erit concordia separatus, & æterni Judicis in futurum (ut confidimus) iracundiam sustinebit.

Cap.

Cap. VIII. *De ordinatione Episcoporum.*

ET quia in aliquibus rebus consuetudo priscà negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam consuetudinem Canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolit. voluntatem, vel Episcoporum comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprovincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur. Quem indebitè ordina- B tum cognoscunt, si quis de comprovincialibus accipere contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate remotus. Nam de actis Ordinationibus Pontificum, ita convenit, ut conjunctus Metropolitanus cum suis comprovincialibus Episcopis, vel quos vicinos Episcopos eligere voluerit, in loco, ubi convenit, juxta antiqua statuta Canonum, omnia communi consilio, & sententia decernantur.

Cap. IX. *De famulatu, & ministerio servorum degenerum.*

DE degeneribus servis, qui sepulchris defunctorū pro qualitate ipsius ministerii deputantur, hoc C placuit observari, ut sub qua ab actoribus fuerint conditione dimissi, & sive heredibus, sive Ecclesiis pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat conservari. Quòd si Ecclesia eos de fisci functionibus in omni parte defenderit, tàm illi, quàm posteri eorum Ecclesiæ defensione in omnibus potiantur, & occursum impendant. Et quia huic definitioni cuncti fratrum interesse minimè potuerunt; hoc omnis congregatio Sacerdotum Christo propitiante decrevit, ut Constitutio presens, à quantis oblata fuerit, subscriptionibus eorum debeat probari, quatenus in hoc, quod ab universis observandum est, universitas debeat consentire.

CONCILIUM BRACHARENSE I. sub Theodomiro Suevorum Rege, anno 563. celebratum, tempore Joannis Papæ III. anno 563.

DUm Justinianus Imperator in Oriente à Catholica fide deficiens, Orthodoxos insequitur, admirabili divina providentia contigit in Occidente, Theodomirum, qui fuerat hæreticus, ad fidem Christianam converti, cujus hortatu Orthodoxi Episcopi congregati, habitis Conciliis, hæreses omnes cum suis auctoribus condemnarunt. Hoc ergo Concilium idem Princeps celebrari curavit anno 3. Regni sui. Ante omnia in eo secundum præscriptum Sedis Apostolicæ damnata est hæresis Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum errores. Fallitur autem hìc Carranza, & alii, dicentes, hoc Concilium tempore Ariamiri Regis, & Honorii Papæ primi congregatum esse. Vide Baronium anno 560. n. 1. item 563.

Proposita contra Priscillianum Capitula hæc sunt.

Caput I.

SI quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non confitetur tres personas unius substantiæ, & virtutis, ac potestatis, sicut Catholica, & Apostolica Ecclesia docet, sed unam tantùm, ac solitariam dicit esse personam, ita ut ipse sit Pater, qui Filius, ipse

A etiam sit Paracletus Spiritus, sicut Sabellius, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

II. Si quis extra sanctam Trinitatem, alia (nescio quæ) Divinitatis nomina introducit, dicens, quod ipsa divinitas sit Trinitas, sicut Gnostici, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

III. Si quis dixit, Filium Dei Dominum nostrum, antequam ex Virgine nasceretur, non fuisse, sicut Paulus Samosatenus, & Photinus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

IV. Si quis Natalem Christi secundum carnem non verè honorat, sed honorare se simulat, jejunans in eodem die, & in Dominico, qui Christum in hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit. *Die Nat. Dom. non jejunat.*

V. Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VI. Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

VII. Si quis dixit, diabolum non fuisse prius Angelum bonum, à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, sed dicit, eum ex tenebris emersisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium, atque substantiam mali, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VIII. Si quis credit, quod aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

IX. Si quis animas, & corpora humana fatali signo credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

X. Si quis duodecim signa, quæ Mathematici observare solent, per singula animæ, vel corporis membra dissipata credunt, & nominibus Patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

XI. Si quis conjugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

D XII. Si quis plasmationem humani corporis, diaboli dixit figmentum esse, & conceptiones in uteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari, propter quod resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIII. Si quis dicit, creationem universæ carnis, non opificium Dei, sed malorum esse Angelorum, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIV. Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in usum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prægustet, sicut Manichæus, & Priscillianus do- E cuerunt, anathema sit.

XV. Si quis Clericorum præter matrem, aut germanam, vel etiam quæ proxima consanguinitate junguntur, alias aliquas quasi adoptivas feminas secum retinent, & cum ipsis habitant, sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit.

XVI. Si quis Quinta Feria Paschali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima post nonam, jejunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia per Missas defunctorum, soluto jejunio, coluit, anathema sit.

XVII. Si quis Scripturas, quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel Tractatus Dictinii (quos ipse Dictinius, antequam converteretur, scripsit sub nomine Patriarcharum, propheta-

rum,

rum, & Apostolorum, & suo errori consona confinxit) legit, & impia eorum figmenta sequitur, aut defendit, anathema sit.

Propositis his Capitulis, & relictis, Patres statuerunt sequentia.

Caput I.

Dist. 12. Placuit. Concil. Tolet. 4. cap. 2.

PLacuit omnibus communi consensu, ut unus, atque idem modus psallendi in Matutinis, vel Vespertinis officiis teneatur, & non diversæ, ac privatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ.

II. Item placuit, ut per solemnium dierum Vigilias, vel Missas, omnes easdem, & non diversas Lectiones in Ecclesia legant.

III. Item placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur; & ut respondeatur à populo: *Et cum Spiritu tuo*, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas permutavit.

Salutatio in Missa.

Nota. *Salutatio hæc Sacerdotalis ad populum antiquissima est, ab Apostolisque fluxit: ejus meminit S. Dionys. Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia, & Petrus Damiani librum inscripsit*, Dominus vobiscum, *qui floruit anno Domini* 1050. *Neque in hoc capite rejicitur Pontificalis, Episcopalisque salutatio*, Pax vobis: *quæ antiquissima etiam est, & solis Episcopis tributa: eaque forma usi sunt S. Jacobus, & Basilius in liturgiis, & D. Ambrosius libro de dignitate Sacerdotali, cap.* 5. *Chrysostomus Homil.* 3. *ad Coloss. sed adversus Priscilliani figmentum, qui usum salutandi in Missa permutavit, decernitur, Episcopum posse uti etiam Sacerdotali salutatione; nam in Missis privatis, & in solemnioribus prima vice Episcopus salutat hac forma*, Pax vobis: *postea dicitur:* Dominus vobiscum: *sicuti Sacerdos: quod Priscillianus negabat affirmans esse*, Pax vobis, *tantum ab Episcopo dicendum semper; à Sacerdote verò*, Dominus vobiscum.

IV. Item placuit, ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ Sedis authoritate suscepit scriptum.

V. Item placut, ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarensis Ecclesia: & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Episcopus scriptum sibi, & directum à Sede beatissimi Apostoli Petri suscepit.

VI. Item placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi primatu, cæteri Episcoporum, secundum suæ Ordinationis tempus, alius alii sedendi deferat locum.

B na Ecclesiæ tip ... [illegible]

VII. Item placuit, ut de rebus Ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones, idest, Episcopi una, alia Clericorum, tertia in recuperatione, vel in luminariis Ecclesiæ: de qua parte, sive Archipresbyter, sive Archidiaconus, illam administrans, Episcopo faciat rationem.

VIII. Item placuit, ut nullus Episcopus Clericum alterius ordinare præsumat, sicut & antiqui Canones statuerunt: nisi forte signata ipsius Episcopi scripta susceperit.

IX. Item placuit, ut quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis, Diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur; de cætero superposito scapulæ (sicut decet) utantur orario.

23. Dist. Non liceat cuilibet.

X. Item placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus sacra Altaris vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

XI. Item placuit, ut Lectores in Ecclesia, in habitu sæculari ornati, non psallant, neque granos Gentili titu dimittant.

Quod Lectores interdicuntur granos dimittere, idem erat, ac ne aures fluentibus, & laxis contegerent capillis; hæ enim promissæ comæ grani sunt Gothorum, ut patet ex Sidonio lib. 1. *Epist.* 2. *quod cum Lectores imitarentur circa Bracaram, eo canone id prohibetur. Notat Sherlogus in c.*5. *Cant. vestig.* 32. *expl. hist. sect.* 1.

Alii putant per granos inaures intelligi gentilium, quos detestatur Synodus, quod in talibus aurium ornamentis deorum insculptæ essent effigies: quare Jacob Gen. c. 35. *inaures abstulit domesticis, & effodit, sed primum est probabilius.* Not

XII. Item placuit, ut extra Psalmos vel Canonicarum Scripturarum novi, & veteris Testamenti, nihil Poeticè compositum in Ecclesia psallatur: sicut & sancti præcipiunt Canones. *Hoc Aug 19. nati impr*

Sic in Concilio Laodicensi cap. 59. *statutum est, ut in Ecclesia non legantur, nisi volumina novi, & veteris Testamenti, nihilque à plebe editum. Et Carthaginensi III. cap.* 23. & 43. Sub nomine divinarum Scripturarum nullæ Preces, vel Orationes legantur, nisi sint in Synodo approbatæ, vel à prudentibus tractatæ. *Milevitano cap.* 12. *legi permittuntur Martyrum passiones, cùm eorum anniversariæ dies celebrantur, & Carthaginensi III. cap.* 47. *Doctorum Orthodoxorum hymni: & Toletano IV. cap.* 13. Not

XIII. Item placuit, ut intra sanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris, vel mulieribus, nisi tantùm Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est.

Sanctuarium, *velum intelligitur, quo distinguebatur locus Altaris, & tegebatur, ne omni populo esset conspicuus: hoc constat ex Gregorio in Epist.* 30. *ad Constantiam Augustam, lib.* 3. *Vocatur & brandeum; ex quo, cùm à Sancto Leone Papa forcipibus incideretur, sanguis effluxit; alibi appellatur* velamen. Not

Pro illis verbis, Antiquis Canonibus, *sciendum, quod Sacerdotibus, & Levitis dabatur communio ante Altare: Clero in Choro: populo extra Chorum. Id constat ex Concilio Toletano IV. cap.*18. *Hinc à locorum divisione vocatur laica communio, & peregrina, & Sacerdotalis, de qua re in Concilio Laodicensi, cap.* 19. *sic legitur:* Solis autem ministris Altaris liceat ingredi ad Altare, & ibidem communicare. *Locu cum nion*

XIV. Item placuit, ut quicumque in Clero cibo carnium non utuntur; pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tantùm prægustare cogantur. Quod si contempserint, secundum quod de his talibus sancti Patres antiquitus statuerunt, necesse est, eos pro suspicione heresis hujus, officio excommunicatos, omnibus modis removeri. *Susp here tand*

XV. Item placuit, ut hi, qui pro hæresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præsumat, sicut & antiqua Canonum continent statuta; quæ si quis spernit, voluntariè seipsum damnationi tradet.

XVI. Item placuit, ut hi, qui sibiipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpaverunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

XVII. Item placuit, ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.

XVIII. Item placuit, ut corpora defunctorum nullo *Sep*

lo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur, sed si A necesse est, deforis circa murum Basilicæ, usque adeò non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere?

Nota. *Hunc morem antiqui Christiani religiosè servarunt, ut in capellis, aut in muro Ecclesiæ, & non intra Ecclesiam humarentur, quamvis essent Primates, & Principes viri. Nunc verò tanta omnes homines ambitio, & fastus cepit, vel lacera corpora, trunci artus, putres formæ, prope Christi Dei veri Sacramentum, adhibitis marmoreis imaginibus superbè collocentur. Superbiam, & luxum inanem damnamus, non pietatem, modumque profanis sepulturis adhibendum suademus.*

In sepeliendis verò sanctorum Martyrum corporibus alia erat conditio, & ratio: nam in illis condiendis, & in templis struendis ad eorum cultum effusæ erant impensæ Christianorum, ut auctor est Tertullianus in Apologet. & Prudentius, & Gregorius Nyssenus in orat. de funere Meletii, & Nazianzenus epist. 18. ad Sophron.

XIX. Item placuit, si quis Presbyter, qui post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam, aut Altarium consecrare, à suo officio deponatur: nam & antiqui hoc Canones vetuerunt.

Nota. *Nullus Presbyter potest Chrisma conficere, ut statuit Sylvester Papa Act. I. Concilii Romani, cap. 5. & II. Carthaginense, cap. 3. & III. Carthaginense, cap. 36. & I. Toletanum, c. 20. id enim munus solius Episcopi est. Innocentius Papa ep. 5. Estque Cyprianus auctor, id à Christi Salvatoris Domini nostri facto emanasse, in Opusculo de Unctione Chrismatis, & aliis Sacramentis.*

Sed neque Altare consecrare debent Presbyteri, nam id etiam Episcopo reservatum est. Concilium Agathense, cap. 43. Vide etiam Concilium II. Hispalense, cap. 7. De eo etiam Felix Papa. 14. Epist. Decret. cap. 1. & Concilium Toletanum VIII. cap. 7. & Vvormacense, cap. 8.

XX. Item placuit, ut ex laico ad gradum Sacerdotii antè nemo veniat: nisi prius anno integro in officio Lectoratus, vel Subdiaconatus disciplinam Ecclesiasticam discat, & sic per singulos gradus prædictus ad Sacerdotium veniat. Nam satis reprehensibile est, ut qui necdum didicit, jam docere præsumat, dum & antiquis hoc Patrum institutionibus interdictum sit.

XXI. Item placuit, ut si quid ex collatione fidelium, aut per Festivitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore, aut semel, aut bis in anno inter omnes clericos dividatur, nam non modica ex ipsa inæqualitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana, quod oblatum fuerit, sibi defendat.

Hæc divisio erat oblationum. Idem dicitur II. Bracarensi, cap. 6. At I. Aurelianensi, cap. 16. dimidia pars assignatur Clero, dimidia Episcopo: & cap. 13. dicitur, tertiam partem esse Episcopi, Clericorum verò duas alteras. Vide Decretum Damasi Papæ apud Gratianum 10. q. 1. cap Hanc consuetudinem, & Concilium IV. Toletanum cap 32.

XXII. Item placuit, ut quæcunque præcepta antiquorum Canonum modò in Concilio recitata sunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille necesse est, ut de suo degradetur officio.

Deinde subscripserunt omnes Episcopi.

Concilium Sanctonense sub Joanne III. anno Christi 566. celebratum, in quo Emerius Sanctonensis Episcopus, à Clothario in sedem intrusus, deponitur à Leontio Burdigalensi Episcopo: anno 566.

CUm in Concilio Parisiensi tertio suprà constitutum fuisset, ad Episcopatum admittendum esse, non quem Regis auctoritas absque Canonica electione intrusisset; sed quem Clerus elegisset, & Episcopi Provinciales unà cum Metropolitano probassent: Leontius Burdigalensis Episcopus, collecto Collegarum suorum Concilio, Sanctonis post alia decreta, B Emerium Episcopum Sanctonensem à Clothario Rege eo modo in Episcopatum Regia auctoritate intrusum, sede privavit. Quod cùm Chariberto Regi nuntiatum esset, ita fremens nuntium Presbyterum à suis conspectibus extrahi jussit, & plaustro spinis suppleto, imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, convocato aliorum Religiosorum conventu, Emerium vi iterum intrusit. Rem in Concilio gestam prolixiùs describit Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 27. *Intrusio Episcopi.*

Concilium apud Lucum in Hispania à Theodomiro Principe habitum, anno 569.

C TEmpore Suevorum, sub Æra sexcentesima septima, die Kalend. Januarii, Theodomirus Princeps Suevorum Concilium in civitate Luco fieri præcepit, ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diversis Ecclesiæ causis. In hoc autem actum est rogatione regis, ut nova institueretur Metropolitana Ecclesia in Gallicia, quæ tamen esset subdita Bracarensi, circumscriptique sunt in eodem Conventu limites Lucensis Ecclesiæ, ad lites de finibus evitandas. Baronius anno 569. num. 2.

Concilium Turonense secundum, in causa Ecclesiasticæ disciplinæ reformandæ celebratum, anno Domini 570. tempore Joannis Papæ II. & anno 6. Chariberti Regis. Est verò Provinciale, anno 580.

D CUm multorum temeritate sacri Canones in Gallia proculcarentur, sanctissimi Patres Galliæ ex adverso consurgentes, pro muro se domus Israel opposuere, atque viginti octo Canones antehac constitutos stabili firmitate corroborarunt, quibus Ecclesiastica disciplina collapsa resurgeret, pristinoque nitore splendesceret.

PROOEMIUM.

ECclesiasticæ disciplinæ debet esse suffragium congregatio Sacerdotum, nec aliud erit suæ sollicitudinis tàm peculiare conscribere, quàm quòd ad fundamentum Religionis proficere recognoverit, operari E non cesset, ut cùm pastoralis cautela propagatur in ovilis custodia, paucorum veneranda secreta sint salutis publicæ documenta. Et quoniam, quod omitti non decet, oportet implere, præsertim cùm cujus animarum intellectualium (de quibus Deo cura est) forma processit, ejus traditionis lex ad Pontifices manavit, necesse est vigilantissimè providere, repulso corpore, ut quidquid ab antiquis Patribus statutum, de tramite Canonico, quarumdam personarum temeritate cernitur imminutum, revocandum est in statum pristinum, ut possint malè admissa corrigi, & non admittenda damnari. Magna est enim in ipsa severitate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam ubi insana libertas generat vulnera, Sacerdotalis districtio *Severitas.*

ctio dat medelam. Quapropter (Christo auspice) in Turonica civitate, Concilio concordante, juxta convenientiam gloriosissimi Domini Chariberti Regis annuentis, coadunati pro pace, & instructione Ecclesiæ opportunum credimus subter adnexa Decreta conficere, & subscriptionibus propriis roborare, ut retundantur noxia, propagentur optata; nec taciturnitate silentii, vitiosorum criminum nutriri videretur licentia, non abscindi; & quę opportuna erant pro qualitate temporis adjici, non paterentur negligi, sed procurarentur impleri.

Cap. 2. *De conventione Synodi per singulos annos.*

PLacuit itaque, sancto Concilio interposito, virtute Domini Martini, in Basilica sua conscribi, ut bis ad Synodum annis singulis Metropolitanus, & comprovinciales sui in locum, quem deliberatio Metropolitani elegerit, Deo propitiante conveniant; aut necessitas, sicut hactenus, inevitabilis præpedierit: vel semel in anno, sine cujuslibet excusatione personæ, idest, Regiæ, vel privatæ, sine cujuscumque utilitatis obstaculo, præter infirmitatis certissimæ labore præventum, nullus occasione velaminis, habeat unusquisque concursum: sed (sicut dictum est) neque per impedimentum ordinationis Regiæ, neque sub occasione utilitatis, aut causæ propriæ debeat à Concilio separari, Apostolo prædicante: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Et reliqua. Non debet spirituali operi etiam Regalis præferri præceptio, cùm primum in Ecclesia sit mandatum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota virtute tua.* Unde non debet præcepto Domini persona cujuslibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio, vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit. Si quis Episcopus (ut superiùs dictum est) ad Synodum venire distulerit, usque in majorem Synodum à Metropolitano, & comprovincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia Provincia ullus Episcopus interea communicare præsumat. Ipse enim suæ divisionis præparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris Ecclesiæ non concordat.

Rom. 8.

Matth. 22.

Cap. II. *De pace Sacerdotali.*

ITem decernitur, propter cœleste illud mandatum, *Pacem meam do vobis, &c.* ut Pontificalis affectus inter Consacerdotes inviolabiliter observetur. Verùm, si pro peccatis (ut assolet) ex causa livor emerserit, ut pendente certamine sibi invicem reconciliari non possint; electis ab utraque parte fratribus, idest, Presbyteris, præponderante dulcedine, litis jacula finiant, & vota pacis acquirant.

Cap. III. *De compositione Corporis Domini super Altare.*

UT Corpus Domini in Altari, non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur.

Nota. *Hìc prohibetur, ne corpus Domini inter sacras imagines super altari poni solitas ponatur, sed potiùs collocetur sub ipsa Cruce, quæ in meditullio ipsius Altaris poni consuevit. His temporibus Corpus Domini intra columbam argenteam conservabatur: Legitur enim in actis sancti Basilii, quæ Amphilocii nomine inscripta habentur, isto seculo sacram Eucharistiam intra columbas argenteas repositam fuisse. Has à Severo furtim sublatas fuisse, Monachi Antiocheni in libello, quem Quintæ Synodo obtulerunt, conqueruntur. Hic asservandi modus à Synodo prohibitus esse videtur, dum pręcipit, ne in ordine imaginario collocetur. Commendatur Felix Episcopus Bituricensis, qui ad sacratissimam Eucharistiam asservandam curaverit fieri instar turris vas aureum perelegans: quod Venantius Fortunatus Epigrammate celebravit. S. Exuperius etiam Episcopus Tolosanus à S. Hieronymo epist. 3. commendatur, qui tempore exundantium Barbarorum, ne istiusmodi aurea sacra vasa illorum rapinæ cederent, ipsa in usum pauperum conflarat, canistro vimineo, & vitreo calice Corpus Domini portans. Non nisi de asservata in Ecclesia Eucharistia intelligi potest illud execrandum Donatistarum scelus, quod ab Optato breviter describitur sic:* Jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt.

Euchari-stia ubi reposita.

Cyrillus Alexandrinus redarguit hunc primum emergentem errorem illorum, qui putabant, Eucharistiam in sequentem diem non esse servandam. Nam ad Calosyrium Episcopum Arsomotem scribens, sic ait: Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicant, si quid ex ea fiat, reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc afferunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus Corpus immutatur, sed benedictionis vis, & facultas, & vivificans gratia perpetuò in ipso existit. *Sic ille. Videant, & cognoscant ex his Novatores hæretici, novum non esse, quòd extra sumptionem, in Ecclesia Catholica sacrosanctum Corpus Christi in Altari aßervetur.*

Cap. IV. *Ne laici in Ecclesia Clericis misceantur.*

UT laici secus Altare, quo sancta Mysteria celebrantur, inter Clericos, tàm ad Vigilias, quàm ad Missas, stare penitus non pręsumant: sed pars illa, quæ à cancellis versus Altare dividitur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum. Ad orandum verò, & communicandum laicis, & fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum.

Cap. V. *De pastu pauperum propriorum.*

UT unaquæque civitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, tàm vicini Presbyteri, quàm cives omnes suum pauperem pascant: quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur.

Cap. VI. *De Epistolis dandis.*

UT nullus Clericorum, vel laicorum, præter Episcopos, Epistolia facere præsumat.

Cap. VII. *De remotione Abbatum.*

UT Episcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum, sine omnium suorum Compresbyterorum, & Abbatum consilio, de loco præsumat ejicere, neque per pręmia alium ordinare, nisi facto Concilio, tàm Abbatum, quàm Presbyterorum suorum, quos culpa, aut negligentia ejecit, cum omni Presbyterorum consilio refutentur.

Cap. VIII. *De his, qui excommunicatis communicant.*

QUicumque Episcopus illum, quem alter Episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de ipsius excommunicatione commonitus, communicare præsumpserit, usque ad Synodum excommunicatus habeatur.

Cap. IX.

Cap. IX. *Ut in Britannia sine consensu Metropolitani, vel comprovincialium Episcopi non ordinentur.*

ADjicimus etenim, ne quis Britannum, aut * Romanorum in Armorico, sine Metropolitani, aut comprovincialium voluntate, vel litteris, Episcopum ordinare præsumat. Quod si quis contraire tentaverit, sententiam in anterioribus Canonibus prolatam observet, & à nostra charitate usque ad majorem Synodum se cognoscat remotum, & excommunicatum: quia meritò à charitate nostra, vel nostris Ecclesiis segregantur, qui Patrum statuta contemnunt.

Cap. X. *Ut nullus Clericorum familiaritate extranearum mulierum utatur.*

B DE familiaritatibus mulierum, licèt crebrius sit in Canonibus replicatum, attamen necesse est, ut si secti vir, atque mulier, qui malè pullulaverant, redeant, rursus fidei falce succidantur, & jam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps Clericorum pro occasione necessitatis faciendæ vestis, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cùm jubeamur victum, aut vestitum artificiolo quærere, & manibus propriis laborare: quid opus est in domo serpentem includere pro veste, quæ multiformem vestem non propterea deponit, ut nudetur; sed ut se, dum renovatur, ostendat clariorem? Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, C non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi Sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam confirmatione rerum in domo sua stabilire præsumat: quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subjecta dominatui. Si quis aut Presbyter, seu Diaconus, aut Subdiaconus, de hac re statuta Patrum, vel nostra temerare præsumpserit, excommunicetur.

Cap. XI. *Ut Episcopus nullam ignaviam ad distringendum habeat, sed etiam, si necesse fuerit, ab aliis adjuvetur Episcopis.*

SI quis Episcopus ad distringendum eos, qui in hac D facilitate perdurant, negligens apparuerit, sicut in ipsa sancta Basilica est publicè recitatum, ex consensu communi, atque totius populi, sententiam prædecessorum Canonum se incurrere omnino cognoscat; sic tamen, ut tàm Metropolitanus suis comprovincialibus, quàm comprovinciales Metropolitano suo, si resistere, aut contemnere Episcopum Clerici sui præsumpserint, dent omnino solatium. Et quia dixit sancta Scriptura: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur;* quicunque pro causa Dei fratri suo solatium commonitus dare distulerit, usque ad Synodum removeatur. Nam si Episcopus se contemni sentiens, fratres suos in solatium suum non commonuerit, ipse sciat, qualiter reddat Domino rationem.

Cap. XII. *Ut nullam det Episcopus occasionem ad detrahendum sibi.*

EPiscopus conjugem ut sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tàm Ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio quaque ratione consurgat. Et licèt (Deo propitio) Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tàm in cella, quàm ubicumque fuerit, secum habitent, eumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum (Deo adjutore) conservent: sic tamen propter zelotem Deum nostrum, tàm longè absint, mansionis propinquitate divisi, ut nec hi,

A qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

Nota. *Episcopus* conjugem, *&c. Intelligitur hic Canon juxta usum Orientalis Ecclesiæ, in qua conjugatus promovebatur.*

Cap. XIII. *Ne Episcopum mulieres prosequantur.*

EPiscopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum, licèt salvetur vir per mulierem fidelem, sicut & mulier per virum fidelem, ut Apostolus ait. Nam ubi talis custodia necessaria non est, quid est necesse, ut miseria prosequatur, unde fama consurgat? Habeant ministri Ecclesiæ, utique Clerici, qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere.

Cap. XIV. *Ne duo Clerici in uno stratu recumbant.*

ET ne occasio famam laceret honestatis, quia alii qui laici, dum diversa perpetrant adulteria, [illegible] quod sciunt, in aliis suspicantur, sicut ait Seneca, pessimum in eo vitium esse, qui in id, quo insanit, ceteros putat furere. Ut ergo ipse sinistræ existimationis aditus amputetur, nullus Sacerdotum, ac Monachorum colligere alium in lecto suo præsumat. Nec liceat Monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut præposito gubernante, ut dum duo, vel tres vicissim & legunt, & excubant, alii consolentur; ut non solùm sit custodia corporum, sed & surgat pro lectione assidua profectus animarum.

[illegible]ali ma- [illegible] sunt [illegible]pic.

Cap. XV. *Ne Monachus conjugio copuletur.*

SI qui in Monasterio conversi sunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi, nec (quod absit) ullus eorum conjugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam, sicut supra dictum est, si uxorem duxerit, excommunicetur, & de uxoris malè sociatæ consortio etiam Judicis auxilio separetur. Quod si Judex ad hoc solatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix Monachus tali conjunctione fœdatur, si per cujuscumque patrocinium se conatus fuerit defensare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui eum exceperint ad defensandum, ab Ecclesia segregentur, donec revertatur ad septa Monasterii, & indictam ab Abbate, quamdiu præcepta ei fuerit, agat pœnitentiam, & post satisfactionem revertatur ad gratiam.

Cap. XVI. *Mulier intra septa monasterii non permittatur introire.*

UT mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte, aut præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non E statim ejecerit, excommunicetur.

Cap. XVII. *Jejunia antiqua à monachis instituta conserventur.*

DE jejuniis verò antiqua à Monachis instituta conserventur, ut de Pascha usque ad Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam verò tota hebdomada exactè jejunent. Postea usque ad Kalendas Augusti, ter in septimana jejunent, secunda, quarta, & sexta die, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Missæ Sanctorum sunt, prandium habeant.

Quinquagesima est Pentecost.

In Septembri toto, & Octobri, & Novembri, sicut prius dictum est, ter in septimana. Et quia inter Natalem Domini, & Epiphaniam, omni die Festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo, ad calcandam Gentilium consuetudinem, Patres nostri statuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur. Post Epiphaniam verò usque ad Quadragesimam, ter in septimana jejunent.

Octava est hora post meridiem secunda.

A

Cap. XVIII. *Ut in Ecclesiis idem psallendi modus servetur.*

ITemque pro reverentia Domini Martini, vel cultu, ac virtute, id statuimus observandum, ut tàm in ipsa Basilica sancta, quàm in Ecclesiis nostris, iste psallendi ordo servetur: Ut in diebus Festis ad Matutinum sex Antiphonæ binis Psalmis explicentur. Toto Augusto manicationes * fiant, quia Festivitates sunt, & Missæ Sanctorum. Septembri septem Antiphonæ explicentur binis Psalmis: Octobri, octo ternis Psalmis: Novembri, novem ternis Psalmis: Decembri, decem ternis Psalmis: Januario, & Februario, itidem usque ad Pascha. Sed, ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se, & qui minus, ut potuerit: superest, ut vel duodecim Psalmi expediantur ad Matutinum, quia Patrum statuta præceperunt, ut ad Sextam sex Psalmi dicantur cum Alleluja, & ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluja; quod etiam (Angelo ostendente) didicerunt. Si ad duodecimam duodecim Psalmi, cur ad Matutinum, non itemque, vel duodecim explicentur? Quicumque minus quàm duodecim Psalmos ad Matutinum dixerit, jejunet usque ad Vesperam, panem cum aqua manducet, & non illi sit altera in illa die ulla refectio. Et qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet, & jejunet omni die usque ad vesperam.

B

** Id est, matutinæ conventiones.*

C

Pœna non recitantis officium.

Cap. XIX. *Archipresbyteri conjugati sine testimonio clericorum non dormiant.*

ARchipresbyteri Vicani, & Diaconi, & Subdiaconi, non quidem omnes, sed plures in hac suspicione tenentur à populo, quod cum conjugibus suis maneant. Pro qua re hoc placuit observare, ut quotiescumque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella, ubi ille jacet, lectum habeat pro testimonio, &c.

D

Cap. XX. *De Virginibus, & reliquis castitatem professis, vel viduis, quæ post mutatam vestem conjugio copulatæ sunt.*

ET quia in sententia Papæ Innocentii ad Victricium Episcopum Rothomagensem lata, legitur scriptum de virginibus, quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si posteà nupserint, quod vix etiam ad agendam pœnitentiam mereantur accedere, &c. Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus, vel Papa Innocentius statuit, in Canonibus nostris inserentes statuimus observandum, ut nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat, &c.

E

Nota. *Vide in tertia Synodo Arelatensi cap. 33. & can. 26. Concilii Milevitani, & in tertia Carthaginensi cap. 4. & in can. 21. Concilii Epaonensis, & can. 27. Concilii secundi Arelatensis, ubi de materia prædicti canonis fit mentio.*

Cap. XXI. *De incestuosis, & adulterinis conjunctionibus.*

DE incestis verò conjunctionibus censuimus statuta Canonum vetera non interrumpi. Deinde ad longum ponitur totum cap. Levit. 18. cui etiam additur Canon. 20. Synodi Aurelianensis tempore Clodovæi, & can. 30. Concilii Epaonensis, & can. 11. Arvernensis Concilii, ubi prohibentur incestuosæ conjunctiones.

Nota. *Canonem hunc sanctissimi Patres hujus Concilii statuisse videntur ad corrigendum ipsum Regem Charibertum incestus crimine labefactatum; utpote qui Marcovefam conjugis suæ Meroflendis sororem sibi nefariè copulaßet. Sed cùm hujus canonis auctoritate apud eum nihil, aut parum effectum fuisset, S. Germanus Parisiensis Episcopus eumdem excommunicavit, cùm ad pœnitentiam agendam monitus, peccare non desisteret. Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 26. Histor. Francor.*

Cap. XXII. *De Kalendis Januarii, & Cathedra sancti Petri.*

IN hoc Canone hoc præcipuè annotandum est, in Kalendis Januarii non esse colendum Janum, ut Gentiles; & quod celebratio Cathedræ S. Petri Apostoli sit perantiqua.

Cap. XXIII. *De hymnis recipiendis.*

LIcèt hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea, quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata: quorum quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant.

Nota. *Hujus Canonis sanciendi causam dedisse videntur hymni illi, quos Venantius Fortunatus haud pridem de Cruce cecinerat, quique ab Ecclesia recepti, hactenus piè, sanctèque concini consueverunt.*

Cap. XXIV. *De his, qui per custodias Regum, res Ecclesiarum, aut Sacerdotum competunt.*

ILlud quoque, quamquam priorum Canonica sit auctoritate præfixum, quod dum inter se sæviunt Domini nostri, ac malorum hominum stimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate pervadit, ne ista caduca actione, qua inter se aguntur, Ecclesiastica jura contingere, aut contaminare præsumant, inviolabiliter observandum censemus, ut quicumque tàm Ecclesiæ, quàm Episcopi res proprias (quæ & ipsius Ecclesiæ noscuntur esse, quas Pontifex Actoribus Ecclesiæ dignoscitur assignasse) vel Abbatum, aut Monasteriorum, sive Presbyter quaque temeritate pervadere, competere, vel confiscare præsumpserit, tunc reservato correctionis hoc loco, adhuc Presbyter ejusdem Ecclesiæ, cujus interest, pervasorem convenit admonere, & si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab omnibus fratribus ad reddendum missis epistolis compellatur. Qui si pertinaciter in pervasione perstiterit, & se tollere post tertiam commonitionem de re illa aut Ecclesiæ, aut propria noluerit; convenit, ut omnes omnino unà convenientes simul cum nostris Abbatibus, ac Presb. vel Clero, qui stipendiis ex ipso alimento pascuntur, quia arma nobis non sunt alia, auxiliante Christo, circumsepto Clericali choro, necatori pauperum, qui res pervadit Ecclesiæ, Psal. 108. dicatur, ut veniat super eum illa maledictio, quæ super Judam venit, qui dum loculos faceret, subtrahebat pauperum alimenta, ut non solùm excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur, & cœlesti gladio feriatur, qui in despectu Dei, & Ecclesiæ, & Pontificum, in hac pervasione

præ-

præsumit assurgere. Illud etiam annecti placuit, ut qui A de fratribus ad dandum solatium venire pro certa infirmitatis necessitate non potuerit, Abbates, & Presbyteros in vice sua transmittat. Qui si præter certam infirmitatis excusationem commonitus, aut venire, aut transmittere noluerit, remotum se à fratrum charitate esse cognoscat. Nam, quod quidem non credimus, si quis contra Decreta nostra tali temeratori communicare præsumpserit, in se causam excommunicationis transformet, & cum eodem se à charitate omnium Sacerdotum cognoscat esse remotum.

Nota. *Hoc loco Patres Concilii temporalem pœnam imprecantur direptoribus bonorum Ecclesiasticorum. Ea pœna sacrilegium puniri, Deo gratum fuisse, plura exempla declarant. De quodam Diacono, qui relicta Ecclesia, fisco se publicè junxerat, narrat Gregorius Turonens.* B *lib. de glor. Mart. cap. 17. quod cùm is aliquando usurpaßet de gregibus sub nomine martyris Juliani, & inclamantibus Pastoribus eos esse sancti martyris Juliani, & ille irridens respondißet*: Putasne, quia Julianus comedit arietes? *post multos dies, cùm non religione, sed casu transiens ante sepulchrum B. Martyris ibi obdormisset, tanta, tàmque ardenti febre corripiebatur, ut clamaret se incendi per Martyrem, & crimen confiteretur: cumque deprecaretur, quanta maxima poßet voce, jactari super se aquam, tanquam de fornace, ita fumus egrediebatur de corpore. Interea miseri artus combusti in nigredinem convertuntur, unde tantus procedebat fœtor, ut tolerari vix poßet; atque ita spiritum exhalavit. De Rege Chariberto narrat idem Gregor. de mirac. S. Mart. quod cùm loco sacro, qui fuerat in honorem S. Martini consecratus,* C *stabulum erexisset, omnium equorum illuc introductorum jacturam fecerit, monitusque reddere, quod injustè occupabat, responderit*: Sive justè, sive injustè reddi debeat, me regnante, hanc Basilicam non habebit. *Quo sacrilegio, cùm haud dubiè divinum Numen gravissimè offendisset, paulò post Regno, simul & vita, jussu Dei vindicis, exutus fuit.*

Cap. XXV. *De pervasoribus rerum Ecclesiasticarum.*

PLacet itaque, ac omnibus nobis convenit observare, ut quia nonnulli memores sui, per quaslibet scripturas pro captu animi, de facultatibus suis, Ecclesiis aliquid contulisse probantur, quod à diversis Deum D minus timentibus eatenus mortifera calliditate tenetur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde possint diem judicii, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui, res Ecclesiis (ut supra diximus) delegatas, injustè possidens, præsumpserit retinere, &, veritate comperta, res Dei servis ejus dissimulaverit reformare, ab omnibus Ecclesiis segregatus, à sancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cùm culpam propriam rerum emendatione purgaverit. Indignè enim ad Altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere, & injustè possidere iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum judicandi sunt, qui eorum taliter E alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse provisio, ut vindictam admonitio manifestè præcedat, ut res usurpatas, injustè qui abstulit, adhibita æquitate, restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem Sacerdotalis districtio maturata percellat; neque quisquam per interregna res Dei nitatur defensare, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit.

Cap. XXVI. *De judicibus, qui pauperes opprimunt.*

UT Judices, aut potentes, qui pauperes opprimunt, si commoniti à Pontifice suo non emendaverint, excommunicentur.

Cap. XXVII. *Ne Sacerdotium per pecuniam acquiratur.*

CAuta enim est in salute provisio ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere. Nullus Episcoporum de Ordinationibus Clericorum præmia præsumat exigere, quia non solùm sacrilegum, sed & hæreticum est (sicut in dogmatibus Ecclesiasticis habetur insertum) ad ordinandum Clericum, per ambitionem (ad imaginem Simonis Magi) pecuniam offerre Sacerdoti, quia dicitur: *Gratis accepistis, gratis date.* Et cùm talis sit, qui gratiam Dei à Sacerdote *Act. 8. Matth. 10.* æstimat pretio comparari, qualis ille, qui venit; uterque usque ad Synodum ab Ecclesia segregetur. Cauta est enim in salute provisio ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere.

Subscripserunt huic Synodo Euphronius Turonicæ civitatis Episcopus, Prætextatus Rothomagensis, Germanus Parisiensis cum sex aliis, omnesque subscribunt se peccatores præter Euphronium.

Concilium Lugdunense primum, anno Domini 570. celebratum sub Joanne tertio Papa.

AD evitandum scandalum, quod à quibusdam malæ vitæ Episcopis Ecclesiæ Lugdunensi illatum fuerat, per se, suosque Legatos quatuordecim Episcopi convenerunt, statueruntque sex dumtaxat Canones, quibus Ecclesiasticæ paci, atque indemnitati consulitur. Summa Canonum est.

In primo Canone decernitur unitas, & concordia inter Coepiscopos, & ut in contentionibus judicio Metropolitani sint contenti.

In secundo Canone, Ut Episcoporum, & Clericorum testamenta, quibus aliquid Ecclesiæ, aut quibuscumque conferre videntur, omni stabilitate subsistant.

In tertio Canone, Ut qui alios à quiete abduxerunt, juxta præceptum Domini Regis emendare studeant; alioquin Ecclesiæ communione priventur.

In quarto Canone, Ut qui ab uno Episcopo excommunicatur, apud omnes sic habeatur, usquequo à proprio Episcopo reconcilietur.

In quinto Canone, Ut quascunque munificentias Clericis dederint Sacerdotes, sive de rebus Ecclesiæ, sive de suis propriis; subsequentes Pontifices nullatenus auferre præsumant.

In sexto, & ultimo Canone habetur, Ut in prima Hebdomada noni mensis, hoc est, ante diem Dominicam, quæ prima in ipso mense illuxerit, Litaniæ, sicut ante Ascensionem Domini, sancti Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus Ecclesiis, seu Parochiis celebrentur.

Concilium Bracarense secundum sub Ariamiro Svevorum rege, anno Domini 572. post obitum Joannis Papæ tertii, tempore interregni Pontificii celebratum.

IN hoc Concilio statuti sunt Canones decem ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes. Observandum autem in hoc, enumeratis quatuor Oecumenicis Conciliis, quintam Synodum omitti, quod in illis de fide, in hoc de personis dumtaxat actum fuerit. Baron. anno 572. num. 13.

Canon I. *Ut Episcopus ambulet per Diœcesim suam, & ante triginta dies Paschæ Catechumeni doceantur Symbolum.*

PLacuit omnibus Episcopis, atque convenit, ut *10. quæst. 1. Placuit omnib. Epis.* per singulas Ecclesias Episcopi per Diœceses ambu-

ambulantes, primum discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & quæcumque officia in Ecclesia peraguntur. Et si rectè quidem invenerint, Deo gratias agant; si autem minimè docere debeant ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, ut, sicut antiqui Canones jubent, ante viginti dies Baptismi, ad purgationem exorcismi Catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino Catechumeni Symbolum, quod est, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, specialiter doceantur. Postquam ergo in his suos Clericos discusserint, vel docuerint Episcopi, alia die, convocata plebe ipsius Ecclesiæ, doceant illos, ut errores fugiant idolorum, vel diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera: aut, quod nolunt sibi fieri, non faciant alteri: & ut credant resurrectionem omnium hominum; diem Judicii, in quo unusquisque secundum sua opera recepturus est. Et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

Symboli scientia necessaria.

Can. II. *Quid accipient Episcopi visitantes.*

10 quæst. 2. Placuit ut nullus.

PLacuit, ut nullus Episcoporum per Diœceses suas ambulans, præter honorem cathedræ suæ, idest duos solidos, aliquid per Ecclesias tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis parochialibus requirat, sed illa tertia pro luminariis Ecclesiæ, vel recuperatione servetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lucem, & sarta tecta abstulit Ecclesiæ. Similiter & ut Parochiales Clerici servili more in aliquibus operibus Episcopis servire non cogantur, quia scriptum est: *Neque ut dominantes in Clero.*

1. Pet. 5.

Nota. *Lumen, & sarta tecta. Lumen, & luminaria Ecclesiæ ab origine nascentis Ecclesiæ semper fidelibus magno in honore ad cultum Dei habita, ingentique cura observata, unde narrat Eusebius lib. 6. cap. 7. & Nicephor. lib. 5. cap. 9. quod cùm oleum deesset luminaribus in die solemni Vigiliarum Paschæ in Ecclesia Jerosolymitana, Narcissus Jerosolymitanus Episcopus aquam imperavit deferri, eamque benedixit, & infudit lampadibus: tunc, ait Eusebius, repente, miro, & sæculi inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam solito reddit clariorem. Simile miraculum commemorat Gregorius libro 1. Dialogorum cap. 5. & lib 3. cap. 30. lampades immisso divinitus lumine accensas fuisse.*

Usus luminarium in Ecclesia antiquus.

Can. III. *Episcopus in Ordinatione Clericorum commodum nullum accipiat.*

PLacuit, ut de Ordinationibus Clericorum Episcopi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis Ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti, & accipienti, propterea, quia aliquanti multis sceleribus obruti, sancto Altario indignè ministrantes, non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium, Clericos ordinare.

Ordines gratis conferantur. Matth. 10.

Can. IV. *Pro Chrismate Episcopus nihil accipiat.*

PLacuit, ut modicum Balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur: ne fortè quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia emere, ita nos venumdare damnabiliter videamur.

1. q. 1. Placuit, ut nullus.

A

Can. V. *Pro consecratione Basilicæ Episcopus nihil exigat.*

PLacuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant, sed si ipsi quidem aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantùm unusquisque Episcopus meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, aut Basilicam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qui ibidem servituti sunt, tamquam domus privata, ita consecretur Ecclesia.

B

Nota. *Post extructam Basilicam, duo ex antiquis decretis Ecclesiæ sunt necessaria ad rem divinam in ea agendam, unum est dos, alterum consecratio.*

Dos opus est, ut Sacerdotum victui, & vestitui aptius consuleretur, eorumque rationibus provideretur. In Concilio Toletano tertio, cap. 15. & sanctus Chrysostomus hom. 18. in Acta. Quasi, *inquit*, ducta uxore, vel sponsa, vel data virgine, si erga Ecclesiam affectus sis: dotem inscribe illi, ita tibi benedictione prædium multiplicabitur, *de consecr. dist. 1. cap. Nemo, & can. Cùm sicut.*

Consecratio verò Ecclesiæ ab Apostolis fluxit, ipsi à Domino eam acceperunt, & nobis tradiderunt. Clemens epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini consecratio. *Athanasius ab Arrianis accusatus, quod Synaxim in Ecclesia nondum consecrata celebrasset, ipse respondit in epist. ad Constant. Imperat. frequentia populi, & necessitate, & periculi metu coactum fuisse.*

C

Can. VI. *Qui oratorium pro quæstu suo in terra propria fecerit, non consecretur.*

PLacuit, ut qui Basilicam non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua ipse condiderit, quod in aliquibus locis usque modò dicitur fieri. Hoc ergo de cætero observari debet, ut nullus Episcopus tàm abominabili voto consentiat, ut Basilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magis tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

D

Can. VII. *De baptizatis nullum accipiat præmium.*

PLacuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si verò per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios suos à Baptismo retrahunt. Quod si fortè, dum differunt, sine gratia Baptismi de hac vita recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, à Baptismi gratia retraxerunt.

E

Can. VIII. *Qui Clericum accusaverit, & id non probaverit, excommunicetur.*

PLacuit, ut si quis Clericorum aliquem in accusatione fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli Apostoli, duo, vel tria testimonia requirantur ab illo: quod si non potuerit, datis testimoniis, approbare, quæ dixit, excommunicationem accusati accusator excipiat.

Can.

Can. IX. *Per singulos annos à Metropolitano Pascha pronuncietur.*

PLacuit, ut postquam omnia in Concilium Sacerdotum fuerint ordinata, illud omnibus observetur, ut superventurum ipsius anni Pascha, quanto Kalendarum die, vel quota Luna debet suscipi, à Metropolitano Episcopo nuntietur. Quod cęteri Episcopi, vel reliquus Clerus Breviculo subnotantes, unusquisque in sua Ecclesia, adveniente Natali die Domini, adstanti populo, post Lectionem Euangelicam, nuntient, ut introitum Quadragesimæ nullus ignoret, in cujus principio convenientes in unum vicinæ Ecclesiæ per triduum, cum Psalmis per Sanctorum Basilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio autem die, celebratis hora nona, sive decima Missis, dimisso populo, præcipiant Quadragesimæ servare jejunia, & mediante Quadragesima, ex diebus viginti baptizandos infantes, ad exorcismi purgationem offerre.

Can. X. *Presbyter post cibum non teneat Missam pro mortuis.*

PLacuit, ut quia per stultitiam præsumpti nuper erroris, aut certè ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis fœtore corruptos cognovimus quosdam Presbyteros in hujus præsumptionis audacia detineri, ut in Missa mortuorum, etiam post acceptum merum, oblationem ausi sunt consecrare; ideoque hoc præfixa evidentis sententiæ admonitione servetur, ut si quis Presbyter post hoc Edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus; id est, ut non jejunus, sed quocumque jam cibo præsumpto, oblationem consecraverit; continuò ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo.

Nota. *Pro vivis, & defunctis esse Missas celebrandas, antiquus Ecclesiæ Catholicæ retinet mos, ut ex Gregorio Secundo Papa epist.8. constat, & ex Concilio Triburiensi sub Arnulpho Imperatore, cap.15. & ex Concilio Toletano decimoseptimo, & ex Augustin. lib. de cura agenda pro mort. cap.1. & 4. & lib.20.de civ. Dei, cap.9. & in Enchirid. cap 100. & ex Chrysost. serm. 3. in epist. ad Philip. & ex Cypriano Mart. lib. 1. ep. 9. & Concilio Cabilonensi, cap.39.*

Concilium Lucense secundum, anno Domini 572. celebratum post obitum Joannis tertii, tempore interregni Pontificii, anno 572.

HOc Concilium Lucense secundum (ut videre est ex Constitutione Regis, quæ extat apud Ambrosium Moralem libro 11. cap. 62.) habitum fuit æra 610. anno secundo Ariamiri Regis, paulò postquam Bracarense secundum absolutum fuisset. Ab illo ergo Lucensi diversum esse apparet, quod celebratum est sub Theodomiro parente, æra 607. In Constitutione Regis, quæ prædicto loco apud Moralem habetur, Theodomirus hanc Synodum convocasse legitur, sed mendosè. Canones antiquorum Conciliorum, auctore sancto Martino Dumense, & Bracarense Episcopo collecti, ad hanc Lucensem Synodum missi fuerunt, qui Canones minus cautè à Gratiano tribui solent Martino Papæ.

Concilium Parisiense quartum, anno Domini 576. sub Benedicto celebratum, anno 576.

DUm in Gallia bellum civile recrudesceret, Guntheramnus Rex procuraverat, ut Parisiis Concilium celebraretur, si fortè per sanctissimos Episcopos, res absque bello componi posset. Verum ubi semel res armis agi cœpta fuit, Ecclesiasticæ leges omnino silue-

A runt. Ait enim Gregorius de Gestis Francorum, lib. 4. cap. 47. & 48. his temporibus accidisse, ut Chilpericus per Filium suum Theodobertum, Turonensibus, Pictaviensibus, atque aliarum civitatum Ecclesiis magnam cladem intulerit. Hanc ille paucis perstringens, sic ait: *Vastat, evertit, Ecclesias incendit, ministeria detrahit, Clericos interficit, Monasteria virorum dejicit, puellas deludit, & cuncta devastat. Fuitque illo tempore pejor in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutoris Diocletiani.*

Concilium Parisiense quintum in causa Prætextati Rothomagensis Episcopi celebratum, anno Domini 580. sub pontificatu Pelagii II. anno 580.

B CUm Meroveus major natu Chilperici filius, Brunichildem Sigeberti Regis, ac patrui sui relictam uxorem (quam Chilpericus apud Rothomagum exulare jusserat) sibi in matrimonium copulasset, patrem Chilpericum acerrimè offendit, & ad arma contra filium capessenda commovit. Hic victum, & captum prælio filium, tonsurari, & Presbyterum ordinari curavit. Post aliquot tempora, veste sæculari indutus, inde fugiens, ad Basilicam S. Martini profugit; ibique communionem à Gregorio per minas (quod dolendum est in viro alioquin sanctissimo) excucullatus, apostata extorsit. Ut è Basilica ejiceretur filius apostata, Rex Chilpericus à Gregorio postulavit; sed non fuit exauditus, propterea quod confugientes ad Ecclesiam, ab ea per vim non sint ejiciendi. Interea Meroveus præsidio Ecclesiæ non diutius confidens, ab eo fugit, & ad Brunichildem Reginam pervenit. Factum filii turpissimum, instantia Reginæ Fredegundis, datum est crimini Prætextato Rothomagensi Episcopo, quasi is cum filio rebelli, & incestuoso contra Regem rebellasset. Cùm accusatus de objectis calumniis se plenè purgasset; dolo tandem Regis inductus est, ut se reum profiteretur, & peteret veniam, quam Rex sua clementia daturus esset. Damnatus juxta propriam confessionem, indulgentiam à Rege non potuit obtinere, qui potius petiit à Synodo, ut aut tunica ejus scinderetur, aut 108. Psalmus, qui maledictiones Iscarioticas continet, super caput ejus recitaretur: aut certè judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret: quibus conditionibus cùm resisterent, cùm essent contra canones, ab oculis eorum raptus est, & in exilium actus. Acta Concilii extant apud Gregorium Turonesem lib. 5. Hist. Franc. 18.

Concilium Cabilonense primum in causa Sagittarii, & Salonii Episcoporum, celebratum anno 18. Guntheramni regis, qui est 4. Childeberti, & 582. Christi redemptoris, anno 582.

DE hac Cabilonensi primò hæc summatim Gregorius Turonensis lib.5. Histor. Franc. cap.27. *Anno quoque quarto Childeberti Regis, qui fuit decimus octavus Guntheramni, & Chilperici Regum, apud Cabilonum Civitatem Synodus facta est jussu Principis Guntheramni: discussisque diversis causis contra Salonium, & Sagittarium Episcopos, iteratur vetus judicium, objiciunturque eis crimina: & non solùm de adulteriis, verum etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgare censentes Episcopi, illud est additum, ut constituerentur rei majestatis, & patriæ proditores. Qua de causa ab Episcopatu dejecti, in Basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur: ex qua per fugam elapsi discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt.*

Concilium Matisconense I. sub Pelagio secundo, anno 18. Guntheramni regis, qui est Christi 582. celebratum anno 582.

Concilium hoc hortatu Guntheramni Regis celebratum esse, Acta indicant. Ad mores Ecclesiæ reformandos, ac præcipuè Judæorum petulantiam coercendam. In eo viginti Canones constitutos fuisse, scripsit Ado Viennensis Episcopus in Chronico: è quibus novemdecim dumtaxat reperiuntur.

Cap. I. Cùm ex evocatione gloriosissimi Domini Guntheramni Regis, tàm pro causis publicis, quàm pro necessitatibus pauperum in urbe Matisconensi, nostra mediocritas convenisset, &c Igitur auctoritate Canonica, atque mansura in ævum Constitutione sancimus, ut fugiatur ab his (Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis) extranearum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum avia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas fuerit, habitent.

II. Ut nullus Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, vel quicumque sæcularis, in Monasteriis puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, præter utilitatem, aut pro quacumque reparatione Monasterii, in quacumque eorum necessitate habitare, aut secretas collocutiones habere præsumant: ne intra salutatorium, aut oratorium ingredi permittantur, præcipuè Judæi, non pro quorumcumque negotiorum occasione, puellis intra Monasterium Deo dicatis aliquid secretius colloqui, aut familiaritatem, vel moras ibidem habere præsumant. *Monialiū custodia.*

III. Ut nulla mulier in cubiculo Episcopi, absque duobus Presbyteris, aut certè Diaconis, ingredi permittatur.

IV. Ut qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Ecclesiis conferuntur, retinent, veluti retentores bonorum Ecclesiæ, & necatores egentium, ab Ecclesiæ liminibus arceantur.

V. Ut nullus Clericus sagum, aut vestimenta, aut calceamenta, nisi quod Religionem deceat, inducere præsumat. Quod si post hanc definitionem Clericus, aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à senioribus ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantùm, & modico pane diebus singulis sustentetur.

VI. Ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat.

VII. Ut nullus Clericus de qualibet causa, extra discussionem Episcopi sui à sæculari Judice injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque Judex cujuscumque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, facere fortasse præsumpserit; quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

VIII. Ut Clerici coram Judice sæculari causas non agant.

IX. Ut à Feria S. Martini usque ad Natalem Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & Sacrificia Quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos esse, speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse.

X. Ut Presbyteri, Diaconi, vel quolibet ordine Clerici, ita Episcopo suo obedientiæ devotione subjaceant, ut non alibi dies feriatos, nisi in obsequio illius liceat tenere, aut celebrare. Quod si quis per quamcumque contumaciam, aut per cujuscumque patrocinium hoc facere distulerit, ab officio segregetur.

XI. Cleriri, qui ardore libidinis inflammati, abjecto Religionis cingulo, ad vomitum pristinum, & inhibita rursus conjugia repetierint, atque incesti quodammodo crimine clarum decus Sacerdotii violaverint, omni dignitate priventur.

XII. Puella Deo vota, si posteà ad conjugium (potius stuprum) transierit, usque ad exitum cum ipso, qui se hujusmodi consortio miscuerit, communione privetur. Si verò pœnitentia ducti se sequestraverint, quamdiu Episcopo loci visum fuerit, à communionis gratia suspendantur: ita tamen, ut propter infirmitatem, aut subitaneum transitum vitæ, communio illis (miserationis intuitu) non negetur.

XIII. Nec Judæi Christianis populis Judices deputentur, aut telonearii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. *Contra Judæos.*

XIV. Ut Judæis à Cœna Domini usque ad primam diem post Pascha, secundum Edictum bonæ recordationis Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur; & ut reverentiam cunctis Sacerdotibus Domini, vel Clericis impendant, nec ante Sacerdotes concessum, nisi ordinati, habere præsumant. Quod hoc facere fortasse præsumpserit, à Judicibus locorum (prout persona fuerit) distringatur.

XV. Ut nullus Christianus Judæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicumque (quod nefas est dicere) Clericus, aut sæcularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

XVI. Nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire.

XVII. Qui convictus fuerit, alios ad falsum testimonium, vel perjurium attraxisse, aut quacumque corruptione solicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet: hi verò, qui ei in perjurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, & secundum legem, infamia notabuntur.

XVIII. De his verò, qui innocentes coram Principe, aut Judicibus accusare convicti fuerint, si Clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine degradetur: si verò sæcularis, communione privetur.

XIX. Monacha, quæ (instigante diabolo) quascumque res ad se pertinentes potentibus aliquibus dat, ut per eorum patrocinium se possit de intra Monasterii sui septa subtrahere, & voluptatibus sæculi clandestina, vel singulari habitatione vacare; ideò statuitur, ut tàm illa, quæ hoc dare voluerit, quàm illi quicumque hoc acceperint, tamdiu sint à communionis gratia sequestrati, quamdiu res ipsas eis, à quibus acceperant, digna pœnitentiæ satisfactione restituant.

Ultimus iste Canon statuitur propter quamdam Monacham, quæ rem hìc prohibitam agere moliebatur.

Subscripsit Priscus Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis cum 20. aliis Episcopis.

Concilium Brennacense in Gallia, anno 5. Childeberti Junioris, regis Sigeberti filii, anno Domini 523. celebratum in causa Gregorii Turonensis Episcopi.

Cum Leudastes Præfectus, sive Comes Turonensis injustè admodum se gessisset, Ecclesiisque plurima damna intulisset, ideoque opera sancti Gregorii Turonensis Præfectura ejusdem urbis amotus fuisset, adversus eum hanc vindictam paravit. Conspirans cum quodam Riculpho Turonensi Presbytero, cui Episcopatum Gregorii promiserat, apud Regem illum accusavit, dicens: per Gregorium diffamatam esse Fredegundem Reginam, quasi ipsa cum Bertheramno Burdigalensi Episcopo commisceri consuevisset; & ad calumniam facilius comprobandam, Platonem Archidiaconum, & Gallienum ejusdem Ecclesiæ æquè Diaconum produxit, qui de injuria Reginæ illata testarentur. Interea Gregorius usque ad futurum conventum Episcoporum in villa Brennaco colligendum jussus est custodiri. Facto autem Patrum Conventu, dum *Falsò accusati.*

dum se Gregorius per juramentum debitè purgasset, reconciliatus est Regi Chilperico. Leudastes autem accusator ab audientia se subtraxit, estque ab omnibus Ecclesiis excommunicatus. Riculphus à morte per Gregorium ereptus, qui per sententiam Judicis addictus fuerat, in tormentis confessus est, quidquid in S. Gregorium inter se, & Leudastem malitiosè excogitatum fuerat. Totam rei gestæ seriem summatim recenset ipse Gregorius Turonensis lib 5. Hist. Franc. cap. 47. 48. & 49. Venantius Fortunatus Fredegundem, de tanto crimine sacrilegii injustè, & innocenter diffamatam, insigni carmine celebravit; ut quæ cum ignominia ad judicium fuerat adducta, majore cum laude, & virtutis ornamento isthinc abduceretur. De seipso scribit S. Gregorius lib. 6. Hist. Franc. cap 5. quod qui ad Regem reus majestatis advenerat, à Regia majestate nonnisi maximo affectus honore recesserit, utpote à quo nonnisi Episcopali benedictione Regi impertita dimitti potuerit. Vide Baron. ano 583. num. 15. & seqq.

Synodus Constantinopolitana in causa Gregorii Antiocheni Episcopi celebrata, anno Domini 587.

HÆc Synodus habita fuit ista occasione: Gregorius Antiochenus Episcopus invidia Præfectorum, & totius populi *accusabatur*, inquit Evagrius lib. 6. cap. 7. *cum propria sorore alteri viro in matrimonium data, rem habuisse, prosperumque civitatis statum non semel, sed sæpius labefactasse.* De quo crimine cùm se purgasset, & ad Concilium provocasset, profectus est Constantinopolim, ut ibidem se purgaret. Causa cognita, post multas, & graves contentiones, secundum Gregorium sententia promulgata est. Hæc est illa causa, cujus prætextu sanctus Gregorius multis in locis ait, Joannem Constantinopolitanum Episcopum Synodum fecisse, in qua se Universalem Episcopum appellaret. Verba S. Gregorii lib. 4. Indict. 13. epist. 36. ad Eulogium hæc sunt: *Ante annos octo sanctæ memoriæ Pelagii prædecessoris mei tempore, Frater, & Coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem quærens, Synodum fecit, in qua se Universalem appellare conatus est. Quod mox idem prædecessor meus, ut agnovit, directis litteris, ex auctoritate sancti Petri Apostoli ejusdem Synodi Acta cassavit: quarum videlicet Epistolarum Sanctitati vestræ exemplaria studui destinare.*

Concilium Lugdunense II. sub Pelagio II. Papa, celebratum anno 587.

IN hoc Concilio, ad disciplinam Ecclesiæ reformandam, anteriorum Conciliorum Constitutiones confirmatæ sunt. Ex viginti Episcopis duodecim per suos Vicarios interfuerunt, & subscripserunt.

Concilium Matisconense II. Anno Domini 588. celebratum sub Pelagio II. Papa.

HÆc Synodus convocata est jussu Regis Guntheramni: qui cum magno dolore videret, statum Regni sui quotidie in pejus vergere, seque contra Gothos aliquoties infeliciter pugnasse; malorum fontem altiùs inquirens, solos Episcopos hac in re culpandos esse animadvertit, utpote qui populum corruptis suis moribus Dei vindicis iram in se provocantem, Euangelicis, ut par erat, doctrinis non instituerent. Quare in eosdem nonnihil commotus, omnes Metropolitanos in sua Provincia positos cum reliquis omnibus Episcopis sibi subditis convenire voluit: ut Synodo Generali congregati definirent, & statuerent, quid-

A quid ad mores Ecclesiæ universæ reformandos necessarium esse ipsi judicarent.

Hæc Synodus Generalis appellatur: quia in ea omnes Metropolitani episcopi, quotquot erant in Regno Guntheramni, convenerunt.

Ad hanc Synodum referendum est, quod Gregorius Turonensis lib. 8. cap. 12. Hist. Franc. scribit de Theodoro Massiliensi episcopo sanctissimo: quem sæcularis Judex à se anteà satis exagitatum, *ad præsentiam Regis Guntheramni*, inquit Gregorius prædicto loco, *direxit, ut scilicet ad Synodum, quæ Matiscone futura erat, quasi ab Episcopis damnandus, adesset.*

Præterea quæ in Actis Concilii habentur, in hac Synodo circa diversorum episcoporum causas, & judicia, illa contigerunt, de quibus ita Gregorius lib 8. cap.
B 20. *Interim dies advenit: & episcopi ex jussu Regis Guntheramni apud Matisconensem urbem collecti sunt. Faustinus autem, qui ex jussu Gundebaldi, Aquensis urbis fuerat episcopus ordinatus, ea conditione removetur, ut eum Berthramnus, Oresteſque, sive Palladius, qui eum benedixerant, verbis pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius autem ex laico, qui primus Chilperico Regi præceptum elicuerat, in ipsa urbe episcopatum adeptus est. Ursicinus autem Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quòd Gundebaldum excepisse publicè confessus est, accepto ejusmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis ageret, neque capillum, neque barbam tonderet, vino, & carnibus abstineret, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesias, Chris-*
C *maque benedicere non præsumeret, Eulogias dare penitus non auderet: utilitas tamen Ecclesiæ, per ejus ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur.* Et paulò post: *Prætextatus verò Rothomagensis Episcopus, Orationes, quas in exilio positus scripsit, coram Episcopis recitavit: à quibusdam verò, quia artem secutus minimè fuerat, reprehendebantur: stylus autem per loca Ecclesiasticus, & rationabilis erat.*

CONCILII MATISCONENSIS II. Canones.

Canon I. *De intermisso Dominicæ diei cultu restituendo.*

D CUstodire debemus diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberavit. Nullus vestrum litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus jumentorum imponere cogat. Estote omnes hymnis, & laudibus Dei animo, corporeque intenti. Si quis vestrum proximam habeat Ecclesiam, properet ad eamdem, & ibi Dominico die semetipsum precibus, lachrymisque afficiat. Sint oculi, manusque vestræ toto illo die ad Deum expansæ, ipse est enim dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ diei umbram insinuatus noscitur in Lege, & Prophetis. Justum igitur est, ut hanc diem unanimiter celebremus, per quam facti sumus, quod non fuimus. Fuimus enim antè servi peccati, sed per eam facti sumus filii justitiæ. Exhibeamus Domino liberam servitutem, cu-
E jus nos novimus pietate de ergastulis liberatos erroris, non quia hoc Dominus noster à nobis expetit, ut corporali abstinentia diem Dominicam celebremus, sed quærit obedientiam, per quam nos, calcatis terrenis actibus, ad cœlum usque misericorditer provehat. Si quis igitur vestrum hanc salubrem exhortationem parvipenderit, aut contemptui tradiderit, sciat, se pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps Sacerdotali quoque iræ implacabiliter subjacere. Si Causidicus fuerit, irreprabiliter causam amittet; si rusticus, aut servus, gravioribus fustium ictibus verberabitur; si Clericus, aut Monachus, mensibus sex à consortio suspendetur fratrum.

Can.

Can.II. *De Paschate per sex dies festos celebrando.*

PAscha nostrum, in quo summus Sacerdos, & Pontifex pro nostris delictis immolatus est, omnes debemus festivissimè colere, & in illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere.

Can.III. *De Baptismo in Paschate celebrando.*

DEcernimus, ut extra tempora decreta Baptismi nullus filios suos baptizet, nisi infirmitas nimia, vel dies extremus compulerit filios suos Baptismum suscipere.

Can. IV. *De oblationibus in omnibus Dominicis diebus à populo faciendis.*

ITem statuimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tàm panis, quàm vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fastibus careant, & cum Abel, vel ceteris justè offerentibus promereantur esse consortes.

Can. V. *De decimis à populo Clericis ex antiquo more persolvendis.*

OMnes reliquas fidei sanctæ Catholicæ causas, quas temporis longitudine cognovimus deterioratas fuisse, oportet nos ad statum pristinum revocare, ne nobis simus adversarii, dum ea, quæ cognoscimus ad nostri ordinis qualitatem pertinere, aut non corrigimus, aut (quod nefas est) silentio præterimus. Leges namque divinæ, consulentes Sacerdotibus, ac ministris Ecclesiarum, pro hæreditaria portione, omni populo præceperunt decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo labore impediti per res illegitimas, spiritualibus possint vacare ministeriis, quas Leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Unde statuimus, ut decimas Ecclesiasticas omnis populus inferat, quibus Sacerdotes, aut in pauperum usum, aut captivorum redemptionem prorogatis, suis orationibus pacem populo, ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis fuerit, à membris Ecclesiæ omni tempore separetur.

Can. VI. *De Missis jejunè celebrandis.*

CAnon 6. est Canon 29. Concilii Carthaginensis III. qui etiam corrigitur per cap. 29. Sextæ Synodi.

Can. VII. *De personis Ecclesiasticis ab episcopis judicandis.*

STatuimus insuper, ut liberti Ecclesiæ per solos Episcopos judicentur.

Can. VIII. *De reis ab ecclesia non extrahendis.*

ITem decernimus, ut quicumque, culpa compellente, aut potentum importuna non sustinens, suæ gremium matris Ecclesiæ petierit, in eodem loco inconfusè permaneat, nulli permittentes, quolibet gradu dignitatis functo, fugitivo in locis sacris violentiam inferre.

Can. IX. *De episcopis ad sæcularia judicia non trahendis.*

STatuimus etiam, ut episcopus per sæcularem potestatem non judicetur. Nefas est enim, ut illius ma-A nibus Episcopus, aut jussione de Ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui, invocato nomine Domini, ad salvationem corporis, animæque Eucharistiam sæpè porrexit. Hoc enim Decretum à nobis præfixum qui fuerit audacter transgressus, tàm ipse, quàm omnes qui ei consenserint, usque ad Generale Concilium, anathemate de Ecclesia separentur.

Can. X. *De Clericis coram Episcopis conveniendis.*

QUod de Episcopis censuimus, vim obtineat, & in Clero, ut neque Presbyter, nec Diaconus, neque Subdiaconus de Ecclesiis trahantur, aut injuriam aliquam (inscio Episcopo eorum) patiantur: sed quidquid quis adversus eos habuerit, in notitiam episcopi
B proprii perducat, & ipse causam, justitia præeunte, discutiens, animo Clericos accusantis satisfaciat.

Can.XI. *De hospitalitate servanda.*

SEctatores hospitalitatis nos esse non solùm Dominus Jesus admonet, cùm se dicit in hospitem receptum fuisse; sed etiam Apostolus omnibus penè præceptis. Propterea, beatissimi fratres, unumquemque nostrum oportet non solùm semetipsum ad hoc opus aptare, sed etiam omnium fidelium mentes, ut possint apud Deum misericordiæ operibus pro nostris peccatis intercedere, & nos ei per veram hospitalitatem reconciliari. Si quis ergo nostrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis suæ ipse priùs comprobaverit opere, indi-
C gnationem divinæ procul dubio incurret majestatis. Prædicetur hoc nostræ mediocritatis Statutum in auribus omnium Christianorum.

Can. XII. *De viduis, & pupillis non nisi coram Episcopo judicandis.*

QUid autem scriptura divina de viduis, & pupillis præcipiat, nobis clam non est; ideoque quia provisioni nostræ (Deo auctore) causæ principaliter viduarum, & pupillorum sunt commissæ, decernimus, ut Judices non prius viduas, & pupillos conveniant, nisi Episcopo nuntiarint, cujus sub velamine degunt. Quod si Episcopus præsens non fuerit, Archidiaconus, & Presbyter pariter sedentes, communi deliberatione cau-
D sis eorum terminos figant, ita justè, & rectè, ut deinceps de talibus antedictæ personæ non conquassentur. Quod si quis Judex, aut impetitor eis injuriam aliquam ingesserit, aut hanc definitionem transgressus fuerit, à communione suspendatur.

Can.XIII. *De canibus, & accipitribus ab Episcopis non alendis.*

VOlumus igitur, quod episcopalis domus, quæ ad hoc instituta est, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat, ne fortè hi, qui in ea miseriarum suarum levamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum.
E Custodienda est igitur Episcopalis habitatio hymnis, non latratibus; operibus bonis, non morsibus venenosis. Ubi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.

Can.XIV. *De violentia potentum in miseros coercenda.*

EX interpellatione quorundam cognovimus, quod calcatis Canonibus, & Legibus, hi, qui lateri Regis adhærent, vel aliqui, qui potentia sæculari inflantur, res alienas competere, & nullis exertis actionibus, aut conjunctionibus prærogatis, non solùm miseros de agris, sed etiam de domibus propriis exulare. Idcircò id

id remedium consulentes decernimus, ut deinceps hujus mali licentiam quispiam non habeat, sed secundum Canonum, atque Legum tenorem, causarum suarum actionem proponat, ut nullus miserorum rebus suis per vim, aut assentationem quamlibet defraudetur. Illi autem, qui contrà fecerint, procellosi anathematis ultione plectantur.

Can. XV. *De honore Clericis honoratioribus à sæcularibus exhibendo, adeo ut Clerico pedestri eques obviam sæcularis ad terram desiliat.*

STatuimus, ut si quis quempiam Clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris veneranter illi colla subdat, prout is officia, & obsequia fidelissima Christianitatis jure promeruit, & si quidem ille sæcularis equo vehitur, Clericusque similiter, sæcularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis manus adhibeat. Si verò Clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo, illico ad terram defluat, & debitum honorem illi sinceræ charitatis exhibeat. Qui verò horum, quæ Spiritu sancto dictante sancita sunt, transgressor fuerit, ab Ecclesia, quamdiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur.

Can. XVI. *De uxoribus Clericorum, ne post eorum mortem ineant secunda matrimonia.*

ILlud quoque rectum à nobis visum est disponere, ut quæ uxor Subdiaconi, vel Exorcistæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in Cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem usque ad exitum vitæ permaneat.

Can. XVII. *De alienæ sepulturæ jure non usurpando.*

COmperimus multos, nec dum marcidatis mortuorum membris, sepulchra reserare, & mortuos suos super imponere, & aliorum (quod nefas est) pro mortuis suis religiosa loca usurpare sine voluntate Domini sepulchrorum: ideoque statuimus, ut nullus deinceps hoc peragat. Quod si factum fuerit, secundum Legem superimposita corpora de eisdem tumulis rejactent.

Can. XVIII. *De incestuosis copulationibus vitandis.*

INcestam copulationem, in qua nec conjuges, nec nuptias rectè appellare Leges sanxerunt, Catholica detestatur Ecclesia, & gravioribus pœnis eos afficere permittit, qui nativitatis suæ gradus libidinoso ardore contemnentes, in stercore, ut sues teterrimi, convolvuntur.

Can. XIX. *De Clericis, ne forum criminale frequentent, nec reorum neci intersint.*

ITem statuimus, ut ad locum, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est, nullus clericorum accedat.

Can XX. *De concilio tertio quoquo anno celebrando.*

DEcernimus etiam, ut ad Synodum post triennii tempus omnes conveniant, & hoc adimplere sollicitudinis sit Metropolitani Lugdunensis Episcopi, unà cum dispositione magnifici Principis nostri, definientis locum, ad quem omnes congregentur. Si aliquis eorum contumax fuerit, aut excusationem falsæ necessitatis invenerit, volumus, ut usque ad Concilium Generale à communione maneat alienus.

Subscripserunt Priscus Lugdunensis, Evantius Viennensis, & 41. alii Episcopi. Missi ab aliis Episcopis 18. A & tres Episcopi non habentes sedem, Frovimus, Prometius, Faustianus.

Concilium Valentinum Galliæ II. sub Pelagio II. Papa, celebratum an. Dom. 589.

IN hoc Concilio nihil aliud factum invenitur, quàm quod ad instantiam Regis Guntheramni, donationes, quas ad pias causas, nimirum in usus pauperum, & Ecclesiæ, ipse, ejusque posteri contulerant, vel collaturi essent, privilegiis, & immunitatibus Ecclesiasticis donatæ fuerint. Celebratum est autem Concilium 10. Kal. Julias, in fine anni 24. Guntheramni Regis.

Concilium Toletanum III. sub Pelagio II. ann. Domini 589. celebratum, in quo Gothi in Hispania, abjurata Arrianæ hæreseos perfidia, Orthodoxam fidem profitentur. B

COncilium hoc habitum est Æra 627. ut habent Codices Manuscripti, sub Reccaredo Rege, Pelagio II. Papa, & Euphemio primæ sedis Toletanæ Episcopo. *Æra Hispanica.*

Valde memorabile Concilium, ut advertit Cabassutius in notitia Concil. quippe convocatum felicissimis auspiciis, cum primum Catholica fides prius sub Vuisigothis Arrianis oppressa in Hispaniis refloruerit, quam prius Rex Leovigildus Arrianus atrociter persequutus fuerat. Cujus filius minor Reccaredus opera S. Leandri Hispalensis ad fidem conversus post Patris mortem, accepto regno, religionem Catholicam omni studio fovere conatus est. Unde sub ipso hæc Synodus celebrata est Hispanicæ æræ anno 627. quæ Christiana epocha anterior est annis 38. C

In nomine Domni nostri Jesu Christi ann. 4. regnante gloriosissimo atq; piissimo, & Deo fidelissimo Reccaredo Rege, die 8. Iduum Majarum, Æra 627. hæc sancta Synodus habita est in sancta civitate Regia Toletana ab Episcopis totius Hispaniæ, & Galliciæ, qui infrascripti sunt. Cum pro fidei sinceritate, idem gloriosissimus Princeps omnes regiminis sui Pontifices in unum convenire mandasset, ut tàm de ejus conversione, quàm de gentis Gothorum innovatione in Domino exultarent, & divinæ dignationi pro tanto munere gratias agerent, memoratus sanctissimus Princeps, sic venerandum Concilium alloquitur: Non incognitum reor esse vobis, Reverendissimi Sacerdotes, quod propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam ad nostræ vos serenitatis præsentiam evocaverim: & quia decursis retro temporibus, hæresis imminens in tota Ecclesia catholica agere Synodica negotia denegabat; Deus, cui placuit per nos ejusdem hæresis obicem depellere, admonuit instituta de more Ecclesiarum reparare. Ergo sit vobis jucunditatis, sit gaudii, quod mos Canonicus prospectu Dei per nostram gloriam ad paternos reducitur terminos. Prius tamen admoneo pariter, & exhortor, jejuniis vos, & vigiliis, atque orationibus operam dare, ut ordo Canonicus, quem à Sacerdotalibus sensibus detraxerat longa, atque diuturna oblivio, quam ætas nostra se nescire fatetur, divino dono vobis rursum patefiat. Ad hæc autem gratias Deo agentes, & religiosissimo Principi universo Concilio in laudibus acclamante, triduanum est exinde prædicatum jejunium. Sed cùm die 8. Iduum Majarum in unum cœtum Dei Sacerdotes adessent, & oratione præmissa, unusquisque Sacerdotum competenti loco resedisset, ecce in medio eorum adfuit Serenissimus Princeps, seque cum Dei Sacerdotibus orationi communicans, divino deinceps flamine plenus, sic ad loquendum exorsus est, dicens: D *Allocutio Recc. ad Conc.* E

Non credimus, vestram latere sanctitatem, quanto tempore in errore Arrianorum laborasset Hispania, & non multos post decessum genitoris nostri dies, quibus nos vestra beatitudo Fidei sanctæ Catholicæ cognovit esse sociatos, credimus generaliter magnum *Gothorum conversio.*

magnum, & æternum habuisse: & ideo venerandi Patres ad hanc vos peragendam congregari decrevimus Synodum, ut de omnibus nuper advenientibus ad Christum, ipsi æternas Deo gratias referatis. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide, atque spe vestra, quam gerimus, in hoc Tomo conscripta, atque alligata, nota facimus. Relegatur ergo in medio vestri, & in judicio Synodali examinata, per omne successivum tempus gloria nostra ejusdem fidei testimonio declarata clarescat.

Susceptus est autem ab omnibus Dei Sacerdotibus, offerente Rege, sacrosanctæ fidei Tomus, & pronuntiante Notario, clara voce recensitus est, in quo confessus est fidem Catholicam juxta Canones quatuor Conciliorum Generalium, cui subscripsit Rex, his verbis: *Huic verò confessioni meæ sanctarum Scripturarum, & Conciliorum constitutionibus consentiens, testimonio divino tota cordis simplicitate subscripsi.*

Tunc acclamatum est in laudibus Dei, & in favore Principis ab universo Concilio, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, cui cura est, pacem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ providere, &c.

Nota. *In confessione Episcoporum Concilii Toletani IV. c. 15. & 23. sic habetur*: Statuimus, ut in fine Psalmorum non Gloria Patri, sed Gloria, & honor Patri dicatur. *De qua re scribit sanctus Hieronymus ad Damasum (si ejus est epistola, & non potius adulterina.) Nicephorus, libro* 3. *cap.* 8. *Cassianus de instit. Cœnobiticis, lib.* 2. *cap.* 9. *Hymnum glorificationis, hoc est*: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, *ab Apostolorum instituto fluxisse, Auctor est Divus Basilius, libro de Spiritu sancto, cap.* 7. 27. *&* 29. *& eo tempore, quo ab Apostolis promulgatum est Euangelium, ab eisdem occini cœptum, cùm jussu Domini sacrum Baptisma, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit fidelibus collatum In Concilio Nicæno adjectum adversus Arrianos*. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. *Id constat ex Concilio Vasensi, cap.* 5.

Deinde universo Concilio jubente, unus Episcoporum Catholicorum ad Episcopos, & religiosos Clericos, vel majores natu, ab hæresi Arriana conversos, sic est allocutus: Officii nostri cura compellimur, à vestra charitate perquirere, quid damnetis in hæresi, aut quid intra sanctam Catholicam credatis Ecclesiam. Tunc Episcopi omnes unà cum Clericis suis, Primoresque gentis Gothicæ pari consensione dixerunt: Licet hoc, quod tua Paternitas, atque Fraternitas vestra à nobis cupit audire, jam olim conversionis nostræ tempore egerimus, quando secuti gloriosissimum Reccaredum Regem nostrum ad Ecclesiam transivimus, & perfidiam Arrianam cum omnibus superstitionibus suis anathematizavimus; nunc tamen propter charitatem, & devotionem, quam Deo, & Ecclesiæ Catholicæ debemus, quæ petitis, promptissimè agere properamus, sed & si qua adhuc congrua fidei esse perspicitis, ac nobis charitate persuadetis, faciemus.

Omnis ergo, qui fidem, & communionem ab Arrio venientem, & usque ad nos retentam adhuc tenere desiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema sit.

Quicunque Filium Dei Dominum Jesum negaverit à paterna substantia sine initio genitum, & æqualem Patri esse, vel consubstantialem, anathema sit.

Quicunque Spiritum sanctum non credit, aut non crediderit à Patre, & Filio procedere, eumque non dixerit coęternum esse Patri, & Filio, & coessentialem, anathema sit.

Quicumque in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & personas non distinguit, & unius Divinitatis substantiam non agnoscit, anathema sit.

A Quicumque Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sanctum, juxta Deitatem esse Patre minorem asseruerit, & gradibus separaverit, creaturamque esse dixerit, anathema sit.

Quicunque nescire Filium Dei, quod Deus Pater sciat, dixerit, anathema sit.

Quicumque Filium Dei, secundum Divinitatem suam, visibilem, aut passibilem ausus fuerit proferre, anathema sit.

Quicunque Spiritum sanctum, sicut Patrem, & Filium, verum Deum, & omnipotentem esse non credit, anathema sit.

Quicunque alibi fidem, & communionem Catholicam, præterquam in Ecclesia Universali, quam Nicæni, B & Constantinopolitani, & primi Ephesini, & Chalcedonensis Concilii decreta tenent, pariter & honorant, anathema sit.

Quicumque Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, honore, & gloria, & Divinitate separat, aut disjungit, anathema sit.

Quicunque non dixerit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, anathema sit.

Quicumque rebaptizandi sacrilegium opus esse bonum credit, aut crediderit, agit, aut egerit, anathema sit.

Quicumque Ariminense Concilium ex toto corde non respuerit, & damnaverit, anathema sit.

Sint ergo damnata in cœlo, & in terra, quæcunque C per hanc Catholicam fidem damnantur: & sint accepta in cœlo, & in terra, quæcunque per hanc fidem accipiuntur, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto est gloria in sæcula sæculorum.

Subscripserunt omnes Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ex hæresi Arriana conversi, & Gothorum viri illustres, & omnes seniores subscripserunt.

DECRETA CONCILII.

Can.I. *Ut Conciliorum statuta, & Præsulum Romanorum decreta custodiantur.*

Post damnationem hæresis Arrianæ, & fidei sanctæ Catholicæ expositionem, hoc sanctum præcipit Concilium, ut quia à nonnullis, vel hæresis, vel D gentilitatis necessitate per Hispaniarum Ecclesias Canonicus prætermissus est ordo, dum & licentia abundare transgrediendi, & disciplinæ optio negaretur, dum omnis excessus hæresis foveretur patrocinio, & abundantia mali temporis procul esset districtio disciplinæ. At nunc pace Ecclesiæ, Christi misericordia, reparata, quod priscorum Canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcepit fieri. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium Constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum Epistolæ Romanorum. Nullus deinceps ad promerendos honores Ecclesiasticos contra Canonum statuta aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres, Spiritu Dei pleni, sanxerunt debere non fieri. *Epist. tif.*
E Et qui præsumpserit, severitate priorum Canonum distringatur.

Can.II. *Ut in omnibus Ecclesiis die Dominica Symbolum recitetur.*

Petitione Reccaredi Regis constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Galliciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum fidei recitetur, & priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara prædicatur, quo fides vera manifesta sit, testimonium habeat, & ad Christi Corpus, & Sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.

Can.

A

Can. III. *Ut ne quis extra necessitatem rem Ecclesiæ alienet.*

HÆc sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit res alienare Ecclesiæ, quia & antiquioribus Canonibus hoc prohibetur. Si quid verò, quod utilitatem non gravet Ecclesiæ, pro suffragio Monachorum, vel Ecclesiarum ad suam Parochiam pertinentium dederint, firmum maneat. Peregrinorum, vel Clericorum, & egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiæ, præstare permittuntur pro tempore, quæ potuerint.

Can. IV. *Quod licet religionis intuitu res Ecclesiæ alienare.*

SI Episcopus verum de Parochianis Ecclesiis Monasterium dedicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi. Qui etiam, si de rebus Ecclesiæ pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, sit stabile. Rei enim benè statuendæ sanctum Concilium dat consensum.

Can. V. *Ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non vivant.*

COmpertum est à sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero hoc fiat, præcipitur, quod & Canonibus prioribus continetur, ut non liceat eis vivere in libidinosa societate, sed manente inter eos conjugali lege communem utilitatem habeant, & non sub uno conclavi maneant. Vel certè si suffragatur virtus, in alia domo suam uxorem faciat habitare, ut castitas apud Deum, & apud homines habeat testimonium in bonum. Si quis verò post hanc conventionem abscœnè cum uxore elegerit vivere, ut neglector habeatur. Qui verò semper sub Canone Ecclesiastico jacuerint, si contra veterum imperata in suis cellulis mulierum, quæ infamiæ suspicionem possunt generare, consortium habuerint, illi Canonicè quidem distringantur, mulieres verò ab Episcopis venundentur, & pretium ipsum pauperibus erogetur.

...tus. Nota. *Ex hoc Canone evidenter colligitur, quod his temporibus neque in Sicilia, neque etiam in Hispania Subdiaconis continentia adhuc imperata fuerit, cum hoc loco Sacerdotes tantum, atque Diaconi absque uxoribus castè vivere admoneantur. Refert sanctus Gregorius ep. 42. lib. 1. quam scripsit ad Petrum Subdiaconum Siciliæ, quod anno 591. Indict. 9. in Sicilia constitutum fuerit, ut Subdiaconi cum uxoribus ante Subdiaconatum sibi conjunctis permanerent, moreque Romanæ Ecclesiæ continentiam servarent, etsi usus conjugii eis anteà concessus fuerit, quod sancto Gregorio durum, & incompetens videretur, cujus sententia constitutum fuit, ne quis deinceps Subdiaconus ordinaretur, nisi qui se castè victurum promiserit. Vide prædictam epistolam Gregorii ad Petrum Subdiaconum.*

Can. XI. *Ut liberti ab Episcopo defendantur.*

...De ...s. DE libertis autem hæc præcipit sancta Synodus, ut si qui Presbyteri, vel Diaconi ab Episcopis facti sunt, secundum modum, quo Canones antiqui dant licentiam, sint liberi, & tamen à patrocinio ecclesiæ, tàm ipsi, quàm ab eis progeniti non recedant. Ab aliis quoque libertati traditi, & Ecclesiis commendati, patrocinio Episcopi colligantur, &, ne cuiquam donentur, hoc à Principe Episcopus postulet.

Can. VII. *Quod sacrarum Scripturarum lectio Sacerdotalibus conviviis misceatur.* *Canon notabilis.*

PRo reverentia Dei, & Sacerdotum id universa constituit Synodus, ut (quia solent crebrò mensis otiosæ fabulæ interponi) in omni Sacerdotali convivio *D.44. Pro reverētia.* lectio divinarum Scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.

Can. VIII. *Ut Clerici de familia fisci à Principe non donentur.*

B JUbente autem, atque consentiente Domino Reccaredo Rege, id præcipit Sacerdotale Concilium, ut Clericos ex familia fisci nullus audeat à Principe donatos expetere, sed tradito capitis sui tributo, Ecclesiæ Dei, qui sunt alligati, usque dum vivunt, regulariter administrent.

Can. IX. *Ut Ecclesiæ Arrianorum ad Catholicum Episcopum, in cujus Diœcesi sunt, pertineant.*

DEcreto hujus Concilii hoc statuitur, ut Ecclesiæ, quæ fuerunt in hæresi Arriana, nunc autem sunt Catholicæ, ad eos Episcopos cum suis rebus pertineant, ad quos Parochiæ ipsæ, in quibus ipsæ Ecclesiæ fundatæ sunt, pertinere videntur.

C Can. X. *Ut mulier invita viro non nubat.*

VIduæ, quibus placuerit, teneant castitatem, non tamen ad nuptias vi venire cogantur. Similis *32. qu. 2. Hoc sanctum confirmat.* conditio & de virginibus habeatur. Si quis verò propositum castitatis viduæ, vel virgini impedierit, à sancta communione, & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.

Can. XI. *Ut pœnitens pœnitentiam agat.*

QUoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent, & ideò pro coercenda tàm execrabili D præsumptione, id à sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicuti Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat. Hi verò, qui ad propria vitia, vel intra pœnitentiæ tempus, ut post reconciliationem labuntur, secundum priorum Canonum severitatem damentur.

Can. XII. *De his, qui pœnitentiam poscunt, si vir est, prius tondeatur; si fœmina, priùs habitum mutet.*

E QUicumque ab Episcopo vel Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus servet, & Presbyter, ut, si vir est, sive sanus, sive infirmus, priùs eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi priùs, aut velata fuerit, aut mutaverit habitum. sæpius enim laicis cum feminis tribuendo desidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.

Can.

A

Can. XIII. *Ut Clerici, qui sæculares Judices appetunt, excommunicentur.*

11.q.1. *Insolita præsumptio.* INsolita præsumptio usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut Clerici Clericos suos (relicto suo Pontifice) ad judicia publica pertrahant. Proinde statuimus, ut hoc de cetero non præsumatur. Si quis hoc præsumpserit facere, conventus, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

Can.XIV. *De Judæis.*

COnventus noster hoc Canonibus inserendum præcepit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas, neque mancipium Christianum in usus proprios comparare: sed & filios, qui ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad Baptismum. Nulla officia publica eis injungantur, per quæ eis occasio tribuatur Christianis pœnam inferre. Si verò Christiani ab eis in Judaismo * ritu sunt maculati, vel etiam circumcisi, non reddito pretio ad libertatem, & religionem redeant Christianam.

B

D.54. *Nulla officia publica. Judaico.*

Can.XV. *Ut servi fisci, qui Ecclesias construunt, eisdem dotem faciant.*

SI qui ex servis fiscalibus fortasse Ecclesias construxerint, easque de sua paupertate dotaverint, has procuret Episcopus prece sua auctoritate regia confirmari.

C

Can. XVI. *Ut Episcopi cum judicibus idola destruant, & domini idololatriam servis prohibeant.*

QUoniam penè per omnem Hispaniam, sive Galliciam idololatriæ sacrilegium inolevit, hoc cum consensu gloriosissimi Principis sancta Synodus ordinavit, ut omnis sacerdos in loco suo, unà cum Judice territorii, sacrilegium memoratum studiosè perquirat, & exterminare inventum non differat. Omnes verò, qui ad talem errorem concurrunt, sine discrimine, qua poterunt animadversione, coerceant. Quod si neglexerint, sciant se utrique excommunicationis periculum esse subituros. Si qui verò domini extirpare hoc malum de possessione sua neglexerint, & familiæ prohibere noluerint, ab episcopo & ipsi à communione pellantur.

D

Can.XVII. *Ut Episcopi cum Judicibus necatores filiorum acriori disciplina corripiant.*

CUm multæ querelæ ad aures sancti Concilii deferentur, inter cætera tantæ crudelitatis opus est nuntiatum, quantum confidentium aures Sacerdotum non possent sustinere, ut in quibusdam Hispaniæ partibus filios suos parentes interimant, fornicationis avidi, pietatis alieni; quibus si tædium est filios numerosos alere, priùs seipsos debent castigare à fornicatione. Nã, dum causa propagandæ prolis sortiuntur conjugia, parricidio, & fornicationi tenentur obnoxii, qui filios necando proprios, docent se non pro filiis, sed pro libidine uxores duxisse. Proinde tantum nefas ad cognitionem gloriosissimi nostri Reccaredi Regis perlatum est, cujus gloria dignata est Judicibus earumdem partium imperare, ut amovendum tantum facinus diligenter cum Sacerdote procurent, & adhibita severitate prohibeant. Ergo & Sacerdotes locorum eorundem, in quibus sceleris hujus immanitas peragitur, sancta Synodus præcipiendo convenit, ut idem scelus cum Judice curiosius quærant, & sine capitali vindicta acriori disciplina prohibeant.

E

Can.XVIII. *Ut Ecclesiæ cum dotibus suis in episcopi potestate consistant.*

SIc quidam contra Canonum auctoritatem Ecclesias, quas ædificaverunt, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum taliter in præterito corrigatur, ut in futuro, ne fiat, prohibeatur, & omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem, & potestatem pertineant. 10.q. *quid contra*

Can.XIX. *Ut episcopus angarias, vel indictiones in Diœcesi non imponat.*

QUia cognovimus, episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter agere, sed crudeliter desævire. Et dum scriptum sit: Forma estote gregi, non ut dominantes in Clerum, qui exactiones Diœcesi suæ, vel damna infligunt, ideò censemus (excepto quod veterum Constitutiones à Parochiis habere jubent episcopos) ut alia, quæ illis hucusque præsumpta sunt, denegentur, hoc est, neque in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque aliquibus fatigentur indictionibus, ne videantur in Ecclesia Dei exactores, potius quàm Pontifices nominari. Hi verò Clerici tàm locales, quàm Diœcesani, qui se ab episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant, & Metropolitanus non moretur hujusmodi præsumptiones avertere. 10. *Quia cognovi*

Can.XX. *Ut non liceat Judicibus, Clericos, vel servos Ecclesiæ in suis angariis occupare.*

ECclesiarum servos, & Episcoporum, vel Presbyterorum, vel omnium Clericorum à Judicibus, vel exactoribus publicis in diversis angariis fatigari dolemus. Propter quod omne Concilium à pietate gloriosissimi Domini nostri poscit, ut tales usus deinceps inhibeat, sed servi supradictorum officiorum in eorum usibus, vel Ecclesiæ laborent. Si quis verò Judicum, aut actorum Clericum, aut servum Clerici, vel Ecclesiæ in publicis, ac privatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus. 12.q. *clesiar servos*

Can.XXI. *Quod qui spem futuræ resurrectionis habent, de mortuis tristari non debent.*

QUi divina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & psallentium vocibus debent ad sepulchrum ferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut familias cædere, omnino prohibemus. Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis Christianorum, corporibus famulatus divinorum impenditur Canticorum. Prohibet enim nos Apostolus sanctus lugere defunctos, dicens: *De dormientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Dominus non flevit Lazarum mortuum, sed ad hujus vitæ ærumnas ploravit resuscitandum. Si autem potest hoc episcopus omnibus Christianis prohibere, non moretur agere: religiosis autem omnino aliter fieri non debere, censemus. Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum. 13.qu *Qui na vo tione* 1.T

Can.XXII. *Quod in sanctorum natalitiis ballimathiæ prohibeantur.*

IRreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates, & festivitates agere consuevit. Populi, qui debent officia divina attendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solùm mala cantantes, sed etiam Religiosorum officiis perstrepunt. De C 3. Irr *sa c tudo*

Hoc

Hoc enim, ut ab omnibus provinciis depellatur, Sacerdotum, & Judicum à Concilio sancto curæ committitur.

Post confessionem ergo, & subscriptionem omnium Episcoporum, & totius gentis Gothicæ seniorum, Reccaredus Rex Dei Sacerdotes piè, & benignè affatus est, & post alia verba hoc subjecit Decretum.

Hoc adhuc necessarium pro firmitate Catholicæ fidei nostræ Deo supplex instituere decrevit auctoritas, ut propter roborandam gentis nostræ novellam conversionem, omnes Hispaniarum, & Galliciæ Ecclesiæ hanc regulam servent, ut omni sacrificii tempore ante communicationem Corporis Christi, & Sanguinis, juxta Orientalium partium morem unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant Symbolum, ut primùm populi, quam credulitatem teneant, fateantur, & sic corda fide purificata ad Christi corpus, & Sanguinem percipiendum exhibeant.

Publico Edicto Regis confirmatum est concilium, & singula ejus capitula in unam summam redacta, confirmavit dicens: Flavius Reccaredus Rex hanc deliberationem, quam cum sancta definivimus Synodo, confirmans, subscripsi. Subscripseruntque Episcopi præsentes.

Concilium Romanum II. sub Pelagio II. Anno Domini 580.

HUjus Concilii mentio habetur in epistola Pelágii, quam scripsit ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, his verbis: *Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum, sive cęterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, &c.* Quid in ea actum sit, indicat allegata epistola, quam apud Binium invenies.

Concilium Narbonense sub Reccaredo Rege Suevorum, anno Domini 589. celebratum.

IN hoc Concilio de disciplina Ecclesiæ reformanda ab octo Episcopis Provinciæ Narbonensis in Gallia, quæ eidem Suevorum Regi, qui in Hispania dominabatur, parebat, sexdecim Canones editi repeririuntur.

I. Hoc regulariter definitum est, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad Religiosam dignitatem.

II. Ut in psallendi ordinibus per quemque Psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo: per majores verò Psalmos, prout fuerint prolixius, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur.

III. Nullus Clericus, Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter in plateis resideat: certè nec in plateis stare, & famulis diversis commisceri. Quod si quis facere pręsumpserit, repellendum omnino ab officio, & execrandum; si non emendaverit, & à communione, & ab officio privetur.

IV. Ut omnis homo, tàm ingenuus, quàm servus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Judæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boves jungantur, excepto, si in metendo necessitas incubuerit.

V. Secundum Concilium Nicænum sanctissimum, conciliabula, vel conjurationes non fiant Clericorum: nec unusquisque de inferiori gradu seniorem sibi elatus aut increpet, aut injuriet. Quod si quis, prætermisso tàm justæ censuræ ordine, ausus fuerit facere, districtione sævissima corrigatur.

VI. Quicumque fuerit culpabilis inventus Clericus, aut honoratus de civitate, & ad Monasterium fuerit deportatus, sic Abbas, qui est præfectus, cum illo, qui dirigitur, agat, sicut ab Episcopo manifesta correctione fuerit ordinatus.

VII. Quicunque Clericorum contra sanctæ Eccle-

A siæ utilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, merito dejiciatur, qui fidem servare minimè cognoscitur.

VIII. Quicumque Clericus sine conscientia Episcopi aliquid de possessionibus, vel de domo Ecclesiæ tulerit, aut fraudem fecerit, non solùm cum omni dedecore constricti restituat, quod fecit; sed etiam non debere ibi in Ecclesia esse, ubi fraudem visus est operasse: duobus jaceat sub pœnitentia annis, & cum defleverit factum, revertatur ad officium.

IX. Judæis non liceat corpus defuncti deducere psallendo, sed ut eorum habuit mos, & consuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant.

X. Nullus Clericus audeat Ordinationem sui Episcopi contemnere: quod si sub cothurno superbiæ neB glexerit implere, non solùm à stipendio, sed uno anno à communione privetur.

XI. Nulli Episcoporum liceat ordinare Diaconum, aut Presbyterum litteras ignorantem; sed, si qui ordinati fuerint, cogantur discere.

XII. Dum Missa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de Altario audeat. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel Lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumat exuere. Quod si quisquam non impleverit constitutum, Presbyteri increpentur, ut redeant, Diaconos & execrandos, & stipendio privandos, reliquos flagris coercendos.

XIII. In hoc Canone decernitur contra divinatores, caragios, seu sorticularios tàm Christianos, quàm JuC dæos, quod ubi inventi fuerint, gravissimè publicè fustigentur, & venundentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur.

Reliqui Canones dimittuntur, quia non faciunt ad rem.

Concilium Hispalense I. circa tempora Gregorii Papæ I. (urbs nunc dicitur Sevilla) anno Domini 590.

COncilium hoc fuit congregatum anno Domini 590. Æra 628. anno 5. Reccaredi Regis. Extat epistola ex Concilio missa Pegasio Astigitano Episcopo: alia verò plura in Concilio decreta non extant.

Domino sancto, & reverenter à nobis honorando, D charissimo Fratri Pegasio Episcopo, Leander, Joannes, Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus, Finitio, & Petrus Episcopi, qui una in urbe Hispalensi affuimus sanctitatem tuam charitatis studio salutantes, precamur Dominum, qui nos de salute mutua, vel visione lætificare dignetur, te lętum multo conservet in tempore.

1. Interea confidentibus nobis in Ecclesia Hispalensi sancta Jerusalem, brevem mancipiorum Ecclesiæ, quæ liberasse visus fuerat præcessor tuus sanctæ recordationis Gaudentius Episcopus, vestri nobis Diaconi obtulerunt, & non solùm, quę liberaverat, ibidem relegimus, sed etiam, quæ proximis suis de familiis Ecclesiæ donaverat, in eodem brevi invenimus annotata. Qua de re Canonum instituta consuluimus, si talis libertas, aut tractio potuisset esse stabilis. Comperimus E autem in Canone, ut Episcopus, qui res proprias, excepto filiis, & nepotibus, alteri, & non Ecclesiæ suæ dimiserit, quicquid de Ecclesiæ rebus aut donavit, aut vendidit, aut quoquo modo ab Ecclesia transtulerit, irritum haberetur. Et ideò si res præcessoris tui Gaudentii Episcopi Ecclesia vestra non possidet, liberi, qui ab eo facti sunt, non sunt legitimè absoluti. Cęterùm, si res illius in compensationem Ecclesiæ vestrę deserviunt, illi prorsus maneant liberi. Nam (ut dictum est) si præstitum de rebus suis non fecit, tale damnum utique ferre non debuit. Propterea ergo de uno consensu omnes significamus, magis humaniùs, quàm severiùs cogitantes, ut hi, quos constat tali conditione fuisse libera-

beratos, in jure Ecclesiæ maneant, ut idonei, & peculium suum non aliis personis, sed tantùm filiis suis derelinquant. Ipsis quoque filiis, & nepotibus cum peculiis ipsorum, quasi idoneis in jure Ecclesiæ permanentibus, in extraneam eis non liceat personam quippiam transmittere. Si qui eorum sine hærede decesserint, peculium eorum sanctæ proficiat Ecclesiæ.

2. Ea verò mancipia, quæ memoratus de jure Ecclesiæ sublata suis proximis contulit, si similia de proprio suo Ecclesiæ ipsi non compensavit, Ecclesia vestra absque aliqua oppositione recipiat. Hanc formam non solùm vestra, hoc est, Astigitana servabit Ecclesia, sed & omnes, qui per omnem Beticam provinciam tali conditione, vel sorte de jure Ecclesiæ commearunt, pari sententiæ subjacebunt. Durum est enim, atque irreligiosum, ut Episcopus, qui Ecclesiasticis stipendiis vivit, & proprietatem suam lucris Ecclesiæ minimè confert, aliorum oblationes à jure Ecclesiastico privet.

cap. 2. Concil. 2. Toletan. 3. Inter cætera verò cognoscite à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis Clericorum, quia quidam Episcoporum, non observantes nuper editum Concilii Toletani decretum, minus soliciti in subjectis existunt: placuit proinde, ut si Presbyter, Diaconi, vel clerici consortia extranearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem à se minus removerint, seculi judices easdem mulieres cum voluntate, & permissu Episcopi comprehensas, in suis lucris usurpent, ut vitium hoc, dum sacerdos inhibere *Concubinæ Sacerdotum.* non prævalet, potestas judicialis coerceat: dato tamen ab eisdem judicibus sacramento Episcopo, ut eas Clericis nulla arte restituant. Quod si restituerint, ipsi judices sententia excommunicationis feriantur. Mulieribus verò illis, juxta priores canones à sacerdote distractis, pretium earum indigentibus dispensetur. Quæ statuta manu nostra subscripsimus.

Concil. Romanum I. pro unione schismaticorum, anno Dom. 590. sub Gregorio celebratum.

HÆc Synodus congregata est Romæ ad petitionem Mauritii Augusti. Scripserat enim ad Gregorium Romanum Pontificem, ut auctoritate sua omnes schismaticos Romam ad Synodum convocaret; ut Synodali decreto iis, quæ ab ipsis revocata sunt in dubium, amotis, perfecta Ecclesiæ unitas sanciretur. Addidit, ut nolentes venire sedibus suis ejicerentur. Acquievit petitioni Imperatoris Pontifex, citatus est Severus Aquilejensis cum reliquis schismaticis Episcopis. Recusans accedere, justo Dei judicio ab hostibus Aquileja accensa, sede privatus est, factusque profugus, ad summam inopiam deductus est. Hujus Synodi meminit Gregorius epist. 16. lib. 1. ad Severum Aquilejensem Episcopum scribens, his verbis: *Pro qua re imminente, latore præsentium, juxta Christianissimi, & Serenissimi Domini jussionem ad B. Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata Synodo, de ea, quæ inter nos vertitur, dubietate, quod justum fuerit, judicetur.* Baronius anno 590. num. 28.

Concilium Antisiodorense Diœcesanum præside Aunacbario Episcopo Antisiodorensi, tempore Gregorii 1. anno Dom. 590. celebratum.

IN hoc Concilio reperiuntur sanciti quadraginta Canones ad Ecclesiasticam disciplinam, & Monasticam observantiam: quorum nonnulli, etsi in usu esse desierint, antiquitatis tamen indices remanserunt. Concilium non fuit Provinciale, sed Diœcesanum tantùm, cui solus Aunacharius ejusdem civitatis Episcopus, cum Abbatibus, & Presbyteris ejusdem Diœcesis præfuit. Plura ex iis, quæ in Matisconensi II. Concilio statuta fuerant, cuique ipse Aunacharius interfuit, pariter hìc repetita esse reperiuntur. Ex quo etiam colligitur, paulò post Concilium Matisconense II. hanc Synodum congregatam fuisse.

ANTISIODORENSIS CONCILII Canones.

I NOn licet Kalend. Januarii vecula, aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare, sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.

II. Ut omnes Presbyteri ante Epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuntient, & in ipsa Epiphania ad populum indicent.

III. Non licet conventus in domibus propriis, nec vigilias in festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes, aut arbores sacrivos, vel ad fontes volvere, sed quicumque votum habuerit, in Ecclesia vigilet, & matriculæ ipsum votum, aut pauperibus reddat, nec subtilia pede, aut hominem lineo fieri penitus præsumat.

Prohibentur hìc vigiliæ, quæ cum quadam superstitione, quam admixtam habebant, in privatis domibus fieri consueverant. Hæc expositio confirmatur eo argumento, quod Patres Concilii Matisconensis II. quemlibet diem Dominicum, præcedentibus nocturnis vigiliis, à fidelibus celebrari constituerint. Quod Decretum Provincialis Concilii cum ipse Aunacharius Antisiodorensis Episcopus sua præsentia, & subscriptione confirmaverit; non est probabile, ut per hoc Diœcesanum Concilium illi Constitutioni aliquid derogatum voluerit, cùm præsertim Canone undecimo hujus Concilii, de vigiliis Paschæ religiosè servandis, sanctissimam Constitutionem reddiderint.

IV. Non licet ad sortilegos, vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aspicere, sed, quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini fiant.

V. Omnino & inter supradictas conditiones, vigilias, quas in honore Domini Martini observant, omnimodis prohibere.

VI. Ut à media Quadragesima Presbyteri Chrisma petant, & si quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad Archidiaconum suum, vel Archisubdiaconum transmittat, sed cum chrismatico, & linteo, sicut Reliquiæ Sanctorum deportari solent.

VII. Ut medio Majo omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, ut Kal. Novemb. omnes Abbates ad Concilium conveniant.

VIII. Non licet in altario in Sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum offerre: quia ad grandem reatum, & peccatum pertinet Presbytero illi, quicumque aliud poculum, extra vinum, in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumpserit.

IX. Non licet in Ecclesia choros sæcularium, vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Ecclesia præparare, quia scriptum est: *Domus mea domus orationis vocabitur.* *Matth. Isa. 56*

X. Non licet super uno Altario in uno die duas Missas dicere, nec in Altario, ubi Episcopus Missas dixerit, Presbyter in illa die Missas dicat.

XI. Non licet in Vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias expedire: quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus.

XII Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, vel pallis corpora eorum involvi.

XIII. Non licet Diacono velo, vel palla scapulas suas involvi.

XIV. Non licet in Baptisterio corpora sepelire.

XV. Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI. Non licet die Dominico boves jungere, vel alia opera exercere.

XVII. Non

XVII. Quicumque se propria voluntate in aquam jactaverit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariè se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur. A

XVIII. Non licet, absque Paschæ solemnitate, ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos Gravatarios dicunt. Quod si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad Baptismum detulerit in Ecclesias nostras, non recipiantur. Et quicumque Presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere præsumpserit, tribus mensibus à communione Ecclesiæ sequestratus sit.

XIX. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare. B

XX. Quod si Presbyter (quod nefas est dicere) aut Diaconus, aut Subdiaconus, post acceptam benedictionem infantes procreaverit, aut adulterium commiserit, & Archipresbyter hoc Episcopo, aut Archidiacono non intimaverit, integro anno non communicet.

XXI. Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec Diacono, nec Subdiacono.

XXII. Non licet relictę Presbyteri, nec relictæ Diaconi, nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere. C

Nota. *Nomenclatura illa presbyteræ erat ex ordine, quem maritus assumpserat. Tales autem fœminæ voto tenebantur ad castitatem, quandò dabant maritis licentiam recipiendi Ordines: unde post ipsorum mortem non poterant nubere. De quibus intelligunt plures illud Apostoli* 1. *ad Timot*, 3. mulieres similiter pudicas. *Idem de Diaconissis, & Subdiaconissis, licèt Diaconissæ fuerint aliæ, præter mulieres Diaconorum, quæ serviebant in aliquibus ministeriis, quæ propter honestatem non decebant Diaconos; de quibus Concil. Nicæ.* 1. *can.* 19. *& alibi.*

esbyt. tas.

XXIII. Si Monachus in Monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere præsumpserit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per se non emendaverit, aut Episcopo, aut Archidiacono non intimaverit, ad pœnitentiam agendam in alio Monasterio retrudatur. D

XXIV. Non licet Abbati, nec Monacho ad nuptias ambulare.

XXV. Non licet Abbati filios de baptismo habere, nec Monachis commatres habere.

XXVI. Quod si quis Abbas mulierem in Monasterio suo ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retrudatur, pane, & aqua contentus.

XXVII. Non licet, ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

XXVIII. Non licet, ut filiam uxoris suæ quis accipiat.

XXIX. Non licet, ut relictam fratris sui in matrimonio ducat. E

XXX. Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere.

XXXI. Non licet consobrinam, hoc est, quę de duobus fratribus, aut de duabus sororibus procreatur, in conjugium accipere: nec, qui de ipsis nati fuerint, in conjugio socientur.

XXXII. Non licet, ut nepos avunculi uxorem accipiat.

XXXIII. Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.

XXXIV. Non licet Presbytero in judicio illo sedere, unde homo ad mortem tradatur.

XXXV. Non licet Presbytero, aut Diacono, vel cuiquam Clericorum de qualibet causa conclericum suum ad judicem sæcularem trahere.

XXXVI. Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere.

XXXVII. Non licet mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere.

XXXVIII. Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum sumere.

XXXIX. Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo, excommunicatum absque voluntate ipsius, qui eum excommunicaverit, sciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententiæ subjacebit.

XL. Non licet Presbytero inter epulas cantare, vel saltare.

XLI. Non licet Presbytero, nec Diacono quemquam inscribere, sed si vice sua causam habuerit, aut fratrem, aut quemcumquè sæcularem roget.

XLII. Ut unaquæque mulier, quandò communicat, Dominicale suum habeat. Quod si qua non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.

Nota. *Quid per* Dominicalem *intelligi debeat, accipe ex S. Augustino, qui de hoc agit in Sermone* 152. *de tempore, ubi ait:* Omnes viri, quandò communicare desiderant, lavent manus: & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Christi accipiant, &c. Porrò viri cum nuda manu Eucharistiam accipiebant. Notat Baronius in Martyrolog. ad 15. Augusti.

XLIII. Quicunque Judex sæcularis Presbytero, aut Diacono, aut cuilibet de Clero, aut de junioribus absque audientia Episcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri injuriam inferre præsumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.

XLIV. Si quis ex sæcularibus institutionem, aut commonitionem Archipresbyteri sui contumacia faciente, audire distulerit, tamdiu à limitibus sanctæ Ecclesiæ habeatur extraneus, quamdiu tàm salubrem institutionem adimplere non studuerit; insuper mulctam, quam gloriosissimus Dominus rex præcepto suo instituit, sustineat.

XLV. Si quis hanc definitionem, quam ex auctoritate Canonica communi consensu, & conniventia conscripsimus, ac instituimus, tàm ad Clerum, quàm ad populum commonendum; vel ad id, quod constitutum est, conservandum, negligens inventus fuerit, & hoc observare distulerit: aut eos, qui ipsum audire neglexerint, celaverit, aut suppresserit, & in notitiam Episcopi non deposuerit, anno à consortio fratrum, vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus.

Subscripsit unicus Episcopus, Abbates 7. Presbyteri 34. Diaconi 3. loco Presbyterorum absentium.

Concilium Cæsaraugustanum II. (Æra 630. anno 7. Reccaredi Regis) Cæsaraugustæ, vulgò Sarragossa, sub Gregorio I. celebratum, anno 591.

HOc Concilium fuit actum anno 7. Reccaredi Regis, Æra 630. Toletanum verò tertium, Æra 627. unde ferè omnes Episcopi, qui in Toletano, in hoc etiam subscripserunt. Præfuit Artemius Tarraconensis, qui successit Stephano.

In primo Canone datur norma Clericis, & Presbyteris, qui ex Arriana hæresi convertuntur, ut sanctam, & puram fidem, ac castissimam vitam tenentes, acceptam denuò benedictionem Presbyterii sanctè, & purè ministrare debeant: cæteri verò, qui sic vivere neglexerint, ab officio deponantur.

In secundo statuitur, ut reliquiæ Arrianorum ubicumque inventæ fuerint, prolatæ à Sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsen-

ſentatæ, igne probentur. Quod ſi à quibuslibet occultatę fuerint, & detegantur; à ſacroſanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ cœtu ſegregentur.

In tertio ſtatuit ſancta Synodus, ut Epiſcopi de Arriana hæreſi venientes, ſi quas Eccleſias ſub nomine Catholicę fidei conſecraverint, necdum benedictione percepta à Catholico Sacerdote, conſecrentur denuò.

Conciliabulum Numidiæ in cauſa Donadei Diaconi à ſancto Gregorio reprobatum, anno 592.

DE cogendo Numidię Concilio Gregorius ſcripſerat ad Provinciæ Numidię Epiſcopos propter Donadeum Diaconum à Victore Epiſcopo in Numidia degradatum, qui ad ſedem Rom. appellaverat, quem cùm audiviſſet, voluit ejus cauſam in Concilio totius provinciæ cognoſci, ubi, cùm Epiſcopi præter jus, & fas aliqua ſtatuiſſent, ſanctus Gregorius ſacrorum canonum rigidus obſervator illa nullius auctoritatis eſſe voluit; Columbumque Epiſcopum in eadem Numidia delegavit, qui de actis in eo Concilio inquireret, ut videre eſt in ejuſdem Gregorii epiſt. 7. libro 3. Indictione 12. ad Gennadium Exarchum ſcripta.

Concilium Pictavienſe in cauſa duarum Reginarum Monialium, univerſam ferè Galliam commoventium, anno Dom. 593. celebratum, ſub Greg. Papa, & Childeberto Rege Francor.

DUæ Francorum Regum filiæ, Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Baſina Chilperici filia, ſub S. Radegunde virginitatem, & Monaſtica inſtituta, ſub Regula S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi profeſſæ, poſt obitum prædictæ Radegundis extra clauſtra eruperant; tractiſque ſecum quadraginta, & amplius virginibus, Reges Francorum adiverant, conquerentes, quod ab Abbatiſſa malè tractarentur. Sed cùm apud Reges nihil profeciſſent, Pictavos regreſſæ, cum armato ſatellitio nefariorum, & perditorum hominum Baſilicam S. Hilarii invaſerunt, indeque ſceleſtiſſimos homines ad invadendum Monaſterium, & alligandam vinculis Abbatiſſam miſerunt. Qua de cauſa cum duplici Synodali ſententia, quam Ebrogiſilus Agrippinenſis Epiſcopus præſentia ſua, ut teſtatur Turonenſis lib. 19. cap. 15. confirmavit, excommunicatæ fuiſſent, rurſum per ſuos armatos Monaſterium invaſerunt, cæſiſque, & fugatis pluribus Epiſcopis, Monachos plures occiderunt, atque Abbatiſſam planè denudatam à Monaſterio ſuo abſtraxerunt. Quæ cum Childebertus Rex audiviſſet, Legationem miſit ad Regem Guntheramnum, ut ſcilicet Epiſcopi ex utroque Regno conjuncti, hæc, quæ gerebantur, canonica ſanctione emendarent. Maconi Comiti datum eſt negotium, ut ſeditionem comprimeret: quod nonniſi per multas factioſorum cædes fieri potuit. Conſtituto demum judicio, Abbatiſſa de levibus rebus confeſſa, gravioribus non probatis, abſolvitur, & Monaſterio reſtituitur. Chrodieldis, eiuſque conſortes, flagitiis, & ſceleribus comprobatis, omnes communione privatæ fuerunt, uſquequo condignam pœnitentiam agerent. Hæc ex Gregorio Turonenſi Hiſt. Francor. lib. 9. ex quibus videas ſpeculum aliquot malorum, quæ accidunt multis puellis nobilibus ex ingreſſu religionis ſine vocatione, ut ajunt, magiſque ex aliena, quàm ex propria voluntate.

Monialis ſine vocatione.

Synodus Metenſis in Gallia, anno Dom. 594. celebrata in cauſa Ægidii Rhemenſis Epiſcopi.

IN hac Synodo, quæ Metis in Gallia habita fuit, redigitur in ordinem Ægidius Rhemenſis Epiſcopus de crimine læſę Majeſtatis convictus. Rei geſtæ ſeriem habet Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 20. ubi in fine hæc ſubjungit: *In hac Synodo Baſina Chilperici Regis filia, quam ſupra cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniam petiit, promittens ſe cum charitate Abbatiſſæ Monaſterium ingredi, ac de Regula nihil tranſcendere.*

Concilium Romanum II. ſub Gregorio I. tempore Mauritii, indictione 13. anno Domini 595. celebratum.

COncilium hoc indictum eſt à Gregorio Papa in cauſa Joannis Presbyteri Chalcedonenſis Eccleſiæ, qui, cùm à Joanne Epiſcopo Conſtantinopolitano hæreſis injuſtè damnatus fuiſſet, ad Sedem Apoſtolicam appellaverat. Auctoritate Pontificia Synodum hanc congregari ibidem fecit, in qua eum poſt cauſæ cognitionem innocentem eſſe repertum, ideòque retractato Conſtantinopolitano ſynodali judicio, juſtè abſolutum fuiſſe, teſtatur Gregorius lib. 5. epiſt. 15. 16. & 17. ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. In hac eadem Synodo poſt ſex Canones apud Binium extantes, S. Gregorius implendum indixit illud, de quo lib. 5. epiſt. 1. Indict. 14. agit, ut nullius ſint ponderis, quæ de bonis poſt Epiſcopatum adeptis Epiſcopus teſtamento diſpoſuiſſet, ſecùs verò de his, quæ ante Epiſcopatum poſſediſſet. Baronius anno 595. n. 59. ſcribit ſic: *Reperimus in ſcripto codice Sublacenſi, in Concilio Romano eumdem Gregorium Regulam ſancti Benedicti probaſſe, & confirmaſſe.*

Ap[pella]tio ad [...]mum [Pon]tificem.

Te[ſtamentum] Epiſc[opi].

Concilium Toletanum ſub Reccaredo anno 12. Regni ejus, Æra 635. anno Chriſti 597. habitum ſub Gregorio Papa I.

PRiſcorum Patrum ſequentes monita, id præcipiunt Dei Sacerdotes, ut quæ S. Trinitati conveniunt, operibus fidei Catholicæ in omnibus conjungantur, ita ut ſanctam, & amicam Dei obſervantes caſtitatem, non ſolùm retinendam Pontifices ſuo corpore cenſeant, ſed & Presbyteris, & Diaconibus, miniſtrantibus Dei Altaribus, modis omnibus obſervandam conſtituant: ut ex his, qui caſtitatis voluerit patientiam violare, tali ſorte coerceatur, ut ultimus, à quo eſt gradu dejectus, Deo amplius non miniſtret; ſed Sacerdotis ſui electione ſit tali clauſtro conſeptus; ut cęteros ſuo exemplo corrigat, ille ex pœnitentia reviviſcat.

II. Id etiam placuit Dei Sacerdotibus, ne quiſquam Antiſtes infra ſuam Parœciam Dei aulam inquirat, & munificus ille, qui ſanctam Dei ædificaverit Eccleſiam, quod ibidem pro ſuo hærede largitus eſt, eodem loco Presbyter ſecundum priorum Canonum inſtituta deſerviens, habeat. Etſi Presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur. Certè, ſi minor eſt cenſus, Oſtiarius à Sacerdote ſit electus, qui nitorem infra ſinus ſanctæ Eccleſię faciat; qui & ſanctorum Reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendit.

Concilium Oſcenſe anno 13. Reccaredi Regis, Æra 636. anno Chriſti 598. celebratum.

IN hoc Concilio nihil eſt notatu dignum, quòd ad noſtra hæc tempora pertineat.

Synodus Conſtantinopoli habita anno 599. ſub Gregorio Papa I.

HUjus Synodi memoria reperitur dumtaxat apud S. Gregorium lib. 7. epiſt. 70. Indict. 2. quam ſcripſit ad omnes Epiſcopos, monens eos, ut ſi Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus de nomine œcumenici

menici Constantinopolitano Antistiti attribuendo, vel A quid simile Canonibus contrarium decernendo attentaret, fortiter illi omnes resistant.

Concilium Barcinonense Æra 637. anno 14. Regis Reccaredi, anno Christi 599. habitum.

CUm S. Gregorius per Cyriacum Abbatem ad præcipuos Galliarum Episcopos scripsisset epistolas plures lib. 7. indict. 2. extantes, ut Simonia, aliaque nefanda crimina corrigerentur, eaque ibidem peracta fuissent, videtur idem Abbas jussu sancti Gregorii in Hispanias profectus esse: ut ad extirpandam ubique Simoniacam hæresim, idem fieret in Hispanis, quod in Gallis factum fuerat. Nam se- B cundum argumentum illarum epistolarum sancti Gregorii, quas in Gallias detulit Cyriacus, quatuor Canones Patres Barcinonensis Concilii edidisse reperiet, quisquis prædictas epistolas legerit. Baronius anno 599. n. 23.

Can. I. Ut Episcopus nihil accipiat pro collatione Ordinum.

Can. II. Ut Episcopus nihil accipiat pro conficiendo Chrismate.

Can. III. Ut laici ad Ordines promoveantur, servatis servandis.

Can. IV. Ut virgo Deo vota ad nuptias non transeat.

SÆCULUM SEPTIMUM. C

CONCILIUM ROMANUM III. Sive Lateranense, sub Gregorio Papa I. Anno Domini 601.

SAnctus Gregorius probè per experientiam agnoscens, quantas interdum molestias Monachi ab Episcopis pati solerent, paulò ante vitæ suæ exitum, quem ob jugem corporis adversam valetudinem proximè imminere sentiebat, Monachorum quieti, & indemnitati consulere voluit. Quare collectis Episcopis viginti, Presbyteris, atque Diaconis Cardinalibus, Nonis Aprilis anno 601. pro Monachis edidit D hoc Synodale Decretum, quod Constitutum appellari consuevit.

De quiete, & libertate, atque exemptione nigrorum Monachorum.

mprio icho-

QUam sit necessarium Monachorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine officii exhibuimus, nos informat. Et quia in plurimis Monasteriis multa à præsulibus præjudicia, & gravamina Monachos pertulisse cognoscimus, oportet, ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete, & eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis, in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. E Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine, quisque Monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est, ut ea, quæ inferiùs enumeranda curavimus, studio fraternitatis Episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur, in nomine Domini Jesu Christi, & authoritate B. Petri Principis Apostolorum prohibemus, cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ præsidemus, ut nullus Episcoporum, aut sæcularium ultra præsumat de redditibus, vel rebus, vel curtis Monasteriorum, vel de cellulis, vel de villulis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones, aut violentias aliquas facere: sed si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum evenerit, & pacificè non potuerit ordinari apud electos Abbates, & alios Patres timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto verò Abbate cujusquam congregationis, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate consors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis Monasteriis similiter eligant ordinandum, nisi forte ex tantis (quod absit) criminibus, quæ sacri Canones punire monstrant, prohibeantur. Partim autem custodiendum est, ut invito Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant: sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Dei laudes, vel utilitates loci sufficiunt complendas, de his, quæ superfuerint, offerat Abbas coram Deo, quos dignè potuerit invenire. Quisquis autem ex Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec licentiam habeat habitandi. Descriptionesque rerum, aut cultarum, seu computorum, aut rationum Monasterii ab Episcopo fieri omnino negamus: sed si res exigit, aliquando Abbas loci illius cum aliis Abbatibus rerum inventarum descriptiones faciat, & eorum consilio, sive judicio finiantur. Solus autem Abbas Visitator loci illius suorum officialium recipiat computum, aut rationem. Absente quoque Abbate, Episcopus in describendis, pervidendisque rebus Monasterii acquisitis, vel datis nulla occasione se permisceat. Missas etiam publicas ab eo in cœnobio fieri omninò prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, & in eorum receptaculis nulla popularis occasio præbeatur conventibus, vel mulierum fiat illis introitus: quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi cathedram collocare Episcopus, seu quacunque alia dignitate præditus, aut potestate, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nullusq; Monachorum sine testimonio, vel consensu Abbatis sui in Ecclesia aliqua locum teneat, vel ad aliquem promoveatur honorem. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus Episcopis, & quibuscunque aliis firmam statuimus, illibatamque servari. Et sanctæ Ecclesiæ, juvante Domino, suo termino, sive jure contentæ. Et Monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, aut etiam procurationibus, vel quibuslibet subsidiis, obsequiisque sæcularibus nullo modo subjaceant. Et prædicta authoritate nostra ne in hujusmodi Episcopis, aut aliis precariis, seu exactionibus ab eis, seu eorum subditis quovis modo exigendis, & extorquendis obtemperando obediant, districtissimè prohibemus. Nullis præterea canonicis curis deserviant: sed remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa devotione animi perficiant. Universi Episcopi responderunt: *Libertati Monasteriorum congaudemus, &, quæ nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus.*

Concilium Romanum IV. sub Gregorio in causa Andreæ Monachi impostoris, & falsarii celebratum anno Domini 601.

IN hoc Concilio damnatus est Andreas Græcus homo, sub Monachi habitu degens apud Basilicam S. Pauli, detectus impostor, atque falsarius. Qua de re plura Gregorius lib. 9. epist. 69. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum.

Concilium Byzacenum in causa Clementii Primatis Provinciæ Byzacenæ celebratum in Africa anno Domini 602. tempore Gregorii Papæ I.

CUm Clementius Primas Provinciæ Byzacenæ gravium criminum reus constitutus esset apud ipsum Romanum Pontificem, visum est ipsi Pontifici, qui inter Longobardorum gladios sæpius versabatur, ut, collecto Episcoporum Concilio, hæc causa ab Episcopis comprovincialibus exactissimè tractaretur. Vide Gregorium epist. 35. lib. 10.

Concilium Numidiæ in causa Donadei Diaconi, & Paulini Regiensis Episcopi, jussu sancti Gregorii in Numidia celebratum, anno Domini 604.

DOnadeus Africanæ Ecclesiæ Diaconus in Numidia à Victore Episcopo injustè degradatus, ad Sedem Apostolicam appellavit: quem dum sanctus Gregorius audisset, causam ejus à Primate Numidiæ, aliisque ejus Provinciæ Episcopis in publico Concilio cognosci voluit; ut si Diaconus revera innocens repertus esset, Victor Episcopus, qui eum damnarat, digna censura percelleretur. In eodem Concilio cognosci mandavit causam Regini Numidiæ Episcopi, qui à suis Clericis accusatus fuerat, quod Simoniacis Ordines Ecclesiasticos conferret: quod si verum esset, jussit tàm Episcopos dantes, quàm accipientes, Canonica pœna damnari. De innovandis Simoniacorum pœnis in eodem Concilio aliud præceptum addidit. Vide epistolam Gregorii 8. & 31. lib. 10.

Concilium Romanum sub Bonifacio III. celebratum anno 606. De modo eligendi Romanum Pontificem.

PEr ambitionem multorum Clericorum in electionem Pontificis irrepserat, ut superstite adhuc Pontifice, de eo, qui post obitum ejus in successorem eligendus esset, tractaretur. Quæ facinorosa molitio, etiam si ante sacris legibus Pontificis vetita esset; tamen è re Ecclesiæ futurum existimavit Bonifacius, si ad tollendum pravum illum usum electionis Synodale Decretum ederetur. Quare ubi primùm sedem Pontificiam adeptus fuit, in Basilica Vaticana hanc synodum 72. Episcoporum convocavit, qua ad reformandos pravos electionis Pontificiæ mores sub pœna anathematis constitutum fuit, ut non prius de eligendo successore Pontificis agatur, quàm defunctus Pontifex triduo sepultus fuerit. Acta Concilii summatim recensentur ab Anastasio in Vita Bonifacii. Vide apud Binium.

Concilium Romanum sub Bonifacio IV. in causa Anglicanæ Ecclesiæ celebratum Romæ, anno Domini 610.

DE loco, & tempore, & rebus in hac synodo gestis, Beda lib. 2. c. 4. Histor. Anglic. summatim hæc scribit: *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cùm idem Reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiæ de vita Monachorum, & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno 8. Imperii Focatis Principis, indictione 13. tertia die Kalendarum Martiarum, ut, quæque erant decreta regulariter, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum Ecclesiæ mandata, atque observanda deferret unà cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio, & Clero universo, similiter & Edilberto Regi, atque genti Anglorum direxit.* Sic ille.

Extra mœnia Londini civitatis, recens extructum erat Monasterium, pro cujus regulari observantia Mellitus plurimùm sollicitus Romam se contulerat; utpotè, quod illud ipsum fore sciret, si benè custodiretur, amplum seminarium, ex quo omnes Ecclesiæ, quæ erant in Anglia, sibi Antistites adsciscerent. His accedebat alia causa, quæ & potissima videri poterat, an nimirum rata sit habenda Ecclesiæ sancti Petri ejusdem Monasterii dedicatio divinitus facta, de qua plura miranda refert Ealredus Abbas, Scriptor gravissimus, in vita sancti Eduardi Regis Anglorum, apud Surium die quinto Januarii. Vide Baronium anno 610. numero decimo.

SYNODUS TOLETANA

Sub Gundemaro Æra 648. anno Christi 610, de Primatu Ecclesiæ Toletanæ habita, tempore Bonifacii Papæ IV.

IN his Toletanis Conciliis numerus consultò à me non est positus, ne antiquorum ordinem à Patribus, & Generalibus Conciliis citatum everterem, & confunderem, unde consultiùs existimavi, ea sine serie ponere, servata tamen annorum antiquitate. Erant enim aliqua Concilia in Canone posita, aliqua non priora sunt, quæ citantur certis numeris, alia sine numeris traduntur. Unde apud Rodericum invenies: Hoc Concilium est in Canone, hoc non est in Canone.

Causa verò hujus Concilii celebrandi quænam præcesserit, ex Actis Concilii, necnon ex Constitutione Gundemari Regis, hoc anno edita, colligitur. Cùm enim Toletanæ Ecclesiæ Primatum aliqui labefactare studerent, quasi ipsa non totius Carthaginensis, sed tantùm Carpetaniæ Provinciæ Metropolis esset, hac de causa hoc Concilium congregari oportuit. Euphemius Toletanus Episcopus Concilio Toletano III. subscribens, ex modestia se nominavit Metropolitanum Provinciæ Carpetaniæ. Ne quid ergo juris Toletanæ Ecclesiæ per hoc factum Euphemii decederet, hoc Synodali, & Regio Decreto opus erat. Baronius anno 610. num. 12. Extant Decreta prædicta apud Binium.

Subscripserunt 15. Episcopi. Controversia porrò de Primatu Toletano infra discutietur amplius in Tolet. II.

Concilium Tarraconense, sive Egarense, in Egara sub Siseputo, anno Regni ejus tertio Æra 652. anno Domini 614. sub Bonifacio IV.

IN hoc Concilio determinatum est, ut Constitutio, quæ dudum in anno 13. Regni Reccaredi Regis in Concilio Oscensi constituta quidem, sed conscripta minimè fuit confirmata, ut in perpetuum valitura perduret. Et omne quidquid ex castimonia Presbyterorum, & inferiùs Clericorum conscriptum fuit, eadem forma etiam de omnibus Episcopis sub tali industria, solertiaque omni tempore pepigendo scrutetur, ut, auxiliante Domino, & adminiculante, talis vitæ sollicitudinem nulla (quod absit) reprehensionis occasio subripere aliquandò prævaleat.

Concilium Matisconense III. pro Regula Columbani celebratum, anno Domini 618 tempore Bonifacii Papæ V. & Clotharii Regis Francorum.

AGrestinus olim Theodorici Regis Notarius, post Luxoviensis Monachus factus, non post lon-

longum tempus importunè institit apud Eustasium Abbatem suum, ut Gentium prædicator, & Apostolus esse permitteretur. A quo proposito cùm Eustasius dissuadendo eum (utpotè qui ad tantum munus subeundum adhuc nimis rudis esset) deterrere, & avocare non posset, tandem ire permisit. Profectus in regionem Bojoariorum, nullo ibi operæ pretio facto, paulò post transiit ad Aquilejenses: factus schismaticorum consors, & schismatis sectarius, Attalam cœnobii Bobiensis Patrem, & Eustasium Columbani successorem, cum aliis quibusdam in eumdem secum errorem pertrahere conatus fuit. Quod cum ei nusquam succederet, sermonem convertit in Regulam B. Columbani, eamque calumniari cœpit, pellectis secum Apellino Genuensi, aliisve pluribus Episcopis. Ut calumniis suis fidem adhiberet Rex Clotharius, ipse quidem ausu temerario conatus fuit; sed cum B. Columbani sanctitas, ejusque discipulorum doctrina Regi cognita esset, frustra illud aliquoties attentavit: tandem verò, ut hominis putulentem linguam compesceret, statuit, ut Synodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate venerabilis viri Eustasii, quin omnes adversantes sanctæ Regulæ sua prudentia superaret, sicuti & factum est. Vana enim tantum objiciebat, ut quod vas, in quo bibebant Monachi, sæpius signo Crucis signaretur; quod in ingressu, & egressu cellæ signarent se signo eodem, & benedictionem postularent sæpius: quod S. Columbanus in Missa orationes, & collectiones multiplicaret præter morem Ecclesiæ, quæ nullius momenti visa sunt. Refert ex Jona Monacho Luxoviensi Sirmundus tom. 1. Concil. Galliæ.

Concilium Hispalense II. sub die Iduum Novembrium Æra 657. tempore Sisebuti Regis sub Bonifacio Papa V. Est Provinciale.

ANno nono Regni Sisebuti celebratum est sub D. Isidoro Metropolitano Concilium II. Hispalense pro Ecclesiasticis negotiis, & contra Acephalos hæreticos, negantes temerè in Christo duas naturas in una divina persona. Summa est hæc.

Cap. I. *Non est objicienda præscriptio, ubi necessitas interest hostilitatis.*

PRima Actione Theodulphi Malacitanæ Antistitis Ecclesiæ ad nos oblata precatio est asserentis, antiquam ejusdem urbis Parochiam militari quodam discrimine fuisse decisam, & ab aliis Ecclesiis esse remotam. Pro qua re placuit, ut omnis Parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse Ecclesiam suam quisquis comprobaret, ejus privilegio restitueretur. Sicut enim per legem mundialem his, quos Barbarica severitas captiva necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio; sic Ecclesia receptura est Parochiam, quam ante tenuit, cum rebus suis. Non enim erit objicienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.

Cap. II. *Legitimus si deficiat limes, præscriptio longi temporis silentium repetenti imponit.*

PLacuit, ut si Diœcesi Episcopi possidentis sitam Basilicam veteribus signis limes pervisus monstraverit, Ecclesiæ, cujus est jus retentionis, sit æternum dominium. Quod & si limes legitimus eamdem Basilicam non recludit, & tamen longi temporis probatur objecta præscriptio; appellatio repetentis Episcopi non valebit, quia illi tricennalis objectio silentium imponit. Sin vero infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos Basilicæ injusta retentio reperitur, repetentis Episcopi juri sine mora restituetur.

Cap. III. *De desertoribus Clericis, ut Episcopis suis restituantur.*

PLacuit, ut si quis Clericus ministeriis Ecclesiæ propriæ destitutus ad aliam transitum fecerit, compellente (ad quem fugerit) Sacerdote, ad Ecclesiam, quam prius incoluerat, remittatur. Qui verò eum susceperit, nec statim sine ullo nisu exceptionis ad propriam Ecclesiam remittendum elegerit, quamdiu eum restituat, communione se privatum agnoscat. Desertorem autem Clericum cingulo honoris, atque ordinationis suæ exutum, aliquo tempore Monasterio relegari convenit, sicque postea in ministerio Ecclesiastici ordinis revocari.

Cap. IV. *Bigami ad Presbyterium, vel Diaconatum non sunt promovendi.*

NUntiatum est nobis, apud Astigitanam Ecclesiam quasdam nuper Ordinationes illicitas extitisse, ita ut quidam viduarum mariti Levitarum ministerio sacrarentur; quos quidem convenit à gradu suscepto in irritum devocari, nec ultra provehi ad Diaconii ministerium, qui contra divina, atque Ecclesiastica jura instituta reperiuntur.

Cap. V. *Presbyteri non præsumant ordinare.*

RElatum est nobis de quibusdam Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantùm imposuisse, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Qui licèt propter tantam audaciam poterat accusatus damnari, si adhuc viveret; sed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accusari non potest, hi, qui supersunt, gradum Sacerdotii, vel Levitici Ordinis, quem perversè adepti sunt, amittant. *Dist. 23. Quorumdam Clericorum.*

Cap. VI. *Presbyteri, vel Diaconi ab uno Episcopo non sunt deponendi.*

COmperimus quemdam Presbyterum à Pontifice suo olim injustè dejectum, & innocentem exilio condemnatum. Ideo decrevimus (juxta priscorum Patrum Decretum) Synodali sententia, ut nullus nostrum sine Concilii examine, dejicere quemlibet presbyterum, vel Diaconum audeat: Episcopus enim Sacerdotibus, & ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Tales enim neque ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui, sed præsentati Synodali judicio, quod Canon de illis præceperit, definiri.

Cap. VII. *Prohibita Chorepiscopis, & Presbyteris.*

RElatum est nobis, Agapium Cordubensem episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros destinasse (qui tamen juxta Canones unum sunt) qui absente Pontifice Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum Ecclesiasticæ disciplinæ ignarum. Ergo ne ultrà talis à nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut Presbytero, vel Chorepiscopo illicita consecratio est Altaris, ita & constitutio. In divinis enim literis, præcipiente Domino, solus Moyses in Tabernaculo erexit Altare, solus ipse unxit, quia summus Dei Sacerdos erat, sicut scriptum est de eo, *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Ideoque id, quod tantum facere principibus Sacerdotum jussum est (quorum typum Moyses, & Aaron tenuerint) Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quam- *Exod. 40.* *Psal. 98.*

quamvis cum Episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum consecratio, Constitutio Altaris, benedictio, vel unctio; si quidem nec liceat eis benedicere Ecclesiam, vel Altaria consecrare, nec impositiones manus fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Spiritum sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec Formatas cuilibet epistolas mittere, &c. Quæ omnia eis à Sede Apostolica prohibita esse noscuntur.

Cap. VIII. *Ob ingratitudinem liberti libertate priventur.*

STatuimus, ut qui ab episcopo suo liberti traditi sunt, si immemores beneficii accepti, ei ingrati ob superbiam suam extiterint, in servitutem revocentur: ut, quorum libertas perniciosa est, sit salutifera servitus.

Cap. IX. & Cap. XXV. Concilii Chalcedonensis.

Cap. X. *Anathemate feriuntur Monasteriorum expilatores.*

SI quis nostrum, vel nobis succedentium Sacerdotum, quodlibet Monasterium aut vi cupiditatis expoliandum, aut simulatione aliqua fraudis convellendum, aut dissolvendum tentaverit, anathema effectus maneat, & à regno Dei extraneus, nec proficiat illi bonum fidei, vel operis ad salutem, qui tantæ, & tàm salutaris vitæ destruxerit tramitem. Super hos etiam universi illius Provinciæ episcopi congregati, eundem sacrilegum, cœtusque sui eversorem à communione suspendant, quod impiè unus subverterit, omnes restaurent.

Cap. XI. *Ut Virginum Monasteria Monachorum curæ committantur.*

DEcrevimus, ut Monasteria Virginum Monachorum administratione gubernentur. Tunc enim salubria Christo dicatis Virginibus providemus, quando eis Patres spirituales eligimus, quorum non solùm gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint. Et tamen circa Monachos cautela servetur, ut remoti ab earum familiaritate maneant. Sed nec Abbati, vel ei, qui præficitur, extra eam, quæ præest, loqui Virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum non pertineat, licebit, nec cum ea sola, qui præest, frequenter eis loqui oportet: sed sub testimonio duarum, vel trium Sororum, ita ut rara sit accessio, & brevis omnis locutio. Absit enim, ut Monachos (quod dictu etiam nefas est) Christi Virginibus familiares esse velimus; sed eos tantùm earumdem gubernaculis deputamus, constituentes, ut unus Monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit, prædiis earum rusticis, vel urbanis intendere, fabricas extruere, &c. ut Christi famulæ solis divinis cultibus, operibusque sanctis inserviant. Sanè is, qui ab Abbate præponitur, judicio sui episcopi comprobetur, &c. Si qui Monachorum contra fecerint, sciant, quod eorum temeritas excommunicationis sit plectenda censura.

Nota. *Divus Leander in libello suo de institutione Virginum, cap. 2. sic inquit*: Jam quasi fuga virum fugias, Soror tu pudica, si tàm solicitè fœminas sæculi declinabis? Quisquam vir, si sanctus est, nullam tecum gerat familiaritatem; ne virili jugitate, aut infametur utriusque sanctitas, aut pereat, aut decidat à charitate proximi. Quæ etsi malum non agit, opinionis tamen

A pessimæ famam nutrit. Dispar enim sexus in unum locatus, eo titillatur instinctu, quo nascitur. Et naturalis movetur flamma, si, quod incendi possit, attingitur. Quis colligavit ignem in sinu suo, & non comburetur? Ignis, & stuppa sibi utraque contraria, in unum redacta flammas enutriunt. Viri sexus, & fœminæ, diversa, quæ si conjunguntur, ad quod Lex naturæ provocat, commoventur.

Cap. XII.

DUodecima actione ingressus est ad nos quidam ex hæresi Acephalorum, natione Syrus (ut asserit ipse) episcopus, duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans, & deitatem passibilem asserens.
B Cujus dum nostris sensibus tanti erroris confusio patuisset, prolatis ille de Incarnatione Domini Jesu Christi testimoniis, sanctorumque Patrum sententiis recitatis, omni eum deinde exhortatione ad veræ fidei * rectitudinem sacerdotali modestia invitavimus. Cert.
Qui salutaribus monitis pertinaciter per multos, diuturnosque conflictus renitens, tandem gratia divina edoctus, cunctis coram astantibus hæresim propriam abdicavit, duasque naturas, & unam personam in uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo confessus est, credens impassibilem naturam deitatis, atque in sola humanitate suscepisse infirmitates passionis, & crucis. Conversus itaque, atque receptus, susceptæ fidei * Prof confessionem cum adstipulatione protulit, atque ab omnibus suis erroribus purgatus apparuit. Talique
C pro merito gaudentes Christo gratias agimus, quod eundem post pravitatem hæresis ad rectitudinem fidei divina gratia promovisset, quem optamus, ut permanens in Christi fide, purè, ac devotissimè conservetur.

Nota. De *Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. Ecclesiast. Histor. cap. 45.* Eodem tempore & Acephali, quorum Dux Severus Antiochenus fuit, unam Verbi, & carnis naturam malè prædicantes. *Et mox*: Acephali autem ob eam causam dicti sunt, quòd sub episcopis non fuerint. Proinde episcopis, & sacerdotibus apud eos defunctis, neque Baptismus juxta solemnem, & receptum Ecclesiæ morem apud eos administratus, neque oblatio, aut res aliqua divina facta, ministeriumve Ecclesiasticum, sicuti mos est, celebratum est. Communionem verò illi à plurimo tem-
D pore asservatam habentes, Feriis Paschalibus in minutissimas incisam partes convenientibus ad se hominibus dederunt. Quo tempore, quam quisque voluisset, placitam sibi sumebat potestatem. Et propterea quod quilibet, quod sibi visum esset, fidei insertum volebat, quamplurima defectorum, & hæreticorum turba exorta est, &c. *Lege Isidorum lib. 3. Etymolog. 8. cap. 3.*

Cap. XIII. *De duabus in Deo naturis, & una persona.*

TErtiadecima prosecutione breviter narrandum putavimus, ad refutationem eorumdem hæreticorum, qui duas naturas Christi post unionem delirantes confundunt, & passibilem in eo Divinitatis
E substantiam asserunt. Contra quorum blasphemias oportet nos in una persona Christi geminæ naturę proprietatem ostendere, passionemque ejus in sola humanitatis susceptione manifestare: ut si fortè aliqui stultorum hujus sententię errore decepti sunt, dum ista legerent, resipiscant, rectæque fidei veritatem firmiter teneant. Ergo (sicut immaculata fides, & sancta Dei Ecclesia docet) confitemur Dominum nostrum Jesum Christum æternaliter ex Patre Deum natum, temporaliter ex utero gloriosæ Virginis Mariæ hominem editum, & ob hoc in una persona duas naturas habentem, Deitatis, qua ante sæcula genitus est; & humanitatis, qua in tempore editus est. Cujus geminę natu-

naturæ *distinctio* primum ex literis Legis, deinde ex Prophetis, & Evangelicis, atque Apostolicis depromenda est paginis, ut ea, quæ asserimus, non argumentis, sed exemplis Scripturarum firmemus. Pri-
3. mò ex illo: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te. Observa eum, &c. quia est nomen meum in illo.* Hìc divina demonstratur natura. Et illud: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, id est in carne Christi, quæ de Abrahæ stirpe descendit. Hìc humana demonstratur natura. Secundò, in Psalmis David sub una Christi persona sic ostendit utramque naturam: Divinam,
9. secundum illud: *Ex utero ante luciferum genui te.* Hu-
6. manam ibi. *Homo natus est in ea.* Rursus divinam ibi. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Humanam ibi. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Tertiò, Jsaias
4. sub una, eademque Christi persona, utramque ostendit naturam. Deitatis ibi. *Numquid qui alios parere*
7. *facio, ipse non pariam?* Humanitatis verò secundum illud; *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium.* Rursus Deitatis: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Humanitatis ibi. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Et iterum humanitatis ibi, *Parvulus natus est nobis.* In Euangelio quoque, in uno,
5. eodemque Christo divinæ naturæ significatio: *Ego, & Pater unum sumus.* Humanæ naturæ insinuatio ibi, *Pater major me est.* Item divinæ naturæ ibi, *Ego sum via, veritas, & vita.* Humanæ naturæ, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Paulus quoque Apostolus in uno, eodemque Christo naturam, Divinitatis exprimit ibi. *Primogenitus omnis creaturæ ipse est ante omnes.* Humanitatis, cùm dicit: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* De passione verò, quam, in sola humanitate, non in Deitate sustinuit, Legis, & Prophetarum auctoritas, Euangeliorum, & Apostolorum prædicatio adhibenda est. Lex de passione corporis Christi sic dicit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Quid hìc pallium, quid stola, nisi caro Christi passionis sanguine decorata? & alia multa, quæ supervacaneum est referre. Probatur ergo veteris, ac novi Testamenti testimoniis, in quibus duę naturę Christi patefactæ sunt in una subsistentes persona, in quibus & passio ejus apparuit in homine solo expleta. Deinde oportuit sententias subnecti sanctorum Patrum, qui in Sacris litteris ingenti gloria refulserunt, ut etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noster Jesus Christus ex duabus naturis, & una persona subsistit, & quia mortem, & passionem in sola carne suscepit.

Recensentur ad hoc Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Cyrillus, Athanasius, Augustinus, Leo Papa, Fulgentius: quorum etiam testimoniis concluditur quæstio.

Hæc quidem, quæ tàm divinæ Scripturæ, quàm etiam sanctorum Patrum Eloquia docuerunt, Decretis nostris breviter inserta protulimus, demonstrantes geminam carnis, & Deitatis naturam in una Domini, & Salvatoris nostri persona, passum quoque eumdem in ea natura, quæ corporis est, non tamen passum in ea natura, quæ Deitatis est. His ergo concordi sententia in tribus Secretariis definitis, pro confirmatione subscriptionem subjecimus. Isidorus in Christi nomine Ecclesiæ Hispalensis Episcopus subscripsit. Malacitanus Episcopus, Cordubensis Episcopus, & cæteri omnes fecerunt similiter.

Concilium Rhemense sub Sonnatio Archiepiscopo in causa disciplinæ Ecclesiasticæ Reformandæ circa annum Domini 630. tempore Honorii Papæ celebratum.

IN hac Synodo multa leguntur utilia constituta.

De rebus scilicet Ecclesiæ, qualiter tractandæ sint: & de his, quæ per precatoriam impetrantur ab Ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus
A proprium usurpentur, & Ecclesiæ defraudentur.

De Clericis, si qui, rebellionis ausu Sacramentis se, aut scripturæ conjuratione constrinxerint, atque insidias episcopo suo callida allegatione confecerint: ut si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priventur.

Ut Capitula Canonum Parisiis acta in Generali Synodo, in Basilica S. Petri, Lotharii Regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.

Ut si qui hæretici adhuc esse suspicantur in Galliis, à Pastoribus Ecclesiarum perquirantur: &, si veraciter fuerint inventi, ad fidem Catholicam revocentur.

Ut temerè nullus excommunicetur: & si excommunicatus existimat se injustè damnatum, in proxima Sy-
B nodo habeat licentiam reclamandi: &, si injustè damnatus fuerit, absolvatur: sin autem justè, impositum pœnitentiæ tempus exolvat.

Ut si quis Judex cujuslibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit: aut pro quibuslibet absque conscientia, & permissu Episcopi distringere, aut contumeliis, vel injuriis afficere præsumpserit, communione privetur, Episcopus tamen de reputatis conditionibus Clericorum negligentias emendare non tardet.

Hi verò, quos publicus census spectat, sine permissu Principis, vel Judicis se ad Religionem sociare non audeant.

Si quis fugitivum ab Ecclesia absque Sacramento, quo ei jurandum est, ut de vita, tormento, & truncatione securus exeat, qualicumque occasione abstra-
C xerit, communione privetur.

Similiter si quis jus Sacramenti præstitum violaverit, communione privetur: ille verò, qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur à morte, non priùs egrediendi accipiat libertatem, quàm pœnitentiam se pro scelere esse facturum promittat, &, quod ipsi Canonicè imponetur, impleturum.

De incestis conjunctionibus, si quis infra præscriptum Canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis, quibus à divinis regulis prohibetur, se conjunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priventur, & neque in Palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti se incestuosi conjunxerint, Episcopi, seu Presbyteri, in quorum Diœcesi, vel pago actum fuerit, Regi, vel Judicibus scelus perpetratum annuntient, ut, cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab
D eorum communione, aut cohabitatione sequestrent, & res eorum ad proprios parentes perveniant sub ea conditione, ut, antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem Regiam ad proprias perveniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur.

Si quis homicidium spontè commiserit, & non violentè resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum: sic tamen ut si pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis Viaticum non negetur.

Clerici etiam, vel sęculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint; aut id, quod ipsi donaverint Ecclesiis, aut Monasteriis, crediderint auferendum, sicut ante
E Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

Ut Christiani Judæis, vel Gentilibus non vendantur, & si quis Christianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venundanda, non aliis, nisi tantùm Christianis expendat. Nam si Paganis, aut Judæis vendiderit, communione privetur, & emptio careat firmitate. Judæi verò si Christiana mancipia ad Judaismum vocare præsumpserint, aut gravibus tormentis afflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus revocentur: qui tamen Judæi ad nullas actiones publicas admittantur, Judęorum verò convivia in Chri-

Christianos penitus refutanda sunt.

Item si Clericus proficiscens de civitate, ad alias civitates voluerit, aut Provincias pergere, Pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur.

Item ut Episcopus mancipia, vel res ad jus Ecclesiæ pertinentes, neque vendere, neque per quoscunque contractus, unde pauperes vivunt, post mortem alienare præsumat.

Item de his, qui auguria, vel paganorum ritus inveniuntur imitari, vel cum Paganis superstitiosos comedunt cibos; quos benigna placuit admonitione suaderi, ut ab erroribus pristinis revocentur. Quod si neglexerint, & idololatris, vel immolantibus se immiscuerint, pœnitentiæ dignum tempus exolvant.

Item, ut serviles personę ad accusationem non admittantur: & qui personam susceperit accusantis, cùm unum crimen non probatur, ad alia accusandum non admittatur.

Item si quis in quolibet gradu, vel cingulo constitutus, aut potestate suffultus, decedente Episcopo res cujuslibet conditione in domos, vel agros Ecclesiæ positas ante reserationem testamenti, vel audientiam ausus fuerit occupare, vel Ecclesiæ repagula effringere, & supellectilem intra domum Ecclesiæ positam contingere, vel scrutari præsumpserit, à communione Christianorum penitus abdicetur.

Item si quis ingenuum, aut libertum ad servitium inclinare voluerit, aut fortasse jam fecit, & commonitus ab Episcopo se de inquietudine ejus revocare neglexerit, aut emendare noluerit, tamquam calumniæ reum placuit sequestrari.

Item, ut Clerici cujuslibet Ordinis, neque pro Ecclesiasticis causis aliter adire debeant forum, nec causas dicere audeant, nisi quas cum permissu, & consilio Episcopi agere eis fuerit omnino permissum.

Item, ut in Parochiis nullus laicorum Archipresbyter præponatur, sed, qui senior in ipsis esse debet, Clericus ordinetur.

Item Pontifices, quibus in summo Sacerdotio constitutis ab extraneis dumtaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratum, aut dimittitur, aut donatur: quia ille, qui donat, pro remedio animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis probatur offerre; non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computabunt: quia justum est, ut sicut Sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat, quod relinquitur Sacerdoti. Sanè quidquid per fidei commissum, aut sacerdotis nomini, aut Ecclesiæ fortasse dimittitur, quicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computatum retinere non poterit.

Item, Si quis Episcopus res, quæ ab alia Ecclesia præsentaliter possidentur, quocumque ingenio, aut callida cupiditate pervaserit, aut sine audientia præsumpserit usurpare, ac suis, vel Ecclesiæ suæ ditionibus revocare, dum communione privari non potest, ut necator pauperum ab officio deponatur.

Item, si quis Episcopus, excepto, si venerit ardua necessitas pro redemptione captivorum, ministeria sancta frangere pro qualicumque conditione præsumpserit, ab officio cessabit Ecclesiæ.

Item viduas, quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas nullus, neque per auctoritatem Regiam, neque qualicumque potestate suffultus, aut propria temeritate rapere, aut trahere audeat. Quod si utrique consenserint, communione priventur.

Judices, qui super auctoritate, & Edicto Dominico Canonum statuta contemnunt; vel Edictum illud Dominicum, quod * Parisius factum est, violaverint, aut contempserint, placuit eos communione privari.

Parisiis.

Item, ut decedente Episcopo, in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem universale, & totius populi elegerit votum, ac comprovincialium voluntas assenserit. Aliter, qui præsumpserit, abjiciatur è sede, quam invasit potius, quàm accepit. Ordinatores autem triennio ab officio administrationis suæ sedis cessare decernimus.

Synodus Alexandrina à Cyro Monothelita coacta sub Honorio, anno Domini 633.

HAnc Synodum mense Majo anno Domini 633. collegit Cyrus Alexandrinus Episcopus: quæ sub nomine pacis, Monothelitarum hæresi viam aperuit: eo simulato prætextu, quòd hæreticos omnes in Ægypto positos, Ecclesiæ Catholicæ jungere posset, si duarum voluntatum, operationum voces silentio supprimeret; satis esse dicens, si in Christo tantùm Dei virilis voluntas, & operatio diceretur, ex qua duarum naturarum in Christo exacta professio ederetur, eò quòd, etsi non voces, res ipsæ tamen expressæ haberentur. Hac itaque de causa edidit Synodale Decretum, quod Satisfactio inscribitur, in quo novem sunt Capita, quibus non quidem apertè, sed tantùm callidè, & latenter Monothelitarum hæresis confirmabatur. Acta Concilii unà cum Synodali epistola, quæ simul extant Act. 13. Sextæ Synodi, ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum transmiserunt. Sophronius Jerosolymorum Episcopus de his Constitutionibus certior factus, ad eundem Sergium Constantinopolitanum Episcopum non solùm scripsit, ut illud de unica operatione Capitulum hujus Synodi deleretur; verùm etiam ipse (ut testatur Sergius in epistola ad Honorium Papam) hac de causa ad eundem Sergium Constantinopolim profectus fuit: metuebat enim id, quod exitus posteà declaravit, ne hæc ad destructionem Catholicæ veritatis hæretici molirentur. Verùm dum fraudulento relatu Sergii, heresim suam hoc tempore adhuc occultantis, Sophronius Præsul Jerosolymitanæ urbis sanctissimus audivit, rem bona fide, & intentione pacis ineundæ agi, duasque naturas in Christo inconfusè, & indivisè unitas asseri, suspicione fraudis seposita, Sergio de una, aut duabus naturis ad tempus silendum esse suadenti (ut fatetur ipse in epistola ad Honorium) consensit. Vide Baronium anno 633.

CONCILIUM TOLETANUM IV.
tempore Honorii Papæ I. 70. Episcoporum Æra 671. anno Christi 633.

TITULI CAPITULORUM Concilii Toletani IV.

1 *De oratione, & fidei confessione, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur.*
2 *Nulla penè res magis disciplinæ mores ab Ecclesia Christi depulit, quàm inordinata diversitas officii.*
3 *De formula, secundum quam debeat sancta synodus in Dei nomine fieri.*
4 *In solemnitate Paschali, qualiter solet in Hispaniis veritas existere.*
5 *De baptismi sacramento.*
6 *Comperimus, quod per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini clausis Basilicarum foribus non celebretur officium.*
7 *Quidam in die ejusdem Dominicæ passionis ad horam nonam jejunium solvunt.*
8 *Lucerna, & cereus infra vigilias apud quasdam Ecclesias non benedicuntur: & cur à nobis benedicuntur, inquirunt.*
9 *Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator noster docuit, & præcepit, non quotidiè, sed tantùm die Dominico dicunt,*
10 *Quod sacerdotes Hispaniæ diebus quadragesimæ alleluja decantent.*

11 *Quod*

11 *Quod in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis laudes post Apostolum decantent.*

12 *De hymnis etiam canendis.*

13 *De hymno quoque trium puerorum, in quo universa cœli, terræque creatura Deum collaudat.*

14 *Quod in fine psalmorum, non sicut à quibusdam Gloria Patri, sed Honor, & Gloria Patri dicatur.*

15 *Sunt quidam, qui in fine responsoriorum Gloriam non dicunt.*

16 *De Apocalypsis libro, ut teneatur, & quando legatur.*

17 *Quod quidam sacerdotes non ritè post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant.*

18 *Quod perniciosa consuetudo nequaquam est retinenda.*

19 *Quod in veteri lege ab anno vigesimo quinto Levitæ ordinari mandantur.*

20 *Quod sacerdotes Dei irreprehensibiles esse debent.*

21 *Quod apud Deum conscientiam puram, & apud homines famam optimam nos habere oporteat.*

22 *Quemadmodum antistites, ita presbyteri, & Levitæ, sicut nomine, ita & meritis vitam teneant, & testimonium vitæ.*

23 *Quod prona sit omnis ætas ab adolescentia in malum.*

24 *Quod maximè in sacerdotibus Dei vitanda est errorum ignorantia.*

25 *De presbyteris parochianis dum ordinantur, quod libellum officialem à sacerdote suo accipere debent.*

26 *Quando presbyteri, aut diaconi in parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere.*

27 *Si Episcopus, presbyter, diaconus, aut subdiaconus à gradu suo dejecti fuerint, & in secunda synodo innocentes inveniantur, qualiter recipi debeant.*

28 *Si Episcopus, presbyter, seu diaconus, vel ex ordine clericorum, magos, aruspices, ariolos, augures, vel sortilegos consulere fuerint deprehensi, quid de eis agendum sit.*

29 *Confinitimi hostium sacerdotes præter eos, qui à regia potestate licentiam acceperint, in synodo mundandi sunt.*

30 *Quod sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus sua negotia committunt.*

31 *Ut Episcopi in protegendis populis, ac defendendis impositam à Deo sibi curam non ambigant.*

32 *Quod avaritia radix cunctorum malorum aliquorum sacerdotum mentes obtineat.*

33 *Quicunque Episcopus alterius Episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, ut teneat eam.*

34 *Ut sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non amittit.*

35 *Quod Episcopos per cunctas diœceses, parochiasque suas ire oporteat per singulos annos.*

36 *Quicunque Episcopi suffragio cujuslibet aliquid de Ecclesiasticis utilitatibus providerint, quid agendum sit.*

37 *Præbendum à sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his, quibus restituenda vicissitudo est.*

38 *Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, ut presbyteris se præferant.*

39 *Si non licet Episcopis, nec presbyteris, oraria duo indui, quanto magis nec diaconis, qui ministri eorum sunt.*

40 *Ut omnes clerici, vel lectores, sicut levitæ, & sacerdotes detonso superius capite, inferius solam circuli coronam relinquant.*

41 *Ut extraneæ fœminæ cum clericis non habitent.*

42 *De clericis, qui non habentes legitimum conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt.*

A 43 *De clericis, qui sine consultu Episcopi sui uxorem duxerint.*

44 *De clericis, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserunt.*

45 *Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus.*

46 *De præcepto Domini nostri Sisenandi regis.*

47 *De eligendis œconomis.*

48 *De professione monachi, ut, quidquid fuerit allegatum, teneat.*

49 *De clericis, qui monachorum propositum appetunt.*

50 *Quale jus Episcopi in monasteriis habere debeant.*

51 *De monachis, qui egredientes de monasterio, non solùm ad sęculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt.*

52 *De religiosis propriæ regionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur.*

B 53 *De iis, qui in discrimine constituti, pœnitentiam accipiunt.*

54 *De sęcularibus, qui accipientes pœnitentiam se totonderant, & rursus prævaricantes laici effecti sunt.*

55 *Quod duo sunt genera viduarum, sæculares, & sanctimoniales.*

56 *De Judęis, ne vi ad credendum cogantur.*

57 *De cupiditate Episcopi, Presbyteri, vel diaconi, sive clericorum, qui contra fidem Christianam Judęis suffragium præstant.*

58 *De prævaricatione eorum, qui dudum ad Christianam fidem promoti sunt.*

C 59 *De Judæorum filiis, vel filiabus, ne parentum ultra involvantur erroribus.*

60 *De Judæis baptizatis, si postea prævaricati fuerint in Christo.*

61 *De malorum consortiis, quòd etiam bonos corrumpunt.*

62 *De Judæis, qui Christianas mulieres in conjugio habent.*

63 *Non potest erga homines esse fidelis, qui extiterit impius in Deum.*

64 *Præcipiente Domino, atque excellentissimo Sisenando rege, ut Judæi, aut qui ex Judæis sunt, officia publica nullatenus appetant.*

65 *Ut Christianos servos non liceat Judæis habere.*

66 *De his, qui de rebus suis pauperibus Christi nullatenus distribuunt.*

D 67 *De Episcopis, qui mancipium juris Ecclesiæ non retento Ecclesiastico patrocinio manumitti desiderant.*

68 *Ut sacerdotes, qui aut res suas Ecclesię relinquunt, aut nihil habentes aliqua prædia Ecclesiis suis conquirunt, si voluerint, possunt de Ecclesiæ famulis aliquos libertos facere.*

69 *De libertis Ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, à patrocinio ejusdem nunquam discedunt.*

70 *De libertis Ecclesiæ, qui à patrocinio ejusdem discedunt.*

71 *De libertis, qui à quibuscunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt.*

E 72 *Ut qui libertatem à Dominis suis ita percipiunt, ut nullum in eis obsequium patronus detentet, suscipiantur ad clerum.*

73 *De famulis Ecclesiæ constituere presbyteros, vel diaconos per parochias licet.*

74 *De Ecclesiastici ordinis institutis, vel decretis, quæ ad quorumdam pertinent disciplinam.*

CAPITULA CONCILII Toletani IV.

ANno tertio, regnante Domino nostro gloriosissimo principe Sisenando, die Nonarum Decembris, dum studio amoris Christi, ac diligentia religiosissimi

sissimi Sisenandi Regis Hispaniæ, atque Gallitiæ sacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini convenissemus, ut ejus imperiis, atque jussis commoniti à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus, primum gratias Salvatori nostro Deo omnipotenti egimus, post hæc antefato ministro excellentissimo, & glorioso regi, cujus tanta erga Deum devotio extat, ut non solùm in rebus humanis, sed etiam in causis divinis solicitus maneat. Hic quippe, dum in Basilica beatissimæ, & sanctæ martyris Leocadiæ omnium nostrum pariter jam cœtus adesset, pro merito fidei suæ, cum magnificentissimis, & nobilissimis viris ingressus, primum coram sacerdotibus Dei humi prostratus, cum lachrymis, & gemitibus pro se interveniendum Domino postulavit. Deinde religiosa prosecutione synodum exhortatus est, ut paternorum decretorum memores ad confirmanda in nobis jura Ecclesiastica studium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in usum venerunt, contra Ecclesiasticos mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt. Talibus ergo ejus monitis congaudentes, necessarium extitit, juxta ejus, nostrumque votum tractare, quæ competunt, sive in sacramentis divinis, quæ diverso, atque illicito modo in Hispaniarum Ecclesiis celebrantur, seu quæ in moribus pravè usurpata noscuntur. Et quoniam generale Concilium agimus, oportet primum nostræ vocis sermonem de cœlo esse, ut post professionem fidei sequentia operis nostri vota quasi super fundamentum firmissimum disponantur.

Rex humi prostratus.

1. Secundum enim divinas scripturas, & doctrinam, quam à sanctis Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius deitatis, atque substantiæ confitemur, in personarum diversitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem prædicantes, nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum, vel genitum dicimus, Filium à Patre non factum, sed genitum asserimus. Spiritum verò sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex patre, & filio profitemur. Ipsum autem Dominum Jesum Christum Dei filium, & creatorem omnium ex substantia patris ante secula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui nunquam desinit esse cum patre. Incarnatus est enim ex Spiritu sancto, ex gloriosa sancta Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa, solus idem Dominus Jesus Christus, unus in sancta Trinitate, anima, & carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat, æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus, & homo. Non autem duo filii, & Dei duo, sed idem una persona in utraque natura perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & devicto mortis imperio resurrexit. Assumptus deinde in cœlis, venturus est in futurum ad judicium vivorum, & mortuorum. Cujus morte, & sanguine mundati remissionem peccatorum consequuti sumus, resuscitandi ab eo in die novissimo in ea, qua nunc vivimus, carne, & in ea, qua resurrexit idem Dominus, forma percepturi ab ipso, alii pro justitiæ meritis vitam æternam, alii pro peccatis supplicii æterni sententiam. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ fides. Hanc confessionem servamus, atque tenemus. Quam quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.

Confessio fidei.

2. Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, placuit omnes sacerdotes, qui catholicæ fidei unitate complectimur, ut nihil ultra diversum, aut dissonum in Ecclesiasticis sacramentis agamus: ne quælibet nostra diversitas apud ignotos, seu carnales schismaticis errorem videatur ostendere, & multis extet in scandalum varietas Ecclesiarum. Unus ergo ordò orandi, atque psallendi à nobis per omnem Hispaniam, atque Gallitiam conservetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in vespertinis officiis, nec diversa sit ultra in nobis Ecclesiastica consuetudo, quia in una fide continemur, & regno. Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquæque provincia, & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem teneat.

3. Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quàm sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis universaliter definitum est, ut quia juxta Patrum antiqua decreta bis in anno difficultas temporis fieri concilium non sinit, saltem, vel semel à nobis celebretur: ita tamen, ut si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ, & Gallitiæ synodus convocetur. Si verò nec de fide, nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur, speciale erit concilium, prout uniuscujusque provinciæ metropolitanus elegerit, peragendum esse. Omnes autem, qui causas adversus episcopos, ac judices, ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem concilium concurrant: & quæcunque examine synodali à quibuslibet pravè usurpata inveniuntur, regii executoris instantia justissimè his, quibus jura sunt, reformentur, ita ut pro compellendis judicibus, vel sæcularibus viris ad synodum metropolitani studio quidam executor à principe postuletur. Quintadecima autem Calendarum Januariarum congreganda est in unaquaque provincia synodus propter vernale tempus, quandò herbis terra vestitur, & pabula germinum inveniuntur. Hora itaque diei prima ante solis ortum ejiciantur omnes ab Ecclesia: obseratisque foribus cunctis, ad unam januam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent. Et convenientes omnes episcopi pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempora resideant. Post ingressum omnium episcoporum, atque consessum vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire. Nullus se interingerat diaconorum. Post hos ingrediantur diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Et corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri à tergo eorum resideant, diaconi in conspectu eorum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electioni concilii interesse meruerint. Ingrediantur quoque & notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo requirit. Et obserentur januæ, sedentibusque in diuturno silentio sacerdotibus, & cor tantum habentibus ad Deum, dicat archidiaconus: Orate. Statimque omnes in terram prosternentur, & orantibus diutius tacitè cum fletibus, atque gemitibus, tunc unus ex episcopis senioribus surgens, orationem palam ad Dominum fundat, cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione, & responso ab omnibus, Amen. Rursus Archidiaconus dicat: Erigite vos. Et confestim omnes surgant, & cum timore omni, & disciplina tàm episcopi, quàm presbyteri sedeant. Sicque omnibus in suis locis, & in silentio consìdentibus, diaconus alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronunciet. Finitisque titulis metropolitanus episcopus concilium alloquatur, dicens: Ecce, sanctissimi sacerdotes, recitatæ sunt ex canonibus priscorum Patrum sententiæ de concilio celebrando. Si qua ergo quempiam vestrum actio commovet, coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcumque querelam, quæ contra canonem agit, in audientiam sacerdotalem protulerit, non prius ad aliud transeatur capitulum, nisi primum, quæ proposita est actio, terminetur. Nam & si presbyter aliquis, aut diaconus, vel clericus, sive laicus, de his, qui foris steterint, concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Ecclesiæ metropolitanæ archidiacono causam suam intimet, & ille concilio denunciet. Et tunc illi & introeundi, & proponendi licentia concedatur.

cedatur. Nullus autem episcoporum à cœtu communi secedat, antequam hora generalis secessionis adveniat: concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita ut quæcunque deliberatione communi finiuntur, Episcoporum singulorum manibus subscribantur. Tunc enim Deus suorum sacerdotum Concilio interesse credendus est, si tumultu omni abjecto sollicitè, atque tranquillè Ecclesiastica negocia terminentur.

4. Solet in Hispaniis de solemnitate Paschali varietas existere prædicationis. Diversa enim observantia laterculorum Paschalis festivitatis interdum errorē parturit. Proinde placuit, ut ante tres menses Epiphaniorum Metropolitani sacerdotes litteris se invicem inquirant, ut communi scientia docti diem resurrectionis Christi comprovincialibus suis insinuent, & uno tempore celebrandum annuncient.

5. De baptismi autem sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, simplam quidam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ in baptizandis aliquo contrario modo agunt, ab aliis non baptizatos esse contendunt. Proinde quid à nobis in sacramenti diversitate faciendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustravit, sed & longè existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diversitate, quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina verò mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quàm ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus: ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte, etiam pro summæ Trinitatis veneratione, existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in uno potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se fecisse glorientur. Quapropter quia de utroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi ad infernum descensio est: & rursùs ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem divinitatis, & trinitatem personarum ostendi. Unitatem, dum semel mergimus: trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizamus. Panditur hujus singularis baptismi mysterium etiam scripturarum sanctarum exemplis, Paulo Apostolo attestante: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari.* Mare quippe rubrum significat baptismum, Christi sanguine consecratum, per quod populus Dei sub columna ignis, & nubis semel transiit: ubi tamen tota erat Trinitas, præcedente populum columna ignis, & nubis. In igne quippe significatur Pater, in colũna Filius, in nube Spi-

A ritus sanctus. Jordanis quoque fluenta cum arca populus Dei semel transit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cujus sacramento Ecclesia abluitur, & de seculi hujus laboribus per baptismum quasi per Jordanem ad terram cœlestis repromissionis ingreditur.

6. Comperimus, quod per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini clausis Basilicarum foribus non celebratur officium, nec passio Domini populis prædicatur, dum idem Salvator noster Apostolis suis præcepit dicens: Passionem, & mortem, & resurrectionem meam omnibus prædicate. Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annunciandum voluit prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum præstolari, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabile festum Dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus, & sanguinis sacramentum mundi à peccato sumamus. *Ibidem. Mar. 16.*

B

7. Quidam in die ejusdem passionis Dominicæ ab hora nona jejunium solvunt, conviviis adhibentur, & dum sol ipse eadem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata, mœstitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epulisque inserviunt. Et quia totum eundem diem universalis Ecclesia propter passionem Domini in mœrore, & abstinentia peragit, quicunque in eo jejunium, præter parvulos, senes, & languidos ante peractas indulgentiæ preces solverit, à Paschali gaudio depellatur, nec in
C eo sacramentum corporis, & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ejus per abstinentiam non honoravit.

8. Lucerna, & cereus infra vigilias apud quasdam Ecclesias non benedicitur: & à nobis, cur benedicatur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum hæc solemniter benedicimus, ut sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus noctis votivè advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ, in Ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Galliтianis Ecclesiis conservetur. Nulli autem impune erit, qui hæc contempserit, sed Patrum regulis subjacebit.

9. Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur,
D qui Dominicam orationem, quam salvator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicunt. Et quia sine intermissione, ut oremus, Apostolus docuit, qualiter autem oremus, Christus præcepit, dicens: *Cum autem oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis.* Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda est, ut etiam ipso titulo utatur: nam vocatur oratio quotidiana: sic eam sancti Patres nuncupaverunt, quod etiam apud doctores, quorum illustris doctrina est, invenitur. Sanctus quoque Ciprianus dicit: Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus, & vivimus, à sanctificatione, & corpore ejus non recedamus. Sanctus Hilarius dicit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim
E tàm vult Deus, quàm ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, & panis è cœlo? Et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque, ut detur, oratur. Sanctus Augustinus dicit: De quotidianis autem, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster, qui es in cœlis, qui jam Patre tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu sancto. Delet ergo hæc quotidiana oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, pœnitendo in melius discedit, mutata. Ergo sicut Christus præcepit, sicut Apostolus monuit, & quemadmodum doctores Ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei

1. Thes. 5. Matth. 6.

In sermone de oratione Dominica.

In Enchiridio apud Laurentiũ.

Dei debemus. Quisquis ergo sacerdotum, vel subjacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore privetur.

10. Item cognovimus quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus alleluja decantant, præter in ultima Hebdomada Paschæ, quod deinceps fieri interdicimus, statuentes, ut in omnibus prædictis quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudii, sed mœroris) alleluja non decantetur. Tunc enim opus est fletibus, ac jejuniis insistere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniet tempus resurrectionis Christi, quando oporteat jam alleluja in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. Hoc enim Ecclesiæ universalis consensio in cunctis terrarum partibus roboravit, quod & à nobis omnibus, ut conservetur per Hispanias, Gallitiasque provincias, oportebit. In temporibus verò reliquis, id est, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino alleluja non decantabitur. In quibus etiam præter piscem, & olus, sicut & illis quadraginta diebus cæteris carnibus abstinetur, & à quibusdam etiam nec vinum bibitur. Si quis ergo Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic constitutioni æstimet præferendum, ordinis sui officio carere cogatur, & communione ejusdem Paschæ privetur.

11. In quibusdam quoque Hispaniarum Ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Euangelium prædicetur, dum Canones præcipiant, post Apostolum non Laudes, sed Euangelium annunciari. Præsumptio est enim, ut anteponantur ea, quæ sequi debeant. Nam Laudes ideo Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.

De conf. d. 1. de hym. Matth. 26. Ephes. 5. 12. De hymnis etiam canendis, & Salvatoris, & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista attestante: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Et Paulus Apostolus ad Ephesios scripsit, dicens: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus.* Et quia à nonnullis hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico, privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus, *Luc. 2.* Gloria, & honor Patri, & Filio, & spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nata in carne Christo, Angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, reliquaque, quæ ibi sequuntur, Ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inveniuntur. Componuntur Missæ, sive preces, vel orationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantentur in Ecclesia, vacant officia omnia Ecclesiastica. Admonet hæc fieri, atque hortatur *1. Tim. 2.* Timotheum Apostolus, dicens: *Obsecro ergo primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt.* Sicut ergo orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum ulterius improbet, sed pari modo in Gallitia, Hispaniaque celebrent, excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint ausi.

13. Hymnum quoque trium puerorum, in quo uni- A versa cæli, terræque creatura Deum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa dominicorum dierum, & in solemnitatibus martyrum canere negligunt. Proinde sanctum Concilium instituit, ut per omnes Hispaniæ Ecclesias, vel Gallitiæ in omnium Missarum solemnitate idem in publico decantetur: communionem amissuri, qui antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.

14. In fine psalmorum, non sicut à quibusdam huc usque Gloria Patri, sed Gloria, & honor Patri dicatur, David Propheta dicente: *Afferte Domino gloriam, & honorem,* & Joannes Euangelista in Apocalypsi audivit vocem cœlestis exercitus dicentem: *Honor, & gloria Deo nostro sedenti in throno.* Ac per hæc duo sic oportet in terris dici, sicut in cœlis resonant. Universis ergo Ecclesiasticis hanc observationem damus, B quam quisquis præterierit, communionis jacturam habebit.

15. Sunt quidam, qui in fine responsoriorum, Gloria non dicunt, propter quod interdum inconvenienter resonat. Sed hæc est discretio, ut in lætis sequatur Gloria, in tristioribus repetatur principium.

16. Apocalypsim librum multorum Conciliorum authoritas, & synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Joannis Euangelistæ esse præscribunt, & inter divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui ejus authoritatem non recipiunt, eumque in Ecclesia Dei prædicare contemnunt, si quis eum deinceps aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesia non prædicaverit, C excommunicationis sententiam habebit.

17. Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis, & sanguinis Domini sacramentum sumatur, eo videlicet ordine, ut sacerdotes, & levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

18. Perniciosa consuetudo nequaquam est recipienda, quæ majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbavit, dum alii per ambitum sacerdotia appetunt, alii oblatis muneribus Pontificatum assumunt. Nonnulli etiam sceleribus implicati, vel secula- D ri militiæ dediti, indigni ad honorem summi, ac sacri ordinis pervenerunt. De quorum scilicet causa, atque remotione oportuerat quædam statuere. Sed ne perturbatio quamplurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps qui non promoveantur ad sacerdotium, ex regulis Canonum necessario credimus inferendum. Id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam se admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturaliter defectu membrorum, aut decisione, aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam, vel à marito relictam duxerunt, E aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas, aut fornicarias habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti, vel laici sunt, qui secularis militiæ sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad trigintas annos pervenerunt. Qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ civitatis elegit, vel authoritas metropolitani, vel comprovincialium sacerdotum assensus non exquisivit. Quicunque ergo deinceps ad ordinem sacerdotii postulatur, & in his, quæ prædicta sunt, exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, & examinatus, probabilis vita, atque

atque doctrina extiterit, tunc secundum synodália, vel A decretalia constituta cum omnium clericorum, vel civium voluntate ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certè à tribus, in sacerdotem die Dominica consecrabitur, conniventibus cæteris, qui absentes sunt litteris suis, & magis authoritate, vel præsentia ejus, qui est in metropoli constitutus. Episcopus autem comprovincialis ibi consecrandus est, ubi metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non nisi in civitate metropoli, & comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum sacerdotii indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subjacebit.

19. In veteri lege ab anno vigesimoquinto levitæ in tabernaculo servire mandantur, cujus authoritatem in B canonibus & sancti Patres sequuti sunt. Nos & divinæ legis, & conciliorum præcepti immemores, infantes, & pueros levitas facimus ante legitimam ætatem, & ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat à nobis, & divinæ legis, & canonum admonemur sententiis. Sed vigintiquinque annorum ætatis levitæ consecrentur, & triginta Presbyteri ordinentur, ita ut secundum præceptum Apostolicum probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

20. Quicunque in sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo attestante: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*. Inoffensos ergo, & immaculatos decet Dei existere sacerdotes, nec ullius eos fornicationis contagio pollui, sed castè viventes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus: ut mundi corpore, purgati mente possimus ad sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

21. Quamvis conscientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen & apud homines famam optimam custodire convenit, ut juxta præceptum apostolicum, *non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*, vitæ sanctæ testimonium habeamus. Quidam enim hucusque sacerdotum non modicum scandalum creaverunt, dum in conversatione vitæ non bonæ famæ existunt. Ut ergo excludatur deinceps omnis nefandæ suspicionis occasio, & ne detur ultra sæcularibus locus obtrectandi, oportet episcopos testimonium probabilium personarum conversationis, & vitæ in conclavi suo habere, ut & Deo placeant per conversationem bonam, & Ecclesiæ per optimam famam.

22. Similiter placuit, ut quemadmodum antistites, ita presbyteri, atque levitæ, quos fortè infirmitas, atque ætatis gravitas in conclavi suo manere non sinit, ut & iidem in cellulis suis testes vitæ habeant, vitamque suam sicut nomine, ita meritis teneant.

23. *Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum*. Nihil enim incertius, quàm vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputato probatissimo seniore, quem & magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, sacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta sit, & res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deputentur, ut vagantes animi, & superbi severiori regula distringantur.

24. Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus apostolus dicens ad Timotheum: *Intende lectioni, & exhortationi: doctrinæ quoque, & semper permane in his*. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tàm fidei scientia, quàm operum disciplina.

25. Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à suo sacerdote accipiat, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacramentis offendant, ita ut quando vel ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent. *d.39. Quoniam presbyter. Libel. offic. est Mannale.*

26. Quando presbyteri, aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos primum professionem episcopo suo facere, ut castè, & purè vivant sub Dei timore, ut, dum eos talis professio obligaverit, vitæ sanctæ disciplinam retineant. *d.28. Quãdo presby.*

27. Episcopus, presbyter, aut diaconus si à gradu suo injustè dejectus in sancta synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, annulum, & baculum. Si presbyter, orarium, & planetam. Si diaconus, orarium, & albam. Si subdiaconus, patenam, & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ, cum ordinarentur, perceperant. *11. q.3. Episc. presb. Orarium est stola.*

Hic canon plura mutationi studiosorum objicit. Primo namque videtur supponere ordinatos, etiam injustè dejectos ab ordine, indiguisse iterata ordinatione, quasi nõ fuisset impressus character indelebilis. Qua de re vide dicta in controversia synodi VIII. Secundo datur agnoscere ordinationes præcipuas debere fieri coram altari, C ubi nempe supponuntur fuisse calix, & patena, ut sic semper fieret virtualis quædam, aut moralis traditio, eo ipso quod altari admoverentur ordinandi. Qua de re in controversia concilii Florentini. Tertiò cum nulla fiat hic mentio impositionis manuum, non tamen rectè inferri adhibitam non fuisse: unde non rectè argumentatur Morinus de *sacris ordin. p.3. exercit.7. c.1.* Presbyterum non recepisse calicem, & patenam in sua ordinatione, quia in restitutione sua ei non restituuntur: nisi à simili velit contra suam opinionem concludi posse, nec impositionem manuum ei factam fuisse, sicut nec Diacono, cum in restitutione non repetatur. Vide dicta ad Concil. Chartag.

28. Si quis episcopus, aut presbyter, sive diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos, vel eos, qui pro- D fitentur artem magicam, aut aliquem eorum sublimia exercentem, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterii censuram excipiat: ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat. *26. qu. Si quis ep.*

29. Confinitimi hostium sacerdotes, præter eos, qui à regia potestate sublimi licentiam acceperint, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occultè accipere, vel dirigere non præsumant. Qui autem deprehenditur, aut convincitur, denunciatus principi, apud concilium condigna animadversione mulctabitur.

30. Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis senten- E tia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum. *23. q.8. Sæpe princi-pes.*

31. Episcopi in protegendis populis, ac defendendis impositam à Deo sibi curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt judices, ac potentes pauperum oppressores existere, & prius eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentiam regis auribus intiment, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat. Si quis autem episcoporum id neglexerit, concilio erit reus.

1.Tim.6. 32. *Avaritia radix est cunctorum malorum*, cujus sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in honorem Christi, & martyrum in parochiis Episcoporum basilicas construunt, oblationes sanctas tribuunt, sacerdotes hæc auferunt, atque in usus suos convertunt. Inde est, quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur, quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti concilio, episcopos ita diœceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre: sed juxta priorum authoritatem conciliorum, tàm de oblationibus, quàm de decimis, tributis, ac frugibus tertiam consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis præsumptum extiterit, per concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si jam illi à sęculo decesserunt. Noverint ergo conditores basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta canonum instituta, sicut Ecclesia, ita dos ejus ad ordinationem episcopi pertineat.

16. q. 1. constitutū est. *10. qu. 1. Noverint.*

16. q. 3. Quicumq; episcopus. 33. Quicumque episcopus alterius episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis ejus videtur esse diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi. Sed hoc intra in unam parochiam, extra verò nullo modo; ne, dum diœcesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

16.q.3. Sicut diœc. 34. Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non adimit. Ideoque basilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

10. q.1. Episcopum per cunctas. 35. Episcopum per cunctas diœceses, parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quo unaquæque basilica in reparationem sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles, aut diacones mittat, qui & redditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

12. qu.2. Quicumq; suffragio. 1. Tim.5. 36. Quicumque episcopi suffragio cujuslibet aliquid Ecclesiasticæ utilitatis providerint, & pro eo quodcumque commodum in remunerationem promiserint, promissi solutionem eos exolvere oportebit, ita ut id ad concilium provinciale deferatur, ut eorum conniventia confirmetur, quia sicut Paulus ait, *Dignus est operarius mercede sua*.

16. qu.7. Quicunq; fidelium. 37. Præbendum est à sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicunque ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint, si fortè ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim clericis, seu monachis, vel peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus pro solo religionis intuitu in usum res Ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis consulendum est, quibus retributio justa debetur?

d.93. Nonnulli diaconi. 38. Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, ut sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo ut sublimiores sibi presbyteros agnoscant, tàm hi, quàm illi in utroque choro consistant.

D.25. Unū orarium. 39. Si oraria duo nec episcopo induere quidem licet, nec presbytero, utique multo minus diacono, qui minister eorum est. Unum ergo orarium oportet levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat. Dexteram autem oportet habere liberam, ut expeditius ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveant ergo amodo levitæ gemino uti orario, sed uno tantùm, & puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.

40. Omnes clerici, vel lectores, sicut levitæ, & sacerdotes detonso superius capite totò, inferius solam circuli coronam relinquant. Non sicut hucusque in Gallitiæ partibus facere lectores videntur, cui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondunt. Ritus enim iste in Hispanis hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur, & sit una tonsura, vel habitus sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit.

41. Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitent, nisi tantum mater, & soror, filia, amita, in quibus personis nihil sceleris æstimari naturæ fœdus promittit. Id enim & constitutio antiquorum Patrum decrevit.

42. Quidam clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt. Ideo quæ conjunctæ taliter cum clericis sunt, ab episcopo auferantur, & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos sua libidine infecerunt.

43. Clerici, qui sine consultu episcopi sui uxores duxerint, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in conjugium acceperint, separari eos à proprio episcopo oportebit.

44. Clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti amisso ordinis sui gradu, in monasterium contradantur pœnitentiæ.

45. Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum à clericatus ordine submoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

46. Præcipiente Domino nostro, atque excellentissimo Sisenando rege, id constituit sanctum concilium, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis, ab omni publica indictione, atque labore habeantur immunes, ut liberi Deo serviant, nullaque præpediti necessitate ab Ecclesiasticis officiis retrahantur.

47. Eos, quos, œconomos Græci vocant, hoc est, qui vice episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut sancta synodus Chalcedonensis instituit, omnes episcopos de proprio clero ad regendas Ecclesias habere oportet: qui autem deinceps contempserit, obnoxius ejusdem magni concilii erit.

48. Monachum, aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.

49. Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplantis desiderium transire nituntur.

50. Nunciatum est præsenti concilio, quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, & jura monasteriorum contra instituta canonum illicita præsumptione usurpentur, ita ut pœnæ ex cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam, servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, qui Ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant. Sed hoc tantum sibi in monasterio vendicent sacerdotes, quos præcipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates, aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis.

51. Nonnulli monachorum egredientes à monasterio, non solùm ad sęculum revertuntur, sed etiam & uxores

uxores accipiunt. Igitur revocati in eodem monasterio, à quo exierant, pœnitentiæ deputentur: ibique defleant crimina sua, unde decesserunt.

52. Religiosi propriæ regionis, qui nec inter clericos nec inter monachos habentur, sive hi, qui per diversa loca vagi feruntur, ab episcopis, in quorum conventu commorari noscuntur, licentia eorum coerceatur, ut aut in clero, aut in monasterio deputentur præter eos, qui ab episcopo suo, aut propter ætatem, aut proter languorem fuerint absoluti.

53. Hi, qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores esse prædicantes, hujusmodi si revaluerint, possunt etiam per morum probitatem ad gradus Ecclesiasticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad clerum, vel honores Ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt, quia se confessione propria notaverunt.

54. Quicunque ex secularibus accipientes pœnitentiam retonderunt se, & rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, renoventur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, ut verè apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter & hi, qui à parentibus detonsi fuerunt, aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni devoverunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, ut iidem à sacerdote comprehensi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, revocentur. Quod si converti non possunt, velut apostatæ anathematis sententiæ subjiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

55. Duo sunt genera viduarum, sæculares, & sanctimoniales. Sæculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ jam, mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis, & Ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint juxta Apostolum, non sine damnatione erunt, quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abjecerunt.

56. De Judæis autem præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult, Deus miseretur, &, quem vult, indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem jampridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia jam constat, eos sacramentis divinis sociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini, & sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur.

Nota. In hoc canone corrigitur sub Sisenando rege, quod non rectè, nec secundum receptam Ecclesiæ disciplinam à rege Sisebuto statutum fuerat de cogendis ad baptismum Judæis ex legibus Vvisigothorum l. 12. tit. 3. lege 3. apud Baron. an. 614. nu. 39. *Horum* omnium transgressor quisquis repertus fuerit, centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exilii pœna, testamen ejus ad Principem pertineat, &c. sic Chilpericus in Gallia coegit Judæos. Sed facta particularia quorumdam ex zelo sine scientia legem communem non statuunt, aut usum universalem. Extat ea de re dissertatio erudita Doctoris F Joan. Nicolai adversus Launojum edita Parisiis an. 1667.

A 57. Tanta est quorundam cupiditas, ut quidam eam appetentes, juxta quod ait Apostolus, etiam *à fide * erraverunt*. Multi quippe hucusque ex sacerdotibus, atque laicis accipientes à Judæis munera, perfidiam eorum suo patrocinio fovent, qui non immeritò ex corpore Antichristi esse noscuntur, quia contra Christum faciunt. Quicunque ergo deinceps Episcopus, sive clericus, sive sæcularis illis contra fidem Christianam suffragium vel munere, vel favore præstiterit, verè ut prophanus, & sacrilegus anathema effectus, ab Ecclesia Catholica, & regno Dei habeatur extraneus. Quia dignus est, ut à corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur. *1. Tim. 6.* ** Erraverint.*

58. Plerique, qui ex Judæis dudum ad Christianam B fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solùm Judaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere præsumpserunt. De quibus consultu piissimi, ac religiosissimi Domini nostri Sisenandi regis hoc sanctum decrevit Concilium, ut hujusmodi transgressores, Pontificali authoritate correcti, ad cultum Christiani dogmatis revocentur: ut quos voluntas propria non emendat, animadversio sacerdotalis coerceat. Ii autem, quos circumciderunt, si filii eorum sunt, à parentum consortio separentur: si servi, pro injuria corporis sui libertati tradantur. *De conf. d. 4. plerique.*

59. Judæorum filios, vel filias baptizatos, ne parentum ultrà involvantur erroribus, ab eorum consortio C separari decernimus, deputandos aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tàm in moribus, quàm in fide proficiant. *28. qu. 1. Judæorum filios.*

60. Judæi baptizati, si postea prævaricantes in Christum qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, quia scriptum est: *Filius non portabit patris iniquitatem.* *1. q. 4. Judæi baptizati.*

61. Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt? Nulla ergo communio ultra sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne fortè eorum participio subvertantur. Quicunque ergo modo ex his, qui baptizati sunt, infidelium D consortia non vitaverint, & hi Christianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur. *Ezech. 18. 29. q. 1. Sæpe malorũ.*

62. Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christianam translata est fidem, filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem, atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam religionem sequantur, non Judaicam superstitionem. *28. q. 1. Judæi, qui Christian.*

63. Non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Judæi ergo, qui dudum Christiani effecti sunt, & nunc Christi fidem prævaricati sunt, ad E testimonium dicendum admitti non debent, quamvis esse se Christianos annuncient, quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita in testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur. Nec eis est credendum, qui veritatis à se fidem abjecerunt. *2. q. 7. Non potest.*

64. Præcipiente Domino, atque excellentissimo Sisenando rege, constituit id sanctum concilium, ut Judæi, aut hi, qui ex Judæis sunt, officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis injuriam faciunt. Ideoque judices provinciarum cum sacerdotibus eorum subreptiones fraudulenter relictas suspendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem judicium hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur: & is, qui subrepserit, publicis cædibus deputetur. *12. q. 4. Cõstituit sanctum.*

65. Ex decreto gloriosissimi principis hoc sanctum eligit Concilium, ut Judæis non liceat Christianos servos, nec Christiana mancipia emere, nec cujusquam cõsequi largitatem. Nefas enim est, ut membra Christi serviant Antichristi ministris. Quod si deinceps servos Christianos, vel ancillas Judæi habere præsumpserint, sublati ab eorum dominatu, libertatem à principe consequantur.

12. qu. 2. Et si illi. 66. Et si illi, qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, æterni judicis voce in futuro condemnabuntur, quanto magis hi, qui auferunt pauperibus, quæ non dederunt? Quapropter Episcopi, qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensaverunt, hanc divinam sententiam metuant, & libertos ex familiis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim, ut, qui res suas Ecclesiæ Christi non contulerit, damnum inferat, & jus Ecclesiæ alienare contendat. Tales ergo libertos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit, quia eos non æquitas, sed improbitas absolvit.

12. q. 2. Episcop. 67. Episcopus, qui mancipium juris Ecclesiæ, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti ejusdem, & peculii coram Concilio Ecclesiæ, cui præeminet, per commutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, ut rata, & justa inveniatur diffinitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio Ecclesiæ concedere poterit: quia eum, qui libertati tradere disponitur, jam juri proprio acquisivit. Hujusmodi autem liberto adversus Ecclesiam, cujus juris extitit, accusandi, vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet, ut stante commutatione in servitutem propriam revocetur, cui nocere conatur.

68. Consensu totius Concilii definitur, ut sacerdotes, qui aut res suas Ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia, aut familias Ecclesiis suis conquirunt, licebit illis aliquos de familiis ejusdem Ecclesiæ manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui Canones decreverunt, ita ut cum peculio, & posteritate sua ingenui sub patrocinio Ecclesiæ maneant, utilitates injunctas sibi, juxta quod potuerint, prosequentes.

12. q. 2. Liberti Ecclesiæ. 69. Liberti Ecclesiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) à patrocinio ejusdem nunquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreverunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obtinens, sese ab Ecclesiæ patrocinio non subtrahat, necesse est, ut tàm hi liberti, quàm ab eis progeniti professionem Episcopo suo faciant, per quam ex familia Ecclesiæ libertos effectos se esse fateantur, ejusque patrocinium non relinquant, sed juxta virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.

Ibid. Liberti Ecclesf. qui à Papa 70. Liberti Ecclesiæ, qui à patrocinio ejus discedentes, quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit, quia per obedientiæ contemptum ingrati actione tenentur.

d. 87. lib. Ecclesf. qui à quibuscumque. 71. Liberti Ecclesiæ, qui à quibuscunque manumissi sunt, & Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut & regulæ antiquorum Patrum constituerunt, sacerdotali defensione, à cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, sive in peculio, quod habere noscuntur.

d. 54. Quicumque. 72. Quicunque libertatem à dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibi in eis obsequium patronus retentet, isti, si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur, quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo, quod * adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum ordinem promovendi, ne, quando voluerint eorum Domini, fiant ex clericis servi.

** A patrono servituti.*

73. De familiis Ecclesiæ constituere Presbyteros, A & Diacones per parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat: ea tamen ratione, ut antea manumissi libertatem status sui percipiant, & denuo ad Ecclesiasticos honores succedant. Est enim irreligiosum, obligatos existere servituti, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quicquid autem talibus, aut per libertatem concessum, aut successione extiterit datum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad jus ejus Ecclesiæ, à qua manumissi sunt, post eorum obitum pertineant. His quoque, sicut & cæteris Ecclesiæ libertis accusandi, vel testificandi adversus Ecclesiam aditus intercluditur: ad quod si aspiraverint, non solùm libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, sed temporis necessitate promeruerunt.

B 74. Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, vel decreta, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum regum, & stabilitate gentis Gothorum Pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut fama est) tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam regibus suis observare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim regibus suis, & fidem, quam pollicentur, prævaricantur: nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo spes talibus C populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? Quod fœdus non violandum? Quæ in hostibus jurata sponsio stabilis permanebit, quando nec ipsis propriis regibus juratam fidem conservant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Illi (ut notum est) immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos, suosque reges proprias convertendo vires. Et cum Dominus dicat, *Nolite tangere Christos meos*: & David, *Quis* (inquit) *extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus est perjurium, nec regibus inferre exitium. Hospitibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides vigeat, D quanto magis in cæteris servanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus regum suorum promissa fides: quia non solùm in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quod multa regna terrarum cœlestis iracundia ita permutavit, ut pro impietate fidei, & morum alterum ab altero solveretur. Unde & nos cavere oportet, casum hujusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. *Si enim Deus Angelis in se prævaricantibus non pepercit*, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt, unde & per Esaiam dicit, *Inebriatus est gladius meus in cœlo*; quanto magis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæviente Dei gladio pereamus? Quod si divinam iracundiam E vitare volumus, & severitatem ad ejus clementiam provocare cupimus, servemus erga Deum religionis cultum, atque timorem, custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem, atque sponsionem. Non sit in nobis, ut in quibusdam gentibus infidelitatis subtilitas impia, non subdolæ mentis perfidia, non perjurii nefas, & conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos sub præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones civium, nemo meditetur interitus regum: sed defuncto in pace principe, primates totius gentis cum sacerdotibus successorem regni Concilio communi constituant, ut dum unitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ, gentisque dissidium per vim, atque ambitum moliatur.

Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit,

git, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audi sententiam nostram. Quicunque ergo ex nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet conjuratione, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Dei Patris, & Angelorum: atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus cum omnibus impietatis suæ sociis; quia oportet, ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos. Quod iterum secundò replicamus, dicentes: Quicunque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, quolibet tractatu, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, violaverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema in conspectu Christi, & Apostolorum ejus sit: atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio prophanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni consortio Christianorum alienus, & damnatus in futuro judicio Dei habeatur cum participibus suis: quia dignum est, ut, qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participatione obnoxii teneantur. Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes: Quicunque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate regiæ potestatis pollicitus est, violaverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti, & martyrum Christi: atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio prophanaverit, extraneus efficiatur, & ab omni communione Christianorum alienus; nec partem habeat istorum, sed cum diabolo, & Angelis ejus æternis suppliciis condemnetur unà cum eis, qui eandem conjurationem nituntur: ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat. Et ideò, si placet omnibus, qui adestis hoc tertiò reiteratam vestræ vocis consensu firmate. Ab universo clero, vel populo dictum est: Qui contra hanc nostram definitionem præsumpserint, anathema maranatha, hoc est, perditio in adventu Domini sint, & cum Juda Scarioth partem habeant ipsi, & socii eorum. Amen. Quapropter nos ipsi, & sacerdotes omnes sanctam Ecclesiam Christi, ac populum admonemus, ut hæc tremenda, & toties reiterata sententia nullum ex nobis præsenti, atque æterno condemnet judicio, sed fidem promissam erga gloriosissimum Dominum nostrum Sisenandum Regem custodientes, ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinæ pietatis in nobis clementiam provocemus, sed etiam gratiam antefati principis percipere mereamur. Te quoque præsentem regem, ac futuros ætatum sequentium principes humanitate debita deposcimus, ut moderati, & mites erga subjectos existentes, cum justitia, & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos nobis constituit, largitori Christo rependatis, regnantes in humilitate cordis cum studio bonæ actionis. Nec quisquam vestrum solus in causa captivum, aut reum sententia feriat, sed consensu publico cum rectoribus ex judicio manifesto delinquentium culpa patescat, servata à vobis in offensis mansuetudine, ut non severitate magis in illis, quàm indulgentia polleatis, ut dum omnia hæc (auctore Deo) pio à vobis moderamine conserventur, & reges in populis, & populi in regibus, & Deus in utrisque lætetur. Sanè de futuris regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione, & fastu regio in flagitiis, & facinore, sive cupiditate crudelissimam potestatem

A in populis exercuerit, anathematis sententia à Domino condemnetur, & habeat à Deo separationem, atque judicium, propter quod præsumpserit prava agere, & in perniciem regnum deducere. De Simithilana verò, qui propria scelera metuens seipsum regno privavit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decrevimus, ut neque eum, vel uxorem ejus propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum unitati nostræ unquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti sunt, aliquando promoveamus. Quique etiam, sicut in fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni, præter id, quod pietate piissimi principis nostri fuerint consecuti. Non aliter & Geillanem memorati Simithilanæ & sanguine, & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide
B stabilis extitit, nec fidem glorioso Domino nostro pollicitam conservavit, hunc ergo cum conjuge sua, sicut & ante factum est, à societate gentis, atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creverant reduces fieri, præter id, quod consecuti fuerint pietate clementissimi principis, cujus gratia bonos donorum præmiis ditat, & malos à beneficentia sua non separat. Gloria autem, & honor omnipotenti Deo nostro, in cujus nomine congregati sumus. Post hæc pax, & salus, & diuturnitas piissimo, & amatori Christi Domino nostro Sisenando regi, cujus devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit. Corroboret ergo Christi gratia regnum illius, gentesque Gothorum in fide Catholica annis,
C & meritis. Protegat illum usque ad ultimam senectutem summi Dei gratia, & post præsentis regni gloriam ad æternum regnum transeat, ut sine fine regnet, qui in sæculo feliciter imperat, ipso præstante, qui est Rex regum, & Dominus Dominorum, cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Definitis itaque his, quæ superius comprehensa sunt, annuente religiosissimo placuit, deinde nulla re impediente à quolibet nostrum, ea, quæ constituta sunt, temerari, sed cuncta salubri consilio conservari. Et quia profectibus Ecclesiæ, & animæ nostræ conveniunt, etiam propria subscriptione (ut permaneant) roboramus. Ego Isidorus in Christi nomine Spalensis Ecclesiæ Metropolitanus Episcopus hæc constituens subscripsi. Similiter & alii Episcopi subscripserunt, numero septuaginta.

D *Concilium Toletanum quintum, tempore Honorii Papæ primi, æra 674. anno Christi 636. Chintillano regnante.*

TITULI CAPITULORUM Concilii Toletani V.

1. *De institutione novarum litaniarum.*
2. *De custodia salutis regum, & defensione prolis præsentium principum.*
3. *De reprobatione personarum, quæ prohibentur adipisci regnum.*
4. *De his, qui sibi blandiuntur spe, rege superstite.*
5. *De his, qui principes maledicere præsumunt.*
6. *Ut regum fideles à successoribus regum rerum jure non fraudentur pro servitutis mercede.* E
7. *Quod in celebritate cunctorum Conciliorum, Synodus Toletana temporibus Sisenandi habita, per prolationem vocis claræ, ob custodiam sui cunctis debeat innotescere.*
8. *De indulgentia principum noxiis servata.*
9. *De favore principum Concilii acclamatione concesso.*

CAPITULA CONCILII TOLETANI V. habiti anno 1. Chintillani.

APud urbem Toletanam diversis ex provinciis Hispaniæ sacerdotes Domini, qui in uno pacis oscu-

osculo in Basilica sanctæ martyris Leocadiæ consedimus, gratiarum actiones omnipotenti Deo persolvimus propter suam misericordiam magnam, cujus nutu in hanc convenimus concordiam, & gloriosi principis nostri Chintillani regis initia, ob cujus salutis, & felicitatis constantiam supernam imploramus clementiam, qui se in medio nostri cœtus ingressus cum optimatibus, & senioribus palatii sui, supplex se omnium orationibus commendavit, suosque fideles ita facere sancta exhortatione coegit, atque hanc institutionem, quam ex præcepto ejus, & decreto nostro sancimus, divina inspiratione permisit. A

1. Scilicet, ut in cuncto regno à Deo sibi concesso, specialis, & propria hæc religiosa omni tempore teneatur observantia, ut à die Iduum Decembrium litania triduo ubique annua successione peragatur, & indulgentia delictorum lachrymis impetretur. Quod si dies dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebretur, ut quoniam, deficiente charitate, eo usque protelatur malitia, ut nova exerceantur facinora, nova quoque hæc ipsa surgat consuetudo, quæ possit ante omnipotentis oculos nostra esse purgatio. B

2. Summa autem nobis vigilantia, & grandi religionis cura providendum est, ut mala, quæ assiduè prohibita perpetrantur, circumspecta disciplina Ecclesiastica extirpentur. Non enim est incassum scri-
Prov. 19. ptum: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Quamobrem quoniam præponderante onere delictorum, experientia pene semper, ac sæpè fieri dicimus, quod magnopere vitare debemus, quod etiam custoditur, cum hoc, quod divinis Sacramentis spopondimus, temeritate non violamus, ideò frequenter compescendum, quod crebro invenitur transgressum. Sed ne succedentes præcedentibus, ac deinde sequentes invideant anterioribus, & cuncta quieta, & pacata permaneant, hæc in Concilio communiter considerata defertur sententia, ut servetis quæcunque in universali, & magna Synodo provisa, conscriptaque circa principum salutem, & utilitatem sunt. Hæc quoque adjecta custodiantur, videlicet, ut omni benignitate, omnique firmitate circa omnem posteritatem principis nostri Chintillani regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defensionis adminiculum, ne res justè provisæ, aut etiam parentum digna provisione procuratæ, ad juris proprietatem pertinentes, injustè, fraudulenterve à quoquam causa illicitè exquisita lædendi eos præbeatur, nec quocunque modo quibuslibet rebus, spreta dilectione, molestentur. Hæc enim licentia efficit, & principes in subjectis suspectos, & subjectos in bonis principum cupidos. Quocirca, ne & præmissa contemnantur, & ut cupiditas *radix omnium malorum* auferatur, contesta-
1. Tim. 6. mur omnes præsentes, & absentes, vel etiam futuris temporibus consequentes, coram Deo, & Angelis ejus, quod si quisquam nostræ contestationis temerator extiterit, atque contemptor, & quacumque argumentatione odiosè eos molestare, aut in aliquo fuerit conatus lædere, sit anathema in Christianorum omnium cœtu, atque superno condemnetur judicio: sit exprobrabilis omnibus Catholicis, & abominabilis sanctis Angelis, in ministerio Dei constitutis: sit in hoc sæculo perditus, & in futuro condemnatus, qui tàm rectæ provisioni noluit præbere consensum. C D E

3. Inexpertus, & novus morbus novam decet invenire medelam. Quapropter, quoniam sunt inconsideratæ quorundam mentes, & se minimè capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, qui passim putant, licenterque ad regalia majestatis pervenire fastigia. Hujus rei causa, nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia, ut si quis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium præficit, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc apicem trahit, sit consortio Catholicorum privatus, & divino anathemate condemnatus.

4. Ergo, quia & religioni inimicum, & hominibus constat esse perniciosum, futura illicitè cogitare, & casus principum exquirere, ac sibi in posterum providere, cùm scriptum sit: *Non est vestrum nosse momenta, vel tempora, quæ Pater posuit in sua potestate*: hoc decreto censemus, ut quisquis inventus fuerit talia perquisisse, & vivente principe in alium attendisse pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse, à conventu catholicorum cum excõmunicationis sentẽtia expellatur. Act.

5. Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri deliberatione censemus, ne quis in principem maledicta congerat. Scriptum est enim à legislatore: *principem populi tui ne maledixeris.* Quod si quis fecerit, excommunicatione Ecclesiastica plectatur. Nam si *maledici regnum Dei non possidebunt*, quanto magis talis ab Ecclesia necessariò pellitur, qui divinæ violator sententiæ invenitur? Exo. Act. 1. Co.

6. Simili providentia pro fidelibus regum nostra datur sententia, ut quisquis superstes principum extiterit, justè in rebus profligatis, aut largitate principis acquisitis, nullam debeat habere jacturam. Nam si licenter, & injustè perturbentur fidelium mentes, nemo optabit proprium, ac fidele præbere obsequium, dum cuncta nutant in incertum, & in futuro discriminis formidant causam, sed saluti, & rebus eorum principalis pietas debet præbere suffragia. Exemplis enim cæteri provocantur ad fidem, cùm fideles non fraudantur mercede.

7. Propter malarum mentium facilitatem, & memoriæ oblivionem hoc sacratissima statuit Synodus, ut in omni Concilio Episcoporum Hispaniæ universalis Concilii decretum, quod propter principum nostrorum est salutem constitutum, peractis omnibus in Synodo, publica voce debet pronunciari, quatenus sæpè replicatum auribus, vel assiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad prævaricandum & oblivione, & facilitate perducitur.

8. In his omnibus, quæ præmisimus, potestatem indulgentiæ in culpis delinquentium principi reservamus, ut juxta bonitatis suæ, & pietatis moderamen, ubi emendationem prospexerit mentium, veniam tribuat culparum.

9. His verò omnibus fidem, & robur subscriptione nostra facientes, gloriam, & laudem omnipotenti Domino Deo, in quantum mortalium valetudo finit, reddimus. Post hæc gratias excellentissimo, & gloriosissimo Principi nostro Chintillano regi peragimus, cujus ardor fidei, & studium bonæ intentionis, & unanimitatis concordiam nobis tribuit, & charitatis: donec ei Dominus de inimicis triumphum, & de beatitudine gaudium: custodiat eum protectione assidua, & muniat bonæ voluntatis suæ circunspectione tutissima, cujus regnum manet in sæcula sæculorum. Ego Eugenius Toletanæ Ecclesiæ provinciæ Carthaginensis Metropolitanus Episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi. Similiter & alii Episcopi subscripserunt, numero viginti.

Concilium Toletanum sextum, tempore Honorii Papæ primi, & Chintillani regis, æra 676. anno Christi 638.

TITULI CAPITULORUM CONCIL. VI.

1. *De plenitudine fidei Catholicæ.*
2. *De observatione litaniarum.*
3. *De custodia fidei Judæorum.*
4. *De damnatione clericorum per pecuniam Ecclesiasticos gradus assequentium.*
5. *De stipendiis clericorum, ne à jure alienentur Ecclesiarum.*
6. *De viris, & feminis sacris propositum transgredientibus.*
7. *De pœnitentibus transgressoribus.*
8. *Quod quibusdam pœnitentibus pristina tradantur conjugia.*
9. *De professionibus, & obedientia libertorum Ecclesiæ.*

10. De

CAPITULA CONCIL. TOLET. VI.

CONvenientibus nobis Hispaniarum, Gallitiæque Pontificibus summis, cum Orthodoxi, & gloriosi Chintillani Regis salutaribus hortamentis absque impedimento, in prætorio Toletano, in Ecclesia sanctæ Leocadiæ martyris sedibus collatis, sub die sexta Idus Januarii, anno prædicti principis, & triumphatoris Christi secundo, statuimus subter inserta capitula.

1. Cùm primum omnipotenti Deo pro corona fratrum ita numerosæ gratiæ in nobis fuissent peractæ, nihil melius, nihilque salubrius omnium insedit animo, quàm more Synodi universalis post solemnia perfunctæ orationis, quod mente interius ruminabamus, C lingua narraremus, & quod corde credebamus, ore ructaremus, superna favente sententia, quæ ait: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Et juxta Prophetam: *Verbum fecit Dominus abbreviatum super terram*. Quamobrem ex abundantia nostri cordis fit confessio vocis, ut fidem, quam omnium mens intrinsecus gestat, in confessione interpretes lingua foris effundat. Itaque credimus, & profitemur sacratissimam, omnipotentissimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum solum non solitarium, unius essentiæ, virtutis, potestatis, majestatis, uniusque naturæ, discretam inseparabiliter personis, indiscretam essentialiter substantia deitatis, creatricem omnium creaturarum, Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius divinitatis, Filium à Patre intem- D poraliter ante omnem creaturam sine initio genitum, non creatum: nàm nec Pater unquam sine Filio, nec Filius extitit sine Patre, sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo, ille autem Filius Patris, & Deus de Patre, per omnia coæqualis Patri, Deus verus de Deo vero, Spiritum verò sanctum neque genitum, neque creatum, sed de Patre, Filioque procedentem utriusque esse Spiritum, ac per hoc substantialiter unum sunt, qui & unus ab utroque procedit. In hac autem Trinitate tanta est unitas substantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat: nec minor in singulis, quàm in omnibus: nec major in omnibus, quàm in singulis personis manet. Ex his igitur tribus personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, E quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraximus, resolvenda à secreto Patris, arcanoque prodiisse, & humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse, ut idem Filius Dei Patris esset Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus, ut homo, & Deus esset unus Christus, naturis in duabus una persona, ne quaternitas Trinitatis accederet, si in Christo geminata persona esset. Ergo à Patre, & Spiritu sancto separabilis creditur persona, ab homine autem assumpta natura, idem cum eodem homine unus extat persona cum Patre, & Spiritu sancto, natura, ac (sicut diximus) ex duabus naturis, & una persona unus est Dominus noster Jesus Christus, in forma divinitatis æqualis Pa- A tri, in forma servi minor Patre. Hæc est enim vox ejus in Psalmo: *De ventre matris meæ Deus meus es tu*. Na- *Psal. 21.*
tus itaque à Deo sine matre, natus à Virgine sine Patre, solum *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Et cùm tota cooperata sit Trinitas, formationem susce- *Joan. 1.*
pit hominis, quoniam separabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, idest, in eo, quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati. Nam si unam nati hominis, Dei alteram confecisset personam, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam Trinitatis esse, non tamen personam. Hic ergo Dominus noster Jesus Christus missus à Patre, suscipiens, quod non erat, nec amittens, quod erat, inviolabilis de suo, mortalis de B nostro: *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, *1. Tim. 1.*
& credentes justificare, faciensque mirabilia, *traditus* *Rom. 4.*
est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter justificationem nostram, hujus livore sanati, hujus morte Deo Patri reconciliati, hujus resurrectione sumus resuscitati. Quem etiam venturum in fine expectamus sæculorum cum resurrectione omnium, æquissimo suo judicio redditurum justis præmia, & impiis pœnas. Ecclesiam quoque Catholicam credimus, sine macula, & ruga, corpus ejus esse, regnumque habituram cum capite suo omnipotente Christo Jesu, postquam hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale immortalita- *1. Cor. 15.*
tem, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Hac fide corda purificantur, hac hæreses extirpantur, in hac omnis Ecclesia collata jam cœlesti regno deinceps in sæculo præsenti gloriatur, & non alia fide est salus, *nec enim nomen aliud est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat* *For. in fide.*
nos salvos fieri.

2. Religiosissimi principis nostri devotionem, & *Actio 4.*
nostrorum consacerdotum primo anno regni sui constitutionem cum magna reverentia, & veneratione suscipientes, quam constat jam in omni regno suo annua vice celebrari, quam placuit etiam nostra assensione firmari: proinde universalis authoritate censemus Concilii, ut hi dies litaniarum, quæ in Synodo præmissa sunt instituti, eodem in tempore, quo jussi sunt, excoli annuo recursu omni observatione habeantur celeberrimi, ut pro illis, quibus nunc usque simul sumus implicati delictis, sit nostra expiatio ante oculos Dei omnipotentis.

3. Inflexibilis Judæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate, & potentia superna. Hinc enim liquet, quod in spiramine summo Dei excellentissimus, & Christianissimus princeps ardore fidei inflammatus, cùm regni sui sacerdotibus prævaricationes, & superstitiones eorum eradicare elegit funditus, nec sinit degere in regno suo eum, qui non est catholicus, ob cujus fervorem fidei gratias omnipotenti Domino cœlorum agimus, eo quod ei tàm illustrem creaverit animam, & sua repleverit sapientia, ipse quoque donet ei & in præsenti sæculo longævam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem provida nobis cura, & valdè est decernendum vigilanti solertia, ne ejus fidei calor, & noster labor quandoque in posteris tepefactus liquescat. Quocirca consonam cum eo corde, & ore promulgamus Deo placituram sententiam, simul etiam cum suorum optimatum, illustriumque virorum consensu, & deliberatione sancimus, ut quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit apicem, non ànte conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se Catholicam non permissurum eos violare fidem, sed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia, infidelitatis aditum præbeat prævaricationis, sed quod magnopere nostro est tempore conquisitum, debeat illibatum perseverare in futurum. Nam incassum bonum agitur, si non ejus providetur perseverantia. Ergo postquam ordine præmisso ad gu-
ber-

bernacula accesserit regni, si ipse temerator hujus extiterit promissi, sit anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, similique cum eo damnatione perculsis, quicunque sacerdotum, vel quilibet Christianorum ejus implicati fuerint errori. Nos etenim ita præsentia decernimus, ut præterita, quæ in universali Synodo de Judæis conscripta sunt, confirmemus, quoniam ea, quæ necessaria pro eorum salvatione scribi potuerunt, in eadem esse cautum scimus. Quapropter, quæ tunc decreta sunt, valitura esse censemus.

Sub Synod. œcum. can. 22. 4. Sæpè pullulantia pravitatis germina, licèt sæpissimè Patrum justa noverimus severitate damnata, quia tamen crebris conspiciuntur denuo vigere radicibus, justitiæ acriore vigore radicitus amputare sancimus. Proinde quicunque Simonis imitator, simoniacæ quoque hæresis extiterit sectator, ut Ecclesiasticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hunc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat, talis inventus sacrorum ordinum apices penitus adipisci nullo modo permittatur: sed, etsi adeptus fuerit, communione privatus cum ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur.

12 q. 2. Sæpè fit. 5. Sæpè fit, ut proprietati originis obsistat longinquitas temporis. Quapropter providentes decernimus, ut si quis Clericorum stipendium de rebus Ecclesiæ cujusquam Episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, nec per retentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ, & quæcunque in usu perceperit, debeat utiliter laborare, ut res divini juris videantur aliqua occasione negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deserviunt, percipere possint clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur privare.

20. quæst. 3. Proclivis cursus. 6. Proclivis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum, vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel fœmina fuerit, aut fuerit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella ad monasterium regrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia ita à Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communionis. Viduæ quoque, sicut universalis Synodus jam statuit, professionis, vel habitus sui desertrices, superiori sententia condemnentur.

Supra, in Conc. Tolet. 4. ca. 53. 7. Quamvis priora nunquam siluerint de tanto facinore Concilia, ratio tamen deposcit, ut ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur. Et ideò, quoniam tanta existit perversitas hominum, ut hi, quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro venia peccatorum ad manum sacerdotis deducit, vel abduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ pristinæ sordes revocet. Hujus rei causa sancta Synodus decernit, ut si qui ingenuorum utriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt: ab Episcopo civitatis, in cujus territorio sunt conversi, comprehensi, rursus legibus pœnitentiæ in monasteriis subdantur inviti. Quod si fieri propter alicujus potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut priscorum canonum statuerunt decreta, quousque ad dimissum ordinem revertantur, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur. Similiter & hi, qui post excommunicationem, vel interdictum cum ipsis communicaverint. Sacerdos autem, ad quem pertinere noscuntur, si eos quolibet munere, vel favore, aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia rejiciat, simili sententia plectatur, quousque emendationis eorum, vel damnationis ab eo sententia promulgetur.

8. Antiqui, & sanctissimi est Patris sententia Papæ Leonis, ut is, qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si conjugatus, & fortè fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum. Quod nos, sicut de viris, ita de fœminis æquo modo censemus, non quidem hoc generaliter, & canonicè præceptum, sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum: ea dumtaxat ratione, ut si is, qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quam ex * consensu alter ad continentiam eat, unde fuerit regressus, superstiti liceat denuo ad uxoris transire amplexus. Si autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit * benedictionem pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu pari modo à nobis, manifestum est decretum esse, ita videlicet, ut in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam prospexerit pœnitentiæ, absolutionis, vel districtionis tribuat legem.

9. Longinquitate sæpè fit temporis, ut non pateat conditio originis. Unde jam decretum est in anteriori universalis Concilii Canone, ut professionem suam liberti Ecclesiæ debeant facere, qui profiteantur se & de familiis Ecclesiæ, & Ecclesiæ obsequium nunquam relicturos. Unde his quoque nos adjicimus, ut quoties cursum vitæ sacerdos impleverit, & de hac vita migraverit, mox, cùm successor ejus advenerit, omnes liberti Ecclesiæ, vel ab eis progeniti, chartulas suas in conspectu omnium debeant, ipsi qui substituitur, Pontifici publicare, & professiones suas in conspectu Ecclesiæ renovare, quatenus status sui vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum Ecclesia non careat. Si autem aut scripturas libertatis suæ intra annum ordinationis novi sui Pontificis manifestare contempserint, aut professiones renovare noluerint, vacuæ, & inanes chartulæ ipsæ remaneant, & illi origini suæ redditi, sint perpetuo servi.

10. Etenim decet, ut si quorum parentes titulum libertatis de familiis Ecclesiæ perceperunt, intra Ecclesiam, cui obsequium debent, causa eruditionis enutriantur. Contemptor quippe est patronorum, si, ipsis neglectis, aliis ad educandum detur progenies manumissorum. Itaque censemus, ut sine status sui præjudicio, ab Episcopo habeantur in doctrinæ obsequio, quatenus & illi debitum reddant famulatum, & nullum patiantur suæ ingenuitatis detrimentum. Eos verò, qui aliter, quàm sententia nostra decreverit, agere tentaverint, invitos jubemus ab Episcopis ad hoc ipsum reduci. Quod si fortè parentes eorum eos Pontificibus suis dare contempserint, & alios sibi patronos adoptaverint, ingratorum feriantur lege libertorum.

11. Dignum est, ut vita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris. Ideò quisquis à quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio detur, quàm accusator præsentetur, atque legum, & canonum sententia exquiratur. Quod si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi ubi pro capite regiæ majestatis causa versatur.

12. Pravarum audacia mentium sæpè aut malitia cogitationum, aut causa culparum refugium appetit hostium. Unde quisquis patrator culparum extiterit talium, virtutem petens defendere adversariorum, & patriæ, vel genti suæ detrimenta intulerit rerum, in potestatem Regis, ac gentis suæ reductus, excommunicatus, & retrusus, longinquioris pœnitentiæ legibus subdatur. Quod si ipse mali sui prius reminiscens, ad Ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum, & reverentia loci in eos pietas reservetur comitante justitia.

13.

13. Qui Primatu dignitatis, atque reverentiæ, vel gratiæ ob meritum in palatio honorabiles habentur, his à junioribus modestus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores à senioribus & dilectionis amplectantur affectu, & utilitatis imbuantur exemplo.

14. Præmio fraudare fideles non solùm inhumanum, sed etiam existit injustum. Ideoque cùm fidei meritum tàm in rebus divinis, quàm in humanis non habeatur ingratum, dignum videtur, ut sacerdotali sententia consulamus fidelibus regis. Proinde ut anno primo serenissimi Principis nostri decrevit Concilium sanctum, omnes fideles, qui obsequio, & sincero servitio voluntatibus, vel jussis paruerint principis, totaque intentione salutis ejus custodiam habuerint, à regni successoribus, nec à dignitate, nec à rebus pristinis causa repellantur injusta: sed nunc ita pro uniuscujusque utilitate principis moderentur discretione, sicut eos perspexerit necessarios esse patriæ. Et sic illis impertiatur benignitas, ut in cæteris magnæ monstretur gratiæ potestas, quatenus ita omnia in rebus justè conquisitis lucrentur, ut posteris relinquendi, vel quibus voluntas eorum decreverit, conferendi spontaneo fruantur arbitrio. Cæterum si infidelis quisquam in capite regio, aut inutilis in rebus commissis præsente Domino nostro piissimo Chintillano rege extiterit, in clementia ejus maneat potestatis, ac nutu constituenda hujusmodi moderatio. Nefas est enim in dubium deducere ejus potestatem, cui omnium gubernatio superno constat delegata judicio. Quod si post ejus discessum quispiam repertus fuerit, ejus vitæ fuisse infidelis, quidquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis, careat, confiscandum, & fidelibus largiendum.

15. Quia his, qui principibus dignè deserviunt, atque deferentibus fidele illis obsequium, constat nos optimum ministrasse suffragium, dum justè à principibus acquisita, in eorum jure persistere sancimus indivulsa, æquum est maximè, ut rebus Ecclesiarum Dei adhibeatur à nobis providentia opportuna, adeò ut quæcunque res Ecclesiis Dei à principibus justè concessæ sunt, vel fuerint, vel cujuscunque alterius personæ quolibet titulo, illis non injustè collatæ sunt, vel extiterint: ita in earum jure persistere firma stabilitate jubemus, ut evelli quoquo casu, vel tempore nullatenus possint. Opportunum est enim, ut sicut fidelia hominum servitia non existere censuimus ingrata, ita Ecclesiis collata, quæ propriæ sunt pauperum alimenta, earum in jure pro mercede offerentium maneant inconvulsa.

16. Sicut insolentia malorum regum odiosa, & execrabilis semper existit subjectis, ita bonorum provida utilitas amabilis efficitur populis: Quocirca quis ferat, aut quis Christianus toleranter videat regiam sobolem, aut posteritatem expoliari rebus, aut privari dignitatibus? Quod ne fiat, generalis hæc promatur de principis filiis sententia, & de præsentis excellentissimi Chintillani regis posteritate dentur aperta decreta à nobis, ut ea, quæ Synodus præterito anno in hac Ecclesia habita constituit, circa omnem posteritatem ejus universitas regni sui conservet, hoc est, ut præbeatur filiis ejus dilectio benigna, & firma, & tribuantur, ubi loci opportunitas exhibuerit, defensionis adminicula justa, ne de rebus justè profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum, vel alicujus impensis, aut etiam proprietate debitis fraudentur quibuslibet insidiis calliditatis, neque à quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum est, ut cujus regimine habemus securitatem ejus posteritati decreto Concilii impertiamus quietem. Denique tanta erga nos nostri principis extant beneficia, ut longum sit sigillatim ea promere lingua. Ipse enim, authore Deo, nobis pacem, ipse quasi captivam reduxit charitatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati, ipse medicamine bonitatis suæ & reis pepercit, & rectos sublimavit. Cui si dignis voluerimus respondere beneficiis, non tantis extamus copiis A virtutis, quibus tantæ voto sufficiamus voluntatis.

17. Quoniam in Concilio anteriori, quod anno primo gloriosi principis nostri habitum est, de hujusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare, quod convenit custodiri. Itaque regis vita constante, nullus sibi aliquo opere, vel deliberatione, seu cujuscunque dignitatis laicus, seu gradus Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi consecratus, cæterisque clericatus officiis deditus, futurum regem provideat contra viventis regis utilitatem, & proculdubio voluntatem nullo blandimento, vel suasione pro eadem spe, aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim, & valdè execrabile Christianis debet haberi, futuri temporis illicitis prospicere, & vitæ suæ ignaros ventura disponere. Quod si quisque jam talia iniqua B deliberatione cum quocunque est meditatus, hoc sibi noverit esse sacerdotali moderatione concessum, si venerabiliter poscit, ut hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem retineat, & deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate. Rege verò defuncto nullus tyrannica præsumptione regnum assumat, nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decalvatus, aut servilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, nisi genere, & moribus dignus, promoveatur ad apicem regni. Temerator autem hujus præceptionis sanctissimæ perpetuo anathemate damnetur. *Cap. 4. Côc. Tolet. 5.*

18. Jam quidem in antecedenti universali Synodo saluti nostrorum principum constat esse consultum: sed libet iterare benè sancita, & digna authoritate munire C salubriter ordinata. Ideoque testamur coram Deo, & omni ordine Angelorum, coram Prophetarum, atque Apostolorum, vel omni martyrum choro, coram omni Ecclesia Catholica, & Christianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis attrectet, nemo regni eum gubernaculis privet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni sibi usurpet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitate sibi conjuratorum manum associet. Quod si quidquam horum quisquam nostrorum temerare præsumpserit, anathemate divino perculsus, absque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio. Is autem, qui ejus sedem fuerit assequutus, si vult tanto expiari piaculo, quasi proprii patris ejus ulciscatur interitum, in cujus defensionis auxilium universi regni Gothorum consentiat fortitudo. Si autem desidiæ causa, & minori zelo tàm funestum noluerint vindicare scelus, sint omnes D ex nostra sententia opprobrium cæteris gentibus. *Cap. 3. Côc. Tolet. 5.*

19. His omnibus ritè dispositis, & diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam, & honorem invisibili omnium authori rependimus luminum Patri, & in his conservandis ejus imploramus opem suffragii, ut constitutionibus nostris robur tribuat, seu virtutem, fragilitatemque humanam huic dispositioni reddat efficacem, & salubrem, ut non judicet prævaricatricem. Nos ergo omnia suprascripta omni authoritate priscorum Canonum subscriptione nostra firmamus, & gratias agimus Christianissimo, & gloriosissimo Chintillano principi nostro, cujus studio advocati, & instantia collecti sumus, cujus voluntas probata, ordinatio extitit religiosa. Donet ei Dominus optimo principi diuturnum in sæculo præsenti triumphum, & in parte E justorum perpetuum regnum, felicibusque annis felix ipse in longa felicitate fruatur, & divinæ dexteræ protectione ubique muniatur. Ego Silva, etsi indignus Ecclesiæ Episcopus Narbonensis, his constitutionibus à nobis editis subscripsi. Similiter & alii Episcopi subscripserunt numero quinquaginta duo, subscripserunt vicem agentes aliorum Episcoporum.

Ego Eugenius Ecclesiæ Tolet. Episcopus subscripsi.

Con-

Concilium Romanum sub Joanne IV. celebratum, anno Domini 640. quo Ecthesis Heraclii, & Monothelitarum hæreses condemnantur.

DE hoc Romano, aliisve in eadem causa Africanis Conciliis, hæc breviter Theophanes: *Joannes Romanus Præsul, collecto Episcoporum Concilio, Monothelitarum hæresim anathematizavit; similiter & in Africa penes Byzantium, Numidiam, & Mauritaniam diversi Episcopi convenientes, Monothelitas anathemate perculerunt.* Baronius anno 640.

Concilia IV. in Africa contra Monothelitarum hæresim Constantinopoli publicè promulgatam, tempore Theodori Papæ celebrata, anno Domini 626.

1. EST Numidiæ sub Columbo Metropolitano. 2. Est

Concilium Byzacenum Episcoporum 42. sub præsidio Stephani Primatis eodem tempore, eademque de causa celebratum.

3. COncilium Mauritaniæ sub Reparato eadem de causa. 4. celebratum anno 646 In his Conciliis, quia Africana Ecclesia cum Orientali amplius non communicabat, rogaverunt Theodorum Papam, ut quas dirigebant Paulo Constantinopolitano Archiep. Monothelitæ epistolas per suos Legatos illi traderentur, ac si non resipisceret, excommunicaret ipsum Theodorum in sua epistola ad ipsummet, locantes sanctissimum beatissimum Dominum, Patrem patrum, Archiepiscopum, & universalem Papam: ut in actis Concilii Lateranensis sub Martino primo videre est.

Concilium Carthaginense Episcoporum 48. prædicto tempore ob causam prædictam celebratum.

IN hoc Concilio id peculiare est, quod Fortunati, seu Fortunii nulla habeatur mentio, quod à cœtu Episcoporum exclusus fuisset, qui Monothelitis in errore communicaret.

Concilium Toletanum septimum 38. Episcop. tempore Theodori Papæ, regnante Chindasiundo, æra 684. anno Christi 646.

TITULI CAPITULORUM Concilii Toletani VII.

1. *De refugis, atque perfidis clericis, sive laicis.*
2. *De languoris eventu ministrantium clericorum.*
3. *De exequiis morientis Episcopi.*
4. *De exactione Ecclesiarum Galliciæ Provinciæ.*
5. *De reclusis inhonestis, sive vagis.*
6. *De convicinis Episcopis in urbe regia commorandis.*

ANno sexto Chindasiundi regis, quinto Kalendas Novembris. Cùm in nomine sanctæ Trinitatis, pro quibusdam disciplinis Ecclesiasticis, tàm nostra devotione, quàm studio serenissimi, & amatoris Christi Chindasiundi regis nostri apud Toletanam urbem conventus adesset, competenter visum est, mutua collatione decernere, quod solicitè conservandum, & præsentibus, & futuris commodis, nimium (ut confidimus) prodesse constabit: magisque semper est magnopere providendum, quicquid vel Ecclesiasticis moribus, vel publicæ utilitati (sine qua quieti non vivimus) opportunum esse perpenditur.

1. Nam licet & ante constitutiones Canonum ex- A tent, quæ ad omnem possunt correctionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere, tanto tamen luminis claritas amplius emicat, quanto fuerit studiosius sæpissimè contrectata. Non parum proficit ad emendationem multorum, si dum ea, quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur; & illa etiam adjiciantur, quæ aut deesse videntur, aut omnino constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat, quanta sint hactenus per tyrannos, & refugas, transferendo se in externas partes, illicitè perpetrata, & quàm nefanda eorum superbia jugiter frequentata, quæ & patriæ diminutionem afferent, & exercitui Gothorum indesinentem laborem imponerent? Quod si quidem laicorum insania fuisset factum, tolerandum à nobis forsitan aliquoties B videretur. Illud tamen est vehementiùs stupendum, quia (quod pejus est) tanta ex religionis proposito in hac interdum præsumptione præcipites efferuntur, ut ad non levem confusionem nostram pertineat, si res ullatenus inulta remaneat, quam & mundana lege, & Ecclesiastica convenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus à maximo gradu usque minimum constitutus, in alienæ gentis regionem se quacunque occasione transduxerit, ut exinde superbiendo vel reditum suum, vel quodlibet aliud videatur expetere, sive etiam quo genti Gothorum, vel patriæ, vel regno specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit, aliquatenus fecerit: sed & quicunque talibus conscius reperitur, eisque vel consilium, vel C opem administrare cognoscitur, qualiter aut ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis, qua cœperant, perdurarent, seu quamcunque læsionem genti Gothorum, vel patriæ, aut principi post fugam inferrent, atque in eadem pravitate perseverarent: quisquis hoc fecisse dignoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum ejus, in quo ministraverat, alter continuò perpetim regendum accipiat. Ipse verò transgressor sub pœnitentia constitutus, si reminiscens mali, quod fecerat, usque in diem mortis suæ rectissimè pœnituerit, in solo tantum fine communio ei danda est, ita ut antequam tempus finis ejus adveniat, si quisquam sacerdotum, etiam ordinante principe, communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat in perpetuum, D ac simili cum eo, cui communicaverit, sententia condemnetur: quoniam potestati principis nullus sacerdotum in hoc præbere debet assensum, unde vel perjurium videatur incurrere, vel (quod absit) si quicunque Catholicæ prævaricator princeps surrexerit, sacerdos nullatenus favore principis, vel terrore, à rectæ credulitatis lumine ad tenebras cogatur reverti. Sic enim nec superannexa capitula, vel imperiis principum, vel terroribus oportebit unquam evacuare, quia novimus omnes pene Hispaniæ sacerdotes, omnesque seniores, vel judices, in cæteros homines officii palatini jurasse: atque ita nunc legibus decretum fuisse, ut nullus refuga, vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam, seu regem agere, aut in E alterius gentis societatem se transducere reperitur, integritate rerum suarum nullatenus reformetur: nisi forsitan princeps humanitatis aliquid personis talibus impartiri voluerit, qui tamen non amplius, quàm vigesimam partem rerum ei, qui perfidus extitit, de rebus, unde rex elegerit, tribuendi potestatem habebit. Sed quia plerosque clericos inconstantis levitatis interdum pravitatis præsumptio ita elevat, ut prætermissa ordinis sui gravitate, ac polliciti sacramenti immemores, constante principe, cui fidem servare promiserant, in alterius electionem temeraria levitate consentiant, abrogari decet hanc omnino licentiam, & à nostro consortio penitus extirpari: ita ut si quicunque laicorum quandoque intra fines patriæ Gothorum superbiens regni apicem sumere fortasse tentaverit, eique clericorum quilibet adjutorium, vel favorem præstiterit, atque hunc

hunc, qui superbire videtur, ad eandem regni ambitionem prævalente delicto pervenire contigerit, ex eo quidem die, vel tempore eundem Episcopum, vel cujuslibet ordinis clericum, excommunicatum manere perpetim oportebit, qui tali se sceleri implicavit. Tamen si propter improbitatem principis, cui iniquè consensit, non potuerit instantia sacerdotum à communione suspendi, saltem si superstitem eum post ejusdem regis obitum tempus invenerit, superiori anathematis correptioni subjaceat: & quicunque illi, præterquam in ultimo vitæ suæ fine (si tamen eum legitimè pœnitere probaverit) communionis gratiam consenserit impendendam: nobis interim ratio persuasit, synodali super hoc constitutione decernere, ut quicunque etiam laicorum in adversitatem gentis, aut patriæ potestatis, vel regiæ, in externas partes se conferendo, vel talibus opem præbendo, noxius fuerit ultra repertus, non solùm (ut dictum est) omnium rerum suarum proprietate privetur, sed & perpetua excommunicatione damnetur: & nunquam illi, nisi in ultimo mortis suæ tempore, communio tribuatur, excepto, si communionis ejus remedium, vel eorum, quos supra taxavimus, imploratione sacerdotum apud principem fuerit impetratum. Nam si in derogationem, aut contumeliam principis reperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem regis, seu direptionem intendere, vel consensum præbere, nos quidem hujuscemodi excommunicatione dignum censemus. Utrum tamen sit illi quandoque communicandum, pietati principis decernendum relinquimus, cujus proculdubio potestatis est, subjectorum culpas, misericordiæ, judiciique sententia temperare. Contestamur autem clementissimos principes, & per ineffabile divini nominis sacramentum obtestantes, unanimiter obsecramus, ne quando absque justa (ubi necesse fuerit) imploratione sacerdotali, excommunicationis hujus sententiam à perfidis clericis, vel laicis, ad externas partes se transferentibus, vel consensum præbentibus, quacunque temeritate suspendant. Nam hoc magis * utilitatibus videtur fore consultum, si constitutionis nostræ forma servetur. Execrandum anathema fiat, & velut prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunque regum deinceps Canonis hujus censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.

2. Nihil contra ordinis statutum temeritatis ausu præsumatur, neque illa, quæ summa veneratione censentur, vel minimo præsumptionis tactu solvantur, cum ad hoc tantum fieri jussa sunt, ne interrupta noscantur, vel languoris proventu robore salutis privetur natura. Non ergo fragilitati solùm consulitur humanæ, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei provida cavetur solicitudine. Censuimus ergo convenire, ut cum à sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accederit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri, consecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Dum enim simul omnes unum in Christo, nihil contrarium personarum diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici individuum esse sibi non ambigant, sed (ut præmissum est) præcedentibus libenter alii pro complemento succedant. Ne tamen, quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum, potumque quamlibet minimum sumptum, missas facere, nullus absque patentis proventu molestiæ minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

3. Ea, quæ competunt honestati, contingit sæpe quorundam desidia non impleri. Proinde quia notum est, quæ dignitas in exequiis morientis Episcopi ex Canonibus conservetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adjicimus, ut si quis sacerdotum secundum statuta Concilii Valentini, ad humanda decedentis Episcopi membra venire commonitus, pigra voluntate distulerit appellantibus clericis obeuntis Episcopi, apud synodum, sive apud metropolitanum Episcopum, tempore anni unius nec faciendi missam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri autem, sive cæteri clerici, quibus major honoris locus apud eandem Ecclesiam fuerit, cujus sacerdos obierit, si omni solicitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuo mortui antistitis, ad commonendum Episcopum tardi inveniantur, aut per quamcunque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatio ad pœnitentiam in monasteriis deputentur.

4. Inter cætera denique, quæ communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parochianorum presbyterorum Gallitiæ provinciæ solertissimè discernere decuit, quas contra pontificum suorum rapacitates necessitas (ut comperimus) tandem compulit in publicum examen deferri. Hi enim pontifices (ut evidens inquisitio patefecit) indiscreto moramine, parochianas Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, pene usque ad exinanitionem extremæ virtutis, quasdam Basilicas perduxisse probantur. Ne ergo fiat de cætero, quod constat hactenus inordinatè præsumptum, non amplius quàm duos solidos unusquisque Episcoporum præfatæ provinciæ per singulas diœceses, vel singulas Ecclesias, juxta synodum Bracarensem, annua illatione sibi expetat inferri, monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis. Cum verò Episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam * quinarium numerum evectionis excedat, aut amplius quàm una die per unamquanque Basilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò pontificum eorundem aliter quàm decernimus, agendum præsumpserit: correptioni proculdubio canonum subjacebit, tanquam constitutorum synodalium transgressor, & priscorum Patrum edictorum corruptor.

Can. 2. Concilii Bracarens. 2.

* *quinquagenarium.*

5. Quosdam paternarum ignaros, vel oblitos traditionum, in tantam conspicimus corruisse desidiam, ut eorum execrando usu pene oblita patescant, quæ extiterunt legitimè constituta. Dum enim indocti docere appetunt, quid aliud, quàm quia ignorantiæ errore vexentur, ostendunt? Et quia gressu præpostero innitentes, præsumptionem doctrinæ docendi studio anteponunt: patet, quod non summæ humilitatis gratiam petunt, sed actioni depravationis inserviunt. Ex hoc ergo justæ severitatis talia decernentes, opportuno amputare judicio jubemus eos, quos in cellulis propriis reclusa sanctæ vitæ ambitio tenet: quosque ejusdem sancti propositi & merita juvant, & probitas ornat, hos & Dei auxilio, & nostro favore tutos existere: illos verò, quos in tali proposito ignavia impulit, non prudentiæ cognitio deputavit, quosque nulla vitæ dignitas ornat, sed (quod est deterius) & ignorantia fœdat, & morum execratio turbat, decernimus, ab his abjici cellulis, atque locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur inclusi: atque ab Episcopis, sive rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerint, vel in quorum vicinitate consistunt, in monasteriis omnimodo deputentur, ut illic sancti ordinis meditantes doctrinam, primum possint discere, quæ sunt à patribus instituta, ut postea valeant docere, quæ sunt sancta meditatione percepta: atque tunc demum si doctrinæ, & sancti operis fructu extiterint fœcundati, ad summam virtutis properent, exercitio sanctæ intentionis imbuti. Deinceps autem quicunque ad hoc sanctum propositum venire disposuerint, non aliter iterum dabitur assequi: nec hoc antea poterunt adipisci,

ci, nisi prius in monasteriis instituti, & secundum sanctas monasteriorum regulas plenius eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerint sanctæ promereri doctrinæ. Illos autem, quos tantum extrema vesania occuparit, ut incertis locis vagi, ac morum depravationibus inhonesti, nullam prorsus nec stabilitatem sedis, nec honestatem mentis habere extiterint cogniti, quicunque ex sacerdotibus, vel ministris vagantes repererint: aut si fuerint propè, cœnobiorum patribus corrigendos assignent: aut si difficile est, pro sola honestate vigoris sui potestati erudiendos inclinent.

6. Id etiam placuit, ut pro reverentia principis, ac regiæ sedis honore, vel metropolitani civitatis ipsius, & consolatione convicini Toletanæ urbis Episcopi, qui ejusdem pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem urbe debeant commorari, messivis, ac vindemialibus feriis relaxatis. Nos autem immortali Deo, & glorioso Chindasiundo principi, ob cujus votum in hanc urbem sancta devotione convenimus, gratias unanimiter offerentes, optabili annisu deposcimus, ut sanctæ Ecclesiæ Catholicæ fidei semper, ac pacis cumuletur affectus, & memorato principi cum prosperitate præsentis regni, futuri etiam largiantur præmia gaudii, ipso præstante, qui in Trinitate unus Deus vivit, & gloriatur in sæcula sæculorum.

Horontius in Christi nomine sanctæ Emeritensis Ecclesiæ metropolitanus Episcopus, hæc constituta definiens subscripsi: similiter & alii Episcopi subscripserunt, numero triginta octo.

Concilium Romanum sub Theodoro, quo Paulus Constantinopolitanus Episcopus, & Pyrrhus in hæresim Monothelitarum relapsus, condemnati sunt, anno 648.

Cum Paulus Episcopus Constantinopolitanus, à Pontifice per literas paternè admonitus non resipisceret; sed potius reddita epistola (quæ extat in Concilio Lateranensi, Secretario 4.) hæresim suam testimoniis Scripturarum, Patrum, & Conciliorum corroboraret, adeoque Pius Pontifex de futura conversione hominis superbi, & contumacis parum speraret, necessarium esse putavit, ut, Apostolica securi ad arborem admota, arbor periculosa, & inutilis succideretur. Quamobrem hanc Synodum indicens mandavit, ut, quæ in Africanis Conciliis adversus novam hæresim, novumque hæreseos patronum statuta, ac decisa fuerunt, diligenter inquirantur, & cognoscantur. Quibus omnibus sedulo peractis, hæresim Monothelitarum cum Typo à Constante promulgato condemnavit: Paulum Episcopum non semel excommunicavit; sed è Constantinopolitana per sententiam privavit. Similis sententia hoc eodem Concilio pronuntiata est in Pyrrhum, qui post abjuratam hæresim, operi Olympii Exarchi ad vomitum rediit. De quibus vide, quæ habet Anastasius in Vita Theodori Papæ, quæque ibidem prolixius notat Binius.

Concilium Lateranense Romanum, in quo centum, & quinque Episcopi, Typo Constantis Imperat. proscripto, Monothelitarum hæresim, ejusque promotores, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Paulum, & Pyrrhum Constantinopolitanum condemnarunt, anno Domini 649. tempore Martini Papæ I. celebratum.

Causa congregandi hoc Concilium fuit talis: Postquam Constans Imperator electionem S. Martini more solito confirmasset, ab eoque in signum gratitudinis exegisset, ut promulgatam à se perfidiam Pontifex suo consensu, suaque subscriptione approbaret: non modò impium aliquod petenti Imper. non consensit; sed potius in contrarium nisus, Synodum indi-

Martini pro fide fortitudo.

A xit, in qua promulgatam perfidiam condemnavit. Causa igitur primaria hujus Synodi cogendæ non tàm fuit, ut Sergius, Pyrrhus, & Paulus, jam antea condemnati, iterato judicio damnarentur, quàm ut recens credendi Formula ab Imper. suo Edicto (quod *Typum* nominavit) proposita, omnino proscriberetur, atque anathemati subjiceretur.

Hæc sancta Synodus tantæ est amplitudinis, dignitatis, ac majestatis, ut ad plenam fidei Catholicæ professionem, post quinque Universalium Synodorum assertionem, hujus quoque confessionem usque ad plenam Sexti Oecumenici Concilii promulgationem fideles adjicere solerent. Constat illud ex Synodo Anglicana sub Theodoro Archiepiscopo celebrata apud Bedam libro 5. Histor. Anglic. cap. 17.

B Acta Synodalia integra extant apud Binium, & continet ipsa Synodus quinque Secretarios, sive Consult. Sessiones, vel actiones, quæ summatim hic ponentur.

In primo Consulto, 3. Nonas Oct. celebrato, præparatis per Primicerium Notariorum ad deliberandum animis Episcoporum, S. Martinus Papa ad Synodum Orationem habuit, qua ostendit, per heresim Monothelitarum mysterium Incarnationis everti: nominatisque prædictæ hæreseos auctoribus Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, & Paulo Constantinop. Episcopis, auctoritate S. Scripturæ, & SS. Patrum, Catholicum dogma confirmavit: quæque ab adversariis adducta erant, doctè, & solidè refutavit, eo ipso, quod posita una voluntate, una inferatur natura, adeoque totum Incarnati Verbi mysterium destruatur. Post

C hæc lecta est epistola Mauri Episc. Ravennatis, quam per Legatos Episcopi Cesenatis ad Synodum destinaverat. Qua cum ille absentiam suam per incursiones barbaricas excusasset, fideique Catholicæ professionem emisisset, Martinus Papa de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus disertam disputationem adhibuit, qua absoluta, auditaque suggestione Deus dedit Episcopi, finis impositus est primo Synodi Secretario.

Secundus Secretarius habitus est octavo Idus Octobris, quo dum Martinus Papa de qualitate judicii Ecclesiastici paucula præfatus fuisset, oblati sunt duo libelli, alter à Stephano Dorensi Episc. Sedisque Apost. in Palestina Vicario: alter ab Abbatibus, Presbyteris, & Monachis Græciæ; petebatur in utroque, ut impii hæretici cum sua hæresi, cumque abominabili Ty-

D po sub Imperatoris nomine promulgato damnarentur. His auditis, jussa sunt edi scripta eorum, qui prædecessori Theodoro Papæ adversus eosdem hæreticos querelarum libellos obtulerant. Primum lectæ sunt Sergii Episcopi cujusdam in Cypro: deinde epist. Africanorum Episcoporum, quas ad Theodorum Papam, Constantem Imperatorem, & Paulum Constantinopolitanum transmiserant.

Tertius Secretarius, seu Consultatio celebrata fuit 16. Kalendas Novembris. In hac Martinus Pontifex præmisit, quo studio, quave vigilantia, & cura mandato Dei hæresibus resistere debeat is, qui universæ Ecclesiæ præest. His præviis, jussu ejusdem Pontificis eduntur scripta Theodori Phanitæ Episcopi de una voluntate, & operatione. Ad hæc confutanda, sanctorum Patrum sententiæ in medium allatæ sunt. Dein-

E ceps novem Capitula Cyri Alexandrini cum epistola, quam Sergius Constantinopolitanus ad ipsum scripserat, recitata fuerunt. Et quoniam Cyrus testimonio S. Dionisii suam sententiam confirmabat, jussus est adferri Codex Dionysii, legique ejus epistola ad Cajum, in qua Deivirilem Christi operationem appellat. Interlocutus S. Martinus Papa, detecta hæreticorum fraude textum Dionisii corruptè citantium, ostendit, quod cum Dionysius Areopagita dixisset, novam Deivirilem operationem, loco *novam*, illi *unam* dixerint, ejectaque voce *Deivirilis*, unam in Christo operationem dumtaxat asseruerint. Jussa sunt etiam legi scripta

ex- Dio- eo- ta Themistii hæretici de una operatione ex Dionysii Deivirilis operationis malè accepta sententia. Quæ cùm lecta fuissent; Martinus Papa Dionysium per Deivirilem operationem, non unam, sed unius personæ duas, humanam scilicet, & divinam, significare voluisse, pluribus ostendit. Idem per Sophronium Jerosolymitanum Episcopum antea detectum, & in hæreticos objectum, malè verò à Pyrrho excusatum fuisse, Deusdedit Calaritanus Episcopus interlocutione sua demonstravit. His peractis jussa est edi Ecthesis Sergii Constantinopolitani Episcopi, nomine Heraclii Imperatoris edita, & promulgata: addita est lectio epistolarum, quas pro confirmatione prædictæ Ectheseos Sergius ad Cyrum, & contra Cyrus ad Sergium reddidit.

Quarta consultatione Martinus Papa Ecthesim Heraclii, ejusque defensores, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum, fortissimis rationibus impugnavit, additq; de Paulo, qui Typum edendum proposuit, judicium peragi. Jussæ igitur sunt litteræ ipsius Pauli ad Theodorum Romanum Pontificem recitari; ex quibus refractarius illius animus cognitus fuit. His adjecta est lectio Typi, quem cùm S. Synodus subdolum, inconstantem, mendacem, atque in omnibus impium esse reperisset, eumdem condemnavit. His pravis germinibus evulsis, jussu sanctissimi Pontificis Nicænum, & Constantinopolitanum Symbolum, duodecim Anathematismi Concilii Ephesini, Definitio Fidei Catholicæ facta in Chalcedonensi Concilio, & quatuordecim capita Quintæ synodi recitata fuerunt. Quibus lectis, nomine totius synodi locutus est Maximus Aquilejensis Episcopus, pluraque in commendationem hereseos, ejusque sectariorum inculcavit: quæ verò à sanctis Patribus pro Catholica veritate scripta fuerunt, in sequentem Consultationem rejecit.

Quinta, & ultima Consultatione, quam pridie Kalendis Novembris habuerunt, hortatu Martini Papæ, allata sunt nomina sanctorum Patrum, Divi Ambrosii, Gregorii Nazianzeni, Nisseni, & aliorum, ex quibus Patres Concilii, velut è pharetra sagittas, quibus adversarii ferirentur, acceperunt. Deinde jussa sunt legi veterum hæreticorum scripta, eo fine, ut hæreticos recentiores convincerent, qui se Patres Orthodoxos sequi, Concilia tueri, antiquorum hæreticorum sententiàs de fide nequaquam sectari, ad decipiendum simpliciores, mentiebantur. Post fidem Orthodoxam de vera Verbi incarnatione stabilitam, ad confutandas adversariorum assertiones viginti Canones sanciverunt; quibus singulis ad finem opposita est condemnatio eorum, qui secus sentirent. Demum verò post hæc secuta est omnium Episcoporum subscriptio, cui tanquam appendix addita postea fuit subscriptio trium aliorum Episcoporum; nempe Joannis Episcopi Mediolanensis, Justini Episcopi Calaritani, & Melliodori Dertonensis Episcopi.

Absoluta Synodo, scripta est à S. Martino Romano Pontifice, & Concilio epistola synodalis, & Encyclica ad omnes Christifideles, de rebus pro fide Catholica in hac synodo gestis. Exemplaria synodalium Actorum ad singulos ferè Episcopos transmissa fuerunt; ut constat ex ea epistola, quam Martinus Papa ad Amandum Trajectensem Episcopum reddidit. Hęc de synodo Lateranensi compendiosè excepta sunt ex Baronii Annalibus anno 649. num. 1. & seq. in tantum verò post hæc exarsit odium Imperatoris Constantinopolitani adversus Papam, ut eum tandem post multas vexationes in exilium amandarit apud Chersonesum, ubi in multis angustiis vitam terminàvit, sanctitate, & miraculis clarus.

Canones XX. Concilii Lateranensis sub Martino I. sub anathemate recipiendi.

1. SI quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & veraciter Patrem, & Filium, & Spi-

A ritum sanctum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis, consubstantialibus, & æqualis gloriæ unam, eandemque trium Deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem inconditam, sine initio incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium, & protectricem, condemnatus sit.

2. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem ipsum unum sanctæ, consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cœlo descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto, & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos, sponte passum, sepultumque, & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cœlos, B atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum gloria paterna, cum assumpta ab eo, atque animata intellectualiter carne ejus, judicare vivos, & mortuos, condemnatus sit.

3. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem Dei genitricem sanctam, semperque Virginem, & immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter, & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, & post partum, ejusdem virginitate, condemnatus sit.

4. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem ipsius, & unius Do- C mini nostri, & Dei Jesu Christi duas nativitates, tàm ante sæcula ex Deo, & Patre incorporaliter, & sempiternaliter, quàmque de sancta virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in ultimis sæculorum, atque unum, eumdemque Dominum nostrum, & Deum Jesum Christum consubstantialem Deo, & Patri secundum Deitatem, & consubstantialem homini, & matri secundum humanitatem, atque eumdem passibilem carne, & impassibilem Deitate; circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate; eumdem inconditum, terrenum, & cęlestem, visibilem, & intelligibilem, capabilem, & incapabilem, ut toto homine, eodemque & Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit, condemnatus sit.

5. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem unam naturam Dei D verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfectè in Christo Deo, & indiminutè, absque tantummodo peccato, significata, condemnatus sit. *Substantia humana indiminutè in Christo.*

6. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem duabus, & in duabus naturis substantialiter unitis, inconfusè, & indivisè unum, eumdemque esse Dominum, & Deum Jesum Christum, condemnatus sit.

7. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem, substantialem differentiam naturarum inconfuse, & indivise, & in eo salvatam, condemnatus sit.

8. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis indiminutè in eo, & sine E deminoratione salvatas, condemnatus sit.

9. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem duas unius, ejusdemque Christi Dei nostri voluntatis cohærenter unitas, divinam, & humanam, ex hoc, quod per utramque ejus naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostræ salutis, condemnatus sit.

10. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem duas unius, ejusdemque Christi Dei nostri operationes cohærenter unitas, divinam, & humanam, ab eo, quod per utramque ejus naturam operator naturaliter idem existit nostræ salutis, condemnatus sit,

11. Si quis secundum scelerosos hæreticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur, & unam operationem, in peremptionem sanctorum Patrum confessionis, & abnegationem ejusdem Salvatoris nostri dispensationis, condemnatus sit.

12. Si quis secundum scelerosos hæreticos in Christo Deo in unitate substantialiter salvatis, & à sanctis Patribus nostris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, divinam, & humanam, contra doctrinam Patrum, & unam voluntatem, atque unam operationem confitetur, condemnatus sit.

13. Si quis secundum scelerosos hæreticos cum una voluntate, & una operatione, quæ ab hæreticis impiè confitetur, duas voluntates, pariterque & operationes, hoc est, divinam, & humanam, quæ in ipso Christo Deo in unitate salvantur, & à sanctis Patribus orthodoxè in ipso prædicantur, denegat, & respuit, condemnatus sit.

Vide controversiam 6. synodi classe 2, tom. 1.

14. Si quis secundum sceleratos hæreticos Deivirilem operationem, quod Græci dicunt Θεανδρικὴν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est, divinam, & humanam, aut ipsam Deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ, & gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit.

15. Si quis secundum scelerosos hæreticos in peremptione salvatis in Christo Deo essentialiter in unitione, & sanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, hoc est, divina, & humana, dissensiones, & divisiones insipienter mysterio dispensationis ejus innectit, & propterea Euangelicas, & Apostolicas de eodem Salvatore voces non uni, eidemque personæ, & essentialiter tribuit eidem ipsi Domino, & Deo nostro Jesu Christo secundum beatum Cyrillum, ut ostendatur Deus esse, & homo idem naturaliter, condemnatus sit.

16. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem omnia, quæ tradita sunt, & prædicata sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeque à sanctis Patribus, & venerandis Universalibus quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo, & mente condemnatus sit.

17. Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis, parique fide non respuit, & anathematizat anima, & ore omnes, quos respuit, & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica, & Apostolica, hoc est, sanctæ, & Universalis quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Patres, &c. hujusmodi condemnatus sit.

18. Si quis ea, quæ scelerosi hæretici sapiunt, indubitanter professus, atque intelligens, per inanem proterviam dicit hæc pietatis esse dogmata, quæ tradiderunt ab initio speculatores, & ministri verbi; hoc est, dicere, sanctæ, & Universales quinque Synodi, calumnians utique sanctos Patres, & memoratas sanctas quinque Synodos in deceptione simplicium, vel susceptione suæ profanæ perfidiæ, hujusmodi condemnatus sit.

19. Si quis secundum scelerosos hæreticos quocunque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos removens illicitè, quos posuerunt firmius sancti Catholicæ Ecclesiæ Patres, id est, sanctæ, & Universales quinque Synodi, novitates temerè exquirere, & fidei alterius expositiones, aut typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epistolas, aut conscripta, aut subscriptiones, &c. & usque in finem sine pœnitentia permanet hæc impiè agens, hujusmodi in sæcula sæculorum condemnatus sit, & dicat omnis populus, Fiat, fiat.

Joverius 17. dumtaxat canones habet, qui tamen cum his 20. satis congruunt. Ad clariorem porro intelligentiam hujus Synodi, legenda, quæ diximus classe 2. in 6. Synodo.

Concilium Aurelianense, in quo hæreticus quidam transmarinus, à Salino Episcopo damnatus, ejectus fuit: Anno Domini 650. sub Martino Papa, anno 650.

Refert Audoenus in vita sancti Eligii, cap. 34. apud Surium, 1. Decembris, quod hæreticus quidam, hoc tempore à partibus transmarinis in Gallias profectus, Augustodunum venerit, ibique virus suum spargere cœperit, quòdque ea occasione Aurelianense hoc Concilium celebratum fuerit, in quo homo nequissimus à Salino Episcopo confutatus, damnatus, & ejectus est. Baronius anno 650. num. 23. &c.

Concilium Toletanum octavum, celebratum tempore Martini Papæ Æra 691. anno 653.

Tituli Capitulorum ejusdem Concilii.

1 *De Catholicæ fidei plenitudine.*
2 *De incauto juramento.*
3 *De his, qui sacrosanctos ordines muneribus assequuntur, & fautoribus eorum.*
4 *De incontinentibus Episcopis.*
5 *De incontinentibus Presbyteris, ac diaconibus, & fœminis, quæ talibus conjunguntur.*
6 *De incontinentibus subdiaconibus.*
7 *De his, qui post assumpta Ecclesiasticarum dignitatum officia ad conjugia redeunt.*
8 *De non ordinandis his, qui psalmorum, canticorum, seu hymnorum ignari sunt.*
9 *De his, qui prætextu incommodæ ægritudinis, quadragesimæ jejunium solvunt.*
10 *De his, qui aut per authoritatem, aut per vim ordinati sunt.*
11 *De confirmatione universalium decretorum.*
12 *De Judæis.*

Capitula Concilii Toletani VIII.

Anno quinto Orthodoxi, atque gloriosi, & veræ clementiæ dignitate præcipui Reccesuinthi regis, cum omnes nos divinæ ordinatio voluntatis, ejusdem principis serenissimo jussu, in Basilica sanctorum Apostolorum ad sacrum synodi coegisset congregari conventum, dies tandem lætitiæ appetitu diutissimo præoptatus, & gratus adfuit, & jucundus, tanto nostri pectoris avidiore voto susceptus, quanto ad remedium salutis extiterat anhelantium præcordiis exquisitus. Cumque ex more unusquisque nostri ordinis sedes debitas occupasset, & eventum rei tranquillæ intentionis expectatio sustineret, adest serenissimus princeps, pia religione plenissimus, & summo laudum titulo gloriosus, qui se nostro cœtui reddens acclivem, ut hunc omnipotenti Domino præcibus commendaremus, astans, dulcifluis (ut filios) nos cohortatus est verbis, grates deferens Deo virtutum, quod suæ jussionis implentes decretum, in unum fuissemus adunati Concilium. Sed cum tàm humilem cognovissemus ejus animi voluntatem, & tàm sublimis gloriæ celsitudinem videremus acclivem, tanta sumus inde gloria exultationis succensi, ut grates illi debitas, & honorem læti redderemus, & cernui. Sed quantum extulerat principem humilitatis ordo sublimis, tantum ad exercitia summæ virtutis, instruebant exempla sacratissimi principis formam nostræ religionis. Tùm relatis Deo laudibus de unitatis alternæ proventu, magna nos cum tranquillitatis gratia alloquutus est, dicens.

Oratio Regis in Synodo.

Etsi summus Author rerum, me divinæ memoriæ Domini genitoris mei temporibus, regni sede subvexit, atque ipsius gloriæ deferens participem fecit: nunc tamen cum ipse requiem æternarum adeptus est mansionū, ea, quæ in me t[illegible]tius [illegible]egiminis transfusa jura reli-

reliquit, ex tota divina mihi potentia subjugavit. Unde quia regendorum membrorum causa, salus est capitis, & felicitas populorum, non nisi mansuetudo est principum: votivè decrevi vobis coram positis, & votorum meorum deliberationes sanctione patula reserare, & studiorum apta decreta syncera exhibitione deferre. At verò quia anhelum pectus sese in promissionum compita diffundit, ne pigritia sessum retardationis oneribus sese submittat, longam prosequutionem compendio brevitatis astrinxi: & quod productionibus loquelarum in concione diffundere potui, totum in tomi hujus complicamento prorsus almæ vestræ sanctitudini offerre decrevi: id magno precatu deliberationis exhortans, ut quæcunque illic tenentur ascripta, valido attendatis intuitu, sagaci perscrutemini studio, & quæcunque extiterint placita Deo, vestri oris ad nos sacro referantur oraculo.

Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes Domino gratias, acclamavimus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Post hujus exultationis beatæ gaudium, & cœlestis gloriæ hymnum, eidem sacro principi benediximus: reseratoque tomo hæc inibi contexta reperimus, &c.

1. Relicta tomi pagina, vel finita, cum glorificassemus Deum, de fidei principalis auditu, & de bonæ voluntatis ejus affectu, ad peragendarum causarum cæterarum negotium statim vertimus animum, simulque sumus exorsi initium. Tunc primæ narrationis exortu veræ fidei nobis tractatus occurrit, *insipientes de illa primitus loqui, ut inde soliditatis auspicemur exordium, unde sacræ sumpsimus nativitatis initium, quatenus assertionum sanctarum forti præmissa sententia, quidquid in posterum subsequenter advenerit de actis negotiorum, fortius sustinere valeat seriem decretorum. Unius ergo sacræ fidei veram professionem, veramque regulam tenere, nos tota virtute animi & profitemur, & acclamamus, cunctisque percipiendam, ac retinendam plena deliberatione incessanter prædicamus, sicut à sanctis Apostolis ostensa docetur, sicut à sequentibus Patribus Orthodoxis disserta probatur, sicut etiam à sanctis illis synodalibus gestis, verè, sanctèque confirmata dignoscitur, in quibus Arrii, vel Eutychetis insanissimus error deprehenditur, & radicitus extirpatur, sicut denique in sacris Missarum solemnitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus.

Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, & ex patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, nō factum, homousion patri, hoc est, ejusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, homo factus, & passus sub Pontio Pilato, ac sepultus, & tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus judicare in gloria vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Et unam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi, Amen. Hujus fidei sanctæ regula idcirco nunc tractatus non recipit aperturam, quia & à sacris Doctoribus abundè constat exposita, & imminentium causarum negotia nos ad alia trahunt peragenda.

2. Secundæ disputationis occursu affuit negotium tàm difficilè, quàm & grave, in quo de refugis, atque perfidis disputatione commota, utrumne possit eorumdem temperari sententia damnatorum, magno satis conatu est exquisitum. Sed cum illarum series

A conditionum, ad quas, decursis non longè temporibus, pro eorum penuria hostilitatis vastitas nos jurare coegerat, nostris esset auditibus recensita, tantam reperimus obligationis illic inesse censuram, ut macularum suarum nodositas non tantum videretur prohibitionem dedisse transgressionum, quantum conclusisse viscera pietatum. Aderat enim, quod in utroque pavor agebat, & ne sancti nominis prophanatio fieret, & ne miserationis operatio interiret, quia ex Dei nominis prophanatione non aberat, quod terrebat, & prohibitione pietatis aderat, quod tædebat. Dum quoque alterno periculorum objectu sibi prolatæ sententiæ compugnarent, periclitabamur ancipites in bifido partium dissidentium calle, quo direptionis tramite judicium properaret. Sed cum gressibus disputationis B nostræ esset difficultatis congressio, & de via objecisset properandi, tandem relicto discrimine, cum fragore singultuum, & imbribus lachrymarum, ad Deum, qui pietatis fons est, verba, simul & corda convertimus, orantes: Aspira, sancte Spiritus, & ducito nos in portum voluntatis tuæ, sedatis fluctibus ignorantiæ nostræ. Ecce enim periculorum syrtes in littore cursus nostri proveniunt, atque hinc inde obviantibus naufragiorum obicibus, quo disputationis nostræ vela pandamus, attentionis consideratione non cernimus. Sed aspira rursus tu, sancte Spiritus, & dato nobis te donante nosse, quod jubeas, ac te jubente implere posse, quod jusseris, ut perlustrando illumines, quod nescimus, & adjuvando perficias, quod implere pavemus. Simus ergo in te requiescentes, & erroneorum fluC ctuum pavoribus abjectis, commercia nos jube disponere pacis, inchoemus illa, quæ & in gloriam tuæ omnipotentiæ conferantur, & humanæ saluti, te annuente, donentur. Temporibus non procul excursis, cum quorundam refugarum tumultuosa seditio frequenter vastationes terris inferret, & scandala populis cum excidiis irrogaret, adeo ut captivorum turmas ducerent, & desolationes Ecclesiarum facerent, quæ tali concussæ sunt peste, ut quilibet conatus nequeat reparare: & exactum est potius vi necessitatis extortæ, quàm deliberatione judicii, ut contra eosdem, eidemque simillimos, cum omni fere populo acerrima juramenta daremus. Unde jurasse nos per attestationem divini nominis, conditio juramenti demonstrat, & ne resolvi queat, sacræ scripturæ authoritas instat. Scriptum namque in D Exodo est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Item in Levitico: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, ego Dominus.* At verò, quia illata pressurarum acerbitas resolvi possit, ac debeat, tàm vinculorum, & lamentorum horum asperitas insinuat, quàm ejusdem authoritatis dominicæ præcepta commendant. Etenim juxta veterem translationem, ita quosdam per Esaiam gravi exprobratione Dominus increpat, & arguit, dicens: *Væ filiis desertionis, dicit Dominus: fecistis concilium non per me, & sponsionem non per spiritum meum, addere peccatum super peccatum.* Item in Hieremia: *Iniquitates nostræ declinaverunt hæc, & peccata nostra amoverunt bona à nobis, quia* E *inventi sunt in populo meo impii, & loquentes vana, statuerunt ad dispergendos viros, & comprehenderunt. Ut laqueus venantis plenus volatilibus, sic domus eorum plenæ dolo.* Et per Michæam: *Væ mihi anima mea, quia periit revertens à terra: & qui corrigat, inter homines non est. Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat, omnes in malum suas manus præparant.* Ad beneficentiam certè, quæ divinis oculis tanto est gratior, quanto & invenitur esse præstantior, sic nos Esaias instruit, dicens: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Paulus etiam vas electionis: *Pietas ad omnia utilis est.* Et Jacobus: *Judicium sine misericordia illi fiet, qui non fecerit misericordiam. Superexcellit autem misericordia judicium.* Joannes item: *Qui odit fratrem suum, homici-*

Marginal notes: *Oratio.* — *Exo. 20.* — *Levit. 19.* — *Esaiæ 30.* — *Hier. 5.* — *Mich. 7.* — *Es. 58.* — *1. Tim. 4.* — *Jacob. 2.* — *1. Joan. 3.*

micida est. Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Et per semetipsam veritas: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos odiunt.* Et iterum: *Dimittite, & dimittetur vobis. Si autem non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Ecce sunt dominicæ jussionis hinc inde astipulata firmissima cautione præcepta, ac proinde, quia sunt divini oris prosecutione taxata, manebunt per omnia æterna lege præfixa. Quid ergo? Nunquid aut juramenta justitię, aut misericordiæ pacem sibi contraire narrabimus, dum scriptum sit: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax complexæ sunt?* Aut quia controversiarum lapsus sese in contentionem diffundunt, ideò unius partis assertionem narrabimus non implendam, ne alterius assertio partis jacturę patiatur instantiam? Et quia juramenti custodia ultionem non temperat pavescendam, idcirco impietatis atrocitas mortem pariet execrandam? Absit. Etenim si publicis sacramentorum gestis (quod Deus avertat) à quibuslibet illicita, vel non bona extitisset conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris, aut agere compelleret stuprum sacratissimæ virginis: nunquid tolerabilius esset, stultæ promissionis rejicere vota, quàm per inutilium promissorum custodiam, exhorrendam criminum implere mensuram? Quod si ita esset, quomodo crederetur unius observantia jussionis fons pietatis, cum emitteret tribulos ultionis? Aut quænam illa esset sacræ observatio legis, quæ sacrilegia committeret pravitatis? vel cujus mensuræ æquitas videretur, ut ex unius præcepti cautela necis exoriretur immanitas truculenta? At nunc non ita contendimus, ut contentionum divortiis concitatis, nosipsos contentionis certaminibus misceamus. Est vera pax in utroque, quod dicimus, quia sic Spiritus sanctus iter nostrum, ac cursum temperat, ut in nullo devius nos casus à dispositione secludat. Unde plena jam voce, pleniori fide, plenissimaque intentione prædicimus, atque in tota sanctę Ecclesiæ universitate prædicamus, pariter & optamus, nulla prophanatione solius, & summæ divinitatis nomen existere assumendum, nullo perjurii sacrilegio indebitè prophanandum, nullo uspiam contractu fallaciæ contingendum. Nam si attestante veritate, propter prophanationem perjurii evitandam, prohibetur omnino jurare, cum dicitur: *Sit sermo vester, est est, non non: quod autem plus his est, à malo est*: quomodo impunitum erit, nomen tantæ gloriæ voluntariè prophanasse, dum in eo taxata fides dignoscitur interisse? Vel quatenus pacis fœdera inter gentium dissidia ligabuntur, si non juramenti pacta sanctiori integritate serventur? Etenim omne, quod in pacis fœdera venit, tunc solidius subsistit, cum juramenti hoc interpositio roborat. Sed & omne, quod animos amicorum conciliat, tunc fidelius durat, cum ea sacramenti vincula ligant. Omne etiam, quod testibus astipulatur, tunc verius constat, cum id adjectio jurationis affirmat. Quod si & testis deficiat, innocentis fidem solam jurisjurandi taxatio manifestat. Hinc ut mentibus humanis divina voluntas panderet, quod volebat, ne labans fragilitas pro incerto teneret, quod inviolatæ veritatis promissio exprimebat, per Isaiam loquitur dicens: *Ego Dominus, & non est alius. In memetipso juravi.* Si ergo tantæ institutionis limites sunt votiva juramenta servanda, quis alienus à veritate hæc adstruat execrabiliter violanda? Stabunt ergo sacræ authoritatis vivifica jussa, nec vana prophanatione erunt aliquatenus temeranda. Verum ne juramenta, quæ data sunt, videantur in nos ita penitus miserationum conclusisse præcordia, ut nullam de pietatis affectu animæ viscera concipiant indulgẽtiam paritura: sic stabilitis contractibus per juramenta sinum misericordiæ aperimus, atq; ita cunctis Deo placitâ devotione misereri censemus, ut nos nec juramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos. Occurrere certè miserorum ruinis debet subsidio unusquisque quo valet, & ex relevatione alie-

Luc. 6. Ibidem. Matth. 6. Psal. 84. 22. qu. Si publicis. Matth. 5. 22. qu. 1. Omne quod. Esaiæ 45.

A næ vindictæ, à se Dei amovere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Unde Job ante passionis suæ experientiam impendens patientibus passionis suæ patientiam memorabat, suarumque virtutum catalogum texens inter cætera connectit: *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.* Et paulo post: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Hinc & Salomon: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Quibus sanctæ authoritatis instructi decretis, nec sanctum nomen prophanasse nos constat, quod nullatenus prophanandum jus nostræ prædicationis insinuat. Et indulgentiæ visceribus adapertis,
B licet oris sui professione damnati difficilè mereantur absolvi, juxta quod scriptum est: *Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum locutum est adversum te.* Iterum: *Ex ore tuo condemnaberis, & ex ore tuo justificaberis*: tamen pietatis intuitu, & parcendi viam pandimus, & misericordiam prorogamus. Hujus sanè promissionis incautæ crudam, cruentamque temperare sententiam, illa quàm maximè compellimur causa; quod hæc duo mala, licèt sint omnino cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas, ex his unum tentare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligari. Quid autem ex his levius, quidve sit gravius, pietatis acumine investigemus. Etenim dum perjurare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cum verò noxia promissa complemus, & Dei jussa superbè con-
C temnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nosipsos crudeliori gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur. Restat ergo, ut hæc nostra pergat sententia, qua misericordiæ patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta, ut plus eam cupiat, quàm sacrificia veneranda, dicente ipso: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi principis potestate redigimus, ut quia Deus illi miserendi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget. Quæ ita principali discretione moderata persistant, ut & illis sit aliquatenus misericordia contributa, & nusquam gens, aut patria per eosdem, aut periculum quodcunque perferat, aut jacturam. Hæc miserationis obtentu temperasse sufficiat. Cæterum quæcunque juramenta pro regiæ potestatis salute, & confortatione gentis, &
D patriæ, vel hactenus sunt exacta, vel deinceps extiterint exigenda, omni custodia, omnique vigilantia indissolubiliter decernimus observanda, à membrorum truncatione, mortisque sententia religione penitus absoluta. Sed ne pravarum mentium versuta nequitia nosmetipsos ad perjurii quandoque devocet culpam, nec à sanctæ fidei regula hanc afferat venire sententiam tàm divinæ authoritatis oracula, quàm præcedentium Patrum asserta, huic narrationi curavimus innectenda. Etenim incommutabilis, eademque semper existens Dei natura: parcens, sua sæpe in sacris litteris legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam. Unde quamlibet sit impassibilis, atque immutabilis, ejusdemque deitatis, licèt sint dicta firmissima, crebro tamen ejus, & juramenta leguntur, & pœnitentia, quæ sacris extant mysteriis
E adaperta. Jurare namque Dei est, à seipso nullatenus ordinata convellere: pœnitere verò, eadem ordinata, cum voluerit, immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: *Repente loquar adversum gentem, & adversum regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud: si pœnitentiam egerit gens illa super malo suo, quod loquutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Et per Ezechielem: *Si dixero justo viro, quod vita vivat, & conversus à justitia sua, fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero im-*

Job. Job. Prov. 2. Reg. Matth. d. 13. mala Matth. 22. qu. 4 in com. mutat. Hier. Ezec.

pio

pio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, vita vivet, & non morietur. Si ergo nostra conversio sic divinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ, vel pressuræ tàm crudam non temperent ex miseratione vindictam? Hinc etiam Israelitico populo sæpè ultio promissa suspenditur, & Ninivitarum perditio, divinæ sententiæ permutatione sedatur. At verò illustrium laudum titulo præclarus author Ambrosius, in libro de officiis primo, hujusce rei causa sic loquitur: Est etiam contra officium nonnunquam solvere promissum, & sacramentum custodire: ut Herodes, qui juravit, quoniam, quidquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Joannis præstitit, ne promissum denegaret. Nam de Jephte quid dicam, qui immolavit filiam, quæ sibi victori primùm occurrerat, quò votum impleret, quod spoponderat, ut, quidquid sibi primum occurrisset, offerret Deo? Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum solvere parricidio. Item in libro tertio. Purum ergo, ac sincerum oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem circumscriptione verborum seducat. Nihil promittat inhonestum. At si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere, quod turpe sit. Sæpè plerique constringunt se jurisjurandi sacramento, & cùm ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spoponderint. Sicut de Herode suprascripsimus, qui saltatrici premium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe est, quòd regnum pro saltatione promittitur: crudele, quòd mors prophetæ pro jurisjurandi religione datur. Quantò tolerabilius tale fuisset perjurium sacramento? Et post pauca de Jephte disputans: Mirabilis, inquit, necessitas, quæ solvitur parricidio. Melius est non vovere, quàm vovere id, quod sibi is, cui promittitur, nolit exolvi. Et post paululum: Non semper igitur promissa solvenda omnia sunt. Denique ipse Deus, sicut scriptura indicat, frequenter mutat suam sententiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, afferendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus, hæc in suis narrat affatibus: Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non est sine culpa, cùm aut jocamur, aut pro misericordia mentimur. Illud primum in jocando, ideò non est perniciosum, quia non fallit. Novit enim ille, cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem minus est, ideò quia retinet nonnullam benevolentiam. Idem ipse: Non auferat (inquit) veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem. Si enim pro veritate, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua misericordia, & veritas obviaverunt sibi. Beatus etiam Papa Gregorius, & vitæ meritis honorandus, atque in Ethicis assertionibus penè cunctis meritò præferendus, sic in libris infert Moralibus: Quia ergo Beemoth iste tàm inexplicabilibus nodis ligat, ut plerumque mens in dubium adducta, unde se à culpa solvere nititur, inde in culpa arctiùs instringatur, rectè dicitur: *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* Argumenta namque machinationum illius, quo magis relaxantur, ut relinquant, eo magis implicantur, ut teneant. Est tamen, quod ad destruendas ejus versutias utiliter fiat. Ut cùm mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato aditus evadendi patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Nostri quoque sæculi doctor egregius Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinę comparatione non infimus, atque & quod majus est, jam sæculorum finitorum doctissimus, cum reverentia nominandus Isidorus, in libro sententiarum secundo hæc pro tali narrat negotio. Non est conservandum sacramentum, quod malè, & incautè promittitur, velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. Similiter in synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè vovisti, non facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Hæc de sacris paginis, authoribusque præcipuis brevissimè sufficiat prælibasse. Nam plurima colligere poterit, qui hæc attentiùs legendo quæsierit. Ceterum, quibus hæc nequaquam sufficiunt, vel hinc sumant cum rubore silentium, quia optat vas electionis anathema esse à Christo pro fratribus suis, quàm perdurare crudelibus in delictis. *Id. lib. 2.*

3. Tertio ratiocinationis alloquio doluimus contra priora monita Patrum, vota perniciosissima posterorum. Nam quanto frequentius illi noxia vetuerunt, tanto studiosius isti perpetrare vetita non quiescunt. Sicque per contrarium, quod penitus occumbere debuit, insultare non desinit; & res, quæ tot excisa decretis arescere potuit, ad vicem lernæi capitis (ut ferunt fabulæ) truncata virescit. Denique quod non sine magno dolore dicendum est, reperiuntur quamplurimi negotio muneris perituri, mercari velle gratiam spiritus sancti, dum vile præmium donant, ut pontificalis ordinis sublime culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri.* Proinde quia & usitatum est tantum malum, & majorum frequenter constat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri canceroso ignitum (quod superest) adhuc injicimus ferrum, decernentes omninò, ut quicunq; deinceps propter accipiendam sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis, & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quod si aliquis extiterit, qui accuset, ille, qui hunc ordinem munerum fuerat acceptione lucratus, & suscepto honoris gradu privetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia relegetur. Illi verò, qui hac causa munerum acceptatores extiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur: si verò laici, anethemate perpetuò condemnentur. *Act. 8.*

Episcoporum castitas.

4. Quantæ congressionis eventu obvius sese nobis intulit pontificalis culminis lapsus, quem ante flere, quàm disponere compulsi ex ordine sumus. Nam dum secundum carnis assumptæ mysterium, Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus, merito in membris ejus intentio episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimioribus celsitudine ordinis regunt, & disponunt subjectas multitudines plebium. Unde quanto ipsi sequentium fiunt ductores, tanto meritorum lumine debent præfulgere. Quapropter omnes episcopi inter cætera virtutum ornamenta, nitore carnis debent propensius enitere, ut ex hoc audientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia non deturpat: adeo ut si deinceps episcopi detecti fuerint, execrabilibus flagitiis cum quibuslibet fœminis pollui, ac familiari peculiaritate versari, noverint se irrevocabili sententia Patrum ulcisci, idest, & loci, & ordinis dignitate privari.

5. Quintæ actionis impulsu pervenit ad totius Concilii sacrum auditum, quosdam sacerdotes, & ministros, obliviscentes majorum, ac veterum constitutorum, aut uxorum, aut quarumcunque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari, & pessima cordis obstinatione, tàm sacris literis, quàm Patrum regulis obviantes, nec levi quidem respiramine contemplantes, quod scriptum est: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, dicit Dominus;* & illud Apostolicum, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram,* idest, fornicationem, & im- *Levit. 19. & 20. Coloss. 3.*

immunditiam, concupiſcentiam malam, & avaritiam: quibus quantò eſt pertinacior vis in malis, tantò auſterioribus convenit obviare decretis. Propter quod * flagitiis detectis, ſpecialiter hoc à ſancto Concilio definitur, ut omnes epiſcopi idipſum in ſuis quærere ſollicitè curent. Et cùm hoc veriſſimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter diſtringant, ut nunquam ulteriùs tàm abominanda committant. Mulieres verò ſeu liberæ ſint, ſeu ancillæ, tàm turpiter ſociatæ, ita omnimodè ſeparentur; aut certè vendantur, ut ulterius ad conſocios ſui criminis revertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi verò, ſi omnino coerceri nequiverint, uſque ad exitum vitæ ſuæ monaſteriis deputati, diſciplinis monaſticis maneant omnino ſubjecti.

Flagitii dedecus ſpe.

6. Sextæ diſcuſſionis objectu, quorundam male ſibi conſciorum paruit denotatum elogium. Nam relatum eſt nobis, quoſdam ſubdiaconos, poſtquam ad ſacri ordinis pervenerint gradum, non ſolùm carnis immunditia ſordidari, cùm ſcriptum ſit: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini:* ſed etiam (quod dictu quoque nefas eſt) novis uxoribus copulari, aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem à pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum diſciſſo velamine, id præcipimus obſervari, cum iidem ſubdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare, prolata omni penitus ab illis ſorde mulierum, ac familiaritate remota. Quod ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.

Eſa. 52.

Materia ordinis.

7. Septimæ aſſertionis acceſſu adiit cœtum noſtrum tàm inverecunda progreſſio, quàm ignobilis, ac deteſtanda præſumptio. Quoſdam enim aut eventu neceſſitatum, aut metu periculorum, ab epiſcopis ſumpſiſſe novimus Eccleſiaſticarum officia dignitatum. Et quoniam cùm illis hæc imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe teſtati ſunt, idcirco hæc aſpernere, atque ad priſtina pertentant conjugia, moreſque redire, tàm nequiter cœleſtia jura ſolventes, quàm promptè ſæculi extant illecebris inhiantes. Qua de re noſſe nos convenit, quòd epiſcopalis eminentiæ culminis authoritas non immeritò ſacris omnibus eſſe ſumma perccnſuit, quæ cæteris ſacerdotibus exercenda prohibuit, ſcilicet templorum Dei ſacrationem, chriſmatis benedictionem, ſacrorumque ordinum inſtitutionem, quæ tàm divinaliter ordinata perſiſtunt, quàm excellentiſſimè conferuntur: quia & tantò ab eis ſingulariter impenduntur, quantò eidem ſummo culmini peragenda ſervantur. Quomodo ergo, quod in ſe recipit, à ſe rejicere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quàm à ſolis pontificibus novit, quibus nec ligata ſolvi, nec ſoluta poterunt ab aliquo religari. Sic enim ad Petrum veritas ait: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo.* Nequaquam aliquandò poterit prophanari, quod divina juſſione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis authoritate ſacrum noſcitur extitiſſe. Verum ſicut ſanctum chriſma collatum, & altaris honore evelli non queunt, ita quoque ſacrum decus honorum, quod his compar habetur, & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnimodè inconvulſum. Ad extirpandum verò radicitùs hujus callidæ machinationis inutile argumentum, id ſibi rationabiliter dari noverint in objectu, quod ſacroſancti baptiſmatis inappreciabile donum eſt; ſemper, & ſæpè non ſolùm nolentibus, verumetiam (quod majus eſt) neſcientibus impartitur, ſed hoc à nullo penitus prophanari permittitur. Quod etſi hìc opponitur, necdum rationis capacem exiſtere, qui hoc probatur accipere: hinc omnimodo cognoſcant, quia ſi majores impunè non deſerunt, quod parvuli vel neſciendo, vel nolendo percipiunt, quantò magis non convenit violari, quod pro mortis, aut pœnarum evadenda pernicie, occulta Dei diſpenſatione dignoſcitur obveniſſe? Recedant ergo talium deſideriorum ſine verecundia impudorati fautores; & licèt inviti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cœleſte retineant premium, quod nolendo, propter terrenæ conſecuti ſunt neceſſitatis eventum, ut tàm inviti appetant bona diligere, quàm ſpontè videntur deſidentes impugnare. Quod ſi quis poſt hoc perennis diſpoſitionis edictum non ſynceriter ſacris inhæſerit cultibus, & abjiciens à ſe gratiam, quam accepit, relabitur ad conjugium, moreſque ſæculi attentaverit, vel eum redire ad hoc conſtiterit, mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate privetur, & ut apoſtata à ſanctæ Eccleſiæ liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus, monaſterii clauſtris, donec vixerit, ſub pœnitentia retrudendus.

Epiſcoporum auctoritas.

Matth. 16.

8. Octavæ diſceptationis affatu reperimus quoſdam divinis officiis mancipatos, tanta neſcientiæ ſocordia plenos, ita literarum, & diſciplinæ ignaros, ut nec in illis probentur inſtructi competenter ordinibus, qui quotidianos verſantur in uſus. Proinde ſolicitè conſtituitur, atque decernitur, ut nullius cujuſcunque dignitatis Eccleſiaſticæ deinceps percipiant gradum, qui non totum pſalterium, vel canticorum uſualium, & hymnorum, ſive baptizandi perfectè noverint ſupplementum. Illi ſanè, qui jam honore dignitatum funguntur, hujuſce tamen ignorantiæ cæcitate vexantur, aut ſponte ſumant intentionem neceſſariam perdiſcendi, aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti. Abſurdum ſiquidem eſt, eos, qui cæteros ſimpliciores, & laicos debent docere, quibus & diſciplinæ, & vitæ habent eſſe veluti quoddam ſpeculum, ad alicujus ordinis, vel dignitatis promoveri ſtatum; qui legem Dei ignorant, nec literarum ſaltem mediocritate ſunt inſigniti. Nullus igitur ad ſacra Dei myſteria tractanda veniat indoctus, aut ignorantiæ tenebris cęcutiens: ſed ſolus is accedat, quem morum innocentia, & literarum ſplendor reddunt illuſtrem: aliter ordinaturis, & ordinandis imminente in poſterum Dei, & ejus Eccleſiæ vindicta.

Sci... Sace... bus ... ſaria

9. Nonæ intentionis admonitu detecta eſt ingluvies horrenda voracium, quæ dum fræno parſimoniæ non adſtringitur, religioni contraria monſtratur. Dicente enim ſcriptura: *Qui ſpernit minima, paulatim decidit:* illi tanta edacitatis improbitate graſſantur, ut cœleſtia, & pene ſumma contemnere videantur. Etenim cùm quadrageſimæ dies, anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione jejunii Domino conſecrantur, quibus etiam ſaluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, & ex quatuor elementis formatus, propter tranſgreſſionem decalogi quaterdecies convenienter affligitur; illis, qui auſu temerario hæc omnia contemnunt, nec voracitatis ingluviem frænant, & (quod pejus eſt) paſchalia feſta illicitorum eſuum perceptione prophanant: ex hoc adeo acerrimè interdicitur, ut quiſquis ſine inevitabili neceſſitate, atque fragilitate, & evidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit reſurrectionis dominicæ, verumetiam alienus ab ejuſdem diei ſancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni æſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentię oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quàm à ſacerdote permiſſum percipiant.

Eccle...

Qua... geſima... junium... cima.

10. Decimæ colluctationis aſſenſu moleſtis actibus, quos ſagax indagatio pietati obviare detexit, & non tàm benè regendi licentia, quàm ſe manſuetudo impu-

pugnasse probavit, satis (ut opinamur) & lege gloriosi principis, & decreto sanctæ synodi hujus contradictũ esse conspeximus. Ita enim sanctus Spiritus per utrasque definitiones mortalium corda perflavit, ut vitali flatu verborum, in posterum omnem exureret male concupiscentium rabiem animorum. Actum namque est definitionibus ipsis, ut quia pietatis divinæ incomprehensibilis natura se conditioni mortalium in unitatem personæ conjunxit mysterio redemptionis humanæ, nos quoque membra capitis hujus, & perfidię
6. malum, & concupiscentiam, *quæ radix malorum est*
5. *omnium, & avaritiam, quæ invenitur servitus idolorum*, pari simul igne, ac mucrone, totoque artificio radicitus evellemus, ac desecemus. Ab hinc ergo deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, ut aut in urbe regia, ut in loco, ubi princeps decesserit, B cùm Pontificum, majorumque palatii omnimodo eligantur assensu, non forinsecus cœtu, aut conspiratione paucorum, aut rusticarum plebium seditioso tumultu. Erunt Catholicæ fidei assertores, eamq; & ab hac, quæ imminet, Judæorum perfidia, & à cunctarum hæresum injuria defendentes: erunt actibus judices, & vita modesti; erunt in provisionibus rerum parci, plusquam extenti, ut nulla vi, aut factione, scripturarum, vel definitionum qualiumcunq; contractus à subditis vel exigant, vel exigendos intendant; erunt in conquisitis obligationis gratissimę rebus, non prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes patriæ, atque genti. De rebus congregatis ab eis, illas tantùm sibi vendicent partes, quas dictaverit authoritas principalis. Verùm quæcunque inordinata reliquerint, hæreditabunt successores proprii eorum, & C ante regnum justissimè conquisita, aut filii, aut heredes capiant jure proximitatis. De affinium successione, vel munere, quamvis inordinatè relicta sint, aut primo tantùm filiis, aut hæredibus sequenter proficiant, vel propinquis, atq; ita in eorum cunctis actibus, moribus, ac rebus præfatæ legis authoritas erit valitura, ut & perenniter maneat inconvulsa, & non prius apicem regni quisque percipiat, quàm se illa per omnia suppleturum juris jurandi taxatione definiat. Cui etiam legi, vel decreto Episcopalem non solùm in futuro, sed etiam in præsenti reverentiam apponentes, decernimus, ut quicumque detractor, & non potius venerator decreti ejusdem, atque legis esse maluerit, sive religiosus ille sit, sive laicus, non solùm Ecclesiastica excommunicatione plectatur, verum & sui ordinis dignitate privetur. D

11. Undecimæ occasionis articulo decretorum universalium perenne dedimus firmamentum, scientes, quod multimoda semper Deus oppositione judiciorum ærumnas relevat oppressorum. Et sicut malis exigentibus hominum, permittit exerceri pœnas ultionum: ita cùm voluerit, gravedines relevat pressurarum. Hinc & decreta præcedentium Patrum ad contentionis jurgium radicitus evellendum, ritè synodalem fieri censuere conventum, ut illic de diversitate judiciorum præteritæ lites habeant terminum, ubi sanctus Spiritus universalem coadunaverit cœtum. Ab hoc ergo Spiritu sancto succensi, ne quælibet in posterum, aut impunè valeant committi, aut generalia statuta convelli, plena decernimus unanimitate connexi, ut quæcunque pro fidei causis, Ecclesiasticisq; E negociis, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, vel sint, vel fuerint definitiones conscriptæ universali auctoritate, nullus deinceps contradicere audeat, nullus evertere præsumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens, aut susurrans, aut certè lacerator, aut invidus, ac non potius eorundem fautor extiterit, gratia, & honoris sui, & communionis sacræ lugeat amissione mulctatus. Cùm verò aut quælibet sancta synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quippiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cętu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant.

12. Duodecimæ quæstionis propositione, quæ est finalis, & ultima sacratissimi principis obsecratione piissima pro Judæorum abominabili, ac nefanda perfidia, execranda nostro cœtui perpatuit causa. Quam idcirco in fine sententiarum censuimus esse ponendam, quoniam eandem gentem, delicti sui merito retroductam, per divinæ sanctionis oracula à capite positam, deflemus nunc esse in cauda. Sed quia Christus, ut pro nobis, ita quoque pro illis mortuus est, juxta quod ipse ait: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierant, domus Israel*; necessarium duximus, summam pro eis impendere curam, pro quibus suam Christus ponere non dedignatus est animam. Ideoque principali clementia devotissimè approbante (quæ ob hoc sui regni apicem à Deo solidari præoptat, si Catholicæ fidei pereuntium turmas acquirat, indignum reputans Orthodoxæ fidei principem sacrilegis imperare, & infidelium societate pollui) nihil aliud pro his ex nostra sententia definitur, quàm ut decreta Concilii Toletani, quod divæ memoriæ Sisenandi regis aggregatum est tempore, à nobis, ac posteris omnimoda suppleantur intentione. Qui autem ab ejusdem synodi voluerit sententia dissentire, ut verè sacrilegum noverit se condemnari. Divinæ Trinitatis inseparabile nomen, sicut inspiratione mirabili nostrorum tractatuum primordia illuminavit, ita consummatione sublimi eumdem iam perficiendo concludat, ut in illo sit nostrum explicuisse, à quo nobis fuit inchoasse. Damus ergo gloriam, & honorem eidem sanctæ indivisibili Trinitati, quæ nobis & hæc dicere contulit, & in se dicta complevit: quæ reformavit extremitate sæculorum remedia pietatum, & resolvit ligamina vinculorum. Sit gratiarum actio, salus, & benedictio exercituum Domino, super serenissimo Reccesiuntho principe glorioso. Gratiarum actio, & reverentiæ plenitudo à nobis omnibus in commune ipsi clementissimo principi, bonorum gratifico largitori, cujus votorum instantia benigna Deus attulit complementa: cujus dispositio piissima pressurarum removit exitia: cujus temporibus confert justitia vigorem, & exuberat misericordia opulenta: cui Dominus post præsentis ævi tempora diuturnam cum sanctis omnibus tribuat in remunerationem coronam. Nos autem omnes hanc decretorum nostrorum seriem ex rectæ fidei, vel pietatis, ac justitiæ fonte manantem, coram Deo, & Angelis ejus, Orthodoxis omnibus, & nunc, & in futuro impensissimè commendamus, obsecrantes enixius, ut hanc & reverenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendant. Contemnentibus autem eam divinæ severitatis ultio pavenda proveniat, observantibus autem misericordia profluens, pax perpetua, & gloria sempiterna contingat. Hujus quoque sententiæ fortitudine, vel vigore decretum nostri Reccesiunthi regis edidimus nomine, pro rebus à divinæ memoriæ patre suo quolibet titulo conquisitis, decernimus omnino constare. Legem denique, quam pro execranda principum, horrendaque cupiditate idem clementissimus edidit princeps, simili robore firmamus, atque ut futuris retro temporibus modis omnibus observetur, pari sententia definimus. Quæ etiam ne taciturnitate temporum, vel obliviosa vetustate deleantur, huic nostræ constitutioni decrevimus utraque innectenda, & ita cunctorum memoriæ commendanda, ut à cunctis regulis superius ordinatis nequaquam maneant segregata. Cętera quoque decretorum nostrorum judicia, quę ab hac sancta Synodo noscuntur esse confecta, si quis convellere forsitan decreverit, aut temerè implere neglexerit, vel infringere quandoque voluerit, per judicium omnipotentis Dei, anathema sit. Soli autem Deo nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 15.

Mors Christi pro omnibus.

ca. 56. 57. 58. 59. 60. 62. Conc. Tolet. 4.

Interfuerunt huic sancto Concilio, qui & subscripserunt pontifices numero quinquaginta duo.

Concilium Toletanum IX. habitum anno septimo Reccesuinthi Regis, Kalend. Novemb. ab Episcopis sexdecim, Æra 693. quæ coincidunt cum anno Christi 655. sub Vitaliano Papa.

TITULI CAPITULORUM ejusdem Concilii.

1 *Ut de rebus Ecclesiæ nihil Episcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Ecclesiæ solicitudinem gerant.*
2 *Fundatores Ecclesiarum, quoadusque vixerint, earum habeant curam, ipsique illic ministros eligant servituros.*
3 *Si de rebus Ecclesiæ pro præstatione aliquid dari dicatur, causa præstati cognoscatur.*
4 *Quod de conquisitis rebus inter Ecclesiam, & sacerdotis hæredes æqualis divisio fiat.*
5 *Si Episcopus Monasterium facit, vel Parochianam Ecclesiam ditat, quartam partem de rebus Ecclesiæ conferat.*
6 *Ut Episcopus tertiam partem Ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit, conferat.*
7 *Ne extra constitutum ordinem morientis sacerdotis hęredes rem ejus adire præsumant.*
8 *Ut in scripturis, quas sacerdotes, vel ministri injustè fecerint, post mortem eorum habeant annorum numerum computatum.*
9 *Quantum commodum sibi Episcopus tollat de Ecclesia, cujus tumulaverit sacerdotem.*
10 *De damnatione filiorum, qui ex sacerdotibus, & ministris geniti probantur.*
11 *Quod servilibus clericis dare debeant Episcopi libertatem.*
12 *Quod post mortem sacerdotis, in libertate servis collata, annorum tempus debet computari.*
13 *Ut ex libertis Ecclesiæ, & personis ingenuis geniti ab obsequiis Ecclesiæ non recedant.*
14 *Quod si liberti Ecclesiæ ad eam reverti noluerint, omnis eorum regula juri applicetur Ecclesiæ.*
15 *De obsequio, & disciplina libertorum Ecclesiæ.*
16 *Quod liberto Ecclesiæ nihil de rebus suis in alienum liceat transferre.*
17 *Ut baptizati Judæi cum Episcopis celebrent dies festos.*

Capitula ejusdem Concilii.

CUm Canonicę definitionis edicto in Toletana urbe pro peragendo Concilii post diem kalendarum Novembrium, anno septimo Reccesuinthi principis gloriosi, in Basilica sanctæ Mariæ semper Virginis in unum fuissemus Domino favente collecti, id communi definitione decrevimus, ut capitula, quæ in priscis Canonibus minimè habebantur inserta, promulgarentur sententia, & antiquis jungerentur regulis perenni jugitate mansura, & omni reverentia conservanda. Sed quia nequaquam rectè subditos judicat, qui non seipsum prius justitię censura castigat: aptum nobis, & expedibile visum est, ante nostris excessibus imponere modum, & sic errata corrigere subditorum. Tunc namque melius judiciorum exordia ducuntur, cùm vita judicum ante disponitur, eo quod potius judicii forma completur, cùm negotiorum principiis æquitas judicantium antefertur. Ideo exordium æquitatis inchoari à judicibus debet, ut perfecta juris causatio limitem apertius formet.

1. Omnis itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum, vel ministrorum, ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscunq; locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri A suo, aut Cathedræ propriæ unitate connectat. Devotio enim uniuscujusque, sicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit, quod plenitudo votorum conservaretur in loco: in quo, velut si collata tenentur, manet gratia offerentis: ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm ut hujus rei potior soliditas habeatur, condignis filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut talia Episcopo, vel judici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hęredibus, in eisdem rebus non liceat, quasi juris proprii B potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, nec violentiam quamcunque præsumere: sed hoc solum in salutarem solicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens attingat, aut ut in multam partem, aut aliquam salutaris merces assumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & male rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam substinebit.

2. Cùm sæpe fit solitum, etiam illa, quæ non debentur, prece supplicationis, & vi quodammodo extorqueri doloris: quantò magis & sine obstaculo concedi debent exquisita simul & ordine juris, & dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut Ecclesiæ parochiales, vel sacra Monasteria, ita quorundam Episcoporum, vel insolentia, vel C incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm instruendo gaudii extiterat labor: ideo pia compassione decernimus, ut quamdiù earundem fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam, & solicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos. Quod si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos, sacris cultibus instituat, cùm eorum connivẽtia servituros in eisdem Basilicis iidẽ ipsi offerant Episcopo ordinados. Quod si superstitibus eisdem fundatoribus, rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare: & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam, alios D in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint ordinari.

3. Si sacerdos, vel minister de rebus Ecclesię quippiam alicui sub præstationis obtentu concedat, instrumenti causam præstiti evidenter exponat, ut hoc aut justè confecta transactio innotescat, aut fraus incompetens, quæ latet, appareat: aliter verò pro hujus negocii causa, deinceps scriptura valeat.

4. Sacerdotes, vel quicunque illi sunt, quibus Ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quæcunque administrationis suæ emerint, si de rebus propriis, vel vile, vel carum habuerint, ad Ecclesiæ nomen, cui præsunt, chartarum instrumenta conficere procurent. Nõ enim convenit, ut Ecclesia, quem suscepit externum, efficiat in alieno divitem, & in suo retineat fraudatorem. E Hi verò, qui suarum noscuntur habere compendium, ex omni re, quam post ordinationis suæ diem visi sunt acquisisse, sive nulla, sive aliqua sint instrumenta confecta, compensata tàm juris sui, quàm Ecclesiasticarum rerum habitudine, si se utriusque rei quantitas exæquaverit, inter Ecclesiam, & decedentis hæredes, æquo jure conquisitio pertinebit. Si autem quælibet pars majori cumulo sui juris excreverit, majurem portionem etiam in divisione percipiet. Quicunque verò de prædictis sacerdotibus, vel ministris, pro sui utilitate, atque amicitia, vel præstatione, aut quocunque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint à quolibet percipere, in rebus Ecclesiasticis non poterit numerari: sed quod exinde voluerint facere, in ipso-

12. q. Sace

ipſorum voluntatis arbitrio ſubjacebit. Quod ſi hoc poſt eorum mortem ordinatum fortaſſe remanſerit, Eccleſia hoc ſibi, cui præfuit, vel miniſter exiſterit, in perpetuum vindicabit.

5. Bonæ rei dare conſultum, & præſentis habetur vitæ ſubſidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. Quiſquis itaque Epiſcoporum in parochia ſua monaſterium conſtruere forte voluerit, & hoc ex rebus Eccleſiæ, cui præſidet, ditare decreverit; non amplius ibidem, quàm quinquageſimam partem dare debebit, ut (hac temperamenti æquitate ſervata) & cui tribuit, competens ſubſidium conferat: & cui tollit, damna gravia non infligat. Ad Eccleſiam verò, quæ monaſticis non informabitur regulis, aut quam pro ſuis magnificare voluerit ſepulturis, non amplius quàm centeſimam partem cenſus Eccleſiæ, cui præſidet, ibidem conferre licebit: ea tamen cautela ſervata, ut unam tantummodo, quæ placuerit, ex his duabus remunerationem aſſumat.

6. Cum præteritis ſanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur: opportunè tamen duximus decernendum, ut ſi Epiſcopus tertiam partem; quam de rebus earundem ſanctione ſibi debitam novit, aut ipſi Eccleſiæ, cujus res eſſe patebit, aut alteri Eccleſiæ, quam elegit, conferre decreverit, & licitum maneat, & irrevocabile robur ejus ſententia ferât.

7. Propinqui morientis Epiſcopi nihil de rebus ejus abſque metropolitani cognitione uſurpare præſumant. Quod ſi is, qui receſſerit, metropolitanus fuerit, ſucceſſoris ejus ſententiam, aut Concilium ſuſtinebunt, ne paſſim hæreditatis adeundę danda licentia, de rebus Eccleſiæ, aut non retineatur ratio plena, aut fraus inveniatur illata. Quod ſi Presbyteri, aut Diaconi fuerint, quos obiiſſe conſtiterit, non ſine agnitione ſui Epiſcopi rem ejus hæredibus adire licebit. Quiſquis ſanè poſt hæc tranſgreſſor inventus extiterit, pro his, quę non expectato ordine adierit, invaſionis damno legis ſententia ſubjacebit.

8. Si ſacerdos, vel miniſter, dum gubernacula Eccleſiarum adminiſtrare videtur, contra Patrum ſanctiſſimas ſanctiones, de rebus Eccleſiæ definiiſſe aliquid dignoſcitur: non ex die, quo talia ſcribendo decrevit, ſed ex quo talia moriendo definita reliquit, ſupputationis ordo ſubtrahit. Nunquam enim ad triennium temporis pertinere poterit poteſtas, irritè hoc judicantis: quia ſtatus contractuum initia non ſumpſit ab origine æquitatis.

9. Plerique dum rapinis inhiant, quod non debent, aut miſerationis opus condignè non implent, aut indebita ipſi miſerationi damna permiſcent. Ideoq; ne amplius miſericordię opus execrabile labatur in ſcelus, id communi decreto ſancimus, ut, cùm Pontificem mori contigerit, Epiſcopus, qui ad humandum corpus advenerit, deſcriptis theſauris, atque ornamentis omnibus, ſi locuples decedentis Eccleſia fuerit, non amplius, quàm libram auri in rebus, quibus ei placuerit, exceptis ornamentis Eccleſiæ, cum gratia offerentium auferre pertentet. Si verò minor rebus extiterit, dimidiam libram ſibi licenter uſurpet. Nam & hæc uſurpare ipſa ratio nulla permitteret, niſi ejus, qui convenit, ſacerdotis injurię contemplatione antiquitas hoc uſurpata ſervaſſet. Porro breve deſcriptarum rerum, ſub fideli ratione hic, qui deſcripſit, dirigere metropolitano curabit. Metropolitanus autem ex eadem morientis Eccleſia nihil prorſus auferre prȩſumat, ſed ſolam, quę ad eum pertinet, curam ſalutarem impendat.

10. Cùm multę ſuper incontinentia ordinis clericorum hactenus emanaverint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum reformari quiverit correctio morum, uſque adeo ſententia judicantium protraxere commiſſa culparum, ut non tantùm ferretur ultio in authores ſcelerum, verum & in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Epiſcopo uſque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillę, vel ex ingenuæ deteſtando connubio, in honore conſtituti filios procrearint: illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur: proles autem aliena pollutione nata, non ſolùm hȩreditatem parentum nunquam accipiet, ſed etiam in ſervitutem ejus Eccleſię, de cujus ſacerdotis, vel miniſtri ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.

11. Qui ex familiis Eccleſiæ ſerviturj devocantur in clerum, ab Epiſcopis ſuis libertatis neceſſe eſt ut percipiant donum: & ſi honeſtæ vitæ claruerint meritis, tunc demum majoribus fungantur officiis. Quos verò flagitii ſordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua ſervitus conditionis rediget in catenam. *d. 54. Qui ex fam.*

12. Si ſacerdos libertatem ſervis Eccleſiæ conferre voluerit, non à die confectionis ſcripturę, tempus annorum computatum tenebit, ſed ex eo, cùm eum, qui ſcripturam confecit, verius obiiſſe conſtiterit.

13. Exceſſibus libertorum Eccleſiæ, plerumque patronam videmus Eccleſiam convexari, & bicipiti coacti ſumus tædio condolere: uno, dum per ſuperbiam reluctantis author contemnitur libertatis: altero, dum libertas ſuperbientis in conditionem relabi cogitur ſervitutis. Ideo cùm jam præteritis Patrum regulis multæ ſuper hoc diverſæ conſtitutionis emanaverint ſanctiones, tamen quoddam ad plenitudinem rei aptum conſpeximus adhuc innectere complementum. Igitur ſicut legum reverenda ſanctio cenſuit, ita ſervari totius generis nobilitas debet, ut in nullo aliena commixtio maculet, quod generoſitas propria decoravit. Unde cunctis Eccleſiarum libertis, tàm viris, quàm fœminis, eorumque propagini, interdicitur judicio generali, ne deinceps cauſa connubii, aut Romanis ingenuis copulentur, aut Gothis: Quod ſi hoc factum quandoque patuerit, permixtione tali genita proles, nunquam meretur jus debitæ dignitatis: nec Eccleſiæ unquam carebit obſequiis, cujus beneficio donum meruiſſe noſcitur libertatis.

14. Si contingat quemcunque de libertatis Eccleſiæ, eorumque proſapiæ, contra primȩvas, modernaſque Patrum regulas, aut Gothis, aut Romanis ingenuis copulari, tàm illis, quàm eorum ſtirpi non licebit ab Eccleſiæ patrocinio evagari, ſed ad debita obſequia reverti cogendi ſunt: aut ſi redire noluerint, quæcumque, aut parentes eorum, vel ipſi ab Eccleſia ſunt adepti, vel in ejus patrocinio viſi ſunt conquiſiſſe, inſiſtente Pontifice, in ditionem propriæ reducuntur Eccleſiæ.

15. Eccleſiæ liberti, eorumque progenies, eidem Baſilicæ, de qua libertatis gratiam meruerunt, obſequia prompta, ſynceraque parabant: qui ſicut hoc in obſequio pro poſſibilitate ſui, quod utiles ingenui dabunt: ita quoque in emendatione culparum, quod inutiles ingenui ſubſtinebunt.

16. Libertis Eccleſiæ, eorumque propagini, ex omnibus, quæ de jure Eccleſię noſcuntur habere, nihil licebit in extraneum Dominum tranſactione quacunque deducere: ſed ſi ex his quęlibet vendere fortaſſe voluerint, ſacerdoti ejuſdem Eccleſię offerant convenienter emenda, eorumque precia rerum, ut eis placuerit, aut diſpenſent, aut habeant. Nam & in Dominum partis alterius, rei ſuæ cenſum nullo modo tranſire permittimus. Suis ergo filiis, vel propinquis, ejuſdem Eccleſię, vel ſervitio, vel patrocinio ſubjugatis, quęcunque vendere, vel donare voluerint, aditus omnino patebit.

17. Baptizati Judęi quocunque loco certo tempore converſentur. Feſtis tamen præcipuis novi teſtamenti ſeriè conſecratis, ac diebus illis, quos olim ſanctione veteris legis ſibimet cenſebant eſſe ſolemnes, in civitatibus, publiciſque conventibus cum ſummis Dei ſacerdotibus celebrare præcipimus, ut eorum converſationem, & fidem, & Pontifex approbet, & veritas fervet. Hujus verò temerator edicti, prout Epiſcopus permiſerit, aut flagris, aut abſtinentibus ſubjacebit. Expletis omnibus, quæ ad honeſtatis regulam in collatio-

lationem venere fraternam, grates exolvimus immortali Domino soli, cujus dispositione mirabili, ad hunc sanctæ congregationis cœtum meruimus adunari, ut communis visio prosperitatem nostram ostenderet, & pari diffinitione concordiam assignaret: obsecrantes ejus misericordiam largam, ut serenissimo Domino, & amabili Christo Reccesiuntho principi glorioso, ita præsentis vitæ felicitatem impendat, ut angelicæ beatitudinis gloriam post longæva tempora concedat; atque ita nos ejusdem felicitatis lætos efficiat, ut in terra viventium remunerandos attollat. Antiquitatis dehinc ordinem saluberrimè retinentes, postquam rationem festi Paschalis fraternitas vestra cognoverit, noverit se anno venturo die Kalendarum Novembrium, causa peragendi Concilii in hac urbe, favente Domino, congregari, ut simili disceptatu, aut quæ prospexerimus congrua, decernamus, aut solius pacis conventu lætemur. Consummatum est hoc sanctum Concilium die octavo kalendarum Novembrium, anno feliciter septimo regni serenissimi, atque clementissimi Domini nostri Reccesiunthi.

Subscripserunt Episcopi 16. Abbates 8. Viri Palatini 4.

Concilium Toletanum X. anno 8. Reccesiunthi Regis Æra 694. anno Christi 656. sub Vitaliano Papa.

TITULI CAPITULORUM
Concilii Toletani decimi.

1. *De celebritate annuntiationis dominicæ.*
2. *De his, qui adversus principem conjuraverunt.*
3. *De Episcopis, qui in Monasteriis, vel Ecclesiis consanguineos suos, vel sibi faventes præficiunt.*
4. *De professione, & habitu viduarum sanctimonialium.*
5. *De sanctimonialibus feminis, quæ propositum abjecerunt.*
6. *De his, qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerint, vel usque ad quotum annum liceat parentibus filios tradere religioni.*

Capitula ejusdem Concilii.

GRatulationem nobis spiritualem contulit divina gratia, quandò tribuit inter nos, & salutaris disciplinæ frequentiam, & convenire ad pacificorum studia præoptata. Congregatis ergo nobis, & in concordia animi, & in conventu loci referentes gratias invisibili Deo, & glorioso rerum Domino Reccesiuntho Regi, cujus sanctissimo voto retenta paternitatis sanctæ traditione, ad sacrum quivimus adunari conventum, has subter annexas regulas concordi definitione prolatas, æterna statuimus manere lege præfixas.

1. De celebritate festivitatis divinæ Matris, cùm nihil fidei sinceritas per diversitatem adversum incurrat, & unitatem catholicæ regulæ varietas nulla decerpat: est tamen, quod nisi temporum unitate servetur, & dissidium indiscissæ unitatis parturiat, & Sacramentorum unitate constare non valeat. Hinc est enim, quòd Paschale tempus, nisi uno die celebremus, & tempore, ne in Judaicum decidamus errorem. Hinc adventum sancti Spiritus post Resurrectionem Domini, nisi expectemus tempore definito dierum numerum, non possumus implere ejusdem Spiritus dono: quoniam, si caret plenitudinis numero, carere potest & mysterii Sacramento. Hinc Nativitatis Dominicæ sacrum, quo evidenter de utero virginali Verbum prodiit caro factum, absque dubio servat temporis & cursum, & repræsentat speciale Dei monumentum. Si ergo Nativitatis, & mortis hujus incarnati Verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in toto orbe terrarum ab omni Ecclesia concorditer celebretur: cur non festivitas gloriosæ matris ejus, eadem observantia, uno simul ubique die, similique habeatur honore? Invenitur etenim in multis Hispaniæ partibus, hujus sanctæ Virginis festum non in uno die per omnes annorum circulos agi. Quo enim transducit homines diversitas temporum, dum varietatem celebritatis non habere probantur? Qua de re, quoniam, qua die invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & annunciasse verbis, & indidisse miraculis, eadem die festivitas non potest celebrari condignè, quod interdum Quadragesima, vel Paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari, cùm secundum ipsam incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quandò constat, idipsum Verbum post mortem carnis gloria resurrectionis attolli: ideò speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod festum Matris est, nisi incarnatio Verbi? Cujus festum ita debet esse solemne, sicut est & ejusdem Nativitatis Verbi. Quod tamen nec sine exemplo decentis moris, qui per diversas mundi partes dignoscitur observari, videtur institui. In multis itaq; Ecclesiis, à nobis, & spacio remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri. Proinde, ut de cetero, quicquid est dubium, sit remotum, solemnitas dominicæ Matris die decimoquinto Kal. Januar. omnimodo celebretur, & nativitas Filii ejus Salvatoris nostri, die octavo kalend. earumdem, sicut mos est, solemnis in omnibus habeatur.

2 Frequentium molestiarum nocens impulsus, contemni quidem magnitudine decentis poterit gravitatis: sed quia honesta solicitudo cohibere properat, quod frequentata usitatio vitare non curat, ideò cùm & quorumdam paternorum sanctionibus decretorum, & institutionibus sit legalibus cautum, ne contra salutem principum, gentisque, aut patriæ quisquam meditari conetur adversum: hoc unum specialiter nunc depromitur observandum, ut si quis religiosorum ab Episcopo usque ad extremum ordinis clericorum, sive monachorum, generalia juramenta in salutem regiam, gentisque, aut patriæ data, reperiatur violasse voluntate prophana: mox propria dignitate privatus & loco, & honore habeatur exclusus, eo miserationis obtentu tantummodò reservato, ut an locum, an honorem, an utraque possideat, concedendi jus, licentiamque principalis potestas obtineat.

3. Reverentiæ totius auditu percipiatur, quia res adeò dura non frustra cogitur hac duriori extirpari censura. Agnovimus enim quosdam Pontifices præcepti principis Apostolorum (qui ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem non coactè, sed spontaneè; neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis*) ita esse immemores, ut quibusdam monasteriis, parochialibusque Ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes, iniquum sæpè statuant in Prælatum, ita illis providentes commoda inhonesta, ut aut eisdem deferantur, quæ proprio Episcopo dari justus ordo depoposcerit, aut quæ rapere deputari exactoris violentia poterit. Proinde decenter omnibus placet, & in præsenti tale rescindere factum, & non esse de cetero faciendum. Nam quisquis Pontificum deinceps, aut sanguinis propinquis, aut favore personis quibuscunque sibi devinctis, talia commendare lucra tentaverit: ad suum nefandæ præsumptionis excidium, & quod jussum fuerit, devocetur in irritum: & qui ordinavit, annuæ excommunicationi subjaceat, quæ verò ablata fortasse fuerint, ab eo, qui tulit, reddantur in duplum.

4. Benè per spiritum Domini possumus cum sancto Apo-

Festa fixa. *Festu[m] Mari[æ]* *1. Pe[tr.]* *d. 79 cente omni*

Apoſtolo dicere, *non ignorare nos aſtutiam ſatanæ*, quia impellimur zelo domus Dei, & ardore cremati. Vidimus enim ad tanta fraudum ſtudia convaleſcentem excreviſſe perniciem, ut & primæva Patrum conſtitutio à quibuſdam æſtimetur illudi, & nova judicum putetur intentio pelli. Nam inveniuntur nonnullæ viduæ, diverſis excuſationibus ſe adeò contegentes, ut blandiantur ſibi, non ſe Patrum plena religionis alligatas inſtitutione teneri. Unde antiquis inconcuſsè permanentibus regulis, hoc adjicitur novæ oraculo ſanctionis, ut vidua, quæ ſanctæ religionis obtinere propoſitum voluerit, ſacerdoti, vel miniſtro, ad quem aut ipſa venerit, aut ad quem ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem faciat, à ſe aut ſigno, aut ſubſcriptione notatam, continentem ſe, & religionis propoſitum velle, & hoc perenniter inviolatè ſervare. Tunc accepta à ſacerdote, vel miniſtro apta *religionis hujus veſte, ſeu lectulo quieſcens, ſive quocunque in loco conſiſtens, incunctanter ea utatur. Nec diverſi coloris, aut diverſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, ſed religioſa, & non ſuſpecta, quæ careat varietatibus colorum, & diverſitatibus ſpecierum: adeo ut abſque ulla ſuſpicione tranſgreſſionis, maneat uſui tantùm apta ſanctæ religionis, & ſuo ſexui competens ad teſtimonium probitatis. Ut autem deinceps nil devocetur in dubium, pallio purpureo, vel nigri coloris caput contegat ab initio ſuſcepæ religionis, ut dum illic tulerit ſignum probabilis ſanctitatis, ubi nullus falli poterit viſio intuentis, nunquam auſus attentet deteſtandæ præſumptionis.

5. Omnibus fœminis, quæ jam in præteritum religionis veſte probantur indutæ fuiſſe, nihil excuſationis valeat in oppoſitionem quælibet objectio, quamvis diverſis, ac callidis adumbrare ſe velint fallaciæ argumentis, ſed ad ſacratiſſimam ſanctionem diſciplina ſanctior eas teneat religatas, atque ſubnexas. Commoneantur ſanè ſacerdotis authoritate, ut redeant ſpontè. Quæ ſi redire noluerint, impulſu ſacerdotis ad religionis cultum reducantur, & in monaſteriis redactæ, excommunicationis condignæ ſententia feriantur. Hic idem quoque ordo in illarum condemnatione manebit, quæ quamlibet à ſacerdote ſanctimoniæ veſtem non accepiſſent, ipſæ tamen aut indutæ ſunt, aut in illo diu habitu conſenſerunt, qui religionis eſſe cultus ab intuentibus crederetur, ſi coram Eccleſia, vel ſacerdote, aut etiam competentibus teſtibus, quandoque indutæ, certis indiciis, aut teſtimoniis approbantur: omnes tamen hæ, ſeu venientes ad primam religionem, ſeu poſt tranſgreſſum reſumentes iteratam converſionem, ſicut præmiſſum eſt, & pallio capita contegant, & conſcriptam, roboratamque profeſſionis facient ſcripturam, per quam ulterius non ſinantur relabi ad prævaricationis audaciam. Quæ verò ex omnibus his fuerint repertæ, animum, aut veſtem in tranſgreſſionem dediſſe, excommunicationis ſententiam ferant: & rurſum, mutato habitu, in monaſteriis (donec diem ultimum claudant) ſub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ.

6. De his, qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt, quoniam uſque huc diſſolutæ operationis effectus, interdum mutare fecit honeſtum conſtitutionis edictum, dum inconditè reſolvi putatur, quod indiſſolubili ſanctionis auctoritate tenetur: ideò quicquid obvium ex incerto occurrit, evidenter abjici debet, ut de cætero nihil ſuperſit, quod in dubium nutet. Ideoque ſi in qualibet minori ætate, vel religionis tonſuram, vel religioni debitam veſtem in utroque ſexu filiis, aut unus, aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus, vel neſcientibus ſeſe ſuſceptam, & non mox, viſam in filiis, abdicaverint: ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in conventu eoſdem filios talia habere permiſerint: ad ſæcularem reverti habitum, ipſis filiis quandoque penitus non licebit: ſed convicti, quod tonſuram, aut religioſam veſtem aliquando habuerint; mox ad religionis

A cultum, habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujuſcemodi obſervantiæ inſervire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere, non amplius, quàm uſque ad * decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe. Poſtea verò an cum voluntate parentum, an ſuæ devotionis ſit ſolitarium votum, erit filiis licitum religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cenſuram accipiat, & religioni ſemper inhæreat. Opitulante miſeratione divina, & glorioſiſſimi Reccesiunthi principis inhærente voluntate religioſa, his teſtibus decentiſſimè allegatis in pace connexis, ex totis præcordiorum viſceribus, damus gloriam, & honorem ſoli æterno, & immortali Deo, B Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cujus dono collatum nobis agnoſcimus, pro ejus Eccleſiæ ſtatu gerere curam, & poſſe ſacri regiminis competentia diſponere jura, à quo petimus, & optamus, ut porrecta in longitudine felicium dierum ſacratiſſimi principis vita, & omni gloriarum decore perpetim faciat pollere ſalute. Nobis quoque attribuat, ſuſceptum Eccleſiæ ſuæ regimen cum æquitate diſponere, ac ſolicitudine gubernare, & in pace tenere, ut poſt hujus mundi ſuſcepta pericula pervenire poſſimus ad cœleſtia regna. Amen.

Eugenius, indignus Toletanæ ſedis Metropolitanus Epiſcopus, hæc noſtrarum definitionum ſtatuta ſubſcripſi. Similiter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt, numero viginti unus.

* Gratian. habet 14. Ivon. autem 10.

C

Concilium Clypiacenſe à Clodoveo ſecundo Galliarum Rege celebratum, anno Domini 662. ſub Vitaliano Papa.

Vulgo de Cliſſy.

DE hac Synodo, quæ in Clypiano, ideſt, in villa quadam territorii Pariſienſis habita fuit, apud Aimoinum lib. 4. cap. 41. hæc leguntur: *Anno 16. ex quo ſceptra ſuſceperat regalia Clodoveus, Pontif. & totius gentis Principes Clypiacum convenire jubens, mediuſque inter eos ſolio reſidens, hoc habuit ſermonis exordium. Quamquam, inquiens, Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admonuerit, publicis vos rebus conſultores advocare; tamen prius nobis convenit ea, quæ Dei, & Sanctorum ejus ſunt, diſponere, ut poſtmodum ea, quæ noſtra ſunt, Deo dante, ex ſententia cedant.* Et poſt pauca: *Noſtri itaque devotio hæc extat animi, ut* D *Monaſter. Patroni noſtri Dom. Dionyſii, in quo ipſe cum conſortibus teſtimonii veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitoris noſtri, Dom. videlicet Dagobertus ore Dom. Nantildis ſe ſepeliri mandaverunt, ab omni ſolvamus dominio mortalium, quatenus Abbas, vel frater eo loco commanentes, poſſeſſiones à parentibus noſtris, ſive ab aliis fidelibus Chriſtianis ſibi traditas, abſque ullius dominationis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra, ac ſtatu Regni noſtri liberius Deum deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis Landericus Pariſiacæ urbis Præſul, in cujus Diœceſi Cœnobium illud ſitum eſt, & cujuſque ad præſens tempus ſubjectum fuit. Hanc ergo libertatem ſervi Dei inibi conſtituti, dum fuerint adepti, nulliuſque præter Dei, & Sanctorum, noſtrumque, cui etiam tota Francorum natio paret, fuerint* E *perpeſſi dominatum, ſciant ſe debito tali genitoribus noſtris, & nobis, eiſque, qui noſtro (ut ſperamus) per Dei gratiam orientur ex ſemine fore obnoxios: & pro noſtra, eorumque, quos commemoravimus, præſenti, ac futura requie non deſinant Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum, circumſtantes, poſtquam auſcultaverunt intentè, in laudibus ejus proclamantes, manſura Dei optant gaudia. Huic conventui interfuere prope omnes Gallicani Epiſcopi, inter quos quidam ſancti extiterunt viri, quos ſancta Eccleſia dignis effert honoribus, eo quod ad eorum ſepulchra variis vexati ſanarentur infirmitatibus: ideſt, B. Audoenus, Rado frater ipſius, & Dom. Eligius, cum B. Sulpitio, necnon S. Eucherio.*

Monaſter. San-Dionyſ.

CONTROVERSIA.

DE exemptione religiosorum per auctoritatem summi Pontificis, quod expediat adhibito justo moderamine, multis probat Jacobus de Thermis in quodam tractatu contra impugnantes exemptiones, & privilegia, edito Viennæ durante Concilio generali ibidem celebrato, & videre est tom. 4. Biblioth. Cisterciensis. Sed alia est difficultas major, an possit Episcopus sua auctoritate exemptionem illam concedere: hoc est enim derelinquere gregem suum: hoc est projicere sarcinam sibi à Domino impositam: hoc est abdicare à se, & alienare oves suo regimini commissas à superiori Archimandrita, & pastore, seu is summus Pontifex, seu ipse Christus intelligatur. An exemptus erit propterea Episcopus à reddenda ratione ovium istarum? nec temporalia quidem potest à sua cura eximere, quomodo animas tanti pretii? immo nec unicam personam, quomodo communitatem integram, ac numerosam? ideoque si hæc exemptio ex hoc tempore vera, & valida fuit, debuit ex authoritate summi Pontificis corroborari. Nec sine medio Romanæ sedi subdita est magnifica hæc Abbatia absque diplomatibus Pontificiis, quæ refert Jacobus Doubletus in historia regia ejusdem Abbatiæ Gallicè edita.

Exemptiones Abbatiarum à quo esse debent.

Concilium Cabilonense sub Clodoveo secundo Rege, tempore Martini Papæ secundi, circa annum Christi 650. aut 663.

Cabellinum in Gallia Celtica Heduorum civitas inter Dubilem, & Ararim fluvios situm, de quo Ptolomæus lib. 2. Strabo autem lib. 4. & Plinius lib. 3. cap. 4. Cabellionem nominat. Vulgo Chalon sur Saone, *& Cabilonum ad differentiam Catalauni*, Chalon sur Seine.

TITULI CAPITULORUM
Cabilonensis Concilii.

1. *Ut omnes una conspiratione, & connivente animo sentiant.*
2. *Canonum statuta ab omnibus intemerata serventur.*
3. *De clericorum cum extraneis mulieribus familiaritate fugienda.*
4. *Ne duo in civitate una, uno quoque tempore ordinentur, aut habeantur Episcopi.*
5. *Sæculares commissionem, seu regimen parochiarum non habeant, nec rerum earum.*
6. *Nullus ante audientiam res quorumlibet invadere, aut inferre præsumat.*
7. *Res defuncti Presbyteri, aut Abbatis intactæ ad tempus permaneant.*
8. *De pœnitentia peccatorum, quæ est medela animæ.*
9. *Ne mancipia Christiana alienis vendantur.*
10. *De electione Episcopi post alicujus mortem.*
11. *Ne coram judicibus publicis Ecclesiast. compareant.*
12. *Ne duo Abbates uni monasterio præficiantur.*
13. *Ut nullus alterius clericum, illo invito, retinere præsumat.*
14. *Ne his, qui curam habent oratoriorum per villas potentum existentium, vis inferatur, aut impedimentum, quo minus illis intendant.*
15. *Ne Ecclesiastici patrociniis principum utantur, ubi vitari potest.*
16. *Nullus promoveatur ad sacros ordines pecunia, vel præmio: contraveniens digna pœna puniatur, honore adepto privatus.*
17. *Quod Ecclesiasticorum locorum immunitas omnino tueatur, & defensetur.*
18. *Die dominico nulla ruralia opera fiant, sed dies ille celebris habeatur.*
19. *Ne turpia, aut obscœna, vel ludicra cantica in Ecclesiis, vel circa eas cantentur.*

A

CAPITULA CABILONENSIS
Concilii.

PRiscis quidem Canonibus noscitur institutum, ut Metropolitani cum eorum comprovincialibus, per singulos annos debeant in Synodali conjungi (Deo propitiante) Concilio: sed nunc tàm ex communi omnium voluntate, quàm ex evocatione, vel ordinatione Domini Clodovei Regis, pro zelo religionis, vel Orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi urbe in Ecclesia sancti Vincentii pariter conglobari, ipsius sancti martyris intercessionem poscentes, ut longævitatem supradicti principis suo suffragio mereremur: inspiratione que divina interveniente, de Canonibus significaretur: B quod si fuisset aliquid prætermissum, vel per ignorantiam vitiatum, in pristinum statum (sicut dudum fuerat à sanctis Patribus statutum) debeat, auxiliante Domino Christo, reformari.

1. Itaque omnes, inspirante Domino, & convenientе, uno animo definimus, ut fidei norma, sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata, vel à sanctis Patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel in postmodum à sancto etiam Chalcedonensi Concilio firmata, in omnibus, & ab omnibus conservetur.

2. Canonum verò statuta ab omnibus intemerata serventur.

3. Licèt jam prioribus canonibus fuerit statutum, placuit tamen renovare, ut si quis Episcopus, Presbyter, aut diaconus, vel quicunque ex sacerdotali catalogo, C præter personas, quæ in ipsis canonibus continentur, cum qualicunque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris, vel adulterii possit adferre suspicionem, juxta statuta canonum ab ordine degradetur.

4. Ut duo in una civitate penitus uno tempore nec ordinentur, nec habeantur Episcopi, ne res Ecclesiæ læva divisione debeant partiri.

5. Sæculares verò, qui necdum sunt ad clericatum conversi, res parochiarum, vel ipsas parochias minimè ad regendum debeant habere commissas.

6. Ut nullus ante audientium res quorumlibet invadere, aut auferre præsumat: quod qui fecerit, ut necator pauperum habeatur.

7. Ut defuncto Presbytero, vel Abbate, nihil ab D Episcopo auferatur, vel Archidiacono, vel à quocunque de rebus parochiæ, vel xenodochii, vel monasterii, aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, juxta statuta canonum debet coerceri.

8. De pœnitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, utilem omnibus hominibus esse censemus, & ut pœnitentibus à sacerdotibus (facta confessione) indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire.

Sirm. data fessio[...]

9. Pietatis est maximæ, & religionis intuitus, ut captivitatis vinculum omnino à Christicolis redimatur. Unde sancta Synodus noscitur censuisse, ut nullus mancipium extra fines, vel terminos, qui ad regnum Clodovei Regis pertinent, penitus debeat venundare, E ne (quod absit) per tale commercium, aut captivitatis vinculo, vel (quod pejus est) Judaicæ servituti mancipia Christiana teneantur implicita.

10. Si quis Episcopus de quacunque civitate fuerit defunctus, non ab alio, nisi à comprovincialibus, clero, & civibus suis, alterius habeatur electio, sin aliter, hujus ordinatio irrita habeatur.

11. Pervenit ad sanctam Synodum, quod judices publici, contra veteranam consuetudinem, per omnes parochias, vel monasteria, quas Moses Episcopus circuire consuevit, ipsi illicita præsumptione videantur discurrere: etiam & Clericos, vel Abbates, ut coram eis compareant, invitos, atque districtos ante se faciant exhiberi: Quod omnimodis religioni non convenit, nec canonum permittit authoritas. Unde omnes unanimiter censuimus, sententiantes, ut deinceps ista de-

debeant emendare. Et si præsumptione, vel potestate, A qua pollent, excepta invitatione Abbatis, aut Archipresbyteri, in ipsa Monasteria, vel Parochias aliquid fortasse præsumpserint, à communione omnium sacerdotum eos convenit sequestrari.

12. Ut duo Abbates in uno Monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis, simultas inter Monachos, & scandalum generetur. Verumtamen si quilibet Abbas sibi elegerit successorem, ipse, qui sic eligitur, de facultatibus ipsius Monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.

13. Ut nullus alterius clericum retinere præsumat, sicut priscis est canonibus institutum, nec ad sacrum ordinem sine voluntate sui Episcopi penitus promovere.

14. De oratoriis, quæ per villas fiunt, nonnulli ex B fratribus, & Episcopis nostris residentes in sancta Synodo, querimonias detulerunt, quod oratoriorum per villas potentum jam longo constructorum tempore, & facultatum ibidem collatarum, ipsi, quorum villæ sunt, Episcopi administrationi contradicant, ita ut nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deserviunt, ab Archidiacono coerceri permittunt. Quod convenit emendari, ita duntaxat, ut in potestate sit Episcopi, & de ordinatione Clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria & officium divinum possit impleri, & sacra libamina consecrari. Quod si quis contradixerit, juxta priscos canones, communione privetur.

15. Ut Abbates, vel Monachi, aut agentes Monasteriorum, patrocinio sæculari penitus non utantur, nec ad principis præsentiam sine Episcopi sui permissu C ambulare audeant. Quod si fecerint, à suis Episcopis excommunicentur.

16 Ut nullus Episcopus, neque Presbyter, vel Abbas, seu Diaconus, per præmium ad sacrum ordinem penitus accedat. Quod qui fecerit, ipso honore, quem præmiis comparare præsumpserit, omnino privetur.

16. Et quia multa per præsumptionem proveniunt, quæ Deo minus placita, & sacris canonibus videntur esse contraria, quæ à sacerdotibus necesse est coerceri, ita sancta Synodus instituit, ut nullus sæcularium nec in Ecclesia, nec infra atrium ipsius Ecclesiæ qualecunque scandalum, aut simultates penitus excitare præsumat, nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum, vel interficiendum penitus appetere. Quod D si quis fortasse præsumpserit, ab Episcopo loci illius, ubi factum fuerit, ipse, juxta statuta canonum, communione privetur.

18. Licèt generaliter ab omnibus Catholicis, & Deum timentibus, * de die Dominico, quæ est prima Sabbati, convenit observare, sicut superius in canonibus est statutum: non aliquid novi condentes, sed vetera renovantes, instituimus, ut in ipso die Dominico ruralia opera, idest, arare, messes metere, exartos facere, vel quicquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat. Quod qui inventus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.

19. Multa quidem eveniunt, quæ, dum leviter cor- E riguntur, sæpius ad majora conscendunt. Valdè enim omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes basilicarum, aut festivitates martyrum, ad ipsa solemnia confluentes, chorus fœmineus turpia quidem, & obscœna cantica decantare videntur, dum aut orare debeant, aut clericos psallentes audire. Unde convenit, ut sacerdotes loci, talia à septis basilicarum, vel porticibus ipsarum, ac etiam ab ipsis atriis, vetare debeant, & arcere. Etsi voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeum sustinere.

De Agapio, & Bobone Diniensis urbis Episcopis.

AGapium verò, & Bobonem Diniensis urbis Episcopos pro eo, quod ipsos contra statuta canonum in multis conditionibus errasse, vel deliquisse cognovimus, ipsos juxta tenorem canonum ab omni Episcopatuum ordine decrevimus degradare.

Hunc canonem 20. habet Sirmundus, quem Joverius non habet. Addit quoque epistolam Concilii hujus ad Theodosium Episcopum Arelatēsem, qui à Concilio abfuerat, quod multa adversus ipsum de indecenti vita, & excessu canonum pervulgarentur, pro quibus cùm ille pœnitentiam profiteretur, scribunt ad illum, quod qui publicè pœnitentiam profiteretur, Episcop. Cathed. nec tenere, nec regere potest. Propterea, salutantes beatitudinem vestram honorificè indicamus, ut usque ad aliam Synodum de Arelatensi sede, ubi vos constat Cathedram Pontificalem tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius Ecclesiæ, nihil ad vestram dominationem, donec in audientia, ante fratres conveniatis, penitus præsumatis.

Eamdem epistolam refert Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi, subjungens se apud authorem nullum legisse Theodosium sede pulsum, quod tamen Patres fuerant minitati.

Subscripserunt Concilio Candericus Episc. Lugdunensis, Laudalenus Viennensis, Audoenus Rothomagensis, & alii 34. Episcopi cum sex procuratoribus absentium.

Concilium Emeritense in Lusitania sub Vitaliano Papa duodecim Episcoporum, die 8. Iduum Novembris anno 18. Reccesiunthi Regis. Et fuit confirmatum ab Innocentio tertio in epistola ad Petrum Compostellanum Archiepiscopum, quæ incipit: Licèt unum sit, *quæ extat apud Binium. Habitum est anno 666.*

Emerita Augusta, olim caput Lusitaniæ.

IN primo Canone pronuntiatur fides Catholica, & recitatur Symbolum Nicænum simul cum Constantinopolitano.

Canon II. *De Vespertini officii servando ordine.*

SIcut in fide sancta nostra est unanimitas, ita pro sancto Dei officio debet esse intentio summa. Oportet igitur, ut sicut in aliis Ecclesiis vespertino tempore, post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quàm sonum in diebus Festis; ita & à nobis custodiatur in Ecclesiis nostris. Si quis hunc ordinem minimè custodierit in sua Ecclesia, excommunicationis se noverit feriri sententia.

Nota. *De Vespertinis officiis, & Lucernario (hoc est enim* lumen oblatum) *vide supra in Concilio Toletano I. cap.* 19. *offerebatur verò lumen his verbis, ut à Basilio traditur libro de Spir. sancto, cap.* 29. Laudemus Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum. *Isidorus in Regula Monachorum, cap. 6. sic habet:* In Vespertinis officiis, primo Lucernarium, deinde Psalmi duo, Responsorium unum, & Laudes, Hymnus, atque Oratio dicenda est. *Quod ab Isidoro vocatur* Laudes, *est* Sonus *in hoc Canone positus: fortè quia sonora voce decantabatur.*

Fortè somnium.

In Canone III. statuitur, Ut fiat oratio pro Rege, pro patriæ statu, atque salute.

In Canone IV. agitur, Ut inter Metropolitanum, & suos finitimos Episcopos sit intelligentia, & unus alium certiorem faciat de sua promotione.

In Canone V. statuitur, Ut quando celebrandum sit Concilium, ad id vadat Episcopus in persona, si poterit, quod si non poterit, mittat pro se Archipresbyterum, aut Presbyterum, non autem Diaconum.

In Canone VI. decernitur, Ut dum quisquam Com-

Comprovincialis Episcopus Metropolitani sui admonitionem acceperit, pro diebus festis Nativitatis Domini, & Paschæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excusationem.

In Canone VII. determinatur, Ut semel in anno fiat Concilium, ubi elegerit Metropolitanus Episcopus. Quisquis ergo Episcopus ad Concilium venire distulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus, ubi cum his, qui præsentes fuerint, elegerit Metropolitanus.

In Canone VIII. stabilitur, Ut unusquisque Episcopus non usurpet de Parœcia, seu Episcopatu alterius, & qui in possessione per triginta annos aliquid tenet, teneat, donec per Metropolitanum aliud determinetur, qui Sajones mittat, & per evidentia signa Diœceses ipsas conspiciant, & unusquisque, quod illi debitum est, accipiat, & habeat. B

In Canone IX. decernitur, Ut pro Chrismate, & Baptismo conferendo nihil accipiatur.

In Canone X. determinatur, Ut quicumque ad gradum Ecclesiasticum pervenerit, humilitatem Pontifici suo, & reverentiam præbeat.

In Canone XI. agitur, Ut tàm à Presbyteris, quàm ab Abbatibus Episcopo honor debitus impendatur: & quandocumque contigerit, eum juxta Canonicam sententiam visitare suam Parochiam, dignè eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent, quæ fuerint necessaria.

In Canone XII. Ut Episcopus, qui illi placiti fuerint de Parochia sua, Presbyteros, atque Diaconos Cathedrales sibi faciat. C

In Canone XIII. Ut Episcopus, quem viderit de Clericis suis ad bonum profectum tendere, honorandi, & magnificandi de rebus Ecclesiæ licentiam habeat.

In Canone XIV. Ut pecunia, quæ in Ecclesia Dei offertur, fideliter colligatur, & fideliter dividatur.

In Canone XV. Ut Episcopi, atque Presbyteri pro gravibus causis (quod Legum damnat sententia) sine Judicis examine familiam Ecclesiæ non debeant extirpare.

In Canone XVI. Ut Episcopo non liceat tertiam partem de Parochianis Ecclesiis tollere: sed, quæ instituta sunt, debeat observare.

In Canone XVII. Ut post mortem Episcopi nulli subjectorum liceat de eo quidquam tollere.

In Canone XVIII. Ut Presbyter, qui plures Ecclesias habuerit commissas, pro singulis Dominicis diebus, in singulis sacrificium Deo offerre intendat. D

In Canone XIX. Ut quisquis dignè juxta Canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Ecclesiæ, ipse, aut posteritas ejus nunquam discedat.

In Canone XX. Ut, si Episcopus Ecclesiæ suæ, in qua præsidet, de rebus suis inventus fuerit plurima contulisse, quidquid amicis suis, servis, aut liberis, vel quibuslibet personis de Ecclesiæ suæ rebus compertus fuerit aliquid donasse, si triplum, aut multo plus patuerit esse, quod conscripsit in nomine Ecclesiæ suæ, firmum maneat. Nec licebit succedenti Episcopo prioris sui irrumpere voluntatem.

In Canone XXI. Ut excommunicatione feriatur, qui hujus Canonicæ regulæ statuta non servaverit. E

In Canone XXII. Gratiæ aguntur Deo, & Regi, cui etiam vita felix optatur.

Concilium Romanum in causa Lappensis Episcopi, anno Domini 667. celebratum.

JOannes Lappensis Episcopus in Creta, ab Archiepiscopo suo injuriam passus, appellavit ad Sedem Apostolicam, &, ne interpositam appellationem ipse prosequi posset, invitus detinebatur. Elapsus tandem venit Romam ad Vitalianum Papam, ipsumque obnixè postulavit, atque conjuravit per terribilem adventum magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, ut A secundum sacratissimos Canones, institutaque Sanctorum Patrum causæ meritum inquireretur, & sententia promulgaretur. Non despexit justam appellationem appellantis Vitalianus; verum deferens ipsius appellationi, hanc Synodum Episcoporum collegit, in qua ejus causa cognosceretur. Post causæ diligentem inquisitionem, & discussionem cognitum fuit, ipsum appellantem gravi injuria affectum fuisse: ideoque communi suffragio absolutionis sententiam Patres hujus Concilii eidem communicarunt. Hæc ex epistola Vitaliani ad Paulum Cretensem, quæ extat apud Binium.

Concilium Anglicanum, anno Domini 672. habitum.

DE hoc Concilio in Anglia celebrato Beda lib. 4. cap. 5 Hist. Eccles. Anglic. hæc præfatur: *Ejusdem Regis Ecgifridi anno 3. Theodorus* (Dorovernensis Episcopus, Sedis Apostolicæ Vicarius) *cogit Concilium Episcoporum unà cum eis, qui Canonica Patrum statuta diligerent, & nossent, Magistris Ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea, quæ unitati pacis Ecclesiasticæ congruerent, eo, quo Pontificem decebat, animo, cœpit observanda docere.* Baronius anno 672. num. 4. & seq.

Concilium Toletanum XI. habitum anno 3. Uvambani Regis, tempore Adeodati Papæ, anno Christi 675.

TITULI CAPITULORUM ejusdem Concilii.

1. *Ne tumultu Concilium agitetur.*
2. *Non debere Metropolitanum à confinitimorum instructione cessare.*
3. *Ut in una provincia diversitas officiorum non teneatur.*
4. *De discordia sacerdotum.*
5. *De compescendis excessibus sacerdotum.*
6. *Non debere sacerdotes quaslibet in Ecclesiæ familiis truncationes membrorum facere, nec aliquid, quod morte plectendum est, judicare.*
7. *Quæ debeat discretio Ecclesiarum esse rectoribus, ne per inconditam disciplinam subeant homicidii notam.*
8. *Ne quicquam præmii pro divinis sacramentis accipiatur.*
9. *Quid custodiri debeat, si per præmium quis Episcopus fiat, vel qua sententia feriatur, qui post honorem acceptum, per pecuniam ordinatus fuisse detegitur.*
10. *Ut omnes Pontifices, rectoresque Ecclesiarum, tempore, quo ordinandi sunt, sub cautione promittant, quod justissimè vivere debeant.*
11. *De elucidatione antiqui Canonis, quo præcipitur, ut si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.*
12. *Ne in confinio mortis pœnitens à reconciliatione diutinè suspendatur, & ut oblatio ejus pœnitentis, qui nec tamen reconciliatus de hac vita exierit, ab Ecclesia receptetur.*
13. *De sacerdotibus, qui vexati cadere videntur.*
14. *Ut hi, qui Domino canunt, atque sacrificant, post se semper habeant adjutoria constituta.*
15. *De institutione certi temporis, quo Concilium agatur.*
16. *De relatione gratiarum pro consummatione Concilii.*

CAPITULA EJUSDEM CONCILII.

IN nominè sanctæ Trinitatis collectis in unum Carthaginensium provinciæ sacerdotibus in Toletana urbe, in beatæ Matris Domini Mariæ Virginis sede, anno quarto excellentissimi, ac religiosi Vvambani prin-

principis, sub die septimo idus Novembris, res votiva gaudii, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum est conspicere, pariter & deflere, quid lachrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus enim hucusque pro labentis sæculi colluvione instabiles: quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tàm vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam ociosis mentibus ingerebat. Hactenus enim florentem Domini vineam devastaverunt apri frendentes: sponsam Christi, quam sui preciosissimi sanguinis effusione conciliavit, conspurcare, & polluere conata est hæreticorum subdola machinatio, & inconsutibilem Domini vestem dividere, unitatem fidei scindere, charitatis tollere fomenta, cùm, suo proprio pertinaciter sensui volens inhærere, sacræ scripturæ puritatem suæ pravitatis intelligentia prophanet. Præterea sacrosanctam Ecclesiam Dei vulnerant etiam custodes ejus, qui cùm deberent ob dignitatis excellentiam cæteros per suæ virtutis imitationem provocare ad charitatis, & unitatis observantiam, tanquam sal infatuatum, potius scandali, quàm ædificationis dant materiam. Hinc cernentibus, quomodo Babylonicæ confusionis olla succensa nunc tempora averteret Conciliorum, nunc sacerdotes Domini de resolutis moribus irretiret: purpuratæ enim meretricis sequebantur incitamenta, quia Ecclesiastici conventus non aderat disciplina, nec erat, qui errantium corrigeret partes, cùm sermo divinus haberetur exosus. Et quia non erat adunandorum Pontificum ulla præceptio, crescebat immanis vita deteriorum. Cùm tandem divina clementia, operis manuum suarum perditioni condolens, prava in directa reducens, suum sanctum Sabaoth novis propaginibus, ac plantis novellis fœcundare volens, negligentiæ surrogans diligentiam, pro ignorantia disciplinam immittens, pro socordia solertiam, pro schismate unitatem inducens, pro zizania veræ pacis vinculum largiens, pro caducis cœlestium desideria infundens, pro turpibus honesta sectari stimulans, à terrenis, & infimis ad sublimia erigens nos, in hac lachrymarum valle potius morientes, quàm viventes, in hoc vasto periculorum mari vagantes sine remige, sine clavo huc, illucque tempestatum fluctibus per abrupta collisos, in continua malorum acie confligentes, ubi nos circunstant mille discrimina, ubi versutissimus insidiatur hostis, mille nocendi artibus instructus: ex alto cœli domicilio respiciens, & tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit, & saluti, præparans nostris sæculis religiosi principis mentem devotam, pariter & instructam. Cujus providæ solicitudinis voto & lux Conciliorum renovata resplenduit, & alterna charitas se mutuo in corrigendis, vel instruendis moribus excitavit, dum & aggregandi nobis hortatu principis gloriosi facultas data est, & opportuna corrigendis præparata est disciplina, ut qui decursis longè ante temporibus, post decem, & octo scilicet labentium annorum excursum, in unum meruimus aggregari conventum, mereri possimus spirituali gratia sanitatem. Nec enim numerus iste alienus est à salute. Sic quippe mulier ipsa in Euangelio, ter senis annorum excursibus curva, quæ figuram totius humani generis gestabat sub sacramento hujus numeri, saluti pristinæ redonatur. Nos ergo per tot annos curvo nostri ordinis persistente statu, in eo, quod nulla nos Conciliorum definitio jungeret, nullus etiam conventus Ecclesiastici ordinis adunaret, tandem divinæ voluntatis imperio, & religiosi principis jussu evocati in Toletanam urbem convenimus. Qui cùm in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis debitis in sedibus locaremur, inter cætera, quæ subterius discreto capitulorum ordine sunt digesta, non aliunde primum cœpimus habere sermonem, nisi de sanctæ fidei puritate: ut quia initiandis ad beatam vitam hominibus hæc prima semper est via salutis, prævia quoque nostris fieret præceptis. Unde sacræ instructionis arcana sanctorum, Nicæni scilicet, Constantinopolitani,

A Ephesini, atque Chalcedonensis, Conciliorum monita amplectentes, per quæ & radicitus hæreticorum falsa conciliabula destruuntur, & fidei catholicæ norma declaratur, hoc communi, alternoqne animorum judicio definimus, ut hanc ipsam fidei nostræ regulam verbis simplicibus niteremur alternatim nobis, singulariterque referre: ita ut quidquid per triduum de hujusmodi quæstionibus unicuique nostrum lectionis memoria ministraret, & prout animis, vel memoriæ occurreret, omni sobrietatis compendio simplici notaretur stylo: relatio tamen ipsius Sacramenti pura, & evidens, & à capite primùm inciperet, & sic ad membra reliqua perveniret, nullas obscuritatis in se lineas habens, nullas etiam inusitatæ loquutionis regulas continens: sed puritas sola esset clara sermonum, quæ posset evidentem exprimere sensum, quo exercitatiores nos magis B ad intelligendum verborum redderet simplex collatio, quàm relata condensæ lectionis instructio. Quia & revera tantæ rei mysterium ita sacerdotes Dei convenit nosse, ut non superficie verborum efferantur incogniti, sed sensu sanæ intelligentiæ reperiantur instructi, ut in differendo præcipuè hujus sanctæ Trinitatis arcano, plus evidentia, quàm eloquentia eos efficiat saporatos.

Sic enim ex divini muneris dono est actum, ut juxta votum definitionis alternæ promissio monstraretur in opere. Unde quod primo die præsidentis metropolitani lingua profudit, die tertia omnium nostrum vox sigillatim collativè repetiit. Ille est ergo tenor fidei nostræ, qui & à capite copiosè profluxit, & à membris probatus gloriosè emicuit.

C Confitemur, & credimus sanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum naturaliter esse, unius substantiæ, unius naturæ, unius quoque majestatis, atque virtutis. *Expositio fidei.* Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus sanctus processionem accepit. *Pater.* Fons ergo, & origo totius divinitatis ipse est. Ipse quoque Pater essentia quidem ineffabilis, substantiæ suæ Filium ineffabiliter genuit: nec tamen aliud, quàm quod ipse est, genuit, Deus Deum, lux lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in cœlo, & in terra. *Ephes. 2.* Filium quoque de substantia Patris sine initio ante sæcula natum, nec tamen factum esse D fatemur: quia nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre aliquando extitit. Et tamen non ut Filius de Patre, ita Pater de Filio, quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio. Ille autem Filius Patris, & Deus de Patre: æqualis tamen per omnia Filius Deo Patri, quia nec nasci cœpit aliquando, nec desiit. *Filius.* Hic etiam unius cum Patre substantiæ creditur, propter quod & homousion Patri dicitur, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ: Ὁμὸς enim Græcè unum, Οὐσία verò substantia dicitur: quod utrunque conjunctum sonat, una substantia. Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia ejus, idem Filius genitus, vel natus esse credendus est. Sempiternus quoque est & Filius, quoniam si Pater semper fuit, sem-E per habuit Filium, cujus Pater esset, & ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei, pro eo, quod de Patre sit genitus, desectæ naturæ portiunculam nominamus: sed perfectum Patrem, perfectum Filium, sine imminutione, sine desectione genuisse asserimus: quia solius divinitatis est, inæqualem Filium non habere. Hinc etiam Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est: quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam prævenit. Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum, atque æqualem cum Deo Patre, & Filio credimus esse Deum, unius substantiæ, unius quoque esse naturæ:

non tamen genitum, vel creatum, sed ab utrisque procedentem, amborum esse spiritum. Hic etiam Spiritus sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur: ne, aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus: aut si genitum, duos Filios prædicare monstremur: qui tamen nec Patris tantùm, nec Filii tantùm, sed simul Patris, & Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam: sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia charitas, sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic ergo Spiritus sanctus missus ab utrisque creditur, sed minor Patre, & Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem, minorem se Patre, & Spiritu sancto esse testatur. Hæc est sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas & dici, & credi debet. Nec rectè dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis verò personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur, quæ cùm relativè tres personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus: sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relativè refertur, in eo, quod Spiritus Patris, & Filii prædicatur. Item cùm dicimus, Deus non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium: sed ad se specialiter Deus dicitur. Nam si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur: nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut & unum lumen, unumque principium prædicatur. Singulariter ergo unaquæque persona unus Deus confitetur, & creditur una illis, & indivisa, atque æqualis deitas, majestas, sive potestas. Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cùm unaquæque persona Deus singulariter dicitur: nec amplius, cùm totæ tres personæ unus Deus enunciantur. Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus, & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Nam ita sanctæ huic Trinitati unum naturale convenit nomen, ut tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in sacris litteris dictum: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus*. Nec quia tres has personas esse diximus unum Deum, eundem esse Patrem, quem Filium: vel eum esse Filium, qui est Pater: aut eum, qui est Spiritus sanctus, vel Patrem, & Filium dicere poterimus. Non enim ipse est Pater, qui Filius, nec ipse Filius, qui Spiritus sanctus: nec Spiritus sanctus ipse, qui est vel Pater, vel Filius: cùm tamen ipsum sit Pater, quod Filius: ipsum Filius, quod Pater: ipsum Pater, & Filius, quod est & Spiritus sanctus, idest, natura unus Deus. Cùm enim dicimus, non ipsum esse Patrem, quod Filium, & ipsum Filium, quod Patrem, ipsum Spiritum sanctum, quod Patrem, & Filium, ad naturam, qua Deus est, vel substantiam pertinere monstramus, quia substantia unum sunt. Personas enim distinguimus, non Deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus, unitatem propter naturam, vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt, natura scilicet, non persona: nec tamen istæ tres personæ æstimandæ sunt separabiles, cùm nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extitisse, vel quippiam operata esse aliquando creditur. Inseparabiles enim inveniuntur, & in eo, quod sunt, & in eo, quod faciunt: quia inter generantem Patrem, & generatum Filium, vel procedentem Spiritum sanctum, nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando præcederet, aut genitus genitori deesset, aut procedens Spiritus Patre, vel Filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis, & inconfusa hæc Trinitas à nobis & creditur, & prædicatur. Tres igitur personæ istæ dicuntur, juxta quod majores definiunt, ut agnoscantur. Nam si attendamus illud, quod Scriptura sancta dicit de Sapientia: *Splendor est lucis æternæ*: sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhærere, sic confitemur Filium à Patre separari non posse. Tres ergo illas unius, atque inseparabilis naturæ personas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus prædicamus: quandoquidem hoc nobis dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in omnibus, quibus voluit singulatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi. Nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat. Quæ etiam non simul nominat, simul insinuat. Nemo enim audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur & alterum. Cùm ergo hæc tria sint unum, & unum tria, est tamen unicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus verò sanctus processionem sine nativitate.

De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis, hominem verum sine peccato de sancta, & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine, novaque nativitate est genitus. Novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne. Nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas & virilem coitum nescivit, & fœcundata per Spiritum sanctum, carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non erit mirabile: si exemplo, non erit singulare. Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo, quod Maria eodem Spiritu sancto obumbrante concepit, ne duos Patres Filii videamur asserere, quod utique nefas est dici. In quo mirabili conceptu, ædificante sibi Sapientia domum, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Nec tamen Verbum ipsum ita in carnem conversum, atque mutatum est, ut desisteret Deus esse, qui homo esse voluisset: sed ita Verbum caro factum est, ut non tantùm ibi sit Verbum Dei, & hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima: atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis: quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas à divinitate possit aliquando sejungi. Unde perfectus Deus, perfectus & homo, in unitate personæ unus est Christus. Nec tamen, quia duas in Filio diximus esse naturas, duas causabimur in eo esse personas, ne Trinitati (quod absit) accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, & in æternum persona divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Item unius substantiæ credimus esse Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: non tamen dicimus, ut hujus Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitate personæ suæ assumpsit. Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id, quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati, quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est,

Marginal notes: *Spiritus S. à Patre, & Filio.* — *Joan. 14.* — *Numerus in Trinitate.* — *Psal. 146.* — *Sap.* — *Inca[rnatio]* — *Joan.*

Section letters: A, B, C, D, E

est, idest, ut Filius Dei, & Filius hominis, unus sit Christus. Item idem Christus in his duabus naturis, & tribus extat substantiis: verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est: corporis, & animæ, quod ad verum hominem pertinet. Habet ergo in se geminam substantiam, divinitatis suæ, & humanitatis nostræ. Hic tamen per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit natus tantùm (nam neque factus, neque prædestinatus accipitur) per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, factus, & prædestinatus esse credendus est. Ambæ tamen in illo generationes mirabiles: quia & de Patre ante sæcula sine matre est genitus, & in fine sæculorum de matre sine Patre est generatus: qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam: secundum quod homo creatus est ex Maria. Ipse Pater Mariæ matris, & Filius. Item, per hoc quod Deus est, æqualis est Patri, per hoc quod homo, minor est Patre. Item & major, & minor seipso credendus est, propter humanitatem assumptam, quia Divinitas major est: in forma autem servi, seipso minor est, idest, humanitate, quæ minor Divinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem, non tantùm Patre, sed seipso minor accipitur: ita secundum divinitatem, qua est æqualis Patri, & ipse, & Pater major est homine, quem sola Filii persona assumpsit. Item in eo, quod quæritur, utrum possit filius sic æqualis, & minor esse Spiritu sancto, sicut Patri nunc æqualis, nunc minor Patre creditur esse, respondemus: Secundum formam Dei, æqualis est & Patri, & Spiritui sancto: secundum formam servi, minor est & Patre, & spiritu sancto: quia nec Spiritus sanctus, nec Deus Pater, sed sola Filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item, hic Filius, à Deo Patre, &
ara- Spiritu sancto * separaliter discretus creditur esse, per-
, vel sona: ab homine autem assumpto, natura. Item, cum
ra- homine, unus extat persona: cum Patre verò, & Spiritu sancto, natura Divinitatis suæ, sive substantia. Missus tamen Filius, non solùm à Patre, sed & à Spi-
5. ritu sancto missus esse credendus est, in eo quod per Prophetam dicitur: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*. A seipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante sæcula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est. Unigenitus, propter Divinitatis substantiam: primogenitus, propter assumptam carnis naturam: in qua suscepta hominis forma, juxta Euangelicam veritatem, sine peccato natus, sine peccato mortuus creditur: qui solus pro nobis peccatum factus est, id est, sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam (salva Divinitate sua) pro delictis nostris sustinuit, mortique adjudicatus, & cruci, veram carnis mortem accepit: tertio quoque die virtute propria suscitatus, à sepulchro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum: nec in aerea, vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus, & movemur. Peracto hujus sancto resurrectionis exemplo, idem Dominus noster, atque salvator, paternam ascendendo sedem repetiit, de qua numquam per Divinitatem discessit. Illic ad dexteram Patris sedens, expectatur in fine sæculorum judex omnium vivorum, & mortuorum, inde cum sanctis omnibus veniet ad ferendum judicium, reddere unicuique mercedis propriæ debitum, prout quisque gessit in corpore positus sive bonum, sive malum. Ecclesiam sane catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam: intra cujus gremium constituti, unum baptismum credimus, & confitemur remissionem omnium peccatorum: sub qua fide & resurrectionem mortuorum veraciter credimus, & futuri sæculi gaudia expectamus. Hoc tantum orandum est nobis, & petendum, ut cum peracto, finitoque judicio, *tradi-*

A *derit filius regnum Deo, & Patri*, participes efficiat nos regni sui, ut per hanc fidem, qua illi inhæsimus, cum illo sine fine regnemus. Hæc est confessionis nostræ fides exposita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, per quam omnium fidelium corda mundantur, per quam & ad Deum gloriosè acceditur, cujus sacrosancto sapore sub triduano jejunio continua relationum collatione orantes, ad ea, quæ subnexa sunt, sequenti die decernenda transibimus. *I. Cor. 15.* *Jejunant patres Concilii.*

1. In loco benedictionis considentes Domini sacerdotes, nullis debent, aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare: nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, & (quod deterius est) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim* (ut Apostolus ait) *putat se re-* *s. q. 4. In loco benedictio.*
B *ligiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio*, cultum enim suum justitia perdit, quando silentium perit, & judicium obstrepentium turba confundit, dicente Propheta: *Erit cultus justitiæ, silentium*. Debet ergo, quidquid aut consultationibus considentium agitur, aut ab accusantium parte præponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec judicum vigorem de tumultu enervent. Quicunque ergo in cōventu Concilii hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus Concilium conturbaverit: juxta divinæ legis edictum, quo præcipitur. *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium:* cum omni dedecore, de confessione abstractus, à communi cœtu
C secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. *Joan. 1.* *Esa. 32.* *Prov. 22.*

2. Quantum quis præcelsi culminis obtinet locum, tantum necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, ut in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper & in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis, ut juxta Paulum, *potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere*. Nos proinde nostri ordinis gradum, vel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus: ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à Divina lectione privemur. Nam quorundam mentes Pontificum ita torporis ocio à lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non inve-
D niat præco mutus. Insistendum ergo semper erit majoribus, ut quos sub regiminis cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sicut metropolitanis in confinitimos, cæterosque Ecclesiasticis ordinibus deditos: sic confinitimis in commisso sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium Divinæ legis eruditionibus imbuatur, ita ut indesinenti solicitudine prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus, juxta instituta Toletani Concilii hoc specialiter definire, ut aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti. *Tit. 1.* *Con. 8. ca. 8.*

3. De his, qui contra Apostoli voluntatem, *circum-*
E *feruntur omni vento doctrinæ*, placuit huic sancto Concilio, ut metropolitanæ sedis authoritate coacti, uniuscujusque provinciæ cives, rectoresque Ecclesiarum, unum, eundemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverint institutum, nec aliqua diversitate cujuscumque ordinis, vel officii, à metropolitana se patiantur sede disjungi. Si enim justum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accipit: ut juxta majorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit Ecclesiasticæ magistra rationis. Abbatibus sane indultis officiis, quæ juxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera officia publica, id est, vesperas, matutinum, sive missam, aliter quàm in principali Ecclesia cele- *d. 12. De his, qui contra. Jaco. 1.*

brare

brare non liceat. Quisquis autem horum decretorum A violator extiterit, sex mensibus communione privatus, apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus, quatenus apud illum, & præteritæ transgressionis culpam lachrymis diluat, & necessariam officiorum doctrinam studiosè addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solùm metropolitanus totius suæ provinciæ pontifices, vel sacerdotes astringat, sed etiam cæteri Episcopi subjectos sibi Ecclesiarum rectores obtemperare his institutionibus cogant.

1. Joan. 9. 4. Sicut *omnis, qui diligit fratrem suum, ex Deo est: ita omnis, qui odit proximum, ex diabolo est.* Dilectione enim sola discernitur quis, ex quo genitus approbetur, dicente Joanne: *In hoc manifestati sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non facit justitiam,* B *non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio, quam ab initio audistis, ut diligamus alterutrum.* Et post paululum: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui à fraterna societate dividitur. Nam, & si manus non moveat ad occidendum, pro eo tamen, quod immitis est ad ignoscendum, jam à Deo homicida tenetur. Vivit ille, & iste jam interfector esse convincitur. Cum ergo his præceptis beatus Apostolus Paulus consona prædicatione concordet, dicens: *Non occidat sol super iracundiam vestram*: &, *Nolite locum dare diabolo*: relatæ sunt nobis quorundam sacerdotum personæ, in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non C solùm illos ab ira occasus solis non revocet, sed nec annosa quidem transactio temporum ad bonum charitatis reclinet: quippe in quorum cordibus sol justitiæ Christus occubuit, ut lumen charitatis redire vix possit. Horum ergo, & similium discordantium fratrum oblationes juxta antiqui Canonis definitionem, nullo modo recipiendas esse censuimus. De personis tamen discordantium, id speciali definitione præcipimus, ut ante quam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quod discordiæ servierunt. Quod si unus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit: ex eo tempore, ut pacificus intra Ecclesiam reputetur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur, sententia D tamen superiori servata, ut tempus quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione resolvat.

Ibidem.

Ephes. 4.

Discordes, & rixosi.

5. Nullis vita præsulum perturbari debet excessibus motionum, quia valde indignum est, ut qui throni Dei vocantur, levi motione turbentur, &, qui debent esse iter justitiæ, ipsi efficiantur seminarium litis, atque rapinæ. Quomodo ergo hujusmodi, juxta Apostolum, irreprehensibiles erunt, qui non solùm reprehensibilia faciunt, sed mortifera potius, & execranda committunt? Relati enim nobis sunt quidam ex sacerdotibus, quod, omni gravitate sacerdotalis ordinis prætermissa, audientiam judicum furore præveniant, &, excussu solius inhonestæ motionis, judicia audire refugiunt, pro quibus eos oportuerat æquitatis judi- E cia sustinere. Dum enim de honoris sui culmine blandiuntur, patientiam habere refugiunt: &, qui inconcussè debuerant veritatis conservare statum, subito religionis mutant propositum, & præcipiti furore judicium antecedunt. Sicque in quo decuerat eos judicii sustinere conventum, persuasione agunt, unde de præsumptionibus confundantur. Qui tamen aut damno pariter, & excommunicatione plectendi sunt, aut omissis compositionibus rerum, sola satisfactione pœnitentiæ curabuntur. Illi enim, qui rei propriæ facultate suffulti sunt, aut qui rem suam jam antea in nomine Ecclesiæ, cui præsunt, transfudisse noscuntur: si aut per se, aut per subditos, seu per quoslibet aliena

1. Tim. 3.

diripiant, vel præsumptionis, seu cædis quippiam agunt, tàm in rebus fiscalibus, quàm etiam in quorumlibet dominio constitutis, & perversa, vel præsumpta de rebus propriis, juxta legem excellentissimi principis sarciant, & pro excessu religioni contrario, quod inhonestè ante judicium perpetraverunt, duarum Hebdomadarum excommunicatione plectendi sunt. Illi autem, qui & hujusmodi excessibus serviunt, & nihil proprietatis habere videntur, magna discretionis arte medendi sunt, quo nec ausus illicitos Ecclesiarum facultatibus redimant, nec ipsi penitus extorres à pœna persistant. Nec enim justum est, ut pro pravis actibus sacerdotum, Ecclesiæ, quibus præminent, sustineant damnum: & pro excessibus talibus satisfactio ab Ecclesiis exigatur, cum Ecclesia cultores suos non ad litem, sed honestatem informet. De talibus ergo placuit definire, qui, nullis habitis rebus propriis, aut in quocunque pervasores extiterint, aut quibuslibet personis cædes, vel quodcunque præsumptionis intulerint, nulla eos incurvatione status sui servituti hominum debere addici: sed juxta quod præsumptuosus quisquis ille extiterit, ita & pœnitentiæ legibus subjacebit, idest, si in decem solidorum summam præsumptor esse convincitur, viginti dierum pœnitentiæ satisfactione purgetur: ita ut sive minoris, sive majoris summæ excessum peregerit, similiter geminata hoc semper satisfactione pœnitentiæ recompenset. Servos autem Ecclesiarum, qui hujusmodi excessus operati esse noscuntur, ad leges sæculares audiendas remittimus. Et hæc quidem de generali excessu dicta sufficiant. Cæterum specialitatis ordinem prosequentes decernimus: Si quis Episcoporum magnatis cujusquam uxorem, filiam, neptem, seu quolibet illi gradu altero pertingentem, quacunque fraude, vel subtilitate, adulterina pollutione fœdaverit, & honoris proprii gradum amittat, & sub exilii relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat, qui tamen circa finem vitæ communionis remedio adjuvandus est. Hanc sanè & illi sententiam merebuntur, qui aut volentes homicidium fecerint, aut primatibus palatii, generosisque personis, seu nobilioribus quibuscunque mulieribus, aut puellis aliquid per necem, aut per quamcunque irrogatam injuriam visi fuerint intulisse. Unde eos juxta legum sæcularium instituta, aut talionem recipere, aut traditionem de his fieri, vel proscriptionem oporteat.

6. His, à quibus Domini sacramenta tractanda sunt, 23. 8 judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magno- quib pere talibus excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptioni motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis, aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit: & concessi ordinis honore privetur, & loco: sub perpetuo quoque damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed *ut convertatur, & vivat*.

Com ad fi vitæ.

7. Cum juxta antiquæ institutionis edictum, plus Ezech. 33. erga corrigendos agere debeat benevolentia, quàm severitas: plus cohortatio, quàm commotio: plus charitas, quàm potestas: relatum est nobis, quod quidam ex fratribus, plus livore odii, quàm correctionis studio subditos insequentes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito afferunt mortem, cum inauditos à se projiciunt, & illicitis eos judiciis sub pœnitentia puniunt. Non ergo de cætero perversis voluntatibus sit liberum simulare, quod fingunt: sed, quotiescunque quilibet ex subditis corrigendus est, aut publica debet à sacerdote disciplina curari: aut si aliter rectoribus placet, duorum, vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito,

adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur: ita tamen ut si exilio, vel retrusione dignum eum esse cognoverit, aut quid aliud peculiare decreverit, modus pœnitentiæ, quam coram tribus fratribus sacerdos trangressori indixerit, speciali debeat ejus, qui sententiam protulit, manus propriæ subscriptione notari. Sicque fiet, ut nec transgressores, sine testimonio excidia vitæ suæ incurrant: nec rectores accusatos se de quorumlibet interemptionibus erubescant.

8. Quidquid invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, numquam quæstu, vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet, dicente Domino: *Quod gratis accepistis, gratis date*. Et ideo quicunque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, precia qualibet, vel præmia, nisi voluntate oblata, pro hujusmodi ambitione susceperit: equidem si sciente loci Episcopo tale quidquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo quod & sciens mala contexit, & correptionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam, eodem nesciente, pro supradictis quodcunque capitulis accipiendum esse sibi crediderit, si Presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur: si diaconus, quatuor: subdiaconus verò, vel clericus his cupiditatibus serviens, & competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus est.

9. Multæ super hoc capitulo Patrum sententiæ manaverunt, scilicet ne impreciabilem sancti Spiritus gratiam donis, vel muneribus quis existimet comparandam. Sed (quod non sine gravi dolore dicendum est) quanto hæc frequenti decretorum est præceptione prohibita, tanto à nobis fraudibus cognoscitur iterata, dum hi, qui tali precio mercari nituntur gratiam Spiritus sancti, aut ordinationis suæ tempora præveniunt munere, aut post acceptum honorem, promissis suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo, ut horum, & similium argumentorum deinceps amputetur occasio, hæc sancta Synodus definivit, ut cum quisque Pontificale culmen ante Domini altare percepturus accesserit, sacramenti exactione astringatur, quod pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cujuslibet præmii collationem vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus ab hoc contagio prælationis consecrationem accipiat, aut publicato hoc scelere manifestè denudatus coram Ecclesia, & ad honorem, quem mercari voluit, non accedat. Illos autem, quos deinceps post prælationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, sub definitis pœnitentiæ legibus, ut vere simoniacos, ab Ecclesia separandos esse censemus, idest, ut duorum annorum spatio exilio relegati, & digna satisfactione, vel excommunicationis sententia coerciti, honoris gradum, quem præmiis emerant, lachrymis conquirere, & reparare intendant. Unde si digna eos satisfactio pœnitentiæ tempore, non tantùm communioni, sed & loco, & totius ordinis officiis, à quibus separati fuerant, restaurandi sunt.

10. Quanquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, Canonicis regulis teneantur astricti, expedibile tamen est, ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quàm quod generali sponsione concluditur. Et ideo placuit huic sancto Concilio, ut unusquisque, qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quàm placita sibi annotatione promittat, ut fidem Catholicam syncera cordis devotione custodiens, justè, & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus suis, canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem, atque obsequii reverentiam præeminenti sibi unusquisque dependat, juxta illud beati Papæ Leonis

A edictum: Qui se scit aliquibus esse præpositum, non moleste ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. Pœna tamen juxta Ecclesiasticæ consuetudinis morem, & placitis talium inferenda, & ab his, qui transgressores fuerint, persolvenda est.

11. Cum nihil in divino Canone debeat esse confusum, nihil dubium, nihil etiam indiscretum, in collatione nostri cœtus relectus est canon Toletani Concilii primi, in quo præceptum est, ut si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur: nec adjecta est ibi discretio voluntatum, cum & infidelis infideliter hæc talia agat, & fidelis fidenter accipiat, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinit. Solet enim humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tandem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à sacerdote Eucharistiam rejecerunt. Non quod infidelitate hæc agerent, sed quod propter Dominici calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergo hujusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt, præsertim hi, de quibus nihil fidei sinistræ sentitur. Placuit ergo definire, quod nec fideli officiat, nec infideli inultum existat. Quicunque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subjaceat. Similiter nec illos cujusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, qui, quod fecerint, ignorare videntur. Jam verò quicunque, aut de fidelium, vel infidelium numero, corpus Domini absque inevitabili (ut dictum est) infirmitate projecerit, si fidelis est, perpetua communione privetur: si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quod si horum quilibet hujusmodi excessus digna pœnitentiæ satisfactione defleverit, post quinquennium licebit illum communioni pristinæ reformari.

Cap. 14.

12. Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinæ reconciliationis gratia differendus. Sed si præcincto mortis urgeatur periculo, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est, ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quàm donum reconciliationis accipiat: sicque superstitibus quodammodo doloris videatur esse perpetui, si præcisum ab Ecclesiæ membris eum, qui utique reconciliationem non meruerit, raptum à præsenti vita, mortis natura subduxerit. Unde juxta Papæ Leonis edictum, his, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ ex more reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia in misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, quanquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur: illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplici numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.

25, qu. 6. His, qui in tempore. Et in Epistolari Leonis. Epist. 89.

13. Bene siquidem majorum regulis definitum est, ut dæmoniis, aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in ejusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tandiu erunt ab officii sui & ordine, & loco suspensi, quous-

quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi, inveniantur ab incursu dæmonum alieni.

Momentis singulis 7. q. 1. Illud divini oraculi Eccles. 4.

14. Et illud divini oraculi * momentis singuli præcaventes quo scribitur. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem*: summopere verendum nobis est, & cavendum, ne horis illis, atque temporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti, perniciosa passio, vel corporis quælibet valetudo occurat, quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione, vel terrore confundat. Pro hujusmodi ergo casibus præcaventes, necessarium duximus instituere, ut ubi temporis, vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat quisquis ille canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem: ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus.

15. Peractis omnibus, quæ ad correctionem nostri ordinis in hoc Concilio promulgata sunt: placuit definire, ut paternis institutionibus obsequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilii in metropolitana sede, tempore, quo principis, vel metropolitani electio definierit, devotis semper animorum studiis conferamur, nec quibuslibet requisitis occasionibus absentemur, sed in præparato die, quo judicium fuerit, adunatis in metropolitana sede omnibus provinciæ pontificibus, Concilium Deo præsule celebretur. Quisquis autem Episcoporum, excepta inevitabili causa, vel necessitate de peragendo Concilio se absentaverit, unius anni erit excommunicatione plectendus. Quod si deinceps absque celebratione Concilii anni unius metas transierit, omnium in commune pontificum Carthaginis provinciæ superioris censuræ sententiam obnoxius retinebit, id est, si nulla eum impediente principis potestate, vel infirmitate, aut inevitabili causa, sed solius propriæ voluntatis libitu sese ad celebrandum Concilium non collegerit.

16. His ergo constitutionibus nostris, quas necessario gerendas credidimus, finalem manus nostræ subscriptionem adjecimus, immortali Deo nostro, & Domino gloriam, & honorem reddentes, qui nos de conventu alternæ visionis lætos effecit, qui os nostrum in confessione laudis suæ aperuit, qui etiam decreta hujus nostri Concilii honesto fine complevit. Post hæc religioso domino nostro, & amabili principi nostro Vvambano regi, gratiarum actiones persolvimus, cujus ordinatione collecti, cujus & studio aggregati sumus. Qui Ecclesiasticæ disciplinæ his nostris sæculis novus reparator occurrens, omissos Conciliorum ordines non solùm restaurare intendit, sed etiam annuis recursibus celebrandos instituit, ut ad alternam morum correctionem annuo tempore alacriter concurrentes, juxta prophetæ vaticinium, quod in nobis defractum est, alligetur: & quod abjectum est, reducatur. Det ergo eidem principi Dominus, pro hujus sacræ solicitudinis voto, & cursum præsentis vitæ in pace transire, & post diuturna tempora ad se in pace, remissis iniquitatibus, pervenire: qualiter & ille felicia tempora ducat, & felix cum omnibus, quibus principatur, ad Christum sine confusione perveniat: ut quia per eum corona nostri ordinis in melius restauratur, coronam futuri regni capiat, ex hoc in regione vivorum regnans cum Christo in sæcula sæculorum. Amen.

Votum pro rege.

Ezec. 34.

Concilium Bracarense tertium, habitum anno quarto Vvambani Regis, tempore Adeodati Papæ, anno 675.

DEcenter satis per divinum Spiritum in Bracarensi urbe collecti, & de his, quæ intra Ecclesiam perversa actione geruntur, tractaturi convenimus, ut adjuvante nos illo, qui dicit: *Ubicunque duo, vel tres collecti fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum*: pari animo, parique devotionis studio exurgentes, male habitos extirpemus errores. Etenim dum nos in unum synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati, primum de sanctæ fidei Sacramento cœpimus habere sermonem, scilicet ne aut vanitate disputantium, aut nescientia simplicium, erroris quippiam in hoc Sacramento fidei teneretur. Unde cum omnes nos in vera fide, ut per speculum perlustraremus illæsos, in eo quia nullum nostrum schismatici erroris fatigaverat turbo, sed vera nos, & simplex in hoc Sacramento apostolica ostendit idoneos prædicatio, grates omnipotenti peregimus Deo, quod hanc nostræ fidei regulam, ipsis verbis, atque sententiis commemorantes reteximus, quibus eam in conventu Nicæni Concilii declaratam esse scimus.

Matth. 18.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, &c.

Post hujus sanctæ fidei sacramentum, relatus est in concione omnium nostrum error manifestus pariter, & diversus, qui tanta debet disciplinæ arte retundi, quanta & perversitate comprobatur infundi. Quidam enim in sacrificiis Domini relati sunt lac pro vino offerre, Eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam. Et quod pejus his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis Domini epulas sibi apponunt, & manducare in eis præsumunt. Quidam etiam ex sacerdotibus relati sunt, quod Ecclesiasticæ consuetudinis ordine prætermisso, missam sine orariis audeant dicere, & quod in solemnitatibus martyrum reliquias suo collo imponant, & in sellulis, non ab aliis se portandos, nisi ab albis indutis diaconibus, credant. Illud quoque quod plerique sacerdotum, absque testimonio cum fœminis commorantur, & quod quidam illorum, honoratos fratres suos verberibus indiscretis subjiciant: necnon & illud, quod quidam Simonis cupiditate arrepti, quos ordinaturi sunt, sub cautione dimittant, qualiter postquam ordinati fuerint, pecuniam ab illis promissam accipiant. Illud quoque, quod familiam Ecclesiæ in propriis laboribus quassant, damnum in rebus dominicis facientes. Quæ omnia ne confusè videantur esse prolata, discretis titulorum ordinibus, credimus subnectenda.

Err... circa ...sam.

Act. 8

TITULI CAPITULORUM CONCILII Bracarensis tertii.

1 *Ut repulsis omnibus opinionibus superstitionum, panis tantùm, & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur.*
2 *Ne vasa Domino sacrata humanis usibus serviant.*
3 *Ne sacerdos sine orario Missam audeat celebrare.*
4 *Ne sacerdotes, sive quicumque ex clero, sine testimonio cum quibuslibet fœminis habitent.*
5 *De damnata præsumptione quorundam Episcoporum, qui in festivitatibus martyrum ad Ecclesiam procedentes, appensis collo reliquiis, ab Abbatis diaconibus in sellulis vectantur.*
6 *De honestate honoratorum, & disciplina.*
7 *Ne promissione munerum honoris gratia venundetur.*
8 *Ne rectores Ecclesiæ prius propria, quàm Ecclesiastica jura laborare intendant.*

CAPITULA EJUSDEM CONCILII.

CUm omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines, & apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis, pro complemento communionis

Dec... 2. cũ crim. in d... Ivo...

nionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in sacramento dominici calicis offerre. Quod quàm sit Euangelicæ; atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cùm enim magister veritatis, verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac, sed panem tantùm, & calicem sub hoc sacramento cognoscimus
26. commendata. Ait enim Euangelica veritas: Accepit Jesus panem, & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Cesset ergo lac in sacrificio offerri, quia manifestum, & evidens exemplum Euangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem, & vinum, aliud offerri non sinit. Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum testimonium ex Euangelio recipit, ubi Apostolis corpus suum, & sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem monstraret. Nam quod de expresso botro, idest, de uvarum granis populus communicatur, valdè est omnino confusum. Calix enim dominicus, juxta quod quidam Doctor edisserit, vino, & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini tantùm efficientia demonstratur, sacramentum nostræ salutis negligitur, quod per aquam significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Et ideò, quia jam ex eo plurima, & multiplex majorum manavit sententia, quorum pietas in Deum religiosa, sacramentorum horum efficientias copiosas disseruit, & institutiones verissimas declaravit, omnis talis error, atque præsumptio cessare jam de cætero debet, ne perversorum inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideò nulli deinceps licitum sit, aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vino, & aqua permixtum. De cætero aliter, quàm præceptum est, faciens, tamdiu à sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit.

Ec- ca 2. Omni cura, omnique studio providendum est, ne hi, qui locum videntur obtinere regiminis, contumeliam videantur inferre cœlestibus sacramentis. Etenim, quod & auditui terribile, & visui execrabile judicatur, relatum est nobis, quod quidam sacerdotum sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios usus assumant, epulasque sibi in eis comedendas apponant. Quod malum & obstupentes deflemus, deflentes obstupescimus, ut illic humana temeritas sibi epulum præparet, ubi sanctum Spiritum cognoscitur advocasse: & ibi esum carnium crapulatus assumat, ubi divina visus est celebrasse mysteria: & in quibus tantùm sibi offerri sacramenta pro expiatione delictorum præcipit, in his expleat voluntatem ludibrii sui. Et ideò hujus de cætero præsumptionis persona, quæ sciendo divina vasa, vel ministeria, aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his, vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui, vel officii periculum sustinebit, ita tamen, ut, si de sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: si verò religiosus, ab officio deponatur. Sub hac quoque damnationis sen-

A tentia & illi obnoxii tenebuntur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam utensilia, sciendo in usus suos transtulerint, vel aliis donanda, vel vendenda crediderint.

3. Quoniam antiqua, & Ecclesiastica noverimus institutione præfixum, ut omnis sacerdos, cùm ordinatur, orario utroque humero ambiatur, scilicet, ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa, virtutum semper ornamento utroque circumseptus appareat humero. Qua ratione tempore sacrificii non assumit, quod se in sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus convenit, ut, quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat & in oblatione, vel perceptione suæ salutis, scilicet, ut cùm sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se B Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita ut de uno, eodemque orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.

4. Quanquam antiqua canonum institutio, de hujusmodi præsumptione absolutas, & multiplices disciplinas, atque institutiones ediderit, nos tamen brevitatis causa omnem fornicandi occasionem cupientes auferre, id omnimoda sancimus authoritate tenendum, ut nullus sacerdotum, sive * quisque de clero, absque ** Neque quisquam de clero.* honesto, & competenti testimonio, excepta sola matre, C cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adjungere. Et non solùm cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus, vel propinquis, ne licentia sororum, vel propinquarum mulierum quisque solus familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. Hujus ergo præceptionis transgressor sex mensibus se noverit pœnitentiæ legibus subjacere.

5. Bona siquidem res est, divina sacerdotibus contrectare mysteria. Sed cavendum valdè est, ne hoc quisque ad usum pravitatis suæ intorqueat, unde soli Deo de bona conscientia placere debuerat. Scriptum est enim: *Væ his, qui faciunt opus Domini fraudulenter, & desidiosè.* *Jer. 48.* Ut enim quorundam Episcoporum detestanda præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, agnovimus quosdam de Episcopis, quod in D solemnitatibus martyrum ad Ecclesiam progressuri, reliquias collo suo imponant, ut majori fastu apud homines gloria intumescant, & quasi ipsi sint reliquiarum arca, Levitæ albas induti, in sellulis eos deportent. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie, simulata vanitas sola prævaleat, si modum suum uniuscujusque ordinis reverentia non agnoscat. Et ideò antiqua in hac parte, & solemnis consuetudo servabitur, ut in festis quibusque diebus arcam Domini cum reliquiis, non Episcopi, sed Levitæ in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum novimus esse *d. 15. Cùm B. Paulus, 1.Tim.4.* præceptum. Quod si & Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse à diaconibus in sellula vehatur, sed potius pedestri eo unà cum populis progressione procedente ad conventicula sanctarum E Ecclesiarum, sanctæ Dei reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur. Jam verò, qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quandiu in officio fuerit, à sacrificando cessabit.

6. Cùm beatus Apostolus arguere, obsecrare, vel increpare *in omni patientia* præcipiat, extra hanc doctrinam, novimus quosdam ex fratribus tantis cædibus inhonoratos effervescere, quantas poterant latrocinantium promereri personæ. Et ideò, qui gradus jam Ecclesiasticos meruerunt, idest, Presbyteri, Abbates, & Levitæ, qui exceptis gravioribus, & mortalibus culpis, nullis debent verberibus subjacere: non est dignum, ut passim unusquisque prælatus honorabiliora membra sua, prout voluerit, & ei placuerit, verberibus subjiciat,

ciat, & dolori: ne dum incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat, juxta illud quod quidam sapiens dixit: Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio nec increpationem recipit, nec salutem. Et ideo si quis aliter quàm dictum est, prædictos honorabiles subditos, licentia perceptæ potestatis elatus, malitia animi tantum crediderit verberandos, juxta modum verberum, quæ intulerit, excommunicationem, pariter & exilii sententiam sustinebit.

In decr. Ivo. lib. 3. quicunque pro confer. Capitulo 2.

7. Quia non expedit, ut donum sancti Spiritus pecuniis comparetur, quanquam ex hoc antiquorum Canonum disciplinæ maneant diversæ, tamen quia necesse est, ut frequentius retundatur, quod sine intermissione præsumitur, ideo novellæ hujus institutionis formulam instituentes, decernimus, ut quicunque pro conferendo cuiquam sacerdotii gradu, aut munus quodcunque, aut promissiones muneris, antequam ordinetur, acceperit, vel etiam postquam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari, sive qui dederit, sive ille, qui acceperit, juxta sententiam Chalcedonensis Concilii, gradus sui periculum sustinebit.

12. qu. 4. Quicunque sub hoc neg.

8. Non decet rectores Ecclesiæ in suis strenuos, & in Ecclesiasticis rebus esse remissos. Nam quorundam fertur opinio, quod quidam sacerdotum familias Ecclesiæ in suis laboribus quassent, rei propriæ profectum augentes, dominicis verò dispendium nutrientes, unde quicunque sub hoc neglectu res divinas laborare distulerit, placito speciali distringendus est, qualiter si de rebus, seu augmentis Ecclesiæ, quæstum laboribus suis propriè auxit, & ex hoc Ecclesiasticis rebus, aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, quidquid in rebus Ecclesiæ minuit, illi restituat, ex cujus rebus, atque suffragiis suos convictus fuerit ampliasse labores. Quod si aliquid pro utilitatibus Ecclesiæ, aut substantiæ expendit, aut dispendii, vel perditionis quippiam pertulerit, si hoc comprobari potuerit, totum illi à rebus Ecclesiæ ejusdem reformabitur, pro cujus utilitatibus id expendisse probatur. Gratias itaque omnipotenti Deo peragimus: post hæc sit pax, salus, & diuturnitas piissimo, & amatori Christi Domino Vvambano Regi, cujus devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit, divinam postulantes clementiam, ut gloria Christi regnum ejus corroboret usque ad ultimam senectutem, præstante ipso, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & gloriatur in Trinitate Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Nota. *Quodnam sit Concilium Bracarense primum. Vide in classe sequenti inter Concilia miscellanea, seu Europæa.*

Concilium Anglicanum in loco Herutfort, præside Archiepiscopo Theodoro Anno Christi 673.

BEda lib. 4. cap. 5. Histor. Ecclesiast. refert, quod anno tertio regni Egfredi Regis, Theodorus Episcopus coegit Concilium Episcoporum unà cum eis, qui canonica Patrum statuta diligerent, & magistris Ecclesiæ pluribus parere nossent. Quibus pariter congregatis, diligenter ea, quæ unitati pacis Ecclesiasticæ congruerent, eo, qui Pontificem decebat, animo, cœpit observanda docere. Cujus synodicæ actionis, ait, hujusmodi textus est.

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, regnante in perpetuum, ac gubernante suam Ecclesiam eodem Domino nostro Jesu Christo, placuit convenire nos juxta morem canonum venerabilium, tractaturos de necessariis Ecclesiæ negociis. Convenimus autem die 14. mensis Septembris, indictione prima, in loco, qui dicitur Herutford. Ego quidem Theodorus, quamvis indignus, ab Apostolica sede destinatus, Doruvernensis Ecclesiæ Episcopus, &

A consacerdos, ac frater noster Reverendissimus Bisi Orientalium Anglorum Episcopus. Quibus etiam frater, & consacerdos noster Vilfrid Nordamhumbrorum gentis Episcopus, per proprias legatarias affuit. Affuerunt fratres, & consacerdotes nostri. Puta Episcopus Castellæ Cantuariorum, Profcestus, Eleutherius Episcopus Occidentalium Saxonum, Vinfrid Episcopus Provinciæ Merciorum. Cumque in unum convenientes, juxta ordinem quique suum resedissemus: Rogo, inquam, dilectissimi fratres, per timorem, & amorem Redemptoris nostri, ut in communi omnes pro nostra fide tractemus, ut quæcunque decreta, ac definita sunt à sanctis, ac probabilibus Patribus incorruptè ab omnibus nobis serventur. Hæc, & alia quamplura, quæ ad charitatem pertinebant, unitatemque Ecclesiæ conser-

B vandam, prosecutus sum. Cumque explessem prolocutionem, interrogavi unumquemque eorum per ordinem, si consentirent ea, quæ à Patribus canonicè sunt antiquitus decreta, custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes, dixerunt: Optimè omnibus placet, quæcunque definierunt Sanctorum Canones Patrum, nos quoque omnes alacri animo libentissimè servare. Quibus statim protuli eundem librum Canonum, & ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaveram, quæ maximè nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi. Et, ut hæc diligentius ab omnibus susciperentur, rogavi.

1. Ut sanctum diem Paschæ in communi omnes servemus, dominica post decimam quartam lunam primi mensis.

C 2. Ut nullus Episcoporum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.

3. Ut quæque Monasteria Deo consecrata, nulli Episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere.

4. Ut ipsi Monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de Monasterio ad Monasterium, nisi per missionem proprii Abbatis: sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conversionis promiserunt.

5. Ut nullus Clericorum relinquens proprium Episcopum, passim quolibet discurrat: neque alicubi veniens, absque commendatitiis literis sui præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, & noluerit invitatus redire: & susceptor, & is, qui susceptus est, excom-

D municationi subjacebit.

6. Ut Episcopi, atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu Episcopi, in cujus parochia esse cognoscitur, agere.

7. Ut bis in anno synodus congregetur. Sed quia diversa impediunt, placuit omnibus in communi, ut calendis Augusti, in loco, qui appellatur Clofaes, hoc semel in anno congregetur.

8. Ut nullus Episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes cognoscant tempus, & ordinem consecrationis suæ.

9. Capitulum in communi tractatum est, ut plures Epi copi, crescente numero fidelium, augerentur. Sed de hac re ad præsens silemus.

E 10. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium. Nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisque propriam expulerit conjugem, legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur: sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi. *P jug &*

His itaque capitulis in cõmuni tractatis, ac definitis, ut nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur contentionis scandalum, aut alia pro aliis divulgentur: placuit, ut, quæcunque definita sunt, unusquisque nostrum manus propriæ subscriptione confirmet. Quisquis igitur contra hanc sententiam, juxta decreta canonum, nostra etiam consensione, ac subscriptione

manus

manus nostræ confirmatam, quoquomodo vivere, vel venire, eamque infringere tentaverit, noverit se ab omni officio sacerdotali, & nostra societate separatum. Divina nos gratia in unitate sanctæ Ecclesiæ viventes custodiat incolumes.

Synodus Anglicana alia breviter adnotata ex Ecclesiastica historia Anglorum, secundum Bedam, lib. 4. c. 17. circa eadem tempora.

HIs temporibus audiens Theodorus fidem Ecclesiæ Constantinopolitanæ per hæresim Eutychetis multùm esse turbatam, & Ecclesias Anglorum, quibus præerat, ab hujusmodi labe immunes perdurare desiderans, collecto venerabilium sacerdotum, doctorumque plurimorum cœtu, cujus essent fidei singuli, sedulus inquirebat, omniumque unanimem in fide catholica reperit consensum. Et hunc synodalibus literis, ad instructionem, memoriamque sequentium, commendare curavit. Quarum videlicet literarum istud exordium est. In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris, imperantibus dominis piissimis nostris Egfrido rege Humbronensium anno 10. regni ejus, sub die 15. Calend. Octobris, Indictione 8. & Egilredo Mercinensium anno 6. regni ejus, & Aliduulfo rege Estranglorum, anno 17. regni ejus, & Lothario rege Cantuariorum, regni ejus anno 4. pręsidente ipso Theodoro gratia Dei Archiepiscopo Britannię insulæ, & civitatis Doruvernis, unà mecum sedentibus cęteris Episcopis Britanniæ insulæ viris venerabilibus, propositis sacrosanctis Euangeliis, in loco, qui Saxonico vocabulo Herdtfeld nominatur, pariter tractantes fidem rectam, & orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster Jesus incarnatus tradidit discipulis suis, qui principaliter viderunt, & audierunt sermones ejus, atque sanctorum Patrum tradidit symbolum, & generaliter omnes sanctæ, & universales synodi, & omnis probabilium Catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. Hos itaque sequi nos piè, atque orthodoxè juxta inspiratam divinitùs doctrinam eorum professi, credimus consonanter, & confitemur secundum sanctos Patres, propriè, & veraciter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatem, & in unitate consubstantialem, & unitatem in trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis, vel personis consubstantialibus æqualis gloriæ, & honoris. Et post multa hujusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hoc quoque sancta synodus suis literis addidit: Suscepimus sanctas, & universales quinque synodos beatorum, & Deo acceptabilium Patrum, idest, qui in Nicęa congregati fuerunt 318. contra Arrium impiissimum, & ejusdem dogmata. Et in Constantinopoli 150. contra vesaniam Macedonii, & Eudoxii, & eorum dogmata. Et in Epheso primo ducentorum contra nequissimum Nestorium, & ejusdem dogmata. Et in Chalcedone sexcentorum, & 30. contra Eutychem, & Nestorium, & eorum dogmata. Et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt Concilio in tempore Justiniani junioris contra Theodorum, & Theodoritum, & eorum dogmata contra Cyrillum. Et paulò post: Et synodum, quę facta est in urbe Romana in tempore Martini Papæ beatissimi, indict. 8. imperante Constantino piissimo anno 9. Suscipimus, & glorificamus Dominum nostrum Jesum Christum, sicut isti glorificaverunt, nihil addentes, vel subtrahentes. Et anathematizamus corde, & ore, quos anathematizaverunt: & quos susceperunt, suscipimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, & Filium ejus unigenitum ex patre generatum ante sæcula, & Spirit. S. procedentem ex Patre, & Filio inenarrabiliter, sicut prædicaverunt hi, quos memoravimus, supradicti sancti Apostoli, & Prophetæ, & Doctores. Et nos omnes subscribimus, qui cum Theodoro Archiepiscopo fidem Catholicam exposuimus. Et cap. 18. Intererat huic synodo, pariterque Catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Joannes Archicantor Ecclesiæ sancti Apostoli Petri, & Abbas Monasterii B. Martini, qui nuper venerat à Roma per jussionem Papæ Agathonis, duce reverendiss. Abbate cognomine Benedicto, cujus supra meminimus, &c.

Concilium Mediolanense, auctoritate Mansueti in causa Monothelitarum anno Dom. 679. tempore Agathonis Papæ congregatum.

DIxerat Agatho Pontifex, futurum, ut anno sequente in Causa Monothelitarum cum consensu Imperatoris Constantini Pogonati, Universale Concilium indiceretur, adeòque necessarium videri, ut Episcopi omnes Italiæ, habitis synodis, eandem causam inquirant, ac decidant, factamque decisionem, vel ipsi coram, si possent, vel saltem per litteras, in consessu œcumenici Concilii manifestent. Paruerunt Pontifici Insubres Episcopi, atque Mediolani hanc Synodum coegerunt, qua Monothelitarum hæresim condemnarunt, Orthodoxęque fidei professionem ediderunt. Cùm autem pleriq; eorum partim ob difficultates itineris, partim per ætatem, & morbos ad Concil. œcum. Constant. proficisci non possent, synod. epist. ad Constantinum Imperatorem mittendam esse censuerunt, ut saltem scripto suo suffragio condemnarent perniciosam hæresim, quam præsentes impugnare, & anathematizare non possent. Baron. anno 679. n. 2. 3. 4. & 5.

Concil. Romanum, in quo 125. Episcopi Orthodoxam Fidem confirmarunt, Monothelitarum hæresim condemnarunt, atq; Legationęm Constantinopolim ad Synodum Oecumenicam decreverunt, anno Dom. 680. sub Agathone Papa.

ACcepta ab Imperatore, quam de cogenda Universali Synodo ad Donum scripserat, epistola, Agatho Papa Romanus id Romæ adimplevit, quod ejusdem jussu pręstiterant Mediolani Episcopi Insubres., nimirum ut Episcopi Occidentales, qui vel per ętatem, vel corporis morbum, vel itineris difficultates ipsi Synodo Oecumenicę pręsentes esse non possent, per Legationem suo nomine deputatam profiterentur, quid pro fide Catholica adversus Monothelitas decernendum esse sentiant. Cum itaque Episcopi 125. auctoritate Agathonis Papę convenissent, damnataque Monothelitarum hęresi, Orthodoxam fidem egregiè corroborassent, tres Legatos hosce, Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem, & Joannem Regiensem, sive Regitanum Episcopos delegerunt, dato illis Commonitorio tali, ut de incertis, & dubiis nihil contendant, eaque dumtaxat, quę Romano hoc Concilio de fide constituta fuerant, in Universali Patrum consessu proponant.

Hoc commonitorio instructi, statim Constantinopolim ad Concilium Universale profecti sunt, editaque ibidem Synodali epistola, quam secum attulerant, injunctum munus Legationis fideliter executi fuerunt. *Legati Rom. cum instructione.* Huic publicę Legationi suam Agatho Papa adjunxit, munusque Legationis Apostolicæ Theodoro, & Georgio Presbyteris, Joanni Diacono, & (ut scribit Anastasius in Agathone) Constantino Subdiacono commisit Epistolam quamdam privatam suo solius nomine ad Imperatorem conscriptam iisdem communicavit: atque ita duplex Legatio, duplici Epistola ab Agathone accepta, ad Concilium Universale simul profecta fuit: dumque circa initium Septembris anni 680. Constantinopolim pervenissent, eo honore, quem Anastasius in vita Agathonis describit, excepti, Oecumenicum Concilium inchoari procuraverunt.

Testatur Anastasius in vita Agathonis, Theodorum Ravennatis Ecclesię Episcopum schismaticum hoc tempore Romam venisse, Romanoque Pontifice se

se iterum submisisse. Non dubito, quin illud hac synodo, cui ipse præsens interfuit, & subscripsit, factum fuerit; cùm ejus hinc tantùm, alibi verò nulla memoria reperiatur. Tanta enim Ravennatis Ecclesiæ Episcoporum à Mauro usque ad hunc Theodorum contumacia fuerat, ut eam nullo modo dissimulare possent Romani Pontifices, qui nec quidem fastum, & usurpatam prerogativam Constantinopolitanorum Præsulum hactenus sufferre potuerunt.

Ravennatum contumacia.

In priore epistola, quam Agatho privatim per suam Legationem ad Imperatorem transmitti curavit, dignum est notatu, quòd ad defensionem Honorii, ait Pontifex, Apostolicam Sedem, ejusque Pontifices, nunquam in fide aberrasse, sed potius juxta promissionem Petro factam, devios quosque à veritatis tramite reduxisse, atque in verâ, & Orthodoxa fide confidenter confirmasse. Quod sane non tàm liberè asseruisset Agatho Pontifex, si eamdem hæresim, quam ipse Agatho hac sua epistola adeò validè insectatur, Honorius fovisset, suoque scripto confirmasset. In epistola synodica hoc pro ejusdem Honorii expurgatione diligenter est observandum, quòd Legati limitatum dumtaxat acceperunt mandatum, ea tantùm proponenda, quæ in synodo Romana pro fide Catholica adversus Monothelitas acta fuerant.

Honorius.

Deinde circa eamdem epistolam est adnotandum, quòd (ut in Concil. Florentino Julianus S.R.E. Cardinalis in disputatione, quam habuit contra Græcos post Emmanuelem Calecam advertit) Græci impostores eam corruperunt, eoque loco, quo legebatur olim: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & vivificatorem, ex Patre, Filioque procedentem*, illi nomen *Filioque* expunxerunt. Unde quidam probant Acta synodalia Sexti Concilii, in iis præsertim, quæ de Honorio Romano Pontifice attestantur, Græcorum impostura ubique depravata fuisse.

De rebus in hac Synodo gestis extant duæ epistolæ in act. 4. Sextæ Synodi. Vide eamdem Synodum & ejus controversias Classe 2. ubi de illis abundè diximus.

Concilium Constant. III. Generale V. an. Chr. 581. *habetur in 2. Classe.*

Concil. Tolet. XII. circa tempora Agathonis Papæ, vel Leonis Papæ II. habitum an. 1. Eringii Regis, 5. Idus Januarii, anno Dom. 681. Æra 719.

CUm ex gloriosissimo prædicti Principis jussu in unum fuissemus aggregati conventum, & in Basilica sanctorum Apostolorum debitis in sedibus locaremur, affuit coram nobis idem clementissimus Princeps humanitatis gratia plenus, & claro pietatis cultu perspicuus, qui nostro se cœtui reclivem exhibens, ac devotum, in primis omnium sacerdotum se commisit precibus adjuvandum. Deinde grates multiplices omnipotenti Domino egit de conventu Concilii totius, ut suæ gloriosæ jussionis, cùm in unum adessent, impleverint votum, & alternæ visionis innovationem fecerint gaudiorum. Deinde adjiciens sic omne Concil. est allocutus. Non dubium est (sanctissimi Patres) quòd optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniant, si officiosis, quæ corrigenda sunt, studiis peragantur. Et ideò, quibus plagis pro eventu dierum succedentium pereamus, paternitati vestræ non reor esse incognitum. Ob id, quia certum apud vos gerimus, quòd pro contemptu divinorum præceptorum terra perniciem sustineat pressurarum, dicente Domino per Prophetam: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea*: ideò oportet, ut quia os Salvatoris nostri, & Domini oracula esse probamini, per vos salvationis obtineat lucrum, per quos regenerationis percepit sacramentum, ut diligentia dignationis vestræ ab omni mundata contagione, & ab infirmitatis peste sit libera, & bonorum omnium proventibus sit gratiosa. Jam nunc, quicquid me adhuc dicere opportuna ratio sinit, quicquid etiam narrandum auribus vestris convenit, aut memoriæ titulorum intercapedo subducit, aut fastidium prolixæ orationis intercipit, ecce in brevi complexa, vel exarata devotionis meæ negotia in hujus tomo complicationis agnoscenda perlegite, perlecta discutite, discussa elimate, ac discretis titulorum sententiis definite, ut pura, & placens Deo vestrarum definitionum valitura discretio, & regni nostri primordia decoret exhortatione justitiæ, & terrores plebium digna cohibeat severitate censuræ. Scriptum est enim: *Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum*. Tunc suscepto à glorioso principe tomo pro tàm salubri invitamento, & copiosas grates retulimus Domino Jesu Christo, & item benediximus principi glorioso. Post egressum ergo ejusdem serenissimi Principis, hæc in jam dicto tomo scripta reperimus.

Osee 4.

Pro

TITULI CAPITULORUM ejusdem Concilii.

1 *De agnita, & confirmata prælatione fastigii principalis in nomine sanctæ Trinitatis.*
2 *De his, qui pænitentiam consentientes accipiunt.*
3 *De culpatorum receptione, vel communione apud Ecclesiam.*
4 *Ut in locis, ubi Episcopus non fuerit, nunquam Episcopus ordinetur.*
5 *De quorumdam consuetudine sacerdotum fœdissima, qui, oblatis Deo sacrificiis, non communicant.*
4 *De concessa Toletano Pontifici Generalis synodi potestate, ut Episcopus alterius provinciæ conniventia principum in urbe regia ordinetur.*
7 *De recepto testimonio personarum, quæ per legem, quę de promotione exercitus facta est, testificandi licentiam perdiderunt.*
8 *De his, qui uxores suas divortio intercedente, relinquunt.*
9 *De confirmatione legum, quę in Judæorum nequitia promulgatę sunt, earumdem legum præfixo ordine titulorum, qui in eodem Canone annumerantur.*
10 *De his, qui ad Ecclesiam confugium faciunt.*
11 *De cultoribus idolorum.*
12 *De indicto temporis constituti, quo debeat Concilium celebrari.*
13 *Conclusio definitionum, in qua & Deo gratiæ referuntur, & pro principe exoratur.*

Decreta ejusdem Concilii.

PRimo die Synodalis exordii considentibus Episcopis, atque senioribus palatii universis, habita est primò de sancta Trinitate collatio, non quę novello exactionis stylo definita patesceret, sed quę verbis simplicioribus, sese pigris sensibus patefacta, monstraret, ubi præmissa semper lectio pręcederet, quod sequens expositio aperiret. Credentes pariter, & docentes de eadem sanctæ fidei puritate, quicquid Evangelica, & Apostolica traditio sanxit, quicquid Constantinopolitana Patrum aggregata collectio promulgavit, quicquid Ephesini cœtus definitio docuit multorum Catholicorum Patrum documento expositum, traditumque nobis accepimus, sicut etiam in Missarum solemniis patulis confessionum vocibus proclamamus.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terrę, visibilium, & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantię, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quę in terra. Qui

Qui propter nos, & propter nostràm salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, homo factus est, passus sub Pontio Pilato, & sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris: iterum venturus in gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus est per Prophetas. Unam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptismum in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

1. Post pacifica ergo hujus sanctæ fidei collationum studia illa se primum nostris sensibus Salvatoris cognitio cognoscendam invexit, quæ tanto corda omnium ardore charitatis adstrinxit, quanto se per eandem ipsa cognitio in conventu generalis Concilii prænoscendam exilivit. Etenim sub qua pace, vel ordine serenissimus Eringius Princeps regni conscenderit culmen, regnandique per sacrosanctam unctionem susceperit potestatem, ostensa nobis scripturarum evidentia docet, in quibus & præceptio, & Vvambæ Principis pœnitentiæ susceptio nascitur, & translatus regni honor in hujus nostri principis nomine derivatur. Idẽ Vvamba, dum inevitabili necessitudinis teneretur eventu, suscepto religionis debito cultu, & venerabili tonsuræ sacræ signaculo, mox per scripturam definitionis suæ hunc inclytum Dominum nostrum Eringium post se prælegit regnaturum, & sacerdotali benedictione ungendum.

Vidimus enim, & pariter patulo alternæ visionis intuitu prælucente perspeximus hujus præmissi ordinis scripturas, id est, notitiam manu seniorum palatii roboratam, coram quibus antecedens princeps & religionis cultum, & tonsuræ sacræ adeptus est venerabile signum. Scripturam quoque definitionis ab eodem editam, ubi gloriosum Dominum nostrum Eringium, post se fieri regem exoptat. Aliam quoque informationem jam dicti viri, in nomine honorabilis, & sanctissimi fratris nostri Juliani Toletanæ sedis Episcopi, ubi eum separavit pariter, & instruxit, ut cum omni diligentia jam dictum Dominum nostrum Eringium in regno ungere deberet, & omni diligentia unctionis ipsius celebritas fieret. In qua scriptura, & subscriptio nobis ejusdem Vvambæ principis claruit, & omnis evidentia confirmationis earundem scripturarum sese manifestè monstravit. Quibus omnibus approbatis, atque perlectis dignum sanè nostro cœtui visum est, ut prædictis definitionibus scripturarum, nostrorum omnium confirmatio apponatur, ut qui ante tempora in occultis judiciis præscitus est regnaturus, nunc manifesto in tempore generaliter omnium sacerdotum habeatur definitionibus consecratus. Et ideò soluta manus populi ab omni vinculo juramenti, quę prædicto viro Vvambæ, dum regnum adhuc teneret, alligata est, hunc solum, qui permansit, serenissimum Eringium principem, obsecutura, gratæ servitutis famulatu sequatur & libera, quem & divinum judicium in regno prælegit, & decessor princeps successorem sibi instituit, & quod superest, quem totius populi amabilitas exquisivit, unde his pręcognitis, atque præscriptis serviendum est Deo cœli, & prædicto principi nostro Eringio regi, eique pia devotione obsequendum, & promptissima voluntate agendum, & enitendum, quicquid ejus saluti proficiat, quicquid gentis suæ utilitatibus, & patriæ consuluerit. Unde non erit jam deinceps ab anathematis sententiâ alienus, aut divinæ animadversionis ultione securus, quisquis contra salutem ejus deinceps aut erexerit vocem, aut commoverit cædem, aut quamcunque exquisierit lædendi ultionem.

2. Plerumque hi, quibus miseratio Domini etiam volentibus subvenit, beneficiis Dei videntur esse ingrati, & abuti gratia largitoris, qua benè usi, poterant consequi absolutionem facinoris. Impugnant sæpe, quod honorare debuerunt: & prophanis quæstionibus indultę gratiæ munus à se rejiciunt, quod summis votis amplecti debuerunt. Etenim multos sæpe adspeximus in salute positos, ultimum desiderantes pœnitentiæ fructum: & rursus nimietate ægritudinis ita loquendi, & sentiendi naturale perdidisse officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse, nullo etiam pristinæ devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus fraternitas condolens ita talium necessitates in fide suscepit sua, ut ultimum illis tribuatur viaticum, scilicet ne sine fructu pœnitentiæ videantur transire è sæculo. Quod si forsitan respiciente Domino, saluti pristinæ reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppositionibus execrandis, qualiter à se tonsuræ venerabile signum expellant, atque habitum religionis abjiciant, imprudentissimè asserentes, ideo se nullis regulis Ecclesiasticæ disciplinæ sub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipsi petierunt, nec consentientes acceperunt, quorum impudentia divinæ bonitatis, quæ eos ad tàm venerabile, ac fœcundi fructus vocavit sacramentum, turpiter immemor, & obstinata procacitas non aliquando diceret talia, si qualiter ad vitam per sacrosancti lavacri gratiam veniret, meminisset. Etenim parvulorum infantium vita, originali peccato obnoxia, quæ nulli propter ætatem discernendi, vel expetendi sensui aptior judicetur, nisi ex sponsione fidelium baptismi accipiant sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria id appetere possunt. Unde sicut baptisma, quod nescientibus parvulis, sine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur: ita pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur, absque impugnantia violationis, hi, qui illud acceperint, observabunt. Si quis autem quolibet modo pœnitentiam accipiens, hoc violaverit synodale institutum, ut verè transgressor, paternis regulis ferietur. Nec enim ista statuentes, sacerdotes quosque, ut passim, & licenter donum pœnitentię non pœnitentibus audeant prorogare, absolvimus: sed hos, qui qualibet sorte pœnitentiam susceperint, ne ulterius ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdotes tamen, qui nonconsentiendo, neque pœnitenti ausu temerario pœnitentiam dederint, neque se exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit vel manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententię subjacebit.

Ne pœnitentia detur invitis

3. Vidimus quosdam, & flevimus, & numero culpatorum receptos in gratiam principum, extorres extitisse à collegio sacerdotum: quod denotabile malum illa res agit, quia licentia principalis, in quo se solvì licentius curat, ibi alios alligat: & quos in suam communionem videtur suscipere, à communione, & pace Ecclesiæ videtur separare: ut qui cum illo convescuntur, sacerdotum communione sola priventur. Et ideò, quia remissio talium, qui contra legem, gentem, vel patriam agunt, per definitiones Canonum antiquorum potestate solùm regia puniũtur, qui & peccasse noscuntur, ab eis nulla deinceps abstinebit sacerdotum communio: sed quos regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam sacerdotum, & populorum conventus suscipere in Ecclesiæ communionem debebit, ut quod principalis pietas habet acceptum, non à sacerdotibus Dei debeat esse extraneum.

4. Majorum institutionibus ausu temerario contraire, & sanctorum Patrum decreta convellere, & superiorum suorum effrænata libidine contra sanctissimam Apostoli doctrinam sanctionibus reniti: quid aliud est, quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentia statum Ecclesiæ dissipare? Prosequente igitur venerabili, & sanctissimo viro fratre nostro Stephano Emeritensis sedis Episcopo, res nobis novellæ præsumptionis usurpatione sese intulit pertractanda, tanto communi nostro

ſtro judicio convellenda, quanto & pravitatis auſu naſcitur perpetrata.

Dixit enim violentia principali ſe impulſum fuiſſe, ut in Monaſterio villulæ, in qua venerabile corpus ſanctiſſimi Pinevii confeſſoris debito quieſcit honore, novam Epiſcopalis honoris ordinationem efficeret. Et ideò ex indiſcreto, & facillimo aſſenſu injuſtis Vvambæ principis juſſionibus parens, novam, & injuſtam illic Pontificalis ſedis prælectionem induxit, ubi Canonica conſtitutio id fieri omnimoda ratione refellit. Prædictus idem vir proſtratus humi, medicamine noſtri præcepti & ſibi dari veniam petit, & quid potiſſimum fieri oporteat de perſona ejus, qui illic ordinatus fuerat, noſtri oris ſententia decerni poſcit. Sed quia veraciter, imò communiter noveramus prædictum concilio levitatis agentem, non ſolùm præcepiſſe, ut in prædicto loco aliquis Epiſcopus fieret, ſed etiam ita cum conſuetis obſtinationibus definiſſet, ut in ſuburbio Toletano in Eccleſia Pretorienſi ſanctorum Petri, & Pauli Epiſcopum ordinaret, nec non & in aliis vicis, vel villulis ſimiliter faceret: ideò pro tàm inſolenti hujuſmodi extirpationis licentia, quid de hac re habent inſtituta Canonum, in medium proferri præcipimus. Tunc hæc in ordine conſtituta, perlecta ſunt: in primis ex epiſtola Pauli Tito diſcipulo, ut Epiſcopos per civitates conſtituere debeat, præcipientis. Item ex Concilio Nicæno titulo* octavo, ubi inter cætera præcipitur, ut in civitate una non videantur duo Epiſcopi eſſe. Item, ex Concilio Laodiceno, titulo quinquageſimo ſeptimo, ubi dicit: Non oportet in vicis, & in villulis Epiſcopos ordinari, &c. Item ex Concilio *Africæ ſecundo, titulo quinto, ubi Felix Epiſcopus Selemſelitanus dixit: Etiamſi hoc placuit, ſanctitati veſtræ inſinuo, ut diœceſes, quæ nunquam habuerunt Epiſcopos, non habeant: & diœceſis, quæ aliquandò habuit, habeat proprium Epiſcopum. Secundum autem hanc proſecutionem ſanctitatis veſtræ, æſtimate, quid fieri debeat. Genedius Epiſcopus dixit: Si placet inſinuatio fratris, & Coepiſcopi noſtri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet. Item ex Concilio* Africæ tertio, titulo quadrageſimo ſecundo, ubi dicit, ut non accipiat alterum Epiſcopum plebs, quæ in diœceſi ſemper ſubjacuit. Epigonius enim Epiſcopus inter cætera ſic dixit: Hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem, quæ in diœceſi ſemper ſubjacuit, nec unquam proprium Epiſcopum habuit. Quapropter ſi univerſo ſanctiſſimo cœtui placet hoc, quod præfatus ſum, confirmetur. Aurelius Epiſcopus dixit: Fratris, & conſacerdotis noſtri proſecutioni non obſiſto, ſed hoc me feciſſe, & facturum eſſe profiteor. Item ex Concilio Sardicenſi capitulo ſexto, ubi inter cetera præcipitur: licentia paſſim danda non eſt. Si enim ſubitò aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui ſatis eſt unus Presbyter, voluerit ſibi Epiſcopum ordinari, ad hoc, ut vileſcat nomen Epiſcopi, & authoritas, non debent illi ex alia provincia invitati, facere Epiſcopum, in quibus antea non fuit. Item de ſententia eorum, qui hujuſmodi ordinationes faciunt, vel de his, qui contra hæc inſtituta Canonum ordinantur, ex Concilio Tauritano, titulo ſecundo, ubi dicit: Geſtorum quoque ſeriem conſcribi placuit ad perpetem diſciplinam, quod circa Octavium, Urſionem, Remigium, ac Triferium Epiſcopos ſynodus ſancta decrevit, qui in uſurpationem quandam de ordinatione ſacerdotum ad invidiam vocabantur: quod ita his videtur indultum, ut de cætero hac auctoritate commoniti nihil uſurpare conentur, ſiquidem ſe ab hac cauſa tali excuſatione defenderint, qua dicerent, ſe non eſſe priùs conventos. Proinde judicavit ſynodus, ut ſi quis ex hoc fecerit contra inſtituta majorum, ſciat is, qui ordinatus fuerit, ſacerdotis ſe honore privandum, & ille, qui ordinaverit authoritatem ſe in ordinationibus, vel in Conciliis minimè retenturum. Non ſolùm autem circa memoratum Epiſcopum hæc ſententia prævalebit, ſed & circa omnes ſimili errore deceptos,

Tit. 1.
*26. Sic capitula Sardic. Concil. addantur Nic. Concilio, ſicut in aliquibus exemplar. reperitur.
*Car. 2.
Ibid. 3.

A qui ordinationes hujuſmodi perpetrarunt. Hic ergo fortiſſimis regulis effectum pii operis opponentes, in communi definitione elegimus, ut in loco villulæ ſupradictæ deinceps ſedes Epiſcopalis non remaneat, neque Epiſcopus illic ultra conſtituendus exiſtat. Hic tamen Convildus, qui contra majorum decreta illic videtur inſtitutus fuiſſe Epiſcopus, nullis canonum erit ad condemnationem ſuis ſententiis ulciſcendus: quia non ambitione, ſed Principis impulſione conſtitit ordinatus. Et ideò hoc illi remedium humilitatis concedimus, ut in ſedem aliam decedentis cujuslibet Epiſcopi transferatur, & prædictus locus ſub Monaſtica deinceps inſtitutione manſurus, non Epiſcopali ultra privilegio fretus, ſed ſub regimine Abbatis (ſicut hucuſque fuit) erit nobis omnibus mancipandus. Jam verò
B de cætero generale ponentes edictum. Si quis contra hæc canonum interdicta venire conatus fuerit, ut in locis illis, ſe Epiſcopum eligat fieri, ubi Epiſcopus nunquam fuit, anathema ſit in conſpectu Dei omnipotentis. Et inſuper tàm ordinator, quàm ordinatus gradum ſui ordinis perdat: quia non ſolùm antiquorum Patrum decreta, ſed & Apoſtolica auſus eſt convellere inſtituta.

5. Relatum nobis eſt, quoſdam de ſacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in una die videntur offerre: ſed in uno die, ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantùm extrema ſacrificii oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt, quaſi non ſit toties illis vero, &
C ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit: *Nonne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Certum eſt, quod hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti. Quicunque ergo ſacerdotum deinceps, divino altario ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulſum ſe noverit. Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? Ergo modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcunq; ſacrificans corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri in altario immolat, toties perceptionis corporis, & ſanguinis Chriſti ſe participem præbeat.

6. Illud quoque collatione mutua decernendum
D nobis occurrit, quod in quibuſdam civitatibus decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur officiorum divinorum offenſio: dum tractu terrarum commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut non queat regis auribus decedentis præſulis tranſitus innoteſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera principis electio præſtolari. Naſcitur ſæpe, & noſtro ordini de relatione talium difficultas, & regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogandis pontificibus ſuſtinet injurioſa neceſſitas. Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque Galliciæ, ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, ut licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Pontificis judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, & in præceden-
E tium ſedibus præficere præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores: ſic tamen, ut quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus infra trium menſium ſpatium proprii metropolitani præſentiam viſurus accedat, qualiter ejus authoritate, vel diſciplina inſtructus, condignè ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat. Quod ſi per deſidiam, aut neglectum quilibet conſtituti temporis metas exceſſerit, quibus nequeat metropolitani ſui obtutibus præſentari, excommunicatum ſe per omnia noverit, excepto ſi regia juſſione impeditum ſe eſſe probaverit. Hanc quoque definitionis formulam ſicut de Epiſcopis, ita de cæteris Eccleſiarum rectoribus placuit obſervandam.

d. cu Rel. nobi
1. Co
Rege. thorii ſcop. nabar
Pri Toleta Epiſc.

7. Omnis

7. Omnis disciplina sic subjectos debet arguere, ut spem veniæ non videatur auferre, nec funditus curvationis indicere jugum, sed temperantiæ semper adhibere consultum. Et ideo quia legem illam à Domino Vvambano principe edictam, quæ de proditione est annotata, hujus principis nostri Domini Eringii mansuetudo temperare disposuit; ideo annuente nobis glorioso, & religiosissimo Eringio principe nostro, necessariè hoc sanctum Concilium definivit, ut hi, qui per superiorem legem testificandi dignitatem perdiderint, recepto testimonio pristinæ dignitatis, causas exequi possint debitæ actionis, æqualiter nobilitatis solidæ titulum reportantes, & queque de præteritis legitimè testificari voluerint, licentiæ obtineant votum, & judicibus nullis prohibentibus arceantur, hoc videlicet adjicientes, ut si quid in præteritis testificari voluerint, si pro sola hujus rei infamatione rejecti sunt, testimonio suo nuper conquirant, quod in præteritis conquirere potuerant: tantùm si illo tempore, quo in præteritis ad testimonium dicendum vocati sunt, & supradictę legis institutionibus reprobari, & aliam criminis notam eos tunc non habuisse patuerit: aut triennium tunc absuisse, cùm ad testimonium fuerant prolati, hi, qui eos reprobaverant, manifestè convicerint.

.5. 32. Præ- n Di- s Do- ft. dec. .7.

8. Præceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis, uxor à viro dimitti non debeat. Et ideò quicunque citra culpam criminis supradicti uxorem suam quacunque occasione dimiserit, quia quod Deus junxit, ille separare disposuit: tandiu ab Ecclesiastica communione privatus, & à cœtu omnium Christianorum maneat alienatus, quamdiu societatem relictæ conjugis synceriter amplectatur, & foveat. Ita tamen, ut qui jam admoniti à sacerdote semel, bis, terque, ut corrrigerentur, ad torum suæ conjugis noluerint redire, ipsi se suis meritis & à palatinæ dignitatis officio separabunt, & insuper generosę dignitatis testimonium, quamdiu in culpa fuerint, amissuri sunt, qui carnem suam dissidii jugulo tradiderunt.

9. De Judæorum autem execranda perfidia, discretis titulorum sententiis editas noviter à glorioso principe leges, vigilanti sensuum intentione perlegimus, districto etiam gravitatis pondere, earum instituta probavimus. Proinde, quæ debitæ rationis judicio editę, synodali dignatione probatæ sunt, irrevocabili deinceps judiciorum ordine, pro eorum excessibus tenebuntur, idest, leges, quæ de commemoratione priscarum ceremoniarum, & Judęorum transgressionibus promulgatæ sunt, atque de novella confirmatione earum. Item, de blasphematoribus sanctæ Trinitatis. Item, ne Judæi aut se, aut filios suos, vel famulos à baptismi gratia subtrahant. Item, ne Judæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcisiones exerceant, ac ne Christianum quemquam à fide Christi dimoveant. Item, ne Judæi sabbata, cæterasque festivitates ritus sui celebrare præsumant. Item, ut omnis Judæus diebus Dominicis, & in prędnotatis diebus ab opere cesset. Item, ne Judæi more suo dijudicent escas. Item, ne Judæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, & ut sine benedictione sacerdotis nubere non audeant. Item, ne Judæi religioni nostræ insultantes, sectam illam suam defendere audeant: nec à fide refugientes, alibi se transducant. Et ne quilibet refugientes eos suscipiant. Item, ne Christianus à Judæis quodcunque muneris contra fidem Christi accipiat. Item, ne Judæi libros legere audeant, quos Christiana fides repudiat. Item, ne Judæis mancipia deserviant, vel adhæreant Christiana. Item, si Judęus se Christianum esse testetur, & ob hoc non velit à se rejicere mancipium Christianum. Item, professio Judęorum, quomodò unusquisque ad fidem veniens, indiculum professionis suæ conscribere debeat. Item, conditiones Judæorum, quas jurare debeant hi, qui ex eis ad fidem venientes, professiones suas dederint. Item, de Christianis mancipiis Judęorum, quæ se non prodiderint Christiana, sive

Ju- præ- s.

A de publicatoribus eorum. Item, ne Judæi à quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem Christianum quemque impetere, plectere, vel distringere audeant. Item, ut si Judæorum servi, necdum adhuc conversi, ad Christi gratiam convolaverint, libertati donentur. Item, ne Judæi, administratorio usu, in ordinem villicorum, atque actorum, Christianam familiam redigere audeant, & de damnis eorum, qui talia ordinanda injunxerint. Item, Judæus ex aliis provinciis, vel territoriis ad regis nostri ditionem pertinentibus veniens, Episcopo loci, vel sacerdoti se præsentare non differat, ut sciat, quid eum in toto observare conveniant. Item, ut concursus Judæorum diebus institutis ad Episcopum fieri debeat. Item, ut quicunque Judæum secum assequentem habuerit, expetente sacerdote, eum apud se retinere non audeat. Item, ut cura omnis distringendi Judæos solis sacerdotibus debeatur. Item, de damnis sacerdotum, vel judicum, qui Judæis instituta legum adimplere distulerint. Item, ne judices quicquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniventiam judicare præsumant. Item, ut Episcopi tunc immunes habeantur à damnis, cùm eorum Presbyteros ad ea, quæ ipsi non correxerint, remiserint corrigenda. Item, de servata principibus miserendi potestate in his, qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint. Item, ut Episcopi omnes Judæis ad se pertinentibus libellum de suis editum erroribus tradant, & ut professiones eorum, vel conditiones in scriniis Ecclesiæ condant. Quarum omnium legum promulgatio gravida, sicut synodali judicio comprobata, ita generali omnium nostrorum definitione; in eorum erit deinceps excessus exercenda.

d. 54. Et si Judæorum servi.

10. Pro his, qui quolibet metu, vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente pariter gloriosissimo Domino nostro Eringio rege, hoc sanctum Concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes, inde vi abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, seu spolii residentibus in loco sancto inferre: sed esse potius his ipsis, qui Ecclesiam petunt, per omnia licitum, in triginta passus ab Ecclesiæ januis progredi. In quibus triginta passibus uniuscujusq; Ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendetur, sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia, domibus, nullo modo obcelentur: sed in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progredientes, aditum obtinebunt, ut ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis. Et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris. Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, & Ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, & severitatis regię feriatur sententia. Ipsos tamen, qui ad Ecclesiam confugium fecerint, si juxta priscorum canonum instituta, his, qui eos cōpetunt, sacramenta reddiderint: & sacerdos Ecclesiæ ipsius ab Ecclesiæ non abstraxerit foribus, aut fuga talium, si evenerit, sacerdoti quærenda est, aut damnorum sententia secundum electionem principis, hujusmodi sacerdotibus irroganda.

17. q. 4. Definivit sanctum Concil. Et in dec. Ivo. l. 2.

11. Pręcepta Domini sunt dicentis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra, nec adorabis ea, neque coles*. Item, *qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli*. Item, *Vir, aut mulier, qui faciunt malum ante conspectum Domini Dei sui, & transgrediuntur pactū illius, ut vadant, & serviant diis alienis, & adorent eos, vel solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris; & abominatio facta est in Israel: educes virum, ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis, & lapidibus obruentur*. Præcepta Domini hæc non in ultione, sed in terrore delinquentium apponentes, non mortis sententiam promulgamus, sed cultores idolorum, vene-

Exo. 20. Exo. 21. Deut. 7.

ratores lapidum, accensores facularum, & excultores fontium admonemus, ut agnoscant, quòd ipsi spontaneæ morti se subjiciunt, qui diabolo sacrificare videntur. Mortis enim nomine diabolus appellatur, sicut de eo scriptum est: *Et erat illi nomen mors*. Ac proinde omne sacrilegium idololatriæ, vel quidquid illud est contra sanctam fidem, in quo incipientes homines captivari, diabolicis culturis inserviunt, sacerdotis, vel judicis instantia inventum, ut sacrilegia eradantur, & exterminata truncentur. Eos verò, qui ad talem errorem accurrunt, verberibus coerceant, & onustos ferro, dominis suis tradant: si tamen domini eorum per jurisjurandi attestationem promittant, se eos tàm solicitè custodire, ut ultra eis non liceat tale nefas committere. Quod si domini eorum nolint hujusmodi reos in fide sua suscipere, nunc ab eis, à quibus coerciti sunt, regiis aspectibus præsententur, ut princeps authoritatem, ac liberam de talibus dominãdi potestatem obtineat. Domini tamen eorum, qui nunciatos sibi talium servorum errores ulcisci noluerint, & excommunicationis sententiam perferant, & jura servi illius, quem coercere noluerint, se amisisse cognoscant. Quod si ingenuorum personæ erroribus fuerint implicatæ, & perpetua excommunicationis sententia feriantur, & arctiori exilio ulciscantur.

Apoc. 6.

12. Placuit huic sancto Concilio, ut juxta priorum Episcoporum singularum provinciarum canonum instituta, annis singulis in unaquaque provincia Calend. Novembris Concilium celebraturi conveniant. Quisquis autem in prædictis Calend. Novembris pro celebratione synodi venire distulerit, excommunicationi debitæ subjacebit.

13. Præmissis his omnibus synodalibus gestis, quæ honesto decretorum fine complevimus, perpetuum his robur per manuum nostrarum subscriptionem annectimus, dantes pro his gloriam, & honorem immortali Deo, & Domino nostro, quo inspirante, & determinationis nostræ sententia viguit, & probitas causarum honesto se fine complevit. Unde sanctæ Trinitatis poscimus inenarrabile nomen, & gloriosam ineffabilis potentiæ majestatem, ut det amatori Christi serenissimo Domino nostro, atque amantissimo Eringio principi, cujus jussu ad hunc meruimus advocari conventum, imperare clementer, regnare feliciter, habere de clementia fructum; obtinere de justitia præmium, de pietate trophæum, quo & hic invictus victor hostium semper appareat, & post diuturna hujus sæculi curricula, ad regnum æternum cum suis omnibus coronandus perveniat, præstante Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto, ac Trinitate vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Controversia de primatu Toletano.

EX Canone 6. agnosces, ad hæc usque tempora nullos fuisse in Hispania primates propriè dictos, sed tantùm Metropolitanos, qui & ipsi suarum quique Provinciarum primates nuncupabantur. Nam si plures Synodum eamdem convenirent Metropolitani, in iis antiquitatis ratio habebatur, ut prius vel sederent, vel subscriberent, qui ante alios ordinati fuerant. Toletani porro Episcopi, nulli præfuere Concilio, nisi ut Metropolitani Comprovincialibus Episcopis, vel certè, ut aliis ibi præsentibus Episcopis Metropolitanis antiquiores. At æra demum 719. anno Christi 681. in Toletano XII. Concilio sancitum est, ut exinde penes solos Episcopos Toletanos jus esset probandi, & constituendi omnes omnium Hispaniæ Provinciarum Episcopos, qui à Gothorum Regibus (ibi tùm rerum potientibus) ad id muneris electi essent. Tùm verò ex consequenti collatam quoque Episcopis Toletanis προεδρείαν ostendunt sequentia Concilia Toletana, in quibus illos primo semper loco subscriptos leges. Quin imo & jus appellationum à Metropolitanorum judiciis tunc illis delatum esse censeo (repugnante licèt Petro Marca in libro de primatibus) itaut exinde ad plenum, ac solidum jus primatus nihil eis deesset. Atque hæc mea ratiocinatio est. Cum Toletum à Saracenis per annos amplius trecentos sæva oppressam tyrannide Ildefonsus VI. Castellæ Rex vi recepisset, ejus rogatu Urbanus Papa II. anno Christi 1088. pallium Bernardo Archiepiscopo Toletano conferens his eum verbis compellavit (teque, secundum quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum regnis primatem privilegii nostri sanctione statuimus. Et primatem te universi Hispaniarum præsules respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent) hac postrema clausula nemo dubitaverit (ne Marca quidem) quin contineatur jus appellationum à Metropolitanis. Sic verbo Bernardum Urbanus primatem esse sancit, sicut ejusdem urbis constat extitisse Pontifices. Igitur id juris penes antiquos Toletanos Episcopos fuerat. Nempe à Concilio Toletano XII. & ab anno Christi 681. Hæc Chifletus animadversione in sanctum Ferrandum redivivum, quam addidit quinque opusculis scriptorum veterum de fide Catholica Divione editis anno 1656.

Concil. Rothomag. an. 682. sub Theodorico Rege Galliarum tempore interregni Pontificii, anno 682.

DEsiderantur acta, & decreta hujus Concilii, cujus obiter meminit Monachus Taillepied in collectione antiquitatum urbis Rothomagensis, licèt circa annum fallatur, eique interfuisse, ait, sexdecim Episcopos, inter quos erant Ausbertus Rothomagensis, Altadus Carnotensis, Ausoaldus Pictaviensis, Aquilinus Ebroicensis, Gerebaldus Bajocensis, Annabertus Sagiensis, & alii plures.

Concil. Toletan. XIII. sub Leone Papa II. anno 4. Eringii regis, æra 721. anno Christi 683.

ILlibatæ charitatis instinctu alternis visionem obtutibus redditi, & in unum cœtum factore Deo pariter aggregati, in Ecclesia videlicet sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, anno regni 4. serenissimi Eringii Principis sub die secundo Nonas Novembris, æra 721. cùm unusquisque nostrum debitis locaretur in sedibus, affuit idem princeps, pleno fidei ardore subnixus, & humilitatis gratia decoratus, qui synodo deliberationis suæ vota commendans, & ut pro se Deum instantissimè deprecaretur expostulans, hoc præsertim est allocutus sufficienti exhortatione Concilium, ut Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ congruunt, & corrigendis moribus, quæ conveniunt, tractatus nostri evidentia sanci-rentur. Deinde religiosis votis suæ clementiæ, quibus subveniendum miseris definivit, synodali conventu confirmanda commisit, offerens videlicet sacris Pontificibus tomum, obsecrans pariter, & contestans, ut quicquid illic venustioris esset calami respersione congestum, synodalis potentiæ conderetur ordine titulorum. Tunc nos pro suscepto à principe tomo gloriam dedimus Deo, & eidem principi benediximus glorioso. Idem tamen princeps, postquam votorum suorum actionem peregit, à conventu Concilii gratiosus exivit. Tunc post præsentiæ principalis abscessum, hoc in tomi ipsius allegatione reperimus exaratum.

In nomine Domini Flavius Eringius Rex sanctissimis patribus in hac sancta Synodo residentibus: Ecce sanctissimi religiosa pietate excolendi Pontifices, & divini cultus instantissimi sectatores, coram cœtus vestri reverentia humilis, devotusque prosternor, reclivis assisto, promptus astipulor, primum de conventus vestri aggregatione patri luminum gratiarum copiam solvens, deinde votorum meorum studia vestris judiciis derimenda committens. Nec enim fas est, quenquam etiam si nondum sit opus sine collegio

gio agere, cum multa permisit Deus bona cum consilio bonorum egisse. Unde ut brevi exhortatione perorem, vota mea, quibus remedia pietatum exercere delector, sensibus paternitatis vestræ agnoscenda innuo. Quæ tamen ne oblivione quadam memoriam fugiant, & relationi propriæ curarum intercapedo subducat, in hujus tomi complicatione accipite annotata. Illud primum volenti mihi miseris parcere, convenit intimare, quod divulsam per tyrannidem nostri corporis partem, in societatis nostræ gremium conamur reducere. Etenim retroactis divæ memoriæ prædecessoris nostri Vvambæ Regis temporibus, quæ in prophanatoribus patriæ, qui cum Paulo quondam tyrannidem assumpserunt, illata est sententia ultionum, qui per judicii universalis edictum amiserunt testimonium, rebusque propriis caruerunt: quæ cuncta vestræ sanctitudini nota sunt, quos tamen & in Collegio societatis nostræ recipere, & rebus, quibus fas fuerit, devovimus B devestire. Nam & de accusatis modum volumus ponere justissimæ perquisitionis, quo sive de religiosis, sive de laicis quisquam accusationis cujusquam studio fuerit propulsatus, non occultatis fraudibus, vel violentiis comprimatur, nec clam ad professionem violenter arceatur, sed in communi omnium examine judicetur, quo secundum publicę professionis suæ tenorem, aut offensibilis debitas damnationis pœnas excipiat, aut innocens ex judicio omnium comprobatus clarescat. Nam quid jam de tributorum fiscalium exactionibus referam, quorum redhibitiones tantis debitorum cumulis increverunt, ut exigi penitus jubeantur, & status subruantur funditus populorum, & fragmine collisionis eorum ultimum terræ sentiat propriæ prolapsionis excidium? Unde talibus non solùm C privatis, sed etiam fiscalibus servis remedia pietatis præoptans nostra gloria affluenter impendere, ut omnes tributorum exactiones, quæ apud illos de retroactis temporibus adjacent, usque ad primum annum mansuetudo nostra illis remittendas laxavit, & stylo propriæ authoritatis sacrosancto cœtui vestro relegendas elegit. Illud quoque adjiciens loquar, quod votis nostris horribile, & animis execrabile est semper. Ignobilitatis conditio libertorum, vel servorum adæquata, gentis nostræ statum degenerat. Ob quam rem hoc nostrę gloriæ animis placet, ut exceptis fiscalibus servis, vel libertis, abrasa deinceps hujus malæ præsumptionis licentia, nullus, qui ex servitute quorum libet servus sit, vel libertus, ad palatina officia transeat. Quod si fecerit, illic serviturum proculdubio recludendum se noverit, D quo aut conditionis propriæ originem sumpsit, aut libertatis titulum reportavit. His votorum meorum insinuationibus allegatis, quæso ut fortia paternitatis vestræ adjutoria prærogetis. Luce enim clarius constat, quod aggregatio sacrosancta Pontificum, quicquid censuerit observandum, per sancti Spir. donum omnino est ad ęternitatem præfixum. Et ideo universitatem paternitatis vestræ, sublimiumque virorum nobilitatem, qui ex aulę regalis officio in hac sancta synodo nobiscum sessuri, prælecti sunt, obtestor pariter, & conjuro, atque per ineffabile illud Sacramentum convenio, ut quisquis in medio vestri se judicandum, vel retractandum invexerit tàm quæ per nos dicta, quàm etiam cætera, quæ vestris auditibus se ingesserint E audienda, communi vigore justitiæ, & temperamento misericordiæ dirimere procuretis, quo cum omni reverentia Patrum pręcedentium regulis subditi, totius humanitatis vestræ sententia non aliundè, quàm ex veritatis fonte procedat. Sicque & his, quæ præmissa sunt, solidum deliberationis stylum promptissimè apponatis, & reliqua adhuc, quę necessaria sunt, in peragendis Ecclesiasticæ regulæ disciplinis, & dirimenda tractetis, & dirempta religiosioribus diligenter conscribatis, qualiter dum doctrinam dispergitis salutarē in populis, Christum Dominum in cumulando justitiæ fructu capiatis, ut vobis prædicantibus, & implentibus, & quæ divinis oculis complaceant, & quę nobis proficiant, semper agere valeamus. Sit utrisque parentibus in hoc sæculo de lucro animarum ineffabile gaudium, & in futuro de perventione ęternitatis pręmium inconvulsum. Datum sub die 5. nonas Novemb. anno feliciter quarto regni gloriæ nostrę in Dei nomine Toleto. Perlecto ergo coram cunctis tomi necessariæ institutionis exorsu, prius de fide S. Trinitatis sermocinationis nostrę cœpit esse principium, profitentes pariter, & credentes ea, quæ de hac S. Trinitate, & Euangelia tradunt, & Apostolorum sanctiones instituunt, sicut Nicæna synodus hoc pietatis sacramentum exposuit, sicut Constantinopolitana definitio sanxit, vel primi Ephesini cœtus, atque Chalcedonensis evidens doctrina constituit, juxta quod etiam sacrosancti symboli elucubrata professio claret, quę in Missarum solemnitatibus patula cunctorum acclamatur fidelium voce.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, &c. Hìc Isidorus finem imponit Conciliis Toletanis. At Garzias plura alia insuper collegit. Addit quoque huic decimotertio aliquos Canones, qui apud Binium extant. Summa est.

1. Restituuntur dignitati quidam, qui tyrannidem cum quodam Paulo moliti fuerant contra Regem.

2. Quia trabale Regum judicium (idest magnum instar trabis, ait Garzias) quosdam morti, aut ignominiæ subjugaverat, statuitur, ut ne fiat amplius sine publica Sacerdotum, seniorum, ac Gardingorum (qui officiarii quidam erant inter Gothos) discussione.

3. Probatur maxime relaxatio quędam tributorum ex beneficio pietatis regis Eringii.

4. De munitione prolis regiæ, ut scilicet nullus occultè, vel publicè malitiæ suæ contra eam vota extendat: non eam gladio, vel qualibet perniciosa factione interimat: nullus consilium, vel opus, quibus injustè dejiciatur, vel nudetur rebus, exhibeat, &c. Qui secus fecerit, sit æterno anathemate ultus, & futuri examinis judicio condemnatus. *al. Ervigii.*

5. Nec defuncto Rege, relictam ejus conjugem, aut in conjugio sibi quisquam, aut in adulterio audeat copulare. Non hoc secuturis regibus licitum, non cuiquam hominum licebit esse permissum. Qui hanc sententiam violare præsumpserit, sit ab omni Christianorum communione seclusus, & sulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus.

6. Ut exceptis servis, vel libertis fiscalibus, nullus de servitute quorumlibet, aut libertis, deinceps ad Palatinum officium quocumque tempore transeat.

7. Ne altaria quis nudare præsumat, vel luminaria Ecclesiæ subtrahere.

8. Ne admonente Metropolitano, quisquam ex finitimis ad locum, ubi invitatur, venire contemnat, alioquin se noverit excommunicatione mulctari. Quam pœnam etiam merebuntur excipere, qui exortos contra se clamores negotiorum, admoniti à Metropolitano, distulerint emendare, atque compescere, aut si admoniti, ut ad judicium primæ Sedis accedant, aut per se noluerint properare, aut vades suos neglexerint legaliter informatos dirigere. *Intelligitur de sede Toletana.*

9. De confirmatione Concilii Toletani XII. quod factum est anno 1. gloriosissimi Eringii Regis.

10. Quomodò gerere se debeant, qui pœnitentiam accipiunt in Sacerdotio constituti. Ubi statuitur, ut Sacerdotes post reconciliationem, etiamsi in pœnitentia sint, à sui ordinis officio non retrahantur. Cùm enim omnis Sacerdos tunc sibi licitum sacrificare sciat, quandò à malis actibus vacat, qua ratione, qui remedium pœnitentiæ suscepit, quod datur in remissionem peccati, à sacrificiis divinis se abigit, &c. aut nunquid pœnitentiæ donum, quod in remissionem sit peccati, in prohibitione devocandum est Sacramenti? nusquam ergo pœnitentiæ præcepta privabunt jura cœlestia: pœnitens enim abstinere à peccatis pariter, & negotiorum sæcularium tumultibus debet, non ab iis, quæ sancta videntur, se abstrahere, quæ operantem plus expiant, quàm comma- *Pænitentia sacerdotum.*

cu-

culando deturpant, &c. Cæterum, si (ut dictum est) sub perceptione pœnitentiæ consistens, nihil mortalis criminis se admisisse prædixerit, attamen quod fateri hominibus erubescit, absconsum intra clausa sui pectoris delitescit, noverit ipse sibi de se potestatem esse concessam, ut juxta conscientiæ suæ fiduciam, utrum audeat, aut non audeat sacrificare, ex sui potius arbitrii potestate, quàm ex nostri judicii permissione procedat.

A

CONTROVERSIA.

Videtur hic Canon indicare Sacerdotes propter quædam peccata occulta se submisisse legibus pœnitentiæ, quos non vult Concilium hoc, si reconciliationem, puta absolutionem secretam, acceperint, abstinere à sacrificio. Non ita si essent rei criminum publicorum, propter quæ legibus pœnitentiæ subditi essent. Unde hic canon refellit eos, qui morosas, annosasque excommunicationes sacerdotibus præcipiunt de publico crimine non diffamatis, etsi pœniteant. Quod dignum est, ut magis expendatur à novellis quibusdam pœnitentiæ ministris. Intelligendum est enim Presbyteros aliquando vel nolentes subditos legibus pœnitentium fuisse, itaut tamen prius deponerentur, & degradarentur. Patet ex Gregorio, citante Gratiano dist. 6. cap. 2. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, quæ ei confitentur peccata, alicui revelet; &, si fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Aliquando verò cum crimina notoria non essent, nihilominus voluntariè se submittebant legibus pœnitentiæ, tùm ad satisfaciendum Deo, tùm etiam in exemplum virtutis, & mortificationis can. 4. Arausicani Concilii primi. *Pœnitentiam desiderantibus clericis non negandam.* Atque de hoc pœnitentiæ genere loquitur Concilium præsens. Nec obstat, quod scribunt Siricius Papa epist. 1. ad Himerium cap. 14. & Leo 1. epist. ad Rusticum Narbonensem cap. 2. pœnitentiam non solere concedi clericis. Id enim intelligitur, itaut essent redigendi sacerdotes in ordinem laicorum pœnitentium eodem modo cum ipsis legibus pœnitentiæ coercendi. Nam & in foro, atque in ipsis tribunalibus semper alię liberis, ingenuis, nobilibus, aliæ servis, plebeis, vilibusque personis constitutæ pœnæ fuerunt. Porro de pœnitentiis antiquis sacerdotum plura tibi suppeditabit Joannes Filesacus in syntagmate pœnitentiæ cap. 2.

B

C

Undecimo, Ne quis alienum Clericum, vel Monachum suscipiat fugientem.

Duodecimo, De non excommunicandis à proprio Episcopo personis illis, qui ad Metropolitanum suum, negotia sua gesturi accesserint.

Decimo tertio, Hìc aguntur gratiæ Deo, & Principi post Concilium.

Subscripsit Julius Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus cum 47. Episcopis, & absentium 27. procuratoribus.

D

Concilium Toletanum XIV. Episc. decem, & septem, Æra 722. anno 5. Eringii Regis, & Christi Redemptoris 684. celebratum sub Benedicto II. ad recipiendam sextam synodum, anno 684.

IN hoc Concilio agitur de infrascriptis.

I. De præmemoratione aggregati Concilii, & relatione Principalis Edicti, quo jussum est Synodum agitari.

E

II. Narratur acta sextæ synodi cum Epistola Leonis II. missa fuisse in Hispaniam, ut præsulum auctoritate fulcirentur.

III. De adversitate duplici, qua non potuit Generale Concilium fieri.

IV. De responsis præsulum, ut per singulas provincias in synodis hæc acta comprobentur, & salubri divulgatione in agnitionem plebium transeant.

V. De iterata discussione præmemorati Concilii in provincia Carthaginis.

VI. De præmemorati Concilii honore collato, ut subnecteretur aliis generalibus.

VII. De loco, vel ordine, quo jam dictum Concilium collocari oporteat, scilicet post Chalcedonense. Sic prætereuntes quintam synodum. Quod in ea de personis tantùm actum fuerit, non de fidei dogmatibus. Baron. an. 684.

VIII. Allocutio ad totius compagem Ecclesiæ, de duabus Christi naturis inseparabilibus, & perfectis.

IX. De duarum naturarum Christi voluntatibus, & operibus.

X. De hæreticorum contentionibus evitandis; & ut non discutiantur, quæ summa sunt, sed credantur.

XI. De communi omnium judicio, quo responsa partis nostrę firmata sunt.

XII. De relatione gratiarum ad Deum pro peracto Concilio.

Subscripserunt Episcopi post Julianum urbis regiæ Toletanæ Metropolitanum.

Conciliabulum Gallicanum sub Theodorico Rege, anno Domini 685. in Galliis celebratum.

HÆc Pseudosynodus, & tyrannica Consultatio convocata est à Theodorico Rege, opera Ebroini Magistri domus: in qua hoc tantummodo consilio Tyranni prædicti conclusum est, ut de Lamberto Trajectensi, & Leodegario Augustodunensi Episcopis pœnæ sumerentur, amotique suis Episcopatibus relegarentur. Acta Concilii breviter describit Sigebertus in Chronico his verbis: *Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recipit, ejus consilio Synodum Episcop. cogit, & in hac multos eorum ex sententia Ebroini Episcopatu privat: aliquos etiam eorum irrevocabili exilio damnat. Sub tàm procelloso domesticæ persecutionis tumultu, S. etiam Lambertus à Trajectensi amotus Episcopatu in Cœnobio Stabulensi Monachicæ quietis expetit portum, ibique per septem annos habitavit secum: S. Leodegarius diu ab Ebroino tormentatus, post famem, & carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ, & labiorum excisionem, tandem consummavit martyrium post capitis abscissionem.* Hæc Sigebertus in Chronico anno 685.

Concil. Toletanum XV. Episcoporum 61. anno Domini 688. tempore Sergii Papæ celebratum, pro approbatione libri à Juliano Metropolitano scripti.

IN Præfatione hujus Concilii habetur, quod cum essent conciliariter congregati Patres, adfuit etiam Egica Princeps, qui in medio Pontificum positus, humique prostratus, Sacerdotum Dei se commendat orationibus. Deinde obtulit eis tomum suarum petitionum. Postea Patres Symbolum Nicænum professi sunt. Quibus peractis, ad illa se converterunt contuenda Capitula, pro quibus ante hoc biennium beatæ memorię Romanus Papa Benedictus eos literarum suarum significatione monuerat. Quæ Rodericus Toletanus Archiepiscopus lib. 3. c. 13. sic describit. *Ejus in tempore*, inquit, *liber de Tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Julianus, & minus cautè tractando, Benedictus Romanus indixerat reprobandum, ob id, quod voluntas genuit voluntatem. Sed S. Julianus veridicis testimoniis in hoc Concilio, ad exactionem præfati Principis, per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit; & apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos, Presbyterum, Diaconem, & Subdiaconem, viros eruditissimos, in omnibus Dei servos, & in divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod & olim transmiserat de*

laude

laude Romani Imperii. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè, & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando, laus tua Deus in fines terræ, lectum sæpius notum fecit, qui & rescriptum Domino Juliano per supra fatos legatos cum gratiarum actione, & cum honore remisit, & omnia quæcunque scripsit, justa, & pia esse deprompsit. Hæc Rodericus.

Alia pauca deinde tractant Patres, quæ nihil annotatione dignum continent: extant tamen apud Binium.

Controversia.

EX hoc exemplo probat Theophylus Raynaudus in lib. de bonis, ac malis libris partitione 3. erotemate 5. iniqui censoris librorum obligationem, ad levandum scilicet læsos Authores refixa injusta censura, sicut hic Benedictus egit erga Julianum. Quod ne cogatur admittere Baronius anno 685. calumniæ dicam Roderico impingit, asserens benedictum non improbasse, sed tantùm explicari petiisse subobscuras propositiones Juliani, cui subscripsit Binius in notis ad Concilium Toletanum 14. sed pace virorum gravissimorum dixerim, ait ibi Raynaudus, calumnia est in Rodericum. Nam Concilium Toletanum 11. in eo Apologetico pleniore, qui missus secundo est Romam sub Sergio Papa, disertè habet, capitula Juliani incautè posita visa fuisse Benedicto, eundemque incuriosa lectionis transcursione prætereuntem existimasse, longè aliud voluisse Julianum, &c. Itaque salvum manet, quod dixerat Rodericus, Pontificem Benedictum, mutato Judicio, famæ Juliani, quam improbato ejus libro sauciaverat prospexisse. Quod humilitatis Christianæ Pontifices quoque ipsos non dedecentis exemplum æmulatus proximè est superioribus annis cœtus gravissimus, refixo post discussam uberius causam decreto adversus opus de præceptis Ecclesiæ. Quidquid verò sit de ista controversia, an Baronius, & Binius à vero aberrent, an Raynaudus: Illud tamen advertimus Benedictum nullum edidisse decretum contra Juliani librum, sed tantùm existimasse, ac illi visum fuisse incautè aliquid positum fuisse à Juliano in libro, quē ediderat de tribus substantiis, quod in eo scripsisset esse tres substantias in Christo. Quod Julianus intelligebat de anima, carne, & divinitate. Quod ita intellectum admitti posse visum est sine errore. Et quod in eodem scripsisset, voluntatem in Deo esse de voluntate. Quod postea explicavit Julianus in Apologetico, qui extat apud binium hìc, dicens se sumpsisse voluntatem prout est idem, ac essentia, sicque voluntatem esse de voluntate, sicut dicitur sapientia de sapientia, ac lumēn de lumine.

Quæ explicatio placuit Bonifacio, sicque librum Juliani probatum habuit.

Concilium Cæsaraugust. III. tempore Sergii Papæ celebratum anno Domini 691.

IN hoc Concilio hæc summatim tractantur.

1. Ut non liceat Episcopis, citra diebus Dominicis, consecrationes Ecclesiarum exercere.

2. Ut confinitimini Episcopi dè sacra solemnitate Paschali annua vice Primatem suum requirant.

3. Ut Monasteria diversoria sæcularium non fiant.

4. De libertis, qui ab Episcopis ex familia Ecclesiæ manumittuntur.

5. Ut defuncto Principe, superstes Regina statum, & vestem sæcularem deponat, & in Cœnobio Virginum mancipetur permansura.

Ultimo dant laudes Deo, & Principi.

Hoc Concilium exscriptum est ex C. M. S. vetusto Monasterii Sancti Æmiliani. Vide vel Binium hìc.

Concilium Constantinopolit. Pseudo-sextum Universale, & reprobatum, quo sub nomine V. & VI. Synodi Oecumenicæ, centum, & duo Canones editi fuerunt, anno Domini 692. sub Pontificatu Sergii, & Imperio Justiniani Junioris.

Habetur tom. 1. classe 2. post sextam Synodum. Vide.

Concilium Toletanum XVI. Episcoporum 59. tempore Sergii Papæ, anno Domini 693. celebratum.

IN hoc Concilio post confessionem fidei statuuntur quædam ad disciplinam Ecclesiasticam, moresque malè errantium componendos necessaria.

In Can. 1. Statuitur de Judæis, Ut qui eorum ad Christum plena mentis intentione se converterint, & fidem Catholicam absque alieno infidelitatis fuco servarint, ab omni exactione, quam sacratissimo fisco persolvere consueti sunt, cum his, quæ habere poterunt, securi, extorresque persistant.

In Can. 2. Decernitur, Ut Episcopi, seu Presbyteri, vel hi, qui judicandis causarum negotiis præsunt, solerti cura invigilent, ut sacrilegos omnes, cultores idolorum, veneratores lapidum, accensores facularum, auguratores quoque, seu præcantores extirpare satagant.

In Can. 3. Statuitur contra Sodomiticos, Ut si talis fuerit Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, de proprii honoris gradu dejectus, perpetuo exilio damnetur: alii verò excommunicentur, & centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exilio mancipentur perpetuo.

In Can. 4. Præcaventur fideles, Ne desperati seipsos laqueo suspendant, ferro, vel aliis mortiferis casibus se interimant.

In Can. 5. Determinatur, Ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur Presbytero: quia solus per totas Ecclesias, nec officium valet persolvere, nec populis Sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere.

In Can. 6. Quia aliqui Sacerdotes in Hispania partim ex ignorantia, partim temerario ausu, non panes mundos, & studio preparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant, sed de panibus suis usibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant, &c. propterea statuitur, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, &c.

Innocentius III. lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 16. adversus hujus temporis impios hæreticos annotat, in more sanctis Patribus fuisse ex antiqua traditione, hostiam Eucharistiæ offerre in Missarum solemniis rotundam, integram, nitidam, ex studio præparatam: non grande frustum panis, sed modica quantitate formatum: ne gravaret sumentem, neque in digestionem species molestè irent: possetque post consecrationem in partes, & fragmenta dividi, ut fideles alimonia spirituali reficiantur; recondiq; etiam in modico loculo sine injuria: neq; sub utraq; specie, sed una tantùm servari, & laicis tradi, & ad adorandum populis proponi posse. Quæ verò munditi es in paratura hostiarum adhibenda, docet Aloysius Novarinus lib. 5. elect. sacrorum. Primum ex decretis Lanfranci pro ordine S. Benedicti, singula grana, ex quibus panis conficiendus electa fuisse, in sacculo mundo posita: à fratribus albis indutis, cum mundis manibus panem confectum ex iis super mensa mundissima: ac dum hostiæ fierent, & coquerentur, Psalmi cantabantur. Petrus Abelardus Epist. 8. ait. Hostias, si fieri potest, virgines conficiant. Apud Cæsarium lib. 9. cap. 5. perstringitur negligentia Sacerdo-

cerdotum, quod olim in antiqua lege panes propositionis ex simila mundissima per seipsos conficiebant. Heu modo panes, sub quibus est veritas, idest, corpus Christi post consecrationem, modo premunt, formant, & coquunt negligentes uxores companariorum. Unde cum Abbas noster celebraturus esset in quadam Ecclesia, quæsivit, de quo grano essent hostiæ? Respondente campanario, De avena: Noluit celebrare, & valde arguens illum dixit, quod nihil ibi fieret. *Adde in hoc Sacramento sanctè colendo sitam esse vitæ spiritualis, & temporalis omnem honestatem, & cunctam in negligendo turpitudinem: populumque sine hac salutari Hostia, & Sacrificio esse veluti mundum sine sole, in tenebris Ægypti à Deo derelictum.*

In Can. 7. Præcipitur, Ut decreta Synodalia populo annuncientur, quia ex hoc grandis speratur correctio.

In Can. 8. Statuitur, Ut nullus Regi, & filiis malum aliquod intentet.

In Can. 9. Quia Sisbertus Toletanæ Sedis Episcopus contra Regem machinasse ad mortem repertus est, secundum antiquorum Canonum institutionem fuit honore, & dignitate spoliatus, à conventu Catholicorum excommunicatione repulsus, omnibusque rebus exutus, & in perpetui exilii ergastulo relegatus.

In Can. 10. Decernitur, Ut contra Regem non machinetur.

Deinde gratiæ sunt Deo, & Principi actæ, & subscripti fuerunt Canones.

Concilium Toletanum XVII. tempore Sergii Papæ, anno Christi 694. celebratum.

IN principio hujus Concilii præmittitur de more Professio fidei. Deinde in honorem sanctissimæ Trinitatis indicitur trium dierum jejunium.

In Can. 1. Statuitur, Ut tempore quadragesimali ostia Baptisterii Pontificali manu obsignata maneant usque ad Cœnam Domini: in quo tempore nullus absque necessitate baptizetur, sed omnes reserventur in die Paschæ; ut quia consepulti sunt cum Christo in Baptismo, cum ipso pariter resurgant.

In Can. 2. determinatur, ut in die Cœnæ Domini, ad exemplum Christi, omnes Pontifices per Hispaniam, & per Galliam, pedes suorum lavare studeant,

In Can. 3. Decernitur, Ut nullus Sacerdotum de sacris ministeriis, vel Ecclesiæ ornamentis confringere, vendere, aut naufragare pertentet. Qui secus fecerit, ut sacrilegus perenni infamia denotatus, à sacræ communionis perceptione (excepto in supremo temporis cursu) omnibus diebus vitæ suæ maneat alienus.

In Can. 4. Prohibetur, Ut pro vivis non dicatur Missa de defunctis. Si quis hoc perpetraverit Sacerdos, à proprio deponatur gradu: & tàm ipse Sacerdos, quàm ille, qui ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilii perpetui ergastulo religati,* excepto in supremo vitę curriculo, cunctis diebus vitæ sacræ communionis eis denegetur perceptio.

*religatis.

Ultimo loco fit precatio pro vita Regis Egicæ, & gratiæ Deo aguntur.

Concilium Trajectense auctoritate S. Uvillebrordi congregatum, anno Domini 697. tempore Sergii Papæ.

HOc Concilium habitum est in civitate inferioris Germaniæ, quæ Ultrajectum vulgo nominatur. Cujus auctoritate indictum, quidve in eo constitutum fuerit, refert Marcellinus in Vita Suiberti apud Surium die 1. Martii, cap. 14. his verbis: *Cui sanctæ Synodo præfuerunt S. Uvillebrordus, & Suibertus Antistites constantiores. In qua conclusum, & definitum fuit, ut omnes primi Prædicatores in exteras Provincias prædicarent verbum Dei, &c.* Vide Surium, ubi supra.

Conciliabulum Aquilejense, contra Quintam Synodum, habitum tempore Sergii Papæ, anno Domini 698.

AUctoritate venerabilis Bedæ libro de Sex ætatibus, Pauli Diaconi lib. 5. cap. 14. & Sigeberti in Chronic. constat, hoc tempore Aquilejæ contra Quintam Synodum habitum fuisse Concilium, quo ipsam Quintam Synodum Oecumenicam respuendam esse decreverunt, seque ab unione Ecclesiæ præciderunt ea de causa, quod damnationem trium Capitulorum in Quinta Synodo factam, in odium, & præjudicium Chalcedonensis Concilii contigisse interpretarentur. Eadem de causa habita est Synodus Aquilejæ tempore Vigilii Papæ anno Domini 553. ut visum est supra. Eosdem ab antiquo schismate opera sancti Gregorii resipuisse, constat ex actis Synodalibus Concilii Romani sub Agathone, ubi quidam Aquilejensis Episcopus Agatho nominatus eidem Concilio interfuisse, & subscripsisse reperitur. Quamobrem necesse est dicere eamdem Ecclesiam bis in eumdem errorem relapsam, duabus vicibus opera SS. Gregorii, & Sergii Pontificum ab eodem errore resipuisse.

SÆCULUM OCTAVUM.

Concilium Toletanum XVIII. tempore Vvitizæ Regis celebratum, anno Domini 701. sub Joanne VI.

DE hoc concilio Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 14. *Hic in Ecclesia S. Petri, quæ est extra Toletum, cum Episcopis, & magnatibus super ordinatione Regni Concilium celebravit: quod tamen in corpore Canonum non habetur.* Sic ille. Existimo celebratum fuisse hoc Concilium sub Gunderico Toletano Antistite, *qui* (ut Rodericus ait) *sanctimoniæ dono illustris fuit, & in multis mirabilibus clarior celebratur.* Hæc Garzias.

Quid de Actis Concilii sentiat Baronius, vide in anno 701. num. 15.

Concilium Romanum auctoritate Joannis Papæ, ad instantiam Justiniani Imperatoris pro Canonibus Sextæ Synodi confirmandis, vel reprobandis indictum, anno Domini 705. tempore Joannis VII.

HÆc Synodus, qua occasione Romæ coacta fuerit, indicat Anastasius in Vita Joannis VII. nimirum, quia per Epistolas, & Legationem Imperator Justinianus petivit, ut in Quinisexto Concilio sancitos Constantinopoli Canones Joannes Papa congregato Concilio examinaret, & quos Catholicæ disciplinæ consentientes reperisset, rejectis cæteris, probaret, & confirmaret. Indecenti postulato nihil Pontifex detulit, & rectè: nam inconveniens est, & valde indecorum, vel minimum approbare eorum, quæ in Pseudo synodo constituta fuerant.

Hac eadem Synodo VVilfridus vir sanctus à quadraginta annis Eboracensis Episcopus, postquam jam ante sub Agathone Papa semel injustè accusatus in Romano Concilio sub eodem Agathone Romæ absolutus fuisset, ab Aldfride Rege secundo accusatus, secundo Synodali judicio Romæ absolutus fuit, cùm lectum fuisset decretum absolutionis ipsius in priori Synodo sub Agathone, in quo continebatur professio fidei Catholicæ, quam ibi ediderat, tàm pro se, quàm

quàm pro omni insula sua, ac Hybernia. Beda lib. 5. Hist. cap. 20.

Concilium Anglicanum in restitutione S. Vvilfridi anno 705. celebratum sub Joanne VII.

CUm post impetratam absolutionem in secundo Concilio Vvilfridus Romam decessisset, veniensque in Galliam in morbum gravissimum incidisset apud civitatem Meldum, apparitione, & medela S. Michaelis miraculosè liberatus, hoc anno venit in Angliam. Cumque lectis Epistolis Apostolicis ab Archiepiscopo honorificè acciperetur, ab Aldfrido autem Rege accusatore sui contemneretur, post mortem Regis subito defuncti, *factum est*, inquit Beda lib. 5. cap. 20. *ut regnante Osredo filio ejus, mox synodo facta, juxta fluvium Nidd, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus, in Præsulatum sit suæ receptus Ecclesiæ: sicque quatuor annis, idest, usque ad diem obitus sui vitam duxit in pace.*

Conciliabulum Constantinopolitanum à Joanne Episcopo Monothelitarum Antesignano indictum, quo innumera Orientalium Episcoporum multitudo congregata, Sextam Synodum Oecumenicum damnavit anno Christi 712. tempore Constantini Papæ, & Philippici Imperatoris.

EXcæcatus quidam corporis, & mentis oculis Monothelita Monachus ad se venienti Philippico, teste Theophane, dixit: *Imperium tibi est repositum.* Qua de causa cum ille turbaretur, ait Monachus: *Si jubet Deus, tu quamobrem contradicis? Hoc autem dico, quia Sexta Synodus male facta est. Si ergo imperaveris, hanc projice, & imperium fiet tibi forte, atque longævum.* Credens Philippicus impostoris vanitati, juramento spopondit, se hoc facturum. Imperium adeptus, exturbato è sede Constantinopolitana Cyro Patriarcha, Joannem suæ impietatis socium, teste Cedreno, eidem solio præposuit, eaque deinceps opera Monothelitarum antesignanus Joannes in urbe Regia in conventu innumeræ multitudinis Episcopus peregit, quæ his verbis descripsit Theophanes: *Et cum regnaret, fecit Pseudosynodum cum Episcopis juxta Pseudomonachi, & inclusi sermonem, & abjecit sanctam, & universalem Sextam Synodum.* Ita ad nutum Imperatoris, ad libitum Patriarchæ Monothelitæ, sancta Sexta Synodus condemnatur, & ea, quę de duabus in Christo voluntatibus, & duplici operatione, sententia sancita fuerat, plurimorum Episcoporum Orientalium ex Catholicis uno momento in Monothelitas conversorum, decreto, & subscriptione retractatur. Baronius anno 712. num. 3. 4. &c.

Concilium Romanum I. Episcoporum 22. sub Gregorio II. adversus illicita connubia habitum, anno Domini 721. ipsis Nonis Aprilis.

Cap. I. *Ut nullus audeat Presbyteram in conjugium ducere.*

SI quis Presbyteram duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Nota. *Presbytera dicitur, quæ ex mutuo consensu à viro ad sacrum Ordinem promoto, relinquebatur, & castitatem servare tenebatur. Diacona similiter appellatur Canone sequente, quæ ex mutuo consensu à viro ad Diaconatus Ordinem promoto relinquebatur, castèque deinceps vivere cogebatur. Quæ cum exemplo Orientalium propter Canonem Pseudosextæ Synodi ad aliorum connubia transirent illicitè, propterea quod toro separati, veri conjuges remanerent, hoc Constituto Synodali opus erat. De diaconissis vide Delacerda. Adversar. sacr. c. 82. num. 5.*

Cap. II. *Item de Diacona.*

SI quis Diaconam in conjugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. III. *Item de Monacha, quam Dei ancillam vocant.*

SI quis monacham, quam Dei ancillam appellamus, in conjugium duxerit, Anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. IV. *Item de commatre spirituali.*

SI quis commatrem spiritualem duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. V. *Item de fratris uxore.*

SI quis fratris uxorem duxerit in conjugium, Anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. VI. *Item de nepte.*

SI quis neptem duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. VII. *Item de noverca, aut nuru.*

SI quis novercam, aut nurum suam duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit.

Cap. VIII. *Item de consobrina.*

SI quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. IX. *Item de propria cognatione, vel quam cognatus habuit.*

SI quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. X. *Ut viduam nemo furetur in uxorem.*

SI quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, cum sibi consentientibus, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XI. *Item ut virginem nemo furetur in uxorem.*

SI quis virginem, quam sibi non desponsaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XII. *De aruspicibus, vel incantatoribus, seu phylacteriis.*

SI quis ariolos, aruspices, incantatores observàverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XIII. *De præceptis Ecclesiæ observandis.*

SI quis in quamlibet partem præcepta ante emissa Apostolicæ Ecclesiæ de olivetis, & locis diversis teme-

temeraverit, & non in omnibus observaverit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XIV. *De Adriano filio Exhilarati.*

ADrianus filius Exhilarati, qui post præstitum Sacramentum in Apostolica confessione Epiphaniam Diaconam illicito ausu in uxorem habet, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XV. *De Epiphania Diacona.*

EPiphania Diacona, quæ post præstitum sacramentum, cum Adriano Exhilarati filio fuga lapsa est, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XVI. *Ut nullus audeat assensum eis tribuere.*

SI quis ei in tàm crudeli actu consensum præbuit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Cap. XVII. *De coma Clerici non relaxanda.*

SI quis ex Clericis relaxaverit comam, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

Concilium Romanum II. In causa S. Corbiniani Frisingensis Episcopi sub Gregorio II. celebratum anno Domini 724.

ARibo in Actis Corbiniani Episcopi apud Surium die 8. Septembris refert, quod Corbinianus Romam profectus, ad pedes Pontificis prostratus, amore quietis, dimissionem ab Episcopatu petiverit: quodque tantam ejus humilitatem Summus Papa miratus, post illum à se dimissum, Synodum Presbyterorum, & Episcoporum in Urbe præsentium congregarit, & in eorum præsentia petitionem Corbiniani recitarit. *Quibus illi auditis*, inquit Aribo, *una voce eum reverti debere proclamabant, multis testimoniis scripturarum id confirmantes. His ita dicentibus, virum Dei in medium venire jussit, quorum verbis se victum considerans, ut injunctum sibi à sancto Patre officium nullo modo omitteret, & à lucro vacuus rediret ad aream, cum summo ibi aliquantum temporis retentus honore, & benedictione accepta, valefaciens omnibus, tristis recessit.* Hæc de actis Synodi Aribo prædicto loco.

Concilium Romanum III. Quo Iconoclastarum hæresis est condemnata, usu̧sque Sacrarum Imaginum confirmatus sub Gregorio II. anno Domini 726.

DE hujus Concilii auctoritate hæc Adrianus Papa I. in Epistola ad Carolum magnum: *Prò his firmissimis exemplis prædecessor noster Dominus Gregorius II. junior Papa, in suo sacro Concilio (quod etiam in alio Concilio prædecessoris nostri Stephani Papæ unà cum Sacerdotibus partium Franciæ, atque Italiæ acto, susceptum, & veneratum est) in eo ipso præsidente sanctissimo, ac beatissimo quondam Domino Gregorio Papa per semetipsum similiter dixit. Si contraria sentientibus, & irritas facere quærentibus antiquas Patrum traditiones, salutis concurreret conversio, &c.*

Post hæc autem testimoniis sacræ Sripturæ demonstrat, cultum sacrarum Imaginum antiquitus in Ecclesia piè receptum fuisse. Hoc eodem Concilio Iconoclastarum hæresi, ejusque sectatoribus, anathema dictum esse, testatur Zonaras. Vide Binium.

A *Concilium Romanum I. In causa Gregorii Presbyteri, Legati Sedis Apostolicæ, anno Domini 731. celebratum sub Gregorio III.*

AD extirpandam Iconoclastarum hæresim scripserat Gregorius ad Leonem Imperatorem Epistolam adhortatoriam, qua eum ab errore avocare conabatur. Hanc Gregorius Presbyter Legationis Apostolicæ munere functurus acceperat, ut eam Imperatori coram traderet: sed humano terrore motus, non porrexit. Quod cum ille Romam reversus Pontifici enarrasset, literasque acceptas agnita culpa tradidisset, Synodali congregatione sententiam depositionis à Presbyterio incurrisset, nisi cœtus Episcoporum
B præsentium pœnam deprecati fuissent. Rem gestam narrat Anastasius in Vita Gregorii.

Concilium Romanum II. Pro imaginum cultu celebratum, anno 732. sub Gregorio III.

GRegorium Presbyterum secunda vice cum litteris Commonitoriis ad Leonem Imperatorem destinaverat Pontifex: quem cum Imperator Iconomachus in Sicilia aliquandiu retinuisset, ablatisque scriptis in exilium amandasset; collecto hac de causa Romę 93. Episcoporum Concilio, primum ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de usu sacrarum Imaginum Constitutum edidit, eosque diro anathemate percussit, qui huic Decreto adversarentur. Additum præterea, ex Synodo ad eumdem Imperatorem Com-
C monitoriam Epistolam mittendam esse. Habet hæc omnia Anastasius in Vita Gregorii III. his verbis: *Majore fidei ardore permotus Gregorius Papa, Synodale fecit Decretum, &c.*

Concilium I. Auctoritate S. Bonifacii Ratisbonæ, vel Augustæ Vindelicorum celebratum, anno Christi 742. tempore Zachariæ Papæ.

ZAcharias Papa per litteras præceperat S. Bonifacio, ut juxta ripam Danubii Concilium celebraret: quas cum accepisset, sollicitus jussa illius implere, continuo se contulit ad Carlomannum, deque congreganda Episcoporum Synodo consensum impetravit, ut patet in Vita S. Bonifacii apud Surium Tom. 3. die 5. Junii.

In hoc Concilio multa sancita sunt ad reformatio-
D nem Ecclesiæ, & ad mores rectè componendos, quæ aliàs etiam decreta sunt. Inter cætera verò determinatum est, & ut Monachi, & ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam sancti Benedicti vivere studeant. Vide omnia apud Binium.

Concilium Liptinense, auctoritate S. Bonifacii congregatum mense Martio, anno Redemptoris 743. Indictione 1. sub Zacharia Pontifice.

DE hac secunda Synodo Bonifacii Benedictus Levita in exordio lib. 5. Capitularium Regum Francorum, hæc scribit: *Item altera Synodus à suprascriptis Episcopis, ac Principe, auctoritate Apostolica Kal. Martias ad Liptinas habita.*

In hoc Synodali Conventu omnes venerabiles Sa-
E cerdotes Dei, Comites, & Præfecti prioris Synodi Decreta consentientes firmaverunt: seque ea implere velle, & observare promiserunt. Abbates verò, & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti, ad restaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores, & adulteros Clericos, qui sancta loca, vel Monasteria ante tenentes coinquinaverunt, præceperunt inde tollere, & ad pœnitentiam redire.

Item statuerunt, ut propter imminentia bella sub precario, & censu aliqua pars Ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineatur, ea conditione, ut annis singulis de

de unaquaque casata, solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam, vel Monasterium reddantur, &c. Et omnino observetur, ut Ecclesia, vel Monasterium penuriam, & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit. Plura apud Binium.

Nota. *Precarium, pecunia est, quæ alicui ad ejus preces, seu precario datur mutua, quoadusque voluerit, qui dederit. L. 1. ff. de precario.*

Concilium Romanum Romæ congregatum à Zacharia Papa, anno Domini 743. Indictione 12. anno 3. Artabasdi, & Luithprandi Regis 32.

IN hoc Concilio Zacharias Papa hæc decrevit.

1. Ut Episcopi cum mulieribus omnino non habitent.

1. Ut Presbyteri vel Diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum audeant habere.

3. Ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus sæculari indumento minimè utatur, nisi, ut condecet, tunica Sacerdotali: sed nec dum ambulaverit in civitate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præsumat ambulare, præter quam si in itinere longo ambulaverit.

4. Ut Episcopi propinqui visitent limina Apostolorum annuè. Qui verò de longinquo, per chirographum impleant.

5. Ut Presbyteram, Diaconam, Nonnam, aut Monacham, vel etiam spiritualem commatrem nullus sibi præsumat nefario conjugio copulare.

6. Itidem ut nec consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione.

7. Si quis temerario ausu præsumpserit virginem, aut viduam furari in uxorem, præter quam desponsatam habuerit, anathema sit.

8. Ut nullus Clericorum, aut Monachorum comam laxare præsumat. Si quis Clericus, aut Monachus comam laxare præsumpserit, anathema sit.

9. Ut nullus Kalendas Januarias, & broma colere præsumat; &c. qui secus faxit, anathema sit.

Si quis Christianus filiam suam Judæo in conjugio copulare præsumpserit, vel servum, aut ancillam eidem Judæo Christianus vendiderit, anathema sit.

Alia plura ad mores pertinentia statuit idem Pontifex, vide apud Binium.

Synodus Suessionensis sub Childerico Rege, Duce Pipino, & Zacharia Papa celebrata, Anno Domini 744.

IN hac Synodo statuitur, ut annis singulis Synodus renovetur, ut qualiter populus Christianus ad salutem animarum pervenire possit, & ut hæresis amplius in populo non resurgat. Et plura alia bona ad mores statuta sunt. Vide apud Binium.

Concilium Germanicum Auctoritate S. Bonifacii congregatum, in quo Adelbertus, & Clemens damnati: & post Gervilium Moguntiæ Episcopum, ob crimen homicidii depositum, S. Bonifacius factus est primus Archiepiscopus Moguntinus, anno Domini 745. tempore Zachariæ Papæ, & Constantini Copronymi.

DE hac Synodo lib. 3. Histor. Mogunt. Notat. 31. circa medium plura Serarius.

Hic Adelbertus Gallus ab ineunte ætate hypocrita, sibi ab Angelo ex ultimis terræ finibus miræ sanctitatis reliquias allatas dicebat, quarum virtute omnia à Deo impetrare posset, quæ postularet. Hinc multas post se duxit captivas mulierculas oneratas peccatis, ac multitudinem rusticorum: in superbiam elatus se Apostolis æquiparabat, ungulas suas, & capillos dabat ad deferendum, & honorandum cum reliquiis S. Petri Principis Apostolorum: venienti populo, & ante se

A prostrato ad confitendum dicebat, sibi omnium peccata remissa esse, nec opus esse illa confiteri, seque omnia præterita dimittere. Hæc & plura de eo in epist. Bonifacii ad Zachariam, quæ tom. 2. supplementi Bibliot. S. P. apud Binium extat. Huic porro adhærebat Clemens similiter damnatus.

Concilium Romanum II. contra Adelbertum, & Clementem hæreticos à Bonifacio condemnatos, Romæ sub Zacharia Papa, anno Domini 745.

SUmmus Pontifex Zacharias post Legationes, & literas S. Bonifacii de confirmandis Actis Synodalibus contra Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum natione acceptas, Concilium Episcoporum collegit, in quo eosdem hæreticos condemnavit.

B

Epistola Bonifacii, quam Deneardus Presbyter ad Sedem Apostolicam Legatus attulerat, inter Acta Synodalia recitatur.

Lecta est in concilio Aldeberti oratio, in qua octo nomina Angelorum invocavit, sic inquiens: *Precor vos, & conjuro vos, & supplico me ad vos Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel.* Qua lecta dixit Zacharias Papa: hæc nomina, præter Michaelis, omnia sunt nomina dæmonum. Quid aliud agendum, nisi ut omnia, quæ lecta sunt, igni concrementur? annueruntque omnes Episcopi dicentes, non plusquam trium Angelorum nomina agnoscimus, C idest, Gabriel, Michael, Raphael; atque hinc infert Baronius, perspicuo intelligis, librum quartum Esdræ nomine vulgatum, in quo frequens est mentio Angeli Uriel, ab Ecclesia Romana proscriptum, penitusque rejectum.

Ad sententiæ hujus confirmationem addo Concilii Aurelianensis cap. 3. quod à D. Burchardo citatur lib. 3. cap. 198. *Nihil aliud in Ecclesia legatur, aut cantetur, nisi ea, quæ auctoritatis divinæ sunt, & Patrum Orthodoxorum sanxit auctoritas. Ne falsa Angelorum nomina colant; sed ea tantùm, quæ Prophetica, & Euangelica docet Scriptura, idest, Michael, Gabriel, Raphael.* Sunt tamen aliqui moderniores, qui contendunt, nomina illa, Uriel, Jehudiel, Sealthiel, & similia, esse vera nomina Angelorum, non dæmonum, ac Georgius Venetus, supra modum addictus D Rabbinorum conjecturis, sæpius in libro Harmoniæ mundi hæc nomina usurpat, ac si essent electorum Angelorum.

Conciliabulum Constantinopolitanum Pseudoseptimum Universale, & reprobatum 338. Episcoporum: à Constantino Copronymo adversus cultum Sanctarum Imaginum congregatum anno Domini 754. tempore Stephani Papæ III.

CAusam, locum, tempus, numerum Episcoporum, & Acta Conciliabuli Theophanes summatim enarrat his verbis: *Eodem quoque anno Constantinus impius contra sanctas, & venerabiles Imagines Concilium iniquum trecentorum triginta octo* E *Episcoporum congregavit in Palatio Hieririæ: quorum primi erant Ephisimus filius Absimari, & Pastillus Pregensis, qui apud se, quæ visa sunt, dogmatizarunt, &c.*

Qua ratione, quave auctoritate hæc Pseudosynodus congregata fuerit, indicant Acta Stephani Papæ apud Baronium, anno 754. extantia, quibus scribitur, quod in templo B. Mariæ Virginis, nullo Catholico Patriarcha præsente, ipse Imperator Constantinus ambonem conscenderit, atque ex eo Constantinum Monachum ex Silei Episcopo Patriarcham homo laicus designaverit: & paulo post per laicum Episcopum laicus Imperator sacrosanctum Universale Concilium Septimum, ut ajebant, congregaverit.

In hac Pseudo synodo non solùm sacrarum Imaginum cultum damnarunt, S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, Georgium Cyprium, Joannem Damascenum, aliosque omnes sacrarum Imaginum cultores anathematizaverunt, & idololatras vocaverunt; verum etiam sanctorum Martyrum reliquias igne, & aqua perdiderunt, per lignum S. Crucis, perque Corpus, & Sanguinem Domini in Sacramento Eucharistiæ juratam exegerunt à suis professionem, se numquam Imagines culturos, sed potius easdem velut idola execraturos, numquam invocaturos esse. Acta autem hujus conciliabuli magna ex parte inserta sunt in septima synodo, classe 2. cum eorundem refutatione: ibi legi poterunt. Hæretici nostri temporis, Pseudosynodum reprobatam, & damnatam à vera, & germana Septima Synodo Nicæna (à qua ipsi cum suis dogmatibus De cultu, & invocatione Sanctorum, De meritis bonorum operum, De veritate Corporis & Sanguinis in Sacramento Eucharistiæ expressè anathematizantur) magna cum admiratione multorum laudant, summopere deprædicant: idque sanè illa Dei secreta providentia, ut suam ipsius incredibilem stupiditatem, & impudentiam ipsi prodant, & antiquiores Iconoclastas Novatoribus meliores esse idem propria confessione inde deponant. Nam si nostros cum illis Copronymianis conferas, duplo, triploque deteriores esse invenies. Copronymiani inter sacras Imagines abjectas, cultum venerandæ Crucis, per quam in medio positam suos adstringebant juramento, retinebant: Novatores Iconoclastæ indifferenter omnem imaginem rejiciunt. Cultum divinissimi Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi Copronymus cum suis retinebat: funesta autem Novatorum secta eundem calumniosè detestatur. Vide Bellarminum lib. 1. de Conc. cap. 9. & 2. de Imag. cap. 14. Baronium anno 754. num. 19. 20. &c.

Calvinistæ

Concilium in Palatio Vernis Sub Pipino Rege Francorum habitum, anno Domini 756. Stephano Papa II.

Congregatum est Concilium hoc, ut recuperarentur aliquantisper instituta Canonica; & ordinata sunt plura.

1. Ut Episcopi debeant per singulas civitates esse.
2. Ut Metropolitano cæteri Episcopi obediant.
3. Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tàm de Clero, quàm de Regularibus, vel sæcularibus, ad corrigendum, & emendandum secundum ordinem Canonicum spiritualem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint.
4. Ut bis in anno Synodus fiat.
5. Ut Monasteria tàm virorum, quàm puellarum, secundum Ordinem regulariter vivant.
6. Nulla Abbatissa duo Monasteria præsumat habere: nec extra Monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente; & nisi eam Rex vocaverit, & jusserit ad se venire: tunc enim per consensum Episcopi, in cujus Parochia est, poterit exire.
7. Ut publicum Baptisterium in nulla Parochia sit, nisi ubi Episcopus constituerit.
8. Ut omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præsumat in illa Parochia baptizare, nec Missas celebrare sine jussione Episcopi, in cujus Parochia est.
9. Presbyter degradatus, si postea per contemptum aliquid de suo officio sine commeatu facere præsumpserit, & postea ab Episcopo suo correptus, & excommunicatus fuerit; qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum.
10. Si quis omnia ista contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio condemnetur.
11. Monachi, qui verè regulariter vivunt, ad Romanam Sedem, vel aliubi vagari non permittantur, nisi obedientiam sui Abbatis exerceant.
12. Qui dicunt se tonsuratos esse propter Deum, in Monasterio habitent sub Ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine Canonico.
13. Non suscipiantur alterius Ecclesiæ Clerici absque Commendatitiis.
14. Episcopi vagantes extra suam Parochiam non possint in aliena Parochia ministrare, nec ullam Ordinationem facere sine jussione proprii Episcopi. Et si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur.
15. In diebus Dominicis opera servilia non fiant.
16. Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant, tàm nobiles, quàm ignobiles.
17. Clerici non habeant actiones sæculares, nisi pro causa Ecclesiarum, orphanorum, vel viduarum, ordinante Episcopo suo.
18. Post mortem Episcopi, non liceat Episcopatum esse sine Pastore supra menses tres, nisi necessitas grandis evenerit, ut hoc nullo modo aliter fieri possit.
19. Nullus Clericus ad judicia laicorum publica conveniat sine jussione Episcopi sui, vel Abbatis, juxta canones Concilii Carthaginensis cap. 9.
20. Omnes immunitates in universis Ecclesiis conservatæ sint.
21. Monasteria pro suorum Religiosorum victu ad illos recurrant, à quibus fundata sunt.
22. Peregrini, qui propter Deum vadunt, telonium non solvant.
23. Judices, primo viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant, & definiant, & postea alias causas.
24. Nullus per pecuniam ad honorem, vel gradum Ecclesiasticum accedere debeat, quia hæresis Simoniaca esse videtur.
25. Nullus Episcopus, nec Abbas, nec laicus pro justitia facienda sportulas accipiat: quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur.
26. Omnes justitiam faciant, tàm laici, quàm Ecclesiastici.

Conciliabulum Germaniæ, in quo Othmarus Abbas monasterii S. Galli ob crimen impudicitiæ injustè condemnatus est, anno Domini 759. tempore Pauli Papæ.

Cum Vvarinus, & Ruithardus Fisci Procuratores res Ecclesiæ invasissent, eaque de causa ab Othmaro semel accusati, acriterque à Rege ad desistendum moniti non obtemperassent, Othmarum, cum iterum Regem adiret, ex itinere retraxerunt, & per subornatum, & conductum accusatorem Monachum, nomine Lambertum, impacto illi impudicitiæ delicto, in vincula conjecerunt. Cumque ad objecta crimina non negando, & Deum suæ innocentiæ testem invocando, justè respondisset; iniqua tamen sententia Conciliabuli incarceratus, & sine alimento corporis relictus, fame interiit. Hæc Vvalfridus in Vita S. Galli apud Surium Tomo sexto die 16. Novembris.

Concilium Gentiliacense de cultu Sanctarum Imaginum, ac de Sanctissima Trinitate celebratum in Gallia, anno Domini 766. tempore Pauli Papæ.

Legatio illa, quam pro confœderatione Pipini Regis impetranda Constantinus Imperator miserat in Franciam, hæc impietatis zizania seminaverat; pro quibus extirpandis, hisce sarculis opus erat. Nemo quidem Scriptorum illud expressè affirmat; sed tamen quia Francorum Annales evidenter commemorant, per nobilissimam Legationem aliquanto tempore actum fuisse de fœdere ineundo, haud dubiè hæc impietatis semina ibidem sparsa fuerunt.

Præte-

Præterea in hoc Synodali Conventu tractatam fuisse quæstionem hanc, An Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedat? tradit Ado Viennensis in Chronico. Cum enim Occidentales Constantino Copronymo, ejusque sectatoribus Orientalibus sacrarum Imaginum despectum, & contemptum vitio verterent; ille contra Latinis exprobrabat, quod ad Symbolum vocem *Filioque* adjecissent. Unde patet, quod, cum Græci schismatici hac in re Latinos impugnent, apertè profiteantur, se impiissimi Constantini Copronymi, quem suo ipsi judicio condemnant, causam turpissimam turpiter agere, tueri, & defendere.

Concilium Romanum De electione Pontificis, & cultu Sacrarum imaginum, sub præsidio Stephani Papæ IV. Romæ celebratum, anno Domini 769. indictione 7.

HUjus Concilii Acta recitantur ab Anastasio in Vita Stephani IV. Papæ. Causam habendi Concilium præbuit Constantinus Pseudopapa, qui Sedem Apostolicam invadens, uno fere momento, ex laico, tamquam in scena, prodiit Romanus Pontifex, Damnato Pseudo-Pontifice, & Sedis Apostolicæ raptore violento, Canone sancito est prohibitum, ne in posterum quis talia præsumere audeat. Quare damnatis omnibis Pseudo-Synodi Actis illegitimis, eadem combusserunt, addito Statuto tali, Ne quis in posterum alius, quàm Diaconus, aut Presbyter Cardinalis, ad Pontificatum assumatur. De his, qui ab eodem Pseudo-Papa ordinati fuerunt, constitutum est, ne deinceps ulla ratione in suo Ordine ministrare permittantur; præter collatum Baptismi, & Chrismatis Sacramentum, omnia ejusdem Acta irritantur. Ad postremum plane improbata sunt omnia illa, quæ contra sacras Imagines sub Constantino Copronymo Constantinopoli decisa, statuta, & ordinata fuerunt. Posthæc piè, & legitimè constituta, lecta est Epistola Synodalis Theodori Patriarchæ Jerosolymitani, De cultu sacrarum Imaginum illa, cui Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ subscripserant, quæque diu ante hæc tempora, teste Adriano in Epist. ad Carolum Magnum, ad Paulum Papam emissa fuerat.

Absoluto Concilio, Stephanus Papa, & Episcopi cum universo Clero, ac populo, nudis pedibus cum Hymnis, & Canticis ad B. Petrum processerunt, & singula Concilii Acta ex ambone ad populum clara voce lecta sunt:& ne statuta hujus Concilii ab aliquo temerè violentur, trium Episcoporum promulgatione lecta est,& promulgata sententia anathematis in eos, qui piè, sanctèque decretas Constitutiones hasce Synodales transgrediuntur.

De rebus in hac Synodo pro cultu sacrarum Imaginum gestis, Stephanus Papa Constantinum Copronymum,& Inconomachum per literas certiorem reddidit.

Hæc partim ex Anastasio, partim ex diversis Epistolis Adriani.

Concilium Vvormatiense tempore Caroli Magni, Stephani Papæ IV. celebratum anno Domini 770.

IN Vita Caroli Magni apud Scriptores Annalium Francorum reperitur Synodus quædam hoc anno Vvormatiæ celebrata: quid in ea gestum fuerit, non constat.

Concilium Vvormatiense II. tempore Adriani Papæ I. & Caroli Magni Regis Francorum, habitum anno 772.

DE hoc Concilio extat unum Capitulum. De purgatione Sacerdotum lib. 7. Capitularium Francorum, cap. 205.

A

Concilium Bavaricum apud Dingolvingam 22. anno Tassilonis Ducis Bavariæ celebratum tempore Adriani Papæ I. anno 772.

MArcus Velserus, vir doctissimus, & nobilissimus, celeberrimæ Augustanæ Reip. Septemvir, hanc Synodum, vel potius fragmentum Synodi supradicto tempore celebratæ, primus in lucem emisit, dentibusque tinearum, & blattarum eripuit, ex pervetusto Codice, quem, ut ait Henricus Canisius, utendum acceperat à Reveren. & Magnif. Domino Georgio Lautherio SS. Theol. Doctore, & Monachii ad D. Virginem Præposito, idem Velserus propria manu exscripsit. Agnoscant hinc Bavari, ante annos plusquam 800. in Bavaria receptam fuisse illam Religionem, quæ Episcopos, Abbates, Sacerdotes,& aliorum Ordinum Clericos habet: quæ SS. Missæ Sacrificium pro vivis, & defunctis religiosè immolat: quæ sacrorum Canonum decretis debitam reverentiam exhibet, Monialium matrimonia severis pœnis coercet: O felicem Bavariam, quæ fidem Theodonis, Tassilonis, Caroli Magni, aliorumque generosissimorum Heroum, tot lustris labentibus, inter fluctus, & procellas, sartam tectam custodisti, neque impuros apostatas S. Ruperto, & excellentissimis illis Regibus, ac Ducibus antetulisti. Hæc ex Henrici Canisii Præfatione in dictam Synodum.

Hæc sunt Decreta, quæ constituit sancta Synodus, in loco, qui dicitur Dingolvinga, Domino Tassilone mediante.

De die Dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in Lege scriptum est,& in decretis Canonum. Et si quis præsumpserit frangere contra legem, aut decreta Canonum, talis pœnæ subjaceat, sicut ibi scriptum est.

De hæreditate, quæ tradita est ad Ecclesiam, ita constituit, ut quisquis hæreditatem suam ad Ecclesiam ante donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ita scriptam, ut locum, & tempus,& personam habeat, aut tribus testibus fidelibus,& nobilibus testificetur. Si Sacerdos non habeat chartam, nec testem, ut prædiximus, tunc sicut in Lege Bajoariorum, & judex judicat, sic defendat.

De eo, quod Episcopi juxta Canones, & Abbates Monasteriorum juxta Regulam viventes, ita constituit.

De eo, quod Sanctimoniales, quæ in servitio Dei sunt, ita constituit, ut nullus ausus sit in conjugium, & matrimonium ducere; aut si quis ausus fuerit contra decreta Canonum, ita componat, sicut Canones decreverunt.

De eo, quod jus ad Legem, quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles & liberi, & servi ejus, ita donaverunt, ut firma fieret.

De eo, quod ut si qui de nobili genere de hæreditate sua dare ad Sanctuarium Dei in sua potestate esset, nemo prohibuisset, nec mutaret in perpetuum.

De eo, quod ut servi Principis, qui dicuntur Adelschalche, ut suam habeant Vveregeldam, juxta morem, quem habuerunt sub parentibus,& cæteri minores Vveregeldi juxta Legem suam, ita constituit.

De eo, quod parentes Principis, quodcumque præstitum fuisset nobilibus intra Bajoarios, hoc constituit, ut permaneret, & esset sub potestate uniuscujusque relinquendum posteris, quamdiu stabiles fœdere servassent apud Principem ad serviendum sibi, & hæc firma permaneret, ita constituit.

De eo, ut nullus hæreditate sua privetur nisi per tres causas * quas in pacto scribentur: Propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem Principis sibi dilectum occiderit, ob injuriam Principis, & ad calumniam hominem componat, secundum Legem tunc privetur hæreditate sua.

* Quæ.

De eo quisquis mulierem nobilem acceperit in conjugium, & non præscivit, ita constituit, ut iterum

libera esset, dimittat servum, & postea non redigatur in servitium, sed esset libera.

De eo, quod etsi quis de quocumque reatu accusatus ab aliquo potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare si voluerit, [antequam pugnam, quæ Vvedahinc vocatur, permittat.]

De eo quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IV. causis, de qua supra diximus, si ille hæreditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius suo jure non privetur, ita constituit.

De collaudatione, quam Episcopi, & Abbates in Bajoaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus.

Concilium in Duria habitum tempore Caroli Magni, & Adriani Papæ I. anno 775.

CArolus contra Saxones hoc anno pugnaturus, ad componendum prius statum Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ, pro more suo piissimo, Episcopos, & Abbates convocavit in Duria: peractoque Concilio Saxones duobus præliis profligavit. Hæc ex Annalibus Francorum. Quæ autem in hoc, aliisve sequentibus Conciliis ipsius monitu celebratis statuta fuerint, promiscuè simul in unum librum congessit Angegisus Abbas Lobiensis, quo centum, & sexaginta octo Capita continentur, Baronius anno 775. n. 9.

Concilium Vvormatiense sub Adriano Papa I. & Carolo rege celebratum, anno Domini 776.

CUm ad debellandum Rotgandum Foroliviensem in Italia profectus fuisset, Saxones novam rebellionem excitarunt, destructoque Eresburgo castello, Sigisburgum magna vi expugnare tentarunt: verum divino miraculo ab obsidione fugati, seipsos partim trucidarunt, partim etiam à Francis cæsi fuerunt. Quæ dum Carolus Rex audivisset, in Vvormatia hanc Synodum congregavit: qua habita, in Saxoniam festinavit. Saxones de adventu Caroli certiores facti, terrore perculsi, sua sponte deditionem fecerunt, seque Christianos futuros non tantùm promiserunt, verum etiam memorabilem multitudinem in nomine SS. Trinitatis baptizandam obtulerunt. Hæc Annales Francorum in vita Caroli Magni.

Concilium Paderbornense ad Saxonum fidem stabiliendam, sub Adriano Papa I. & Carolo Francorum Rege habitum anno 777.

HÆc Synodus Paderbornæ celebrata fuit, ad stabiliendos, & confirmandos Saxones in ea fide, quam ritè, & legitimè in susceptione Baptismi professi erant: habito desuper Synodali consessu, constitutum fuit, & re ipsa observatum, ut omnes in Saxonia baptizati juramento firmarent, se Christianam fidem perpetuo servaturos: & si qui juratam promissionem non adimplerent, illi omnium bonorum suorum dispendio privarentur. Constitutionem Synodicam, præter unum Principem, Vvitichindum nomine, qui cum paucis hac de causa in Normandiam fugerat, omnes receperunt.

In eadem hac Synodo tres Saracenorum Principes ab Hispania venientes, seque cum suis urbibus, quibus à Rege præfecti fuerant, dedentes, magno gaudio haud dubie excepit: de quorum adventu Annales sub Ludovico per domesticum illius scripti produnt hæc: *venit iisdem, & loco, & tempore ad Regis præsentiam de Hispania Saracenus quidam nomine Ibamalarabi, cum aliis Saracenis sociis suis, dedens se, ac civitates, quibus eum Rex saracenorum præfecerat.* Eadem Acta Caroli, vetus Chronicon, Annales Francorum, & Rhegino tradunt.

A

Concilium in Villa Duria sub Adriano Papa I. & Carolo Rege celebratum, anno Domini 779. in causa Saxonum perfidorum.

SEditio Saracenorum Regum moverat Carolum, ut in Hispaniam cum exercitu proficisceretur, & contra iniquos, ac infideles Hispaniæ detentores arma sumeret. Quare cum per hanc expeditionem Carolus longius abesset, Saxones, & Vvestphali sæpius perjuri, suasu Vvitichindi Principis, à Carolo defectionem fecerunt, ad Rhenum usque obvia quæque cæde, atque incendio vastarunt. Quare cum prædictam Saxonum rebellionem compescere firmiter constituisset, more suo optimo, primum curans, quæ Dei sunt, quàm bellica inchoaret, pro

B

reformandis subditorum moribus, & SS. Ecclesiæ ritibus, hanc Synodum in Villa Duria congregavit. Qua peracta, adversus Saxones profectus incruento bello, Saxoniam, & Vvestphaliam debellavit, receptisque ab iisdem obsidibus, rebusque singulis novo juramento iterum firmatis, in Franciam rediit. Hæc Annales Francorum prolixius, Rhegino brevius.

Concilium Lippiense de Sedibus Episcopalibus in Saxonia erigendis, tempore Adriani Papæ I. & Caroli Regis Francorum habitum, anno Domini 780.

C

HOc anno Lippiæ habitam esse Synodum, testatur Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 2. De sedibus Episcopalibus in Saxonia erigendis hoc Synodali conventu actum fuisse, ex eodem Crantzio colligitur. Cum enim ipse fateatur loco supracitato, hoc anno fundamenta Osnaburgensis Ecclesiæ jacta fuisse: ipse verò Carolus in suo Diplomate testetur, Osnaburgensem Ecclesiam in honorem sancti Petri Principis Apostolorum, & sanctorum Martyrum Crispini, & Crispiniani inter alias primam à se erectam, & fundatam esse, verissimum esse videtur, quod in hac Synodo de erigendis sedibus Episcopalibus actum fuerit. Post Osnaburgensem, Ecclesiam Salingenstadiensem in Episcopatum erexit, eamque nomine sancti Stephani Protomartyris Deo Optimo Maximo consecravit. Extant apud Surium Acta sancti Nemulphi Diaconi, in quibus asseri-

D

tur, anno 780. ab eodem Carolo Magno parvam esse constructam Ecclesiam Paderbornæ, eiq; post annos 15. datum esse Episcopum. Ita Saxones sæpe Euangelium profitentes, [ac deserentes, tandem armis Caroli in Christiana Religioni retenti sunt, suumque Idolum, *Krodo* nominatum, formaque senis super piscem stantis, atque rotam utraque manu tenentis (quem Saturnum esse dixere Latini) depictum, plane repudiarunt, & abdicarunt. Vide Crantzii Historiam Saxonum libro 2. cap. 7.

Synodus Coloniensis Tempore Caroli Magni, & Adriani Papæ I. anno Domini 782.

CArdinalis Baronius anno 782. auctoritate Eginhardi scribit à Carolo Magno Coloniæ habitam

E

fuisse Synodum, eique in propria persona interfuisse, ac Legatos diversarum Gentium excepisse: quid verò in illa gestum fuerit, non liquet.

Concilium Paderbornense II. sub Adriano Papa I. & Carolo Francorum Rege celebratum anno Domini 785.

IN hac Synodo status Ecclesiæ Saxonicæ dispositus est: nam cum Vvitichindus, qui cum Albione Saxoniæ Principe rebellare consueverat, Baptisma suscepisset, res Saxonum quodam modo in tuto collocatæ erant: adeoque in rebus statum Ecclesiæ concernentibus hunc Synodalem consessum receperant. Eodem Synodali consessu jacta creduntur fundamenta Mindensis

densis Ecclesiæ, cui primus præfectus est Episcopus Herimbertus. Quomodo autem hæc se habuerint, in Historia Saxonum refert Crantzius lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 23. ubi hoc memoratu dignissimum scribit, quod Vvidichindus, rerum Christianarum adhuc rudis, à Rege quæsitus cur mendici habitu inter mendicos sedisset, quidve adspectu jucundum vidisset, responderit: *Vidi, inquit, quod mirabar ante biduum te demisso vultu tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret (commemoratio fuit Dominicæ Passionis, qua die Parasceves regium vultum obscurasset) rursum, inquit, vidi hodierna die te primum sollicitum, & ad rem attentissimum; postquam verò mensam adieras in templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor enim erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, ultro properare, aliis verò abhorrentem, avertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum Rex: Benè, inquit, profecisti: plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis est ostensum. Inde mutata veste, manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in altaris sacramento. Qua re cognita, exhilaratum Ducem orasse, ut proprium illi sacerdotem permitteret, qui divinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret Altaris secretum Mysterium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modo illi habitationem Episcopo dignam providerit. Ducem verò arcem suam ad Vviseram utriusque capacem ostendisse: deditque in ejusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Ecclesiæ. Ferunt proinde nomen Ecclesiæ provenisse, quod* meum, *&* tuum, *quasi communis duorum possessio, sonat in lingua Saxonum vernacula* Min, din.

Erat vir præcipua religione Herimbertus: qui cum Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem primum præficeret eidem Ecclesiæ Mindensi Episcopum: adjecit illi ministeriales non paucos, nec parvos, ut haberet Ecclesia defensores suos. Illi verò quia ex imo gradu in nobilitatem excreverant, ut partim Comites, partim Duces fierent, sprevisse Matrem videntur.

Concilium Forojuliense à Paulino Aquilejensi in causa sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini congregatum sub Adriano Papa I. anno Dom. 791. & Caroli Magni 23.

His temporibus duæ diversæ hæreses Ecclesiam devastabant: una de processione Spiritus sancti in Oriente, altera de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi in Occidente.

De Spiritu sancto controvertebatur, an is à solo dumtaxat Patre, vel à Patre simul, & Filio procederet? Antiquam controversiam adversus hæreses sæpius antehac damnatas Paulinus doctissimè decidit, ostendes Patrem, & Filium unum esse principium processionis Spiritus sancti, adeoque impium, & blasphemum videri, contra sententiam ab universa Ecclesia temporibus S. Leonis Magni receptam, novos errores concitare.

De Incarnatione Verbi Divini Elipandus Toletanus Episcopus in Hispania, & cum eo, quem ipse seduxerat Felix Urgelitanus Episcopus asserebant, Dominum nostrum Jesum Christum secundum naturam divinam dicendum esse Dei Filium naturalem, secundum humanitatem verò eundem Filium Dei adoptivum esse nominadum. Quæ doctrina cum duos Filios assereret, adeoque Nestorianismum jam diu ante condemnatum resuscitaret, Paulinus recitatione Symbolorum Nicæni, & Constantinopolitani eandem solidissimè refutavit, explosit, & condemnavit.

Demum verò in hac eadem Synodo post tractationem dogmaticarum disputationum absolutam sanciti

A sunt 14. Canones ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes, prout sequitur.

1. Ut nullus Canonicas, & Apostolicas definitiones ignorans, inordinatè, vel inhonestè in domo Dei, quæ est Ecclesia, conversetur. Illud summopere, vigilantique studio præcaventes decernere curavimus, ut nullus Canonicæ deditus ditioni, donum sancti Spiritus, pecuniæ pretio fraudulenter deceptus, vendere, vel emere præsumat.

2. Ut longè altius excellat vita pastoris comparata vitæ subditi gregis.

3. Ut sobriè, piè, casteque juxta Apostolum viventes fugiamus turpis lucri gratiam.

4. Ut nullus patiatur subintroductas mulieres secum in domo propria habitare, vel privatè cum eis cohabitantes conversari.

5. Ut sæcularia negotia ultra modum mensuræ nulli liceat exercere.

B

6. Ut per mundanas actiones in venationibus, vel in canticis sæcularibus, aut in irresoluta, & immoderata lætitia in lyris, & tibiis, & his similibus lusibus nullus Ecclesiasticus audeat abuti: nisi fortè, si in Hymnis, & spiritualibus Canticis delectatur, de sacris videlicet Scripturarum voluminibus dignè, honesteque compositis utatur.

7. Ut nullus Episcoporum Presbyterum, vel Diaconum, vel Archimandritam in dispendio honoris condemnare præsumat, absque hujus venerandæ Sedis consultu.

8. Ut nemini liceat furtim, raptimque nuptias contrahere.

C

9. Ut nullus præsumat ante annos pubertatis, idest, infra ætatem, puerum, vel puellam in matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos, sibique consentientes.

10. Ut quandiu adultera vivit, non liceat viro ab ea separato aliam uxorem ducere: sed nec adulteræ alium virum, ipso priori vivente.

11. Mulieres cujuscunque conditionis, quæ virginitatis, sive continentiæ propositum spontaneè pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, indutæ fuerint, licèt non sint à Sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetuo perseverare mandamus.

D

12. Ut Monasteria puellarum, quæ sub disciplina Regulæ degunt, obstrictiùs munitis claustris, nullo pateant, nisi fortè summa necessitate compellente, aditu virorum.

13. Diem Dominicum inchoante noctis initio, quando signum insonuerit, cum omni reverentia, & honorifica religione venerari omnino mandamus: abstinere primum ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & ad nihil aliud vacare, nisi ad orationem, & concurrere ad Ecclesiam cum summa mentis devotione.

14. Ut solvantur decimæ, &c.

E

Concilium Ratisbonense, in quo Felix Urgelitanus Episcopus condemnatus est, anno Domini 792. tempore Adriani Papæ, & Caroli Magni Regis Francorum.

De hoc Concilio Alcuinus lib. 1. adversus Elipandum Toletanum, qui cum Felice Urgelitano in montibus Pyrenæis Episcopo totas Hispanias inficiebat Nestorianismo, sed aliis verbis expresso, quod scilicet esset tantùm filius adoptivus, atque adeo alienus, & extraneus à natura divina, meminit, respondens calumniis prædicti Elipandi. Admones me, inquit, non pio, ut videtur, animo, sed severa invectionis castigatione gloriosum regem Carolum non corrumpere: non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui corrūpi non potest, sed adjuvare in fide Catholica: impos-

impossibile est enim, ut corrumpatur à quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in prædicatione, Judex in æquitate, & Philosophus in liberalibus studiis, inclitus in moribus, & omni honestate præcipuus. Antequam ego eodem sapientissimo rege jubente venissem in Franciam, hæc eadem vestra erroris secta eodem glorioso Principe præsidente, præsente Felice, quem multum laudare soles, vestræ partis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Rajepinis-burg (est Ratisbona, quæ variis nominibus appellata est) & Synodali authoritate sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani Imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata: immo & à beatæ memoriæ Adriano Papa, qui tunc temporis S. Romanæ Ecclesiæ Apostolica authoritate rexerat sedem, funditus exterminata: donec idem Felix infeliciter ad vestras rediens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit, cui ego in has adveniens partes charitatis calamo Epistolam exhortatoriam, ut se catholicæ jungeret unitati, dirigere curavi, cui ille non Epistolari brevitate, sed libelli prolixitate respondere nisus est, atque in eo omnes perfidiæ vestræ foveas maximè aperuit, asserens Christum & veterem hominem esse, & nuncupativum Deum, & adoptivum filium, & secunda indiguisse regeneratione, & alia plurima Ecclesiasticæ doctrinæ inconvenientia, cui libello ejus septem nostræ devotionis libellis respondimus, omnes vestræ pravitatis evacuans doctrinas. Qui etiam nostræ devotionis sermones lecti sunt, & probati in præsentia domni regis, & sacerdotum Christi. Subjungit, quomodo prædictus Felix in palatio Aquis in præsentia Caroli regis convictus gloriam Deo dederit, ac in pacem Catholicæ unanimitatis reversus sit cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes. Cujus, inquit, te cum tuis discipulis, venerande pater, humilitatem sectari suadeo, adgrega teipsum cum ovibus tibi commissis in ovile Christianæ charitatis per eum, qui ait, *ego sum ostium*: prævidendum est tibi cauta sollicitudine, ne sis ex eorum numero, de quibus ipsa veritas in eodem subjungit loco. *Omnes*, inquiens, *quotquot venerunt, fures sunt*, & latrones, qui venerunt, ait, non qui missi sunt. Et Apostolus, *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quis te, ô Pater Elipande, misit prædicare adoptionem in Christo Filio Dei? Ergo si nullo mittente per te venisti, & prædicasti, fur, & latro convinceris esse, &c. Habes in his verbis Alcuini, & fidem præsentis Concilii, & occasionem sequentis contra hæresim Felicianam, quam tuebatur Elipandus.

Carolus Magnus.

Concilium Francofordiense Provinciale approbatum, quo 300. circiter Episcopi Elipandum, & Felicem, eorumque hæresim de Filio Dei, quæ Feliciana nominatur, condemnarunt. Anno Domini 794. tempore Adriani Papæ I. & Caroli Magni, anno Imperii illius 26.

CAusam celebrandi Concilii in Germania præbuit Elipandus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, qui cum audivisset, Felicem Urgelitanum Episcopum in Concilio Ratisbonensi convictum, & damnatum fuisse, eundemque apud Sedem Apostolicam post agnitionem erroris, & hæreseos detestationem, ad Ecclesiam, & Sedem pristinam receptum esse, non destitit acerrimus hæreseos suæ defensor, & propagator, neque prius quievit, quàm Felicem ad Orthodoxos reversum ad castra impietatis revocasset. Imo cum esset octogenarius, & in perfidia erroris obstinatior, scriptis ad Carolum Magnum literis privatis, ad universos Galliæ, & Germaniæ Episcopos patentibus, & publicis, intrepidè hoc agebat, ut cum Rege totam Germaniam, & Galliam in suam sententiam pertraheret. Itaque cum hac ratione Felicem verè infelicem, instar canis ad vomitum, lotæ suis ad volutabrum luti reduxisset, ne malum longius serperet, infusumque venenum sana membra inficeret, celebratum est hoc Concilium, in quo præfuisse Paulinum Aquilejensem Patriarcham illustrem virum illius temporis, indicare videtur libellus dictus sacro syllabus, hujus Concilii constitutionem fusissimam continens contra Elipandum. Acta verò quædam hujus Concilii ex bibliotheca Claudii Puteani Senatoris Parisiensis clarissimi extracta, & quæ Andreas Quercetanus, seu Ducennius, variè enim redditur cognomen ipsius *Duchesne*, qui fuit vir laicus, antiquitatis sedulus indagator ad calcem operum Alcuini in editione Parisiensi anni 1617. apposuit, hic atteximus, eo libentius, quod à Binio, & aliis collectoribus Conciliorum nondum evulgata sint.

Felix relapsus in hæresim.

ACTA CONCILII, ET DECRETA.

1. Conjungentibus, Deo favente, Apostolica authoritate, atque piissimi Domni nostri Caroli Regis jussione anno 26. principatus sui cunctis regni Francorum, ceu Italiæ, Aquitaniæ, Provinciæ Episcopis, ac Sacerdotibus synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus sancto intervenit conventui, ubi in primordio capitulorum exortum est de impia, ac nefanda hæresi Elipandi Toletanæ sedis Episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei filio admittebant adoptionem, quam omnes qui supra sanctissimi patres respuentes una voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à sancta Ecclesia eradicandam censuerunt.

2. Allata est in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. His peractis,

3. De Thassillone definitum est capitulum, qui dudum Bajoariæ dux fuerat, Sobrinus videlicet Domni Caroli Regis. In medio sanctissimi adstitit Concilii, veniam rogans pro commissis culpis, tàm quas tempore Domni Pipini Regis adversus eum, & regnum Francorum commiserat, quàm & quas postea sub Domni nostri piissimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei suæ extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione visus est postulasse, dimittens videlicet puro animo iram, atque omne scandalum de parte sua, quæque in eo perpetrata fuissent: & sciebat, nec non omnem justitiam, & res proprietatis, quantum illi, aut filiis, vel filiabus suis in ducatu Bajoariorum legitimè pertinere debuerant, gurpivit, atque projecit. Et in postmodum omni lite calcanda, sine ulla repetitione indulsit, & filios, & filias suas in illius misericordia commendavit, & idcirco Domnus noster misericordia motus præfato Thassilloni gratuito animo, & culpas perpetratas indulsit, & gratiam pleniter concessit, & in sua eleemosyna eum in amore dilectionis visus est suscepisse, ut securus Dei misericordia existeret, ut antea. Unde três breves ex hoc capitulo uno tenore conscriptos fieri præcepit: unum in palatio retinendum: alterum præfato Thassilloni, secum ut haberet in Monasterio dandum: tertium verò in sacri palatii capella recondendum fieri jussit.

4. Statuit piissimus Domnus noster rectè consentiente sacra synodo, ut nullus homo sive Ecclesiasticus, sive laicus sit, umquam carius vendat annonam sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quàm modium publicum, & noviter statutum. De modio de avena, denarius 1. Modio ordei denarii 2. Modio sigali denarii 3. Modio frumenti denarii 4. si verò in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento habentes singuli libras duas pro denario dare debeat. Sigalatios 15. æquo pondere pro denario. Or-

Ordeaceos 20. similiter pensantes, avenatios 25. similiter pensantes. De publica verò annona Domni regis, si venundata fuerit, de avena modii duo pro denario, ordeo denario 1. sigalo denar. 2. frumento mod. den. 3. & qui nostrum habet beneficium, diligentissimè prævideat, quantum potest, Deo donante, ut nullus ex mancipiis ad eum pertinentibus beneficio famis moriatur, & quod superest ultra illius familiæ necessitatem, hoc liberè vendat jure præscripto.

5. De denariis autem certissimè sciatis nostrum edictum, quod in omni loco, in omni civitate, & in omni emporio similiter vadant isti novi denarii, & accipiantur ab omnibus. Si autem nominis nostri numisma habent, & mero sunt argento pleniter pensantes. Si quis contradicit eos in ullo loco, in aliquo negotio emptionis, vel venditionis, si ingenuus est homo, 15. solid. componat ad opus regis: si servilis conditionis, si suum est illud negotium proprium, perdat illud negotium, aut flagelletur nudus ad palum coram populo. Si autem ex jussione sui Domini fecerit, tunc ille Dominus solid. 15. componat, si ei approbatum fuerit.

6. Statutum est à Domno rege, & sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis parochiis, si non obedierit aliqua persona Episcopo suo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris clericis, vel etiam aliis, in cujus Parochia veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum: & si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum litteris metropolitani, ut sciamus veritatem rei.

7. Definitum est à Domno rege, & sancta Synodo, ut Episcopus non migret de civitate in civitatem, sed curam habeat Ecclesiæ suæ: similiter Presbyter, & Diaconus maneat in sua Ecclesia canonicè.

8. De altercatione Ursionis Viennensis Episcopi, & advocato Elipanto Arelatensis Episcopi lectæ sunt epistolæ B. Gregorii, Zozymi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt, eo quod Viennensis Ecclesia 4. suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta præmineret, Arelatensis Ecclesia 9. suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret. De Tarentasia verò, & Ebreduno, sive Aquis, legatio facta est ad sedem Apostolicam, & quicquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.

9. Definitum est etiam ab eodem Domno Rege, sive à sancta Synodo, ut Petrus Episcopus contestans coram Deo, & Angelis ejus juraret cum duobus, aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certè cum suo Archiepiscopo, quod ille in mortem regis, sive in regno ejus non consiliasset, neque ei infidelis fuisset, qui dum Episcopus, cum quibus juraret, non invenisset, elegit sibi ipse, ut suus homo ad Dei judicium iret, & ille testaretur absque reliquiis, & absque sanctis Euangeliis solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde esset, & secundum ejus innocentiam Deus adjuvaret illum suum hominem; qui ad illud judicium exiturus erat, & exivit: tamen ejus homo ad judicium Dei neque per regis ordinationem, neque per factam à Synodo censuram, sed spontanea voluntate, qui etiam à Domino liberatus, idoneus exivit: clementia tamen regis nostri præfato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditavit, nec passus est eum esse sine honore, quem prospexit de composito crimine nihil malè meruisse.

10. Definitum quidem à Domno rege, & à sancta Synodo esse dignoscitur, ut Gerbodus, qui se Episcoali. pum esse dicebat, & suæ ordinationis testes non habuit, qui tamen Episcopalia à Magenardo Metropolitano Episcopo consecutus est, qui etiam professus est Diaconum, & Presbyterum non secundum Canonicam ordinationem ordinatum esse, ut ab eodem gradu Episcopatus, quem de se habere dicebatur, deponeretur à præ-

A dicto metropolitano, sive à coprovincialibus Episcopis.

11. Ut Monachi ad sæcularia negotia, neque ad placita exercenda non exeant, nisi ita faciant, sicut ipsa regula præcepit.

12. Ut reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus provinciæ, atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loco ingrediantur.

13. Ut Abbas cum suis dormiat Monachis, secundum regulam S. Benedicti.

14. Ut cellarii in Monasteriis avari non eligantur, sed tales electi sint, quales regula S. Benedicti docet.

15. De Monasteriis, ubi corpora sanctorum sunt, ut habeant oratorium intra claustra, ubi peculiare officium, & diuturnum fiat.

16. Audivimus enim, quod quidam Abbates cupidi-
B tate ducti præmia pro introeuntibus in Monasteria requirunt. Ideò placuit nobis, & sanctæ Synodo, pro suscipiendis in sancto ordine Fratribus, ut nequaquam pecuniæ requirantur, sed secundum regulam S. Benedicti suscipiantur.

17. Ut Abbas in congregatione non eligatur, ubi jussio regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.

18. Ut Abbates qualibet culpa à Monachis commissa nequaquam permittantur cœcare, aut membrorum debilitatem ingerere, nisi regulari disciplinæ subjaceant.

19. Ut Presbyteri, Diaconi, Monachi, & Clerici tabernas ad bibendum non ingrediantur.

20. Ut Episcopum canones, & regulas non liceat
C ignorare.

21. Ut dies Dominica à Vespera usque ad Vesperam servetur.

22. Quod non oporteat in villulis, nec in vicis Episcopos ordinari.

23. De servis alienis, ut à nemine recipiantur, neque ab Episcopis sacrentur sine licentia Dominorum.

24. De Clericis, & Monachis, ut in suo proposito permaneant.

25. Ut decimas, & nonas, sive census omnes generaliter donent, qui debitores sunt ex beneficiis, & rebus Ecclesiarum secundum priora Capitula Domni Regis, & omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad Ecclesiam conferat. Experimento didicimus,
D in anno, quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus devoratas, & voces exprobrationis auditas.

26. Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exinde habent; & ubi repertum fuerit per veraces homines, quod lignamen, & petras, sive tegulas, quæ in domibus Ecclesiarum fuerint, & modò in domo sua habeant, omnia in Ecclesia fiant restaurata, unde abstracta fuerunt.

27. De Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur sine conscientia Episcopi, & litteris commendatitiis, de cujus diœcesi adfuerunt, ne fortè discordia exinde veniat in Ecclesia. Et ubi modò tales reperti fuerint, omnes
E ad eorum Ecclesiam redeant, & nullus eos post se retinere audeat; postquam Episcopus, aut Abbas suus eos recipere voluerit: & si fortè senior ignorat, ubi suum requirere debet Clericum, cum quo fuerit, ipse eum sub custodia retineat, & non permittat eum vagari aliubi, usque dum Domino suo restituatur.

28. Ut non absolutè ordinentur.

29. Ut unusquisque Episcopus sibi subditos benè doceat, & instruat, ita ut in domo Dei semper digni inveniantur, qui canonicè possint fieri electi.

30. De Clericis ad invicem altercantibus, aut contra Episcopum suum agentibus, sicut canones docent, ita omnimodis peragant; & si fortè inter clericum, & laicum fuerit orta altercatio, Episcopus, & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem.

31. De

31. De conjurationibus, & conspirationibus ne fiant: & ubi sunt inventæ, destruantur.

32. Ut monasteria secundum canonicam institutionem fiant custodita.

33. Ut fides Catholica sanctæ Trinitatis, & oratio Dominica, atque Symbolum fidei omnibus prædicetur, & tradatur.

34. De avaritia, & cupiditate calcanda.

35. De hospitalitate sectanda.

36. De criminosis, ut non habeant vocem accusandi majores natu, aut Episcopos suos.

37. De reconciliatione tempore necessitatis.

38. De Presbyteris, qui contumaces fuerint contra Episcopos suos, ut nequaquam communicent cum Clericis, qui in capella Regis habitant, nisi reconciliati fuerint ab Episcopo suo, ne fortè Canonica excommunicatio super eos ex inde veniat.

39. Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad Episcopum suum ducatur, & secundum canonicam constitutionem constringatur, & si fortè negare voluerit, & accusator comprobationem dare non potuerit, & coram Episcopo definitum esse nequiverit, tunc ad universale Concilium illorum ratio deferatur.

40. De puellis, quæ à parentibus privatæ fuerint, ut sub Episcoporum, & Presbyterorum providentia, gravioribus fœminis commendentur, sicut canonica docet authoritas.

41. Ut nullus Episcopus propriam sedem amittat, aliubi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat amplius, quàm tres hebdomadas: & propinqui, vel hæredes Episcopi res, quæ ab Episcopo sunt acquisitæ, aut per comparationes, aut per traditiones, postquam fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant, sed ad suam Ecclesiam catholicè. Illæ autem, quas prius habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus, & propinquis succedant.

42. Ut nulli novi sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur, sed, ii soli, in Ecclesia venerandi sunt, qui ex authoritate Passionum, aut vitæ merito electi sunt.

44. Ut electi judices de utrisque partibus non spernantur.

45. De eorum testibus canonica sit observatio, & parvuli non trahantur ad sacramentum, sicut Guntbadingi faciunt.

46. De Virginibus, quo tempore velandæ sunt, vel quibus occupationibus ante annos 25. detinendæ, si necessitas compellit, ea quærantur, quæ in canone scripta sunt.

47. De Abbatissis, quæ canonicè, aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & regi annuntient, ut ab honore priventur.

48. De oblationibus, quæ in Ecclesia, vel in usus pauperum conferuntur, Canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinaverit.

49. De Presbyteris ante tricesimum ætatis annum non ordinandis.

50. Ut post confecta sacra mysteria in Missarum solemniis omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.

51. De non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.

52. Ut nullus credat, quod nonnisi tribus linguis Deus orandus sit, quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, si justa petierit.

53. Ut nulli Episcoporum, & sacerdotum liceat sacros Canones ignorare.

54. De Ecclesiis, quæ ab ingenuis hominibus construuntur, licet eas tradere, aut vendere tantummodo, ut Ecclesia non destruatur, sed serventur quotidie honores.

55. Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo se à sede Apostolica .i. ab Adriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas: deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset: quia de eodem, sicut de Angilramno Apostolicam licentiam habebat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum ex palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.

56. Commonuit etiam, ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus recipere dignaretur, eo quod esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundum admonitiones Domini regis consensit, & eum in eorum consortio, sive in orationibus receperunt.

CONTROVERSIA.

SHerlogus in Cantica cap. 5. vestigatione 33. explanationis mysticæ sect. 1. studiosè testatur à doctis indagari, num Felix, & Elipandus, quamquam verbis aliud dissimulaverint, reipsa cum Nestorio senserint, & duos Christos intellexerint, alterum purum hominem, alterum divinitate pollentem, an unam personam intelligentes revera à Nestorio discreparint, & ob consequentiam rationum solum Nestorianismi coarguerentur, quod ex adoptione sequeretur extraneam, & adscititiam, ex alia scilicet, & non ex eadem Dei substantia fuisse Christi personam, proinde & divinitate intrinsecè vacuam, solaque accidentali conjunctione Deum esse, ut & Nestorius adstruebat. In eandem non conspirasse cum Nestorio sententiam adstruunt Vasquez tom 1. in 3. part. D. Thomæ disput. 89. cap. 8. Alvarez Dominicanus de Incarnat. disput. 75. & alii: contra opinantur Suarez in eandem 3. part. disput. 49. sect. 3. Baronius tom. 9. anno 794. ac eandem thesim densior juniorum factio sustentat. Ac id se probaturum sufficienter confidit prædictus Sherlogus, nec segniter id præstat adductis in eam rem multis authoritatibus, ac conjecturis in eadem sectione, quam nobis indicasse avido harum controversiarum sufficit. Tamen hic subjiciemus aliquos textus Alcuini ex lib. 1. adversus Elipandum, ex quibus constet eum sic contra ipsum agere, ac si Nestorium, Ebionemque Nestorii antesignanum refelleret. Paratum (inquit charitatis amore pro Christo incensus) cor meum, Deus, paratum cor meum, paratum, divina inspirante gratia, ad proferendam veritatis doctrinam, paratum ad resistendum falsitatis erroribus. Paratum, Domine Jesu, te amare, laudare, & prædicare, paratum te verum Deum, verumque Dei Filium intelligere cum B Euangelista, qui de sacratissima tui pectoris plenitudine catholicæ veritatis hauriens fidem, ait: *hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, &c.* Hæc eadem, Deo miserante, mihi est Adoptio causa contra te scribendi, & tuas destruendi infidelitates, ò Pater Elipande, quæ fuit B. Joanni Euangelistæ sanctum causa scribendi Euangelium, ut sanctarum scripturarum auctoritate, & Catholicæ fidei veritate ostendam Jesum Christum verum esse Filium Dei, &c. Si adoptio est in Christo, non est omnis plenitudo nobilitatis in eo, quia adoptio de quadam extranea persona adsumi solet in Filii nomen, nec quisquam Apostolorum, qui sunt lumina, & doctores totius mundi, Jesu nomini adoptionem addere voluit, &c. nunquam verò alienus, quia nunquam vetus homo fuit: licèt in errore vestro dicatur Christus homo verus; nam B. Hieronymus ait in tract. epist. ad Ephesios. Quid enim in homine, qui à Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit? &c. Hæc una sententia, si fideliter legatur, & vivaciter intelligatur, pessimas vestri erroris evacuat adsertiones: dum vos dicitis Christum veterem hominem, nuncupativum Deum, adoptivum Filium: iste verè nobilissimus doctor Salvatorem nostrum novum hominem, verum Deum, & verè Dei Filium absque ulla

ulla dubietate creatum testatur. Ex his, & similibus A verbis Alcuini toto opere sparsis, intelligitur mentem Elipandi fuisse Christum esse purum hominem, sicut Nestorius, Paulus Samosatenus, aliique post Ebionem putaverant, ac proinde non esse personam divinam, aut Filium Dei naturalem, ejusdem cum eo substantiæ, sed dumtaxat Filium Dei adoptivum ex Dei gratia, sicut sunt alii justi, quæ propositio meritò damnata est, cùm non sint in Christo duæ personæ, sed unica, eaque divina, cui nobilius aliquid filiatione adoptiva competit; cùm adoptio argueret ipsum esse extraneum à Deo. Nec obstat, quod naturam humanam haberet alienam à Deo: quia adoptio non est naturæ, sed personæ.

da- 7. ...us. Aliud caput controversiæ est de Nicæna secunda Synodo, in qua cultus imaginum retentus est contra Iconoclastas; an hæc Synodus damnata fuerit per præ- B sens Concilium, Baronius ad an. 794. ac Bellarminus lib. 2. de imaginibus cap. 14. putant damnatam esse. Unde nonnulli imaginantur quamdam hæresim, quam vocant Francicam contra cultum legitimum imaginum tunc probatam fuisse ab Episcopis Galliæ, sed hi sunt solis pectines. Atque hæc quæstio jam à nobis ventilata est in controversiis sextæ Synodi, ubi ex multis auctoritatibus ostendimus non aliam damnatam esse, quàm quæ Constantinopoli celebrata fuit. Cùm autem septima Synodus generalis. Nicææ celebrata sit, proculdubio non fuit rejecta per hoc Concilium, quod Synodum Constantinopolitanam renuit, ut in secundo Canone patet, qui & iisdem verbis habetur in libris Carolinis, ut non sine testimonio sit. Perpensis autem variis auctoribus, qui varia narrant de hoc facto, eos C in hac re fideliter narranda errasse, non est reformidandum asserere, quod & advertit Binius in notis ad hoc Concilium. Quin etiam, quantum ex actis hujus Concilii patet, illud errore facti labitur non benè informatum de sententia, ac definitione Concilii Constantinopolitani; in quo nunquam talis definitio facta fuit, qualis hic rejicitur. Sicut nec in Nicæno secundo, in cujus act. 7. legitur imaginem Christi non esse adorandam latria, sed adorari, sicut liber Euangeliorum, aut sacra vasa, & in 1. Actione Basilius Ancyranus antè Iconoclasta resipiscens professionem edidit audiente, & probante toto Concilio, in qua dixit imagines se colere, non tamen latria. Quod etiam alii Episcopi in eadem Synodo dixerunt.

Unde Synodus hæc convenit in doctrina cum septi- D ma Synodo Nicææ celebrata, quod cultu supremo latriæ, pari scilicet, ac ipsa Trinitas, imagines non sint adorandæ. Quod etiam nusquam invenitur fuisse definitum in ullo Græciæ conventu, seu Catholicorum, seu hæreticorum fuerit. Sed cùm fama hæc delata fuisset ad Synodum, licèt falsa, locum præbuit secundi Canonis definitioni. Ex qua de ipso Concilio dijudicandum contra mendacia hæreticorum hujus temporis, ut Molinæi Calvinistæ famosi *in Clypeo fidei*, ubi non veretur asserere sect. 120. id plus, quàm vigesies definitum fuisse in illa septima Synodo, cujus quinque splendida mendacia circa eamdem Synodum egregiè refutat Cardin. Richelius in erudito illo tractatu methodi ad reducendos ad Ecclesiam Catholicam devios.

Nec mirum videri debet hunc rumorem sparsum E fuisse de definitione Concilii in Oriente celebrati, quod fortè pauci legerant nondum Latino sermoni redditum, cùm similem famam habeat apud Lutheranos, & Calvinistas Concilium Tridentinum in definitione circa imagines: ut verò erraverit in quæstione facti, non tamen erravit in quæstione juris, cùm ejus definitio sana sit, & integra. Non enim hoc Concilium imaginum usum abrogavit, ut mentiuntur hæretici, confestim enim ob Caroli Magni potentiam Synodo assentientis, executioni decretum mandatum fuisset: sed circa modum cultus imaginum, salva rerum substantia, determinavit eas non esse afficiendas eodem honoris cultu, quo Deus ipse, aut S. Trinitas coleretur. Quod verum est, licèt istud determinaverit, præmisso à quibusdam falso rumore de definitione contraria Synodi Constantinopolit.

Denique, ut varia, quæ narrant historici, & singulorum opiniones percurram, Concilium istud Francofordien. sic describitur in Annalibus Francorum Metensibus, qui habentur tom. 3. scriptorum per Ducennium. *Alia solutio difficilis.* *Anno Dominicæ Incarnationis 794. celebravit rex Pascha in Franconufurt, ibique congregavit Synodum magnam Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum. Ubi fuerunt missi Dom. Papæ, Theophilus, & Stephanus Episcopi. In hac Synodo tertiò condemnata est hæresis Feliciana, quam damnatione per auctoritatem sanctorum Patrum in libro conscripserunt, cui libro omnes sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Eodem tempore obiit Fastrada regina, & in Monasterio sancti Albani honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerunt, ab Episcopis rejecta est. Post hæc rex diviso in duas partes exercitu, &c.* Ubi nostrates hæretici hæc verba, *pro adorandis imaginibus fecerunt*, interpretantur ad adorandas imagines, ideoque tribuunt septimæ Synodo Nicææ ab Adriano probatæ, neque enim Græci alias Synodos ad adorandas imagines fecerunt Sed obstat, quod hæc Nicæna ab Episcopis tot nationum, præsentibus legatis Adriani Papæ, qui rem totam noverant, ut falsa rejici non potuerit. Legati certè id impedivissent: id ergo de Copronymiana intelligitur, quam Græci fecerant pro adorandis imaginibus, hoc est in causa imaginum sacrarum, ac adorandarum, cultu scilicet respectivo, ut explicatur in ipsa Nicæna Synodo. Hic est genuinus sensus auctoris horum Annalium, quem quia non capiunt hæretici, imo & quidam Catholici, illi damnatam prædicant Nicænam Synodum: hi verò probris afficiunt omnes ferè totius Occidentis Episcopos, ac plurimum favent hæreticis. Tot, ac tàm varios semper passa est veritas adversarios. Vide dicta in controv. 7. Synod. class. 2.

Synodus Romana, in causa Leonis congregata in præsentia Caroli Regis, anno Domini 800. & Leonis Papæ tertii, anno 5.

ANno Domini 800. Carolus Magnus Romam se contulit, ut Ecclesiam illam impiorum factionibus perturbatam, in pristinam securitatem restitueret: Ingressus est urbem 8 Kalend. Decemb. Ut autem ea, quorum causa venerat, citius expedirentur, congregata est Synodus, qua Pontifex præsentes Episcopos suæ causæ, criminumque sibi objectorum Judices esse mandavit; quanquam Apostolicam Sedem ab aliorum judicio exemptam esse non ignoraret. Cumque nemo inveniretur, qui objecta crimina probare posset, ipse Pontifex in Basilica B. Petri ferens sacrum Euangelium, ambonem conscendit, & ab objectis criminibus per invocationem divini Numinis se canonicè, & legitimè purgavit. Rem gestam Annales Francorum describunt.

SÆCULUM NONUM.

Concilium Altinense, jussu Paulini Aquilejensis Episcopi congregatum, anno Dom. 802. tempore Leonis Papæ tertii, & Caroli Magni Imper.

SCribunt Annales Venetorum, quod permissu Joannis Venetorum Ducis, & gratia Nicephori Orientalis Imperatoris, Christophorus homo Græcus, Ulivolensis Episcopus constitutus fuerit. Quod cùm Venetiarum Tribuni iniquo animo ferrent, orarunt Joannem Gradensem Patriarcham, ne Christophorum hominem Græcum consecraret: Joannes verò eorum precibus obsecutus, illum non tantùm consecravit, sed etiam à piorum communione semovit. Quo facto Dux Venetorum usque adeò commotus est, ut assumpto filio Mauritio classem ingentem Gradum duxerit, ipsum-

ipsumque oppidum primò adventu occuparit: postque immensam tyrannidem in sacerdotibus exhibitam, Joannem Gradensem Patriarcham arripuerit, & arreptũ è turri celsissima præcipitem dederit, & interfecerit.

Cumque vicini Episcopi hoc scelus gravi pœna expiandum esse sentirent, Paulinus Aquilejensis Synodum istam convocavit, qua, sicut omnibus visum fuerat necessarium, & conveniens, Synodali epistola Caroli Imperatoris, & Francorum Regis auxilium implorarunt. In locum defuncti, Tribunorum studio, suffectus est Fortunatus, Joanni defuncto sanguine conjunctus, quem Pontifex pallio, & Carolus Imperator securitatis diplomate donarunt. Baron. anno 802.

Conciliab. Constantinop. in causa Josephi sacerdotis cujusdam, quem Tarasius Sacerdotio amoverat, celebratum anno 806. tempore Leonis Papæ.

DE causa hujus Concilii in vita Theodori Studitæ hæc scribuntur: *Josephum siquidem illum communi Ecclesiæ calculo à Tarasio jure olim ejectum, ob manifestum ab eo commissum crimen* (Theodorus eum adulterii Imperatoris Constantini copulatorem nominat) *quod nemini obscurum est, non dubitavit iterum tyrannicè, & contra Canones in Ecclesiam revocare, atque ademptum illi Sacerdotium restituere. Quod ut faceret Patriarcha per vim aggressus, ægrè adductus præstitit, veritus opinor, ne atrocius quippiam insanus ille moliretur.* Theodorus in epist. 25. & 30. ad Leonem, hoc Conciliabulum appellat *Synodum hæreticorum, & adulterantium*, quia Episcopi in eo congregati, adulterium Constantini cum Theodote comprobarunt, & Josephum adulterii copulatorem amplexi fuerunt. Vide Baron. anno Domini 806. num. 13. & 14.

Conventus optimatum Galliæ, in villa Theodonis celebratus, quo Imper. Carolus Magnus condito testamento inter tres filios Regnum divisit, anno Domini 806.

EXtat apud Baronium anno 806. num. 17.

In hoc Testamento illud est præcipuè notandum, quod piissimus Carolus dicit, nempe: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, & defensionem S. Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant. Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, ut justitiam suam, & honorem habeant; & pastores, & rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocumque de his tribus Regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.*

Conciliab. Constantinop. secundum contra Theodorum, & Platonem, eorumque socios, congregatum anno Domini 809. tempore Leonis Papæ.

HOc Concilium Theodorus in epistola ad Euprepianum, *proditorum carnificinam, & mœchosynodum* nominat: idque non immeritò, nam postquam Episcopi ibidem congregati, Platonem sanctissimum catenis vinctum in judicium deduxissent, atque universam Ecclesiam Catholicam suos errores aversantem anathematis sententia perstrinxissent, scelestissimum protulerunt decretum, ut conjugium Constantini cum Theodote, vivente adhuc legitima conjuge, quam in Monasterium detruserat, ex dispensatione legitimum dici deberet. Addiderunt in gratiam Imperatoris nefariam, & planè pudendam sententiam, hanc nimirum: Leges divinas adversus reges nihil posse: Martyres non esse nominandos, si qui Joannem, vel Chrysostomum imitati, pro veritate, & justitia sanguinem effudissent: Episcopos in omnibus Canonibus dispensandi potestatem habere. Plura in hac adulterantium Synodo decreta recenset Theodorus in epist. ad Leonem.

De tempore hujus Conciliabuli hæc Theophanes: *Tunc Nicephorus Imperator occasione percepta, cùm Episcopos, & Presbyteros congregasset, Synodum adversus illos celebrari præcepit, per quam à Monasterio, & urbe dejecti* (Theodorum, & Platonem intelligit) *exilio sunt destinati mense Januario, Indictione secunda*, anno nimirum Domini 809. Leonis 14. Caroli 9. & Nicephori Imperatoris Orientalis 8.

Concilium Aquisgranense de addita ad Symbolum voce Filioque, celebratum anno 809. tempore Leonis Papæ tertii.

DE tempore, & causa hujus Concilii Annales Francorum anno Domini 809. hæc scribunt: *Imperator de Arduenna Aquisgranum reversus mense Octob. Concilium habuit de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Joannes quidam Monachus Jerosolymis primò concitavit. Cujus definiendæ causa Bernarius Episcopus Vvormatiensis, atque Jesse Episcopus, & Adelhardus Abbas Monasterii Corbejæ Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conversatione eorum, qui in iis Deo servire dicuntur, nec aliquid tamen in iis definitum est, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem.* Hæc Annales. Baron. ann. 809. à num. 54. usque ad 63.

Concilium Arelatense quartum sub Leone tertio Papa, & Imperatore Carolo Magno celebratum, anno Domini 813.

CAPITULA EJUSDEM CONCILII.

1. SEcundum divinas enim scripturas, & doctrinam, quam à S. Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unius deitatis, atque substantiæ confitemur, in personarum diversitate trinitatem credẽtes, in divinitate unitatẽ prædicantes, nec personas confundimus, nec substantiã separamus: Patrem à nullo factum, vel genitum dicimus, Filium à Patre non factum, sed genitum adserimus, Spiritum verò S. nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre, & Filio profitemur. Ipsum autem Dominum Jesum Christum, Dei Filium, & creatorem omnium, ex substantia Patris ante sæcula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre. Incarnatus est etiam ex Spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice Maria, & natus ex ipsa solus idem Dominus Jesus Christus, unus de S. Trinitate, animam, & carnem, perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens, quod erat, assumens, quod non erat, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus, & homo. Non enim duo Filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura, perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret: devictoque mortis imperio, resurrexit, assumptus deinde in cœlos, venturus est in finem ad judicium vivorum, & mortuorum, cujus morte, & sanguine mundati, peccatorum remissionem consecuti sumus, resuscitãdi ab eo in die novissimo, in ea, qua nũc vivimus, carne, & in ea, qua surrexit idem Dominus, forma, percepturi ab ipso alii pro justitiæ meritis vitam æternam, alii pro peccatis supplicii æterni sententiam. Hæc est catholicæ Ecclesiæ fides, hanc confessionem servamus, atque tenemus. Quam quisquis firmissimè custodierit,

rit, perpetuam salutem habebit. Sanctæ etenim fidei mysterium oris nostri confessione pandentes, ad capitula, quæ ob disciplinam Ecclesiasticam, moresque malè errantium componendos necessaria sunt, unanimitatis nostræ articulum flectere, & quæ opportuna sunt, discretis capitulis diffinire oportet.

2. Ut pro excellentissimo, atque gloriosissimo Domino nostro Carolo rege, seu liberis ejus, omnes Episcopi, Presbyteri, seu Abbates, & Monachi in unum collecti, in quantum extremitas nostra prævalet, Psalmodiam, Missarum solemnia, atque litaniarum officia omnipotenti Deo devotissimè exolvere decrevimus.

3. De baptismo, & mysterio sanctæ fidei, unusquisque Archiepiscopus suos suffraganeos diligenter, studiosèque admoneat, quatenus per studium sacræ lectionis imbuti, & de mysterio sanctæ fidei, & de sacramento baptismatis unusquisque illorum in propria parochia perfectè, studiosèque Presbyteros, & universum populum docere, & instruere non negligat: quia ignorantia mater est cunctorum errorum: & maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populo susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas admonet Paulus Apostolus, dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ*. Sciant igitur Sacerdotes scripturas sanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tàm fidei scientia, quàm operum disciplina.

4. Ut laici Presbyteros, absque judicio proprii Episcopi, non ejiciant de Ecclesiis, nec alios immittere præsumant, quia quando Presbyteri ab Episcopis in parochiis ordinantur, necesse est, ut ab ipsis Episcopis diligenter instructi Ecclesias sibi deputatas accipiant, ne per ignorantiam (quod absit) etiam in ipsis divinis sacramentis offendant: quia à sanctis Patribus institutum est, ut quando ad Concilium venerint, rationem Episcopo reddant, qualiter susceptum officium, vel baptismum celebrent.

5. Ut laici omnino à Presbyteris non audeant munera exigere, propter commendationem Ecclesiæ, quia propter cupiditatem plerunque à laicis talibus Presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni.

6. Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter canonici vivere debeant, necnon & Monachi, ut secundum ordinem canonicum, vel regularem vivere studeant, ut ait Apostolus: *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*.

7. Ut in Monasteria puellarum nonnisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ viri, ad qualcunque earum necessitates, vel ministrationes permittantur intrare: ad faciendas verò Missas; qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio, regredi festinabunt. Alias autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ad puellarum congregationem habebunt accessum, nisi aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.

8. Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Canonicorum, atque Monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possint:

9. De decimis, ut unusquisque de propriis laboribus decimas, & primitias Deo offerat, sicut scriptum est: Decimas, & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.

10. Providimus enim pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, ut Presbyteri ad populum verbum faciant, & ut benè vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.

11. De incestis conjunctionibus, sicut à sanctis Patribus institutum est, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos verò nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit, si quis fratris germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ suæ se societ, si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu polluatur, vel si quid est hujusmodi, quod & hìc adnotare longum est, & in exitii barathrum negligentem quemlibet immergit.

12. De pacis bono, atque concordia, ut ab omnibus omninò indisrupta teneatur inter Episcopos, & Comites, inter Clericos, & Monachos, & omnem populum Christianum, ut beatus Apostolus Paulus docuit, dicens: *Sectamini castitatem, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Et idcircò quicquid illud est, quod nos ad veræ pacis studium, & charitatis professionem provocat, totis viribus nostris sectandum est: quicquid nos ab illa disjungit, ut venenum mortiferum à nobis cavendum est. *Ibid. c. 24. Hebr. 12.*

13. Ut Comites, judices, seu reliquus populus, obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas, & munera pro judicio non recipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant judicia justorum, quia scriptum est: *Justitia elevat gentem, injustitia verò miseros facit populos*. Et Psalm. *Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore*. *Prov. 24. Psal. 105.*

14. Ut unusquisque tempore famis, aut cujuslibet necessitatis, ad se pertinentes pro viribus suis gubernare studeat, quia scriptum est: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et iterum: *Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis*. *Matth. 5. Luc. 6.*

15. Ut pondera, vel mensuræ ubique æqualia sint, & justa, sicut scriptum est: *Æquus modius, & æquus sextarius*. Et iterum: *Pondus, & pondus, mensura, & mensura: utrumque abominabile est apud Deum*. *Levit. 19. Prov. 30.*

16. Ne in Dominicis diebus publica mercatura, neque causationes, disceptationesque exerceantur, & penitus à rurali, & servili opere cessetur, his solummodo peractis, quæ ad Dei cultum, & servitium pertinere noscuntur.

17. Ut unusquisque Episcopus semel in anno circumeat parochiam suam, noverit sibi curam populorum, & pauperum in protegendis, ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt judices, ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendare errorem insolentia, regis auribus intimetur, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

18. Ut Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant: genus enim sacramenti est. Et non ab aliis, nisi à sacerdotibus contingi debet. Quod si fecerint, honore priventur.

19. Ut parentes filios suos, & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant: illi, quia eos genuerunt, & eis à Domino dati sunt: isti, quia pro eis fidejussores existunt.

20. Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec alia ulla possessione priventur.

21. Ut de sepeliendis in Basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis Patribus cõstituta est.

22. Ut placita publica, & sæcularia neque in atriis Basilicarum, neque in Basilicis fiant, dicente Domino: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. *Matth. 21.*

23. Nec Comites, nec Vicarii, seu judices, vel centenarii sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento subripiant, sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram Comite, & judicibus, & nobilibus civitatis facere debebit.

24. Ut unusquisque Episcopus in sua Parochia Presbyteros, vel Diacones diligenter inquirat, & fugitivos omnes Clericos ad loca sua redire jubeat, & propriis Episcopis, aut rectoribus quærentibus reddat.

25. Ut si quis beneficium de rebus Ecclesiæ habet,

ad tecta ejusdem Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvet.

Pœnitent. publicæ. 26. Ut, qui publico crimine convicti sunt, reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum canones. Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quàm brevissimè adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut, si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid secus, quàm se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divina opitulante clementia, perficiatur.

Synodus Turonensis tertia, tempore Leonis tertii, & Caroli Magni, anno Domini 813.

PRÆFATIO.

QUantum piissimi Imperatoris nostri excellens animus divinæ sapientiæ fulgore sit irradiatus ad gubernandum præsentium rerum statum, ipsius Imperii sibi à Deo dati liquidò testantur negotia: quæ quanta sint industria administrata, quantaque prudentia ordinata, qui sapiens, ac intelligens est, facilè perspicere potest: & eo præcipuè, quod hìc toto animo invigilat, investigando, quæ ad pietatem,& veram religionem pertinent, quorum fructus hominem in bono beatitudinis collocat. His igitur intentus, pios, ac religiosos Dei sacerdotes, Ecclesiæ gubernacula in regno sibi divina largitate collato, tenentes, saluberrimis exhortationibus àdmonuit, ut operam darent, & actibus eminerent, quibus & se benè operando, & sibi commissos, verbis, & exemplis instruendo regerent. Diffinitum itaque de locis, & tempore, quando, & ubi coadunari fuerit opus: & quod à tanto principe nobis injunctum est, ad statuta loca convenimus: siquidem urbe Turonis congregati Episcopi, Abbates, & venerabilis clerus, pro parvitate nostra, pauca, quæ ad tantum opus pertinere animadvertimus, & quæ secundum canonicam regulam emendatione indigent, distinctè per capitula adnotavimus, serenissimo Imperatori nostro ostendenda.

CAPITULA EJUSDEM CONCILII.

1. PRimò omnium admonuimus generaliter cunctos, qui nostro conventui interfuere, ut obedientes sint Domino excellentissimo Imperatori nostro, & fidem, quam ei promissam habent, inviolabiliter conservare studeant. Orationes quoque assiduas intentè fundere pro ejus stabilitate, ac incolumitate, omnes se velle secundum nostram admonitionem unanimiter professi sunt, ut misericordia divina longiori ævo illius mansuetudinem conservare dignetur.

2. Ut omnes Episcopi studiosè operam divinæ dent lectioni: sanctum Euangelium, & epistolas beati Pauli Apostoli, non solùm crebro lectitent, sed etiam quantum possint, memoriæ studeant commendare, sanctorumque Patrum opuscula super eadem exposita, devotè frequentent. Similiter & de cæteris libris canonicis faciant.

3. Nulli Episcopo liceat canones, aut librum pastoralem à B Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque, quasi in quodam speculo, assiduè considerare.

4. Solicitè studeat unusquisque Episcopus gregem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare. Et ipse Episcopus vita, habitu, forma, & conversatione sancta, suis sit subjectis exemplum, ut juxta Dominicam vocem, *videant opera ejus bona, & glorificent Patrem Deum, qui in cælis est.* Matth. 14.

5. Episcopum non oportere nimium profusis incumbere conviviis, sed parco, & moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententia, dicentis: A *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*, & quandiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quàm otiosa à susurronibus resonent verba. Luc

6. Peregrini, & pauperes convivæ sint Episcoporum, cum quibus non solùm corporali, sed & spiritali reficiantur alimento.

7. Ab omnibus, quæcunque ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur (quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei sacerdotes abstinere debent: quia per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscœnorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, cęterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

B 8. Sacerdotibus non expedit sæcularibus, & turpibus quibuslibet interesse jocis, venationes quoque ferarum, vel avium minimè sectentur.

9. Presbyteri quoque, & Diacones, in omnibus bonorum operum exhibitionibus sui Episcopi vestigia sectentur: & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo sunt observanda, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

10. Episcopi quidem maximam curam, & solicitudinem circa pauperes habeant, & res Ecclesiasticas Ecclesiis collatas, cauta circunspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores: illisque ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

C 11. Licitum sit Episcopis, præsentibus Presbyteris, & Diaconibus, de thesauro Ecclesiæ, familiæ, & pauperibus ejusdem Ecclesiæ, secundum canonicam institutionem, juxta quod instituerint, erogare.

12. Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est, trigesimum ætatis annum, sed, priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in Episcopio discendi gratia officium suum tamdiu, donec possint & mores, & actus ejus animadverti. Et tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur. Semi rium.

13. Ut unusquisque Episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius parochia in suam commigrans, officium celebrare præsumat sine litteris commendatitiis, sicut olim D multis in locis actum esse repertum est.

14. De titulo minori ad majorem migrare, nulli Presbytero licitum sit: sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus: si de minore ad majorem transmigraverit sedem.

15. Quicunq; Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus quolibet expulso, omnimodis deponatur, quoniam & ille contra Ecclesiasticæ regulę disciplinam agere dignoscitur, qui alium Presbyterũ legitimè ad prædictã Ecclesiam ordinatum, per pecuniam expulerit, eãq; sibi taliter vendicaverit, quod vitium latè diffusũ, sũmo studio emendandum est. Itemq; interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia, & consensu Episcopi sui. Locu tilus

E 16. Ut decimæ, quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum, à Presbyteris ad usum Ecclesiæ, & pauperum summa diligentia dispensentur.

17. Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet Episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, id est, de fide Catholica, prout capere possint: de perpetua retributione bonorum, & æterna damnatione malorum: de resurrectione quoque futura, & ultimo judicio, & quibus operibus possit promereri beata vita, quibusve excludi. Et ut easdem homilias quisque apertè transferre studeat in Rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur.

18. Episcoporum sit magna sollicitudo, Presbyteris suis

ſuis tradere baptiſmi ſacramentum, & quid in eodem renunciandum, quidve credendum ſit. Renunciatur ergo diabolo, & omnibus operibus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur, & ſunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his ſimilia, quæ nimirum diabolico inſtinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perpetrentur. Pompæ verò ejuſdem ſunt, ſuperbia, jactantia, elatio, vana gloria, faſtus, & alia quamplurima, quæ ex his oriri videntur.

19. Presbyteri omnino admonendi ſunt, ut cum ſacra miſſarum ſolennia peregerint, atque communicaverint, pueris, aut aliis quibuslibet perſonis adſtantibus, corpus Domini indiſcretè non tribuant. Qui ſi fortè majoribus peccatis fuerint irretiti, magis ſibi damnationem, quàm remedium ſumere noſcuntur, juxta ſententiam Apoſtoli dicentis: *Quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

20. Item Presbyteris injungendum eſt, ne ſacrum chriſma foras cum clave dimittant, ubi à quolibet attingi poſſit. Nam criminoſos eodem chriſmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi poſſe, à multis putetur.

21. Servandum Presbyteris firmiter ſtatuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi, bibendive cauſa. Quod ſi poſt hæc ſtatuta facere præſumpſerint, canonica decernimus ſententia feriendos.

22. Epiſcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus, tempus abſtinendi aſcribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abſtinentia indicetur: quoniam variè ab aliquibus ſacerdotibus, & indiſcretè hæc judicia proferuntur. Ideo neceſſarium videbatur nobis, ut cum omnes Epiſcopi ad ſacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potiſſimum ſit ſequendus.

23. Canonici, & clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur refectorio, quo faciliùs poſſint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita, & converſatione ſua admoneri, & doceri. Victum, & veſtimentum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari, ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur: dimiſſoq; Eccleſiaſtico officio, incipiant indiſciplinatè vivere, & propriis deſervire voluptatibus.

24. Simili modo & Abbates Monaſteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſolicitè ſuis provideant canonicis, ut habeant clauſtra, dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur. Horas canonicas cuſtodiant, victum, & veſtimenta, juxta quod poterit Abbas, habeant, quo facilius ad Dei ſervitium poſſint conſtringi. Sintque Abbates ſibi ſubditis benè vivendo duces, & prævii, viamque demonſtrent, qua rectè gradiendo, ad meliorem vitam pervenire valeant.

25. Monaſteria monachorum, in quibus olim regula B. Petri Benedicti conſervabatur, ſed nunc forte qualicunque negligentia ſubrepente, remiſſius, ac diſſolutius cuſtoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur, ut ad priſtinum revertantur ſtatum, & Abbates eorundem in eodem habitu, ac vita, qua ipſa regula præcipit eos incedere, vivere ſtudeant: quoniam aliqua ſunt monaſteria, in quibus jam pauci ſunt monachi, qui prædicti patris regulam, ſuis Abbatibus promiſſam, habeant: quippe cùm ipſi Abbates magis canonicè, quàm monachicè inter ſuos converſari videntur.

26. Porro in Monaſteriis puellarum multa inveniri poſſunt, quæ emendatione indigent. Nam quædam abbatiſſarum negligentius, quàm oporteat, vivere dicuntur, & ob hoc earum vitá, & converſatio à multis diffamatur: ſed talium actus ſubditam familiam imitari velle, credendum eſt. Victus etiam, & veſtimenta, aliaque nonnulla neceſſaria, quæ jure ab abbatiſſis præparari debuerant, abſtracta ſibi eadem conqueritur familia.

27. Ut juvenes viduæ cito nequaquam velentur, uſque dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota ſit converſatio, ne forte de eiſdem dici poſſit ab Apoſtolo: *Quæ autem in deliciis ſunt, viventes mortuæ ſunt.* 1. Tim. 5.

28. Virginibus quoque ſacrum velamen accipiendum decreta Patrum interdicunt ante viginti quinque annos, niſi forte aliqua cogente neceſſitate, pro qua licitum eſt hæc ſtatuta mutare, ut in canonibus, ſi requiratur, poterit. *Carth. 3. cap. 4. & d. 27. Placuit, ut ante 1. qu. Placuit, ut.*

29. Presbyteris, diaconibus, cæteriſque clericis, infra clauſtra Monaſteriorum puellarum non ſit conceſſum habitare. Neque enim intrent Monaſteria, niſi tempore, quo Miſſarum ſolennia celebranda ſunt, vel alia quælibet Eccleſiaſtica officia peragenda: quibus peractis ſtatim egrediantur, nec ibi poſtea aliquam moram faciant. Similiter & aliis hominibus, eadem Monaſteria importunè frequentare cupientibus, omnis aditus præcludatur.

30. Abbatiſſæ abſque ſui Epiſcopi licentia foras Monaſterium egrediendi non habeant poteſtatem, niſi cùm ad piiſſimum Imperatorem noſtrum proficiſci voluerint, ſed tantùm in ſuis permaneant Monaſteriis, ibique & ſeipſas cuſtodire, ſibique commiſſas ſervare, quanta poterunt vigilantia, decertent.

31. Ut in Monaſteriis canonicorum, Monachorum, ſeu puellarum, major hominum numerus non admittatur, quàm facultas Monaſterii poſſit ſufferre.

32. Omnes homines, & maximè Chriſtiani, ſtudeant inter ſe pacem, unanimitatem, & concordiam habere, odium verò, & diſcordiam longè à ſe propellere, neque pro terreno, & caduco quæſtu quis invidiæ ſtimulis agitatus felicitati fratris invideat: ſed potius bona, quæ ſibi optat, eadem & proximis æqualiter cupiat.

33. Comitibus, judicibus, reliquoque populo expedit, ut ſuis ſint Epiſcopis conſentientes, & obedientes propter Dei amorem, ſuique gradus honorem, & ſemper ab eis utile quærant conſilium, illorumque ſalubria non ſpernant monita, ſed intenta cordis aure audiant. Similiter verò & Epiſcopi prædictas perſonas humiliter ſuſcipiant, honorificeque erga eos in omnibus agant, & ſic ſeſe mutuis ſtudeant ſublevare conſolationibus.

34. Summopere admonendi ſunt comites, & judices, ne viles, & indignas perſonas coram ſe permittant ad teſtimonium accedere: quoniam multi ſunt, qui pejerare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro unius diei ſatietate, aut pro quolibet parvo precio ad juramentum conduci poſſint, animaſque ſuas perjurio perdere minimè formident. Quamobrem tales nequaquam ad quodlibet teſtimonium admittendi ſunt. Et hoc notandum, quod non ſolùm, qui pejerant, ſed etiam qui perjuris conſentitur, ſimili plectendi ſunt damnatione.

35. Nullus Chriſtianus pro quolibet placito, vel judicio, à qualibet perſona munera exigere, aut accipere debet: quoniam id divina ſcriptura multis in locis magna interdicit authoritate, teſte ſcriptura, quæ ait: *Munera excæcant oculos ſapientium, & ſubvertunt verba juſtorum.* *Exo. 18. Deu. 16.*

36. Omnibus communiter intimetur, ut unuſquiſque omni tempore ſuam familiam, & ad ſe pertinentes inopes, alere, ac vegetare ſtudeat: quoniam impium eſt, & Deo odibile, eos, qui divitiis affluunt, nimiiſque operibus abundant, non adjuvare miſeros, & indigentes.

37. Sciendum eſt, quod exceptis diebus Dominicis, & illis ſolennitatibus, quibus & univerſalis Eccleſia,

ob recordationem Dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum
Matth. 26. d. Acto. 7. g. Act. 20. g. indulgentiam deposcendum est, cujus rei in Euangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanum martyrem, & Apostolum Paulum eadem fecisse, liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad
Eccl. 10. terram prosterni, ne forte illi dicatur: *Quid superbis terra, & cinis?*

38. Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad Ecclesiam conveniunt, sine strepitu, ac tumultu eam ingrediantur: in qua etiam, quamdiu orationis causa morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes. Sed & tempore, quo Missarum solemnia celebrantur, non solùm ab otiosis, & inutilibus
B verbis, verumetiam & à perniciosis cogitationibus funditus abstinendum est.

39. Placita quidem secularia in Ecclesiis, vel in atriis Ecclesiarum, à comitibus, vicariisque usque modo multis in locis habita, ne ultra fiant, interdicendum est, cum authoritate Domini, qui expulsis de templo negotiatoribus, adseruit debere domum Dei domum esse orationis.

40. Itemque interdicatur, ne mercata, & placita usquam fiant die Dominica, qua oportet omnes Christianos à servili opere, in laude Dei, & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare.

41. Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos, heu proh dolor, reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommo-
C dare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per secularis potentiæ disciplinam, à tàm prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt revocari. Quorum aliquos jam excommunicavimus; sed illi hoc parvipendentes, in eisdem perdurarunt criminibus. Quamobrem vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum sit.

42. Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint, magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui ho-
D stis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

43. Omnes homines admonemus, ne per singula verba, quasi ad confirmationem suæ assertionis, nomen Domini in vanum adsumant. Quod ipse Do-
Exod. 20. minus interdicit faciendum, ubi ait: *Ne adsumas nomen Dei tui in vanum.* In vanum etenim nomen Dei adsumitur, quando aliquis ad singula verba, quibus vult, ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem, testem rei, de qua ait, invocat, eumque sibi ita esse adjutorem, sicut ea vera sunt, quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in Euangelio hoc modo prohibens
Matth. 5. omne genus juramenti: *Nolite*, inquit, *omnino jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum, &c.*

44. Propter diversas occasiones res pauperum mul-
E tis in locis valdè attenuatæ sunt, eorum scilicet dicimus, qui liberi esse noscuntur, & sub potestate potentiorum sunt constituti, quorum si negotia, & causas clementia piissimi principis nostri diligenter investigari jusserit, reperientur quamplurimi diversis occasionibus ad ultimam paupertatem jam redigi.

45. Quod mensuræ, & pondera justa ubique haben-
Prov. 11. da sint, testis est Salomon, qui dicit, quod *statera dolosa abominatio sit apud Deum, & pondus æquum vo-*
Matth. 7. *luntas ejus.* Et Dominus in Euangelio: *In qua mensura*, inquit, *mensi fueritis, remetietur vobis.* Quod licèt de manu tua ibi dictum intelligi possit, tamen non absurdè, & de hac re dictum accipi valet.

A 46. Nonas, ac decimas, quas, qui res Ecclesiasticas tenent, solvere Rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt ad luminaria, & stipendia clericorum, multis in locis abstractas esse vidimus. Quod sæpe jam missis vestris in publicis indicavimus placitis. Sed inde hactenus aut parvum, aut nullum consecuti sumus effectum. Similiter & de restauratione tectorum nobis necessitas incumbit indicare, quia non tantùm domus Monasteriorum, sed & ipsæ Ecclesiæ propter tectorum inopiam ruinas minantur.

47. Jejunia quando generaliter pro aliqua necessitate indicuntur, diligenter ab omnibus custodienda sunt, & observanda. Nec se aliquis improbitate gulæ patiatur corrumpi, ut de communi consortio sequestratus, effectum jejunii, quem cum cæteris abstinendo consequi debuit, ingluvie ventris victus, turpiter amittat.

48. Ebrietatem, & crapulam fideles sectari non debere, Dominus in Euangelio author est, qui suis auditoribus ita præcipiens: *Attendite*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*: quæ vitia modo apud homines nullius momenti esse putantur. Luc. Sed quanta mala de illis generari soleant, facilè non possunt comprehendi. Generantur enim de illis quique noxiores corporum morbi, ut physici testantur. Ad statum quoque mentis evertendum, quantum noceat ebrietas, facilè deprehendi potuerit: quippe cum pene omnium malorum, quæ ab hominibus raptim perpetrantur, causa sit, & origo ebrietas.

49. Admonendi sunt Domini subditorum, ut circa suos piè, & misericorditer agant, nec eos qualibet injusta occasione condemnent: non vi opprimant, non illorum substantiolas injustè tollant: nec ipsa debita, quæ à subditis reddenda sunt, impiè, ac crudeliter exigantur.

50. Ut si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur. Fre. com

51. Diligenter tractare, & inquirere pariter cœpimus in conventu nostro, sicut pia serenissimi principis nostri nobis injungit admonitio, de illis hominibus, qui exhæredati esse dicuntur. Si aliquis esset, qui nostris temporibus voluisset dicere, se à quolibet nostrum illis privari rebus, quas pater ejus, aut mater, aut frater, vel aliquis propinquorum ad Ecclesias Dei dedissent, & in ejus nomine iterum precaria à Rectoribus Ecclesiarum acciperetur: sed in eodem conventu nostro neminem reperimus, qui de hac re adversus nos conqueri voluisset. Nam pene nullus est, qui res suas ad Ecclesias donet, nisi de rebus Ecclesiasticis, aut tantum quantum donavit, aut duplum, aut triplum usufructuario accipiat: & quibus ille tunc, vel quantis filiis, aut propinquis, à Rectoribus impetraverit, post discessum ejus eadem conditione, qua ille tenebat, posteri ejus sibi vendicent. Hic usus, & hæc ratio apud nos usque modo de talibus tenebatur. Nam & nobis visum est, prædictis hæredibus hanc dare optionem, ut si voluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua illi jam erant per legem exclusi, Rectoribus Ecclesiarum se commendarent, & hæreditatem illam in beneficium, unde se adjuvare, ac sustentare possent, acciperent. Hæc nos in conventu nostro ita ventilavimus: sed quomodo deinceps piissimo principi nostro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli, libenti animo ad nutum, & voluntatem ejus parati sumus.

Synodus Cabilonensis II. sub Leone III. Papa habita, & Imperatore Carolo Magno Anno Domini 813.

PRÆFATIO.

Auxiliante Domino nostro Jesu Christo, & imperante serenissimo, atque inclyto Augusto Carolo,

rolo, convenimus Episcopi, & Abbates totius Galliæ Lugdunensis in urbem Cabilonensem, & de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda, & ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudenti examine, ea, quæ rationabiliter decrevimus, confirmantur: sic ubi minus aliquid egimus, illius sapientia suppleatur.

Capitula Synodi Cabilon.

1. DEcrevimus juxta sanctorum Canonum constitutionem, & cæterarum scripturarum sanctarum doctrinam, ut Episcopi assiduè sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, & cum David quotidie dicant: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, ita videlicet, ut illas
l. 118. scripturas notissimas habeant, quæ Catholicæ appellantur, & earum sensum per Patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant, & librum B. Gregorii Papæ de cura Pastorali: & secundum formam ibidem constitutam, & vivant, & prædicent.

2. Ut ea, quæ legendo perscrutantur, opere compleant, juxta illud: *Cœpit* Jesus *facere, & docere*. Et
or. 1. illud: *Et memoria tenentibus, ut faciant ea*. Et illud:
l. 118. *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde*
.2. *exquirunt ea. Non enim, qui operantur iniquitatem,*
or. 14. *in viis ejus ambulaverunt*. Et, *Quia non auditores legis, sed factores ejus justificabuntur*. Et, *Regnum Dei non in sermone, sed in opere. Et sint subditis norma vivendi*, ita videlicet, ut & verbis, & exemplis populo ad æternam patriam pergenti ducatum præbeant, ut vita eorum, & doctrina nequaquam discordent: sed, quę dicunt, faciant, &, quæ faciunt, docere studeant. Et prædicatione assidua plebem admoneant, & falce justitię à credentium mentibus vitiorum spinas eradicent, & verbi Dei semine agros mentis eorum ad fecunditatem perducant.

3. Oportet etiam, ut sicut Dominus Imperator Ca-
chola ologica rolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, justitiæ, & temperantiæ, præcepit, scholas constituant, in quibus & literas solertia disciplinę, & sacræ scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino: *Vos*
th. 5. *estis sal terræ*, & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solùm diversis hæresibus, verùm etiam Antichristi monitis & ipsi Antichristo resistatur, ut meritò de illis in laude Ecclesiæ
t. 4. dicatur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*.

4. Opportunum ducimus, ut humilitatem, atque religionem & in vultu, & in opere, & in habitu, & in sermone demonstrent, ut benè agentes & habitu, & vultu demulceant: malè agentibus verò ipso suo visu
eg. 7. terribiles sint, juxta illud, quod in tabernaculo Dei
th. 10. boum, & leonum effigies expressæ memorantur. Et
im. 3. Dominus in Euangelio & astutiam serpentis, & simplicitatem columbę habendam percenset.

5. Ut juxta Apostoli vocem, sacerdotes irreprehensibiles sint, & moribus ornati. Et nequaquam turpibus
im. 3. lucris deserviant, juxta illud, quod ait Scriptura: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut eis placeat; cui se probavit*, & à turpibus lucris, & usuris non solùm ipsi abstineant, verùm etiam plebes sibi subditas abstinere instituant.

6. Imputatur quibusdam fratribus, eo quod avaritiæ causa hominibus persuadeant, ut abrenuntiantes sæculo, res suas Ecclesiæ conferant: quod penitus ab omnium mentibus eradicandum est. Animarum etenim salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena, debet: quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque

A spontanea esse debet, juxta illud, quod ait scriptura: *Voluntariè sacrificabo tibi*. Et illud: *Omnis populus* *Psal. 35.*
mente devota obtulerunt donaria Domino. Ecclesia *Exod. 35.*
verò sancta non solùm fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri necessitatem patientes, à sancta Ecclesia, utputa à pia matre, & omnium gubernatrice, subsidium accipiant: quia res Ecclesiæ, quibus Episcopi non ut propriis, sed ut commendatitiis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.

7. Constituit sanè sacer iste conventus, ut Episcopi, sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in
B avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed & potius subripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, sive regulari, ut puta turpis lucri sectatores, subjaceant. Hi verò, qui vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum Domini esse nescientes, comam deposuerint, in eo, quod cœperunt, perseverare cogantur. Res namque, quæ ab illectis, & negligentibus datæ, ab avaris, & cupidis non solùm acceptæ, sed raptæ noscuntur, hæredibus reddãtur, qui dementia parentum, & avaritia incentorum, exhæredati esse noscuntur.
C Si verò nescientibus Episcopis, aut Abbatibus ministri eorum, quilibet videlicet in clero, hoc fecisse convincuntur, Episcopi, & Abbates desidia, illi verò rapacitate, & avaritia judicentur. Hoc verò, quod quisque Deo justè, rationabiliter de rebus suis offert, Ecclesia tenere debet.

8. Oportet etiam, ut si quando sacerdotes fruges, vel quosdam redditus terræ congregant, & protelant: non ideò hoc faciant, ut cariùs vendant, & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant.

9. Ab omnibus oculorum, auriumque illecebris sacerdotes abstinere debent, & canum, accipitrum, falconum, vel cęterarum hujuscemodi rerum curam parvipendere, & histrionum, sive scurronum, & tur-
D pium, seu obscœnorum jocorum insolentiam non solùm ipsi respuant, verùm etiam fidelibus respuenda percenseant.

10. Ut sobrietatem sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent: quia non potest eam liberè prædicare, qui se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc & de commessationibus, & de cęteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus, servandum est.

11. Ut Episcopus ad forum, neque ubi publicè ne- *Joan. 7.*
gotia judiciaria exercentur, non pergat, suæ causæ suffragaturus: nisi fortè, ut aut pauperibus oppressis succurrat, aut viduis, & orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei judices admoneat, ut juxta Domini præceptum, justa judicent judicia. Hoc & de Abbatibus, & de presbyteris, & diaconibus, & maxime
E monachis observandum est. Si verò eorum, qui in clero sunt, propria causa agenda est, cùm licentia Episcopi, & advocato pergat, & suæ causæ cum justitia suffragetur.

12. Ut neque presbyteri, neque diaconi, neque monachi villici fiant.

13. Dictum est interea de quibusdam fratribus, quòd eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quòd digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ, in qua ordinantur: quod juramentum, quia periculosum est, omnes unà inhibendum statuimus.

14. Cavendum sanè est, ne, cùm Episcopi Parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant, nec (quod absit) cum charitate, sed cum quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Observandum etiam mo-

modis omnibus, ut si quando eis peragrandę parochiæ necessitas incumbit in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potius, quàm in deprædandis, & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus, operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus, aut subditis aliquid accipiendum est, hoc summoperè observare debent, ne quem scandalizent, aut gravent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & verbi Dei prędicator, sumptus, ubi proprii desunt, à fratribus accipiat, & item fratres illius potentia non graventur, exemplo Apostoli Pauli, qui, ne quem gravaret, arte, & manibus victum quęrebat. 2. Thess. 3.

15. Dictum est etiam, quod in plerisque locis Archidiaconi super presbyteros parochianos quandam exercent dominationem, & ab eis census exigant, quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet. Si enim Episcopi, juxta B. Apostoli sententiam, non debent esse *dominantes in clero, sed forma facti gregis, ex animo*: multo minus isti hoc facere debent, sed contenti sint regularibus disciplinis, & teneant propriam mensuram. Et quod eis ab Episcopis injungitur, hoc per parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem, & avaritiam pręsumentes. 1. Pet. 5.

16. Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquę fuisse in eorum Ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus Ecclesię concinnandis, binos, vel quaternos denarios presbyteri darent. Unde omnes uno consensu statuimus, ut sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est; ita etiam pro Balsamo, sive luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque de facultatibus Ecclesię Balsamum emant. Luminaria singuli in Ecclesiis suis concinnanda provideant.

17. Inventum est, quod in quibusdam locis presbyteri duodenos, vel quaterdenos denarios Episcopis in censum annis singulis darent. Quod penitus abolendum omnes decrevimus.

18. Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi, & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vades accipiant, & à presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecunias dividant: quod penitus abolendum decrevimus, ne fortè avaritiæ locus detur. Et constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam pęnitentia mulctentur. Qui verò decimas post crebras admonitiones, & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos constringi nolumus propter periculum perjurii.

19. Questi sunt præterea quidam fratres, quòd essent aliqui Episcopi, & Abbates, qui decimas non finerent dari Ecclesiis, ubi illi coloni Missas audiunt. Proinde decrevit sacer iste conventus, ut Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum, vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias dari faciant: familia verò ibi det decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.

20. Si inter omnes fideles pax, & concordia habenda est, dicente Apostolo: *Sequimini pacem, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: multò magis inter Episcopos, & Comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem, populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solùm non noceant, quin potiùs adminiculo sint. Heb. 12.

21. Comitibus verò, & judicibus hoc summopere observandum est, ut justè judicent, & nequaquam in judicio munera, seu personas accipiant, dicente Domino: *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum*. Deut. 16. Sed & ministros, quos vicarios, & centenarios vocant, justos habere debent: ne fortè eorum avaritia, aut rapacitate populus gravetur, & amissis facultatibus, in paupertatem redigatur. Testes verò probatissimi, & pauci de pluribus esse debent tales, de quorum fide non dubitetur. Multum autem pravorum testium cupiditate, & falsitate læditur respublica.

22. De Abbatibus verò, & Monachis idcirco hìc pauca scribimus, quia penè omnia Monasteria regularia, in his regionibus constituta, secundum regulam S. Benedicti se vivere fatentur: quæ beati Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis vivendum sit. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundum ipsum ordinem vivitur, & ubi ab ipso ordine digressum est, & juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se, ut ita viverent, cum attestatione professi sunt.

23. Decrevimus autem secundum institutionem, presbyterorum, diaconorum, & cęterorum graduum inferiorum ordinationes, statutis temporibus fieri debere.

24. De Episcopis verò, presbyteris, & diaconibus, & Monachis interfectis, quærendum à Domino Imperatore est, cui illius homicidii pretium exolvendum sit.

25. Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servetur, ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publica mulctetur pęnitentia: & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur. Peni[tentia pu]blica

26. Perlatum ad nos est, quòd inter hæredes, Ecclesiæ in rebus propriis constitutę, dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut unius altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant presbyteros: quòd sine discordia, & simultate nullo modo geri potest. Unde nobis visum est, quod hujuscemodi Ecclesiæ inter hæredes dividi non debeant, & si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto, atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberę ibi suum ministerium peragere possit.

27. Dictum nobis est, quòd quidam de plebe bis, & ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere.

28. Interrogaverunt nos quidam de affinitate propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia jungenda sint. Quibus nos ad Canones currere præcepimus, & quod in eis continetur, hoc ab eis, in hoc negotio, sicut & in cæteris, observari debere.

29. Sanè, quæ in proprio viro, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat, eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne una*. Ephes. Genes.

30. Dictum nobis est, quòd quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non admittentes illud Euangelicum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant: sed in uno conjugio permanentes, dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Matth.

31. Dictum etiam nobis est, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, ut à viris suis separentur, proprios filios coram Episcopis ad confirman-

mandum tenuiſſe. Unde nos dignum duximus, ut ſi qua mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua coram Epiſcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam ſuam, vel fraudem, quamdiu vivat, agat pœnitentiam, à viro tamen ſuo non ſeparetur. A

ra ab . uſ- d 38 ula- uiſſe ſio- em- aroli i.

32. Sed & hoc emendatione egere perſpeximus, quod quidam dum confitentur peccata ſua ſacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio: ſcilicet ut ea confiteantur, quæ per corpus geſta ſunt: & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur. Inſtruendus eſt itaque peccatorum ſuorum confeſſor, ut de octo principalibus vitiis, ſine quibus in hac vita difficilè vivitur, confeſſionem faciat: quia aut cogitatione, aut (quod eſt gravius) opere eorum inſtinctu peccavit. Odium B etenim, invidia, ſuperbia, vel cæteræ hujuſcemodi animæ peſtes, tanto periculoſius lædunt, quanto ſubtilius ſerpunt.

33. Quia quidam ſolummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam ſit Eccleſiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi: Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Et ſecundum inſtitutionem Apoſtoli, *confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur*. Confeſſio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò, quæ ſacerdoti fit, docet, qualiter ipſa purgentur peccata. Deus C namque ſalutis, & ſanitatis author, & largitor, plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ inviſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione.

31.

i 5.

34. Quia igitur Apoſtolo teſte, *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, & in omnibus judiciis cavenda eſt: multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus ſacerdotum unquam aut gratia, aut odio alicujus perſonæ ſecus judicet, quàm quod in canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundum ſacrarum ſcripturarum authoritatem, & Eccleſiaſticam conſuetudinem, rectius viſum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter perſonæ cujuslibet acceptionem, his, quos ſanare cupiunt, cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt: multo magis idipſum his obſervandum eſt, qui non corporum, ſed animarum medici exiſtunt. Neque enim penſanda eſt pœnitentia quantitate temporis, ſed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. D

. 2. 6. 3. o.

50.

35. Multi (quod ſine dolore dicendum non eſt) in pœnitentia non tàm peccati remiſſionem, quàm temporis conſtituti expectant expletionem. Et ſi carnium, & vini uſus eis interdictus eſt, mutata non voluntate, ſed ejuſdem cibi, aut potus perceptione, in tantum deliciis ſuis indulgent, ut delicioſius, his interdictis, aliorum ciborum, vel potionum appetitu vivere cognoſcantur. Spiritalis autem abſtinentia eſt, quæ in E pœnitentibus vigere potiſſimum debet, & quorumdam ciborum, ac potionum perceptiones, & deſiderium fugere debet: ille, inquam, ille magis parſimoniæ ſervire cenſendus eſt, qui ſibi non ſolùm quarundam rerum perceptiones, ſed delectationes corporis penitus interdicit.

36. Sed nec hoc prætereundum putavimus, quod quidam ex induſtria peccantes, propter eleemoſynarum largitionem, quandam ſibi promittunt impunitatem. Eleemoſyna enim extinguit peccata, juxta illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccata*. Sed ea, quæ aut neceſſitate, aut caſu, aut qualibet ſiunt fragilitate: ea verò, quæ ex induſtria, aut cujuslibet libidinis explendæ cauſa idcirco ſiunt, ut eleemoſynis redimantur, nequaquam eis redimi poſſunt: quia qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede conducere, ut eis impunè peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, ut eleemoſynam faciat: ſed ideo eleemoſynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim, & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio, & contritio debet reducere ad veniam.

37. Cum igitur omnia concilia canonum, qui recipiuntur, ſint à ſacerdotibus legenda, & intelligenda, & per ea ſit eis vivendum, & prædicandum: neceſſarium duximus, ut ea, quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus ſcribitur, hoc ab eis crebro legatur, & benè intelligatur; & in populo prædicetur.

38. Modus autem pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum authoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem (ſicut ſuperius dictum eſt) imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum ſunt certi errores, incerti authores. De quibus rectè dici poteſt: *Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant*. Qui dum pro peccatis gravibus leves quoſdam, & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos, ſecundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.

Libelli pœnitentiales.

Ezec. 13.

39. Viſum præterea nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, & pro quibuslibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in miſſarum ſolemnitatibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur ſancta Eccleſia tenet, ut & in miſſarum ſolemnitatibus, & in aliis precibus Domino ſpiritus quieſcentium commendet, dicente beato Auguſtino: Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, quos ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi.

Antiquus mos orandi pro defunctis.

Nota. Ex hoc canone gravis oritur difficultas, ſuppoſito, quod ex ſingulis miſſis aliqua pars fructus ſacrificii proveniat ſingulis animabus in purgatorio, idque ex opere operato; cum ſacrificium miſſæ ſuo effectu non privetur, vix poterunt multo tempore habere aliquem reatum pœnæ, ut infert Suarez de *Euchariſtia* diſp. 78. ſect. 2. cum tamen conſtet magnam multitudinem animarum diu ſatis in purgatorio expiari, ut probat Bellarminus de gemitu columbæ cap. 19. ex hiſtoria venerabilis Bedæ, & ex Thoma Cantipratenſi in vita beatæ Chriſtinæ mirabilis. Duas cauſas hujuſce multitudinis ſuggerit Fabritius Pignatellus in Monte propitiatorio l. 5. qu. ex occaſione hujus canonis. Una eſt, quod multi remanent in macula peccati mortalis uſque ad mortem, unde valdè magnus reatus pœnæ temporalis illis reſtat, qui non tàm cito exhauriri poteſt. Alia eſt pro iis, qui venialibus tantùm ſunt obnoxii, qui cum iis non dimiſſis moriuntur: maxima enim eorum multitudo. O nos verè cæcos, & miſeros, exclamat ibidem Bellarminus, quis debita noſtra numerabit? Si Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum non mentiuntur, cum dicunt, *in multis offendimus omnes*, & ſi *ſepties in die cadit juſtus*, ut loquitur ſapiens proverb. 4. Quoties cadent injuſti, & imperfecti, nonne ſeptuagies ſepties? Hæc ſanè cogitatio, concludit ille, ita me terret, & confundit, ut videar mihi ſemper in luto, & ſordibus volutari, vel certè inter ſpinas, & tribu-

tribulos sic ambulare, ut punctiones frequentes evitare non possim. Unde illud Isaiæ 1. mihi, & similibus convenienter aptari censeam: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Hæc ille doctus, æque ac sanctus. Porro Meratius disp. 39. de Eucharistia notat, quod nulla fiat ex opere operato remissio pœnæ temporalis, sive in presenti vita, sive in futura, ei, qui ex operæ operantis eum nulla vel satisfactione, vel satispassionis ratione statum, in quo est, redimere potest: at qui est in peccato veniali non potest ex opere operantis ullam pœnam redimere ullo ex his modis in hac, aut altera vita; unde necesse est per modum impetrationis liberari: quod cum ita facile non sit, amplissimum, & diuturnum esse purgatorium inferre licet.

40. Dictum nobis est, presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos, sęculariter gradu amisso vivere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere; unde statuimus, ut gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia in monasterio aut canonico, aut regulari mittantur. Si verò hoc fieri causa quælibet prohibuerit, ubicunque sint, pœnitentiam agere non desistant. Si autem, amisso gradu, sæculariter vivere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab Ecclesiæ communione separentur.

41. Presbyter proprio loco dimisso, ad alium migrans, nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, & se innocenter vixisse in parochia, in qua ordinatus est, sub testibus probaverit, literis etiam, in quibus sunt nomina Episcopi, & civitatum, plumbo impressa. Quibus cognitis, & talibus inventis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

42. Inventum est, quod multi arbitrii sui temeritate, & (quod gravius est) ducti cupiditate presbyteris quibuslibet absque consensu suorum Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt. Unde oportet, ut, canonica regula servata, nullus absque consensu episcopi sui cuilibet presbytero Ecclesiam det. Quam si justè adeptus fuerit, hanc non nisi gravi culpa sua, & coram Episcopo canonica severitate amittat.

Scoti. 43. Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt episcopos esse, & multos negligentes, absque licentia dominorum suorum, sive magistrorum, presbyteros, & diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresim, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.

44. Superius scripsimus presbyteros, villicos esse non debere, & nunc eos in tabernis bibere, cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare, Romam, sive Turonum absque licentia episcopi sui adire, penitus decrevimus inhibendum.

45. Nam & à quibusdam, qui Romam, Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyteri, & diacones, & cæteri in clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se à peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant, se impunè, aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani, sive Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod sola cupiditate faciunt, orationum, sive sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visione à peccatis purgari, non attendentes, quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio omnibus collaudanda.

Confessio auricularis.

46. In perceptione corporis, & sanguinis Domini, magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim, ne, si nimium in longum differatur, ad perniciem animę pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* Juxta ejusdem ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum exemplo David, qui, nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri, & nudiustertius, panes propositionis nequaquam à sacerdote accepisset.

47. In cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis, & sanguinis dominici sacramenta, se reconciliant.

49. Secundum beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: &, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non est itaque parvipendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.

49. In quibus locis, & quo apparatu Missarum solemnia, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant, quia in Concilio Laodicensi ita scribitur, quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel à presbyteris.

50. Diei interea Dominici observatio, & veneratio plurimum negligitur. Unde oportet, ut authentica constitutione illius venerandæ diei observatio, juxta imperium Domini Imperatoris, statuatur.

51. Quia ergo constat, in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut scilicet nobiles, & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cætera hujuscemodi nomina: oportet, ut quicunque prælati sunt, clerici, sive laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis, & quibusdam debitis: sciant quoque eos fratres suos esse, & unum secum habere patrem, cui clamant: *Pater noster, qui es in cœlis:* unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est: disciplina, ne indisciplinate vivendo, authorem suum offendant: gubernatio, ne in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatiscant.

52. Monasteriis sanè puellaribus tales præferri debent fœminæ, & Abbatissæ creari, quæ & se, & subditum gregem cum magna religione, & sanctitate custodire norint, & his, quibus præsunt, prodesse non desinant. Sed & se, & illas ita observent, utpotè vasa sancta in ministerio Domini præparata. Talem enim se debet abbatissa exhibere subditis in habitu, in veste, in omni convictu, ut eis ad cœlestia regna pergentibus ducatum præbeat. Sciat etiam, se pro his, quas in regimine accepit, in conspectu Domini rationem reddituram.

53. Libuit namque huic sacro conventui, quasdam admonitiunculas breviter eis sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant: quoniam hæ, quæ sub mona-

monasticę regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem, in eadem, quam profitentur, regula scriptum habent.

54. Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, & provideat in lectione, & in officio, & in psalmorum modulatione, ut ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem in conspectu Domini reddi tura, & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne fortè propter indigentiam cibi, aut potus, peccare compellantur.

55. Abbatissa cum viris, clericis, sive laicis, horis incompetentibus non loquatur, sed quidquid cum masculis, clericis, sive laicis de rebus necessariis peragere debet, à prima hora usque ad vespertinam peragat. Et hoc non cum singulis, sed coram pluribus.

56. A vespera usque ad primam neque Abbatissa, neque alia sanctimonialium cum quibuslibet masculis ullum colloquium habeant, nisi fortè talis fuerit occasio, quam evitare non possint: & si necessitas incubuerit, id coram testibus facere debebunt.

57. Abbatissa, quæ in civitate monasterium habet, nequaquaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet, nisi fortè aut Imperialis jussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minimè permittat. Et si quandò foras pergit, de sanctimonialibus, quas secum ducit, curam, & vigilantiam habeat.

58. Habeat etiam Abbatissa studium aut in ædificando ea, quæ ad sanctimonialium necessitatem pertinent, aut in restaurando.

59. Sanctimoniales in Monasterio constitutæ habeant studium in legendo, & in cantando, in psalmorum celebratione, sive oratione. Et horas canonicas, matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completoriam pariter celebrent. Et omnes, excepta, quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant. Et omnibus diebus ad collationem veniant.

60. Non debere presbyteros amplius in Monasterio puellari immorari, nisi donec Missarum solemnia celebrent, aut aliquid ibi de Dei servitio, & suo ministerio expleant.

61. Non debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis, clericis, sive laicis, consanguineis, sive extraneis, bibere, sive comedere: sed si quando id agendum est, in auditorio agatur: & ubi auditorium deest, non fiat. Et cum nullo masculo eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.

62. Sanctimoniales, nisi forte Abbatissa pro aliqua sua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de Monasterio egrediantur. Hæ verò, quæ famulos, aut famulas non habent, ad exercenda negotia ad portam Monasterii perveniant, & ibi coram testibus negotia sua exerceant.

63. Nullus vassallus abbatissæ, nec minister aliquis, nec clericus, nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi fortè quandò necessitas operandi incumbit.

64. Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit, & testimonium habeat bonum, & vitæ probabilis sit.

65. Quidquid in his capitulis minus fuerit, ab Episcopo suo Abbatissa perquirat. Et ita illa in omnibus obediens sit, secundum canonicam constitutionem, sicuti justum, & rectum est.

66. Interea omnis iste conventus gratissima deliberatione decrevit, ut ab omnibus indesinenter orationes fiant, pro vita, & incolumitate, pro salute animæ, & corporis Domini Imperatoris, prolisque ejus, pro statu regni, pro remissione peccatorum, & cœlestis regni collatione ita dumtaxat, ut semper magis, ac magis per incrementa temporum talis crescat observatio. Dixit etiam, se scripturarum sanctarum monita, & canonum instituta diligenti indagatione perquirere, & indefessa, atque infatigabili observatione, auxiliante Domino, velle perficere.

67. Hæc itaque pauca de pluribus, quæ necessaria perspeximus, cum magna brevitate, Domini Imperatoris prudenti judicio præsentanda, adnotavimus. Cæterùm, quid generaliter in omnibus, & ab omnibus sequendum sit, quidve vitandum, qualiterve intra sanctam Ecclesiam sit vivendum, qui plenius nosse desiderat, sanctarum scripturarum prata percurrere non desistat.

Concilium Maguntiacum I. celebratum anno salutis D. 813. sub Ricolpho Archiepiscopo quinto Idus Junii.

Maguntia Galliæ Belgicæ urbs juxta Rhenum fluvium sita, vulgò dicitur Maiance.

Præfatio Episcoporum in Synodum, quam Maguntiæ in Monasterio sancti Albani celebrant.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Gloriosissimo, & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto, veræ religonis authori, ac defensori sanctæ Dei Ecclesiæ, unà cum prole sua, ejusque fidelibus vita, & salus, honor, & benedictio cum victoria sine fine mansura. Almificæ reverentiæ vestræ patefacimus nos humillimi famuli, ac missi vestri, Hildebaldus scilicet sacri Palatii Archiepiscopus, Ricolphus, & Arno Archiepiscopus, seu Bernharius, unà cum reliquis Coepiscopis, ac Abbatibus, & cętero clero, quia venimus secundum jussionem vestram in civitatem Maguntiam: ibique pariter adunati primitùs cum litaniis triduanum celebravimus jejunium, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum, & actionem ipsius synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, & Christiano populo proficientem ad salutem, & vitam perpetuam, nobisque ad æternum honorem, & gloriam. Tùm verò consedentes in claustro Basilicæ sancti Albani Christi martyris, consona voce gratias egimus Deo omnipotenti, quia sanctæ Ecclesiæ suæ pium, ac devotum in servitio suo concessit habere rectorem, qui suis temporibus sacræ sapientiæ fontem aperiens, oves Christi indesinenter sanctis alimentis reficit, ac divinis instruit disciplinis, Christianum populum indefesso labore amplificare conatur, hilariterque Christi honorat Ecclesias, ac de fauce diri draconis multorum animas studet eripere, & ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ revocare, atque ad gaudia paradisi, & ad regna cœlestia omnes communiter invitare, sanctaque sapientia sua devotissimo studio cæteros reges terræ transcendens.

Carolus Magnus defensor Ecclesiæ.

Incipientes igitur in nomine Domini, communi sensu, & voluntate tractare pariter de statu veræ religionis, ac de utilitate, & profectu Christianæ plebis, convenit nobis, de nostro communi collegio clericorum, seu laicorum tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima autem turma consederunt Episcopi cum quibusdam notariis, legentes, atque tractantes sanctum Euangelium, nec non epistolas, & actus Apostolorum, canones quoq; ac diversa sanctorum Patrum opuscula, pastoralemque librum Gregorii, cùm cæteris sacris dogmatibus, diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesię Dei, & Christianę plebis profectum sana doctrina, & exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei perficere, & conservare potuissent. In alia verò turma consederunt Abbates, ac probati Monachi, regulam sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum, atque augmentum cum gratia Dei perducere potuissent. In tertia denique turma sederunt Comites, & judices, in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias per-

Ordo Concilii.

perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes. In his itaq; omnibus primò decrevimus, unicuique personæ, vel sexui congruum honorem impendere, secundum dictum beati Petri primi pastoris Ecclesiæ, ubi ait: *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Jesu Domino nostro*. Hinc Paulus ad Timotheum scripsit, dicens: *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate*: Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, ut sacerdotes Ecclesiæ Dei, jure legitimo, & inconvulso honorarentur: de quibus Dominus ait, *Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit, Qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit*. Et Apostolus ad Hebræos: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris*. Nam de reverentia Ecclesiarum dicit Dominus: *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus*. De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio: atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quę paucis perstrinximus capitulis, subter à vestra authoritate firmentur: si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit: & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare: ut ita emendata, nobis omnibus, & cunctæ Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam, & salutem, & ad gloriam sempiternam, nobisque inde merces, honor, laus, benedictio, & beatitudo permaneant in omnes æternitates sæculi. Amen.

1. Petri 2. 1. Tim. 5. Luc. 10. ad Heb. 13 Matth. 21.

A B C D E

Tituli Statutorum Concilii Maguntiaci.

Statuta Concilii Maguntiaci.

Caput primum.

INitium enim actionis nostræ, de fide esse decrevimus, quæ bonorum omnium est fundamentum. Et quia *sine fide* (ut dicit Apostolus) *impossibile est placere Deo*, fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Ideò beatus Gregorius: Ille, inquit, verè credit, qui exercet operando, quod credit. Quapropter de fide vera omnes omninò Christianos alterutrum inter se jugiter admonere, & docere oportet. Maximè tamen Domini sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

2. Spes verò in Deum firmiter à cunctis Christianis tenenda est. Unde Psalmista commemorat: *Sperate in eo omnis congregatio populi*, & reliqua. Et iterum: *Spera in Domino, & fac bonitatem*. Et iterum: *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit*. Et Apostolus: *Spe enim salvi facti sumus*.

3. *Charitas Deus est*, ut ait Apostolus: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Item Paulus Apostolus: *finis*, inquit, *præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Charitatem ergo qui habet, omnia bona habet. Quam ideò commemoravimus, quia volumus, ut firmiter ab omnibus æquè Catholicis conservetur. Augustinus quoque in sermone de laude charitatis, dicit: Si ergo non vacat omnes paginas perscrutari, omnium scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, ubi pendent omnia: ibi tenebis, quod ibi didicisti. Ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.

4. Sacramenta itaque baptismatis volumus, ut sicut sancta vestra fuit admonitio, ita concorditer, atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conserventur, idest, scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis Papæ sub duobus continetur capitulis, cap. 11. Hæc duo tempora, idest, Pascha, & Pentecoste, ad baptizandum à Romano Pontifice legitima præfixa sunt. Item cap. 12. Non interdicta licentia, quia in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Et Syricius: Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri.

5. Ut pax, & concordia sit, atque unanimitas in populo

Heb. Psal. psal. psal. Rom. 1. Jo. 1. T. De c. di. 4. temp. In decr. cap.

pulo Christiano, quia unum Deum Patrem habemus in cœlis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum Baptisma: ideo in una pace, & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam, & veram hæreditatem regni cœlestis cupimus pervenire: quia
14. *non est dissensionis Deus, sed pacis*: ut ipse ait, *Beati*
5. *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*.

6. Propter istius itaq; pacis concordiam conservandam, placuit nobis de orphanis, & pauperibus, qui debitè, vel indebitè dicuntur amisisse hæreditatem paterni, vel materni juris, ad se legibus pertinentem, si alicubi inventi fuerint, quos patres, vel matres propter traditiones illorum exhæredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus, aut petitionibus, vel aliquo ingenio, omnino volumus, atque decrevimus emendari, quantum ad nos, vel ad nostram pertinet potestatem, juxta voluntatem Dei, & vestram sanctam admonitionem, & considerationem. Quod si fortè extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, admonere vestram clementiam audeamus, ut emendetur.

7. Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum, nec emere, nec vi tollere audeat. Sed si quis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat. Ubicunque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per jussionem vestram.

8. Ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundum canonum authoritatem, volumus & ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas, & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus, & judicibus ad justitias faciendas, & ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, nec per perjurium, aut per præmium lex justa in aliquo depravetur.

9. In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonicè vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum cōpositè agere præsumant in unoquoque Episcopatu, & ut simul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primò ad lectionem veniant, & audiant, quod eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.

10. Discretionem igitur esse volumus, atque decrevimus inter eos, qui dicuntur sæculum reliquisse, & adhuc sæculum sectantur. Placuit igitur sancto Concilio, ut ita discernantur, sicut in regula clericorum dictum est. His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia inhonesta, & turpia fugiant. Tamen Hieronymus in epistola ad Nepotianum, dicit: Omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, ut consolatores nos in mœroribus suis potius, quàm convivas in prosperis noverint. Item Isidorus: Clerici tamen convivia privata, non tantùm pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant. Sæcularia officia, negotiaque abjiciant, honorum gradus per ambitionem non subeant, pro beneficiis Dei medicinæ munera non accipiant, dolos, & conjurationes caveant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant. Non vagis oculis, non infræni lingua, aut petulanti, tumidoque A gestu incedant: sed pudorem, ac verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant. Obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur. Viduarum, & Virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia fœminarum nullatenus appetant; castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant, senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque ullo jactantiæ studio se attollant. Postremo, in doctrina, & lectionibus, Psalmis, & Hymnis, & Canticis exercitio jugi incumbant. Tales enim debent esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

11. Abbates autem censuimus, ita cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi, qui in præsenti Synodo B aderant, palam nobis omnibus promiserunt, idest, secundum doctrinam regulæ S. Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.

12. Ac deinde decrevimus, sicut sancta regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur: quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum diaboli. Hoc tamen omnino volumus, ut monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, neque ipse Abbas sine consensu Episcopi sui, & cùm necessitas exigit, tunc per jussionem, & consilium Episcopi illuc vadat, nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præsumat: sed quicquid quærendum, vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat. Abbates, & Monachi usque ad interrogationem silentium habeant: & cum interrogantur, cum humilitate, & reverentia respondeant: C alias querelas omnino devitent. In eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab Abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent, neque bibant sine permissione Abbatis, nec ad convivia sæcularia vadant.

13. Abbatissas autem cum sanctimonialibus omnino rectè, & justè vivere censemus: quæ verò professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris suis permaneant, neque foras exitum habeant: sed & ipsæ Abbatissæ in Monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia, & consilio Episcopi sui.

14. Ministri autem altaris Domini, vel Monachi, nobis placuit, ut à negociis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negocia sæcularia: de his tamen pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis D libido, non solùm in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali, quicquid plus justo appetit homo, turpe lucrum est, munera injusta accipere, vel etiam dare: pro aliquo sæculari quæstu, & precio aliquem conducere: contentiones, & lites, vel rixas amare: in placitis sæcularibus disputare excepta defensione orphanorum, aut viduarum: conductores, aut procuratores esse sæcularium rerum, turpis verbi, vel facti joculatorem esse, vel jocum sæculare diligere, aleas amare, ornamentū inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, gulā, & ebrietatem sequi, pondera injusta, vel mensuras habere, negocium injustum exercere. Non tamen justum negocium est contradicendū propter necessitates diversas, quia legimus sanctos E Apostolos negociatos esse, & in regula sancti Benedicti præcipitur prævidere, per quorum manus negotium Monasterii transeat. Canes verò, & oves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet causis, superfluum esse. Ecce talia, & his similia ministris altaris Domini, necnon & Monachis omnino contradicimus, de quibus dicit Apostolus: *Nemo militans Deo,*
implicat se negociis sæcularibus. 2. Tim. 2.

16. Apostolus dicit: *Imitatores mei estote, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*. Phil. 3. Non eos observantes, qui sunt inimici Crucis Christi, quorum finis interius, quorū Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est, sicut Hieronymus

mus in epistola ad Galatas ait: *Æmulantur autem benè*, qui cùm videant, vel audiant esse in aliquibus gratias, dona, virtutesque, ipsi tales esse desiderant, & fidem, vitam, atque industriam eorum, quæ per illa meruerunt, nituntur imitari, ut possint ea quoque, quæ bona æmulatione digna sunt, consequi, magis quærentes spiritualia, quàm carnalia, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possint. Augustinus in primo libro de agone Christianorum, hanc sententiam interpretans, dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur, & castigemus corpus nostrum, & in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Aliquando quidem suo exemplo Christi nos fieri imitatores jubet, dicendo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Aliquando quidem de se respiciens ad Deum, ad ipsius nos imitationem hortatur, dicens: Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. Jam verò demonstrans, quia nihil hanc imitationem pariat, quàm si ita vivat aliquis, ut bonum ejus in commune proficiat, atque universis utiliora provideat, adjunxit: *Ambulate in charitate*. Ideo cùm dixisset, *Imitatores Dei estote*: continuo de charitate disseruit, quia hæc præcipuè virtus Deo homines proximos faciat.

1. Cor. 4. & 11.

Ibidem.

16. Seculum autem relinquere est, sicut Gregorius dicit, sæculi voluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet, dicens: *Qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*. Et Gregorius in libro Pastorum: Ut videlicet sic vobis suppetant, & exterius serviant, quatenus à supernæ dilectionis studio animum non reflectant.

1. Cor. 7.

17. Nos autem, qui relinquimus sæculum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritualia habeamus, sæcularia dimittamus. Laicis verò, qui apud nos sunt, arma portare non præjudicemus: quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit.

18. Dominus dicit in Euangelio: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Hinc Hieronymus in Commentario Matthæi dicit: De omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu, ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Item in alio loco: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*. Nec his quidem accommodanda fides est, qui, cùm pollent integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem operibus destruunt. Utrumq; enim Dei servis necessarium est, ut opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Et Beda in tractatu in Euangelium Lucæ dicit: Ipse enim finis est, ut nihil duplici animo faciamus: Si veram, inquit, & non fictam vis habere justitiam, quæ verbis ostentas, factis compensare curato. Et Apostolus: *Dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono*.

Matth. 7.

Ibidem.

Rom. 12.

19. Ut plus non mittatur in Monasteria Canonicorum, vel Monachorum, aut puellarum, quàm sufferri possit.

20. Deinde dignum, ac necessarium est, ut missi per quæque loca directi simul cum Episcopis uniuscujusque diœcesis, perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter, & Monachorum, similiterque puellarum: si in apto, & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monasterii, sicut in sancta regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis, vel Clericis, vel puellis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædificia Monasteriorum supradicti missi, & cum eis Episcopi, per diversa loca prævideant, si apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita: vel si claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina Canonica, vel regulari. Ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari, ita ut condignam professioni eorum custodiam habeant Canonici, vel monachi, atque Nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi, quod absit.

21. Præcipimus, ut unusquisque Episcopus sciat per singula Monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos in Monasterio suo habeat, & hoc omnino ambo pariter provideant: ut, si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, Canonicè vivant omnino.

22. De clericis vagis, seu de acephalis, idest, de his, qui sunt sine capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica, vel regulari vita degentes, ut in lib. Officiorum secundum capitulum, & tertium de eis dicit. Hos neque inter laicos, aut sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio tenet divina, sed solivagos, atque oberrantes sola turpis vita complectitur, & vaga, quique dum nullum metuunt, explendæ voluptatis suæ licentiam sectantur, quasi animalia bruta libertate, ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi, nec homines. Tales omnino ubicunque inventi fuerint, præcipimus, ut Episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonica, & nullatenus eos amplius ita errabundos, & vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant. Sin autem Episcopis suis Canonicè obedire noluerint, excommunicentur, usque ad judicium Archiepiscopi regionis illius. Et si ille eos corrigere non valuerit, tunc omnino sub vinculis constringantur usque ad Synodum, ut ibi eis indicetur, utrum ad judicium Domini nostri, aut ad istam magnam Synodum afferantur sua custodia publica.

23. De clericis verò hoc statuimus, ut hi, qui hactenus inventi sunt, sive in Canonico, sive in Monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia Domini sui.

24. De clericis adeuntibus Imperatorem, hoc placet omnibus modis observare, quod de eis in sacris canonibus constitutum est.

25. De officio prædicationis si forte Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis, aut festivitatibus, quin verbum Dei prædicet, & juxta quod intelligere vulgus possit.

26. Ut Presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore liceat Missarum solemnia celebrare, & iterum ad proprias Ecclesias redire.

27. Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

28. Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam sacerdotii dignitatis.

29. Ut laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, neque constituant sine consensu Episcoporum suorum.

30. Ut laici omnino munera injusta non exigant à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ cuiquam Presbytero.

31. Ut unusquisque Episcopus in sua parochia diligenter Presbyteros, vel clericos inquirat, unde sint: &, si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat.

32. Litaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latine dicuntur Rogationes. Inter ΛΙΤΑΝΕΙ'ΑΣ autem, & ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΕΙΣ, hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur: Litaniæ verò, quæ indicantur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus.

Sed

Sed jam nunc utrumq; vocabulum ſub una deſignatione habetur.

33. Placuit nobis, ut litania major obſervanda ſit à cunctis Chriſtianis, diebus tribus, ſicut legendo reperimus. Et ſicut ſancti Patres noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati, cinere, & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit.

34. Conſtituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, ideſt, menſe Martio hebdomada prima. Et feria quarta, & ſexta, & ſabbato veniant omnes ad Eccleſiam hora nona cum litaniis ad Miſſarum ſolemnia. Similiter in menſe Junio, hebdomada ſecunda, feria quarta, & ſexta, & ſabbato jejunetur uſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in menſe Septembri, hebdomada tertia, & in menſe Decembri, hebdomada, quę fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.

35. Si quis indictum jejunium ſuperbiendo contempſerit, & obſervare cum cæteris Chriſtianis noluerit, in Gangrenſi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, niſi emendare ſe ſtudeat.

36. Feſtos dies in anno celebrare ſancimus, hoc eſt diem Dominicam Paſchæ, cum omni honore, & ſobrietate venerari. Similiter feriam ſecundam, tertiam, & quartam. A feria quinta ante Miſſam, licentia ſit arandi, vel ſeminandi, & hortum, & vineam excolendi, & ſepem circumcludendi. Ab alio verò opere ceſſare decrevimus. Poſt Miſſam autem ab opere vacare: diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter, ut in Paſcha. In natali Apoſtolorum Petri, & Pauli diem unum, nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionem ſanctæ Mariæ, dedicationem ſancti Michaëlis, nativitatem ſancti Remigii, ſancti Martini, ſancti Andreæ. In Natali Domini, dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem ſanctæ Mariæ. Et illas feſtivitates martyrum, vel confeſſorum obſervare decrevimus, quorum in unaquaque parochia ſancta corpora requieſcunt. Similiter etiam dedicationem templi.

37. Omnes dies dominicos cum omni veneratione decrevimus obſervari, & à ſervili opere abſtinere, & ut mercatus in eis minimè ſit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.

38. Admonemus, atque præcipimus, ut decimas de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipſe ſibi dari conſtituit. Quia timendum eſt, ut quiſquis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua.

39. Reum confugientem ad Eccleſiam nemo abſtrahere audeat, nec inde donare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor Dei, & ſanctorum ejus conſervetur: ſed Rectores Eccleſiarum, pacem, & vitam, ac membra ejus obtinere ſtudeant; tamen legitimè componant, quod iniquè facit.

40. Præcipimus, ut in Eccleſiis, aut in domibus Eccleſiarum, vel atriis, placita ſecularia non fiant.

41. Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ, nec decimis, nec aliis poſſeſſionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

42. Quicunque beneficium Eccleſiaſticum habent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas, omninò adjuvent, & novam decimam reddant.

43. Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiſcum, vel Surſum corda admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum eo ſit?

44. Oblationem quoque, & pacem in Eccleſia facere jugiter admoneatur populus Chriſtianus: quia ipſa oblatio ſibi, & ſuis magnum remedium eſt animarum: & in ipſa pace, vera unanimitas, & concordia demonſtratur.

A 45. Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum. Volumuſque, ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio, ſive in alia caſtigatione emendentur. Propterea dignum eſt, ut filios ſuos donent ad ſcholas, ſive ad Monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, & orationem dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in ſua lingua hoc diſcat.

46. Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus præcipimus cavere, & qui hoc cavere noluerit, excommunicandum eum eſſe decrevimus, uſque ad emendationem congruam.

B 47. Deinde præcipimus, ut unuſquiſque compater, vel proximi, ſpirituales filiolos ſuos Catholicè inſtruant.

48. Canticum turpe, atque luxurioſum circa Eccleſias agere omnino contradicimus, quod ubique vitandum eſt.

49. Omnibus igitur clericis fęminas ſecum in domibus ſuis habere ultra licentiam Canonum firmiter ſit contradictum.

50. Omnibus igitur Epiſcopis, Abbatibus, cunctoq; clero omninò pręcipimus, vicedominos, præpoſitos, advocatos, ſive defenſores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falſitatem amantes, ſed Deum timentes, & in omnibus juſtitiam diligentes. De judicibus autem, vel centenariis, atque tribunis, ſeu vicariis, dignum eſſe cenſemus, ut, C ſi mali reperti fuerint, de monaſterio ſuo abjiciantur.

51. Deinceps verò corpora ſanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre, ſine conſilio principis, vel Epiſcopi, & ſanctæ ſynodi licentia.

52. Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles laici.

53. Ut Epiſcopi inceſtuoſos pariter inveſtigari ſtudeant, omninò præcipimus. Et ſi pęnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pęnitentiam revertantur.

54. Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur, & ſi poſt interdictum inventum fuerit, ſeparetur.

55. Nullus igitur proprium filium, vel filiam de fonte baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad D confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur.

56. Si quis uxorem viduam duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit, aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum Patre, & Filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari, ſed magna diſtrictione feriri.

Facta eſt autem hæc ſynodus in civitate Maguntia, in clauſtro Baſilicæ ſancti Albani martyris anno Domini 813. & Imperii Domini Caroli Imperatoris anno 13. indictione quinta, quinto Idus Junii, ubi ſederunt Epiſcopi triginta, Abbates verò viginti quinque.

Synodus Rhemenſis circa tempora Leonis Papæ III. & Caroli Magni, anno Domini 813. E

Concilii Rhemenſis Capitula.

HIc eſt ordo Capitulorum breviter adnotatus, quæ anno Dominicæ incarnationis 813. notata ſunt in conventu Metropolitanæ ſedis Rhemenſis Eccleſiæ à Dom. Carolo piiſſimo Imperatore, more priſcorum Imperatorum congregato, ordinante Vulfario ejuſdem ſanctæ ſedis Archiepiſcopo, & cæteris quàm plurimis Patribus, & fratribus in eodem conuentu divina largiente clementia reſidentibus.

Primo omnium, mediante menſe Majo, Deo inſpirante.

rante, ab eisdem venerabilibus Patribus institutum est secundum consuetudinem jejunium triduanum, quatenus ipso miserante, ea, quæ ad laudem, & gloriam sui sancti nominis, & ad mercedem præfati gloriosissimi Principis nostri, seu correctionem totius Christianitatis Imperii, in eo consideranda, vel statuenda erant, eo cooperante, secundum suam magnam misericordiam, & piissimam voluntatem ordinari mererentur.

1. Est de fidei ratione, ut unusquisque juxta intellectum suæ capacitatis, Domino largiente, disceret, & intelligeret, atque operibus plenè observaret.

Matth. 6. 2. Ut orationem, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, discerent, & sensum benè intelligerent, quia illam ignorare nulli Christiano licet.

3. Ut quicunque ad gradus Ecclesiasticos condignè ascendere voluerit, unusquisque intelligeret, qualiter secundum possibilitatem intellectus sui, in eo gradu, ubi constitutus est, Deo militare, & seipsum valeret custodire.

4. Ut ea, quæ scripta sunt superius, unusquisque secundum à Deo sibi collatum gradum operibus perficere valeret. Et, præsentibus cunctis, lectæ sunt epistolæ Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est, eumdem Apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectiùs potuisset.

5. Lectum est Euangelium, ut Diaconi etiam instruerentur, qualiter Christo, cujus funguntur officio, condignè valerent ministrare.

8. Missarum ibi discussa est ratio, ut Presbyteri minus antea scientes, intelligerent, qualiter Missarum solemnia deinceps digniùs celebrare deberent.

7. Baptisterii, & Catechumenorum ventilata est ratio, ut sacerdotes pleniùs intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerent Christianum.

8. Lecti sunt sancti Canones, ut quisque Canonicus legem, vitamque suam minimè ignoraret, quod omnimodis non expedit, sicut in Decretali legitur Innocentii.

9. Lecta est regula sancti Benedicti, ut ad memoriã reduceretur Abbatibus minus scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se, & suos secundum eamdem regulam custodire valerent, atque gubernarent.

10. Lectæ sunt sententię libri Pastoralis S. Gregorii, ut Pastores Ecclesiæ intelligerent, quomodò ipsi viverent, qualiter sibi subjectos deberent admonere, quoniam teste eodem B. Gregorio, aliter admonendi sunt Prælati, aliter subditi.

11. Diversorum ibi sententiæ relatæ sunt Patrum, ut audientes in omnibus, quæ supra inserta leguntur, tàm prælati, quàm subditi, in Dei laudibus roborati, de his, quę audierant, fructum boni operis contenderent reddere.

12. Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentię, ut sacerdotes certiùs intelligerent, quomodò confessiones recipere, & pœnitentiam secundum Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.

13. Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut unusquisque diversitatem illorum sciret, & ab aliis, Domino auxiliante, se intelligerent custodire, & aliis prædicare.

14. Ut Episcopi diligentiùs operam dent, lectionique divinæ incumbant, idest, Canonicis libris, & opusculis Patrum, & verbum Dei omnibus prædicent.

15. Ut Episcopi sermones, & homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prædicare studeant.

16. Ut Episcopi, & Presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.

16. Ut Episcopi, & Abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes, & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude Domini, secundum Apostolum, sive manducent, sive bibant, omnia in laudem Dei faciant. 1. Co

18. Episcopi, & Dei ministri non debent comessationibus, & vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*. Moderatè enim cibum, & necessarium potum sumant, ut juxta Apostolum, sobrii sint, parati ad servitium Domini. Luc. 1. T

19. Ut Episcopi, & judices judicia discernant, quia sunt quædam judicanda modò, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est enim: *Noli ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*. Et illius memores sint: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis*. 1. Co Matt

20. Ut Presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat transmigrare.

21. Ut quicumque Presbyter per pretium gradum, & Ecclesiam acquisierit, ab Episcopo deponatur.

22. Ut à Sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis conceditur, præter illam, quæ in Nicæna Synodo permittitur, idest, matrem, aut sororem, vel eas tantùm personas, à quibus omnes suspiciones effugiant.

23. Ut in victu, & vestitu, vel conversatione Abbatum, qui Monachos habere cernuntur, Dei voluntas, & Domini Imperatoris impleatur.

24. Ut præpositi, & vicedomini, secundum regulam, vel canones constituantur.

25. Ut Monachi, & Canonici pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare, animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem, occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc tentandi detur occasio.

26. Ut Monachi, & Canonici tabernas ad edendum, vel bibendum non ingrediantur, sicut in Conciliis Laodicensi, & Africano legitur esse interdictum. Laod Cart

27. Ut in civitatibus, & monasteriis non major numerus servientium Deo mittatur, quàm possibilitas eis ministrandi fuerit.

28. Ut cupiditatis, & avaritiæ malum nullatenus sectetur, sicut Carthaginense interdicit Concilium.

29. Ut monachi ad placita sæcularia nullatenus vadant.

30. Ut nemo Sacerdotum, vel Monachorum negotiis illicitis se implicet, quomodò scriptum est: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. 2. T

31. Ut discretio servanda sit inter pęnitentes, qui publicè, & absconsè pœnitere debent.

32. Ut turpia lucra, & usuras minimè exerceant: sicut ipsum habet Concilium.

33. De Monasteriis puellarum considerandum est, & Imperatoris misericordia imploranda, ut victum, & necessaria à sibi Prælatis consequi possint sanctimoniales, & vita illarum, & castitas, secundum fragilitatem sexus, diligenter provisa tueatur.

34. Ut viduæ non sint in deliciis, sed (secundum Apostolum) sub potestate Episcopi vivant, sicuti decet. 1. T

35. Ut diebus Dominicis secundum Domini pręceptum nulla opera servilia quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam donationes in publico facere pręsumat, neque mercata exerceat.

36. Ut quicunque per cupiditatem, & malum ingenium aliorum res sibi acquisierint, & pro ipsis rebus Ecclesiæ illis in precaria reddiderint, & postmodum datoribus displicuerit, pars Ecclesiæ, quod suum est, habeat, & illi, quæ sua sunt, absque ullius contradictione recipiant. Post hæc verò hi, qui hoc malum perpetrati sunt, secundum modum culpæ pœnitentiam agant, & deinceps res aliorum cupidè, & procaciter recipere non præsumant, nisi tantum quantum pro sola eleemosyna eas Deo dare voluerint, vel etiam ipsas, quas donant

nant in nomine suo, & filiorum suorum in precariam suscipere voluerint.

37. Ut si quilibet hominum res Ecclesiæ per mendacia, vel alia mala ingenia, in precariam sibi acquirere, & habere voluerit, & post factas precarias, eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris Ecclesiæ delata fuerint; ipsa Ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerint, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille verò, qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

38. Ut decimæ pleniter dentur.

39. Ut nullus homo munera pro placito requirat, aut accipere præsumat.

40. Ut pro Domino Imperatore, suaque nobilissima prole orationes, & oblationes super has, quæ hactenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatæ sunt, augeantur, ut eos suis temporibus in præsenti sæculo cum omni felicitate custodiat, & in futuro cum sanctis Angelis suis pia miseratione gaudentes efficiat.

41. Ut Dominus Imperator, secundum statutum bonæ memoriæ Domini Pipini, misericordiam faciat, ne solidi, qui in lege habentur, per quadraginta denarios discurrant: quoniam propter eos multa penuria, multaque falsa testimonia reperiuntur.

42. Ut in sua eleemosyna firmiter statuat, ne quilibet suum peragentibus servitium ullatenus prohibere audeat mansionem, neque aliis, quibus necessitas incumbit.

43. Ut per ejus magnificum, & cunctum imperium, suis, & futuris temporibus firmetur capitulum, sive ab anno 30. à quo adhuc testes haberi possint, seu etiam ab illo, à quo felicissimum regnum ejus sumpsit exordium, qualiter omnes lites, & jurgia in sua misericordia terminum habere possent: quoniam pro talibus multa perjuria, multæque dissensiones oriuntur in populo.

44. Ut de falsis testibus, ejus simili modo piissimum firmetur capitulum, qualiter & hoc, quod ille Bononiæ statuit, firmissimum habeatur: & adhuc quærantur, quatenus in sua piissima misericordia, si qua necessaria sunt, augeantur: ne propter eorum falsa testimonia, iniquaq; perjuria, tot damna, totque injustitiæ oriantur.

Conciliab. Constantinop. tertium, quo Iconoclastæ hæretici Nicænam 2. Synodum condemnarunt, & pseudoseptimam Synodum confirmarunt, anno Domini 814. tempore Leonis Papæ.

POst Nicephorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham Orthodoxum, jussu Leonis Armeni Imperatoris Iconomachi, sede Constantinop. amotum, & relegatum, postque Theodorum Melissenum Iconomachum illi suffectum, Iconoclastis auctoribus indicta est Pseudosynodus, citati, & vocati sũt Orthodoxi, quorum alii cum Theodoro Studita remanserunt, alii intrepidè accesserunt, ut coram ipsos hæreticos redarguerent. Præsentibus Orthodoxis inchoata est Synodus: qua, cùm Iconomachi veterem illam impiam, puta Pseudoseptimam, & Orthodoxam, Nicænam scilicet, anathemate damnassent, sanctosque Patres sub anathemate rejecissent, Episcopos, qui dissentiebant, partim in terram dejectos pedibus conculcabant: partim per posticum ejiciendos à consessu curarunt, partim in carceres miserunt.

Concilium apud Theodonis villam habitum, adversus percussores Clericorum, tempore Caroli Magni, & Leonis tertii, anno 814.

IN Concilio apud Theodonis villam, ubi interfuerunt 32. Episcopi, Aistulfus Maguntiensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hadabaldus Colo-

A niensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hetto Trevirensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Ebbo Rhemensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, eis, cum nunciis reliquorum Episcoporum Galliæ, & Germaniæ, ob nimiam præsumptionem quorundam tyrannorum, in sacerdotes Domini bacchantium: & propter factum, quod in Vasconia noviter accidit, de Episcopo Joanne inhonestè, & inauditè mordridato, id est (violenter, & latrocinanter occiso) decretum est, ut communi consensu, & humili devotione supplicarent auribus principis, si suæ pietati complaceret, ut, calumnia in Christi sacerdotes peracta, juxta synodalia determinaretur pleniter statuta. Hoc idem Episcoporum judicio placeret, si ex toto secundum potestatem ipsorum posset definiri, idest, ut canonica feriantur B sententia, hi videlicet, qui timorem Domini postponentes, in ministros suos grassare præsumunt. Quod si verò pietati illius, juxta capitula regum præcedentium, ubi eorum provisio misericorditer in offensis pecuniæ quantitatem interposuit, pro levigatione scilicet pœnitentiæ, placuit, ut præfatæ res per pecuniam ab Imperatoribus, & à sibi succedentibus ad defensionem concessam, & per pœnitentiam determinarentur Episcoporum judicio, si pietas illius conlaudare voluerit, sic definiri eis placuit.

Si quis Subdiaconem calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, 5. quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & 300. solidos cum sua compositione, & Episcopalibus bannis componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas quadra- C gesimas cum sequentibus annis pœniteat, & 400. solidos cum tripla sua compositione, & Episcopalibus bannis Episcopo componat.

Si Diaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, sex quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & quadringentos solidos cum compositione sua, & Episcopalibus bannis componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas sex quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & sexcentos solidos cum tripla sua compositione, & Episcopalibus bannis Episcopo componat.

Si quis Presbyrerum calumniatus fuerit, & spassaverit, septem quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & 600. solidos cum triplici sua compositione, & Episcopalibus bannis triplicibus Episcopo componat. D Si autem mortuus fuerit, 12. annorum pœnitentia secundum canones ei imponatur, & 900. solidos cum triplici compositione sua, & Episcopalibus bannis triplicibus Episcopo componat.

Si quis Episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, 10. quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & Presbyteri non occisi triplicem compositionem componat. Si autem casu, & non spontè occiditur, cum provincialium Episcoporum consilio homicida pœniteat. Si quis autem spontè eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ suæ. Cingulum militare deponat, absque spe conjugii in perpetuo maneat. Aistulfus Maguntiensis Archiepiscopus dixit: Si principibus placue- E rit, aliisque fidelibus suis, rogemus, ut conlaudetur, & subscribatur. Et conlaudatum est, & subscriptum est tàm à principe, quàm à cæteris omnibus.

Capitulum Ecclesiasticum apud Theodonis villam à Carolo Magno, & Ludovico, & primis Galliæ conlaudatum, & subscriptum, quod tamen non est hujus Synodi.

PLacuit nobis, & fidelibus nostris, ut sicut ab Episcopis, & reliquis sacerdotibus, ac Dei servis, alio anno Triburiæ admoniti fuimus, & rogati, ut Episcopi, & eorum ministri, quos Deus suo, non humano judicio, reservavit, juxta sanctorum canonum, sanctorumque Patrum, ac capitularium præcedentium

regum coram positorum statuta, ut Dei sacerdotes, eorumque cooperatores, quorum intercessionibus, & supplicationibus sancta Dei Ecclesia constare videtur, intacti permaneant: constituimus, ut si quis subdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentia canonica pœniteat, & 300. solidos Episcopo componat. Et si mortuus fuerit, juxta id, quod canones præcipiunt, pœniteat, & 400. solidos Episcopo componat. Si diaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœniteat secundum canones, & 400. solidos componat. Si non convaluerit, juxta præcepta Synodalia pœniteat, & 600. solidos Episcopo componat. Si Presbyter malè tractatus fuerit, & spassaverit, secundum ejus Episcopi sententiam pœniteat, in cujus territorii potestate esse dignoscitur. Si autem mortuus fuerit, ut Synodus dijudicaverit, pœniteat, & 900. solidos Episcopo componat. Et si quis Episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, pœniteat secundum canonum statuta, & Presbyteri non occisi triplicem compositionem cum justitiis, quæ in superiori capitulo scriptæ, & confirmatæ esse videntur, componat. Si quis per industriam Episcopum occiderit, juxta id, quod apud Triburiam à viginti duobus Episcopis decretum est, & quod ibi à nobis, & à primatibus totius Germaniæ benigna collaudatione conlaudatum est, & subscriptum, pœniteat. Et hoc de nostro adjecimus: Ut si quis in his supradictis sanctorum canonum, nostrique decreti sanctionibus, Episcopis inobediens, & contumax extiterit, primum canonica sententia feriatur: deinde in nostro regno Beneficium non habeat, & alodis ejus in bannum mittatur. Et si annum, & diem in nostro banno permanserit, ad fiscum nostrum redigatur; & captus, in exilium relegetur; & ibi tamdiu custodiatur, & constringatur, donec coactus Deo, & sanctis satisfaciat, quod prius gratis facere noluerat. Et si omnibus vobis ista placuerint, dicite. Et tertiò ab omnibus conclamatum est, Placet. Et Imperatores, & pene omnes Galliæ principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces. Et Ecclesiasticus ordo Deo, & principibus laudes referentes, hymnum, Te Deum laudamus, decantaverunt. Et sic soluta est Synodus.

Concilium Noviomense de terminis duorum Episcopatuum Gallicanorum, tempore Ludovici Imp. & Leonis Papæ tertii, celebratum anno 814.

In hoc Concilio sententia ventilata est, & definita, quod loca trans fluvium Heram in pago Noviomensi pertinere deberent ad Parochiam Ecclesiæ Noviomensis. Cætera verò loca trans supradictum fluvium in prædicto pago omnia pertinere deberent ad Parochiam sanctæ Ecclesiæ Suessonicæ.

Concilium Aquisgrani celebratum circa annum Domini 816. tempore Stephani Papæ quinti, & Ludovici Imperatoris primi.

Concilium 145. Canones complectitur de moribus maximè Canonicorum, pluribus Patrum, ac Conciliorum textibus pleni. Legi poterunt apud Binium. Hìc solum ultimum damus, qui epilogum omnium continet, ut sequitur.

Epilogus breviter digestus. Cap. 145.

Quamquam à sanctis Patribus in superioribus hujus libelli partibus satis sit dilucidatum, qualiter clerici vivere debeant, adeo, ut qui hæc, quæ superius comprehensa sunt, sedula meditatione perlegerit, perspicuè in his reperire valeat, qualis ejus debeat esse fidei devotio, actuum, morumque exornatio, ac divinorum cultuum executio: propter plerosque tamen simplices, minusque capaces, hæc strictim, breviterque replicare pernecessarium duximus: ut qui hæc aut legere, aut fortè ab aliis lecta plenè intelligere nequiverint, utantur hac defloratiuncula, utpote calatho diversorum florum vernantium nectare referto, & discant, quid illis agendum, quidve vitandum sit. Legalibus * interiora institutis, & Euangelicis saluberrimis monemur præceptis, ut Dominum Deum nostrum totis præcordiis diligamus, & proximum tamquam nos ipsos, &c. Si igitur ab omnibus fidelibus his salutiferis præceptis totis nisibus est favendum, quanto magis ab iis, qui divinis cultibus mancipati sunt, & aliis exemplo virtutum condimentum esse debent? Proinde oportet primo omnium, ut Dominum Deum diligant ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximos tamquam seipsos: & nosse, quia in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Non occidant, non fratrem suum oderint: quia, ut ait Apostolus, *qui fratrem suum odit, homicida est*. Non adulterent, non faciant furtum, non concupiscant rem alienam, non falsum testimonium dicant, &, quod sibi nolunt fieri, alteri non faciant. Non sint superbia tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati servientes, non luxuria enervati, non iracundia turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non invidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, non susurrones, non vinolenti, non multum edaces. Fraudes, & dolositates caveant, usuris nequaquam inserviant, non jurent, ne forte perjurent: malum pro malo non reddant. Cùm in se aliquid boni viderint, Deo, & malum cùm viderint, sibi deputent. Discordiam fugiant, & quos discordantes invenerint, ad charitatis concordiam revocent, &, juxta Psalmistæ vocem, declinent à malo, & faciant bonum. Attendant & Apostolum prohibentem: *Non* (inquit) *in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Jesum Christum*. Animadvertant etiam, quod ab iis vitiis ab Apostolo prohibitis, omnium vitiorum seges emergat: & quod horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam, ut animam, corpusque suum ab omni inquinamento carnis, & spiritus custodiant, ut juxta Apostolum *integer spiritus eorum, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*. Sobriè, & justè, & piè vivant, sæcularia negotia prorsus abjiciant, quia juxta Apostolum: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*. Jejunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentem consolentur, amori Christi nihil præponant, charitatem non derelinquant: pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant, diem judicii timeant, vitam æternam spiritualiter concupiscant, spem suam Deo committant, proprio Episcopo in omnibus, secundum canonicam institutionem, obtemperent: magistros suos non temerè reprehendant: postremò in doctrinis spiritualibus operam dent: lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, & cæterorum bonorum operum exercitio jugiter incumbant: in dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant; in refectorio pariter reficiantur, quotidie ad collationem veniant: mox, ut signum datum fuerit, ad Ecclesiam festinatò veniant, & horas canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent, Ecclesiam non pompaticè, sed reverenter ingrediantur, in choro non cum baculis stent: vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione, ac veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes Angelorum præsentiam semper illic adesse: è claustris, nonnisi per licentiam, egrediantur: egressi irreprehensibiliter vivant, ut ab his, qui foris sunt, bonum testimonium habeant, & religionem, ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent: sed potius omnes, quibus se junxerint, sale sapientiæ, & bonorum operum exemplis condiant: contubernia fœminarum nullatenus appetant, non vanis oculis, aut petulanti, tumidoque gestu, ac dissolutis renibus incedant:

Vita clericorum.

* in [Matt.] [1.Jo.] [Psal.] [Rom.] [2.The.] [2.Tim.]

dant: non spectaculis, non pompis sæcularibus intersint, non aleæ, non quibuslibet venationibus inserviant. Apostoli quoque instructi documento, quo ait: *Non in veste speciosa*, nequaquam pretiosis delectentur vestibus. Caveant summoperè, ne extra claustra moras faciant, nisi ut sibi à priore constitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit. Intra claustra positi, non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certè magistrorum jussionibus pareant, ne otio torpentes ab Apostolo audiant: *Qui non vult operari, non manducet*. Seniores spiritualiter juniores
3. diligant: Juniores senioribus obsequium dignum exhibeant: doctiores minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum charitate ædificent: neque si qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent cæteris, se tumidè superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio serviant: quibus in refectorio comedentibus, & religiosè silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, & castigent, pueros, & adolescentes negligentes verborum disciplinis corripiant: singuli, juxta capacitatem suam, diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat: tales quippe esse, imò taliter conversari decet omnes, qui divinis officiis se manciparunt. Quapropter studeant hæc breviter collecta, sedula meditatione perlegere, & memoriæ commendare: &, adjuvante divina gratia, juxta vires adimplere, quo facilius, & liberius majora à sanctis Patribus edita exequi valeant. Vocatione ergo, qua vocati sunt, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, ambulent, quatenus divinis jussionibus obtemperantes,
4. ad Christum, in cujus sorte esse noscuntur, qui *via, veritas, & vita est*, eo opitulante, pervenire mereâtur. Amen.

Concilium Aquisgranense in causa Regulæ Benedictinæ, congregatum tempore Paschalis Papæ, & Ludovici Imperatoris anno 817.

IN hoc Concilio statuuntur 79. Canones ad Regulam S. Benedicti pertinentes, qui non summantur, cùm in Regula ipsius sancti Benedicti reperiantur.

In hoc eodem Conventu Aquisgranensi (ne prætereamus rem magni momenti) quod Apostolicæ Sedis Legatione petebatur, Ludovicus Imperator confirmavit quæcumque à prædecessoribus suis donata, vel restituta fuissent Romanæ Ecclesiæ, de his scribens publicam Constitutionem, quam tùm sua, tùm suorum subscriptione firmavit, atque sigillo munivit. Meminit hujus Leo Ostiensis in Chronico Cassinate.

Conventus in Villa Engelheim tempore Paschalis Papæ, & Ludovici Imperatoris, anno Domini 819. celebratus.

HUnc Conventum celebratum esse anno Domini 819. testantur veteres Annales Francorum. Præter ea, quæ ad res bellicas spectant, actum esse in eo de his, qui res, sive personas Ecclesiasticas infestant, constat ex Capitulorum à Benedicto Levita collectorum libro 6. cap. 96. cui talis præfixa est inscriptio: *De his, qui rapinas intra Regnum faciunt, ex Capituli Domini Ludovici in Engelheim Apostolica auctoritate, & Synodali sanctione, omnium videlicet clericorum, ac laicorum generaliter consensu, atque hortatu decretis*. Capitulum, quod sequitur, tale est: *Si quis infra Regnum rapinam fecerit, &c. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur: quia sacrarum rerum ablatio, sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex his aliquid abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sint habendæ.*

A *Concilium Attiniacense, in quo Ludovicus Imperator publicam pœnitentiam egit, tempore Paschalis Papæ, anno Domini 822.*

BErnardus nepos Caroli Magni ex filio Pipino, post obitum patris Rex Italiæ creatus, Ludovico patruo suo struxerat insidias: quas, cùm ille ulturus, armata manu Italiam ingressus esset, Bernardus se viribus imparem sentiens, abjectis armis, illi occurrit, veniamque initæ conjurationis deprecans, in terram se supplicem dimisit: & tamen non est exauditus; sed potius post aliquot menses oculis orbatus, post triduū interiit. Addit Auctor vitæ Ludovici, quod Caroli Magni Patris sui, naturales filios hos, Diogenem, Theodoricum, & Hugonem, in ejusdem criminis suspicionem adductos, in Monasterium detruserit. Quibus peractis, vulnus conscientiæ inflictum, cœpit dolorem urgere, & lachrymas frequentiores excutere, eo quod neci causam dedisse sibi videretur, dum sponte venienti, atque suppliciter veniam deprecanti non indulsisset. Cùm multis gemitibus, & lachrymis vulnus conscientiæ sanare non posset, frequentissimo Episcoporum cœtu convocato, publicam peregit pœnitentiam, Theodosii Imperatoris exemplum imitatus, ipse, qui ex pietate Deum in Ecclesia oraturus solebat primo terram fronte tangere. Est autem Attiniacum oppidum in finibus Rhemorum citra Mosam, etiam hodie nomen suum retinens. Vide Baron. ann. 822. *Peccata Ludov. Pii.*

C *Pseudosynodus, vel potius Collatio Parisiensis de cultu Imaginum, habita anno Dom. ut habet inscriptio 824. tempore Eugenii Papæ secundi.*

ACta Pseudosynodi, quæ incerto, & innominato Auctore anno Domini 1596. nulla facta mentione loci, ubi inventa, vel unde accepta fuerint, in lucem prodierunt, tamquam spuria, & illegitima, vel saltem de fide suspecta, nequaquam hìc inserenda putavi. Refutationem tamen eorum sex Capitibus distinctam edidit Bellarminus in Appendice ad Tractatum de Cultu Imaginum. Videatur ibi.

D *Concilium Romanum 63. Episcoporum in causa disciplinæ Ecclesiasticæ, celebratum anno Domini 826. sub Eugenio Papa secundo.*

UT Episcopus bono approbatus opere ordinetur.

Ut nullus Episcopus, aliusve Sacerdos muneribus ordinetur.

Qualiter Episcopum docere, & consistere oportet.

De indoctis Sacerdotibus.

Ut in eligendis Episcopis Canonum regulæ serventur.

Ut Episcopi extra proprias Parochias non morentur.

Ubi Clerici consistere debent: scilicet, ut eis unum sit Refectorium, ac Dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus Clericorum necessariæ.

E De Sacerdotibus in subjectis baptismalibus plebibus constitutis.

Ut Clerici non plures, quàm sufficiant, ordinentur.

De Sacerdotibus, qui in Ecclesiis, vel Monasteriis non habitant.

Ne Sacerdos aliquo ludo delectetur.

Ut Sacerdotes fœnoris aliquid, aut rustica ministeria non exerceant.

Si Sacerdotes testimonium dicant, ut coram Episcopis tantùm pro ea re conveniri possint.

Ubi Sacerdotem post condemnationem esse oporteat.

De suspectis Sacerdotibus, ut admoneantur ab Episcopis.

De Presbyteris, qui oblationem alterius recipere nolunt.

Qua auctoritate dimissoriæ fiant, ut credantur.

Ut Episcopi, & universi Sacerdotes habeant Advocatos.

De his, qui Advocatos invenire nequeunt.

De Monasterio, vel Oratorio, quod à proprio Domino soli ædificatum est.

De invasione quasi pro parte Ecclesiæ facta.

De Xenodochiis, & aliis similibus locis.

De piis locis, quæ sine Presbyteris existunt, nempe, ut teneantur loca pia sæcularium suscipere Presbyterum illis ab Episcopo præpositum, si ipsi sæculares infra tres menses Presbyterum præficere ipsis locis piis neglexerint.

De destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident, reædificentur, & si non sufficiant, à populo adjuventur. B

Si Episcopus à subjectis Sacerdotibus, & Clericis dominationes exigat.

Quales Abbates sint constituendi.

De Monachis, qui solo habitu existunt, & non vita vivunt.

De religioso habitu feminis consistentibus, ne viris sociari permittantur.

De negotiis, & laborationibus die Dominico non faciendis.

De criminalibus causis, & furtis, cæterisque similibus die Dominico inventis.

De his, qui sine ostensione criminis, inviti Monasterio sunt introducti.

Ut laici ad Missas audiendas in Presbyterium non intrent. C

De scholis reparandis pro studio litterarum.

De conviviis festis diebus non faciendis.

De his, qui adhibitam sibi uxorem reliquerunt, & aliam sociarunt.

Non licere uno tempore duas habere uxores, sive concubinam cum uxore.

De incestis, & inutilibus contractionibus.

Hucusque Canones sub Eugenio, indicto, hoc anno, celebrato Romæ Concilio.

Concilium Parisiense in causa reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ sub Ludovico, & Lothario Impp. & Gregorio quarto, anno Dom. 829. celebratum.

Ob peccata Concilia 4. habentur.

CUm à Bulgaris maximæ clades, & ruinæ Imperio Gallico illatæ fuissent: visum est illud omne deputandum peccatis, quæ iram Dei provocassent, atque adeò ad eum pacandum habenda esse Concilia plura, in quibus reformentur mores populorum, aliorumque hominum cujuscumque status. Ideoque quatuor loca selecta sunt, in quibus haberentur hæc Concilia, sicut habetur in epistola Cæsarea huic Concilio præfixa. D

Primò scilicet in Moguntiacensi urbe, ubi conveniant Metropolitani Autgarius, Adulbaldus, Herto, Bernuinus, cum Suffraganeis suis.

Secundò quoque in Parisiorum urbe, ubi Futurus Antistes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landranus Metropolitani cum Suffraganeis suis conveniant.

Tertiò verò apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum Suffraganeis suis similiter conveniant. E

Quartò etiam apud Tolosanam urbem, quo simul conveniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulphus, cum Suffraganeis suis.

In hoc porrò Concilio plura, & prolixa statuta ponuntur in tribus libris comprehensa: nos summatim, & carptim recensemus aliqua ex multis.

5. De periculo, quod Sacerdotibus imminet, & quod unusquisque in Parochiis suis populo specialiter denuntiet, ut se corrigant, & ad Dominum ex toto corde convertantur, & pro periculis meritò nostræ iniquitatis imminentibus, nec non & pro vita conjugum, prolequе Imperatorum, populique ei subjecti, Domini misericordiam humiliter exorent.

6. Quod inter cætera ad curam Episcoporum specialiter pertineat, ut hi, qui fidem Christi expetunt, instruantur & fidei, & baptismatis Sacramento.

7. Quod hi, qui extra statuta tempora Canonum baptizantur, ad gradus Ecclesiasticos provehendi non sunt.

8. Quod summopere omnes fideles meminisse oporteat pacti, quod in Baptismate cum Deo fecerunt.

9. De accessione ad Pastorale magisterium, & persona Sacerdotis, ejusque periculo.

10. Ut in rebus Ecclesiæ circa propinquos suos expendendis, modum Episcopi teneant discretionis.

11. Quod res Ecclesiæ non sint Sacerdotibus, si eas strenuè dispensaverint, causa peccati: sed potius ad Dei honorem, & fidelium commoditatem, &c. Verba Concilii sunt. Convenit pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiæ possidere, non ab ipsis possideri, & ut Prosper scribit, eas possidendo debent contemnere, & non sibi, sed aliis possidere, &c. Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere Ecclesias Christi: & perpendat, quia quantumcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt: cupiditas quippe, immo negligentia quorumdam dispensatorum, non Ecclesiæ amplæ res in vitio sunt: mira namque res, ambitio mundi satis non habet, & Ecclesia Christi nimium habet.

12. Quod autem vitam, conservationemque quorumdam Sacerdotum nonnulli subjecti, livore potius, quàm zelo charitatis, reprehendant; in hoc Capite habentur hæc aurea verba: *Dum Prælati exemplo suæ perversitatis subditis detrahendi locum dant, se, & illos proculdubiò ad perditionem pertrahunt.*

13. Ut conversatio Sacerdotalis testes vitæ probabilis habeat.

14. Ut si Episcopi, cæterique Prælati, nisi id necessitas inevitabilis impedierit, maximè cum Clericis suis Horas Canonicas custodiant, & Scripturas divinas quotidie in collatione tractent, eisque in convictu participes existant.

15. De laicorum Clericis, eorumque examinatione, & promotione.

16. Ut pastores gregem sibi commissum, non ut proprium, sed ut Dominicum tractare meminerint, verba sunt canonis. Qua ergo temeritate, imò præsumptuosa vanitate, quilibet prælatorum dicere præsumit; illa congregatio mea est, aut Presbyter, vel clericus meus est, cùm non illius sit, sed illius, cui dicatus est? proinde, quia is inolitus usus Ecclesiasticæ non convenit regulæ, corrigatur necesse est.

17. Ut Prælati carnalem, spiritalemque cibum sibi subjectis impendere studeant.

18. Ut Chorepiscopi modum mensuræ suæ, qui in sacris Canonibus præfixus est, non excedant.

19. Ut Presbyteri nullo modo fiant villici, & conductores agrorum, vel negotiorum sæcularium sectatores, atque per diversa vagantes, quod & de Monachis similiter convenit observari.

20. Ut Presbyteri in Ecclesiis constituti non sint passim, ut quibusdam Prælatis moris est, per diversa mittendi.

21. Ut ab omnibus Episcopis propter honorem, & utilitatem Ecclesiasticam, solicitior circa habendas scholas cura adhibeatur.

22. Ut quando Episcopi Parochias suas circumeunt, hoc summopere studeant, ne his, quibus prodesse debent, oneri sint.

23. Ut Codicilli, quos Pœnitentiales vocant, quia Canonicæ auctoritati refragantur, penitus aboleantur.

24. Quod Episcopis conveniat, ut jejuni per impositionem manuum tradant Spiritum sanctum.

25.

25. Quod patratores diversarum pollutionum, quas cum masculis, & pecoribus admittunt, judicio Canonico, quod in Ancyrano Concilio sub tit. 16. continetur, plectendi sint.

26. Ut unusquisque Episcoporum, non solùm Presbyterorum, verum etiam sequentium Ordinum Parochiæ suæ gradum amittentium, vitam, & conversationem, morumque emendationem tàm per se, quàm per ministros suos noverit, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat.

34. De feminis, quas non contigit discipulas fuisse, sanctimonialibus ne repentè matres spirituales præficiantur.

35. De nobilibus feminis, quæ amissis viris velantur, & in propriis domibus residere delectantur, statuit Concilium, ut post triginta dies à morte viri nubant, aut si sacrari volunt in Monasterio sub spiritualis matris regimine, Deo servituras se subdant.

36. Ut illicitus accessus feminarum ad Altare, sacraque vasa contrectantium, fieri prohibeatur.

37. Ut hi, qui publica pœnitentia sunt mulctati, neque in Baptismate, neque in percipiendo sancti Spiritus dono patroni existant pro aliis.

1. Regem esse, est piè, & justè, & misericorditer regere: sciat, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est.

2. Regale ministerium specialiter est, populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & justitia, &, ut pacem, & concordiam habeant, studere: ipse enim debet primò defensor esse Ecclesiarum, & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium, &c.

3. Rex benè agentes debet remunerare, malè verò agentes sua auctoritate comprimere, causamque pauperum ad se ingredi debere facere.

4. Quod æquitas judicii, stabilimentum Regni, injustitia sit ejus eversio.

5. Quod Regnum non ab hominibus, sed à Deo, in cujus manu omnia Regna consistunt, detur.

1. Unusquisque Episcopus in Parochia sua dictis, & exemplis plebes sibi subjectas ad meliora incitare studeat.

2. Malorum patratores, quos & Lex divina improbat, & condemnat, pro quorum etiam diversis sceleribus, & flagitiis, populus fame, & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & Regnum periclitatur, admoneantur, & corrigantur: hi sunt præcipuè masculorum, & pecorum concubitores, propter quos venit ira Dei in filios diffidentiæ.

Capitula, quæ à Regis pietate adimpleri flagitant Episcopi.

3. Ut per Regem filii, & Proceres Regni, nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem Sacerdotalem cognoscant.

4. Sacerdotes divinæ voluntatis sunt indices, Ecclesiarum Christi, post Apostolos, fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, &c. Ipsi sunt decus Ecclesiæ, in quibus amplius fulget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt Regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus, & officia singulorum.

5. Ut per Regem coerceantur populi, ne de Sacerdotibus scandalizentur, & de ipsis detrectent, quando aliquid decernunt, quod contra corruptos aliquorum mores dirigitur: Sacerdotes enim mentiri non debent. Unde licèt aliquando veritas sine gravi periculo reticeatur, numquam tamen interrogati Sacerdotes de ipsa veritate, sine gravi discrimine possunt mentiri.

6. Ut libera facultas concedatur Sacerdotibus celebrandi saltem semel in anno Concilia.

7. Ut Scholę publicæ saltem in tribus Imperii locis erigantur. Ut labor patris vestri, & vester, per injuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.

Nota, *Ex Papyrio Massono lib. 2. annal. ex his verbis apparere tres publicas scholas, Parisiensem, Patavinam, & Ticinam à Carolo magno institutas, quæ Academiæ dicuntur, ipso mortuo, perituras fuisse, si Ludovicus paternum morem secutus non fuisset, cui litterarum cura non minor, quàm patri fuit. Et Carolus Calvus patris, avique studium erga litteras longè superavit.*

8. Ut Monachi, & Presbyteri à Palatio Regis deterreantur.

9. Ut sedes Episcopales propriis rebus viduatæ restituantur in pristinum.

10. Ut ex Parochiis angarii, & rangarii quantocyus radicitus evellantur. Intellige de his, qui in parochiis exactiones faciebant.

11. Ut ministri Regis Ecclesiasticos adjuvent.

12. Ut Reges aliquando, & sæpius communicent; &, ut eorum famuli idem faciant, procurent, &c.

Controversia de Energumenis.

Occasionem hujus Concilii celebrandi cum tribus aliis Moguntiæ, Tolosæ, & Lugduni valdè insolitam, & stupendam refert Einhardus lib. 3. cap. 13. quod in translatione S. Marcellini, & Petri, inter alia miracula Dæmon puellam sexdecim annorum in corpore possidens, cùm à Presbytero exorcista interrogatur, responderit se esse satellitem, ac discipulum Satanæ, & multò jam tempore apud inferos janitorem extitisse, ac modo eum undecim suis sociis regnum Francorum vastare, ac plurima clade afficere ubique propter multam populi iniquitatem, ac injustitiam eorum, qui præsunt; denique cùm urgeretur ad exeundum, puellam in pavimentum projecit, dixitque se exire non propter ipsius sacerdotis imperium, sed propter sanctorum potestatem, qui se diutius in illa permanere non sinerent. Quæ res cùm delata fuisset ad Imperatorem, indixit preces, & jejunium triduanum per universum regnum ad expianda peccata necnon mandavit, ut celebrarentur Concilia in quatuor locis regni ad reformandos omnium mores. *Responsum dæmonis.*

Rem eamdem refert ex Annalibus, quos non designat, Hadrianus Lyræus in *Trisagio Mariano* lib. 1. scilicet Albericum quemdam nomine à paralysi curatum in ipsa translatione jussum fuisse à Gabriele adire Imperatorem, ac monere de malis imminentibus sibi, ac suis, nisi seriò resipiscerent. Sed cùm res fuisset neglecta, ecce omnia replentur calamitatibus famis, incendiorum, latrociniorum, rebellionis filiorum in Imperatorem, promoventibus tot clades duodecim dæmonibus, quibus id commissum fuerat, quorum unus occupato corpore sexdecennis puellæ inter exorcismos hæc latinè ex ore puellæ publicè effutiit: *Angelo credere noluistis, diabolo compulsi credetis*. Atque exinde preces indictæ, & jejunia, & celebrata Concilia in quatuor prædictis locis. Unde Lyræus movet quæstionem, an dæmoni fides adhibenda: quidam enim Doctores penitus denegandam esse volunt ipsi, qui liberalis admodum mendaciorum Pater est, & fallendi nequissimus artifex, ipse verò aliter censet, cùm à Deo, aut ab Ecclesia compelli dicat, ut in præsenti. Istam quæstionem aliàs dissolvimus in Opusculo adjun- *Quæstio an credendum dæmoni.*

juncto libro nostro de *Beneficio crucis* adversus Bajanos, aut Jansenitas evulgato anno 1653. Parisiis apud Joannem *Pocquet*. Visumque nobis est haud adhibendam certam fidem dæmoni, cùm inter Ecclesiæ exorcismos accusant aliquem, aut aliquam de aliquo crimine, ut quod Sagorum, Sagarumque conventiculis interfuerit, aut quidpiam surripuerit, & quodvis aliud peccatum admiserit. 1. ratione, quia dæmon est mendax, & subdolus hostis humani generis, ideò fide indignus, 2. quia calumniator est justorum hominum, 3. quia potestas data Ecclesiæ super energumenos extendit se ad ipsos è corporibus ejiciendos cum imperio, & potestate, non ad inquirendam rerum occultarum veritatem. Quare si quid verum dicat Diabolus, ut aliquando accidit, non id tribuendum virtuti ordinariæ exorcismorum, sed vel dæmonis voluntati propter fines illos, quos sibi proponit, vel forsan sanctitati exorcizantis. Quare nec tàm multiplici interrogatione utendum est inter exorcismos, sed magis jejunio, oratione, & imperio, ut exeat. Sic censet Origenes in cap. 17. Matthæi tract. 4. Suffragatur Theophilactus super cap. 11. Marci. Tostatus Abulensis in cap. 10. Matthæi quæst. 60. Delrio in Anacæphaleosi disquis. Mag. lib. 6. Monitione 10. & nostra facultas Theologiæ Parisiensis in comitiis ordinariis Sorbonæ anno 1623. die 2. Januarii, & iterum die 2. Martii librum de vocatione Magorum, &c. tamquam impium, nefarium, horrendum, &c. bonis moribus adversantem, etiam in fide, & religione periculosum damnavit. Qui liber primum latino sermone editus fuerat cum hoc titulo: *Vera, & memorabilis Historia* de tribus Energumenis in partibus Belgii. Causæ autem censuræ, seu motiva revocantur in Actis facultatis ad quatuor capita, quorum primum, & secundum sunt: 1. *Quod vellet author, & contendat dæmonem, si certis rationibus, quas profert, se sacramento obstrinxerit, non posse fallere, eique fidem esse adhibendam. Quod omnibus dolis, & deceptionibus viam sternit, &c.* 2. *Si hoc præstito juramento assereret dæmon se tanquam ministrum Dei accepisse provinciam enuntiandi aliqua ad Dei gloriam, & fidelium institutionem, ei auscultandum, & obediendum censet. Quod aliquo pacto idololatriam sapit.* Omitto cætera. Porrò ex his liberavimus quamdam Monialem in causa capitis, quæ à dæmonibus inter exorcismos accusata erat de valdè horrendis criminibus, cùm inter Judices assessores rogati essemus à venerando Officiali, ad quem, auctoritate regis Christianissimi, causa hæc remissa fuerat, & nobis relatam ante aliquot annos in Parlamento comitatus Burgundiæ, non minus, quàm duodecim personas variæ ætatis, & conditionis, contra quas latum jam erat decretum incarcerationis, ob accusationes ab ore cujusdã energumenæ inter exorcismos promanantes, ab eo decreto absolutas fuisse, cùm procurator generalis nostrum hoc opusculum, & censuram in eo laudatam palam coram judicibus allegasset. Quare non inutile judicavimus ex præsenti occasione hæc indicare, forsan miseris quibusdam falsò accusandis quandoque profutura.

Error in exorcizantibus.

Censura Facultat. Parif.

Utilitas censuræ.

Concilium apud Compendium, in quo Ludovicus Imperator Imperio deponitur anno Domini 833. sub Gregorio Papa quarto.

IN hoc Concilio Episcopi collecti apud Compendium anno Domini 833. Indictione 12. Cùm Ludovicus Pius, maxima cum improvidentia Imperium administrans, in contemptum talem subditorum venisset, ut rebellarent, atque etiam à propriis filiis cum Juditha uxore apud Compendium captus fuisset, datis in solatium aliquot Monachis, qui ad emendationem vitæ, & pœnitentiam hortarentur, monitus est à Synodo, ut jam terrena potestate exutus suam animam non perderet, monitusque est de omnibus, in quibus Deum offenderat. Ille autem monitionibus acquie-

Episcoporũ facinus insolitum.

A scens, vocatusque ad Concilium, cùm venisset, prostratus in terram super cilicium ante sacrosanctum Altare confessus est coram omnibus, ministerium sibi commissum satis indignè tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse, Ecclesiamque Dei scandalizasse, populumque per suam negligentiam multifariè in perturbationem induxisse. Et ideò ob tantorum reatuum expiationem, publicam, & Ecclesiasticam se expetere velle dixit pœnitentiam. Et cùm specificè plura facinora confessus fuisset, chartulamque suorum reatuum, & confessionis, ob futuram memoriam, Sacerdotibus tradidisset, quam ipsi super Altare posuerunt; ipse cingulum militiæ deposuit, superque Altare collocavit, & habitu sæculari se exuens, habitum pœnitentiæ per impositionem manuum Episcoporum suscepit.

B Hæc porrò acta sunt auctore potissimo Ebbone Rhemensi Archiepiscopo in regem infido. Extatque actum hujusmodi exauctorationis tom. 2. histor. Francorum Andreæ Ducennii, seu Quercetani. Non sunt autem hæc, ut salubris Concilii decreta amplectenda, sed ut exitialis commenti molimina respuenda, Episcopis Galliæ vel errore in id cum Ebbone annitentibus, vel ex timore consentientibus. Unde & paulò post restitutus est Imperio pius Imperator, sicut alter David, post Absalonis conjurationem, subditis novarum rerum pertæsis, pristinam reipublicæ formam desiderantibus.

Ebb... mens... cipi... fus.

Imp... dun... cili...

C *Concilium Metense, quo Imperator ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo injustè excommunicatus, & ingressu Ecclesiæ interdictus, absolvitur, anno Domini 835. sub Gregorio Papa quarto.*

COngregata synodo (ait Chronicon Cameracense lib. 1. cap. 41.) *in Metensi Ecclesia sancti Stephani, Imperator præ cunctis Ebbonem accusat, quod eum falsò fuerat criminatus, & iisdem falsis criminibus appetitum è Regno dejecerat, armisque ablatis, nec confessum, nec convictum, contra regulas Ecclesiasticas ab Ecclesiæ aditu eliminaverat. Qui objecta erubescens, seque malè fecisse recognoscens, ut in Synodo omnia legaliter implerentur, secundum Africanos Canones sibi Judices Episcopos delegit, inter quos etiam Theodoricum Episcopum convocavit. Plura suppeditat de hoc Concilio citatus Andreas Quercetanus tom. 2. eodem pag. 340.*

Ebb... men...

D *ubi narrationem quamdam satis prolixam Clericorum Rhemensium de hoc Concilio refert, ac de sequenti simul Theonvilleo. Hic trans Rhenum natus, ac Ludovici condiscipulus, ut Flodoardus scripsit, orta simultate inter Ludovicum, & Lotharium filium hujus partibus favit, ac pene exauthorandi Cæsaris signifer fuit, accepto in perfidiæ præmium D. Vedasti Monasterio.*

Conventus Episcoporum in Theodonis villa habitus, quo Ebbo Rhemensis Archiepiscopus seipsum Episcopatu abdicavit anno Domini 735. tempore Gregorii Papæ quarti.

E HOc Conventu suasu Coepiscoporum Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, eo quod deponendi Ludovici Imperatoris ab Imperio auctor fuisset, seipsum Episcopatu abdicavit. Reliqui autem, qui consentientes ei fuerant, ob necessitatem, qua coacti fuerant, ut exauctorationi Imperatoris interessent, seipsos excusarunt, veniamque impetrarunt. Finito autem Concilio, reductus est Ebbo sub arcta custodia, donec Imperator viam totius carnis ingressus est, ut videre est in præcitata narratione in antecedenti Concilio Metensi.

Con-

A

Concilium Aquisgranense de Ecclesiastica disciplina, celebratum Indictione 14. sub Gregorio Papa IV. & Ludovico Imperatore, anno Domini 836.

IN Præfatione Concilii fatentur Episcopi, se monitu Imperatoris ad hanc Synodum convenisse, eo fine, ut de tribu agerent Capitibus hisce. Primò, de vita, doctrina, moribus, & officio Episcoporum. Secundò, De moribus, & officio Abbatum, aliorumque inferioris ordinis Ecclesiasticorum. Tertiò, De Imperatore, ejusque filiis, ac ministris rectè disponendis. Hæc tria Capita in tribus libris continentur, quæ, quia supra in Concilio Aquisgranensi I. sub anno 829. dicta sunt, hìc non repetuntur.

Concilium Lugdunense in causa Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis Pastoribus carentium, anno Domini 836. sub Gregorio Papa IV. & Ludovico Imperatore.

IN deponendo Ludovico Imperatore, Ebboni Rhemensi Archiepiscopo Agobertus Lugdunensis, & Bernardus Viennensis Episcopi consilium, & auxilium præbuerunt, vocatique ad Concilium apud Theodonis Villam celebratum, fugerant: cumque ibidem de eorum causa ideo nihil, vel parum actum esset, quod in Italiam fugientes, ad Apostolicam Sedem appellasse crederentur; opus erat, ut desertis Ecclesiis de Pastoribus provideretur. Hoc igitur Lugduni indicto, cui Ludovicus Imperator cum filiis omnibus, excepto Lothario, interfuit, citatus est uterque, sed neuter comparuit, ideo quod causæ bonitati, & æquitati diffiderent. Et ne absentes damnarentur, suspensum est judicium; quid verò actum deinceps, non constat. Vide Baronium anno 836. num. 9.

Conventus Cabilonensis De rebus Ecclesiasticis, & Politicis componendis, habitus anno Domini 839. sub Gregorio.

CUm post obitum Pipini filii, & Regis Aquitaniæ Ludovicus Imperator Regnum illud, præterito inofficioso nepote Pipino juniore, inter Lotharium dumtaxat, & Carolum divisisset, Ludovicus filius Ludovici Imperatoris, & cum ipso Optimates Aquitaniæ, injuriam sibi illatam esse protestatus, contra patrem arma, exercitumque paravit. Ut ergo istæ turbæ componerentur, indictus est Cabilone Conventus: quo absoluto, Imperator filium Ludovicum rebellantem, ad spontaneam reconciliationem adegit, & Aquitaniam compescuit. Vide Baronium anno Domini 839. num. 1.

Concilium Aquisgranense, Quo Regnum Franciæ à Lothario ad Ludovicum, & Carolum fratres est translatum, anno Domini 842. tempore Gregorii IV. & Lotharii Imperatoris.

LOtharius Imperator fratrum suorum Regna affectans, ut solus Monarchicum teneret Imperium, civili bello eosdem aggressus est: illi contra missis ad eum crebrioribus Legationibus, pacem quidem expetiverunt, sed non impetrarunt, antequam semel atque iterum eum in fugam adegissent. Consulentes igitur Episcoporum Conventum Aquisgrani congregatum, quid de Regno à fratre derelicto ipsis agendum videretur; omnibus unanimiter visum fuit, quod ob nequitiam Lotharii, Dei vindicta illum ejecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se justè ad regendum tradiderit.

Concilium Constantinopolitanum, Quo hæresi Iconoclastarum damnata, cultus Imaginum Constantinopoli est restitutus, ejectoque Joanne Patriarcha hæretico, Methodius Orthodoxæ fidei defensor surrogatus fuit anno Domini 842. tempore Gregorii Papæ.

THeophanes Presbyter in Oratione, quam in sanctum Nicephorum Patriarcham dixit, apertè fatetur, post obitum Theophili Imperatoris anno 842. collectam esse Constantinopoli hanc Synodum, qua Patres Concilii Iconoclastarum hæresim condemnarunt, cultumque Imaginum restituerunt, atq; Joanne Patriarcha amoto, Methodium Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum constituerunt. Ita plane dissipata est hæresis Iconoclastarum, quæ centum viginti annis è portis inferi magno fastu, auctore Imperatore, potens, ac furens in Ecclesiæ damnum erupit.

Iconoclastarum hæresis 120. annis Ecclesiã vexavit.

B

Concilium Bellovacense, Quo Rhemensi Ecclesiæ post depositionem Ebbonis datus est Archiepiscopus Hincmarus, anno Domini 845. tempore Sergii II. & Lotharii Imperatoris.

ANno Incarnationis Domini 845. Carolus Calvus convocavit Synodum Episcoporum sui Regni Bellovacis civitatis Provinciæ Rhemensis: in qua inter alia negotia Ecclesiæ, & Regni, de Ecclesiæ Rhemensis desolatione agere cœpit, quam Fulcus Presbyter diu usurpaverat, & post eum Hocholuus successor. Quare Episcopi illi, & Clerus, & populus Hincmarum Monachum S. Dionisii in Francia, ob præclara scientiæ, & virtutum merita, eligunt, & eidem Ecclesiæ præficiunt, cujus electionem Carolus gratissimam habuit.

C

Hincmarus

Concilium Meldense, Contra laicos rerum Ecclesiasticarum detentores, celebratum anno Domini 845. sub Carolo Juniore Rege Francorum, & Sergio Papa II.

CAusa habiti Concilii hæc est: Reges Francorum res Ecclesiasticas laicis hominibus possidendas tradiderant, eaque re Deum optimum sacrilegii vindicem acerrimum gravissimè offenderant. Quod cum Galliæ Episcopis innotuisset, ad divinam indignationem avertendam, Deique misericordiam provocandam, illi hoc Meldense Concilium collegerunt, in quo ante omnia iniquitatem temporum, hominumque fidelium mores corruptissimos deplorarunt, causamque malorum omnium, quibus hoc tempore Gallia à Northmannis, aliisve barbaris nationibus infestabatur, sacrilegio Regum Francorum attribuerunt. Quam ut plane è medio tollerent, pro rebus Ecclesiæ conservandis, plurima decreta ediderunt, ipsumque Carolum Regem inter alia admonuerunt, ut capitula à Carolo Magno, atque à Ludovico collecta observari præcipiat. Quæ auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata esse, fatetur in sua Præfatione Bernardus Levita.

D

E

Decreta hujus Concilii à Carolo Rege non sunt recepta, quamquam in gratiam Hincmari, quem plurimum diligebat, recens creati Episcopi Rhemensis, ea, quæ ab illa Ecclesia jam ante abstulerat, pro virili, ut videre est apud Frodoardum lib. 3. Rhem. Hist. cap. 40. restitui procuraverit. Principes Regni sacris Episcoporum admonitionibus, & decretis vehementer restiterunt, quia Abbatias, aliasque res Ecclesiasticas à Rege Carolo in Beneficium acceperant. Quas ne dimittere cogerentur, magna importunitate apud Regem egerunt, ne cunctos ille Canones in hoc Meldensi Concilio sancitos acciperet; sed paucos dumtaxat, aliis rejectis, ex ipsis suscipiendos esse decerneret. Cumque Rex magis Comitibus, quàm Dei Sacerdotibus

Dissidia propter Abbatias.

bus auscultaret, magno damno totius Regni contigit, ut novis Northmannorum incursionibus Regnum Deus affligi permiserit, coactusque fuerit iniquissimas ab hostibus propositas leges suscipere, qui à Patribus sanctè, pieque statutas recusavit accipere.

Hæc Synodus Meldis annno 845. inchoata Parisiis anno sequente absoluta fuit, vel saltem illos Canones, quos Meldis constituerat, sequente anno in Synodali Patrum consessu novo Parisiis promulgavit, ut patet ex Præfatione Concilii, circa finem.

Concilium Parisiense, Quo Meldensis Synodus absoluta est, vel saltem illos, quos constituerat, Canones promulgavit, anno Domini 846. tempore Sergii Papæ II. & Lotharii Imperatoris celebratum.

DE hoc dictum est in fine præcedentis Concilii.

Concilium Parisiense, In causa Ebbonis Rhemensis quondam Archiepiscopi congregatum anno Domini 847. tempore Sergii Papæ inchoatum, & Leonis IV.

IMperator *Lotharius* (ut scribit Frodoardus Hist. Rhem. lib. 3. cap. 2.) *contra Carolum fratrem suum odia, & diffidia pro Regno persequens Hincmarum Caroli fidelissimum, post ordinationem ipsius à Papa Sergio diplomata obtinuit, ut causa, & lis depositionis Ebbonis iterum renovaretur. Quibus Papa ad Carolum scribebat, ut Guntbaldum Episcopum Rhotomagensem cum Hincmaro, & aliis Episcopis sui Regni, quos ipse Guntbaldus eligeret, ad Synodum Trevirensem ad Legatos suos mitteret, & ibi rationes, & scripta depositionis Ebbonis discuterentur. Verum Legati Papæ Sergii non venerunt. Idcirco Guntbaldus consensu Regis Caroli cum aliis Episcopis Synodum indixit, ad quam auctoritate Sergii Papæ Ebbonem Epistolis, & nuntiis vocavit. Qui tamen nec in persona propria, neque per procuratorem, neque per litteras comparuit; imo nec ullam Synodum, nec sedem Apostolicam interpellavit, nec de Episcopatu Rhemensi, nec de Ordine suo conquestus est. Et postquam Episcopi, & Rex suis literis Leonem Papam de his, quæ gesta fuerant, certiorem fecissent, & hic ordinationem Hincmari, qui suam confessionem fidei Romam miserat, approbasset, eundemque pallio donasset; ipsemet Ebbo adhuc quinque annos usque ad annum Incarnationis Domini 851. vixit.*

Concilium Moguntinum I. sub Rabano Archiepiscopo pro juribus, & immunitatibus Ecclesiasticis celebratum anno Domini 847. tempore Leonis Papæ IV. & Lotharii Imperatoris.

OCcasio hujus Concilii celebrandi eadem fuit, quæ Meldensis: nimirum, quod cum à laicis bona Ecclesiarum, jura pariter, & personæ assiduè invaderentur, deque his frequentes apud Regem querelæ essent, ille ad liberandum istis malis Ecclesiam congregari fecit Synodum provincialem, cui Rabanus Archiepiscopus, vir doctrina, probitate, atque scientia valde insignis, præesse deberet.

Canones summatim sunt, qui sequuntur.

1. DE fide Catholica, quàm omnes debent profiteri.

2. Ut omnia Conciliorum decreta fidelibus proponantur.

3. Ut Sacramentum Baptismi uniformiter ab omnibus administretur.

4. Ut in pace, & concordia omnes vivere studeant.

5. Ut contra Regem, vel Ecclesiasticas dignitates, sive Reipublicæ potestates, conspirationes rebellionis non fiant.

6. Qui possessiones Deo consecratas, & ipsam domum Dei inhonestè tractaverit, vel infringere præsumpserit, quasi invasor, & violator domus Dei excommunicetur. Hic habetur, quod Rex est defensor, & custos rerum Ecclesiasticarum divinitus datus.

7. Ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas prævidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum Canonum auctoritatem: & ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias, viduas, & orphanos defendendos, & ut eis sint obedientes ad eorum Christianitatem servandam.

8. Ecclesiastici nihil antea habentes, & postea tempore sui Clericatus agros, vel quæcumque prædia suo nomine comparantes, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem contulerint.

9. Si in Italia Sacerdotes manumissiones facere repe-riuntur, etiam non sciant istorum ordinem sequi.

10. Decimæ dentur, & in quatuor partes dividantur.

11. Ecclesiæ antiquæ sua privilegia habeant.

12. Presbyteri sine consensu Episcoporum per Ecclesias non constituantur, vel ab his recipiantur.

13. Clerici, & Regulares regulariter vivant secundum eorum Statuta.

14. Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat.

15. Si quis ex Clericis laxaverit comam, anathema.

16. Abbatissa de Monasterio non egrediatur absque Episcopi licentia, nisi fortè Regali jussione cogatur.

17. Pauperes non opprimantur.

18. Res pauperum per malam occasionem non sunt emendæ.

19. Non sunt accipienda munera ad justitiam subvertendam.

20. Parricidis severius pœnitentia injungatur.

21. Idem de mulieribus partus necantibus.

22. Idem de homicidis.

23. Cum homicidiis sponte non commissis mitius procedatur.

24. Presbyterum occidenti, 12. annorum pœnitentia imponatur.

25. Presbyterum degradatum occidenti omnis Ecclesiastica communio denegetur.

26. Ab infirmis in mortis periculo constitutis per Presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda.

27. Suspensi in patibulis, si sua peccata confessi sunt, possunt etiam eorum cadavera ad Ecclesias deferri, & pro eis Missæ, & oblationes offerri.

28. Incestuosi impœnitentes de Ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

29. 30. & 31. De damnatis nuptiis.

32. De modo dandi pœnitentiam.

Concilium Moguntinum II. sub Rabano Archiepiscopo contra Godescalcum hæreticum Presbyterum anno Domini 848. celebratum tempore Leonis Papæ IV. & Lotharii Imperatoris.

IN hac Synodo multis quæstionibus responsum esse videtur, quæ anno superiore in Synodo priore fuerant quidem propositæ, sed ob temporis angustias in aliud tempus dilatæ. Inter alias autem quæstiones fuit vetus illa de Prædestinatione, quam Monachus quidam hæreticus Godescalcus nomine resuscitavit.

Nempe 1. quod sicuti Deus quosdam prædestinavit ad vitam æternam, sic etiam alios ad mortem æternam prædestinavit. Itaut ex vi prædestinationis tales necessariò damnarentur.

2. Quod non esset in homine liberum arbitrium, quod per Adami culpam deperditum erat.

3. Quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos dumtaxat, qui salvantur: nam si hi omnes non salvantur, quos Deus vult salvari, non omne fecit,

quod

quod voluit. Quod si velit id, quod non potest facere, non est omnipotens, sed infirmus, & impotens: attamen omnipotens est, quia fecit omne, quod voluit.

4. Quod Jesus Christus non fuit crucifixus, neque mortuus est pro redemptione totius mundi, idest pro redemptione, & salute omnium hominum, sed tantùm pro his, qui salvantur.

Qua verò ratione istæ hæreses cum suo auctore à Patribus hujus Concilii condemnatæ sint, quidve præterea ab iisdem constitutum, vel gestum fuerit, testantur Annales Francorum à Pithœo editi his verbis: *Circa Kalendas autem Octobris generale Placitum Rex Ludovicus habuit apud Moguntiam, in quo Legatos fratrum suorum, & Northmannorum, Sclavorumq; suscepit, audivit, & absolvit. Homines autem Rabani Episcopi adversus Dominum suum conspirantes publicè convictos, cum eo pacificavit Legatos suos ad fratrem suum Lotharium in Theodonis villa Placitum habentem pro Gislaberto, qui eodem anno ad fidem ejus venerat, reconciliationis gratia direxit. Godescalcus quoque quidam Presbyter de Prædestinatione Dei prava sentiens, rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Rhemos transmissus est, prius tamen juramento confirmans, quod in regnum Ludovici ultra non rediret.*

Quis verò fuerit porro Godescalcus, etsi jam non pauca de eo dixerimus in controversiis Concil. Trid. classe tertia hujus summæ, amplius disce ex epist. Hincmari, ex Monacho S. Dionysiano Arch. Rhemensi, ad Nicolaum Papam, quam refert integram Flodoardus in Hist. Eccl. Rhemens. l. 3. c. 4. ubi hominem depingit. *In Suessionica parochia in Monasterio, quod Orbacis dicitur, habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, quique à Rhemorum Chorepiscopo, qui tunc erat contra regulas Presbyter ordinatus, à Monasterio irregulariter existens, peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Moguntina civitate habita Synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis, cum litteris Synodalibus, ad Metropolim Rhemorum, cui jam auctore Deo præeram, est remissus, &c.* Quomodo verò idem Godescalcus damnatus fuerit in duobus Conciliis Carisiaci in Provincia Rhemensi, dicetur commodius classe sequenti, ubi hæc Concilia dabimus, ad elucidandam veritatem, quam nonnulli hodiè obscurare nituntur.

Nota. primarium dogma Godescalci, quod Deus sine prævisione operum quosdam prædestinasset ad gloriam æternam ex mero beneplacito, & alios ab eadem reprobasset saltem, ut à beneficio indebito: probabile enim ipsum non admisisse flammas æternas, sicut nec antiquiores Prædestiniani, quorum ipse doctrinam renovabat. Ex hoc verò principio de prædestinatione gratuita ulterius procedens alia dogmata reprobanda inferebat, quod præsciti necessariò damnarentur, & quæ tribus articulis posterioribus continentur. Maxima enim connexio istius primarii dogmatis cum aliis sequentibus, ut ab illo semel recepto vix se continere possint plurimorum mentes, quin ad hæc dilabantur. Unde qui nostro hoc sæculo quinque famosas propositiones, de quibus classe 3. actum est, tutati sunt, maximè innixi erant huic primario dogmati, ut mihi fassus est unus ex coriphæis ipsorum. Cur enim licitum esset sic opinari de prædestinatione, & reprobatione, & non ita de reliquis consequentibus necessitate consequentiæ talem modum prædestinationis, & reprobationis? Idcirco fortiter incumbere debent Theologi, quibus arridet talis modus, ut sunt plurimi valde illustres, ad ostendendum illegitimas esse tales consequentias. Godescalcus, & sectatores ipsius Lutherani, & Calvinistæ succumbunt isti difficultati, & uno admisso cætera sine negocio admittunt. Sed feliciora sunt quorundam ingenia, istum nexum tàm fa-

A cile dissolvunt, ac filum stuppæ: & consequenter se loqui putant, priori admisso negando posteriora: sic communiter Thomistæ omnes hodierni. Itaq; non tàm propter hoc primarium dogma malè audiit Godescalcus, quàm propter adjuncta: quamvis & istud primarium dogma plures offenderit illo tempore: ut quid enim poneretur in capite articulorum? semper enim mens fuit omnium post Apostolum, electionem prædestinatorum factam fuisse propter Christum; at qui dicit Christum, dicit merita Christi, eaque applicata hominibus: at qui dicit talia merita, dicit bona opera, per quæ applicantur. Sed negant illi electionem factam fuisse intuitu Christi. Quod cum alii injuriosum esse Christo existiment, à quo omnis benedictio spiritualis, non mirum, si tunc, & nunc tot sint de obscuro mysterio disputationes.

B

Concilium Turonense, adversus Nomenoium Ducem Britannorum Britanniæ Minoris, celebratum in Gallia an. Dom. 849. tempore Leonis Papæ IV.

Carolus Rex Francorum Britanniam Minorem Nomenoio cuidam Duci regendam, & administrandam commiserat: qui cum humana simul, atque divina vastaret, Episcopos à suis Ecclesiis pro animi furore expelleret, Leo Pontifex, ut hominem perditissimum ad meliorem frugem reduceret, literas ad eum scripsit Exhortatorias; quas cum tyrannus superbissimus non modo contempsisset, verum etiam oblatas repudiasset, Francorum Episcopi viginti duo, Sedis Apostolicæ propugnatores, auctore Lantranno ad hanc Synodum con-
C venerunt, ac miserunt ad eum epistolam, qua illum ob contemptum Sedis Apostolicæ redarguerunt, pœnamque excommunicationis infligendam, nisi resipiscat, comminati sunt: quo autem eventu non constat, nisi quod in Chronico Engolismensi, Deo vindice, morte repentina sublatus scribatur his verbis: *Anno 850. jubente Domino, Nomanoius ab Angelo percussus interiit* Baron. ann. Dom. 849. nu. 14.

Synodus Regiaticina (seu potius in urbe Regia Ticino facta) ad reformandos mores Ecclesiasticos celebrata anno Dom. 850. Nunc primum edita ex membranis MS. Monasterii S. Galli.

D In hac Synodo plura ordinata sunt.

1. Ut Episcopi irreprehensibiliter conversentur.

2. Ut Episcopi non tantum Dominicis diebus, & præcipuis Festivitatibus Missas celebrent, sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent.

3. Ut Episcopus moderatis epulis sit contentus, suosque convivas ad comedendum, & potandum non urgeat.

4. Ut Episcopus non canibus, non accipitribus, vel capis, quos vulgus Falcones appellat, per seipsum venationes exerceat: equorum quoque, mulorumque superfluam curam contemnat, pretiosarumque vestium, cultum, & dissolutum, ac velus ad pompam compositum vitet.

E 5. Ut Episcopus Canonicas Scripturas, & sancta dogmata jugi meditatione discutiat.

6. Episcopus procuret, ut Curati plebis sibi commissæ curam gerant.

7. Presbyteri per oppida singula, villasque discurrant, & quomodo pœnitentes impositam sibi pœnitentiam servent, &c. perquirant.

8. Si quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, &c.

9. Monendi sunt patres familias, ut filiabus suis tempestivè nuptias provideant, & calorem ferventis ætatis conjugali lege præveniant.

10. Non fiant raptus.

11. *Nihil annotatione dignum.*

12. Idem.

13. Idem.

13. Idem.
14. Monasteria diruta, ut restaurentur, Episcopi curent.
15. Xenodochia pariter, quæ in Episcoporum sunt potestate, ab ipsis gubernentur.
16. Idem.
17. Decimæ solvantur.
18. Omnis Clericus Episcopo sit subjectus.
19. *Nihil notandum.*
20. Judæi à Christianis vectigalia non exigant.
21. Nullus usuras sectetur.
22. Viduæ, & orphani non opprimantur.
23. Clerici, vel Monachi vagantes, qui spargunt errores, ab Episcopo loci detineantur, & ad Metropolitanum deducti, discussione Ecclesiastica examinentur.
24. Nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adulta fœmina jungatur, sed cum ad ætatem idoneam adolescentes venerint, tunc legitimo possint conjugio copulari.
25. Artes magicæ non exerceantur.

Conciliabulum Cordubense, In quo vetitum est Martyrium, cultusque SS. Martyrum sublatus fuit, anno Domini 852. tempore Leonis Papæ, & Lotharii Imperatoris.

Saracenorum imperium. GEns perfida Saracenorum, quæ in Asia, Africa, & Europa his temporibus dominabatur, anno Domini 850. Cordubæ in Hispania, ubi sedem Regni sui habebant, duos insignes Dei Confessores martyrio affecit: anno sequente Cordubensem Episcopum cum universo Clero, aliisve Episcopis Mahometi sectam detestantibus, quos nominatim recenset Eulogius in Documento Martyriali, in carcerem detrusit: ex quibus, aliis occisis, alios ad lapsum, & defectionem fidei reservavit. Cumque ex his nonnulli Regi Arabi crudelissimè suasissent, ut curaret convocari Concilium omnium Episcoporum Regni sui, quorum decretis, & constitutionibus Synodalibus Martyrium vetaretur; doloso invento approbato, omnes Episcopi, & Sacerdotes carceribus sunt educti, coactumque est ea intentione Concilium. Antequam convenissent, plurimi fideles sponte ad confessionem fidei, & perfidiæ detestationem prosilierunt, fidemque liberè professi, gloriosum martyrium subierunt. Quibus victoriis Martyrum, Rex Arabum exasperatus, statuerat, Christianos in arctissimum carcerem esse compingendos. Qua occasione, fidelium plerique fugerunt, & latebras quæsiverunt: alii, deserta fide, sese infidelibus conjunxerunt.

Pseudoepiscopi, qui convenerant, habito Conventu satanico Martyrium prohibuerunt, cultumque sanctorum Martyrum sustulerunt, dicentes, quod, qui violenter ad abnegationem fidei non adigerentur, sed propria *Martyriu.* voluntate discrimini se offerrent, inter Martyres non sunt habendi, ideo maximè, quia miracula instar antiquorum Martyrum non ederent, eorumque corpora non incorrupta permanerent. Impium Synodale decretum non solùm refutavit, & improbavit doctissimo suo Commentario, quem *Memoriale Sanctorum* inscripsit, Eulogius: verum etiam ipsa Dei ultio in Regem mox secuta ostendit, quantopere Martyres, eorumque cultus divinæ majestati placerent. Nam cum sublime solarium *Punitio divina.* oppida lustraturus Rex Arabum crudelissimus conscendisset, & è regione pendentia stipitibus Sanctorum corpora intueretur, centumque cremari jussisset, os illius repente eadem hora divinitus ita obstructum fuit, ut fari non posset, manibusque portantium in stratum reductus, eadem nocte extingueretur. Vide Baronium anno Domini 852. num. 16.

Concilium Moguntinum III. sub Rabano celebratum, anno Domini 852. tempore Leonis Papæ IV.

DE hac Synodo Moguntina Annales Francorum à Pithœo editi ista habent: *Habita est autem Synodus ex voluntate, & præcepto ejusdem Serenissimi Principis in civitate Moguntina Metropoli Germaniæ, præsidente Rabano venerabili ejusdem urbis Archiepiscopo cum omnibus Episcopis, atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ, & Saxoniæ: & illi quidem de absolvendis quæstionibus Ecclesiasticè tractatum habuerunt.* Hanc autem, aliasve Provinciales Synodos non sine licentia Romani Pontificis celebratam fuisse, constat ex Baronio anno 851. num. 25.

Concilium Suessionense, apud S. Medardum, in causa eorum, qui ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo ordinati fuerant, celebratum anno Domini 853. tempore Leonis Papæ: sed reprobatum fuit, ut infra.

EBbo Rhemensis Archiepiscopus sub Ludovico Imperatore sede privatus, ut supra vidimus, operaque Lotharii Imperatoris per Synodum Comprovincialium Episcoporum restitutus, complures in eadem Ecclesia Clericos ordinaverat. Verum, dum Caroli Regis auxilio, Galliarum Episcopi eumdem iterum sede Rhemensi amovissent, eique Hincmarum substituissent, mortuus est anno Domini 851. Substitutus in locum illius adhuc viventis Hincmarus, post obitum ejusdem Ebbonis, quos ipse ordinaverat, recipere noluit, eaque de causa hanc Synodum celebrari curavit, in qua Clericos ab Ebbone ordinatos damnarunt; simul etiam ostendentes, justè Ebbonem dejectum, Hincmarum verò eidem legitimè substitutum esse. Acta Concilii fusius enarrat Frodoardus Hist. Rhem. lib. 3. cap. 11.

Sed reprobatum fuit hoc Concilium à Nicolao Papa epist. Decretali 46. qua refert, quod cum Hincmarus cognito Synodalis sententiæ errore, iterata Legatione pro confirmatione hujus Concilii apud Leonem IV. aliquoties institisset, nihilque ab eo impetrasset, Benedictum Leonis successorem falsis narrationibus induxerit, Synodique confirmationem subreptitie obtinuerit cum illa clausula, quam in epistola Benedicti, & Nicolai 46. literis grandiusculis exaratam, & expressam apud Binium invenies. Refert ibidem Nicolaus, quod cum Benedictus Papa per epistolam suam voluntati Hincmari Pontificis non planæ satisfecisset, ille quædam eidem epistolæ addiderit, quædam verò pro suo arbitratu ab ea sustulerit. Vide Baronium anno 853. num. 15. Binium hic.

Concilium Romanum 67. Episcoporum, in quo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli beati Marcelli est depositus, 8. Decembris, anno Domini 853. tempore Leonis Papæ IV.

DE rebus in hac Synodo gestis in Vita Leonis Papæ IV. hæc scribit Anastasius: *Et tunc coram omnibus, &c. In hac denique post cætera Synodo, Anastasius Presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli, ab omnibus Canonicè est depositus, eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, & in alienis usque hodie moratur. Qui neque ad duo pro eo congregata Concilia venire volens, neque per Apostolicas epistolas, neque per tres vocatus Episcopos: ideo merito uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur Canonibus, eum sancta Synodus deposuit, & Sacerdotali honore privavit, anno, mense, die, & Indictione superius annotata.*

Hic Anastasius Summi Pontificatus libidine incensus, deserta Urbe, profectus est ad Imperatorem, cujus opera, & auxilio Pontificatum obtineret. Cui dum per mera commenta, ut in electionem Pontificis ille manum injiciat, persuasisset, idque Pontifici innotuisset, revocatus est in Urbem. Verum contumaciter recusans accedere, merito censuris Ecclesiasticis perculsus, suoque gradu depositus, hanc sententiam Synodalem sustinuit. Baronius hic.

Conci-

Concilium Constantinopolitanum, quo Gregorius Syracusanus Episcopus damnatus est anno Domini 854. tempore Leonis Papæ IV.

HÆc Synodus auctoritate Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani celebrata, atque Romani Pontificis auctoritate firmata. Gregorium Syracusanum Episcopum sub ratificatione Romani Pontificis Episcopatu deposuit. Totam sententiam à Pontifice confirmari quidem petitum fuit, sed non impetratum, donec pars altera audiretur. Cumque interea Leo moreretur, ad successorem delata est causa, quæ maximæ tragœdiæ, atque diri schismatis initium fuit: hac enim occasione Gregorius Syracusanus animo ulciscendi se, in Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum malis artibus operatus est, ut ille à sede Constantinopolitana deponeretur, atque in locum ejus Photius eunuchus ex laico intruderetur, aliaque innumera mala subsequerentur.

Concilium Valentinum XIII. Episcoporum contra quosdam Scotos in Gallia vagantes, & Hincmari capitula, in Gallia celebratum, anno Domini 855. tempore Leonis Papæ IV. & Lothari Imperatoris.

SUMMA CONCILII VALENTINI.

COncilium hoc ab Episcopis trium Provinciarum in urbe Valentiæ in Delphinatu celebratum est, jussione Lotharii Imperatoris ad dijudicandam causam Episcopi ejusdem urbis de multis criminibus accusati, cujus Episcopi quod nomen fuerit, & quale judicium contra eum datum fuerit, ignoratur. Præfuerunt Remigius Lugdunensis Metropolitanus, Egilmarus Viennensis, & Rothlandus Arelatensis, Euangeliis in medio positis, post objectiones Episcopo Valentino factas, discussas, & finitas placuit omnibus, ne conventus absque ædificatione dissolveretur, aliquot canones condere: suntque 23. sex priores de fide, reliqui de disciplina, & moribus.

Cap. 1. Statuitur adhærendum esse doctrinæ Patrum antiquorum. Nam de præscientia Dei, & de prædestinatione, &c. illud tantum firmissimè tenendum credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

Cap. 2. Deum præscire, & præscisse æternaliter, & bona, quæ boni facturi erant, & mala, quæ mali sunt gesturi, &c. nec ex præjuditio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

Cap. 3. Firmiterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere, justum Dei judicium, &c. in malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est, &c. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiamsi sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus, illis anathema dicimus.

Cap. 4. Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, itaut quidam sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud propheticum: *ero mors tua, ò mors; ero morsus tuus, inferne*: Illud nobis simpliciter, & fideliter tenendum, ac docendum placet, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, &c.* Porro capitula 4. quæ Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, sed & alia 19. Syllogismis ineptissimè conclusa, & licèt jactetur, nulla sæculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus, &c. *Joan. 3.* *Godescalchus defensus.*

Nota. 19. *Illa alia capitula ex Joanne Scoto exscripta, ut ex additione in Concilio Lingonensi facta patere potest.*

Cap. 5. Item firmissimè tenendum, quod omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu sancto regenerata in ejus sanguine, sit à peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio, cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in sua redemptione fideliter permanent: & alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare elegerunt ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire, &c.

Cap. 6. Declarant patres de gratia, per quam salvantur credentes, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato, & sanato, id ipsum credendū, quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est. Ineptas autem quæstiunculas, & aniles penè fabulas Scotorum, &c. penitus respuimus. Recordetur fraternitas malis mundi gravissimè se urgeri, messe nimia iniquorum, & paleis levissimorum hominum se durissimè suffocari, hæc vincere ferveat, &c.

Cap. 7. Statuitur petendam à principe liberam electionem Canonicam Episcoporum propter multos indoctos, per quos Ecclesiasticus vigor deperibat, qui indiscussi ordinabantur, c. 11. Ne in judicio utraque pars præstet juramentum, quia necessario duobus contra se jurantibus unus perjurus efficitur. Atque cum exinde duella orirentur c. 12. Probentur, caveturque, ne in duello occisi cadaver cum psalmis, vel orationibus ad sepulturam ducatur, c. 18. Agitur de scholis tàm divinæ, quàm humanæ literaturæ. Ut ex hinc pateat tunc magistros fuisse, qui Theologiam docerent, ac sacram Scripturam. Quod evidentibus habetur in Lingonensi Synodo, ne penes solos Grammaticæ, aut Philosophiæ professores universitatem Paris. extitisse putemus. Cætera capita res minus singulares habent.

CONTROVERSIA.

PRæcipuas hujus Concilii controversias dedimus in lib. de Beneficio crucis parte 3. art. 5. & 22. quam partem totam habes in controversiis Concilii Trident. ut ibi dicta repetere non cogamur. Plura verò suppeditat Ludovicus Cellotius soc. Jesu in historia Godescalchi l. 4. per plura capita, ubi contra novos Hæreticos Prædestinianam hæresim profitentes, atque hoc Valentinum Concilium tanquā religionis columnam arbitrantes, authoritatem ejus multum elevat, licèt doctrina hujus Concilii nonnisi leviter opposita sit quatuor capitulis Hincmari in Concilio Carisiacensi editis, quæ dabuntur in sequenti classe: ubi & hæc iterum discutienda sunt. Atque rem ita sese habere necesse est, cum tàm Carisiacense, quàm præsens Concilium in Prædestinianos hæreticos spicula sua vibraverint, licèt intentio Episcoporum fuerit pungere Hincmarum in regno Caroli calvi tunc illustrem, non sine æmulatione aliqua, ac contradictione cum propriis suis decretis, humanum aliquid ipsis tunc patientibus. Quod Hincmarus ipse sentiens, multum conquestus est de injuria sibi illata, in Epi- *Episcopi divisi ex diversis regnis.*

In Epistola ad eumdem Carolum, & in lib. de prædestinatione cap. 24. vocans eos cribratores, non consumptores capitulorum suorum, primariis scilicet, ac capitalibus Godescalchi erroribus oppositorum, ac per quos hæresis Prædestinianorum jam sopita, de qua supra dictum in Concilio Arelatensi sub Leontio in sæculo quinto, reviviscebat in Gallia non sine multa Episcoporum, ac populorum divisione. Sicut & nostris temporibus contigit occasione libri Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi, cui nomen *Augustinus*. Author autem præcipuus damnationis quatuor horum capitulorum fuit Rhemigius Lugdunensis cum Ebbone Juniore Gratianopolitano Episcopo, qui & in Concilio Lingonensi confirmari procuravit doctrinam hujus Concilii Valentini, excepta tamen damnatione quatuor capitulorum Hincmarianorum, seu Carisiensium, à qua abstinuerunt, cum jam ea egregiè libris suis defendisset Hincmarus: ac cum idem Rhemigius in Concilio Tullési, duodecim provinciarum apud Saponarias, quæ in Synodo Lingonensi rata fuerant, iterum confirmari satageret, ac ob id lecta fuissent in consessu Patrum, inter quos erat Hincmarus, videns id non arridere patribus ex adverso eorum murmure, cum plerique causam Godescalchi nossent, & dogmata ejus improbarent, cautè peregit, ut ad pleniorem discussionem remitterentur, ne forsan improbarentur in pleniori Concilio, quæ Godescalcho magis congruere in iis viderentur. Nusquam tamen postea discussionem istam in alio Concilio promovit Rhemigius, ejusque asseclæ. Sicque manserunt decreta Valentina, postquam correcta fuissent, maximè in iis, in quibus Hincmarum carpebant, sine eorum ampliori discussione.

4. Capitula Carisiensia.

Controversiæ autem maximè locum dederat diversa decretorum, ac terminorum interpretatio, quod in varios sensus traherentur, nec à catholico sensu aliena est manifestè doctrina Valentini Concilii (excepta Hincmari damnatione, &c.) si benè expendantur omnes termini, non ausis patribus illius Concilii quidquam apertè profiteri contra communem Ecclesiæ fidem, quidquid interim tectum in pectore aliqui eorum habuerint, seu quia subdola est hæresis, seu quod plures restitissent, si verbis omnino expressis Prædestinianorum hæreses propugnatæ fuissent, ac sine arte, & fuco, verborumque, aut sententiarum obscuritate. Nec enim absolutè asserunt Christum non fuisse pro omnibus mortuum, quod quidam urgent, sed tantùm relativè ad mentem quorumdam Scotorum, quibus etiam in hoc contradicebat Godescalchus, quod scilicet Christus mortuus fuerat ad liberandum de facto infideles in infidelitate mortuos, & damnatos ante passionem. Qua de re diximus loco citato de Beneficio crucis. Unde Veronus in Jansenii prætensum Augustinum, §. 8. notat Concilium illud in hac re (quod ut favens Jansenio, inquit, quidam ejus doctus assecla tabulis æneis curavit incidi) nonnisi sophisticè citari; quod asserit quoque idem Concilium de morte Christi pro Baptizatis saltem secundum aliquem gradum salutis, ut rectè ibi distinguit, non excludit mortem illius pro non baptizatis, secundum alium gradum redemptionis, scilicet ab impotentia salutem consequendi, quem gradum non attigit. Sed aliud est proferre Synodum aliquid dicentem, & proferre aliquid nō dicentem. Unde admittendo testimonia illa, si nihil illis addatur, aut in iis immutetur, vix quidquam concludi potest contra Hincmari capitula, quæ ab hoc tempore semper in Ecclesia retenta sunt, neque sæculis pluribus de iis dubitatum fuit. Unde & Conciliationem decretorum Valentinorum, ac Carisiensium docet Author Anti-Jansenii disp. 11. sect. 2. Author existimatur esse P. Martignon Soc. Jesu, apud quem hæc controversia magis elucidatur. Sed de his infra disserendi locus se dabit amplior.

Christi mors, quo sensu non est pro omnibus.

Ex ignoratione Elenchi.

Anti-Jansenius.

A

Concilium Tricinense Cisalpinorum Episcoporum in causa Disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum anno Domini 855. tempore Leonis Papæ IV.

IN hoc Concilio nihil novi determinatum est, nam De electione Archipresbyterorum à laicis non facienda, De restauratione Ecclesiarum, Xenodochiorum, & Monasteriorum, De decimis, De damnatis nuptiis fugiendis, & similibus, aliàs determinatum est.

Concilium apud Carisiacum pro reformandis moribus Ecclesiæ congregatum in Gallia anno Domini 856. tempore Benedicti Papæ III. & Caroli Calvi Regis Francorum.

B

CUm his temporibus in Gallia undique factiones & subditorum rebelliones ebullirent, ubique furta, deprædationes, grassationes, & cædes, omniaque violentiæ, ac turpitudinis genera increbrescerent, Carolus Rex ad evellenda illa incommoda anno Christi 856. in villa Carisiacum nominata, hanc Synodum congregavit, ex qua ad Episcopos, Missos, & Comites Galliæ Epistola sub nomine Caroli Regis scripta, & transmissa fuit, quæ extat apud Baronium.

Ex eadem Synodo nonnulla Capitula miserunt ad reconciliandum sibi subditum populum, ne immemores præstiti juramenti fidelitatis defectionem pararent.

De rebus quibusdam hac Synodo gestis Frodoardus l. 3. c. 24. ista scribit: *Cum Synodo Episcoporum apud Carisiacum habita scribit Hilduino Caroli Regis Archicapellano, & pro Ecclesia Lingonica, quam Vulfadus Eccl. Rhemensis alumnus contra Canonum occupaverat decreta. Unde suggesserat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam præfatam constitueret Ecclesiam, & Rex jusserat, ut Episcopi quærerent talem, qui posset in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ præfici: eorumque vota in Isaac ipsius Hilduini discipulum convenerant, observantes hujus in hoc Hilduini consensum, & deprecationem ipsius pro eo apud Regem.*

C

Concilium Moguntinum tempore Caroli Archiepiscopi, anno Domini 857. celebratum sub Ludovico Imperatore, & Benedicto Pontifice.

D

DE tempore, loco, & causa hujus Concilii hæc veteres Francorum Annales: *Habita est autem & Synodus apud Moguntiacum circa Kalendas Octobris, præsidente Carolo Archiepiscopo, ubi inter alia, quæ ventilata sunt de Jure Ecclesiastico, præsentata est Epistola Gunthari Coloniensis Episcopi ad Alifridum Episcopum directa, in qua legebatur, contigisse Coloniæ 17. Calendas Octobris terribilem valde tempestatem, populo cuncto præ nimio horrore in Basilicam S. Petri confugiente, & signis Ecclesiæ concrepantibus, unanimiter Dei misericordiam implorante, subito fulmen informe, ignei draconis instar, Basilicam scidisse, ac penetrasse, atque ex omni illa multitudine tres homines diversis quidem locis, sed uno ictu in mortem dejecisse, Presbyterum scilicet juxta Altare sancti Petri, Diaconum verò juxta Altare sancti Dionisii, laicum autem ad Altare S. Mariæ; alios etiam numero sex, eodem impetu ita prostravisse, ut elati semivivi vix convalescerent. Feruntur & alia prodigia his temporibus Treviris contigisse, quæ ideo scribere distuli, quia de eis certum nuntium non habui.* Vide Baronium anno 857. num. 1.

E

Conciliabulum Constantinopolitanum, sive Photianum I. In quo Ignatio jam exturbato, Photius à Gregorio Syracusano schismatico inauguratus est, anno Domini 858. tempore Nicolai Papæ.

CUm Ignatius sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus Bardæ Patricio propter repudium inno-

innocentis uxoris, & consuetudinem, quam cum cognata habebat, turpissimam, Ecclesię ingressum interdixisset, petentemque die Epiphaniæ sacræ Eucharistiæ participationem, ab Ecclesia ejecisset: ille de venia impetranda desperans, Ignatio vindictam parat, eumque ab Ecclesia expellere procurat. Et ne videatur rem illam tyrannicè magis, quàm juste conari, duas illi objicit accusationes. Primam, quòd Imperatori, cùm juberetur Theodoram matrem invitam in Monacham tondere, non obtemperasset. Secundam, quòd Gebum quemdam hominem stupidum, qui se Imperatricis Theodoræ ex alio viro filium esse dicebat, Patriarcha seduxisset. Has ob causas Ignatius Patriarcha injustè condemnatus, in insulam, cui nomen Terebinthus, relegatus fuit. Cumque exulantem ibidem sæpiùs ad Episcopatum resignandum, per Episcoporum, & Patriciorum comminationes frustra sollicitassent, hæc Pseudosynodus Episcoporum auctoritate Bardę Patricii congregata, exturbato Ignatio Patriarcha sanctissimo, Photium eunuchum ex laico indignè suffecit. Baronius anno 858. num. 49. & 50.

Concilium Tullense apud Saponarias ob Vvenilonem Senonensem Archiepiscopum, pluresque alias causas celebratum anno Domini 859. tempore Nicolai Papæ.

CUm Vvenilo Senonensis Archiepiscopus à Carolo Rege Galliæ, ad Ludovicum Imp. defecisset, ad instantiam Regis Caroli duodecim Provinciarum Episcopi ad Tullum convenerunt: qua proditione sic nomen suum infame reddidit, ut eo proditores appellarentur, scil. Ganelones, quippe Guenillo, & Vvenilo non discrepant, sicut Vvilielmus, & Guilielmus. In Concilio illi dati sunt judices ex Episcopis, coram quibus rationem redderet.

In eodem Conc. Remigius Lugdunensis Archiepisc. capitula quędā haud pridem in Conventu Lingoniensi scripta in synodali Patrum consessu legi curavit: quæ cùm lecta fuissent, commoti sunt plurimi Episcopi. Cumq; parati essent publicè reclamare, cohibiti sunt à Remigio: quia nimirum ille utilius esse judicabat, ut quæ Catholicæ fidei essent, ipsi proferrent, atque ista ratione Assertiones Catholicæ fidei adversantes, condemnarent. Erant autem illa capitula in Valentino Concilio edita, sed correcta in Lingoniensi synodo per eosdem Patres, qui Valentinæ interfuerant, in quantum Hincmarum notabant, & 4. ejus capitula. Favebant autem Godescalco, & Prædestinianis, quod satis apertè eorum errores omnes non retunderent, sed in varios sensus trahi possent, maximè in eo, quod spectat ad pretium redemptionis Christi pro omnibus. Solemne est autem hæreticis putare se sanos, & inviolatos, si non expressissimis verbis damnentur, hinc enim se intactos asserunt, ac probatos suos putant errores. Quare Patres hujus Concilii noluerunt calculum suum adjicere his capitulis. Nec rem urgere voluit Remigius, neque hic, nec in alia synodo, de sua causa diffisus, si quæstiones istæ minutatim elucidarentur: sicque correcta ex parte, & ad ampliorem discussionem relicta manserunt decreta Valentina. Moriente tamen hoc eodem anno Lothario, contentio harum rerum paulatim deferbuit, manentibus in vigore capitulis Carisiacensibus, à quibus injuria damnationis, & censuræ ablata erat.

Acta hujus Concilii hactenus nunquam edita Baronius emisit in lucem, anno 899. non tamen omnia.

Acta Concilii Trullensis.

UT charitas fraterna, & concordia pacis reformetur inter fratres Principes, scil. ac gloriosos reges nostros Ludovicum, & Carolum.

1. Qualiter schisma, quod ortum est nuper in Ecclesia ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, status Ecclesiæ pene collapsus restitui, & pax, & justitia in populo Christiano valeat procurari, & qui à fidelitate debita defecerunt, judicio, & justitia per rectam rationem, & rationabilem misericordiam possint salvari, & à perverso conamine ad salubriorem converti.

2. Episcopi namque secundum illorum ministerium, ac sacram auctoritatem uniti sint, & mutuo consilio, atque auxilio Reges, Regumque Primores, atque populum sibi commissum in Domino regant, & corrigant, & nemo se solatio mutuo subtrahat; sed Synodales conventus secundum jussionem Canonicam frequentare procurent, quatenus Ordo Ecclesiasticus, qui quasi obliteratus jam fuerat (quoniam Synodi propter discordiam Regum frequentari non poterant) Episcopali collatione ad necessarium, ac debitum statum reduci prævaleat: unde etiam consensum apud reges expetitum obtinuerunt.

3. Reges nihilominus, ac Principes nostri, Carolus, Lotharius, atque iterum Carolus, ad Dei voluntatem, atque sanctæ Ecclesiæ statum, suamque salutem, & populi sublevationem, gratias Deo, uniti, & in eadem salutari unitate firmati sunt.

4. Perventum est ante Conventum Episcoporum, quemdam Diaconum, cui Tortoldus nomen est, Episcopalem dignitatem in urbe Bajocensium occupasse, & pollicitationibus, atque minis sollicitare multos, ac perturbare. Unde definivit sancta Synodus, ut Vvenilo Senonum Archiepiscopus, cujus Diaconus fuit, adjunctis secum tribus aliis, memoratum Diaconum evocatum audiant, & secundum auctoritatem Canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali potestate, venire ad audientiam compellatur. Quod si hanc quoque declinaverit, anathemate feriatur.

5. De quodam etiam Subdiacono Anscario, qui vivo, & incolumi Episcopo civitatis Lingonum sedem pervasit, simili est sententia definitum: sed interveniéntibus Legatis ejusdem Subdiaconi, humanior est prolata sententia, videlicet, ut Sacramento confirmet, se numquam talia hujusmodi pręsumptione facturum, cujus Sacramenti tenorem huic Capitulo subnectere dignum existimavimus.

Ego Anscarius Subdiaconus confiteor coram Domino, & sanctis Angelis ejus, reverentiæ sanctę paternitatis vestræ, contra Dei voluntatem, & contra Canonica Statuta temerè me fecisse in Isaac venerabilem Pontificem, usurpando sedem Ecclesiæ sanctæ sibi commissæ Lingonicæ, & sollicitando Clericos, & vassallos ejus, omnemque familiam. Atque ideo pro tantæ præsumptionis excessu, per sacri ministerii vestri vobis largitam à Domino potestatem, veniam mihi pœnitenti largiri suppliciter deprecor. Deinceps verò nec in eumdem antistitem, nec in alium quemlibet, nec in illa, nec in alia Ecclesia hujusmodi præsumptionem facere tentabo. Et neque illi, aut alicui suorum Clericorum, aut laicorum in aliqua re impedimentum faciam pro hac causa, quia me graviter deliquisse profiteor. Nec insidias eis ullius inquietudinis parabo, neque per me, neque per aliquem meorum propinquorum, neque per quemcumque hominem; sed adjutor pro viribus, & intelligentia ipsi, suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi pro hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, colligare eidem procurabo. Sic me Deus adjuvet, & istæ sanctæ sanctorum Reliquiæ. *Anscarii pœnitentia*

6. Statuit etiam S. Synodus, ut nunquam ad eamdem Lingoniensem Ecclesiam, sive ad Lanuacensem, quam jam pridem pari modo afflixerat, debeat aspirare. Et si ita, ut præmisimus, jussis Episcopalibus obedire fugerit, sententiam superius Diacono datam incurrat.

7. Deinde gloriosus Rex domnus Carolus sacræ Synodo libellum appellationis, electorumque judicum inter se, & Vvenilonem Senonum Archiepiscopum, qui ab eo defecerat, & damnationis diploma porrexit. Unde

de secundum sacram auctoritatem, & induciæ, & dierum prolatio per Episcopos, & Synodicas literas præfato Archiepiscopo est intimata, atque concessa secundum regulas divinitus promulgatas.

8. Mota est etiam quæstio de Attone Virdunensium Episcopo, quod oblatione regulari (unde petitio ibidem est præsentata) in Monasterio sancti Germani Autissiodorensium extiterit, & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minus provisè, quàm sacra auctoritas doceat, ad ordinem Episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est, dari sibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, sicut sacra sanxit auctoritas.

Episcopi Britonum. 9. Ad Episcopos siquidem Britonum, qui se contra auctoritatem à Metropoli sua moliuntur discindere, Synodus literas secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam Metropolim redeant, eique debito jure se subdant; nec à Canonica, & Episcopali congregatione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacræ decernunt regulæ, Britones communicantes, ipsi se sacra communione non privent.

10. Ad memoratos quoque excommunicatos sancta synodus literas direxit, eisque usque ad futuram proximam synodum corrigendi spatium tribuit, monens Ecclesiastica pietate, ut convertantur, & vivant. Quia, nisi se correxerint ad futuram synodum, generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

11. Relicta sunt denique in eadem synodo quædam Capitula, super quibus quorumdam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter Episcopos, ut, Deo favente, pace, & tranquillitate impetrata, simul conveniant, & prolatis sanctarum Scripturarum, atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi unanimitate sequantur.

12. Tandem postulavit humiliter synodus Generalis, se ad terram usque prosternens ante Carolum Regem, & Rodulphum Biturigum Archiepiscopum obsecrans, & adjurans per Crucem, & Christi sanguinem, ut privilegium Monasterii sancti Benedicti, quod annuente Rege præfato firmaverat, quodque idem Rodulphus subscripserat, inconvulsum servare studerent. Quod si Abbas negligens, & sacris Regulis inconveniens per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, substituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem Monasterio quacumque occasione non destituatur.

13. Hæc de præcipuis in eadem sacra synodo fuere statuta; ceterùm, specialia de quibusque Parochiis, prout visum fuit, secundum Ecclesiasticam auctoritatem definita, & Episcopis in propriis Parochiis sunt ad exequendum commissa.

14. Placuit omnibus (ut creditur) instinctu divino, qui ad Universale Concilium in Viciniam Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo invenirent aliquid, ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque, ut pro se invicem omnes, dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent, &c.

Conciliabulum Constantin. sive Photianum II. adversus Ignatium celebratum anno Dom. 859. tempore Nicolai Papæ, & Michaelis Imperatoris Orientalis.

POst relegatum Ignatium, Photius videns quamplurimos adhuc pro Ignatio stare, Imperatori Michaeli ministerio Bardæ persuasit, ut congregaret Concilium sibi adhærentium Episcoporum, qui eumdem Ignatium damnarent, atque hac arte Episcopos, & populum ab Ignatii affectione divellerent. *Photii malitia.* Quod cùm Imperatori non ingratum fuisset: *Photius,* inquit Nicetas in vita Ignatii, *congregata sua iniquorum caterva in sacro templo gloriosorum Apostolorum, privationem promulgat adversus Ignatium absentem, necnon* A *illum anathemate damnat: ipse scilicet accusator factus, & Judex, & quoscumque videbat huic animo suo, & iniquæ huic actioni adhærentes, & rebus, quæ fiebant, subscribentes, inter præcipuos amicos, & charos comministros habebat, qui verò huic judicio iniquè habito se objicientes, hæc approbare nolebant, hos Prætorio, & carceribus variis modis puniendos tradebat.* Cumque acta Photii velut injusta plurimi reprehenderent, ipseque à propria conscientia redargueretur, Legationem misit ad Nicolaum Papam, per summam fraudem allegans, quod Ignatius propter senium, & imbecillitatem Ecclesiæ Præfecturam resignasset, & in quamdam insulam profectus cum omni honore, cultu, & obsequio, tùm ab Imperatore, tùm etiam ab universa civitate B habitus, in Monasterio viveret, pietatem quamdam singularem simulatè præseferens: petebat, ut Ecclesiam corrigeret, illosque à Christiano nomine rescinderet, qui Iconomachorum hæresim tuerentur: sub quo pietatis simulatæ prætextu hoc interim curabat, ut Ignatii depositionem Romanæ Ecclesiæ auctoritate firmiorem redderet. Suasu Photii Michael Imperator suam adjunxit Legationem, literis, donis, ac muneribus instructissimam. Impetratum est hoc unum dumtaxat, ut Rodoaldus Portuensis, & Zacharias Anagniæ civitatis Episcopi ad causam non tàm dirimendam, quàm pervestigandam Constantinopolim mitterentur. Quid verò illi hac in re effecerint, infra patebit. Vide Baronium anno 859. num. 54. & 860. num. 1.

C *Concilium Confluentinum, quo inter quinque reges Galliarum pax, & concordia sancitæ fuerunt, an. Dom. 860. tempore Nicolai Papæ.*

IN hoc Concilio nil aliud, quàm quod in titulo dictum est, constituitur. Vide Binium hìc.

Conciliab. Constantinop. Oecumenicum falsò nuncupatum, quo 318. circiter Episc. Ignatii injustam condemnationem, & Photii illegitimam intrusionem confirmarunt, an. Dom. 861. tempore Nicolai Papæ, & Michaelis Imperatoris.

IN hac Pseudosynodo à trecentis, & octodecim (ut ipsi jactabant) schismaticis Episcopis, Ignatius ab exilio ad judicium vocatus, iniquissimè damnatur, & D quasi contra trigesimum Canonem Apostolorum ordinatus fuisset, à sede Patriarchali deponitur, & planè degradatur. Legati sedis Apostolicæ, diu, multumque reluctati, horrendis tandem terroribus inducti, iniquæ sententiæ subscripserunt. Cumque nullo supplicio Ignatium reducere possent, ut suam ipsius condemnationem ille propria manu, & subscriptione approbaret, subscripsit pro eo Photius ita: *Ignatius indignus Constantinopolitanus confiteor me ingressum esse sine calculis, & his annis non sanctè me gessisse, sed tyrannicè.* Unde Nicolaus Papa in epist. 9. ad Michaelem Imper. hanc synodum latrocinalem meritò appellat. Primum, quòd in ea omnia per vim, minas, nec quidquam secundum ordinem sacrorum Canonum gestum fuerit. Secundo, quia à schismaticis, & damnatis Episcopis Synodus celebrata est. Tertio, quia eidem Imperator E contra Canones præsedit. Denique, quod in ea literæ Apostolicæ partim non fuerunt recitatæ, partim etiam Photius easdem depravavit, & corrupit. Hæc omnia prolixè Nicolaus Papa in epist. 9. ad Michaelem Imperatorem.

Vocatur autem hoc Concilium Oecumenicum apud Balsamonem, idque ob numerositatem Episcoporum, & præsentiam Legatorum sedis Apostolicæ: sed Nicolaus Papa, ut dictum est, vocat hanc synodum latrocinalem.

Con-

Concilium Romanum I. in causa Joannis Ravennatis Episcopi celebratum, anno Domini 861. tempore Nicolai Papæ, & Ludovici. II. Imperat.

CUm Joannes Ravennatis Ecclesiæ Archiepisc. subditos suos fideles graviter afflixisset, innocentes excommunicasset, peregrinantium studiis, & piis operibus restitisset, monitusque hac de causa à Pontifice, nequaquam abstinuisset, vel etiam ad synodum vocatus aliquoties non comparuisset; Pontifex eum Patrum consessu justa anathematis sententia condemnavit. Cumque ab Imperatore Ludovico subsidium, & auxilium frustra implorasset, omni præsidio destitutus tandem comparuit, actaque de commissis pœnitentia, in communionem Ecclesiæ iterum receptus fuit.

Concilium Romanum II. quo occasione quorumdam Orientalium hæresis Theopaschitarum iterum pullulans damnata est, anno Dom. 862. tempore Nicolai Papæ.

IN epistola Nicolai Papæ duo Canones in hac synodo constitui reperiuntur post hoc Preambulum. Insuper autem, quid in alia synodo à nobis olim collecta decrevimus adversus eos, qui divinitatem Domini nostri Jesu Christi cum Valentino, Marco, Apollinari, & Eutyche sectatoribus eorum contra primum Pastorem, & Apostolum, qui Christum carne passum dicit, passibilem ore sacrilego in quibusdam regionibus vestris prædicare dicuntur, subter annexis capitulis declaratur. Quæ sunt.

im- lis. Veraciter quidem credendum est, & omnimodis profitendum, quia Redemptor noster, & Dominus noster Jesus Christus Deus, & Dei Filius passionem crucis tantummodò secundum carnem sustinuit, Deitate autem impassibilis mansit, ut Apostolica docet auctoritas, & sanctorum Patrum lucidissima doctrina ostendit.

His autem, qui ajunt, quia Redemptor noster, & Dominus Jesus Christus, & Dei Filius, passionem crucis secundum deitatem sustinuit (quod impium est, & Catholicis mentibus execrabile) anathema sit.

Conciliab. Aquisgranense, quo 8. Episcopi declararunt Lotharium Francorum regem à vinculo matrimonii cum Theutperga contracto, liberum, & solutum esse, ideò quòd ipsa cum fratre incestuosum adulterium commisisset. Celebratum fuit anno Dom. 682. tempore Nicolai Papæ.

HUnc Conventum Episcoporum Lotharius Rex Francorum ea de causa indixit, ut honesto aliquo prætextu Theutpergam uxorem legitimam dimitteret, & Vvaldradam pellicem, quam à pueritia adamaverat, in conjugem duceret. Promiserat Gunthario Coloniensi Archiepiscopo Lotharius, teste Reginone, futurum, ut ejus neptem acciperet in uxorem: qua vana spe ille elatus, Theutgaudum Trevirensem Archiepiscopum in suam sententiam pertraxit. Variis itaque causis repudiandæ uxoris legitimæ excogitatis, per gravem errorem declararunt, quòd cum Theutperga adulterii, incestus cum fratre Humberto commissi, se ream confiteretur, Lotharius ejusdem conjugio solutus, tanquam innocens, post dimissam adulteram, cum alia matrimonium licitè contrahere possit. Ad ejusdem Regis causam firmiùs corroborandam, Adventius oblato libello (qui extat apud Baronium anno 862. num. 29.) longam texuit fabulam, qua conatur probare, Vvaldradam Lotharii pellicem ei jam à tenera ætate matrimonio conjunctam fuisse; Theutpergam verò postea eidem invito, à Patre Lothario Augusto obtrusam esse: ac proinde non Theutpergam, sed Vvaldradam legitimam Regis Lotharii uxorem esse. Eos,

A qui Concilio interfuerunt, Nicolaus Pontifex excommunicavit. Vide Baronium ubi supra.

Conventus trium Regum Francorum, & Episcoporum Galliæ in villa ad Sablonarias dicta, quo inter tres, Ludovicum, Carolum, & Lotharium fratres, & reges Galliæ, pax est constituta, anno Domini 862. tempore Nicolai Papæ.

CUm Lotharius apud sedem Apostolicam accusaretur, quòd Egeltrudem uxorem Bosonis Comitis fugitivam, & adulteram, aliosque homines nefarios, & scelestos in Regno suo contra literas Pontificias reciperet, scripta ad reges Galliæ nova epistola, hunc Conventum congregari mandavit. Laboravit in accelerando Conventu Rex Ludovicus, ideò in primis, quòd Carolus se à Lothario planè sejunxisset, donec jussa Pontificis adimpleret. Res in Conventu gestas recitat Baronius anno Domini 862. num. 26. & seqq.

B

Conciliab. Metense, in causa repudii Theutpergæ reginæ à Lothario rege facti anno Dom. 863. mense Junio, indictione XI. celebratum.

HIc Conventus Episcoporum, quem Nicolaus Papa in epistola synodali Concilii Romani subsequentis, Synodi nomine indignum esse judicat, congregatus est ista occasione: Post pacem, & concordiam in Conventu præcedente initam, Lotharius Rex, ut fratrem Carolum eluderet, ejusque pœnam, & vindictam subterfugeret, ad sedem Apostolicam provocavit, rogans Pontificem, ut synodum in Galliis celebrandam indiceret, & ad eam Legatos mitteret, qui unà cum Episcopis causam suam cognoscerent, & judicarent: Coloniensi enim, & Trevirensi Archiepiscopis, quos in suas partes pertraxerat, confidebat, eorumque patrocinio suam causam approbandam esse firmiter sibi persuadebat. Detulit appellationi Regis sanctissimus Pontifex, indixit Synodum Metis in Gallia celebrandam, convocavit Galliæ, & Germaniæ Episcopos, & ad eamdem Rodoaldum, & Joannem sedis Apostolicæ Episcopos, dato iis rerum agendarum Commonitorio, ablegavit. Factum est initium Concilii anno 863. per indictionem undecimam mense Junio, in urbe Metensium. De Legatis hæc Regino: *In Franciam venientes, pecunia corrupti magis faventes iniquitati, quàm æquitati: Tandem ad Regem pervenientes, cùm ei declarassent Legationis suæ causas, tale responsum acceperunt: Se nihil aliud egisse, nisi quòd Episcopi ipsius Regni in Generali Synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem iidem Legati consilium Regi, ut illos Episcopos, qui illi Synodo præfuerunt, ad sedem Apostolicam destinaret, qui verbis, ac scriptis universali Papæ satisfacerent.* Hæc Regino, vide Baronium anno 863. n. 18. & seqq.

C

D

Concil. Rom. III. quo Acta Metensis Conciliab. reprobantur, & Guntharius Coloniens. Theutgaudus Trevirensis Archiepiscopi, unà cum sectariis, & complicibus Episcopis excommunicantur, & deponuntur, anno Domini 863. tempore Nicolai papæ.

E

EA, quę apud acta Concil. prolixiùs recensentur, Annales Franc. Pithęi brevissimè commemorant his verbis; *Qui* (Nicolaus, scil. Pontifex Rom.) *convocato Rom. sedis Episcoporum Concilio, & Metensem anathematizavit synodum, & admissos Episc. Guntharium, scil. & Theutgaudum deposuit, & communione privavit, justè quidem, & Canonicè, ut scriptis suis ipse fatetur; injustè verò, sicut illi scriptis, & assertionibus firmare conantur.* Vide Baronium anno 863. n. 20. 21. 22. & seqq.

Concilium Rom. IV. quo Zacharias Apostolica Legatione in Oriente malè functus excommunicatur, & deponitur; Photius, & Gregorius Syracusanus condemnantur, Ignatius sedi Constantinopolitanæ per sententiam restituitur, cultusque Imaginum adversus Iconoclastas confirmatur, anno Dom. 863. tempore Nicolai Papæ.

Acta, & Capitula hujus Concilii, quæ extant in epist. 7. Nicolai Papæ, apud Binium reperiuntur: de qua hoc observatu dignum est, quod sex dumtaxat Synodos Oecumenicas citat ideo, quia Acta Septimæ Synodi Romæ extantia, ita ex Græco malè reddita, & translata habebantur, ut quantumvis ea ab Adriano Papa I. ejusque successoribus probata, & confirmata essent: posteri tamen non eodem præconio, titulo nimirum Oecumenico eadem prosecuti fuerint, quoadusque fidelioribus adhibitis exemplaribus ex purissimis fontibus Latinitati darentur; quod præstitit egregiè Anastasius Bibliothecarius, ut in ejus Præfat. ad Joannem VIII. in Notis VII. Concilii apud Binium habetur. Dum itaque Nicolaus in hac Epistola de Septima Synodo tacuit ex prædicta causa, circa ipsum judicium suum dumtaxat suspendit, nunquam verò Oecumenicum esse dicendum negavit.

Photius calumniator, hanc rem in deteriorem partem accipiens, Nicolao Papæ negotium facessit, quasi non nisi sex Oecumenicas Synodos ille reciperet: cum tamen pluribus literis edocuerit, eam semper ab Ecclesia Romana receptam, atque servatam, universalique Ecclesiæ servandam fuisse propositam. Vide Baronium anno 863. num. 6.

In hoc ergo Concilio Zacharias, Apostolica Legatione in Oriente malè functus, excommunicatur, & deponitur, Photius, & Gregorius Syracusanus condemnantur, Ignatius sedi Constantinopolitanę per sententiam restituitur, cultusque Imaginum adversus Iconoclastas confirmatur. Vide epistolam 7. Nicolai Papę.

Senlis.

Concil. Silvanectense, quo auctore Hincmaro Rhemensi Archiepisc. Rhotaldus Suessionensis Episc. deponitur, substitutoque ei alio quodam Episc. in Monasterium detruditur. Habitum fuit anno Domini 863. mense Junio, Indictione undecima, tempore Nicolai Papæ.

Cum Hincmarus Suessionensis Concilii confirmationem à Nicolao Papa surreptitiè obtinuisset, opus, quod diu contra Rhotaldum Episcopum Suessionensem mente conceperat, perficere aggreditur; indictoque hoc Concilio eodem Episcopatu depositum in Monasterium detrusit. Cumque ille ad sedem Apostolicam appellaret, idem non modò nihil honoris detulit, sed etiam alium quemdam in ejus locum surrogavit. Quod factum Hincmari iniquissimum cum vicini complures detestarentur, non tantùm ipsi injuriam Rhotaldo illatam Pontifici denuntiarunt, verum etiam libellum supplicem ipsius Rhotaldi eidem Nicolao Pontifici obtulerunt. Ab ipsa synodo missa est Romam Legatio per Odonem Bellovacensem Episcopum, quæ peteret auctoritate Apostolica confirmari, quæ ab ipsis in hac synodo acta fuissent. Addiderunt synodicam ad eumdem acerbissimam, quibus illi ea, quæ in Metensi Concilio consensu Legatorum sedis Apostolicæ pro illegitimo Lotharii conjugio gesta erant, à Nicolao Papa etiam approbata fuisse putantes, eumdem Papam rogarunt, ut sententiam suam mutaret, & generale Concilium convocaret. Quibus omnibus acceptis, quid Pontifex egerit, quidve responderit, in sequenti Concilio Romano V. subjungam. Vide Baronium anno Domini 863. n. 36. & 69.

Concil. Romanum V. quo acta Concilii Silvanectensis reprobantur, & Rhotaldus sedi Episcopali, à qua ejectus fuerat, restitui jubetur. Celebratum est anno Domini 863. tempore Nicolai Papæ.

Cum judicium Silvanectensis Synodi per Synodicam ejusdem Concilii Nicolao Pontifici innotuisset, & supra memoratus libellus appellationis Rhotaldi Suessionensis Episcopi eidem Papæ redditus fuisset, accepissetque eas, quas Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, & Carolus Rex per eumdem Legatum miserant epistolas, collecto Romanæ Ecclesiæ Presbyterio, atque vicinis Episcopis, adhibita diligenti totius causæ consultatione acta synodalia Silvanectensis Concilii, utpote quæ sacris Canonibus adversarentur, omnino improbavit, & simul irrita reddidit. Eadem hac synodo constitutum fuit, ut nisi Hincmarus, aliique complures Episcopi ter, quaterve moniti Rhotaldum Suessionensem Episcopum iniquissimè sede sua amotum, spatio triginta dierum restituerint, à Missarum celebratione omnes suspensi habeantur: eandemque pœnam incurrant, quam ipsi Rhotaldo injustè inflixerant. Cumque iidem Silvanectensis Concilii Patres sua epistola synodali allegassent, Rhotaldi appellationi non fuisse deferendum, ideo quod ei Leges Imperiales adversarentur: responderunt Pontifex, & Episcopi hujus Concilii, non esse utendum Legibus sæcularibus, & Imperatoris sanctionibus, quando Leges Ecclesiasticæ illis contradicunt. Vide Baronium anno 863. n. 82.

Concilium in loco, qui dicitur Pistis, ad Sequanam fluvium, celebratum anno Christi 863. tempore Nicolai Papæ II. Poissy.

Concilium hoc videtur potius quidam esse Regni Procerum Conventus, quàm Episcoporum Synodus: unde Auctor Annalium hujus Conventus nusquã meminit, fortasse quia politicus magis, quàm Ecclesiasticus Conventus est. Extat tamen apud Binium.

Concil. Romanum. VI. quo Rodoaldus Portuensis Episc. in Legatione Apostolica prævaricator inventus, Episcopatu depositus, & excommunicatus est, anno Dom. 864. tempore Nicolai Papæ.

Rodoaldus Portuensis, & Joannes Ficodensis Episcopi, rerum agẽdarum commonitorio instructi, sedis Apostolicæ auctoritate in Galliam ablegati fuerant ad Concilium Metense, ut causam repudiatæ legitimæ conjugis Lotharii Regis, diligenter examinarent. Verùm illi à Lothario rege pecunia corrupti, ut supra in Concilio Metensi dictum est, *Magis*, inquit Regino, *faverunt iniquitati, quàm æquitati*, datoque adulatoribus Episcopis consilio iniquæ sententiæ Conciliabuli Metensis cooperati fuerunt. Quare cum Actis ejusdem Concilii reprobatis, atque Gunthario Coloniensi, & Theutgaudo Trevirensi Archiepiscopis condemnatis, Legati sedis Apostolicæ prævaricationis suæ nullam adhuc pœnam retulissent (Rodoaldus enim dum cognovisset, Zachariam Episcopum Anagninum suum in Legatione Orientali collegam, sententia sedis Apostolicæ damnatum, atque ab Episcopatu depositum esse, malè sibi conscius, & novi criminis patratione pavescens, per loca incognita, & invia vagabatur, ut judicium Pontificis subterfugeret) hæc Synodus auctoritate Nicolai Papæ congregata, Rodoaldum aliquoties citatum, & contumaciter evagantem, Episcopatu simul, & communione Ecclesiæ privavit. Hæc ex 7. & 10. epistola Nicolai Papę Baronius anno Domini 864.

Con-

Concilium Rom. VII. quo Rhotaldus Suessoniensis Episc. jussu Pontificis per Hincmarū Rhemens. Archiep. post quartam admonitionem à vinculis solutus, Romamq; citatus, plenissimè Sedi suæ restituitur, an. Dom. 865. tempore Nicolai Papæ.

Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, cum reliquis Galliarum Episc. qui Silvanectensi Concilio interfuerant, & Rhotaldum Suessionensem Episcopum injusto judicio Episcopatu suo amoverant, vinctumque in Monasterium detruserant, à Nicolao Pontifice ter, quaterve moniti, jussui Pontificis tandem obtemperantes, ipsum Rhotaldum vinculis solverunt, idque Pontifici per Diaconum, & scriptas ad eum epistolas significarunt. Cumque Pontifex scripta ad Rhotaldum epist. 34. eum Romam venire jussisset, Hincmarus verò aliter, quàm promiserat, ab incepto itinere eumdem aliquoties impedivisset, peremptorium terminum sistendi illum Romæ præscripsit: quo devoluto, ille Rhotaldum liberè Romam abire permisit, sed noluit, ut Pontifex præceperat, suos Legatos mittere, qui adversus eum causam prosequi possent. Cùm verò jam octo menses agerentur, ex quo Rhotaldus Romam veniens accusatores expectaret, nec aliquis omnino compareret, qui pro Hincmaro, & universo Concilio Silvanectensi causam prosecuturus adesset, Nicolaus Pontifex non est passus diutius Romanæ Ecclesiæ majestatem adversariorum contumacia traduci. Quamobrem ex sacrorum Canonum præscripto ad Rhotaldi restitutionem judicium præparavit. Quomodò autem id exorsus, atque ad finem usque prosecutus fuerit, Anastasius Bibliothecarius sic enarrat: *Veniente Rhotaldo huc Romanam secundum mandatum beati Papæ ad urbem, & per novem menses hìc commorante, nunquam penitus ex accusantium parte quispiam adfuit, &c.* His anno Domini 864. peractis, sequenti anno, mense Febr. hanc Synodum Pontifex convocavit, in qua Rhotaldum per sententiam synodalem post multos labores exantlatos, suæ Ecclesiæ plenissimè restituit, invito Hincmaro, qui ex hinc intumuit adversus Pontificem. Vide Baronium anno 865. num. 1. & 864. num. 17. & 18.

Concil. Suessionense, de ordinatione Clericorum congregatum, temp. Nicolai Papæ an. Dom. 866.

Acta causa est Vulfadi, & aliorum Clericorum Rectensium ab Ebbone Archiepiscopo deposito, nec restituto legitimè ordinatorum. Cùm essent suspensi ob hanc causam, petebant restitutionem. Hincmarus eos non audens restituere, rem totam Pontifici Rom. reservat. Qui eos restitui mandavit. Sirm. tom. 3. Concil. Galliæ. Scilicet, si acta Ebbonis subsisterent, in cujus sedem adhuc viventis ordinatos fuerat, injuriosum sibi putabat, ac idcirco difficilem iis restituendis ad actus ordinum se præbebat, cùm aliunde quæstio facti esset obscura, an Ebbo legitimè restitutus fuisset. Sed nec quæstio juris omnino aperta, cùm nondum Theologia Scholastica suas distinctiones exprompsisset de potestate ordinis, & Jurisdictionis, ac ordinatione illicita, & invalida: quæ faciliorem redderent solutionem casuum hujusmodi.

Concilium Trecense, occasione præcedentis Synodi Suessionensis, de ordinatione Clericorum Rhemensium ab Ebbone facta, convocatum anno Domini 867. tempore Nicolai Papæ.

De rebus in hac synodo gestis Frodoardus in Historia Rhemensi libro 3. cap. 17. hæc scribit: *Anno Dominicæ Incarnationis 867. Synodus Provinciarum Rhemensium, Rhotomagensium, Turonensium, Senonum, Burdigalensium, atque Bituricensium apud*

A *Trecas 8. Kal. Novemb. convenit. Ubi quidam Episcopi, ut assolet, gratia Regis Caroli Vulfado faventes, quædam contra veritatem, & Canonum sacram auctoritatem, adversus Hincmarum moliri cœperunt. Sed idem Hincmarus eorum molitionibus ratione, & auctoritate obvians, plurimorum sententia prævalente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu epistola scripta per Arctardum venerabilem Nannetensem Episcopum Papæ Nicolao, Episcopi, qui convenerant, transmiserunt. Cujus Epistolæ tenor idem extitit, qui fuit in epist. Hincmari Rhemorum Episcopi, quam per Clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias præcedente Julio mense Romam miserat. Epistolam autem in præscripta Synodo*
B *factam, & Archiepiscoporum, qui convenerant, sigillis signatam, Arctardus perferendam suscipiens, cum quibusdam Episcopis ad Carolum, sicut ipse præceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis, atque laborum, quos pro ejus honore, & Regni obtentu sæpè fatus Hincmarus per plures annos subierat, eamdem epistolam ab Arctardo sibi dari exegit, & Archiepiscoporum sigilla confringens, gesta Synodi relegit: & quia, sicut voluerat, in eadem Synodo Hincmarus non extitit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla sui nominis sigillavit, & cum epistola synodali per ipsum Arctardum Romam direxit. Præfati autem Hincmari Clerici in Mense Augusto Romam venientes, Nicolaum Papam jam valde confirmatum, & in contentione, quam contra Imperatores Græcorum Michaelem, & Basilium, sed*
C *& contra Orientales Episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octob. ibidem sunt immorati. Nicolaus verò Papa gratanter suscipiens, quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit.* *Hincmaro Rex ingratus.*

Sed & alteram epistolam eidem, & cæteris Archiepisc. in Regno Caroli constitutis transmisit, innotescens præfatos Græcorum Imperatores, sed & Orientales Episcopos calumniari S. R. Eccles. imò omnem Ecclesiam: quæ Latina utitur lingua, quia jejunamus in Sabbato: quòd Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere dicimus: quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus: & quoniam eosdem Presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipsi Græci, quòd chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus; reprehendentes nos Latinos, quòd octo hæbdomadibus ante Pascha, & 7. hebdomadibus à caseo, & ovorum esu more suo non
D *cessaremus: dicentes etiam, quòd in Pascha, more Judæorum super Altare pariter, cum Dominico corpore agnum benedicamus, & offeramus. Succensentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas suas radunt, & dicentes, quia Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas Provincias à Metropolitanis cum eorum coepiscopis sibi rescribi præcepit.* Hæc Frodoardus. Non defuerunt autem in Gallia, qui doctè de his quæstionibus scriberent, ut videre est in tom. 2. Spicilegii Lucæ Dacheri Benedictini.

Accusationes Græcorum contra Eccles. Ro.

Latini *est nominativi pluralis, non genitivi singularis.*

Concilium Rom. approbatum, in quo Photius ter anathemate perculsus est, ejusq; volumen contra Nicolaum Papam editum, igni est adjudicatum, an. Dom. 868. tempore Adriani Papæ II.

E Hujus Concilii fit mentio in historia, atque in act. 7. Synodi octavæ, classe 2. actaque satis denotat ipse titulus.

Concilium Vuormaciense Provinciale, ex parte reprobatum, habitum in causa Ecclesiasticæ Disciplinæ, anno Dom. 868. tempore Adriani Papæ II. & Ludovici Imperatoris II.

TITULI CAPITULORUM Vvormaciensis Concilii.

1 *QUibus temporibus debeat sacramentum baptismi exhiberi.*
2 *Ut præter Episcopum nullus chrisma conficiat.*
3 *De consecranda Ecclesia.*
4 *Quid in sacrificio offerri debeat.*
5 *De baptismi sacramento.*
6 *Ut Ecclesia cum rebus suis ad Episcopi ordinationem pertineat.*
7 *De oblationibus fidelium, seu de redditu Ecclesię, quot portiones fieri debeant.*
8 *De his, quæ prohibentur Presbyteris in Ecclesiasticis sacramentis.*
9 *De Episcopis, cæterisque sacris ministris, ut ab uxoribus abstineant.*
10 *De incriminatis, qualiter expurgari debeant.*
11 *De sacerdotibus in fornicationem lapsis.*
12 *De sacerdotibus, quibus crimen fornicationis impingitur.*
13 *Ut Episcopus pro levibus, & parvis causis neminem excommunicet.*
14 *De clericis, si excommunicati pro levibus causis, aut innocentes fuerint.*
15 *Si in monasteriis aliquid furatum fuerit, qualiter ipsi fratres se inde expurgare debeant.*
16 *Ut nulli Episcopo liceat à synodo, vel ante peractam synodum discedere.*
17 *Ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, canes ad venandum, & accipitres habere non debeant.*
18 *De Clericis, qui sine Epistola sui Episcopi proficiscuntur.*
19 *De vagis, & inobedientibus clericis.*
20 *De fœminis sacro velamine consecratis.*
21 *De viduis, quæ sacrum velamen capiti imposuerunt.*
22 *De parvulis à parentibus intra septa monasterii traditis.*
23 *De professione Monachorum.*
24 *Ut nullus sæcularium Ecclesiam, aut Clericum fatigare præsumat.*
25 *Sub quàm cauta consideratione erga pœnitentes sacerdos existat.*
26 *De his, qui sacerdotem spontè occiderint.*
27 *De eo, qui meditatione odii propter avaritiam paganum occiderit.*
28 *De eo, qui insaniens aliquem occiderit.*
29 *De eo, qui arborem incidit, & dum operi necessario insistit, aliquis subtus ipsam arborem deveniens supprimitur.*
30 *De patricidis, & fratricidis.*
31 *De leprosis fidelibus, si participationem Dominici corporis, & sanguinis percipere debeant.*
32 *In quota generatione sibi fideles copulantur.*
33 *De his, qui cum duabus sororibus fuerint fornicati, vel cum his, quas sacra Scriptura prohibet.*
34 *De eo, qui cum matre spirituali, vel cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episc. tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationem perpetraverit.*
35 *De mulieribus, quę conceptos utero infantes voluntariè excutiunt, vel, quæ dormiendo filios suffocare videntur.*
36 *De eo, qui viduam in matrimonium susceperit, & cum filia ipsius, quam ex priori marito habuit concubuerit: vel, quæ patri, filioque se substernunt, seu de his, qui cum duabus sororibus concubuerint.*
37 *Qui pro diversis erratibus pœnitentiam subierint, si à propriis uxoribus separari debeant.*
38 *De his, qui servos suos, judicibus non judicantibus necant.*
39 *De domina, quæ zeli causa ancillam suam occiderit.*
40 *Si Episcopus servum alterius in clericum fecerit.*
41 *De his, qui per odium ad pacem non revertuntur.*
42 *Ne sine accusatione legitima condemnetur quispiam.*
43 *De refugis, ac perfidis laicis.*
44 *De adulteris.*

Capitula Vvormaciensis Concilii.

SAcrosancti autem baptismi Sacramentum, nonnisi in Paschali festivitate, & Pentecoste, unusquisque fidelium noverit esse præbendum: exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in ęternum pereant, talibus oportet remediis subveniri.

2. Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat: nam illi soli hæc dignitas concessa est.

3. Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopus invitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat: sed, si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Attamen unusquisque Episcopus meminerit, ut non priùs dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis est ista temeritas, si sine luminaribus, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata consecretur Ecclesia.

4. Cùm igitur Magister veritatis, verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantùm, & calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus. Ideòq; pręter panem, & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix .n. Dominicus, vino, & aqua permixtus debet offerri. Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo quandò in calice vinum aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Non enim potest calix Domini esse aqua, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.

Luc. 2. 1. Cor. *Apoc.*

5. Cùm quidam sacerdotes in quibusdam partibus terræ trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ, & quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde, quod à nobis in sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ S. Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo, de hac diversitate quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens, sic ait: De trina verò mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quàm ipsi sensistis: quia in una fide non officit sanctæ Ecclesiæ cõsuetudo diversa. Nos autem, quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturę sacramenta signamus, ut dum tertiò ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summa veneratione Trinitatis æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quandò & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Quod si nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant: dumq; quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter quia de utroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, à tanto viro reddita est ratio, utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur. Et ne fortè cuiquam sit dubium hujus simplex mysterium sacramenti, videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est: & rursum

Una, trina [mer]sio in [bap]tismo.

ſum ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi: unitatem, dum ſemel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizamus. Panditur hujus ſingularis baptiſmatis myſterium etiam ſacrarum ſcripturarum exemplis, Paulo Apoſtolo atteſtante: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & mari.* Mare quippe rubrum ſignificat baptiſmum Chriſti ſanguine conſecratum, per quod populus Dei ſemel tranſiit. Ibi tamen erat tota Trinitas, præcedens populum in columna ignis, & nubis. In igne quippe ſignificatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus ſanctus. Jordanis quippe fluenta cum arca populus Dei ſemel tranſit, per quod ſignificatur ſimpla merſio baptiſmatis. Cujus ſacramento Eccleſia abluitur, & de ſæculi hujus laboribus per baptiſmum, quaſi per Jordanem ad terram cœleſtis repromiſſionis ingreditur.

6. Multi contra canonum conſtituta Eccleſias, quas ædificaverant, & ab Epiſcopo poſtulaverant conſecrari, dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint, ad Epiſcopi ordinationem putant non pertinere: quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem antiquam, & jura Eccleſiarum, ad Epiſc. ordinationem, & poteſtatem pertineant.

7. De redditu verò Eccleſię, & de oblatione fidelium, quatuor fiant portiones: quarum unam ſibi retineat Epiſc. alteram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus, & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam.

8. Igitur Presbyteris quamvis cum Epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis, & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint. Conſecratio ergo virginum, & benedictio, vel unctio altaris, à Presbyteris minimè fiat. Similiter non liceat eis Eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus Paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare: ſed nec publicè quidem in Miſſa quenquam per pœnitentiam reconciliare. Hæc enim omnia illicita eſſe Presbyteris cognoſcuntur, quia Pontificatus apicem non habent: quæ tamen omnia authoritate canonum conceduntur.

9. Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, abſtineant ſe à conjugibus, & non generent filios. Quod ſi hoc decretum violaverint, ab honore clericatus pellantur.

10. Si Epiſc. aut Presb. cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, pro ſingulis miſſam celebrare, & ſecretam publicè dicere, & communicare debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quod ſi non fecerit, quinquennio à luminibus Eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui canones inſtituerunt.

11. Sacerdotes igitur ſi in fornicationis laqueum ceciderint, aut criminis manifeſtus, ſive oſtenſus fuerit actus, ſacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum canonicæ inſtitutionis authoritatem.

12. Sacerdotes, qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint: quid aliud agendum eſt, niſi quod in nono Cæſarenſis S. Concilii capitulo legitur, ac demonſtratur? Tamen ſi ipſi juramento ſe voluerint purificare, licentiam habebunt. Similiter & Diaconi, ſi fuerint accuſati, peragant.

13. Ut nullus ſacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, & levibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri juſſerunt aliquid committentes.

14. Epiſcopi verò ſi Sacerdotali moderatione poſtpoſita, ſi innocentes, aut minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſis noluerint, à vicinis Epiſcopis cujuslibet provinciæ communio illis uſque ad tempus ſynodi non negetur.

15. Sæpe contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus fratribus, & ſic in ultima miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant. 1. q. 6. Sæpe contingit.

Canon hic teſte B. Thom. 3. p. q. 8. art. 6. ad tertium abrogatus eſt per B. Steph. Papam: vide etiam de conſ. d. 2. c. Tribus, ubi cavetur, ne ſuſpectis detur Euchariſtia.

16 Si quis autem Epiſcoporum ſynodo neglexerit adeſſe, aut cœtum fratrum, antequam Concilium diſſolvatur, crediderit deſerendum: alienatum ſe à fratrum communione cognoſcat: nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.

17. Epiſc. Presbyteris, atque Diaconis, canes ad venandum, & accipitres non liceat habere. Quod ſi quis harum perſonarum hac fuerit voluptate detentus, Epiſcopus tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, Presbyter duobus menſibus, Diaconus uno menſe ab omni officio, & communione abſtineat.

18. Presbytero, aut Diacono, vel Clerico, ſine antiſtitis ſui epiſtola ambulanti, communionem in officio celebrando nullus impendat.

19. Placuit autem, ut ſi in monaſterio Diaconi, vel Presbyteri officio aliquis conſtitutus exiſtat, ſi Epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanſerit, & communione, & honore privetur.

20. Fœminæ verò, quæ ſacro velamine ſunt conſecratæ, ſi fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen deponere non præſumant: ſed pœnitentiæ jugo ſummiſſæ, ſummoperè decertare feſtinent, ut ad indulgentiæ, & remiſſionis valeant gratiam pervenire.

21. Vidua quidem, quæ ſacrum capiti velamen impoſuerit, & inter cæteras velatas fœminas in Eccleſia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis obſervantia diſcedere non præſumat. Quod ſi præſumpſerit, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſegregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.

22. Si pater, vel mater, filium, filiamque intra ſepta monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, non liceat, poſtquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum eſt: quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis, voluptatum fręna laxentur. Igitur (ut prædiximus) non liceat eis ſuſceptum habitum unquam deferere, ſed convicti, quod tonſuram, aut religioſam veſtem aliquando habuerint, in religionis cultu, habituque, velint nolint, permanere cogantur.

Nota, *huic canoni refragatur c.* cum ſimus *de regul. quod eſt Cœleſtini 3. & c. illud autem 20. qu. 1. quod eſt Marcelli, nemo poteſt promittere, aut tradere, niſi quod eſt in ſua poteſtate: actiones autem, & arbitrium filiorum non ſunt in poteſtate parentum, vide Leſſium l. 2. de juſt. & jure c. 40. dubit. 8.*

23. Monachum ergo aut paterna devotio, aut profeſſio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad ſeculum interdicimus regreſſus.

24. Si quis verò ſecularium per calumniam Eccleſiam, aut clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & Catholicorum communione, niſi dignè pœnituerit, arceatur.

25. Pœ-

œnitentibus, secundum differentiam peccato-
r[illegible] [illegible]erdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Deb[illegible]que sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam, & personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscujusque delinquentis, à sacris regulis oculos non reflectat.

26. Qui sacerdotem morti voluntate tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat: & jejunet usque ad vesperam, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Arma non sumat: & ubicunque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur: sed cum sacrarum orationum officia, aut missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans, ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum verò quinquennii tempus, ingrediatur Ecclesiam: nondum verò communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel, dum facultas conceditur, sedeat. Et cum decimus anni cursus fuerit finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur medela, maneatque in reliquis observationibus: & tres dies per hebdomadam jejunet, ut perfectus ad culmen purificationis pervenire mereatur.

27. Qui odii meditatione, vel propter avaritiam, paganum occiderit, quia non levi vitio committitur, ut homicidam convenit pœnitere: quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum est populo antiquo penitus inferre præceptum.

28. Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, lenior ei pœnitentia imponenda est, quàm eis, qui sana mente tale quid commiserint. Cui quamvis pœnitentia sit injungenda, quia ipsa infirmitas causa peccati, licèt fortassis occulta, contigisse creditur: tantum tamen lenior, quàm ei, qui sanus aliquem occiderit, quantum inter insanum, & sanum, irrationabile, & rationabile, constat esse discriminis.

d. 50. Sæpe contingit. 29. Sæpe contingit, ut dum quis operi necessario insistens, arborem incidat, aliquis subtus ipsam veniens deprimatur: & idcirco, si voluntate, vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida, pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non denique scientia contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrens, sub arborem improvisus devenit, & sub ipsa, nemine valente penitus adjuvare, suppressus est: incisor arboris, homicidæ proculdubio non comparandus.

30. Statuimus, ut patricidæ, aut fratricidæ, per unius anni curriculum, ante fores basilicæ orantes Domini clementiam, perseverent. Completo autem anni curriculo, introducantur in Ecclesiam: tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad Missarum solemnia, vel alia sacra audire officia venerint: & his ita peractis, si pœnitentię fructus in eis conspicitur, corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent ad horam nonam diei quotidie, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineant autem à vino, medone, atque cervisia mellita tres dies per hebdomadam. Et arma gerere non audeant, vel sumere, nisi contra paganos. Et ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in Episcop. ponimus arbitrio, ut secundum conversationem illorum, aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non velint, legitimas accipiant in conjugio fœminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Et si finis vitæ illorum venerit, antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur.

31. Leprosis autem, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis, & sanguinis participatio tribuatur: cum sanis autem eis convivia celebrare non permittatur.

32. In copulatione fidelium generationis numerum non diffinimus: sed id statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate, sive cognatione uxores accipere, usque dum generatio recordatur, aut cognoscitur, aut in memoria retinetur. *35. q[illegible] copula[illegible] ne.*

33. Si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis, de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam pœnitentiam egerit, & castitatis continentiam sustinere non valuerit, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulieri, quæ tali fuerit scelere lapsa fornicationis, liceat: sed hoc de laicis viris, ac mulieribus solummodo statuimus.

34. Si quis cum commatre spirituali fuerit fornicatus, usque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus. Similiter & illum anathematizare pronunciamus, qui cum ea, quam de fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit peruncta, fornicationis perpetraverit scelus: legitimam autem si habuerit, non dimittat uxorem.

35. Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ proculdubio judicandæ sunt. Illæ verò, quæ dormiendo filios suffocare videntur, leniter de his judicare oportet: quia nolentes, & non consentiendo ad hunc devolutæ sunt casum.

36. Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, & cum eadem filia postmodum concubuerit, conjugium modis omnibus dissolvatur: & vir ille pœnitentiæ subjaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus à sacro corpore Domini nostri Jesu Christi suspendatur, & sanguine. Carnem non manducet, abstineat à vino, & singulis diebus jejunium celebrare festinet, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Orationibus omni insistere solicitudine, integriterque perficere, summoperè studeat. Similiter autem de mulieribus, quæ clanculo patri se in concubitu substernunt, & filio, observandum est. Taliter quidem, & de his sancimus, qui duabus se sororibus pollutos cognoscunt.

37. Illi scilicet, qui pro diversis erratibus, ac quibuscunque piaculis pœnitentiæ jugo fuerint summissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne in fornicationis voragine demergantur: &, dum ad alta sublevari sperantur, corruant in cœno.

38. Si quis servum proprium sine conscientia judicum, qui tale quid commiserit, quod morte sit dignum, occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit.

39. Si qua fœmina furore zeli accensa, flagris verberarit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate, an casu occiderit: si voluntate, septem annos: si casu, quinque annorum tempore legitimam peragat pœnitentiam.

40. Si servus, absente, vel nesciente domino suo, Episcopo autem sciente, quod servus sit, Diaconus, aut Presbyter fuerit ordinatus, ipse in clericatus officio permaneat: Episcopus tamen eum Domino duplici satisfactione persolvat. Si verò Episcopus eum servum esse nescierit, & ita eum ad sacros ordines promovit, qui testimonium de illo perhibebant, aut eum postu-

postulabant ordinari, simili recompensationi teneantur obnoxii.

41. Placuit enim, ut quicunque odio, aut longa inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, à civitatis primitus sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

42. Dignum est, ut vita innocentis non maculetur pernicie accusantium. Quisquis igitur à quolibet criminatur, nón ante accusatus supplicio deputetur, quàm accusator præsentetur, atque legum, & canonum sententia exquiratur, ut si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non indicetur.

43. Nobis igitur ratio persuadet Synodalis decernere, ut quicunque laicorum in adversitate propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ potestatis, ad externas partes se conferendo, noxius fuerit ultra repertus, non solùm omni rerum suarum proprietate privetur, sed & perpetua excommunicatione damnato, nunquam illi, præterquàm in ultimo mortis suæ articulo, communio tribuatur.

44. Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit, septem annis pœnitentiam agat.

Laurentius Surius notat hos tantùm 44. canones germanos esse hujus Concilii, non alios, qui plures adduntur à quibusdam aliis, quos idcirco hic non apponimus.

Conciliabulum Metense, quo Regnum Galliæ à legitimo successore Ludovico ad Carolum translatum est, anno Domini 869. tempore Adriani Papæ II.

Cum Carolus Calvus Rex Francorum occupasset Lotharii Regnum, quod jure hæreditario ejus fratri Ludovico Imperatori debebatur, neque frequentibus ejusdem Ludovici expostulationibus, ac monitis ullum locum dedisset, ille Sedem Apostolicam interpellans, impetravit, quod Adrianus Papa decerneret Legationem ad Carolum, de qua apud Aimoinum.

Eidem Legationi addidit Epistolas, quas apud Binium invenies, plures, quarum una ad Carolum, altera ad Episcopos, tertia ad Ludovicum Regem Germaniæ scripta erat. Antequam verò ista Legatio ad Carolum pervenisset, habita est ista Metensis Synodus, qua Carolus Regni coronam injustè accepit, ideoque non immerito Synodus Prædatoria nominatur. Absoluta Synodo Carolus Legationem cum oblatione duarum coronarum aurearum gemmis intextarum, pro duobus Regnis, quæ possidebat, misit ad Adrianum Papam: qui munera oblata respuens, novam Legationem ad Carolum,& Ludovicum destinavit; de qua fit mentio in Epistola quadam ad Carolum, cujus initium: *Sacrorum itaque dogmatum*, &c. Acta extant apud Baron. an. 869. num. 101.

Conciliabulum Vvermeriæ habitum, quo xx. Episcopi Hincmarum juniorem Laudunensem Episcopum condemnarunt, quod ille jussu Adriani Papæ excommunicationis sententiam in Northmannum bonorum Ecclesiasticorum detentorem tulisset, anno Domini 870.

Præceperat Adrianus Papa II. ut Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, aliique Galliarum Episcopi Northmannum, qui à Carolo Rege bona Ecclesiastica in Beneficium acceperat, excommunicarent. Cumque Hincmarus senior Rhemensis Archiepiscopus huic Sedis Apostolicę mandato non obtemperaret, Hincmarus junior Laudunensis Episcopus, illius senioris nepos, præcepto Pontificis satisfaciens Northmannum excommunicavit. Quo facto, Hincmarus senior cum Rege plurimum offensus, hanc Synodum

A congregavit, qua nepotem suum quasi Metropolitano suo inobediens foret, condemnavit. Laudunensis Episcopus injustè damnatus appellabat ad Romanum Pontificem: sed delatum non est illius appellationi, utpote quod hoc facto, ut ajebat, contra Canones egisset. Cumque ille per literas apud Sedem Apostolicam suam interpositam appellationem prosequeretur, atq; Pontificis Rescriptum pro se obtinuisset, Hincmarus Rhemensis adversus nepotem suum Hincmarum Laudunensem prolixam scripsit Epistolam Apologeticam, qua ille hujus Synodi Acta pro arbitrio conscripsit, ideoque damnatum fuisse denuntiavit, quod non esset obediens suo Metropolitano, quodque ob privatas injurias suas omnes Laudunenses excommunicasset, & sacros ministros omnes à sacris ministeriis, Sacramentorumque prohibitione suspendisset. Hęc ex Frodoardo, & Epistolis Adriani ad Hincmarum,& Carolum apud Binium nunc recens excusis Baron. anno 870. *rum Rhem. & Laudum.*

B *Concilium in Villa Attiniaco, quo Hincmarus Laudunensis Episcopus sede sua privatus, vinculisque ferreis ligatus ejicitur in exilium, & tandem ab hostibus, ne in Episcopatum redeat, excæcatur, anno Domini 870. tempore Adriani Papæ II.*

Cum Hincmarus Laudunensis Episcopus ob causam præcedente Conciliabulo expressam Rescriptum Adriani Papæ pro se impetrasset, illudque Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, & Carolo Regi insinuasset, ex odio erga Laudunensem uterque decrevit,

C ut hæc Synodus, quæ Latrocinalis dicitur, cogeretur. Præfuerunt illi Rhemigius Lugdunensis, Ardovicus Vesontiensis, Bertulphus Trevirensis, Archiepiscopi, unà cum subjectis sibi Episcopis. In ea Hincmarus Rhemensis Archiep. unà cum Carolo Rege accusatorem agebat adversus Hincmarum nepotem suum, quem jam antea Episcopum Laudunensem consecraverat. Causa denuntiandi Hincmarum erat ista, quod ille jura Sedis Apostolicę contrariis scriptis defenderat, quæ Rhemensis Archiepiscopus impugnare, & evertere nitebatur, quodque contra juramentum fidelitatis, quo Regi erat obstrictus, eumdem Carolum Regem apud Romanum Pontificem accusasset, atque sine ejus licentia adversus ipsum scripta misisset. Ex hac causa, & ex actis ejus in Rotaldum Hincmari casum deplorat Baronius, qui ab adolescentia sua visus flore- *Hincmari casus.*

D re scientia, & sapientia in omnibus Conciliis, præcęteris spectatus ab omnibus, ubi semel sui oblitus fraterno infectus est odio;omnis modo in eo mox pulchritudo ex virtutibus florens emarcuit, adeo ut nihil eo turpius, ait ad ann. 863. excogitari potuerit, in præpositum sibi adeo caput ipso se erigente pro juribus suæ Ecclesiæ, & ad ann. 882. quo mortuus est, ejus virtutes, & vitia referens, temperat se à judicio de eo ferendo, quod Domino suo stat, aut cadit. Sed ut nihil in mortuum. Cùm Hincmarus Laudunensis jam, prout mandatum erat à Pontifice, itineri accinctus esset, ut Romam pergeret, ab hostibus captus, & spoliatus, introductus est in hanc Pseudosynodum. Auditis querelis supra commemoratis omnibus, obtulit ille libellum defensionis suæ; sed rejectus est, & nequaquam legi permissus. Qua de re cùm ille vicissim

E ad Sedem Apostolicam provocaret, non modo non ejusdem appellationi detulerunt, verùm etiam humi prostratus, defensionisque locum sibi dari expostulans, nequaquam est exauditus. Ferentes sententiam, eum Episcopatu deposuerunt, vinctumque durissimis, & ferreis vinculis in exilium ejecerunt; atque demum, quod omnem crudelitatem superat, oculis evulsis excæcari fortasse procurarunt, ut redeundi ad Episcopatum spem omnem illi adimerent. Hæc ex libello Trecensis Concilii sub Joanne VIII. celebrati Baronius anno 870.

Con-

A

Concilium Coloniense in causa Ecclesiasticæ Disciplinæ celebratum 6. Kalendas Octobris, anno Domini 870. tempore Adriani Papæ II.

VEtus Francorum Chronicon nuper à Pithœo editum refert, quod anno Redemptoris 870.6.Kalendas Octobris, agente Rege Ludovico synodus quædam Coloniæ Agrippinæ acta fuerit, in qua, præter complura ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia pertractata, insuper ab eisdem, qui convenerunt, Episcopis, dedicata fuerit Ecclesia S. Petri. De reliquis Actis ibidem nihil aliud extat.

Concilium Duziacense, quo Hincmarus Laudunensis ad placandum Carolum Regem, professionem fidelitatis emisit, atque obedientiam suo Metropolitano spondit, anno Domini 871. tempore Adriani Papæ II.

B

DE rebus in hac Synodo gestis Aimoinus lib. 5. c. 24. in fine hæc ait: *Interea post de multis impetitus, præcipuè autem de insubjectione, & inobedientia erga suum Archiepiscopum, Hincmarus Laudunensis Episcopus, ut se ab impetitis expediret, in Synodo Episcoporum decem Provinciarum libellum propria manu subscriptum porrexit, hæc continentem.*

Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus amodo, & deinceps Domino Seniori meo Carolo Regi sic fidelis, & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo Seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet, ac privilegio Hincmari Metropolitani Rhemorum Ecclesiæ, secundum sacros Canones, & decreta Sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus promulgata, pro scire, & posse, me obediturum profiteor. Et subscripsit. Hucusque Aimoinus. Facta sunt hæc in Synodo Duziacensi in Rhemensi Provincia congregata. Sed quoniam nec ista satis fuere ipsi, ne damnaretur ab Episcopis, hac de causa Sedem Apostolicam appellavit; quam ne adiret, tùm Rex, tùm Episcopi, à quibus damnatus fuerat, aliquandiu impedimento fuere. Quę cùm Adrianus audisset, cum Rege, & Episcopis studiosè literis egit, ut sineretur idem Hincmarus Romã se conferre: qua etiam pendente causa (ut dictum est) idem Rex Carolus Legatos Romam misit Actardum ad Adrianum Pontificem.

C

Concilium Ticinense, quo imperium Carolo Calvo collatum confirmatur, anno Domini 876. tempore Joannis Papæ VIII.

D

IN hoc Concilio nihil aliud gestum esse constat, quàm quod lecta, & recitata fuerint Acta Coronationis, qua Carolus die Natalis Domini Indictione 9. à Joanne Papa in Imperatorem electus, inunctus, & coronatus fuit. Acta ipsa in fine Annalium Francorum à Pithœo Parisiis editorum, nec non apud Papirii Massonis Annales extant. Eadem Acta Coronationis citantur ab Abselino Lucensi de Potestate, & Primatu Romanæ Ecclesiæ, cap. 82. Utinam Novatores refractarii, qui non sine magna temeritate audent profiteri, Romanos Pontifices in coronationibus Imperatorum nihil aliud juris habere, quàm quod in ipso ungendo, & coronando solum Sacerdotale ministerium exhibeant, hæc Acta cognovissent; didicissent ex iis, quod Joannes Papa Carolum non tantùm unxerit, & coronaverit, verum etiam Dei instinctu ad Imperium gubernandum confirmaverit, provectumque ad tàm sublimem dignitatem Augustali nomine decoraverit prius, quàm ab eodem ungeretur, & coronaretur his verbis. Quod ipse confirmavit, pari consensu confirmavimus. Vide Baronium anno 876. num. 1. & 9.

E

Concilium Pontigonense, quo jussu Sedis Apostolicę Galliarum Episcopi electionem Caroli confirmarunt, anno Domini 876.

ACta Concilii hujus recitantur à Papirio Massono annalium lib. 2. Odoranno Senonesi monacho duobus capitibus contenta ex I. Caroli in Imperatorem, Ecclesiæque defensorem confirmatio à Joanne VIII. Romæ facta confirmatur, cap. 2. sicut Dominus Joannes Papa sanxit, connivente, ac consentiente, ac condecernente Domino, ac gloriosissimo Carolo Imperatore semper Augusto Ansegisum venerabilem Episcopum Senonum suam viam tenere, & primatum ei Galliæ, & Germaniæ contulit in evocanda Synodo, & definiendo canonice, si quælibet insurrexerint necessaria, & ut graviora quælibet ad ipsius notitiam referat, & nos unanimiter omni devotione laudamus, & ut ipse primatum teneat Galliæ, & Germaniæ, decernimus, & sancimus, conjunctique successores ejus in propria urbe.

In eadem Synodo excommunicatus est Formosus Portuensis Episcopus. Quam ob causam vix notum tunc fuit. Quæ Baronius pluribus persequitur ad ann. 876. ex Aimoino Monacho lib. 5. cap. 32. & 33.

Concilium in Neustria celebratum adversus Hugonem Lotharii Regis filium illegitimum, anno 877. tempore Joannis Papæ VIII.

IN hoc Concilio Legati Ludovici Imperatoris III. conquesti sunt, quod Hugo Lotharii Regis defuncti filius nothus, & illegitimus, post obitum Caroli Imperatoris, collecta factiosorum hominum multitudine, ejusdem Ludovici Regnum invasisset, & summopere devastasset. Quo cognito, Synodus per Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, qui Concilii Præses erat, literas comminatorias scripsit: quarum summarium Frodoardus lib. 3. Histor. Rhem. cap. 18. scripsit.

Concilium Trecense, quo excommunicatio in Formosum, aliosque à Joanne Papa VIII. lata confirmatur, Hincmarus Laudunensis sedi pristinæ restituitur, & Ludovicus Balbus in regem Galliæ iterato ab eodem Pontifice coronatur, anno Domini 878.

HOc Concilium ex variis fragmentis hinc inde quæsitis componit Sirmondus tom. 3. Concil. Galliæ. In hoc autem præsens Joannes VIII. Pontifex Rom. excommunicationem, quam Romæ in Formosum Portuensem Episcopum vibraverat, ab Episcopis scripto confirmari voluit. In vita autem Formosi apud Binium, patet ideo excommunicatum Formosum cum aliis quibusdam, & throno dejectum, quod liberius ipsum prædecessorum suorum actus aversantem redargueret: nam ipse suadente Eunucho quodam Constantinopolitano, nonnulla gessit timidius, & quæ magis fœminam, quàm virum constantem decerent: ex quo fabulæ de Joanna papissa locus postea datus est. *Joann. Papiss. fabul. de ort.*

Auditus est in eodem Concilio Hincmarus Laudunensis cæcus. Utque ex consensu regis ibidem præsentis illi datum est, ut, si vellet, missam cantaret, & partem de rebus Episcopi Laudunensis teneret, hinc factum, ut Episcopi sine præceptione Papæ eum vestimentis sacerdotalibus indutum in præsentiam Papę adducerent, ac inde in Ecclesiam cantantes adducerent, & signum benedictionis dare facerent. Ex Aimoino lib. 5. cap. 37. conditi ibidem septem canones circa disciplinam: aliquot privilegia concessa, & Ludovicus Balbus jam ab Hincmaro Rhem. coronatus, denuo à Papa coronari voluit.

Admiranda planè divina judicia, ut non derelinquat planè sperantes in se, ait Baronius ad prædictum ann. 878. num. 28. ecce tibi Hincmarus Laudunensis, cum

sæpe

sæpe appellasset Apostolicam sedem, nec dimissus, ut adire posset, imo tentus, in carcerem detrusus, atque etiam crudeliter excæcatus, disponit divina providentia, ut qui numquam adire potuit Rom. Pontificem, ipse Rom. Pontifex ex Italia in Gallias ad eum accedat, audiat, & honoret, ut planè illud Davidicum fuerit decantandum, *patientia pauperum non peribit in finem*, psal. 9. & secundum illum Zachariæ 3. de Jesu sacerdote magno: *tollite vestimenta sordida ab eo, & ponite cidarim mundam super caput ejus*. Ita planè simile quiddam divinitus ostensum est in Hincmaro Laudunensi. Quo putas animo ista inspexisse Hincmarum Rhemensem, qui synodo aderat, sed, qui potens calamo erat, scripsit Apologeticum suum. Vide ibid. & Cellotium in Historia Godescalchi.

Concilium Romanum ob electionem novi Imperatoris post obitum Ludovici III. cognomento Balbi congregatum, anno Domini 879. tempore Joannis Papæ VIII.

CUm Ludovicus Tertius 4. Idus Aprilis die Parasceves circa vesperum, anno Redemptoris nostri 879. obiisset, eaque de re Joannes Papa VIII. certior factus esset, Synodum Romæ indixit, teste Aimoino, mense Majo celebrandam. Ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, quem ad hanc Synodum vocabat, scribens Epistolam 155. hæc ait: *Quia Carolomannus corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus, Regnum retinere jam nequit, de novi Regis electione, ut omnes pariter consideremus, vos prædicto tempore adesse, nempe ad Kalendas Majas, validè oportet. Et ideo antea nullum absque nostro consensu Regem debetis recipere. Nam ipse, qui à nobis est ordinandus in Imperium, à nobis primum, atque potissimum debet esse convocatus, atque electus, &c.*

Carolum Crassum, filium Ludovici fratris Caroli Calvi, erga quem propensior erat, Romam vocat. Cumque Anspertus ad Synodum vocatus venire noluisset, atque interea de eligenda Caroli persona propositum immutasset, post dictam in Anspertum excommunicationis sententiam, suspensa est novi Imperatoris electio usque ad biennium: quo elapso, Carolus, post Italiam sæpe armis subactam, anno Redemptoris nostri 881. die Nativitatis Romæ à Joanne VIII. creatus, & coronatus est, postquam biennio Inter regnum fuisset. Ita Regino in Chron. & Aimoinus lib. 5. cap. 39. Baronius anno 879. num. 2.

Concilium Romanum II. quo Petrus in causa Photii restituendi missus est Constantinopolim, anno Domini 879. tempore Joannis Papæ VIII.

HÆc Synodus auctoritate Joannis Papæ congregata, Petrum, aliosque adjunctos ei Legatos, ea facultate dumtaxat instruxit, atque communivit, ut Photium à censuris Ecclesiasticis absolverent, & Sedi Constantinopolitanæ restituerent: ad veram autem, & germanam Synodum Octavam sub Adriano Pontifice habitam reprobandam, & particulam illam (à Filioque) Symbolo penitus tollendam, nulla auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex Epistola Joannis 199. ad Basilium Imperatorem scripta, qua se in Photio sedi suæ restituendo, non Concilii dissipatione, vel abrogatione, sed tantùm dispensatione uti significat: Secundò ex Epistola 250. & 251. quibus indicat, se reprobare omnia, quæ præter restitutionem Photii acta sunt. Tertiò ex ipso Commonitorio per Photium corrupto, & falsato, in quo Episcopi subscribentes, profitentur omnes, se Commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Nos verò germano Commonitorio, cujus 203. & 250. alisque pluribus Joannes Papa Epistolis mentio fit, destituti, Commonitorium illud, quod à Photio corruptum, & in Photianæ Pseudooctavæ Synodi Act. 3. lectum fuit, inserendum

A hìc putavimus, non totum, sed summatim ea, quæ ad rem faciunt, ponentes: tùm ut inde Acta hujus Concilii confirmentur: tùm etiam, ut quæ auctoritate Legatorum in Pseudooctava Photiana Synodo Constantinopoli gesta dicuntur, falsitatis, & imposturæ manifestè redarguantur.

Commonitorii fragmenta sic habent.

JOannes Episcopus, servus servorum Dei, Commonitorium fratribus Paulo, & Eugenio Episcopis, similiter & Petro Presbytero Cardinali, nostris Constantinopoli Legatis.

Cum primum divina favente gratia, &c. Constantinopolim ingressi fueritis, illuc divertite, quò præci-

B piet Imperator, &c. Postridie salutaturi Photium sanctissimum accedite, & Epistolam illi tradite, salutantes illum decenter, talibus verbis: Salutat te Dominus noster Joannes Apostolicus Papa, & vult habere te fratrem, & comministrum, sicut scripsit Imperator, ut propter pacem Ecclesiæ reciperemus sanctissimum Patriarcham Photium fratrem, & comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, & præciperemus, ut coram nobis veniat ad Synodum, & ut recipiat ipsum universa Ecclesia, &c.

Volumus præterea, ut coram universa Synodo promulgetur, quod Synodus habita adversus prædictum Patriarcham Photium tempore Adriani sanctissimi Papæ tùm Romæ, tùm Constantinopoli, ex tunc habeatur nulla, & irrita, & non numeretur cum alia san-

C cta Synodo, &c.

Sequuntur subscriptiones.

ZAcharias Episcopus Ecclesiæ Anagninæ, & Bibliothecarius Apostolicæ Sedis, in hoc Commonitorio pro receptione sanctissimi Photii Patriarchæ propria manu subscripsi.

Martinus Episcopus Ecclesiæ Narniensis in hoc Commonitorio Apostolicæ Sedis pro restitutione Photii sanctissimi Patriarchæ propria manu subscripsi. Sic & sequentes reliqui.

Ex dictis patet, Lector, additamentum Photii de abrogatione Concilii Oecuminici VIII. sub Adriano Pontifice celebrati, jam superius apertissimè redargu-

D tum falsitatis, ex Epistolis Joannis Papæ citatis. Sed detegitur in eodem Commonitorio eadem ritè impostura ex ipsa subscriptione Episcoporum, qua (ut vidimus) profitentur omnes, se Commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Quod si ex Synodi sententia definita fuisset damnatio Oecumenicæ Synodi, eademque commissa Legatis in dato illis Commonitorio; utique magis eam suis subscriptionibus expressissent, quàm Photii restitutionem.

Conciliabulum Constantinopolitanum Oecumenicum Pseudooctavum reprobatum 385. Episcoporum, quo post obitum Ignatii restitutio Photii est confirmata, sancta, & Oecumenica Synodus Octava planè abrogata, & è Symbolo illa particula (Filioque) sublata fuit, anno Domini 879. tempore Joannis Papæ VIII.

E HÆc Synodus Basilio Imperatore, & Photio procurantibus, à Joanne Papa ejus nominis Octavo, ob Photii restitutionem dumtaxat, non verò ad Octavæ Synodi abrogationem, & reprobationem indicta fuit. Etiamsi enim germanum illud verum, & incorruptum Commonitorium, quod Petro Legato Sedis Apostolicæ datum est, inter Epistolas Joannis Papæ non reperiatur: tamen illud, quod apud Baronium ex Actis Conciliabuli hujus Latinè translatis descriptum invenitur, in fine, ubi Episcopi subscripserunt, manifestis verbis indicat, quod tantum pro receptione Photii, quo cum Joannes Papa ob causas *Ob quem finem Legati missi.*

supra

supra commemoratas dispensandum putarat, Legatio Constantinopolim mittenda fuit. Idem patet ex Epistola Joannis 203. ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Ostiensem Constantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioso Presbytero Cardinali, familiarique nostro sociamus, quatenus ea, quæ pro pace, & unitate Ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum Apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum Commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simulagatis, &c.* Quod ergo de abolenda vera Synodo Octava sub Adriano Papa habita hoc Commonitorio continetur, Photii commentum est non minus, quàm illa additamenta, quæ pro veræ Octavæ Synodi abrogatione, suique expurgatione Epist. Joannis 199. ad Basilium Imperatorem, necnon 201. ad Photium scriptis, architectus falsitatis calumniosè addidit. Magno Dei beneficio prædictæ Epistolæ Joannis Papæ integræ hucusque asservatæ fuerunt, ut ex earum collatione (quod præstitit Reverendissimus, & Illustrissimus Cardinalis Baronius anno 879.) dolus, fraus, & malitia Photii admirabilis falsitatum architecti toti mundo innotesceret. Ex ejusdem penetralibus prodiit Epistola, de qua Binius post finem Epistolarum, sub nomine Joannis confictà calumniatus est insuper eumdem Pontificem, quod de processione Spiritus sancti eadem cum Græcis senserit, atque particulam, Filioque, è Professione fidei Constantinopolitanæ tollendam esse voluerit. Hæc sunt, quæ pro Beneficiis à Pontifice acceptis, malitiosus homo, & mendaciorum architectus reddidit, quibusve eum, à quo restitutus fuerat, perdere curabat.

Photii malitia.

Fuisse autem hanc Synodum Oecumenicam aliquibus videtur, quia Legati Sedis Apostolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Ostiensis, & Paulus Anconitanus, eidem interfuerunt. Sed quia ex Actis constat, Photium præsedisse Concilio, cui, si Oecumenicum erat, Legati Pontificii juxta tenorem Commonitorii, aliarumque Synodorum morem præsedisse debebant, Pseudooctavam placuit potius appellare, quamquam nulla injuria etiam Pseudosynodum nominaveris eamdem, qua per mille fraudes, & imposturas non solùm sacrosancta, & legitima synodus Octava est reprobata, Processio Spiritus sancti à Patre, & Filio procedentis impugnata; verum etiam Joanni Pontifici, & consequenter universæ Ecclesiæ turpissimorum criminum maculæ inustæ, vel saltem aspersæ leguntur. Photium à Joanne Papa non citra culpam per quamdam dispensationem, ut verba Commonitorii præ se ferre videntur, post obitum Ignatii, dignitati Patriarchali restitutum fuisse, nulla ratione negamus: à ceteris verò criminibus de abrogata synodo octava, & abnegata processione Spiritus sancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam suo more impingere studebat, ipse Deus optimus maximus asservando in Bibliotheca Vaticana integras illius Epistolas, & proferendo easdem à Photio corruptas, cœlitus illum defendisse videtur.

Joanni Papæ imponitur.

Quod verò hæc synodus reprobata fuerit etiam ab ipso Joanne Papa VIII. manifeste colligitur ex Epistola ejusdem Papæ 251. ad Basilium reddita, ubi ad finem cautè admodum subjungit, sic se probare, quæ in synodo de restitutione Photii dumtaxat egissent, ut si quid illi, vel hac, vel alia in re præter voluntatem Sedis Apostolicæ, & mandata accepti Commonitorii operati fuissent, id nullius planè auctoritatis esset.

Quæ verò in hoc Conciliabulo facta sint, ex Actis synodalibus, septem Actiones continentibus, summatim describit Baronius anno 880.

ACTIO I.

In prima Actione recitatur numerus Episcoporum trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adulatio, & Græca vanitas, & levitas. Inter alia autem præfatus in synodo Photius jactat se, quod Joannes Romanus Pontifex semel, & iterum per suos Legatos eum inviserit, nimirum primum per Paulum, & Eugenium, deinde per Petrum, sed falsò. Post hæc eadem Actione Joannes quidam Heracleæ Thraciæ Episcopus multa effutiit contra Romanam Ecclesiam, quam omnium illorum, quæ acciderant, malorum originem appellavit: ad quæ evertenda, & curanda, illa esset synodus congregata: multa etiam contra Nicolaum Papam, & ejus successorem Adrianum oblatrans ingessit. Contra verò, ipsum Joannem Romanum Pontificem valdè laudavit. Deplorat verò post hæc multa, quæ (ut dicebat) injustè passus sit Photius. Et sic post alia quædam frivola, finem accepit Actio prima.

ACTIO II.

Secunda Actio habita legitur decimasexta die Novembris, Indictione 13. in qua lectis Epistolis Joannis Papæ ad Imp. & ad Photium, ipse Photius interlocutus suas laudes extollit, præcipuè suam humanitatem falso ostentat erga Ignatium exhibitam: qua etiam jam defunctum eum persecuturum vanè pollicitus est. Lectæ post hæc fuerunt aliæ Epistolæ continentes acrem invectivam contra Octavam legitimam Synodum. Post hæc lecta fuit Epistola Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem, ad finem illum tendens, ut Octava Synodus Oecumenica destruatur. His lectis, introductus est Thomas Metropolita, qui fuit unus ex Legatis tribus Orientalium sedium in Octava Oecumenica Synodo, aliis duobus (ut illic dicitur) mortuis. Procuratum est à Photio, ut hic penitens recantet palinodiam de ministerio exhibito in dicta Oecumenica Synodo, & terminata est Actio secunda Synodi Photianæ.

ACTIO III.

Tertia verò, quæ secuta est Actio, incidit in decimumoctavum diem ejusdem mensis Novembris ejusdem decimætertiæ Indictionis: in qua lectæ sunt adhuc variæ Epistolæ, & commonitorium Joannis VIII. ut falsatum erat à Photio. Ille enim cum litteras Papæ à legatis accepisset, eas Græco sermone reddens pro arbitrio voluntatis aptaverat, priusquam in Synodo Græce legerentur, alia addens, alia minuens, alia mutans, ac Legatos artibus suis velut muta pecora ducens, magna cum Sedis Apostolicæ ignominia, ut numquam tàm sordida, ac tàm indigna legatio ab Apostolica Sede missa sit, ut notat Baronius anno 879. num. 70.

ACTIO IV.

Contigit, quartam Actionem celebrari eodem mense Decembri, Feria quinta in Vigilia Nativitatis Domini: in hac Legatus missus à Patriarcha Antiocheno, afferens litteras etiam à Patriarcha Jerosolymitano, qui ingredi jussus literas dedit. Lectæ sunt ipsæ, multa in laudem Photii de communicatione mutua conservata cum ipso continentes, nec non assertionem illam, Legatos nimirum Patriarchalium sedium missos antea ad Octavam Synodum, fuisse non Patriarcharum, sed Legatos Saracenorum, istiusmodi inculcantes in destructionem Oecumenicæ Synodi, quæ verè creditæ sunt è Photii officina depromptæ. Post hæc introducti sunt duo Patricii pœnitentes, de his, quæ in Octava Synodo contra Photium egissent, affirmantes se à falsis Legatis fuisse deceptos. Lecta sunt Capitula quinque tanquam à Legatis Romanis proposita. Primum, De Diœcesi Bulgariæ. Secundum, De non eligendo amplius Laico in Episcopum Constantinopolitanum. Tertium, Ne ab alia sumatur Ecclesia. Quartum, De Synodo habita contra Photium, ut abrogetur. Quintum, Ut qui cum Photio non communicarent, excommunicati essent. Quæ omnia recepta à Synodo fuerunt,

Fraus Photii.

fuerunt, præter illud de Bulgarorum Diœcesi, quod Imperatoris voluntati commissum est. Et sic exitum illum est consecuta Actio quarta, quem Photius voluit.

Quæ autem quinta est Actio celebrata, ponitur anno sequenti, die 26. mensis Januarii, eadem Indictione decima tertia, in qua Photius de Septima Synodo sermonem instituit, calumniamque ex ea struxit adversus Romanam Ecclesiam, quod de Septima Synodo recipienda, essetne Oecumenica, dubitasset; cui Legati satisfecerunt. Et firmata est omnium sententia, ut Oecumenica Septima Synodus diceretur. His successit citatio Metrophanis Metropolitani Smyrnensis Ecclesiæ, cujus summa cum laude est crebra mentio in legitima octava Synodo, accedere jussus, ut schismaticus, qui secutus Ignatii partes, cum Photio noluerit ullo pacto communicare. Inter hæc facta est suggestio (seu potius à Photio ficta) Legatorum Apostolicæ Sedis, ut ex sententia Joannis Pontificis Canon constitueretur, quo juberetur, ut excommunicati, vel depositi à Romano Pontifice, à Photio non susciperentur, sicut econtrà, qui depositi essent à Photio, vel excommunicati, non restituerentur, nec absolverentur à Romano Pontifice. Sicque confectus de his est primus Canon: quo quis non videat summa Photii calliditate interceptas esse appellationes ad Apostolicam Sedem, & recursum ad eam; siquidem ablata fuit per Canonem istum auctoritas Romani Pontificis, ut judicare non posset, quos Photius condemnasset. Quis animo concipere potest Legatos Apostolicæ Sedis adeo oscitantes, & prodigentes Jura Apostolicæ Sedis, ut & adversus contra ea obtinentes non tantùm non restiterint, sed ut isthæc sancirentur, ipsi suggesserint? an non manu palpantur commenta Photii?

Statutus est autem post hæc, eodem suggerente Photio, Canon secundus, Ne quis relinquens Episcopatum transiens ad statum monasticum Episcopatum retinendi haberet amplius facultatem, nec ad illum revertendi aditus pateferet. Hic non prætereundum, quod Gratianus malè consultus Canonem hunc tamquam ex legitima octava Synodo descripsit totidem verbis in libro Decretorum, qui plane odio Photii impostoris fuerit exsufflandus. Additus est in hac etiam Actione tertius Canon adversus sæculares Magistratus, carceri mancipantes, vel verberantes Episcopos. Secuta sunt hæc subscriptiones omnium, in primis verò Legatorum Apostolicæ Sedis, cum detestatione omnium Synodorum sub Adriano Pontifice contra Photium collectarum.

Convenerunt postea iidem die decima mensis Martii (fuit Feria quinta) Indictione decimatertia, non in Ecclesia, ut antea, sed in Palatio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi Actionem sextam habuerunt, cui Imperator interfuit, qui ex suggestione Photii fidei Definitionem à Synodo postulavit. Sicque consensu omnium exhibita est Definitio fidei comprobata in septem Synodis Oecumenicis, contestationibus appositis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque est Nicænum Symbolum, sive Constantinopolitanum dictum: ita sugillantes Latinos, quod apposuissent verba illa, *Filioque*. His approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius Imperator, improbans sua subscriptione cuncta, quæ contra Photium acta essent in octava legitima Synodo, cui ipse subscripserat unà cum filiis, quos & huic Pseudo-Synodo pariter subscribere voluit. Sicque sexta Actio est consummata, acclamationibus præcedentibus.

Post triduum verò, nempe decima tertia mensis Martii, die Dominico, ejusdem decimæ, tertiæ Indictionis habita est septima, atque novissima Actio in magna Ecclesia, ubi jussa est legi fidei Definitio in præcedenti Actione probata, additis, & multiplicatis anathematismis, si quis quid ei adderet, vel minueret. Sicque absoluta est Photiana Synodus, octava dicta, & Generalis.

A

CONTROVERSIA.

HOc Concilium Græci pro octava Synodo legitima ab Adriano approbata obtrudunt. Quam etiam Marcus Ephesinus expungendam è Synodorum catalogo in Florentino contendebat. Cui cum Julianus Cardinalis in hac parte non satis restitisset, merito de ipso conqueritur Baronius ad an. 869. Quod quasi per transitum rem agens, cuncta, quæ objicienda erant in Marcum omittens, ad præcipuam quæstionem se contulit, in Act. 6. Cæterum plura de hac Synodo fictitia esse, dolo malo in ea usum esse Photium falsatis pluribus literis Joannis VIII. ut quæreret colorem iis, quæ statui voluit in hac Synodo: & si verò Legatos miserit Joannes Papa causa restituendi Photii, mandatum ejus prætergressi sunt, ut multa decernerentur, aut fierent contra ipsius voluntatem. Unde eam improbavit plane, & Leo Philosophus Imperator successor Basilii, ipsum Ignatium è throno dejecit, suffecto in ejus locum Stephano. Quin etiam ipse Joannes VIII. quod, ut Basilio Imperatori gratularetur, consensisset in restitutionem Photii ob mollitudinem animi in hoc negotio, in quo virum, idest, fortem, & constantem ostendere se debuisset, contumeliæ loco, non Papa, sed Papissa fuit appellatus. Unde locus fabulæ de femina Papissa. Qua de re, & de tota Synodo vide Baronium ad an. 879.

B

Concilium Romanum III. Quo Athanasius Episcopus simul, & Princeps Neapolitanæ urbis propter fœdus cum Saracenis initum excommunicatus.

C

ATHanasius Neapolitanus Episcopus, simul & Princeps olim à Joanne Papa epist. 66. 161. & 162. plurimum laudatus, in transversum actus, & in arcum pravum conversus scelestissimus evasit. De ipso enim Leo Ostiensis l. 5. c. 42. ista habet: *Idem verò Athanasius Princeps illi, nempe Sergio, subrogatus, firmata cum Saracenis pace, Beneventum, Capuam, Salericum, Romamque depopulari cum eis cœpit, multaque tunc Monasteria, & Ecclesias cum villis, & urbibus impiorum incendio conflagrarunt.* Hæc Leo. Post fœdus cum Saracenis contractum Joannes Papa per epist. 251. & 256. eum admonuit, ut fœdus cum Barbaris initum dissolveret, & nisi pareret, anathematis sententia feriendus esset. Imo quod magis est, ipse Joannes Papa hac de causa Neapolim se contulit: sed frustra. Quare dum in urbem rediisset, hac Synodo ibidem congregata, anathematis sententiam in eum tulit, eamque per epistolam circularem 270. Episcopis circum positis omnibus insinuavit. Cumque excommunicatus Athanasius pro absolutione non semel institisset, Pontifex ab eo sæpius delusus, nullam ipsi fidem adhibendam esse putavit, nisi primum Saracenis ab ipso necatis, vel captis, pœnitentiæ certa signa dedisset. Quod ut illi constaret, Marinum Episcopum cum epistola 294. ad eumdem Athanasium scripta hujus rei causa oblegavit. Vide Baronium anno 881. num. 1. & seqq.

Athanasii Neapolit. lapsus.

D

Princeps Athanasius pluries petens ab excommunicatione absolutionem, non exauditur.

Concilium Coloniense celebratum anno Domini 887. tempore Stephani VI. dicti V.

E

ANno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 887. in Ecclesia B. Petri Apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Aprilis, convenerunt in urbe Agrippinensi unà cum consensu gloriosissimi Imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luidberti Archiepiscopi, Vilibertus humilis ejusdem præfatæ urbis Archiepiscopus, Franco Tugrensis sedis Episcopus, Odibaldus Trajectensis sedis Episcopus, Vulfelinus Mirragarna Furdensis Ecclesiæ Episcopus, Druogo Mimidonensis Ecclesiæ Episcopus, cum consensu venerabilis Rimberti Episcopi: præsentibus etiam bonæ devotionis Abbatibus. Nevolongo Indensis Monasterii Abbate, Andulfo Vverdinensis Monasterii, Folcario Aquisgrani palatii Abbate, cum præfatarum sedium presbyteris, & Dia-

& Diaconibus, & laicis quibuſdam religioſis, celebrata ſynodo, ea, quæ ſubjecta ſunt, divini amoris inſtinctu de negotiis Eccleſiaſticis promulgaverunt.

1. Quod clerus Mimidonenſis Eccleſiæ presbyterum nomine Drogonem vocatum, Epiſcopum unanimi conſenſu ad Epiſcopalem promoveri ordinem petierunt: quorum petitioni effectum præbentes, ad paſtorale eum promovimus officium.

2. Quod Franco venerabilis Tungrenſis ſedis Epiſcopus, cura paſtorali permotus, & divini amoris zelo ſuccenſus, ſuggeſſit ſanctam Dei Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, à ſchiſmaticis, & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occurſum, neque divina, humanave lege à malo coercentur, ſed ad omne malum præcipites feruntur, graviter vexari. Cujus ſuggeſtioni valde condolentes, illiuſque zelo ſecundum Canonicæ inſtitutionis decreta compatientes, decrevimus, eos, qui tàm pertinaci ſtimulo irretiti ſunt, ut ea mala ſanctæ matri Eccleſiæ inferrent, aut ſtatuto tempore pia conſideratione illorum ſaluti conſulentes, videlicet in feſtivitate S. Joannis, octavo Kalendas Julii * in foro Julii, quando iterum, Deo annuente, ſynodus celebranda erit, pœnitentiæ, & emendationi ſecundum priſcorum ſtatuta Patrum ſe ſummittant: aut ſi inſtigante diabolo, cujus inſtinctu ad tàm nefandum pervenerunt flagitium, hoc contempſerint, perpetuo, & irrevocabili eos anathemate feriendos eſſe denunciamus. Eos verò, qui crebra admonitione, & diuturna conventi ſunt, ut reſipiſcerent, & ad pœnitentiæ remedia confugerent, more tamen canum ad vomitum rapacitatis abſque Dei reſpectu reverſi ſunt, ſtatuimus, ſine dilatione gladio anathematis eſſe puniendos.

** Locus obſcurus.*

3. Hæc ita ſtatuimus, quoniam neceſſe eſt, non tranſgredi terminos Patrum, ſed magis aſſenſum præbere diffinitioni eorum. In decretis namque Anacleti Papæ, capite ſecundo legimus, quod omnis oppreſſus liberum ſacerdotum (ſi voluerit) appellet judicium, & à nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur, & liberetur. Ex concilio Toletano quarto, capite 32. Epiſcopi in protegendis populis, ac defendendis impoſitam ſibi à Deo curam non ambigant. Ideoque dum conſpiciunt judices, ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, ſacerdotali eos commonitione redarguant. Item ex Concilio * Toletano primo: Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religioſum expoliaverit, & mandaverit eum ad ſe venire Epiſcopus, ut audiatur, & contempſerit, mox invicem ſcripta percurrant per omnes provinciæ Epiſcopos, & quoſcunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur ipſe, donec audiat, & reddat aliena. Talium enim ſcelerum patratoribus, ſicut in capitularibus glorioſiſſimorum Imperatorum Caroli, & Ludovici continetur, niſi poſt puram & publicam pœnitentiam, & per Eccleſiæ ſatisfactionem, & per impoſitionem manus Epiſcoporum, nec vivis, nec mortuis communicare debemus.

In 1. decr. Et 2. qu. 6. Omnis oppreſ. Conc. Toletano 4. cap. 31.

** Cap. 11.*

4. Ut nullus laicus, quamvis religioſus, præſumat aliquid de rebus Deo dicatis, vel Eccleſiæ facultatibus: ideſt, nec dandi Baſilicas, nec auferendi ſine conſenſu Epiſcopi habeat poteſtatem: neque ex dote Eccleſiæ, ideſt, ex uno manſo, & quatuor mancipiis cenſus exigatur, ſed juxta Concilium Aurelianenſe 1. cap. 19. Omnes Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundum priorum canonum regulam, ut in ejus ordinatione, & poteſtate perſiſtant, in cujus territorio poſitæ ſunt. Si quis verò contra hæc venire præſumpſerit, anathemate feriatur.

5. Omnibus conſtat manifeſtum fore, nos nil temeritatis, neque novitatis in hac ſynodo, ubi in Jeſu nomine, qui eſt ſalus omnium, congregati ſumus, ſtatuiſſe, ſed cauſa veſtræ ſalutis divino admoniti inſtinctu ferventes, imo paſtorali cura præmoniti, vobiſmetipſis conſulentes ſecundum divinæ inſtitutionis normam, & juxta nobis à Deo datam ſapientiam, piè, & juſtè vivere unumquemque admonemus quatenus Deo reddentes, quæ Dei ſunt, & vos nobis (prout oportet) auxilium ferentes, noſque vobis ſecundum Apoſtolum ſpiritualia ſeminantes, ad vitam pariter perveniamus æternam.

6. De inceſtis autem conjunctionibus, unde multimodis fines regionis noſtræ circumquaque, inſtigante diabolo, polluuntur, ſecundum Agathenſe Concilium, c. 61. nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Ex Concilio Ilerdenſi, c. 4. De his, qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis contubernio perſeverent, uſque ad Miſſam tantum catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet. Quod ſi conventi fuerint, & ad pœnitentiæ remedia convolaverint, ſeque ſacramento conſtrinxerint, ulterius tàm nefanda, & prorſus abominanda pollutione non eſſe polluendos. Hi tamen, ſi iterum ad recidiva malitiæ, & vitæ priſtinæ ſordes relapſi fuerint, ab Epiſcopo civitatis comprehenſi, ſicut in Concilio Toletano c. 7. reperitur, in cujus territorio ſunt, rurſum legibus pœnitentiæ in Monaſteriis ſubdantur inviti. Quibus ſi facere per aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit, tunc ſicuti priſcorum canonum ſtatuerunt decreta, quouſque iterum reſipuerint, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur: ſed & hi qui poſt excommunicationem, vel interdictum, cum eis communicaverint. De virginibus autem ſacratis in Concilio Eliberitano, c. 13. ſcriptum eſt: Si mœchaverint virgines, quæ ſe Deo dedicaverunt, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem ſervierint libidini, non intelligentes, quid amiſerint, placuit, nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quod ſi ſemel perſuaſæ ad infirmi corporis vitia lapſæ, toto tempore vitæ ſuæ ejuſmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abſtineant ſe à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere. Ex Concilio Chalcedonenſi, cap. 16. Virginem, quæ ſe Domino Deo conſecravit, non licere nuptialia jura contrahere. Quod ſi hoc inventa fuerit perpetrans, excommunicetur. Confitenti autem decrevimus, ut habeat authoritatem ejuſdem loci Epiſcopus, miſericordiam, humanitatemque largiri.

Concil. Moguntiacenſe ſecundum tempore Arnulphi Imperatoris, anno Domini 888. tempore Stephani Papæ VI. dicti V.

Prælocutio Synodi Moguntiacenſis.

FRatres, noſſe, & animadvertere ſanctitatis veſtræ prudentiam oportet, quia omnipotentis Dei nutu omnia providentis, & ſecundum interni conſilii ſui judicium cuncta diſpenſantis, hic congregati ſumus. Cujus conventus cauſam perpendere, & diligenti ſollicitudine conſiderare debemus. Omnipotens namque Deus occulto diſpenſationis ſuæ examine rectores, pariterque Paſtores Eccleſiæ ſuæ præfecit, quam ſibi ſuo ſanguine acquiſivit, mundans eam lavacro aquæ in verbo: quæ quod malis oppreſſa, quod ventis tribulationum illiſa, plus jam in noſtris tribulationibus videmus, quàm in codicibus legimus. Tamen quia cauſa illius, noſtrique inſuper officii cura convenimus, tractare, & conſiderare nos condecet, qua ex cauſa, cujuſve peccato talia nobis acciderunt, qualia hactenus paſſi ſumus, & quotidiè ſine ceſſatione patimur. Cujus conſiderationis vim recolentes, nos peccaſſe, noſq; reos eſſe ſecundum Prophetæ exemplum profiteamur. Non enim tanta vis tribulationum, neque tot tempeſtatum impetus Eccleſiam Dei impeterent, ſi juxta alterius Prophetæ dictum, aſcenderemus ex adverſo, & opponeremus nos murum pro domo Iſrael, ut ſtaremus in prælio in die Domini. Ideoq; chariſſimi, & reverendiſſimi fratres, aſcendat unuſquiſque noſtrum tribunal cordis ſui, & quid his agendum, qualiterve conſulendum ſit,

sit, divina instigante gratia, communi consensu, & concordi charitatis affectu decernamus, & secundum divinæ institutionis normam perscrutemur. Mirum quippe non est (quia omnes in communi peccavimus) talia nobis contigisse. Sed quia nos, qui cæteris ferre ducatum debuimus, nostri officii curam postponentes ad exteriora dilapsi sumus, specialiter nos hæc causa petit, reosque fore notat, quorum inertia nobis per abrupta gradientibus, omnis grex, divinitus nobis commissus, præcipitio patuit. Qua de re humiliter, ac devotè præveniamus faciem ejus in confessione, mundantes nos secundum Apostolicum dictum, ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Patet namque, quia juxta veridicæ rationis assertionem, *Cæcus cæco ducatum præstans, ambo in foveam cadunt*. Quo enim animo, quave fronte divinam pietatem pro peccatis populi nobis commissi evocare poterimus, quos funibus peccatorum constat fore irretitos? Ecce labentibus tot annorum curriculis, nunquam nec generali, nec etiam Provinciali synodo coadunati sumus, ut aliquid dignum, necessariumve Ecclesiæ, cui annuente Deo præsumus, mutuis collationum sermonibus conferremus. Sed quia nunc auxiliante Domino, & imperante serenissimo Seniore nostro Arnulpho Rege convenimus, divinam simpliciter imploremus misericordiam, quatenus ea præveniente, & subsequente, conventum, & actionem istius synodi sibi acceptabilem facere dignetur, & Christiano proficientem populo ad salutem, & vitam perpetuam, nobisque ad æternæ remunerationis felicitatem, & gloriam. His verò breviter prælibatis, ponamus ante oculos adhuc peccatorum nostrorum vulnera, & congrua eis quæramus medicamina. Lugeamus ergo secundum Prophetam, & quæramus capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem lachrymarum, ut plangamus interfectos filiæ populi nostri. Quis enim siccis oculorum luminibus valeat enumerare mala gentis nostræ, & Sanctorum? Videte, & considerate, quàm præclara, & nobilia servorum Dei ædificia destructa, & incensa sint, & funditus ad nihilum redacta. Altaria defossa, & penitus conculcata: ornamenta Ecclesiarum Dei valdè preciosa, & mirifica, direpta, & igni exusta. Episcopi, & Sacerdotes, & cæteri ordinis Ecclesiæ viri, gladio truncati, & diversis pœnarum generibus morti addicti. Omnis ætas utriusque sexus, gladio, & igne, diverso mortium genere consumpti. Quid ergo amplius his dici possit? Omnia desiderabilia, & preciosa nobis ablata sunt, veluti olim sub comminatione, & eversione Judaici templi illis dictum est: *Ecce ego tollam à vobis desiderabile oculorum vestrorum, super quo pavet anima vestra*. Multi ergo nostrum, quibus hoc malum contigit, nobilium ædificio templorum, gregique sibi commisso metuebant, quæ omnia, ut oculis intuentium patent, ablata sunt, & penitus subversa. Cujus subversionis periculum incolæ Monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc, illucque vagantur incerti, penitusque omni solatio destituti, quid agendum, quove declinandum, errabundi cum periculo suæ professionis, & sine Pastore, ignorant. Sed his interea malis amaricati, & penè usque ad mortem afflicti, aliud è vicino malum nos coangustat, & opprimit. Quod quanto vicinius, tanto gravius, nobisque, qui Pastores dicimur, periculosius. Ecce enim è latere turba raptorum, & schismaticorum sævit, qui pauperes, & humiles Christi opprimunt, & interimunt, neque Dei respectum habentes, neque ullam hominis personam verentes. Ab his namque, si deesset paganorum sævitia, redigeretur in solitudinem terra: quia nec sexui, nec ætati, nec paupertati parcere sciunt: sed omnes, quos possunt, absque Dei respectu, & misericordia despoliant, & crudeliter, sui immemores, aut igni, aut gladio, aut quocunque mortis genere interimunt, hocque nihil putant, & parvipendunt. Nec etiam pœnitentiæ colla submittere volunt. Quibus omnibus circumsepti malis, illius Apostoli non immemores sumus sententiæ, qua ait: *Foris pugnæ, intus timores*. Unde quia Dei providentia hoc spacium nobis concessum est, quo mutuis frueremur aspectibus, & alternis relevaremur collationibus, quid de his, & cæteris rebus emendatione dignis agendum sit, decernere studeamus.

Tituli Capitulorum Concilii Moguntiacensis.

1 *Tituli duorum priorum, & duorum posteriorum capitum desiderantur.*
3 *Quid sit propriè ministerium Regis.*
4 *Ut Ecclesiæ cum rebus ipsius ad ordinationem Episcopi pertineant, præcipitur.*
5 *Ne Presbyteri sine consensu Episcoporum per Ecclesias constituantur, vel ab eis rejiciantur.*
6. *Ut nullus Ecclesiasticas res invadere præsumat.*
7 *De varia vexatione Sacerdotum.*
8 *Titulus octavi desideratur.*
10 *De mulieribus, in domo clericorum simul cum clericis non debere habitare.*
11 *Ne invadantur prædia.*
12 *Quot testibus clerici convinci debeant.*
13 *De decimis ab antiquis Ecclesiis non subtrahendis; & ut antiquæ Ecclesiæ honorem suum habeant.*
14 *Quod nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare.*
15 *Item de eodem.*
16 *De his, qui Sacerdotem spontè occiderint.*
17 *De decimis dandis.*
18 *De quodam Altmano, qui sibi commatrem spiritualem in conjugium habebat sociatam.*
19 *De Presbyteris, qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.*
20 *De precariis injustè, & irrationabiliter factis, easque cum vi, & sine nostræ voluntatis consensu habere volunt, sicut in Rhemensi Concilio statutum est, cap. 37.*
21 *De his, qui in Ecclesiis, seu atriis Ecclesiæ rixas moverint, & mutuo inter sese confligunt. Ex Concilio Moguntiacensi tempore Caroli, cap. 40.*
22 *De his, qui decimas suas dare nolunt, & injustè subtrahunt, ita ut quicunque, aut eo amplius aratra habuerint, juxta æstimationem unius aratri persolvant: & qui hæreditatem Ecclesiæ nostræ vendicant: & de servis, qui decimas, dominis consentientibus, dare nolunt.*
23 *De viris, & fœminis, si adulterii reatu, sive alicujus flagitii crimine accusati fuerint, qualiter expurgari debeant.*
24 *De pace fruenda.*

CAPITULA IN MOGUNTIACENSI Concilio facta, Arnulphi Regis Anno I.

ANno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 888. anno etiam primo Regni Domini Arnulphi gloriosissimi regis, hæc capitula apud Moguntiam civitatem, à Luitberto ejusdem civitatis Archiepiscopo, necnon & à Vviliberto sacræ sedis Coloniensis, seu etiam Ratbodo Trevirensis Ecclesiæ, venerabilibus Archiepiscopis, cum suis Suffraganeis, cæteraque non modica multitudine Abbatum scilicet, & aliorum sacerdotum, tenenda, observanda, ac firmiter habenda, constituta sunt.

1. Statuimus, ut oratio ab omnibus nobis tàm pro glorioso rege Arnulpho, seu etiam & pro gloriosa conjuge sua, necnon & pro statu totius Christianitatis, prout nos debitores esse cognoscimus, in Ecclesiis nostris assiduè celebretur.

2. Ut annuntietur glorioso regi nostro Domino Arnulpho, quid sit rex, quidve vocari debeat. Rex, à rectè regendo vocatur. Si enim piè, & justè, & misericorditer regit, merito rex appellatur: si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. Antiqui autem omnes reges tyrannos vocabant. Sed postea piè, & justè, & misericorditer regentes, regis nomen adepti: impiè verò, inju-

injustè, crudeliterque principantibus, non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Quia rex à regendo dicitur, primo ei studendum est, ut semetipsum, suamque domum, Christi adjuvante gratia, ab operibus nequam emaculet, bonisque operibus exuberare faciat, ut ab ea cæteri bonum exemplum semper capiant. Ipse etiam salutiferis Christi præceptis fideliter, atque obedienter obsecundet, & rectè agendo eos, quibus temporaliter imperat, in pace, & concordia, atque charitate, cæterorumque bonorum operum exhibitione, quantum sibi divinitus datur, consistere faciat, & dictis, atque exemplis ad opus pietatis, & justitiæ, & misericordiæ solerter excitet: attendens, quod pro his Deo rationem redditurus sit, quatenus ita agendo Sanctorum regum, qui Deo syncere serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur.

Rex qualis esse debet.

Deut. 17.

B De rege autem qualis esse debeat, ita in Deuteronomio legitur: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et post pauca: *Non habebit uxores plurimas, quæ illiciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec extollatur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque* C *declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.* Attende, quod timor Dei, custodia præceptorum ejus, & humilitas, quæ non patitur eum extolli super fratres suos, & justitiæ rectitudo non solùm regem, sed & filios ejus longo faciet regnare tempore. Ut ergo princeps extollentiam cavere debeat, Ecclesiasticus admonens ait: *Principem te constituerunt, noli extolli; sed esto in illis, quasi unus ex illis.* In Proverbiis: *Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Item, *Misericordia, & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus.* Isidorus: Qui rectè utitur potestate regni, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet: proponens sibi D exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter se dejiciens, dicit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Deum, qui elegit me.* Fulgentius in libro de Veritate prædestinationis, & gratiæ: Clementissimus quoque Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: sed si Imperiali culmine rectâ fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat: si magis in timore Deo servire, quàm in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum, quàm metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat: si justitiam sic teneat, ut misericordiam non derelinquat: si præ omnibus ita se sanctæ Matris Ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci, atq; tranquillitati per E universum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur, ac propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

Ibidem.

Eccl. 32.

Prov. 29.

Prov. 20.

1. Reg. 6.

3. Regale ministerium specialiter est, populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & justitia, & ut pacem, & concordiam habeat, studere. Ipse enim primo debet defensor esse Ecclesiarum, & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipsius enim terror, & studium hujuscemodi, inquantum possibile est, esse debet primo, ut nulla injustitia fiat, deinde, si evenerit, A ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi, sive audaciam malè agendi cuiquam relinquat. Sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quippiam mali, quod admiserint, nequaquam incorrectum, aut inultum remanebit: sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat, & perquirat, ne in judicio aliquis à veritate, & æquitate declinet. Scire etiã debet, quod causa, quã juxta ministeriũ sibi commissum administrat, non hominum, sed Dei causa existit: cui pro ministerio, quod suscepit, in die tremẽdi examinis rationem redditurus est. Et ideo oportet, ut ipse, qui judex est judicũ, causas pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne fortè qui ab eo constituti sunt, & vices B ejus agere debent in populo, injustè, aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Plura igitur sunt ex auctoritate sanctarum scripturarum de ministerio regis, quæ scribere potuimus: sed ne onerosa glorioso Principi nostro hæc admonitio nostra existat, hæc perpauca scripta sufficiant.

4. Multi contra canonum constituta, sic Ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur. Sed & omnia, secundum constitutionem antiquam, ad Episcopi ordinationem, & potestatem pertineant.

Tol... 3. ... in d... q. ... quid...

5. Quicunque Presbyter per pretium Ecclesiã fuerit adeptus, omnimodis deponatur: quoniam contra Ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, & qui alium Presbyterum legitimè ad Ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit. Quod vitium latè diffusum summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia, & consensu Episcopi sui.

Tur... tem... Caro... 15.

6. Ne cui liceat, res, vel facultates Ecclesiis, aut Monasteriis, vel Xenodochiis pro quacunque Eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod quisquis fecerit, tanquam necator pauperum antiquorum canonum sententiis constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, donec ab ipso, quæ sunt ablata, vel retenta, reddantur. Ex eodem Concilio, cap. eodem: Si quis quolibet tempore cujuslibet potestatis, aut ordinis persona contra institutionem S. Concilii venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate Xenodochiorum, vel Ecclesiarum abstulerit (quod Deus avertat) ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

7. Relatum est sanctæ Synodo, quod à malis Christianis plurimæ vexationes Sacerdotibus Christi, seu cæteris clericis inferioris gradus sæpissimè inferantur. Unde visum est S. Concilio, ne ut antea talia existant, jaculo spirituali eos percutere: ut si quis clerico aliquam injuriam, seu calumniam ingesserit, à liminibus sanctæ Ecclesiæ arceatur usque ad condignam satisfactionem.

8. Ad aures sanctæ Synodi Arno Vvirziburgensis Ecclesiæ se reclamavit, quod quidam scelesti quendam honorabilem Presbyterum suum comprehendissent, eique nares abscidissent, & capillos capitis incidissent, necnon & sævis verberibus cruciatum, semivivum reliquerant. Unde tanto scelere inaudito peracto, sancta Synodus visceribus misericordiæ erga eũdem commota statuit communi consensu, ut iidem temerarii, Deique contemptores, qui tale scelus ausi sunt perpetrare, anathematis vinculo constringantur, quousque à proprio Episcopo post dignam pœnitentiam absoluti, sanctæ Matri Ecclesiæ sociari mereantur: nullusque cum eis in aliquo communicet, nisi in hoc, ut eos dignam satisfactionem peragere hortetur. Si quis autem post hanc sententiam à nobis prolatam, sciens cum eis communicaverit, uno, eodemque mucrone cum ipsis sciat se à nobis esse percussum.

9. Mis-

9. Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, ut sicubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum à Northmannis, seu alio qualicunque modo) Ecclesiæ fuerint incensæ, in capellis Missas interim liceat celebrare, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, ubi sub dio, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solemnia celebrari permittimus.

10. Ut clericis interdicatur, mulieres in domo sua habere, omnimodis decernimus. Quamvis etiam sacri canones quasdam personas feminarum simul cum clericis in una domo habitare permittant: tamen (quod multum dolendum est) sæpe audivimus, per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam feminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitus auferatur.

11. Attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilii perpetua deportatione feriatur: quoniam juxta Apostolum, oportet hujusmodi hominem tradere satanæ, *ut Spiritus salvus fiat in die Domini*.

12. Presbyter non adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolytus adversus Subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, det accusationem aliquam. Et non condemnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus, neque præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum*. Presbyter autem in cardine constitutus, non nisi in quadraginta duobus testibus damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, non nisi in viginti sex condemnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, non nisi, sicut scriptum est, in septem testibus condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores, & filios habentes.

13. Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec aliis possessionibus priventur; ita ut novis oratoriis tribuantur.

14. Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare: quia sicut ejus irrita erit ordinatio, ita & judicatio: quoniam censemus alterius nullum judicis, nisi sui, sententia teneri. Nam, qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potest.

15. Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius parochianum sine consensu, & voluntate sui Episcopi: oportet non sine increpatione in communi Concilio admitti, ita ut Ecclesiasticum ultra non solvat canonem.

16. Qui sacerdotem morti voluntariè tradidit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Jejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis, atque Dominicis. Arma non sumat, & ubicunque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut Missarum solemnia celebrantur, ante fores Basilicæ perseveret, orans, ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum verò quinquennii tempus ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet: vel, dum facultas conceditur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

17. Admonemus, atque præcipimus, ut decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit. Timendum est enim, quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Qui verò decimas post crebras admonitiones, & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur.

18. Perlatum est ad nos, quod quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem, ex parochia Arnonis Episcopi scelesto conjugio associasset. Sed postea per sacramenta ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quem, quia tale scelus perpetratum ab eo audivimus, secundum constitutionem sancti Gregorii Papæ, gladio spirituali percutimus, eumque anathematis vinculo innodamus.

19. Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Item in Concilio Carthaginensi cap. 33. scriptum est: Aurelius Episcopus dixit: Audivimus, fratres charissimi, præterea cum de quorumdam Clericorum, quamvis lectorum, erga uxores proprias incontinentia referatur, placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, quia sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi secundum priorum statuta, etiam ab uxoribus se abstineant, ut tanquam non habentes esse videantur. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.

Neocæsar. Conc. c. 1. Et in dec. d. 28. Presbyt.

20. Si quilibet hominum res Ecclesiæ per mendacia, & mala ingenia in precariam sibi acquirere voluerit, & post factas precarias, eadem mendacia ad aures ejusdem Ecclesiæ rectoris delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas, quæ & mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille verò, qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat jurisdictionem.

Rhemense Conc. tempore Caroli c. 37.

21. Præcipimus, ut in Ecclesiis, sive atriis Ecclesiarum, vel domibus, placita sæcularia minimè fiant: quanto minus rixæ, & contentiones? Item cap. 39. De honore Ecclesiarum, & his, qui ad Ecclesias confugiunt, & quod Ecclesia cum magna reverentia adeunda sit, sicut in capitulari Dominico continetur, & in Moguntiacensi, & Turonensi, ac Arelatensi tempore gloriosi Imperatoris Caroli conventibus decretum est.

Turonens. temp. Car. c. 39.

22. Scriptum est, ut unusquisque de propriis laboribus suis decimas, & primitias Deo offerat, sicut scriptum est: *Decimas, & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo*. Ubi nec liber, nec servus excipitur, quia omnes unum sumus in Christo, apud quem nulla habetur personarum acceptio. Item in Concilio Arelatensi, cap. 20. Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla alia possessione priventur.

Arelatens. Conc. Tēp. Car. c. 9. Exod. 22.

23. Nam multi sunt, qui secundum humanas leges, divina spernentes judicia testes, ac conjuratores sibimet producere volunt. Quos minimè admittentes, sicut unum confitemur Deum, unam fidem, unum baptisma, ita etiam una per totum mundum Ecclesia uniformiter pari lege, & simili religione excolenda est. Itaque decernimus, ut juxta divinæ legis sanctionem, & secundum ipsius sedem civitatis, qua ratio ventilatur, unaquæque gens, & cuncta adjacens parochia subjaceat, ita ut authoritate Episcopi, aut judicii examine, aut sacramenti protestatione se expurget. Et non mi-

nus, quàm quatuordecim annos ætatis habeat, qui ad testimonium admittendus est secundum censuram canonicæ institutionis, sicut in Africano Concilio cap. 98. scriptum est: Testes ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

Arelatens. Conc temp. Car c.12. 24. Decrevimus etiam, ut pacis bonum, & concordiæ, ab omnibus indiruptè teneatur. Quia si inter omnes fideles, ut in Capitularibus Domini Caroli legitur, pax, & concordia habenda est, dicente Apostolo: *Pacem sequimini, & sanctitatem, sine qua nemo videbit Deum*: multo magis inter Episcopos, & Comites esse debet, qui post Imperialis apicis dignitatem, populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solùm non noceant, quin potius adminiculo sint. Comitibus quippe, *Cap. 33.* & judicibus, reliquoque populo expedit, ut * in Turonensi Concilio legimus, temporibus præfati principis acto, ut suis sint Episcopis consentientes, & obedientes propter Dei amorem, & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter verò & Episcopi prædictas personas similiter suscipiant, honorificèque erga eos in omnibus agant, & sic sese mutuis studeant sublevare consolationibus.

25. De monasteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ Clericis, sive laicis beneficii jure donata sunt, placuit, ut tales eis præficiant provisores, & præpositos, sicut in Cabilonensi Concilio scriptum est, qui & præesse noverint, & prodesse, & qui ad Episcopum recurrant, & secundum ejus ordinationem ad conventum Synodi occurrant, & commissum sibi gregem canonicè, & cum magna religione custodiant quasi rationem de animabus eorum redditur i.

26. De viduis præcipimus, ut nequaquam citò velentur, sed in potestate earum maneat, consentiente Episcopo, utrum nubant, an professionem castitatis assumant, usque dum probetur earum conversatio: ne fortè de eisdem dici possit, quod ab Apostolo dicitur: *1.Tim.5.* *Quæ autem in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt.* Si autem propositum castitatis assumpserint, aut monasterii claustris regulariter constringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrimè custodiant. Quod si à proposito deviaverint, canonicæ institutionis censura corrigantur. Quod & de virginibus, si mœchatæ fuerint, statuimus, sicut in Concilio *27.q.1.Virgines, quæ se.* Eliberitano cap. 13. scriptum est: Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes, quid amiserint, placuit, nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, toto tempore vitæ suæ ejusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, placuit eas in fine communionem accipere debere.

Concilium Metense, ad reformandos mores fidelium congregatum, tempore Arnulphi Regis, sub Stephano quinto Papa, anno Domini 888.

RAtbodus Episcopus Trevirensis huic Synodo, & præcedenti Moguntinæ interfuit, & propter Northmannorum incursiones tempore Arnulphi Regis celebratum esse, constat ex cap. 1. & ult.

In primo Capite est tantùm hortatio ad emendationem vitæ, & ad pacem obtinendam, cùm per Northmannos omnia vastarentur.

In secundo, Ut unus Presbyter unam tantùm Ecclesiam habeat.

In tertio, Ut Sacerdotes libros, & vestimenta Sacerdotalia suo Episcopo in proxima Synodo ostendant, & ut Chrisma suum sub sigillo, & cera semper custodiant, &c.

A In quarto, Ut Christiani cum Judæis cibum non sumant.

In quinto, Ut Basilicæ à Chorepiscopis consecratæ, ab Episcopis consecrentur.

In sexto, ut velamina duabus Sanctimonialibus ejectis propter crimina restituantur, & intra Monasterium in ergastulo ponerentur, parvò pane, & aqua brevi, cum abundantia divini verbi usque ad satisfactionem fruerentur.

In septimo, de aliquibus conjugiis non ineundis.

In octavo, de mortuis in excommunicatione, de quibus S.Leo sic decrevit: *Horum causa judicio Dei est servanda, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur: nos autem, quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non possumus.* Epist. ad Rust. Narbon. cap. 7.

B Ampliora exemplaria hujus Concilii nactus est Sirmondus tom. 3. Concil. Galliæ. Cujus refert tredecim Canones, & alio ordine.

In decimo refert excommunicatam fuisse quamdam, Avam nomine, quæ maritum dimiserat, ac Presbyterum suum Folcardum, quod reditum ei suaderet, fecerat evitare, & castrari, nolebatque ad Synodum vocata venire.

In undecimo refert excommunicatum quemdam Theodericum, qui quamdam viduam fugiendo prostratam super corpus S. Eventii rapuit, & de Monasterio traxit, & in uxorem sibi eam taliter sociavit. Item quemdam Lautbertum, qui, interfecto suo consanguineo, duxerat ejus uxorem, adhucque retinebat.

C *Concilium Vvormaciense, in causa Hermanni Coloniensis, & Adelgarii Hamburgensis Episcopor. de Bremensi Ecclesia contendentium, celebratum circa ann. Dom. 890. tempore Stephani Papæ IV.*

DE hac Synodo in libello de vitis Pontific. quem sub titulo Luitprandi jam recens in lucem emisit Nicolaus Serarius in vita Stephani IV. ista describuntur: *Hic Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adelgarium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi Ecclesia contendentes, Vvormatium ad Synodum venire jussit, ubi Fulconi Rhemensi Episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandavit.* Adelgarius & suam querimoniam direxerat, & postmodum per semetipsum D accesserat, proclamans, ab Hermanno Ecclesiæ suæ privilegia violari. Sed, quoniam Adelgario veniente, Hermannus defuit, tantæ liti finem imponere Papa distulit, ne quidpiam præponere judicare videretur, unde rediviva contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca injungit hanc Præsuli nostro sua ipsius Papæ vice Synodum convocare apud Vvangionem civitatem cum vicinis Suffraganeis, limitaneisque Episcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ Coloniæ, & Senderoldum Moguntinum cum suis Suffraganeis, necnon & eumdem Adelgarium occurrere jusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. Hæc Frodoardus lib. 4. cap. 1.

E *Concilium Rhemense, quo Carolus Simplex, filius Ludovici Balbi, Francorum regni legitimus successor, à Fulcone Rhemensi Episcopo, Odone Comite, qui tyrannicè Regnum invaserat, rejecto, Rex Francorum ungitur, anno Domini 802. tempore Formosi Papæ.*

CUm Odo Comes Parisiensis titulum Regni Franciæ ab obitu Caroli Crassi Imperatoris, qui, teste Reginone, anno Domini 888. ex hac vita migravit, hucusque tyrannicè usurpasset, Regiaque potestate abusus esset, neque ante hæc tempora Carolus Simplex hæres unicus Regni hæreditarii superstes, per ætatem ad clavum Imperii tenendum satis aptus fuisset,

set, jussu Fulconis convenerunt Episcopi, & Proceres A Regni, atque unanimi consensu definiverunt, Regnum Galliæ hactenus per successionem ad proximos heredes agnatos devolutum fuisse: ideoque non alii, quàm Carolo Simplici, filio Ludovici Balbi, de jure, & consuetudine antiquissima deberi. Post exauctoratum ergo Odonem Parisiensem Comitem, Carolum Fulconi inungendum tradiderunt. Cumque hac de causa Fulco Arnulphum contra se valdè commotum esse intellexisset, scribens ad eum litteras (quas summatim recenset Frodoardus hujus temporis Scriptor probatissimus) causam rejecti Odonis, & electi Caroli Simplicis, & alia, quæ supra recensita sunt, commemorat. Vide Binium hic.

Concilium Romanum ob graves perturbationes, quibus affligebatur Dei Ecclesia, celebratum Kalendis Martii, Indictione 11. *anno Dom.* 839. *tempore Formosi Papæ.* B

Rerum in hac Synodo gestarum nihil aliud superesse videtur, nisi quod Frodoardus scribit lib. 4. cap. 2. ubi Epistolam Formosi de hac Synodo congreganda ad Fulconem transmissam summatim recenset his verbis: *Cui Fulconi rescribens idem Papa Formosus, monet eum compati debere Romanæ Ecclesiæ, atque imminenti ejus subvenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adjungens, hæreses undique, ac schismata pullulare, nec, qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitque, longo retroacto tempore, perniciosas hæreses Orientem* C *confundere, & Constantinopolitanam Ecclesiam nociva schismata perturbare, simul etiam regionis Africanæ Legatos insistere responsa petentes pro dudum exorto inter Episcopos ipsarum Provinciarum schismate. Diversarum quoque partium Legationes diversa responsa petentes instare. Cujus rei gratia Generalem Synodum die Kalendarum Martiarum indictionis undecimæ se inchoare disposuisse, ad quam eumdem, remota omni dilatione, admonet festinare, ut colloquendo largius de his valeant pertractare, & affluentius ad consulta singula respondere. Northmannicæ gentis procellis, quibus asserebat se perturbari, plurimum dolere, & ut eos Excelsi dextera reprimat, Apostolorum Principum, suffragiis intervenientibus, implorare; litteras verò, quas significaverat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minimè perveniße. Miserat etiam alias pro hac eadem Synodo celebranda pridem hinc mense indictionis de-* D *cimæ; in quibus litteris fatetur, Italiam tunc semel, & secundo horrida bella perpessam, & pene consumptam. Orientalium verò partium se deflere vesanam hæresim in Christum Jesum blasphemiam continentem.* Hæc de Synodo Romana sub Formoso Frodoardus.

Concilium Triburiense pro reformanda disciplina Ecclesiastica celebratum anno Domini 895. *tempore Formosi Papæ, & Arnulphi Imperatoris.*

Triburiensis civitas est Magnæ Germaniæ, sita ultra Rhenum prope Maguntiam, quæ Germanica lingua hodie Tribur dicitur. Cujus tamen nec Plinius, nec Ptolomæus, nec Strabo, nec Anton. meminerunt, vix quidquam ejus superest. E

Celebratum est sub Imperatore Arnulpho, à viginti duobus Episcopis Germanorum, Triburiæ Concilium, anno Incarnationis Domini 895. tàm sancta sanè intentione, & diligentia ad resecandum omnem palmitem inutilem, ad extirpandam cujuslibet hæreseos radicem, ad tollendam schismaticis occasionem, ad corrigenda clericorum vitia, ad præcavenda populorum scandala, breviter ad reformandos mores, & status non modò Clericorum, sed & laicorum, ut Gratianus postea pleraque ejus capitula, diligenti studio recitaverit in volumine Decretorum.

TITULI CAPITULORUM
Concilii Triburiensis.

1 *Communis oratio pro concordia tàm cleri, quàm populi.*
2 *De quodam Presbytero excæcato, & de excommunicatis interrogatio Synodalis.*
3 *Responsio regis, & de excommunicatis sententia universalis.*
4 *De injuria, & contumelia, quod absit, Presbyterorum.*
5 *Quali pœnitentiæ subjacere debeat, qui Presbyterum voluntariè morti tradiderit.*
6 *De eo, qui, evaginato gladio, atrium Ecclesiæ intraverit.*
7 *De his, qui res Ecclesiæ sive interiores, sive exteriores rapiunt.*
8 *De his, qui contemnunt bannum ab Episcopis impositum.*
9 *De eo, si Episcopus Ecclesiasticum, & Comes sæculare placitum una die condixerint.*
10 *Ut Episcopus non deponatur, nisi à duodecim Episcopis, Presbyter à sex, Diaconus à tribus.*
11 *Si quis Clericus homicidium fecerit, ab ordine cessare debebit.*
12 *Ut præter Pascha, & Pentecosten, baptisma non celebretur, excepta necessitate periclitantium.*
13 *De decimis.*
14 *De decimis antiquarum, & noviter consecratarum Ecclesiarum.*
15 *De sepultura mortuorum.*
16 *Ut sepulturam morientium nemo vendat.*
17 *Ut nullus laicus in Ecclesia sepeliatur.*
18 *De vasculis, quibus mysteria sacra conficiuntur.*
19 *Ne in calice aut vinum solum, aut aqua sola offeratur.*
20 *De injuria clericorum.*
21 *De querimonia inter Presbyterum, & laicum.*
22 *De eo, si quis liber aliquo crimine infamatur.*
23 *De his, qui velatas Deo consecratas in conjugium duxerint.*
24 *De virgine ante duodecim annos velata, non consentiente patrono, sub cujus erat patrocinio.*
25 *De viduis velatis.*
26 *De monachis regulariter exeuntibus, sive fuga regularis disciplinæ elapsis.*
27 *De clericis, qui semel in clero deputati sunt.*
28 *Ut nullus Episcopus alterius ministrum Ecclesiasticum solicitet.*
29 *Ut nullum servum ante perfectam libertatem Episcopus ordinare præsumat.*
30 *De eo, si quis ab Apostolico falsam detulerit epistolam.*
31 *De furibus, & latronibus.*
32 *De Ecclesia à compluribus cohæredibus obsessa.*
33 *De claudis, & aliqua parte corporis minutis, si sacro ordine possint adjungi.*
34 *De eo, si quis in hoste contra paganos interficit captivos Christianos.*
35 *Ut nullus Comes, nullusque judex diebus festis, vel Dominicis, seu jejuniorum, aut quadragesimæ, placitum habere præsumat, & nullus pœnitens illo veniat.*
36 *De eo, si duo fratres simul arborem succiderint, & cadente arbore unus eorum interfectus fuerit.*
37 *De muliere, cujus infans aliquo casu propter negligentiam ejus moritur.*
38 *Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit.*
39 *Si quis alienam in matrimonium duxerit, habere debebit.*
40 *De eo, quod quidam uxorem alterius, vivente eo, con-*

constupravit: & insuper juramento confirmavit, eo moriente, conjugem eam accipere. A

41 *De eo, si quis duxerit uxorem, & concumbere non valens cum ea, fratrer ejus clam violaverit illam.*

42 *Si quis de uno in alium transmigrat Episcopatum, & consanguineam suam polluerit, vel aliquod crimen commiserit.*

43 *Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, &, eo nesciente, filius ejus, vel frater inscius violaverit illam.*

44 *Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater ejus ignarus duxerit illam uxorem.*

45 *Si quis cum duabus sororibus fuerit pollutus.*

46 *Si cujus uxor constuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam machinaverit.*

47 *Si quis spiritualem habet compatrem, cujus uxor commater non est, eo defuncto, ejus viduam licet ei ducere uxorem.* B

48 *De eo, si quis suæ spiritalis commatris filiam duxerit uxorem.*

49 *De his, qui in adulterio filios genuerunt, ut omnino separentur.*

50 *De eo, si quis aliquem per illusionem à recta fide subverterit, vel perdiderit, ut dupliciter puniatur.*

51 *De eo, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit.*

52 *De homicidiis non spontè commissis.*

53 *De eo, si quis filium suum non spontè, sed casu contingente occiderit.*

54 *De his, qui voluntariè homicidium fecerunt.* C

55 *De pœnitentia quadraginta dierum.*

56 *Post quadraginta dies pœnitentia primi anni.*

57 *Pœnitentia secundi, & tertii anni.*

58 *Pœnitentia quarti, quinti, sexti, & septimi anni.*

CAPITULA CONCILII. Triburiensis.

POst ingressum sancti, & Synodalis colloquii, è cœlis divinum implorabant auxilium, ut Deus omnipotens, qui, David canente, *inhabitare facit unanimes in domo, & dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ*, in domo sua, in sancta videlicet Ecclesia, clerum, & populum unanimes dignaretur cohibere, virtutem, & fortitudinem dare, ut in nullo diffiderent: quatenus rationabilia meditantes & dictis concordarent, & factis. D

2. Cùm hæc pro unitate tàm cleri, quàm populi tràctarentur, quidam Presbyter venit medius, à quodam laico excœcatus, ejusdem criminis, propter quod cœcus fuerat effectus, liberrimus, ut testatur Episcopus: in cujus sancta Synodo post excœcationem coram positus, securus est factus. Quapropter idem Episcopus præcepit, ut veniret laicus, & de tàm nefando scelere satisfactionem procuraret agere. Qui nequaquam consensit, sed communem Episcoporum Synodum appellavit. Perpendentes Episcopi lamentationem Hieremiæ impleri, aurum obscurari, lapides sanctuarii ab hostibus destrui, & iterum in membris suis Christum crucifigi, suspirantes, & compassibiliter ingemiscentes, vicariis pro se, & sancto clero transmissis, proclamantes, & pium Ecclesiarum defensorem appellantes, & consilium postulantes, quid statuere dignaretur pro talibus, & similibus, qui pro diversis erratibus, & certis criminibus sunt incorrigibiles, & justo anathemate mucrone Apostolici sermonis abscinduntur, quo ait: Tradite hujusmodi Satanæ in interitum carnis, *ut spiritus salvus sit in die Domini*. Et iterum: *Cum hujusmodi nec cibum sumere*. Sed tamen, indurante diabolo, quamvis excommunicentur, ad pœnitendum non emolliuntur, sed sicut scriptum est: *Impius, cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit*: profundum peccatorum intuentes, & in desperationem proruentes. Et erit novissimus error pejor priore. Mittentes E

1. Cor. 5.

Prov. 18.

etiam ei contra eos scripta instituta canonica, in canonibus sanctorum Apostolorum, cap. 11. Quod cum excommunicatis non sit orandum. In Nicæno magno Concilio cap. 5. Qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur. In Antiocheno S. Concilio, cap. 2. Ut si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, seu quilibet ex clero, communicare deprehensus fuerit cum excommunicatis, etiam iste communione privetur, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ. In Epistola Callixti Papæ: Ut nemo cum eis in oratiône aut cibo, vel potu, aut osculo communicet, nec Ave dicat.

3. Nos igitur, quibus regni cura, & solicitudo Ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum, & imperium jure Ecclesiastico regere, & gubernare non possumus, nisi hos, qui Ecclesiam Christi, *non habentem* (ut Apostolus ait) *maculam, neque rugam*, conturbant, zelo fidei persequamur, de quo rex David testatùr: *Nonne, qui oderunt te, Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Et cùm Euangelium legeretur, audivimus: *Si te non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus*. Et alibi: Qui percutit malos, in eo, quod mali sunt, minister Domini est. Idcircò non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, & authoritate nostra injungimus omnibus regni nostri Comitibus, postquam ab Episc. anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur, & ante nos perferantur: ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur. Unde per quemdam Sapientem dictum est: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Si enim tàm rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judicio Episcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia: & præcepto nostro, Vveregeldis nulla ab eis extorqueatur compositio. Constringanturque proximi, & eorum cognati cum juramento, ne in illis eos vindicent, sed pacem ad eos, & concordiam servent.

Eph[...]

Psa[...]

Mat[...]

Rom[...]

Pro[...]

Defe[...] pecu[...]

4. Si quis Presbyter, quod absit, quia Sacerdos altissimi Dei est, vulneratus, vel quibuslibet injuriis, & contumeliis dehonestatus, evaserit, & supervixerit, tota compositio persolvatur Presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit, pretium Vveregeldi tripartita partiatur divisione. Id est, altari, cui ordinatus fuerat, pars una: Episcopo, in cujus diœcesi erat, altera: tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si verò in atrio Ecclesiæ aliquid ex istis Presbytero factum fuerit supradicto modo, Presbytero, & pro Presbytero solvatur. Sed quia, ut Hilarius Papa omnibus Episcopis per diversas Provincias in Epistola sua scribit, injuria Sacerdotum, & Ecclesiarum, sacrilegium est: sacrilegium in atrio factum, altari, & Domino ejusdem loci persolvatur. Sacerdotes enim non sunt lacerandi, sed potius coronandi; quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica, & ministros ejus non derelinquas, & honorifica Sacerdotem*. Et Isidorus: His enim, sicut & Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est, præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in consecratione divini corporis, & sanguinis, consortes sunt Episcopis. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

Eccl[...]

5. Si quis Sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, secundum sententiam Apostolicorum, & nostrorum moderni temporis Sacerdotum, quinquennio plenissimæ castigationi pœnitentiæ substernatur, ita ut carnem non manducet, nec vinum bibat: jejunet autem usque ad vesperam, exceptis Dominicis, & diebus festis. Arma non portet, & ubicumque eat, pedibus incedat: Ecclesiam non intret, sed ante fores stet, orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto verò quinquen-

quennio, introducente Episcopo, ingrediatur Ecclesiam, nondum tamen communicans, sed intra audientes stans. Et aliud quinquennium indulgentius introeat indultum. Quo verò expleto, cùm decimi anni cursus fuerit finitus, gratia communicandi, & licentia concedatur ei equitandi. Maneat autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen.

6. Si quis temerarius atrium Ecclesiæ evaginato gladio præsumptuosè intraverit, sacrilegium facit. Et idcircò sacrilegium in atrio Domini factum, sacrilegii more, altari, & Domino persolvatur. Dominus dicit in Euangelio: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. [Matth. 26.] Idest, qui seipsos vice talionis per peccatum in præsenti ulcisci desiderant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur. Quanto magis is, qui sanctum atrium, quod Dominus sibi præ cæteris segregavit locis, suæ sanctæ Ecclesiæ ad honorem, polluit, & temerarius irruperit, gladio peccati, & iniquitatis suæ mortuus jacuerit? Quapropter opus est pœnitentia, ut resurgat ad vitam, qui gustavit mortem.

7. Quicunque timorem Domini postponentes, & Ecclesiastica judicia non verentes, res Ecclesiæ rapiunt, vel auferunt, ut in epistola Anacleti Papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo, qui Christi pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Unde tanta authoritate Apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus, & unanimes judicamus, ut res Ecclesiæ tripliciter componantur, insuper verò bannus Episcopalis exquiratur. Qui verò exteriores Ecclesiæ res rapiunt, vel fraudant, Comite agente, coerceantur, ut res ablatæ legitimè restituantur, & componantur. Si verò non procuraverint, vel non emendaverint, ab Episcopo canonicè constringantur, ut res restituantur.

8. Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab Episcopis superpositum. Sciat, & abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum. Si vobis Episcopis non obedierint omnes tàm majoris, quàm & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus, & linguæ: non solùm infames, sed etiam extorres à regno Dei, & consortio fidelium, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. Et audiant ipsum Dominum in Euangelio dicentem: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Quapropter nos Euangelicam, & Apostolicam considerantes authoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum statuimus, & confirmamus, ut si quis post hanc hujus S. Concilii diffinitionem inventus fuerit corrupisse bannum ab Episcopis impositum, 40. dierum castigatione corripiatur, tantùm in pane, sale, & aqua.

9. Cùm autem Episcopus Ecclesiam à Domino Deo sibi commissam regens, Episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonicè constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit, atque Comes eadem die, sciens placitum ab Episcopo condictum, vel nesciens, placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc venire præceperit, placitum Comitis omnes postponant, & Comes ipse, idemque populus post Episcopum festinè pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide Catholica invigilare, non cumulum pecuniarum, sed lucrum congregare animarum. Unde in eadem B. Clementis epistola: Vestrum, qui legatione Domini fungimini, est docere populos, eorum verò est, vobis obedire, ut Deo. Et in epistola Alexandri Papæ, successoris Evaristi: Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit: & sicut multis nocet, ita à multis est arguendus, & quia Dei causam impedit, & statum Ecclesiæ conturbat, ideò à liminibus ejus arceatur. Quapropter nullus Comes, nullusque judex, nullus omnino in clericatu, vel sæculari habitu constitutus, legationem Episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Ut autem unanimitas, & concordia sit inter Episc. & Comites, placuit ut si quis Episc. domi residens, Conventum populi esse voluerit, & Comes nihilominus ipsa, eademque die placitum esse dixerit, effectum obtineat, qui prior indicaverat, salva tamen dignitate, & potestate Episcopi.

10. Statutum est in hac sancta, & universali Synodo, ut nullus Episcopus deponatur, nisi à duodecim Episcopis, Presbyter à sex, Diaconus à tribus. In Concilio Carthaginensi, cap. 12. Felix Episcopus dixit: Si quis Episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare Episcopos, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur. Et Presbyter à sex, cum proprio suo Episcopo, & Diaconus à tribus Episcopis audiatur. Et in eodem Concilio c. 10. Ut Presbyter à sex, Diaconus à tribus discutiatur Episcopis. Reliquorum clericorum causas etiam solus Episcopus loci cognoscat, & definiat.

11. Si quis clericus, quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur. Legimus in canonibus Apostolorum, quod Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur. Quanto magis is, qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet, sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare. *Qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm percuteretur, non repercutiebat; cùm pro nobis pateretur, non comminabatur*. [1. Pet. 2.] Et ipse in Euangelio suo præcepit: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram*. [Matth. 5.] Non enim debemus occidere, cùm Dominus dicat: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. [Ibid.] Nec malum pro malo reddere, sed, sicut Apost. Romanis scribens ait: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. [Rom. 12.] Si quis clericorum præsens erit, ubi homicidium fuerit, & neque consensu, neque consilio, neque in aliquo homicidii reatu pollutus esse convincitur, nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat: non consecratus, si aliàs dignus sit, promotus accedat.

12. Sacrosanctum baptismi mysterium, sciant omnes in Christo regenerati, nonnisi præfixis, & legitimis in anno celebrari temporibus: cùm hoc sibi privilegium, ut in epistola Syricii Papæ legitur, cap. 2. & apud nos, & apud omnes Ecclesias, specialiter cum Pentecoste sua Dominicum Pascha defendit, in quo (ut legitur in epist. Leonis Papæ, cap. 9.) orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus, postquam resurrexit à mortuis, discipulis suis formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. De quo utique ante passionem potuisset eos instruere, nisi propriè voluisset demonstrare, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sanè huic observantiæ, etiam Pentecostes, ex adventu sancti Spiritus, sacra solemnitas, quæ de Paschali festi pendet articulo. Nam cùm ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem recurrit, qui resurrectione Domini est insignis, porrigens quodammodo manum auxiliantis gratiæ, & eos invitans, quos à die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, ut desiderii sui effectum dono sancti Spiritus consequantur. Ipse enim unigenitus Dei, qui in Pascha resurrexit, in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se, & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura. Unde utrique sit proprium, non dissimile esse festum, ubi unum est Sacramentum. Sicut tunc, ita & nunc, in remissionem peccatorum baptismi celebratur sacramentum: qui idem Spiritus sanctus, cujus hic celebramus adventum, est remissio omnium peccatorum.

torum. Trina namque in baptismate immersio, triduanam imitatur sepulturam. Et ab aquis elevatio, instar est resurgentis de sepulchro. Periculo quocumque modo præoccupatis, & desperatis, omni tempore subveniendum, & baptismi sacramentum est tribuendum: quia necessitas vix habet legem. Si enim valida infirmitate occupati, & desperati, ad Ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto, baptisma celebretur, & procuratione Presbyteri cautè observetur, & collocetur. Usque ad octavum namque diem ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.

13. De decimis Augustinus doctor mirabilis, sub brevi ratiuncula satis videtur dilucidasse, cùm ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret, Deus nempe: Meus es, ô homo, mea est terra, quam colis, mea semina, quæ spargis, mea animalia, quæ fatigas, meus est Solis ardor: & cùm omnia mea sint, tu, qui minus accommodas, solam decimam merebaris, sed servo tibi novem. Da mihi decimam. Si non dederis decimam, auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur, sciat, quod ideò dandæ sunt, ut hac devotione Deus placatus, largius præstet, quæ necessaria sunt: & ut ministri Ecclesiæ exinde relevati, liberiores fiant ad spiritalis servitii expletionem: & munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur: necnon secundum statuta canonum, in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes juxta canones judicamus de decimis, & oblationibus fidelium: ut una sit Episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum servetur, sicut in epist. Gelasii Papæ cap. 27. legitur.

14. Placuit huic sancto Concilio, ut secundum sanctiones canonum, decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conserventur Ecclesiis: sicut in Chalcedonensi sancto Concilio statutum est, cap. 17. Si quis autem in affinitate antiquæ Ecclesiæ novalia rura excoluerit, decima exinde debita, antiquæ reddatur Ecclesiæ. Si verò in qualibet sylva, vel deserto loco, ultra milliaria quatuor, aut quinque, vel eo amplius, aliquod dirutum collaboraverit, & illic, consentiente Episcopo, Ecclesiam construxerit, & consecratam perpetuaverit, prospiciat Presbyterum ad servitium Dei idoneum, & studiosum, & tunc demum novam decimam novæ reddat Ecclesiæ, salva tamen potestate Episcopi.

15. Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, ubicumque facultas rerum, & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem, impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo Canonicorum, aut monachorum, sive sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorum orationibus judici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum, & difficile æstimetur, ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus.

16. Abhorrendus, & Christianis omnibus devitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam, sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere: cùm hoc nusquam sub Euangelica gratia meminimus nos invenisse, vel legisse. In Ecclesiastico namque lib. scriptum est: *Mortuo non prohibeas gratiam,*
Eccles. 7. *sciens, quia omnes moriemur.* Et item: *Omnia, quæ*
Gen. 3. *de terra sunt, in terram convertuntur.* Quid terra terram vendis? memento, quoniam terra es, & in terram ibis; &, quoniam mors tibi futura est, appropiat, & non tardat. Recordare, quoniam non hominis est terra; sed, ut Psalmista commemorat: *Domini est ter-*
Psal. 23.

A *ra, & qui habitant in ea.* Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepistis à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi fortè proximi, & amici defuncti, propter nomen Domini, & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.

17. Secundum statuta Sanctorum Patrum, & experimenta miraculorum, prohibemus, & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in Ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis Doctor nostræ diffinitioni consentiens, inquit: Nemo enim in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora antiquitus in Ecclesia sepulta nequaquam projiciantur, sed pavimento
B desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò hoc præ multitudine cadaverum difficile sit facere, locus ille cœmeterium, & polyandrium habeatur, ablato inde altari, & constituto, ubi religiosè sacrificium Deo valeat offerri. Beatus Gregorius in miraculis Patrum, memoria dignum, & huic rei congruum refert miraculum in Genuensi urbe contigisse. Ibi namque quidam, Valentinus nomine, Mediolanensis Ecclesiæ defensor, defunctus est, cujus corpus in Ecclesia Beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur, atque traheretur foras. Ad quas nimirum voces cucurrere custodes, & videre duos quosdam teterrimos spiritus, qui ejusdem Valentini pedes cum ligatu-
C ra constrinxerant, eum ab Ecclesia clamantem, ac nimium vociferantem foras trahebant. Qui videlicet exterriti, ad sua strata reversi sunt. Mane autem facto, aperientes sepulchrum, ubi idem Valentinus positus fuerat, ejus corpus non invenerunt. Cùmque extra Ecclesiam quærerent, ubi projectum esset, invenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut de Ecclesia fuerat abjectum. Ex qua re colligendum est, quia hi, quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat, ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quando hi, qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis divinitus projiciun-
D tur? Sancta Synodus dixit: Mira res, & multis expavescenda. Ideoque per futura temporum curricula ab omnibus observanda.

18. Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ. De quibus Bonifacius De
martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in va- 1.
sculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quon- q.
dam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephirinus 16. Romanus Episcopus, patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tùm deinde Urbanus 18. Papa omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis, & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum. Nostris diebus, qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumule-
E tur, & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis, & sanguinis Jesu Christi Domini nostri, in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde irascatur Deus.

19. Alexander successor Evaristi dixit: Non debet enim, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus profluxit. Ut videlicet per hoc in- Jo
dicet populos, qui secundum Joannem aquæ sunt, A
à Christo, cujus sanguis in calice est, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine com-

commixtione vini, & aquæ mysteria sacra conficiat, sed ut duæ partes sint vini: quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi: tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

20. Si quis irreverens, timorem Domini postponens, in servos ejus sævire præsumpserit, quos ipse præ cæteris peculiari singularitate sibi segregavit, & coronæ suæ similitudinem, tradente Apostolorum principe, gestare fecit, & servos suos dici, & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de eis scriptum est, loquente ipso Domino: *Ego hæreditas eorum, Dominus hæreditas mea est:* si quis (ut diximus) ullum eorum quocunque ordine consecratum, cæsis vulneribus, vel quibuscunque injuriis angustiaverit, jubeat eum Dominus Episcopus per bannum à se impositum ante se venire, & advocet cognitorem, & adjutorem Comitem, & constringat protervum Episcopus authoritate canonica: ut eidem clerico, cui contra divinas, & humanas leges contumelias ingessit, justam, & debitam persolvat compositionem: & Comite agente, persolvat bannum regibus debitum. Si verò agente protervia venire contempserit, justitiæque consentire detrectaverit, agantur super eum omnia, quæ supra scripta sunt in 2. & 3. cap. nisi iterum veniat, & justitiæ concordet.

21. Si quis Presbyter contra laicum, vel laicus contra Presbyterum aliquam habeat querimoniæ controversiam, Episcopo regente sine personarum acceptione finiatur, & laicus præjuramento, si necesse sit, constringatur. Presbyter verò, vice præjuramenti, per sanctam consecrationem interrogetur: quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim, per quam corpus, & sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? absit, cùm Dominus in Euangelio discipulis suis, quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia, dicat: *Nolite omnino jurare: sit autem sermo vester, est est, non non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Non dixit, quod amplius est, malum est: sed à malo, id est, à malo homine, de cujus incredulitate cogimur jurare. Ut enim in quadam homilia B. Bedæ Presbyteri legimus: Si forte nos incautius jurasse contigerit, quod scilicet observatum, pejorem vergat in exitum, liberè illud mutandum noverimus saluberiori consilio.

22. Si quis fidelis libertate notabilis aliquo crimine, aut infamia deputatur, utatur jure, juramento se excusare. Si verò tanto, talique crimine publicatur, ut criminosus à populo suspicetur, & propterea superjuretur, aut confiteatur, & pœniteat, aut Episcopo, vel suo misso discutiente, per ignem candenti ferro cautè examinetur. Deus omnipotens, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis ejus (ut in epistola Evaristi Papæ scriptum legimus) quo nos à dubiis, & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifestè agnosceret, quæ dicebantur. Unde ipse ait: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temerè, indiligenterque indiscussa quævis quoquo modo judicemus: sed exemplo Domini descendamus, videamus, & justo examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam: Ut videamus, utrum clamorem populi compleverint, necne. Nam mala audita nullum moveant, sed ante audita diligenter inquirat.

23. Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegiaque miscuerit, ut in constitutis Gelasii Papæ cap. 20. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi Concilio cap. 17. Hoc perpetrantes, excommunicentur: confitentibus, authoritate Episcopi, misericordia largiatur. In epistola Papæ

A Syricii, cap. 6. Velatæ Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publicè, & liberè filios procreaverint, has impudicas, detestabilesque personas, à monasteriorum cœtu, & Ecclesiarum conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini, & canonica authoritate in hac sancta Synodo præcipimus, ut omnino separentur, & juramento colligentur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico: aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti, justè possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant,

B & uterque sua provideat.

24. Quæcumque virgo sub patrocinio ante annos 12. non coacta, sed propria voluntate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque, & diem, nullo repetente, velata permanserit: ab eodem sancto habitu ulterius non recedat, sed sponsa vero regi Christo, immaculato agno, ulterius incorrupta, & immaculata deserviat. Si verò idem patronus post annum, & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo sponsam suam rapere: secundum præstituta canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo regi suam sponsam relinquat. Si quis de virginibus velatis curiosius, & diligentius investigare perstiterit, insistat cap. 16. Carthaginensis sancti Concilii, & 93. Africani. In Carthagi-

C nensi cap. 16. continetur, ut ante vigesimum quintum annum virgines non consecrentur: in Africano, 93. ut quicunque Episcoporum, aliqua urgente necessitate, vel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit, seu velavit, ante vigesimum quintum annum ætatis, virginem, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est, quin velata, & consecrata permaneat.

25. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis Papæ Gelasii, cap. 13. quod nec authoritas divina, nec canonum forma præstituit. Quæ si propria voluntate continentiam professa est, ut in ejusdem Gelasii cap. 21. legitur, ejus intentio pro se reddat rationem Deo. Quia sicut secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur: si secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Qua authoritate paternæ suffulti sententiæ, in hoc sacro conventu sancimus, & liberè judicamus: quod si spontè velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit: licèt sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione velamen sibi imponere, ut iterum possit deponere. 1. Tim. 5.

D

26. Si quis monachus pro lucro animæ, vel animarum à suo monasterio exire, & in aliud proposuerit intrare, consentientibus Episcopo, Abbate, & fratribus, consentimus, & concordamus: quia id fecisse multos sanctos legimus. Si verò fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis

E coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus: ut saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autem tàm irreverens, & pertinax est, ut ad monasterium redire, & propositum monachi reluctaverit observare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto canone in Concilio Chalcedonensi, cap. 4. Papæ Syricii 6. Leonis 26. quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.

27. In Synodo Chalcedonensi cap. 7. statutum est, ut clerici, qui semel in clero deputati sunt, neque ad mi-

A militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam: & hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eandem sequentes canonicam authoritatem, statuimus, ut Clericus Ecclesiastice nutritus, in Ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu, à castris Dominicis, quibus adscriptus est, profugus, & apostata elabitur, & ad sæculum egreditur, ab Episcopo canonicè coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat: constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si verò huic hujus sancti Concilii reluctaverit definitioni, secundum præstitutam Chalcedonensis capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate, ac desiderio suo feruntur.

Clerici mundo addicti hyppocentauri.

B

28. In Nicæno sancto, & universali Concilio continetur: Propter multam perturbationem, & seditiones, quæ fiunt, placuit, consuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, transferatur, & cætera. In Chalcedon. cap. 20. Clericos in Ecclesia ministrantes, in alterius civitatis Ecclesiam, statutos fieri non oportet. Si quis Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium pertinentem, suscipiens, & susceptus communione priventur, donec is, qui migraverat, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi, cap. 18. Ut nulli liceat Episcopo alterius Episcopi ministrum Ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. In Africano, cap. 21. Ut clericum alienum nullus sibi privet Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit clericus, &c. Item in decretis Papæ Leonis: Alienum clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque convenerit. Quibus constitutis sanctorum canonum operam dantes, & vestigiis Patrum inhærentes, hoc secundum præfixos sanctos canones statuimus, & justum esse decernimus.

C

29. Secundum decreta sanctorum Patrum judicamus, & nos id acturos profitemur, ut nullum servum Episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate: quia non debet vilis persona fungi sacerdotii dignitate. Leo Papa in epist. sua cap. 1. Debet enim esse ab aliis securus, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut à castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius in decretis suis cap. 7. Multos ex Ecclesiastica familia novimus, ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi, in divino servitio valeant conversari. Si verò festinantes ad omnipotentis Dei servitium incautè retinemur, illi invenimur quædam negare, qui dedit omnia. Unde necesse est, ut ab humano servitio liber recedat, qui divini obsequii districtam subire appetit servitutem. Sancta Synodus dixit: Præfinita Patrum statuta inviolabilem habeant firmitatem.

D

30. In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum, ab illa sancta sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si verò, quod non decet, quilibet sive sit Presbyter, sive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit, salva fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam: usquequo per Epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

E

31. Tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari testantur fures, & latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res Ecclesiarum sæva mente adducti rapientes, & gregem Dominicum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in Euangelio commemorat: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est, & latro.* Atque subjungit: *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat.* Ubi quamvis hæreticos, qui fidem furantur Ecclesiæ, designet: tamen insecutione furum, & latronum, turbatam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philipp. *Videte canes, videte malos operarios.* Canes vocavit, quod non habent verecundiam: malos operarios, quia nulla faciunt, quæ pietati conveniunt. Et Dominus per Prophetam Isaiam: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam.* Unde nos, quæ Dominus diligit, diligentes, & quæ odit, odio habentes, statuimus, & judicamus, ut si quis post hæc Euangelica, & Apostolica, atque Prophetica verba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi, inventus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere: nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data, nec in memoriam clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque, & sacerdoti, comite vita, emendationem morum, & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam. In Nicæno magno Concilio statutum legimus: Si quis egreditur è corpore, ultimo, & necessario viatico minimè privetur, &c. Item de ultima pœnitentia, in epistola Innocentii Papæ cap. 21. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, à perpetuo liberentur exitio. Item de eodem Carthaginensi 7. & Cœlestini 15. ubi ait: Quid rogo, aliud est, ultimam pœnitentiam negare periclitanti, quàm mortem addere morienti?

32. Quæcunque Ecclesia à compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi irreligiosè agatur. Si verò contingat pro ea comparticipes diffidere, & sub uno Presbytero nolle eam procurare, & propterea jurgia, & contentiones tàm inter ipsos, quàm inter clericos incipiant frequentare, quia juxta Apostolum: *servos Dei non oportet litigare*: Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas: atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant authoritatem Episcopi, ut in nullis Ecclesiis nec constituantur Presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis, & non consentientibus. In epistola B. Papæ Clementis legitur: Attendendum summopere est omnibus Presbyteris, & reliquis clericis, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant: non utique Missas sine ejus jussu, quisquam Presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, majores scilicet, & minores, per ejus licentiam, quicquid agendum est, agant. Animæ verò eorum ei creditæ sunt: ideò omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

33. In Nicæno sancto, & universali Concilio statutum

tum est, *c.* 1. Ut si quis à medicis per languorem desectus est, aut à barbaris abscissus, hìc in clero permaneat. In epist. Innocentii Papæ, cap. 28. Qui igitur volens cujuslibet partem digiti sibi abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contingit, hunc canones præcipiunt & clericum fieri, & si in clero fuerit repertus, non abjici. Item in decretis Gelasii Papæ, c. 15. Ut nemo literas nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoveatur ad clerum. Hanc authoritatem SS. Patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque: itaut si quis à medicis per languorem desectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, inveniatur aliàs dignus, permaneat clericus, & sacro ordini aptus.

34. Undique bella consurgunt, hostes sęviunt. Inimica gens paganorum insequitur populum Christianorum. Impletum est enim, quod Euangelica testatur historia: *Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, &c.* Et alibi scriptum est: *Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos.* Quapropter zelo divinę æmulationis accensi Christianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum, qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis. Fit conventus Christianorum, & paganorum, fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Unde fortissimo confortante Domino, sicut Mathathias pater Machabæorum ait: *Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cœlo veniet fortitudo.* Sæpe fit victoria Christianorum, victa est pars paganorum. Quare unà cum interfectis paganis perempti fuerunt Christiani; captivi à Barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcircò justum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordiùs agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgenti ùs transactis, penes Episcopum sit authoritas, & potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.

35. Secundum SS. statuta Patrum, in hoc sancto præjudicamus Concilio, ut nullus Comes, nullusque omnino secularis, diebus Dominicis, vel sanctorum in festis, seu quadragesimæ, aut jejuniorum, placitum habere, sed nec populum illo præsumat coercere. Quia inde irascitur Deus, quod, cùm tantū suo sancto servitio debet populus desudare, inveniatur lites, & contentiones frequentare. Diebus verò Dominicis, & Sanctorum Festis, vigiliis, & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Diebus quadragesimæ, & jejuniorum, summa devotione jejunandum, & omni intentione est orandum: atque unicuiq; pro facultatibus suis Eleemosynæ tribuendę, & nullæ lites, vel contentiones habendæ. Arguit enim eos, qui contentiones, & lites tempore jejuniorum, & qui à debitoribus debita exigunt, Dominus per Prophetam, dicens: *Ecce in diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.* Ideò nobis, qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, summopere curandum, & prohibendum est, ne nostra desidia agente, præfatis diebus ullus placitum habere, & populum nobis commissum à servitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sancimus, & præcipimus, ut nullus Comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat: ne forte, dum jejunare, & orare, atque pro salute suæ animæ debet invigilare, vaniloquiis, & contentionibus cogatur laborare.

36. Si contingat duos fratres simul arborem succidere, sive in sylva, vel quocunque loco, & cadente arbore, alter alteri, Fuge, vel cave, dixerit, & ipse stans, sive fugiens, subtus ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit, superstes frater innocens de morte defuncti judicetur. Quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu: sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus, & insperatus casu arboris depressus est, nemi- A ne penitus adjuvare valente. Hanc eamdem statuimus definitionem de cæteris similibus, sive cognatis, sive nulla proximitate conjunctis. Istam definitionem tenuere Patres nostri Apostolici viri: ideò eorum exempla sequentes per futura tempora inviolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam trasmittimus, quia grave peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine, scienter criminosum habere. Quidam de sapientibus ait: Premit insontes debita sceleri noxia pœna, justusque tulit crimen iniqui.

37. Si quæ mulier, ut sępe contingit, infantem proprium prope ignem collocaverit, & alius, qui caldariam super ipsum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipsa per ignem fervens egreditur, & infanti B superfunditur, & propterea mortuus agitur, mater infantis, propter negligentiam, judicio sacerdotum pœniteat, & homo, qui caldariam pependit, securus permaneat. Simili modo de cęteris similibus, quæ sępe diversè solent evenire, & judicamus, & esse volumus.

8. In decretis Papæ Leonis, c. 18. scriptum est: Non omnis mulier viro juncta, uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Itaque aliud concubina, aliud uxor: sicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur si quis filiam suam viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi fortè illa mulier, & ingenua sit facta, & dotata legitimè, & in publicis nuptiis honestata videatur. Unde paternam sequentes authoritatem, sub præsenti hujus S. Catalogo Concilii, statuimus, C & liberè judicamus, ut quisquis liber libertam, hoc est, ex ancilla per manumissionem, & regalem largitionem liberam factam legitimè in matrimonium duxerit, ulteriùs habere debebit, tanquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa: & quandiu illa vivat, nullam accipiat. Est igitur, ut ex decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitimè, & in publicis honestata nuptiis: & propterea jam non est concubina, sed uxor legibus acquisita. Hęc eadem lex pro qualitate sexus sit fœminis, & viris libertas.

39. Quicunque alienigenam, hoc est, alienæ gentis fœminam (verbi gratia Francus mulierem Bajoaricam) utrorumq; consultu propinquorum legitimè, vel sua, vel mulieris lege acquisitam, in conjugium duxerit: velit, nolit, tenenda erit: nec ultra ab eo separanda, excepta D fornicationis causa. Quamvis enim, ut Apostolus ait, *unus Dominus, una fides, unum baptisma*, utrique communis sit nationi, legem tamen habent diversam, *Ephes.* 4. & quantum ad sæculum, interdum longè disjunctam. Quare si unus è duobus, unam carnem in duas dividere, & copulam nuptialem machinetur disjungere, dicendo, non secundum suæ gentis legem jura matrimonii contraxisse, & idcirco separari posse: canonica institutione diffinimus, & nostro, omniumque Orthodoxorum judicio statuimus, ut quod legis imperfectum sit, perficiatur, & jus matrimonii nequaquam resolvatur. Synodus Romana ait, quod non dimittenda sit uxor post baptismum, quæ habita est, & ante baptismum. In baptismo solvuntur crimina, non tamen legitima conjugia. Cum enim in baptismo transmigrat de vita in vitam, & non mutat uxorem legitimam: quomodo mu- E tat eam, qui non mutat vitam, sed transit de gente ad gentem? Igitur quia jam suffugium non habent separandi, impleant dictum Apostoli, *ut unanimes unum* *Phil.* 2. *sentientes* permaneant in Christo Jesu Domino nostro. Nos autem cognita referimus, quia quendam Francum, & mulierem Saxonicam talia egisse cognovimus. Si quis post hæc, hujus S. Concilii institutionem parvipendens, aliam duxerit, cujuscumque gentis sit, canonicè arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.

40. Audivimus rem execrabilem, & Catholicis omnibus detestandam, quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in

& in augmentum iniquitatis, juramento confirmasse, A si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam, sibi associaret toro, & legitimo matrimonio: si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur, quæ Apostolus enumerat mala, *quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, &c.* ad ultimum verò veneficia, & homicidia: quia pro tàm illicito amore alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis perempti sunt maleficiis. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ cœlestia regna sunt occludenda. Quoniam, ut idem Apostolus ait, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

Rom. 1.

1. Cor. 6.

41. Si quis legitimam duxerit uxorem, & impediente B quacunque domestica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater verò ejus, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliaverit, & violatam reddiderit: omnimodo separentur, & à neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur conjugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum: & quod erat licitum, illicitum est factum, ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat torum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia verò humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcirco Episcopus, considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio: ne dum sperantur ad alta sublevari, cor- C ruant in cœnum.

42. Si quis de uno in alium omnino transmigrat Episcopatum, etsi (quod absit) contingat, eum filiam sororis suæ, amitæ, aut materteræ, avunculi, vel patrui polluere, aut aliquod crimen committere: Episcopus, in cujus tunc diœcesi commoratur, & tali scelere criminatur, habeat jus, & potestatem, secundum canonicam authoritatem, & nostram synodalem institutionem, flagitiosum coercere, & ad pœnitendum emollire: per quos enim melius rei veritas ventilatur, & emendatur, quàm per hos, inter quos habitat, & criminosus apparet?

43. Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius ejus, vel frater ejusdem rei inscius, cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse D cognoverit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit: quia de hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam, legitimo utatur matrimonio, ne iterum mordente crudelissima libidinis bestia saucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nam, ut Hieronymus ait, Ferreas mentes domat libido. Mulier verò, quæ tantum nefas commiserat, ulterius pœniteat, atque continens, & innupta permaneat.

44. Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater ejus, ejusdem sceleris ignarus, duxerit illam uxorem, frater, qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicavit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia, & condigna castigatione. Qua peracta, si continens esse non possit, indul- E gentia sublevetur, ne libidini prosternatur, quatenus legitimo consoletur matrimonio. De muliere verò sancimus, sicut de ea in Neocæsariensi sancto Concilio diffinitum legimus, capitulo secundo. Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat. Quod si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Episcopus verò potestatem habeat secundum conversationem ipsius, aut adjicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen ulterius continens, & à viro disjuncta permaneat.

45. Simili modo secundum sanctos Canones diffinimus, & judicamus de eo, qui cum duabus sororibus fuerit pollutus, & usque in exitum vitæ pœnitens, & continens permaneat. Soror autem, quæ posterior libidinis perforata aculeis, scienter se cum eodem commaculaverit, usque in finem vitæ pœnitens, & continens perduret. Si autem improvisè contingit, condigna stringatur castigatione: &, si velit, legitima utatur viri conjunctione.

46. Si cujus uxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illam machinaverit: ipsa verò urgente mortis periculo, ad Episcopum confugerit, & auxilium quæsierit, operosiori, si potest, Episcopus labore desudet, ne occidatur. Si verò non potest, nullo modo liceat ei requirenti eam reddere viro ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum: sed solerti cura transmittere eam ad locum, quem ipsa delegerit, ut secura vivere possit. Si verò interdum maritus eam invenerit, & repetierit, secundum sæculum potestatem habeat, quid agere ei velit. Sed audiat sanctum Augustinum dicentem: Cum enim vir à virtute nomen accipit, & mulier à mollitia, idest, fragilitate: quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult unusquisque uxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? Nam quidquid contra fidem Catholicam mulieribus non licet, nec viris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, à loco, ubi eam Episcopus destinavit, aufugerit, & vir ejus ab Episcopo semel, aut bis, aut sæpius repetierit, si vitam ei obtinere possit, perquirat, & reddat: sin autem, omnino non reddat. Maritus verò, quamdiu ipsa vivat, nullo modo alteram ducat.

47. Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit: & ejus uxor commater non est; liceat ei, defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? nunquid non possunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in id generatio secernit spiritualis?

48. Illud etiam nec Canonica institutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus: sed propter eos, qui diversè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritualis commatris filiam, fortuito, & ita contingente rerum casu, in conjugium duxerit, consilio maturiori servato habeat, atque honestè legitimo conjugio operam det.

49. De his, qui in adulterio juncti, per incentiva libidinis malæ filium, vel filiam genuerunt, Canonicè præjudicamus: ut quando ab Episcopo justa divisione separantur, eo tenore sejungantur, nec ultra spe reversionis deludantur. Quare, si quid inter se proprietatis, aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, ut quæ communi servent infanti: de reliqua verò proprietate, & pecunia nullam ulterius habeant communionem, sed uterque sua provideat, &, ut velit, faciat. Et ut hoc verius credatur, atque firmius observetur, verbo Domini præcipimus, & canonica, atque synodali impositione injungimus, quatenus juramento colligentur, deinceps, & ultra sub uno non cohabitare tecto: nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico: nec ullum habere commune in proprietate, aut mancipiis, vel pecunia, sive ullis rebus, unde suspicio luxuriosi facti, aut scandalum libidinosi desiderii justè possit oriri.

49. Si quis verò sive sit vir, sive mulier, aliquem à recta credulitate, & Catholica fide illusione diabolica averterit: *expedit ei*, ut Euangelicus intonat sermo, *ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quia qui scandalizaverit alios, ut Deum offendant, ac de vera fide, & salute recedant: multo melius esset ei, ut propriis vitæ suæ vitiis, & immunditia pollutus puniretur, quàm pro suis, & aliorum peccatis in infernum demergeretur. Et si quem-

Ma

quempiam veneno, vel herbis, aut diversi generis maleficiis perdiderit, velut pessimus homicida, duplici mulctetur pœnitentia.

51. Illud verò communi decreto secundum Canonum instituta diffinimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium.

[...]us pæ-[...]tiæ in [...] ar-[...]o.

52. Placuit nobis de homicidiis non spontè commissis, hìc inserere, quod in Ancyrano S. Concilio, cap. 22. legitur, ubi dicitur: De homicidiis non spontè commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit. Secunda verò, quinquennii tempus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem pœnitentium possint & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.

53. Si quis filium suum (quod absit) non spontè, sed casu contingente occiderit, secundum homicidia non sponte commissa pœniteat, ut sequenti subinfertur capitulo.

54. De his, qui voluntate homicidium fecerint, Ancyrano S. Concilio, cap. 21. legitur, ut pœnitentiæ quidem jugiter se submittant: perfectionem verò, idest, communionis Christi gratiam, circa vitæ exitum consequantur. Instituta Canonica, & SS. Patrum decreta, nostro, & omnium orthodoxorum judicio, inviolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui pastores ovium Christi sumus, pro moderni temporis qualitate, & hominum fragilitate, bonum, & utile videtur, ut his, qui voluntariè homicidium fecerint, authoritate Synodali, & judicio generali modum castigtionis imponamus, & certum, ac definitum pœnitiæ tempus præmonstremus: ne prolixum tempus pœnitentiæ generet fastidium negligentibus: sed cursim excitatis, accrescat opus salutis.

55. Si quis spontè homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu Ecclesiæ arceatur. Et nihil manducet illis 40. diebus, præter solùm panem, & salem, neque bibat, nisi puram aquam. Nudis pedibus incedat. Lineis non induatur vestibus, nisi tantùm femoralibus. Secularia arma non portet. Nullo vehiculo utatur. Ad nullam fœminam, nec ad propriam uxorem his diebus misceatur. Nullam communionem illis 40. diebus cum aliis Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu, aut ullis rebus. Si verò sint aliqui vitæ suæ insidiatores, ut præ illis non possit dignè pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab Episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit ritè jejunare, adhibeatur ei misericordia, quousque convalescat, & tunc demum pœniteat. Si verò longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad Episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat: quia, ut Gregorius in Pastorali commemorat libro, Occultiora sunt vulnera mentium, quàm corporum: & ars est artium, regimen animarum.

56. Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu Ecclesiæ suspendatur. Et abstineat se à carne, & caseo, à vino, & medone, ac mellita cervisia, nisi Dominicis, & diebus festis, qui per illum Episcopatum publicè celebrantur apud cunctum populum: & nisi vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe, aut diu ad Dominicam curtim, vel si infirmitate detentus sit: tunc licitum sit ei, tertiam feriam, & quintam, atque sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, idest, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum reverta- [...]lemptio [...]itent-

A tur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pęniteat. Completo verò unius, ejusdemque anni curriculo, ita castigatus ritè, & ordinabiliter more pœnitentium, introducatur in Ecclesiam.

Nota. *Curtis pro curia, aliàs villam, aut domum significat. De la Cerda advers. sacr. cap. 76. num. 19. Quid sit* Medo, *vir incomparabilis Antonius Augustinus ignorare se fatetur, alii dicunt esse Hydromel, potionem quamdam arte factam apud I. Filesacum in Syntag. pœnit. cap. 6. favet idem de la Cerda, cap. 124. num. 8.*

57. Secundum verò, & tertium annum simili modo pęniteat: excepto, quod prædictas tres ferias redimere jus habeat, ubicunque est sive in domo, sive B in itinere. Cætera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

58. Quartum enim annum, & quintum, sextum, & septimum isto modo observet. Jejunet autem his singulis tres quadragesimas: unam ante Pascha Domini, à caseo, & pinguibus piscibus, à vino, & medone, & mellita cervisia: alteram, ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ. Si verò desunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur post nativitatem. Tertiam quadragesimam ante Nativitatem Domini Salvatoris jejunet, & abstineat se à carne, & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis, tertia feria, & quinta, ac sabbato manducet, & bibat, quodcunque libeat. Et secundam, atque quartam feriam denario, aut prædicto denarii pretio, redimere jus habeat. Sextam verò fe- C riam cautè observet. His septem annis ritè expletis, reconcilietur, & more pęnitentiam sacris altaribus, & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

[C]iliabulum Nannetense incerti temporis, Anno Domini 886.

SIrmundus illud collocat seorsim ab aliis in fine tomi tertii. Summa hujus est. Excepto 1. Canone, & 2. Quos integros exhibemus.

In Cap. 1. Ut Dominicis, & Festis diebus, Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui, proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Paro- D chiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant, &, si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quod si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquequo ad veritatem redeant. Non enim possumus munus, vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis Sacerdotes Missarum solemnia ritè peragant.

In Cap. 2. Ut nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

In Cap. 3. Ut nullus Sacerdos eas personas fœminarum, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat.

In Cap. 4. Ut Sacerdos visitet infirmos in sua plebe, & ingressus cubiculum, Aquam benedictam super E eum, & per omne cubiculum aspergat, dicat versum *exurgat Deus, &c.* Et orationem, *Deus qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti.* Postea dicat Septem Psalmos: denique consoletur infirmum, eique salutaria monita det.

Nota. De Aqua benedicta aliqui affirmant eam institutam esse ab Alexandro I. Pontifice. Verum quod hoc fiat ex Traditione Apostolica, sic ostendo: Clemens lib. 8. *Apostol. Constitut. cap.* 35. ponit ordinem consecrationis Aquæ. Dionysius *de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo*, dicit aquam sacris invocationibus consecrari. Cyrillus *Catechef.* 3. dicit, sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione Dei. Cypria- *Aqua benedicta.*

nus *libro 1. epist. 12. Oportet*, inquit, *mundari, & sanctificari prius aquas à Sacerdote*. Basilius lib. *de Spiritu sancto*, *cap.* 27. Apostolicam Traditionem esse dicit aquæ consecrationem. Itaque fatemur, Aquæ lustralis institutionem non tribui Alexandro, sed Apostolis, Alexandro autem tribui præceptum, ut hęc ceremonia frequentetur. De qua etiam meminit Ambrosius lib. 4. *de sacramento cap.* 5. *& lib. De his, qui initiantur, cap.* 3. Epiphanius *Hęres.* 30. Theodoretus *lib.* 5. 21. *Hist.* Augustinus *Hom.* 17. *ex lib.* 50. *Homiliarum, & Serm.* 19. *de Sanctis, & lib.* 6. *in Julianum, cap.* 8. dicit aquam signo Crucis in Ecclesia consecrari.

In cap. 5. Infirmus necessitate mortis urgente confitens peccata sua, sub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus sanitatem reddiderit, secundum qualitatem delicti omninò pœniteat.

In cap. 6. Ut Sacerdotes de hominibus sepeliendis nihil muneris exigant. Et ut non sepeliantur in Ecclesia, sed in atrio, aut in porticu, aut extra Ecclesiam. Intra Ecclesiam verò, aut prope Altare, ubi Corpus Domini, & Sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

In cap. 7. Ne sacri Ordines pro muneribus conferantur.

In cap. 8. Nullus Presbyter habeat duas Ecclesias.

In cap. 9. Ut panis benedictus populo detur die Dominico, eulogias vocat Concilium, & orationem refert, qua benedicantur à Sacerdote, non longè dissimilem ab ea, qua utimur. Vultque dari iis, qui non communicaverunt.

In cap. 10. Ut de decimis quatuor fiant portiones: una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda, ut quidquid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.

In cap. 11. Ut, qui sacros Ordines accepturi sunt, examinentur.

In cap. 12. Ut uxor adultera dimittatur, si vir voluerit, & illa septem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus, illa vivente, nullatenus aliam accipiat.

In cap. 13. Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

In cap. 14. Ut de adulteris, septem annis pœniteat ille, qui fœdus conjugii violavit, qui verò lege conjugii non tenetur, quinque annis pœniteat.

In cap. 15. De fraternitatibus licitis, & illicitis:

In cap. 16. Ecclesia vacans non est per ambitionem petenda,

In cap. 17. Qui voluntariè, & per insidias hominem interfecerit, jugi se pœnitentiæ submittat.

In cap. 18. Qui verò nolens, sed casu homicidium commiserit, quadraginta diebus in pane, & aqua pęniteat.

In cap. 19. Ut fœminæ publicis Conventibus, & Placitis non se immisceant.

In cap. 20. De cultu superstitioso abolendo, quo scilicet quidam arbores dæmonibus consecratas, lapidesve colebant in desertis, nondum penitus eliminata idololatria.

Conciliabulum Romanum in causa Formosi Papæ celebratum, anno Domini 879.

IN hac Pseudosynodo, cujus Acta recitantur infra in Concilio Romano sub Joanne IX. Episcopi, & Cardinales Presbyteri, qui summo odio Formosum prosequebantur, Sergius nimirum, Benedictus, atque Marinus, aliique plures homines perditissimi, & Pontificiæ sepulturæ violatores in unum congregati, ea, quæ de formoso hìc subjiciam, dijudicarunt.

Stephanus VI.

Stephanus Septimus, qui vulgo Sextus appellatur, successit Formoso: Bonifacius enim, qui invadens A Sedem Apostolicam, tenuit eam diebus quindecim, non est numerandus inter Pontifices, utpote qui velut homo nefarius jam antea bis gradu depositus, primum à Diaconatu, ac deinde à Presbyteratu, in Romana Synodo sub Joanne Papa IX. damnatus fuit. Et quamquam uterque per vim, metum, & tyrannidem Sedem adepti fuerint, adeoque intrusus pariter intrusum expulerit; tamen Stephanus in numero, & serie Pontificum communi sententia numeratur, quia ad periculum schismatis avertendum, illum, quamquam homo scelestissimus esset, universus Clerus approbavit, totaque Ecclesia Catholica pro Christi Vicario, & successore Petri agnovit. Nam cum Fulgo Rhemensis Archiepiscopus eum Formoso surrogatum intellexisset, obsequiis, & officiis, quæ recens creatis Pon-
B tificibus exhiberi solent, scriptisque ad eum litteris, teste Frodoardo, eum veneratus est: non ignorans se etiam in successoribus indignis Petrum, ac Christum venerari, si iisdem debitum cultum, & obedientiam deferret: contra verò in iisdem eosdem spernere, si, quam debebat, reverentiam non exhiberet.

Pontificatum auspicatus est à sacrilegio illo, quo corpus Formosi exhumatum Sacerdotalibus indumentis indutum, tribusque digitis mutilatum, in Tyberim projecit, omnesque ab eodem ordinatos iterato consecrari, & ordinari præcepit. Miror, qua ratione Onuphrius in Annot. ad Platinam, hanc rei gestæ historiam tamquam fabulosam planè rejiciat; cùm præter antiqua monumenta, & Synodalia Acta, de quibus infra sub Joanne IX. Luitprandus libro 1. cap. 8.
C eadem his verbis manifestissimè describat, & detestetur: *Formoso defuncto*, inquit, *atque Arnulpho in propria reverso, is, qui post mortem Formosi Papa constitutus est* (Bonifacius nimirum, de quo supra) *expellitur, Sergiusque Papa* (memoria lapsus Luitprandus in nomine erat) *per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahi, atque in Sede Pontificatus Sacerdotalibus vestimentis indutum collocari pręcepit, cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis in Tyberim jactari præcepit, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos,
D iterùm ordinavit. Quod quàm male egerit, Pater sanctissime, animadvertere poteris: quoniam & hi, qui à Juda Domini nostri Jesu Christi proditore ante proditionem salutem, seu benedictionem Apostolicam perceperunt, ea post proditionem, propriique corporis suspensionem minimè sunt privati, nisi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, Sacerdotem infunditur. Neque enim, qui rigat, est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi.*

E Addidit culpam culpæ Stephanus Papa, quando collecta Synodo, nefarium, impium, & detestandum facinus approbavit. Ipsi enim lapides tale portentum execrati, sua tunc voce mutua collisione clamarunt, spontaneam libentius pati ruinam, quàm ut Romana Ecclesia tanto scandalo depressa maneret. Accidit tunc, ut sacrosancta Basilica Lateranensis, primaria Pontificis Sedes, impulsore angelo malo, ab Altari usque ad portas prostrata corrueret: quia nequaquam stare poterant parietes, dum prima Cardinis porta tanti facinoris terræmotu concussa fuisset.

Sanct. Form. Pap. racu. comp. tur.

Con-

CONTROVERSIA.

SAcrilegi Pontificis facinus, quo à defuncto pœnam iniquè exegit, quove legitimè collatos Ordines contra Christi institutionem, & Dei mandatum repetivit, Novatores hæretici nostri temporis nobiscum rectè quidem redarguunt, & detestantur; verum contra promissiones Christi Petro, & Ecclesiæ factas, propter illud factum impium malè insurgunt, & prœmaturè nimis de victoria gloriantes, triumphum agunt. Omnia enim, quæ Stephanus contra Formosum dixit, vel egit, homo furore percitus egit, implens id, quod exæstuans rabies suasit. Pontificia verò auctoritate legitimè usurpata, nihil contra fidem, vel bonos mores definivit. Nam qui hac de causa ad Synodum convocati sunt Episcopi, & Presbyteri Stephano non dissimiles, simili odio Formosum prosequebantur, adeoque in eamdem sententiam pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præsciebant. Unde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoscimus, errorem autem in fide per Stephanum Pontificiam auctoritatem legitimè usurpantem definitum, vel approbatum fuisse, constanter pernegamus; quamquam nihil Sedi Apostolicæ præjudicaretur, si daremus invasorem non legitimè electum, sed intrusum Pseudopontificem, in articulis fidei asserendis aberrasse. Hujus temporibus post Arnulphum Regem Germaniæ pediculari morbo extinctum Vvidonem Imperatorem obiisse, testatur Luitprandus lib. 1. c. 9. Stephanus Sedis Apostolicæ invasor, ab Optimatum factione adversus Adelbertum Etruriæ Principem prævalente detrusus est in carcerem, anno Christi 900. & postquam Sedem Apostolicam sex annis tenuisset, in eodem carcere strangulatus, Deo vindice, exitu infami vitam clausit. Hæc ex antiquis monumentis, & Diplomatibus de Stephano Baronius Tom. 10. Annalium, & Bellarminus de Rom. Pont. lib. 4. cap. 12. Respondeo, inquit, Stephanum, & Sergium non edidisse aliquod decretum, quo decernerent ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim à Formoso tanquam degradato esse iterum ordinandos, sed solùm de facto jussisse iterum eos ordinari; quæ jussio non ex ignorantia, aut hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat. Notat enim Sigebertus in Chronico anni 903. Stephanum VI. reclamantibus penè omnibus per vim ordinasse à Formoso ordinatos.

SÆCULUM DECIMUM.

Concilium Ovetense, quo 18. Episcopi ex concessione Pontificis Joannis VIII. Ecclesiam Ovetensem Metropolitana dignitate auxerunt, Æra 939. qui est annus Redemptoris nostri 901. sub Joanne IX.

JOannes Papa VIII. ad petitionem Adelfonsi Regis inter alia, quorum fit mentio in epist. ad prædictum Adelfonsum, concesserat, ut Ovetensis Ecclesia Metropolitanam dignitatem acciperet; ideo in primis, quia Adelfonsus Magnus illic Regiam sedem collocasset. Interfuit inter alios huic Concilio Theodulfus Episcopus Legatus missus à Rege Francorum: reliqui autem, qui ex propinquis Ecclesiis convenere, numerati sunt decem, & septem Episcopi.

Primum igitur omnium (quod dictum est) constituta sede Metropolitana Ecclesia Ovetensi, Ermenegildus ejus Antistes Archiepiscopus est appellatus: sicque ea dignitas, quæ antea inhærebat Ecclesiæ Lucensi illi proximæ, in Ovetensem tunc est translata. Actum est etiam, ut invigilarent Episcopi, atque ministri eorum Ecclesiasticæ disciplinæ: cujus rei perficiendæ causa, bis in anno, ut antiqui Canones docent, Synodum cogerent. Additum præterea, ut Episcopi illarum Ecclesiarum, quæ fuerant à Saracenis destructæ, Ovetum

A se conferentes, in ea Ecclesia militantes, stipem consequerentur, si alias circumpositas sub eadem Diœcesi constitutas Ecclesias curarent. His constitutis, appositum est anathema ea non servantibus.

Post hęc Rex, & Ermenegildus ad Episcopos sermones hortatorios dixerunt: quibus absolutis, Episcopi ex more Regi acclamantes, Regem laudarunt, quod ingentia latifundia Ovetensi Ecclesiæ tribuisset, ejusque immunitates à prædecessoribus acceptas confirmasset. Decimaquarta Junii Æra 939. Synodus absoluta fuit. Hæc ex Baronio.

Concilium Romanum, quo Acta Stephani VII. contra Formosum habita, rescinduntur, & improbantur; & solius Lamberti coronatio tamquam citra
B *vim legitimè facta confirmatur, anno Domini 904. tempore Joannis IX.*

De abrogatione Pseudosynodi habitæ à Stephano prędecessore.

SYnodum tempore piæ recordationis * Sexti Stephani Papæ, decessoris videlicet nostri celebratam, in quam venerabile corpus Formosi venerandi Papæ de sepultura violata per terram tractum est, & quasi ad judicium deductum, judicari, & damnari præsumptum est, quod numquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus abrogamus. Et ne ulterius præsumatur fieri per quodlibet Spiritus sancti judicium, interdicimus: quia ad judi-
C cium vocari mortuus non potest, cum persona, quæ ad judicium vocatur, ideo vocatur, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis: & omnibus patet, quia mortui cadaver pro se nec respondere, nec satisfacere potest.

* Septimi.

Episcopi, & Presbyteri, & reliquus Clerus, qui eidem Synodo interfuerunt, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu, ac formidine interfuisse confessi sunt; prece sanctæ Synodi eis indulsimus, &c.

Et infrà.

Episcopi igitur, seu Presbyteri, atque Diaconi, nec non & Subdiaconi, cęterique alterius Ordinis sanctæ Sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoso Canonicè consecrati, & pro quorumdam libitu
D temerè dejecti sunt, in proprios Ordines, & gradus communi sanctæ Synodi consultu reducimus, perpetuoque robore, ac Canonica censura stabilitos, Deo auctore, decernimus, &c.

Violatores, seu corruptores sacri tumuli ejusdem Domini Formosi Papæ, qui sub fœdere conspirationis ad capiendum thesaurum, corpus illud trahentes, in fluvium Tyberim jactare non timuerunt; divina auctoritate, Synodalique nostro consultu, nisi resipuerint, sint à sanctæ Dei Ecclesiæ liminibus separati, &c. Et alia plura latè vide apud Binium hîc.

Concilium Ravennate 74. Episcoporum in eadem causa Formosi, & Stephani Romanorum Pontificum, anno Domini 904. celebratum tempore Joannis Papæ IX. & Lamberti Imperatoris.

E

HUjus Concilii Ravennatis meminit Sigebertus anno 903. his verbis: *Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus Papa deposuerat, Synodum 74. Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Rege apud Ravennam statuit. Et coram eis combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.*

CONTROVERSIA.

JUrene, an injuria ita actũ sit in Formosũ, ac ejus ordinationes, quę pares in Italia turbas, quales in Gal-

liæ seculo antecedenti Ebbonis Rhemensis ordinationes excitarunt, dubitatur etiam nunc, sicut tunc temporis dubitatum, cum Stephanus, & Sergius quadam facti violentia eas irritas reddere voluerunt.

Joannes Morinus Presbyter Oratorii multæ eruditionis in præfatione sua ad duos libros Auxilii, qui à Formoso ordinatus Presbyter ordinationes ejus ratas esse, ac validas tuitus est, duobus libellis nuper in lucem ab ipso editis, quibusque lumen affulget gestis Pontificum Formosi, Stephani VII. Joannis IX. & Sergii III. qui Stephanum æmulatus iterum ordinationes Formosi irritas esse voluit, contendit Pontifices Stephanum, & Sergium non adeo fuisse sceleratos, nec Formosum adeo sanctum, ut multi sibi persuadent: Stephanum, & Sergium probabiles causas, imo in speciem graves, exauthorandi Formosi ordinationes habuisse. Formosus enim à Joanne VIII. propter varia crimina depositus, & degradatus fuerat, & ad communionem laicam redactus, atque ab Episcopatu Portuensi expulsus. Accusabatur cum nonnullis in Joannis Papę vitam conspirasse, in Caroli Calvi Imperatoris, & Franciæ Regis ruinam conjurasse, Romam Saracenis prodere voluisse, ut Papam illius excidio involveret. Opponebant quidem Formosi fautores eum à Marino II. successore Joannis VIII. Episcopatui redintegratum fuisse, sed regerebant adversarii, cum contra Canones ab Episcopatu Portuensi ad Romanam sedem transmigrasse, quod insolens erat in Rom. sede. Nec deesse exempla, cum Stephanus IV. ordinationes Constantini, ut invalidas declarasset, in Concilio Romano, ad quod duodecim Episcopi Galliæ, & alii plures convenerant, de quo in superiori sæculo dictum est, ob id, quod cum laicus esset, Pontificatum invasisset, omnesque ordines nullis propè servatis interstitiis suscepisset. Necdum his temporibus in rem Judicatam transierat, & in fidei Catholicæ axioma quamlibet ordinationem secundum ritum Ecclesiæ factam ab Episcopo characterem habente validam esse, nec repetendam.

Verum cum in quæstione adhuc dubia, & obscura, majori laude digni sint, qui veritatem ipsam inter varia hominum judicia possunt attingere: ac ipsa veritas doceat ordinationes hujusmodi ab habente characterē factas reiterandas non esse, iniquè omnino actum fuisse in Formosum censendum est, quidquid criminis illi imputetur: cum omnia hæc objecta, quibus abundè satisfacit Auxilius, minimè impediant validitatem ordinationum, quamvis executionem possint impedire. Nam ut idem ait lib. 1. cap. 27. Aliud est reconciliatio, aliud consecratio. Nam qui semel consecratur, denuo in idipsum consecrari non potest, reconciliari tamen per dignam satisfactionem potest, & lib. 2. cap. 4. respondens ad objectionem ex ordinationibus repetitis Constantini, talem reordinationem improbans; sicut morbus, ait, non valet expellere morbum: ita nec vitium potest excludere vitium. Denique in his libris multa congerit pro defensione istarum ordinationum, quamvis aliquibus erroribus circa alia non careat, ut solerter advertit idem Morinus.

Nec adeo abstrusa, aut ignota erat hujus difficultatis solutio, quin aliquantum peritis, & litteratis si attenderent, satis multa in libris antiquorum invenirentur ad tollendum omne dubium, quæ in prædictis Auxilii libellis inveniuntur, unde & plurimorum saniori judicio, teste Sigeberto ad ann. 900. improbata sunt acta illa in Formosum, quæ violentia passionis suggessit, à qua immunes non sunt homines, etiam ad apicem Pontificatus evecti, illi maximè, qui his temporibus eligi solebant, de quibus scribit Baronius ad ann. 897. n. 8. illa infelicissima Ecclesiæ Romanæ tempora, atque omnium luctuosissima, quibus ipsam contigit domestico bello exagitari, atque persecutione vexari, illata ipsa per Adelbertos Marchiones potentissimos, eo infestiores, quo viciniores Romanæ Ecclesiæ. Munitione enim S. Angeli ad ripam Tyberis potiti, quid non ausi sunt in Rom. Ecclesiam? ut absque ulla controversia

A dici possit nullam unquam sive à gentilibus, sive ab hæreticis, sive à schismaticis, aliisve perduellibus, qui ferro, qui scriptis, qui dictis, aliisve quibuslibet modis eam exagitarint, duriorem, diuturniorem, atque molestiorem passam esse persecutionem illa, quam pertulit ab hujusmodi Tusciæ Marchionibus. Etenim cum gentiles Imperatores eam persecuti sunt gladio, tunc clariores, celebrioresque, utpotè laurea martyrii decorati effulsere Pontifices: cum verò hæretici multiplicis generis in eam insurrexere, iidem eminentiores authoritate, & sapientiores pietate, atque doctrina illustriores enituere, & cum schismatici eam scindere, quam sæpissimè laborarunt, capiteque germano truncare: eo magis compage unitatis, & charitatis ipsum visibile caput conjunctum uni corpori, cujus caput sit invisibile
B Christus, decus, & ornamentum Ecclesiæ demonstratum est, pulchrèque laudatum. Cum verò hos Rom. Ecclesia passa est tyrannos Tuscię principes, dominantes sive armis, sive pecuniis populo, cleroque Romano, per quos intrusi in cathedram Petri solium Christi, sunt homines monstruosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usquequaque fœdissimi, vestimentis est exuta gloriæ, atque lætitiæ. Hæc Baronius, ex quibus intelligi potest causa, cur hoc sæculum tanquam ferreum haberi soleat.

Concilium Suessionense de correctione morum, & Ec-
C *clesiastica disciplina restituenda habitum anno 909. tempore Sergii Papæ III.*

IN hoc Concilio post deplorationem præsentis temporis miserrimi status, tamquam tempus ultionis Domini, primum omnium de honore, & cultu Ecclesiarum ponitur Constitutio. Deinde ipsi Regi, ut potissimo post Sacerdotes Ecclesiæ membro præscribitur recta secundum pietatem norma vivendi ex sanctorum Patrum sententiis concinnata: atque ex eisdem fontibus exhortatio ad eumdem Regem subjicitur. Tertio verò loco Regularium ponitur reformatio, & disciplinæ collapsæ integra restitutio. Quæ latè Binius hic ex Baronio ponit.

D *Concilium Confluentinum octo Episcoporum: ne Christiani intra septimum cognationis gradum matrimonium contrahere præsumant. Habitum anno Domini 912. tempore Joannis Papæ X.*

DE tempore, loco, rebusque in hac Synodo gestis, ista apud Ivonem parte 9. cap. 66. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo duodecimo apud Confluentiam jussu venerabilium Principum, Caroli videlicet, & Henrici Regum reverendissimorum, congregati sunt Episcopi numero 8. cum Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quamplurimis. Qui ipso cooperante, sententias eorum confirmante Domino Christo, in Synodali residentes Conventu, multa utilia, ac sancta Dei Ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes Concilio, inter cætera, quæ statuerunt, hoc*
E *maxime necessarium, & instanti (proh dolor) tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum, summa cautela vitandum firmaverunt: hoc est, ne ullus Christianorum infra septimam generationem nuptias copulare præsumat.* Hæc apud Joannem. Præter hæc de ipsa nihil.

Concilium apud Troslejum in tractu Suessionensi, in causa Isaaci Comitis pœnitentiam agentis, habitum anno 924. tempore Joannis Papæ X.

DE hoc Concilio in Galliis habito ista Frodoardus, lib. 4. cap. 19. *Synodus Episcoporum Rhemensis Diœcesis apud Ttroslejum Octobri mense habita, Seulfo Archiepiscopo Rhemensi præsidente, in qua Isaac Comes ad emendationem, & satisfactionem venit*

venit pro his, quæ pravè adversus Ecclesiam Cameracensem perpetraverat: & vadatus argenti libris centum, pacatur cum Stephano præfatæ urbis Episcopo, præsente Heriberto, & pluribus Franciæ Comitibus. Hæc in Chronico, & in Historia Rhemensi Frodoardus. Duarum aliarum Synodorum in eodem loco celebratarum idem Frodoardus meminit: quarum una habita fuit sub præsidio Hervei Rhemensis Archiepiscopi, in præsentia Caroli anno 921. Altera verò post occisum Seulfum, & quinquennalem Heriberti Comitis filium Rhemensis Ecclesiæ Episcopum electum, celebrata est anno 927. in qua Helvinus Comes publicam egit pœnitentiam, eò quod duxisset uxorem, alia adhuc supervivente. Vide Chronicon Cameracense, lib. 1. cap. 63.

Concilium Duisbergense, in quo illi, qui Bennonem Metensem Episcopum excæcarant, excommunicantur anno Domini 927. tempore Joannis Papæ X.

ANno Domini 925. Benno, in Alpibus eremiticam vitam ducens, electus est Metensis Episcopus, & post biennium à Metensibus est excæcatus: cujus immanis sacrilegii causa hæc Synodus congregata, omnes illius sceleris auctores excommunicavit, & Adalberonem loco ejus substituit. Porrò Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relicto, cognominatus est Benedictus. Frodoardus in Chronico anno 928.

Concilium Erfordiense in causa disciplinæ Ecclesiasticæ celebratum, anno Dom. 932. tempore Joannis Papæ XI.

IN hoc Concilio determinata sunt plura.

1. Ut deinceps natalitia Apostolorum duodecim summa veneratione solemniter celebrentur: & in Vigiliis antiquitus statutis, atque hactenus ab antecessoribus servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus.

2. Placita sæcularia Dominicis, vel aliis Festis diebus, seu etiam in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum Canonicam institutionem, minimè fieri volumus.

3. Præcipimus, ut nullus Christianus Ecclesiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur: ne fortè, dum ad Ecclesiam causa devotionis properat, per bannum impediatur pro salute animæ devotè insistere.

4. Ecclesiasticus aliqua infamia notatus, admoneatur ab Episcopo tertiò, ut vel prodendo reatum, culpabilem se esse cognoscat, & sic justæ correptionis sententiam excipiat: aut adhibitis secum collegis juramento se expurgando, innocentem se esse demonstret.

5. Ut nemo, nisi consentiente proprio Episcopo, aut ejus Misso, sub obtentu religionis jejunium sibi imponat, unum præ aliis excipiendo, omnimodo interdicimus, &c.

Nota. *Causa ariolandi, plebs jejunabat sic.*

Concil. Rhemense, apud S. Macram in causa disciplinæ Ecclesiasticæ, celebratum anno Dom. 935. sub Joanne Papa XI.

HÆc Synodus celebrata est Rhemis apud S. Macram præsente Artaldo Archiepisc. Rhemensi, cum sex aliis Episcopis, in qua prædones, & Ecclesiasticarum rerum invasores ad correctionem vocantur. Frodoardus lib. 4. c. 25.

Concil. Narbonense de finibus Diœceseos inter Urgellitanum, & Pallariensem controversis, celebratū anno Dom. 940. sub Stephano Papa IX.

HÆc Synodus, teste Mariana de reb. Hispan. l. 8. celebrata est apud Narbonam in oppido, cui nomen Fons coopertus, in qua controversia agitata reperitur de finibus Diœceseos inter Episc. Urgellitanum, & Pallariensem, decretumq; ut Pallaria urbs sua sacra repeteret ab Urgellitano Episc. Hæc Mariana an. 940.

Concilium Suessionense in causa Hugonis, & Artaldi Rhemensium Archiepiscoporum, celebratum anno Domini 941. tempore Stephani Papæ X.

HÆc Synodus celebrata est apud Suessiones in causa altercationis duorum, qui se Rhemenses Archiepiscopos profitebantur, videlicet inter Hugonem, quem in gratiam patris puerum adhuc quinquennalem electum fuisse, supra dixi; & Artaldum, qui post illum ejectum ex Monacho in eam sedem cooptatus fuit. Decretum est in hac Synodo, Artaldum amovendum esse, ut pote qui jurasset, nullum se unquam Archiepiscopatum accepturum; Hugonem verò recipi debere, eo quod Clero, populoque petente vocatus esset. Post absolutam Synodum, & Hugonem sedi Rhemensi restitutum, Flodoardus, quem Heribertus Comes, & pater Hugonis detinuerat, ab exilio liberatus fuit. Post hæc Episcopi Rhemos profecti, Hugonem Archiepiscopum consecrarunt. Frodoardus in Chronico, lib. 4. cap. 28.

Concilium Constantinop. quo Tryphon Patriarcha Constantinop. dolosè depositus est, substituto in locum ejus Theophilacto Imper. filio. Habitum fuit anno Dom. 944. tempore Marini Papæ II.

CUm tempore Joannis XI. anno Christi 933. Stephanus Patriarcha Constantinopolit. obiisset, statim exemplo Principis, sive Comitis Heriberti, Imperator Constantinopolitanus invasit Patriarchatum: ista ratione, Tryphonem Monachum, quod nunquam in Ecclesia est auditum, temporaneum constituit Antistitem, qui sederet, usque dum Theophylactus filius Constantini Imperatoris legitimæ esset ætatis, qua posset Episcop. & Patriarcha ordinari: placuit Tryphoni conditio. Exacto tempore, quod ipse Tryphon definiverat, de sede, ut promiserat, discedere nolebat, nisi legitimo Synodali judicio convinceretur. Congregato igitur ob eam rem Concilio, ibidem gesta sunt, quæ à Curopalate his verbis describuntur: *Statim igitur cunctam Synodum alloquitur Patriarcha: Qui me de sede injuria detrahere cupiunt, ò sacri ministerii collegæ, multis admotis machinis, ut probabili causa inventa me expellerent, non invenere. Ad extremum hoc mihi objiciunt: expertem me literarum esse ajunt. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inscribo, ut videntes, ac certiores facti calumniatores, desinant injuria, mihi negotium facessere. Dixit, & sumpta charta non scripta, coram omnibus ita scripsit: Tryphon miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha. Et scripta per Protothronum mittit Imperatori.* *Ignorantia Episcopor. Constantinopolit.* *Quibus ille acceptis, & alia in non scripta charta desuper contenta, causam, cur se abdicaret, scripsit, videlicet, indignum se throno cuicumque volenti cedere. Et ex hac excusatione ad Synodum allata, ab Ecclesia Tryphon removetur, multum conquerens de fraude, & Protothronum graviter accusans: anno verò post, & mensibus quinque (tantum enim temporis requirebatur ad perfectam Theophylacti ætatem,*

tem, qua Princeps Sacerdotum deligeretur). Februarii mense, Indictione 2. creatur Patriarcha Theophylactus Imperatoris filius. Hæc Curopolates.

Concil. Virdunense in causa Hugonis, & Artaldi Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscoporum an. 947. confirmatum tempore Agapiti Papæ II.

DE hac Synodo Frodoardus lib. 4. cap. 34. hæc ait: *Eodem anno Synodus Virduni habita est, præsidente Roberto Trevirensi Episcopo cum Artaldo Rhemensi, Adelrico Aquensi, Adelberone Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi, Mirnegardo Vvurdensi, Israele Britone, præsente Brunone Abbate fratre Regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilone cum aliis quibusdam venerandis Abbatibus.* Quid autem in eadem synodo actum fuerit, subjungit his verbis. *Ad quam Hugo Episcopus evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum Episcopis Adelberone, & Gostino, venire noluit. Universa Synodus verò Domno Artaldo Rhemensi tenendum judicavit Episcopium. Indicitur etiam Synodus idibus Januarii habenda.* Hæc Frodoardus de Synodo Virdunensi. Eadem referuntur in synodali epistola Concilii Engelenheimensis. Negotium nimis arduum delatum est ad plenius Concilium, cui Legatus Pontificis interesset, & ad quod omnes Galliæ, & Germaniæ Episcopi convocarentur. Interea Hugo, effectis sub nomine Episcoporum Rhemensi Diœcesi subditorum litteris, in sede Rhemensi confirmari petiit, & dolosè per surreptionem impetravit. Pontifex enim ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ rescribens: significat Hugonem in possessione Archiepiscopatus Rhemensis esse manutenendum. Verum, qua ratione fraus Hugonis detecta fuerit, sequentibus Conciliis patebit.

Concil. Mosomense in prædicta causa celebratum tempore Agapiti Papæ II. anno 948. ipsis Idibus Januarii.

QUo tempore, & loco, quoque effectu hæc Synodus congregata fuerit, Frodoardus lib. 4. c.34. his verbis recenset: *Anno 948. Synodus prædicta, quæ scilicet indicta fuerat celebranda hoc anno Idibus Januarii celebratur in Ecclesia S. Petri ante conspectum castri Mosomi à Domno Rotberto, cæterisque Trevirensis Diœceseos Episcopis, & aliquibus Rhemensis. Veniens illuc Hugo, & locutus cum Rotberto Trevirensi Archiepisc. Synodum noluit ingredi; literas verò quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per Clericum suum, qui eas Romæ detulerat, nihil auctoritatis Canonicæ continentes, hoc tantùm præcipientes, ut Hugoni Rhemense redderetur Episcopium. Quibus lectis, ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus, & cæteris sapientibus, qui aderant, responderunt, non esse dignum, vel congruum, ut mandatum Legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Friderico Præsule Moguntinensi, coram Regibus, & Episcopis tàm Galliæ, quàm Germaniæ, susceperat, & partem jam petitionis ipsius exegerat, propter illas literas intermitterent, quas insidiator Artaldi Præsulis exhibebat, imò, quod regulariter cœptum fuerat, Canonicè pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur Capitulum 19. Carthaginensis Concilii, de accusato, & accusatore. Quo recitato, judicatum est, secundum definitionem ipsius Capituli, ut Artaldo Præsule retinente communionem, & Parochiam Rhemensem, Hugo, qui ad duas Synodos evocatus, venire contempserat, à communione, & regimine Rhemensis Episcopii abstineret, donec ad universalem Synodum, quæ indicebatur ad Kalendas Augusti, sese purgaturus occurreret. Ipsumque Capitulum mox in charta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto Præsuli remisit, hoc verbis remandans, quòd ipsorum judicio nequaquam obediturus sit. Interea proclamationis literæ à Domno Artaldo diriguntur ad sedem Romanam.*

Concil. Engilenheimense, in causa Hugonis, & Artaldi, Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscoporum, anno Dom. 948. tempore Agapiti II. celebratum, primùm ex M.S. Cod. Monasterii Vveingartensis per Henricum Canisium editum.

CUm Marinus Sedis Apostolicæ Legatus advenisset, alteram causam Legationis suæ ad Rhemensem Ecclesiam pertinentem executurus, congregata Generali quadam Synodo, definiri mandavit ea, quæ compendiosè à Frodoardo lib. 4. c. 3. his verbis commemorantur: *Dominus igitur Agapitus Papa Vicarium suum Marinum Episcopum mittit ad Ottonem propter evocandum, & congregandum Generalem, &c. Quæ congregata est ex præcepto in Engilenheim palatio Regali in Ecclesia B. Remigii honori dicata, septimo idus Junii, causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter Regem Ludovicum, & Hugonem Principem, inter Artaldum quoque Rhemensem Episc. & Hugonem illicitè substitutum ejusdem urbis Præsulem, quæ dissentiones omne perturbaverant Regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam, adveniente prædicto Marino Sedis Apostolicæ Vicario, convenerunt etiam Germaniæ Præsules cum quibusdam Galliarum Episcopis.*

Et in prima sessione Artaldus judicatur legitimus Episcopus Rhemensis.

In secunda verò damnatur Hugo invasor sedis Rhemensis.

In reliquis verò sessionibus tractata sunt quædam necessaria de incestis conjugiis, & Ecclesiis, quæ Presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imò venundabantur indebitè, & auferebantur à laicis illicitè. Prohibitum igitur, atque statutum est, ne id præsumeretur ab aliquo. Sed & de aliis Ecclesiæ Dei utilitatibus tractata sunt, & definita nonnulla.

Concilium Trevirense, in causa Ludovici Regis, & Hugonis Principis, celebratum an. Dom. 948. tempore Agapiti Papæ II.

MArinus duplici de causa missus fuerat ab Agapito in Galliam. Quarum prima erat, Ut controversia inter Hugonem, & Artaldum de Rhemensi Archiepiscopatu decideretur. Altera erat, Ut Regnum Ludovici, quod factione Hugonis Principis variis tumultibus nutabat, ille stabiliret. Illud prius, præcedente Concilio, peractum fuit, hoc posterius præstitum est Treviris in ista Synodo: in qua post multa, excommunicatur Hugo Comes inimicus Ludovici Regis pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis, quibus injuriam fecit, deveniat. Quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur.

Concilium Romanum, quo acta duarum præcedentium Synodorum ab Agapito Pontif. confirmantur, celebratum est anno Domini 949.

AGapitus Papa, inquit Frodoardus in Chronico, *Synodum habuit apud S. Petrum, in qua damnationem Hugonis Episcopi apud Ingelnheim factam confirmavit, excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludovico Regi satisfaciat.*

Con-

Synodus Augustana in causa Disciplinæ Ecclesiasticæ anno Domini 956. tempore Joannis Papæ XII. celebrata, nunc primum MS. Codice celeberrimi ejusdem Monasterii VVeigartensis per Henricum Canisium evulgata. A

CANONES SYNODI AUGUSTANÆ.

I. Si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque uxorem accepit, deponatur, sicut in Concilio Carthaginensi cap. 25.

II. Ecclesiasticis non licet habere canes, nec accipitres. Ex Concilio Toletano cap. 10.

III. Ecclesiasticus aleæ vacans, deponendus erit, ut in Canone 42. Apostol.

IV. Clericus non cohabitet cum muliere extranea. B

V. Regulares extra Monasterium non vagentur absque licentia Abbatis.

VI. Episcopus curam gerat Monachorum, quorum Monasterium in sua Diœcesi erit, ut eis provideat, &, si opus est, etiam eos corrigat.

VII. Clerici Monachismum ingredi volentes non impediantur.

VIII. Sanctimonialis, quæ sponte strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, non impediatur.

IX. Laici non præsumant ejicere Presbyteros ab Ecclesiis eis Canonicè commendatis, sine conscientia, & consensu proprii Episcopi.

X. Omnis decimatio sit in potestate Episcopi.

XI. Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, qui divina mysteria contrectant, ab uxoribus abstineant. C

Concilium Meldense in causa Rhemensis Episcopi celebratum anno Domini 962. tempore Joannis Papæ XII.

PEr obitum Artaldi Rhemensis Archiepiscopi vacabat sedes Rhemensis, in qua cum Hugo per Agapitum dejectus favore Lotharii Regis iterum intrusus fuisset, convocata est Synodus XIII. Episcoporum, qui in Meldensi pago congregati decreverunt, quæ à Frodoardo in Chronico describuntur his verbis: *Synodus tredecim Episcoporum in pago Meldensi supra Maternam fluvium, ex Rhemensi videlicet, ac Senonensi Diœcesi celebratur, præsidente Senonensi Præsule, satagentibus quibusdam Episcopis, ut Hugoni sæpe dicto redderetur Rhemense Episcopium. Renitentibus autem præcipue Roricone Laudunensi, & Gibuino Catalaunensi Præsulibus, & asserentibus, quod à tot Episcopis excommunicatus, à minori numero absolvi non poterat. Ita relinquitur usque ad interrogationem Papæ Romani.* Et infra: *Legatio veniens à Joanne Papa insinuat præfatum Hugonem, tàm ab ipso Papa, quàm ab omni Romana synodo excommunicatum, sed & ab alia synodo apud Papiam celebrata. Cujus Legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiscopum, elegimus ad Episcopium Rhemense Odalricum illustrem Clericum Hugonis cujusdam Comitis filium, favente Lothario Rege cum Regina matre, præfatoque Brunone.* D

Nota. Ex his (quod sæpè inculcandum est) qua reverentia Episcopi colerent Apostolicæ Sedis Antistitem, licet sedentem in ea juvenculum, & pravis moribus depravatum Pontificem: quem sic observant, & venerantur, ut omnis ille Conventus inter se dissidens ex ejus responsione quiesceret. E

Conciliabulum Romanum, quo Joannes Papa XII. deponitur, & Leo quidam (quem Scriptores perperam Octavum ejus nominis appellatum inter veros Pontifices adnumerant) in locum subrogatur. Habitum fuit anno Domini 963. in præsentia Othonis Imperatoris.

NUllus unquam habitus est Orthodoxorum Conventus Synodalis, in quo contra Jus Ecclesiasticum, sacros Canones, Traditiones Apostolicas peccatum fuit sæpius, quàm in hoc Conciliabulo. *Defectus hujus Conciliabuli.*

Omnes Episcopi in Concilio Romano sub Symmacho publicè contestati leguntur, quod contra Pontificem absque illius consensu cogendi Concilii facultatem nullam habeant. Illegitima est ergo hæc Synodus, quæ in causa Joannis Papæ, quem Episcopi hìc congregati literis datis pro capite Ecclesiæ venerati fuerunt, sine ejus consensu, & authoritate indicta, & congregata fuit. Secundò, in Concilio Sinvessano contra Marcellinum habito, requisitus est septuaginta duorum testium numerus contra Joannem in hoc Patrum Conventu, præter accusatores vix unus testis productus fuisse legitur. Tertiò, Ut minimum ter vocari, & citari debebat, cùm in nullo Concilio quisquam hæreticus ante tertiam citationem legatur fuisse condemnatus. Quartò, Nulla concessa est dilatio Pontifici, quæ ne quidem vilissimo homuncioni umquam in judicio etiam externo, & politico negata fuit. Quintò, Contra morem omnium Conciliorum hactenus habitorum petitum est ab Imperatore, ut ille Romanum Pontificem condemnet, qui nec Clericum ullum condemnare debebat. Sextò, Sine ulla sententia abdicatus est Joannes, & quidam Leo, quem Octavum nominant, in locum illius surrogatus fuit: adeoque, quod omni Juris ordini repugnat, ab executione processum inchoarunt. Septimò, Universa synodus eum judicare præsumpsit, qui à jurisdictione sua planè exemptus erat. Sinvessano sub Marcellino, & Romanis duobus sub Symmacho, & Leone III. una vox Episcoporum omnium erat ista: *Prima Sedes non judicatur à quoquam*. Insigni ergo impudentia, vel ignorantia hic Patrum Orthodoxorum Conventus Romanum Pontificem condemnavit, in quem nemo alius, quàm hæreticus, vel schismaticus ullum sibi judicium hactenus usurpavit. Accedit ad hæc, quod in epistola ad Joannem scripta apertè profiteantur, idque exemplo Judæ proditoris confirment, propter peccatum, clavium potestatem à Pontificibus auferri, eisque tradita sibi à Deo ligandi, atque solvendi facultate privari, & destitui: quod hæreticum, & erroneum esse, nemo Catholicus unquam negaverit. Præterea, ab omni Ecclesiastica consuetudine abhorret, quod Romanos Pontifices Sedis Romanæ Suffraganeos appellant, quodque stultissimè reprehendunt Joannem, quod in sua Responsione dixisset: *Non habeatis licentiam ullum ordinare*: putantes enim ipsi, idem esse *ullum*, quod *nullum*, summa cum ignorantiæ suæ proditione redarguerunt eum, quod duabus negationibus affirmasset illud idem, quod prohibere intendebat. Ad extremum, Non est silentio prætereunda præpostera illa nomenclatura, qua contra morem majorum, inverso penitus loquendi usu, Imperatorem Sanctissimum, & pontificem Magnum nominant: cùm ante sententiam consuetos honorum titulos nemini adimere liceret, prout in actis magnæ Chalcedonensis synodi factum apparet Nestorio, qui quamvis hæresiarcha accusatus, & convictus esset, numquam tamen eum, nisi post prolatam sententiam, Patres desierunt Reverendissimum, & sanctissimum nominare.

Cùm ergo propter tot nullitates, quas vocant in hoc judicio commissas, nulla sit sententia, sitque nullum, & irritum judicium cum omnibus Actis, quæ in eo gesta fuerunt, nullam, & planè irritam esse oportet abdicationem Joannis, & surrogationem alterius, qui verò Pontifici adhuc viventi, nulloque jure abdicato

cato, suffectus fuit. Tollatur igitur, & explodatur è numero, & ordine Pontificum Leo ille schismaticus, quem scriptores infiniti numero Octavum ejus nominis Joanni XII. subjungunt, omissoque Benedicto V. tamquam sedis invasore illegitimo, Joanni XIII. anteponunt.

Concilium Constantinopolitanum, in causa Nicephori Imperatoris orientalis, habitum anno 963. tempore Joannis Papæ XII.

DEfunctis hoc anno duobus in Oriente Impp. Leone, ejusque filio Romano, acclamatus fuit ab exercitu successor Imperii Nicephorus Phocas victoriis clarissimus. Coronatus à Polyeucto Patriarcha Constantinopolit. voluit in uxorem accipere Theophanem relictam Romani Imperatoris defuncti viduam. Qua de causa cùm illi Polyeuctus resisteret, tùm quod non liceret ei absque quadam pœnitentia secundam uxorem ducere; tùm etiam, quod filium Theophanes in baptismate suscepisset; convocata est hæc synodus, ejusque sententia indultum (crimen enim, quod illi objiciebatur, probari non poterat) ut prædictæ Theophani connubio legitimo jungeretur. Curopalates.

Concilium Romanum auctoritate Joannis Papæ congregatum, quo Leo schismaticus Pseudopapa esse declaratur, actaque præcedentis Conciliabuli Romani reprobantur, anno Domini 964.

DE hac synodo Sigebertus, qui acta synodalia legisse visus est, dum ea summatim refert in Chronico, hæc ait: *Joannes synodo collecta Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit: statutum quoque est publico omnium judicio synodum à Leone habitam, nec nominandam synodum, sed Prostibulum favens adulteris* (ita Leonem nominabat, quod is Romanam Ecclesiam alteri desponsatam invasisset): *Quicumque eo ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit; nihil mihi dedit: & sic depositi remanserunt in illis gradibus, quos habuerant, non à Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut non accepta prius consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnato à Constantino Neophyto*. Hæc Sigebertus.

Tollatur ergo, ait Baronius, & explodatur è numero verorum Pontificum Pseudopontifex, & Antipapa schismaticus; iterum clamo, tollatur: facessat illorum, qui post hæc tempora vixerunt, & Pseudo-Leonem inter legitimos sacræ Romanæ Ecclesiæ Pontifices numerarunt, inscitia; damnetur verò illorum, qui ista tunc perpetrarunt, occasionemque errandi posteris dederunt, temeritas, & in Sacerdotibus non toleranda, vel excusanda sacrorum Canonum ignorantia, & antiquarum traditionum Ecclesiasticarum imperitia. Imperatoris autem factum excusetur verbis Apostoli dicentis Rom. 10. *Testimonium illis perhibeo, quod zelum habent, sed non secundum scientiam*: nimis enim leviter existimabant, unà cum moribus depravatis minui, atque penitus tolli Romani Pontificis auctoritatem. Quod cum erroneum sit, ut in Apparatu annotavi, sitque ab hæreticis Donatistis olim cum periculo totius Ecclesiasticæ œconomiæ disseminatum, nemo sanè prudens defenderit, quod Joannes Pontifex ob vitam non satis integram, per Conciliabulum Ottonis Imperatoris auctoritate collectum, rectè, & legitimè depositus, & Leo ejus nominis Octavus eidem justè surrogatus fuerit.

Leo octavus.

Si dicas, Leonem hunc communi Scriptorum sententia, & consensu inter Romanos Pontifices numerari, Leonemque Octavum nominari, adeoque temerarium esse, qui ab ista vulgari opinione dissentit: Respondeo, scriptorum error veritati nihil præjudicare potest. Nam sicut canis aliquis leonis nomine insignitus, vel etiam in numerum eorumdem leonum relatus, per solam nominationem, vel numerationem, canis naturam non immutaret, neque leo esse inciperet, ita non incipiet esse verus Leo Pontifex ejus nominis Octavus, quem errantium Scriptorum communis sententia inter Pontifices veros numerat, & Leonem Octavum nominat.

Conciliabulum Romanum, quo per Leonem Antipapam, & sedis Apostolicæ invasorem schismaticum Benedictus Papa V. exauctoratur, & Hamburgum relegatur, anno Domini 964. sub Ottone, & Nicephoro Phoca Imperatoribus.

REsidentibus itaq; domino Leone summo, & universali Papa in Ecclesia Lateranensi, necnon & Imperatore sanctissimo Ottone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia, & Saxonia Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superius adscribuntur, advenit Benedictus Apostolicæ sedis invasor, eorum, qui se elegerant, manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi auctoritate, quave lege, ò invasor, hæc Pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc præsente Domino nostro venerabili Papa Leone, quem tu nobiscum, accusato, & reprobato Joanne, ad Apostolatus culmen elegisti? Num inficiari potes præsenti Domino Imperatori juramento promisisse, numquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius, filiique sui Regis Ottonis consensu?

Benedictus respondit: Si quid peccavi, miseremini mei. Tunc Imperator, effusis lacrymis, quàm misericors esset, ostendens, rogavit synodum, ne Benedicto præjudicium fieret; si vellet, & posset, ad interrogata responderet: quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inveniret. Quo audito, ad Domini Leonis Papæ pedes, ipsiusque Imperatoris idem Benedictus concite procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ sedis invasorem esse clamavit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cùm pontificali ferula, quam manu gestabat, domino Papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit, Cui Casulam, quam Planetam vocant, cum Stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum, sanctæ, & Apostolicæ sedis Romanæ invasorem, omni pontificatus, & Presbyteratus honore privamus: ob eleemosynam verò Domini Imperatoris Ottonis, cujus sumus opera in sedem debitam restituti, Diaconatus eum Ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, sed in exilium destinamus.

Concilium Revennatense, in causa Disciplinæ Ecclesiasticæ, celebratum anno Domini 967. tempore Joannis Papæ XIII.

DE hac synodo fit mentio apud Reginonem his verbis: *Otto Imperator, ubi natalem diem Domini celebraßet, Ravennam profectus est unà cum Joanne Romano Pontifice, ubi celebrato Paschate plurimos ex Italia, & Romania coadunavit, & habita Synodo multa ad utilitatem Ecclesiæ sanctæ adinvenit. Et Apostolico Joanni urbem, & terram Ravennatium, aliaque complura multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata reddidit* (vel potius restitutionem jam ante factam confirmavit) *eumque Romam cum magna lætitia remisit*. Hæc apud Reginonem.

Con-

Concil. Anglicanum Generale adversus incontinentes clericos celebratum anno Dom. 970. tempore Joannis Papæ XIII.

HÆc Synodus celebrata est in Anglia à sancto Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo, auctoritate Joannis Romani Pontificis, de qua in actis sancti Osvvaldi Episcopi Vigorniensis apud Surium 15. Octobris ista habentur: *Per idem tempus auctoritate Joannis Papæ Dunstanus Archiepiscopus coacto Generali Concilio statuit, & Decreto firmavit, ut Canonici omnes, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi aut castè viverent, aut Ecclesias, quas tenebant, dimitterent.*

Generale Concilium nominatur, quia in eo omnes Angliæ Episcopi convenissent. In eodem hoc Concilio Comitem quemdam præpotentem ob incestuosas nuptias publicam egisse pœnitentiam, refert Osbertus apud Surium in Dunstano 19. Maji.

Concil. Romanum, quo privilegia Monasterio sanctæ Mariæ Glastingeberi à rege Anglorum Edgaro concessa confirmantur, anno Domini 971. tempore Joannis papæ XIII.

EDgarus Rex Anglorum, & Dunstanus Doroverпensis Ecclesiæ Archiepiscopus Glastingeberi Monasterium quoddam in honorem Dei, & B. Virginis erexerant, plurimisque opibus ditarant, & cum metuerent, ne posteris fortasse temporibus ab aliquo successore ea, quæ ipsi piè, sanctèque fundaverant, everterentur; misso per Legationem ad Joannem Papam fundationis instrumento, rogarunt, illud auctoritate Apostolica muniri, & confirmari. Pontifex cum benignè directam Legationem suscepisset, *concordi assensu*, inquit Vvilhelmus de Gestis Regum Anglorum, *Romani Concilii sancita ab eis firmavit, scribendo Apostolicæ auctoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, si qui fortè emerserint, perpetui anathematis ultionem.* Diploma Joannis extat apud Baronium, anno 971. num. 2.

Concilium in Engelheim celebratum anno Domini 972. tempore Doni Papæ.

CUm Otto Imperator unà cum filio Ottone II. in Germaniam revertisset, ad componendas res Ecclesiarum, synodum per Episcopos congregavit in Engelheim: in quo, quid gestum fuerit, nos præterit; nisi quod in vita sancti Udalrici Episcopi Augustani legitur, quod ille relicto Episcopatu ad Monasticam vitam transeundi potestatem sibi fieri postulaverit, communique judicio responsum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri sanctissimi aliis peccandi occasionem præbeat, qui in gratiam suorum nepotum, quos vellent, ista ratione Ecclesiis, non sine gravi totius populi detrimento, obtruderent. Vide Baronium anno 972. num. 3. & seq.

Concilium Mutinense, in quo controversia inter dissidentes germanos proceres Petrum, & Lambertum composita fuit, anno Domini 973. tempore Benedicti papæ VI.

HÆc. Synodus convocata est ab Honesto Archiepiscopo Ravennate apud Mutinam, ad componendum dissidium illud, quod inter duos germanos Proceres, Petrum nimirum, & Lambertum, agitatum fuerat. Id, qua ratione factum fuerit, prolixius enarrat Rubeus lib. 5. Hist. Raven. anno 973.

A *Concilium Constantinopolitanum, quo Basilius Patriarcha depositus fuit anno 975. sub Benedicto Papa VII.*

IN hac synodo, quæ, teste Curopalate, habita fuit, Indictione tertia, Basilius Patriarcha criminis accusatus, deponitur, & in locum ejus substituitur Antonius Studites. Baronius anno 975. num. 10.

Concilium Vvintoniense in causa clericorum contra Monachos insurgentium celebratum anno Domini 975. tempore Benedicti Papæ VII.

B DUm Angliæ Clerici non satis probatæ vitæ, opera Principum, & Optimatum, Abbates, eorumque Monachos optimè viventes è Monasteriis, ab Ethelvvodo Vvintoniensi Episcopo, aliisque Regibus, & viris piè fundatis, ejecissent, eorumque bona invasissent, delatum est negotium ad Dunstanum Cantuariensem Episcopum, qui synodum apud Vvintoniam congregavit, in qua *circa medium utriusque partis disputantis conflictum*, inquit Matthæus Vvastmonasteriensis, *imago Dominica, quæ altercantibus astabat in Ecclesia expressè locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet, judicastis benè, malè mutaretis. Quare,* inquit idem Matthæus, *Clerici, omnesque eorum fautores elingues redditi, nullam deinceps Monachis controversiam moverunt.* Vide Baron. anno 975. num. 12.

C *Concilium Romanum in causa Giseleri Magdeburgensis Episcopi secundi, celebratum anno 983. tempore Benedicti VII.*

HOc tempore habitam fuisse Romæ synodum, in qua inter alia agitata sit causa Giseleri Magdeburgensis Episcopi, testatur Dithmarus lib. 3. Cronici. Quod ait, Giselerum malis artibus ab Imperatore eam sedem obtinuisse, fidem nullam meretur: cùm Adam probatę fidei antiquus Chronographus lib. 2. cap. 14. Giselerum virum sanctum, & Vvinulorum Apostolum nominet. Vide Baron. anno 983.

D *Concilium Romanum in causa S. Adelberti Episc. Pragensibus restituendi, celebratum anno Dom. 989. tempore Joannis Papæ XV.*

SAnctus Adelbertus Pragensis Episcopus, cùm Bohemos suos sibi valde contrarios esse experientia didicisset secundum Evangelicam sententiam eos deserens, anno Christi 983. sub Benedicto Papa VII. Romam venerat, ut consensu Romani Pontificis Episcopatum dimitteret, sibique ad loca sancta peregrinari liceret. Peracta peregrinatione, Romam reversus, Monasterium sancti Bonifacii ingressus est: cùmque in eo, tanquam in palæstra Christi, integro quinquennio se pugilem strenuissimum exhibuisset, Pragenses emendationem polliciti, Episcopum suum repetiverunt: eaque de causa duos viros ad sedem Apostolicam ablegarunt. Quos cùm Pontifex audivisset, Conventum E hunc synodalem collegit, in quo post diligentem facti inquisitionem, visum est sanctæ Patrum Congregationi, planè necessarium esse, ut Episcopus ad pœnitentem populum redire cogatur, quantumvis ille reluctetur. Addidit Pontifex hanc legem, & conditionem: *Si audierint eum, teneant, cum benedictione: si verò non audierint, absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Sententiæ Concilii, & imperio Abbatis Adelbertus obtemperans, magno cum dolore, plurimisque lacrymis ad Episcopatum revertitur. Quomodò verò eumdem Episcopatum ob ingravescentia populi peccata iterum deseruerit, quave occasione postea Hungarorum Apostolus effectus, Stephanum Regem baptizaverit, refertur apud Surium in Actis sancti Adelberti die 23. Aprilis, tom. 2. & in Vita Stephani Hun-

Hungarorum Regis, apud eumdem, tom. 4. die 25. Augusti.

Concilium Silvanectense, quo jussu Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi, Galliarum Episcopi prædonibus Rhemensis civitatis anathema dixerunt anno 990. tempore Joannis XV.

ARnulphus Rhemensis Archiepiscopus ab Hugone Francorum Rege ad eam dignitatem promotus, venerat in suspicionem, quasi conscius foret illius proditionis, qua per Presbyterum quemdam Rhemensem, Girlebertum nomine, Carolus frater Lotharii civitate Rhemensi potitus erat, ipsumque Arnulphum captivum abduxerat. Augebat suspicionem, quòd filius Lotharii Regis defuncti, & Caroli nepos esset, adeòque ejus jussu civitas Caroli Patricio suo tradita fuisset. Ad quam suspicionem tollendam, cùm ille sententiam excommunicationis, quæ extat in Concilio Rhemensi cap. 12. adversus omnes, qui tàm nefaria perpetrassent, privatim intorsisset, voluit ille hoc loco Galliarum Episcopos convenire, idemque, quod ille fecerat, præstare. Obtemperarunt suo Archiepiscopo aliarum Ecclesiarum Antistites, atque eosdem prædones post habitam Orationis invectivam sententia anathematis condemnarunt. Recitata sunt ista omnia postea in Rhemensi Concilio; atque inde à Gerberto in suum Commentarium translata fuerunt.

Conciliabulum, sive Pseudosynodus Rhemensis, qua Arnulphus Archiepiscopus depositus, & Gerbertus eidem substitutus fuit, anno 992. tempore Joannis Papæ XV.

QUid in hac Pseudosynodo gestum fuerit, ex legitimis Actis Eginaldus in Auctario, quod est apud Aimoinum, descripsit his verbis: *In illis diebus in Rhemensium civitate erat Archiepiscopus, vir bonus, & modestus, frater Lotharii Regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem Rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii Regis. Congregansque in urbe Rhemensi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex invitavit Archiepiscopum Senonicæ urbis, nomine Seguinum cum suffraganeis suis: in quo Concilio fecit degradari Dominum Arnulphum Archiepiscopum Rhemorum dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere, dicens, non debere esse Episcopum natum ex concubina. In loco autem ejus consecrari fecit Dominum* Gerbertus *Gerbertum Monachum, Philosophum, qui Gerbertus Magister fuit Roberti Regis filii istius Hugonis, & Dominici Leutherici Archiepiscopi successoris venerabilis Seguini: Arnulphum autem mancipari custodiæ in Aureliana civitate. Venerabilis autem Seguinus Archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: jussio autem Regis augebat. Alii verò Episcopi, licèt inviti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulphum, & ordinaverunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum, quàm terrenum Regem, noluit consentire nequitiæ Regis, sed magis, quantum potuit, redarguit ipsum regem; propter quam causam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli jussit Arnulphum de Ecclesia B. Mariæ Genitricis Rhemensis, & sic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianæ civitatis, ubi detinebatur nepos ejus Carolus, mansit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia Præsuli Romano, qui valdè indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnibus Episcopis, qui Arnulphum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant, &c.* Hæc de rebus in Pseudosynodo Rhemensi gestis Aimoinus prædicto loco. Post hæc ibidem subjungitur, quomodò Joannes Papa, indicta alia Synodo Rhemensi, in præsentia Leonis Abbatis à Sede Apostolica ablegati, Acta hujus Conciliabuli retractari, & planè improbari mandaverit. De quibus infra suo loco.

Causam habiti Conciliabuli præbuit rumor, qui de urbe Rhemensi per Arnulphum prodita augebatur. Nam cùm Hugo Rex Francorum sua promotione Arnulphum ad hanc dignitatem Archiepiscopalem evexisset; hoc summo studio deinceps peregit, ut Episcopum suo judicio ingratum in ordinem redigeret, aliumque in ejus locum surrogaret. Cumque Arnulphus ad judicium Synodale vocatus, ad Pontificem tanquam competentem Judicem provocasset, missis isthuc binis Legationibus, hoc non sine dolo, ac fraude mandatum fuit, ut, si post litteras sedi Apostolicæ ante triduum exhibitas non audirentur, in Gallias redirent. Quod cum Legati præstitissent, suoque judicio id, quod Leges Ecclesiasticæ de Pontifice hac in re consulendo jubent, summa cum fraude perfecissent, & in Gallias revertissent, indicta est Episcoporum Congregatio. Vocatus est de proditione, aliisque criminibus, & irregularitatibus accusatus Arnulphus Archiepisc. Rhemensis. Cumque ille allegaret, se à Carolo Patricio suo Lauduni captivum detineri, neque alio proficiendi veniam impetrare posse: Hugo Rex Francorum Laudunum proditione Episcopi subegit, & Arnulphum, qui ibidem in vinculis detinebatur, captivum abduci, & synodali huic Patrum Congregationi judicandum præsentari mandavit.

Acta Concilii germana, dura, simplicia, & sincera, sicut ab exceptoribus Notariis, vel aliis scripta fuere, non extant.

Gerbertus Arnulphi necessarius, in hoc Conciliabulo ad Rhemensem Archiepiscopatum evectus, & à Romano Pontifice deinceps amotus, eadem Acta edidit, sed paraphrasticè, & Rhetoricè magis, quàm Historico more. Nam, ut ipse fatetur in Prologo, alibi quædam addidit; alibi verò ex iisdem nonnulla sustulit, & expunxit: quędam autem paraphrasticè transtulit, & mutilavit.

Quod si ita est, verissimum esse apparet, libellum, quem multis blasphemiis, & mendaciis intextis antehac ediderant Centuriatores, quemque hoc nostro tempore in odium Romanæ Ecclesiæ Novatores anno 1600. Francofurti in lucem emiserunt, non tàm acta Synodalia Rhemensis Concilii, quàm scriptum quoddam, & opus Gerberti in ipsa acta Synodalia pro arbitratu illius emissum continere, vanamque, & mendacem esse inscriptionem, qua Libellus, & opus ipsius Gerberti *Synodus Ecclesiæ Gallicanæ* nominatur. Si enim Romanus Pontifex, prout infra dicemus, acta hujus Congregationis planè improbavit, amotumque judicio Synodali Arnulphum sedi suę restitui demandavit; non tàm Synodus, quàm Pseudosynodus appellanda erat. Quas blasphemias, & calumnias contra Deum, & Ecclesiam, quotve mendacia huic suo Libello Gerbertus inseruerit, videre est apud Baronium, à quibus recensendis, atque hoc loco memorandis ego propterea imprimis abstineo, quod non tàm Actis alicujus Conciliabuli, quàm commentario Gerberti scripto contineantur. Quisquis ea scire voluerit, anno Domini nongentesimo nonagesimo secundo num. 12. & seqq. Baron. consulat.

Concilium Romanum pro canonizatione S. Udalrici Augustani Episc. celebratum anno Dom. 993. tempore Joannis papę XV.

CUm conventus esset factus in Palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarii, residente Joanne sanctissimo Papa cum Episcopis, & Presbyteris, astantibus Diaconis, & cuncto Clero, & diligenter examinata vita, & miraculis S. Udalrici, relatus est in Sanctorum numerum.

Con

A

Concilium Mosoniense, quo, ejecto Gerberto, Arnulphus sedi suæ restituitur anno Domini 995. tempore Joannis Papæ decimiquinti.

MOsonium est oppidum Galliæ Belgicæ, Rhemensi Metropoli subjectum, hodie priscum nomen retinens. *Hoc loco*, inquit Papyrius Masso lib. 3. Annal. Francorum, *Leo Romæ in Monasterio sancti Bonifacii Abbas, & sedis Apostolicæ Legatus, Synodum congregavit anno 995. indictione octava, 4. Nonas Junii, in qua Gerbertus, qui, exauctorato Arnulpho, suffectus erat, patientissimè auditus est.* In hac Synodo Gerbertus etiam inter cetera prolixa quadam oratione, quæ reperitur in prænominato Gerberti libello, Arnulphi depositionem, suique inviti ordinationem injustè factam defendit. Leo autem sedis Apostolicæ Legatus eidem haud dubium multa contradixit, acceptaque Gerberti Oratiuncula, aliam Synodum Kalendis Junii Rhemis habendam denuntiat. Interim Monachum suum idem Legatus ad Reges Francorum duci jubet, & per Episcopos Gerberto mandat, ut à divino officio usque ad denunciatam Synodum abstineat. Hæc ex Papyrio, qui sedis Rhemensis invasori Gerberto immeritò favit. Baron. anno 995.

B

Non caret fraude, quod Novatores ediderint omnia illa, quæ Gerbertus pro se dixit, vel scripsit: quæ autem contra ipsum in hac Synodo Leo Apostolicæ sedis Legatus copiosissimè disputavit, quæque inter acta Rhemensium Episcoporum fuisse recondita, Aimoinus verbis infra recitandis testatur, nequaquam ediderint.

C

Concilium Rhemense secundum, quo per Leonem sedis Apostolicæ Legatum Arnulphus, Gerberto deposito, Rhemensi Ecclesiæ restituitur anno 995. tempore Joannis Papæ decimiquinti.

HÆc est illa vera, & legitima Synodus Rhemensis, qua Acta præcedentis Pseudosynodi auctoritate Apostolica improbantur, & planè annullantur. Quid in ea gestum fuerit, in Appendice Aimoini narratur his verbis: *Nuntiantur hæc omnia* (de quibus supra præcedenti Conciliabulo Rhemensi) *Præsuli Romano, qui valdè indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnibus Episcopis, qui Arnulphum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant. Misit quoque Leonem Abbatem à sede Apostolica ad Dominum Seguinum Archiepiscopum urbis Senonicæ, qui vice sua in urbe Rhemensi Synodum congregaret, mandans illi, ut sine dilatione revocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in urbe Rhemensi, ex jussione Apostolica revocatus est Arnulphus de custodia, & cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autem intelligens, quod injustè Pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem verò Gerberti Pontificis, & Leonis Abbatis valde utilem plenius invenies in Gestis Pontificum Romanorum.* Hæc de Actis hujus Synodi Aimoini appendix.

D

Libellus Gerberti refert, quod in hac Synodo Episcopi illi, qui Arnulphum sede sua ejecerant, dixerint in totius regni discrimine nihil melius, & utilius fieri potuisse, quàm ut tyranno excluso pastor aliquis populo, & Regno utilis constitueretur. Cumque à Leone arguerentur, quod illud sine Sedis Apostolicæ auctoritate fecissent; respondebant, binas hac de re Legationes Romam missas, non fuisse auditas, ideò, quia Crescentium Palatii custodem nullo munere corrupissent: nihilque (quod falsum esse constat ex verbis Aimoini supra in Pseudosynodo Rhemensi recitatis) sine consensu, & auctoritate Seguini Senonensis Archiepiscopi, Sedisque Apostolicæ Legati peregisse. Plura de hac re Baron. anno nongentesimo nonagesimo secundo, & nongentesimo nonagesimo quinto, &c.

E

Concilium Romanum, quo constitutum fuit, ut Imperator deinceps à septem Electoribus Germaniæ principibus eligatur, habitum fuit anno Domini 996. tempore Gregorii Papæ quinti.

HUjus Concilii Acta omnia interierunt: ob causam tamen allegatam in titulo hoc tempore habitam fuisse, evidenter satis colligit Cardinalis Baronius ex quinque Assertionibus: quarum

Prima est: Res magni momenti, non nisi consultis Patribus, & collectis Episcopis, in Synodo fieri consueverunt. Hæc est talis: ergo,

Secunda Assertio: Hoc tempore Synodum Romæ celebratam fuisse. Hoc probatur ex vita S. Adelberti apud Surium, & Binium. Hujus quoque Concilii mentio habetur in vita sancti Burchardi Vvormatiensis Episcopi, ubi pariter dicitur interfuisse eidem Concilio Franco tunc Episcopus Vvormatiensis, accepisseque ab eo Abbatiam, cujus investituram in eadem Synodo recitatam tradit, eumque hoc anno esse defunctum.

Tertia Assertio: Ottoni Magno à Romano Pontifice concessum fuit, ut sibi successorem deligeret: ceteri autem Imperatores eo jure caruerunt.

Quarta Assertio: Firma est, & in omnibus constans assertio, sicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem translatum est; ita jus eligendi Imperatorem Germanis concessum. Sic Innocentius Papa III. scripsit ad Ducem Thuringiæ, & habetur Extravag. de Elect. cap. Venerabilem, & in Concilio Viennensi, ut habetur in Clement. de Jurejur. cap. 1.

Quinta assertio: Gregorius autem hoc reduxit ad numerum 7. electorum ad vitanda dissidia majora, ipso præsertim Imperatore assentiente, vel etiam petente, ac rogante, ut observat Bellarm. lib. 3. de translat. Imperii cap. 4. quod nonnulli volunt Papam sic egisse ex authoritate populi Romani in se transmissa, ad quem jus Imperii pertinebat olim.

Controversiæ plures ad hoc Concilium spectant. Quo tempore instituti septem Electores, cujus authoritate, cur septem, qui illi, cur quatuor laici, tres Ecclesiastici. Quis inter eos ordo. Quis primus suffragium ferat in designando Imperatore. Hæc porrò, & alia hujusmodi discussa invenies apud Bellarm. libris tribus de translatione Imperii, & Augustum Viserum in tractat. de electione regis, seu Imperatoris Romanorum.

Concilium Romanum in causa Giseleri Magdeburgensis Episcopi, celebratum anno Domini 999. tempore Sylvestri Papæ secundi.

DIthmarus ubi agit de secundo adventu Ottonis in Urbem, de rebus in hac Synodo gestis ita scribit: *Synodus Romæ tunc, in qua accusatus Giselerus Archiepiscopus Magdeburgensis, quod duas Parochias teneret; percussus ille paralysi venire non potuit: res posita ad Concilium Provinciale Germaniæ 1.* In eodem Concilio Imperatorem voluisse recitari privilegium Vvormatiensi Ecclesiæ concessum, testatur Baronius anno 999. num. 12.

SÆCULUM UNDECIMUM.

Concilium Tremoniense pro reformanda Ecclesia, celebratum anno Domini 1005. tempore Joannis Papæ decimiseptimi, aliàs deciminoni.

DIthmarus lib. 6. testatur, allegato tempore celebratam esse in Germania magnam Synodum

Tremoniensem, in qua Rex Henricus de ejus temporis S. Ecclesiæ deformatione conquestus, magna instantia apud Episcopos laboravit, ut collapsa Ecclesiæ disciplina reformaretur. Præstiterunt illud pro viribus, quibus id potuerunt diligentissimè, communique consensu ediderunt sacros Canones, quibus sanctissimæ leges Ecclesiasticæ in pristinum usum revocarentur, pravique mores, qui in Clerum, ac populum irrepserant, exularent, & corrigerentur. Quibus statutis, Rex sibi Deum propitium conciliavit; viamque ad victorias consequendas, & Romanum Imperium obtinendum aperuit. Celeberrimi Concilii Acta planè interierunt.

Concilium Francofordiense de Ecclesia Bambergensi in cathedram Episcopalem erigenda, celebratum anno Domini 1006. tempore Joannis Papæ decimiseptimi, aliàs deciminoni.

IN hoc Concilio, testimonio Dithmari, qui eidem præsens interfuit, inter alia tractatum est de Ecclesia Bambergensi in Cathedram Episcopalem erigenda: idque ad petitionem Regis Henrici, qui eam civitatem à puero dilexerat, & semper excoluerat, & uxori in dotem assignaverat. Henricus Vvirceburgensis Episcopus ad Synodum vocatus venire non voluit, nisi post unionem suæ Parochiæ cum Bambergensi Ecclesia factam, ipse Archiepiscopus constitueretur.

Concilium Bambergense, de controversiis quibusdam Episcopor. celebratum an. Dom. 1011.

CUm Henricus Rex ad dedicationem Basilicæ Bambergensis à se constructæ cœtum plusquam triginta Episcoporum convocasset, ab iisdem ista occasione hoc loco congregatis habita est Synodus, in qua sedatæ sunt controversiæ illæ inter Episcopos, de quibus Dithmarus Mersepurgensis Episcopus, qui eidem Synodo præsens interfuit, scribit. Idem Dithmarus fatetur, se pro recuperandis suæ Parochiæ bonis Synodo libellum dedisse: atque Theodorico Metensi Episcopo ab omnibus in Synodo præsentibus interdictum esse, ut ante purgationem Missam non caneret. Baron. ann. 1011. num. 1.

Concilium Legionense, æra 1050. idest, anno Christi 1012. sub Adelfonso quinto, Rege Legionensi.

Decreta Adelfonsi Regis, & Geloiræ Reginæ.

1. IN primis censuimus, ut in omnibus Conciliis, quæ deinceps celebrabuntur, causæ Ecclesiæ prius judicentur, judiciumque rectum absque falsitate consequantur.

2. Præcipimus etiam, ut quidquid testamentis concessum, & roboratum aliquo tempore Ecclesia tenuerit, firmiter possideat: si verò aliquis inquietare voluerit illud, quod concessum est testamentis (quidquid fuerit) testamentum in Concilium adducatur, & à veridicis hominibus, utrum verum sit, exquiratur, & si verum inventum fuerit testamentum, nullum super * eum agatur judicium, sed, quod in eo continetur scriptum, quietè possideat Ecclesia in perpetuum. Si verò Ecclesia aliquid jure tenuerit, & inde testamentum non habuerit, firment ipsum jus cultores Ecclesiæ juramento, ac deinde possideat perenni ævo, nec præjudicet triennium juri habito, seu testamento; Deo enim fraudem facit, qui per triennium res Ecclesiæ rescindit.

* *illud.*

3. Decrevimus etiam, ut nullus contineat, seu contendat Episcopus Abbates suarum Diœceseon, sive Monachos, Abbatissas, Sanctimoniales, refuganos, sed omnes permaneant sub ditione sui Episcopi.

4. Mandavimus adhuc, ut nullus audeat rapere ab Ecclesia. Verum si aliquid infra cœmeterium per rapinam sumpserit, sacrilegium solvat; & si quid inde abstulerit, ut rapinam reddat. Si autem extra cœmeterium abstulerit rem Ecclesiæ, reddat eam, & calumniam ipsius Ecclesiæ, more terræ.

5. Item decrevimus, ut si fortè aliquis hominem Ecclesiæ occiderit, & per seipsum Ecclesia justitiam adipisci non potuerit, concedat Majorino Regis vocem judicii, dividatque per medium calumniam homicidii.

6. Judicato ergo Ecclesiæ judicio, adeptaque justitia, agatur causa Regis, deinde populorum.

7. Decrevimus iterum, ut nullus emat hæreditatem servi Ecclesiæ: qui autem emerit eam, perdat eam, & pretium.

Ex manuscripto Codice Cordubensi extractum est hoc Concilium non sine mendis aliquot. Vide Binium.

Concilium Salegunstadiense, habitum sub Benedicto Papa octavo, & Imperatore Henrico secundo, anno 1022.

Salegunstadiense oppidulum, seu castellum est adjacens flumini Mogano in diœcesi Moguntina inter Assiburgum, & Francfordum, vulgo Selgenstat dictum. Hoc Geographi insignes omisere.

IN Dei nomine. Ego Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopus, quamvis indignus, cum cæteris confratribus nostris, & Coepiscopis, Burchardo Vvormaciensi, Vverenbario, Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Babenhergensi, Meginhardo Vvirceburgensi, Synodum in Salegunstat condiximus anno Dominicæ Incarnationis 1023. Indict. 5. secundo Idus Augusti. Anno autem Domini Henrici secundi regni 21. Imperii verò sexto: quatenus cum communi fratrum prædictorum consilio, atque consultu, multimoda divinorum officiorum, atque Synodalium legum componeretur dissensio, & disparilitas nostrarum singularium consuetudinum, honesta consensione redigeretur in unum. Ideoque propter illas lamentabiles dissensiones, communi decreto Concilii hæc capitula sancita sunt.

TITULI CAPITULORUM Salegunstadiensis Concilii.

16 De

CAPITULA CONCILII Salegunstadiensis.

1 UT quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ in abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Nativitatem Domini similiter, & in vigilia Epiphaniæ, & in omnium vigiliis Apostolorum, & in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, necnon etiam in vigilia omnium Sanctorum: adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate: & nisi aliquis sit, qui proprio voto majori abstinentia uti velit.

2. De incerto autem jejunio quatuor temporum, hanc certitudinem statuimus, ut, si Kalendæ Martii in quarta feria, sive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam, aut sextam, aut Sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo, si Kalendæ Junii in quartam feriam, aut antea evenerint, in subsequente hebdomada jejunium celebretur. Et si in quintam feriam, aut sextam, aut sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Ex hoc sciendum est, quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes: & tunc propter solemnitatem Spiritus sancti, Diacones dalmaticis induantur, & Alleluja cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, ut si Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint, aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta, aut sexta, aut sabbato contigerint, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud observandum erit, ut proximo Sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur jejunium: quia, si vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam, & jejunium celebrare non convenit.

3. De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini usque in octavas Epiphaniæ, & à septuagesima usque in octavas Paschæ: nec in supra notatis 14. diebus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.

4. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut Presbyter aliquis, qui post galli cantum æstivis noctibus biberit, proximo die Missam non celebret: hyemalibus similiter, nisi necessitas cogat.

5. Item decretum est, ut unusquisque Presbyter in die non amplius, quàm tres Missas celebrare præsumat.

6. Conquestum est etiam in S. Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut, quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem projiciant. Ideoque decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

7. Interrogatum est, si duo in adulterio inculpati forent, & unus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum esset. Decretum est etiam à S. Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili judicio se expurget, &, qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

8. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantùm excepto.

9. Statuit etiam S. Synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene jam inolevit, omnino prohibeatur, hoc est, quod colloquia sua in atrio alicujus Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa maxima exercent Ecclesia, ubi orationes, & divina tantùm fieri æquum est officia.

10. Quidam etiam laicorum, & maximè matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Euangelium: *In principio erat verbum*: & Missas peculiares, hoc est, de S. Trinitate, aut de S. Michaele: & ideò sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore: & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia S. Trinitatis, non pro aliqua divinatione; & si voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

11. Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater, & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos, & neptis, id est, filius fratris, ac filia sororis, primi habeantur.

12. Statutum est etiam, ut ædificia laicorum, quæ Ecclesiis adjuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantùm Presbyterorum.

13. Item decretum est, ut nullus laicorum alicui Presbytero suam commendet Ecclesiam, præter consensum Episcopi: sed eum prius mittat suo Episcopo, vel ejus vicario, ut probetur, si scientia, ætate, & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur. *Vicarius Episcop.*

14. Statuit quoque sancta Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orent sibi concedi, ut alterum illorum, vel utrosque divino purget judicio, si unum in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

15. Decretum est etiam, ut omnes, bannitum jejunium, in quocumque Episcopio celebratur, diligentissimè observent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat. *1. Obligans.*

16. Decrevit quoque S. Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus Vicarii.

17. Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus Presbyterorum cuiquam pœnitenti carrinam dividere præsumat, si infirmitas non intervenerit.

18. Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostol. omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum de iisdem rebus deferendas accipiant.

19. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut omnis pœnitens, dum carrinam suam jejunat, de loco in locum non migret: sed ibi permaneat, ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius sacerdos sibi præbeat testimonium: si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacificè possit jejunare, diligentissimè commendet.

20. In eodem quoque Concilio decretum est, ut nullus Presbyterorum quenquam, nisi jussu Episcopi, in Ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

Nota. *Circa Can. 17. & 19. Carrina Teutonice est pœnitentia quadraginta dierum in pane, & aqua apud Joannem Filesacum in Syntagm. pœnit. cap. 5.* Item apud Antonium Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem. In notis ad titulum 1. Pœnitentialis Rom. quod *Carrina quid.*

quod additum est ad calcem Epitomes juris Pontificii veteris, Longobardorum esse vulgarem vocem ait Tancredus de accusationibus, ab hoc itaque quadraginta dierum numero credimus carenas, & carinas, & carantenas, & quadragenas dictas esse.

Concilium Aquisgranense, quo controversia inter Piligrinum Archiepiscopum Coloniensem, & Durandum Episcopum Leodiensem, de subjectione Monasterii Burritbani fuit terminata, ann. Dom. 1022. tempore Benedicti Papæ octavi.

DE rebus in hac Synodo gestis Chronicon Cameracense lib. 3. cap. 35. ista: *sub his diebus, cùm fortè Imperator Henricus Aquisgrano palatio tàm de Ecclesiasticis, quàm & de sæcularibus pertractaret, in ipsa interim Ecclesia provincialis Synodus ab Episcopis celebrata est. Ubi siquidem inter Archiepiscopum Coloniensium P. & D. Leodiensium Pontificem altercatio non parva recrudut pro Monasterio Burritho, quod uterque suæ Parochiæ subjicere contendebat. Dominus autem Gerardus Episcopus, ut testimonio veritatis litem compesceret, viva voce increpuit, quod Episcopi Leodienses quinque Abbates illius Monasterii sine ulla contradictione Archiepiscopi consecraverunt; imò & ipso Imperatore rogante, & Baldrico Episcopo Leodiensi petente, in præsentia Domini Imperatoris in Aquensi Ecclesia S. Mariæ præfati Monasterii Clericos ordinavit, ipsumque Monasterium cum Archiepiscopo Popone Trevirensium, & Haymone Virdunensium consecravit. Eo ergo sibi videri rectius Leodiensi, quàm Coloniensi regimini subjacere. Quod ita quoque cæteris testificantibus, Archiepiscopus præter allatam Synodalem sententiam ira commotus abscessit.* Hæc Chronicon Cameracense.

Concilium Moguntinum in causa Ottonis comitis ab Hamerstein, congregatum anno Domini 1023. tempore Benedicti papæ octavi.

DE causa, loco, & tempore hujus Concilii Moguntiæ celebrati in vita sancti Gothardi cap. 22. apud Surium ista leguntur.

Aribo Archiepiscopus Moguntinus illo anno Imperatorem ad Pentecosten Moguntiam invitavit, ubi etiam Concilium Generale coegit, in quo multa collapsa correxit; præcipuè verò Ottonem Comitem ab Hamerstein, & Limingardam præter fas sibi cohærentes, separare constituerat, quod tamen perficere non potuit, quandoquidem Comes partim Imperatoris metu, partim Episcopi commonitione, utcumque ad meliorem se recepit frugem, femina autem bannos, vel proscriptiones negligens, jus ibi funditus perdidit, ut hodie quoque perspici potest.

S. Gothardus expellit dæmonē.

Ad hoc Concilium etiam noster Præsul, & Episcopi, & Imperatoris jussu evocatus, non contemnenda Cleri, & militum frequentia, quamvis invitus, & nolens, stipatus eò properabat, & in quodam, qui vicinus est illi castello, ubi Dei gratia & electus, & consecratus fuit, iter faciebat, ubi tùm mulier quædam ab immundo vexata dæmone, à parentibus, & propinquis per Ecclesias ad Sanctorum imploranda patrocinia circumducebatur. Qui cùm audirent novum illuc advenire Episcopum, obviam ei cum dæmoniaca fœmina fidenter processerunt, sanctæ ejus existimationis fama illecti. Impurus autem spiritus illorum acceleratione pavefactus, per os fœminæ anxiis cœpit percontari vocibus, quonam perduceretur. Dicentibus illis, se jam in occursum Gothardi Episcopi properare: horrifico mugitu, & ululatu miserè se opposuit, & ipsis etiam, à quibus trahebatur, mirantibus, & formidantibus reluctatus est, ejulans, & vociferans, Gothardum se nec audire, nec videre posse. Sub hac colluctatione, cùm misera illa à fidelibus fide, & spe, ut patuit, ferventibus traheretur, & spiritus nequam omni contentione obniteretur; tandem profligato illo, mulier liberata est, & ad virum Dei sub quadam arbore refrigerii causa residentem, sana corde, & corpore abducta est. Is verò, cognitis iis, quæ facta fuerant, timore, & gaudio compunctus, lachrymabundus gratias egit Deo, in faciem se prosternens.

Concilium Lemovicense, quo declaratum est, Martialem Lemovicensis Sedis auctorem, Episcopum Apostolicum esse nominandum circa ann. 1031.

DUo Concilia Lemovicensia ob hunc Apostolatum habita fuerunt, & aliud Beluaci circa eadem tempora, quorum acta inter se confusa sunt. Horum autem fragmenta quædam edidit Baronius in Annalibus ex codice Antonii Augustini, donec ab aliquo integra ederentur. Quod recenter præstitit ex Biblioth. Thuana Philippus Labbe Presbyter Societ. Jesu, tom. 2. Bibliothecæ manuscriptorum. Consignatque illud ad annum 1031. In his autem sedibus Episcoporum in modum coronæ dispositis in Ecclesia S. Stephani, primò conqueritur Jordanus Pontifex Lemovicensis de sæcularibus potestatibus, per quas Ecclesiæ bona vastabantur, ejusque ministri affligebantur, in quas decreta est excommunicatio, quousque fructuosè pœnitendo resipiscerent. Deinde afferuntur suffragia multorum Episcoporum, & Abbatum majori ex parte pro Apostolatu sancti Martialis, quem alii in catalogo Confessorum dumtaxat, alii inter Apostolos recensendum contendebant. Concluditque Aymo Bituricensis Archiepiscopus his verbis pro eodem Apostolatu.

Sicut jam dixi, & iterum palam omnibus dico, quia quemadmodum Romana Ecclesia suscipit, & suscipi per textum Epistolæ mandat, & hanc ipsam rem Bituricense Concilium nuperrime collaudavit. Sic laudo hoc bonum esse, & in pace suscipio, & hujus sancti Concilii fraternitatem absque schismate suscipere id obsecro, & exhortor, si quis autem exhortationi nostræ non acquieverit, habeat judicem Dominum uniuscujusque conscientiæ testem. Verumtamen comprovinciales nostros necesse est, nisi susceperint, admoniti obediant Romanæ sedi capiti suo, severa authoritate nostra. Non compulsi, nôn absque causa aliqui mirati sunt, unde hæc controversia de Apostolatu D. Martialis tanta extiterit inter Episcopos, & viros doctos hujus temporis, cùm ad ejus solutionem sufficeret variæ acceptionis Apostoli nominis explicatio: nam secundum quod dicit S. Augustinus ad Orosium, Apostolus interpretatur missus, & sunt quatuor genera Apostolorum, ut ibidem ait: quidam enim mittuntur à Deo per se, ut Moyses, Exod. 3. quidam à Deo per hominem, ut Josue, quem Moyses de mandato Dei judicem populi constituit, Num. 27. quidam per hominem tantùm, de quibus Osee 8. *Ipsi resignaverunt, sed non ex me*, quidam ex se tantùm, ut Pseudo Apostoli, Hierem. 23. *Non mittebam eos, & ipsi currebant.*

Aliter nomen Apostoli, vel strictè sumitur pro eo, in quo tria illa continentur, quæ ad Apostolatum pertinent, 1. ut quis sit immediatus verbi Dei minister immediatè à Deo doctus, & à Christo ipso immediatè missus, 2. ut Ecclesias constituat, fidem in iis locis prædicando, in quibus nunquam fuerit, 3. ut summam habeat in Ecclesia potestatem. Quæ tria requirit Cardinalis Bellarm. ad rationem Apostolatus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 12. aliquando verò nomen istud sumitur latius, & magis impropriè pro insigni aliquo verbi Dei præcone, qui multos ad fidem sic convertit, ut etiam Ecclesias fundet in locis, in quibus non erant. Non erat ergo dubium, quin D. Martialis non posset dici Apostolus strictè loquendo, & propriè, qui tantùm putatur fuisse in num. 70. discipulorum; sed latius sumpto hoc nomine, quid vetabat honoris causa sic appellari?

Con-

Concilium Pampilonense de Episcopatu Pampilonensi antiquæ sedi suæ restituendo, celebratum anno Domini 1032. tempore Joannis Papæ decimioctavi, aliàs vigesimi.

CUm antiquis temporibus, teste Mariana Rerum Hispanicarum Scriptore, Pampilonenses sedem Episcopalem, ob Barbarorum incursiones in Monasterium Leirense, quod situm est in montibus Pyræneis, transtulissent, atque vigore factæ translationis Monachi ejusdem Monasterii jam recens permissu Pontificis Pampilonensium Episcopum creassent, habitum est ista de causa hoc Concilium, actumque in eo, ut antiqua sedes Pampilonensi Episcopatui restituatur: idque post obitum ejus, qui tunc erat Pampilonensis Episcopus, tempore successoris fuit executioni mandatum.

Concilium Triburiense anno Dom. 1035. celebratum tempore Benedicti noni.

ANno supra signato magnam Synodum Triburiensem collectam esse, testatur Hermannus in Chronico, quod ex Codice Augustano nuper edidit Canisius. Acta ejus summatim describuntur in Chronico Cameracensi, lib. 1. cap. 51. his verbis. *Triburiæ secus Moguntiam Imperator Conradus de diversis partibus Episcopos convocavit, ut, quæ utilitatis, & religionis sunt, ad invicem conferrent. Qui post aliqua dictorum suorum hoc habuerunt Capitulum, ut si quando jejunium primi mensis in ea esset hebdomada, qua constat caput jejunii, sicut solet evenire, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rursus moderatissimus Pastor antiquam Patrum consuetudinem servari monebat, & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum, pro consuetudine antiqua censebat, cujus oblata sententia visa est congrua, & ab iis decreta est tenenda.* Hæc Chron. Cameracense prædicto loco.

Concilium Sutrinum, quo Gregorius sextus seipsum pontificatu abdicavit, ann. Dom. 1046.

DE rebus in hac Synodo gestis Hermannus hujus temporis Scriptor ista refert: *Coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit, inde Placentiam veniens Gratianum clarissimum (nempe Gregorium Sextum) quem, expulsis prioribus, Romani Papam statuerant, ad se venientem honorificè suscepit, sicque cunctis prosperè cedentibus, juxta Natalem Domini non longè ab urbe Roma apud Sutriam Synodo item acta, causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam baculo privavit, deinde omnium tàm Romanorum, quàm aliorum consensu, Suidgerum Episcopum, qui post Eberbardum primum secundus Bambergensem sexto jam anno regebat Ecclesiam, nimium reluctantem Summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem, sicque circa Vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur Urbem.* Hæc de rebus in Concilio gestis Hermannus.

Sed, quod refertur in hac Synodo, tres schismaticos Pontifices depositos esse, non aliter intelligendum, quàm quod privati fuerint illis redditibus, quos cum illis transigens Gratianus ad quietem, & unionem Ecclesiæ redimendam illis assignaverat: & quorum gratia idem in hoc judicio Simoniæ accusatus, sed nequaquam convictus fuerat. Illud verò, quod ait, Gregorium in hoc Concilio Sutrino depositum fuisse, nequaquam sustineri potest; sicut etiam, quod de electione successoris constitutum esse adjicitur. Scribit enim Leo Ostiensis, quod, facta abdicatione Gregorii, Imperator exultans cum omnibus ipsius Concilii Episcopis Romam venerit, & in Ecclesia beati Petri Apostoli congregato Clero, populoque Romano, quid Sutri gestum esset, exposuerit, & de ordinando Pontifice

A tractatum fuerit: & prætereà quod post factam diligentem inquisitionem, cùm nullus alius tanto munere, & officio dignus inveniretur, electione omnium Episcopus Bambergensis Ecclesiæ ab Hamburgensi præsentatus natione Saxo electus, eique nomen Clementis secundi impositum fuerit. Vide Baron. anno 1046. num. 1. & 2.

Concilium Romanum ad reformandum Ecclesiæ statum, contra Simoniacos in primis celebratum anno Christi 1047. tempore Clementis Papæ II.

CLemens recens creatus hanc Synodum, teste Petro Damiani in Epistola ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem, ad reformandum Ecclesiæ statum Romæ indixit, B in quo illud potissimum, annitente Imperatore, conatus est, ut Simoniacas vepres, quæ adeò crevissent, ut patris familias sementem suffocarent, non modò succideret, sed penitus eradicaret. Quid verò contra Simoniacos hos constitutum fuerit, his verò prædicta epistola recenset: *Post longa sanè disceptationum hinc inde volumina, tandem suggestum est reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis Episcopum Clementem decrevisse, ut quicumque à Simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis suæ tempore non ignorans Simoniacum esse, cui se obtulerit promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret.*

Dissensio ob priorem locum.

In eadem hac Romana Synodo altercationem esse obortam inter Mediolanensem, & Aquilejensem, & C Ravennatem Antistites, de loco sedendi, quinam ipsorum proximus apud Romanum Pontificem sedere deberet: adjudicatam autem esse causam Ravennati, narrat Hieronymus Rubeus in Historia Ravennate, deque his confectum esse Diploma, quod se vidisse testatur.

Concilium Romanum primum contra Simoniacos celebratum anno Domini 1049. tempore Leonis octavi, qui vulgo Leo undecimus appellatur.

HAnc Synodum tempore supra notato Romæ celebratam fuisse, testatur Hermannus in Chronico: & Decretum illud, quod contra Simoniacos in Concilio Romano D sub Clemente secundo constitutum fuerat, in hac Synodo per Leonem Pontificem confirmatum esse, Petrus Damiani in epist. ad Henricum Ravennatem Episcop. testatur his verbis: *Verumtamen & hoc otiosum non esse credimus, si, quod super hoc negotio idem venerabilis Leo Papa statuerat, exponamus. Nam cùm omnes simoniacorum Ordinationes synodalis vigoris auctoritate cessasset: protinus à Romanorum sacerdotum multitudine magnæ seditionis tumultus exortus est, ita ut non solùm ab ipsis, sed à plerisque diceretur Episcopis, omnes pene Basilicas Sacerdotalibus officiis destitutas, & præcipuè Missarum solemnia, ad subversionem Christianæ Religionis, & desperationem omnium circumquaque fidelium, funditus omittenda. Quid plura? Post longa sanè disceptationum hinc inde* E *volumina, tandem suggestum est reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis Episcopum Clementem decrevisse, ut quicumque à simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis ministerio celebraret. Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub hujusmodi pœna hos in acceptis officiis de cætero perseverare mandavit.*

Concilium Rhemense pro disciplina, & moribus Ecclesiæ reformandis, celebratum anno Domini 1049. tempore Leonis Papæ noni.

IN Synodo Petrus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus proposuit illa, de quibus in eadem Synodo sermo esset habendus; nempe de multis illicitis, quæ contra Canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur, idest, de Simoniaca hæresi: De ministeriis Ecclesiasticis, & Altaribus, quæ à laicis tenebantur: De pravis consuetudinibus, quæ ab eis in atriis Ecclesiarum accipiebantur: De incestis conjugiis, & eis, qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur: De Monachis, & clericis à sancto proposito, & habitu recedentibus: item de Clericis mundanæ militiæ studentibus: De rapinis, pauperumque injustis captionibus: De Sodomitico vitio, & quibusdam hæresibus, quæ in eisdem pullulaverant partibus. Contra quæ decreta edita sunt, in quibus nihil, quod non pluries antea, statuitur, venit singulariter annotandum.

Cæterum plura alia commemoratione digna in hac Synodo peracta fuisse testantur ejusdem Acta per Baronium, Binium, & alios ex codice Rhemensi exscripta.

Ac 1. propter contentionem Rhemensem inter Archiepiscopum, & Trevirensem de ordine sessionis, & quis prior post Papam sederet, Episcoporum sedilia in modum coronæ disposita sunt, & in medio sedes cum insignibus congruis Pontifici parata est. Ad quam accessit ex oratorio sanctæ Trinitatis cum cruce, & Euangelii libro sacerdotalibus quasi ad celebrandam Missam redimitus. Sederunt deinde Rhemensis in dextera, Trevirensis in dextera cum reliquis, qui erant numero viginti, præter Abbates quinquaginta.

2. Lectis capitulis, de quibus deliberandum erat, commonuit omnes Leo sub anathemate, ut si quis ad ordines, ac dignitatem accessisset, aut quempiam promovisset, publica confessione patefaceret, ut sic à domo Dei judicium patefaceret, quidam ergo juramento sese à suspicione liberaverunt. Quidam à Concilio discesserunt, ne juramentum præstarent, Rhemensis inducias ad deliberandum petiit pluribus vicibus tergiversando, donec ei concederetur, ut interesset Concilio Romæ celebrando, ubi se purgaret. Nivernensis confessus est datam fuisse pecuniam pro sua promotione, se tamen ignorante, cùmque se abdicasset, pedum pastorale ad pedes Pontificis dimittens, restitutus est ex gratia, præstito sacramento, quod absque suo consensu data fuerat pecunia. Lingonensis, qui aufugerat, excommunicatus est cum aliis, qui ad Concilium non venerant. Nannetensis ad Episcopatum promotus per largitionem pecuniæ, sublato annulo, & pastorali pedo privatus est Pontificali ministerio, condonato ei, interveniențibus Episcopis, Presbyteratus officio.

3. Inter plures canones statutum, ne quis sine electione cleri, & populi ad regimen Ecclesiasticum proveheretur, & ne quis pro sepultura, vel baptismo, sive pro Eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigeret.

Concilium Moguntinum 142. Episcoporum contra Simoniam, aliave vitia Cleri, celebratum anno Domini 1049. tempore Leonis Papæ noni.

DE tempore hujus Synodi variant Scriptores. Lambertus, quem sequitur Serarius in Historia Moguntina, ad annum Christi 1050. Abbas Stapensis eamdem ad annum Chisti 1051. refert. Ego Baronium sectatus, veriorem esse puto sententiam Hermanni Contracti, & Adami Bremensis, qui hæc & scripserunt, & viderunt; nimirum hanc Synodum anno 1049. celebratam esse. De rebus in Synodo gestis Hermannus nihil præter ista: *Moguntiacum veniens, aliam Synodum 40. propè Episcoporum coram Imperatore, & Regni nostri Principibus celebravit.* Adamus Bremensis lib. 3. cap. 31. Acta hujus Synodi prolixius enarrans, hæc scribit: *Tunc habita est Synodus generalis apud Moguntiam, præsidente Domino Apostolico, & Imperatore Henrico cum Episcopis, Bardone Moguntinensi, Eberhardo Trevirensi, Hermanno Coloniensi, Adelberto Hamburgensi, Engelhardo Magdeburgensi, cæterisque Provinciarum Sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirensis Episcopus, nomine Sibico, cui crimen adulterii intendebatur, examinatione sacrificii purgatus est. Præterea multa ibidem sancita sunt ad utilitatem Ecclesiæ, præ quibus simoniaca hæresis, & nefanda sacerdotum conjugia holographa synodi manu perpetuò damnata est. Quod veniens domum noster Archiepiscopus non tacuisse probatur. De mulieribus statuit eamdem sententiam, quam prædecessor ejus memorabilis Alebrandus, & antea Libentius inchoaverant, ut scilicet fierent extra synagogam, & civitatem, ne malesuada pellicum vicinia castos violaret obtutus. Hæc Synodus facta est anno Domini 1049.*

Concilium Romanum secundum, quo damnato Berengario, Lanfrancus sententiam absolutionis retulit, an. Dom. 1050. tempore Leonis Papæ.

QUo tempore ista Synodus Romæ celebrata fuerit, Hermannus Contractus in Chronico, anno 1050. indicat breviter his verbis: *Dominus Papa post Pascha synodum item Romæ collegit.* Qua de causa celebrata, quidve in ea actum fuerit, ostendit Lanfrancus in Commentario, quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore sancti Leonis Papæ delata est hæresis tua* (alloquitur Berengarium ipsum) *ad Apostolicam sedem. Qui cùm synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis è diversis regionibus religiosarum personarum: jussum est in omni audientia recitari, quas mihi de Corpore, & sanguine Domini litteras transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus me in Northmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis. Quas, cùm legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem scriptas animadvertissent; zelo Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te, quàm de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris, putantibus multis, me fovere, ac favere, quæ à te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem; vel fide, qua revera ita esse indubitanter tenerem. Igitur, cùm à quodam Rhemensi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto, quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sancta ejus communione satagebas. Post hæc præcepit Papa, ut surgerem, pravi rumoris à me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctoritatibus, quàm argumentis, probarem. Itaque surrexi, quod sensi, dixi, quod dixi, probavi: omnibus placuit, nulli displicuit.* Hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato, ut vidisti, Berengario, ipse Lanfrancus absolutionis sententiam retulit.

In hoc eodem Concilio contra Berengarium à Leone Pontifice celebrato, idem Pontifex decrevit pallium Dominico Patriarchæ Veneto, eidemque privilegium concessit, ut Crucem ante se deferret, Patriarchalemque sedem approbavit, & Episcopis Venetiæ Provinciæ, & Istriæ scripsit, ut huic, tamquam Primati suo, obedirent, eumque revererentur. Hæc ex scripto Chronico Andreæ Danduli. Quæ omnia renovata, & confirmata ab Alexandro secundo in Concilio Mantuano idem Auctor affirmat. Sicque plenè translatus fuit Patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo Gradensis sedis potitus erat.

Con-

Concilium Vercellense contra Berengarium, & pro Lanfranco celebratum anno Domini 1050. tempore Leonis Papæ IX.

QUæ in hac Synodo contra Berengarium (qui in ea comparere noluit, veritus se judicio sistere) actitata fuerint, in prædicto Commentario Lanfranci contra eumdem Berengarium his verbis recensentur: *Dehinc declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præsidente Pontifice, est celebrata Vercellis, ad quam vocatus non venisti. Ego verò præcepto, & precibus præfati Pontificis usque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua, in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus: sententia tua exposita, ac damnata, fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, tenendam astruo, audita, & concordi omnium sensu confirmata. Duo Clerici, qui Legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim auditi defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia numquam discessit sanctus Leo in omnibus Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis Provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoq; suum felicis memoriæ Papam Victorem*. Hucusque Lanfrancus de Synodo Vercellensi. Cujus meminit etiam Guitmundus in Cōmentario, quem scripsit de corpore, & sanguine Christi, eidemque præfuisse Leonem Pontificem tradit.

Controversia de Joanne Scoto Erigena.

DE Joanne Scoto Erigena Monacho Benedictino Malmesburiensi, cujus libri hìc damnantur, non levis est controversia, dum multi ejus doctrinam, & sanctitatem adstruunt, alii impugnant. Hincmarus Rhemensis in lib. de Prædestinatione cap. 31. ipsi, ac Prudentio Tricassino errorem attribuit de sacramento Eucharistiæ, quod in eo tantùm esset memoria corporis Christi, non ipsummet verum corpus, & quod damnati tantum recordatione peccatorum torquerentur: qui fuit error antiquorum Prædestinatianorum, quo sibi auditum facilem parabant ad existimandum reprobos nulla gratia adjuvari, & pro ipsis Christum non fuisse mortuum, sicut supra notatum est de Lucido. Magis aliquid addit Genebrardus in Liturgiam D. Dionysii Gallico idiomate, affirmans ipsum, dum pueros in Anglia doceret, ipsorum graffiis confossum fuisse, ac occisum, quod errore sacramentariorum eos vellet imbuere, & liber ejus de Sacramento altaris in catalogo librorum prohibitorum Concilii Trident. positus, & postea in totum à Clemente VIII. damnatus est, cum aliqui corrigi eum posse, & emendari existimarent. Non enim visum est tolerari posse librum, qui hæresim ex professo doceret. Nec aliunde Berengarius existimatur virus hæresis hausisse, quàm ex hoc libro, quem propterea tanquam authorem sui erroris in ignem conjicere coactus est in Concilio Romano, sub Nicolao II. an. 1059. ut testatur Lanfrancus c. 1. *Tu quoque*, inquit, *inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosq; perversi dogmatis in medio sancti concilii ignem conjecisti.* Inter combustos autem libros recensetur Joannis Scoti codex in fragmento Floriacensi, quod laudat Antecessor Andegavensis Franciscus de Roie in suo Berengario. *In præsentia Papæ, & multorum Episcop.* ait, *Joannem Scotum igni comburens, cujus nefaria lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam.*

Li-[fa.] Cur autem Joannes Scotus ante Berengarium de hac opinione infamatus non fuit, causa est, quod ut hæresim occultaret librum illum de corpore, & sanguine Christi evulgaverat sub alio nomine, Bertrami scilicet senioris Presbyteri probatæ fidei, & bonæ famæ, ne ipse hæresis author haberetur, & nomen libro

A suo faceret, quem sub Carolo Calvo Imper. edidit, ut existimat Illustrissimus Archiepiscopus Tolosanus Petrus Marca litterario orbi clarissimus in epistola ad Lucam Dacherium præfixa ejus Spicilegii tomo 2. Quam suppositionem Bertramo factam asserit quoque Sanctesius repet. 2. cap. 14. Sixtus Senensis in præfat. bibliot. sanctæ. Espencæus lib. 2. de adorat. Euch. cap. 41. Nec repugnat Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia, qui authores referuntur à Theophilo Rainaudo de bonis, ac malis libris num. 204. qui ipse magis verisimile putat adulteratum dumtaxat fuisse, admissis plerisq; suppositiis per Oecolampadium, cujus opera liber ille primum lucem vidit. Porro liber hic Bertrami Presbyteri de corpore, & sanguine Christi integer habetur in catalogo testium veritatis lib. 10. qui B opus est Flacci Illyrici Lutherani. Quod verò librum illum alieni authoris nomen prætulisse dicimus, non leve est argumentum ex Ruperto Abbate in cap. 6. Joannis, ubi sic incipit respondere objectionibus hujus libri *Hoc loco silendum non est, male quosdam ignotos, & absconditi nominis homines opinari suis quoque defendere dictis, & scriptis, panem verum, quem in sancto altari sumimus, nihilominus patres illos manducasse tunc temporis, & bibisse, & nihilo magis hoc esse verum corpus, & sanguinem Christi, quàm fuit illud manna, quod ille populus comedit, &c.* Hic enim Rupertus librum Bertramo tributum indicat, ut ex lectione libri nobis patuit, cujus tamen authorem ait ignotum, & absconditi nominis. Ergo verè Bertrami non erat, sed alterius cu-C jusplam.

Abbas Rupertus.

Quæ autem Bertramum prætulit inscriptio, facile deflexa ab exscriptoribus in Ratramni nomen. Quod eorum vitium Sigeberto fraudi fuit, qui cum in eos codices incidisset, Ratramno tribuit, quod vetustiores Bertramo inscripserant: non enim verisimile est Ratramnum Corbiensem Monachum, quique doctè fidem Romanæ Ecclesiæ adversus Græcos libris quatuor tuitus est, ausurum fuisse impugnare fidem Orthodoxam de Eucharistia contra Paschasium Abbatem suum, qui eam ex professo in Matth. cap. 26. defendit contra ejus impugnatores, nec in hac parte doctrinæ Græcos arguit, quorum tamen errores insequitur, ac refellit in his libris.

Nihilominus liber Joannis Scoti nomen Ratramni D præferens causa extitit, cur Ratramni fides circa Eucharistiam à nonnullis vocata sit in dubium, ut Apologistis indigeret, qui eum ab hæresis istius suspicione immunem redderent, quod etiam Bertramo contigit. Larvam autem patet detectam fuisse in Concilio Vercellensi, & manifestatum fuisse, Joannem Scotum authorem fuisse libri de corpore, & sanguine Christi, ex quo in hæresim versus fuerat Berengarius, quare propter hunc librum sub proprio nomine damnatus est, & injuria facta Bertramo, ac Ratramno delata est, prodito veritatis arcano. Vide, si lubet, prædictam epistolam, quæ rem hanc magis elucidat. Sic lento gradu ad vindictam procedit divina Justitia, & hæreseon authores, & si aliquo tempore latuerint, ac ex hac vita excesserint in apparenti Ecclesiæ communione, aliquando post centum annos, aliquando post ducentos annos debitam pœnam ferunt. E Non desunt tamen, qui in gratiam prædicti Erigenæ aliquid scribant, ut Ludovicus Cellotius Societatis Jesu, in appendice Miscellanea ad historiam Godescalchi opusc. 8. An autem prædictus liber, & si inducere potuerit in hæresim faciles quorumdam animos, & ad eam propensos, quales non pauci sæpè reperiuntur, verè, & in proprio sensu ab auctore intento hæresim contineat, aut tantum sapiat propter obscuras, ambiguas, & ineptas quasdam periodos, discutietur inferius in Concilio Parisiensi classe V. anno 1053. Etsi de Eucharistia non benè sensisse illum Joannem à vero non sit absimile: siquidem id prodit tùm Hincmari authoritas lib. de Prædest. c. 31. tùm etiam Fragmentum Floriacense supra citatum.

Bertramus Rathramnes.

Con-

Concilium Coyacense pro reformandis moribus Ecclesiæ in Diœcesi Ovetensi Aera 1088. ideſt an. Chriſti 1050. ſub Ferdinando Rege I. Caſtellæ, qui cognominatus eſt Magnus, tempore Leonis Papæ IX.

IN hoc Concilio nihil novi ſtatuitur ab his, quæ aliàs pro reformandis moribus ab aliis Conciliis ſtatuta ſunt; ideo non repetuntur.

Concilium Romanum III. in cauſa Gregorii Vercellenſis Epiſcopi de adulterio accuſati, eorumque, qui à Simoniacis ordinati fuerant, congregatum anno Domini 1051. tempore Leonis Papæ IX.

HUjus ſynodi res Hermannus Contractus in Chronico in cauſa Gregorii Vercellenſis Epiſcopi ſic recenſet: *Poſt Paſcha item Dominus Papa Leo Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellenſem Epiſcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi ſui ſponſa admiſſum, & perjuria perpetrata, abſentem, & neſcientem excommunicavit: quem tamen non multo poſt Romam venientem, ſatisfactionemque promittentem, officio priori reſtituit.*

In hoc etiam Concilio actum eſt contra Simoniacos, & contra incontinentiam Clericorum. Vide Binium.

Concilium Romanum IV. de Canonizatione S. Geraldi Leucorum Epiſcopi: & de limitibus Diœceſeos inter Aquilejenſem, & Forojulienſem Epiſcopos controverſis, celebratum anno Domini 1053. tempore Leonis Papæ IX.

ANtequam Leo Pontifex adverſus Northmannos proficiſceretur, inquit Hermannus Contractus, poſt Paſcha Romæ Synodum habuit; in qua, auctore Sigeberto, Gerardum Leucorum ſupra ſe quintum Epiſcopum in Sanctorum numerum retulit. Ex epiſtola 2. Leonis Noni ad Thomam Africanum Epiſcopum apertè conſtat, in hac ſynodo definitam eſſe veterem illam controverſiam inter Forojulienſem, & Aquilejenſem Antiſtites de limitibus Diœceſeos, ſtatutumque, ut Aquileja totius Venetiæ, & Iſtriæ Metropolis eſſet.

Concilium Florentinum contra Alienatores rerum Eccleſiaſticarum, celebratum anno Domini 1055. tempore Victoris Papæ II.

AUctoritate Leonis Oſtienſis conſtat, hanc ſynodum in præſentia Victoris Papæ, & Henrici Imperatoris celebratam eſſe. Conſtitutum fuiſſe in ea Decretum de bonis Eccleſiæ non alienandis, teſtatur Petrus Damianus in epiſtola ad Domnum V. Epiſcopum ſcripta, quam hactenus nondum editam ex Codice Vaticano deſcripſit Baronius. In eadem hac ſynodo damnatum fuiſſe Berengarium, conſtat teſtimonio Lanfranci, qui aſſerit Victorem ipſum in omnibus Conciliis, quæ celebravit, vel celebranda curavit, cuncta à prædeceſſore ſuo conſtituta confirmaſſe, præcipuè, quæ circa damnationem hæreſeos Berengarii per ipſum geſta fuerant. Vide Baronium.

Concilium Lugdunenſe, quo Epiſcopus quidam per Hildebrandum Sedis Apoſtolicæ Legatum miraculosè de crimine Simoniæ convincitur, anno Domini 1055. tempore Victoris Papæ II. celebratum.

HIldebrandus S. R. E. Cardinalis Subdiaconus, quem Victor Papa ad corrigendos pravos uſus Eccleſiæ Gallicanæ Legatum à latere miſerat in Galliam, Lugduni Concilium congregavit: de quo ex antiquioribus Geſtis Romanorum Pontificum à Nicolao Aragonio congeſtis, hæc deſcripſit Baronius.

Eodem tempore cum Simoniaca hæreſis totam Italiam, & Burgundiam occupaſſet, idem Pontifex miſit à latere ſuo eumdem Archidiaconum Hildebrandum ad ultramontanas partes cum quibuſdam Epiſcopis. Cum autem ad Lugdunenſem Provinciam perveniſſet, in ea ſynodum celebravit: in qua per ipſum Archidiaconum Deus maximum dignatus eſt operari miraculum. Reſidentibus enim in ea ſynodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarū Eccleſiarum Prælatis, Archiepiſcopus vir quidam literatus, & eloquens accuſatus eſt de crimine Simoniæ. Qui ſequenti nocte omnes ſuos accuſatores pecunia corrupit, & ſibi amicos fecit. Manè autem facto rediens ad ſynodum, audacter dixit: Ubi ſunt, qui me accuſant? Exeat in publicum, quicumque me voluerit damnare.

Tunc obmuteſcentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tamquam vir diſcretus, & ſapiens, convertens ſe ad illum, qui dixit: Credíſne, ò Archiepiſcope, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio unam eſſe ſubſtantiam Deitatis? Quo reſpondente, Credo: addidit Archidiaconus: Dic, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Tunc ille, Gloria Patri, & Filio, expeditè dicebat; ſed Spiritum Sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns ſe per divinum judicium omnino confuſum procidit ad pedes Archidiaconi, & confeſſus eſt proprio ore ſe Simoniacum eſſe. Poſtquam verò à Sacerdotali, & Epiſcopali officio eſt depoſitus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, libera, & clara voce decantavit. Quod factum Simoniacus in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadraginta quinque Simoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus, abſque ulla alia accuſatione, renuntiaverunt. Celebrata ſynodo, & aliis rebus ritè ordinatis, & compoſitis, Legati ad Urbem redierunt.

Concilium Turonenſe per Hildebrandum Subdiaconum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum indictum, quo Berengarius abjurata hæreſi, fidem Catholicam eſt profeſſus anno Domini 1055. tempore Victoris Papæ II.

AUctoritate Apoſtolica per Hildebrandum ſubdiaconum, & Legatum à latere, Berengarium poſt deteſtationem, & abjurationem hæreſeos, Catholicæ fidei profeſſionem edidiſſe, ſcribit Guitmundus Averſanus Archiepiſcopus, & Lanfrancus.

Ad hanc ſynodum Henricus Imperator ſuos Legatos miſit, per quos conquerebatur, quod Ferdinandus Magnus Caſtellæ, ac Legionis Rex, detrectaret Romano Imperatori parere, ſibique nomen Imperatoris arrogaret. Quæ cum iniqua, inuſitata, nulloque more majorum recepta eſſent, petebat per eoſdem Legatos, eum, ſi non monitus à cœptis deſiſteret, excommunicatione percelli, univerſamque Hiſpaniam ipſi ſubjectam interdicto ſubjici. Petitionem Imperatoris juſtam eſſe, Patres Concilii unà cum Victore Pontifice judicarunt, ideoque Legatos quoſdam deputarunt, qui ad Ferdinandum Regem profecti, eum à cœptis deſiſtere monerent, ſimulque eidem intimarent, quod, ſi decreto Pontificis, & Concilii non obtemperet, excommunicationis, & interdicti ſententias metuere debeat. Hac Legatione audita, Rex Epiſcopos, & Principes Regni convenire, quidque Legatis reſpondere debeat, in conſultationem vocari præcipit. Quod cum factum eſſet, potiori parti viſum fuit, Romano Pontifici obediendum, adeoque nomine Imperatoris, & rebellione abſtinendum eſſe. Huic ſententiæ Rex Ferdinandus acquieſcens, reſpondit Legatis, ſe effecturum, quod Sedes Apoſtolica præcepiſſet. Vide Baronium anno 1055. num. 23. & ſeqq.

Conci-

Concilium Coloniense, quo auctoritate Victoris Papæ Balduinus, & Godefridus Comites Flandriæ Henrico Regi quinquennali conciliati fuerunt, anno Domini 1056.

BAlduinus, & Godefridus, ambo Flandriæ Comites, hostes erant Imperiales, à quibus Rex quinquennalis jure sibi metuere poterat. Cum ergo Henricus Imperator moriturus filium suum Pontifici commendasset, ille necessarium esse judicabat, ut perduelles Imperii, qui Regnum intestinis bellis graviter inquietare potuissent, cum Rege adhuc puero conciliarentur. Qua de causa Generalem synodum Coloniæ celebrandam indicens: *in ea*, inquit Sigebertus, *Balduinus, & Godefridus, mediante Papa Victore, ad gratiam Regis, & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur*. Baronius anno 1056. num. 11.

Concilium Tolosanum XVIII. Episcoporum contra Simoniam, aliave Cleri, & populi vitia, celebratum anno 1056. tempore Victoris Papæ II.

IN hoc Concilio multa contra Simoniam, & contra alia vitia sanciuntur, quæ, cum in aliis Conciliis sancita sint, non repetuntur.

Concilium Compostellanum à Cresconio Compostellano Archiepiscopo ad Disciplinam Ecclesiasticam restaurandam, celebratum anno 1056. tempore Victoris Papæ II.

IN hoc Concilio ex schedis Antonii Augustini, asserit Baronius, inter alia, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam spectant, illud sancitum reperitur, ut sacerdotes omnes, Episcopi, atque Presbyteri Missam quotidiè celebrarent. Ut Clerici tempore jejunii, & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur; cilicio induerentur. Baronius anno 1056. num. 16.

Concilium Sutrinum, quo Benedictus Pseudopapa, & schismaticus cognomento Mincius, depositus, omnique Sacerdotali officio privatus est, anno Domini 1056. tempore Nicolai II. electi.

IN hac synodo invasorem Sedis Apostolicæ Benedictum depositum, omnique Sacerdotali munere privatum esse, & postea veniam à Pontifice petivisse, habetur, inquit Baronius, in Codice Vaticano, qui inscribitur Liber censuum.

Concilium Romanum centum, & tredecim Episcoporum, in basilica Constantiniana, quo Berengarius, hæresi sua tertio abjurata, fidem Catholicam tertio professus est: & de electione Romani Pontificis Constitutio edita fuit, anno Domini 1059. tempore Nicolai Papæ II.

NIcolaus Episcopus servus Dei, omnibus Episcopis Catholicis, cunctoque clero, & populo salutem charissimam, & benedictionem Apostolicam. Vigilantia universalis regiminis assiduam solicitudinem omnibus debentes, saluti quoque vestræ providentes, quæ in Romana synodo nuper celebrata, coram 113. Episcopis, nobis licèt immeritis, præsidentibus, sunt canonicè constituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & Apostolica authoritate jubendo mandamus.

1. Primo namque inspectore Deo est statutum, ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit, ita ut si quis Apostolicæ sedis sine A præmissa concordia, & canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum, & laicorum consensu inthronizatur, non Papa Apostolicus, sed apostaticus habeatur.

2. Ut moriente Romano Pontifice, vel cujuscunque civitatis, nullus præsumat facultates eorum invadere, sed successoribus eorum reserventur integræ.

3. Ut nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicunque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Papæ Leonis, de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit; B ex parte omnipotentis Dei, authoritate beatorum apostolorum Petri, & Pauli, præcipimus, & omnino contradicimus, ut Missam non cantet, neque Euangelium, vel Epistolam, ac Missam legat, neque in Presbyterio ad divina officia cum iis, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, quousque à nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.

4. Et præcipientes statuimus, ut ii prædictorum ordinum, qui eidem prædecessori nostro obedientes castitatem servaverunt, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant: Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam, C communem scilicet vitam summopere pervenire studeant.

5. Deinde, ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint. Quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur.

6. Ut per laicos nullo modo quilibet clericus, aut Presbyter obtineat Ecclesiam, nec gratis, nec precio.

7. Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat.

8. Nec aliquis Presbyter duas Ecclesias simul obtineat.

9. Ut per simoniacam hæresim nemo ordinetur, D vel promoveatur ad quodlibet Ecclesiasticum officium.

10. Ut cujuslibet ordinis clericos laici judicent, nec de Ecclesiis ejiciant.

11. Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit.

12. Ut laicus uxorem simul, & concubinam habens non communicet Ecclesiæ.

13. Ut nullus laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum secularem, diuturna conversatione inter clericos fuerit comprobatus.

Canon hic sanctissimus diligentissime observandus esset hoc nostro sæculo, in quo multi sæculares irruunt temere, & impudenter manibus, ut ajunt, illotis in sacerdotia Ecclesiastica.

Vos ergo hæc, & alia SS. Patrum statuta fideliter, & Christiana reverentia observate, si vultis de sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis pace, & communio- E ne, atque benedictione gaudere.

Dominus Papa Nicolaus, synodo in basilica Constantiniana præsidens, dixit: Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus: sed juxta canonum sanctiones, & decreta SS. Patrum, eos omnino damnamus, ac deponendos esse, Apostolica authoritate sancimus. De iis autem, qui non per pecuniam, sed gratis sunt à simoniacis ordinati: quia quæstio à longo tempore est diutius ventilata, omnem nodum dubietatis absolvimus, ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex

parte

parte corrupta: eos, qui usque modo gratis sunt à Simoniacis consecrati, non tàm censura justitiæ, quàm intuitu in acceptis ordinibus manere permittimus: nisi fortè alia culpa ex vita eorum contra canones eis existat. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus: necesse sit, ut dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen authoritate SS. Apostolorum Petri, & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum, ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui assumat, vel præfigat: quia hoc non authoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. De cætero autem si quis hinc in posterum ab eo, quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator, & consecratus non disparem damnationis sententiam subeat: sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus à propria dignitate persistat. Nihilominus authoritate Apostolica decernimus, quod in aliis conventibus nostris decrevimus, ut si quis pecunia, vel gratia humana, vel populari, seu militari tumultu, sine concordi, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium Episcoporum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum clericorum, fuerit Apostolicæ sedi inthronizatus: non Papa, vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur: liceatque Cardinalibus Episcopis, cum religiosis, & Deum timentibus clericis, & laicis, invasorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & studio à sede Apostolica repellere, & quem dignum judicaverint, præponere. Quod si hoc intra urbem perficere nequiverint, nostra authoritate Apostolica extra urbem congregati in loco, qui eis placuerit, eligant, quem digniorem, & utiliorem Apostolicæ sedi perspexerint, concessa ei authoritate regendi, & disponendi res, & utilitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, secundum quæ ei melius videbitur, juxta qualitatem temporis, quasi jam omnino inthronizatus sit.

Fortè misericordiæ. (margin)

Apostolicus, Apostaticus. (margin)

Jusjurandum, quod in eadem synodo fecit Beringerius, vulgo Berengarius.

EGo * Beringerius, indignus diaconus Ecclesiæ S. Mauricii Andegavensis, cognoscens veram catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post cõsecrationem solummodo sacramentũ, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedi, & ore, & corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus authoritate Euangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: & sensualiter non solùm sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire, ac prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto, & perlecto sponte subscripsi.

al. Berengarius. (margin)

CONTROVERSIA.

BErengarius cum ad pristinam hæresim reversus esset post professionem fidei in hoc Concilio factam, & argueretur ab amicis, quod aut non servanda jurare non debuerat, aut jurata servare. Ipse respondebat, professionem fidei à se juratam non excludere veram panis substantiam ab Eucharistia, dicens in quodam libello à se edito, *Sicut enim, qui dicit, Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, sed Christum omnino constituit: ita qui dicit, panis altaris solummodo est sacramentum: vel panis altaris solummodo est verum corpus Christi, panem in altari esse non negat, panem, & vinum esse confirmat in mensa Dominica.* Cui respondit Laufrancus in lib. de Eucharistiæ Sacramento, in quo libellum hunc refutat. Verum annecteres, si ignarus veritatis priorem propositionis partem quisquam statueret, nisi fortè figurato locutionis modo verbum istud proferret. Solemus enim aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur nominibus, appellare: quamvis in aliam naturam translatæ jam non possint esse illud, quod sunt res illæ, ex quibus probantur effectæ, sicut B Augustinus in extremo Psalmorum explanationis opere Chrystallum vocat nivem multorum annorum (Psal. 147.) duratam tempore, & serie sæculorum; cum nix sit liquida, & humida, Chrystalli verò natura existat dura, & sicca. Ac per hoc cum tàm diversæ naturæ sint in utrisque, non rectè quis Chrystallum nivem vocaverit, nisi eo locutionis modo, quo res effecta materiali solet nomine appellari, & creator ex terra creato primo homini in Genesi (cap. 3.) dicit *terra es, & in terram ibis.* Quasi diceret, quia factus es ex terra, quandoque fies terra, & in terram reverteris. Verumtamen, ut dixit, has sententias nemo catholicus recipit, Christiana eas religio non admittit. Nam priorem tuam esse tantùm, tuæque sectæ nemo est, qui ambigat. Posteriorem verò neque tu recipis, qui carnis, & sanguinis negator existis: neque nos, qui sic utrumque fatemur, ut tamen multarum, & excelsarum rerum fig ram, ac sacramentum esse minimè abnegemus. Porro similitudo, quam de Domino Jesu Christo, & lapide angulari posuisti, te impedit, nos expedit. Sicut enim, qui dicit, Christus est lapis angularis, non revera lapidem Christum esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se invicem gerunt, tale ei nomen imponit: eodem modo cum divina pagina corpus Domini panem vocat, sacrata, ac mystica locutione id agit, seu quoniam ex pane conficitur, ejusque nonnullas retinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, eique æternæ vitæ substantiam subministrat, vel quod corpus est Filii Dei, qui est panis Angelorum, & in quem, sicut ait Princeps Apostolorum, *desiderant Angeli prospicere*: seu aliquo alio modo, qui à Doctoribus comprehendi potest, à nobis non potest. Bereng. Non enim constare poterit affirmatio omnis parte subrupta: & hoc, sicut dicit B Augustinus in libro de doctrina Christiana, in ipsa æternitatis veritate, quæ Deus est, indissolubiliter constat. Lanfrancus. Relictis sacris authoritatibus ad dialecticam confugium facis, &c.

Ex his datur intelligi, Berengarium post palinodiam contendisse contradixisse sibi ipsi Summum Pontificem in illa fidei professione, cui subscripserat in Concilio, quia non potest affirmari de pane, quod sit Corpus Christi, nisi remaneat panis, parte enim subrupta, aut destructa, affirmatio non constat. Flaccus verò Illyricus auget difficultatem aliunde in catal. testium veritatis l. 12. Glossator, inquit, seu interpres decreti Gratianici expresè dicit. Nisi sane intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresim, quam ipse fuerit: & ideas referas ad ipsas species. Nam de Christi corpore partes non facimus, ut can. *Qui manducat.* dicitur eadem dist. 2. de consecr. can. 74. Vult igitur glossator hæc hyperbolicè dicta esse: imo Guitmundum hæresi exc-

execrandæ alligat, atque adeò Synodum Lateranensem, & ipsum Pontificem Nicolaum. Specierum enim nomine, nisi ipsam substantiam panis intelligat ipse glossator cum suo Lombardo, bardus, & insignis impostor evadit, ut qui albedinem frangibilem esse somniet. At mirum est istos Pontificiæ sedi addictos, minimè cogitasse non esse hanc palidoniam à Berengario conscriptam, & ex animo approbatam: sed Humberti Cardinalis, Nicolai Pontificis, & Concilii Romani, pro certa fidei norma, secundum quam in tota Occidentali Ecclesia sentire oporteret, synodico consensu propositam doctrinam, in qua rebus jam in controversia gliscentibus veritatem propriè, & perspicuè tradi, non autem monstrosa, & nullo modo ferenda hyperbole ab iis, qui magistros, & dominatores fidei se profitentur, flagitiosissimè excedi oportuit.

B Hæc hæreticus scriptor, cui, nulla habita ratione calumniarum, sufficit, quod septi. repetita, ait Sanctesius, conceptam fuisse confessionem fidei, quæ data opera pugnaret cum toto Berengarii dogmate ex diametro, quo certius recantasse videri posset. At Berengarius duo negabat. Unum erat in re, ac veritate fieri corporalem, & substantialem præsentiam, ac manducationem corporis, & sanguinis Domini: alterum erat panem, & vinum mutari. Hæc retractatio utrumque una novacula resecat, & in re, ac veritate nullam substantiam etiam sensibus objectam censet ibi contineri, quàm corporis, & sanguinis Domini, quamvis sacramento, ac panis signo, seu tegumento opertam. Atque hæc pro assertione confessionis Berengarianæ.

C Quod verò spectat ad primum argumentum Berengarii, quo contendebat se non retractasse, quod panis remaneret in Eucharistia, quoniam parte subrupta affirmatio non constat: præter jam dicta à Lanfranco, dicendum est, falsam esse absolutè propositionem hanc, sunt enim aliquæ affirmationes, quæ destructionem subjecti inferunt, ut si quis diceret homo mortuus, aut uxor Loth facta est statua salis: non enim subsistit in hujusmodi affirmationibus vel homo, vel uxor Loth: sic est affirmatio, panis post consecrationem est corpus Christi. Tantum abest, ut debeat ad veritatem illius remanere panis: imò potius debet desiisse quoad substantiam. Talis enim affirmatio est propositio de genere earum, quas exponibiles vocant Dialectici, ut cuneum cuneo retundamus, ac idem significat, ac si diceretur, panis transmutatus vi verborum factus est corpus Christi, aut in illud mutatum:

D hæc autem affirmatio benè constat parte subrupta. Atque hoc ipsum manifestius explicatur in alio exemplari confessionis Berengarianæ, quod ita habet: Guilielmo Monacho, & Bibliothecario Malisveberiensi de gestis Anglorum referente: sic enim narrat posteriora verba confessionis Berengarianæ: panem scilicet, & vinum, quæ in altari ponuntur, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, ac propriam, & vivificantem carnem, & sanguinem Domini, & post consecrationem verum esse Christi corpus natum de Virgine, & verum sanguinem fusum de latere, non tantùm per signum, & virtutem sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ, & veritate substantiæ. Quam exemplarium variationem notat Sanctesius repetit. 5. de veritate Eucharistiæ.

E Minus cautè tamen, cùm duplex distinguenda sit retractatio Berengarii, prima sub Nicolao secundo, secunda sub Gregorio septimo. Atque hanc ultimam refert Guilielmus Monachus, de qua inferius dicendum erit.

Quod verò iterum objicitur à Flacco Illyrico debere intelligi de substantia corporis Christi, quod manibus tractatur Sacerdotum, ac fidelium dentibus alteratur, nisi quis somniet albedinem esse frangibilem. Dicendum est verba ista, *& sensualiter non solum sacramento*, intelligenda esse respectivè ad mentem Berengarii, eo modo scilicet, quod non, ut putabat ille, figuratè, vel tropicè Christus suum nobis proponat corpus, seu spiritualiter, quod non negabat Berengarius, sed quod etiam ipsum sensualiter cernamus, &c. non quidem in propria, sed sub externa panis specie, quæ tangitur, frangitur, alteratur, vero Christi corpore in seipso immediatè indistracto, intacto, & inconsumptibili remanente. Neque verò magis horrere debemus, si ab indignis carnem Christi edi, frangi, deglutiri fateamur, quàm quod Deus in alia carnis effigie Judæ osculum admisit, & à Judæis, atque gentibus capi, & crucifigi non est dedignatus. Quid enim magis impium, si dentibus caro Christi dicitur atteri, non quidem in se, sed in panis proprietate, quàm si dicatur Deus vulnerari, mori: quod non in propria divinitate passus, sed in carnis velamine? At in hoc summa est pietas, & religio. Sed & Concilium formam istam loquendi petiit ex Chrysost. Homil. 45. in Joannem, ad magis exprimendam realem corporis Christi præsentiam. *Quod fecit Christus (ait ibi) ut majori nos charitate adstringeret, & ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.*

Alia autem argumenta Berengarii referuntur, ac simul refelluntur à prædicto Lanfranco Archiepisc. Cantuariensi, ac Guitmundo Episcopo Aversano in Italia, in Biblioth. Patrum.

Concilium Malphiæ in Apulia celebratum, anno Domini 1059. tempore Nicolai Papæ secundi.

MAlphia urbs est Apuliæ, in qua, teste Leone Ostiensi, Nicolaus Papa hanc Synodum celebravit, & Tranensem Episcopum, teste Petro Damiani in epistola ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, throno deposuit.

Concilium Parisiense 22. Episcoporum, quo Philippus Henrici Regis Francorum filius titulo regio condecoratur, & solemni ritu coronatur, anno 1059. tempore Nicolai Papæ secundi.

ACta Concilii ex Annalibus Papirii Massonis accepta ista sunt.

Anno millesimo * sexagesimo, Indict. 12. Henrico repugnante trigesimo secundo, & quarto Kalend. Junii in die Pentecostes, Philippus Rex hoc ordine in majori Ecclesia ante Altare S. Mariæ, à venerabili Archiepiscopo Rhemensi consecratus est. Inchoata Missa, antequam epistola legeretur, Dominus Archiepiscopus vertit se ad eum, & exposuit ei fidem Catholicam, sciscitans ab eo, utrum hanc crederet, & defendere vellet. Quo annuente, delata est ejus Professio, quam accipiens ipse legit, dum adhuc septennis esset, eique subscripsit. Erat autem Professio ejus hæc.

* 1059.

Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo, & Sanctis ejus, quod unicuique de vobis mihi commissis canonicum Privilegium, & debitam legem, atque justitiam conservabo, defensionem, adjuvante Domino, quantum potero, exhibebo, sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet. Populo quoque vobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum. Qua perlecta, posuit eam in manus Archiepiscopi.

Iuramentum Regis Galliæ in consecratione.

Concilium Jaccitanum in Hispania, celebratum ann. Dom. 1060. tempore Nicolai Papæ secundi.

HÆc Synodus celebrata est Jaccæ in Hispania, in quam Oscæ sedes translata fuit. Interfuerunt ei Austindus Archiepiscopus Auxitanus, Sancius Episcopus Aragonius, Paternus Cæsaraugustanus, Arnulphus Rotensis, Gometius Calaguritanus, Vvilhelmus Ur-

Urgelitanus, Heraclius Bigerrinensis, Stephanus Olorensis, & Joannes Leontiensis. Sacri ritus, qui temporum injuria, vel depravati, vel aboliti erant, in eo sunt restituti, disciplina Ecclesiastica resarcita, moresque ad normam sacrorum Canonum revocati. Insuper, ne alio, quàm Romano more sacræ Preces in Ecclesia persolverentur, & ut is, qui Oscæ erat Episcopatus in Jaccam transferretur, in eodem Concilio statutum fuit. Hæc summatim Baronius, anno 1060. num. 13.

Conciliabulum Basileense in causa electionis Pontificiæ, celebratum anno Domini 1061. tempore Interregni Pontificii.

HUjus synodi meminit Hermannus in Chronico, res verò gestas perpetuo silentio dignas supprimit. Convenerunt enim in unum Longobardorum Episcopi, & consimilium Clericorum multitudine congregata, communiter statuerunt, ut aliunde non deberent Papam recipere, quàm de Lombardia, & talem personā, quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condescenderet. Quo facto, Imperatrici per Legatos suggesserunt, quod filius ejus ita in honorem Patriciatus, seu Pontificatus deberet succedere, sicut in Regia dignitate. Præterea asserebant, quod Nicolaus Papa statuerat Decretis suis, quod nullus deinceps haberetur Romanus Episcopus, nisi qui prius à Cardinalibus eligeretur, cui postea accederet consensus Regis.

Concilium in Osborio Germaniæ auctoritate S. Annonis Coloniensis Archiepiscopi congregatum, quo in præsentia Regis post habitam disputationem, Cadalous Pseudopapa omnium acclamatione condemnatus, & Alexandri legitimè facta electio est confirmata. Anno Domini 1062. ipso festo Simonis, & Judæ.

IN hoc Concilio fit disceptatio inter Defensorem Romanæ Ecclesiæ, & Regium Advocatum: iste enim contendit, non debere inthronizari Papam absque consensu Regis; ille verò docet, hoc non esse necessarium, tùm quia tot Pontifices antea absque tali consensu electi fuerint; tùm etiam, quia ex Constantini Imperatoris Edicto Sedes Apostolica constituitur super omnem in orbe terrarum Principatum. Et infra ex eodem Constantino; *Quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.* Quæ verba dixit Constantinus, quando in Orientem discessurus erat. Ex quibus verbis sic infert Defensor Romanæ Ecclesiæ; *Audisti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Ecclesia potestatem? quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem non habet, non licet eligi Sacerdotem?* Plura de hoc vide apud Binium.

Concilium Arragonense in Hispania anno Christi 1062. celebratum tempore Alexandri Papæ II.

SEptimo Kalendas Julii in Hispania apud S. Joannem Rupensem sub Ramiro Rege est celebratum Concilium, multique Episcopi in eodem congregati fuerunt. Quid autem in eodem statutum sit, nihil reperimus, nisi ut Arragonii Episcopi sumerentur ex Monasterio S. Joannis, quod antea per Regem Sancium fuerat institutum. De hujus institutione Concilii habentur Acta in Commentariis rerum Arragonensium apud Hieronymum Biclam. Vide Baronium anno 1062. num. 12.

A

Concilium Romanum I. centum, & Amplius Episcoporum occasione Petri Florentini Episcopi, de hæresi, & Simonia accusati, adversus Simoniacos celebratum, anno Domini 1063. tempore Alexandri Papæ II.

ALexander Episcopus servus servorum Dei, omnibus Episcopis Catholicis, cunctoque Clero, & populo salutem, & Apostolicam benedictionem.

Vigilantia universalis Ecclesiæ, &c. *Et infra.*

De cætero statuimus, ut si quis in posterum ab eo, quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecratus, & consecrans non disparem damnationis sententiam subeant, ut uterque depositus agat pœnitentiam, & privatus ab ea propria dignitate persistat.

B Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem.

Ut Religiosi simul manducent, & dormiant, & omnia habeant in communi.

Ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum reddantur à laicis, & in dispositione Episcoporum sint: quas qui tenuerit, à sanctæ Ecclesiæ seretur communione.

Ut per laicos nullo modo quilibet Clericus, aut Presbyter obtineat Ecclesiam, nec gratis, nec pretio.

Nec aliquis Presbyter duas Ecclesias obtineat.

Ut per Simoniacam hæresim nemo ordinetur, vel C promoveatur ad quodlibet officium Ecclesiasticum, neque Ecclesiis præficiatur.

Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat.

Ut laicus, uxorem simul habens, & concubinam, non communicet Ecclesiæ.

Ut nullus habitum Monachalem suscipiat, spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat.

Ut nullus laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticumrep ente promoveatur, &c.

Quæ omnia etiam Nicolaus II. ordinavit.

Concilium Mantuanum quo Cadalous Pseudopapa iterum condemnatur, & Alexander à criminibus sibi objectis D *expurgatur, defenditur, & absolvitur anno 1064. tempore Alexandri Papæ.*

CUm Cadalous schismaticus Romæ condemnatus fuisset, illi, qui partes ipsius tuebantur, novas calumnias, novasque turbas creabant Alexandro, objicientes illi, quod collata pecunia thronum Apostolicum conscendisset: ut scilicet hac ratione alios ab Alexandro abriperent, aliosque mutuo inter se digladiantes hac de re constituerent, & sic partes suas roborarent; Accedebat, quod à proceribus Imperii S. Anno Coloniensis Archiepiscopus, cui cura, & administratio Imperii demandata fuerat, Romam ablegatus, coram Alexandro Pontifice, & Cardinalibus diceret, per istam Alexandri electionem, privilegiis, & juribus Regis E Germaniæ summam injuriam illatam, ut pote quæ aliter, quàm hactenus consueverit, sine consensu, & auctoritate Regis habita fuisset. Quod cum Hildebrandus in præsentia Cardinalium constanter refutasset, nihilque juris in electione Romani Pontificis Regi concessisset, quodque illi prætendebant, non ejus, sed tyrannidem esse ostendisset; rogatu S. Annonis auctoritate Apostolica indicta est synodus in partibus Lombardiæ celebrata apud Mantuam, qua ipse Pontifex, licèt illud à dignitate sua alienum foret, electionem suam legitimè, & justè factam ostenderet. Et convocatis multis Episcopis, statuto tempore Alexander Papa ab Urbe cum Episcopis, & Cardinalibus ad præfixum locum prosperè Domino auxiliante pervenit. Et cum in synodo eadem cum Episcopis Alexander resi-

resideret, causam electionis suæ ita disertè rationibus A manifestis comprobavit, atque se de omnibus, quæ sibi ab æmulis malitiosè objecta fuerant, excusavit sufficienter, quod Episcopos Lombardiæ, qui sibi fuerant adversati, benevolos reddiderit, & subjectos. Sedato itaque per Dei gratiam, Imperii, & Ecclesię scandalo, post solutionem Synodi, Alexander Papa Romam, atque cæteri ad propria hilares redierunt.

De Cadaloo omnes affirmant, in eadem synodo condemnatum fuisse: militem armasse, Urbemque ingressum, ut Alexandrum à Sede Petri exturbaret, sed contumeliosè pulsum, & victum fuisse: paucisque post diebus, quàm ab Alexandro veniam petiisset, & impetrasset, malam mortem incurrisse. Baron. anno 1064. num. 1. & seqq.

Concilium Barcinonense Hispanicum, in quo Leges Gothicæ, quibus Catalauni utebantur, planè sunt abrogatæ, anno Domini 1064. tempore Alexandri Papæ II.

B

EPiscopi Hispani, qui Mantuano Concilio interfuerunt, reversuri in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro Papa decretum Legatum à latere Hugonem Cardinalem, cujus auctoritate Barcinone hæc synodus congregata fuit, in qua Leges Gothicas, quibus Catalauni utebantur, penitus abrogavit, novasque sanxit, quibus populus hactenus utitur. Ut autem ritus Gothici in sacris adhiberi soliti abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere voluit, cùm iidem in Concilio Mantuano Catholici esse cogniti fuissent. In eadem synodo Alexander Papa, tanquam germanus Pontifex est receptus, Cadalous autem communibus omnium votis est condemnatus. Baronius prædicto anno, num. 42.

C

Concilium Rom. II. contra incestuosorum hæresim, celebratum anno Domini 1065. tempore Alexandri Papæ II.

HOc tempore hæresis incestuosorum à quibusdam Jureconsultis excitata, atque defensa est, qui auctoritate Justiniani Imperatoris eadem ratione, qua in successionibus, gradus consanguinitatis numerandos esse docebant. Impugnavit eam hæresim acerrimus D Orthodoxæ fidei defensor, Petrus Damianus. Cumque ejus scriptis tolli non posset, & ad eam comprimendam auctoritate Apostolica opus esset, Alexander Papa Romæ hanc synodum indixit, in qua contra defensores illius hæresis ejusmodi decretum edidit, quod à Gratiano refertur 35. q. 4. cap. Ad sedem Apostolicam, &c. Quod autem frater. ead. q.

Concilium Romanum III. quo iidem Incestuosi hæretici excommunicantur anno Dom. 1065. sub Alexandro Papa II.

CUm Alexandri Papæ admonitio, de qua præcedenti Concilio, non sufficeret, opus illi fuit eo- E dem anno hanc secundam in eorumdem Incestuosorum causa synodum congregare, in qua verè incestuosos, & pertinaces hereticos excommunicatione percelleret. Sed (quod doluit Petrus Damianus) id etiam sine fructu: nam arte diaboli conglutinatis animis incestuosorum conjugum, nullo timore æternę damnationis ab invicem divelli potuerunt, ut testatur idem Damianus in Libello de Contemptu sæculi.

Concilium Vvintoniense, in quo per Legatum Sedis Apostolicæ à latere missum, Stigandus Cantuariensis Ecclesiæ invasor, deponitur, anno Dom. 1069. tempore Alexandri Papæ II.

IN hoc Concilio Stigandus Dorobern iæ Archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet, quòd Episcopatum Vvintoniensem cum Archiepiscopatu injustè possidebat: & quod vivente Roberto Archiepiscopo, non solùm Archiepiscopatum sumpsit, sed etiam ejus pallio, quod Cantuariæ remansit, dum vi, & injustè ab Anglia pulsus est, in Missarum celebratione aliquandiu usus est: & à Benedicto, quem sancta Romana Ecclesia excommunicavit, eo quod pecunia sedem Apostolicam invasit, pallium accepit. Et alia plura apud Binium.

Concilium Moguntinum, auctoritate Sigefridi I. indictum in causa Henrici IV. Regis, volentis Bertam uxorem, quam ante biennium duxerat, repudiare, celebratum anno Domini 1069.

POst Pentecosten Vvormatiæ cum Principibus Regni Rex colloquium habuit, sibi cum uxore non convenire; sed tamen nullum ei crimen, quod justè repudium mereatur, afferre; sed se nullam cum ea maritalis operis copiam habere. Fœda res, & ab Regia majestate nimium abhorrens visa ab omnibus, qui aderant. Eapropter Episcopus Synodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ. Ad quam cum Rex concitus properaret, obvium habuit Petrum Damianum Legatum Apostolicum, qui mandata Pontificis Romani ei exposuit: quorum summa erat, ut à tali divortio abstineret; tùm etiam, ut saltem parceret famæ, & existimationi propriæ, ne scilicet tàm fœdi exempli venenum, à Rege sumpto initio, totum commacularet populum Christianum: & postremo, si non flecteretur consiliis, se necessariò vim Ecclesiasticam adhibiturum, & Canonum lege scelus prohibiturum.

His auditis, omnes, qui aderant Principes, ajebant, æqua censere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ, & Regii nominis majestatem tàm turpis facti colluvione macularet, & ne parentibus Reginæ justam causam defectionis, & turbandæ Reipublicę daret.

Hac ratione fractus magis, quàm inflexus: Si id, inquit, fixum, obstinatumque est vobis, imperabo egomet mihi; feramque (ut potero) onus, quod deponere non valeo. Et sic annuit, ut in Regni consortium Regina revocaretur, à qua tandem filium Henricum habuit, qui ipsi in Regno successit.

Concilium Moguntinum II. in causa Caroli Constantiensis Episcopi, quem clerici ejusdem Ecclesię ob crimen Simoniæ, & sacrilegii sede deponi urgebant, tempore Alexandri II.

POst obitum Rumoldi Constantiensis Episcopi, Carolus Magdeburgensis Canonicus successit: qui accusatus apud Pontificem propter Simoniacam hæresim, per quam Episcopatum usurpasse dicebatur, indicitur synodus apud Moguntiam: cumque statuta die Rex ipse (qui Carolo favebat) in synodo cum Episcopis assedisset, contra Carolum præsentem fratres Constantienses magnam molem criminum objecerunt: contra quos Rex dedita opera nitebatur, & modò objecta purgare, modò verò, quæ non poterat, saltem callidis sermonibus nitebatur attenuare: cumque accusatorum constantiam nec veritate responsionis, nec arte dicendi eludere posset, ad ultimum, probatis, quæ objecta fuerant, criminibus, baculum Episcopa-

ſcopalem ab eo recepit. Hunc finem accepit homo cupidiſſimus gloriæ, qui cum malis artibus eam aſſequi conatus eſſet, meruit locò gratiæ ignominiam, ſimulque morem ex mœrore cor exedente percepit.

Concil. Anglicanum in cauſa Primatus Cantuarienſis ſuper Eboracenſem, celebratum an. Dom. 1072. tempore Alexandri Papæ II.

IN hoc Concilio id decernitur, quod in titulo dictum eſt, de quo etiam Alexander Pontifex Romanus certior fit. Vide latè Binium.

Conciliab. Erphordienſe in cauſa decimationum Thuringiæ, auctoritate Sigefridi Moguntini Archiepiſ. congregatum an. Dom. 1073. celebratum 6. idus Martii, temp. Alexandri Papæ II.

CUm in Palatio Regis frequens eſſet nundinatio Epiſcopatuum, & Abbatiarum, S. Anno Colonienſis Archiepiſc. Regni adminiſtratione ſe abdicavit. Rex iſto pędagogo ſeveriſſimo liberatus, ſtatim in omnia vitiorum genera præceps ruit. Exorſus eſt ſplendidiſſima ædificia in omnibus ferè montibus, & colliculis, quæ cùm perficere non poſſet, ne permittens præſidiorum, & operariorum liberam furandi, & aliena contrectandi poteſtatem, manifeſtæ tyrannidis notaretur, Sigefridum Moguntinum Archiepiſc. incitavit, ut decimationes Thuringiæ exigeret, ſibiq; earum mediam partem tribueret. Epiſcopus vaniſſima ſpe animatus, indixit Synodum in Erphisburd 6. Idus Martii. Ad quam cum Epiſcopis, & reliquis Eccleſiaſticis venit etiam Rex, habens circa ſe armatorum copias non modicas, quibus eos, ſi quis fortè negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret.

Thuringi interrogati pro decimarum ſolutione, primò per Deum rogabant Archiepiſc. ut antiquitùs tradita Monaſteriis ſuis, legitima, rata, inconvulſaq; manere fineret, quæ & Sedes Apoſtolica & veteribus, & recentibus ſcriptis crebrò ſibi firmaſſet. Sed incaſſum omnia, nam tandem, mediante Rege, Abbas, & Archiepiſcopus conſenſerunt, ut Abbas in decem ſuis decimalibus Eccleſiis duas partes decimarum, tertiam Archiepiſc. contingeret. Ubi verò Eccleſia decimalis propria Archiepiſcopi eſſet, tota illic ei decima cederet. Ita abſoluta eſt tyrannicè cauſa. Sed quam dignam tyranno ipſe Rex his appendicem tunc appoſuerit, audiamus. Tùm Rex ſciens haud benè placitura Romano Pontifici, quæ geſta fuerant, ſub interminatione gratiæ ſuæ utrique Abbati pręcepit, ut neque per ſeipſos, neque per nuncium, neque alio quovis modo pro inſimulanda ſynodo Apoſtolicam ſedem interpellarent.

Concilium Rom. I. pro reformando Eccleſiæ ſtatu, celebratum anno Domini 1074. tempore Gregorii Papæ VII.

GRegorius, prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, per epiſtolam ad Epiſcopos Longobardiæ datam, indixit Synodum prima hebdom. Quadrageſ. celebrandam. Statuto die Epiſcopi, qui convocati fuerant, magno numero adfuerunt. Ad expurgandam Eccleſiam à concubinariis Sacerdotibus principio ſtatuerunt, *Ut ſecundum inſtituta antiquorum Canonum*, inquit Lambertus, *Presbyteri uxores non habeant: habentes, aut dimitant, aut deponantur. Nec quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cælibem profiteatur.*

Quam Conſtitutionem dum juſſu Pontificis Epiſcopi in Germania promulgaſſent, acciderunt, quæ à Lamberto anno 1074. deſcribuntur his verbis: *Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait:* Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere, capiat, *Et Apoſtolus:* Qui ſe non continet, nubat: melius eſt enim nubere, quàm uri: *violenta exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi, & immunditiei fræna laxaret. Quod ſi pergeret, ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium, quàm conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet.*

Nihilominus ille inſtabat, & aſſiduis Legationibus Epiſc. omnes ſocordiæ, ac deſidiæ arguebat, & niſi ocyus injunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolica ſe cenſura in eos animadverſurum comminabatur. Archiepiſc. Moguntinus ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tanto tempore inclytam conſuetudinem revelleret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret, moderatiùs agebat cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias, et deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod neceſſariò faciendum ſit, ſpontè faciant, & tàm ſibi, quàm Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos, quod ſecus ſit, decernendi.

Ad ultimum congregata Synodo in Erfordia, menſe Octobri, preſſius jam imminebat, ut, relegata omni tergiverſatione, in præſentiarum aut conjugium abjurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas è contra illi rationes afferebant, quibus inſtantis, perurgentiſque improbitatem eludere, ſententiamque caſſare niterentur, Dumque adverſus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qua ſe ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes, preceſque proficerent, egreſſi tanquam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in ſynodum non redeant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, ut in ſynodum regreſſi ipſum Epiſcopum, priuſquam execrabilem adverſus eos ſententiam promulgaret, cathedra Epiſcopali deturbarent, & merita morte mulctato, inſigne monumentum ad poſteros tranſmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. Cùm ad Epiſcopum relatum eſſet, hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præverteret; miſit ad eos foras, rogavitque, ut ſedato pectore in Synodum regrederentur, ſe, cùm primùm opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum, & Dominum Apoſtolicum, ſi qua poſſet ratione, ab hac ſententia auſteritate deducturum. Poſtero die, admiſſis in adjutorium communiter laicis, & Clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat, &c.

In hac eadem ſynodo excommunicatus eſt Robertus Guiſcardus Northmannorum Princeps, de quo in fine lib. 1. epiſt. Gregorii hæc referuntur: *Celebravit Romæ Synodum, in qua inter cętera, quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit, atque anathematizavit Robertum Guiſcardum Ducem Apuliæ, & Calabrię, atque Siciliæ cum omnibus fautoribus ſuis, quouſque reſipiſceret.* Poſt hæc diverſorum Abbatum, & Epiſcoporum cauſæ cognitæ ſunt, & dijudicatæ.

Pictavienſibus Canonicis indultum fuit, ut eorum Epiſcopus, Decanus, & alius aliquis Prælatus jus retineat certis diebus cantandi Miſſam in aliena, & exempta Eccleſia, ſicut Romæ, atque alibi in Stationibus obſervari conſueverant. Decreto hujus Synodi mandatum eſt Hiſpaniarum Eccleſiis, ut Romanum ordinem, atque Officium recipiant, prout Hiſpaniarum Epiſcopi, qui præſentes erant, ſe facturos promiſerant. Inſuper lectæ fuerunt literæ Geiſæ Hungariæ Regis, quibus idem Rex ſuum erga ſedem Apoſtolicam incomparabile ſtudium, & obſervantiam indicabat, petens, ne adverſantium hoſtium ſuorum querelis, & calumnioſis accuſationibus ulla fides adhibeatur.

In

In eadem synodo Guilhelmus Episcopus Bellovacensis dignum exhibuit specimen Christianæ charitatis, & Episcopalis modestiæ, ut qui gravissima à suis tàm clericis, quàm laicis perpessus, pro iisdem ea de causa excommunicatis apud Pontificem intercesserit, eosque ab excommunicatione absolvi petierit, & impetraverit. Ad hanc eamdem synodum vocati sunt Canonici Lucenses, ut causam redderent, cur adversus Anselmum Episcopum suum Lucensem conspirassent, qui de conspiratione, & insidiis suo Episcopo instructis convicti, juxta Canones, & capitulum S. Martyris, & Pontificis Fabiani, quo conspiratores, & insidiatores suorum Episcoporum Curiæ tradendos esse decernitur, judicio totius sanctæ Synodi etiam ipsi Curiæ traditi fuerunt. Hæc ex Gregorii Epist. 51. & seqq. decem Baron. anno 1074. n. 36. & seqq.

Concil. apud S. Genesium, in causa S. Anselmi Episcopi Lucensis, contra Lucenses Canonicos celebratum anno 1074. *tempore Gregorii Papæ VII.*

DE rebus in hac synodo gestis ex scriptore quodam Anonimo Presbytero Pœnitentiario apud Baronium hæc recitantur: *Convenerunt ergo quamplures iterum Episcopi apud S. Genesium, quod Castrum à civitate Lucana non multum distat, inter quos Reverendissimus Albanensis Episcopus nomine Petrus* (Igneus cognomento dictus) *vicem Domini Papæ agebat, qui cum eodem Lucensi Episcopo S. Anselmo, & cum reliquis omnibus conspiratores illos excommunicavit. Unde insolabiliter illi dolentes, & indignantes, totam civitatem malitiosè commoverunt, atque freti auxilio perditissimi hominis quondam dicti Henrici regis, religiosissimum Episcopum à civitate repulerunt, sed & prædictæ Dominæ Mathildæ rebelles penitus facti sunt. Hujus itaque conspirationis nefariæ caput, & princeps fuit quidam nomine Petrus è falsa professione Canonicus, ordine damnationis suæ Subdiaconus mēte superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum, et fomes omnium spurcitiarum, qui propter immensitatem malitię suæ factus est subitò contumax præco Henricianæ tyrannidis,*

Concil. Anglicanum, quo S. Vulstanus deponitur, anno Dom. 1074. *tempore Gregorii Papæ VII.*

IN rebus gestis S. Vulstani apud Surium tom. 1. die 19. Januarii legitur, quod hoc anno 1074. habita fuerit in Anglia synodus, qua injusto judicio synodali depositus S. Vulstanus, quem magno miraculo ipse Deus paulo post sedi suæ restituit.

Concilium Rom. II. pro reformanda Ecclesia celebratum an. Dom. 1075. *tempore Gregorii Papæ VII.*

AD reformandam Ecclesiæ disciplinam Gregorius anno 1074. Synodum indixit, exordio Quadragesimæ anni 1075. celebrandam, ad quam vocavit in primis longius distantes Britannos Episcopos, & Abbates, Tullensemque Episcopum de Simonia, & cohabitatione cum muliere, quam haberet, ut conjugem, diffamatum.

Isnubertus Pictaviensis Episcopus, qui per milites irruerat in Episcopos causam incestuosi Comitis cognoscentes, eorumque quosdam contumeliis affecerat, ab officio suspensus, jussus est Romam venire: sicut etiam Benno Osnaburgensis Episcopus, & Abbas Corbejensis inter se litigantes. Citavit etiam Liemarum Bremensem Archiepiscopum, ob causam supra enarratam. Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum cum omnibus suis suffraganeis Episcopis eidem synodo assistere præsentes mandavit. Ab Henrico Rege per literas petiit, ut Legatos ad synodum mittat, illosque non audiat, qui discordias inter se seminant. Cuni-

A bertum Taurinensem Episcopum, qui de invaso Monasterio S. Angeli accusabatur, jussit etiam advenire: sicut etiam Guillielmum Papiensem, ob causam divortii inter Azonem, & Mathildem. Hugonem militem, qui bona Taurinensis Ecclesiæ invaserat, ad reddendam rationem citavit. Et ea, quæ de Herimanni Bambergensis Episcopi suspensione, & Dionysii Placentini Episc. depositione in Actis synodalibus recensentur, inveniuntur etiam apud Gregorium lib. 2. epist. 54. & 76. & lib. 3. epist. 3. In eadem synodo compositas fuisse discordias inter Pragensem, & Moraviensem Episcopos, declarat Gregor. epist. 53. lib. 2. Constituta Synodalia per universum orbem promulgari mandavit, scriptisque ad S. Annonem Coloniensem,
B & Sigefridum Moguntinum Episcopos epistolis, voluit ab iisdem congregatis in sua Diœcesi Conciliis, ea præcipue, quæ de continentia Clericorum, & pravitate Simoniaca corrigenda decreta, & constituta fuerant, promulgari. Baron. anno 1075. n. 10. & seqq.

Concil. Moguntinum, in quo Romanę Synodi decretum contra Clericos concubinarios jussu Gregorii papæ est promulgatum, anno Dom. 1075.

EX Gregorii Pontificis epist. quarta libri tertii ad Sigefridum Moguntinum Archiepisc. scripta con-
C stat, quòd Pontifex post absolutam Romanam synodum, ea, quæ de incontinentia Clericorum, ac de corrigenda Simoniaca pravitate Romæ constituta fuerant, per Diœcesim Moguntinam Episcopis, ac Clericis omnibus insinuari voluerit: Sigefridum autem Archiepiscopum eidem præcepto paruisse, synodum Moguntiæ congregasse, Constitutionem Apostolicam Episcopis suis suffraganeis, & Clericis omnibus intimasse, nihil verò profecisse, testatur Lambertus his verbis: *Synodum autem hoc eodem anno, mense Octobri, Moguntiæ congregavit, ubi inter alios Episcopos Sedis literas, & mandata deferens, quibus ei interminatione gradus, & Ordinis sui præcipiebat, sicut antea quoque multis Legationibus præceperat, ut Presbyteros omnes, qui intra suam Diœcesim essent, cogeret: aut in præsentiarum*
D *conjugibus renunciare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique assidebant, Clerici, ita eum verbis confundebant, ita manibus, & totius corporis gestu in eum debacchabantur, ut se, vita comite, è synodo discessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omninò supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum, quandò, & quomodò vellet, peroraret.*

Concil. Anglicanum auctoritate Lanfranci Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopi, pro reformandis Ecclesiasticis constitutionibus, & moribus Ecclesiæ, celebratum anno Domini 1075. *tem-*
E *pore Gregorii papæ VII.*

ANno Incarnationis Dominicæ millesimo septuagesimo quinto, regnante glorioso Anglorum Rege Uvilielmo, anno Regni ejus nono, congregatum est Londiniæ in Ecclesia B. Pauli Apostoli Concilium totius Anglicæ regionis, Episcoporum videlicet, Abbatum, necnon & multarum Religiosi Ordinis personarum, jubente, atque eidem Concilio præsidente Lanfranco sancto Dorovernensis Ecclesiæ Archipræsule, totiusque Britanniæ insulæ Primate, confidentibus secum viris venerabilibus, Thoma Eboracensi Archiepisc. Vvilielmo Londiniensi Episcopo, Goisrido Constantiensi, qui cum transmarinus esset Episcopus, in Anglia multas possessiones habens, cùm cæteris in Concilio residebat. Et quia multis retro annis in Anglico Regno usus Cōcilior. obsoleverat, renovata sunt nonnulla, quæ an-

antiquis etiam noscuntur Canonibus definita.

Ut singuli secundum Ordinationis suæ tempora sedeant.

Ut Monachi ordinem debitum teneant, & super infantes præcipuè, & juvenes in omnibus locis, deputatis sibi idoneis magistris, custodiam habeant: nocte luminaria ferant, generaliter omnes, nisi à Prælatis concessa prioritate careant. Si quis verò aliquid proprii sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia, & dolore peccatum suum cõfessus, nec signa pro eo pulsentur, nec salutis pro ejus absolutione Hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur. Et alia plura ad reformationem pertinentia sancita sunt, ut in Binio.

Conciliab. Vuormatiense, quo schismatici Episcopi jussu Henrici VII. regis congregati, Gregorium VII. pontificatu amovendum esse declararunt, anno Domini 1076.

ABbas Urspergensis in Chronico sic habet, Anno Dom. 1076. habitum est Concilium apud Vuormatiam, ubi, præsente Rege Henrico, universi penè Theutonici Episcopi, præter Saxonicos, Hildebrandum Papam abdicarunt, mittentes ad illum Epistolam post multas culpationes in illum injectas ita conclusam: Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tàm gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per conversationem tuam tàm multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec tibi de cętero ullã servaturos esse renuntiamus, & quia nemo nostrum, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrum amodo eris Apostolicus.

Concilium Rom. III. quo Henricus rex Germaniæ, Sigefridus Moguntinus, Vuilhelmus Trajectensis, & Robertus Bambergensis Episcopi excommunicantur, an. 1076. temp. Gregorii Papæ VII.

QUæ in hac synodo acta fuerint, summatim apud Lambertum recensentur his verbis: *Legati, ut jussum fuerat, summo conatu iter accelerantes, pridie quam à Papa Romæ synodus indicta celebraretur* (erat ex more prima hebdomada Quadragesimæ) *Romam ingressi, literas tradunt. Tunc cæteram Legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso, quàm scripta exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuntii, postera die cùm Clerus, & populus ad synodum frequens confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit, & sic, cunctis, qui convenerant, Episcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, Episcopum Trajectensem Vuilielmum, Episcopum Bambergensem Robertum. Cæteris, qui conspirationis hujus participes extiterant, diem statuit, quâ nisi Romam præsentati causam dicerent novæ hujus, & inusitatæ contra sedem Apostolicam rebellionis, similem cęteris excommunicationis sententiam sortirentur.*

Die verò altera ab Episcopis Ultramontanis literæ ad Pontificem sunt allatæ, in quibus confitebantur se errasse, & nimium deliquisse, qui postulabant quoque veniam, & omnem de cętero sibi obedientiam observaturi firmiter spoponderunt. Vixque sedato tumultu, synodalis tractatus in tranquillitate processit. Sed cùm tempus jam instaret absolvendi synodum, Pontifex habito cum centum, & decem Episcopis utiliori consilio, in eumdem, qui Ecclesiasticam unitatem scindere attentavit, excommunicationis sententiam protulit, & usque ad condignam satisfactionem sententiam ipsam firmiter observari præcepit. Vide lib. 3 ep. Gregor. epist. 6. Baronium anno 1076. n. 16. & seq.

A

Conciliab. Parisiense, quo Episcopi schismatico inhærentes, anathema sibi à Pontifice inflictum, in eumdem pontificem retorquere conati fuerunt, anno Domini 1076.

GUilielmus Bibliothecarius in vita Gregorii Papæ scribit, quòd schismatici Episcopi, dum intellexissent, Regem, eique adhærentes, in synodo Romana excommunicatos esse, Papiæ convenerunt, idemq; anathema in se prolatum, in Pontif. retorserunt. Et quod Principibus peritos consulentibus, an Pontifex pro excommunicato sit habendus; prudenter, & scitè responsum fuerit, Romanum Pontificem à nemine judicandum, B atque adeò ab alio quoquam excommunicari non posse, esse autem excommunicatos, qui talia præsumpsissent. Baronius anno 1076. num. 36.

Concil. Romanum IV. in quo Guibertus Ravennas, Theobaldus Mediolanensis, aliique plures Episcopi excommunicantur anno Dom. 1078. tempore Gregorii Papæ VII.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octavo, Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ VII. anno quinto, celebravit ipse Dominus Gregorius Papa synodum, ubi interfuere Archiepiscopi, & Episcopi diversarum urbium ferè numero centum, C necnon & Abbatum, ac diversorum Ordinum Clericorum, & laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apostolica constituta corroborans, multa, quæ corrigenda erant, correxit, & quæ corroboranda, firmavit. Inter cætera namque in fine synodalis absolutionis hoc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro posteris scribenda mandavit, ita dicendo: Tedaldum dictum Archiepiscopum Mediolanensem, & Ravennatem Guibertum inaudita hæresi, & superbia adversus hanc sanctam Catholicam Ecclesiam se extollentes, ab Episcopali omninò suspendimus, & Sacerdotali officio, & olim jam factum anathema super ipsos innovamus. Arnulphum Cremonensem publicè coram nostra præsentia convictum, & confitentem se Simoniacum, ab omni Episcopali officio absque spe recuperationis deponimus, & usque ad dignam satisfactionem anathemate D percutimus. Rolandum verò Tarvisiensem, qui pro adipiscendo Episcopatus honore subdolus factus Legatus, inter Regnum, & Sacerdotium schisma facere non abhorruit, ut amodo, & usque in sæculum Episcopali careat dignitate, Apostolica censura censemus, & ut nullus successorum nostrorum suæ consecrationi aliquo modo consentiat, modis omnibus prohibemus, & perpetuo anathemate alligamus, nisi resipuerit, & dignè Deo satisfecerit. Ugonem Cardinalem tituli S. Clementis tertio ab Apostolica sede damnatum, eo quod aspirator, & socius factus hæresis Cadaloi Parmensis Episcopi: & iterum constitutus Legatus Apostolicæ Sedis, hæreticis, & Simoniacis, & ab Apostolica Sede damnatis se conjunxit; & tertio factus apostata, & hæresiarcha, schisma, & divisiones, atque scissuras in Ecclesia Dei tentans, eam scindere fecit; ab omni E Sacerdotali officio privamus, & tàm ab ingressu, & honore prædictæ Ecclesiæ, quàm omnium Ecclesiarum sub perpetua, & irrevocabili sententia submovemus, & usque ad satisfactionem anathemate percutimus. Renovamus etiam excommunicationem à prædecessoribus nostris factam super Guifredum Archiepiscopum Narbonensem, & absque ulla recuperationis spe ab Episcopali officio eum submovemus.

Con-

Concilium Rom. V. pro restauratione S. Ecclesiæ celebratum anno Domini 1078. tempore Gregorii Papæ VII.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octavo, Pontificatus verò Domini Gregorii septimi Papæ sexto, 12. kalendas Decembris, Indictione 2. celebrata est synodus Romæ in Ecclesia S.Salvatoris pro restauratione sanctæ Ecclesię. In qua, inter alia, excommunicatus est Constantinopolitanus Imperator, aliique, qui subscripti habentur. Juraverunt quoque Legati Henrici, & Rodulphi, quisque pro Domino suo, quod nullis dolis colloquium Legatorum sedis Apostolicæ in Teutonico Regno habendum impediant. Constituta etiam sunt illic ad utilitatem sanctæ Ecclesię quædam Capitula.

Decreta in eadem Synodo facta.

QUicumque militum, vel cujuscumque Ordinis, vel Professionis persona Prædia Ecclesiastica à quocumque Rege, seu sæculari Principe, vel ab Episcopis invitis, seu Abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum Rectoribus susceperit, vel suscepit, vel invasit, vel (etiam de Rectorum, privato, seu vitioso eorum consensu tenuerit) nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.

Si quis Normannorum, vel quorumlibet hominum prædia Monasterii S. Benedicti Montis Cassini invaserit, vel quascumque res ejusdem Monasterii injustè abstulerit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat.

Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum à laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana Religio conculcatur; decernimus, ut nullus Clericorum investituram Episcopatus, vel Abbatię, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personæ, viri, vel feminæ, suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere.

Si quis Prębendas, Archidiaconatus, Pręposituras, vel aliqua officia Ecclesiastica vendiderit, vel aliter quàm Statuta sanctorum Patrum præcipiunt, ordinaverit, ab officio suspendatur. Dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra ejusdem Episcopatus gratis distribuat.

Ordinationes, quę interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personę ea intentione impenso, vel quę non communi consensu Cleri, & populi secundum Canonicas sanctiones fiunt, ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas, & irritas esse dijudicamus, quoniam, qui taliter ordinantur, non per ostium, idest, per Christum intrant, sed, ut ipsa veritas testatur, fures sunt, & latrones.

Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pęnitentiam venerit, vel qui bona alterius injustè detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia, vel negotium derelinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, bonaq; quę injustè abstulit, restituat. Ne tamen desperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur, ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

Decimas, quas in usum pietatis concessas esse, Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus: sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æternę damnationis periculum incurrere.

Quia dies Sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorum auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumq; se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi majori festivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abstineat.

Ut nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ secundum Statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus Diœcesi habitat, detineat, Apostolica sanctione firmamus.

Nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam normam Abbatibus, seu Clericis suis imponat. Interdictum Sacerdotale officium, pretio interveniente, restituat: quod si fecerit, officii sui periculum subeat.

Si quis prædia B. Petri Apostolorum Principis, ubicumque posita, in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde beato Petro non exhibuerit: recognoscat se iram Dei, & sanctorum Apostolorum, velut sacrilegum incurrere. Quicunque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, tandem hæreditatem B. Petri legitimè restituat, & pœnam quadrupli de propriis bonis persolvat.

Si quis Episcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, seu subdiaconorum vel pretio interveniente, consenserit, vel commissum, sibique compertum auctoritate sui officii non impugnaverit, ab officio suspendatur.

Ut omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Etenim in Collectis sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debent.

Concil. Romanum VI. in quo Berengarius sæpe ad pęnitentiam vocatus, sępiusq; relapsus, hęresim suam iterum abjuravit, fidemq; Catholicam professus fuit coram Gregorio VII. anno Dom. 1079.

ACta Concilii extant apud Gregorium lib. 6. post epist. 7. Incipiunt sic:

Anno ab Incarnatione sempiterni Principis millesimo septuagesimo nono, mense Februarii, Indictione secunda, Pontificatus verò Domini Gregorii universalis Pontificis Septimi anno sexto, ad honorem Dei, & ædificationem sanctę Ecclesię, salutem quoque tàm corporum, quàm animarum, ex præcepto sedis Apostolicę convenerunt finitimi, & diversarum regionum, & Provinciarum Archiepiscopi, Episcopi, Religiosæque personę, ut sanctam synodum celebrarent. Omnibus igitur in in Ecclesia Salvatoris congregatis, habitus est sermo de corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hęc, nonnullis illa prius sentientibus. Maxima siquidem pars panem, & vinum per sacrę orationis verba, & Sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit, & sanguinem, qui de ejus latere militis effusus est lancea, asserebat, atq; auctoritatibus Orthodoxorum sanctorum Patrum tàm Grecorum, quàm Latinorum modis omnibus defendebat. Quidam verò cœcitate nimia, & longa perculsi, figuram tantum substantiale illud corpus in dextra Patris sedens esse, seq; & alios decipientes quibusdam cavillationibus conabantur astruere. Verū ubi cœpit res agi, prius etiam

quàm tertia die ventum fuerit in synodo, defecit contra veritatem niti pars altera: nempe S. Spiritus ignis emolumenta palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Deniq; Berengarius hujus erroris magister post longo tempore dogmatizatam impietatem errasse se coram Concilio frequenti confessus, veniamque postulans, & orans, ex Apostoli clementia meruit.

CONTROVERSIA.

CUm in hac synodo Berengarii hæresis damnata fuerit, quis non videt calumniam esse mendacissimam, qua Gregor. VII. in Conciliabulo Moguntino propterea damnatus fuisse asseritur, quòd antiquus discipulus Berengarii extiterit? Inter alias Gregorii epist. extat unica primo anno sui Pontificatus ad Mathildem scripta, qua evidenter profitetur, sub speciebus panis, & vini verè ipsum corpus, & sanguinem Domini contineri: quæ unica epist. si nullum aliud monumentum extaret, sufficiens esset ad integerrimam fidem Gregorii Papæ demonstrandam, & ad schismaticorum calumniantium os impudens obstruendum.

De secunda abjuratione Berengarii.

IN hoc Conc. secundam hæresis abjurationem edidisse testatur Blondus decad. 2. l. 3. meminit & Sabellicus lib. 3. nonæ æneadis ita scribens: Gregorius VII. Romæ frequens Concilium habuit, in quo Berengarius, suum errorem fassus, veniam impetravit. Confessionis forma hæc fuit. Ego Berengarius: *Corde, & animo credo, quod ore confiteor, &c.* In qua confessione perseveravit usque ad mortem, ut testatur Joannes Gersonius serm. 1. de Cœna Domini. Scilicet Berengarius post primam abjurationem sub Nicolao II. in errorem alium lapsus fuit, quem hodie Lutherani sequuntur, puta in venerabili Sacramento cum corpore, & sanguine Christi remanere substantiam panis, & vini. Quare hanc hæresim iterum abjuravit sub hac formula:

Secunda abjuratio Bereng.

Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quę ponuntur in altari per mysterium sacrę Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, ac propriam, ac vivificatricem carnem, & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris, & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantùm per signum, & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic Deus me adjuvet, & hæc sacrosancta Euangelia.

Refert hanc abjurationem integram Groperus de veritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia art. 1. c. 78. Hæcque ipsa est, quam refert Guilielmus Monachus, & Bibliothecarius Malmesburiensis de gestis Anglorum. De qua supra meminimus in controversia Concilii Romani sub Nicolao II. an. 1059. ut perperam scribat Flaccus Illyricus lib. 12. catal. testium veritatis, Rhapsodum Conciliorum, ex Blondo, & Sabellico sine fundamento scribere secundam abjurationem fecisse Berengarium, in qua mortuus sit. Eamdem abjurationem refert Baronius ad annum 1078. Additque, hac facta, Dominum Papam præcepisse Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ut de corpore, & sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.

Varii modi admittendi realem præsentiã corporis Christi in Euch.

Quare post hanc secundam abjurationem omnino prævaluit doctrina antiqua, & ab ævo Apostolico fluens per sanctissimos Ecclesiæ Patres divini juris propagatores, & quę erat communior, de transubstantiatione, supra alias opiniones, quæ realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia admittebant, sed alio modo, scilicet, vel per annihilationem panis, vel per impanationem. Sed nec defuerunt, qui opinarentur solam materiam panis converti in corpus Christi, alii solam formam, alii totam substantiam unà cum accidentibus, quoadusque Concilium Lateranense, & alia subsequentia materiam cavillandi circa istud mysterium abstulerint magis præcisa, & explicata definitione, qualis illa est Tridentini Concilii, quæ totam substantiam panis, & vini, remanentibus solis accidentibus, converti determinat. Ut jam inter Christianos Ecclesiæ Rom. sit summa consensio. Nisi quod recens Philosophia Carthesiana dicta, Romæ, & Lovanii improbata, & alibi improbanda, novas videtur parare insidias adversus hoc mysterium, tàm variæ sunt fraudes dæmonum ad labefactandam rectam fidem. Præter antiquius adhuc commentum Joannis Parisiensis Ordinis Prædicatorum à Durando subtiliter, & solidè refutatum in 4. Sent. dist. 8. Legendus Bellarminus de Eucharistia tom. 3. controversiarum, & ea, quæ dedimus ad Later. IV. Classe 3.

Concil. Britannicum ad falsam pœnitentiam proscribendam, celebratum anno Dom. 1079. tempore Gregorii Papæ VII.

FRequens erat in Britannia hoc tempore, quòd absque aliqua emendatione peccantes, in iisdem peccatis perseverantes absolverentur. Hoc malum Ecclesiæ Gregorius Papa sublatum volens, Legationem decrevit in Britanniam Minorem, ibique mandavit celebrari Concil. quo pœnitentia illa, qua populus seductus erat, planè proscriberetur. Gregorius lib. 7. epist. 10.

Concilium Rom. VIII. quo Regnum Germaniæ Henrico IV. abrogatum, collatum fuit Rodulpho, ea constitutione addita, ne deinceps investituræ Beneficiorum à laicis conferantur, vel accipiantur, anno Dom. 1080. tempore Gregorii Papæ VII.

ANno ab Incarnatione Domini 1080. Pontificatus verò Domini Gregorii VII. Papæ, anno 7. Indict. 3. celebravit ipse Dominus Papa Synodum Romæ, & inter alia, in fine Synodalis absolutionis, hæc annexuit: Sequentes statuta sanctorum Patrum, sicut in prioribus Conciliis, quæ Deo miserante celebravimus, de ordinatione Ecclesiasticarum dignitatum statuimus, ita & nunc Apostolica auctoritate decernimus, ac confirmamus, ut si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicę personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei, vel Episcopo, seu Abbati, audientia concedatur. Insuper etiam ei gratiam sancti Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tàm ambitionis, quàm inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) cœpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item, si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, aut personarum investituram Episcopatuum, vel alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ se vinculo obstrictum esse sciat. Et infra:

Additur hìc à Bzuio excommunicatio Henrici IV. Imperatoris, ejusque è regno dejectio cum absolutione subditorum à Sacramento fidelitatis. Quamvis quidam negent apud Abbatem Uspergensem hanc excommunicationem. Quæ etsi admitteretur, cum sit res facti, non decretum fidei, nihil inde concludi posset adversus summos Pontifices. Vide controversiam Con-

Concilii Lugdunensis, Classe 3. hujus summæ.

In hac Synodo ventilatam quoque esse antiquam illam controversiam inter Turonensem, & Dolonensem Britanniæ Ecclesiam, ejusdem Gregorii litteræ ad Episcopos Britanniæ datæ significant lib. 7. epist. 15. Quæ controversia erat de exemptione à Turonensi, quam prætendebat Dolensis. De qua nihil certi definitum est. Baronius anno 1080. num. 16.

Conciliabulum Brixiense, quo 30. schismatici Episcopi Gregorium Papam Sede deposuerunt, & Guibertum Ravennatem Archiepiscopum eidem in schismate subrogarunt, anno Domini 1080.

HÆc Synodus Moguntiæ inchoata fuit. Sed cum ibi novemdecim duntaxat Episcopi schismatici ad scelus patrandum convenissent, paucitatem eorum pertæsi, ad locum schismaticis omnibus in Germania, & Italia congregandis aptissimum, Brixiam B transtulerunt. In qua factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium VII. quem Pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, & præcipuè sanctæ Romanæ sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica sede depellendum, quamvis absentem dijudicabant, & Vvigbertum Ravennensem Archiepiscopum sibi subrogandum eligebant. Summa Decreti est: *Contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia, ac incendia prædicantem, perjuria, & homicidia defendentem, Catholicam, & Apostolicam fidem de corpore, & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum,* C *ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum; & nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum.* Facta sunt autem hæc septimo Calend. Julii. Fer. 5. Indict. 3.

Concilium Lugdunense, quod sub præsidio Hugonis Diensis Episcopi, & Sedis Apostolicæ Legati, in causa Manassis Archiepiscopi Rhemensis celebratum est, anno Domini 1080. *tempore Gregorii Papæ VII.*

MAnasses Rhemensis Archiepiscopus, qui sedem D Rhemensem invaserat, ad causam dicendam sæpe Romam vocatus, nullatenus obtemperare voluit: &, non obstante inhibitione Pontificis, eamdem violenter detinere præsumpsit. Qua de causa Hugo Diensis Episcopus in Gallias ablegatus, hanc synodum congregavit, atque in ea invasorem Antistitem condemnavit, & throno Episcopali deposuit. Hæc ex Gregor. epist. 17. lib. 8. qua universum Clerum, & populum Rhemensem admonet, ut eidem invasori constanter resistant.

Concilium Avenionense, quo S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus creatus est, anno Domini 1080. *tempore Gregorii Papæ VII.*

HAc Synodo S. Hugonem ex Lugdunensi Episco- E po creatum esse Antistitem Gratianopolitanum, atque sexto anno suæ Ordinationis cum sociis quibusdam Carthusiam tunc recens inchoatam petiisse testantur acta ejusdem sancti Hugonis apud Surium 1. Aprilis.

Concilium Meldense, quo S. Arnulphus creatus est Episcopus Svessionensis, anno Domini 1080. *tempore Gregorii Papæ VII.*

AUctoritate ejusdem S. Hugonis sedis Apostolicæ Legati, teste Sigeberto, habita est in Gal- A liis ista synodus Meldensis, in qua Ursione Svessionensi Episcopo amoto, surrogatus est Arnulphus vir sanctissimus ex Monasterio sancti Medardi vocatus. Electionem ejus divinitus factam esse, testatur Lisiardus in vita Arnulphi apud Surium Tom. 4. die 15. Augusti.

Concilium Romanum VIII. in causa Henrici Regis, & Episcoporum quorundam, celebratum anno 1081. *tempore Gregorii VII.*

ANno ab Incarnatione Domini 1081. Pontificatus verò Gregorii VII. anno octavo nondum exacto, præsidente eodem Apostolico, celebrata est synodus Romæ in Basilica ejusdem Salvatoris, in qua inter cætera sententiam depositionis Archiepiscoporum Arelatensis, & Narbonensis, atque excommunicationis per Legatos Apostolicæ sedis promulgatam Dominus Papa, his, qui aderant, collaudantibus firmavit.

Henricum quondam dictum Regem, & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, iterum excommunicavit.

Anathematizavit item Ildimundum, & Landum Campaninos Tyrannos, omnesque adjutores eorum.

Præterea suspendit officio quosdam Episcopos, qui ad Concilium invitati, neque ipsi, neque Nuntii eorum pro ipsis venerunt.

Concilium Romanum IX. anno Domini 1083. *celebratum tempore Gregorii Papæ VII.*

ANno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo quarto, Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ Septimi anno undecimo, 12. Calend. Decembris, præsidente eodem Apostolico celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica synodus, in qua fuerunt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retrovertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolici Legatione redeuntem, contra fas, & juramenti fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem synodos Quadragesimales ejusdem H.... persecutio impedivit. Qui semel B. Paulum, bis B. Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tàm suorum fortitudine, quàm negligentia civium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bello fatigatum, acri inedia laborabat: cum nec ipsis ad vicina oppida, vel castra exire liceret, nec illi jurati H.... Urbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti Urbem reliquerant. Proinde cæteri bello remissius attenti, rem ex animo minus gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentius aberant. Hæc super Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat.

Cæterum Dominus Apostolicus in eadem synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, sed & de robore, animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano, sed Angelico patenter edisserens, die tertia totum ferè conventum in gemitus, & lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolica benedictione lætificum in pace dimisit.

Concilium Romanum X. quo Guibertus antipapa, & hæresiarcha, atque Henricus Pseudo Imperator cum omnibus suis fautoribus excommunicantur, anno Domini 1084. *tempore Gregorii Papæ VII.*

DE hoc Concilio ista Bertholdus: *Dominus autem Papa collecta synodo, iterum sententiam anathematis*

matis in Guilbertum hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod in Festo sancti Joannis Baptistæ præterito jam dudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam Legati sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Teutonicorum usquequaque divulgarunt. Hæc Bertholdus. A

Concilium Quintilineburgense contra Henricianam, & Vvecilianam heresim, celebratum anno Domini 1085. tempore Gregorii Papæ VII.

Acta extant apud Bertholdum his verbis.

Hermannus Rex in Quintilineburg Pascha celebravit, ubi & Legatus Domini Apostolici in ipsa Paschali hebdomada Generalem synodum cum Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, sancti Petri fidelibus solemniter celebravit. B Interfuit autem synodo Gebehardus Reverendissimus Juvaniensis Archiepiscopus. Item venerabilis Hartungus Magdeburgensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis. Item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia: nam Vvirceburgensis, Augustensis quoque, & Constantiensis de Alemannia, quique ipsi Canonica necessitate impediti, venire non potuerunt, per Legationem suam se sancto Concilio repræsentaverunt, seque per omnia ejusdem synodi statutis assensuros mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum suis Principibus eidem Synodo interfuit. Cum ergo omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ: quod nulli unquam liceat judicium retractare, & de ejus judicio judicare. C Quod de totius synodi publica professione laudatum, & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui fideles sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Domini Papæ Gregorii super Henricum cum illis retractare præsumerent.

Quidam autem Bambergensis Clericus nomine Gunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliunde concessum hæreditasse, videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum apertè à tota synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico convictus est per illud Evangelicum: *Non est discipulus supra Magistrum.* (Matth. 10.) D Cum enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis Ordinibus observandum deputetur, ne major à minore judicetur: quis hoc Vicario sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro domino, & magistro venerantur?

In eadem synodo Ordinatio Vvecilonis Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis: imo omnes Ordinationes, & Consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt juxta Decreta sanctorum Patrum Innocentii, Leonis Primi, Pelagii, atque ejus successoris Gregorii Primi.

Hæresis Vvecilonis. Item secta prædicti Vvecilonis Moguntini invasoris, ejusque sociorum, sub anathemate damnata est, quæ asserit: E Sæculares suis rebus expoliatos, Ecclesiastico non subjacere judicio, nec excommunicatos absque reconciliatione recipi posse contendit.

Statutum est autem ibi, Ut quicunque ab Episcopo suo nec officio, nec communione privato excommunicatus esset, etsi injustè; nullatenus tamen reciperetur ad communionem; nisi absolutus Ecclesiastico more.

Similiter & pro sacrilegio excommunicatos decrevit sancta synodus non recipiendos, absque solita reconciliatione, & nisi dudum, quæ sacrilege sibi vendicaverant, reddidissent.

In eadem synodo Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, perpetua juxta Decreta sanctorum Patrum indicta est continentia.

Item statutum est, Ne laici pallas Altaris, & sacra vasa contingant.

Item, Ne laici decimas sibi vendicent in proprietatem; nec etiam in beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.

Item, Ut vernum Jejunium in prima hebdomada Quadragesimæ, æstivum in Pentecoste semper celebretur.

Item, Ne quis caseum, & ova comedat in Quadragesima.

Item, Synodali judicio confirmata, & laudata est Ordinatio Domini Gebehardi Constantiensis Episcopi: imo omnia, quæ præfatus sedis Apostolicæ Legatus, cum esset Constantiæ, ordinavit.

Item ibi mota est quæstio de consanguinitate Regis, & uxoris suæ. Unde & Rex in media synodo surrexit, seque de hac re judicium sanctæ Synodi per omnia observaturum professus est: sancta autem synodus hanc causam in præsenti Canonicè examinari non posse judicavit, eo quod legitimi accusatores non essent.

In fine autem synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiarcham sedis Apostolicæ pervasorem, & in Apostatas sancti Petri, Hugonem Album cognominatum, Joannem Portuensem Exepiscopos, Petrum Excancellarium.

Erant hi Pseudocardinales Guiberti Antipapæ sectatores, & acerrimi defensores.

Item in Liemarum Bremensem, Utonem Hildinesheimensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basileensem, Huzmannum Spirensem Exepiscopos.

Item in Vvecilonem Moguntinum invasorem, Sigefridum Augustensem, Norbertum Curiensem. In hos, inquam, & in omnes eorum complices inevitabilis sententia anathematis promulgata est.

Conciliabulum Moguntinum, quo, Gregorio deposito, Guibertum justè subrogatum fuisse declaratur, anno 1085.

De hoc Conciliabulo Sigebertus in Chronico ista habet: *Henricus Imperator Moguntiæ Regali, & Synodali Conventu coacto, exigit ab omnibus, ut Hildebrandi depositionem, & Guiberti Ordinationem subscripto approbent. Cui aliqui manu, & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant.* Interfuisse huic synodo Legatos tanquam Apostolicæ sedis titulo missos à Guiberto Antipapa, eidemque Vvecilonem Moguntinum intrusum præfuisse, auctor est Dodechinus. Bertholdus post synodum Quintilineburgensem de hoc Conciliabulo ita scribit: *Sed omnes adversarii Ecclesiæ Dei, excommunicati scilicet in synodo Orthodoxorum, in tertia hebdomada post finitam Synodum suam Moguntiæ collegerunt non synodum, sed Conciliabulum, in qua umbratilem sententiam excommunicationis contra fideles sancti Petri deprompserunt, utpote nequaquam illos excommunicare valentes, sed apertissimè seipsos à communione Catholicorum sequestrantes, ut non tantùm judicio sanctæ Ecclesiæ, sed & proprio eorum judicio, sicut omnes hæretici, à Catholicis essent separati. Sedes quoque Catholicorum Episcoporum viventium, temeraria cupiditate cæcati, sibi vendicare non timuerunt.*

In eadem synodo Hermannum Metensem, aliosque Catholicæ communionis Episcopos, & acerrimos Gregorii Papæ defensores, subrogatis aliis in locum eorum, sedibus suis dejectos esse, testatur Abbas Urspergensis.

Con-

Concilium Capuanum, quo Victor resumptis insignibus Pontificalibus, quæ præter voluntatem electus resignaverat, consecratus fuit, anno Domini 1086.

DE rebus in hac synodo gestis Leo Ostiensis inspector, his verbis enarrat: *Sequenti anno 1087. Apud Capuam Episcoporum congregato Concilio, cùm ipse * electus unà cum Episcopis, Cardinalibusque Concilio præsideret, Cincius etiam Romanus Consul cum nobilibus plerisque Romanis, Jordanusque Princeps Capuæ, & Rogerius Dux cum omnibus fere suis Optimatibus adesset: finito Concilio, rursus ex insperato illum Clerici, & laici precibus multis, lacrimisque fatigant. Sicque biduo immobilis perstitit. Tandem Duce, ac Principe, Episcopisque, & fidelibus cæteris ad ejus vestigia flentibus, victus precibus, ac rationibus cessit: electionemque præteritam, Crucem, ac purpuram resumendo, firmavit 12. Kalendas Aprilis, Dominica in Ramis palmarum. Inde Cassinum reversus, ibi Pascha celebravit.*

Solemnitate peracta, cum Capuano, ac Salernitano Principe Romam perrexit, juxta Ostiensem urbem Tyberim cum omnibus transiens, gravi languore comprehensus, extra porticum sancti Petri tentoria fixit. Et quia Ravennas hæresiarca, qui vivente Gregorio Papatum invaserat, sancti Petri Ecclesiam armis tenebat, instantibus militibus Principis, eadem die recuperata Ecclesia est. Dominica verò Ascensionem subsequente, Romanis fere omnibus trans Tyberim magna cum frequentiæ celeritate occurrentibus, electus ipse, ab Episcopis Ostiensi, Tusculano, Portuensi, & Albanensi, Cardinalibusque, & Episcopis, & Abbatibus assistentibus plurimis, Ecclesiastico more sacratus, & in Apostolica Sede locatus est septimo Idus Maji.

Concilium Beneventanum, quo Guibertus Antipapa cum suis sibi adhærentibus Episcopis schismaticis excommunicatur anno Domini 1086. tempore Victoris Papæ III.

RES in synodo gestas refert Leo Ostiensis lib. 3. c. 71. sed summatim hæc sunt.

Victor III. egressus urbem, synodum celebrare statuens, Beneventum perrexit. In qua præsidens, ait: Novit vestra dilectio, &c. Guibertus enim hæresiarcha, qui vivente sanctæ memoriæ prædecessore meo Gregorio Papa Romanam invasit Ecclesiam, &c. Idcirco auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, omni illum Sacerdotali officio, & honore privamus, & à liminibus Ecclesiæ separantes, anathematis vinculo innodamus. Et alia plura pro moribus Ecclesiasticis restituendis, prout in Binio.

Postea infirmatur graviter: post triduum, peractis omnibus, festinus ad monasterium rediit, ubi convocatis ad se Episcopis, & Cardinalibus, monuit, ac jussit, ut juxta Gregorii Papæ statutum, Ottonem Ostiensem Episcopum quàm primùm eligerent, Pontificemque constituerent: quem, quia præsens erat, manu apprehensum, cæteris Episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana Sede locate, meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote.

Concilium Romanum I. 150. Episcoporum, quo res Gregorii VII. & Victoris III. contra Guibertum Antipapam, & Henricum Pseudoimperatorem, aliosque schismaticos gestæ confirmantur, anno Domini 1089. tempore Urbani II.

DE rebus in hac Synodo gestis, Bertholdus hujus temporis scriptor probatissimus ista refert: *Hoc eodem anno* (nimirum millesimo octogesimo nono) *Dominus Papa Urbanus generalem Synodum centum* A *quindecim Episcoporum collegit, & Ecclesiastica statuta suorum prædecessorum Apostolica auctoritate confirmavit. Guibertus autem hæresiarcha à Romanis turpiter expellitur, & ne amplius Apostolicam Sedem invadere præsumat, juramento promittere compellitur. Sed jam aliquantulum diuturna Regni discordia inter Catholicos, & schismaticos tepescere cepit; ut non jam bellum ad invicem, sed pacem componere sanius judicarent. Quapropter Duces, & Comites fideles S. Petri cum Henrico colloquium habuerunt, eique suum consilium, & auxilium ad obtinendum Regnum firmissimè promiserunt, si Guibertum hæresiarcham vellet dimittere, & ad Ecclesiasticam communionem per Catholicum pastorem remeare. Quam quidem conditionem nec ipse multum respuit, si tamen in hoc ei Principes sui aßentiri* B *vellent, videlicet Episcopi, qui se cum Guiberto deponendos esse non dubitaverunt, eo quod in ejus parte ordinationem, imò execrationem perceperunt.*

Hi ergo penitus hac vice dißuaserunt, ne sanctæ Ecclesiæ reconciliaretur. Dominus Papa Constantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per Legatos suos absolvit. Item literas Philippi Regis Francorum debitam ei subjectionem promittentis suscepit.

Concilium Trojanum I. Episcoporum fere septuaginta quinque in Apulia, de conjugiis consanguineorum dißolvendis, celebratum anno 1089. tempore Urbani Papæ II.

HUjus Concilii meminit Petrus Diaconus in Chronico Cassinate lib. 1. cap. 8. Apud Ivonem Carnotensem ejusdem Concilii fragmentum ejusmodi reperitur: *Convenit Trojæ in Apulia Concilium Episcoporum fere septuaginta quinque, Abbatum duodecim, in quo actum est de consanguinitatis linea in conjugatis; cùm nemo tamen dictum Sacramenti impedimentum vellet assertione firmare, preceptum est, ut Episcopi, quorum Diœcesani sunt, eos per congrua spatia, trina advocatione conveniant. Tunc si duo, vel tres viri consanguinitatem jure jurando firmaverint, vel ipsimet forte confeßi fuerint, conjugia dissolvantur. Si verò neutrum contigerit, Episcopi eos per Baptismum, per fidem, per judicium Christi in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant, utrum se (sicut fama est) consanguineos recognoscant. Si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt; ita tamen, ut si aliud in conscientia habeant, se à liminibus Ecclesiæ, à corpore, & Sanguine Domini, à fidelium communione noverint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant. Si se Episcoporum judicio segregaverint, si juvenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.* Hactenus quod superest ex Concilio Trojano fragmentum. Quod & apud Gratianum, & Magistrum sententiarum invenies.

Concilium Tolosanum, pro expurgando Tolosano Episcopo, aliisque moribus Gallicanæ Ecclesiæ reformandis, celebratum anno 1090. tempore Urbani Papæ II.

BErtholdus hujus temporis Scriptor anno 1090. de ista Synodo Tolosana agens, hæc scribit: *Dominus Papa Urbanus Generalem Synodum cum Episcopis diversarum Provinciarum per Legatos suos in Tolosana civitate circa Pentecostem collegit, ibique multa in Ecclesiasticis causis, quæ corrigenda erant, correxit. In qua Synodo Tolosanus Episcopus de illatis criminibus Canonicè expurgatur, & Legatio pro restauranda Christianitate in Toletana civitate, Rege Hispanorum supplicante, destinatur.* Hæc ipse.

Concilium Melfitanum in Apulia celebratum anno 1090. tempore Urbani II.

ACta Synodalia ex Codice Ant. Augustini accepta hæc sunt.

Ex

Ex Synodo Urbani Papæ ad Melfiam: SS. Patrum sententiis consona sentientes, Dei, & Apostolorum ejus parte præcipimus, ne quis ulterius dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione intento, vel precibus Episcopalem nitatur assequi dignitatem, nec ullus eam prætaxato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni Ecclesiastica dignitate, vel officio, Apostolicæ potestatis auctoritate præfigimus: aliàs & dator, & acceptor proprii Ordinis dignitate privetur. Episcopus omnia sui Episcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel alias Præposituras Ecclesiæ, sive Canonicas gratis absque omni venalitate disponat. Præbendas etiam, quæ Canonicatus dicuntur, sine venalitate distribuat. Quisquis autem ea pretio dederit, quisquis acceperit, depositioni subjaceat, ut unica tunica Domini nostri sponsæ sine macula, aut ruga permaneat.

Castitas Clericor. 2. Sacrorum Canonum instituta renovantes, præcipimus, ut à tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quod si deprehensus fuerit, Ordinis sui periculum sustinebit.

3. Nemo præterea ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ sit castitatis, & qui usque ad Subdiaconatum unicam, & virginem uxorem habuerit.

4. Igitur ut hæc, annuente Domino, valeant conservari, sanctorum Patrum decretis obsecundantes, & eorum precepta Apostolico moderamine temperantes, constituimus, ut nemo ante annos quindecim, aut quatuordecim, Subdiaconus ordinetur, nemo ante annos vigintiquinque, vel viginti quatuor Diaconus fiat, nemo ante trigesimum in Presbyterum consecretur.

5. Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis, Monasteriis, aut Canonicis offerre præsumat. Quod si quis Episcopus improbitatis, & avaritiæ causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur; & cum ejus licentia, quod offerendum est, offerat.

6. Nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici, accipere sine Episc. concessione præsumat.

7. Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.

8. Illud summopere, & Apostolicæ auctoritatis privilegio prohibentes interdicimus, ut nullus Monachus, Episcopatus, aut Abbatiæ, aut cujuslibet Ecclesiasticæ dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat. Quod si præsumpserit, depositione mulctetur.

Aulici clerici Acephali. 9. Quia novum hoc tempore Clericorum Acephalorum genus emersit, qui morantur in Curiis & viris, & fœminis ad sui Ordinis dedecus subditi, cùm in Canonibus cautum sit, Ne quis sine licentia Episcopi Clericus, nec Episcopus sine Metropolitano Curiam adeat; præcipiendo præcipimus, & prohibentes prohibemus, ne quis retineat hujusmodi. Sed Proceres ab Episcopis animarum suarum Clericos * postulare: si Episcopi jussione pro tempore, ac vicissim in Curiis conversentur. Ipsis itaque omnino interdicimus, ne * sine concessione sui Episcopi abutantur.

**Procurent. *Clerici Proceres.*

10. Præterea constituimus, ne quis Episcopus, aut primas Monachum quemlibet vagantem in sua Diœcesi, Provinciave retineat, nisi Abbatis proprii fuerit literis regulariter commendatus.

11. Ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in Clericos esse volumus, & censemus. Unde cavendum est, ne servilis conditionis, aut Curialium officiorum obnoxii, ab Episcopis promoveantur in Clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesiæ beneficiis, aut paternis, maternisve facultatibus quærere. Quod si forte Clericorum aliquis cujuslibet laici possessionibus usus fuerit, aut Vicarium, qui debitum reddet, inveniat; aut possessione cadat, ne gravamen Ecclesiæ inferatur.

12. Porro eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro Ordine removemus, officio, atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus licentiam indulgemus, ut eorum fœminas mancipent servituti. Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi Officii interdictione mulctentur. *Dist. c. 1*

13. Utque omnia scandala, omnesque occasiones laicis subtrahantur, scissis vestibus Clericos abuti ulterius prohibemus, &, ne promissis induantur exuviis, admonemus. Pensandum est namque, quantum viris flagitii adscribatur, à quibus curam Pastor Ecclesiæ exigit, & fœminas prohibere, dicens: Non in veste pretiosa, quam Dominus ipse imperans, nobisque cavendam insinuans, ait: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

14. Presbyterorum filios à sacri altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut Cœnobiis, aut in Canonicis religiosè probati fuerint conversati.

15. A suis Episcopis excommunicatos ab aliis recipi magnopere prohibemus.

16. Sanè quia inter cætera unum est, quod maxime sanctam perturbat Ecclesiam, falsæ videlicet pœnitentiæ, Confratres nostros Episcopos, & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum protrahi patiantur. Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo peccato pœnitentia agitur. Aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio, *peccato scilicet*. Unde scriptum est: Qui totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantùm maneat, vitæ æternæ januam non intrabit. Falsa fit pœnitentia, cùm penitus ab officio Curiali, vel negotiali non recedit, quæ sine peccatis agit, ulla ratione non prævalet; aut si odium in corde gestet; aut si offenso cuilibet non satisfaciat; aut si non offenderit, offensus non indulgeat; aut si arma quis contra justitiam gerat. *Fal nit.*

Hucusque Canones Concilii Melfitani ex Codice Antonii Augustini, inquit Baronius, collatione facta cum Codice Vaticano.

Concilium Beneventanum, quo Guibertus Antipapa, omnesque complices excommunicantur; anno Dom. 1090. tempore Urbani Papæ II.

BErtholdus Constantiensis de hac synodo anno 1091. ista scribit: *Urbanus Papa Generalem synodum Beneventi collegit, & sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcham, & omnes ejus complices synodali judicio confirmavit.* In hoc Concilio, Auctore Baronio, factum putamus, quod de Urbano Papa Petro Cassinensi Abbati, alumno Monasterii mitræ usum tribuente, in actis vitæ ipsius describitur apud Surium his verbis: *In synodo ei more suo capite nudo residenti, sanctæ memoriæ Papa Urbanus Pontificalem infulam misit*, nempè mitram, *quam utique vir Domini, & pro summi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officiosissimè salutavit, & tamen ejusdem Sacerdotalis mitræ usum, etiam rogante Papa, contempsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisi ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi sanctæ Ecclesiæ honores non metuunt usurpare.* Hæc de his ibi. Nec quiddam licuit præterea de eadem synodo reperire.

Con-

Concilium Trojanum II. pro diversis Ecclesiæ necessitatibus celebratum anno Domini 1093. *tempore Urbani Papæ II.*

DE hac synodo ista Bertholdus: *Dominus Papa Urbanus Generalem synodum centum pene Episcoporum in Quadragesima ex diversis Provinciis in Apulia congregavit, & diversis Ecclesiarum necessitatibus synodali provisione competenter succurrere curavit*. Hanc Synodum Troje celebratam esse testatur Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in suo Chronico.

Concilium Constantiense, pro reformanda disciplina Ecclesiæ celebratum anno Domini 1094. *tempore Urbani Papæ II.*

GEbehardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus magnam synodum Constantiæ in hebdomada Majore ante Pascha cum Abbatibus, & Clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus, & reliquis Alemanniæ Principibus Canonicè celebravit, ibique multa, quæ corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam Presbyterorum, ac violentiam Simoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi contra fas, & jus ministrare præsumpsissent.

Statuit etiam juxta statuta sanctorum Patrum, ut jejunium Martii in prima hebdomada Quadragesimæ, & jejunium Junii in hebdomada Pentecostes semper celebraretur.

Item statuit, ut tàm in hebdomada Pentecostes, quàm in hebdomada Paschali, tres tantùm dies festivi celebrarentur. Nam usque ad illud tempus Constantiensis Episcopatus morem Comprovincialium non est secutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & unum tantùm diem in Pentecoste observando: quamvis utræque septimanæ ejusdem observationis esse debuerint, & quamvis alii Episcopatus penè omnes prædictam Constitutionem jam ab antiquo tenuerint, hæc, inquam, ipse in proprio Episcopatu, & ex Episcopali auctoritate, & ex Apostolica Legatione Canonicè potuit instituere: nam Legatus fuit Sedis Apostolicæ per totam Theutonicam terram usquequaque.

Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Vvelphronem Ducem Italiæ à marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit, quæ se tantas, tàmque inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam fuisse cunquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillimè excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret. Ita Bertholdus, qui etiam pertractatam controversiam Sigefridi Abbatis enarrat.

Concilium Ostionense, contra Philippum I. Regem Francorum adulterum, & incestuosum, in Gallia celebratum anno Domini 1094. *tempore Urbani Papæ II.*

PHilippus Rex Francorum juvenili furore percitus, Bertam uxorem legitimam repudiavit, & Bertradam uxorem Fulconis Comitis Andegavensis cognatam suam sibi matrimonio junxit. Qua de causa Hugo Lugdunensis Archiepiscopus Legatione Apostolica functus Concilium indixit, quo gesta, & definita sunt ea omnia, quæ à Bertholdo his verbis enarrantur: *In Galliarum*, inquit, *civitate, quam Ostunonem vulgariter dicunt, congregatum est Generale Concilium à venerando Hugone Lugdunense Archiepiscopo, & sedis Apostolicæ Legato, cum Archiepiscopis, & Abbatibus diversarum Provinciarum, decimo septimo Kalendas Novembris. In quo Concilio renovata est excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes eorum com-*

A *plices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eo quod vivente uxore sua alteram superinduxit. Item Simoniaca hæresis, & incontinentia Sacerdotum sub excommunicatione damnata est. Item Monachis interdictum est in eodem Concilio, ne Parochialium Sacerdotum officia in Parochia usurpent. Hæc*, inquam, *omnia ibi sunt constituta, & Apostolica Legatione firmata*. Hæc ipse. Quomodo autem istud ipsum judicium rursus ventilatum est in Concilio Claramontensi, & ibi rursus idem Rex excommunicatus ab Urbano Papa, infra dicturi sumus.

Insuper idem Concilium referens Juretus ex eodem Bertholdo ad annum Dom. 1095. ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi sedis Apostolicæ Legato, subjungit reperiisse scriptum in antiquo exemplari August.
B Thuani Præsidis ex synodo Septimana habita apud Arvernam. *In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus, qui populum regat, ab Episcopo constituatur, itaut ex solius Episcopi arbitrio tàm ejus ordinatio, quàm & dispositio, & totius vitæ conversatio pendeat*.

De loco hujus Concilii sic Rubertus in Gallia Christiana. Ostiense Concilium in Gallia 1094. quod rectius Ostuense, ab Ostione, seu Ostuno, idest, Augustoduno, seu Ædua civitate, unde etiam Æduacense, seu Æduense Concilium appellatur.

Concilium Placentinum in causa Praxedis repudiatæ Imperatricis Philippi Regis Francorum, Alexii Imperatoris Constantinopolitani contra Saracenos au-
C *xilium petentis, celebratum anno Domini* 1095. *tempore Urbani Papæ II.*

DE rebus in hac synodo gestis, deque Canonibus in eadem constitutis, Bertholdus Scriptor hujus temporis scribit ea, quæ sequuntur.

Dominus Papa, Deo, & sancto Petro prosperante, jam penè ubique prævaluit, & in media Longobardia in civitate Placentina inter ipsos schismaticos, & contra ipsos Generalem synodum condixit, ad quam Episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Bajoariæ, aliarumque Provinciarum Canonica, & Apostolica auctoritate missis litteris convocavit. Facta est autem hæc Synodus circa mediam Quadragesimam Placentiæ, ad quam synodum multitudo tàm innumerabi-
D lis confluxit, ut nequaquam in qualibet Ecclesia illius loci posset comprehendi. Unde & Dominus Papa extra Urbem in campo illam celebrare compulsus est, *Synodus in campo.* non tamen absque probabilis exempli auctoritate: nam primus Legislator Moyses populum Dei in campestribus legalibus præceptis, Deo jubente, instituit, & ipse Dominus non in domibus, sed in monte, & in campestribus Discipulos suos Euangelicis statutis informavit. Missas quoque nonnunquam extra Ecclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente, celebramus, quamvis Ecclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoramus.

In hac synodo Praxedis Regina jamdudum ab Henrico separata, super maritum suum Domino Apostoli-
E co, & sanctæ synodo conquesta est de inauditis fornicationum spurcitiis, quas apud maritum passa est. Cujus querimoniam Dominus Papa cum sancta synodo satis misericorditer suscepit, eo quod ipsam tantas spurcitias non tàm commisisse, quàm invitam pertulisse pro certo cognoverit. Unde & de pœnitentia pro hujusmodi flagitiis injungenda illam clementer absolvit, quæ & *Nota.* peccatum suum spontè, & publicè confiteri non erubuit.

Ad hanc synodum Philippus Rex Galliarum Legationem suam direxit, seque ad illam iter incepisse, sed legitimis * sociis se impeditum fuisse, mandavit. Unde ** causis.* inducias sibi usque ad Pentecostem apud Dominum Papam, synodo intercedente, impetravit. Dominus autem Hugo Lugdunensis Archiepiscopus ad eamdem synodum vocatus, ab officio suspenditur, eo quod ipse non

non venerit, nec Legatum cum Canonica excusatione illuc pro se direxerit.

Item Legatio Constantinopolitani Imperatoris ad hanc synodum pervenit, qui Dominum Papam, omnesque Christi fideles suppliciter imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra Paganos pro defensione sanctæ Ecclesiæ conferrent, quam Pagani jam pene in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium Dominus Papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent, se illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro posse suo fidelissimum adjutorium collaturos.

Hæc autem inter alia in illa Synodo constituta sunt, Ut ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas, & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum dimittere nollent.

Jurisdictio ab Episcopo sit. Item, Ut nullus Presbyter aliquos ad pœnitentiam reciperet, nisi cui proprius Episcopus hanc curam commisisset.

Item, Ut quibuslibet ritè ad confessionem venientibus Eucharistiam non denegemus, quos solo corpore, non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum Sacramentis communicare cognoscimus.

Simoniaci. In hac quoque Synodo hæresis Simoniacorum penitus damnata est, ut quidquid in sacris Ordinibus, & in Ecclesiasticis rebus data, & promissa pecunia acquisitum Simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires habuisse, & habere judicaretur. His tamen, qui non Simoniacè, & nescienter à Simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando Ordine concessa est: qui verò scienter ab hujusmodi ordinati sunt, cum suis Ordinatoribus irrecuperabiliter damnati sunt.

Nicolaitæ. Item hæresis Nicolaitarum, idest, incontinentium Subdiaconorum, Diaconorum, & præcipuè Sacerdotum, irretractabiliter damnata est, ut deinceps de officio se non intromittant, qui in illa hæresi manere non formidant; nec populus eorum officia ullo modo recipiat, si ipsi Nicolaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant.

Berengariana hæresis. Item hæresis Berengariana jam ab antiquo sæpissimè anathematizata, iterum damnata est, sententia Catholicæ Fidei contra eamdem firmata, videlicet, quod panis, & vinum, cum in Altari consecrantur, non solùm figuratè, sed etiam verè, & essentialiter in Corpus, & sanguinem Domini convertantur.

Excommunicatio solemnis. Item in Guibertum Hæresiarcham Sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes ejus complices sententia anathematis Synodali judicio cum ardentibus candelis iterum promulgata est.

In hac Synodo quatuor millia ferè Clericorum, & plusquam triginta millia laicorum fuisse perhibentur.

In hac Synodo constitutum est, Ut pro Chrismate, & Baptismo, & sepultura nihil unquam exigatur.

Jejunia 4. temp. Item, Ut jejunia Quatuor temporum hoc ordine celebrentur; scilicet, primum in prima hebdomada Quadragesimæ; secundum in hebdomada Pentecostes; tertium verò, & quartum in Septembri, & Decembri solito more fiant. Huic Synodo reverendissimi Antistites interfuerunt, de Bajoaria quidem, Dimo Saltzburgensis Archiepiscopus, & Uldaricus Pataviensis Episcopus ejus Suffraganeus; de Alemannia verò, Gebeardus Constantiensis Episcopus, qui & Arnulphum Mediolanensem Archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domini Papæ Mediolani consecravit.

Ipse quoque dominus Papa Uldaricum Augiensem Abbatem eo tempore consecravit, qui itidem prædictæ Synodo interfuit, cui in præsentia Constantiensis Episcopi omnem Episcopalem potestatem in Clerum, & populum Augiensis insulæ interdixit, quam dudum Constantiensi Episcopo concessit. Abbas tamen ille non multo post de illa potestate se intromisit. Unde querimonia facta ab Episcopo, dominus Papa illum, missis literis ab hujusmodi præsumptione iterum compescuit. Huc usque de Synodo Placentina Bertholdus.

Porro ejusdem Concilii quindecim Canones continentur in Codice scripto Anselmi Lucensis libro septimo Decretorum ab eadem Synodo Placentina statuti, his, quæ sunt recitata superius, consentientes, ut hic ipsos describere non sit opus.

Concilium Claramontanum ob bellum sacrum, congregatum anno Domini 1095. tempore Urbani Papæ II.

De rebus in hac Synodo gestis ista summatim narrat Bertholdus: *In Galliis ad Clarummontem Synodus Generalis à Domino Papa in Octava Sancti Martini congregata est, in qua tredecim Archiepiscopi cum eorum Suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque Pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac Synodo dominus Papa eadem statuta, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmavit; insuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eo quod propria uxore dimissa, militis sui uxorem sibi in conjugium sociavit. Ibi etiam aliam Synodum in tertiam subsequentis Quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam denuntiavit.* Hæc ipse. Eadem de excommunicato Rege Sigebertus. Sed & Bertradam Regiam pellicem eadem excommunicatione mulctatam, Vuillelmus in Rebus Anglicis tradit, Canonesque recenset. Porro ex Concilio Claramontensi triginta duo Canones exscripti reperiuntur in Codice Lamberti Episcopi Atrebatensis, ex quo totidem lineis Antonius Augustinus sic describit:

Anno Domini Christi millesimo nonagesimo * quarto, mense Decembri, Decreta domini Urbani Papæ II. In Claramontensi Concilio data.

Ita titulus præfixus à Librario sequentibus Canonibus, & primum propter schismaticos fœdere conjungendos.

1. Statutum est, ut omni die & Monachi, & Clerici, feminæ, & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant, tribus autem diebus, scilicet secunda, tertia, & quarta * ab aliquo alicui illata, non reputabitur pacis fractio; quatuor autem reliquis diebus, si quis alicui injuriam intulerit, fractionis sanctæ pacis reus habeatur, & prout judicatum fuerit, puniatur.

2. Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.

3. Ut nullus fiat Decanus in Ecclesia, nisi Presbyter; nullus Archidiaconus, nisi Levita.

4. Ne aliquis Clericus arma deferat.

5. Ut nullus laicus, Clericus, vel tantùm Subdiaconus in Episcopatum eligatur.

6. Ut nullus sibi Præbendam emat. Quod si quis emerit, vel parentes ejus illi emerint, in manum, & dispositionem Episcopi sui reddat. Hoc idem de Altari, & de omni Ecclesiastico Beneficio fiat.

7. Ut Altaria Congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas data, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata.

8. Ut nullus deinceps ob sepulturam exigat.

9. Ut nullus sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, sed & nullus, qui Canonicam habet, fornicationis sibi copulam adjungat. Quod si fecerit, à Canonica omnino arceatur.

10. Ut in domibus Clericorum nullas liceat habitare mulieres, nisi quas sancti Canones permittunt.

11. Ut nulli filii concubinarum ad Ordines, vel aliquos honores Ecclesiasticos promoveantur, nisi Monachaliter, vel Canonicè vixerint in Ecclesia.

12. Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitati-

civitatibus duas Præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.

13. Ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus est, semper ordinetur.

14. Ut nullus deinceps in una Ecclesia geminos honores habeat.

15. Ut nullus Ecclesiasticorum aliquem honorem à manu laicorum accipiat.

16 Interdictum est, ne Reges, vel alii Principes aliquam investituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.

17. Ne Episcopus, vel Sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligium fidelitatem faciat.

18. Ut nullus Presbyter Capellanus alicujus laici esse possit * in confessione sui Episcopi.

19. Ne laici decimam partem de laboribus suis retineant, & sicut nec debent retinere, ita nec accipere.

20. Unde & interdictum est omnibus laicis, ne amplius Altaria, vel Ecclesias sibi retineant.

21. Ne aliquis laicus alterius sibi hæreditates usurpet: quod si quis fecerit, nec reus satisfecerit, nullus Sacerdos eum interim ad pœnitentiam admittat.

22. Similiter nec alium quemlibet, nisi perfectam confessionem fecerit. Verbi gratia, ut si perpetrato homicidio manserit in adulterio, vel hujusmodi, ad perfectam pœnitentiam minimè recipi debere, decretum est. Attamen consilium damus, ut jejunet, & eleemosynas det, ut ad veritatis viam possit reverti.

23. Ut nullus Christianus à capite jejunii usque ad Pascha carnem comedat.

24. Ne fiant Ordines, nisi quatuor certis temporibus, & Sabbato mediante Quadragesima: & tunc protrahatur jejunium usque ad Vesperas, & si fieri potest, usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico Ordines fieri.

25. Ne filii Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, Canonicorum, ad Ordines, vel alios honores Ecclesiasticos promoveantur, nisi Monachus, vel Canonicus fuerit.

26. Ut in Sabbato sancto protrahatur jejunium circa noctem.

27. Ut semper fiat jejunium veris in prima hebdomada Quadragesimæ, jejunium verò æstatis infra hebdomadam Pentecostes.

28. Ne quis communicet de Altari, nisi Corpus separatim, & Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam. *Idque ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per unam tantùm speciem satis esse impleri figuram ajebat, quod tamen decretum paulo post revocatum est ob gravissimas causas, vide Conc. Constantiense.*

29. Si quis ad aliquam Crucem in via persequentibus inimicis confugerit, liber ac si in ipsa Ecclesia permaneat.

30. Quod si quis pro securitate Ecclesiæ, vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam, vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ, & membrorum, reddatur justitiæ.

31. Ne aliquis Clericus res Episcoporum, vel Clericorum vel in vita, vel post mortem eorum diripiat, vel in usus proprios conferat. Quod si quis fecerit, anathema sit. Et dictum est ab omnibus: Fiat.

32. Si quis Episcopum ceperit, & incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat, ulterius arma non exerceat. Et clamatum est ab omnibus: Fiat.

Hactenus Canones. Qui autem exscripsit, Ista adjecit: Hæc sunt inventa in libro Lamberti Episcopi Atrebatensis, ante quadringentos annos scripto.

Concilium verò prædictum ob hoc præcipuè collectum, & indictum fuit, postquam Petrus Eremita (hoc ei cognomen) Ambianensis patria, ærumnas Christianorum retulisset in Palæstina habitantium, ut in eo indiceretur expeditio in Terram sanctam: & pro stipendio erat Indulgentia peccatorum proposita, atque ut Petrus Diaconus ait: *Erat pro militari signo signũ sanctæ Crucis, quod super scapulam dexteram impressere vestibus.*

A Ut tamen res difficillima inchoanda, hactenus in Ecclesia Catholica intentata, optatum consequi posset effectum, placuit Urbano Pontifici Dei Genitricis precibus annitendum, ut cõciliaret sibi cœleste Numen; quod probe sciret experimento, quæque ardua progressura feliciter, quibus beatæ Mariæ Virginis faveret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum, idem Christi Vicarius eodem Claromontensi Concilio rogata sententia Patrum egit, ut Horariæ illæ Preces, & Laudes, quæ vulgo Dei Genitricis appellare consueverunt Officium, apud Monachos Eremitas Institutionis Petri Damiani frequentari cœptæ, ex illis deducerentur ad Clericos, à quibus dignè ex animo eidem sanctissimæ Virgini persolvi deberent, ut ipsa apud Filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot, & tantis discriminibus subeundis, ejus fulciretur auxilio, atque præsidio muniretur. *Officium Dei genitricis Mariæ.*

B Quod quidem tunc à sancta Synodo, Urbano agente, ea occasione indictum, & à Clericis piè susceptum, ad laicos quoque fuit tàm viros, quàm mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, ut experti sunt omnes, jugiterque experiuntur fideles, illud ex animo frequentantes: quas Preces & Carthusiani divino monitu haud pridem suscepere dicendas.

Canones hujus Concilii aliter referuntur à Matthæo Paris in Vvillelmo 2. ubi & affert orationem, quam in fine Synodi habuit Urbanus Papa ad bellum sacrum exhortatoriam: postquam nonnulli proceres ejus genibus advoluti se, & sua omnia Christianæ militiæ consecrarunt. Præcepit quoque Ecclesiarum Prælatis, ut ad

C propria reversi cum omni instantia, & sollicitudine plebem sibi subjectam ad expeditionem prædictam exhortarentur.

Canon sextus aliter refertur ab Helinando Chron. lib. 47. *Ut eis auferantur Ecclesiasticæ dignitates, qui scienter à se, vel à parentibus suis emptas habuerint: ut eis ignoscatur, qui hoc ignoraverint à canonibus prohibitum.* Unde licebit probare Casuitarum opinionem liberantium filium à cessione beneficii, quod illi Pater pretio dato simoniacè procuravit, cum ipse id tunc ignoraret. Debet tamen filius, cum id rescierit, improbare in mente tale facinus patris, ne consentiendo fiat peccati ipsius consors, & complex. *Simonia parentum.*

Ibidem additur iste Canon. *Ut nemo in Episcopum eligatur, nisi presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, &*

D *cui natalium dignitas suffragatur, nisi maxima necessitate, & licentia Papæ.* Quod ita decretum est in gratiam nobilium, ut lubentius ad bellum sacrum tunc se accingerent, ut generosè præstiterunt, nec casso opere, cum expeditio feliciter successerit Godefrido Bullonio duce. *Nobiles.*

In fine Concilii Papa orationem habuit exhortans populum ad crucem sumendam, & inter cætera dicens, ut ait Salomon, nihil timidius nequitia, nihil laboriosius. Nunc à nobis par labor, atque metus pretio meliore petuntur. An nescitis, quod vivere hominibus calamitas, mori felicitas est? mors enim bonis accelerat patriam, malis resecat malitiam.

Aliud bonum ex hoc Concilio sequutum, quod rex Philippus post excommunicationem mutato consilio in

E melius, Bertradam pellicem dimisit, cum tamen initio regni complures strumis morbidos curaret, ex quo mores per luxuriam maculavit, privilegio tanto mulctatus à Deo nunquam recuperavit postea. Quod refertur ex veteri codice Guilberti Abbatis Nongentini per Petrum Matthæum sub finem historiæ sancti Ludovici. *Peccati pœna.*

Cæterum mutatis publicis, privatisque satisfactionibus peccatorum in labores militiæ sacræ, fervor pœnitentiæ cœpit paulatim defervescere sub variis prætextibus.

A

Concilium Anglicanum in causa Urbani Papæ celebratum anno Domini 1095.

QUid actum sit in hac synodo, Edinerus, qui aderat, in Vita S. Anselmi lib. 21. apud Surium Tom. 2. die 21. Aprilis ita describit.

Factum est, & tertia septimana Quadragesimæ juxta edictum convenerunt omnes Episcopi totius Angliæ, & Abbates, causa prædicta in medium adducitur, & Anselmus diversis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maximè Episcopi, Regiæ voluntati favere volentes, spreto æquitatis judicio, id probare nitebantur, quod Anselmus, salva fide, quam Regi debebat, nullatenus posset in Regno Urbanum Sedis Apostolicæ Præsulem pro Papa tenere. Quibus cum plura, quæ ratio tulerat, objecta fuissent; & Anselmus ex verbis Domini, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*, aliisque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poterat, penitus infrænasset, illi econtra, qui dicerent non habentes, eum in regem blasphemare, uno strepitu conclamavere, quandoquidem ausus esset in Regno ejus, nisi eo concedente, quidquam vel Deo adscribere. Igitur ad unam regiæ indignationis vocem quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo, atque Primati, omnem subjectionem, & professam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ societatis pari voto miserandi abjurant. Quidam verò in eis tantum, quæ ex parte Urbani Papæ præciperet, illi se obedituros negant.

D. Anselmus. Matth. 22.

Episcopi itaque omnes, qui affuerunt, Roffensi solo excepto, aut uno, aut alio modo debitam illi subjectionem, & obedientiam abnegant. Rex etiam ipse cunctam ei confidentiam, & securitatem sui in omnibus adimit; nec se illum pro Archiepiscopo vel patre amplius habiturum jurat; nisi ipse Vicario beati Petri se ulterius obediturum statim deneget. Tres dies in isto negotio, clamoribus in Anselmum, & contumeliis gravidi, expensi sunt, & tandem in hoc, quem dixi, fine conversi sunt. Tunc Anselmus in suo proposito cõstans, per internuntium conductum à Rege postulat, quo tutus Regno decedat. Quod principes multi damnosum fore dignoscentes, pro restituenda pace inducias utrimque ad Pentecosten dari precantur, & obtinent; ac sic eum, ne de Regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex se rebus ejus, usque ad prefixum tempus induciarum, plenam pacem, & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntate illius pro sua religione multum in negotio, quod emerserat, condescensurum. Verum omnino in contraria lapsus est, & Anselmus, domino Balduino ejus domus Præfecto extra Regnum depulso, hominibusque suis captis, & expoliatis, terrisque vastatis, in immensum afflictus est. Hactenus Edinerus.

Concilium Turonense pro expeditione Jerosolymitana præparanda celebratum anno Domini 1096. tempore Urbani Papæ II.

ACta Concilii apud Bertholdum his verbis describuntur: *Dominus Papa, &c. In tertia hebdomada Quadragesimæ dominus Papa synodum celebravit cum diversarum Episcopis provinciarum in civitate Turonensi, ubi iterum suorum præteritorum statuta Conciliorum Generalis synodi assensione roboravit. Et non multo post Episcopum Strazburgensem de excommunicatione resipiscentem recepit in communionem, ita tamen ut de illatis criminibus se expurgaret.* Pergit agere de Jerosolymitana expeditione ibi decreta, deque his, qui in Hungaria periclitati sunt, militibus, ac deinde de Regis Francorum absolutione his verbis: *Philippus Rex Galliarum, jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino Papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venit, & abjurata adultera, in gratiam receptus est, seque in servitium domino Papæ promptum exhibuit.* Hæc ipse.

Concilium Barense pro Græcis cum Romanis Ecclesiis conciliandis celebratum anno Domini 1097. tempore Urbani Papæ II.

IN hac synodo inter Græcos, & Latinos ventilatæ sunt controversiæ illæ, quæ inter eos diutius agitatæ leguntur: potissimum verò de processione Spiritus Sancti. Acta nobilissimi Concilii perierunt. Ad Græcorum confusionem ea nobis auctore Deo sunt patefacta, quæ à S. Anselmo Cantuariensi Episcopo, qui interfuit, sunt scripta, quæque familiaris, qui aderat Edinerus, posteris tradidit his verbis.

B

Cui Concilio dum Anselmus se præsentasset, & persuasus à Papa, Græcos in processione Spiritus Sancti, utpote quem à Patre, & non à Filio procedere Græci astruant errantes, rationabili, & Catholica disputatione confutasset; magni apud omnes est habitus, & veneratione dignissimus comprobatus. Finito Concilio cum Apostolico profecti sumus. Hæc tantum de his Edinerus.

Apud Vvilelmum autem Malmesburiensem sua paulo gloriosius ostentantem, hæc scriptis mandata legimus.

Ut ergo ventum ad Concilium, Apostolicus ante corpus sancti Nicolai constratus, tapetibus, & palliis, ipse casula cum pallio amictus tribunal ascendit, cæteri cum cappis sedebant. Omnibus ergo suum locum ex antiquo vendicantibus, Anselmus humilitate summus, quo poterat, assedit: exciderat animo Summi Pontificis ingruente tumultu, ut ei locum delegaret. Sed erroris admonitus est quæstionis necessitate a Græcis propositæ, probare volentibus Spiritum Sanctum nonnisi à Patre procedere.

C

Hanc ergo quæstionem dum expedire tentans magis involveret, Græcis contra non impr[illegible]biliter occurrentibus: Anselmi recordatus exclamat[illegible] [illegible]dæ vocis tonitruum, ædis capacitas, & turbæ multip[illegible] [illegible]as ingeminat: Pater, & Magister Anselme Anglorum Archiepiscope ubi es? Ille ubi se vocari audivit, in pedes constitit. Quem Apostolicus compellans: Nunc, inquit, Magister, opus est scientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni, ascende huc, & defende matrem tuam Ecclesiam, quam Græci labefactare conantur. Succurre ergo quasi à Deo huc missus. Continuo cuncti astantes, & assidentes, oculos, & ora in eum conversi percontari, quis esset: annitentibusque proximis ad consessum Apostolici levatus, sedere jussus juxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est. Includamus, inquit, hunc in orbe nostro, quasi alterius orbis Papam. Nec moratus, omnibus exposuit palam genus, unde domo, cujus scientiæ, cujus facundiæ, quàm religiosus, quanta pro fidelitate Romanæ Sedis passus esset. Delatusque in posterum diem quæstionis tractatus, quamvis Anselmus statim respondere non dubitaret.

D

Sed sequenti die, solito maturius cœtu coacto, promotus in editum, ita tractavit quæstionis latera, ita penetravit, & enubilavit intima, ut Latini clamore testarentur gaudium, Græci de se præbere dolerent ridiculum; nullus porro inops, & inanis scientiæ discederet. Sensus illius sermonis procedente tempore luculenter digessit in lib. de Processione Spiritus Sancti facto. Tunc ubi verbum absolvit, omnes in eum oculos, & ora conversi, hic laudare fidem, ille scientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore, quem laus ejus suscitaverat, intendens in eum summus Pontifex, ait: *Benedictum sit cor tuum, & spiritus tuus, os, & sermo oris tui benedictus.* Nec mora, cum consensu omnium roboratus, in aliter sentientes fulmen excommunicationis intorsisset, ventilari de Rege Anglorum sermo cœpit. Proferuntur in medium scelera dictu horrenda, adjicitur cõtemptui humano cælestis injuria, quod scilicet bis, terque admonitus, nihil correctionis exhibuerit.

E

Quocirca cum suffragio, & clamore omnium Papa ad excommunicandum jam paratus esset, Anselmus geni-

genibus affufus ejus, orat dilationem, & vix impetrat. Quæ res ei non mediocrem apud cunctos videntes peperit gratiam, eo quod oftenfione veræ fanctitatis viciffet famæ fuæ gloriam. Quàm pulchrum erat, ut illi oraret veniam, à quo tantam acceperat contumeliam! Hucufque de Barenfi Concilio apud Vvillelmum.

Certum eft autem, in hoc Concilio fanctum Anfelmum in confutandis Græcis primas tuliffe, cui & ea ex parte plurimum Ecclefia Catholica debet, quod cum ipfius Synodi Acta perierint, ipfe tamen pulfatus precibus amicorum, quod in controverfia tractavit, fcriptorum monimentis perpetuæ memoriæ commendavit.

Concilium Romanum II. Quo regi Angliæ induciæ conceffæ funt ufque ad feftum S. Michaelis anno Domini 1098. tempore Urbani Papæ II.

DE hac Synodo Edinerus in Vita S. Anfelmi apud Surium ifta fcribit: *Finito Concilio Barenfi, Romam cum Apoftolico profecti fumus. Tranfactis autem aliquantis diebus, venit Romam Vvillelmus ille, cujus in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud Apoftolicum, ut inducias Regi Angliæ daret ufque ad feftum fancti Michaelis Archangeli. Quod Anfelmus agnofcens, illico Lugdunum redire volebat, fed prohibitus à Papa eft propter Concilium, quod fe tertia hebdomada Pafchæ Romæ habiturum ftatuerat.* Quæ autem conftituta fuerint in Concilio, præteriit Edmerus: fed Vvillelmus Malmesburienfis in Hiftoria Rerum geftarum Pontificum Anglorum de his agens, fuggillat Urbanum Papam, ac fuos, quod pecuniæ mercimonio inducias Regi conceffiffet ufque ad feftum S. Michaelis Archangeli.

Verum idem Auctor meminiffe debuit, à fe paulo fuperius dictum anno fuperiori in Concilio Barenfi, quod idem Urbanus Pontifex jam fententiam excommunicationis in Regem ibi laturus ftatim, interceffione fancti Anfelmi, ne faceret, cohibitus effet. Accufarine potuit tarditatis Urbanus, qui ab Anfelmo actore, ne in eum dicat fententiam, continetur? Quod fi petenti Regi per nuntium inducias ufque ad feftum fancti Michaelis Archangeli conceffit Urbanus: potuitne vel iftas ipfe negaffe, non dico Regi, fed cuilibet homuncioni petenti, ut acturus caufam Romæ, ex Anglia teftes, & teftimonia perduceret, atque produceret ex tanto terrarum fpatio? An & vitio dari potuit fummo Pontifici, aliquid indulfiffe Regi, quem vidimus haud pridem à fchifmaticis defeciffe, atque ad communicationem Urbani Catholici Antiftitis convolaffe? Ubi illud de Domino dictum, & repetitum (ut omittamus externa) *Arundinem conquaffatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.*

Concilium Romanum III. Quo Urbanus Papa Statuta prædecefforum fuorum confirmat, Guibertum antipapam, ejufque complices iterum excommunicat, & Jerofolymitanam expeditionem promoveri rogat, anno Domini 1099.

DEcreta Domini Papæ Urbani II. data in Concilio Romæ in Ecclefia B. Petri Apoftoli anno Dei Chrifti 1099. pridie Calendas Maji.

Cap. 1. Ea, quæ à fanctis Patribus de Simoniacis ftatuta funt, nos quoque Spiritus-Sancti judicio, & Apoftolica auctoritate firmamus.

2. Quidquid igitur vel in fanctis Ordinibus, vel in Ecclefiafticis rebus, vel data, vel promiffa pecunia acquifitum, & nos irritum effe, & nullas unquam vires obtinere cenfemus.

3. Si qui tamen à Simoniacis non fimoniacè ordinati funt, fi quidem probare potuerant, fe, cum ordinarentur, eos nefciffe Simoniacos, & fi tùm pro Ca- A tholicis habebantur in Ecclefia, talium Ordines pro mifericordia fuftinemus, fi tamen eos laudabilis vita commendat.

4. Qui verò fcienter à Simoniacis fe confecrari, imo execrari paffi funt, eorum confecrationem irritam effe decernimus.

5. Quicunque fanè cupiditate parentum, cum adhuc effent parvuli, Ecclefias, vel Ecclefiarum beneficia per pecunias adepti funt, poftquam eas omnino dimiferunt, fi Canonicè in iis vivere voluerint, pro mifericordia ibidem eos effe concedimus, fi aliàs digni inveniantur.

Illi verò, qui per feipfos, cum jam majoris ætatis nefanda cupiditate ducti, eas emerunt, fi in aliis Ecclefiis Canonicè vivere voluerint, fervatis propriis Ordinibus, pro magna mifericordia ibi eos miniftrare permittimus. Quod fi ad alias fortaffe transferri non potuerint, B minoribus Ordinibus contenti ad facros, Ordines non accedant, falva tamen in omnibus Apoftolicæ Sedis auctoritate.

Si qui tamen ante emptionem Catholicè ordinati funt, cum ea, quæ emerint, dimiferint, & vitam Canonicam egerint, in fuis gradibus permittantur: nifi fortè ejufmodi Ecclefia fit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel fingularem, vel Præpofituræ, vel Officii locum in emptis Ecclefiis eos habere non patimur.

Ordinationes, quæ à Guiberto hærefiarcha factæ funt, poftquam ab Apoftolicæ memoriæ Papa Gregorio, & à Romana Ecclefia eft damnatus, quæque etiam à Pfeudo-Epifcopis per eum poftea ordinatis perpetratæ C funt, irritas effe judicamus.

Similiter autem & eas, quæ à cæteris hærefiarchis nominatim excommunicatis factæ funt, & ab eis, qui Catholicorum, & adhuc viventium Epifcoporum fedes invaferunt, nifi probare voluerint, fe, cum ordinarentur, eos nefciffe damnatos.

Qui verò ab Epifcopis quondam quidem Catholicè ordinatis, fed in fchifmate à Romana Ecclefia feparatis confecrati funt, eos nimirum cum ad Ecclefiæ unitatem redierint, fervatis propriis Ordinibus, mifericorditer fufcipi jubemus: fi tamen eos vita, & fcientia commendat.

Amodo verò quicunque à prædictis fchifmaticis fanctæ Romanæ Ecclefiæ adverfariis fe ordinari permiferit, D nullatenus hac venia dignus habeatur. Quamvis autem mifericordiæ intuitu, magnaque neceffitate cogente hanc in facris Ordinibus difpenfationem conftituerimus, nullum tamen præjudicium facris Canonibus fieri volumus, fed obtinebunt proprium robur: & ceffante neceffitate, illud quoque ceffet, quod factum eft pro neceffitate. Ubi enim multorum ftrages jacet, fubtrahendum eft aliquid feveritati, ut addatur amplius charitati.

Illud quoque præcipimus, ut pro Chrifmate, & Baptifmo, & fepultura nihil unquam exigatur.

Ut unica Domini noftri fponfa fine ruga, & macula permaneat, facrorum Canonum inftituta præcipimus, renovantes, ut à fubdiaconatus tempore nulli liceat carnale commercium exercere: quod qui deprehenfus E fuerit, Ordinis fui periculum fuftinebit.

Nemo præterea ad facrum Ordinem permittatur accedere, nifi aut virgo, aut probatæ fit caftitatis, & qui ufque ad Subdiaconatum unicam, & virginem uxorem habuerit.

Nullus laicus decimas fuas, aut Ecclefiam, aut quidquid Ecclefiaftici juris eft, fine confenfu Epifcopi, vel Romani conceffione Pontificis, Monafteriis, aut Canonicis offerre præfumat: quod fi quis Epifcopus improbitatis, & avaritiæ caufa confentire voluerit, Romano Pontifici nuntietur, & ejus licentia, quod offerendum eft, offeratur.

Nullus Abbas, nullus Ecclefiarum Præpofitus, quæ juris funt Ecclefiaftici, à laicis accipere fine Epifcopi conceffione præfumat.

Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua occasione præsumat.

In eodem quoque Concilio Dominus Papa Urbanus excommunicatione obligavit Abbates, quicunque deinceps investituras Abbatiarum à qualibet laicali manu quocumque modo presumerent accipere,& ut nullus Episcoporum hujusmodi Abbates ordinaret, aut consecraret, Apostolica auctoritate interdixit.

Adjecit etiam, & constanter præcepit, Ut nullus Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in Ordinatione, & consecratione Episcoporum, vel Abbatum, cappas,tapetia,bacinos,& manutergia qualibet exactione requirat, vel suscipiat.

Concilium Jerosolymitanum, quo Theobertus Pisanus Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus eligitur in Patriarcham Jerosolymitanum anno 1099. tempore Urbani Papæ II.

HAc Synodo pulsum esse Arnulphum hominem nefarium, & sedis Jerosolymitanæ invasorem, eique consensu Principum, omniumque, qui aderant, Episcoporum auctoritate surrogatum esse Theobertum Pisanum Archiepiscopum, & Sedis Apostolicæ Legatum,testatur Vvillelmus Tyrius lib.8.cap.11.lib.9.c.18. & 19.

Concilium Pictaviense, in causa Philippi Francorum Regis ad pristinam adulteram redeuntis, tempore Paschalis Papæ II. celebratum anno 1100.

PHilippus Francorum Rex ob legitimam vxorem rejectam, ac pellicem Bertradam nomine subintroductam, in Claramontensi Concilio ab Urbano Pontifice excommunicatus, pœnitentiam agens ab eodem absolutus fuerat: sed cum rursus ad vomitum rediisset,rursus ab Urbano interdicto subjiciebatur. Quare cum audisset Urbanum ipsum esse defunctum, perinde quasi cum eo omnes leges fuissent extinctæ,vincula,quibus tenebatur adstrictus, summa injuria Legum, & censurarum Ecclesiasticarum perfregit.Quæ cum Paschalis successor Urbani audisset,vindex Legum exurgens, Joannem,ac Benedictum S.R.E.Cardinales in Galliam ablegavit, per quos contra Regem 4. Kal. Aug. Concilium Pictavis celebrandum indixit. Cumque Regi cogendi Concilii causa innotuisset, illam Guillelmo Aquitaniæ Duci cognato suo Pictavis agenti, ut referunt Fragmenta Franc. scripsit,ac petiit,ne talem sibi rumorem in sua urbe inferri fineret. Et dum Guillelmus Legatos denunciasset,ut de urbe exirent, ipsiq; Legati spatium deliberandi,ac respondendi unius diei postulassent, & impetrassent, nocte, quæ interjecta fuit, visus est astare Legato S. Hilarius, & hortari, ne minis Guillelmi Ducis territus ab incepto desisteret,non enim passurum Deum, ut ea res ei fraudi esset,aut malè succederet.Quam visionem cum postridie Guillelmo Legatus recitasset, permisit ille, ut pro arbitrio cuncta perficeret. Itaque mox in Concilio habita quæstione de Regis adulterio, excommunicatione,aliisque Censuris Apostolicis, Rex admonitus fuit, ut Bertradam à se ablegaret: cui Decreto postea paruisse,omniaque,ut narratum est, sic gesta fuisse, ex supra dictis Fragmentis Francorum, Annalibus Aquitaniæ,& ex 134.137.212.Epistola Ivonis probat Baron.anno 1000.num.19.& seqq.

Canones hoc Concilio constitutos, ex Vaticano Codice refert idem Baronius dicto loco hos,qui sequuntur.

DEcrevit sancta Synodus, ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet laicæ personæ donum Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, vel reliquarum rerum Ecclesiasticarum; sed Episcopi à suo Metropolitano, Abbates, Presbyteri, & cęteræ inferiores personæ à proprio Episcopo. Si verò laici Decretis Canonicis resistentes, Ecclesias violenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur. In Ecclesiis verò illis nullum divinum Officium fiat, nullus oret,lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur; tantum Baptismi gratia ibi non negetur, infirmis remedio Pœnitentiæ, & Communionis subveniatur.

Item,ut nemo Episcopatum,Abbatiam, Archidiaconatum,Archipresbyteratum, Præbendam, vel alios Ecclesiasticos honores, vel Prælationes in duabus Ecclesiis exerceat, nisi in una tantùm, & neutrum horum quisquam per pecuniam acquirat; & quicunque tali modo acquisivisse comprobantur, omni remota occasione deponantur.

Item, Ut nullus de Clero, sive de populo, Ecclesiasticá bona jure consanguinitatis requirat sibi habenda.

Item, Ut nullus Episcopus pro sacris Orationibus, vel pro Ecclesiarum benedictionibus, vel quibuslibet aliis benedictionibus munus accipiat.

Ut nullus Abbas, vel Monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, nisi quibus proprius Episcopus hanc curam dederit.

Ut Abbas,Monachi, Canonici, Ecclesias, quas nunquam habuerant,non emant, vel aliquo modo sibi vindicent,nisi consentiente Episcopo,in cujus fuerint Diœcesi. In illis verò, quas hactenus absque calumnia habuerunt, redditus, Beneficiaque obtineant. Presbyter autem de cura animarum,& de Christianitatis ministerio Episcopo respondeat.

Ut Abbates,Decani, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant,aut Prælationes amittant. Qui Archidiaconatus tenent,Diaconi fiant; qui Presbyteratus, Presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod si aliqui,justa causa prohibente,Presbyteri, aut Diaconi esse non possunt, Prælationes amittant.

Ut filii Presbyterorum,& cæteri in fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur,nisi aut Monachi fiant,aut in Congregatione Canonica regulariter viventes, Prælationes verò nullatenus habeant;sed neque servi, nisi à Dominis suis libertate donentur.

Ut nullus Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habeat,sed nec aliam feminam,unde magna suspicio habeatur, in una domo secum teneat. Et quicunque hujusmodi sacerdotis concubinarii, sive per pecuniam ordinati Missam scientes audierint, excommunicationi subjacere debeant.

Clerici arma portantes, vel usurarii, excommunicentur.

Hucusque Canones Concilii Pictaviensis.

Vide infra de eodem Concilio in 5. classe.

SÆCULUM DUODECIMUM.

Concilium Lateranense, sive Romanum I. contra Henricum IV. Germaniæ Regem, celebratum anno Dom. 1102. tempore Paschalis Papæ II.

DE rebus in hac Synodo gestis Conradus Abbas Urspergensis ista refert.

Anno Domini 1102. Imperator Henricus, habito cum Principibus colloquio, Romam se profecturum, ac Generale Concilium circa Kalendas Februarii inibi convocaturum indixit, quatenus tàm sua, quàm Domini Apostolici causa Canonicè ventilata, Catholica inter Regnum,& Sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen, nec ipsum juxta placitum venisse, nec nuntia dignitati Apostolicæ subjectionem profitentia misisse. Nec hoc latet, quod alterum Papam ipsi Domino Papali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit. Transacta post hæc media Quadragesima, convennientibus univer-

universis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuscaniæ, totiusq; simul Italiæ Præsulibus, Ultramontanorum autem quam plurimorum Patrum instituta more solito reverenter confirmata, etiam sæpè dictum nostri temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, ac perpetuo cum suis auctoribus, atque sequacibus anathemate hujusmodi subscripta professione condemnatur.

Formula Anathematismi.

ANathematizo omnem hæresim, & præcipuè eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet, & astruit anathema contemnedum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ sedis Pontifici, Domino Paschali, ejusque successoribus sub testimonio Christi, & Ecclesiæ affirmans, quod affirmat, & damnans, quod damnat sancta, & universalis Ecclesia.

Hactenus Formula. De Actis synodalibus hæc subjungit Urspergensis.

Ibi etiam quam sententiam in Imperatorem, vel Patricium Romanum Henricum idem Apostolicus Papalis promulgaverit, nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas, proxima Cœna Domini in Ecclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus; nimirum postquam 8. Cal. Octobris maris fluctibus Joppæ traditi, Romæ sumus per gratiam Christi prædicta majore hebdomada introducti. Quia, inquit, tunicam Christi scindere, idest, Ecclesiam rapinis, & incendiis devastare, luxuriis, perjuriis, atque homicidiis commaculare non cessavit primo à beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde à sanctissimo viro Urbano prædecessore meo, propter suam inobedientiam excommunicatus est, atque condemnatus: nos quoque in proxima synodo nostra judicio totius Ecclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum esse volumus omnibus, & maximè Ultramontanis, quatenus ab ipsius se contineant iniquitate. Hæc de rebus in hac synodo gestis Urspergensis.

In hoc etiam Concilio Archiepiscopus Capuanus à Cassinatibus Monachis accusatus sacrilegii sententiam subiit, ac satisfecit. Rem gestam sic narrat Petrus Diaconus.

Sequenti tempore idem Abbas Capuam pergens, Capellam sancti Angeli ad Formas, quæ in honorem sancti Nicolai noviter constructa erat, fecit à Brunone Signiensi Episcopo, & hujus Monacho dedicari, convocato etiam Sennæ Capuano Archiepiscopo. Facta itaque dedicatione, die alia idem Archiepiscopus congregata Capuanorum multitudine, armata manu misit illos ad eamdem Ecclesiam violandam, Altareque demoliendum, & Reliquias inde auferendas, sibique asportandas. Hoc facto, conquerebatur contra nostrum Abbatem, & dictum Episcopum, quod contra Canones egissent in eadem dedicatione, Metropolitano non credentes in his, quæ deceret Archiepiscopum agere. Nostri unà cum Episcopo dicebant, se concorditer egisse omnia, quæ ibi gesta essent. Hac de re insimulatus à nostris in synodo Romana idem Archiepiscopus, irruptionem Ecclesiæ, destructionem Altaris, Reliquiarumque violationem objicientibus unà cum Clero civitatis, & populo emendaturum se errata respondit, quod etiam fecit. Hæc Petrus.

Concilium Londinense, in quo incontinentes Clerici depositi sunt, anno Domini 1102. tempore Paschalis Papæ II.

IN hàc synodo, auctore Radulpho in Chronico, depositi sunt, & degradati, Guido Percourensis, Aldevinus, Haimo, Algericus, Robertus, Abbates, aliique plures Clerici incontinentes. Ordinatos esse quinque Episcopos in Cantia, testatur Malmesburiensis lib. 5. cap. 28.

Concilium Londinense II. pro reformatione Ecclesiæ celebratum anno Domini 1102. tempore Paschalis Papæ II.

DE tempore, loco, & causa hujus Concilii Vvilelmus Malmesburiensis scribit ista, quæ sequuntur.

Eodem anno, agente S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Generale Londiniense Concilium celebratum est in Ecclesia S. Petri, circa festum diem sancti Michaelis Archangeli, in quo potissimum, quæ Romæ decreta in Concilio Generali acceperat de investituris Ecclesiarum, plano sermone descripsit, videlicet.

Quod nullus Ecclesiæ Prælatus, Episcopus, vel Abbas, vel Clericus investituras alicujus Ecclesiasticæ dignitatis de manu suscipiat laicorum. Unde idem Archiepiscopus asserens hoc animabus expedire, degradavit Abbates, & Priores quosdam, qui de manu laicorum, & data pecunia Prælatias acceperant, sicut Richardus, &c.

Idem Vvillelmus Malmesburiensis recenset titulos Canonum in hoc Concilio editorum, ita primum consignata exactè temporis ratione.

Anno Dominicæ Incarnationis 1102. quarto autem Præsulatus Paschalis summi Pontificis, inchoato scilicèt tertio Regni Regis gloriosi Henrici Anglorum, ipso annuente, &c. Post recensitos diversis ex causis depositos, hæc habet de editis in synodo sacrorum canonum titulis.

Statutum quoque est, ne Episcopi sæcularium Placitorum officium suscipiant, & ut non sicut laici, sed sicut personas religiosas decet, ordinatas vestes habeant, & ut semper, & ubique honestas personas habeant testes conversationis suæ.

Ut Archidiaconatus non detur ad Firmam.

Ut Archidiaconi sint Diaconi.

Ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus uxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eadem regula constringatur.

Ut Presbyter, quandiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec Missam celebret, nec si celebraverit, ejus Missa audiatur.

Ut nullus ad Subdiaconatum, aut supra ordinetur sine professione castitatis.

Ut filii Presbyterorum non sint hæredes Ecclesiarum patrum suorum.

Ne quilibet Clerici sint sæcularium Præpositi, vel Procuratores, aut Judices sanguinis.

Ut Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

Ut vestes Clericorum sint unius coloris, & calceamenta ordinata.

Ut Monachi, vel Clerici, qui Ordinem suum abjecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

Ut Clerici patentes coronas habeant.

Ut decimæ non nisi Ecclesiis dentur.

Ne Ecclesiæ, aut Præbendæ emantur.

Ne novæ Capellæ fiant sine consensu Episcopi.

Ne Ecclesia sacretur, donec provideantur necessaria & Presbytero, & Ecclesiæ.

Ne Abbates faciant milites, & ut in eadem domo cum Monachis suis dormiant, & comedant, nisi aliqua necessitate prohibente.

Ne Monachi pœnitentiam cuivis injungant sine consensu Abbatis sui. Et quod Abbates sui de hoc eis licentiam dare non possunt, nisi de eis, quorum animarum curam gerant.

Ne Monachi compatres, ne Monachæ commatres fiant.

Ne Monachi teneant villas ad Firmam.

Ne Monachi Ecclesias nisi per Episcopos accipiant, neque

neque sibi data ita expolient suis redditibus, ne Presbyteri ibi servientes, in his, quæ sibi, & Ecclesiis necessaria sunt, penuriam patiantur.

Clandestinum matrim. Ut fides inter virum, & mulierem occultè, & sine testibus data de conjugio, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

Ut criniti sic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

Non Conjugati usque ad septimam generationem copulentur, vel copulati simul permaneant: & si quis hujus incestus conscius fuerit, & non ostenderit, ejusdem criminis participem esse se cognoscat.

Ne corpora defunctorum extra parochiam suam sepelienda portentur, ne Presbyter parochiæ perdat, quod illi inde justè debetur.

B Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus (quod contigisse cognovimus) sine Episcopali auctoritate reverentiam sanctitatis exhibeat.

Ne quis illud nefarium negotium, quod hactenus solebant in Anglia homines, sicut bruta animalia, vendi, deinceps præsumat.

Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntariè * viventes in eodem Concilio gravi anathemate damnati sunt, donec confessione, & pœnitentia absolutionem mereantur. Qui verò in hoc crimine publicatus fuerit, statutum est, siquidem fuerit persona Religiosa, ut ad nullum amplius gradum promoveatur, & si quidem habet, ab eo deponatur: si autem laicus, ut in toto Regno Angliæ suæ conditionis dignitate privetur; & ne hujus criminis absolutionem his, qui sub Regula non voverunt, aliquis, nisi Episcopus deinceps facere præsumat. Statutum quoque est, ut per totam Angliam in omnibus Ecclesiis, & in omnibus Dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur.

** Juvantes.*

Casus reservatus.

Concilium Trecense I. in causa Silvanectensis Episcopi de Simonia per calumniam accusati. Habitum anno 1104. sub Paschali Papa II.

Hoc Trecense Concilium per Richardum Legatum actitatum fuit, de quo apud eumdem Ivonem mentio habetur in epistola ad Paschalem Papam data, in qua causam Silvanectensis Episcopi in eo tractatam esse testatur his verbis: *Novimus enim præteritis annis, cum Dominus Richardus Albanensis Episcopus Apostolica Legatione fungeretur, quia in Trecis ab eodem Legato Concilium celebratum est, in quo à malevolis, & æmulis personis crimen venditionis sacrorum Ordinum eidem Episcopo objectum est, sed propter insufficientiam accusantium personarum, consentientibus in hoc Episcopis, minimè probatum est. Sed prædictus Episcopus tanti criminis infamiam cupiens evitare, ad arbitrium Legati vestri (sicut testantur, qui affuerunt) spontaneus de objecto crimine se purgavit, & innocentiam suam jurejurando comprobavit.*

Godefridus Ambian. In hoc eodem Concilio sub Legato Richardo celebrato, creatum fuisse Godefredum, virum sanctitate conspicuum, Episcopum Ambianensem: qui res ab eo præclarè gestas, quas vidit, vel ab his, qui viderunt, accepit, & quàm exactè, atque fideliter conscripsit, narrat his verbis Nicolaus Monachus Suessionensis: *Eodem tempore, quo electio facta est, Richardus Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus apud Trecenses celeberrimum habuit Conventum Episcoporum, Abbatum, & Galliarum Procerum. Eo igitur se Ambianorum Legati conferunt, suo proponunt se Pastore orbatos, unanimiter à Clero, & populo electum asserunt Godefridum, Rege quoque assentiente. Tùm verò omnes, qui in eo Conventu Godefridum noverant, Christum summopere collaudarunt. Sed ille interim fugam meditabatur (aderat enim ibi ut Abbas cum cæteris.) At verò interceptus, jubente Cardinale, & Episcopis in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus, dignum eum fore Ecclesiæ ministrum, strenuum dispensatorem, beatum futurum populum, qui talem sit Pastorem habiturus. Ajunt enim tunc omnes,* Te Deum laudamus *cantasse, &c.* Hæc de electione ejus in Concilio illo Trecensi confirmata.

Concilium Florentinum, 340. Episcoporum contra Fluentium illius loci Episcopum, celebratum anno Dom. 1105. tempore Paschalis Papæ II.

Fluentius Episcopus Florentinus, metu imminentium malorum, & prodigiorum, quæ his temporibus acciderant, docebat jam tùm natum esse Antichristum. Qua re divulgata, auctoritate Pontificis hæc Synodus congregata est Florentiæ, qua post habitam diligentem dogmatis erronei discussionem, animadversum est, quod Episcopus supra memoratus cum quadam levitate, ut scilicet alicujus magnæ rei auctor videretur, ita de Antichristi adventu senserit. Qua de causa hominem novitatis studiosum, & arrogantem, jure, meritoque increpantes dimiserunt. Sabellicus Æneade 9. Antoninus tit. 16. cap. 1.

Concilium Quintilineburgense, seu Northusense, in Germania pro reformandis moribus Ecclesiæ apud Northusum clebratum anno Domini 1105. tempore Paschalis Papæ II.

C De rebus in hac Synodo gestis Conradus Abbas Urspergensis in Chronico hæc scribit, quæ sequuntur.

Anno Domini millesimo centesimo quinto, dum Imperator Henricus Natalem Domini Moguntiæ celebrat, Henricus filius ejus, nominis illius quintus Rex dictus, rebellionem adversus patrem in Bajoaria parat, &c. Episcopis verò, atque Clericis Conventum Generalem in villam Regiam, quæ Northusum dicitur, quarto Kalendas Junii, ubi super Ecclesiasticæ institutionis jam depravata disciplina tractaretur, induxit. In quo Concilio super sententiis instantibus, Patrum decretis primò relectis, quæque poterant, adpræsens laudabiliter corrigebantur: quædam verò, quæ & graviora videbantur, ad Apostolicam audientiam differebantur. Simoniaca quippe hæresis Patrum consuetudine condemnata, Nicolaitarum quoque fornicaria commixtio ibidem est ab omnibus abdicata: jejunium mensis Martii in hebdomada Quadragesimæ, jejunium verò mẽsis Junii in ipsa hebdomada Pentecostes Romano more celebrandum, à præscriptis Præsulibus Apostolica Auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His verò, qui à Pseudoepiscopis fuerant consecrati, per Catholicam manus impositionem reconciliatio proximo jejunio danda fortè promittitur.

Vidimus inter hæc, quod silentio præterire non possumus, Regem Henricum non modicam bonæ indolis spem magna simul humilitate, & auctoritate coram omnibus prætendentem. Nam cum servorum Dei conventui non nisi vocatus interesse vellet (ingens enim ibi cum Episcopis, & Clericis, etiam Abbatum, E atque Monachorum Ecclesiasticam sitiens unitatem turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, locoque stans editiori, omnibus juxta Principum decreta, suas leges, atque jura rationabiliter innovavit: si qua verò irrationabilia rogabantur, mira, ac ultra suos annos prudenti responsione, & avita magnanimitate confutavit: in omnibus his, & sibimet miro modo servans adolescentiæ verecundiam, & Christi Sacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipsum Regem cœli, cunctamque militiam cœli testabatur, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regimen usurpare: neque Dominum, & patrem suum à Romano deponi Imperio exoptare, imo debitam pertinaciæ, & inobedientiæ ejus semper compassionem exhibere: sique S. Petro suis-

que

que successoribus lege Christiana subjici velit, sive Regno cedere, sive serviliter ipsi se subesse promisit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lachrymas simul, & preces tàm pro patris conversione, quàm pro filii prosperitate fundere cœpit, voce magna Kyrie eleison declamans. Eadem bona Uto Hildinisheimensis, & Henricus Paderburnensis, ac Fridericus Halberstadensis Præsules, vestigiis Metropolitani prostrati, ipsius, atque Regis stantis, totiusque præsentis Ecclesiæ testimonio, Apostolicæ se dederunt obedientiæ. Quorum etiam commissa Apostolico nihilominus judicio reservantur sub officii sui tantùm suspensione.

De eadem Synodo Otto Frisingensis lib. 7. cap. 8. Chronicon Hirsaugiense Trithemii anno 1105.

Concilium Moguntinum (Conventus Moguntinus) quo Henricus quartus rex Germaniæ, & tertius Imperator à Clemente tertio pseudopapa coronatus, Imperio privatur, anno Dom. 1105. tempore Paschalis Papæ secundi.

DE rebus in hac Synodo gestis Abbas Urspergensis in Chronico ita refert.

Anno Domini 1105. mediante Henrico juniore, tantus apud Moguntiam factus est in natali Dominico totius Regni Teutonici Conventus, quantus per multa annorum curricula numquam est visus. Referunt enim, qui aderant, quinquaginta duos ibi tunc Optimates, vel eo amplius affuisse, adeò ut solus Dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Ibi supervenientes Apostolicæ sedis Legati, Episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi sententiam anathematis in Henricum seniorem, dictum Imperatorem, à tot sibi succedentibus Apostolicis, sæpiusque promulgatam, scriptis simul, & dictis testificantes, universam multitudinem, imò totam toto orbe diffusam Ecclesiam ab ejus communione, Christi, & beati Petri auctoritate multis jam annis sequestratum confirmabant. Qua de causa, dum ipse de castello, quo manebat, Moguntiam exhibere tentaret, Principes propter cavendum tumultum vulgi, suæ potius, quàm filii parti favere solentis, ipsi Ingelenheim occurrerunt: tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad reatus confessionem, satisfactionisque professionem perducunt.

Cui cùm Legati communionem, seu pœnitentiæ modum absque Generalis Synodi, & Apostolicæ discussionis censura reddere ad præsens non possent, ipse partis utriusque consiliis annuens Regalia, vel Imperialia insignia, crucem scilicet, & lanceam, sceptrum, globum, atque coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum Primatibus multo fletu commendans: & ex tunc, juxta summi Sacerdotis, totiusque Ecclesiæ decreta, suæ consulturum animæ promisit. Hoc ordine Henricus illius nominis Quintus Rex, primum à patre, deinde ab universis Germaniæ Principibus, in Regem jam secundo electus, ab Apostolicis quoque Legatis per manus impositionem Catholicè confirmatus, acceptis tàm ab Episcopis, quàm laicis juxta morem patriæ, sacramentis, regnare cœpit 88. loco ab Augusto, 30. patris sui anno, ab urbe condita 857. anno ab origine mundi 6305. Dominicæ verò Incarnationis, ut dictum est, 1106. anno.

Concilium Guastalliense in Longobardia apud Padum fluvium, de schismaticis Episcopis, ac Clericis in unionem Ecclesiæ assumendis, celebratum an. Dom. 1106. tempore Paschalis Papæ secundi.

QUo loco, & tempore, quave de causa, & occasione hæc Synodus auctoritate Paschalis Papæ indicta, & congregata: item quid in ea gestum, & constitutum fuerit, Abbas Urspergensis his verbis succinctim enarrat.

A Post hæc hebdomada quarta mensis Octobris habitum est Concilium Generale in Provincia Longobardia super ripam Padi fluminis, loco, qui Vvastalis nuncupatur, ubi præsidente verè per omnia Apostolico viro Paschali II. coram multitudine maxima Clericorum, necnon laicorum, qui de diversorum Regnorum Ecclesiis convenerant, præsentibus etiam Legatis Domini Henrici Regis, multa sunt, prout Canonica dictabat æquitas, de inimici zizaniis evulsa, multa de structuris super arenam positis destructa, plura quoque pistici seminis plantaria profundius plantata simul, & rigata, nonnulla etiam tutissimæ munitionis per Ecclesias propugnacula sunt ædificata. Nam cùm eadem Dominica, quæ erat 12. Kal. Nov. Juvavensibus Conradum, Tridentinis Gebehardum Præsules consecrasset, enarrare longum est, quàm indefessè prudens, & fidelis ille summi Patris familias dispensator conservos suos verbi Dei tritico lautissimè quotidie reficeret, Pseudoepiscopis ballia, Monasteriis privilegia concesserit; præsentes ovium Christi Pastores mellifluis alloquiis, absentes paternis commonitoriorum litteris instruxerit: quædam olim abscissa membra Ecclesiæ iterum incorporaverit, quædam etiam, quæ insanabilia videbantur, anathematis abscissione truncaverit. Super Ordinationibus autem tempore schismatis factis, unde permaximè ventilabantur quæstiones, Decretum discretione maternorum viscerum artificiosè meditatum, in hac verba promulgavit.

B

C Per multos jam annos Regni Teutonici latitudo ab Apostolicæ sedis unitate divisa est. In quo nimirum schismate tantum periculum factum est, ut (quod cum dolore dicimus) vix pauci Sacerdotes, aut Clerici Catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit, ut super hos maternæ Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum itaque nostrorum exemplis, & scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis Ordinibus susceperunt, præfati Regni Episcopos ordinatos (nisi aut invasores, aut Simoniaci, aut criminosi sint probati) in officio Episcopali suscipimus. Idipsum de Clericis cujuscumque Ordinis constituimus, quos vita, scientiaque commendant.

D His, & hujusmodi super Ecclesiam divini luminis orientis auroræ jucundati splendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miserendi ejus, pariterque Apostolicis * macti benedictionibus, ad sua quique convertuntur. * *dignati.*

Concilium Jerosolymitanum, quo Ebremaro deposito, Dabertus Jerosolymitanus Patriarcha sedi suæ restitutus est an. Domini 1107. præside Gibellino Archiepiscopo Arelat. Legato, tempore Paschalis Papæ secundi.

DAberto per vim è Patriarchatu expulso, & substituto in ejus locum Ebremaro, Paschalis Papa Legatum misit Jerosolymam, qui causam hanc dijudicaret. Atque, ut narrat Vvillielmus Tyrius lib. 11. belli sacri cap. 4. Designatus est ad id muneris prosequendum Dominus Gibellinus, vir senex, & grandævus, Arelatensis Archiepiscopus, qui de mandato Domini Papæ Jerosolymam profectus, convocato Episcoporum Regni Concilio, de causa Domini Ebremari cognovit plenius. Cumque ei constitisset per testes idoneos sufficientes, & majores omni exceptione, quod D. Dabertus absque causa legitima, Arnulphi factionibus, & Regia violentia fuerat expulsus, & Ecclesiæ habentis communionem, sedem occupaverat; auctoritate, qua præeminebat, eum à Patriarchatu deposuit. Sed considerans multam viri religionem, & simplicitatem miram, Cæsariensem, quæ tunc vacabat, Ecclesiam ei concessit habendam.

E

Con-

Concilium Trecense, quo Simoniaci, & Laici collatores Beneficiorum proscribuntur, an. Domini 1107. tempore Paschalis papæ secundi.

QUa occasione hoc Concilium congregatum, quidve in eo gestum fuerit, Urspergensis in Chronico anno Domini 1107. describit istis verbis.

Circa Ascensionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit: ubi inter multa, quæ pro tempore, & necessitate corrigenda, correxit, sententiam de libera Pastorum electione, & de coercenda laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione, juxta prædecessorum suorum decreta promulgavit. At Rex Henricus peragratis Saxoniæ finibus, post Paschale festum Moguntiæ actum, eidem se Concilio vicinum, B non tamen præsentem, cum nonnullis Episcopis, & Optimatibus exhibuit: cum quibus etiam inito consilio, Legatos honorabiles ad Apostolicum transmisit, per quos tàm ipsi, quàm universæ Synodo potestatem constituendorum Episcoporum privilegiis Apostolicis Carolo Imperatori cónceſſam notificarent. Super qua quæstione, quia in alieno Regno quidquam diffiniri, utpotè Romano jam incipiens potiri sceptro, Henricus nón patitur, induciæ sibi per totum sequentis anni spatium Romam veniendi, & eandem causam Generali Concilio ventilandi conceduntur. Tunc etiam nonnullos nostrates Episcopos, eo quod eidem Concilio non intererant, officii suspensione Dominus Papa mulctavit: quos tamen non multo post satisfacientes, clementer absolvit. C

In eodem Trecensi Concilio, dum esset Paschalis Papa, contigit ad eum mitti Legationem ab Ecclesia Dolensi, quæ viduata Pastore peteret dari sibi Archiepiscopum Vulgrinum, Carnotensis Ecclesiæ Cancellarium, Ivonis discipulum, virum quidem doctrina, atque probitate præstantem: qui suæ electioni repugnans, & ab eodem Concilio recedens, ad Ivonem venit, implorans ab eo auxilium apud Pontificem, ne cogeretur invitus munus Episcopale suscipere: cujus rei gratia tunc ad Paschalem Papam Ivo dedit Epistolam ducentesimam.

Concilium Londinense, de Investitura à Laicis non accipienda, celebratum in Anglia anno Domini 1108. tempore Paschalis papæ secundi. D

REs in hac Synodo gestas Matthæus Paris in Historia Angl. anno 1108. his verbis summatim recenset: *Eodem anno factus est conventus Episcoporum, & Abbatum pariter, & Magnatum Londiniis in Palatio Regis, præsidente Archiepiscopo Anselmo, cui annuit Rex Henricus, & statuit, ut ab eo tempore in reliquum numquam per donationem baculi Pastoralis, vel annuli, quisquam de Episcopatu, aut Abbatia per Regem, vel quamlibet laicam manum investiretur in Anglia: concedente Archiepiscopo, ut nullus ad Prælationem electus, pro homagio, quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur.* E

Concilium Beneventanum, de investitura Beneficiorum Ecclesiasticorum à laicis non sumenda, anno Dom. 1108. tempore Paschalis papæ secundi.

COllector Chronici Cassinensis, lib. 4. cap. 35. de rebus in Synodo gestis sic ait: *Mense autem Octobri advenit hic idem Apostolicus, adjunctoque sibi Abbate nostro Beneventum celebrandæ illic Synodi causa perrexit: In qua prædeceßorum vestigia secutus constituit, Ut si quis Ecclesiastica beneficia de manu laicorum acciperet, uterque communione privaretur. Vestimenta sæcularia, & pretiosa reprehendit, & iis uti clericos vetuit.*

In Chronico autem Monasterii S. Vincentii ad Fon- A tes Vulturni positi, à Joanne ejusdem Monasterii Monacho scripto, mentio habetur, quod dum in his regionibus idem Paschalis Pontifex versaretur, invisit ipsum sancti Vincentii celebre Monasterium: ubi cùm comperisset ab eodem quoque Monacho Joanne scribi cœptam Historiam Ecclesiasticam, laudavit ejus studium Pontifex, & cùm laudasset, amplexatus eum, hæc adjecit: *Benè, inquit, ò fili, magnum opus cœpisti, sed benè cœpta, melius prosequi stude.*

Concilium Pictaviense, ad reformandos mores Ecclesiæ, celebratum anno Domini 1109. tempore Paschalis papæ secundi.

Decreta hujus Concilii.

UT nullus, præter Episcopum, coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant, quos Regula B. Benedicti militaturos susceperit.

Ut nemo in faciendis coronis forcipes, vel manutergia exigat.

Ut Clerici numquam alicui laico hominium aliquo modo facere præsumant, aut à quolibet laico Ecclesiasticum Beneficium accipiant.

Ut nullus vestimenta Sacerdotalia, vel Altaris utensilia præter Episcopum benedicere præsumat.

Nota. *Circa benedictionem illam quorumdam esse sententiam Sacerdotes hæc benedicere posse, quæ sine Chrismate benedici solent: ita Angelus de Clavasio in Summa, verbo benedictio. Cui sententiæ multi refragantur.*

Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, nisi fuerit Subdiaconus ordinatus.

Ut nullus Abbatum chirothecis utatur, & sandaliis, & annulo, nisi quibus fuerit per privilegium à Romana Ecclesia concessum.

Ut Præbenda non vendatur, vel ematur, neque pastus inde exigatur, sub excommunicatione interdicimus.

Ut nulla investitura Præbendarum fiat, & Altarium, sive Prælationum, viventibus, & eas possidentibus personis.

Ut neque Clerici, vel Monachi per pecuniam Altaria, vel decimas à laicis sibi acquirant, similiter sub excommunicatione interdicimus.

Ut Clerici Regulares jussu Episcopi sui baptizare, prædicare, pecuniam dare, mortuos sepelire licenter possint.

Ut nullus Monachorum Parochiale ministerium Presbyterorum, baptizare, prædicare, pecuniam dare præsumat.

Ut Sanctorum Reliquias causa pecuniæ, & quæstus circumferentes, ad prædicationem non admittantur.

Ut neque Archiepiscopi ab Episcopis, neque Episcopi ab Abbatibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutergia in consecratione eorum exigant, sub excommunicatione interdicimus.

Ut nullus laicorum de oblationibus, quæ offeruntur, vel donantur ad Altare, sive ad manum Presbyteri, vel quod pro sepultura fidelium devotè donatur, præsumat participare, sub excommunicatione interdicimus.

Ut nemo advocatus, vel quæcumque persona, res Episcopi, sive in vita, sive post mortem, sibi vendicare præsumat, quod si fecerit, anathema sit.

De decimis, & Altaribus, quæ injustè laici, & contra sacros Canones detinent, & de castitate Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, ac Canonicorum: & ne quis in duabus Ecclesiis duas Præbendas, aut duos honores obtineat: & quidquid de cæteris Ecclesiasticis utilitatibus beatæ memoriæ Dominus Urbanus Papa secundus in Claromontensi Concilio constituit, nos Apostolica auctoritate tenendum præcipimus.

Con-

Concilium Rhemense in causa Godefridi Ambianensis Episcopi, anno Domini 1109. celebratum sub Paschali papa secundo.

ANno Domini 1109. Rhemis Synodus celebrata est frequenti concursu Episcoporum, ac Procerum. In qua inter alia actitatum reperitur, quod idem Godefridus Episcopus Ambianensis redarguit falsitatis Diploma Apostolicum, quod ad suam ipsorum exemptionem à subjectione Episcopi Ambianensis ediderant Pseudomonachi, dum appellantes ad sedem Apostolicam, illuc eumdem traxerunt sanctum Episcopum. Præcurrentes enim Monachi illi, Causidicos iniquos, paratos pro pecunia quamlibet causam, sive justam, sive injustam, defendere, nacti, eorumque patrocinio apud Paschalem Pontificem facti voti compotes, atque victores iniqui, ad propria rediere, in sanctum virum probra jactantes.

CONTROVERSIA.

ERadendum erat hoc Concilium post Parergon Lucæ Dacherii, Monachi S. Benedicti Congregationis S. Mauri inter notas, & observationes suas ad Opera Guiberti Abbatis, delendum erat, inquam, hoc Concilium, tanquam fabula insuta Conciliis à pluribus summæ eruditionis viris, nisi ante tres, aut quatuor annos arresto provisionali, ut vocant, Parlamenti Parisiensis, parochia urbis S. Uldarici restituta fuisset jurisdictioni Episcopi Ambianensis, monachis frustra contendentibus pro veritate sui privilegii, cui semper se opposuerant Præsules Ambianenses.

Præfatus Lucas vir multitudine lucubrationum suarum nulli litterato non notus, sedulo examinat, quæ Nicolaus Suessionensis monachus in vita S. Godefridi Ambianensis Episcopi, quam integram licèt suis verbis contra istud privilegium inseruit, remque totam ad limam, & incudem revocans omnia falsi arguit, etiam ipsum Concilium Rhemense, cujus nullum vestigium apud scriptores, nec in chartulario Ecclesiæ Rhemensis extat, quod nonnisi puerilia à puero depicta continet, ut illud inter alia, quod Episcopi litteras privilegii Romano more non esse descriptas animadverterunt. Ridesne, inquit, an serio loqueris? Prius utique constantem traditione continuata morem Ecclesiæ Romanæ in obsignandis, subsignandisque litteris probandum fuerat extitisse: ast potius maris aquas ebibes, quàm istud demonstres. Profertque variantes formas litterarum Apostolicarum, ac sententiam decretoriam Alexandri tertii privilegium confirmantem. Unde patet litem magnam jampridem extitisse de isto privilegio, quæ hodie prædicto arresto conquiescit, cùm prius Talonius Advocatus Regius omnia litis momenta non vulgari eloquentia, & eruditione pro more suo, & amore ad Hierarchiam expendisset.

Concilium Jerosolymitanum secundum, in quo per Cononem Legatum condemnatus est Imperator Henricus quintus, aliàs quartus, anno 4. Paschalis papæ secundi.

DUm caput Romanæ Ecclesiæ Paschalis Pontifex, Henrici Imperatoris sacrilegæ petitioni nimium deferendo, languesceret, nequaquam pariter cum eo infirmata sunt omnia simul membra, sed miro modo adversus proditorem, & sacrilegum Principem insurrexere ipsi potissimum Legati, qui in diversis Provinciis vicem Pontificiam obeuntes, munere Legationis Apostolicæ fungebantur. Inter quos, sicut Romæ Joannis Cardinalis Episcopi Tusculani virtus enituit, ita in Oriente Cononis, sive Cunonis Cardinalis Episcopi Prænestini Legatione fungentis ingens animi fortitudo pluribus exemplis est declarata. Qui ubi Jerosolymis
A existens hæc audivit, nulla interposita mora, collecto ibi hoc anno Concilio, Henricum, ut impium, dirum, sacrilegumque tyrannum anathemate condemnavit, moxque advolans in Occidentem, eodemque Legationis munere Græciam, Borealesque lustrans circumquaque Provincias, in singulis collecta Synodo, ubique eundem Henricum anathemate perculit. Constant hæc ex Actis ultimi sub Paschale celebrati Concilii Lateranensis.

Summam itaque in tanto naufragio Romanæ Ecclesiæ ex Sacerdotali constantia Conon sibi gloriam comparavit, laudemque peperit immortalem. Ita Deo mirabili modo operante, ut quod deficit in capite robur, in cohærentibus membris magis, ac magis accreverit, ad alligandum perfidum Regem in compedi-
B bus anathematis, & nobiles ejus in maledictionibus sempiternis.

Concilium Lateranense secundum, quo à centum plus minus Episcopis privilegium illud, quod de concedendis sibi Beneficiorum investituris Henricus quintus à Paschali papa per vim extorserat, revocatur, in ipsum quoque Imperatorem anathematis sententia promulgatur, anno Dom. 1112. tempore Paschalis papæ secundi.

ACta hujus Concilii, quæ & Nicolaus Aragonius in suum transtulit Codicem, in Vita Paschalis sic se habet.

C Anno Incarnationis Dominicæ 1112. quinto Kalen. Aprilis celebrata est Synodus Lateranensis à Domno Paschali Papa in Basilica Constantiniana. Ubi Episcopi complures ex Italicis Provinciis interfuerunt, à Transalpinis duo. In qua nimirum Synodo de Guibertinis die 4. proposita est quæstio, quod referrentur quasi ex permissione Papæ interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait: Nec excommunicatos (sicut ajunt quidam) generaliter absolvi. Constat enim, neminem, nisi pœnitentem, & satisfacientem absolutionis gratiam consequi. Guibertinis nec officia interdicta restitui, immo Ecclesiæ sententiam in eos editam, juxta prædecessorum nostrorum deliberationem, laudamus, & confirmamus.

Die autem quinta idem Pontifex narravit omnibus,
D qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Episcopis quibusdam, & Cardinalibus tàm Presbyteris, quàm Diaconibus, & cum magna tàm Romanorum, quàm aliorum, qui tunc secum convenerant, multitudine captus fuerit: quodque coactus fuerit contra deliberationem suam, pro redemptione captivorum, pro pace populi, pro liberatione Ecclesiæ; ut supradicto Regi de investituris, quas sæpius prohibuerat, scriptum confessionis daret, & juramenta per Episcopos, seu Cardinales fieri præceperit, quatenus nec de investituris deinceps eum inquietaret, nec in personam Regis anathema poneret. Quamvis autem conditio juramenti imposita ab ipso, & suis minus observata sit (neque enim servaverunt nobis, quod ab ipsis juratum fuerat) ego tamen eum nunquam anathematizabo, & numquam de investituris inquietabo; sed quoniam nostræ
E commotionis instantiam repulerunt, habebunt judicem Deum. Porrò scriptum illud, quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute, aut gloria, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus, sine fratrum consilio, aut subscriptionibus, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præstante, desidero: cujus correctionis modum, fratrum, qui convenerunt, consilio, judicioque constituo, ne fortè per hoc in posterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium favore laudatum est, ut fratres omnes, qui donum à Deo sapientiæ, scientiæque præceperant, maturius super hoc

hoc consilium communi collatione susciperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritus sancti responderent.

Die itaque sexta, quæ & ultima Concilii fuit, fidei suæ veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem dominus Papa Paschalis in audientia totius Concilii exposuit, asserens se Scripturas sanctas veteris, & novi Testamenti, & Concilia Universalia veneranda suscipere, ac venerari, quæ Catholica Ecclesia suscipit, & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem divinam Scripturam, scilicet veteris, & novi Testamenti, Legem scriptam à Moyse, & à sanctis Prophetis: amplector quatuor Euangelia, septem Canonicas Epistolas, & Epistolas gloriosi Doctoris B. Pauli Apostoli, sanctos Canones Apostolorum, quatuor Universalia Concilia, sicut quatuor Euangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: Decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè Decreta domni mei Papæ Gregorii, & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt, laudo: quæ ipsi tenuerunt, teneo: quæ confirmaverunt, confirmo: quæ damnaverunt, damno: quæ repulerunt, repello: quæ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his semper perseverabo.

In calce hujus Professionis ex ore omnium, qui ad consulendum hesterna deliberatione convenerant, Engolismensis Episcopus Gerardus hanc in scriptis sententiam recitavit.

Sententia Synodalis contra privilegium Regi datū.

Privilegium illud, quod non est privilegium (neque verò debet dici privilegium, sed pravilegium) pro liberatione captivorum, & Ecclesiæ à domno Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem domno Papa congregati, Canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate, judicio sancti Spiritus damnamus, atque omnino cassamus, & ne quid auctoritatis, & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideò damnatum est, quod in eo Privilegio continebatur, quod electus Canonicè à Clero, & populo, à nemine consecretur, nisi prius à Rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum, & Canonicam institutionem.

Perlecta verò charta, acclamatum est à Concilio universo: Amen, Amen. Fiat, Fiat.

Et subscripserunt omnes.

Concilium Viennense, quo Henricus Imper. quintus ob extortas investituras excommunicatus est an. Dom. 1112. *sub Paschali papa secundo.*

GUido Archiepiscopus Viennensis, qui fuit postea Callistus Papa, modò autem Legatus Apostolicæ sedis, Viennæ hoc anno contra isthæc ab Henrico scelera perpetrata, Concilium celebravit 17. Kalendas Octobris, cui inter alios Episcopos interfuit; imò & præfuit pro Legato (quod impeditioris esset linguæ) S. Godefridus Episcopus Ambianensis: sed & interfuit etiam huic Concilio Viennensi S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus (inquit Guido Abbas Carthusiæ in vita ipsius) *qui præ cunctis, ut Henricus, qui sic enormiter in Paschalem Papam peccasset, excommunicaretur, in eodem Viennensi Concilio effecit.*

Godefridus Ambian.

Porrò ibidem ista Decreta scripta esse reperiuntur.

Investituram Episcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Ecclesiasticarum rerum de manu laica, S.R.Ep. auctoritatem sequentes, hæresim esse judicamus.

Scriptum illud, seu privilegium, quod à domno Paschali Papa violenter Henricus Rex de investituris, de anathemate in persona sua non spontè extorsit, in virtute sancti Spiritus damnamus, atque irritum esse, & nullius beatæ memoriæ judicamus fieri.

Excommunicat. Henrici Imper.

Henricum Teutonicorum Regem, qui simulata pace Romam veniens, post data sacramenta domno Papæ Paschali, vitæ, membrorum, malæ captionis, refutationis investituram, eumdem domnum Papam in sede Apostolica ante corpus B. Petri, post osculationem pedis, oris, & faciei, proditione, perjurio, & sacrilegio, velut alter Judas, cum Cardinalibus, & Episcopis, & multis Romanorum nobilibus tradidit, cepit, & raptum in castra insignibus Apostolicis exuit, & indignè, atque inhonestè irrisum tractavit, & ab eo nefandissimum, & detestabile scriptum violenter extorsit: excommunicamus, anathematizamus, & à gremio sanctæ Matris Ecclesiæ sequestramus, donec, his omnibus renuntiatis, plenam satisfactionem Ecclesiæ exhibeat. Hæc ibi.

Quod autem ad confirmationem spectat, Paschalis Papa confirmare distulit, vixque impulsu Cononis Prænestini Episc. Cardinalis post annos quatuor, nempe Redemptoris anno 1116. in Lateranensi Concilio confirmavit omnia, quæ per Legatos gesta essent, nominatim verò per eumdem Archiepiscopum Viennensem, ut suo loco patebit.

Con[...] ter. IX. in 3[...]

Concilium Beneventanum, in causa Cassinensis Monasterii, celebratum anno Domini 1113. *tempore Paschalis papæ secundi.*

QUid in hac Synodo gestum fuerit, Auctor Chronici Cassinensis lib. 4. cap. 50. describit his verbis.

Sequente anno jam dictus Papa Paschalis ad has rursus partes adveniens, Beneventum Synodum celebraturus cum nostro Abbate perrexit: in qua per Sennem Capuanum Archiepiscopum questus est, quod Ecclesia sanctæ Sophiæ intra Beneventum, violenter fuerit ab hujus loci ditione subducta, sed profecit nihil. Accusavit item Benedictum Terræ majoris Abbatem, quod invasisset Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ juris nostri antea fuerat. Pontifex (etsi Oderisius olim eum inde pulsaverat) missis litteris, apposita etiam interdicti pœna, vel loci, vel Ordinis, Abbatem ipsum ad se venire coegit. Data igitur Jurisperitis biduum licentia disputandi, novissimè Terræ majoris Advocati probationem quadragenariæ possessionis obtenderunt. Sed horum testes, cùm non ex visu, vel auditu, sed ex fama sola testimonium ferrent, nec Legibus, neque Canonibus admitti potuerunt. At contra, nostri quadragenariæ, vel tricenariæ possessionis interruptionem astruebant: & duos Religionis Monachos, unum Episcopum, alterum Diaconum protulerunt, qui se præsentibus prædictam Ecclesiam per Desiderium felicis memoriæ Abbatem, Rodulpho Presbytero locatam asserebant, sicut ex locationis scripto constabat sub censu Byzantiorum 6. Tres etiam laici testes ab eis prolati sunt, qui se vidisse fatentur per annos quadraginta, priusquam Ecclesiam illam Monasterium Terræ majoris invasisset, hujus Cœnobii Monachos ibidem fuisse repositos. Itaque Pontifex Legum auctoritate perspecta, Monasterio Terræ majoris super hoc negotio silentium perpetuò indixit, Ecclesiamque ipsam cum possessionibus suis apud nostrum Monasterium per privilegium quietam in perpetuum manere constituit.

Te[...] sala[...]

Concilium apud Cyperanum habitum, in quo Cassinensis Monachus, qui invitus in Monasterium intrusus fuerat, à voto absolvitur, & Guilielmus Dux Apuliæ, Calabriæque constituitur, an. Dom. 1114. *tempore Paschalis papæ secundi.*

ACta hujus Concilii in Chronico Cassinensi lib. 4. cap. 51. describuntur his verbis:

Eodem anno, cùm Paschalis apud Cyperanum Synodum celebraret, Archiep. Consentinus accusavit Rogerium Siciliæ Comitem, qui se de Archiepiscopatu dejiciens, invitum, & renitentem Monachum fieri jusserat. Ad hæc Papa: Non, inquit, hoc attinet ad me: hujusmodi quippe cognoscere, & vindicari, Abbati Cassinensi prædecessores mei sua auctoritate contulerunt.

runt: *Dona enim, & vocatio Domini* (ut Apostolus ait) *sine pœnitentia sunt.* Illud ergo donum, quod omnipotens Deus beato Benedicto concessit, ac per eum Abbati Cassinensi, nulla potest ratione convelli. Ideoque Cassinensis Abbas super hac re respondeat. Tunc Abbas: Non vult, inquit, Deus coacta servitia. Unde si contra voluntatem Monasticum arripuistis institutum, vestrum erit vel relinquere illud, vel retinere. Quapropter sanctæ Religionis habitum, quem præter voluntatem accepistis, ut ad pedes Domini nostri Apostolici deponatis, præcipimus. Demum (ut ante jam dixi) vestrum erit, vel resumere illum, vel dimittere. Ille autem continuò ad pedes Summi Pontificis Monasticas deposuit vestes, neque illi persuaderi potuit, ut illas ultra resumeret.

In eodem Concilio idem Apostolicus Guilielmum Ducem Apuliæ, & Calabriæ constituit.

Ibi etiam, cùm Landulfus Beneventanus Archiepiscopus accusatus fuisset, nec se purgare valeret, aut objecta refellere, ad Monasterium fugit, detrectans Papæ audire sententiam.

De eadem Synodo Baronius ex Chronico Beneventano narrat quoddam factum cujusdam Archiepiscopi à Papa depositi. Vide Baronium prædicto anno, & Binium hìc.

Concilium Belvacense à Conone sedis Apostolicæ Legato adversus Henricum celebratum an. Dom. 1114. tempore Paschalis papæ secundi.

HAnc Synodum adversus Henricum Imperatorem congregatam, & in eum sententiam anathematis pronuntiatam, ea, quæ superius dicta sunt, satis ostendunt. Præter hæc autem, inter alias causas itidem agitatas querela illata est ab Ambianensibus adversus Godofridum suum Episcopum, qui relicto Episcopatu Carthusiam petiisset. Sed convicti, quod injustè ipsum è sede expulissent, coacti sunt ipsum perquirere, & ad pristinam sedem eum recipere. Vide Binium hìc.

Ad idem Concilium spectat, quod narrat Guibertus Abbas lib. 3. de vita sua cap. 16. causam quorumdam hæreticorum Manichæis similium, seu verius Apostatarum delatam fuisse ad resciendum, quid facto opus esset. Quidam Rusticus, inquit, Clementius nomine cum fratre Ebrardo, apud Vuciacum, proximam Suessioni villam commanebat, qui, ut vulgabatur, de primoribus suæ hæreseos erat. De hoc ferebat improbissimus ille Comes (Suessionensis in reprobum sensum traditus) quod sapientiorem eo neminem comprobasset. Hæresis autem ea est, non quæ palam suum dogma defendat, sed quæ perpetuis damnata susurris clandestina serpat. Ejus verò talis dicitur esse summa.

Dispensationem filii virginis fantasma fatentur.

Baptisma parvulorum non intelligentium sub patrinis quibuscumque annullant.

Suum autem appellant Verbum Dei, quod fit quo nescio rotatu longo sermonum.

Mysterium, quod fit in altari vestro ita exhorrent, ut ora sacerdotum omnium os inferni appellent.

Et si pro velamine suæ hæreseos aliquotiens inter alios nostra Sacramenta suscipiant, sic pro dieta habent, ut ea die nihil amplius edant.

Sacra cœmeteria à reliqua terra comparatione non dividunt. Conjugia damnant, & fructificare coitibus, &c.

Conventicula faciunt in hypogeis, aut penualibus abditis, sexus simul indifferens, qui candelis accensis cuidam mulierculæ sub obtutu omnium, retectis, ut dicitur, natibus, procumbenti eas à tergo offerunt, hisque mox extinctis, *chaos* undecumque conclamant, & cum ea, quæ ad manum venerit prima, quisque coit.

Quod si inibi fœmina gravidetur, partu demum fuso in idipsum reditur.

Ignis multus accenditur à circumsedentibus, puer de manu in manum per flammas jacitur, donec extinguatur. Deinde in cineres redigitur, ex cinere panis conficitur, cuique pars pro Eucharistia tribuitur; qua assumpta, numquam pene ab ipsa hæresi resipiscitur.

Si relegas hæreses ab Augustino digestas, nulli magis, quàm Manichæorum reperies convenire. Quæ olim cœpta à doctioribus, residuum dimisit ad rusticos, qui vitam se Apostolicam tenere jactantes, eorum Actus solos legere amplectuntur.

A Domino ergo Suessorum Pontifice Lisiardo præfati duo ad examen urgentur. Quibus, cùm ab Episcopo ingereretur, quod conventus præter Ecclesiam facerent, & hæretici ab affinibus dicerentur, respondit Clementius: num legistis, Domine, *beati eritis?* cùm enim esset illiteratus, quod *eritis* significabat, hæreticos æstimabat. Putabat etiam, quod hæretici dicerentur, quasi hæreditarii, haud dubium quin Dei.

Addit prædictus Guibertus probatos fuisse per sumptionem Eucharistiæ, deinde per aquam, cùm negarent se quidquam contra fidem nostram docuisse, ac Clementium in dolio missum, quasi virga esset, supernatasse cum applausu plurium, qui in sua opinione magis confirmabantur. Alter confessus errorem, sed impœnitens cum fratre suo conjicitur in vincula. Intereà perreximus ad Belvacense Concilium consulturi Episcopos, quid facto opus esset. Notat verò Lucas Dachery hoc esse Concilium, cui præsedit Cono Legatus Paschalis secundi anno 1114. quod supra visum est appendice ad Sigibertum, & Nicolaus vitæ sancti Godefridi lib. 3. cap. 9. scilicet postquam sopita est hæresis Berengariana territorium Suessionense hacce pestifera Clementii labe infectum est. De qua, quid in Concilio decretum fuerit, non apparet, nisi quod fidelis populus clericalem verens mollitiem, idest, ne Patres Concili Belvacensis mitius agerent, concurrit ad ergastulum, rapit incarceratos de hac hæresi accusatos, & subjecto eis extra urbem igne pariter concremavit. Quorum ne propagaretur carcinus, justum erga eos zelum habuit Dei populus. Concludit Guibertus, qui præsens aderat, cùm examine tentarentur.

Purgatio per Euch. & per aquam.

Hem quot tenebras offundat diabolus super miseras mortalium mentes, & quot absurda, & impia pro veris suscipere possunt, & credere miseri homines, ubi semel ab Ecclesiæ Catholicæ linea, ac regula discesserint. Quis non contremiscat ad abyssum illam judiciorum Dei, & humanæ miseriæ?

Concilium Syriacum in causa Arnulphi Jerosolymitani Patriarchæ, celebratum in Syria an. Dom. 1115. tempore Paschalis Papæ secundi.

REs gestas in hac Synodo Guilielmus Tyrius lib. 11. Belli sacri, cap. 26. ita recenset:

Eodem tempore Dominus Papa, auditis enormitatibus Arnulphi Patriarchæ, & de ejus immunda conversatione plenius edoctus, Legatum dirigit ad partes Syriæ, quemdam virum venerabilem, & multa religione conspicuum, Arausicensem Episcopum: qui ad partes nostras perveniens, convocato universi Regni Episcoporum Concilio, prædictum Arnulphum coram se adstare præcepit: tandemque meritis exigentibus auctoritate Sedis Apostolicæ ab officio Pontificali deposuit. Ille verò adhuc fiduciam habens in suis præstigiis, quibus pene universorum subvertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit Ecclesiam, ubi Domini Papæ, & totius Ecclesiæ blandis verbis, & larga munerum profusione, Religionem circumveniens, cum gratia Sedis Apostolicæ remeavit ad propria, sedem obtinens Jerosolymitanam, eadem vivendi licentia, qua prius meruerat depositionem.

Concilium Trojæ in causa Treguæ Divinæ, habitum anno Domini 1115. sub Paschali papa secundo.

HOc eodem anno Paschalis Papa Augusti mensis tempore in Apuliam profectus, Troja Concilium habuit, de quo ista in Beneventano Chronico ab Auctore, qui aderat: *His omnibus, & aliis ita peractis. Apostolicus ipse nono Kalendas Septemb. Trojam tetendit, ibique Concilium statuit, & firmavit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam ferè omnes Apuliæ Proceres, Archiepiscopi, & Episcopi convenerunt. Conventu itaque sanctè ordinato, inter cætera, quæ ibi posita sunt, tregua Dei statuta est. Adeò Comes Jordanus, & Comes de Loritello, & alii Barones Apuliæ Sacramento in præsentiarum firmaverunt treguam Dei ex tunc per spatium annorum trium fore tenendam; sicque confirmato Concilio, & piè finito, Papa Beneventum tertio die intrantis mensis Septembris reversus est. Deinde Apostolicus ipse civitatis negotia, quæ imminebant, judicans, Romam reversus est septimo Kalendas Octobris, ubi tunc erat, Monasterium S. Vincentii dedicavit.* Hæc ibi.

Concilium Coloniense ob promulgandam excommunicationem, quæ in Henricum Imp. Romæ prolata erat, auctoritate Theodori Cardin. & Legati sedis Apostolicæ, indictum an. Dom. 1116.

DE eo Concilio apud Urspergensem.

Anno Domini 1116. Imperator Natalem Domini Spiræ cum paucis Episcopis, & principibus celebrans, ea, quæ interim Coloniæ gerebantur, graviter tulit. Audivit enim quamplurimos ibi convenisse, non solùm Metropolitanos, sed etiam alios Episcopos, vel Optimates Regni, causa præcipua, verbum excommunicationis in se manifestandi, quamvis ipse Cardinalis, cujus hæc initiabantur auctoritate, in itinere defunctus, illo ad sepulturam potius, quàm ad actionem delectus esset Concilii. Missus tamen ab eo illuc Præsul Vvirziburgensis, audientiam, vel communionem, nonnisi reconciliatus, habere meruit: reversus post redditam Legationem ei, qui se miserat, denuo communicare renuit, sed vitæ periculo coactus, Missam coram Rege celebravit, indeque usque ad mortem contristatus, latenter discessit, sicque rursum communioni pristinæ multis lachrymis reconciliatus, ultra Cæsaris aspectu simul, & gratia caruit.

Concilium Lateranense tertium, quo Acta Concilii Lateranen. secundi, in causa privilegii per vim Henrico concessi confirmantur anno Dom. 1116. tempore Paschalis papæ secundi.

EOdem anno, qui est 18. ordinationis Domini Papæ Paschalis secundi, secundo Nonas Martii, Romæ in Sede Lateranensi, in Ecclesia sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, celebrata est Synodus Universalis Concilii, ubi præcipuè Apostolicus causam Concilii, & animi sui intentionem his verbis exposuit: Postquam Dominus de servo suo fecit, quod voluit, & me, populumque Romanum tradidit in manu Regis, videbam quotidie passim fieri rapinas, & incendia, cædes, & adulteria. Hæc, & hujusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia, & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem, ut homo, quia pulvis sum, & cinis. Fateor me malè egisse: sed rogo vos omnes, orare pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum, quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate sui, pravilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut nullus unquam sit bonæ memoriæ: & rogo vos omnes, ut idem faciatis. Tunc ab universis clamatum est: Fiat, fiat.

A Bruno autem Signinus Episcopus altius exorsus est: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paschalem, qui præsenti Concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem, & hæresim continebat. Ad hæc quidem cavillatoriè subjunxit: Si privilegium illud hæresim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Joannes autem Cajetanus ad hæc commotus, Signino respondit: Tune & hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum, quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit.

Ad hæc patientia Domini Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, diffidentium clamores, & murmura tali ratione compescuit: Fratres, & Domini mei, Ecclesia
B ista numquam habuit hæresim, immo hic omnes hæreses conquassatæ sunt. Et infra.

Privilegium investituræ, quod in tentoriis concessisse videbatur, obliterare volens, iterans sententiam Papæ Gregorii septimi investituram Ecclesiasticarum rerum à laica manu, rursum excommunicavit sub anathemate, dantis, & accipientis.

Deinde Cardinalis Cono Prænestinus relationem fecit totius suæ Legationis, quæ ab ipso Papa approbata est.

Concilium Romanum in causa Cluniacensis, & Cassinensis Monasterii, anno Domini 1116. tempore Paschalis papæ secundi.

C DE loco, causa, & Actis hujus Concilii, in Chronico Cassinensi lib. 4. cap. 62. ista narrantur: Supradictus autem Pontifex (Paschalis nimirum) adjuncto sibi Abbate nostro, rediens Romam, mediante Quadragesima Synodum celebrare disposuit. In qua noster Abbas, dum de Sella sanctæ Sophiæ intra Beneventum litem agitaret, nihil consequi potuit. Quo etiam tempore, dum Pontius Cluniacensis Abbas ad Synodum veniens, Abbatem Abbatum se jactaret; rogatus à Joanne Cancellario, Cluniacenses à Cassinensibus, aut Cassinenses à Cluniacensibus Regulam sumpsissent: Respondit: Non modò Cluniacenses, verum omnes in Romano orbe Monachos Regulam P. Benedicti à Cassinensi accepisse Cœnobio. Ergo,
D inquit Cancellarius, si à Cassinensi Monasterio, tamquam à vivo fonte, Monasticæ Religionis norma manavit, jure à Romanis Pontificibus Cassinensi Abbati hæc prærogativa concessa est, ut ipse solus (qui tanti Legiferi Vicarius est) Abbas Abbatum appelletur.

Concilium Capuanum, quo Henricus quintus Rex Germaniæ, quartusque ejus nominis Imperator, unà cum Mauritio Burdino Antipapa, qui se Gregorium octavum nominabat, excommunicatur, an. Dom. 1118. tempore Gelasii papæ.

E OCcasionem, & Acta hujus Synodalis Congregationis apud Capuam celebratæ, Urspergensis in Chronico enarrat his verbis:

Henricus Imperator, dum Padanis regionibus immoraretur, audito transitu Apostolici Paschalis, Romam properavit, & primò quidem in electione Domini Joannis, qui & Gelasius secundus dictus est, assensum præbens, postea verò eodem à sua se communicatione subtrahente, non sine quorumdam Romanorum favore, alterum quemdam Burdinum ex Hispania supervenientem, Apostolicæ Sedi imposuit, sicque schisma, quod jam sperabatur emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem Romanæ cathedræ liberè potito; Gelasius cum his, qui secum abierant Cardinalibus, cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam, juxta quod litteræ ab ipso circumquaque trans-

transmissæ testantur, Cęsarem unà cum idolo suo damnavit.

Concilium Coloniense, quo per Cononem Legatum Sedis Apostolicę excommunicatio in Henricum Regem lata promulgatur, anno Domini 1118. *tempore Gelasii* II.

HIs temporibus, inquit Urspergensis in Chronico, Cono Prænestinus adhuc Legatione Gelasii functus, synodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, ubi Imperatoris omnimodis excommunicationem propalavit. Huic Concilio interfuit Norbertus, postea Præmonstratensis Ordinis institutor, tunc autem noviter conversus in peregrino habitu, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat. Unde & scriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum, & ipse contra omnes.

Concilium Friteslariense contra Imperatorem Henricum anno 1119. *sub Gelasio* II.

DE hac synodo Urspergensis ista scribit.

Alteram quoque synodum Friteslaridem Corio Prænestinus eadem pro causa indixit, qua & habita, eandem, quam prius, excõmunicationem confirmavit (adversus Imperatorem scilicet.) Imperator his auditis, insuper etiam, quod Principum consensus Generale, vel Curiale Colloquium non multo post apud VVirceburg instituere proposuisset: ubi ipse aut præsens ad audientiam exhiberi, aut absens Regno deponi debuerit: efferatus animo, Italiæ suis copiis cum Regina relictis, Germanicis se regionibus nimis insperatus exhibuit.

Concilium Viennense à Gelasio II. *celebratum anno Domini* 1119.

CUm Gelasius Papa apud Capuam Henricum imperatorem, & Burdinum schismaticum Antipapam excommunicasset, atque inde per Campaniam cũ suis ad Burgundiam transmigrasset, *anno Dominicæ Incarnationis* 1119. inquit Urspergensis in Chronico, *apud Viennam synodum congregavit, eaque transacta, post paucos dies in Monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finivit.*

Quid verò in ea gestum, vel constitutum fuerit, silent omnes.

Concilium Rhemense, propter Investituras Ecclesiasticas, Excommunicationem Henrici Imp. aliasque causas à Gelasio II. *indictum, sed tempore Callisti* II. *celebratum anno Domini* 1119.

DE rebus in hac synodo gestis, editisque Constitutionibus, & Imperatoris excommunicatione, Urspergensis ista habet.

Aderant etiam Legati tàm Romanorum, quàm Viennensium, imò diversarum Ecclesiarum missi, confirmantes electionem Domini Callisti. Cui profecto, dum universi nostrates Episcopi obedientiam professi, synodum, quæ juxta festum sancti Lucæ indicebatur, collaudassent fieri; ipse Rex semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem universalis Ecclesiæ præsentandum iri. Id enim Catalaunensis Episcopus, & Cluniacensis Abbas apud Argentinam ipsum convenientes, multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt.

Ejusdem tamen Actionẽ Rhemensis Concilii si quis plenariè cognoscere quærit, ut literis cujusdam Scholastici, nomine Hessonis, eleganter enucleatam reperire poterit: idest, qualiter Rex inter Regnum, & Sacerdotium de concordia facienda consenserit. Insuper eidem Concilio, cui videlicet 13. Calendis Novembris prædictus Papa Callistus II. vallatus quadringentis viginti sex Patribus, coram innumera multitudine Cleri, ac populi præsedit, non adeo se præsentem Henricus, vicinum tamen exhibuerit, ubi & colloquio suo Domini Papæ Legatis concesso, tandem inducias denuo quæsierit propter Generale Colloquium cum Principibus habendum, pro investituris scilicet Ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere. Ad ultimum verò idem Apostolicus, inita inter se, & Regem concordia, synodalia prædecessorum Decreta confirmaverit, aliaque nonnulla, quæ res exigebat, naviter addiderit: sicque post dies fere duodecim in virtute Spiritus Sancti ritè finito Concilio, cunctos Apostolica benedictione confirmatos, ad propria redire permisit unumquemque cum gaudio. Hæc ipse summatim.

Concilium Neapolitanum in Samaria, auctoritate Guaremundi Jerosolymitani Patriarchæ, ad Reformandos mores Ecclesiæ celebratum in præsentia Balduini Jerosolymorum Regis, anno Domini 1120. *tempore Callisti Papæ* II.

CAusam unà cum Actis Concilii Tyrius lib. 12. Belli sacri, cap. 13. his verbis summatim describit.

Eodem anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1120. cum peccatis nostris exigentibus Regnum Jerosolymorum multis vexationibus fatigaretur, & præter eas, quæ ab hostibus inferebantur, molestias, locustarum intemperie, & edacibus muribus, jam quasi quadriennio continuo fruges ita penitus deperissent, ut omne firmamentum panis defecisse videretur: D. Guaremundus Jerosolymorum Patriarcha, vir religiosus, ac timens Deum, unà cum D. Rege Balduino, Prælatis quoque Ecclesiarum, & Regni Principibus, apud Neapolim urbem Samariæ convenientes, Conventum publicum, & curiam Generalem ordinaverunt. Ubi sermone ad populum habito, exhortationis gratia cùm apud omnes constare videretur, quod populi peccata Dominum provocassent, de communi statuunt consilio errata corrigere, & excessus redigere in modum, ut tandem ad frugem melioris vitæ redeuntes, & pro commissis condignè satisfacientes, eum sibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, sed magis ut convertatur, & vivat. Deterriti ergo de cœlo signis minacibus, & terræ motu sequenti, clade quoque simul, & famis angustia, & hostium proterva nimis, & pene quotidiana instantia, per opera pietatis Dominum sibi reconciliare quærentes, ad morum erigendam, conservandamque disciplinam, viginti quinque Capitula quasi vim legis obtinentia de communi sanxerunt arbitrio. Quæ si quis legendi studio videre quærit, in multarum Archivis Ecclesiarum ea facile reperire potest.

Hanc synodum, ait Baronius anno 1120. prope finem, tanta morum correctio consecuta est, ut per Dei misericordiam anno sequenti 1121. Turcarum Princeps adversus Antiochiam cum magnis copiis rediens, apoplexia extinctus sit.

Concilium Romanum, quo Cassinensis Monasterii Abbas Oderius consecratur, ejusdemque Monachi à querela Episcoporum absolvuntur, anno Domini 1122. *tempore Callisti Papæ* II.

REs in hac synodo gestas Romæ Chronicon Cassinate commemorat lib. 4. cap. 80. his verbis:

Mense itaque Martio præparatis, quæ erant necessaria itineri, Romam, ut sibi à Pontifice injunctum fuerat, consecrandus advenit. Ibi ab eodem Papa, qui tunc forte Concilium celebrabat, honorificè consecratus, à Cardinalibus, Romanisque nobilibus in magna est gloria habitus. In hac synodo Episcopi adversus Monachos invidia inflammati, cœperunt dicere, nihil superesse aliud, nisi, ut sublatis virgis, & annulis, Mo-

Monachis deservirent: illos enim Ecclesias, villas, castra, decimationes, vivorum, & mortuorum oblationes detinere. Conversique ad Pontificem, Decidit, ajebant, pudor, Canonicorum honestas obliterata est, Clericorum religio corruit, dum Monachi, contempto cœlesti desiderio, jura Episcoporum insatiabiliter ambiunt, &c. Et cum variæ ingeniis hinc inde essent prolatæ sententiæ; tandem ex jussione Abbatis unus ex nostris surgens in medium, dixit: Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Sed tu Domine Deus noster contere virtutem illorum, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster, &c.

Cum & alia multa proferret, quidam Liguriæ Episcopus dixit: Licèt Episcoporum religiositas conquesta contra Monachos fuerit; non tamen sine causa prædecessores nostri Monasteria ditaverunt, &c. Unde non immerito nos potius diligere Monachos, quàm insequi convenit, cum ipsi contemplativæ vitæ, & orationi vacent. Ad hæc Pontifex imperato silentio dixit: Cassinensis Ecclesia non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum fundata est: cujus imperio Benedictus Pater locum prius idolis deditum purgans, sanctæ descriptione Regulæ, miraculorumque prodigiis, & sua corporali requie orbi spectabilem reddidit, totiusque Monastici Ordinis caput esse constituit, &c. Nos igitur sanctorum prædecessorum nostrorum vestigia secuti, Cassinense Cœnobium ab omni mortalium jugo quietum semper, ac liberum manere, & sub solius S. R. E. defensione perpetuo manere decernimus, &c.

Concilium Romanum II. Quo ob restitutam in Comitiis Vuormatiensibus Investituram Ecclesiasticam, pax inter Pontificem, & Imperatorem inita confirmatur, anno Domini 1123. tempore Callisti Papæ II.

De hac synodo Robertus de Monte, Continuator Sigeberti, ista scribit: *Anno 1123. Concilium Romæ celebratur, pax inter Regnum, & Sacerdotium reformatur, & jus investiturarum Episcoporum ab Imperatore exfestucatur.* Hoc est illud Concilium, cujus meminit Callistus in Epistola gratulatoria ad Henricum Imperatorem, his verbis: *Legatos itaque nostros, qui apud vos sunt, benevolentiæ vestræ attentius commendantes, rogamus, ut quia Concilium à nobis indictum accelerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos verò Legatos ita instructos dirigas, ut juxta promissum tuum regalia in integrum Romanæ Ecclesiæ restituant.*

Concilium Tolosanum auctoritate Callisti Papæ contra quosdam Hæreticos Monachos, in bona Ecclesiæ, & Sacramenta Ecclesiæ blasphemos, celebratum anno 1124.

De hac synodo in Fasciculo temporum ista scribuntur: *Hic Tolosæ synodum celebravit, in qua damnavit fictos quosdam Religiosos, qui plures hæreses secreto, & publicè seminabant contra Sacramenta, & bona Ecclesiarum.*

Concilium Londinense I. Auctoritate Joannis de Crema Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati indictum, quo LX. Patres ad Reformandos pravos Ecclesiæ mores plura sanxerunt, 9. Septembris, anno Domini 1125. tempore Honorii Papæ II.

Celebratur synodus Londoniæ, ait Continuator Florentii Vvigorniensis scriptor hujus temporis, in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis apud Vvestmonasterium, mense Septembri, nona die ejusdem mensis, ubi post multarum discussionem causarum promulgata sunt sequentia Capitula, & ab omnibus

A confirmata. Præfuit autem huic synodo Joannes de Crema sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, & D. Papæ Honorii in Angliam Legatus, cum Guilielmo Cantuariensi, & Turstano Eboracensi Archiepiscopis, & cum Episcopis diversarum Provinciarum numero XX. & Abbatibus circiter XL. & cum innumera Cleri, & populi multitudine.

Sunt autem hæc Capitula.

Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes, quemquam in Ecclesia per pecuniam ordinari auctoritate Apostolica prohibemus.

B Interdicimus etiam, ut pro Chrismate, pro Oleo, pro Baptismate, pro Pœnitentia, pro visitatione infirmorum, seu Unctione, pro communione Corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur.

Statuimus præterea, & Apostolica auctoritate decernimus, ut in consecrationibus Episcoporum, vel Abbatum benedictionibus, seu in dedicationibus Ecclesiarum, non cappa, non tapetæ, non manutergia, non baccilia, & nihil omnino per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitus exigatur.

Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus, vel Clericus, Ecclesiam, sive decimam, seu quælibet Beneficia Ecclesiastica de dono laici sine proprii Episcopi auctoritate, & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio hujusmodi, & ipse

C Canonicæ ultioni subjacebit.

Sancimus præterea, ne quis Ecclesiam sibi, sive Præbendam paterna vendicet hæreditate: aut successorem sibi in aliquo cōstituat beneficio. Quod si præsumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Psalmista: *Deus meus pone illos, ut rotam*, & (sicut dixerunt) *hereditate possideamus sanctuarium Dei.*

Adjicientes quoque statuimus, ut Clerici, qui Ecclesias, seu Beneficia habent Ecclesiarum, & ordinari, quo liberius vivant, subterfugiunt, cum ab Episcopis invitati fuerint, si ad Ordines promoveri contempserint, Ecclesiis simul, & Beneficiis earum priventur.

Nullus in Decanum, nullus in Priorem, nisi Pesbyter: nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus promo-

D veatur.

Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur. Qui verò absolutè fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.

Nullus Abbas, nullus omnino Clericus, vel laicus quemquam per Episcopum in Ecclesia ordinatum, absque proprii Episcopi judicio præsumat ejicere. Qui autem secus facere præsumpserit, excommunicationi subjacebit.

Nullus Episcoporum alterius præsumat parochianum ordinare, aut judicare: unusquisque enim suo Domino stat, aut cadit; nec tenetur aliquis sententia, non à suo Judice prolata. Nemo excommunicatum alterius præsumat in communionem suscipere. Quod si scienter fecerit, & ipse communione careat Christiana.

Præcipimus etiam, ne uni personæ Archidiaconatus, vel diversi Ordinis tribuantur honores. Presby-

E teris, Diaconibus, Subdiaconibus, Canonicis uxorum, concubinarum, & omnino omnium fœminarum contubernia, auctoritate Apostolica inhibemus, præter matrem, sororem, amitam, sive illas mulieres, quæ omni careant suspicione. Qui hujus decreti violator extiterit, confessus, vel convictus, ruinam proprii Ordinis patiatur.

Usuras, & turpe lucrum Clericis omnimodis prohibemus. Qui verò super crimine tali confessus fuerit, convictus, à gradu proprio dejiciatur.

Sortilegos, ariolos, & auguria quæque sectantes, eisque consentientes, excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamia.

Inter consanguineos, seu affinitate conjunctos, usque ad

ad .... generationem, matrimonia contrahi prohibemus: si qui verò taliter conjuncti fuerint, separentur.

Interdicimus etiam, ut viri proprias uxores de consanguinitate impetentes,& testes, quos adducunt,non suscipiantur, sed prisca Patrum servetur auctoritas. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet vobis? Placet.

Concilium Trecense Gallicanum, quo Templariis Militibus, anno suæ institutæ Religionis nono, unà cum Regula assignatus est habitus albus, anno Domini 1127. tempore Honorii Papæ II.

ACta Concilii, tempus, & locum enarrans Tyrius libro 12. cap. 7. hæc scribit.

Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt Dominus Senonensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis, Albanensis quoque Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus, Abbates quoque Cistercienses, & Claræyallensis, cum aliis pluribus, instituta est eis Regula, & habitus assignatus, albus videlicet, de mandato Domini Honorii Papæ, & Domini Stephani Jerosolymitani Patriarchæ. Cumque jam annis novem in eo fuissent proposito (non nisi novem erant) ex tunc cœpit eorum numerus augeri, & possessiones multiplicabantur. Postmodum verò tempore Domini Eugenii Papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo, ut inter cæteros essent notabiliores, mantellis suis cœperunt assuere, &c. Alia multa de his Templariis, & eorum Regulam vide apud Binium.

Concilium Londinense, aliàs Lundoniense II. pro reformandis moribus Ecclesiæ celebratum in Anglia anno Domini 1127. tempore Honorii Papæ II.

QUo loco, & tempore, quo auctore,quave de causa, & occasione hæc synodus indicta, quid in ea constitutum fuerit, Continuator Florentii Vvigorniensis hujus temporis Scriptor descripsit his verbis.

Guilielmus Dorovernensis Archiepiscopus congregavit Generale Concilium omnium Episcoporum, & Abbatum, & quarumcumque Religiosarum personarum totius Angliæ, apud Monasterium S. Petri in Occidentali parte Lundoniæ situm. Cui Concilio præsedit ipse, sicut Archiepiscopus Cantuariæ, & Legatus Apostolicæ sedis, &c.

Quæ autem communi Episcoporum consensu in ipso Concilio decreta sunt, & statuta, sunt hæc.

Ecclesias,& Ecclesiastica Beneficia,seu quoslibet Ecclesiasticos honores vendi, vel emi, auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, & nostra,omnino prohibemus. Qui verò hoc præceptum violasse convictus fuerit, clericus quidem ab Ordine deponatur, laicus verò exlex, & excommunicatus habeatur, & ejusdem Ecclesiæ, vel Beneficii potestate privetur. Ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei, vel promoveri, auctoritate sedis Apostolicæ modis omnibus interdicimus. Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis Monachis, Canonicis, & Sanctimonialibus, condemnamus. Nullus in Decanum,nisi presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores infra prædictos Ordines jam designatus est, moneatur ab Episcopo ad Ordines accedere. Quod si juxta monitionem Episcopi ordinari refugerit, eadem, ad quam designatus est, careat dignitate. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus Canonicis,contubernia mulierum illicitarum penitus interdicimus. Quod si concubinis (quod absit) vel conjugibus adhæserint, Ecclesiastico priventur Ordine,honore simul, & Beneficio. Presbyteros verò parochiales, si qui tales fuerint, extra Chorum ejicimus, & infames esse decernimus. Archidiaconis verò, & ministris (quibus hoc incumbit) auctoritate Dei, & nostra præcipimus, ut omni studio, & sollicitudine

A procurent, ab Ecclesia Dei hanc perniciem omninò eradicare. Quod si qui in hoc negligentes, vel (quod absit) consentientes inventi fuerint, primo,& secundo ab Episcopis dignè corrigantur, tertio verò Canonice severius corripiantur.Concubinę verò presbyterorum, & Canonicorum, nisi ibi legitimè nupserint, extra parochiam expellantur. Ut nullus Archidiaconus in diversis Episcopatibus diversos Archidiaconatus teneat, sub anathemate prohibemus. Decimas sicut Dei summi Dominicas, ex integro reddi præcipimus. Ut nulla persona Ecclesias,vel decimas, seu quælibet alia Ecclesiastica Beneficia det, vel accipiat, sine consensu, & auctoritate Episcopali,Canonica auctoritate vetamus. Nulla Abbatissa, vel Sanctimonialis carioribus utatur indumentis, quàm agninis, vel caninis. *Vestes Monialium.*

B Rex igitur cum inter hæc Lundoniæ moraretur, auditis Concilii gestis, consensum præbuit, auctoritate Regia, & potestate concessit, & confirmavit statuta Concilii à Guilielmo Cantuariensi Archiepiscopo, & S. R. E. Legato apud Vvestmonasterium celebrati. Hęc ille.

Concilium Ravennate, quo Aquilejensis, & Venetiarum Patriarchæ depositi sunt, anno Dom. 1128. tempore Honorii Papæ II.

DE rebus in hac synodo gestis hæc breviter Baronius: *Quo tempore misit Petrum Presbyterum Cardinalem tituli S. Anastasiæ Ravennam, ubi congregata Synodo, deposuit Aquilejensem, & Ve-*
C *netiarum Patriarchas. Hæc in veteri Pontificali. Quæ autem causa intervenerit horum condemnationis, non invenimus.*

Concilium Claromontense, Innocentii Papæ auctoritate indictum, quo Anacletus Antipapa, & invasor Sedis Apostolicæ condemnatur, anno Dom. 1130.

INitio Pontificatus hanc synodum apud Clarummontem in Gallia celebratam esse propter schismaticum, & Pseudopontificem Anacletum,testatur Otho Frisingensis l. 7. c. 18. his verbis: *Non multo post, Honorio mortuo, gravissimum schisma in Ecclesia oritur. Innocentio Canonicè electo, sed Petro Leonis violentia*
D *amicorum suorum, qui fortissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio Siculo, intruso. Cui dum Innocentius resistere non valeret, Urbe cedit, transcensisque Alpibus, Gallias ingreditur, ubi in Regno Gallici Regis in civitate apud Clarummontem Concilium celebrans, nuntios Lotharii Conradum Juvaniensem, Heribertum Monasteriensem Episcopos obvios habuit.*

Eadem synodo Anacletum condemnatum fuisse, testatur Platina in Vita Innocentii his verbis: *Innocentius celebrato apud Clarummontem Concilio, Petrum Antipapam cum sectatoribus damnavit.* Hæc ille.

Concilium Stampense, contra Anacletum Antipapam congregatum anno 1130. tempore Innocentii II.

IN hac synodo, auctore S. Bernardo, damnatum esse
E Petrum Antipapam,qui se Anacletum nominabat, contra fuisse electionem Innocentii Canonicè, & legitimè ordinati, testatur Vincentius lib. 27. cap. 6.& lib. 2. in Vita S. Bernardi. Quo Rex (ut erat piissimus Ecclesiæ defensor) cito compunctus, Concilium Archiepiscoporum, Abbatum, & religiosorum virorum Stampis convocat, & eorum consilio tàm de persona, quàm de electione investigans, & assensum electioni consilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit. Cum autem & susceptionis,& servitii primitias Cluniaci primo Rex delegasset, tanto exhilarati suffragio, cum gratia,& benedictione Domino Regi per nos referentes, ad propria remiserunt. Ut autem ad sanctum Benedictum super Ligerim descendit, Dominus Rex cum Regina, cum filiis ei occurrens, & nobilem dia-

diademate sæpius coronatum verticem, tamquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit, & Catholicum affectum, & devoti servitii effectum ei, & Ecclesiæ promittit. Cujus exemplo, & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, devotissimè pedibus ejus prostratus, votivam sui, suorumque, & terræ suæ susceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem. Hæc Sugerius de rebus gestis usque in annum sequentem.

Vulgo Joare.

Concilium Jotrinum, ob S. Thomam, S. Victoris Parisiensis Priorem, occisum pro justitia, congregatum anno Domini 1130. tempore Innocentii II.

Archidiaconi exactiones.

CUm Archidiaconus Parisiensis Theobaldus illicitas exactiones occasione Archidiaconatus à Presbyteris exigeret, beatus autem Thomas Prior S. Victoris Parisiensis, insignis justitiæ amator, & defensor, magno zelo eidem resisteret, & per nepotes Archidiaconi ipsius vir religiosus in obsequio charitatis in itinere, quod pietas indiceret, in opere sancto, in sanctorum comitatu, in Dominico die, sinu meo (inquit Stephanus Parisiensis in epistola ad Bernardum 159. ad Innocentium Papam) & intra manus meas crudeliter ab impiis pro justitia excerebratus est.

Hac de causa (inquit Petrus Cluniacensis Abbas) nuper in partibus Archiepiscoporum, Episc. Abbatum, ac multorum religiosorum, & sapientum personæ congregatæ sunt; & Concilio habito, in hujusmodi sacrilegos severitatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, Apostolica auctoritas, quod ab eis benè actum est; suppleat, si quid minus severè decretum est, ut impii debita ultione puniantur, & ab eorum imitatione cæteri deterreantur. Hæc, & alia Petrus ad Innocentium.

Sententiæ formula.

Ex epistola Innocentii: Adversus ergo tàm Deo odibile, & tàm piaculare flagitium, quod in dilectos filios nostros bonæ memoriæ Thomam Priorem sancti Victoris, & Archenbaldum Subdecanum Aurelianensem commissum est, tepiditate seposita, assumpto vigore justitiæ, exurgant canones, armentur Jura; & si res expostulat, novum scelus novæ synodi librata sententia conteratur. Quod ergo à vestra dilectione super hoc apud Jotrum nuper judicatum est, Apostolica auctoritate statuimus esse firmatum. Sed quia nimis remissa videtur esse vestra sententia, addendo censemus, ut in quibuscumque locis præfati sanguinarii præsentes fuerint, divina ibi non celebrentur Officia: & si quis sacrilegos illos Clericidas, ac cœlestis collegii perturbatores, & effusores Dominici sanguinis in sæculo remanentes, manutenere, confovere tentaverit, anathematis sententia percellatur, &c.

Concilium Rhemense, auctoritate Innocentii II. Rhemis indictum, quo Pseudopontifex Anacletus, unà cum schismaticis fautoribus excommunicatur, anno Domini 1131.

HUjus Concilii Acta periere, sed de eo tantùm apud Bernardum Abbatem Bonævallis hæc habentur in Vita S. Bernardi his verbis.

Perlustrata igitur Francia (scilicet Innocentius Papa) Rhemis convocavit Concilium, in quo multis ad honorem Dei dispositis, Regem Ludovicum vivente patre pro Philippo fratre coronavit in Regem. In omnibus his domnus Papa Abbatem (S. Bernardum) à se separari non patiebatur, sed cum Cardinalibus in rebus publicis assidebat. Sed & privatim quotquot habebant negotia, virum Dei secretius consulebant. Ipse verò audita referebat ad Curiam, & oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto Concilio, &c. Hæc tantùm ibi.

S. Bernardus.

Interfuit eidem Concilio unà cum cæteris Sanctus Norbertus Episcopus Magdeburgensis, cujus meminit Auctor, agens de rebus in eodem Concilio gestis sic:

A *Convocatoque Rhemis Concilio, convenerunt undique Episcopi de diversis nationibus; advenit & Pater Norbertus: ibique illum Petrum intrusum excommunicaverunt, & electione Innocentii approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, nisi resipisceret, tradiderunt.*

S. [Norber]tus

Robertus Sigeberti Continuator addit, eadem synodo non tantùm Innocentii Papæ electionem approbatam, verum etiam ab omnibus Galliæ, & Germaniæ Episcopis Petri Antipapæ ordinationem anathemate damnatam fuisse. Et paulo infra ait; *Concilio Rhemis habito, præsente Francorum Rege Ludovico, filius ejus Ludovicus in Regem consecratur à Papa Innocentio, octavo Kalendas Novembris.* Paucis enim diebus antequam hæc synodus celebraretur, Philippus Regis frater nuper in Regem inunctus, equi fortuito casu decidens, magno omnium luctu in pœnam sacrilegi B patris juxta vaticinium S. Bernardi occisus fuit.

Concilium Moguntinum in causa Brunonis Argentinensis Episcopi celebratum anno Domini 1131. tempore Innocentii Papæ II.

COncilium hoc habitum est Moguntiæ, ut vult Dodechinus, anno 1131. præsente Lothario Rege, ubi Bruno Argentinensis Episcopus, præsentibus Augustense, Einstedense, Bambergense, Vvirzeburgense, Spirense, & Vvormatiense Episcopis, præsidente etiam Mattheo Albanense cum Moguntinense Archiepiscopo, à clero, & populo super violentia, intrusione, & C consecratione impetitus, in manus Archiepiscopi, & Cardinalis Argentinensem resignavit Episcopatum.

Concilium Placentinum adversus Anacletum Pseudopapam celebratum anno 1132. sub Innocentio Papa II.

PEtrus Cluniacensis lib. 3. Epist. meminit hujus Concilii breviter tantum his verbis: *Recedens Gallia, venturus Romam, transiens per sanctum Ægidium, & per montem Genevæ, fines Longobardiæ intravit, & apud Hastam solemnitate Resurrectionis Dominicæ celebrata, Placentiam venit. Ibi invocatis Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis tàm de Longobardia, quàm de Ravennatensi Provincia, & Marchia inferioris partis, tertium Concilium celebravit.* Porro hu- D jus Concilii non nisi hanc tantummodo brevem mentionem invenire potuimus.

Concilium Northamptoniense in Anglia celebratum anno Dom. 1133. tempore Innocentii Papæ II. & Stephani Regis.

REs gestas in hoc Concilio Continuator Florentii summatim refert.

Rex Anglorum Stephanus in Octavis Paschæ, quod erat 4. Idus Aprilis, tenuit Concilium Northamptoniæ, cui præsidebat Eboracensis Archiepiscopus Turstanus, Episcopi, Abbates, Comites, Barones, Nobiles quique per Angliam. In quo etiam Concilio, quorum- E dam electione, Exoniensi Ecclesiæ jam Pastorali cura destitutæ, de medio facti Præsulis Guillielmi de Vvaravvast Archidiaconus, nomine Robertus, Pastorali curæ præficitur. Duæ quoque dantur Abbatiæ, &c.

Concilium Londiniense, sub præsidio Alberici Ostiensis, Apostolicæ Sedis Legati, celebratum in Anglia anno 1138. tempore Innocentii Papæ II.

ANno ab Incarnatione Domini 1138. (subjungit idem Continuator) Pontificatus autem Domini Papæ Innocentii anno 9. regnante nobilissimo Rege Stephano Anglorum, Henrici Regis magni nepote, anno tertio Regni ipsius, celebrata est synodus Londiniæ in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis apud Vvest-

Vvestmonasterium, mense Decembri, 13. die mensis. Ubi post multarum discussionem causarum, promulgata sunt Capitula ab omnibus confirmata, num. 16. Præfuit autem synodo Albericus Ostiensis Episcopus, & prædicti Domini Papæ Innocentii in Angliam, & Scotiam Legatus cum Episcopis diversarum Provinciarum numero 17. & Abbatibus circiter 30. & innumera cleri, & populi multitudine.

Concilium Vvintoniense, pro immunitate Ecclesiastica contra Regem Stephanum, qui castella Ecclesiæ invaserat, & Episcopos nonnullos carceribus mancipaverat, celebratum anno Dom. 1139. tempore Innocentii Papæ II.

ANno Dominicæ Incarnationis 1139. venenum malitiæ suæ diu in animo Stephani Regis nutritum, tandem erupit in publicum, castella Ecclesiæ invadens, & Episcopos renitentes carceri tradens. Quarto igitur Calendas Septembris, cum omnes ferè Episcopi Angliæ cum Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi, qui Vvillelmo successerat, Vvintoniam ad Concilium celebrandum venissent, Archiepiscopus Eboracensis Turstanus pro valetudine, qua gravabatur (vix enim animi viribus corpus regebat) cæteri verò pro guerra literis absentiam suam excusarunt.

Lectum est primo in Concilio Decretum Innocentii Papæ, quo jam à Calendis Martii partem solicitudinis suæ idem Apostolicus Domino Episcopo Vvintoniensi jura Legationis in Anglia habenti injunxerat. Exceptum id summo favore, quod diuturnitate temporis temperantiam suam ostendens Episcopus non prærupta Legatum promulgasset jactantia. Processit deinceps in Concilio sermo ejusdem Latialiter ad literatos habitus, de indignatione captionis Episcoporum, quorum Salesberiensis in camera Curiæ, Lindecolniensis in diversorio suo intercepti essent, Helyensis exemplum simile veritus, veloci profugio ad Divisas se calamitati exemisset. Scelus miserabile, Regem ab incentoribus ita fuisse seductum, ut hominibus suis, præsertim Episcopis, in Curiæ suæ pace manus injici jussisset. Adjecta esset Regio dedecori cœlestis injuria, ut sub obtentu culpæ Pontificum, Ecclesiæ possessionibus spoliarentur: sibi Regis contra legem Dei excessum tanto dolori esse, ut mallet se multo dispendio & corporis, & rerum suarum affici, quàm Episcopalem celsitudinem tanta indignitate ejici. Quin etiam Regem de emendatione peccati multotiens admonitum, postremo tunc Concilii vocationem non abnuisse. Proinde Archiepiscopus, & cæteri consulerent in medium, quid opus esset facto: se ad executionem Concilii, nec pro Regis amicitia, qui sibi frater erat, nec pro damno possessionum, nec etiam pro capitis periculo defuturum.

Cum hæc ille sensim per amplificationem exponit, Rex causæ suæ non diffisus Comites in Concilium misit, quærens, cur vocatus esset. Responsum est à Legato ex compendio: Non debere illum, qui se fidei Christi subjectum meminisset, indignari, si à ministris Christi ad satisfactionem vocatus esset, tanti reatus conscius, quantum nostra sæcula numquam vidissent. Gentilium quippe sæculorum opus esse, Episcopos incarcerare, & possessionibus suis exuere. Consultè verò in præsentiarum Rex faceret, si vel rationem facti sui redderet, vel Canonicum judicium subiret. Ex debito etiam oportere, ut Ecclesiæ faveret, cujus sinu exceptus, non manu militum in Regnum promotus fuisset.

Pro Rege venit quidem Albericus, qui plura in sui defensionem congessit: sed ab Rogerio Episcopo redarguitur. Et cum dilata esset causa petitu Regis ad diem sequentem usque ad adventum Archiepiscopi Rothomagensis, is ubi venit, omnium suspensis animis quidnam afferret; dixit, se concedere, ut castella Episcopi habeant, si se jure habere debere per Canones probare possunt: quod quia non possunt, extremæ improbitatis esse contra Canones niti velle. Et esto, inquit, justum sit, ut habeant; certè, quia suspectum est tempus, secundum morem aliarum gentium Optimates omnes claves munitionum suarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controversia Episcoporum infirmabatur. Aut enim secundum Canonum scita injustum est, ut habeant castella; aut si hoc pro indulgentia Principali toleratur, ut tradant claves, necessitati temporis debent cedere.

An possint Episcopi habere castella.

His addidit Albericus, significatum esse Regi, quod minarentur inter se Pontifices, pararentque aliquos ex suis contra eum Romam mittere. Et hoc (ait) mandat vobis Rex, ne quisquam vestrum præsumat facere: quia si quis contra voluntatem suam, & Regni dignitatem, ab Anglia quoquam iret, difficilis ei fortassis reditus esset. Quin etiam ipse, quia se gravari videt, ultro vos ad Romam appellat.

Hæc postquam Rex partim quasi laudando, partim minando mandasset, intellectum est, quo tenderet. Quapropter ita discessum est, ut nec ipse censuram Canonum pati vellet; nec Episcopi eam consultum exercere ducerent, duplici ex causa: seu quia Principem excommunicare sine Apostolici conscientia temerarium esset: seu quoniam audirent, quidam etiam viderent, gladios circa se nudari. Non enim jam ludicra erant verba, sed de vita, & sanguine penè certabatur. Non omiserunt tamen Legatus, & Archiepiscopus, quin tenorem officii sui prosequerentur. Suppliciter enim pedibus Regis in cubiculo affusi oraverunt, ut misereretur Ecclesiæ, misereretur animæ, & famæ suæ, ne pateretur fieri dissidium inter Regnum, & Sacerdotium. Ille dignanter assurgens, quamvis à se facti eorum amoliretur invidiam, malorum tamen præventus consiliis, nullam bonarum promissionum exhibuit efficaciam. Calend. Septemb. solutum est Concilium. Hæc carptim ex Vvilielmo Malmesburiensi lib. 2. historiæ novellæ.

Rex non excommunicandus absque assensu Papæ.

Concilium Svessionense, Auctoritate Legati Sedis Apostolicæ contra Petrum Abailardum, sub Ludovico Seniore Francorum Rege celebratum ante annum Domini 1139. quo Ludovicus Rex è vivis excessit.

CUm Petrus Abailardus de sancta Trinitate docens, & scribens, non bonis usus exemplis, inter cætera diceret: Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio; ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ob hoc Svessionis, Provinciali contra eum synodo sub præsentia Romanę sedis Legati congregata, ab egregiis viris, & nominatis Magistris, Elberico Rhemense, & Leutaldo Novariense, Sabellianus hæreticus judicatus, libros, quos ediderat, propria manu ab Episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate concessa, eo quod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur. Hæc Otho Friginsensis Episcopus lib. 1. de gestis Friderici. Quamvis de hoc ipso Concilio amplius dicendum sit in sequenti classe, ad quam remittimus.

Abailardi error circa S. Trinitatem.

Concilium Senonense, contra eumdem Petrum Abailardum, celebratum in præsentia Ludovici Regis Junioris, anno Domini 1140. tempore Innocentii Papæ II.

Concilium Lateranense II. Generale X. *habetur in 3. classe.*

POst extinctum schisma Petri Leonis, & cum Arnaldus ex Italia rediit in Franciam ad suum magistrum Petrum Abailardum, quando & cœptum est agi adversus ejusmodi hæreses recens emergentes, tunc congregatum est hoc Concilium, ut vult S. Bernardus in Ep. 189. dum dicit: *Leonem evasimus, sed incidimus in draconem, &c.* Et infra: *Novum cuditur populis, & gentibus Euangelium, nova proponitur fides, fundamen-*

D. Bern. contra Abailardum

mentum aliud ponitur præter id, quod positum est, de virtutibus, & vitiis non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano S. Trinitatis non simpliciter, nec sobriè disputatur, sed cuncta nobis in perversum, cuncta, præterquam accepimus, ministrantur. Procedit Goliath procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia. Sic ille.

Sed dicamus, ait Baronius, quomodò ipso primo egressu provocaverit S. Bernardum ad disputandum in publico Episcoporum, & Abbatum Conventu. Nempe, sicut alter Goliath (ut audisti) insultans agminibus Dei viventis, ratus nimirum perfacilem sibi fore suarum hæresum promulgationem, si ejus, qui colebatur ab omnibus, doctissimus, atque sanctissimus victor existeret: nam captionibus inanis Philosophiæ eum à se vincendum, nullatenus dubitabat. Ut autem hoc præstaret, adiit Metropolitanum, nempe Archiepiscopum Senonensem, qui ejusmodi disputationem induceret o colore, quòd, si ipse vinceretur, omninò cedens palinodiam recantaret. Cùm idem Archiepiscopus pollicitus fuisset illi petitum congressum, & conventum, quem cupit, Suffraganeos ad synodum vocans Episcopos, scripsit etiam ad sanctum Bernardum, ut se ad hæreticum expugnandum pararet; de qua re sic S. Bernardus in dicta epistola ad Innocentium: *Denique scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis, quo ille in præsentia ejus, & Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ ego mutire ausus fuissem: abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia sua: tùm quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tàm certa, ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare.* Sic ille.

Nihilominus, necessitate compulsus ipse Bernardus ejusmodi certamen suscepit: & cùm advenisset dies, & copiosa Ecclesia convenisset, ubi à Dei famulo, Petri illius Abailardi in medium scripta prolata sunt, & erroris capitula designata; optionem ei dedit, aut sua esse negandi, aut errorem corrigendi, aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter, & sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, ut tempus redimeret, sedem Apostolicam appellavit.

Abailardus ad sedem Romanam appellat.

Sed cùm postea ab egregio illo Catholicæ fidei Advocato, Bernardo videlicet, monitus esset, ut vel jam, sciens in personam suam, nihil agendum, responderet, tàm liberè, quàm securè, audiendus tantùm, & ferendus omni patientia, non sententia aliqua feriendus; hoc quoque omnimodis recusavit. Nam & confessus est postea suis (ut ajunt) quod ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit sensus. Nihilominus tamen Ecclesia, quæ convenerat, dimisit hominem, mulctavit abominationem, à persona abstinens, sed dogmata prava condemnans.

Capitula Abailardo affixa.

Quod Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia.

Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.

Quod Spiritus sanctus sit anima mundi.

Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos à jugo diaboli liberaret.

Quòd non peccaverunt, qui Christum ignoranter crucifixerunt.

Ipse verò non multis post diebus, coram Fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem vitam finivit Cœnobio. Hæc Otto Frisingensis.

Scil. Cluniacensi.

Controversia.

Non tot, nec in tantis reum fuisse hunc Petrum

A Abailardum videri posset, qui de se dicebat: *Nolo sic esse Philosophus, ut recalcitrem Paulo, non sic esse Aristoteles, ut secludar à Christo.* Hic natione Brito Philosophus insignis, ob violatam Heloissam discipulam suam, ac neptem Canonici Parisiensis spado factus fuerat; & dum novitate terminorum gaudet, & altiora se scrutari tentat, in plures incidit errores, non tot tamen, quot illi affingebantur, ad quos damnandos plura habita sunt Concilia. Probatum tamen magis est ab iis resipuisse, ac cum Divo Bernardo in pacem rediisse, sancita inter eos per mutuos amplexus amicitia, ac tractatum inter ipsos, ut postmodum, si quæ Catholicas aures offendentia in scriptis ejus reperirentur, obducta spongia abraderentur, reliquum vitæ tempus in Cluniaco exegisse, ac post mortem ejus tumulo hoc

B Epitaphium insertum.

Est satis in titulo, Petrus hìc jacet Abailardus:
Cui soli patuit scibile quicquid erat.

Ejus famam tuitus Petrus Berengarius Scholasticus Pictaviensis unus ex ejus discipulis in Apologetico, ubi ita describitur, quod gestum est in hoc Concilio Senonensi. *In via Christi ambulans, inquit, in occulto prodiens, tunica inconsutili spoliatus est.* Post prandium allatus est Liber, & cuidam juveni præceptum est, ut voce clamosa Petri opuscula personaret. At ille juvenis Petri odio animatus, sonorius, quàm postulatus fuerat, exclamavit. Post aliqua æmulos de turba insultare, pedem pedi applaudere, ridere, nugari conspiceres. Dissipabantur cordibus suis, stridebant dentibus in Petrum oculos talpæ habentes. Philosophum hunc, inquiunt, sineremus vivere? & paulo post in somni lethargiam oculi omnium solvebantur. Inter hæc sonat lector, stertit auditor: alius cubito innititur, ut ex oculis suis somnum, alius super molle cervical dormitionē palpebris suis molitur, alius super genua caput inclinans dormitat. Cum itaque lector in Petri satis aliquod reperiret spinetum, surdis exclamabat auribus, *damnatis?* Tùm quidam de vulgo ad extremam syllabam expergefacti, somnolenta voce, capite pendulo: *damnamus*, ajebant: alii verò damnantium in tumultu excitati decapitata prima syllaba, *namus*, inquiunt. Inter hæc Petrus orabat, *Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.*

De Abæl. suspe. fictio.

C

App. ad P.

Inter tot, & tantas angustias Abailardus ad Romani examinis confugit asylum: *Filius sum, inquit, Romanæ Ecclesiæ: volo, causa mea, quasi impii, judicetur, Cæsarem Ecclesiæ appello.* Sed non obstante appellatione, relata sunt, quæ gesta fuerant Apostolico, & statim à Romana sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur taliter os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis: Damnatur, proh dolor! absens, inauditus, & inconvictus. Cujus, inquam, Jesu bone, culpa, tàm cœcos habuit judices, ut non utrinque causæ latera ventilarent? Sed corrigere, inquiunt, Petrum volebant. Cur ergo ei coram populo alienæ blasphemiæ characterem impingebant? rursusque, si Petro amorem populi tollebant, quomodo corrigere disponebant? præclarè dictum est à Propheta, *corripietur justus in misericordia.* Parce, inclyte bellator, non impugnat fidem Petri, qui affirmat fidem Petri. Patere tecum esse Christianum, & Catholicum.

D

E

Addit idem Berengarius, se vidisse indiculum ab inimicis ejus compactum, in quo non Abailardi dogmata, ut illi falso jactitabant, sed nefandi commenti capitula loquebantur, quorum quędam prorsus negat, quędam etiam diluenda putat, quamvis agnoscat. Sed, & si sauciatus esset, eum par erat jumento imponere, vinum, & oleum ejus vulneribus infundere, & ad stabularium universalis Ecclesię reducere, Summum puta Pontificem, quem qui Christi vicarium, Petri successorem, Episcoporum primatem agnoscit, & ad ejus nutum se componere paratus sit, reprobus dici non potest. Hæc ille veneratione nimia in præceptorem, ait Amboesius in pręfatione Apologetica operibus Abai-

Abailardi præfixa. Favetque dicta de S. Bernardo ab Ottone Frisingensi l. 1. de gestis Friderici c. 47. erat autem Bernardus Claræuallensis Abbas: tàm ex Christianę religionis fervore zelotypus, quàm ex habituali mansuetudine, quodammodò credulus, ut & magistros, qui humanis rationibus, & seculari sapientia nimium inhęrebant, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ fidei absonum, de talibus diceretur, facilè aurem prębere. Ex quo factum est, ut non multo ante hos dies, ipso auctore, primò ab Episcopis Galliæ, post à Romano Pontifice Petro Abailardo silentium impositum fuerit. Vide plura in sequenti Classe.

Concilium Londoniense contra clericorum hostes celebratum anno Domini 1142. tempore Innocentii Papæ II.

DE hoc Concilio Mattheus Paris in Stephano. Anno Domini 1142. Vvillielmus Vvintoniensis Episcopus, & sedis Apostolicæ Legatus in media quadragesima Londoniam Concilium Rege præsente, & Episcopis celebravit. Nullus enim honor, vel reverentia ferebatur Dei Ecclesiæ, vel ejus ordinatis à prędonibus sceleratis, sed æquè clerici, ac laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur.

Sancitum est ergo ibi, & generaliter constitutum, ne aliquis, qui Ecclesiam, cęmeteriumque violaverit, vel in clerico, aut in religioso manus injecerit violentas, ab alio, quàm ipso Papa possit absolvi.

Statutum est etiam, ut aratra in campis cum ipsis agricolis talem pacem habeant in agris, qualem haberent in cęmeterio, si extitissent.

Excommunicaverunt autem omnes, qui contra decretum hoc venirent candelis accensis, & sic milvorum rapacitas aliquandiu conquievit.

Hoc porro Concilium ab aliis Vvintoniæ celebratum asseritur apud Binium: sed Matthæo consentit Guilielmus Neubrigensis libro primo Anglicarum rerum cap. 10.

Concil. Antiochenum contra Radulphum Patriarcham Antioch. sub præsidio Alberici Ostiensis Archiepisc. & Apostolicæ Sedis Legati, celebratum an. Dom. 1142. temp. Innocentii papæ II.

CUm Arnulphus Romam profectus obtineret tandem, ut Petrus Archiepiscopus Lugdunensis, natione Burgundus, in Syriam dirigeretur, & iste Dominum Patriarcham, & universos Regni Pontifices ad synodum convocasset apud Antiochiam, pridie Calendas Decembris illuc cum omni celeritate contendit. Die ergo pręfixa, residentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ex more in Ecclesia Principis Apostolorum, & Pontificalibus induti, pręsidente Domino Legato, & vices Domini Papæ obtinente, prodierunt in publicum accusatores, Arnulphus, & Lambertus, contra Patriarcham, paratos se esse dicentes ad accusandum procedere, & subjicere se, si deficerent, ad pœnam talionis. Erant autem capitula, super quibus proposuerant eum impetere, schedulis inscripta. Quędam de enormi, & indisciplinato, & contra Regulas sanctorum Patrum, ejus in Patriarchatum introitu. Quædam de ejus incontinentia, & operibus Simoniacis. Vocatus igitur, & citatus Patriarcha, ut ad synodum veniret, & ad objecta responderet, omninò venire recusavit. Qui vel conscientiam veritus, aut contra se synodum invidiosè collectam sciens, & Principis violentiam timens, omninò venire negavit. Erat autem in palatio suo cum suis familiaribus, multo stipatus equitum, & popularium comitatu. Videns ergo Legatus, quòd ad se venire nolebat Patriarcha, de Domini Principis confisus patrocinio, & viribus, in Palatium ascendit, ibique data in eum depositionis sententia annulum, & crucem compulit violenter resignare: inde jubente Legato, Principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tanquam vir sanguinum, ignominiosè tractatus, apud Monasterium S. Simeonis juxta mare in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Tandem elapsus, Romam profectus est. Ibi aliquatenus, gratiam Sedis Apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interiit. Sic Tyrius. Vide Binium hìc.

Concil. Jerosolymitanum sub ejusdem Legati Apostolici præsidio contra Armeniorum in Fide errores celebratum sub Innocentio papa II. circa annum Domini 1143.

LEgatus prædictus, deposito Patriarcha, & Jerosolymam reversus, habito priùs consilio cum Prælatis Ecclesiarum, tertia die post sanctum Pascha, unà cum Domino Patriarcha, & Episcoporum nonnullis, templum Domini solemniter dedicavit. Qua celebritate completa, convocatis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, unà cum Domino Patriarcha Concilium celebravit in primitiva, & Ecclesiarum matre sancta Sion, tractans cum eis ibi de iis, quæ instanti tempori videbantur convenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorum Pontifex, imò omnium Episcoporum Cappadocię, Mediæ, & Persidis, & utriusque Armeniæ Princeps, & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de articulis fidei, in quibus à nobis dissentire videtur populus ejus, habitus est tractatus, & ex parte ejus promissa est in multis correctio. Quibus ritè peractis, prędictus Legatus ad Acconensem rediens civitatem, inde parato navigio, Romam reversus est. Tyrius.

Concil. Londinense contra sacrilegos rerum, & personarum Ecclesiasticarum violatores celebratum anno Domini 1143. sub Cęlestino papa II.

DE hoc Concilio Rogerius in Annalibus his verbis.

Anno gratiæ 1143. qui erat annus octavus Regni Regis Stephani, Rex Stephanus interfuit Concilio Londonię in media Quadragesima. Quod quia nullus honor, vel clericis, vel Ecclesiæ Dei, à raptoribus deferebatur, & æquè capiebantur, & redimebantur Clerici, ut laici; tenuit idem Vvintoniensis Episcopus Urbis Romanæ Legatus Concilium apud Londoniam Clericis pro tempore necessarium, in quo sancitum est, ne qui alicui Clerico violentas manus injecerit, ab alio possit absolvi, quàm ab ipso Papa, & in præsentia ipsius. Unde Clericis aliquantum serenitatis illuxit.

Concilium Vezelinum, sive Vizeliacum, in Burgundia contra Turcas celebratum, anno Dom. 1145. tempore Eugenii papæ II.

PLatina, & Joanne Mairio auctoribus, refert Genebrardus in Chronico, hanc synodum pro expeditione contra Turcas congregatam esse in Burgundia, præside Eugenio Papa, & pręsente Ludovico Rege cum Eleonora Regina, aliisque Regni principibus, qui post habitam Orationem à D. Bernardo, Crucem accipiunt, sacram militiam professi. *Vide plura de hoc Concilio classe V.*

Con-

Concilium Carnotense pro expeditione in Terram sanctam suscipienda, indictum anno 1146. *sub Eugenio Papa III.*

DE tempore indicti Concilii, & rebus in eo gestis, ex diversis epistolis S. Bernardi Baronius Tom. 12. Annalium anno Domini 1146. hæc scribit:

Interea autem in Galliis fervet opus parandæ expeditionis in Terram sanctam: cujus causa promovendæ statuitur certa dies, certusque locus Concilii celebrandi. Dies indicitur 3. Dominica post Pascha, & locus deputatur, Carnotum civitas. Ad quam convenerunt undique ex Galliis Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates: astitit & Rex unà cum Principibus Regni. Quid actum ibi 3. illud in primis plane mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes: dum videlicet ibi totius belli Dux S. Bernardus omnium consensu deligitur, qui principem agat, cui milites omnes, & Principes ipsi subjicerentur. Vide Baronium.

Concil. Parisiense contra Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episc. congregatum anno Dom. 1147. *tempore Eugenii Papæ II.*

CAusam, & Acta Concilii, personam, mores, & dogmata Porretani describens Otto Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici I. cap. 50. & nonnullis sequentibus ista refert, quæ sequuntur.

Errores Gilberti Porretani. Gilbertus itaque primo Autisiodorum, post Parisios vocatus est. Erant inter cætera, quæ illi objiciebantur, de divina majestate quatuor Capitula.

Quod videlicet assereret, divinam essentiam non esse Deum.

Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ.

Quod Theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione.

Quod divina natura non esset incarnata. Et præter hæc, alia minora.

Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret, præter Christum.

Quod Ecclesiæ Sacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari, nisi salvandum. Et cetera in hunc modum.

Itaque præsidente cum Cardinalibus, Episcopis, aliisque viris venerabilibus, & eruditis in jam dicta civitate Parisiis, Summo Pontifice Eugenio, prædictus Episcopus Gilbertus Consistorio præsentatur, de his Capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo Magistri, Adam de Parvo ponte, vir subtilis, & Parisiensis Eccl. Canonicus recenter factus, & Hugo de Campo florido, Cancellarius Regis; asserentibus eis, & quasi sub Sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio ejus ore audisse; non sine multorum, qui aderant, admiratione, viros magnos, & in ratione disserendi exercitatos, pro argumento juramentum afferre.

Ibidem dum hinc inde multa sibi objicerentur, inter cætera dixisse traditur: *Audacter confiteor, Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc, & hoc.* Cujus dicti obscuritatem, tamquam verborum profanam novitatem, tàm impatienter Magister Jochelinus Suessionensium Episcopus excepit, ut juxta Proverbium, medium vitando, incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam August. legerat, vel fortassis lectam non intellexerat, qua de eodem altissimo loqui gestiens secretò, inter cetera dicit; *Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur: Patrem autem ad Filium, & Dominus ad servientem creaturam*: Ait ergo prædictus Episcopus. *Quid est, quod dicis, esse Deum nihil est?* Erat quippe quorundam in Logica sententia, cum quis diceret, Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus Episcopus sectans, talem dicti usum haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium penè auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hæc sedato clamore, cum à circumstantibus rogaretur Episcopus Gilbertus, ut quare in Theologia personas in tantum distingueret, aperire vellet, breviter respondit: *Quia omnis persona est per se una.* Et ita, non sine magno multorum, qui aderant, stupore, conventus ea die solvitur.

Alia rursus die in causam ductus, pulsatusque de novitate dictionis, eo quod in prosa de Sancta Trinitate tres personas tria singularia vocaverit: N. Rotomagensis Archiepiscopus causam aggravavit, dicens: Deum potiùs debere dici unum singulare, quàm tria singularia: non tamen sine multorum scandalo, cùm Hilarius in libro de synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere, profanum est, ita singularem, & solitarium dicere, sacrilegium est.* Et idem in eodem: *Nihil solitarium ex divinis Sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferamus.*

Episcopus verò Pictaviensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem sensum testabatur, affirmans, per singularia, non Theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundum quod antonomasticè Paulum solemus vocare Apostolum; vel gloriosam Dei Genitricem, Virginem singularem: eo quod nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet sit mater, & virgo. Ea rationis proportione trium personarum excellentiam se considerasse, cùm tria singularia diceret, afferebat, cùm nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit Pater, & Deus, atque in eundem modum talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Dum ita per aliquot dies jam sæpè dictus Episcopus coram Summo Pontifice de fide sua in civitate Parisiis discuteretur: sentiens Papa, utpotè vir cautus, & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad Universale Concilium adjudicavit. Erat enim in proxima medianæ Quadragesimæ Dominica, apud illius Galliæ metropolim Rhemis Generale indictum Concilium.

Concilium Rhemense contra Eon hæreticum, qui dicebat se esse Filium Dei, per quem omnis Oratio concluditur, cùm dicitur: Per eum, qui venturus est. Item contra assertiones Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi, celebratum anno Domini 1148. *tempore Eugenii Papæ III.*

UT à Gilberto Porretano incipiamus.

Divus Bernardus serm. 80. in cantica aliquos errores Porretani confutat. Recedant à nobis, charissimi, recedant novelli non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus est, sed & sapientiam, qua sapiens, & justitiam, qua justus, postremò & divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissimè disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est: sed divinitas non est Deus. Forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est, ut faciat Deum. Sed si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse, sed ne nihilum quidem, ut opinor dabis.... quod si aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quo modo minor, qua Deus est? restat, ut aut majorem fateris, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque Catholicus refugit sensus, &c. sic argutè, & subtiliter D. Bernardus. *D. Bern.*

Ibidem testatur in Cōcilio Rhemensi tàm Papæ Eugenio, quàm cæteris Episcopis perversam visam fuisse, & omnino suspectam expositionem ipsius super verba Boe-

Boethii de trinitate, quæ ita commentabatur: Pater est veritas, ideſt verus. Filius eſt veritas, ideſt verus, Spiritus eſt veritas, ideſt verus, & hi tres ſimul non tres veritates, ſed una veritas, ideſt unus verus. O obſcuram, perverſamque explanationem! quam verius, ſaniuſque contrarium ita dixiſſet: Pater eſt verus, ideſt veritas. Filius eſt verus, ideſt veritas. Spiritus ſanctus eſt verus, ideſt veritas, & hi tres unus verus, ideſt una veritas. Ibidem eum, quod ad hæc verba Boethii: Cùm dicitur Deus Deus, pertinet ad ſubſtantiam. Noſter commentator, inquit, intulit, non quæ eſt, ſed qua eſt. Quod abſit, ut aſſentiat Catholica Eccleſia, eſſe videlicet ſubſtantiam, vel aliquam omnino rem, qua Deus ſit, & quæ non ſit Deus.

Sed hæc minimè jam contra ipſum loquimur, quippe qui in eodem conventu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tàm hęc, quàm cætera digna reprehenſione juventa proprio ore damnavit, ſed propter eos, qui adhuc librum illum contra Apoſtolicum utique promulgatum ibidem interdictum tranſcribere, & lectitare feruntur. Contentioſius perſiſtentes ſequi Epiſcopum, in quo ipſe non ſtetit, & erroris, quàm correctionis magiſtrum habere malentes.

Unde certè apparet Gilbertum erraſſe contra ſimplicitatem divinam, & commentarium ipſius ſuper lib. Boethii de Trinitate examinatum fuiſſe in Concilio, & ejus lectionem, ac tranſcriptionem interdictam.

Addimus alios errores ipſi imputatos, & confeſſionis fidei formulam, cui lubens ſubſcripſit, ut notam hęreſis omnem à ſe repelleret, cùm ſit obligatio illius, qui ſuſpectus eſt de hæreſi, ſeu de vehementi, ſeu de levi ſuſpicione, ut ſeipſum purget per profeſſionem contrarii dogmatis, maxime ſi ab illo per ſuperiores exigatur. Ut cùm injungitur ſubſcriptio alicujus formæ fidei, ſicut his diebus factum ad finiendam litem ortam ex libro Concilii Janſ. cui nomen *Auguſtinus*.

Aſſertiones Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi.

QUod divina natura, quæ Divinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma, qua Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma, qua eſt homo.

Quod cùm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus unum eſſe dicuntur, non niſi una Divinitate eſſe intelliguntur, nec converti poſſit, ut unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſſe dicatur.

Quod tres perſonæ tribus unitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietatibus tribus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres æternæ, & ab invicem à divina ſubſtantia in numero differentes.

Fidei ſymbolum contra præcedentes errores Gilberti. Anno Domini 1148. Symbolum iſtud ſub Eugenio III. Papa in Rhemenſi Concilio firmatum eſt à Patribus Provinciarum.

CRedimus, & confitemur, ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Divinitas ſit Deus, & Deus Divinitas. Sicubi verò dicitur, Domini ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, Divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe: non niſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi ea unitate unum, quæ eſt ipſe: non niſi ea Divinitate Deum, quæ eſt ipſe, id eſt ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, unum Deum.

Cùm de tribus perſonis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur. Et è converſo, cùm de uno Deo, una divina ſubſtantia loquimur, ipſum unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur.

Credimus, & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe: nec aliquas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.

Credimus, & confitemur, ipſam Divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio. Sic Symbolum,

Ita demum Apoſtolico judicio, & auctoritate univerſalis Eccleſiæ error ille damnatur. Interrogatus Epiſcopus Gilbertus, an eidem damnationi conſentiat, conſentiens, & publicè refutans, quæ prius ſcripſerat, & affirmaverat, indulgentiam ipſe conſequitur, maximè quod ab initio cautus fuiſſet ea lege eamdem ingredi diſceptationem, ut promitteret ſine ulla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem. Ex quibus planè illud inducitur, eundem Gilbertum, licèt hæretica ſenſerit, hæreticum non fuiſſe, cum pertinacia, quæ facit quemquam hæreticum, omnino caruerit, & hac de cauſa non fuerit pœna mulctatus privatione Epiſcopatus, quo privandus omnino fuiſſet ex præſcripto ſacrarum Legum, ſi convictus fuiſſet hæreticus, imò & hæreſiarcha.

In hoc eodem Concilio damnatus eſt etiam quidam Eon hæreticus, de quo hæc refert Guillielmus Neubrigenſis, *lib.* 1. *Rerum Anglicarum cap.* 15. Crica idem tempus Eugenius Papa Romanus ad ſedis Apoſtolicæ regimen ex vitæ regularis diſtrictione aſſumptus Eccleſiaſticæ ſtudio diſciplinæ in Gallias veniens, generale Concilium inſtituit Rhemis. In quo dum ſederet cum omni frequentia Epiſcoporum, atque nobilium, oblatus eſt ei quidam vir peſtifer, qui ſpiritu plenus diabolico præſtigiali aſtutia jam multos ſeduxerat: ut fretus ſequentium numero per diverſa loca formidabilis aberraret, Eccleſiis maximè, Monaſteriiſque infeſtos. Diu itaque, multumque debacchatus: tandem à Rhemenſi Archiepiſcopo captus eſt, ſapientia vincente malitiam: & ſancto conſilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de ſtella, homo illiteratus, & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut quum ſermone Gallico (Eon) diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet, quod in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, ſcilicet per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Ita planè fatuus, ut inter Eon, & eum neſciret diſtinguere, ſed ſupra modum ſtupenda cęcitate crederet ſe eſſe dominatorem, & judicem vivorum, & mortuorum. Eratque per diabolicas præſtigias tàm potens ad capiendas ſimplicium animas, ut tanquam ex muſcis aranearum opere irretitis, ſeductam ſibi multitudinem aggregaret: quę tota illum tanquam Dominum Dominorum individue ſequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diverſas Provincias ferebatur: interdum verò morabatur cum ſuis omnibus in locis deſertis, & inviis, moxque inſtigante diabolo erumpebat improviſus: Eccleſiarum maximè, ac Monaſteriorum infeſtator. Accedebant ad eum plerumque noti ejus, & propinqui: erat enim non minimi generis, ſive ut eum familiari auſu corriperent, ſive ut quomodo ſe circa eum res haberet, cautius explorarent. Videbatur autem eſſe circa eum ingens gloria, apparatus, faſtuſque Regius, & qui cum eo erant ſollicitudinis, laboriſque expertes: pretioſè indui, ſplendidè epulari, & in ſumma lætitia agere videbantur, in tantum, ut plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conſpecta ejus non vera, ſed fantaſtica gloria, corrumperentur. Fiebant enim, ſed fantaſticè per dæmones: à quibus ſcilicet miſera illa multitudo, non veris, & ſolidis, ſed aeriis potius cibis in locis deſertis alebatur. Nam ſicut poſtmodum per quoſ-

Eon ſorciarius.

quosdam audivimus, qui in ejus fuerant comitatu, eoque sublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu ejus erant, quotiescunque volebat panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores. Verum quod iidem cibi non solidi, sed aerii fuerint, subministrantibus invisibiliter spiritibus aeris hujus, ad capiendas magis, quàm pascendas animas, hinc elucet: quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox sequebatur esuries, ut eosdem cibos illico repetere cogerentur. Quicunque forte ad eos accedens ex cibis eorum vel modicum gustasset, ex participatione mensæ dæmoniorum mente mutata spurcissimæ multitudini continuo adhærebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat. Denique fertur, quemdam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, & simpliciter monuisse, ut abjurata nefanda secta illa per communionem Christianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem astutè suspendens, ostendit illi in multiplici facie fantasticorum opum amplitudinem, ut blandiente visarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquis, noster es, sume de nostro, quod, & quantum vis. Verum homo prudens cum verba correptionis in ventum fudisset, exivit, ut abiret. Armiger verò ejus conspectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupivit. Quo petito, & accepto Dominum suum jam abeuntem cum lætitia sequebatur: cui ille, Abjice cito, quod portas, non enim est avis, ut videtur, sed dæmon sic transformatus: cujus verbi veritas post modicum claruit. Cùm enim insipiens nollet audire monentem: primo conquestus, quod accipiter ille unguibus sibi pugnum fortius stringeret; mox ab eodem per manum in nubem sublevatus deinceps non comparuit: sanè cùm pestifer ille ita debaccharetur (ut dictum est) sæpius à Principibus ad vestigandum, & persequendum eum exercitus frustra mittebantur; quæsitus enim non inveniebatur, tandem verò fraudatus ope dæmonum cùm non amplius per illum debacchari sinerentur (non enim nisi à superioribus potestatibus justo Dei judicio relaxantur) levi negotio à Rhemensi Archiepiscopo comprehensus est: & populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porro discipuli, qui ei arctius adhærebant, ejusque cooperatores extiterant, cum ipso capti sunt. Cùm ergo staret in conspectu Concilii interrogatus à summo Pontifice, quisnam esset, respondit. *Ego sum ille, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* Habebat autem in manu sua baculum insusitatæ formæ, in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus, quid sibi vellet baculus ille, res, inquit, grandis mysterii est. Quandiu enim, sicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi summittam usque ad terram, & inferiorem ejus partem, quæ simplex est, erigam, ut cœlum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit universa Synodus hominem, tàm profundè datum in reprobum sensum. Jussus autem ex decreto Concilii, ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo supervixit. Discipuli verò ejus, quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans sapientiam, alium scientiam, alium judicium, & in hunc modum cæteros, cùm sanam doctrinam nulla ratione reciperent, potius obstinatissimè de falsis gloriarentur vocabulis; in tantum, ut ille, qui judicium dicebatur, suis detentoribus ultricem infelici fiducia comminaretur sententiam; Curiæ prius, & postea ignibus traditi, ardere potius, quàm ad vitam corrigi maluerunt. Audivi à quodam venerabili viro, qui interfuit, dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui judicium dicebatur, cùm ad supplicium duceretur; crebrius dicentem, terra findere; tanquam ad oris ejus Imperium terra aperienda esset, & devoratura, sicut Dathan, & Abiron, hostes ejus. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.

Epulæ aereæ.

Responsi Eon in Synodo.

Discipuli Eon.

Præterea in hac eadem synodo statuti fuerunt plures Canones spectantes ad disciplinam Ecclesiasticam, sed quia sunt iidem, qui & in aliis synodis, ideo hìc non repetuntur.

Concilium Trevirense, in causa S. Hildegardis Abbatissæ in monte S. Ruperti celebratum anno Domini 1148. tempore Eugenii Papæ III.

TRithemius in Chronico Hirsaugiensi anno Domini 1150.

His temporibus (ait) Eugenius Papa III. Treverim venit cum octodecim Cardinalibus, Episcopis, & Abbatibus multis, invitatus ab Adelberone ejusdem civtatis Archiepiscopo, qui Papæ cum cæteris, qui aderant, omnibus, per tres menses in cibo, ac potu ex propriis sumptibus copiosissimè providit. Ibi Papa Eugenius Ecclesiam Monasterii S. Matthiæ Apostoli de novo reparatam, pridiè Calendas Febr. dedicavit. Synodum quoque tàm Episcoporum, quàm Cardinalium, & Abbatum, ibidem celebravit. Ubi Henricus Archiepiscopus Moguntinus, & sanctus Abbas Clarevallensis Bernardus, cum ipsi Summo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde, montis sancti Ruperti Confessoris Abbatissa retulissent; facta diligenti inquisitione, ipse Summus Pontifex devotam Christi Virginem literis Salvatoris visitavit, in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi, & scribendi quæcumque per Spiritum sanctum cognovisset, gratiosè concessit, eamque, ut sine timore revelata sibi conscriberet, animavit. Extat epistola Papæ ad virginem apud Binium.

Concilium Baugenciacense in Gallia ob causam divortii inter Ludovicum Francorum Regem, & Eleonoram filiam Ducis Aquitaniæ, anno Domini 1151. sub Eugenio Papa III.

DE hoc Episcoporum Conventu Sugerius Abbas S. Dionysii, qui interfuit, habet ista.

Interea aliqui venerunt ad Regem, de cognatione sua progeniti, qui ortum, & derivationem parentelæ suæ noverant, & dixerunt (sicut & verum erat) quod inter se, & Eleonoram uxorem suâ erat consanguinitatis affinitas talis, quod inter eos de jure lex matrimonialis non poterat convenire. Quibus Rex respondit: Quod contra Deum, & contra Legem Ecclesiæ eam nolebat habere, volens per omnia statuta Ecclesiæ, & legem matrimonii inviolabiliter observare. Et ut istius rei veritas posset sagacius indagari, die Martis ante festum Paschatis Floridi in castro Baugenciaci, Hugonem Archiepiscopum Rothomagesem ..... & quartum Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis Coepiscopis, & Baronibus Franciæ fecit solemniter convenire. Apud quos sufficienter probato consanguinitatis gradu inter ipsum Regem, & Eleonoram, per consensum partium matrimonium fuit dissolutum.

Conciliab. Papiense à Friderico Imperat. adeoque illegitima auctoritate indictum, meritoque ab Alexandro declinatum, & reprobatum, quo Victori III. Antipapæ schismatico contra Alexandrum III. legitimè, & Canonicè electum, pontificatus Romanæ Ecclesiæ adjudicatur, anno Domini 1160. initio Pontificatus Alexandri Papæ.

A Quo, quave auctoritate hoc Conciliabulum fuerit congregatum, Radevicus de Gestis Friderici Imperatoris I. lib. 2. cap. 64. & 65. recenset. Vide Baronium anno Domini 1160. num. 12. & seqq. & Binium hic,

Con-

Concil. Anglicanum Episcoporum Normaniæ apud Novum Mercatum celebratum de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris Antipapæ, anno Dom. 1161. temp. Alexandri Papæ III.

ROBERTUS de Monte in Appendice ad Sigebertum inquit: *Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum Mercatum, & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Beluaci, & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris, & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.* Hæc ille.

Concilium Beluacense eadem de causa, eodemque tempore in Gallia celebratum, ut patet ex verbis Continuatoris supra citati.

Conciliab. Laudense, quo in præsentia Friderici I. intrusus Antipapa Octavianus, Victor III. dictus recipitur, anno Domini 1161. sub Alexandro III.

DE hujus Conciliab. Actis Otto Morena in Laudensi à se scripto Chronico, fautor schismatici Papæ ista habet.

Sequenti verò die, in quo fuit tunc festum SS. Gervasii, & Protasii, per Dom. Papam inceptum est sacrum Concilium; quod Papiæ primò, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat: postremò tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratũ. In quo Dominus Imperator cum suis Principibus, & Rex Bohemiæ, & Dominus Pellegrinus Aquilejensis Patriarcha, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorumque clericorum, qui venerant ad synodum, seu Concilium, unanimiter confirmavere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ jam facta fuerat de ipso Domino Papa Victore.

Concil. Londinense, quo Thomas Theobaldo defuncto, electus est Cantuariensis Archiepiscopus, anno Domini 1162. sub Alexandro III.

DE hac Synodo Baronius ex Actis Vitæ S. Thomæ ab Eduardo conscriptis, & apud Surium Tom. 6. die 29. Decemb. extantibus, ista.

Eodem anno (scilicet 1162.) Londini in Anglia Generale Concilium celebratur, convenientibus omnibus Episcopis ad subrogandum Metropolitanum Angliæ totius Antistitem Cantuariensem Archiepiscopum, defuncto Feria secunda Paschæ Theobaldo Archiepiscopo, cum sedisset annis viginti duobus. Convenit simul & Rex ad hoc ipsum, communibusque omnium votis electus est Thomas ex Cancellario. Hęc Baronius.

Concilium Turonense, quo Victor Antipapa, ejusque fautores schismatici, judicio 18. Cardinalium, & 124. Episcop. excommunicati fuerunt, anno Dom. 1163. præside Alexandro III.

DE hac synodo Sigeberti Continuator, sic ait: *In Octavis Pentecostes Alexander Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicavit Octavianum cum aliis schismaticis, & complicibus suis.* Hujus Concilii Canones plures refert Guilielmus Neubrigensis lib. 1. Anglicanarum rerum c. 15. inter quos est prohibitio usuræ solis clericis, non facta mentione laicorum, ut scilicet, qui possessionem alicujus in pignus mutuatæ pecuniæ acceperit, si sortem ex fructibus, deductis expensis, receperit, possessionem restituat absolutè debitori. Pro sepultura quoque, vel chrismatis, vel olei sancti perceptione nulla cujusquam pretii venalitas intercedat, neque sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget, &c.

A

Refert idem Neubrigensis c. 16. ejusdem libri, Thomam Cantuariensem anno 2. sui Pontificatus eidem Concilio interfuisse, ubi Pontificatum, ut dicitur, minus syncerè, minusq; canonicè, idest per operam, manumque Regiam susceptum, pungentis conscientiæ stimulos non ferens, secretò in manus Domini Papę resignavit, qui factum approbans, pastoralem illi sarcinã Ecclesiastica manu rursus illi imposuit, & in homine scrupuloso turbatæ conscientiæ læsionem sanavit.

Auctor est Joannes Cornubiensis auctor hujus sęculi in Eulogio ad Alexandrum Papam, in eodem Concilio Turonensi tùm primùm agitatum fuisse articulum quemdam doctrinæ Petri Lombardi Episc. Parisiensis, quòd scil. Christus non esset aliquis homo, & quòd in quantum homo non esset aliquid. Quæ doctrina Eutichianismum sapiebat aliquo modo. Verùm Alexandrum noluisse tunc hanc doctrinam censoria virga ferire, ne auctores illius, qui non tàm ex obstinatione, quàm forsan ex quadam ignorantia illam proposuerãt, nota infamiæ perpetuę afficerentur. Refert tamen Mattheus Paris in Henrico tertio, Alexandrum primùm viva voce Archiepiscopo Senonensi Guilielmo præcepisse, ut suffraganeis suis Parisiis ascitis hanc doctrinam abrogaret, deinde per epistolam idem adhuc præcepisse. Inde si quidem est, quòd per Apostolica scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus, quod tibi cùm præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & unà cum illis, & aliis viris religiosis, & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem ex anima, & corpore consistentem præcipias edoceri, &c.

In vita Alexandri Tertii per Ducenniũ.

B

Doctrina Magistri Sententiar.

C

Porrò hanc doctrinam non apparet tribui posse Magistro Sententiar. nam in lib. 3. dist. 10. ubi hanc quæstionem attingit, refert tantùm quosdam asserere Christum, secundum quod homo est, non esse aliquid. At id non asserit, nec laudat propterea. At omne, quod referunt auctores, tanquam ab aliis dictum, minimè ipsis tribuendum est.

Conciliabulum Clarendonense, quo sexdecim Capitula consuetudinum, ut vocabant, Anglicanarum, æquitati, & Ecclesiasticæ immunitati repugnantia, confirmata sunt anno Domini 1164. tempore Alexandri Papæ III.

D

QUA occasione hæc conventio apud Clarendonam in Anglia indicta, & quæ Capitula ab Episcopis ibidem confirmata, & juramento approbata fuerint, refert Matth. Paris in Histor. Anglic. subsequentibus verbis.

Anno Domini 1164. in præsentia Regis Henrici apud Clarendonam 8. Calendas Februarii, Præsidente Joanne de Oxonia: de mandato ipsius Regis, præsentibus etiam Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, & Proceribus Regni, facta est recognitio, sive recordatio cujusdam partis consuetudinum, & libertatum antecessorum suorum, Regis videlicet Henrici avi sui, & aliorum, quæ observari debebant in Regno, & ab omnibus teneri propter dissensiones, & discordias sæpè emergentes inter clerum, & Justitiarios Domini Regis, & Magnatum Regni. Harum verò consuetudinum recognitarum quędam pars in sexdecim Capitulis subsequentibus continetur.

E

Sequuntur Capitula consuetudinum recognitarum, sed cum censura.

DE advocatione, & præsentatione Ecclesiarum, si controversia emerserit inter laicos, vel inter clericos, & laicos, vel inter clericos, & clericos, in Curia Domini Regis tractetur, & terminetur.

Pri-

Primum hoc damnavit S.Rom. Ecclesia sub Alexandro III. Ita notata habentur in fine uniuscujusque Capituli, decreta ex Codice Vaticano in fine Quadripartitæ Historiæ sancti Thomæ.

2. Ecclesiæ de feudo Domini Regis non possunt in perpetuum dari absque assensu, & concessione ipsius. *Hoc toleravit.*

3. Clerici citati, & accusati de quacunque re, moniti à justitia Regis, venient in Curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde videbitur Curiæ Regis, quod sit ibi respondendum. Itaque quod justitia Regis mittet in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; & si clericus convictus, vel confessus fuerit, non debet de cetero eum Ecclesia tueri. *Hoc damnavit.*

4. Archiepiscopis, Episcopis, & Personis Regni non licet exire de regno absque licentia Domini Regis. Et si exire voluerint, si Domino Regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum, vel damnum Domino Regi, vel Regno. *Hoc damnavit.*

5. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantùm vadium, & plegium standi judicio Ecclesiæ, ut absolvantur. *Hoc damnavit.*

6. Laici non debent accusari per certos, & legales accusatores, & testes in præsentia Episcopi, ita quòd Archidiaconus non perdat jus suum, nec quidquam, quod inde habere debeat. Et si tales fuerint, qui culpantur, quod non velit, nec audeat aliquis accusare eos, Vicecomes requisitus ab Episcopo faciet jurare duodecim legales homines de visueto, seu de villa coram Episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. *Hoc toleravit.*

7. Nullus, qui de Rege tenet in capite, nec aliquis Dominicorum ministrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus eorum sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex, si in terra fuerit, conveniatur, vel justitia ejus, si fuerit extra Regnum, ut rectum de ipso faciat, & ita, ut quod pertineat ad Curiam Regiam, ibidem terminetur, & de eo, quod spectabat ad Ecclesiasticam Curiam, ad eumdem mittatur, ut terminetur. *Hoc damnavit.*

8. De appellationibus, si emerserint, ab Archidiacono debent procedere ad Episcopum, & ab Episcopo ad Archiepiscopum: & si Archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad Dom. Regem perveniendum est postremò, ut precepto ipsius in Curia Archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non habeat ulteriùs procedere absque assensu Regis. *Hoc damnavit.*

9. Si calumnia emerserit inter clericum, & laicum, vel è converso de ullo tenemento, quod clericus velit ad eleemosynam attrahere, laicus verò ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum per capitalis justitiæ Regis considerationem terminabitur, utrum tenementum sit pertinens ad eleemosynam, sive ad feudum laicum, coram ipsa justitia Regis. Et si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere, placitum erit in Curia Ecclesiastica; si verò ad laicum feudum, nisi ambo tenementum de eodem Episcopo, vel Barone advocaverint, erit placitum in Curia Regia. Si uterque advocaverit de feudo illo eundem Episcopum, vel Baronem, erit placitum in Curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius saisitus fuerat. *Hoc damnavit.*

10. Qui de civitate, vel castello, vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, si ab Archidiacono, vel Episcopo de aliquo dicto citatus fuerit, unde debeat eidem respondere, si ad citationes eorum satisfacere noluerit, benè licet eum sub interdicto ponere, sed non debet excommunicari, priusquam capitalis minister Regis villæ illius conveniatur, ut justitiet eum ad satisfactioné venire: & si minister Regis inde defecerit, ipse erit in misericordia Regis, & exinde poterit Episcopus ipsum accusatum Ecclesiastica justitia coercere. *Hoc damnavit.*

11. Archiepiscopi, Episcopi, & universæ personæ Regni, qui de Rege tenent in capite, & habent possessiones suas de dominio Regis, sicut Baroniam, & inde respondent justitiis, & ministris Regis, & sequuntur, & faciunt omnes consuetudines regias, & rectitudines, & sicut ceteri Barones debent interesse judiciis Curiæ Domini Regis cum Baronibus, usque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem. *Hoc toleravit.*

12. Cùm vacaverit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, vel debet esse in manu ejus, & inde percipiet omnes redditus, & exitus, sicut Dominicos. Et cùm ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in Capella ipsius debet electio fieri assensu Regis, & consilio personarum Regis, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homagium, & fidelitatem Domino Regi, sicut ligio Domino de vita, & membris, & de honore suo terreno, salvo ordine suo, priusquam sit consecratus. *Hoc damnavit.*

13. Si quisquam de Proceribus Regni disfortiaverit Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Archidiacono de se, vel de suis justitiam exhibere, Rex debet justitiare: & si fortè aliquis disfortiaverit Domino Regi rectitudinem suam, Archiepiscopi, vel Episcopi, & Archidiaconi debent eum justitiare, ut Domino Regi satisfaciat. *Hoc toleravit.*

14. Catalla eorum, qui sunt in Regis forisfacto, non detineat Ecclesia, vel cœmeterium contra justitiam Regis, quia ipsius Regis sunt, sive in Ecclesiis, sive extra fuerint inventa. *Hoc toleravit.*

15. Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in Curia Regis. *Hoc damnavit.*

16. Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cujus terra nati dignoscuntur. *Hoc toleravit.*

Conciliabulum apud Northamtonam in Anglia celebratum, quod Thomas Archiepiscopus Cantuariensis de perjurio per Regem accusatus, eo quod Anglicanas consuetudines, quas juraverat, non observaßet, condemnatus fuit, anno Domini 1164. sub Alexandro III.

De rebus in hoc Conciliabulo gestis, Acta Vitę sancti Thomæ, quæ sunt apud Baronium, sic habent.

Facta quoque coitione apud Northamtonam, Dominus noster trahitur in causam. Seorsum ita in conclavi sedentibus Domino Cantuariensi cum suis Episcopis, ex dicto Regis seris objectis, ne pateret exitus, propositum est ex parte Regis adversus Dominum Cantuariensem, quod cum Cancellarius esset, & haberet vacantes Episcopatus, Abbatias, & multos redditus per annos plurimos in manu sua, nullam super his reddiderit rationem, quam modò ipse Rex requireret exhiberi. Super his (inquit Cantuariensis) prudentiores volumus consulere, & de consulto respondere. Gilbertus Londoniensis Episcop. ait, quod considerata temporum malitia, & quanta ruina Ecclesiæ Catholicę immineat, si in his regi fiat resistentia, deberet Cantuariensis ipsi obtemperare, & cedere. Idipsum dixerunt cęteri Episcopi, qui illuc convenerant: solus Henricus Vvintoniensis Episcopus repertus est, qui diceret: Hæc forma Concilii Catholicæ Ecclesię penitus perniciosa nos omnes obligat, & confundit; quia si Archiepiscopus noster, & totius Angliæ Primas nobis id relinqueret exemplum, ut ad nutum, & comminationem Principis, auctoritati, & curæ animarum sibi commissæ quisque Episcopus debeat cedere; quis erit de cætero status Ecclesiæ, nisi ut nulla agantur

de

de Jure, omnia confundantur pro libitu, & sic erit Sacerdos, sicut & populus. Sic ille.

Denique post multas concertationes, dum S. Thomas audiret in Missa Christum in Euangelio dicentem, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, tamquam sibi ipsi annuntiata, ab eodem quàm citius sunt adimpleta, cùm, Deo juvante, in Belgium transfretavit, & apud Monasterium sancti Bertini permansit. Alexander autem Papa ista audiens, primum omnium non teneri S. Thomam damnatione sua in Conciliabulo facta, ita declarat.

Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archiepisc.

Quod minor majorem judicare non possit, & eum præsertim, cui jure noscitur prælationis subesse, & B obedientiæ vinculo tenetur astrictus, tàm divinæ, quàm humanæ Leges demonstrant, & præcipuè sanctorum Patrum statutis id manifestius declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, & ea, quæ incorrecta perniciosum posteris exemplum relinquerent, emendare, solicita consideratione pensantes, & quod ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam, vel incommodum sustinere: sententiam ab Episcopis, & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non fecisti, adversum te præsumptuosè prolatam, in qua tibi jam dicti Episcopi omnia mobilia tàm contra juris formam, quàm contra Ecclesiasticam consuetudinem abjudicarent, præsertim cùm nulla mobilia, præterquam de bonis Ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus, & eam Apostolica auctoritate cassamus: C statuentes, ut nullas in posterum vires obtineat, aut tibi, vel successoribus tuis, seu Ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ aliquod in posterum præjudicium valeat, vel læsionem afferre.

Hæc Alexander Papa, qui & aliis datis litteris restituenda mandavit, quæ sublata fuissent ipsi Archiepiscopo, sive aliis, occasione ipsius Thomæ.

Concilium Lateranense, quo Fridericus Imperator excommunicatur, & per sententiam Imperio privatur, an. Dom. 1168. sub Alexandro tertio.

FRidericum Imperatorem ab Alexandro Pontifice propter intrusum in Sedem Apostolicam Victorem tertium Pseudopapam, hac Synodo excommunicatum, & Imperiali dignitate privatum esse, constat ex Joannis Sarisberiensis epist. 60. ad Joannem Pictaviensem scripta his verbis. D

Fridericus ille schismaticus insignis, dum in Ecclesiam malitiosius, & crudelius sævit, factus est Exauguftus, & eò perductus est, ut jam optaverit Italiam perdidisse, quam retinere non potest. At cur Exaugustus? Id alia declarat epistola ad Cantiæ Superiorem.

Reflorescit status, auctore Domino, universali Ecclesiæ, & schismaticorum impetus frustratus est, & superbia Moab in dies infirmatur. Nec de nocte vastatus est nunc, ut ab initio, sed in meridie suffossa est ara, & muri ejus dejecti sunt funditus, ut exaltatio Moab ex necessitate Petro cedens, de cetero conquiescat. Unde spes est in Domino, ut vociferantibus tubis Sacerdotalibus, in proximo corruat Jericho, & regnum proprio sanguine acquisitum obtineat triumphator Jesus, & in pace possideat, quod sui juris est, Sponsus, & justus Ecclesiæ Christus. Cùm enim Romanus Pontifex per patientiam Teutonicum tyrannum diutius expectasset, ut vel sic provocaretur ad pœnitentiam, & schismaticus abutens patientia ejus, peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur, Vicarius Petri à Domino constitutus super gentes, & super Regna, Italos, & omnes, qui ei ex causa Imperii religione jurisjurandi tenebantur astricti, à fidelitate ejus absolvit, & Italiam fere totam à facie furen- A tis, & præsentis tanta felicitate, & celeritate excussit, ut in ea nihil habere videatur, nisi tortores, quos evitat; interdum & angustiarum, quas evitare non potest, juge supplicium.

Abstulit ei etiam Regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quietè, & in pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii Septimi decessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem Ecclesiæ privilegia convellentem deponens, in Concilio Romano simili sententia condemnavit. Et quidem illa sententia effectum sortita est, & hanc de privilegio Petri latam videtur ipse Dominus confirmasse. Hoc enim Itali audito, ab eo discedentes, reædificaverunt Mediolanum, schismaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Episcopos, & Apostolicæ Sedi unanimiter adhæserunt. Sed quid nota recenseo? Hoc ubique locorum fama, quasi præconis voce, concelebrat, nec aliquibus dubium puto, ne fortè lateat illos, qui soli tempestate hac exulant domo sua. Quia ergo ab Oriente jam radius serenitatis illuxit per Christum, & incolumitas Ecclesiæ in capite reparatur: superest spes fidei certissima, quod unguentum, à capite in Apostolicam barbam exuberans, descendat in caput, & oram Anglicanæ Ecclesiæ, &c.

Concilium Casselanum in Hibernia de reformandis istius Ecclesiæ moribus, celebratum anno Dom. 1171. sub Alexandro tertio.

ROgerius in Annalibus cum quatuor Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, qui erant in Hibernia, nomina expressisset, de rebus in hoc Concilio gestis, editisque Constitutionibus, ista subjungit:

Hi omnes (inquit Rogerius) tàm Archiepiscopi, quàm Episcopi receperunt sibi Henricum Regem Angliæ, & hæredes suos in Reges, & Dominos in perpetuum, & chartis suis confirmaverunt. Quo facto, Rex Angliæ misit Nicolaum Cappellanum, & Radulphum Archidiaconum de Landaff Clericos suos, unà cum Archiepiscopis Hiberniæ usque ad Casselensem civitatem, ad celebrandum Concilium de statutis Ecclesiæ.

In Concilio autem illo statutum est, Ut pueri deferrentur ad Ecclesiam, & ibi baptizarentur in aqua munda sub trina mersione, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: & hoc à Sacerdotibus fiat, nisi metu mortis impediente, ab alio, & aliàs opportuerit fieri: & tunc à quolibet fiat sine exceptione sexus, & ordinis. Et ut decimæ dentur Ecclesiis de omnibus, quæ possidentur. Et ut omnes laici, qui uxores habere velint, eas secundum jus Ecclesiasticum habeant.

Rex verò Angliæ misit transcriptum chartarum universorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam. Et ipse auctoritate Apostolica confirmavit illi, & hæredibus suis Regnum Hiberniæ secundum formam chartarum Archiepiscoporum, & Episcoporum Hiberniæ. Hæc de his Rogerius. *Regnum Hybern.*

E *Concilium Northmanniæ, apud Abrincam civitatem habitum, quo Henricus Rex Angliæ à sacrilega nece S. Thomæ Cantuariensis jam ante per Legatos absolutus, secundò absolvitur, & juramento promittit iterum, quæ jam ante promiserat: item Decreta quædam per Legatos Apostol. constituta, quę ad mores Ecclesiæ concernunt, promulgantur, anno 1172. sub Alexandro tertio.* *Vulgo Avranche.*

DE rebus in hac Synodo gestis, & Constitutionibus Pontificiis in eadem promulgatis, Rogerius in Annalibus ista scribit:

Henricus Rex Angliæ Pater, & Henricus Rex Filius, & Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus, & omnes Episcopi, & Abbates Northmanniæ convenerunt apud Abrincam civitatem in præsentia Theodini, & Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater quinto Calendarum Octobris, Feria quarta, festo sanctorum Cosmæ, & Damiani Martyrum, in Ecclesia sancti Andreæ Apostoli purgavit innocentiam suam coram prædictis Cardinalibus, & omni Clero, & populo, præstito Sacramento super Sanctorum Reliquias, & super sacrosancta Euangelia, quod ipse nec præcepit, nec voluit, quod Archiepiscopus Cantuariensis occideretur; & quando audivit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, habere non poterat; & quia timebat, ipsos illud profanum opus perpetrasse, causa animi motus, & turbationis, quam in eo viderant, de satisfactione tale præstitit Sacramentum. Juravit itaque in primis, quod ab Alexandro Summo Pontifice, & Catholicis successoribus ejus non recederet, quamdiu ipsum, sicut Regem Catholicum, habuerint. Juravit etiam, quod neque appellationes impediret, neque impedire permitteret, quin liberè fierent in Regno suo ad Romanum Pontificem pro Ecclesiasticis causis, ita tamen, ut si ei suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant, quod malum suum, vel Regni sui non quærant. Juravit etiam, quod ab instante Nativitatis Domini, usque in triennium Crucem accipiet, in proxima sequenti æstate in propria persona Jerosolymam iturus, nisi remanserit per Alexandrum Summum Pontificem, vel per Catholicos successores ejus. Sed si interim pro urgente necessitate in Hispaniam super Saracenos profectus fuisset, quantum temporis in illo itinere consummaret, tantumdem Jerosolymitanæ spatium profectionis posset prolongare. Præterea juravit, quod interim tantum pecuniæ dabit Templariis, quantum ad arbitrium Fratrum Templi possit sufficere ad retinendum ducentos milites, ad defensionem Terræ Jerosolymitanæ per spatium unius anni. Præterea perdonavit iram, & malevolentiam suam omnibus tàm clericis, quàm laicis, qui pro sancto Thoma erant in exilio, & concessit eis liberè, & in pace ad propria redire. Juravit etiam, quod possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in integrum restituet, sicut habuit uno anno, antequam ex Anglia egrederetur beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus. Juravit etiam, quod consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ suæ in tempore suo, penitus dimittet. Et hæc omnia juravit se fore observaturum bona fide, & sine malo ingenio. Fecit etiam Henricum Regem filium suum hæc omnia Capitula jurare tenenda, præter illa, quæ propriam ejus personam contingebant.

Satisfactio, & juramenta Regis Angliæ.

Decreta per Theodinum, & Albertum Cardinales apud Abrincas promulgata.

PUeri ad regimen illarum Ecclesiarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minimè admittantur.

Item, Filii Sacerdotum non ponantur in Ecclesiis patrum suorum.

Item, laici partem oblationum in Ecclesia non percipiant.

Item, Ecclesiæ Vicariis annuis non committantur.

Item, Sacerdotes majorum Ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se Presbyterum cogantur habere.

Item, Sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.

Item, Ecclesiæ ad Firmam annuam non tradantur.

Item, De tertia parte decimarum nihil Presbytero, qui servit Ecclesiæ, auferatur.

Item, His, qui decimas hereditario jure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo Clerico dare, eo quidem tenore, ut post eam ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur.

Vir ad religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel converso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

Item, in Adventu Domini, omnibus, qui poterunt, maximè autem Clericis, & militibus, jejunium, & abstinentia carnium indicatur.

Item, Clerici Judices non ponantur ad Jurisdictiones sæcularium potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumpserint, à Beneficiis Ecclesiasticis arceantur.

Item, de novis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt Sacerdotes, & benedictionibus sponsarum, & Baptismo, & de quadraginta, & octo libris, quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum est, quia Episcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

In eodem verò Concilio Archiepiscopus Turonensis calumniatus est, Archiepiscopatum Doli debere adjacere Archiepiscopatui suo, affirmans Sedem Archiepiscopalem ibi esse non debere. Sed Clerici de Dolo constanter contradicebant.

Concilium Londoniense, quo 18. Canonibus constitutis, judicata est causa Richardi Cantuariensis, & Rogerii Eboracensis Episcoporum, anno 1175. sub Alexandro tertio.

ROgerius Acta Concilii, Canonesque in eo constitutos describens, ista refert:

Et venientes Londonias invenerunt Richardum Cantuariensem Archiepiscopum apud Vvestmonasterium celebraturum Concilium, die Dominica ante Ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt omnes fere Episcopi, & Abbates Cantuariensis Diœcesis. Et coram prænominatis Regibus, & Episcopis, & Abbatibus Richardus Cantuariensis Archiepiscopus in eminentiori loco constitutus, hæc Decreta scripta promulgavit.

Ideò in Ecclesia Dei, secundum antiquam Patrum consuetudinem, Concilia congregantur, ut hi, qui constituti sunt in eminentiori cura Pastorali, vitam subditorum de communi consilio regularibus institutis informent, & enormitates, quæ pullulant incessanter, consultiore censura compescant. Nos itaque potius inhærentes Orthodoxorum Patrum regulis, quàm aliquid de novo statuentes, quædam certa Capitula dignum duximus in medium promulganda, quæ universis Provincialibus nostris firmiter, & inviolabiliter observanda injungimus. Omnes enim sacrorum censemus Canonum transgressores, qui statutis hujus sacrosanctæ Synodi præsumpserint contraire.

Si quis Sacerdos, vel Clericus in sacris Ordinibus constitutus, Ecclesiam, vel Ecclesiasticum Beneficium habens, publicè fornicariam habeat, & semel, secundò, & tertiò commonitus fornicariam suam non dimiserit, & à se prorsus non expulerit, sed potius in immunditia sua duxerit persistendum, omni officio, & Beneficio Ecclesiastico spolietur.

Si qui verò infra Subdiaconatum constituti matrimonia contraxerint, ab uxoribus suis, nisi de communi consensu ad Religionem transire voluerint, & ibi in Dei servitio jugiter permanere, nullatenus separentur, sed cum uxoribus viventes Ecclesiastica Beneficia nullatenus percipiant. Qui autem in Subdiaconatu, vel supra ad matrimonia convolaverint, mulieres etiam invitas, & renitentes relinquant. Decrevimus etiam ejusdem epistolæ auctoritate, ne filii Sacerdotum in paternis Ecclesiis amodo personæ instituantur, nec eas qualibet occasione media non intercedente persona obtineant.

Cle-

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, edendi, vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, nec publicis potationibus interſint, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis verò tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.

His, qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, judicium ſanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per ſe membrorum truncationes faciant, aut inferendas indicent. Quod ſi quis tale fecerit, conceſſi Ordinis privetur officio, & loco. Inhibemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos habeat Vicecomitatum, aut Præpoſiti ſæcularis officium.

Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiam inviti, tondeantur. Veſtimentis etiam, vel calceamentis, niſi quæ honeſtatem, & Religionem deceant, eos B uti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat.

Quia quidam Clerici deſperantes ab Epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra Provinciam ſuam, interdum etiam à transmarinis Epiſcopis ordinantur, vel ordinatos ſe mentiuntur, ignota ſigilla Epiſcopis ſuis deferentes: ſtatuimus talium Ordinationem irritam eſſe habendam; ſub interminatione anathematis inhibentes, ne à quoquam ad officii ſui executionem ſuſcipiantur; Epiſcopus quoque noſtræ juriſdictionis, qui talem ſciens, & prudens ordinaverit, C vel ſuſceperit, ab illius Ordinis collatione, ad quem eum ordinavit, vel ſuſcepit, uſque ad condignam ſatisfactionem ſe noverit eſſe ſuſpenſum. Item, cùm Eccleſia Dei, ſecundum Euangelicam veritatem, domus orationis eſſe debeat, & non ſpelunca latronum, & ſanguinis forum, ſæculares cauſas, in quibus de ſanguinis effuſione, vel de pœna corporali agitur, in Eccleſiis, vel in cœmeteriis agitari, ſub interminatione anathematis prohibemus. Abſurdum enim eſt, & crudele ibi ſanguinis judicium exerceri, ubi & reis conſtituta eſt tutela refugii.

Dictum eſt, ſolere in cujuſdam locis pro perceptione Chriſmatis nummos dari, ſimiliter pro Baptiſmo, & Communione: hæc Simoniacæ hæreſis acta deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizavit. Statuimus ergo, ut de cætero nec pro Ordinatione, nec pro Chriſmate, nec pro Baptiſmo, nec pro D Extrema Unctione, nec pro ſepultura, nec pro Communione, nec pro Dedicatione quidquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit, anathema ſit.

Nullus Prælatus in recipiendo Monacho, vel Canonico, vel Sanctimoniali pretium ſumere, vel exigere ab his, qui ad converſationem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat: ſi quis autem hoc fecerit, anathema ſit.

Nulli liceat Eccleſiam nomine dotalitii ad aliquem transferre, vel pro præſentatione alicujus perſonæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interveniente accipere. Quod ſi quis fecerit, & inde in jure vel E confeſſus, vel convictus fuerit, ipſum tàm Regia, quàm noſtra freti auctoritate, patrocinio ejuſdem Eccleſiæ in perpetuum privari ſtatuimus.

Secundum inſtituta Patrum noſtrorum, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur: & ne Monachi à Clericis, vel laicis firmas teneant, neque laici Eccleſiaſtica Beneficia ad firmas ſuſcipiant.

Quicumque ex Clero videntur eſſe, arma non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus ex religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tamquam ſacrorum Canonum contemptores, & Eccleſiaſticæ auctoritatis profanatores, proprii gradus amiſſione A mulctentur: quia non poſſunt ſimul Deo, & ſæculo militare.

Illud etiam de Vicariis, qui perſonis fide, & ſacramento obligati ſunt, duximus ſtatuendum; quod ſi fide, vel ſacramenti religione contempta, perſonatum ſibi falſo aſſumentes contra perſonas ſe erexerunt, & ſuper hoc in Jure vel confeſſi, vel convicti fuerint, de cætero in eodem Epiſcopatu ab Epiſcopo ad officii ſui executionem non admittantur.

Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de fructibus, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Sed quia multi modò inveniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus, ut juxta domini Papæ præcepta admoneantur ſemel, ſecundò, & tertiò, ut de grano, de vino, de fructibus arborum, de fœtibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, & caſeo, de lino, & canabe, & de reliquis, quæ annuatim renovantur, decimas integrè perſolvant. Quod ſi commoniti non emendaverint, anathemati ſe noverint ſubjacere.

Item, Calumniam, & audaciam temerè litigantium, condemnando in expenſas, & alio multiplici remedio Imperialis ſanctio compeſcat. Quoniam igitur hoc ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus, ut de cętero in cauſis pecuniariis, quæ inter Clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expenſis. Qui autem ſolvendo non fuerit, eum in arbitrio Epiſcopi ſui puniendum relinquo.

Invenimus tantùm decem Præfationes in ſacro Catalogo recipiendas: unam in Albis Paſchalibus, *Et te quidem omni tempore*. Secundam in die Aſcenſionis, *Qui poſt reſurrectionem ſuam*. Tertiam in Pentecoſte, *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos*. Quartam die Natali, *Quia per Incarnati Verbi myſterium*. Quintam de apparitione Domini, *Quia cùm Unigenitus tuus*. Sextam de Apoſtolis, *Et te, Domine, ſuppliciter exorare*. Septimam de ſancta Trinitate, *Qui cum Unigenito tuo*. Octavam de Cruce, *Qui ſalutem humani generis*. Nonam de jejunio Quadrageſimali tantummodo dicendam, *Qui corporali jejunio*. Decimam de beata Virgine, *Et te in veneratione beatæ Mariæ*. Hujus igitur decreti, & domini Papæ Alexandri auctoritate diſtrictè præcipimus, ne quis præfatis Præfationibus aliquam omnino præſumat adjicere. *Præfat. in Miſſa.*

Inhibemus, Ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui Euchariſtiam tradat. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderit, non quæ Sacramenti hujus inſtitutionem ſignaret.

Præcipimus, Ne conſecretur Euchariſtia, niſi in calice aureo, vel argenteo; &, ne ſtanneum calicem aliquis Epiſcopus amodò benedicat, interdicimus.

Nullus fidelis, cujuſque conditionis ſit, occultè nuptias faciat, ſed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino. Si quis ergo Sacerdos aliquos occultè conjunxiſſe inventus fuerit, triennio ab officio ſuſpendatur. *Clādeſtina matrimon. prohibita.*

Ubi non eſt conſenſus utriuſque, non eſt conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, nihil faciunt, niſi uterque puerorum, poſtquam venerint ad tempus diſcretionis, conſentiat. Hujus ergo Decreti authoritate inhibemus, ne de cætero aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem Legibus conſtitutam, & Canonibus determinatam non pervenit, conjungantur: niſi fortè aliquando urgente neceſſitate interveniente, pro bono pacis conjunctio talis toleretur.

In quo etiam Concilio Clerici Rogeri Eboracenſis Archiepiſcopi calumniati fuerunt jus Eboracenſis Eccleſiæ de cruce portanda in Diœceſi Cantuarienſis Eccleſiæ. Præterea calumniati ſunt ibidem ex parte Eboracenſis Archiepiſcopi Epiſcopatum Lin- *Diſſenſiones Epiſc. Angliæ.*

Lincolnienſem, & Epiſcopatum Ceſtrenſem, & Epiſcopatum Vvigornienſem, & Epiſcopatum Herefordenſem de jure pertinere debere ad Metropolitanam Eboracenſium Eccleſiam. Et ſuper hoc prædictum Cantuarienſem Archiepiſcopum appellaverunt ad Rom. Pontificis præſentiam. Prætereà appellaverunt ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum ad Romanum Pontificem ſuper injuria, & anathematis ſententia, quam intulit Clericis Eboracenſis Archiepiſcopi, qui per eum miniſtraverunt in Eccleſia S. Oſvvaldi de Glouceſtria, pro eo, quod ad illum venire nolebant ad ipſius ſummonitionem, ſicut Clerici Diœceſis ſuæ fecerunt. In ipſo autem Concilio Clerici Eccleſiæ S. Aſaf petierunt à Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut in vi obedientiæ præciperet Godefrido Epiſcopo Eccleſiæ S. Aſaf ad ſedem Eccleſiæ ſuæ redire, cui præfuit Pontificali dignitate, velut prædictus Archiepiſcopus alium Epiſcopum loco ipſius inſtitueret. Ipſe enim Godefridus Epiſcopatum ſuum deſeruit, paupertate, & Vvalenſium infeſtatione compulſus, venienſque in Angliam, à Chriſtianiſſimo Rege Henrico benignè, & honorificè ſuſceptus eſt: cui tradidit Abbatiam Abbendoniæ vacantem in cuſtodia, donec ad propriam ſedem liberum haberet regreſſum. Itaque Præfatus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ipſo Concilio, ad inſtantiam prænominatorum Clericorum, & admonitione Alexandri ſummi Pontificis, necnon & conſilio venerabilium Coepiſcoporum ſuorum, convenit jam dictum Godefridum, ut in vi obedientiæ ad ſedem propriam rediret, vel curam Paſtoralem, quæ ſibi fuerat commiſſa, in manu ipſius liberè, & abſolutè reſignaret. Ipſe Godefridus, ſperans, quod Abbatia de Abbendonia, quæ tradita fuerat ei in cuſtodia, poſſet ſibi remanere, Epiſcopatum ſuum, nullo cogente, reſignavit in manu Cantuarienſis Archiepiſcopi, liberè, & abſolutè tradens illi annulum, & baculum Paſtoralem.

Concilium Gallicanum, quo Albigenſes hæretici in Gallia vocati, convicti, & condemnati ſunt, an. Domini 1176. tempore Alexandri papæ tertii.

Acta Concilii deſcribuntur à Rogerio in Annalibus his verbis:

Eodem anno (ſcilicet 1176.) damnata eſt Arriana hæreſis, quæ ferè totam Provinciam Toloſanam fœdaverat, coram Archiepiſcopis, & aliis religioſis viris, & honeſtis ſubſcriptis.

Erant itaque in Provincia Toloſana quidam hæretici, qui ſe appellari faciebant bonos homines, qui manutenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra fidem Chriſtianam: dicentes etiam, quod non recipiebant Legem Moyſi, neque Prophetas, neque Pſalmos, neque vetus Teſtamentum, neque Doctores novi Teſtamenti, niſi ſolummodo Euangelia, & Epiſtolas Pauli, & ſeptem Canonicas Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim. Et interrogati de fide ſua, & de Baptiſmo parvulorum, ſi ſalvabantur per Baptiſmum, & de Corpore, & Sanguine Domini, ubi conſecrabatur, vel per quos, & qui ſumebant, & ſi magis, vel melius conſecrabatur per bonum, quàm per malum, & de matrimonio, ſi poterant ſalvari, ſi carnaliter jungebantur vir, & mulier. Reſponderunt, quod de fide ſua, & de Baptiſmo parvulorum dicerent, neque dicere cogebantur. De Corpore, & Sanguine Domini dicebant, quod qui dignè ſumebat, ſalvabatur; & qui indignè, acquirebat ſibi damnationem. De matrimonio autem dicebant, quod vir, & mulier jungebantur propter luxuriam, & fornicationem vitandam, ſicut dicit Paulus. Dixerunt etiam multa non interrogati, quod non debebant jurare omnino per aliquod juramentum, ſicut dicebat B. Matthæus in Euangelio, & Jacobus in Epiſtola ſua. Dixerunt etiam, quod Paulus prædicabat, quod eſſent ordinandi in Eccleſia Epiſcopi, & Presbyteri; & ſi tales non ordinabantur, quales præcipiebat, non eſſent Epiſcopi, nec Presbyteri, ſed lupi rapaces, hypocritæ, & ſeductores, amantes ſalutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra præceptum Chriſti, ferentes albas, & candidas veſtes, geſtantes in digitis aureos annulos, & gemmatos, quod non præcipit Magiſter eorum; & idcircò, quia tales Epiſcopi, & Presbyteri erant, quales fuerunt Presbyteri, qui tradiderunt Jeſum, non debebant illis obedire, quia mali erant. Auditis itaque utrimque allegationibus coram Gerardo Albienſi Epiſcopo, electis etiam, & ſtatutis Judicibus ab utraque parte, & conſentientibus, & aſſidentibus præfato Epiſcopo Gerardo Albienſi, & Rogero Caſtrenſi Abbate, & Petro Abbate Ardulenſi, & Abbate de Candilio, & Arnaldo Narbone, in præſentia bonorum virorum tàm Prælatorum, & Clericorum, quàm laicorum, videlicet Domini Petri Narbonenſis Archiepiſcopi, atque aliorum Epiſcoporum, & Abbatum, Archidiaconorum, necnon & Comitum, & virorum potentum numero viginti illius Provinciæ, & ferè totius populi Albiæ, & Lumberci. Contra quæ prædicti hæretici proponebant, & inductæ ſunt novi Teſtamenti multæ auctoritates à Domino Petro Narbonenſi Archiepiſcopo, & à Nemauſenſi Epiſcopo, & Petro Sendracenſi Abbate de Fonte frigido. Præfati enim hæretici nolebant recipere judicium, niſi per novum teſtamentum, &c.

Errores Albigenſium.

1. Cor. 7. Matth. 5. Jacob 5. 1. Tim. 3. & Tit. 1. Matth. 23.

Concilium Veneticum, quo Alexander Papa, & Fridericus Imperator reconciliantur, & Antipapa cum ſuis, quos ordinaverat, deponitur, an. Dom. 1177. tempore Alexandri papæ tertii.

Acta, & epiſtolæ quædam Alexandri Papæ, quæ in Vaticano adſervantur, & apud Baronium deſcribuntur, cauſam habiti Concilii referunt his verbis.

Poſtquam Imperator renuntiavit ſchiſma Octaviani, Guidonis Cremenſis, & Joannis de Struma, poſt promiſſam quoque obedientiam venerabili Patri D. Alexandro tamquam Catholico Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus; ipſum à ſententia excommunicationis pariter abſolverunt, & Catholicæ unitati aggregarunt. Idemque factum eſt de majoribus ipſius Principibus, qui eodem vinculo tenebantur juxta priſcum Eccleſiæ morem.

Exinde Imperator tamquam Catholicus Princeps acceſſit ad præſentiam ipſius Pontificis, qui ante fores Eccleſiæ S. Marci cum fratribus ſuis Cardinalibus reſidebat, in communi unionem pacis expectantibus: & depoſita chlamyde, proſtravit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis, tamquam Principis Apoſtolorum, pedibus, veræ pacis oſculum ipſi devotiſſimè dedit. Tunc repleti ſunt omnes gaudio magno, & præ nimia lætitia vox clamantium, *Te Deum laudamus*, inſonuit uſque ad ſidera: ſtatimque Auguſtus apprehenſa Pontificis dextera, cum Canticis, & laudibus uſque ad Chorum Eccleſiæ ipſum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipſius reverenter ſuſcepit.

Sequenti verò die, in feſto ſancti Jacobi, ab eodem Imperatore rogatus Papa, ad Eccleſiam ſancti Marci ſolemnia celebraturus Miſſarum accedit, cui advenienti præfatus Imperator extra Eccleſiam obviam venit, & dextro latere Pontificis ſuſcepto, in Eccleſiam illum introduxit, & peractis Miſſarum ſolemniis, eum uſque ad ipſius Eccleſiæ portam dextravit. Et cùm Papa aſcenderet palafredum ibi paratum, Imperator ſtapham tenuit, & honorem omnimodum, & reverentiam ei exhibuit, quam prædeceſſores ſui prædeceſſoribus exhibere conſueverunt. Deinde inter ipſos pax confirmata eſt in Eccleſia ſancti Marci, ubi Papa Synodum celebravit, & in qua juxta eum Imperator ſedit. Sic ergo deletum eſt ſchiſma, quod jam ferè octodecim annis duraverat in Eccleſia Romana.

Ulti-

Ultimo loco, advenientibus Vigiliis Assumptionis B. Virginis, quæ eo tempore in die Dominico advenerunt, Alexander Papa cum Episcopis suis, & Cardinalibus, &c. cum Imperatore, & Duce Venetiæ in Ecclesiam B. Marci conveniens; & dictis Orationibus, & Litaniis, quæ de more in Concilio sunt dicendæ, Alexander Papa candelas accensas Imperatori, & Clericis, & laicis, qui ibi aderant, dari præcepit. Et ipse excommunicationis formam hoc modo proposuit.

Nos ex parte Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ semper Virginis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, excommunicamus, & à gremio matris Ecclesiæ separamus omnes personas, tàm Ecclesiasticas, quàm sæculares, quæcumque pacem, quæ inter Ecclesiam, & Imperium modò facta est, & pacem Regis Siciliæ usque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum usque ad annos sex, aliquo modo disturbare, vel impedire præsumpserint, sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine, & claritate priventur. Cumque candelæ projectæ essent de manibus, & extinctæ, Imperator alta voce cum aliis, Fiat, Fiat, pariter acclamavit. Sicque Concilium celebratum est solutum. Hæc ex Romualdo de Concilio quàm brevissimè.

Concilium Parisiense, pro expeditione contra Turcas suscipienda, celebratum anno Domini 1148. *tempore Urbani papæ tertii.*

De rebus in hac Synodo gestis ita Robertus Gaguinus lib. 6.

Inter has Regis occupationes venere ab Jerosolymis ad Philippum Heraclius Patriarcha Jerosolymitanus, & Domus hospitalis Prior, nuntii calamitatis, quam Saladinus Ægyptius Christianis per Palæstinam intulisset, locis aliquot non sine nostrorum cæde occupatis. Cui incommodo, nisi Catholici Principes succurrant, res Jerosolymitanas in hostium potestatem brevi relapsuras. His querelis Rex motus Parisium Regni Pontifices advocat. Quibus convenientibus edocet, quis sit in Syria Christianismi status. Oportere quemque eorum per sua territoria populum admonere, ut miseræ Christianorum conditioni suppetias ferant: se quidem paratissimum esse, qui in primis auxilietur, si præsentium rerum conditio admittat: sed nihilo segnius missurum se ad id negotium viros strenuos cum valida militum manu. Oratione Regis à præsentibus laudata, parvo post tempore Rex è suis destinat, qui afflictis rebus opitulentur. Hæc ille.

Concilium Anglicanum apud Gaintington, de Cruce capienda, & Decimis Saladinis Regi solvendis, celebratum anno Domini 1188. *tempore Clementis papæ tertii.*

De rebus in hac Synodo gestis ista Rogerius.

Dominus verò Rex statim postquam in Angliam applicuit, magnum congregavit Concilium Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Baronum, & aliorum multorum tàm clericorum, quàm laicorum apud Gaintington: ubi in publica audientia recitari fecit omnia supradicta Capitula, quæ constituerat de cruce capienda. Quibus recitatis, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, & Gilbertus Roffensis Episcopus Vicarius ejus, mirificè prædicaverunt illo die coram Rege, & Principibus suis verbum Domini, & salutiferæ crucis mysterium, ad quorum prædicationem multi tàm clerici, quàm laici crucem acceperunt.

Et tunc Dominus Rex misit servientes suos clericos, & laicos per singulos Comitatus Angliæ ad decimas colligendas secundum prædictam præordinationem in terris suis transmarinis constitutam: sed de singulis urbibus totius Angliæ fecit eligi omnes ditiores, videlicet de Londonia 200. & de Eboraco 100. & de aliis urbibus secundum quantitatem, & numerum eorum, & fecit omnes sibi præsentari diebus, & locis statutis, de quibus cœpit decimam mobilium suorum, secundum æstimationem virorum fidelium, qui noverant redditus, & mobilia eorum. Si quos autem invenisset rebelles, statim fecit eos incarcerari, & in vinculis teneri, donec ultimum quadrantem persolverent. Similiter fecit de Judæis terræ suæ, unde inæstimabilem sibi acquisivit pecuniam. Deinde misit Hugonem Dunelmensem Episcopum, & alios clericos, & laicos ad Vvillelmum Regem Scotorum pro decimis colligendis in terra sua. Quo audito, Rex Scotiæ occurrit eis inter Vvere, & Brigheam in Loenas: & non permittens eos terram suam pro decimis colligendis intrare, obtulit se daturum Domino suo Regi Angliæ quinque millia marcharum argenti pro supradictis decimis, & pro castellis suis rehabendis: sed Rex Angliæ facere noluit.

Concilium Parisiense, quo ad bellum contra Saladinum Turc. regem concessæ sunt Regi Decimæ Saladinæ, anno 1188. *tempore Clementis Papæ tertii.*

Hoc anno, scilicet 1188. ait Tilius, in Martio Rex Concilium habet Lutetiæ, cui decimæ concessæ, quæ vulgo Saladinæ dictæ fuerunt. Quæ sic appellatæ sunt, quia ad expeditionem Turcicam contra Saladinum suscipiendam, cùm pecunia deesset, convocatis Parisiis Pontificibus, & nobilibus, Rex petiit sibi annuam decimam Ecclesiasticorum proventuum concedi, quæ postea Saladini decima appellata est. *Saladinæ decimæ quæ, & quales.*

Quod autem ejusmodi pensitatione decimarum plurimum gravarentur Ecclesiæ, atque pauperes angustiarentur, Petrus Blesensis scripsit epistolam 112. ad Episcopum Aurelianensem, hortans, ut se Regi talia præsumenti objiceret. Est quidem digna epistola, quam legant illi, qui quovis prætextu favent Regi adversus pauperes, & Ecclesias.

Concilium Eboracense, pro reformandis Ecclesiæ illius moribus, auctoritate Huberti Cantuariensis Archiepiscopi, & Apostolicæ Sedis Legati, celebratum Eboraci anno Domini 1197. *tempore Cælestini papæ tertii.* *Jorch.*

Acta Concilii extant apud Rogerum de Hoveden hujus temporis Scriptorem, prout sequitur.

In sequentibus autem duobus diebus, scilicet Feria quarta, & Feria quinta, congregatis in Ecclesia S. Petri Eboraci Simone ejusdem Ecclesiæ Decano, &c. & ferè omnibus Abbatibus, & Prioribus, & personis Ecclesiarum Eboracēsis Diœcesis, ipse Legatus in eminentiore loco cathedratus sedit, & Concilium celeberrimum celebrat, in quo hæc Decreta subscripta statuit servanda.

Ut sacramentum Eucharistiæ cum humilitate conficiatur, cum timore sumatur, cum reverentia dispensetur, & minister Altaris sit certus: provideatur etiam, ut in pyxide munda, & honesta Hostia reservetur, singulisque Dominicis diebus renovetur.

Prohibemus, ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Missas faciat celebrari.

Ubi puer, cujus Baptisma ignoratur, reperitur expositus, sive cum sale, sive sine sale reperiatur, baptizetur, cùm non intelligatur iteratum, quod nescitur fuisse collatum.

Quoties Sacerdos ad puerum baptizandum, vel infirmum communicandum invitatur, moras innectere non præsumat.

Providendum est, ut gratis exhibeatur justitia, nec pro ea in causis Ecclesiasticis facienda, vel adimenda, sive acceleranda, vel differenda, quidquam pretii præsumat accipere.

Hæc, & alia plura utilia statuta sunt, prout latè apud Binium.

Concilium apud Divionem celebratum per Petrum de Dojajo Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum, tempore Innocentii tertii, & Philippi, propter repudiatam ab ipso Ingelburgam Reginam, anno Domini 1199.

ALiud non est istud Concilium ab eo, quod celebratum esse memorat Summa sub Cœlestino tertio. Sic de eo Buzelinus lib. 1. Galloflandriæ cap. 37. ex auctario Aquicinctensi, ubi inquit, hæc breviter leguntur. In diebus adventus Domini Petrus Cardinalis apud Divionem Burgundiæ castrum cum personis Ecclesiasticis tenuit Concilium. Omnis ab eis facta constitutio non indiget penna, vel pergameno. Quæ paulò fusius in hunc modum explicat Rigordus. Eodem anno mense Decembri in Festo sancti Nicolai convocatum est Concilium apud Divionem à Petro prædicto Cardinali, omnium Episcoporum, Abbatum, & Priorum totius regni. Sed quia contra Regem Franciæ regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à nuntiis Regis ad Romanam sedem est appellatum. Tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco, adstantibus universis Episcopis, sententiam protulit, sed usque ad 20. dies post nativitatem Domini præcepit non esse publicandam.

De eodem Concilio agit Ducennius in vita Innocentii tertii, ubi & refert ex chronico Foxensi. Toto tempore, quo duravit interdictum, omnes actus publici sub hac forma consignati sunt, Regnante Christo, non autem, ut moris erat, regnante Philippo, quod Rex ægrè admodum ferens Episcopos omnes, qui interdicti sententiæ consensum dederant ex diœcesibus propriis, & beneficiis abegit.

Concilium in Dalmatiæ, & Diocliæ Regnis per Legatos Sedis Apostolicæ in causa reformandæ Ecclesiasticæ disciplinæ, anno Domini 1199. celebratum sub Innocentio papa tertio.

ACta Concilii apud Bzovium anno 1199. extantia hæc sunt.

1. Nullus Episcopus aliquem ad sacros Ordines per pecuniam promoveat, seu Ecclesiastica Beneficia alicui, pretio interveniente, concedere præsumat.

2. Ecclesiastici uxores non habeant.

3. Decimæ in quatuor partes dividantur.

4. Ne confessio reveletur.

5. Ne in personam Ecclesiasticam quis manus injiciat.

6. Connubia in gradu prohibito non fiant.

7. Clerici rasuram, & tonsuram teneant clericalem.

8. Clericus de manu laica Beneficium Ecclesiasticum non accipiat.

9. Excommunicantur omnes, qui thesauros Ecclesiæ injustè detinent.

10. Excommunicantur, qui proprias uxores dimiserint sine judicio Ecclesiæ.

11. Filii Presbyterorum illegitimi ad sacros Ordines non accedant.

12. Nullus ordinetur in Sacerdotem, nisi trigesimum expleverit annum.

Concilium Londinense apud Vvestmonasterium, contra prohibitionem Gaufridi Comitis de Essexe, pro reformatione Ecclesiæ Anglicanæ per Hubertum Cantuariensem Archiepisc. celebratum an. Dom. 1200. tempore Innocentii papæ tertii.

EXtat apud Rogerum de Hovedin sic.

Eodem anno Hubertus Cantuariensis Episcopus generale celebravit Concilium Londoniis apud Vvestmonasterium contra prohibitionem Gaufridi filii Petri A Comitis de Essexe, tunc temporis summi Justitiarii Angliæ. In quo Concilio subscripta decreta statuta sunt.

Summa Decretorum.

1. A quolibet Sacerdote celebrante verba Canonis rotundè dicantur, & distinctè, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Similiter & omnes Horæ Canonicæ apertè, & distinctè dicantur.

2. Non licet Presbytero bis in die celebrare.

3. De Baptismate, vel Confirmatione, si dubitetur, ut recipiantur.

4. De Pœnitentia, ut pœnitentia talis injungatur uxori, unde non reddatur marito suo suspecta, &c. id adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem resecandam, ut B Missæ non injungantur in pœnitentia his, qui non fuerint Sacerdotes.

5. Quomodo Archiepiscopus, Episcopus, & eorum Officiales debeant hospitari cum subditis.

6. Ne quis ordinetur sine justo titulo.

7. Non liceat excommunicationis sententiam proferre, nisi Canonica monitio præcedat.

8. Nil exigendum pro Sacramentis ministrandis, si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit incursurum.

9. De Decimis.

10. Ne clerici in sacris Ordinibus constituti focarias (mulierculas) habeant, his etiam adnectimus, ut clerici non intersint tabernis, & publicis potationibus.

11. De damnatis nuptiis.

C 12. Diffamatis publica fama inducatur purgatio.

13. Leprosi cœmeterium, & propriam habeant capellam.

14. Ecclesiastica beneficia de manu laica non suscipiantur.

SÆCULUM DECIMUM TERTIUM.

Concilium in Scotia celebratum, de initio celebritatis Dominicæ, habitum anno Domini 1203. tempore Innocentii papæ tertii.

CAusa Concilii hac de re in Scotia celebrati dedisse videntur ea, quæ de Dominici diei observatione D describit Rogerus anno 1201. his verbis.

Eodem anno Eustachius Abbas de Flay rediit in Angliam, & prædicans in ea verbum Domini de civitate in civitatem, & de loco in locum, prohibuit, ne quis forum rerum venalium in diebus Dominicis exerceret. Dicebat enim, quod hoc mandatum subscriptum de observatione diei Dominicæ venit de cœlo, & inventum est super altare sancti Simeonis, quod est in Golgotha, ubi Christus crucifixus est. Et mandavit Dominus hanc epistolam, quæ apprehensa est super altare sancti Simeonis, quam per tres dies, & tres noctes homines aspicientes corruerunt in terram, rogantes Dei misericordiam: & post horam tertiam erexit se Patriarcha, & Acharias Archiepiscopus, & expanderunt infulam, & sanctam acceperunt epistolam Dei, in E qua scriptum invenerunt: *Ego Dominus, qui præcepi vobis, ut observaretis diem sanctum Dominicum, &c. Volo autem, ut nemo ab hora nona Sabbati, usque ad solem surgentem diei Lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum sit, &c.* Latè apud Binium.

Dei Dominici vatio cælo data

Nota. *Diei Dominicæ celebratio antiquissima est: nam de ea facit mentionem Clemens primus lib. 2. Constitutionum Apostolicarum, cap. 63. ubi memorat, Apostolos diem Dominicum summa observantia colendum constituisse.* Dominico die, inquit, diligentius convenite, laudem Deo daturi. *Ignatius Martyr epistola ad Magnesianos: Philo Judæus lib. de Vita contemplativa cum Ægyptiorum Monachorum institutum prosequitur: Eusebius Cæsariensis lib. 2. Ecclesiast. Histor. cap. 7. Justi-*

Justinus Martyr Apologia 2. pro Christianis. Melito Sardensis Episcopus, vetustissimus Auctor, meminit diei Dominicæ, ut refert Eusebius Cæsar. lib. 4. cap. 24. Ambrosius Sermone 61. in Pent. Dominica nobis, *ait*, ideo venerabilis est, atque solemnis, quia in eo Salvator velut Sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit. *Augustinus lib. 2. Quæstionum veteris, & novi Testamenti, quæst. 95. Leo magnus ep. 79. ad Dioscorum Episcopum, cap. 1. & alii passim. Non desunt autem, qui hujusmodi litteras de cœlo missas inter fabulas numerent.*

Concilium Lavaurense, in causa Petri Aragoniæ Regis Comitem Tolosanum affinem suum protegentis, jussu Innocentii Papæ III. indictum anno Domini 1213.

DE rebus in Synodo gestis Bzovius in Annalibus ista.

Petrus Aragoniæ Rex opem, & auxilium affini suo Tolosano Comiti laturus, cum valida manu militum Tolosam, circa festum Epiphaniæ venit, atque ad Arnaldum Narbon. Archiepiscopum, Innocentii Pontificis Legatum, & Simonem Comitem Montfortium misit, asserens se velle cum eis de componendis rebus fidei, & pacis transigere. Legatus respondit, ut postulata scripto conciperet, ac sigillo munita ad Concilium mitteret. Patres verò Concilii responderunt, Comitem Tolosanum propter ingentia, & enormia scelera sæpius perpetrata, & quia non semel Ecclesiam ludificasset, indignum se prorsus omni beneficio, & gratia reddidisse. Et cum ab eis induciæ peterentur, justa de causa concedere noluerunt. Quapropter Legatus, datis literis, auctoritate Apostolica Regem admonuit, quin etiam imperavit, ut à protectione, defensione, communioneque hæreticorum abstineret; alioquin easdem censuras, & pœnas Ecclesiasticas in eum pronuntiaret. Rex nihil eorum curans, in fidem, & protectionem recepit Comites Tolosanum, Fuxensem, Convenarum, Gastonem Bearnensem, & urbem Tolosanam. De qua re Patres Concilii Innocentium Papam certiorem reddiderunt; qui etiam re benè perspecta, monuit Regem, ut se à Tolosanis separaret, quos sedes Apostolica pro tantis sceleribus, & hæresibus à Communione Catholicæ Ecclesiæ removisset. Amandaturum se interim Legatum à latere, qui causas prædictorum Comitum cognosceret. Concilio absoluto, Rex Aragoniæ Tolosa discessit, præsidio militum ibidem relicto.

Concilium Romanum, quo Otto Imperator IV. per Innocentium III. Papam Imperio depositus est, anno Domini 1213.

OTto Romæ ab Innocentio coronatus, statim cum Romanis pugnans, Urbe pellitur, & contra Pontificis voluntatem plura oppida in Apulia capit, Siciliam quoque suæ ditioni adjecit: quapropter eodem anno, habito Romæ Concilio, Imperio deponitur. Sic Palmerius in Chronico.

Concilium Londinense, quo Joannes Rex Angliæ ab interdicto excommunicationis, & depositione per Nicolaum Tusculanum Episcopum, & Sedis Apostolicæ Legatum absolutus est, anno Dom. 1214.

CUm Joannes Rex Angliæ Stephanum de Langetune Cantuariensem Archiepiscopum legitimè electum nollet suscipere, Pontifex Innocentius totam Angliam interdicto subjecit, & paulatim Regem ipsum gravius sævientem, & bona Ecclesiæ invadentem, Episcopos, & clericos relegantem, non tantum non absolvit, sed etiam Regno Angliæ deposuit, executione Philippo Regi Francorum demandata. Exer-

A citu copiosissimo, quem Rex Franciæ conscripserat, territus, ad pœnitentiam recipi petivit, deque ablatis restituendis sponsionem fecit. Qua de re cum Pontifex Legatum suum certiorem fecisset, eique accipiendi Regis formam præscripsisset, Legatus in urbe Londinensi apud sanctum Paulum grande congregavit Concilium; & apud Patres constito de restitutione, & redditione rerum Ecclesiasticarum ablatarum à Rege facta, ipse Legatus in die Apostolorum Petri, & Pauli in Ecclesia Cathedrali, relaxavit sententiam Interdicti, postquam duraverat annis sex, mensibus tribus, & diebus quatuordecim, ad irrestaurabile damnum Ecclesiæ, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus. Qua relaxatione facta, gaudium per totam terram pulsando, & Hymno, *Te Deum Laudamus* cantando, exortum est.
B Hæc ex Matthæo Paris.

Concilium apud Montem Pessulanum, quo Simoni Montfortiano Comiti Tolosanus Comitatus, ex quo Albigenses ejecerat, datus fuit, tempore Innocentii Papæ, anno Dom. 1215.

COncilii acta nuper subministravit Baluzius in Conciliis Galliæ Narbonensis.

Continent hæc acta litteras dicti Cardinalis Legati in Gallia ad Arnaldum Archiepiscopum Narbonensem, quibus eum invitat ad dictum Concilium: non enim, inquit, convenit sanctæ Ecclesiæ, aut Christianitati sanctum Christi negotium contra Albigenses, & To-
C losanos hæreticos, tot, & tantis divinis promotum miraculis, imperfectum post terga relinquere, cum jam sit per Dei gratiam in portu debitæ consummationis, &c.

Sequuntur triginta Canones, in quibus multa statuuntur pro decenti habitu sacerdotum: quia propter incompositum tàm ipsorum, quàm etiam regularium habitum multi laici scandalizabantur; item de beneficiis debitè conferendis, & de regularium disciplina. Canon xv. Item nullus Monachus, vel Canonicus regularis proprium habeat, nec etiam de sui Abbatis, vel prioris licentia, cum ipsis hanc dare licentiam non possint. Nulli Canonico regulari certa pecunia pro vestimentis detur: quia ex hoc datur materia proprium detinendi.
D Sed in omni Monasterio, vel Canonica regulari certi redditus deputentur, de quibus per manum unius, qui eos fideliter colligat, fratribus provideatur in vestimentis.

Canon xvi. Item mandamus, ut in quolibet Monasterio, vel Canonica regulari singulis diebus dominicis proprietarii in capitulo excommunicentur.

Canon xvii. Item præcipimus, ut nullus in Canonicum, vel Monachum admittatur cum aliqua conditione, vel pacto, per quod aliquid debeat pro receptione ejus dari.

Canon xx. Item præcipimus, ut Canonici regulares amplas coronas portent, & Monachi amplissimas, ita quod duorum digitorum, vel trium ad plus sit Monachis circulus capillorum.

In eodem Concilio unanimi consensu omnium Co-
C mes Montisfortis electus est in principem, & Monarcham Tolosæ, & terrarum, quas occupaverunt exercitus Cruce-signatorum. Sed cum habito respectu ad litteras Domini Papæ, quas miserat legato, inventum est, quod Legatus id non poterat facere inconsulto Domino Papa, hac de causa communi assensu missus est Romam Ebrodunensis Archiepiscopus Bernardus vir multæ scientiæ, & totius bonitatis, &c. ex Petro Monacho vallium de Cernaii *in hist. Albig.* cap. 81.

Con-

Concilium Oxonienſe Anglicanum editum per Stephanum Archiepiſcopum, pro reformatione morum anno Dom. 1222. tempore Honorii Papæ III.

TITULI CAPITULORUM ejuſdem Concilii.

B

CAPITULA CONCILII.

AUctoritate Dei patris, & beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & præſentis Concilii, excommunicamus omnes illos, qui malitioſè Eccleſias ſuo jure privare præſumunt, aut per malitiam, & contra juſtitiam libertates earundem infringere, vel perturbare contendunt.

Item omnes illos excommunicationis ſententia innodamus, qui pacem, & tranquillitatem Domini Regis, & regni injurioſè perturbare præſumunt, & qui jura Domini Regis detinere contendunt.

Adjicimus autem omnes illos ſimili ſententia involutos, qui ſcienter, & prudenter falſum perhibent teſtimonium, vel perhiberi procurant, vel etiam tales teſtes ſcienter producunt, vel ſubornant in cauſa matrimoniali, ubi ſcilicet agitur contra miſericordiam, vel etiam ubi agitur ad alicujus exhæredationem.

C

Advocatos quoque excommunicamus omnes, qui in cauſis matrimonialibus malitioſè oppoſitiones opponunt, vel opponi procurant, ne matrimonia vera debitum ſortiantur effectum, vel ut contra juſtitiam proceſſus cauſæ diutius ſuſpendatur.

Item excommunicamus omnes illos, qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel aliter malitioſè crimen imponunt, vel opponunt alicui, eum infamatus non ſit apud bonos, & graves, ut ſic ſaltem ei purgatio indicetur, vel alio modo gravetur.

D

Præterea omnes illos ſententia excommunicationis innodamus, qui vacante Eccleſia malitioſè opponunt, vel procurant opponi patronatus quæſtionem, ut ſit, unde patronum illius Eccleſiæ collatione ſaltem illa vice defraudent.

Excommunicamus etiam omnes illos, qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel aliàs malitioſè contemnunt exequi Domini Regis mandatum contra excommunicatos, qui claves Eccleſiæ contemnunt.

Statuimus etiam authoritate præſentis Concilii, ut Prælati ſinguli eleemoſynarios honeſtos habeant: & ut ipſi Prælati ſint, juxta Apoſtolum, hoſpitale: & ut horis competentibus ad pauperes audiendos, & juſtitiam exhibendam, in publico præſentiam ſuam exhibere procurent: & in perſonis propriis, confeſſionibus audiendis interdum interſint, & pœnitentiis injungendis: ipſi etiam per confeſſores diſcretos civitates proprias obeant, & in Eccleſiis ſuis cathedralibus reſidere procurent: ut aliquibus majoribus feſtis, & ſaltem in aliqua parte pro ſe, prout animæ ſuæ ſaluti magis viderint expedire. Et quia juxta ſcripturæ teſtimonium, vota noſtra tenemur reddere Domino Deo noſtro: ſalubriter decernimus advertendum, ut Epiſcopi formam ſuæ profeſſionis in ſua conſecratione prolatam, bis in anno coram ſe legi faciant diligenter, ut tanto melius profeſſionis ſuæ recordentur, quanto ſæpius eorum fuerit auribus inculcata.

E

Ad hæc ſtatuimus, ne Prælatus aliquis cum Eccleſiam contulerit, aut præbendam, fructus ejuſdem Eccleſiæ

clesiæ, sive præbendæ nondum collectos, sibi præsumat aliquatenus usurpare, vel pro institutione, vel missione in possessione, vel charta super hoc facienda aliquid audeat extorquere, nec ab officiariis suis Archidiaconis, vel Decanis sustineat extorqueri.

Cum secundum Apostolum, avaritiæ (quæ est idolorum servitus) Episcopos, aut alios Dei ministros servire non conveniat, ad tantam pestem radicitus evellendam statuimus, ut si aliquis ad Ecclesiam aliquam nullo contradicente præsentetur, Episcopus præsentatum ipsum, dum tamen idoneus sit, nequaquam admittere differat ultra duos menses: alioquin quicquid ex eadem Ecclesia post factam præsentationem fuerit forte perceptum, illi, cum institutus fuerit, restituatur: quatenus fructus ille ad Episcopum pervenerit, & id in Archiepiscopis, si per eos steterit, observetur, nisi causam rationabilem coram suo superiore duxerit assignandam, cum super hoc fuerit requisitus ab eo, quare eum non admiserit infra tempus in hoc Concilio diffinitum.

Hoc autem non immerito duximus adjungendum, ut si duo ad unam, eandemque Ecclesiam fuerint præsentati, neutri eorum, pendente lite, custodia committatur. Si autem ad Episcopum jus conferendi talem Ecclesiam authoritate Concilii devolvatur, cum contentio fuerit inter duos patronos, quorum uterque suum clericum præsentaverit, tamen ex collatione Episcopi, nulli patronorum, qui postea evicerit jus patronatus, præjudicium debeat generari.

Statuimus, ut Episcopus neutri eorum, qui præsentati fuerint, Ecclesiam illam conferat illa vice, nisi de utriusque patroni consensu: ne saltem qualecunque præjudicium alteri patronorum videatur generari, si forte postmodum jus patronatus evicerit.

Ad excitandum affectus laborantium in vinea Domini Sabaoth, ut veræ retributionis recipere mereantur denarium post laborem: decrevimus, ne opus Dei fiat ab aliquibus negligenter, præsertim cum in generali Concilio sit præceptum, ut divinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, secundum quod Deus dederit, studiosè celebretur, & devotè: universa quoque Ecclesiastica sacramenta, & præcipuè Baptismatis, & Altaris, devotissimè, prout Deus inspiraverit, celebrentur, verba quoque canonis, præsertim in consecratione Corporis Christi, plenè, & integrè proferantur.

Presbyter autem postquam Dominicum corpus sumpserit in altari, si in eodem die Missarum solemnia ipsum celebrare oporteat iterato, vinum calici infusum, vel digitis superfusum sumere non præsumat.

Ad hæc duximus statuendum districtius inhibentes, ne Sacerdos quispiam Missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ: vel in exequiis defunctorum, videlicet cum corpus alicujus in Ecclesia eodem die fuerit tumulandum: & tunc prior Missa de die, posterior verò pro defuncto celebretur. Cæterum præsenti decreto sancimus, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, villarum procurationes admittant: videlicet ut non sint senescalli, aut ballivi talium administrationum, occasione quarum laicis in reddendis reciniis obligentur, si & jurisdictiones exerceant sæculares, præsertim illas, quibus judicium sanguinis est annexum. Et his duximus adjungendum, ne judicium sanguinis in locis sacris tractetur, scilicet in Ecclesia, vel cœmeterio. Authoritate generalis Concilii districtius inhibemus, ne quis clericus beneficiatus, vel in sacris ordinibus constitutus literas pro pœna sanguinis infligenda scribere, vel dictare præsumat: vel, ubi judicium sanguinis tractatur, aut exercetur, intersit. Noverint enim, protectione Ecclesiastica se indignos, cum per eos in Ecclesia Dei per talia præsumpta scandalum generetur.

2. Statuimus, quod festa subscripta sub omni veneratione serventur: videlicet omnes dies Dominici, A quinque dies Natalitii, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia festa beatæ Mariæ: præter festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas: Conversio sancti Pauli, Cathedra sancti Petri, festa omnium Apostolorum, festum sancti Gregorii, dies Parasceves: feria 2. 3. & 4. in hebdomada Paschali: dies Ascensionis Domini, feria 2. 3. & 4. in hebdomada Pentecostes, festum S. Augustini in Majo, duo festa S. Crucis, translatio S. Thomæ martyris, utrumque festum S. Joannis Baptistæ, festum S. Margaretæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Petri ad vincula, S. Laurentii, S. Michaelis, omnium Sanctorum, S. Martini, S. Edmundi Regis, & martyris, S. Catharinæ, S. Clementis, S. Nicolai, Dedicationis cujuslibet Ecclesiæ in sua parochia: quodlibet festum illius sancti, in cujus honore fundata B est Ecclesia.

Volumus etiam, ut alia festa à rectoribus Ecclesiarum, & capellanis in obsequio divino, & laude devotissimè celebrentur, minoribus operibus servilibus secundum consuetudinem loci illis diebus interdictis. Festum Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, S. Agnetis, S. Vincentii, S. Blasii, S. Agathæ, S. Felicis, S. Georgii, *S. Joannis ante Portam Latinam*, S. Dunstani, S. Albani, S. Emeldridæ, Inventionis S. Crucis, S. Stephani, S. Hieronymi, S. Fidei, Dedicatio S. Michaelis in monte Tumba, S. Dionysii, festum Animarum, S. Cęciliæ, S. Luciæ, S. Leonardi.

3. Octava Epiphaniæ, S. Joannis, & Pauli, Translatio S. Benedicti, Translatio S. Martini.

4. Vigilia Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, C Litania major, tres dies Rogationum, vigilia S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Apostolorum Simonis, & Judæ, omnium Sanctorum, S. Andreæ, S. Thomæ Apostoli.

5. In Martio prima hebdomada jejunandum est feria 4. 6. & Sabbato. In Junio in secunda, quod dupliciter observatur à pluribus: in prima hebdomada post Litanias, aut in hebdomada Pentecostes: in Septembri per tres dies, in proxima septimana integra ante Natalem Domini.

6. Presbyterorum parochialium Ecclesiarum animos ad ea, quæ magis nostris temporibus expediunt exercenda studiosè excitare volentes, eis præsentis Concilii diffinitione districtè duximus injungendum, ut plebes D sibi commissas pabulo verbi Dei, secundum quod eis fuerit inspiratum, informare procurent, ne canes muti merito judicentur, cum salubri latratu à caulis Dominicis luporum spiritualium morsus non repellunt. Illud *Matth. 25.* Euangelicum memorialiter recolentes, quod in novissimo examine visitatores infirmorum regno remunerabuntur æterno: quoties fuerint accersiti, celeriter accedant, & hilariter ad ægrotos.

7. Ad exemplum Salomonis, qui omnia vasa domus Domini, ex auro purissimo fabricata, divino cultui mancipavit: statuimus, ut quælibet Ecclesia calicem habeat argenteum cum aliis vasis decentibus, & sindonem *3. Reg. 26.* mundam, & candidam, & amplitudinis congruentis: vetera verò corporalia, quæ non fuerint idonea, loco reliquiarum reponantur, vel in præsentia Archidiaconi E comburantur. Provideant etiam Archidiaconi, ut linteamina, & alia ornamenta altaris, sint, sicut decet, honesta: libros habeat etiam Ecclesia idoneos ad legendum, & psallendum.

Ad minus duplicia ornamenta Sacerdotalia: & ut honor debitus divinis officiis impendatur: præcipimus, ut qui altari ministrant, superpelliciis induantur.

8. Ne lepra Giezitica (quod absit) per avaritiæ cultum latenter irrumpens, ministros Ecclesiæ collocet extra castra regni æterni: districtius inhibemus, ne quis Ecclesiæ suæ renuncians, recipiat ab eo, qui sibi substituit, vicariam: cum vehementer posset præsumi, quod talia fiant per pactionem etiam turpem. Quod si ab aliquo fuerit acceptatum, ut ille vicaria, & alius personatu priventur. Illud autem absurdum repu-

reputamus omnino, ut aliqua existente persona unius Ecclesiæ, alius de consensu ipsius personæ aliquid conferat in eadem Ecclesia, nomine personatus, nisi persona prior Ecclesiam totam prius duxerit resignandam.

A

9. Quia juxta canonicas sanctiones, inter carnale, & spirituale matrimonium optima est comparatio, & cum inter duos sponsos dividi naturalis ratio minimè patiatur: & inhonestum est plurimum, quod Ecclesia Dei, quæ debet esse una, multorum amplexibus frequenter ancilletur: sacro etiam approbante Concilio, districtius inhibemus, ne de novo aliqua Ecclesia pluribus rectoribus, quorum uterque sit persona, committatur agenda. In Ecclesiis autem, ubi nunc plures personæ existunt, statuimus, ut singulis decedentibus, accrescat viventibus portio decedentium, donec ad unum solum illius Ecclesiæ perveniat personatus: illis Ecclesiis hoc statuto duntaxat exceptis, quæ ex antiquis divisæ fuerunt.

10. Cum hostis antiquus, scilicet leo rugiens, faciat, & quærat prædam animarum: solicitius est cavendum, ne talibus cura gregis Dominici committatur, qui negligunt, aut ignorant custodire sibi commissa, ut deceret intendere vigilanter. Statuimus igitur, ut nullus Episcoporum ad vicariam quenquam admittat, nisi velit in Ecclesia, in qua vicaria ei conceditur, personaliter ministrare: aut talis existat, qui infra breve tempus super hoc limitatum, valeat, & velit in Presbyterum ordinari. Quod si admissus fuerit forte quis, & noluerit in Presbyterum ordinari, vicariæ beneficio spolietur.

11. Ad hoc, quia inhonestum est nimis, ut Ecclesiæ propter minores redditus Pastoribus maneant desolatæ: præsenti decreto statuimus, ut Ecclesiæ, quæ in redditibus ultra quinque marcas non habent, nonnisi personis talibus conferantur, qui resideant in eisdem, & in propria persona ministrent: quod si tales admissi, residere noluerint à nunc, & administrare, cum non nisi laborantibus panis Dominicus sit, Ecclesiis ipsis præmissa monitione debita, per diœcesanum Episcopum spolientur.

12. Quoniam autem multoties, sicut temporalium rerum luxus quosdam in non modicum scandalum populi ab officio sibi commisso segregat, & abducit, sic & earundem inopia in vituperium ordinis nostri quosdam compellit infeliciter mendicare: providendum est nobis, ut in utroque talium habita moderatione ipsarum Ecclesiarum regimini consulatur. Statuimus igitur, ut vicario perpetuo ad minus redditus quinque marcarum assignetur, qui saltem pro quinque marcis dari possit ad firmam: nisi fortè in illis partibus Valliæ sit, in quibus propter tenuitatem Ecclesiarum, minori stipendio vicarii sunt contenti. Provideat quoque diœcesanus Episcopus pensata Ecclesiæ facultate, utrum vicarius onera Ecclesiæ subire debeat, an persona: an ad ea uterque debeat conferre. Proviso tamen, quod Archidiaconus loci sive ab illis, sive ab altero illorum debeat procurari, una tantùm procuratione sit contentus.

Mat. 20. 13. Ad instar patris Euangelici, plures operarios in vineam suam mittentis, ut quod unius non valeat explere solicitudo, seu adimplere, perficiat plurimorum præsentialiter: diffinimus, ut in singulis parochialibus Ecclesiis, quarum parochiam est diffusa, duo sint, vel tres Presbyteri, pensata pariter magnitudine Parochiæ, & Ecclesiæ facultate: ne fortè, quod absit, ægrotante uno presbytero, aut alio debilitato, parochianis infirmantibus, aut divinis volentibus interesse officiis, officia debita subtrahantur, vel negentur sacramenta Ecclesiastica.

13. Præsenti quoque statuto diffinimus, ut Episcopus ab eo, qui sibi præsentatus fuerit, recipiat juramentum, quod propter præsentationem illam nec promiserit, nec dederit aliquid præsentanti, nec aliquod propter hoc pactum inierit: si ei super hoc merito videatur esse suspectus, cum talia manifestè canonicis obvient institutis.

15. Quoniam nonnunquam ob defectum confessorum, vel quia decani rurales, & personæ erubescunt fortè confiteri suo Prælato, certum imminet periculum animarum, volentes huic morbo mederi, statuimus, ut certi confessores prudentes, & discreti, per singulos Archidiaconatus ab Episcopo loci constituantur, qui confessiones audiant Decanorum ruralium, Presbyterorum, & personarum. In cathedralibus Ecclesiis, ubi sunt canonici sæculares, confiteantur ipsi canonici Episcopo, vel Decano, vel certis personis ad hoc per Episcopum, Decanum, & Capitulum constitutis.

16. Quoniam in causis matrimonialibus est magna discretio necessaria, unde periculum est eas à simplicioribus tractari personis: statuimus, ut decani rurales nullam causam matrimonialem de cætero audire præsumant, sed earum examinatio non nisi viris discretis committatur: quibus assidentibus, si commodè fieri potest, postmodum pronuntietur.

B

17. Prohibemus sub interminatione anathematis, ne quis latrones ad latrocinium faciendum in servitio suo retineat, nec eos in terris suis scienter habitare permittat.

18. Ut singula Ecclesiastica officia in Ecclesia ritè procedant secundum canonicas sanctiones, statuimus, ne Archidiaconi nimium graves existant Ecclesiis sibi subditis: districtius inhibentes, ne statutum in Concilio generali in numero convictorum excedant, cum visitationis nomine debitam sibi recipiunt procurationem: nec ad talem procurationem venientes, extraneos, ut secum veniant, invitare præsumant, sed si pro honore Archidiaconi, Ecclesiarum rectores aliquos velint invitare, hoc nullatenus prohibemus. Sed ipsi Archidiaconi nullum invitent, ne fortè, qui per suum adventum Ecclesias non gravarent, gravent saltem per invitatos.

C

Unde, ut subtrahatur eis necessitas invitandi, prohibemus, ne Archidiaconi tempore visitationis suæ, apud Ecclesiam, quam visitant, Capitulum teneant, vel celebrent: nisi fortè in burgo, vel in civitate sit Ecclesia constituta. Ad hoc Archidiaconis districtius inhibemus, ne aliquo modo procurationem recipiant sine causa rationabili, nisi illo die, quo personaliter visitant Ecclesiam procurantem. Nec redemptionem pro visitatione extorquere præsumant.

19. Ut omnis cupiditas, & avaritiæ cultus expellatur ab Ecclesiæ Dei ministris, præsentia præteritis duximus annectenda: statuentes, ut Archidiaconatus, vel Decanatus, vel aliud officium, quæ in spiritualibus merè consistunt, nulli dentur ad firmam. Si verò certus redditus huic officio sit annexus, ille de superioris licentia dare poterit ad firmam, sicut inferius de aliis officiis statuemus. Si quis autem contra statutum venire præsumpserit Archidiaconus, vel Decanus, si super hoc canonicè fuerit convictus, per Episcopum suum à tali officio suspendatur per annum, & alius interim constituatur, qui discretè gerat vices illius.

D

20. Ut autem Archidiaconi, secundum Apostolum, non, quæ sua sunt, quærant, sed quæ Jesu Christi: in sua visitatione provideant, ut Canon Missæ emendetur, si sint in eo defectus: & quod sacerdotes ritè proferre noverint saltem verba Canonis, & baptismatis, & quod in hac parte sanum habeant intellectum, & etiam laici, si fortè debeant baptizare in casu necessitatis, ut saltem sciant hoc facere in aliquo idiomate congruo, seu vulgari.

E

21. Provideant utique Archidiaconi, quod diligenter juxta formam Concilii generalis, Eucharistia, chrisma, & oleum sanctum, salva sub clavibus recondantur, fideli custodiæ deputata.

22. Habeant & Archidiaconi redacta in scriptis omnia ornamenta, & utensilia Ecclesiarum: vestes quoq; & libros singulis annis suo conspectui faciant præsentari, ut sic videant, quæ fuerint addita per diligentiam personarum, vel quæ tempore intermedio per malitiam, & negligentiam deperierint.

23. Item

23. Item provideant Archidiaconi de possessionibus Ecclesiarum, ut eas singulis annis possint prospicere, ne Ecclesiæ suo jure defraudentur.

24. Præterea Archidiaconis, Decanis, & eorum officialibus districtius inhibemus, ne in subditos suos exactiones, vel tallias per se, vel suos exercere præsumant.

25. Ad hęc Ecclesiastici ordinis utilitate pensata, pariter & honore, decrevimus, ne Archidiaconi, vel eorum officiales sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti in aliquem audeant promulgare, ubi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonica præcedente. Si quis autem contra præmissa excommunicationis sententiam tulerit in quemcunque, pœnæ subjaceat in Lateranensi Concilio promulgatæ. Pro suspensione verò, vel interdicto superioris arbitrio puniatur: quod & superiores Prælati observent.

26. Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod Ecclesiasticum sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur. Quoniam si quid pia devotione fidelium consueverit erogari, super hoc postmodum volumus per ordinarium loci Ecclesiæ justitiam exhiberi, sicut in generali Concilio expressius, & diffusius est statutum: absurdum esse judicantes, quod de cætero pro chrismate, vel oleo aliquid exigatur, cum toties hoc prohibitum esse reperiatur.

27. Cæterum districtius duximus inhibendum, ne Archidiaconi, vel decani bonum pacis impedire faciant: & si aliquando discordantes ad invicem voluerint concordari, licentia petita, liceat partibus aliter per compositionem discedere quandocunque voluerint, si tamen causa compositionem admittat: nec propter hoc aliquam pœnam eis infligant, nisi eis constiterit de injustitia actoris, vel rei. Sed nec aliquem ad suggestionem præconum suorum ad purgationem compellant, nisi apud bonos, & graves fuerit primo infamatus.

28. Nec in causa sua præsumant pariter esse judices, & actores, videlicet cum dubium venerit, utrum quid ab eis exigere debeatur.

29. Ut clericalis ordinis honor debitus servetur, authoritate præsentis Concilii decernimus, ut tàm Archidiaconi, quàm Decani, & omnes alii in personatibus, & dignitatibus constituti, & omnes Decani rurales, & Presbyteri decenter incedant in habitu clericali, & cappis clausis utantur. Idemque observent Officiales Episcoporum, & Archidiaconorum, dum fuerint in consistorio.

30. Et nec ipsi, nec alii clerici comam nutriant: sed honestè tonsi, & coronati incedant, nisi fortè justa causa exegerit habitum transformare. A crapula quoque, & ebrietate, & aliis, quibus honestas eorum deformatur, omnino clerici se abstineant vigilanter: ad quæ omnia studiosè observanda, secundum formam Concilii generalis à superioribus suis compellantur.

31. Addentes, ne clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, in hospitiis suis tenere publicè concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.

32. Et si fortè concubinæ eorum, monitione postea proposita, ab eis non recesserint, ab Ecclesiis Dei, quas infamare præsumunt, expellantur, nec admittantur ad Ecclesiæ sacramenta: & si nec sic duxerint abstinendum, excommunicationis mucrone percellantur, & tunc demum contra eos invocetur brachium sæculare: ipsos autem clericos per subtractionem officii, & beneficii, canonica admonitione præmissa, volumus coerceri. Item licèt legitima testamenta clericorum beneficiatorum decedentium volumus firmiter observari: nolumus tamen, quod concubinis suis aliquid relinquant in testamento suo: quod si fecerint, illud arbitrio Episcopi convertatur in usum Ecclesiæ, in qua rexit defunctus.

33. Ecclesiarum indemnitatibus consulere cupientes, præsentis Concilii authoritate duximus statuendum, ut nullus Abbas, nullus Prior, nullus Decanus, vel Archidiaconus, vel alius habens personatum, vel dignitatem: sed nec clericus inferior, pensiones, vel redditus dignitatis, vel consanguineis, vel amicis quibuscunque vendere præsumat, vel impignorare, seu infeudare de novo, vel quolibet modo alienare præsumat, nisi forma canonis observata. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, quod in hac parte præsumptum fuerit, viribus careat: & præsumptor personatu, vel Ecclesia, quam sic læsit, per suum superiorem spolietur; nisi quod abalienaverit infra tempus à suo superiore sibi præfixum, sine damno Ecclesiæ suis sumptibus duxerit revocandum. Is quoque, qui sic Ecclesiastica bona de cætero receperit, & admonitus præsumpserit ea retinere, excommunicationis sententia percellatur, donec ea restituerit, nullatenus absolvendus. Idem autem majores prælati observent omnino.

34. Quia sunt plerique, quod non sine lachrymis dicimus, & singultu, qui Omnipotentis indignationem, & iram in die iræ ad perpetuam damnationem sibi cumulantes, non solùm filiis, & nepotibus, verum etiam concubinis suis, turpiter invadant patrimonium Jesu Christi: ad quorum usus, quod dicto servitio reputatur, in feudo laicali de bonis Ecclesiæ domos construunt, in quibus Ecclesiasticos proventus, & bona Ecclesiæ usibus pauperum deputata, congregare præsumunt: salubri provisione decernimus, ne clerici beneficiati fructus Ecclesiæ in laico feudo reponant, & ut melius abstineant à præmissis, de cætero domos, aut pensiones laicales ad opus concubinarum, vel filiorum suorum non emant: nec etiam domos ad opus earum construant in feudo laicali, sed nec etiam pecuniam ministrent ad hujusmodi emenda ad opus earum: uti sic eis subtrahatur occasio maligna. Si quis autem super hoc habeatur suspectus, justa ratione, nisi ad arbitrium superioris se purgaverit, ipsius arbitrio puniatur. Item ut melius gerantur omnia, si exterior administratio claustralium responderit ritè quieti: statuimus, ut tàm obedientiales rerum monasterii, quàm prælati majores, quatenus vel bis ad minus in anno, coram superioribus juxta monasterii consuetudinem, reddant de receptis, & expensis rationem. Ad hoc enim prælatos illos ex ista constitutione volumus obligari, qui possessiones habent à monachis, vel canonicis separatas.

35. Ad hæc quoniam sexum muliebrem contra versutiam hostis antiqui minus fortem, multiplici remedio necesse est communiri: decernimus, ut moniales, & cæteræ mulieres divino cultui dedicatæ, velum, vel peplum sericum non habeant, nec in velo acus argenteas, vel aureas audeant deportare: nec ipsæ, vel monachi, vel canonici regulares, zonas sericas, auri, vel argenti ornamenta habentes, nec de cætero burneta, vel aliquo panno irregulari utantur. Metiantur etiam juxta dimensionem corporum vestem suam, ita quod longitudinem corporum non excedat, sed pede decenter superducto, sufficiat eis, cum Joseph indutus legatur veste talari. Et sola monialis consecrata deferat annulum, & uno solo sit contenta. Si qua autem contra hanc nostram prohibitionem venire præsumpserit, & commonita se non correxerit, regulari subjaceat disciplinæ. Gen. 37.

36. Præterea statuimus, præsenti Concilio approbante, ut de cætero pro receptione alicujus in domum religionis, pecuniam, aut quicquid aliud extorquere non præsumant: adeo ut si præ paupertate domus debeat vestire seipsum, prætextu vestium ultra justum precium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.

37. Nunc ergo videamus Euangelicæ legis sectatores: cum non nisi in vinea laboranti retributionis denarius sit porrigendus: nec nisi, qui altari deservit, de altari vivere debeat: statuimus, ut Ecclesiæ certis personis

fonis deputatæ, nulli dentur ad firmam, nisi fortè justa causa fuerit, & à suo Episcopo approbata: & ita ut de ejus consensu alicui personæ honestæ, & ordinatæ dentur ad firmam, de qua verisimiliter præsumi debeat, quod fructus Ecclesiæ in bonos usus convertat,

38. Item, ut versutiis, & calliditatibus aliquorum obviemus, qui in fraudem generalis constitutionis, novas quasdam adinventiones fingere moliuntur: statuimus, ut non liceat alicui assignare in Ecclesia quicquam nomine beneficii, quasi hoc ei liceat obtinere cum alio beneficio, cui animarum cura fuerit annexa.

39. Quoniam per advocatos multoties legitima matrimonia protrahuntur, statuimus, ut sententia lata pro matrimonio, advocatus, qui contra id fecerit, hoc ipso per annum ad vocatione privatus existat, nisi judex eum in ipsa sententia, propter justum errorem, vel probabilem ignorantiam expressè habeat excusatum.

40. Quia nonnumquam serpens antiquus, qui jugiter sedet in insidiis, ut interficiat innocentes, & sanctos viros, quando eos invenit solitarios, & absque conversatione, vel consolatione mutua conversantes, tanto facilius interdum eos suis insultibus obruit, & confundit: provida deliberatione decernimus, ut tàm monachi, quàm canonici regulares, & moniales in uno dormitorio pariter dormiant, & quiescant, singulis personis singulis lectis assignatis. Et in uno refectorio simul edant: nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur: nec singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia per certas personas ad hæc deputatas, puta camerarios, vel camerarias, diligenter expediantur, qui, ut quilibet indiguerit, & facultas domus sustinuerit, eis indumenta ministrent. Et cum eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in usus pauperum, vel alias necessitates, de consilio Abbatis, vel Prioris, vel Abbatissæ, vel Priorissæ, convertantur. Camerario autem, vel camerariæ non liceat aliquid recipere: alioquin camerarius ab officio deponatur, & monachus, seu canonicus, vel monialis anno illo novis careat indumentis. Monachus non recipiatur minor 18. annis, nisi evidens utilitas, seu necessitas aliud inducat.

41. Inhibemus etiam, ne moniales intra septa domorum suarum, præter necessarias servientes, nec ad cohabitandum mulieres seculares recipiant, nisi Episcopi diœcesani accedat assensus. Item tàm à monachis, quàm canonicis regularibus, & monialibus silentium imponimus observari in temporibus, & locis constitutis. Nec viris, aut mulieribus religiosis absque superioris licentia egredi liceat septa domus, nec sine certa, & honesta causa egrediendi eis licentia concedatur: ita tamen, quod nulli claustralium causa orationis, aut visitandi parentes pateat aditus exeundi: nisi talis fortè fuerit, de quo nihil sinistrum possit quis, aut debeat merito suspicari, qui semper habeat collegam: & quoties alicui licentia exeundi indulgeatur, certus dies eidem præfigatur, in quo redeat. Hoc quoque volumus observari, ut ubicunque propter excessum alicujus viderit Episcopus, vel Abbas, vel Prior conventualis, non habens Abbatem, expedire, ut quis ad tempus alibi moretur, ad aliam domum religionis ejusdem in eodem Episcopatu transferatur: vel, si necesse fuerit, etiam ad alium Episcopatum dirigatur, & per diœcesanum compellatur admitti, qui ibi in omnibus regulari subjaceat disciplinæ: ita ut si ex mora ipsius Ecclesia, in qua moratur, gravata videatur, vice versa mittat aliquem de suis, qui interim moram faciet in monasterio delinquentis: nec prius rediens ipse, qui deliquit, in domo sua recipiatur, quàm plene pœnituerit de commisso, & per suum Superiorem revocetur.

42. Omnem singularitatem interdicimus in refectorio, ut cibus aliter uni, quàm alteri præparetur, sed qui præest, videat, ut scilicet interdum talia præparentur, de quibus aliorum debilitas, vel infirmitas, prout viderit expedire, valeat relevari. Omnia etiam victualia religiosis apponenda, sine subtractione eis apponantur, tàm in conventu, quàm alibi, ubi reficiuntur de omnibus appositis. Totum residuum sine diminutione aliqua cedat in eleemosynam indigentibus fideliter erogandam: ita quod nec Abbas, nec Prior, nec eleemosynarius hoc possit dispensare. Et quicunque istud statutum, vel illud de indumentis adinvicem implere, vel observare noluerit, si sacerdos fuerit, à celebratione divinorum: si minoris ordinis, à communione corporis Christi, si monialis sit, usque ad plenam satisfactionem suspendatur. Item prohibemus, ne moniales aliquæ singulariter in refectorio comedant carnes, in quibus diebus non solent communiter carnes comedere.

43. Ad hæc per nullam societatem, vel confœderationem admittantur monachi in alterius monasterio ad moram faciendam, nisi cum literis Episcopi sui, vel Abbatis, vel Prioris conventualis, non habentis Abbatem: idem inter canonicos regulares, & moniales volumus observari. Provideant etiam Episcopi, quod moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis monasterii, nec sustineant ultra numerum aliquam admitti: nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redactæ fuerint ad numerum illum. Etiam hoc firmiter statuimus authoritate Concilii generalis. Si autem contigerit, aliquam de cætero contra hanc formam admitti, tàm Abbatissa, quàm Priorissa deponatur. Idem de magistris, & prioribus moniales custodientibus, si contra hanc formam contingat aliquam admitti, duximus statuendum. Confiteantur etiam moniales sacerdotibus ab Episcopo sibi deputatis: clerici autem, vel laici frequentem non habeant accessum ad claustra monialium sine causa rationabili.

44. Quoniam non licèt viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se, & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicarunt: præsenti authoritate diffinimus, ut nulla persona in regulari ordine constituta, condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum. Item nec monachus, nec canonicus Ecclesiam, vel monasterium, vel quodlibet prædium Ecclesiæ suæ audeat retinere ad firmam. Districtè etiam inhibemus, ne alicui monacho, vel canonico regulari, qui non sit obedientialis, custodia monasterii committatur, ita quod ex longa ipsius mora, vel conversatione scandalum oriatur: quod si præsumptum fuerit, per superiorem emendetur. Item viri religiosi non recipiant Ecclesiam ad firmam, in qua sibi quid juris vendicant saltem post mortem personæ. Quod si fecerint, arbitrio superioris puniantur.

35. Quoniam inter alia vitia impetus gulæ viros religiosos præcipuè non mediocriter infestat, decernimus, ut nec monachi, vel canonici regulares nisi statutis locis, & horis potationi, aut comessationi vacare præsumant. Si quis verò sitiverit, impetrata licentia, refectorium regulariter intret, ut sic necessitati subveniat, non ut consulat voluptati. Ab hac generalitate eximimus infirmos, & eos, qui fuerint in obsequio Prælatorum.

46. Ad hæc statuimus, ut, cùm ratione debilitatis, vel alia justa ratione monachi seorsum in misericordia morantur, semper habeant secum ad minus alios seniores, qui aliorum levitatem debita correctione compescant, & qui postmodum in capitulo testificentur, qualiter in misericordia fuerint conversati. Idem volumus inter canonicos regulares, & moniales observari. Ut autem omnia sine bono concludantur, Lateranense Conc. sub sanctæ recordationis Papa Innocentio celebratum in præstatione decimarum, & aliis capitulis præcipimus observari, & in synodis Episcopalibus constitutiones illius Concilii, unà cum istis, prout eis videbitur expedire, volumus observari. Excommunicationes etiam in hoc Conc. promulgatæ singulis

gulis annis in Episcopalibus synodis, & quater in anno in parochialibus Ecclesiis solemniter iterentur.

Matthæus VVestmonasteriensis in Flor. Hist. *Hoc anno*, inquit, *Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis celebravit apud Oxonium Provinciale Concilium, in quo multa fuerunt statuta ad reformationem status Anglicanę Ecclesiæ, atque Monasticæ disciplinæ. Paucis ante diebus comprehensus fuit quidam impostor, habens in corpore, & membris, scilicet in latere, manibus, & pedibus quinque vulnera crucifixionis: & in eodem Concilio simul cum eo alius nebulo utriusque sexus, ejusdem erroris fautor repręsentatus, unaque cum eo convictus, & confessus, judicio Ecclesiæ punitus est.* De eodem ex manuscripto Vaticano Bzovius anno 1222. num. 20. *In synodo Oxoniensi hoc anno in Anglia celebrata, Pseudochristus quidam, qui se Christum esse, venisseque, ut errores, qui in Clero, & populo grassarentur, emendaret, audebat asserere, & signa quædam quasi Christi crucifixi manibus, pedibus, laterique impressa, ad majorem populi circumventionem ostendebat, ut vanus, & perfidus nebulo in crucem, quam meruit, cum Hermaphrodito quodam assecla sublatus est. In qua & Diaconus quidam desecratus, flammisque exustus, quod ad Judaicam perfidiam nefariè profugisset. Agnoscant exinde Angli, quæ fuerit apud ipsos Ecclesia in præcedentibus sæculis.*

Concilium Germanicum, sub præsidio Conradi Episcopi Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, Sedisque Apostolicæ Legati, contra Simoniacos, & concubinarios Clericos, celebratum anno Domini 1225. tempore Honorii Papæ III.

De hac Synodo Surius sic: Anno nati Servatoris 1224. Honorius ejus nominis Tertius Pontifex Maximus, in Germaniam Legatum misit à latere Conradum Eginonis quondam Monachum, & Abbatem instituti Cisterciensis, tùm verò Episcopum Cardinalem Portuensem, & sanctæ Rufinæ, virum doctrina, & religione celebrem, & cujusdam Dynastæ filium. Erant enim id temporis in Occidente quædam morum corruptelæ, quas Pontifex amoliri volebat. Porro Orientem vexabant Saraceni. Postquam igitur memoratus Cardinalis in Germaniam pervenit, synodum hanc coegit anno 1225. &c. Habentur hujus Concilii Canones 14. apud Binium, quorum primus de Clericis, qui lumbos suos cingulo continentiæ non præcingebant, non attendentes, quoniam scriptum est, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Deus vester, &c.*

Hoc Concilium non à Conrado, ut habent vulgata exemplaria, sed à Cumano habitum fuisse, putat Antonius Augustinus.

Et vita Honorii III. per Ducennium habet ipsum misisse Cumanum Cardinalem Legatum in Alemanniam, ubi Concilium habuit pro reformatione morum, quod quidem habetur in capite Codicis Conciliorum Provincialium Coloniensium editionis anni 1557. nulla facta mentione loci, in quo celebratum est. Constatque 14. Canonibus.

1. De continentia Clericorum.
2. De pœnis concubinariorum Clericorum.
3. De scortatoribus Clericis ruralibus per Archidiaconum corrigendis.
4. Quam pœnam Judex Ecclesiasticus, aliquem prępropere excommunicans, incurrat. Statuit, ut non excommunicet, excommunicationem non promulget, nisi admonitione præmissa, & pręsentibus personis idoneis, per quas, si necesse sit, possit probari admonitio.
5. Clericos fructus præbendarum suarum concubinis, & spuriis suis testamento relinquere non posse.
6. De clericis excommunicatis, vel suspensis divina celebrantibus.
7. De Clericis coram excommunicatis celebrantibus.
9. De publicandis excommunicatis per Episcopos.
9. De patronis laicis Clericos ad Ecclesias symoniacè præsentantibus.
10. De Clericis symoniacè repręsentatis.
11. De Episcopis, & Archidiaconis clericos symoniacè præsentatos instituentibus. Statuit nullos admittendos, nisi prius juraverint, quod nullam in adeptione beneficii commiserint simoniam.
12. De Ecclesiis non per mercenarios, sed per pastores, seu saltem vicarios perpetuos regendis.
13. De committentibus incestum cum sanctimonialibus, & canonissis, & de hujusmodi sacris virginibus pollutis. Statuit, ut quæ hujusmodi flagitium perpetraverit, ulterius ad officium aliquod in monasterio nullatenus admittatur. Sed in signum iniquitatis suæ, ultima tàm in claustro maneat, quàm in choro.
14. De his constitutionibus conciliaribus publicandis.

Acta sunt hæc an. Dom. millesf. ducentesf. vigesimo quinto, quarto idus Decembris.

Reddam integrum sextum canonem, ex quo videtur invaluisse opinio fere communis, quod ob violationem cujusvis censuræ incurratur irregularitas ad ordines suscipiendos, ac exercendos, & ad beneficia de novo acquirenda inhabilitans, & à solo Papa dispensabilis. In hoc enim sensu de irregularitate sermo est. Sic habet canon.

Cùm scriptum sit in lege veteri, quod quicumque non obtemperasset sacerdotibus, aut extra castra positus lapidaretur à populo, aut gladio cervice supposita, expiaret cruore contemptum: & in primitiva Ecclesia inobedientes cunctis rabido ore dęmonum traherentur: multi nomine sacerdotes, censuram Ecclesiæ contemnentes, excommunicati, vel suspensi à Prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores, quæ Episcopis, & Prælatis clavium regni cœlestis collata sit potestas, attrectare sibi interdicta mysteria non verentur: contra quos rigorem Ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis, ab officiis, & beneficiis deponantur, & infames, & intestabiles sint: & de cætero nullatenus ad beneficia Ecclesiastica admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conversionem laudabilem, sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

Deut. 17. *1. Cor. 15.*

Hic certè canon tacito nomine irregularitatis, inducit tamen irregularitatem illam tàm famosam ob violationem censuræ etiam per Episcopum latæ, quæ sit à solo Papa dispensabilis. Et inde arbitramur, quod decretum fuerat pro Germania à Cumano Legato Pontificio, extensum fuisse ad cæteras nationes ob paritatem rationis.

Circa quod non leve dubium est, utrum hoc Concilium nationale possit obligare alias nationes. Est enim talis irregularitas magni rigoris, quæ Clericum per universum orbem reddit inhabilem ad inserviendum: & cùm recursus ad summum Pontificem habeat multa incommoda, & frequentissimæ, ac multiplices sint leges Episcoporum, quarum transgressioni illigatur censura, vix dici potest, quot sacerdotes reperientur irregulares, quibus ipsorum proprius Episcopus succurrere non poterit. Commune est axioma. Res per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur. Cur Episcopi non poterunt restituere ad officium illum Clericum, quem per suam legem, & censuram exauctorarunt? Pontificis est sibi ipsi reservare, quæ à se solo dissolvenda, aut dispensanda sunt: non id juris est inferioris potestatis, quæ cùm in sua lege dispensare possit, cur trepidabit Episcopus eum restituere, aut dispensare, quem sua auctoritate privata mutilum, & inidoneum Ecclesiæ effecerat? Potest quidem Episcopus ob justas causas abstinere ab actu suæ potestatis, sed seipsum privare sua potestate ad ipsius actum exercendum non videtur esse ipsius, sed tantùm superioris potestatis, ut Concilii Provincialis genera-

Omnis violatio censurę an inferat irregularitatem.

neralis, aut summi Pontificis. Quod elucidari poterit ex sexto Decretalium Bonifacii 8. Ubi fit expressa mentio de quibusdam irregularitatibus à solo Papa dispensabilibus, de aliis absolutè, sive hoc addito, quod à solo Papa dispensabiles sint. Et quod irregularitatem quis non incurrat, *cùm in jure id non fuerit expreßum*, Jus auté intelligitur de jure communi, quale statuitur per Concilium generale, aut summum Pontificem: itaut decretum sit de incurrenda irregularitate à solo Papa dispensabili: Hoc jam insinuavimus partim in libro de triplici examine, partim in apparatu ejus summæ. Et quia istud non liquet apud plerosque, addimus quædam pro majori luce.

Utuntur plures capite: *Si quis Episcopus* xi. q.3. ex Concilio Antiocheno. Sed perperam inseruit Decreto canonem istum Gratianus, cùm istud Concilium fuerit Arrianorum in odium D. Athanasii habitum, nec loquitur de irregularitate, cujus usus non ita antiquus, sicuti nec nomen, sed de quadam suspensione indispensabili. Allegant alii, ut Toletus in summa c. 1. *de sent. excom.* in sexto, & cap. *de sententia, & re judicata.* Sed ista capita sunt tantùm contra Prælatos, & Officiales, qui judicant non servato juris ordine, ut ista capita limitat Archidiaconus, nec statuunt regulam illam de irregularitate incurrenda ob violatam censuram quamlibet.

Verum est opinionem istam esse communem, i taut sit contra torrentem niti, velle illam non sequi. Sed non semel istud evenit, ut ubi aliquis sententiam quandam docuerit, centum alii sine ulla discussione illam postea tueantur, nihil tamen obstat, si ad incudem debiti examinis revocetur, quin minus approbari possit? Unde quidam illam deserunt, quos non nominando, laudat Covarruvias ad Clementinam *si furiosus* §.1.n.5. et ei adstipulatur Doctor Severtius in summa omnium excomm. in casibus Episc. Parisiensis, ubi liberat ab irregularitate sacerdotem, qui violaverat censuram, sed Episcopalem dumtaxat. Quare non est ista nova opinio, cujus beneficio à magnis angustiis quidam clerici liberati sunt. Adde, quod dist.50. c.10. ex Gregorio l.4. registri Ep. et epist. 5. & habetur apud Antonium Augustinum lib.37. tit.4. c.2. de Presbytero deposito, qui ausus fuit offerre sacrificium, qui privatur perceptione Eucharistiæ, præterquam in obitu; nisi Episcopus, inspecta illius pœnitentia, aliud judicaverit. Inferre licet Clericum ob violatam censuram non incurrisse propterea irregularitatem à solo Papa dispensabilem: cùm id Episcopo remittatur. Cur non idem faciant Episcopi in casibus iis, qui in jure non sunt expressi (quę est ratio, & regula Bonifaci VIII.) tanquam subditi irregularitati à solo Papa dispensabili? Vereor, ne metuant, ubi non est timor.

Istam autem sententiam confirmatam invenimus in Theologia Morali Urbani ab Ascensione, tract.1.c.57. ubi expressè asserit casus omnes, quibus irregularitas contrahi potest, debere contineri in jure, nec alios addi posse, nisi solius Ecclesiæ universalis, seu Capitis ejus visibilis in terris authoritate, & nutu Episcopi verò nec Concilium Provinciale, nec alii Prælati quicumq; inferiores summo Pontifice novas inducere irregularitates nequeunt: est enim una de causis majoribus, proindeque reservata toti Ecclesiæ; cùm cedat in ejus detrimentum irregularitas.

De sent. excomm. c. is qui.

Quod verò subjungit jus commune, sæpè non uti nomine irregularitatis in casibus ejus incurrendæ exprimendis, sed æquivalentibus, v.g. nemo eum ordinet, nunquam ordinetur, sit inhabilis in perpetuum ad ordines suscipiendos, & similibus, & quod si jure prohibeatur tantùm usus ordinum, suspensio tantùm, vel depositio habenda sit talis pœna, id discussione majori indiget, cùm non repugnet ad terrorem, & comminatoriè talia apponi in censuris.

A

Concilium Bituricense sub Romano Legato anno 1225.

Hoc eodem tempore, ait Surius, venit Magister Romanus ad partes Gallicanas, à Domino Papa missus, ut ibi Legationis officio fungeretur. Quò cum pervenisset, fecit convocare Regem Francorum cum Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Gallicano ad Concilium, cum Comite Tolosano, pro quo specialiter ad partes illas missus fuerat, sicut sequens relatio declarabit. Convenerunt igitur ad Bituricam civitatem ad Concilium, Lugdunensis, Rhemensis, Rothomagensis, Turonensis, Bituricensis, Auxitanensis Archiepiscopi: Burdigalensis verò Romæ fuit, & Narbonensis Ecclesia vacabat. Convenerunt igitur novem Provinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & singulorum Procuratoribus Capitulorum, mandatum summi Pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunensis Archiepiscopus vendicabat sibi Primatiam super Archiepiscopum Senonensem, & Rothomagensis super Bituricensem, Auxitanensem, Narbonensem, & eorum Suffraganeos, timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in consilio. Quibus sedentibus, & lectis in publico Legationis literis, apparuerunt Comes Tolosanus ex una parte, & Simon de Monteforti ex altera, qui petiit sibi restitui terram Raimundi Comitis Tolosani, quam Dominus Papa, & Rex Francorum Philippus sibi, & patri suo contulerunt, exhibens super donatione facta, utriusque, Papæ scilicet, & Regis, munimenta. Addiditque Comitem Raimundum abjudicatum fuisse Romæ in Concilio Generali propter hæresim, quæ dicitur hæresis Albigensium, ad minus à parte majori terræ, quam nunc tenet. E contra Comes Raimundus obtulit se facturum erga Regem Francorum, & Ecclesiam Romanam, quicquid facere deberet pro hæreditate sua. Tunc cùm peteret pars adversa ab eo, ut subiret judicium duodecim Parium Galliæ, respondit Raimundus: Recipiat Rex homagium meum, & paratus sum subire: quia fortè non haberent me pro Pari, si secus fieret. Cumque hinc inde fuisset plurimùm altercatum, præcepit Archiepiscopis singulis Legatus cum præsentibus, ut convocatis seorsum unusquisque Suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio præfato, & traderent Legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes, qui super hoc sua consilia revelarent, dicens se velle ea Domino Papæ significare, & Francorum Regi ostendere.

B

C

D

Post hæc subjungit, quod Legatus expetiverit in singulis Cathedralibus Ecclesiis duas Prebendas Romanæ Curiæ applicari, quodque Procuratores Capitulorum allegatæ petitioni nequaquam consentiendum esse responderint, ob causas, quas ille prolixè enarrat.

Hanc synodum Colonię habitam, nescio quo Auctore, refert Bzovius in Annalibus 1225. num.4.

E

Concilium Vvestmonasteriense in causa Romani Pontificis duarum Præbendarum obventiones suæ Curiæ assignari petentis; celebratum in Anglia anno Domini 1226. tempore Honorii Papæ III.

Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, vocatis ad Concilium cunctis apud Vvestmonasterium, post Pascha, quos negotium tangebat, recitari fecit literas supradictas, de Beneficiis Romanę Ecclesiæ conferendis coram Rege, & Prælatis Angliæ, qui ad ejus vocationem plenè convenerant. Sed illis auditis, ac diligenter intellectis, singuli singulos ad visum monebant.

Tunc Rex, convocatis seorsum Prelatis, & quibusdã Magnatibus, hoc Archiepiscopo dedit responsum: Ista,

Ista, quæ suadet nobis Dominus Papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt: & quia nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus, cum viderimus, qualiter cętera Regna erga tales se habuerint exactiones, Dominus Papa, cùm ab aliis Regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores. Et his dictis, concessa est omnibus licentia redeundi.

Matthæus Paris in Henrico tertio rem aliter narrat, & fusiùs cum aliqua sanna pro more suo in Ecclesiam Romanam.

Concilium Romanum, pro expeditione in terram Sanctam suscipienda, indictum anno 1234. sub Gregorio IX, Papa.

BZovius auctoritate Epistolarum à Gregorio IX. scriptarum, Acta hujus Concilii summatim enarrat his verbis:

Eodem anno Gregorius Pontifex, recuperationi Terræ sanctæ intentus, Concilium Romæ celebravit. Intererant cum Imperatore Friderico, & Archiepiscopis, atque Episcopis, Patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Jerosolymitanus. Ex omnium judicio decreta est expeditio generalis ad subveniendum rebus Syriacis: Huic sacro negotio præpositus fuit Theodoricus Archiepiscopus Ravennas, cum potestate Legati de latere: quem ut omnes debito honore prosequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex sententia Concilii Gregorius omnibus Archiepiscopis, & Episcopis in Regno Jerosolymitano scripsit, Spoleti 6. Augusti. Fridericus autem Imperator universis Baronibus, militibus, & populo præcepit, datis Reate literis anno Domini Incarnationis 1234. mense Augst. Indict. 7. Concessit tunc Gregorius Theodorico, & subjunctis illi Episcopis, ut omnis pœnæ peccatis debitæ remissionem iis auctoritate Pontificia indulgerent, qui Jerosolymitanam expeditionem aut ipsi adirent, aut pecuniam; militesve submitterent. Injunxitque Episcopis, ut Cruce insignire eos possent, qui in eo sacro bello militaturi accederent. Ad hæc renovavit execrationem Concilii Lateranensis, in eos, qui ad Saracenos ferrum efferrent, datis literis Theodorico Archiepiscopo, 6. Idus Novembris, Perusii, quo se Gregorius contulerat, ut exules compesceret.

Concilium Londinense, auctoritate Ottonis Legati Sedis Apostolicæ pro Reformanda Ecclesia Anglicana, celebratum anno Domini 1237. tempore Gregorii Papæ IX.

MAtthæus Paris descripturus causam, occasionem, & Acta indicti Concilii, antequam Constitutiones synodicas recenseat, præmittit prædictionem cujusdam Clerici Vvalteri *Truz* ex inspectione planetarum de magna peste animalium, præcipuè cornutorum: & addidit, inquit, quasi jocosè, utinam non hominum cornutorum, scilicet Episcoporum. Sic iste res serias tractat: tùm subjungit. Cum igitur convenissent Londiniis Prelati Angliæ in Ecclesia S. Pauli, die prima Concilio assignata, scilicet in crastino Octavarum S. Martini, non comparuit Legatus, quia Episcopi rogaverant eum, ut ea die daretur eis copia inspiciendi, quæ proposuit statuere, & secum super his deliberare, ne aliquid in præjudicium eorum statuere attentaret. Altera igitur die, constitutis in secretis, & abditis locis militibus armatis, & servientibus circiter ducentis, quos ei ad instantiam precum suarum dominus Rex commendaverat: timebat enim valde sibi, eo quod dicebatur, eum nimis velle desævire in eos, qui plura habebant Beneficia, & præcipue illegitimos. Apparuit autem summo mane, scil. diluculo, in Ecclesia prædicta. Erat autem ibi tot expectantium multitudo tàm compressa, quod ipsi Legato erat ingressus difficillimus. Et ingressus Ecclesiam, coram majori

A Ecclesia Pontificalibus se induit, scilicet, superpelliceo, & desuper Cappa Chorali, pellibus variis furrata, & mura, & præcedentibus Archiepiscopis Cantuariensi, & Eboracensi eum, cum processione solemni, cum Cruce, & cereis accensis, & cum Litania, sedem suam ascendit per gradus pomposè, ut dictum est, præparatam, & jam pomposiùs tapetis, & pallis redimitam: collocante se à dextris domino Cantuariensi, & Eboracensi à sinistris: propter quod orta est inter eos dissensio, scilicet, de ordinatione sessionis. Et appellatum est ex parte Eboracensis pro jure suo, quod sibi vendicabat. Lecto igitur solemniter Euangelio, scilicet: *Ego sum Pastor bonus*, sicut moris est, dictisque Collectis propriis ab ipso Legato, & cantato: *Veni Creator Spiritus*, appellatoque ab Eboracensi, ut di-

Ingressus Legati ad synodum.

B ctum est, sederunt juxta Legatum duo Archiepiscopi, Cantuariensis à dextris, Eboracensis à sinistris. Quibus dixit Legatus, volens ipsam controversiam pacificare, neutrius tamen juri derogando: In Bulla Domini Papæ stat imago Pauli à dextris Crucis medio Bullæ figurata, & Petri à sinistris: nulla tamen inter tantos sanctos est orta unquam ista contentio, ambo enim sunt in coæquali gloria. Verumtamen propter Petri clavigeri dignitatem, Apostolatus Principatum, nec non & cathedralem dignitatem, cum prioratu vocationis, meritò à dextris Crucis ejus imago collocanda videtur: sed quia Paulus credidit in Christum, quem non vidit, à dextris figuratur: *Beati enim, qui non viderunt, &c.* Sic dominus Cantuariensis totius Angliæ Primas, & qui præest antiquissimæ,

D. Paulus cur pictus à dextris.

C ac nobilissimæ Ecclesiæ Cantuariensi, necnon & Londinensi, qui est sancti Pauli, non sine ratione à dextris est collocandus. Et ex tunc sequentibus diebus sedit Cantuariensis à dextris, Eboracensis à sinistris. Secundo autem die, Concilio jam incepto, missi sunt ex parte domini Regis, Comes Lincolniensis Joannes, & Joannes filius Galfridi, Vvilelmus de Ræle Canonicus S. Pauli, ut dicto Legato ex parte Regis, & Regni inhiberent, ne ibi contra Regiam coronam, & dignitatem aliquid statuere attentaret. Et remansit ibi, ut hoc observaretur, Vvilelmus de Ræle indutus Cappa Canonicali, & superpelliceo, aliis recedentibus. Eodem quoque die petiit D. Simon Cantuariensis Archidiaconus dominum Legatum in audientia omnium, ut audiretur ab omnibus authenticum suæ Legationis à Domino Papa sibi commissum: quod & factum est. Et eodem die, ad impetrationem domini Regis, le-

D ctum fuit quoddam privilegium, de festivitatibus sancti Eduardi per totam Angliam celebrandis, & de mandato domini Papæ, & de sanctis Francisco, & Dominico canonizatis. Et quia audierat dominus Legatus, dum adhuc in hospitio suo esset, multos pluribus Ecclesiis Beneficiatos, nobiles sanguine, et possessionibus, et illegitimos, de quibus mentionem in quodam statuto Concilii fecerat, contra ipsum murmurasse, & ei etiam insidias præparasse, quosdam Magnates, scilicet Comitem Mareschallum G. & Comitem Lincolniæ I. & Comitem de Monteforti S. & quosdam de familia domini Regis, cùm gladiis, & fustibus munitos, ad tuitionem sui, suorumque secum ad Concilium duxit, et reduxit. In Concilio verò, cùm statutum contra eos, qui plura Beneficia obtinuerunt, contra Concilium Lateranense pronuntiaretur, Episcopus Vvigor-

E niensis, Vvalterius scilicet de Cantelupo, surgens in medio, deposita mitra sua, sic dominum Legatum est affatus: Pater sancte, cùm multi nobiles, quorum sanguis noster est, plura obtineant Beneficia, cum quibus nondum dispensatum est, quorum etiam aliqui provectæ sunt ętatis, et usque ad præsens honorificè vixerunt, & hospitalem ad posse procurando eleemosynas patentibus januis erogarunt, durum esset nimis, tales suis Beneficiis spoliatos, in ignominiosam trudi paupertatem. Quidam verò juvenes feroces, ac strenui maximis periculis se opponerent, antequam suis se sinerent privari Beneficiis, unico tantùm retento. Quod

benè perpendo per memetipſum. Antequam enim ad iſtam vocarer dignitatem, propoſui in animo meo, quod ſi unicum amitterem Beneficium, talis prætextu Conſtitutionis, omnia amitterem. Unde timendum eſt, quod multi ad præſens in ſimili propoſito perſeverent. Quoniam igitur multitudo talium in cauſa eſt, ſanctæ Paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus ob ſalutem veſtram, & noſtram, ſuper hujuſmodi ſtatuto Dominum Papam conſulatis. Præterea, cum ſtatutum veſtrum in Religione S. Benedicti ad omnes æqualiter ſe extendat, & durum ſit multis tùm propter locorum penuriam, & præcipue Monialibus, cùm ſint debiles, & fragiles, hoc ſtatutum obſervare; neceſſe eſt, huic rigori diſcretum addere temperamentum, ſuper quo etiam poſtulamus, ut Dominum Papam ſuper his velitis conſultare. Cui D. Legatus reſpondit, quod omnes Prælati, ſcilicet iſti præſentes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, unà cum eo ſuper his Domino Papæ ſcriberent, libenter conſentirent. Et ſciendum, quod, quia aliqui opinabantur, ſicut datum fuit intelligi D. Legato, quod ſtatuta ſua robur, niſi tantùm in tempore ſuæ Legationis, non obtinerent; juſſu ejuſdem ſurrexit in medio quidam Clericus ſuus Magiſter, ſcilicet Attho, & aperto Libro authentico, ſcilicet Regiſtro Domini Papæ ad majorem auctoritatem, ut validiùs talium opinionem improbaret, quamdam decretalem legit diſtinctè, & apertè, quam D. Legatus diſtinguens approbavit, per illam aſſerens manifeſtè, quod etiam poſt receſſum ejus ſua ſtatuta perpetuæ firmitatis robur debeant obtinere. Nec prætereundum, quod primo die Concilii, collocatis, ut prædictum eſt, Archiepiſcopis, Cantuarienſi ſcilicet, à dextris, Eboracenſi verò à ſiniſtris, perlectoque Evangelio, *Ego ſum Paſtor bonus*, dictiſque Collectis ad hoc pertinentibus, indictoque ſilentio, & turba comprimente caſtigata, D. Legatus ſedendo, quaſi tubam vocem ſuam exaltans, ſermonem ſuum inchoavit, thema ſuum ſic prærordinando; *in medio ſedis, & in circuitu ejus quatuor animalia, plena oculis ante, & retro*. In ſermone proſequendo innuens, quòd Prelati, quaſi animalia habentia oculos ante, & retro, debent eſſe in rerum ſæcularium depoſitionibus providi, & in ſpiritualibus circumſpecti, priora ſequentibus cautè continuantes. Et poſt ſermonem legi fecit ſtatuta alta voce, & diſtincta, quę firmiter ſtatuit obſervari, quæ ſubſcripta in hoc libro duximus annotari. Hæc de Concilio Londinenſi Paris.

Addit Polydorus Virgilius lib. 16. Angl. hiſt. apud Genebrardum Chron. lib. 4. In eo Concilio poſt longam conſultationem multæ leges latæ ſunt, quæ deinceps ſacerdotalem ordinem conſervarunt.

Concilium Tarraconenſe ob Vualdenſes hæreticos celebratum anno Domini 1242.

BZovius de hac ſynodo iſta:

Circa hæc tempora, contra hæreticos Vualdenſes, in Regnum Aragoniæ irrumpentes, celebratum fuit Concilium apud Tarraconem, in quo præſcripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad Catholicam revertentes, ſalutareſque eis pœnitentias injungendi. Cui, ut major auctoritas conciliaretur, Raymundum Pennafortium, Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiarium, à Magiſterio Generali totius Ordinis Prædicatorum, quod abdicaverat, Barcinonem reverſum, intereſſe Epiſcopi voluerunt. Ejus Actorum Concilii, aliqua pars ſe Annalibus inſerit, ex qua diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio in hęreticos ſervata cognoſcatur, &c.

In primis quæritur: qui dicantur hæretici, qui ſuſpecti, qui credentes, qui fautores, qui receptatores, qui defenſores, qui relapſi: cùm iſta genera hominum in canone explicentur. Et videtur, quod hæretici ſunt, qui in ſuo errore perdurant: ſicut ſunt Injabbatati, qui dicunt in aliquo caſu non eſſe jurandum, &c. Creden- A tes verò dictis hęreſibus ſimiliter hęretici ſunt dicendi. Suſpectus de hæreſi poteſt dici, qui audit prædicationem, vel lectionem Injabbatatorum: vel, qui flexit genua orando cum eis, vel qui dedit oſculum eis: vel qui credit ipſos Injabbatatos eſſe bonos homines, &c. Poteſt dici ſuſpectus ſimpliciter eſſe, qui ſemel oravit vel alterum fecit de prædictis cum eis: Si verò pluries poſſet dici vehementer ſuſpectus. Si autem prædicta omnia feciſſet, maximè ſi pluries, poſſet dici vehementiſſimè ſuſpectus. Ideo iſta diximus, ut diſcretus judex purgationem poſſit gravare, vel moderari, prout magis viſum fuerit expedire, &c.

Item quæritur, quid ſi quis ante inquiſitionem inceptam fuit confeſſus ſacerdoti ſuo de hæreſi, vel fautoria, ut vocatur modò ab Inquiſitoribus? in caſu iſto credatur confeſſori ſuo; B & ſi inventus fuerit benè confeſſus per confeſſionem ſacerdotis: licèt ſacerdos malè fecerit, quia ipſum non remiſit ad Epiſcopum ille tamen confitens per talem confeſſionem evitet pœnam temporalem, niſi inveniatur in falſa pœnitentia, vel relapſus poſt pœnitentiam, vel publicè diffamatus.

Formæ pœnitentiarum

Hæretici perſeverantes in errore relinquantur curiæ ſæcularis judicio. Perfecti verò hæretici, ſi converti voluerint, dogmatizantes, abſolutione præhabita, & abjuratione facta perpetuo carceri intrudantur.

Credentes verò hæreticorum erroribus ſolemnem faciant pœnitentiam. Hoc ſcilicet modo, quòd in feſto omnium ſanctorum proximè venturo, & in prima C Dominica adventus, in die natalis Domini, &c. ſint in proceſſionibus ad ſedem, ſeu Eccleſiam Cathedralem, & ibi diſcalceati in braccis, & camiſia, &c. publicè diſciplinati per Epiſcopum, vel Sacerdotem Eccleſiæ. Item in 4. feria in capite jejunii veniant ſimul ad ſedem, & ſint, eodem modo, & ſecundum formam juris diſcalceati in braccis, & camiſia, & expellantur ab Eccleſia, & ſint extra Eccleſiam per totam Quadrageſimam: ſic tamen ad fores Eccleſiæ, quòd ibi audiant officium. Et in die cœnæ Dom. ſint diſcalceati in braccis, & camiſia ante fores Eccleſię, & tunc ſecundum publica inſtituta publicè reconcilientur Eccleſiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de ſtando extra Eccleſiam per totam quadrageſimam, & de die cœnæ faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus Dominicis Quadrageſimæ, facta reconciliatione, exeant Eccleſiam, & D ſtent uſque in diem cœnæ, & portent duas cruces perpetuò ante pectus, quæ non ſint ejuſdem coloris cum veſtibus, & portent, itaut videri poſſint ſolemniter pœnitentes: ita tamen, quòd non abſtineant ab ingreſſu Eccleſiæ ultra decem annos, &c. Pœnitentia illorum, qui ſunt fautores, & ſuſpecti, erit ſolemnis eodem modo in feſto omnium Sanctorum, S. Mariæ Februarii, Ramis Palmarum; & aliam pœnitentiam de feria 4. Quadrageſimæ, & ſtando extra Eccleſiam per totam Quadrageſimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium. Intelligitur tamen, quòd mulieres veſtitæ veniant, & diſciplinentur, &c.

Notat autem Bzovius ad calcem hujus Concilii, quòd Eliberitani ſeveritatem imitabatur, cùm ſecundum ejus formam aliqui inquiſitores agerent: E habuerunt, inquit, ſanguine ſuo proprio fidei Catholicæ ſubſignare.

Concilium Viennenſe, auctoritate Guidonis Legati Apoſtolicę Sedis cauſa reformandę Eccleſiæ celebratum anno Domini 1267. tempore Clementis Papæ IV.

HUic Viennenſi Concilio Henricus Stero in ſuis Annalibus, apud Henrici Caniſii primum Antiquitatum Tomum extantibus, luculentiſſimum teſtimonium præbet his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini 1267. Dominus Guido Cardinalis Apoſtolicæ Sedis*

Sedis Legatus 6. Idus Maji apud Viennam Concilium celebravit, cui interfuerunt Ioannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Bruno Brixinensis, Chunradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Annultricus Lanendinensis Episcopi, & alii quamplures de ipsis Diœcesibus, Prælati, Archidiaconi, & Decani. Hæc Stero in suis Annalibus. Vide Binium hic.

Concilium Salisburgense pro recipiendis Lugdunensis Synodi Constitutionibus, aliisque de causis congregatum anno Domini 1274. tempore Gregorii Papæ Decimi.

AD honorem, & gloriam sponsæ Christi, & fidei Christianæ. Nos, Dei gratia, Fridericus, sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & cæteri aliarum Ecclesiarum Episcopi, in Provinciali hoc sancto Concilio congregati, de Consilio Ven. Prælatorum Salisburgensis Provinciæ, &c. definiendo præcipimus, ut Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, Statuta sacra Generalis Concilii celebrati proximè in Lugduno, in Ecclesiis, & subditis suis Clericis, et laicis, secundum quod eadem Statuta istis, et illis conveniunt, & quantum eos tangunt, sic sollicitè, & frequenter studeant publicare, ut ipsorum Provincialium, et subditorum memoriæ, et observantię imprimantur.

Item ordinatum est, ut Statuta sequentia serventur.

Ut Abbates S. Benedicti illius Provinciæ, Provinciale Capitulum suum infra festum Resurrectionis venturum proximo celebrent, juxta formam à sacris Canonibus eis datam, in quo de moribus corrigendis tàm in se ipsis, quàm in suis subditis, tractent, & ordinent diligenter.

Ut Abbates prædicti Monachos fugitivos in sæculo divagantes revocari procurent. Et quod in singulis Monasteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, seu aliàs delinquentes enormiter Monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

Sed nec licitum sit Abbatibus, cùm nec unquam licuerit, Monachos ad Ordinem strictiorem transeuntes minimè absolvere ab obedientia, quæ Monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

Ut pro levibus offensis ad alia Monasteria Abbates non mittant: cùm delictum potiùs illic puniri, & mori debeat, ubi committitur, & patratur.

Ut Abbates non usurpent sibi Pontificum potestates.

Idem servetur à Canonicis Regularibus.

Revocantur licentiæ Fratribus diversæ Religionis factæ, in Confessionibus audiendis, et Indulgentiis largiendis, quæ ad Sacerdotale, et Pontificale ministerium pertinent.

Circa Indulgentias ab aliis prædecessoribus concessas, volumus eas manere in suspenso, et ne quis eis utatur, sub anathemate prohibemus, donec Episcopus loci plenè discutiat, quas in quibus locis ratas habere conveniat, aut quas magis expediat revocari.

Clerici plura Beneficia non possideant.

Clerici curam animarum habentes in Parochiis resideant.

Clerici comam non nutriant.

Clericus vestes non deferat, nisi clausas, quas omnimodo prohibemus à latere aperiri.

Clerici tabernas non intrent.

Clericus excommunicatus, sacra profanans, carceri mancipetur.

Prælati neminem tondeant, aut benedicant, nisi approbatam profiteatur Regulam.

Clericis vagis nullus aliquid beneficii, vel juvaminis erogare præsumat.

Sententias censurarum, quas unus juste protulerit, cęteri quoque publicent.

A Religiosus extra Ordinem suum Confessorem non eligat, nisi de Prælati sui licentia.

Contra recipientes Prælaturam, aut Ecclesias de manu laicorum.

Concilium Tarraconense pro Canonizatione Raymundi Pennafortii celebratum anno 1279. sub Nicolao Papa III.

DE hac synodo Bzovius ex Surrita istà refert: Tarracone in Aragonia ad 7. Idus Decembris Bernardus Tarraconensis Archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, &c. Item Abbates, & alii Prælati Concilium celebrarunt. Ex ejus decreto litteris enixè Nicolaum Pontificem interpellarunt, ut Raymundi Pennafortii viri sanctissimi memoria, B sua certa, destinataque sententia religione omnium consecraretur, aræque ei inter Divos ritu solemni statuerentur, utpotè cujus viri sanctitas insigni tunc splendore apud omnes prefulgeret. Nihil tunc in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quòd Rex Petrus à Procyda seductus, turbas Italiæ moliretur, neque censum Romanæ Ecclesię pendere voluit.

Concilium Salisburgense in causa Ecclesiasticæ Disciplinæ, tempore Friderici Archiepiscopi, habitum anno Dom. 1281. sub Martino Papa IV.

IN hoc Concilio statuta sunt plura ad Ecclesiasticam doctrinam pertinentia: ut De alienationibus Ecclesiarum; De dispensatione, & Prælatorum ratione C facienda: De jejunio Religiosorum: De Monachis, & Regularibus proprietariis: De habitu Religiosorum: De discursu Religiosorum: De Capitulis Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum: De immoderatis sumptibus Visitatorum: De Monialibus in claustris communem vitam non ducentibus, &c.

Concilium Ravennatense in causa Reformandæ Ecclesiasticæ Disciplinæ, celebratum anno Domini 1286. tempore Honorii Papæ IV.

Constitutionum Concilii Ravennatis summa.

D NE Clerici joculatores, vel histriones à laicis transmissos recipiant.

De pauperibus alendis, & vestiendis.

De honestate, & habitu Clericorum.

De promotione habentium Parochiales Ecclesias.

De quotidianis distributionibus.

De testamento usurariorum, ne excipiatur à notario, nisi Presbyter Parochialis præsens sit.

De decimis.

De criminibus, & delictis specialiter Episcopis reservandis.

De immunitate Ecclesiarum.

E *Concilium Herbipolense sub præsidio N. Legati Sedis Apostolicæ in præsentia Rodulphi Imperatoris, multorumque Principum, celebratum anno Domini 1287. tempore Honorii Papæ IV.*

EOdem anno, Chronicon Hirsaugiense ait, Martinus Papa IV. Legatum de latere misit in Alemanniam Episcopum Tusculanum: qui veniens ad Herbipolim, in præsentia Rodulphi Regis Romanorum, & multorum Principum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, atque nobilium, Concilium celebravit: ubi inter alia Legatus ipse nomine Papæ, contributionem decimi denarii à Clero, & Rex ab universo populo Imperii instantissimè exigere cęperunt, multis Principibus in eorum sententiam consentientibus. Siphridus autem Archiepiscopus Coloniensis, & Henricus Archiepisco- *Exactiones graves super clerum, & populum.*

piscopus Trevirorum, contra insolitam, ac nimis gravem exactionem, se fortiter opponentes, negotium penitus revocarunt. Hæc Trithemius in prædicto Chronico.

Concilium Mediolanense in causa Disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ, habitum anno 1288. sub Nicolao IV.

CONstitutiones synodales hoc Concilio promulgatas summatim recenset Bzovius in Annalibus his verbis.

Mediolani porro eodem anno, auctoritate Summi Pontificis, Otto Archiepiscopus indicta, convocataque synodo Provinciali, in Ecclesia sanctæ Theclæ, præsentibus quamplurimis Episcopis, Abbatibus, & reliquis ex clero, ad 12. diem Septembris multa saluberrima constituit.

In primis, Constitutiones Summorum Pontificum, & Friderici olim Imperatoris, contra hæreticos latas, inviolabiliter observari, & ex earum præscripto, contra fidei Catholicæ prevaricatores procedi mandavit.

2. Abbates, Monachos, & reliquos omnes religiosos, ut ex Formula S. Benedicti, & S. Augustini viverent, admonuit.

3. Ne Moniales quovis prætextu septa Monasteriorum, in quibus reclusæ, egrederentur, edixit.

4. Aucupium, & venationem universo Clero, lata excommunicationis sententia, interdixit.

5. Alienandi bona quæcumque sive mobilia, sive immobilia Ecclesiastici Juris fuerint, potestatem omnibus abstulit, neve quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, sub anathematis, & nullitatis censura prohibuit.

6. In detentores Ecclesiasticorum bonorum gravissimas pœnas promulgavit.

7. Falsi crimine obnoxios à communione Sacramentorum, atque fidelium segregavit.

8. Legatorum piorum fraudatores cœtu Christianorum indignos esse judicavit.

9. Potestatem ædificandi Ecclesias, aut Oratoria, penes solos Episcopos esse jussit.

10. Rerum sacrarum ex testamento, vel codicillis relictam administrationem penes solos Parochos esse voluit: aliaque pro Ecclesiastica disciplina, ex more prisco sive revocanda, sive observanda, in eodem Concilio sanctissimè ordinavit.

Concilium Salisburgense de Hospitalariorum, Templariorum, & Teutonicorum Ordinibus conjungendis, celebratum anno Domini 1291. tempore Nicolai Papæ IV.

QUa occasione hec synodus indicta, quidque in ea gestum fuerit, Eberhardus hujus temporis Scriptor, ita habet.

Anno 1291. civitas Acaron, quam solam habebant Christiani in Terra sancta, obsessa est per Soldanum Babylonensem, & per 40. dies, & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia & capta sunt, & occisa, aliqui autem per navigium fugerunt: & quia multorum erat opinio, quòd si Fratres domorum ibidem, scilicet Hospitalarii, Templarii, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordasset, civitas capta non fuisset; mandavit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, ut Concilia Provincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope, vel consilio eidem Terræ possit subveniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ, rescriptum fuit Domino Papæ, & consultum, ut prædicti tres Ordines converterentur ad unum Ordinem, melioribus eorum observantiis in unum redactis: & quod ad succursum ejusdem Terræ sanctæ, Rex Romanorum cum Principibus voca-

Dissensio Christianorum.

A retur. Qui nuntii antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus est; & sic hoc negotium remansit infectum.

Concilium Londinense, de ejectione Judæorum, habitum anno Christi 1291. tempore Nicolai Papæ IV.

BErnardo Episcopo Grosietano Sedis Apostolicæ Legato in Anglia nondum præsente, Londini ad VVestmonasterium celebratum est concilium. In hoc in primis agitatum est de ejectione Judæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quo sic oves ab hœdis segregarentur. Itaque publico jussum est Edicto, ut infra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi jussis concilii parentes, aliò discesserunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exivit, misera semper alicubi terrarum peritura, usque B eo dum denique deleatur.

Eodem concilio Eduardus exposuit, se cupere ire in auxilio Christianis in Asiam; & quia res Religionem pertinebat, voluit, ut Sacerdotes pecuniam suppeditarent. Postremò placuit Regi, similiter atque Principibus illud injurium jure iterato statuere, ne cui hominum liceret dare prædia Collegiis Monachorum, neve liceret Monachis, aut aliis Sacerdotibus emere possessiones. Quam legem ad manum mortuam vocarunt, durat in hodiernum diem, Polydorus Virgilius l. 17. Angl. Historiæ. Supervenit tandem Legatus, & unà cum Joanne Beccano Archie-C piscopo Cantuariensi sibi adjuncto, Regem iniquitatis, atque impietatis redarguit: Legemque abrogare, & Ecclesiis, Ecclesiasticisque rebus, ac personis libertatem restituere coegit. Bzovius.

Concilium Mediolanense, pro auxilio Terræ Sanctæ ferendo congregatum, anno Domini 1291. tempore Nicolai Papæ IV.

AD diem 27. mensis Novembris hujus anni, Otto Archiepiscopus Mediolani in Ecclesia sanctæ Teclæ synodo Provinciali Episcoporum, & universi cleri congregata, multa ad Ecclesiasticam disciplinam revocandam constituit, ac Fratre Stephanardo Ord. Predicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Christi fidelium, ad auxilia Terræ sanctæ à Saracenis oppressæ, auctoritate Summi Pontificis Cruce signavit. Dedit insuper istud salubre Summo D Pontifici consilium, ut Milites Jerosolymitani, unà cum Templariis, & Teutonicis in unum Ordinem congregarentur, iisdem institutis viverent, & unitis armis contra Barbaros dimicarent, præfecto copiis Crucesignatorum Rege Galliarum. Bernard. Coirus Histor. Mediolan. 2.

Concilium Ascaffenburgense Provinciale, sub præsidio Gerardi Moguntini Archiepiscopi celebratum, anno 1292. post obitum Nicolai Papæ IV. tempore Interregni Pontificii.

DE hoc concilio ita Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Anno præscripto Gerardus Archiepiscopus Mogun-E tinus synodum Provincialem suffraganeis, & Prælatis suis Ascaffenburg. celebrandam indixit, ubi convenerunt Episcopi Eistetensis, Spirensis, Augustensis, Herbipolensis, Bambergensis, Hildeshemensis, & VVormatiensis cum aliis multis Abbatibus, Præpositis, Decanis, atque Presbyteris, qui multa, & varia in negotiis Ecclesiasticis utilia statuerunt.

Concilium Lugdunense, quò inhibetur Principibus, ne Sacerdotibus vectigalia imponant, anno Dom. 1297. celebratum, tempore Bonifacii Papæ VIII.

HÆc synodus, inquit Genebrardus lib. 4. Chron. celebrata, Præside Bonifacio Pontifice, qui animad-

madvertens; quotidiè Principes nova vectigalia Sacerdotibus imponere interdum sine causa; interdixit in eo concilio, ne posthac id facerent, neve Sacerdotes injussu Romani Pontificis illa imposita conferrent. Quod statutum fuit causa magnæ discordiæ in Anglia, Polidorus Virgilius l. 17. hist. Angl.

SÆCULUM DECIMUM QUARTUM.

Concilium Romanum, quo Philippus Rex Francorum excommunicatur, anno Domini 1302. tempore Bonifacii Papæ VIII.

ANno à Christo Salvatore genito, 1302. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, grave adversum Pontificem maximum Bonifacium Octavum conceperat odium, tùm Gibellinæ factionis studiosiorem existimans, tùm quod fidem temere prævaricatam contenderet. Promisisse enim sibi paucis ante annis, cùm alia quædam, tùm de summa Romani Imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeo Carolum fratrem disertè fuisse in conventis nominatum, cui id decus primum affignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidisse ad nihilum, Alberto Austrino Teutonico Principe palam nuper decretis ejus comprobato.

Eas Rex causas gravius secum considerans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacii irritandi inventa. Columna gens Romæ opibus, & clientelis insignis, Octavo, id est, Bonifacio, inter Comitiorum arcana, suffragii jure ne eligeretur, obstiterat. Itaque iis quoque Bonifacius, per speciem expilati thesauri Ecclesiæ effecerat, ut & ædes, & suburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales jam essent, venerando Collegio excederent. Interea Stephanus ex ea gente, profugus in Gallia habitans, idoneus Philippo visus est, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter, humaneque haberi, liberaliusque quàm fortuna exulantium est. Ad hoc Philippus, ne quid potentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus antea pro decretis, proque more sanctæ Matris Ecclesiæ componi solitos, ipse ordinare citra consensum Præsidis Romani statuit.

Quæ ubi Summus Antistes intelligit, gravissimè tulit injuriam pessimi exempli, id quod erat existimans, si vel Antecessorum rectè constituta temerè rescinderentur, vel auctoritatem Pontificiam laicus Princeps profanasset. Itaque quo partes suæ justiores vulgo noscerentur, lege potius agere, quàm armis instituit. Prælatos Gallicos majores convenire Romam universos jubet, ad publicam Synodum celebrandam. Hi ne regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octavum Bonifacium delatis, increpatur Rex primum per literas: deinde, cum castigationem contumaciæ parvipenderet, sacrorum participatione arcetur. Neque eo minus Prælatis Regni sui ipse Lutetiam accersitis causam quoque suam approbare nititur. Hæc de Philippi excommunicatione Vecerius in Vita Henrici VII. Imperatoris.

Concilium Salisburgense I. causa decimarum Sedi Apostolicæ solvendarum habitum, anno Dom. 1310. tempore Clementis Papæ V.

ANno Domini 1310. convocato Provinciali concilio Salisburgensi, & proposita ibidem petitione Domini Clementis Papæ Quinti, concordaverunt omnes, quod summa Decimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse potuerit persolvenda, solvi debeat summo Pontifici in terminis infrascriptis: ita dumtaxat, quod primus terminus solutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in isto proximo festo S. Georgii, sit in proximo futuro festo B. Martini: & secundus terminus solutionis faciendæ ejusdem anni, sit in proximo subsequenti festo S. Georgii. Et primus terminus secundi anni sit in alio subsequenti festo S. Martini: secundus verò terminus, & ultimus sit post hoc, in subsequenti festo sancti Georgii. Et quod decimam dabit de omnibus possessionibus, bonis, & redditibus, & Beneficiis Ecclesiasticis. Hæc de eis, quæ Beneficiorum intuitu possident, expensis necessariis deductis. Et quod Ecclesiæ, quarum redditus pro majori, vel pro media parte in obligationibus, legatis, & testatis consistunt, de iisdem obligationibus legatiæ, seu testam. decimam solvere teneantur. *Festo sancti Georgii sit in proximo.*

Item Capitula, Collegia, seu Conventus in communi de suis redditibus decimabunt, &c.

Hospitalis verò, & Domus leprosorum, cum annexis sibi Ecclesiis, super quibus fundata sunt, decimas non præstabunt, &c.

Concilium Salisburgense II. Quo Statuta quædam Pœnalia declarantur anno Dom. 1310. celebratum tempore Clementis Papæ V.

DEclarationes Statutorum in concilio Provinciali, Domini Conradi Archiepiscopi Salisburgensis, anno Domini 1310.

Primo Statutum de clericis tabernariis, quod incipit: clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quod causæ rationabiles, & honestæ intelligi debeant, si quis ad tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, &c. vel si impræmeditate intret, oblitus Constitutionis, seu ex quacunque necessaria, vel utili causa, non voluptuosa, ibique biberit, vel comederit, pœna Statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad lusores non extendatur. *Modificatio de ingressu tabernarum per Clericos.*

Item Statutum de rationibus à Prælato faciendis taliter mitigamus, quod revocata pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, reliqua in robore permaneant.

Concilium Moguntinum, quo sub præsidio Petri Moguntini Archiepiscopi, jussu Pontificis tractata est causa Templariorum, anno Dom. 1310. tempore Clementis Papæ V.

ANno 1310. ante Viennense concilium, in quo Clementinas edidit Clemens V. concilium habuit, secunda, tertia, & quarta Feriis post Dominicam Jubilate, idem D. Petrus Provinciale, in quo Statutorum Provincialium ex antiquioribus synodis compendium collegit, cujus vix paucula supersunt: & Romani Pontificis jussu tractata est Templariorum causa.

Comparuit autem in synodo Hugo Comes Silvestris, & Rheni, qui morabatur in Grumbach cum xx. Fratribus, sub habitu Ordinis propè armatis. Hi omnes, non quidem vocati, sed ultro, & subito in consessum patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiscopus viros considerans, ac violentiam timens, placide jubet, Commendator ut sedeat, &, si quid habeat in medium afferendum, ut depromat. Qui elata, & libera voce exorsus, se, suosque Fratres, inquit, intellexisse, hanc synodum sui Ordinis delendi gratia potissimum congregatam ex commissione Romani Pontificis. Enormia enim scelera illa, & plusquam Ethnica flagitia illis objici, quæ in privato designarent, quod ipsis sanè esset gravissimum, & intolerabile: maximè quod non ordinariè auditi, nec convicti condemnarentur. Quare coram ista Patrum congregatione se appellare, & provocare ad futurum Pontificem, ejusq; universum clerum: publicè quoq; protestari, eos, qui propter talia flagitia alibi igni traditi essent, & combusti, constanter pernegasse, sed quidquam eorum designasse, atque in ea confessione tormenta, & mortem perpessos: imo Dei Opt. Max. singulari judicio, & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quod albæ chlamydes, ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt absu- *Templariorum innocentia.*

absumi Archiepiscopus his auditis, ne tumultus suboriretur, protestationem eorum admisit, seque cum Romano Pontifice acturum respondit, ut quieti esse possint, atque ita ad propria sunt dimissi. Posteà verò Petrus aliam commissionem obtinuit, juxta quam procedens, prædictos censuit absolvendos, actum anno 1311. Calendis Julii, ut Nauclerus ex quodam Jacobo Moguntino tradidit. Habuisse autem Archiepiscopum Moguntiæ Concilium Provinciale, anno 1313. refertur M. S. sed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur unum, & idem. Hæc Serarius lib. 5. in Historia Petri Archiepiscopi.

Concilium Ravennatense, pro disciplina, & moribus Ecclesiæ reformandis, celebratum anno 1311. tempore Clementis Papæ V.

Constitutiones editæ in Concilio Provinciali celebrato in Ecclesia Ravennatensi, & convocato per Venerabilem Patrem D. Rainaldum, permissione divina sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopum.

1. De orationibus fundendis ad Deum pro cleri ordinatione vacantium Ecclesiarum, & aliis divinis officiis.
2. De exequiis Episcoporum decedentium.
3. De anniversariis Episcoporum.
4. De anniversario Patronorum, & Benefactorum Ecclesiarum.
5. De reliquiis sanctorum, & earum veneratione.
6. De Sacramentis Ecclesiasticis.
7. De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & Olei sancti.
8. De utensilibus, paramentis, & libris, & cæteris ornamentis Ecclesiasticis.
9. De informatione Ministrorum, & celebratione Missarum.
10. De annuntiatione Festorum, ac celebratione ipsorum, & observatione jejuniorum.
11. De Sacramento Baptismi, & forma conferenda.
12. De munditia Ecclesiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta.
13. De prædicatoribus verbi Dei.
14. De statu Regularium, & ipsorum reformatione.
15. De Pœnitentiis.
16. De Beneficiis, & Præbendis Ecclesiasticis, & idoneitate, & sufficientia Ministrorum.
17. De Monachis, ut omnes ejusdem Ordinis in divinis officiis sint conformes.
18. Quod singuli comprovinciales Episcopi semel in anno synodum facere teneantur.
19. De clandestina desponsatione, & matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.
20. De intrusis, & electis per potestatem laicorum.
21. De contumacibus, & rebellibus subditis contra debitam obedientiam Prælatorum.
22. De Apostatis.
23. De Judæis.
14. De excessibus Prælatorum.
23. De Rectoribus Hospitalium.
26. De injuriis, & damno dato.
27. De excessibus laicorum blasphemantium Deum, vel Sanctos.
28. De pœna illorum, qui excommunicationem contemnunt.
29. De pœna adulterorum.
30. De eleemosynarum largitione.
31. De Testamentis.
32. De salariis, & solutionibus scripturarum.

Viennense Generale XV. habetur in 3. classe.

Concilium Ravennatense III. eadem de causa celebratum anno Dom. 1314. post obitum Clementis V. tempore Interregni Pontificii.

Constitutiones D. Rainaldi editæ in concilio celebrato Argentæ.

1. Quod tantum constituti in sacris vocem habeant in Capitulo.
2. De ætate, & qualitate ordinandorum.
3. De non consecrandis in Episcopos peregrinis, & ignotis, & quod aliquis suffraganeus non vadat extra Provinciam pro consecratione facienda.
4. De peregrinis, & ignotis Episcopis non admittendis.
5. De Delegatis, vel Legatis, ut faciant fidem suæ Legationis.
6. De majoritate, & obedientia, ac honorificentia Prælatorum, & pœna non obedientiũ superioribus suis.
7. De instrumentis conficiendis, & non retinendis per Advocatos, Notarios, seu Procuratores.
8. De præscriptionibus, & quod nullus prætextu alicujus temporis possit se defendere, quin visitetur.
9. De appellationibus, & pœna non prosequentium appellationem ab excommunicatione interpositam.
10. De vita, & honestate clericorum, ac ornatum eorum.
11. Quod nullus accedat ad Monasteria Monialium, & quod Moniales non exeant Claustrum.
12. De beneficiis Ordines sacros requirentibus, & de pœna eorum, qui negligunt ad ipsos Ordines promoveri: & Præbendis in Ecclesiis Cathedralibus absque Ordinibus sacris non retinendis.
13. De celebratione Missarum, & pœna non celebrantium.
14. De Baptismo, & ejus forma.
15. De veneratione Sanctorum in Confessione habenda.
16. De observantia jejuniorum facienda tempore convocandorum Conciliorum.
17. De raptoribus, & invasoribus bonorum Ecclesiasticorum mobilium.
10. De obtinentibus Ecclesiastica Beneficia spe ctantia ad mensam Prælatorum.
19. De sententiis interdicti, pro pecuniariis causis, minimè proferendis.
20. De indulgentiis revocatis.

Concilium Ravennatense IV. celebratum Bononiæ, anno 1317. tempore Joannis Papæ XX. vulgo XXII.

Constitutiones Concilii Bononiensis.

1. Quod Episcopus ponat Oeconomum ad custodiam rerum vacantium Ecclesiarum.
2. Quod nullus præsumat in spiritualibus ministrare, nisi prius ab Episcopo loci sibi fuerit animarum cura commissa.
3. Quod quilibet se faciat promoveri infra annum ad Ordinem, quem requirit Beneficium suum.
4. De vita, & honestate clericorum.
5. Quod nullus de cætero recipiatur in Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in Monachum, seu Fratrem alicujus Monasterii, seu Regularis Ecclesiæ, sine licentia speciali sui Ordinarii.
6. Quod nullus recipiatur in aliquo Monasterio, seu Regulari loco, per potentiam laicorum.
7. De denuntiatione fienda Metropolitano de Beneficiis vacantibus ad eum devolutis.
8. Quod certus Canonicorum numerus statuatur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi non est ab antiquo statutus.
9. De clericis non residentibus.
10. De quotidianis distributionibus.
11. De censibus, & collectis imponendis.
12. De celebratione Missarum.
13. Quod nullus Archipresbyter, Præpositus, vel Prælatus inferior Episcopo, possit in Ecclesiis sibi subjectis inquisitiones formare, accusationes admittere, vel ad privationem procedere contra clericos earumdem Ecclesiarum.
14. De Judæis.

15. De

15. De cautione recipienda ab usurariis, & de pœnis recipientium usurarios ad Ecclesiastica Sacramenta, seu sepulturam.
16. De pœna procurantium male ablata incerta legari sub alio nomine, seu modo.
17. Quod clerici, & Religiosi à venationibus se abstineant.
18. De pœna Judicum sæcularium, qui clericos repertos in armis, vel in aliis maleficiis deprehensos, detentos retinent, vel ad suum Judicem opprobriosè remittunt.
19. Quod nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri.
20. De Indulgentiis, seu remissionibus.
21. De exequiis Episcoporum nuntiandis per Capitula Ecclesiarum Cathedralium Archiepiscopo, & Suffraganeis, ut devotè ab omnibus celebrentur.
22. De Beneficiis, & Indulgentiis concessis in concilio, & de potestate dispensandi, & interpretandi Constitutiones concilii.
23. De Monialibus.
24. De salariis Notariorum, & Sigilliferorum.

Concilium Sabiniense, apud Vallemoleti, Palentinæ Diœcesis, auctoritate Guillermi Sabinensis Episcopi, & Sedis Apostolicę Legati celebratum in Hispania, anno Domini 1322. tempore Joannis Papæ XX. vulgo XXII.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

Istæ sunt Constitutiones per nos fratrem Guillermum, Dei permissione Episcopum Sabinensem, Apostolicæ Sedis Legatum, factæ, ac editæ in concilio celebrato per nos apud Vallemoleti Palentinæ Diœcesis, Prælatis omnibus nostræ Legationis ad celebrandum dictum concilium convocatis: De Constitutionibus. De Officio Ordinarii. De foro competenti. De Feriis. De testibus. De vita, & honestate clericorum. De cohabitatione clericorum, & mulierum. De clericis non residentibus. De Præbendis. De Parochiis. De Decimis. De statu Monachorum. De Religiosis domibus. De Jure patronatus. De Baptismo. De observatione jejuniorum. De immunitate Ecclesiarum. De consanguinitate, & affinitate. De Simonia. De Magistris. De Judæis, & Saracenis. De adulteriis. De raptoribus. De sortilegiis. De purgatione Canonica. De purgatione vulgari. De pœnitentiis.

Concilium Toletanum, auctoritate Joannis Archiepiscopi, & Primatis Toletani, celebratum anno Domini 1324. tempore Joannis XX. vulgo XXII.

IN nomine Domini, Amen.

Constitutiones Concili Toletani.

Ut Constitutiones per Dominum Guillermum Sabinensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum, in Concilio per eum Vallemoleti celebrato serventur, cum infrascriptis.

Ut Episcopi vocati ad concilium personaliter veniant, nisi legitimo impedimento fuerint detenti.

Nullus clericus supertunicale, vel tabardum deferat ita longum, quod si ad pedes contingat, nullatenus per terram trahatur, cùm hæc non honestas, sed superfluitas, & indecentia censeatur.

Ut Capellaniæ, & Beneficia instituta, & de cætero instituenda habeant juxta ordinationem statuentium proprios servitores.

Nullus in Curato beneficio administret, donec in eo per Diœcesanum Episcopum institutione auctorizabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum.

Nullus clericorum bona intuitu Ecclesiæ acquisita, filiis, vel filiabus suis det, vel conferat inter vivos, vel in testamento contra canonum instituta dimittat.

Nullus presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed gratè accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi charitativè fuerit absque pacto, & conventione quacumque. *Simonia in Missa.*

Nullus insuper causa necessitatis, excepto die Nativitatis Domini, præsumat, nisi unam Missam celebrare in die. Præcipimus etiam in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Presbyteris, quod Missam celebrent, ut frequentius poterunt, & ad minus quater in anno. Alii verò clerici ad minus communicent ter in anno.

Ne Saracenis victualia vendantur.

Concilium Avenionense, contra Nicolaum V. Antipapam, ejusque errorem, celebratum anno Domini 1328. tempore Joannis Papæ XX. vulgo XXII.

NIcolaus Quintus, Petrus Corbariensis anteà nominatus, Ordinis Minorum, contra Joannem XXII. quem Ludovicus IV. acerrimè oderat, studio, & opere ejusdem Ludovici Antipapa creatus fuerat. Qui cùm præter schisma Ecclesiæ illatum, publicè doceret, Jesum, ejusque discipulos adeo pauperes semper fuisse, ut nihil umquam neque in commune, neque privatim habuissent; indictum est hoc concilium, quod Antipapam verè, meritoque condemnavit, errorémque ejusdem, sacræ Scripturę contrarium refutavit. Celebratum est hoc Concilium juxta Marium cap. 21. De schismaticis, tempore 21. schismatis.

Concilium Toletanum I. auctoritate Ægidii Toletani Archiepiscopi ad reformandos mores Ecclesiæ, celebratum anno Domini 1339. tempore Benedicti XI. vulgo XII.

NE possessiones Ecclesiarum alienentur, sub pœna excommunicationis.

Promovendi ad Ordines, & ad curam animarum literati sint.

Ex qualibet Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia aliqui clerici apti, & docibiles, ad studia generalia Theologiæ, & Juris Canonici, ac liberalium artium mittantur.

Ad concilium celebrandum Episcopi citati accedere teneantur, vel saltem aliquem suo nomine mittere, si ipsi impediti fuerint legitimè.

Universi, & singuli Ecclesiarum Rectores, sub pœna excommunicationis servare teneantur præscriptum in cap. *Omnis utriusque sexus.*

Concilium Toletanum II. Auctoritate Ægidii Archiepiscopi Toletani, celebratum anno Domini 1347. tempore Clementis Papæ VI.

UT Episcopi deferant capellos rotundos, & in superiori parte laneos, nullatenus sericos, cum nigra, & non alterius coloris, fodratura.

De immunitate Ecclesiarum.

De pœnitentiis, & remissionibus.

De Simonia.

Concilium Salisburgense in causa disciplinæ Ecclesiasticæ tempore Pilgrini Archiepiscopi, celebratum anno Dom. 1386. sub Urbano VI.

IN hac synodo multa utilia statuta sunt: De modo dicendi Horas Canonicas. De absolutionibus impendendis. De abutentibus indulgentiis à superioribus super absolutionibus concessis. De modo absolutionis impendendæ in casibus dubitabilibus. De habitu clericorum. De munda conservatione rerum, & vasorum divino cultui deputatorum. Ne mendicantes admittantur sine Diœcesanorum licentia. De immunitate clericorum, & earum rerum, ab impositionibus sæcu-

ſecularium Dominorum. Contra vilipendentes ſententias excommunicationis. De non recipiendis pedagiis à clericis. De occupatoribus Beneficiorum, & bonorum eorum. De uſurariis, & eorum pœnis. Ne clerici conveniantur coram ſæcularibus Judicibus. Ne ignoti Presbyteri admittantur ad divina. De Notariis publicis. Ut Epiſcopi, Prælati, & Rectores habeant quæſtiones ſigillatim.

Concilium Palentinum, ſub præſidio Petri de Luna Anticardinalis in Hiſpania (quæ adhuc iſto tempore Clementi Antipapæ adhæreſcebat) celebratum anno Domini 1388. *tempore Urbani Papæ* VI.

DE officio Ordinarii. De cohabitatione clericorum, & mulierum. De clericis conjugatis. De rebus non alienandis. De Judæis, & Saracenis. De Feriis per infideles colendis. De adulteris.

SÆCULUM DECIMUM QUINTUM.

CONCILIABULUM AQUILEJENSE in Auſtria.

Pro tollendo ſchiſmate per Gregorium Papam XII. *anno Domini* 1409. *circa feſtum Penteçoſtes celebratum.*

HAnc Synodum Gregorius indixit anno Pontificatus ſui ſecundo, per Epiſtolam quamdam apud Theodoricum Niem lib. 3. de Schiſmate extantem, in qua ſic habetur.

Generale concilium (quod omnes vias ad unionem includit, quodque congregare ſolius Romani Pontificis eſſe dignoſcitur, ſine cujus authoritate factum, non concilium, ſed conciliabulum, aut Conventiculum dicitur, & definitur nullum exiſtere) ad feſtum Pentecoſtes immediatè ſequentis, & in Provincia Aquilejenſium, & Exarchatu Ravennatis, divino auxilio invocato, de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore indicimus, & etiam convocamus, &c. Et quoniam peſtiferum hoc ſchiſma tolli veriſimiliter non ſperatur ſine Dominorum temporalium voluntate, chariſſimos in Chriſto filios noſtros Rupertum Romanorum, & alios Reges, & nobiles viros, Duces, Principes, cæteroſque potentes, nec non Communitatum, & Univerſitatum regimina principalia requirimus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus ad idem concilium perſonaliter veniant, aut aliquos viros ſolemnes, & doctos, & Deum timentes tranſmittant, ut fiat, Deo annuente, pax, & unitas eodem in populo Chriſtiano, &c. ſic in Epiſtola præfata,

Idem Gregorius à Luca recedens, & ad Senenſium civitatem perductus, ſtando ibi per tres menſes, vel circiter, interim ad dilatandum ſchiſma alios novos Cardinales creavit, & poſtea verſus Ariminum tranſivit, ubi etiam hyemando, in Quadrageſima tunc inſtanti, ad terram civitatis Auſtriæ Aquilejenſis diœceſis acceſſit, & ibi circa feſtum Pentecoſtes tunc ſequens, ſuum conciliabulum celebravit, paucis ibi exiſtentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c.

Conciliabulum auctoritate Benedicti Antipapæ, quem vulgo XIII. *nominant, celebratum in Aragonia anno Domini* 1409.

ACta concilii Theodoricus Niem li. 3. Schiſmatis, cap. 36. & 37. deſcribit his verbis.

Præfatus verò Petrus de Luna in ipſo Regno Aragoniæ tunc temporis aliud conciliabulum, in quo erant quamplures Epiſcopi, Abbates, & alii Eccleſiaſtici Prælati de Hiſpania, Catalaunia, & quibuſdam adjacentibus Provinciis de ipſius obedientia, celebrabat: In quo quidem Conciliabulo inter cetera dicti Epiſcopi ſic conſuluerunt: Sanctiſſime Pater, hoc ſacrum Generale concilium ſupplicat, & conſulit humiliter, & devotè S. V. Primo, Quod non obſtantibus quibuſcumque perſecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum, & bonum Chriſtianitatis proſequi efficaciter ſanctam unionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, procurando per viam renuntiationis omnibus aliis viis prætermiſſis, nulla tamen alia via excluſa, &c.

Concilium Piſanum, quod ad tollendum ſchiſma indictum, Gregorio Pontifice, & Benedicto Pſeudopapa depoſitis, Alexandro V. per Cardinales utriuſque obedientiæ electo, celebratum fuit anno Domini 1409.

HOc concilium indictum, & congregatum fuit à Cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. anno ſalutis 1409. ad ſchiſma tollendum. Res ſic geſta eſt, ut patet ex Blondo lib. 10. Decade 2. & ſancto Antonino part. 3. tit. 12. cap. 5. parag. 2. Cardinales obedientiæ Gregorii XII. videntes negotium extirpandi ſchiſmatis paulatim ad nihilum reduci, & non ſolùm Gregorium XII. ſed etiam Benedictum XIII. concordiam recuſare, contra jusjurandum, & fidem in ipſorum electionibus datam: Gregorium quoque contra idem jusjurandum, & fidem, alios Cardinales, abſque ulla neceſſitate, & ipſis invitis, creare, hanc nacti occaſionem ab eo tunc Lucæ commorante recedentes, Piſas petiere. Quod cum plerique eorum, qui Benedictum XIII. ſequebantur, vidiſſent, ſimili exemplo ipſum Benedictum deſerentes, cæteris Cardinalibus Gregorii, qui Piſis erant, ſeſe adjunxerunt, ibique indicto concilio Generali, & cum maxima Prelatorum frequentia inchoato, uterque Pontifex ab iis damnatus eſt, & utroque tanquam perjuro, ſchiſmatico, hæretico, colluſore, & ſchiſmaticorum fautore, publico omnium Decreto Nonis Junii anno Domini 1409. è Pontificatu dejecto in utriuſque locum vigeſimo poſt abrogationem die, tertium elegerunt Petrum Philaretum, natione Græcum, Provinciæ Cretenſis, inſtituti, & Ordinis Fratrum Minorum, ex ſacro Theologiæ Doctorum examine Presbyterum Cardinalem Baſilicæ ſanctorum Apoſtolorum, & Alexandrum V. vocaverunt.

Fuſius deſcribit acta hujus concilii Spondanus ab anno 1409. cui viginti tres ſeſſiones tribuit.

CONTROVERSIA.

ANtequam concilium hoc haberetur, multo antea diſputabatur de modo tollendi ſchiſma tàm diuturnum in Eccleſia. Unum medium ſupra cætera videbatur potentius ad medendum tanto morbo: ſi nempè uterque Pontifex concilio ſe ſubmitteret. Sed reſiſtebant alii dicentes Papam non debere ſubmittere ſe ulli auctoritati. Qua de re in literis Univerſitatis Pariſienſis ad Carolum Regem Francorum an. 1394. hæc leguntur. Neuter eorum ſe tanquam Papa ſubderet, ſed tamquam in dubium revocatus, &c. præter eà id falſum eſt, quod ſubjungitur, non poſſe Papam ſeipſum in alterius ditionem ſubmittere. Numquid Chriſto major erit, de quo ſacratiſſima Evangelii hiſtoria prodit, *& erat ſubditus illis*, ſcilicet Matri, & Joſeph? matri namque ſuæ, hoc eſt ſanctæ Eccleſiæ, quam fidelium omnium matrem eſſe conſtat, ſi ipſe catholicus eſt, materno jure ſubditur: niſi forſan quis dixerit, poſtquam ſponſa facta eſt, matrem eſſe deſiiſſe, &c. numquid ex Papatus ipſo jure à fraternæ correctionis eximetur lege, ut eidem omnium malorum agendorum licentiam impunè demus? de ſolo Deo Job id loquitur: *non eſt, quid dicat ei, cur ita facis?* ab his percontari liberet jura, ſi quæ hæc prohibent, divinane,

ne, an humana, an pure positiva sint? non divina profecto aliqua allaturi sunt, restat, ut positiva sint, quibus, ut ipsi ajunt, non est Papa subjectus. Idcirco semetipsum compromittendo, non contra illa ageret. Hæc ante concilium, & alia discutiebantur. Postquam verò congregatum fuit, & infelicem exitum, secundum speciem saltem habuit, quis enim cognovit sensum Domini, & vias providentiæ ipsius? etiam dubitatum est valdè, an canonicè, & legitimè esset convocatum, eo quod sine ulla Romani Pontificis auctoritate esset indictum. De ea re, teste Antonino loco citato, Laurentius Rodulphus Florentiæ triduo disputavit, & tandem conclusit, concilium esse legitimum. Joannes Gerson in libello, an Papa exauctorari possit, *Hi Dei nutu*, inquit, *& Spiritus sancti, sicut credendum est, tacti fuerunt.* Item cum Alexander V. Bononiæ graviter ægrotasset (dicitur, quod toxicatus fuit in clisterio) & cognovisset sibi mortem imminere, Cardinales ad se venientes, ad concordiam, & pacem, & ad tuendam Ecclesiæ dignitatem adhortatus, dixit, per eam mortem, quam se continuo subiturum putabat, se existimare, & credere, quæ in concilio Pisano acta fuerant, rectè, & integrè sine dolo malo facta fuisse. Insuper ipse Alexander V. in eo concilio creatus in numero Pontificum Romanorum reponitur. Attamen res variè agitata est à pluribus. Illegitimum putarunt Gregorius, & Benedictus ambo inter se de Papatu contendentes, & qui eorum partibus plus æquo addicti erant. Oecumenicum appellant Severinus Binius in notis, Blondus lib. 10. dec. 2. & quotquot Alexandrum V. in recta serie Pontificum annumerant, maximè Joannes Gerson, qui concilio interfuit. Alii media via incedentes nec probant, nec reprobant, ut Bellarminus lib. 4. de Ro. Pontifice c. 14. & lib. 1. de concil. c. 8. magis tamen inclinat, ut legitimum censeatur. Quæ est communior, & verior sententia, nec Alexander VI. aliter se sextum appellasset. Unde & statim post creationem recepit Legatos omnium ferè Europæ principum, publicè gratulantium Ecclesiæ tranquillitati, & paci, paucissimis inhærentibus Gregorio, & Benedicto ad angustos limites redactis. Concilio etiam interfuerunt undique collectæ omnes ferme nationes, gravissimi Ecclesiæ prælati, utrumque collegium Cardinalium Benedicti, & Gregorii ad viginti quatuor, Patriarchæ tres, Episcopi 108. Monasteriorum Patres 300. Theologi 208. Principum oratores, aliique viri præclari. Quod tamen Ecclesiæ scissuram durantem ab eo tempore, quo Clemens V. Pontificiam sedem Avenione collocaverat: non resarcivit: quin duobus Pontificibus suam dignitatem retinentibus tertium addidit, duravitque schisma triceps, quousque per Concilium Constantiense sublatum est, electo Martino V. Quàm dignus autem Pontificatu fuerit Alexander V. contra calumnias Theodori Niemi prodit Lucas Vvadingus Annal. to. 5. ad an. 1410. ex testimoniis Platinæ, Ciacconi, Papirii Massoni, Fulgosii, Gersonis, Baptistæ Egnatii, Onuphrii, & Nicolai Harpsfeeldii in historia Anglicana.

Probatur autem fuisse legitimum: quia in casu, in quo plures sunt dubii, & incerti Romani Pontifices, iis invitis, Cardinalium auctoritate concilium Generale convocari, ejusque potestate omnes è Pontificatu amoveri posse patet: quia cum non est certus Pontifex, perinde est, ac si Pontifex nullus omnino esset, & sic eum Ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii, & incerti pro Pontificibus habentur, jure potest Ecclesia novum creare Pontificem, & præcipere, ut cæteri omnes Pontificatu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos sententia lata Pontificatu dejicere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoscant, habeant, & venerentur: & licèt initio auctum fuerit schisma per hoc concilium, longè tamen breviori tempore extinctum est, ut paulo post apparuit, quàm si duo tantum contendissent, quorum collusione, & obstinatione spes pacis, & unionis tollebatur.

A Sed undenam, dicet aliquis, colligi potest, tantum juris, & potestatis esse penes Ecclesiam?

Resp. Id ex Christi institutione per necessariam, & evidentem rationem deduci, ne scilicet Christus suam Ecclesiam deseruisse videatur: alioqui enim multis dubiis, & incertis pro Pontificibus Summis in Ecclesia se gerentibus, sanè innumeris calamitatibus, & malis ipsa premeretur, & vexaretur Ecclesia.

Concilium Constantiense Generale XVI. habetur in 3. classe.

Concilium Salisburgense, Provinciale, in causa Fidei, ac morum, sub Everhardo Archiepiscopo Salisburgensi, circa annum Domini 1420. tempore Martini Papæ V.

IN hoc concilio confirmantur statuta Prædecessorum, & innovantur sequentia: De summa Trinitate, & fide catholica: De constitutionibus: De consuetudine: De renunciationibus: De scrutinio: De filiis Presbyterorum: De officio Archidiaconi: De officio Vicarii: De Officio delegati: De Officio Ordinarii: De majoritate, & obedientia: De his, qui vi, metuque absolvunt, vel absolvuntur: De alienatione: De Judiciis: De foro competenti: De vita, & honestate clericorum, & mulierum: De institutionibus: Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur: De emptione: De pignoribus: De testamentis: De sepulturis: De Parochiis: De Jure patronatus: De celebratione Missarum: De Baptismo: De immunitate Ecclesiarum: De Simonia: De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti: De hæreticis: De Judæis: De prohibito, & illicito vestitu mulierum. Quæ omnia in Jure patent.

Conciliabulum Bituricense, pro approbatione Pragmaticæ Sanctionis in Gallia, celebratum anno Domini 1438. tempore Eugenii Papæ IV.

DE causa, Actisve hujus conciliabuli apud Bituriges in Gallia celebrati (quod una in Actis Basileensis concilii Eugenius IV. Nicolaus V. Pius II. & Leo X. in concilio Lateranensi reprobarunt) Gaguinus lib. 10. ita scribit: *Apud Basileam Eugenii IV. Romani Pontificis assensu congregato Concilio, ii, quibus Ecclesiasticam tueri dignitatem mandatum erat, Leges communi omnium sententia ritè digestas sanxerunt, quas à Carolo admitti, missis ejus rei causa Oratoribus, petierunt.* Legum hæc Capitula fuerunt.

1. *Romanus Pontifex quoque decennio Generalem Synodum, loco, quem volet, post hæc congregato. Si negligens erit, potestas esto Patribus id designandi. Convocati Concilii locum, nisi necessum erit, Pontifex non mutato.*

2. *Basileensis Concilii auctoritas, & ipsius Decretorum constantia, perpetua esto: quæ nemo umquam, nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre presumito, &c.*

Ac post singulas Constitutiones enarratas, quę nihil aliud sunt, quàm brevia summaria Sessionum præcipuarum Basileensis conciliabuli, Gaguinus prædicto loco hæc subjungit: *Hæc cum Carolus satis enucleata, digestaque comperisset, indicto apud Bituriges Concilio, Pragmaticam (quam vocant) Sanctionem tulit, eamque in Parlamenti Senatu promulgari mandat anno Christianæ salutis 438. supra millesimum, Nonis Julii. Quam Regia auctoritate Basileensis Synodi factam Constitutionem, qui deinceps fuere Romani Pontifices, non secus, ac perniciosam hæresim execrati sunt: quod eam nemo Pontificum, dissoluto Basileensi Conventu, probaverit.*

Circa hanc Pragmaticam Sanctionem sciendum, quod illa ad petitionem Pii II. Pontificis à Ludovico XI. Rege Franciæ abrogata est: ejusdem Ludovici Epistola ad præfatum Pontificem evidentissimè constar, quæ etiam inseritur Sessione 4. Concilii Lateranensis sub Julio II. celebrati, & sic habet: *Ludovicus Dei*

gra-

gratia Francorum Rex, tibi sanctissimo Patri nostro Pio Papæ II. obedientiam filialem, & plenos devotionis affectus, &c. Et paucis interjectis: *Et si constitutio quædam in Regno nostro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum conventu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & jam callum obducens, quietum propè fixerit statum; Tu tamen tuis ad nos literis illam à Regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas. Hinc enim exoritur, ut dum per Pragmaticam Sanctionem ipsam summa in Ecclesia tuæ Sanctitatis minuitur auctoritas, dum Prælatis in Regno nostro quoddam licentiæ templum pręstruitur, dum congruens unitas ad alia Regna, conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica, tollendaque à Regno nostro, quippe quæ adversus tuam Sedem, omnium Ecclesiarum matrem, ab inferioribus Prælatis lata sit, tanquam, ut Scriptura loquitur, quo modo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus, qui utique lignum est. Quicquid licet, beatissime Pater, plerique docti homines confutare niterentur, atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam; Te tamen Principem totius Ecclesiæ, Antistitem sacrorum, Te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, Teque jubentem sequimur, Tibique, ac beatissimi Petri Cathedræ consentimus, & jungimur, Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à Regno, nostroque Delphinatu Viennensi, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, dejicimus, stirpitusque abrogamus, & quam, qualemve ante Pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiasticorum Beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant, & exercebant, talem, eandemque nostro adjutorio beatissimo Petro, Tibique ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus, cum summo Imperio, cum judicio libero, cum potestate non coarctata, &c.*

Is. 10. — *Principis Christianissimi digna confessio.*

Extant Pii II. Litteræ ad Ludovicum XI. quibus laudatur ejus consilium de abroganda pragmatica. Inter cætera, inquit, commendamus, quod absque conventu, & consultatione multorum pragmaticam auferre constituisti. Sapis certè, & Regem te magnum ostendis, qui non regaris, & regas. Optimus enim Princeps est, qui per se recta cognoscit. Hæc Pius scribebat, metu, ut ipse ait, idque verum erat, ne si conventus publici haberentur, Episcopi, & clerus Galliæ pro pragmatica sententiam dicerent. Putabant enim plures Ecclesiasticam disciplinam stare posse beneficio pragmaticæ.

De his plura in Lateran. V. classe 3.

Conciliũ Basileense generale XVII. *habetur in 3. classe.* Item Florentinum generale XIX. *habetur in 3. classe.*

Concilium Frisingense, in causa Ecclesiasticarum Constitutionum, tempore Nicodemi de Scala Episcopi, anno 1440. sub Eugenio IV.

IN hac synodo multa utilia sancita sunt ad sequentia capita spectantia. De clericis peregrinis, & ignotis non admittendis, nisi literas dimissorias habeant. De judiciis. De foro competenti. De vita, & honestate clericorum. De cohabitatione clericorum, & mulierum. De clericis non residentibus. De Præbendis, & dignitatibus. De rebus Ecclesiæ non alienandis. De sepulturis. De decimis. De Regularibus, & eorum statu. De Jure Patronatus. De censibus, & exactionibus. De benedictione salis, & aspersorii diebus Dominicis. De celebratione Missarum. De Baptismo. De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. De clandestina desponsatione. De Simonia. De Judæis. De usuris. De pœnis. De pœnitentiis, & remissionibus. De sententia excommunicationis. De publicatione statutorum. De quibus omnibus in pluribus conciliis dictum est, & in Jure canonico hæc omnia digesta sunt.

Concilium Turonense, pro reformandis moribus Ecclesię, celebratum Andegavi in Gallia, anno Dom. 1448. tempore Nicolai Papę V.

DE hac synodo Possevinus in Apparatu sacro hæc.

Turonense concilium Provinciale, anno 1448. Nicolai autem Quinti anno 2. celebratum est Andegavi, Joanne Archiepiscopo Turonensi Præside. Adfuere Coepiscopi, seu Suffraganei, Petrus Summachoviensis, Joannes Cenomanensis, Guilielmus Nannetensis, Robertus Redonensis, cæterique tàm Episcopi, quàm Abbates per Procuratores. Summa est autem, sive Compendium.

Cap. I. Quilibet Sacerdos singulis diebus non solemnibus dicat Officium Mortuorum, ad minus cum tribus Lectionibus, maximè cum pro fidelibus Defunctis celebrabit: quia sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. *Officiu[m] mortu[o]rum.*

Cap. II. Distributiones quotidianæ, & anniversariæ in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, pro interessentibus personaliter Horis, & Anniversariis, non dentur absentibus, ita quod qui non laborat, non manducet.

Cap. III. Nullus Canonicus, aut alia persona Ecclesiastica in diversis Ecclesiis pro eadem Hora distributiones recipiat.

Cap. IV. Præsentes Horis canonicis silentium teneant, Lectionibus diligenter intendant, Orationes devotè audiant; nec bini, & bini in Choro Horas ipsas dicere præsumant.

Cap. V. Ludos noxios, & scandalosos omnibus quidem, sed clericis præsertim, prohibemus.

Cap. VI. Prædicatores, cujuscumque gradus, vel conditionis existant, non in erectis ad hanc rem theatris, sed locis Deo dicatis, cum omni reverentia, & humilitate verbum divinum annuntient. Nec Sacerdotes, nisi in locis consecratis, Missas celebrent.

Cap. VII. Prohibemus, ne Abbates, aut Priores conventuales supra se Abbates non habentes, qui de privilegio, vel consuetudine bona Prioratuum vacantium ab eisdem dependentium ad se pertinere asserunt: totaliter utensilibus, & bonis aliis mobilibus denudent.

Cap. VIII. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, de jure, aut consuetudine Ecclesias visitantes, si non debitè visitaverint, nihil percipiant, cum ferendum minimè sit, ut temporalia metat, qui spiritalia non seminat, & potius, quàm quæ Christi sunt, sua quærat.

Cap. IX. Prohibemus, ne aliquis, cujuscumque status, vel conditionis existat, teneat concubinam: contrarium facientes, sui ubi Superioris auctoritate Canonicè moniti fuerint, excommunicentur.

Cap. X. Prohibemus, ne quis sententiam excommunicationis latam per Judicem, occultam teneat, sed ipsam infra mensem, à tempore, quo lata fuit, faciat publicari.

Cap. XI. Quia per clandestina matrimonia à sanctis Patribus non sine causa, & merito prohibita, multa mala eveniunt; prohibemus, ne quis Presbyter sęcularis, aut Regularis de cætero talia matrimonia celebrare, aut solemnizare præsumat sub pœna excommunicationis.

Cap. XII. Insultationes, clamores, sonos, & alios tumultus fieri solitos in secundis, vel tertiis quorumdam nuptiis, quos Charivarium vulgo appellant, propter multa, & gravia inconvenientia, quæ inde sequuntur, fieri omnino prohibemus sub excommunicationis sententia, & alia pœna arbitraria. *Char[iva]rium.*

Cap. XIII. Excommunicantur invasores, raptores, deprædatores, occupatores suo nomine, vel alieno, personarum Ecclesiasticarum, rerum suarum, seu locorum religiosorum. Item qui domibus, vel locis Ecclesia-

clesiasticis posuerint comestores. Et quia facientes, & consentientes pari pœna constringuntur, receptatores, defensores invasorum, & qui ad præmissa dederint consilium, vel favorem, publicè, vel occultè eisdem pœnis mulctentur. Et post mortem, nisi ipsi, vel eorum hæredes satisfecerint de præmissis, Ecclesiastica careant sepultura.

Cap. XIV. Comprobatur Statutum Reverendissimi Simonis Seren. Reverend. Episc. tituli sanctæ Cæciliæ Cardinalis in Francia Legati, quo sententiam excommunicationis eos incurrere decrevit, qui quomodocumque nuntios, bajulosque sententiarum, aut executorum Ecclesiasticorum Judicum hac occasione capere, detinere, occultare, carceri mancipare, aut quod gravius est, interficere tentaverint.

Cap. XV. Prohibemus, ne ignotæ Sanctorum aliquorum Reliquiæ quæstus gratia per nostram Provinciam deferantur. Contrarium facientes per locorum Ordinarios districtè compescantur.

Cap. XVI. Statuimus, ut amodo Indulgentiæ per Sedem Apostolicam concessæ, vel concedendæ, per Rectorem, aut alium providum, honestum, & eruditum virum, per loci Diœcesanum, seu ejus Vicarium deputandum, publicentur, & populo exponantur.

Concilium Lugdunense, pro schismate inter Nicolaum Papam, ac Felicem Antipapam tollendo, congregatum anno Domini 1449. tempore Nicolai Papæ.

De hac synodo ita Genebrardus lib. 4. suæ Chronologiæ anno 1449. Concilium Gallicanum Lugduni celebratum, jussu Caroli Regis ad tollendum schisma inter Nicolaum, & Felicem, qui rogatus à Concilio, & Friderico III. Imperatore, liberè cessit Pontificatu. Unde vulgo de eo ferebatur carmen.

Lux fulsit mundo, cessit Felix Nicolao. Joannes le Maire.

Concilium Toletanum, in oppido quodam Hispaniæ de Aranda, ad reformandos Clerici, populique mores, celebratum anno Domini 1472. tempore Sixti Papæ IV.

Constitutiones hujus Concilii.

Quod Archiepiscopi Provincialia in biennio, & Episcopi synodalia annuatim saltem Concilia celebrent.

Quod Rectores Ecclesiarum habeant in scriptis articulos fidei, &c. & publicent populo.

Quod non promoveantur ad sacros Ordines non scientes loqui Latinaliter.

Quod non admittantur clerici aliarum Diœcesum sine literis Commendatitiis.

Quod Prælati non incedant publicè sine roqueto, nec induantur sericis vestibus, nec calceent sotulares albos, & quod ad mensam ipsorum legantur sacræ Scripturæ.

Quod non induantur clerici vestibus sericis rubeis, vel viridibus, nec calceent sotulares albos, vel borsegnes albos, vel rubeos, nisi cum nigris desuper sotularibus.

Quod observentur dies Dominici, & festivi.

Quod clerici non induantur luctuosis vestibus.

Processus, qui debent fieri contra clericos, qui publicè tenent concubinam.

Quod non scienti loqui Latinaliter non conferantur Parochiales Ecclesiæ, nec canonicatus, & dignitates.

Quod clerici non ludant ad taxillos.

Quod Episcopi ter, & Sacerdotes quater saltem in anno celebrent.

Quod nulli prædicent sine licentia Prælatorum, & quod Quæstores legant dumtaxat literas, quas sibi concesserint Diœcesani, nihilque aliud proponant.

Quod clerici in minoribus deferant tonsuram unius A regalis, & habitum congruentem, alioquin perdant privilegium, & quod literæ Ordinum præsententur coram Diœcesanis.

Quod clerici in sacris Ordinibus constituti, aut Beneficiati, non vivant cum Dominis temporalibus ad auxilia armorum præstanda.

Quod non fiant nuptiæ, nec carnales commixtiones, nec solemnitates, tempore à Jure vetito.

Quod qui clandestinè contraxerint, nisi ad minus quinque testes adfuerint, excommunicationis sententiam incurrant.

Quod qui violenter occupaverint possessiones Beneficiorum, sint excommunicati ipso facto.

Quod non fiant in Ecclesiis repræsentationes inhonestæ, dum Divina aguntur.

Quod decedentes in duello careant Ecclesiastica sepultura, & non dicantur pro eis Divina, nec recipiantur B oblationes.

Quod prohibentes tracturas decimarum, &c. sint excommunicati.

Quod raptores careant Ecclesiastica sepultura.

Quod excommunicatus in una Diœcesi, evitetur in aliis.

Quod civitas, vel villa, de qua clerici fuerint expulsi, subjaceat interdicto.

Quod ordines gratiosè concedantur.

Quod pœnæ supradictæ contra beneficiatos habeant locum etiam in Rectoribus, & dignitatibus.

Quod Episcopi in suis Diœcesibus absolvant à censuris prædictis.

Quod hæ Constitutiones infra duos menses publi- C centur, & deinde post 40. dies obligent.

Quod ponantur testes synodales in qualibet Diœcesi per Prælatos, &c.

SÆCULUM DECIMUM SEXTUM.

Concilium Turonense, contra Julium Pontificem in Gallia celebratum, anno Domini 1515.

De rebus in hac synodo gestis Genebrardus lib. 4. Chronologiæ ista refert: *Concilium Gallicanum Turonense omnium Episcoporum Galliæ, & plurimorum Doctorum tàm Theologiæ, quàm Juris Canonici, pro Re-* D *ge Franciæ contra Pontificem Romanum. In quo decretum est, ut mitterentur ad Pontificem Legati, qui cum eo de pace agerent: vel si ipsos nollet audire, eum provocarent ad convocandum Generale Concilium.*

Concilium Pisanum, Reprobatum, contra Julium Papam, indictum, & congregatum anno Dom. 1511. tempore ipsius Julii Papæ, & Maximil. Imperatoris.

Cum Julius Pontifex juramento promisisset, se infra biennium suæ ordinationis Universale concilium celebraturum, illudque justè impeditus non præstitisset, Bernardinus Carvajal, Guilielmus Brisonet, Renatus de Pria, Fridericus de S. Severino (ut constat ex sess. concilii Lateranensis) aliique Cardinales E hæretici, atque schismatici, *convenientes ut locustæ* (inquit Julius Papa in Bulla Indictionis concilii Lateranensis, quæ extat sess. 1.) *acephali agressi sunt sine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum Generale, atque Universale Concilium convocare, locum Concilii, & tempus indicere, & valvis Ecclesiarum, ac aliis publicis locis indictionem hujusmodi affigere, Nosque, ac venerabiles fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales vocare, & requirere, ut per nos, vel alios ad hujusmodi eorum Concilium accedere vellemus, non formidarunt.* Et subjungit ibidem Julius: *Ne verò hæc injustè, & per tyrannidem agere viderentur, asserebant, decennium post ultimum universale Concilium contra constitutionem Constantiensis Concilii jam dudum effluxisse, & nos convocare illud neglexisse, maximè cum juravissemus, & voluis-*

voluissemus illud post biennium à creatione nostra tenere : tempusque pro homine interpellare : neque credendum fore nostra auctoritate, & voluntate concilium futurum. Et cum de gravibus criminibus notoriis durantibus universalem Ecclesiam scandalizantibus in capite agendum foret, ad Summum Pontificem Concilii congregationem non attinere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæserunt, convocationem concilii spectare. Hæc de causa indicti Conciliabuli Julius Papa in Bulla, addens, eosdem ad tegendam facti sui turpitudinem, omnia mandata sua nomine Maximiani Imperatoris, & Ludovici Regis Francorum promulgasse; ipsis verò, Regi, & Imperatori, nihil hac de re constitisse.

Surius anno 1511. hæc subjungit.

Porro cum ea temeritas ad horrendum schisma spectare videretur, Julius Pontifex datis ad eos literis monuit perbenignè, ut ad pacem, & unitatem Ecclesiæ se reciperent: alioquin fore, ut vel invitus in ipsos animadverteret. Ea admonitio tres Cardinales permovit, ut cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberaliter, & clementer accepit: in alios, cùm nollent ad sanitatem redire, gravem sanè tulit sententiam, qua illorum audacia nonnihil contusa est. Sed tamen cum Regis Francorum fruerentur patrocinio, in sententia permanserunt. Monitus Gallus à Pontifice, uti ne eos foveret diutius, non magnopere curavit. Itaque à Pontifice excommunicatus est. Non longè aberat ab hac factione Maximilianus Cæsar, graviter commotus in Pontificem, quod non bona fide à se recessisset, & cum Venetis fœdus percussisset: sed vir gravis, & prudens admonitus à viris bonis sese collegit, & celeriter ab hac temeritate discessit. Sic Surius.

CONTROVERSIA.

Extat Apologia pro hoc Concilio in libro inscripto Status Romani Imperii, quam quia integram exhibere summæ institutum non patitur, titulos tantùm capitum hùc transtulimus, unde nosci poterunt momenta controversiæ hujus temporis, quæ Gallis infesta fuit, ut cum Victores essent in Italia, quasi victi ex ea fugerent, dicentes durum esse contra pietatem pugnare: vix enim unquam feliciter cessit Primogenito Ecclesiæ, cum illius Patre discordia. Sic autem habent tituli.

1. Humilitas, constantia, & veritas tres sunt dotes Christi, atque Ecclesiæ ejus sponsæ.

2. Julius 2. duas acerbissimas evulgavit literas Apostolicas, quæ causam præbuerunt hujus Apologiæ.

3. Humilis, & modesta responsio Patrum Pisanorum ad eos, qui concilium dederunt Julio 2. ut Concilium Lateranense indiceret, & censuris patres Pisanos percelleret.

4. Depulsio quatuordecim convitiorum patribus Pisanis objectorum.

5. Summa capita rerum, quæ patribus Pisanis à Julio 2. objiciebantur, & earum dilutio.

6. Patres Pisani nunquam affectarunt dignitatem Pontificiam, sed Aristocraticam moderationem, qua Christus primatum sedis Apostolicæ temperavit, restituere voluerunt.

7. Cardinales Pisani à curia Romana discesserunt, eo quod nedum in sententiis liberi, sed nec in vita quidem tuti erant; quando Apostolicæ præceptiones notorium continent periculum, audiri quidem, sed non impleri debent.

8. Memorati Cardinales recesserunt cum manu militari, ut se à periculo, & insidiis Episcopi Concordiensis eximerent.

9. Patres fatentur se aliqua dissimulasse, ut fraudes, & dolos Episcopi Concordiensis vitarent.

10. Responsio ad objectionem duorum Cardinalium, qui dicebant falsum esse se assensum præbuisse convocationi Pisanæ synodi.

A 11. Omnes Canones, quibus docetur Papam debere Concilia generalia convocare, intelligi debent regulariter, & ordinariè: nam extraordinariè, & in certis casibus congregari possunt absque Papa.

12. Indictio Concilii Pisani quatuor firmissimis principiis nititur, præcepto scilicet Ecclesiæ, voto, ac juramento Papæ, & Cardinalium, nec non etiam ad vitandum gravissimum, & intolerabile scandalum.

13. Præceptum ducitur ex sess. 39. Concilii Constantiensis: dilutio objectionum contra hoc præceptum.

14. Depulsio eorum, quæ objiciebantur ad votum, & juramentum Papæ excusandum.

15. Quo casu concedatur alicui moræ purgatio, & de legibus ad eam requisitis: sero mora purgatur, cum jus
B ad alios devolutum est.

16. Julius 2. armatus Concilium Romæ indixit, non tàm studio liberi Concilii habendi, quàm impediendi ne haberetur, & ne de Ecclesia reformanda ageretur.

17. Cardinales, qui Pisanam synodum indixerunt, quamdiu Romæ degerunt, non ausi sunt mentionem facere habendi Concilii propter notissimam Julii 2. violentiam.

18. Utrum Papa in causa propria Concilium debeat convocare: frustra alicujus authoritas contra semetipsum expectatur: & utrum Joannes 23. Concilium contra semetipsum indixerit.

19. Dilutio objectionum contra temporis brevitatem: & quodnam tempus olim patribus Ecclesiæ primi-
C tivæ, ut convenirent ad Concilium, præscriberetur.

20. Civitatem Pisanam maximè idoneam esse habendo Concilio generali, & de numero prælatorum, qui interfuerunt primo Concilio Pisano, ad extinguendum schisma.

21. Ab eo tempore, quo Romani Pontifices habuerunt arces, atque armatas custodias, Roma non fuit idonea habendis Conciliis: nam Spiritus sanctus non afflat nisi liberas mentes: unde cum Julius 2. exercitum habeat instructissimum, Roma non esset tutus locus iis, qui de Ecclesia reformanda loqui vellent.

22. De censuris irrogatis contra patres Pisanos: & necessitate Concilii habendi, ad spiritum Ecclesiæ retinendum, & disciplinam Ecclesiasticam vindi-
D candam.

Hæc fusius tractantur in dicta Apologia, quæ nos narrativè duntaxat hìc indicamus, cum modo parum utile esset de his difficultatibus doctrinaliter definire. Lateranense autem Concilium V. de his nonnulla habet classe 3.

Concilium Senonense, in urbe Parisiensi contra insurgentes Lutheranos, & improbos mores sub Antonio à Prato Archiepiscopo tempore Clementis VII. anno Christi 1528.

Conci... Later... se V... rale habet 3. cla...

EPISTOLA.

E *Antonius miseratione divina, tituli sanctæ Anastasiæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senonensis, Galliarum, & Germaniæ Primas, Albigiensis Episcopus, ac Franciæ Cancellarius: universis præsens hoc scriptum inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum frequens Conciliorum celebratio, agri Dominici præcipua sit cultura: quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Generalia autem non facilè possint, aut soleant adunari: quibus sobolescentes errorum fibræ, animadversionis tempestivæ sarculo præcidantur, provide admodum à sanctis patribus institutum est, ut metropolitani provincialia subinde Concilia convocarent, quibus unà cum suis suffraganeis, irre-*

irrepentibus animorum morbis, & commissæ sibi plebis contagioni, digna cautione mederentur. Quod etsi semper utique fuerit non segniter observandum, ea tamen sese nobis obtulit necessitas, ut in tanta curarum nostrarum mole nulla dilatione negotium tàm sanctum protrahi pateretur. Siquidem cum gravis, & lethifer morbus affligat corpus, ac d. pascit, adhibenda est è vestigio salutaris medicina sine ulla procrastinatione: quæ propulsato morbo pristinam ægroto sanitatem instauret. Et periculosa tùm solet esse mora, cum per illam languor exitialis invalescit amplius, & valentiores sumit vires. Quid igitur factitandum, cum extrema quædam animorum pestis immaniter grassatur in omnes, & lue sua mortifera longè, lateque debacchatur? Nonne rejecta omni prorogatione, incunctanter occurrendum est, & maturè tàm pestilenti malo, B *remediis salutaribus, & accommodis; ne si oscitanter idipsum, & lente agatur, interea tabes illa pestifera latius proserpat in plures, & diffusius propagetur? Tale autem quiddam nostra accidisse ætate circa fidei, & morum corruptelam, vel tacentibus linguis, res ipsa planè loquitur. Adesse jam tempora illa pe-*
3. *riculosa, de quibus ad Timotheum scribit Apostolus, ipsa rerum experientia dilucidè comprobat. Tanta enim Martini Lutheri, & perditorum quorundam hominum auspiciis in orthodoxam fidem pestis efferbuit, tàm gravis Ecclesiæ procella superioribus hisce diebus incubuit: ut electi (quod est apud Matthæum) prope-*
.24. *modum viderentur in errorem induci, & dirum concussæ Petri naviculæ naufragium intentari. Nempe eo dementiæ proruperunt Ecclesiæ perduelles, in eam venere perfrictæ frontis impudentiam:* C *dum extinctarum quondam hæresum cineres exsuscitant, dum hæresiarchas ab omni fidelium theatro quondam explosos orthodoxis patribus anteponunt: ut sacrosanctam Conciliorum authoritatem respuant, nullum vel apertissimum scripturæ locum non depravent, sed corruptum, atque adulteratum in suam utcunque sententiam detorqueant. Ne serpat itaque latius hic cancer, ne quis è commissa nobis plebe, vanæ cujusdam libertatis prætextu, aut adulterino scripturarum fuco deceptus, tàm dirum, ac pestilens venenum hauriat: de suffraganeorum nostrorum consilio decreta quædam promulgari jussimus, quibus exitiale Lutheri, & cæterorum id genus hæreticorum virus, aliqua ex parte detegatur. Adjectæ sunt & nonnullæ constitutiones,* D *quibus insolescentes nostra tempestate mores, & suppullulantes quidam excessus comprimantur. Disciplinæ tamen ordinem secuti, à generali primum decreto susceptum fidei negotium inchoamus ad specialia subinde progressuri. Datum Parisiis, anno Domini millesimo, quingentesimo, vicesimo octavo: die verò vicesima mensis Februarii.*

28. Scribens Regius psaltes de Ecclesia, ejusque adversariis, & vano, atque inani eorum conatu. *Sæpè (inquit) expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Israel. Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.* Quibus sanè verbis indicat, Ecclesiæ vel à primordiis suis hostes non defuisse: qui atrociter quidem illam impugnarunt, sed minimè devicerunt: hostiliter quoque exercuerunt, sed non pro sua potuerunt libidine extinguere. Quare E cum præposuisset. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea:* mox subjunxit, *etenim non potuerunt mihi:* quod idem facilè cognoscet, quisquis veteres hæresiarchas, & eorum errores paululum discusserit. Nam à plurimis adversariis oppugnatam Ecclesiam fuisse percipiet: sed semper de illis nobiliter triumphasse. Impugnarunt in primis Ecclesiam in primo suæ juventutis flore, Simoniani, Nicolaitæ, Gnostici, Carpocratiani, Chillastæ, Ebionei, & plerique alii hæretici, qui falso arbitrati vafris suis argutiis, & dolis, supplantare Ecclesiam, tamquam fumus evanuerunt: Ecclesia autem victrix, gloriosaque permansit. Subsecuti sunt deinde alii, Ecclesiam insidiosius, & occultius adorti: qui sacras literas aliquatenus suscipientes, & nudo earum cortici inhærentes, ejus authoritatem non solùm moliti sunt imminuere, verum etiam prorsus enervare. Hujusmodi fuerunt, Manichæus, Aerius, Vigilantius, Valdo, Marsilius Patavinus, & Joannes Wicleffus. At frustra id tentarunt: quandoquidem solido fundamento innixa everti non potuit. Voluit nempe Deus tantam esse Ecclesiæ suæ stabilitatem, ut per eam veluti per infallibilem quandam regulam ad salutem mortales dirigerentur. Nam, ut sanctæ scripturæ contestantur, nulli ad vitam beatam *Mthtà. 18.*
patet aditus, qui Ecclesiam certè non audiat, aut qui ab ejus communione exclusus sit. Nec certè gloriari possunt hæretici: quasi apud illos resideat Ecclesia Catholica. Nam cum illa sit universalis, omnesque fideles complectatur (alioqui Catholica non esset) angulis, aut latibulis hæreticorum nequit circumscribi. Huc accedit, quod in integritate fidei Ecclesia Catholica eadem semper perseverat, nec ullis erroribus coinquinatur. At contra, nefariis suis conventiculis veluti infamibus prostibulis fidem hæretici prostituere, ac violare satagunt: dum impiè in suis adin- *Matth. 28.*
ventionibus fornicantur. Præterea, in finem usque sæculi, juxta Christi pollicitationem, perduratura est Ecclesia Catholica: quod nullis adhuc hæreticorum sectis contigit. Quare non potest apud hæreticos Catholica Ecclesia residere: licèt secus arbitrati sunt Manichæus, Aerius, Vigilantius, & cæteri prænominati. Quorum perniciosos errores paulo diffusius explicare constituimus: quod iidem sint, aut fere similes illis, qui hac tempestate repullulare videntur.

Præfatorum itaque hæresiarcharum primus fuit non *Manichæus.*
minus impius, quàm ridiculus, Manichæus: qui tollens liberum arbitrium, duplicem in homine statuit naturam, alteram bonam, alteram malam: & bonam quidem à Deo, imo de Dei substantia conditam asserit: & eandem semper benè agere, malam verò à principe tenebrarum, semper malè. Agunt enim juxta illius sententiam non liberè, & voluntariè, sed necessariò, & naturaliter: ob idque nihil imputandum putat humanæ voluntati, sed naturis illis maximè inter se contrariis. Nec ea in re multum distat à Manichæo Lutherus. Nam cuncta, quæ ab homine fiunt, necessariò fieri Lutherus credit: nec in hominis situm pote- *Lutherus.*
state suas vias bonas facere, aut malas. Aufert etiam ipse, ut Manichæus, liberum arbitrium: licèt aliàs ab eo dissentiat. Manichæus namque humanam salutem ponit in operibus bonæ illius naturæ. At Lutherus sola fide, & fiducia in Deum, ejusque promissa, seclusis bonis operibus, homines justificari arbitratur. Errat Manichæus, errat & Lutherus. Erravit consimiliter Pelagius, dum aliud extremum secutus, ad vitam beatam *Pelagius.*
comparandam, minimè necessariam putat divinam gratiam: sed ad id sufficere censet liberum arbitrium, si modo adsit divinæ legis cognitio. Porro talia deliramenta respuens Ecclesia Catholica, hæc tria ad salutem requiri docet: fidem, bona opera, & divinam gratiam: neque absque his patere homini adulto viam salutis. Accedentem siquidem ad Deum, oportet primum divinæ gratiæ munere adjutum, credere, deinde bonis operibus intendere: in quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur, & gratia; primo tamen, & principalius, gratia. Quapropter, qui hominem benè operari, & salutem consequi arbitratur absque gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio ascribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est: qui verò salvari hominem existimat neglectis bonis operibus, à libero arbitrio procedentibus, hic Manichæus est, & Lutheranus. Nam in errorem Manichæi incidit Lutherus: dum nimis anxiè, & scrupulosè devitat Pelagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre: omne bonum opus, quod est in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ, nihil prorsus libero arbitrio: sicque tollens omnino liberum arbitrium

trium Lutherus factus est Manichæus, dum refugit esse Pelagianus. Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse, ita necessariam esse divinam gratiam ad benè operandum, ut cum ea tamen liberum arbitrium, bonum opus efficiat. Testis siquidem est Apostolus, divinam gratiam in se vacuam non fuisse: cum *abundantius* (inquit) *laboravi: non ego autem: sed gratia Dei mecum*. Unde rectè conficitur, ipsum divinæ gratiæ (ut & reliquos fideles) cooperatum fuisse: quos ipse cohortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, laborem eorum nuncians nequaquam fore vanum: si sic gratia utantur, ut non frustra illam videantur suscepisse. Utrumque nimirum alteri connectens Apostolus noluit liberum arbitrium ocio torpescere cum Manichæo, & arrogantiam devitans Pelagii, sic cooperationem tribuit libero arbitrio, ut ex se tamen, & citra divinæ gratiæ munus sufficere non possit ad salutem. Hæc utiq; sententia est Ecclesiæ Catholicæ, quam semper Catholici doctores tenuere, & in oppositam partem declinantes hæreticos, divinorum eloquiorum testimoniis confutarunt, & damnarunt: quales (ut præmissum est) fuerint Pelagius, Manichæus, & hoc tempore Manichæi discipulus, Lutherus.

1. Cor. 15.

Aerius. Atqui Manichæo successit Aerius, dissimili quidem voluntate, sed simili vanitate oppugnans Ecclesiam. Hic namque carnalem molitus statuere libertatem, solemniter indicta ab Ecclesia nolebat jejunia servari, ne legi viderentur fideles obnoxii. Arbitrabatur enim, si jejunia ab Ecclesia constituta servarent, aut sacris ejus legibus, ac institutis obtemperarent, eos in servitutem redigendos, Christianis hominibus minus convenientem. Qua in re liquido ostendit, quàm ignarus, quàmque in divinis scripturis parum esset exercitatus. Intelligere siquidem debuerat ex apertissimis sacræ scripturæ documentis, quod vera libertas Christianorum, qua fideles Christus liberavit, non libertas est carnis, sed Spiritus, per quam mortificatur caro cum suis concupiscentiis: Spiritus autem vivificatur. Adversatur enim prorsus libertati Spiritus libertas carnis: ut præclarè sub typo Isaac, & Ismael, Saræ, & Agar, ad Galatas Apostolus deducit. Volens itaque Deo inspirante Ecclesia hanc spiritualem libertatem Christiana pietate dignam statuere: moderata indixit jejunia, ac rationabilem ciborum delectum certis temporibus, & diebus sapientissimè sancivit, non hæc (ut volebat insipiens Aerius) arbitrio relinquens filiorum, quorum ut pia mater salutem affectaret, & haberet solicitudinem. Noverat enim, sensus, humanique cordis cogitationes pronas esse ad malum ab adolescentia: nec facilè ex se, & suapte voluntate ad hanc libertatem Spiritus pervenire posse. Tanta autem moderatione, tantaque circumspectione omnia digessit, ut iis, qui Christiano animo sunt imbuti, nullus prorsus justæ querelæ locus relinquatur, atque illa instituens, haudquaquam nos rursum in legis Mosaicæ servitutem obtrudit: quæ jam omnino desiit, sed in libertatem asserit filiorum Dei. Unde constat quàm fallatur Aerius, dum in carnalem fideles nititur dejicere libertatem. Quamobrem cum sua Ismaelitica, aut Agarena, eaque carnali, atque impia libertate, non heri, aut nudiustertius, sed ante annos mille damnatus est, & cum eo satanica ejusmodi libertas funditus est eversa. Quam nihilominus homines impii, his temporibus incassum laborant rursus excitare, & erigere, dicentes nequaquam Ecclesiæ hoc esse concessum, ut fideles valeat lethiferæ noxæ reddere obnoxios: aut sic ad mortale peccatum obligare, ut lethalem noxam præceptorum Ecclesiæ incurrant transgressores, cum tamen ex sacris literis, donatam esse à Christo Ecclesiæ ejusmodi authoritatem, clarè innotescat: qui inter ethnicos eos sane deputavit, qui præceptis Ecclesiæ non obediunt. Contraria autem assertio non Catholicorum est, sed hæreticorum, qui hoc unum præter cætera, suorum habent errorum fundamentum. Hoc amplexantur Aerius, Jovinianus, Lamperius. Huic astipulantur

Galat. 4.

Gen. 6.

Matth. 18.

Valdenses, Vvicleffistæ, Bohemi: ex eo fonte omnes ferè Lutheranæ impietatis blasphemiæ proficiscuntur. Nec mirum, si tantopere hujusmodi sententiam probant hæretici, & oppositam rejiciunt, cum sciant, sicut baculo canes, ita universas suas hæreses Ecclesiæ repelli authoritate: & se, ut putrida membra, ab ejus consortio resecari. Sic olim rejectus est delirus Manichæus, & cum carnali sua libertate insanus Aerius. Rejectus est & post eos Epicureus Vigilantius infensus admodum Ecclesiasticæ pudicitiæ; quandoquidem immundo spiritu agitatus, in tantam prorupit amentiam, ut continentiam hæresim, pudicitiam dicat libidinis seminarium. Quare sacram continentiæ legem non ferens, libidini frena permittit: nullos volens sacris initiari, qui uxores prius non duxerint: neque iis credi pudicitiam, qui cælibes vivant, quasi nihil sit, quo homines divina gratia adjuti distent à porcis: nihil, quo differant à brutis animantibus, nihil, quo à jumentis separentur. Pessimè certè de restituto à Christo humano genere judicat, qui ita censet. Nam qui ita de hominibus sentit, homines humana exuit dignitate, & in servilem brutorum dejicit conditionem: ut sint *tanquam equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Probanda itaque est Latinæ Ecclesiæ continentia: utpote quæ sanctitate præfulgeat, libertatemque præstet, dominum sine impedimento obsecrandi, necnon profectui Ecclesiæ maximè sit accommoda. Non abs re ergo Ecclesiastica censura repulsa est Vigilantii, & assectarum ejus assertio impudentissima.

Sequentes autem Vigilantium Valdenses, homines idiotæ, & literarum expertes: ordinem hierarchicum Ecclesiæ confundunt, perturbant, destruunt, liberum cuique esse afferentes prædicare, & docere verbum Dei: nullum sexus, aut status discrimen facientes, sacerdotes itidem, & præsules, cum primum lethaliter deliquerint, omni spoliant dignitate sacerdotii, aut Episcopatus: neque eos tunc posse consecrare, aut sacerdotes ordinare asseverant. Præcepta insuper Ecclesiæ parvipendunt: quæ alicujus esse momenti minimè credunt. Purgatorium etiam inficiantur: neque orant pro defunctis, omne rursus juramentum illicitum arbitrantur, simul & judicium, nihil demum teneri, aut agi volunt, quod non fuerit expressum in sanctis scripturis, quæ sanè assertio, aliorum multorum basis est, & fundamentum errorum, cum tamen per easdem sanctas scripturas manifestè elidatur. Porro hujusmodi istorum rudium, & indoctorum insanos errores divulgantium, mox rejecta est impietas, atque per Ecclesiæ censuram recisa. Post hos autem ignaros homines surrexit Marsilius Patavinus, cujus pestilens liber, quod Defensorium pacis nuncupatur, in Christiani populi perniciem, procurantibus Lutheranis nuper excusus est. Is hostiliter Ecclesiam insectatus, & terrenis principibus impiè applaudens, omnem prælatis adimit exteriorem jurisdictionem, ea duntaxat excepta, quam sæcularis largitus fuerit magistratus. Omnes etiam sacerdotes, sive simplex sacerdos fuerit, sive Episcopus, Archiepiscopus, aut etiam Papa, æqualis ex Christi institutione asserit esse authoritatis, quodque alius plus alio authoritate præstet, id ex gratuita laici principis concessione vult provenire, quæ pro sua voluntate possit revocare. Verum ex sacris literis coercitus est delirantis hujus hæretici immanis furor: quibus palam ostenditur, non ex principum arbitrio dependere Ecclesiasticam potestatem, sed ex jure divino, quo Ecclesiæ conceditur leges ad salutem condere fidelium: & in rebelles legitima censura animadvertere. Iisdem quoque literis apertè monstratur, Ecclesiæ potestatem longè alia quavis laica potestate non modò superiorem esse, sed & digniorem. Cæterum hic Marsilius, & cæteri prænominati hæretici, adversus Ecclesiam impiè debacchati, certatim ejus aliqua ex parte nituntur diminuere authoritatem. Nam quod in bonis, & in malis operibus statuit scriptura, tollit Manichæus liberum arbitrium, ad suum nutum

revocat

revocat Aerius Ecclesiastica jejunia. Vigilantio contra Ecclesiæ decretum, sacrilegæ Ecclesiasticorum nuptiæ probantur. Vitiis Prælatorum tantopere Valdenses offenduntur, ut inde eorum statum damnent. Excellens à Christo concessa Ecclesiæ potestas: gravis est Marsilio, nec illam potest ferre. At verò his succedens Lutheranæ sectæ fons, & origo Vvicleffus, cuique Lutherus per omnia fermè consentit: non aliqua tantùm ex parte, ut priores illi hæretici, sed radicitus totam Ecclesiæ enervare authoritatem contendit. Is enim non cum uno, aut altero tantùm hæreticorum priorum commercium habet: sed cum singulis. Cum Manichæo namque humanorum actuum tollit libertatem. Cum Aerio nihili facit præcepta Ecclesiæ. Vigilantium secutus, Ecclesiasticorum pudicitiam prostituit, terrenis etiam illos possessionibus exuens passim, & ab unoquoque juxta hæresim Valdensium prædicandum verbum Dei decernit: nulla habita ratione prohibitionis superiorum. Marsilii item dogma probat: ne quis excommunicari possit, qui ad sæculares judices provocarit. Cumque omnibus his consentiat, non tamen quiescit mala mens, nec pravum, impiumque ingenium sibi satisfacit: nisi omnes longè superet impietate, seque hostem prodat Ecclesiæ, aliis multo infestiorem. Hinc certè quidquid ab Ecclesia Spiritu Sancto suggerente constitutum est, hoc ille delirus, veluti dæmonio arreptus, conterere, lacerare, abjicere molitur. Hic est, qui universitates aspernatur, & generalia studia, civilia dominia perplexa reddit, & incerta: Ecclesiasticis possessiones adimit, & decimas clericorum subjicit laicis, ipsos, bonaque eorum laicorum tribuens jurisdictioni, religiones, & religiosorum abjicit instituta, censuras Ecclesiæ flocci pendit, minimeque curandas pronunciat. Quid plura? sacrum ille ridet canonem Missæ, dies festos sanctorum pariter, & reliquias tollit: preces fidelium ad eos dirigi vetat. Horas canonicas, & vocales concentus, eos potissimum, qui in templis alta voce efferuntur, subsannat. Sanctas etiam in Ecclesia piè, ac laudabiliter constitutas ceremonias ridet. Nec his contentus est, nisi suæ virus perfidiæ in divina quoque sacramenta Eucharistiæ, Ordinis, Confirmationis, & Pœnitentiæ evomat. Quamvis autem omnia fermè hæresum portenta, quæ inducere studet: antequam ipse nasceretur, falce Ecclesiasticæ censuræ essent præcisa; ne tamen haberet, in quo gloriaretur incircumcisus Philistæus in superbia sua, exprobrareque agminibus Dei viventis non posset, aut in Deum, & Ecclesiam sponsam suam tàm execrandas blasphemias effutire: in celeberrimo illo Constantiensi Concilio repressa est Vvicleffi (, & in eo, Lutheri, & sequacium) tàm effrenis, & prius inaudita insanis. Proinde dum rejecta est impiissimi hæretici Vvicleffi dementia, dum Marsilii, dum Valdensium, dum Vigilantii, dum Aerii, dum denique Manichæi, simul etiam corruit, & funditus eversa est temeraria, & impudens assertio eorum, qui calumnias, blasphemias, atque hæreses præscriptas tuentur, & imitantur. Cujusmodi sunt Lutherus, sequacesque illius: Melanchton, Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, & cæteri hujusce conjurationis execrandæ complices: quos ideo ex nomine citavimus, ne pestiferos illorum libros quis legere audeat, ne vipereis dogmatibus inficiatur. Quo fit, ut non parum demiremur, quonam pacto tàm impudentes sint hodie, aut tàm arrogantes Lutherani, ut damnatam Vvicleffi damnati viri doctrinam audeant disseminare, eamque probare, prædicare, scribere, aut divulgare non erubescant: quam semper Ecclesia Spiritu Sancto illustrata rejecit: respuerunt orthodoxi, probati doctores execrati sunt; quasi verò magis sit paucis, iisdemque temerariis errorum satoribus credendum, quàm omnibus Doctoribus, Sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, summis Pontificibus, generalibus Conciliis: quo stultius dici nihil potest, aut furiosius. Nam quæ major stultitia, si non insania dicenda est potius, quàm quod prædamnatas tot retro

A sæculis hæreses revocare conantur, & extinctos execrandarum blasphemiarum cineres student ex inferis denuo suscitare? At certè in vanum laborant, cum adversus Christum, & Ecclesiam nihil unquam feliciter attentetur. Quapropter quantumlibet tumultuentur, innumeras licèt insipientium hujusmodi catervas, in animarum, & corporum perniciem, ad nefariam impietatem tuendam technis, & fraudibus alliciant: quotquot libros ad firmandam execrabilem hanc sectam conscribant, quantumvis nugas, & calumnias suas composito, fucatoque sermone satagant adumbrare, quantumvis denique in Ecclesiæ Catholicæ conspirent exitium, impii tamen eorum conatus in ventos tandem effluent, & vanescent. Zelatur enim Christus zelo magno Ecclesiæ sponsæ suæ integritatem: quæ in fidei, & charitatis potissimum synceritate consistit, nec passurus est aliquando fidem Ecclesiæ iniquis hæreticorum

B conjurationibus corrumpi. Eapropter dum eam illi oppugnant, potenti brachio virtutis suæ illos repellit, ac vana eorum molimina frustratur. Et quemadmodum facilè solis calore nix dissolvitur, facilius longè divina virtute impiorum consilia vix dum exorta dissipari, & cordis eorum cogitationes dispergi solent. Hoc utique in Lutheranis, hodie videmus impleri, qui quamvis longè ab Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus absint, tamen inter se admodum diffident, dum alii unum, alii aliud tenendum arbitrantur. Ex iis enim nonnulli sanctorum imagines dejiciunt; alii contra erigunt, quidam humanas disciplinas, ut venenum pietatis reprobant, quas alii, ut apprime utiles defendunt, iteratum baptismum ab aliquibus susceptum,

C alii omnino execrantur. De Eucharistia insuper minimè conveniunt. Nam eorum nonnulli solùm esse signum corporis, & sanguinis Christi, in Eucharistia cõtendunt, alii verò veraciter esse Christi corpus, & sanguinem certo profitentur, in hoc tamen à veritate dissidentes, quod substantiam panis, & vini cum corpore Christi asserunt remanere. Eo etiam vesaniæ devenerunt eorum nonnulli, ut Spiritum Dei jactantes se habere, scripturas sacras luce clariores affirment, omnibus sacris interpretibus rejectis, quibus tamen plerique alii refragantur. Sunt & alia non pauca, de quibus inter se Lutherani digladiantur. Hæc autem discrepantia planè indicant, quàm à veritate sint alieni. Veritas siquidem ubique sibi constat, nus-

D quam diffidet. Non enim Spiritus Dei, Spiritus est dissensionis. Cum itaque in his, quæ ad fidem spectant, tàm manifestarie diffideant, perspicuum est eos nullatenus in solidæ veritatis radice stabiliri. Eos enim, qui ab unitate Ecclesiæ diffident, relinquit Deus in manu Consilii sui, ut nec sibi ipsis, nec aliis hæreant. Contra verò Catholicorum dogmatum inconcussam veritatem, demonstrat unus, & idem consensus, inter quæ, nulla unquam poterit inveniri discordia. Unde satis exploratum est illa à Deo proficisci, neque aliquando dissolutum iri, quantumvis ea evertere nitantur veritatis inimici. At verò Lutherana doctrina, à parte mendacii (qui dissensionis Spiritus est) exorta, tandem veluti fœnum exarescet, nempe usque adeo pudendos, atque execrandos illa continet errores, & iam malè sibi cohærentes, ut facilè fugienda ap-

E pareat, & detestanda. Et quia suapte natura talis est ejusmodi doctrina Lutheri, serpentina quadam malitia laborant (quod dolentes referimus) Lutherani, orthodoxorum procerum libris eam inserere, quo eorum prætextu, facilius suscipiatur. Hinc impiis tùm præfationibus, tùm annotationibus marginibus adjectis, tùm scholiis, tùm indicibus, lympidissimos illos fontes Catholicæ pietatis, & antiquorum doctorum libros, virulento sulphure damnati sui erroris inficere moliuntur; sed non potest adversus veritatem prævalere falsitas: veritas enim super omnia vincit. Nam cum Deus veritas sit, & Deum nemo valeat superare: nec veritas certè poterit aliquando ulla hæreticorum vesutia supplantari. Quare non est, quod

editorum librorum copia glorientur Lutherani: tàm enim potest nefanda scriptorum farrago damnatam impietatem firmare, quàm stramineæ stipulæ, fundamentum domus reddere stabilius. Non enim pluris faciunt hujusmodi libros Orthodoxi, quàm pulverem, quem projicit ventus à facie terræ: habituri idem judicium, tàm pro dogmatibus, quàm libris, quod præcedentes hæresiarchæ, quorum ita sunt scripta perpetuis tenebris sepulta, ut ne eorum vestigia quidem supersint: propterea frustra laborant in scribendis libris suæ perfidiæ, aut suam vesaniam publicis concionibus prodendo. Nec enim stabilientur, sed peribunt, sicut priorum, sic horum impiorum hæreticorum cum suis scriptis desideria: neque contra Ecclesiam Dei prævalebunt, quæ gloriosa in sæcula permanebit, de illis (prout & de cæteris hactenus hæresiarchis) insignem relatura triumphum.

Finis præfationis.

GENERALE DECRETUM,

Continens hæresum, quæ nunc pullulant, species: earum detestationem, modum judicandi, ac discernendi hæreticos, ac relapsos, formam, & ordinem procedendi contra eosdem, eorundem etiam acerbas pœnas: ac demum exhortationem ad principes, potestatesque sæculares, de illis profligandis, & exterminandis.

ANtonius miseratione divina tituli sanctæ Anastasiæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Archiepiscopus Senonensis, Galliarum, & Germaniæ primas, ac Franciæ cancellarius: universis præsentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Inter cunctas Pastoralis officii solicitudines, quibus premimur incessanter, illa fortius nos angit: ut cunctis hæreticis de finibus Christianorum expulsis, suisque falsis, & virulentis scriptis, ac pestilentibus doctrinis, penitus extirpatis: fides Catholica (quæ solidæ semper fuit subnixa Petræ) integra, illibataque permaneat, ac populus Christianus nostræ potissimum Provinciæ, in fidei synceritate (quolibet obscuritatis semoto velamine) immobilis, inviolatusque persistat. Sane prospicientes (quod non sine gravi displicentia referimus) insurrexisse nonnullos pseudochristos, ac pseudoprophetas, quorum dux, & vexillifer est Martinus
Matth.24. Lutherus: qui à veritate excidentes, nonnullos, ac pene infinitos, etiam si fieri possit, electos (ut est
1. Tim.4. apud Matthæum) in errores inducunt homines, haud dubie hæresiarchas fastuosos, seditiosos, luciferiana superbia, ac rabie lupina erectos, ac demum quales Apostolus ad Timotheum graphicè describit, suisq; pingit coloribus, & adamussim exprimit. Qui rursus (ut
2. Petr.2. inquit Petrus) *sectas perditas, ac damnatas introducunt, libertatem promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis*, in maximam certè reipublicæ Christianæ perniciem, & jacturam: ac tandem, nisi cito occurratur, ruinam, & eversionem. Utpote quos non pudet novas hæreses effingere, sed etiam satagunt, ac student veteres, & jam diu per Ecclesiam sopitas, instaurare. Et inter hæc primum de sacramentis Ecclesiæ multa perniciosè dogmatizant: affirmantes laicos, & mulierculas, æque atque Presbyteros, posse absolvere. Et quod hactenus fuit inauditum, laicis, ut Sacerdotibus, Eucharistiæ consecrationem permittunt. Inter Sacerdotes, & plebem nihil interesse dicunt: sed omnes sacerdotes putant, quicunque sunt Christiani. In clericis, in sacris ordinibus constitutis cælibatum non admittunt. Monachis, & aliis voto obstrictis libertatem lasciviendi indulgent.

Ephes.5. Quibus, relicto velo, & abjecta cuculla, ad sæculum redeundi facultatem relaxant, & apostasiam permittunt. Romanorum Pontificum decreta, decretales epistolas, etiam & canones conciliares enervare contendunt. Veteres Ecclesiæ ceremonias, ac receptas tot annis laudabiles consuetudines, ridiculas censent. Et ut ad impietatis cumulum addant, sacram Scripturam figere, ac refigere non dubitant, ac relicto sensu Patrum Orthodoxorum, vellicare, & ad suum sensum reprobum contorquere. Convitiis semper, & maledicentiis pleni, & non solùm aceto perfusi: sed ubique veneno respersi. Articulos insuper infinitos (quos non magnopere attinet referre) disseminant: aut scandalosos, aut temerarios, aut blasphemos, aut piarum aurium offensivos. Ac tandem super exitiali, pestilentique dogmatum veneno, pleraque alia tàm fœda, ac malè olentia nauseabundi evomunt: ut quasi ex professo habeant speciem, ac decorem sanctæ Matris Ecclesiæ, non habentis maculam, neque rugam fœdare, spurcare, ac contaminare. Veriti ergo, ne hoc veneficum virus in nobis credito dominico agro radices ageret, ac velut cancer cresceret in perniciem aliorum: officii nostri pastoralis esse duximus, vepres hujusmodi nocivas falce authoritatis Ecclesiasticæ resecare, & plantulam priusquam subolesceret, & in plures serperet, radicitus evellere. Hinc est, quod in hoc nostro provinciali Concilio, quod ad corrigendos excessus, & extirpandas hæreses juxta Chalcedonense, ac Lateranense concilia, adunatum est: ad Dei honorem, fidei Orthodoxæ exaltationem, ac subditorum nostrorum pacem, augmentum, & tranquillitatem, duximus, habito suffraganeorum nostrorum consensu, ac multorum divini, & humani juris interpretum consilio, his tantis periculis salubriter, ac celeriter providendum. Antiquos scilicet canones (quorum utique custodes, & executores constituimur) aut declarantes, aut renovantes: seu ex potestate nobis concessa, interdum adjectione pœnæ communientes.

Imprimis juxta sacrum Lateranense Concilium excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim, extollentem se adversus Orthodoxam, & Catholicam Ecclesiam.

Universos insuper, qui aliter, quàm Romana credit, & prædicat Ecclesia, credere, & pertinaciter asserere attentant, ejusdem concilii authoritate, velut hæreticos, & pertinaces, & à communione fidelium separatos declaramus.

Ecclesia quippè universa errare non potest: utpote quæ regitur spiritu veritatis, secum manente in æternum, & cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi. Quæ etsi diversa, & nonnumquam (quod sæpius neoterici hæretici objiciunt) pugnantia proposuerit decreta: nihil tamen est in tanta decretorum multitudine, quod fidei Orthodoxæ obversetur, sed ab uno, eodemque spiritu edocta fuit: ut ita pro conditione temporum statueret, ut visum fuit conducibilius. Ejusdemque Concilii authoritate credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi subjacere decernimus. Suspectos autem de hæresi, & notatos, post unam, aut alteram correptionem, decernimus ab omnibus devitandos, scientes (ut dicit Apostolus) quod subversi sunt, & suo planè judicio condemnati. Ac subinde dum intelligunt se à consortio hominum separatos: rubore plerumque suffusi, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur. Damnati de hæresi, si ad unionem fidei Catholicæ redire noluerint, maneant de foro Ecclesiæ, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in pane doloris, & aqua tristitiæ, perpetuo carceri deputentur. Damnati de hæresi, si eam abjurare noluerint; si laici sunt, statim sunt judicio sæculari relinquendi. Si clerici, præsente potestate sæculari, sunt à suis ordinibus degradandi: & pronunciandum est, ut eos sæcularis judex in suum forum recipiat. Cæterum quia Episcoporum numerus per sacros canones ad degradationem requisitus non facilè potest adunari: concedimus, ut cum Sacerdos, aut alius in sacris ordinibus constitutus, fuerit

pro

pro crimine hæresis degradandus, possit accersitis Abbatibus, aliisque prælatis, solus Episcopus degradare. Qui in hæresim semel abjuratam reciderint, ac, velut canes, ad vomitum redierint, tanquam palmites aridos in vite non manentes, foras mittendos decernimus, & sæculari judicio sine ulla audientia relinquendos. Relapsos autem in hæresim, juxta decretum Alexandri quarti declaramus eos, qui in judicio hæresim abjurarunt, & post committunt in ipsa, licèt prius crimen hæresis non plenè contra ipsos probatum fuisset. Insuper eos, qui una specie hæresis commiserunt, aut in uno fidei articulo erraverunt, & post simpliciter, vel generaliter hæresim adjurarunt; si ex tunc in aliam speciem hæresis committunt, vel relapsos in hæresim decernimus judicandos. Prætereà is, de cujus lapsu in hæresim ante abjurationem constiterit, vel nunc constat, si post illam hæreticos deducat, acceptet, sive associet, vel dona, aut munera eis mittat, seu favorem eis impendat, qui excusari non possit, meritò debet judicari lapsus, cùm illum ex approbati à se erroris consequentia non sit dubium id fecisse. Novissimè abjurans in judicio hæresim propter vehementem præsumptionem; si iteratò labitur, licèt non fuisset plenè probata, relapsus dicitur. Cæterum relapsis, etsi resipiscentia non profuerit ad evitationem pœnæ temporalis, tamen, cùm Ecclesia nulli claudat gremium redeunti, non sunt ipsis relapsis, si pœnituerint, & pœnitentiæ signa apparuerint, pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta deneganda. Qui de hæresi deprehensi fuerint sola suspicione notabiles: nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, innocentiam suam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur. Hæreticorum bona, tanquam reorum læsæ majestatis, si laici sint, fisco sæculari applicentur, si verò clerici, Ecclesiis, à quibus stipendia receperint. Confiscationis autem executio non fiat per judicem secularem, nisi prius à judice Ecclesiastico super crimine sententia pronunciata extiterit. Cæterum, quia intelleximus per nonnulla loca provinciæ nostræ quosdam (qui in nulla unquam academia incorporati fuerint, sed in verba Lutheri jurarunt, aut Luthero sunt nequiores) monopolia illicita facere, & occulta conventicula, necnon cum laicis sese in penetralibus domorum recipere, & cum idiotis, ac mulierculis conversari, de fide Catholica disputare, & non secus, quàm impius Montanus cum suis Priscilla, & Maximilla, simplicium animos eludere, & fascinare: inter hæc jactantes se habere spiritum Domini. Propterea, ne vitia sub specie virtutum subintrent, præcipimus suffraganeis nostris, ut congregationes hujusmodi occultas, & adeò perniciosas prohibeant, ac transgressores pœna condigna puniant. Deus enim, qui est lux vera, & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, adeò execratur opera tenebrarum, ut Apostolos in universum mundum prædicaturos missurus, præceperit eis apertè: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Rursus etiam intelleximus nonnullos Martini Lutheri libellos perniciosos, jampridem cum suo authore à sanctissimis Pontificibus Leone Papa, & Adriano, necnon Clemente Papa moderno damnatos, à nonnullis nihilo secius timore divino, & pudore humano prorsus abjectis, adhuc evulgari, legi, & circumferri. Propterea prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne qui, cujuscunque conditionis, aut status existant, prædicti Lutheri libellos, aut qui ab eo, & suis sequacibus prodiisse asseruntur, deinceps comparent, habeant, & circumferant, aut in concionibus publicis, seu privatis confabulationibus laudent, approbent, tueantur, aut evulgent. Porrò, cùm secundum Apostolum alios dedit Dominus Apostolos, alios Doctores, alios Prophetas: hinc est, quod districtè juxta sacrum generale Lateranense Concilium prohibemus, ne passim liceat cuivis prædicationis officium usurpare, neque ad prædicandum prodeant, nisi quibus aut à Jure, aut à Papa, aut Episcopo loci licentia concedatur. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Et Veritas ipsa dicit in Euangelio: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Joannes quoque Baptista, specialis suæ missionis testimonium protulit de scriptura, dicens: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta.

Cap. excõmunica. 1. § quia verò. Rom 10. Matth. 9. Joan. 1. Esa. 40.

Ordinamus insuper, quod suffraganei nostri, si viderint aliqua loca esse de hæresi suspecta, per se, aut alios idoneos, quàm citius ad illa accedant, & ab illis de vicinia exigant sacramentum de prodendis hujusmodi hæreticis, ac conventicula illicita facientibus. Quibus etiam districtè præcipimus, ut ad hæc exequenda diligenter invigilent, & in negocio hujusmodi hæreticæ pravitatis summariè, & de plano procedant. Et si in expurgando hujusmodi fermento fuerint remissi, aut negligentes, intelligant se pœnas incursuros, quæ in sacro generali Lateranensi Concilio continentur. Pœnas insuper reformident contra inquisitores in officio delinquentes, in sacro Viennensi Concilio promulgatas. Constitutiones autem Urbani Quinti, Clementis Quinti, & Bonifacii Octavi diligenter observent suffraganei nostri. Obsecramus autem per viscera misericordiæ Dei nostri, Christianissimum Regem, & Principem, ac Dominum nostrum supremum, ut pro suo singulari zelo, miroque affectu, & incredibili devotione religionis Christianæ, à suis terris, & dominiis universos hæreticos confestim repellat, exterminetque hanc tetram, & diram luem hæreticorum, quæ in dies magis, ac magis pullulat. Res haud dubiè inaudita, cùm ab exordio nascentis Ecclesiæ usque ad hæc novissima tempora regnum hoc Christianissimum (ut inquit Hieronymus) hæreticorum prodigiosis monstris caruerit. Proinde principes Orthodoxi, si Christiano nomini consultum esse volunt, si religionis Christianæ ruinam metuunt; necesse est in exterminandis, profligandisque hæreticis omnes suos conatus intendant, omnem suam potestatem exerceant. Periculum alioqui est, ne Petri navicula operiatur fluctibus, ac demergatur in profundum: nunquam enim sic undis jactata est Ecclesiæ navis: sic ventis validis, idest vanis doctrinis impulsa, sic undique procellis agitata. Inde, quod Christo in navi dormiente apud Matthæum Apostoli fecerunt instante naufragio: clamemus necesse est, & dicamus: *Domine, salva nos, perimus*. Novissimè ordinamus, quod rectores, & consules civitatum, juxta sacrum generale Lateranense Concilium corporaliter præstent Sacramentum: quod fideliter, & efficaciter Ecclesiam in hujusmodi negocio hæresis (cùm fuerint requisiti) juxta suum officium pro viribus adjuvabunt, manusque porrigent adjutrices. Episcopi autem, vel Inquisitores, dum in hujusmodi negotio procedunt, & à sæcularibus judicibus forsan excommunicatis subsidia postulant: nullam ex participatione hujusmodi, excommunicationem incurrant. Præcipimus tandem singulis suffraganeis nostris: ut hoc nostrum tàm salubre, tàmque pro conditione temporum necessarium statutum, suis statutis Synodalibus adjiciant, ac in prima eorum Synodo faciant publicari. Datum Parisiis in prima sessione Concilii nostri facta apud Fratres Eremitas sancti Augustini. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimoseptimo, die tertia Februarii.

Dict. cap. §. adjicis. Cap. statuta, de hæret. in 6. Dict. c. excommun. 1. §. volumus, cap. volentes, de hæret. in cle. Hieronym. Matth. 8. Cap. excõmunica. 1. §. moneantur, de hæretic.

Index Decretorum Fidei.

CÆterum, quia magis solent sermones particulares moribus esse accommodi, quàm universales: jam superest particularia quædam decreta super renascentibus nonnullis præfatis erroribus in medium proferre. Quibus tùm per sanctas Scripturas, tùm per

sacra

sacra Concilia, traditionem Ecclesiæ, antiquitatis consensum, tùm per inconcussum Ecclesiæ usum, & certam ejusdem authoritatem, ejusmodi elidantur errores. Quorum quidem decretorum index subsequitur.

De unitate, sanctitate, & infallibilitate Ecclesiæ.
Decret. 1.

Matth. 19. Ephes. 5. SAnctum quidem, & indissolubile viri, & uxoris vinculum. At verò magnum istud in Christo, & Ecclesia sacramentum, quam ille tantopere dilexit, ut seipsum traderet pro ea, quo illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam.

Ose. 2. Cùm igitur eam sibi in fide desponsaverit, ab ea profectò per infidelitatem, aut ullum circa mores errorem non est aliquando divellenda, nec ullo patie- Matth. 28. tur Christus à se divortio illam separari, cum qua se futurum spopondit usque ad consummationem sæculi. Ea quippe non modò sponsa, sed & domus illa 1. Tim. 3. Dei est, quæ *columna est, & firmamentum veritatis*, firmiter ædificata, benè fundata supra firmam petram. In quam licèt descendat pluvia, irruant venti, inun- Matth. 7. Matth. 16. dent flumina, everti tamen non poterit, neque *portæ inferi prævalebunt adversus eam*, aut aliquando poterunt illi, qui expugnant illam à juventute sua. Ps. 128. Ps. 120. *Non enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit eam.* Is Ephes. 4. nimirum, qui *ascendens in altum, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores, & Doctores: ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris: sed maneat nobiscum in æternum Spiritus veritatis, & sanctificet nos in veritate.* Jo. 14. Jo. 17. Apoc. 21. Ea inquam, *tabernaculum illud Dei cum hominibus*, in quo *habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt: & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus*. Extra quam non secus, ac quondam extra arcam Noe, nemo salvus esse possit, quin insurgentibus hæresum procellis obruatur. 1. Pet. 3. Ea ipsa, una est domus, in qua agnus Paschalis manducari est jussus, & extra quam participatio men- Exod. 12. sæ Domini nequaquam potest haberi. Eadem quoque, unica est domus Rahab, qua conclusi evadunt exterminium urbis Hierico, neque ancipitem sentiunt gladium: in exitium hostium fidei, & Ecclesiæ exer- Josue 6. tum. Una igitur sancta, & infallibilis Ecclesia, quæ A nec à charitate decidere potest, nec ab Orthodoxa fide deviare, cujus authoritatem, qui in fide, & mori- Ephes. bus secutus non fuerit, quasi Deum abnegaverit (cui gloria in Ecclesia, & Christo Jesu, in omnes generationes) infideli deterior habeatur.

Quod Ecclesia non sit invisibilis.
Decret. 2.

CUm adeò explorata sit ex scripturis tùm unitas Ecclesiæ, tùm sanctitas: ut qui secus ausit affirmare, manifestæ statim impietatis convincatur. Apertissimum autem in hæreticos argumentum, & quo minore negotio contundi queant, sit ejus authoritas, cujus definitiones, & decreta propter sui claritatem non B facilè sint cavillis, & tergiversationibus obnoxia. Operæ pretium se facturos esse putaverunt, si quam inficiari non possunt, dolo tandem, & versutiis eludant. Id, quod tùm demum assequuti fuerint, si pro sententia Lutheranorum, invisibilis, & tota spiritualis, ac proinde nobis incognita credatur Ecclesia. Nam quis futurus contentionis modus, ubi provocatur ad judicem, qui nec inveniri, nec inventus internosci possit? Atqui (inquit Christus) si te corripientem frater tuus Matt. non audierit, dic Ecclesiæ. Quid autem crassius, aut Act. quid inutilius fingi possit, si prorsus occulta sit, & imperv estigabilis Ecclesia? cujus majores natu admonet Apostolus, universo gregi, non quidem invisibili attendere, in quos eos Spiritus sanctus posuerat Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei? Nunquid invisi- Act. C bilis illa, à qua pro Petro, cùm carcere teneretur, 1. Ti. assidua fiebat oratio? aut in qua Timotheum conversari docet Apostolus? Non igitur fide tantùm, & internis charismatibus, sed confessione fidei, & externa, ac visibili sacramentorum participatione constat, semperque constitit Ecclesia, quæ ab ipsis incunabulis communi, & præscripta unius, & ejusdem fidei protestatione non caruit. *Unum corpus* (inquit Paulus) Ephe. *unus Spiritus: unus Dominus, una fides*. Sed ne ab his invisibilibus tantùm pendere videretur Ecclesia: *unum* 1. Co. adjecit *baptisma*. Etenim *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*: sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi: omnes in uno Spiritu potati sumus. Quisquis igitur tergiversandi studio, invisibilem, & incertis sedibus errantem dixerit Ecclesiam: D non hæresim tantùm dixisse, sed hæresum omnium puteum fodisse judicetur.

De authoritate sacrorum Conciliorum.
Decret. 3.

ABsurdum non abs re videri possit, si tanto studio veteri Synagogæ Deus affuit, ut si quid in lege Deu. difficile, vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam à judicibus, & legisperitis absolvi non posset: designato tamen cœtu non carerent, cujus arbitrio res tota finiretur. Ecclesiam autem longè synagoga potiorem, ita necessariis destituat auxiliis, ut prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione, tuto satis E inniti possit. Proinde cùm certa sit, & infallibilis Ecclesiæ regula, nec aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi queat; ea profectò sacris generalibus Conciliis authoritas derogari non potest, quæ proximè universalem repræsentant Ecclesiam. His enim Conciliis, si ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei, & extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum est, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo possit internosci, cùm ille frequenter tùm impendio loquacior, tùm pervicacior: pluribus (licèt perperam intellectis) scripturarum testimoniis, falsò glorietur. Nec erat, quò veterum quondam hæreticorum retunderentur insultus, nisi Ecclesiastici proceres Apostolorum exemplo, Concilia celebrassent, quibus sancti Spiritus authoritatem

tatem ferocientibus illis, & rerum humanarum scientia tumentibus opponerent. Quo fit, ut si Conciliorum authoritati, sub hac temporum calamitate, tantillum depereat: protinus velut ab inferis, suscitandæ sint damnatæ hæreses, neque defuturi sint, qui hinc Arrio, inde Nestorio, cæterisque id genus pestibus palam subscribere non formident. Etsi autem nonnihil quoque laicorum intersit, quid credendum sit, quid agendum: id tamen ab Apostolis (quibus succedunt Episcopi) legimus observatum, ut sive murmuri Græcorum occurrendum foret, seu pacanda super legalibus oborta seditio: non centurionem, non promiscuam è plebe multitudinem accerserent, sed præsentem sibi Spiritum sanctum affirmarent: cujus instinctu, quod justum esset, & æquum, sanciretur. Quod si ubi duo, vel tres in nomine Domini congregantur (licèt sibi ipsis relicti falli possint) continuò tamen in medio eorum sit Dominus: quantò magis, ubi summus Pontifex, cæterique primores Ecclesiastici conveniunt: ut hæresibus subinde pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum, subortis expurgent zizaniis? Sancta igitur, & inviolabilis est sacrorum Conciliorum universalium authoritas, cui quisquis pertinacius refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.

Quod ad Ecclesiam pertinet determinare, qui libri sint Canonici, & qui non, & scripturæ sensum interpretari. Decret. 4.

Magna profectò fuit, semperque futura est Scripturæ sacræ authoritas, in qua nihil falsum, nihil otiosum esse possit. Cùm enim *non humana voluntate allata sit aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines: omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in justitia.* At nihilominus mutilum est, & prorsus invalidum sumptum è scripturis argumentum, si pro cujusvis arbitrio, quod adductum fuerit, sacrum, aut prophanum, Canonicum, aut apocryphum habeatur: vel quod in Canonem admissum, receptumque fuerit, indocti, & instabiles depravent ad suam ipsorum perditionem, ac passim cerdones, ac infimæ plebis homines, in eam, quam semel imbiberint, sententiam pertinacius detorqueant. Nam quid promovebis, cùm, si quid defenderis, negetur? ex diverso, si, quid negaveris, defendatur? & tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Nullus quidem tàm deploratus quondam surrexit hæreticus, qui non suum errorem scriptura tueri conaretur: nulla tàm absurda, tàm impudens hæresis, quæ non sacris utcumque fulciatur eloquiis, sed corruptis, & à genuino sensu depravatis. Immo verò, si quis litteræ corticem tantùm suo fretus ingenio percurrat: si penitissimos sensus cum Ecclesiasticis interpretibus non penetret, vix unquam confutabitur hæreticorum versutia. Obortis igitur de fide dissidiis, frustra sæpè scriptura consulitur, nisi Ecclesiæ certa, & infallibilis litem dirimat authoritas, quæ Canonicum librum ab Apocrypho, Canonicum sensum ab hæretico, germanum ab adulterino discernat. Hac nempe, velut internuncia, patrum, & sacrorum Conciliorum organis, Spiritus sanctus docet nos omnia, & suggerit nobis omnia: sine quorum auspiciis, qui Scripturæ sacræ sensum habere se jactitant, non intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: sed videntes non vident, & audientes non audiunt. In annumerandis itaque Canonicæ scripturæ libris, qui præscriptum Ecclesiæ usum, & authoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium tertium, Innocentii, & Gelasii decreta, & denique definitum à sanctis Patribus librorum catalogum respuit: aut in exponendis scripturis, non pascit hœdos suos, *juxta tabernacula Pastorum*, sed fodit sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas: & spretis Orthodoxorum Patrum vestigiis, proprii spiritus judicium sequitur: is velut schismaticus, & hæresum omnium incentor, & fautor, à tanta temeritate reprimatur.

[Margin: 2. Pet. 1. — 2. Tim. 3. — 2. Pet. 3. — Tertull. de præscript. hæreticor. — Joan. 14. — 1. Tim. 1. — Matth. 13. — Isa. 6. — Can. 47. — Cant. 1.]

Aliqua esse firmiter tenenda, quæ non continentur expressè in Scriptura sacra, sed à Christo, vel Apostolis ipsis familiari colloquio, & quasi per manus ad nos devenerunt. Decret. 5.

Ampla certè scripturæ latitudo, ingens, & incomprehensibilis profunditas: perniciosum est tamen eo errore laborare, ut nihil admittendum putetur, quod non è scriptura depromptum sit: multa quippe à Christo ad posteros, per manus Apostolorum ore ad os, & familiari colloquio transfusa sunt, quæ, etsi in sacra Scriptura expressè contineri non videantur: inconcussè tamen tenenda veniunt. Nam quod genua flectamus orantes ad Orientem, sed & sacrosanctæ Eucharistiæ percipiendæ ritus, vel eorum, quæ dicuntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc, operta licèt, & velata, portamus super humeros, atque ita implemus, ut à magno Pontifice Christo, aut primitivæ Ecclesiæ proceribus tradita. Ad hæc, ubi quæso scriptum est illud, quod à Christo dictum commemorat Apostolus: *Beatius est magis dare, quàm accipere?* Quis scripto redegit ea, quæ per dies à resurrectione quadraginta Dominus cum discipulis de regno Dei disseruit? atque alia id genus multa, quæ si scribantur per singula, nec *ipsum mundum* (juxta Joannem) *arbitramur posse capere eos, qui scribendi sunt, libros.* A quibus non longè sunt aliena Symbolum illud Apostolorum, & quod sine unctione non fit Confirmationis sacramentum, & insuper benedicto Missæ sacrificio aqua vino misceatur, aut fideles vivificæ crucis signo frontem communiant, pluraque id genus, quæ velut ex receptione quadam, & quasi per manus ab Apostolis emanarunt. Hinc Paulus non eas tantùm traditiones jubet à Thessalonicensibus observari, quas per Epistolam, sed etiam quas per sermonem didicissent. Neque prætermisisse putandus est cætera, quæ circa venerandum Eucharistiæ sacramentum Corinthiis sese dispositurum, cùm venisset, ultro spoponderat. Quorum plurima, licèt à Christo fortè non sint instituta, id tamen ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, veluti quod Christus ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Oportet itaque nos authoritati Patrum, consuetudinique majorum usque ad tantum tempus per tantam annorum seriem protelatæ, etiam non percepta ratione credere, eamque, ut antiquitus tradita est, jugi observantia, ac reverentia custodire. Quam si quis eo prætextu pertinacius rejiciat, quod non legitur in scripturis sacris, ut hæreticus, & schismaticus habeatur.

[Margin: Dis. Eccles. hier. cap. 1. Orig ho. 3. sup. Num. — Cap. Ecclesiast. 11. dist. — Act. 20. — Act. 1. — Joan. 21. — 1. Thess. 2. — 1. Cor. 11. — Cypr. in ser. de abl. ped. Cass. collat. 21. c. 12.]

De constitutionibus humanis. Decret. 6.

Si tanta erat Synagogæ majestas, tanta Levitici sacerdotii authoritas, ut qui superbiret, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore Domino ministrabat, decreto judicis moreretur, ut hac animadversione auferretur malum de Israel, cunctusque populus audiens timeret, & nullus deinceps intumesceret superbia: qua fronte in eam prorupit hæreticus audaciam, ut quidquid scriptura non expressum, à sacrosanctis Conciliis, & summis Ecclesiæ Pontificibus statutum sit, ausu temerario respuat, & subsannet? An non attendit verba Christi? qui ne quispiam à præstanda scribis, & pharisæis obedientia, ob quatumvis apertam morum impuritatem avocaretur: *omnia* (inquit) *quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum autem opera illorum nolite facere:* & ad suos conversus, quibus regendam committebat Ecclesiam: *qui vos audit* (inquit) *me audit, & qui vos*

[Margin: Deut. 17. — Matth. 23. — Luc. 10.]

vos spernit, me spernit. Atque id, optimo quidem jure. Nam cùm filios patribus, & subditos potestatibus sublimioribus oporteat esse morigeros: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, nec in iis tantùm, quæ jure divino cauta sunt: sed quæ vel ad familiam, aut ad rempublicam pertinent. Profectò, qui præsunt Ecclesiis, patres sunt, *nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo*, inquit Paulus, *sed non multos patres; ego enim* (ait) *in Christo, per Euangelium vos genui*, nec patres tantùm sunt, sed & in sibi commissos potestatem accepere sæculari non inferiorem, in ædificationem quidem, & non in destructionem. Quæ omnia, cùm essent priscis olim patribus persuasissima, non inveniebatur, qui non ultro jussa capesseret, cùm Synagogæ primores jejunium aliquod, & dies festos indicerent, vel Apostoli à sanguine, suffocato, & idolothytis abstinendum esse. Quin Paulus hominem contentiosum, legem illam de velandis mulieribus non probantem, quod ea fortè non inniteretur scripturæ, Ecclesiastica consuetudine refellendum censuit, quæ contentiones hujusmodi non admittit. Oportet itaque præpositis obedire, & subjacere eis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris redditurі, qui si quid instituerint, quamvis hujus rei certum de scripturis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facinus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsa scripturarum commendat authoritas. In omnibus igitur, in quibus nihil certi definivit scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege habenda sunt, & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi.

[Margin: Ephes. 6. — Rom. 13. — 1. Cor. 4. — 2 Cor. 10. & 13. — 2. Par. 20. Act. 15. — 1. Cor. 11. — Hebr. 13. — August. — Idem.]

De jejuniis Ecclesiasticis. Decret. 7.

CUm in omnibus Ecclesiasticis constitutionibus, utilis quædam honestas, & spiritualis profectus incrementum elucescat, in indicendis tamen jejuniis insigniter emicuit, quibus nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuit institui. Cùm id genus dæmoniorum (ut ad spiritum dictum Christi referamus) jejunio tantùm, & oratione pellatur. Nec sanè quippiam exemplo Moysi, promovendæ mentis puritati commodius, aut demum exemplo Ninivitarum, ad impetrandum, aut iram Dei placandam efficacius, ab Ecclesiasticis quondam præsidibus potuit ordinari. Quæ res Apostolos impulit, ut quadragesimale jejunium sanctificarent, quo Christi fideles, non tàm Moysem, aut Heliam, quàm Christum imitati, totius anni decimam exolverent. Quæ verò à Callixto Martyre in quatuor anni partes discreta sunt jejunia, quarti, quinti, septimi, & decimi mensis legem referunt, ac figuram adimplent. Et velut quædam nostri temporis primitiæ, sub illis quatuor anni partibus offeruntur, ea quidem observantia, ut duodenarius dierum numerus duodecim mensium numero respondeat. Neque dissimili religione statuta sunt cætera vigiliarum jejunia, quo puriores sacris solemnitatibus accedamus. Cæterum, quod ad ciborum delectum attinet, etsi jam olim exoleverit vetus illa Mosaicæ legis servitus (quam umbram futurorum Apostolus appellat) nec jam aliquid commune dicendum sit, aut immundum, nihil tamen sanctius, nihil utilius potuit institui, quo pruriens carnis lascivia frenaretur, quàm ut jejuniorum, & statutis ab Ecclesia abstinentiæ diebus, à carnium esu temperantes, cibis tantùm aridioribus vesceremur. Neque profectò minor esse debet apud nos sacrosanctæ matris Ecclesiæ authoritas, quàm apud filios Rechab, morituri patris imperium, qui ne patris edictum violarent, à vino perpetuò abstinuerunt. Si quis igitur Aerianorum hujusmodi errorem, mille ab hinc annis damnatum, & à Joviniano, Vigilantio, Valdensibus, Vvicleffo, Hussitis, ac novissimis istis diebus à Luthero, & sequacibus suscitatum, sequutus, quadragesimale jejunium, non tàm terrena cogitatione initiatum, quàm cœlesti majestate consecratum, & cœtera Ecclesiastica jejunia, vel præscriptas à patribus abstinentias non observaverit, aut non observandas duxerit, sacrorum Conciliorum authoritate, anathema sit.

[Margin: Marc. 9. — Exod. 34. Deut. 9. Jon. 3. 76. d. c. 1. — Zach. 8. — De consf. d. 3. & 5. in plurib. cap. — Act. 10. & 15. Hebr. 10. Colos. 2. — De consf. d. 3. c. jejunia, & pluribus aliis. Hiere. 35. — Maxim. Apoc. 22.]

De cœlibatu sacerdotum. Decret. 8.

NOn satis esse visum est Lutheranæ factionis authoribus, *si quis in sordibus est, sordescat adhuc*, nisi Luciferiana quadam malitia magnam stellarum partem secum traherent, & qui jamdudum impudicitiæ frena laxassent, multo plurimos in sacrilegos incæstus, & nefanda prodigiosæ libidinis exempla secum præcipites agerent. Ut enim, qui lascivia diffluebant, plures haberent sui similes, & coacervata multitudine suam utcunque turpitudinem adumbrarent, in eam proruperunt audaciam, ut sacerdotes Euangelicos nulla cœlibatus lege teneri velint, sed contra totius Ecclesiæ ritum, & præscriptam ab ejus incunabulis consuetudinem, liberas quibuscumque post adeptum sacerdotium affirment nuptias. Leviticis quidem sacerdotibus licita fuere conjugia, utpote qui paucis tantùm diebus sua vice ministrarent, & ex ea tantùm tribu jure successionis sacerdotio fungerentur. Neque voluit orientalis Ecclesia suos ea severitate coerceri, ut contractis primum matrimoniis uti non liceret. At sacerdotio Christi, utpote sublimiori, & excellentiori, superinductas aliquando fuisse de jure nuptias exemplo caret, & tanquam ab Apostolis interdictum, secundo Carthaginensi Concilio prohibetur. Neque potuit quidquam illo sanctius institui, quo ministri puriores sacris accedant altaribus, & jugi pene sacramentorum administrationi reddantur aptiores: quàm neminem nec ad subdiaconatum quidem admitti, qui non sese voto perpetuæ castitatis astrinxisset. Etenim si in lege veteri ii tantùm sanctis panibus vescebantur, qui ab uxoribus mundi forent: si procul à suis domibus habitabant, quibus sua vice sacrificandum erat, ne conjugum fortè polluerentur amplexibus, si pro quibus orandum est, à conjugali commercio sit ad tempus abstinendum. Si denique à viduis, quas suis sumptibus Ecclesia quondam alendas admittebat, continentiæ votum exegerit, jure quidem optimo à summis Pontificibus, & sanctis Ecclesiæ Conciliis indictum est, ut qui sacris ultro sese ordinibus manciparent, perpetuo cœlibatus vinculo necterentur. *Nam, qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. Degravat quippe animum, & ad terrena dejicit usus matrimonii, amor liberorum avarum, & solicitum reddit. Quisquis igitur contra sacrorum Conciliorum, & Patrum decreta, sacerdotes, diaconos, aut subdiaconos lege cœlibatus non teneri docuerit, aut liberas illis concesserit nuptias, inter hæreticos, omni tergiversatione rejecta, numeretur.

[Margin: Levit. 21. 1. Par. 2… Amb. in… ad Ti. c. — Cap. 2. — dist. 32 ca… Si quis. — 1. Reg. 21. — dist. 82. c… proposui. 1. Cor. 7. — 1. Tim. — 1. Cor. 7. — Cor. 2. c. Cor. 5. c. Tol. 1. c.]

De votis, & præsertim monasticis. Decret. 9.

NOn absimili sanè versutia veritatis inversores declinaverunt *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*, dum vota perpetua, & in his potissimum monastica, non vanitatis tantùm, sed & impietatis accusant: & abjecta pessimo quidem exemplo cuculla, ad sacrilegas se convertunt nuptias. Quod infandum apostasiæ genus, hac una maximè prætexunt ratione, quasi vota ejuscemodi libertati Christianæ præjudicium afferant: nec satis in nostra sit potestate jugis illa, perpetuaque castitas. Atque his strophis in desideria carnis pelliciunt eos, qui paululum effugiunt, libertatem eis promittentes, cùm ipsi sint servi corruptionis. At verò nulla major libertas, quàm cùm repressa carnis tyrannide, corpus in obsequium Chri-

[Margin: Ps. 140. — 2. Pet. 2.]

Christi trahitur, nec tàm concupiscentia ducimur, A quàm spiritu. Nempe, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, neque quidquam est, quod non possimus in eo, qui nos confortat, Christus quippe, qui *non patitur nos tentari supra id, quod possumus*: sed facit *cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*. Cujus auxilio freti, inventi sunt eunuchi, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, ac proinde certa sit damnatio viduarum, quæ cùm luxuriatæ forent, in Christo volebant nubere, turpi certè transfugio primam fidem irritam facientes, non quam baptismo (qui nuptiarum fœdera non respuit) sed juxta expositionem Concilii Carthaginensis; quam perpetuæ castitatis possessione spopondissent. Ab hoc autem perpetuæ castitatis voto, qui Christum aliquando dehortantem facit, in eum blasphemat, & Apostolo contrarius est, B qui palam, nec semel tantùm, ad perpetuæ virginitatis observantiam instigasse legitur. Cæterum, cùm Christus apertè suadeat, ut, qui vult perfectus esse, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, vadat, & vendat omnia, quæ habet, & det pauperibus, ad perpetuæ profectò tùm obedientiæ, tùm paupertatis vota cohortatur. Si quis igitur votum aliquod hujusmodi voverit Domino, etiam si perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum suum, sed Deiparæ Virginis, Annæ matris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, omne, quod promiserit, implebit, neque tardabit reddere, sed, quæ semel de labiis suis egressa fuerint, observabit: & faciet, sicut promisit Domino, quandoquidem *ruina est homini, devotare sanctos, & post vota retractare*. Quod si quis secus fecerit, aut hæretica pravitate corruptus C secus facere licitum esse docuerit, is velut juris tùm divini, tùm naturalis infractor, nedum sacrosanctis Conciliis injurius, condigna per suos superiores animadversione plectatur.

Quod septem sunt Sacramenta à Christo instituta, & quod illa conferant gratiam obicem non ponenti. Decret. 10.

ETsi nihil intentatum reliquit hæreticus, quo Christianam fidem omni parte profligaret: in abrogandis tamen sacramentis, vipereo dente sacra matris Ecclesiæ viscera crudeliter dilaniat. Et quibus aliquando spiritualibus coaluit incrementis: ea non ingrato tantùm, sed & perfido per nefas ausu, conatur abrumpere. D Nec enim satis esse visum est, si sacramentorum Ecclesiasticorum numero detraxerit, dum pleraque ex eis humanum, & recens inventum esse dicit, nisi tandem omnibus conferendæ gratiæ vim negaret.

De Baptismo.

VErum, ut ad singula descendamus, quàm efficax sit baptismi sacramentum, primum innotescat. Hoc certè est *fons ille patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris*. Hæc aqua munda, cujus effusione mundamur ab omnibus inquinamentis, & spurcitiis nostris. Hoc, quod nos salvos facit baptisma, quo denuo nascimur. Per hoc lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, E *quem effudit in nos abundè per Jesum Christum salvatorem nostrum: justificati gratia ipsius, hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ*. Hoc aquæ lavacro mundat Christus Ecclesiam in verbo vitæ, ut eam sibi exhibeat gloriosam, *non habentem maculam, neque rugam. Quotquot enim baptizati sumus in Christo Jesu, Christum induimus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*. Cùm igitur ablutio peccatorum, ab inquinamentis, & spurcitiis emundatio, salus, renovatio Spiritus sancti, cæteraque id genus, infusionem gratiæ palam insinuent, perspicuum evadit, baptismi sacramentum sua virtute gratiam conferre.

De sacramento Ordinis.

POrrò sacramentum Ordinis vel hinc facilè colligi potest, quod etsi omnibus adeò commune sit internum illud sacerdotium, quo exhibemus *corpora nostra hostiam sanctam, viventem, Deo placentem*, ut priscis quoque sub Mosaica lege patribus conveniret, non protinus tamen quilibet dispensator ministeriorum Dei, ut Architectus ædificii spiritualis habendus est. Non continuò, si puer, aut mulier baptismum susceperit, legatione pro Christo fungitur, sed divisiones ministrationum sunt, deditque Deus *quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi*. Atque ejus gratia Titum Cretæ reliquit Apostolus, ut constitueret per civitates Presbyteros. Nam *si totum corpus oculus, ubi auditus? si totus auditus, ubi odoratus?* Denique si omnia essent unum membrum, nec esset aliquis, qui non sit sacerdotali ordine insignitus, ubi corpus? aut quid denique confusius, quid perturbatius esse queat? Quosdam itaque Christus sacerdotes instituit, quibus sui corporis potestatem commisit. Veri quidem, dum instituto sui corporis, & sanguinis sacramento: *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Mystici verò, dum posteaquam in discipulos insufflasset: *accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Quibus palam evadit, in susceptione Ordinis conferri gratiam. Rectè igitur Timotheum Paulus admonet, ut non negligat gratiam, quæ data est ei, cum *impositione manuum Presbyterii*, sed eam resuscitet potius. Quod si pro sui dignitate quis fecerit, duplici honore dignus habeatur.

(Marg.: 1. Pet. 1. Apoc. 1. Rom. 12. Exod. 19. 1. Cor. 4. 1. Cor. 3. 2. Cor. 5. 1. Cor. 12. Ephes. 4. ad Tit. 1. 1. Cor. 12. Luc. 22. Joan. 20. 1. Tim. 4. 1. Tim. 1. 1. Tim. 5.)

De sacramento Eucharistiæ.

QUis autem vivificum esse neget Eucharistiæ sacramentum, quod tàm apertis testimoniis scripturæ comprobatur? *Calix enim benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* hic nempe calix ille præclarus inebrians, hoc frumentum, hoc vinum, à quorum fructu multiplicantur fideles, hoc *frumentum electorum*, hoc *vinum germinans virgines. Probet itaque seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Caro enim mea* (inquit Dominus) *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Et rursum, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Quibus luce clarius constat, hoc sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum non solùm gratiam conferre, sed & alia pleraque adversus hæreticos roborari, quæ de ipso Catholica tradit Ecclesia; atque adeò quidem, ut post tàm aperta scripturarum oracula, plura consarcire supervacaneum foret.

(Marg.: 1. Cor. 10. Ps. 23. Ps. 4. Zachar. 9. 1. Cor. 11. Joan. 6. Ibid.)

De sacramento Confirmationis.

NEc obscurius quidem sacramentum Confirmationis Christus instituit, cùm parvis manus imponeret. Quod & ab Apostolis legimus promulgatum, cùm ad Samaritas miserunt Petrum, & Joannem, à quibus illi (licèt à Philippo Diacono antea baptizati) per impositionem manuum, Spiritum sanctum acciperent. Quod & ex Actis Apostolorum apud Ephesios à Paulo, & ex Dionysio, Clemente, & Fabiano Pontificibus, à primitiva quondam Ecclesia legimus observatum. Unde

(Marg.: Matth. 19. Act. 8. Act. 19.)

de & nunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est sacramentum: Baptismo siquidem regeneramur ad vitam, post baptismum hoc sacramento confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum hoc sacramento roboramur, cujus conferendi potestas Episcopis à Christo concessa, donum Dei est, quod asseruit Petrus pecunia possideri non posse. *Act.8.*

De sacramento Pœnitentiæ.

POenitentiæ verò tàm necessarium est sacramentum, quàm impossibile est baptismum iterari. *Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Neque ei, qui semel tantùm passus est Christus, sæpius consepeliri possumus per baptismum. Cùm igitur in multis offendamus omnes, neque sit, qui possit dicere: *mundum est cor meum, & purus sum à peccato*: necessaria est profectò secunda post naufragium tabula, in qua discussa diligenter conscientia, quicquid occurrit Dei offensivum, detestemur. *Hebr. 10. Rom.6. Jac. 3. Prov. 20. Hieron.*

Nam ad pœnitentiam nos adducit benignitas Dei, secundum autem duritiam, & cor impœnitens, homo thesaurizat sibi iram, nisi resipiscens sciat, & videat, quàm malum est, & amarum reliquisse Dominum, & non esse timorem ejus apud se. Contra verò, *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Neque enim cor contritum, & humiliatum despicit Deus, *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, sed commovet terram, & conturbat eam, tùm sanat contritiones ejus, quia commota est. Nemo igitur tantum de fide sua præsumat, nemo adeò pœnitentiam novam vitam existimet, ut non recogitet annos suos in amaritudine animæ suæ. *Rom.2. Hiere.2. 2.Cor.7. Ps.50. Ps.146. Ps.59. Esa.38.*

De Confessione.

SEd, ut vetustissimum illud, ita verissimum, *qui abscondit scelera sua, non dirigetur*, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Neque satis fuerit de peccatis conteri, & ea apud sese Deo confiteri, nisi sacerdoti quoque sacramentali confessione detegantur. Ea quippe nec humanum, nec recens inventum esse potest, quæ tot, & tantis fulcitur scripturarum oraculis. Ad hanc enim præter multas Mosaicæ legis figuras propius manuduxisse videtur primum ille Christi præcursor, à quo, qui baptizabantur, confitebantur peccata sua. Tùm Christus ipse, dum suscitatum Lazarum ab Apostolis solvi jubet, & ei, quem à lepra curaverat, præcipit, ut sese sacerdotibus ostendat. At tùm demum, hujuscemodi confessionem instituit, & præcepit, cùm postquam in Apostolos insufflasset, *accipite* (inquit) *Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam quomodò remittent, quæ sibi cognita non fuerint? aut quo pacto eorum judex esse poterit, quæ prorsus ignota sint? Oportet itaque, quem antiquus ille serpens occultè momorderit, abstrusissimum quodque vulnus medico detegere, omnem indigestum, & virulentum humorem (etsi stomacho mentis altius insederit) evomere, pudorem in satisfactionis partem de singulo quovis errato pati, ne dum occultis peccatorum vinculis sese teneri dissimulat, horrendæ tandem sub omnium oculis æternæ damnationis laqueo constringatur. Proinde statim ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis, sacer iste confitendi ritus, de interioribus, nedum de exterioribus tantùm, inolevit, ut tùm ex Jacobo, tùm ex Divi Dionisii, Alexandri, Urbani, & Cypriani scriptis, manifestum evadit. Rectè igitur hanc exomologesis legem à Christo institutam, per Apostolos ad nos usque deductam, & ab universali Ecclesia inviolabiliter observatam, à cunctis Christi fidelibus sectandam esse, & contravenientes authoritate Concilii Constantiensis, & aliorum complurium damnatos declaramus. *Prov.28. Matth.3. Joan.11. Matth.8. Joan.20. Hier.in Ecclesiast. Cypr.ser.5. de lapsis. Chrysost. sup.Matth. hom.3. Jacob.5. Dionys. in ep. ad Demoph.*

De Extrema Unctione.

AD Unctionis autem extremæ sacramentum Christus manuduxisse primum videtur, cùm Apostoli oleo ungerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed præceptoris instituto fecisse, putandi sunt. Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, *si quis infirmatur* (inquit Jacobus) *in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittentur ei.* *Marc. Jac.5.*

Quibus liquidò constat, extremam Unctionem non ægritudinis tantùm corporalis medicamentum esse, sed etiam cæterorum sacramentorum instar, remissionem peccatorum efficaciter operari: ac proinde nec ab Jacobo quidem fuisse institutam, sed ab eo tantùm, cui peculiare est, ut gratiam, & gloriam conferre possit. *Ps.83.*

De sacramento Matrimonii.

POstremo Matrimonium esse sacramentum, abundè satis, sacrosanctæ matris Ecclesiæ tùm usu, tùm authoritate comprobatur. *Hoc quippe sacramentum magnum est, in Christo* quidem, *& Ecclesia*, quo sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem. Hoc *honorabile conjugium, thorus immaculatus*, in quo non solùm salvatur mulier per filiorum generationem, sed fas est unicuique vas suum possidere in sanctificatione, & honore, per quod conjuges benedictionem consequuntur in filiis, *nec habet in eos dæmonium potestatem*, nisi ita conjugium suscipiant, ut Deum à se, & à sua mente excutiant, & suæ libidini vacent, *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Qui negat itaque matrimonium esse sacramentum, aut denique septem sacramenta non admittit, inter hæreticos habeatur. *Ephes. 1.Cor.7 Heb.13 1.Tim. 1.Thess. Tob.6.*

De sacrificio Missæ. Decret. II.

QUàm verè à Sapiente dictum est: *vir, qui erraverit in via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.* Erravit quidem Lutherus in via doctrinæ, cùm quidquid agamus, peccatum esse censuit. At tùm demum irruit quasi gigas, & posuit in cœlum os suum, cùm, ne quid nostrum Deo gratum esse fateretur, sacrosanctum illud Missæ sacrificium abrogari voluit, tantopere nobis necessarium, tantis Scripturæ testimoniis roboratum. Nam si *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, quod tandem proprium, & peculiare novæ legi sacrificium à sacerdote offerendum esse queat, nisi superbenedictum istud corporis, & sanguinis Christi Symbolum? quod esu paschalis agni, manna, cæterisque propemodum omnibus Mosaicæ legis ceremoniis figuratum est? Neque enim lex esse potest, quæ sacerdotio careat: quod si sacerdotium habet, habet & sacrificium. Porrò, etsi Christus, assiduus pro nobis Pontifex, *non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*, negari tamen non potest, *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ac proinde hujus exemplo, sacrificium aliquod obtulisse, quod exteriore panis, & vini forma, veteri illi Melchisedech oblationi responderet. *Erat enim sacerdos Dei altissimi*: quod utique fecit in suprema cœna illa. Nam *accepto pane, gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum*, *Prov. Job 10 Ps.72 Hebr. Hebr. Ps.10 Gen.1 Luc.*

meum, quod pro vobis datur, & ab Euangelicis sacer- A dotibus, jugi semper observantia præcepit iterari. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. [lem.] Hoc enim holocaustum, hæc victima pro peccatis, hæc hostia pacifica, hoc juge sacrificium, hæc munda (juxta Missæ nominis Hebraici rationem) oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, [lac.1.] cum repudiatis legis antiquæ ceremoniis, *ab ortu solis usque ad occasum*, *magnum* esset nomen Domini in gentibus. Nihil igitur in sacrificiis majus esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi, nulla potior oblatio. Qua in re, cum universalis Ecclesiæ ritu tàm apertè consentiunt Ignatius, Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Chrysostomus, ac reliqui posteriores, & Concilia propè innumera, ut qui contrarium sensisse præsumpserit, manifestam hæreseos labem incurrat.

B

De satisfactione, purgatorio, & commemoratione defunctorum. Decret. 12.

UNum illud videmus in primis hactenus observatum ab iis, qui propagandis hæresibus animum intenderint, ut ea sibi dicenda putent, quæ maximè placitura videantur, quo prurientes multitudinis aures demulceant, & à severioribus patrum avertant institutis. Hac ratione, Mahometica quondam pestis invaluit. Hoc aucupio Lutherus plures illaqueat, dum simul cum culpa semper omnem cujusvis pœnæ temporalis reatum aboleri contendit. Purgatorium tollit, & quo laicos gravius in clericorum odium exasperet, sacrificia, oblationes, & omne id genus pro defunctis orationes, recens esse sacerdotum commentum impudenter asseverat. C Prævidit enim versutus artifex, nihil esse, quod effreni plebeculæ possit esse jucundius, quàm si facillima prorsus in cœlum prædicetur via, si omnis acerbæ illius purgatoriæ pœnæ decutiatur metus, si quid habeat, quod aliquo tandem prætextu sacerdotibus impingat. Ne igitur incautus fortè quispiam vafris hujusmodi blanditiis pellectus, errorum scopulis illidatur, sacro approbante provinciali Concilio, firmiter tenendum decrevimus, culpa per pœnitentiam abolita, frequenter superesse temporalis pœnæ reatum, velut superstites quasdam peccati reliquias, quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant expiandæ, [atth. 3. ec. 3.] adeo ut iniquitate, & culpa peccati dimissa, peccator adhuc pœnæ temporali sit obnoxius. [um. 14.] Hinc murmuranti adversus Dominum Israeliticæ plebi, in- D [Reg. 12.] de David dimissam primum adulterii noxam scriptura commemorat, pro qua tamen subindè pœna temporalis irrogata est. Superabundans quidem, atque exuberans est Christi satisfactio, cujus plenitudinem assequimur, dum sicut semel tantum mortuus est, ita semel illi consepelimur per baptismum. [Petri 3. om. 6.] Peccata verò, quæ post baptismum commissa fuerunt, pœnitentiis quidem expiantur, sed quæ morienti Christo non semper configuret. [latth. 12.] Cum autem hujusmodi pœnæ temporalis, aut venialis tantum peccati reus repentè nonnunquam intereat, de omni verbo etiam otioso rationem [Apoca.21.] redditurus, nec illi pateat aditus in cœlestem illam Hierusalem, in quam nihil intrat coinquinatum, nec item gehennæ subjaceat, quippe qui gratiæ sit parti- E [Cor.5.] ceps, ac pœnæ temporalis tantùm debitor, fit, ut primum purgetur ex iis, quæ gessit in corpore, salvus [Cor.3.] tandem aliquando futurus, *sic tamen quasi per ignem*, de sua semper interim salute, ex remanentibus in eo fide, spe, & charitate, securus. [Matth. 12. Psalm. 73.] Neque enim ex eorum est numero, quorum blasphemia non remittitur *neque in hoc sæculo, neque in futuro*, quorum superbia ascendit semper, sed eorum potius, quos sub terra [Apoc.5. Mac.12.] Deo laudem acclamantes, sacer Apocalypsis liber commemorat. *Sancta igitur, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*. Nec abs re ab Apostolis traditum, ut in tremendis, & vivificis mysteriis agatur commemoratio defunctorum, Sciebant enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum igitur tàm sanctum Apostolorum institutum ab initio nascentis Ecclesiæ ex sancto Dionysio legamus observatum, [Dionysius Ecclesiast. Hiera. ca. 7.] & in Cabilonensi, ac pluribus subindè Conciliis promulgatum, quisquis Catharorum, Armeniorum, Vvicleffi, Bohemorum, Lutheri, aut Valdensium exemplo, hos errores cum sacro Constantiensi Concilio non damnarit, hæreticæ pravitatis pœnas incurrat.

De veneratione Sanctorum. Decret. 13.

UT *abyssus abyssum invocat*, [Psal. 41.] & in aliud scelus ex alio labimur, in eam demum hæreticus incidit insaniam, ut qui piis animabus, quæ purgatorio detinentur, suffragia vivorum adimit, vicissim quoque vivos, sanctorum, qui in cœlis sunt, defraudet auxiliis, quasi vel preces nostras non audiant, vel nostris calamitatibus non tangantur, quasi divinæ clementiæ deroget, quod qui Christo ministraverit, hoc honore dignus habeatur, ut pro cæteris intercedat. Sed quàm sit primum horum, non modò veritati, sed scripturis quoque dissonum, facilè intelligit, qui beatis pervium esse non ignorat omniforme illud divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, illucescat. Etsi neque desint nobis Angeli, Gabriele Danielis, [Daniel.9.] Raphaele Tobiæ, [Tob. 12.] haudquaquam segniores, qui nobis ab exordio precum nostrarum assideant, ut illis mox offerant, quorum suffragium imploramus. [Psal.67. Apoc. 8.] Nec pigrius, quàm olim, præveniant *principes conjuncti psallentibus*, è quorum manibus ascendat fumus aromatum, de orationibus sanctorum. Porro quod ad secundum attinet, qui fieri potest, ut nostris non afficiantur incommodis, quorum nunquam excidit charitas? quibus tantum gaudium in cœlo, *super uno peccatore pœnitentiam agente*? [1. Cor.13.] Abraham, cum hic diversaretur, pro salute Sodomitarum, apud Dominum [Gene. 18.] semel, & iterum, quinimmo & sæpius interpellavit, ut pro certo justorum numero, qui inter eos reperiretur, toti parceretur civitati. An nunc cum in cœlo gloriosus regnat, usque adeo refriguit ejus charitas, & imminuta est, ut immemor filiorum suorum factus non oret pro iis, qui in hoc procelloso mari adhuc constituti diris jactantur mundi fluctibus? Nec enim à beatorum communione [Sanctorum communionem, in symbolo.] (quorum alter alterius membra sumus) possumus aliquando separari, quin auctiore nobis charitate consulant, [Roma. 12.] quàm cum terrena nobiscum conversatione tenerentur. Hinc Angelus ille Zachariæ, [Zacha. 1.] & Hieremias jamdudum in sinum Abrahæ receptus, [2. Mac 15.] multum orant *pro populo, & universa sancta civitate*, [Psalm. 31.] & pro pœnitentis impietate orabit *omnis sanctus in tempore opportuno*. Nihil autem divinæ benignitati, vel omnipotentiæ deperit, quæ summa, & incomprehensibili sapientia, infima quæque per intermedia moderatur, & regit: neque minus unus est mediator Dei, & hominum Jesus Christus, [1.Timo.2.] si juxta sacram Aurelianensis Concilii, [Concilii Aur. c.23.] atque aliorum complurium institutionem, litaniis ad aliquos sanctorum convertamur. Christo tamen accepta ferantur omnia, per quem omne id genus interveniendi munus, cæteraque in humanum genus beneficia deriventur. Absit igitur, ut tanti sint apud aliquem hæreticorum præstigiæ, ut cum Manichæis, Catharis, Bohemis, & Valdensibus, beatis illis cœlestis aulæ proceribus (ex quibus non secus, ac ex igne splendor, odor ex unguento, nostra omnium dimanat utilitas) cultum exhiberi non sinat, dicata martyribus templa subsannet, dies festos inscribi, & eorum (ut ajunt) passiones palam in Ecclesia legi, cachinnis insectetur. Pluris sit sacrorum Conciliorum authoritas, quibus si quis pertinacius obstiterit, hunc pœnis in hæreticos à jure statutis declaramus coercendum.

De veneratione sacrarum Imaginum. Decret. 14.

SI tàm candidè, quàm curiosè hæreticus ea loca perlustrasset, quibus scriptura passim ab idolorum, & simulacrorum cultu revocat, nequaquam certè tanto strepitu Christianos ab imaginum honore deterreret. Neque enim dum Catholicus quispiam sanctam Christi veneratur imaginem, aliquod numen illi subesse putat, aut quasi Deum colit, sed ob recordationem filii Dei, ut in ejus amore recalescat, cujus imaginem videre desiderat. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante imaginem prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut passum, vel in throno sedentem, recordamur. Et dum nos per ipsam picturam quasi per scripturam, ad memoriam filium Dei reducimus, animum nostrum de resurrectione lætificat, aut de passione mulcet, non majore quidem idololatriæ periculo, quàm cum *in nomine Jesu, omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Quem enim vocula cursim auribus insinuat, hunc eundem fidelibus oculis imago sedulo repræsentat. Accedit & ex imaginibus alia non inferior utilitas, idoneum videlicet, atque accommodum indoctæ plebi rudimentum, ut cum sacratissimæ Virginis Mariæ, aut sancti cujusquam imago sese offert, ea velut archetypo, ad propositæ sanctitatis imitationem, & veram utcunque pietatem, rudi quadam introductione simplex populus animetur. Et seposita tantisper distractione, dum ad unius imaginis contuitum se colligit, uno obtutu sibi plura proponit, quàm diuturna librorum evolutione comprehenderet. Non abs re igitur Apostoli, vivificam crucem, & sacras erexerunt imagines, quæ quum ab initio nascentis Ecclesiæ debita semper ab orthodoxis veneratione colerentur, nihil illis à sacrosanctis quatuor universalibus Conciliis derogatum est. Quin & ab Augustino moribundis proponi jubentur, & à Gregorio magno, tùm ad Richaredum, tùm ad Secundinum missæ leguntur. Et insurgentibus tandem imaginum eversoribus, Romani Pontifices, Constantinus, Gregorius secundus, & tertius, Paulus primus, Stephanus tertius, & Adrianus primus, tanta animi constantia restitere, ut illi septima tandem apud Nicæam synodo, concordi patrum assensu damnarentur, & Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex Christianissimus, Francfordiensi conventu, ejusdem erroris suppresserit insaniam, quam infelicissimus quidam Felix in Gallias, & Germaniam invexerat. Quisquis igitur de Christi, vel sanctorum imaginibus aliter senserit, is Christo, & sanctis injurius, cum Valdensibus pestiferam hæreseos labem se noverit incurrisse.

De cons. di. 3. cap. perlatum, &c. venerabiles Gregorius ad Secundinum. *Philip. 2.* *Damascenus l. 4.* *August. li. de visitatione infirmorum.* *Carolus Magnus.*

De libero arbitrio. Decret. 15.

ETsi nulla penè sit tàm aperta Catholica veritas, nullus tàm manifestus sacræ scripturæ locus, quem non hæretici suis cavillis, & tergiversationibus eludant, nulla tamen in re tàm impudenter, tantaque rei Christianæ jactura debacchati sunt, quàm in exterminando, profligandoque libero arbitrio. Nam quid Christi fidelibus perniciosius excogitare potuit hostis ille veritatis, quàm si vel à Pelagio seducti, omnia sine præsidio gratiæ sibi tumidius arrogent, vel fatiscenti, pusilloque animo, cum VVicleffo, necessitati, fatisque committant omnia? Nihil profectò reliquum erit, tùm divinis legibus, tùm humanis, nullus consiliis, aut electioni, nullus precibus, aut objurgationi, cæterisque id genus, locus: nulla denique justitia futura est, qua quibusdam pœnæ, quibusdam constituta sint præmia, si pro VVicleffi, & Lutheranorum sententia, omnia de necessitate eveniant. Prodierat hic error primum, apud gentiles, sed summo omnium consensu mos explosus est: adeo liberum esse arbitrium, velut evidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus sese inculcat. Cum igitur reliquerit Deus hominem *in manu consilii sui*, apposueritque coram eo *ignem, & aquam, bonum, & malum*, ut ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam, nec abs re, beatus ille dicatur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit*, quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti sacram scripturam passim obvium sit, quod liberum in utramvis partem hominis arbitrium asseveret, satis esse visum est sacro provinciali Concilio, libertatis hujusmodi vires, & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam, quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere. Sed juxta sacram scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas, libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustra certè Stephanus Judæos, duræ cervicis, & incircuncisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resistebant: frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi, non unco raptamur. Prædestinat, eligit, vocat, sed eos demum adultos glorificat, qui in fide, & charitate radicati, per bona opera, certam suam vocationem, electionemque fecerint. Et licèt attingat à fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter. Hanc igitur hæresim, arbitrii libertatem prorsus auferentem, non tàm damnamus (quippe quæ jam olim, ab Ecclesia, & sacrosanctis Conciliis damnata sit) quam communi hominum conceptioni, & apertis scripturæ testimoniis declaramus esse contrariam.

Eccl. 1 *Eccl. 3* *Gene.* *Psal.* *Jacob. 4* *Zach. 1* *Apoc.* *Matth.* *Act. 7.* *1. Thess.* *Cantic.* *2. Pet. 2.* *Sapien.* *Concil. Car. 4. c.* *Sexta synodus Constantin. 8.*

De fide, & operibus, merito, gratia. Decret. 16.

FRequens illud est apud imprudentes, & qui non tàm animi moderatione, quàm impetu feruntur, ut, dum ab altero vitiorum incautè diffugiunt, in alterum prolabantur. Cujus rei Lutherus fidem facit, qui dum operum fiduciam nimis insectatur, nihil tandem operibus reliquum facit, atque ita unius fidei patrocinium suscipit, ut solam agnoscant, opera rejiciat, & condemnet. Verum si rectè perpendantur, quæ pro fide producit è scripturis testimonia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ verò contra opera citat, ea omnia vel ad nimiam in operibus fiduciam, vel ad legales ceremonias pertinent. Fide quidem vivimus, & sine hac impossibile est placere Deo. Si quis nihilominus habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil est. Fide justificamur, sed & spe salvi facti sumus. Et dimissa sunt Mariæ Magdalenæ peccata multa, quoniam dilexit multum, *si quis enim* (dicit Dominus) *diligit me: sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nunc igitur manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas*, & in vivificando, justificandoque potior, quandoquidem *fides sine operibus mortua*, tùm demum utilis est ad salutem, cum per dilectionem operatur. At charitas non est otiosa, sed per bona opera satagit, ut certam vocationem nostram, electionemque faciat. *Non enim auditores legis*

Hebr. 11. *1. Cor. 13.* *Rom. 8.* *Luc. 7.* *Joan. 14.* *1. Cor. 13.* *Jacob. 2.* *Galat 5.* *1. Cor. 13.*

justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, dum ille reddet unicuique juxta opera sua, dum unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum. Quandoquidem *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ubi eos, qui à sinistris erunt, non solùm increpabit Dominus, quia non crediderunt, sed quia operibus misericordiæ non vacarunt. Eos autem, qui à dextris erunt, commendabit non tàm à fide, quàm à bonis operibus, *opera enim illorum sequuntur illos. Talibus* siquidem *hostiis, promeretur Deus*, facietque tandem omnis misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem (*neque enim condignæ sunt passiones hujus sæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*) sed gratuita magis, & liberali repromissione, qua *conventione facta de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam*, qua, inquam, qui *suffert tentationem, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*, & ei, qui fidem servaverit, certaverit bonum certamen, cursum consummaverit, coronam justitię reddet *in illa die justus judex*, qui nos, etsi servos inutiles, sua misericordia dignos facit, *in partem sortis sanctorum*. Non justificat igitur sola fides, sed magis charitas, nec quævis opera peccata sunt, sed eatenus adultis ad salutem necessaria, ut meriti quoque rationem non respuant.

Cor. 3. — poc. 14. Heb. 13. — m. 8. — cob. 1. — Tim. 4. — f. 1.

Annotationes aliquot errorum, jam olim damnatorum, & nunc repullulantium, paucis constrictæ.

His sanè decretis, possent plura alia adjungi, verùm nimia hujusmodi decretorum multiplicatione, orthodoxos lectores gravare metuentes, haudquaquam alia in præsentia censemus adjicienda. Quia tamē plurimæ alię sunt hæreses, quas aut in editis libris, aut publicis prædicationibus, aut familiaribus etiam colloquiis minimè erubescunt homines perversi hodie promulgare, pestilentibus dogmatibus enitentes inficere populum Christianum, generali quadam definitione tales damnare doctrinæ assertiones, operæ pretium est indicare, quo facilius vitentur. Exploratum nempe est, quòd non alia via convenientiùs hæreticorum calumniæ, hæreses, atque impietates caventur, quàm ubi deteguntur, & manifestantur. Tunc enim omnibus facilè constat, quàm vana sint, ac futilia, imò quàm stulta, & impia eorum dogmata. At verò, ut commodiùs tales errores discernantur, certis subnectuntur indicibus, modo sequenti.

ror fa- Arrio. Nusquam legitur Dei cognomen apertè tribui Christo, in Apostolorum, & Euangelistarum literis, præterquam in duobus, aut tribus locis.

ror fa- s Manio. Audemus Spiritum Sanctum appellare Deum, quod veteres ausi non sunt.

Christus suam mortem deplorari non voluit, sed adorari, ut quæ spontè pro salute totius mundi suscipiebatur. Non enim deflenda est mors innocentis.

Errores n. Hus nati in cil. Con- ses. 15. A consortio Ecclesiæ resecatur, quisquis admittit crimen lethale.

Ecclesia non constat, nisi ex bonis.

Primatus summi Pontificis non est à Christo.

Non rectè, aut piè ab Ecclesia canuntur illę orationes: Salve regina misericordiæ:

Regina cœli:

Ave maris stella.

Novissima pars capituli ultimi Euangelii beati Marci, ex apocripho quopiam Euangelio adscripta apparet à lectore studioso.

ror Bo- orum. Indecorum, vel ridiculum videtur, quòd idiotę, & mulierculæ, psitaci exemplo psalmos suos, & precationem Dominicam, latinè murmurant, cùm ipsæ, quòd sonent, non intelligant.

Baptizati infantes, cùm veniunt ad annos discretionis, sunt rebaptizandi.

Infantes non sunt baptizandi.

Baptizati parvuli postquam ad pubertatis annos pervenerint, ut in communibus fidei articulis fuerint instructi, interrogentur, ratum ne habeant, quod susceptores nomine illorum polliciti sunt in baptismo.

Id si non approbent, fortassis expedict illos non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscant, nec ad aliam interim vocari pœnam, nisi ut ab Eucharistia sumenda, reliquisque sacramentis arceantur. Cęterùm, nec à sacris, nec à concionibus excludantur.

Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur animam ab ingressu cœli.

Justus in omni bono opere peccat.

Omne opus bonum, optimè factum, est veniale.

Deus obligavit hominem ad impossibile, in nono, & decimo præceptis, prohibens non concupiscere: quod qui negat, pessimè facit, &, qui hoc falsum esse dicit, plusquam pessimè facit.

Hoc est mortalium mortalissimum, non credere sese damnabili, & mortali peccato esse obnoxium coram Deo.

Modus celebrandi Missam, quo utitur Ecclesia Catholica, non est conveniens. *Error favens Vvicleffo.*

Missa debet dici lingua vulgari.

Manifestus est error Missam applicare, seu offerre pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis, aut aliorum. *Error Aerianorum, & Arthotiratarum.*

Non est dubium, universos hodie sacerdotes, & monachos, cum Episcopis, & omnibus suis majoribus, esse idololatras, in statu periculosissimo agentes, ob Missæ, seu sacramenti ignorantiam, abusionem, & irrisionem. *Error Donatistarũ, Acitarum, & Apostolicorum.*

Magna est fides, cognoscere Christum corporaliter esse, ubi sacramentaliter est. Sed major est cognoscere eum absolutè, ubique corporaliter esse.

Nihil conducit ad susceptionem Eucharistiæ, se præparare per contritionem, confessionem, satisfactionem, & alia bona opera.

Non licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennę.

Episcopus non potest, quod non possit simplex sacerdos.

Ecclesia non potuit illegitimare aliquas personas, sic quod non possint contrahere matrimonium.

Humana instituta, si observas, ut humana, nihil te juvant, sin ut divina, mendacium committis.

Lex Euangelica, quo tutiores sint homines à perjurio, prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non sit jurare neque per Deum, neque per cœlum, neque per terram. *Catharorum error, & Valdensium.*

Excommunicationes non sunt timendæ, sed optandæ.

Qui venialia peccata docent esse distincta à mortalibus, ad insaniam perditissimè nituntur trahere hominum conscientias. *Error Vvicleffi damnatus in Concil. Constan. ses. 8.*

Opera nihil sunt coram Deo, aut omnia sunt æqualia, quantum ad meritum attinet.

Meritum tribuere operibus, propemodum cum eis est sentire, qui credunt nos ex operibus justificari posse, de quo errore damnantur Judæi plurimùm. *Error favens Joviniano.*

Illi, qui habent charitatem, nullis præceptis humanis sunt subjecti. *Error Begardorum.*

Habentes charitatem non tenentur jejunare, orare, vigilare, aut alia consimilia bona opera efficere, sed liberum est illis facere, aut omittere, hujusmodi bona opera, pro suo beneplacito. *Error Vvicleffi.*

Indulgentiæ prorsus sunt abjiciendæ. *Error favens Vvicleffo.*

Fundationes obituum sunt inventiones diaboli.

Ecclesiastici non debent gaudere privilegiis, & immunitatibus plusquam laici.

Non licet Ecclesiasticis habere bona immobilia.

Deus non vult pseudoapostolos, & hæresiarchas extingui, sed tolerari, si fortè resipiscant, & è zizaniis vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, serventur suo judici, cui pœnas dabunt aliquandò. *Error damnatus in Concil. Constantiensi.*

Error Catharorum, Valdensium, Begardorum, & Hussitarũ. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.

In Ecclesia non debent esse varia vivendi genera, quæ religiones appellantur.

Error Vvicleffi. Nulli licet, invitis parentibus, intrare religionem.

Error Vvicleffi damnatus in Concilio Constantiensi sess. 8. Si proximum voco in jus, si ei damna procuro, quæ necessario vocationem illam prætorialem sequuntur, si etiam tanquam ethnicum omni sanctorum consortio, & participatione totius Ecclesiæ, eum privatum iri obtineo, quomodo non facio injuriam, qui injustitiam peto? quomodo mandatum Dei non solvo, qui sanctam inter me, & fratrem dilectionis necessitudinem violo?

Ad principes Christianos exhortatio, ut elaborent pro hæreticis exterminandis.

Plurimos hactenus errores commemoravimus, sed non illorum sufficit commemoratio. Opus namque est, quòd Christianissimi principes suppetias ferant, zelo zelantes pro domo Domini exercituum, quæ juxta Apostolum est Ecclesia. Posset haud dubiè Deus, absque illis, universam hæreticorum cohortem conterere, ac exterminare, nullius enim creaturæ *1. Tim. 3.* suæ eget ministerio. Vult tamen pro sua benignitate homines sibi cooperari, ampla quoque eos donat mercede, qui ei cooperantur, in iis præsertim negotiis, quæ ad fidei dignoscuntur spectare integritatem, quemadmodum multæ indicant historiæ. Laborarunt olim adversus hæreticos strenuè Christianissimi principes Constantinus, Valentinianus, Theodosius, Clodoveus, Carolus magnus, & Ludovicus pater sancti Ludovici, sed nunquid premio defraudati sunt? minimè certè. Nam apud Deum gratiam invenerunt, qua nihil in vita est expetibilius, & apud homines immortale sui nominis decus adepti sunt. Contra verò principes, qui hæreticorum consuetudine abusi, & eorum deliniti consortio, impiis erroribus non obstitere, sed impenderunt subsidium, iram Dei vindicem sensere. Divino siquidem favore destituti, in graves ærumnas prolapsi sunt, miserabilem vitæ exitum sortiti. Cujus rei (ut alios taceamus) testes sunt vel locupletissimi, Licinius à Constantino devictus, Julianus apostata, Valens, Arrianus, Philippicus, Constantinus quintus, & Leo ejus filius sacrarum imaginum impii eversores. Hi profectò detestandam impietatem consectati, digna suæ perfidiæ reportarunt stipendia. Longum esset reliquorum principum, qui à fidei synceritate deficientes, pestifero hæreticorum contagio infecti sunt, miserias enumerare, & calamitates. Longum itidem esset eorum felicitatem, & gloriam recensere, qui fidei Catholicę inconcussè adhærentes, hæreticos tanquam capitales suæ coronæ hostes, ad internecionem usque deleverunt. Hæc itaque attendentes, pro nostri officii debito Christianos Principes instanter rogamus, & in Domino exhortamur, si suæ saluti consulere, si suæ ditionis jura illibata custodire, si in pace, & tranquillitate subditas sibi nationes continere exoptant; potenti brachio fidem Catholicam tueantur, ac ejus hostes viriliter satagant debellare. Id autem haud factu erit difficile, ubi antiqua Christianissimorum principum in hęreticos, eorum libros, & fautores, edicta instaurabuntur. Quæ si salutari judiciorum severitate executioni demandentur, nulla prorsus hæreticorum monumenta, nulli libri, nulla scripta in suis Provinciis reperientur. Malè item sanæ conciones cessabunt, nec non & clandestina conventicula, in quibus peregrinos cultus à Christiana pietate degenerantes, inducere solent hæretici. Usque eo effrenis insuper impiorum audacia retundetur, ut jam Orthodoxæ fidei, ac Ecclesiæ Catholicæ, sacrisque ejus constitutionibus audeat nemo contraire. Hoc profectò nostrum desiderium, hæc votorum summa, hæc nostri conatus gloria. Hoc est, quod A tota mente exposcimus, & assiduis precibus à Domino efflagitamus, sperantes, dum strenuè Christianissimi Principes hæreticos debellant, & nos piis laboribus, ne creditę nobis oves luporum morsibus trucidentur, prohibituros. Et tùm demum donabit nobis Dominus sua pietate, tantoperè à fidelibus exoptatam, atque expetitam pacem, & tranquillitatem in hac vita, & post hujus vitæ decursum, consummatam felicitatem. At verò, quia scimus non satis esse ad hęc obtinenda fideles adhortari, nisi rebelles convenienti districtione reprimantur, salutari antidoto decrevimus huic negotio providere. Authoritate itaque, qua fungimur, omnes in nostra Provincia constitutos, qui tàm impia dogmata ausu temerario asserere, docere, scribere presumpserint, his scriptis sententia excommunicationis innodamus. Necnon & eos, qui illis auB xilium, consilium, aut favorem quovis modo fuerint impartiti. Sub eadem quoq; pœna omnibus nobis subditis inhibemus, ne Lutheri libros, sive Lutheranorum quorumcumq; retinere præsumant, qui ad pestilentem doctrinam promovendam conscripti sunt.

Decreta morum.

IN nomine Domini, Amen. Sequuntur constitutiones editæ in sacro Provinciali Concilio Senonensi, celebrato Parisiis per Reverendissimum in Christo patrem, & Dominum, Dominum Antonium, miseratione divina, & sanctæ sedis Apostolicæ gratia tituli sanctæ Anastasiæ sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Archiepiscopum Senonensem, GalC liarum, & Germanię primatem, Franciæ Cancellarium, & Reverendos in Christo patres Episcopos, suffraganeos ejusdem Reverendissimi patris: videlicet Episcopos, Carnotensem, Parisiensem, Meldensem, Autisiodorensem, Trecensem, Nivernensem, & Petrum de Stella Vicarium Episcopi Aurelianensis, per eundem Reverendissimum admissum, unà cum clero totius prædictæ Provincię, legitimè congregato, & evocato. Anno ab Incarnatione Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo, die tertia mensis Februarii, qua fuit inchoatum prædictum Concilium, & continua prosecutione deductum usque ad nonam diem Octobris anni vicesimi octavi supra millesimum, & quingentesimum. Qua quidem die extrema fuit manus supradicto Concilio imposita.

D

Frequentandas esse preces & publicas, & privatas in Ecclesiis, pro tranquillo statu Ecclesiæ Catholicæ, & regnorum orbis Christiani. Cap. I.

Paulus gentium Apostolus, cum Timotheum in *1. Tim* primis admonuisset, ut à pseudo Apostolis creditam sibi plebem avocaret, qui volentes esse legis Doctores, non intelligebant, quæ loquebantur, neque de quibus affirmabant, protinus ad mores conversus. *1. Tim* *Obsecro* (inquit) *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Proinde E Paulum imitati, de suffraganeorum nostrorum consilio, & assensu in primis districtè injungimus, ut per Cathedrales, Collegiatas, parochiales, & alias quascunque ipsius nostrę Provinciæ Ecclesias fiant preces tàm publicè, quàm privatim, quibus avertatur ira Dei, & de peccatis nostris meritam non sumat ultionem. Nam si precibus locus aliquandò affuerit, si qua olim orandi necessitas institit, ea profectò nobis hac nostra tempestate se se offert, qua atroces, assiduosque bellorum tumultus inter Christianos Principes exardescere videmus, & navis Ecclesiæ pluribus schismatum undis jactata, vanæ doctrinæ ventis fluctuat. Orandus igitur benignissimus Deus, ut qui nostris iniquitatibus offensus hactenus in puppi dormitasse vide-

al. 67. atth. 8. videtur, *exurgat, & dissipentur inimici ejus*, imperet mari, & ventis, cessetque tempestas, pestilentes hæreses in dies pullulantes tollat, falsa amputet dogmata, dissidentes, & exulceratos principum animos conciliet, pacatisque hæresum procellis, fatiscentem Petri naviculam tuta tandem statione recipiat. Sanctissimum Dominum nostrum Papam, & statum Hierarchicum Ecclesiæ in perfecta charitate contineat, & Christianissimum Regem nostrum, ac supremum Dominum, incolumem nobis servet, votorumque compotem efficiat, ut commissus illi populus Deum unicum pacis authorem agnoscat, & in agendis illi gratiis totus inhiet, & inardescat.

Omnem exactionem indebitam, pro sacramentorum, aliarumque rerum divinarum administratione, esse à viris Ecclesiasticis summoperè devitandam. Cap. II.

SAcro hoc approbante Concilio, statuimus, & ordinamus, ut omnia syncerè, purè, & mundè fiant in domo Domini, sine labe, labisve suspicione, aut specie mali. Ad quod, Prælati, Ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum capitula, Archidiaconi, Abbates, Abbatissæ, & aliæ quæcunque personæ Ecclesiasticæ, diligentem gerant curam, & studium exercendi, administrandi, & exequendi opus eis à Domino concessum (ne sanguis subditorum de manibus eorum requiratur) non quæstus causa, aut pecuniæ. Ideo statuimus, inquam, & ordinamus, conformiter ad sacrorum Conciliorum, sanctorumque Patrum decreta, ut manus suas illibatas, integras, & intactas servent juxta juris communis dispositionem, & ordinationem, ab omni exactione abstinentes, non obstantibus quibuscunque juramentis, statutis, & consuetudinibus introductis, & in futurum introducendis. Irrationabilem illam consuetudinem judicantes, qua ad unam præbendam receptus, suorum in dicta præbenda prædecessorum non receptorum (à quibus jus non habet, sed à conferente, vel instituente) plures receptiones solvere compellatur. Provideant autem Diœcesani, ne Ecclesiarum Parochialium rectores, matricularii, aut alii quicunque, indebitas exactiones pro sacramentorum, sacramentaliumque, ac divinorum administratione faciant.

...unam ...ptus ...ben- ...non ...at plu- ...rece- ...nes.

Quod promovendi ad sacros Ordines exhibeant literas testimoniales de sufficientia ætatis, & honestate vitæ suæ. Cap. III.

ET ut deinde de ministris Ecclesiæ provideamus, ne circa promovendos ad sacros Ordines fraus aliqua committatur, sacro hoc approbante provinciali Concilio, de fratrum nostrorum suffraganeorum sententia, & consensu statuimus, ut promotionis tempore ordo, qui proximè sequitur, diligenter observetur. Ut quantum attinet ad ætatem, & mores, non prius promoveant Diœcesani suos ad aliquem sacrum ordinem, quàm viderint literas testimoniales Presbyteri Parochialis, quæ contineant duorum, aut trium testium probatorum non suspectorum depositiones, juramento solemni firmatas, de sufficientia ætatis promovendi, & de probata, & inculpata illius vita. Quo absoluto, inquirant, si promovendus habeat scientiam à jure ad ordinem suscipiendum requisitam. Neque aliquem ad Sacerdotium promoveant, nisi qui (quantum fragilitas humana patitur) sciat ea, quæ continentur in Canone, Quæ ipsis 38. distinctione.

Neminem ad sacrum Subdiaconatus ordinem esse promovendum, nisi sufficientem exhibuerit titulum beneficialem, vel patrimonialem. Cap. IV.

POrro in grave clericalis ordinis scandalum, ac dedecus, videmus haud paucos Sacerdotes, nudos, ac mendicos. Prohibemus itaque, ne aliqui ad sacrum

A Subdiaconatus ordinem assumantur, nisi sub titulo beneficii viginti librarum Parisiensium ad minus, vel patrimonii similis valoris. Super quo, per Vicarios nostros in nostra diœcesi, aut in diœcesi suffraganeorum nostrorũ, per eosdem suffraganeos, eorumve Vicarios, vel Officiales, fiat diligens inquisitio per testes, omni exceptione majores. Si autem titulus patrimonialis ad eum pervenerit ex cessione, aut donatione alterius, similiter inquiratur, an præfatam summam possit redditus rei cessæ repræsentare. Deinde super fraude, si qua intervenerit inter cedentem, & cessionarium, exigatur sacramentum cedentis, ac cessionarii. Jurabit autem cedens, se donasse sine ulla fictione, aut spe in futurum recuperandi. Cessionarius autem affirmabit, nullum esse inter se, & cedentem, pactum, de restitu-
B tione rerum cessarum, suæque intentionis esse illa retinere, ac quamdiu vivet, illis uti, & frui. Prohibemus autem districtè, ne ordinatus ad titulum patrimonialem eundem vendat, aut alienet sine permissione Episcopi ordinantis, donec beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris fuerit assecutus.

Quomodo diœcesani examinare debent petentem literas dimissorias, antequam illas ipsi concedant. Cap. V.

ET quamvis Episcopus originis, beneficii, aut domicilii, non solùm ad ordines promovere, sed etiam literas dimissorias ad ipsos ordines concedere possit: injungimus tamen suffraganeis nostris, ut siquando literas dimissorias ad sacros ordines indulgere
C voluerint, ne indigni assumantur, observent ordinem, qui sequitur: videlicet quod volentes impetrare literas dimissorias, accedant ad diœcesanos, qui super præmissis ætate, literatura, moribus, beneficio, seu patrimonio inquirant, serventque diligenter prædictas solemnitates, perinde, ac si in propria ordinare vellent. Ac tunc sic examinato concedantur literæ dimissoriæ, remittaturque ita examinatus cum literis ipsis. In quibus etiam declaretur prædicta solemnitas sic observata, fiatque mentio expressa de beneficio, aut patrimonio, ut Episcopus, ad quem se conferet ordinandus, eum sine scrupulo promovere, & ordinare possit. Quod si propter infirmitatem, aut aliam causam rationabilem is, qui literas dimissorias obtinere cupit, non possit commodè accedere ad suum Episcopum, tunc remittatur super ætate, literatura, ac moribus,
D ut prius examinandus ad Episcopum, cui literæ dimissoriæ præsentabuntur, inseraturque in illis literis dimissoriis clausula. Super quo conscientiam tuam oneramus. Proviso tamen, quod nunquam concedantur literæ dimissoriæ, nisi illi, qui habuerit beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris.

Diligentem etiam inquisitionem debere fieri à diœcesanis super ætate, moribus, & literatura jam promotorum ad Sacerdotium. Cap. VI.

SEd quantum attinet ad jam promotos ad Sacerdotium, injungimus suffraganeis nostris, ut super illis diligentem, & accuratam faciant inquisitionem. Et quos invenerint promotos ante ætatem legitimam, juxta juris dispositionem ab executione ordinum su-
E spendant, donec ad ætatem legitimam pervenerint. Et quos vita reprehensibiles cognoverint, debitè coerceant. Quos insuper non esse literaturæ sufficientis deprehenderint, ab executione ordinum suspendant, donec in scientia, quæ ordini est requisita, ad plenum fuerint instructi.

Promotos in curia Romana ad sacros Ordines non esse admittendos ad illorum executionem, nisi prius à diœcesanis fuerint examinati. Cap. VII.

RUrsus quia nonnulli, suæ ignorantiæ, & incapacitatis, & delictorum conscii, fugientes examen

ſuorum Epiſcoporum ſcientes ſe non eſſe ab illis pro- A movendos, ad curiam Romanam confugiunt, etiam abſque literis dimiſſoriis eorumdem Epiſcoporum, & in eadem curia ſe faciunt promoveri ad omnes ſacros ordines per quoſdam aſſerentes ſe eſſe Epiſcopos, & habere à Romano Pontifice authoritatem ordinandi, de quorum poteſtate, ac commiſſione non apparet: ſintque ordinati hujuſmodi, promoti extra tempora, ac interdum tribus ſucceſſivis diebus. Talibus diœceſani non permittant executionem ſuorum ordinum, niſi viſis diligenter eorundem literis. Conſtito etiam ſufficienter de poteſtate ordinantium, & eorum commiſſione, eis à Romano Pontifice conceſſa. Ad hæc etiam, quod rurſus examinentur de vita, ſcientia, ætate, ac inquiratur de beneficio, ſeu patrimonio. Qui ſi in prædictis, aut aliquo præmiſſorum inventi fuerint B minus ſufficientes, declarentur ſuſpenſi ab executione ordinum, modo, & forma ſupra declaratis.

Instituendi ad curam animarum, diligenter antea examinentur à diœceſanis, an ſint idonei gerendæ illi provinciæ. Cap. VIII.

CÆterum, quia Eccleſiæ Dei nihil magis officit, quàm quod indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum aſſumantur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt: diœceſani ergo ad parochiales Eccleſias non inſtituant præſentatos ab Eccleſiaſticis, laiciſve patronis, niſi eos prius diligenter examinaverint, neque indignos præficiant, aut incapaces admittant. Quod ſi qui ſint inſtituti, vel proviſi, etiam per ſe- C dem Apoſtolicam, nihilominus diœceſani eos examinent, & ſi minus idonei fuerint inventi, ad adminiſtrationem beneficii non admittantur, ſed loco eorum per Epiſcopos inſtituantur Vicarii idonei, quibus congrua portio aſſignetur. Et tandiu in beneficio adminiſtrent, donec ſic inſtituti, aut proviſi, literaturam ſufficientem aſſecuti fuerint, aut ſint ætatem legitimam adepti.

Ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda aſſumuntur idonei à Diœceſanis, qui ſuo erga Deum, & Eccleſiam ritè fungantur officio. Cap. IX.

CUmque grave nimis ſit, & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum prælati cum poſſint viros ido- D neos ad beneficia Eccleſiaſtica promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſufficientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis, unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos ergo volentes huic morbo mederi, præcipimus omnibus, & ſingulis collatoribus, ut (prætermiſſis indignis) idoneos aſſumant, qui Deo, & Eccleſiis gratum valeant impendere famulatum. Fiatque juxta ſacrum Lateranenſe Concilium, in Provinciali Concilio diligens inquiſitio, ut qui poſt primam, & ſecundam correctionem fuerit repertus culpabilis, à beneficiis conferendis, per ipſum Provinciale Concilium ſuſpendatur, inſtituta in eodem Concilio perſona provida, & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis.

Quotidianas diſtributiones ſatis largas, & ſufficientes, aſſignari debere iis, qui divino Officio in Eccleſiis celebrando interſunt. Cap. X.

AD nos (quod amarius dolendum eſt) pervenit, quod in multis cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis hujus noſtræ Provinciæ, nullæ ſunt, aut uſque adeo tenues quotidianæ diſtributiones, ut vix tertiam partem groſſorum fructuum aſcendant. In quibus hactenus invaluit conſuetudo, quod illarum Eccleſiarum Canonici abſentes, per intereſſentiam unius diei, groſſos fructus totius anni percipiant. Ex quibus vagandi materia oritur, cultus divinus (quem augeri optamus) diminuitur, Officium (propter quod beneficium Eccleſiaſticum datur) omittitur, quibuſdam clericis admodum ignaris, tenui pretio conductis, cura divini officii committitur, quod unico contextu, non ſervatis interſtitiis temporum ab Eccleſia præfixis, per hujuſmodi mercenarios tranſcurrendo, & ſyncopando celebratur, ut aliundè ex quæſtu miſſarum vitam ſibi mendicent. Nos igitur cupientes prædictis occurrere, & quantum poſſumus, adverſus futura cavere, ſacro approbante Concilio, hujuſmodi conſuetudines tanquam Eccleſiis nocivas, & cultui divino detrahentes, caſſamus, & revocamus. Hiſque non obſtantibus ſtatuimus, quod diœceſani in ſuis diœceſibus, dictarum Eccleſiarum Canonicos, per juris remedia, etiam ſuarum præbendarum privationem, ad ſuas Eccleſias revocent, dictoſque groſſos fructus pro majori parte in quotidianas diſtributiones convertant. Et reſidentes, & divino Officio actualiter intereſsentes ſecundum menſuram laborum, plus, minuſve capiant emolumenti, ſub obteſtatione divini judicii, omnibus præcipientes, ut reſpectu hujuſmodi quotidianarum diſtributionum, jura antiqua ſacrorum Conciliorum, & Patrum decreta integrè obſervent, & obſervari faciant.

Damnatur irrationabilis consuetudo.

Curati reſideant in ſuis Eccleſiis, niſi ſint legitimè excuſati, & populum ſibi commiſſum diligenter inſtruant documentis fidei, & morum. Cap. XI.

REctores Eccleſiarum (quorum ſingularis eſt electa induſtria) compellantur per ſuffraganeos noſtros, quoad fieri poterit, ad perſonalem reſidentiam, neque cum illis de non reſidendo, niſi cauſa probabili intercedente, diſpenſetur.

Et in Eccleſiis parochialibus per ſingulos dies Dominicos, Presbyteri parochiales Curati per ſe, aut vicarios eorum, clara voce, & intelligibili, ac verbis maternis, annuncient decem præcepta decalogi, & articulos fidei. Et ſi qui fuerint Presbyteri, quibus non ſuppetat doctrina, aut prædicandi gratia, legant, & declarent prædicta die Dominica unum capitulum Joannis de Gerſon in opere ſuo tripartito.

De iis, quæ Curati ſuos debent admonere parochianos ad ipſorum ſalutem. Cap. XII.

ADmoneant frequenter Curati ſuos parochianos, ut interſint miſſæ parochiali diebus Dominicis, & feſtis per hebdomadam occurrentibus. Et ut ad omnia illa, quæ per ſingulos dies Dominicos in Pronis præcipiuntur, diligenter attendant. Quod, ſi legitimo ceſſante impedimento, abſque licentia ſui Curati, per tres Dominicas neglexerint intereſſe Miſſæ parochiali, denuncient ſtatim Promotoribus, ut pro menſura contemptus, vel offenſæ puniantur.

Hortentur inſuper iidem Curati eoſdem parochianos ſuos, ut frequenter peccata ſua confiteantur, & ſacramentum Euchariſtiæ percipiant, præſertim in feſtis ſolemnibus, & tempore infirmitatis, aut peſtis, aut ubi inſtat periculum mortis, ſeu cùm mare ſunt navigaturi, aut per diverſa loca peregrinaturi. Quos E etiam commoneant, ne peregrinentur ſine literis teſtimonialibus Chriſtianitatis eorum, quas iidem Curati, per ſe, aut eorum Vicarios, ſi petantur, liberaliter tradant.

Curati diligenter advertant, ſi parochiani eorum ad minus ſemel in anno, ſanctam Eccleſię communionem, Euchariſtiamque percipiant, & communicantium nomina, ſi commodè fieri poteſt, ſcripto redigant.

De fundationibus antiquis Eccleſiarum accuratè obſervandis, & complendis. Cap. XIII.

VOlumus etiam, quod in ſingulis parochialibus Eccleſiis non ſolù dicatur Miſſa parochialis Domini-

minicis, sed etiam aliis per hebdomadam diebus, & A
divina Officia secundum primam fundationem ipsius Ecclesiæ, vel illius augmentationem celebrentur.

Et ne divinus cultus, quem omninò augeri desideramus, minuatur, fundatorumve intentio fraudetur, per diœcesanos compellantur omnes, & singuli Rectores Ecclesiarum parochialium, capellani, aliique beneficiati, leprosoriarum, aliarumque domorum administratores, ad ostendendas, exhibendasque literas fundationis, institutionis, & augmentationis beneficiorum suorum, & administrationum. Ut, omnibus visis, de divinis Officiis juxta fundatorum intentionem, quod opportunum fuerit, ab eisdem diœcesanis statuatur.

capellis temerè novo [eri]gendis.

Inhibemus capellas de novo erigi, construi, etiam omninò dirutas reædificari, sine diœcesanorum licentia, & permissione. B

In Oratoriis privatis sine Diœcesani facultate non esse celebrandum, neque in capellis hospitiorum, neglecta Ecclesia parochiali. Cap. XIV.

NOn liceat in oratoriis privatis, quæ in domibus privatorum interdum habentur, Missas celebrare prætextu dispensationis sedis Apostolicæ, nisi prius visis ab Episcopis, recognitis, & approbatis dictis literis dispensationis, transgressores autem per Ordinarios locorum pœna condigna plectantur.

Sed quia in diversoriis, aut hospitiis sunt interdum capellæ, ubi viatores, ac transeuntes passim celebrari faciunt, neque curant ad Ecclesiam parochialem, vel aliam Ecclesiam accedere, præcipimus suffraganeis C
nostris, ut inhibeant sub pœna suspensionis à divinis omnibus, & singulis Presbyteris sibi subditis, ne in hujusmodi capellis deinceps celebrare attentent. Quia tamen extranei Sacerdotes à celebratione Missæ, aut transeuntes ab auditione facilè cohiberi non possent, idcircò iidem suffraganei nostri prohibeant sub pœna excommunicationis, vel alia pœna, magistris dictorum hospitiorum, seu diversoriorum, quòd non patiantur deinceps in illis capellis celebrari.

Die Dominico non celebrentur Missæ in capellis, etiam ex fundatione, nisi post completam Missam parochialem. Cap. XV.

ITem, ne populus distrahatur à Missa Parochiali, & D
ab auditione mandatorum Dei, & Ecclesiæ, prohibemus, ne in capellis ab antiquo etiam Episcopor. authoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quàm illæ, quæ de fundatione extiterint. Et si quæ sint Missæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, non dicantur, nisi post Missam parochialem.

Admonemus insuper suffraganeos nostros, ut ex causis præmissis, & præsertim hoc tempore, quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum Ecclesiæ, & ministrorum ejusdem, non facilè admittant fundationes capellarum, quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, ea potissimùm hora, qua populus universus convenire debet ad audienda divina, præceptaque Dei, & Ecclesiæ.

[De] altari[bu]s portatilibus non [fac]ilè consecrandis.

Et ut magis, ac magis tollatur occasio celebrandi E
Missas in locis, ac oratoriis privatis, injungitur suffraganeis nostris, ut non sint faciles ad consecranda altaria portatilia, sed tunc demum ad ea consecranda accedant, cùm intellexerint, ea esse requisita pro Ecclesiis, aut aliis locis, in quibus licitè celebratur. Et per suos decanos rurales, aliosve officiarios provideant, ne prædicta altaria portatilia retineantur in domibus privatorum.

In Ecclesiis nihil inhonestum, aut indecens fieri debere, quo divinum impediatur, aut minus reverenter audiatur Officium. Cap. XVI.

CUm autem deceat domum Dei sanctitudo, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus: sit itaque juxta Gregorii decimi Concilium generale Lugdunense, ad Ecclesiam humilis, & devotus ingressus, sit in ea quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solùm instruat, sed & reficiat. Cessent in Ecclesiis, universitatum, & societatum quarumlibet Concilia, Conciones, & publica parlamenta. Cessent confabulationes quælibet, cessent vana, & multò fortiùs fœda, & prophana colloquia. Cessent postremo quæcumque, quæ divinum possunt perturbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere. Ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Prohibemus idcircò, ne histriones, aut mimi intrent Ecclesiam, ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali, neque in Ecclesia, aut juxta Ecclesiam suis pulsent instrumentis. Prohibemus insuper, ne fiat deinceps festum fatuorum, aut innocentium, neque erigatur decanatus patellæ.

Psal. 92.
Psal. 75.

Psalmodia maturè, & cum distinctione peragatur, ac musicus cantus, organorumque modulatio, ad devotionem excitans, non ad lasciviam, in Ecclesia exhibeatur. Cap. XVII.

ET cùm in Ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum, diurnumque officium, & Missarum celebritates, assiduè clero, ac populo, sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, ut in Ecclesiis sint musici cantus distincti, ac discreti, moventes cor ad devotionem, compunctionemque. Porro in Ecclesiis prætextu musici cantus, non sunt audiendæ publicæ cantilenæ, & lascivæ. Neque enim (inquit Hieronymus) in tragœdiarum modum, guttur, & fauces medicamine sunt leniendæ, ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam ut cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat, ita lascivus animus, dum lascivioribus delectatur modis, eos sæpe audiens emollitur, & frangitur. Curent ergo Sacerdotes, & clerici sic suos cantus instituere, ut modesta, honestaque psallendi gravitate, placidaque, & grata modulatione, sic audientium aures deliniant, ut provocent, excitentque ad devotionem, compunctionemque non ad lasciviam, cordisve, aut animi titillationem.

Mimi non intrent Ecclesiam ad pulsandum suis instrumentis.

Organorum usum Ecclesia à Patribus ad cultum, servitiumque divinum recepit. Nolumus itaque, quod organicis instrumentis resonet in Ecclesia, impudica, aut lasciva melodia, sed sonus omnino dulcis, qui nihil præter hymnos divinos, & cantica spiritualia repræsentet.

De horis Canonicis, distinctè, reverenter, & honestè in Ecclesia decantandis. Cap. XVIII.

ET ut in majoribus Ecclesiis cultus Dei vivi sanctior, juxta majorum traditiones in melius reformetur, statuimus, ut in Cathedralibus, ac collegiatis, & conventualibus Ecclesiis horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes divinæ per singulas horas, non cursim, ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti (præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmorum) debitam faciendo inter solemne, & feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur.

Horas autem Canonicas dicturi, cum tunica talari, ac

ac superpelliceis mundis, & cappis, juxta temporum diversitatem ingrediantur Ecclesias caputia, almutias, vel birreta tenentes in capite. Qui, cùm in choro fuerint, gravitatem servent, quam locus, & officium exposcunt, non cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut literas, seu scripturas alias legentes.

Et cùm psallendi gratia ibidem conveniant, muta, aut clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis, Deo alacriter modulentur.

Cùm dicitur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, omnes consurgant.

Philip. 2. Cùm nominatur illud nomen gloriosum Jesus, in quo omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnes caput inclinent.

De Officio horarum non dicendo à quopiā privatim in choro, cū illæ cantantur.

Nemo ibidem, cum horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non solùm Officium, quo obnoxius est choro, subtrahit, sed & alios psallentes perturbat.

Super his debitè observandis, aliisque ad divini Officii prosecutionem, ac chori disciplinam spectantibus, decanus, & capitulum, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinatè fiat, circumspiciens.

Horum autem transgressores illius horæ, in qua circa prædicta excesserint, vel alia majori, prout trasgressionis gravitas exegerit, plectatur pœna.

De horis Canonicis, integrè, maturè, & devotè legendis à viris Ecclesiasticis, sine aliquo levitatis, aut irreligiositatis exemplo. Cap. XIX.

ADmonemus beneficiatos, & alios in sacris ordinibus constitutos, qui ad horas Canonicas tenentur, ut si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel colloquia, aut risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati, nocturnum, diurnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco, unde à devotione non retrahantur.

Quicunque in Ecclesia beneficiatus præsertim de majoribus, divinorum tempore per Ecclesiam, vel foris circa eam deambulando, aut cum aliis colloquendo visus fuerit, non solùm illius horæ, sed totius diei distributiones ipso facto amittat. Et si semel correptus non destiterit, per mensem distributionibus careat, &, si pertinacia exegerit, graviori pœnæ subjiciatur. Regulares, qui in conventualibus Ecclesiis circa prædicta excesserint, superiorum arbitrio castigentur.

De tabula officiariorum in choro ponenda, & tempore ingressus in chorum, cùm divinum celebratur officium. Cap. XX.

COnstituatur tabula in choro, in qua quid per unumquemq; ex Canonicis, vel aliis beneficiatis, in singulis horis per hebdomadam, aut majus tempus cantandum, legendumve sit, describatur. Qui autē secundum, quod ibi descriptum fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora, distributiones unius diei amittat.

Qui in matutinis, & vesperis, ante Gloria Patri primi psalmi, consimiliter in aliis horis in Missa ante finem epistolæ usque in finem, divino Officio non interfuerit (nisi fortè necessitate cogente, ac petita, & obtenta licentia, discedere oporteat) pro illa hora absens censeatur, salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ fortè circa hęc arctiores existant. Idem observetur in iis, qui à principio usque ad finem, in processionibus non permanserint. Pro cujus executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas statuto tempore non convenientes, juramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere.

de distributionibus. Præcipimus etiam conformiter ad statutum præce-

A dentis Concilii, quòd in illis Ecclesiis, quibus singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus (si opus sit) deputentur, ut juxta mensuram laboris, plus, minusve, quisque capiat emolumenti. Tollentes prorsus abusum illum, quo in una dumtaxat hora præsens, totius diei distributiones usurpat. Et illum, quo præpositi, vel decani, & alii Officiales, ex hoc solo, quod officiales sunt, licèt actualiter pro utilitate Ecclesiæ non adsint, quotidianas distributiones percipiunt.

cuiq... cundi... mensi... labori... ciendi... Dami... abusu... ca qu... diana... stribu...

Canonici cùm primùm recepti sunt in consortium capituli, suos fructus integrè recipiant sine dilatione, aut expectatione per aliquot annos. Cap. XXI.

B CUm autem secundum Apostolum, is, qui altari servit, de altari vivere debet, statuimus ad juris dispositionem, ut omnes, & singuli Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & collegiatarum nostræ Provinciæ, lucrentur, & percipiant post eorum receptionem, & admissionem in fratres grossos fructus, & alios quoscumque suarum prebendarum, personaliter residendo, & deserviendo suis beneficiis, æqualiter inter se distribuendo. Nisi ex fundatione eorundem locorum speciali, & legitima, sufficienter probata, prædicti grossi fructus pro certo tempore aliis Ecclesiis, aut piis usibus, expressè pertineant, & deputentur. Damnabilem illam consuetudinem judicantes, qua in certis Ecclesiis prædicti fructus ad certum tempus, in utilitatem cedunt jam receptorum, sive qua cavetur,
C ut ad certum tempus sint de novo recepti, expectantes, veram corruptelam, & notorium abusum, tales, & similes, declarantes per hoc præsens nostrum statutum. Et quoniam dispositione juris duo Canonici assistentes Episcopis, seu de familia eorum existentes, similiter, & alii privilegiati debent gaudere grossis fructibus suarum præbendarum, ideò non intendimus eis præjudicare per hoc præsens statutum, sed volumus eos illibatos conservare in dictis suis privilegiis.

1. Cor... *Damn... consue... in alic... Ecclesi... valesc...*

Diœcesani statim post dissolutum præsens Concilium, diligenter visitabunt Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum legendas. Et quæ deprehenderint in illis superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi continuò tollent, & resecabunt, &, quæ viderint esse necessaria, adjicient.

De visi... dis per ... celanos... viariis... missali...

D *De regulari disciplina in victu, vestitu, & moribus, in Monasteriis tàm Religiosorum, quàm Monialium exactè observanda.* Cap. XXII.

FIde dignorum relatio ad nostrum auditum perduxit, quantum in multis Monasteriis sit à primæ institutionis puritate recessum. Siquidem illorum cœnobitæ sic vitam Monachalem, & regularem rejecerunt, ut & moribus, & nomine, & habitu religiosi haberi, & nominari vereantur. Quod si in præmissis gubernaculum disciplinæ contemnatur, hoc solum restare videmus, ut religio naufragetur. Rebus itaq; in deteriora prolabentibus obviam ire volentes, statuimus, ut Abbates, Abbatissæ, Priores, Priorissæ, & alii religiosorum superiores, quocunque nomine censeantur, sic sua Monasteria in cultu divino, vita, & moribus, vestimentis Monachalibus, cibis, & potibus
E reforment, & suos religiosos, & moniales, ad vitam regularem monasticam, secundum institutiones suorum ordinum, & alias regulas, reducant, quòd in eis nihil reperiatur, quòd divinam Majestatem, & simplicium animos offendere possit. In præmissis autem per diœcesanos in suis visitationibus diligens inquisitio fiat. Et quæ repererint deformata, reforment, & omninò corrigant, quæ super prædictis facta fuerint, sequenti Concilio referant. Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli regularem apostasiam incurrendo, sine habitu regulari etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertransire videamur,

sta-

oga li- , super em à onicis ulari- feren-

ſtatuimus, quod Canonici regulares de cætero, ſuper veſte exteriori togam lineam, tàm intra, quàm extra Monaſterium ferre omnino teneantur. Niſi forte, ſuper hujuſmodi toga non deferenda, privilegium habeant, quod ſuis diœceſanis exhibere infra duos menſes à die publicationis computandos habeant. Qui, viſo privilegio, ſuper alio habitu patenter diſtincto à veſtimentis Clericorum ſæcularium, ordinabunt, ut expedire, & juris eſſe videbitur.

De honeſtate morum in vita, & habitu, à clericis ſervanda, ſine veſtium precioſarum pompa, & luxu. Cap. XXIII.

th. 5. , 1.

OMnes clericos, maximè in ſacris conſtitutos admonitos eſſe volumus, ſe, cùm in ſanctorum loco ſint, neceſſitatem benè vivendi, non licentiam peccandi eſſe aſſecutos. Idcirco eos hortamur, ut opera ſanctorum exerceant, luceantque coram hominibus opera eorum, ſintque verè illud ſal Evangelicum. In miniſterio vigilantes, & ſoliciti, plantent, evellant, diſſipent, & cum ſummo ſtudio ædificent, quæ pietatem reſpiciunt.

Inſuper profeſſionem ſuam probent habitu, ſcilicet ut per decentiam habitus extrinſeci intrinſecam morum honeſtatem oſtendant. Veſtitus ergo clericorum maximè in ſacris conſtitutorum non ſit expectoratus, ſed à collo deſuper undique clauſus, à manicis, lateribus, & retro.

Cum elationis habeat calumniam, quidquid propter venuſtatem, non propter neceſſitatem accipitur, & ne bona Eccleſiæ, quæ pauperum ſunt, in faſtum, & corporis ornatum (qui à ſacrato ordine alienus eſſe debet) convertantur: Inhibemus omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis noſtræ Provinciæ, ne veſtimentis exterioribus, & ſagis oblongis ſericeis, in publicum, aut domeſticè utantur, ſub pœnis arbitrio diœceſanorum imponendis. Non tamen intendimus, Eccleſiaſticis ex ſanguine regio, aut Ducali ortis, hujuſmodi veſtimentorum ſericeorum delationem prohibere, quos tamen hortamur, ut in ſuis veſtimentis decentiam Eccleſiaſticam obſervent.

eſti- ſeri- non rendis ricis.

Qualis debet eſſe habitus clericorum, virorum Eccleſiaſticorum. Cap. XXIV.

VEſtes ſint tales, non fronciatæ, aut partitæ, nec nimia amplitudine ſuperfluæ, nec plus æquo conſtrictæ, in quibus clericalis ordinis honeſtas, & modeſtia, non faſtus jactantia, vel elationis vitium, deprehendatur. Non etiam camiſias geſtent (quod dicunt) fronciatas.

Non pannoſi ſint clerici, aut in veſtibus laceri. Neque enim affectatæ ſordes, aut exquiſitæ deliciæ laudem pariunt.

Non caligas partitas, aut ſcacatas aſſumant, neque circa genu diſſutas, non lunatis, ſeu cornutis, ac nimis feneſtratis calceis utantur. Non annulos in digitis deferant, niſi forte hujuſmodi ſint, quibus id ad decorem ſuarum dignitatum permittatur.

hone- à cle- ſer- da, in inibus, onſura.

Ipſi quoque clerici in ſacris præſertim conſtituti, & eorum commenſales, neque comam relaxent, aut barbam nutriant. Sed tonſuram, coronam, ſeu raſuram habeant, ſecundum ordinem ſuum honeſtè raſam.

Denique juxta Concilium Lateranenſe pannis rubeis, aut viridibus non utantur. Ab iis denique abſtineant, quæ in eodem Concilio continentur.

De honeſtate clericorum obſervanda in inceſſu, converſatione cum laicis, in evitatione chorearum, & actionibus ludorum ſcenicorum. Cap. XXV.

IN inceſſu quoque honeſtatem exhibeant, ut, gravitate itineris, mentis maturitatem oſtendant. Incompoſitio enim corporis, riſus diſſolutus, indecens

A oculorum vagatio, inæqualitatem indicant mentis.

In converſatione autem cum laicis ita ſe habeant, ut neque ex nimia familiaritate, aut converſatione æquali reddatur contemptus dignitatis, neque ex nimia auſteritate, faſtu, aut pompa, ſuperbi, aut plus æquo elati judicentur.

Neque in publico ludant pila, aut aliis ludis, maximè cum laicis. A ludo alearum, aliiſque, qui à ſorte pendent, abſtineant, neque ludentium fautores, ſpectatores, aut teſtes exiſtant. *Qui ludi à clericis ſunt vitandi.*

Non ſe admiſceant choreis publicis, tripudiationibus, aut ſaltationibus. Non turpes, amatorias, aut laſcivias depromant cantilenas, ſeu cantantibus faveant, aut adſint.

Non in ſcenam velut hiſtriones prodeant, non comœdias vernaculas agant, non ſpectaculum corporis
B ſui faciant in publico, privatove loco.

Quæ omnia, cum omnibus Sacerdotibus ſunt indecora, & ordini clericali multum detrahentia, tùm illis præcipuè, quibus animarum cura eſt commiſſa.

Incontinentes Sacerdotes, & concubinarios, clericos itidem venatores, & negotiis ſæcularibus deditos, graviter eſſe puniendos. Cap XXVI.

INcontinentes Sacerdotes, & concubinarios clericos, Epiſcopi per ſe, vel ſuos officiales, ad continentiam, & Eccleſiæ regulam remediis convenientibus revocabunt. Salutares pœnas juxta Sanctorum Patrum decreta, & ſacrorum, ac generalium Conciliorum Canones, in illos (ſi moniti non deſiſtant) exe-
C quentur.

Contra clericos venatores, vel negociis ſæcularibus implicitos, ſi à venandi, negotiandive conſuetudine moniti non deſiſtant, ad pœnam Aurelianenſis Concili, & alterius Lateranenſis procedatur.

Quid agendum, quando Prioratus Religioſorum, aut Monialium non habent proventus ſufficientes, ad plurium in illis locis educationem. Cap. XXVII.

ET cùm ſacrum Viennenſe Concilium ſtatuerit, ut Monachi in ſuis ſibi commiſſis adminiſtrationibus, vel Prioratibus non præſumant ſoli habitare, ſed ſi proventus prioratuum, vel adminiſtrationum hujuſmodi forte non ſuppetant duobus aliis vicinioribus locis ad eorum Monaſteria pertinentibus, vel ipſo-
D rum Monaſteriorum Officiis, aut inter ſe invicem, prout erit commodius, cum conſenſu, & conſilio Abbatum, per locorum ordinarios uniantur. Nos illud Viennenſis Concilii tàm ſalubre, tàmque providum ſtatutum obſervari præcipimus.

Ad hoc ſtatuimus, quod moniales cujuſcunque ordinis exiſtant, morantes in prioratibus, qui non ſunt idonei ad confovendam reformationem, & conventum cuſtodiendum, neque ad id forte redditus eorum ſuppetere poſſunt, remittantur ad Abbatiam, ſeu Monaſterium, unde hujuſmodi prioratus dependent. Redditus autem prædictorum prioratuum applicentur Abbatiæ, vel Monaſterio, ubi etiam pro menſura augmenti augeatur numerus religioſarum. Ex ordinatione autem Epiſcopi providebitur de ſervitio competen-
E ti in prædicto prioratu celebrando per presbyterum ſæcularem, cui de conſenſu religioſarum per eundem Epiſcopum congrua portio aſſignabitur.

Et quoniam ſunt aliqua Monaſteria ſita extra provinciam noſtram, à quibus dependent Prioratus, infra limites Provinciæ noſtræ conſtituti, rogamus diœceſanos locorum, ut religioſas illorum prioratuum advocent ad ſuas Abbatias, ſeu monaſteria. *De revocatione religioſarum in aliena diœceſi exiſtentium.*

Offerentes, quod nos, & ſuffraganei noſtri etiam curabimus modo conſimili, ad Abbatias noſtrorum diœceſum revocare religioſas, exiſtentes in prioratibus extra provinciam noſtram ſitis, quibus inſufficientes redditus eſſe nobis conſtiterit.

De

De numero Monialium, in monasteriis eam instituendo, perpetuaque ipsarum clausura vigilanter observanda. Cap. XXVIII.

ITem constituimus, ut in monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorumdem Monasteriorum (reparationibus Ecclesiæ, clausuræ, & aliarum regularium domorum, necnon & processuum expensis deductis) commodè, & sine penuria sustentari possint. A quibus pro ingressu, aut receptione, nihil prorsus prætextu consuetudinis, aut quovis aliquo quæsito colore exigatur. Si qua tamen ultra eas in hujusmodi monasteriis se recipi petat, id non interdicimus, dummodo congruam secum afferat pensionem, qua cum cæteris religiosis numerariis alatur. Non tamen in locum numerariarum succedat, sed decedentibus numerariis, aliæ novæ, & pauperes surrogentur.

De statu regularium, ca. periculoso, in sexto. Provideant etiam Episcopi: ut illud salubre, ac frugiferum decretum, incipiens, periculoso, in eo præsertim, quod continet de clausura perpetua Monialium, servetur, ac perpetuo custodiatur. Nihil enim magis officit regulari Monialium disciplinæ, spiritualique profectui, quàm reseratis claustri septis, portisque pro cujuscunque earum nutu patentibus, frequens, & licentiosa extra monasterium evagatio, & tanquam ruptis obicibus dissoluta, ac insolens ultra metas conventus eruptio. Siquidem exinde dedecorosa enascitur earum cum laicis personis tàm viris, quàm mulieribus conversatio, & præter cætera salutis animarum detrimenta, ingens in præcipiti pendentis earundem castitatis periclitatio.

De visitatione, & reformatione diligenti hospitalium, leprosariarum, & similium domorum, facienda per eos, ad quos id ipsum legitimè spectat. Cap. XXIX.

CUm autem ea, quæ ad certum usum pium sunt largitione fidelium destinata, non debeant in alium usum converti, præcipimus juxta Concilium Viennense, Xenodochia, leprosarias, eleemosinarias, & alia hospitalia, quocunque nomine censeantur, visitari, & reformari per eos, ad quos id de jure, statutove in locorum fundatione apposito, vel ex consuetudine præscripta, aut privilegio sedis Apostolicæ spectat, & pertinet. Gubernatio verò, viris providis, & discretis, ac boni testimonii committatur. Qui instar tutorum, & curatorum, præstare juramenta, ac de locorum ipsorum bonis inventarium conficere, & ordinariis, seu locis illis, quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis, de administratione sua teneantur reddere rationem. Volentes, quod hæc in provisione, seu commissione, quæ fiet de eisdem hospitalibus, exprimantur.

Confratrias non esse de novo erigendas, nisi ex consensu, & approbatione diœcesanorum, antiquarum autem statuta, & fundationes, illis, ut visitentur, exhiberi debere. Cap. XXX.

CUm ex multiplicatione confratriarum, sæpe monopolia oriri contingat, & quæ in usus pios consumenda sunt, in crapulam converti videantur. Siquidem dies festos confratriarum, non aliter se confratres dignè celebrare putant, nisi comessationibus, & ebrietatibus deserviant. Sacro approbante Concilio, sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui, cujuscunque status extiterint, confratrias erigere, & de novo instituere sine Episcoporum expresso consensu, & approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per Episcopos institutas, aut aliter approbatas fuisse constiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem, confratribus, & aliis quibuscunque, tàm extra, quàm intra Ecclesiam, nec non conventiculares comessationes, maximè diebus festis illarum confratriarum, & ex denariis earundem fiendas, seu solvendas, sub prædictis pœnis prohibentes.

Ordinamus insuper, quod quantum ad antiquas confratrias attinet, teneantur confratres, seu procuratores infra sex menses à die publicationis præsentium, afferre diœcesanis, eorumve Officialibus, aut vicariis, statuta, si qua habeant, & eosdem diœcesanos instruere de modo, & forma, quam in eis servant, de quantitate redditurum, & in quos convertant usus, ut sic justitia mediante, quod super his opportunum fuerit, statuatur, omniaque ad sobrietatem, & modestiam revocentur. Alioquin, elapsis sex mensibus, ad earum annullationem procedatur.

De calicibus, & cappis Ecclesiæ deferendis in Festis confratriarum per laicos. Eisdem confratribus, & aliis, delationem calicum, vasorum sacrorū, & capparum Ecclesiasticarum, prohibemus. Injungentes de suffraganeorum nostrorum consensu, Sacerdotibus, & aliis per provinciam nostram constitutis, ne ipsas deinceps concomitentur, aut illis deserviant. Ex nunc autem, juramenta, quæ solent præstari in ingressu, omnino reprobamus, & cassamus. Prohibentes, ne deinceps juramenta super observatione statutorum confratriarum, aut præstentur, aut exigantur. Et etiam ubi confratriæ erunt permissæ, volumus, quod ab invitis pro egressu nihil exigatur.

Confratriarum provisores, procuratores, seu magistri, vel gagiatores Ecclesiarum parochialium, teneantur præstare juramenta in initio Officii suscepti, coram Episcopis, aut eorum Officialibus, eliganturque singulis annis, mox reddituri de receptis, & solutis rationem. Et pecuniæ, quæ superrerunt, applicentur per eos, vel in usum reparationis Ecclesiæ, aut curam, seu alimoniam pauperum, aut alios pios usus, prout Episcopus arbitratus fuerit.

De excommunicationibus non concedendis, nisi pro ardua, & gravi causa, neque decernendis pro injuriis verbalibus, nisi sint admodum atroces. Cap. XXXI.

INsuper, ne quis per excommunicationem (quam pro præcipuo mucrone Ecclesia habet) à fidelium communione ex levi causa innodetur, sacro approbante Concilio prohibemus, quatenus de cætero nullæ excommunicationes concedantur, nisi pro gravi causa, & ea cognita, secundum formam juris. Generalesque monitiones in forma malefactorum, non decernantur pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus, quarum distinctio arbitrio Officialium relinquatur. Quos nihilominus diligenter, & districtè monemus, ut omnino caveant ab illarum multiplicatione, ne in vilipendium, & contemptum deducantur.

Diœcesani per se, aut Vicarios suos visitent frequenter parochias, in quibus audiunt hæreticos habitare, & ad illorum exterminationem pro viribus elaborent. Cap. XXXII.

STatuimus, & præcipimus, ut ad tollendas hæreses, quæ magis, ac magis (quod dolentes referimus) pullulant, diœcesani juxta sacrum generale Concilium, aut per se, aut Archidiaconos, seu alias honestas personas, bis in anno, aut sæpius, si ita res postulaverit, parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeant. Et ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel etiam ubi opus fuerit, totam viciniam jurare compellant, si quos ibidem hæreticos, vel aliqua occulta conventicula celebrantes, vel à communi conversatione fidelium dissidentes, sciverint. Et quos sciverint, Episcopis, seu eorum officialibus indicare. Qui verò ex his, juramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, jurare forte noluerint, hoc ipso tanquam suspecti de hæresi reputentur, & contra eos tanquam hæreticorum fautores procedatur. Qui autem sic indicati fuerint, nisi se ab objecto crimine purgaverint,

verint, vel si post purgationem, in pristinam lapsi fuerint perfidiam, Canonicè puniantur. A

Libri de fide, & moribus differentes non imprimantur amplius, nec alibi impressi vendantur, sine speciali diœcesanorum authoritate, & permissione. Cap. XXXIII.

QUia hæreticorum mos est, non solùm sacram Scripturam convellere, ac relicto vero sensu, ad suã phantasiam contorquere, sed & sacros libros transferre, & in eisdem libris, ac sacrorum Doctorum, scholia quædam, & annotationes marginales, sed depravatas adjicere, quo eam (quam pollicentur) libertatem, ob oculos obtrudant simplicium, eosque fallacibus errorum involucris, quasi tenaci visco involvant, & in errorum labyrinthum conjiciant. Inde est, quod hujus sacri Concilii authoritate, ac de consensu suffraganeorum nostrorum, prohibemus, ne deinceps per provinciam nostram imprimantur libri sacri, aut sanctorum Doctorum, qui vel de fide, aut moribus Ecclesiasticis habeant tractatum, sine nostra, suffraganeorumque nostrorum per suas diœceses speciali authoritate, & permissione. Contrafacientes, ipso facto, sententiæ excommunicationis subjaceant. B

Et si qui sint tales libri, seu in provincia, seu alibi impressi, prohibemus sub eadem excommunicationis pœna prædictos libros vendi, vel publicari, sine nostra (ut prius) suffraganeorumve nostrorum permissione. Adjicientes sub prædictis pœnis, quod eisdem libris non adjiciantur annotationes marginales, quæ hæresim sapiant, aut scandalosæ sint, ac piarum aurium offensivæ. C

Libros lingua vernacula compositos, de fide, & moribus tractantes, legi vulgò non debere, nisi à diœcesanis ante visitati sint, & approbati. Cap. XXXIV.

VErùm, quia intelleximus libros nonnullos scriptos lingua vernacula impios, & scandalosos, per nostram Provinciam, enchiridii more, à quibusdam circumferri, & à laicis, pueris, ac mulieribus, interdum publicè, aliquandò occultè legi, qui etsi fortè incertos habeant authores, nemini tamen dubium est, eos ex materia operis ab hæreticis, & perditionis magistris prodiisse. De fratrum, & Coepiscoporum nostrorum consilio, & consensu præcipimus sub excommunicationis pœna, omnibus, & singulis, cujuscunque status, conditionis, aut sexus, ut si quos habuerint libros, fidem, aut mores concernentes, à viginti annis citra in vulgari, seu Latino sermone editos, eosdem ad diœcesanum suum confestim deferant, ut cum ab eo, aut ejus Vicariis, & commissis visi fuerint sedulò, & examinati diligenter, eorundem librorum vel interdicatur, vel permittatur lectio. Quorum quidem librorum, seu jam impressorum, sive posthac imprimendorum, si lectio permissa fuerit, addatur eisdem libris decretum Episcopi, quo significet per se, aut alios doctos, & approbatos viros, seipsum examinationem diligentem fecisse, ac tunc demum eorum publicationem permittere. Volumus autem hoc præsens tàm utile, tàmque salubre statutum, per singulas parochias Provinciæ nostræ, ter, aut quater in anno publicari. D

Non esse admittendos quoscunque ad exercendum prædicationis ad populum officium, nisi à diœcesanis approbati fuerint, & missi. Cap. XXXV.

INvidens semper humanæ saluti zizaniorum sator diabolus, quod in agrum Dominicum per se directè non potest, id nonnunquam per suos, quos possidet, cupiditatis igne succensos, exquisitis modis efficere conatur. Siquidem dum nonnulli prędicatores, quæstores, vel falso nonnunquam simulatæ religionis habitu subintrant, prædicationis officium, circumventis parochialibus Presbyteris, usurpant, novas doctrinas, & sæpenumerò hęreses apud rudem plebeculam disseminant. Et benevolentiam vulgi captantes, administratoribus tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus detrahunt, subditos suis majoribus rebelles, & penitus inobedientes reddunt, plantare fingentes, destruunt, seditiones excitant, scandala immittunt. Et dum, quem venantur, quæstum fuerint assequuti, continuò recedentes, anxias suorum auditorum animas, promissæ sibi salutis spe vacuas, sed & variis expositas periculis relinquunt, errorum laqueis multiplicibus involutas. Nos ergo talibus viam (quantum cum Deo possumus) præcludere cupientes, pręcipimus omnibus, & singulis suffraganeis nostris, ne ullos (cujuscunque status, ordinis, vel conditionis existant) prędicatores, quęstores, religiosos, seu sæculares, extraneos, sive diœcesanos, quavis occasione, seu causa, ad officium prædicationis in Ecclesiis per suas diœceses constitutis permittant, tolerentve, nisi ab ipsis suffraganeis, eorumve Vicariis approbati, & ad hoc nominatim missi extiterint. Quomodo enim, secundum Apostolum, prædicabunt, nisi mittantur? Et Veritas ipsa dicit in Evangelio: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Proinde suffraganei nostri nullos ad prędicandum mittant, nisi viros ætate maturos, moribus graves, & in sacris literis sufficienter eruditos. *Rom. 10.* *Matth. 9.*

Eosdem etiam suffraganeos admonemus, ut si per se, aut alios probos, ac delectos viros prædicare voluerint, Euangelium Christi syncerè populo annuncient, & prædicent. Imitentur vestigia Christi, præcipientis Apostolicis viris: Prædicate Euangelium omni creaturę. Et iterum: Docete omnes gentes servare, quæcunque mandavi vobis. Cessent in sanctis illis concionibus prophanarum legum minimè necessariarum citationes, Poetarumque authoritates supervacanęę, subtilium quęstionum, & plerumque futilium, inanes allegationes. A ridiculis etiam, histrionicisq; sermonibus abstineant. *Quæ materia est fidelibus prædicanda.* *Marc 16.* *Matt. 28.*

Quales esse debent divini verbi prædicatores, & quid potissimùm prædicare debeant, & quibus uti sermonibus. Cap. XXXVI.

SInt prædicatores, juxta Gregorium, in verbo discreti; ne vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant. Prędicent rursus sacrum Euangelium, innitantur interpretationibus sacrorum Doctorum. Instruant populum ad observationem præceptorum Dei, ut fidem inconcussè teneant, atque omnibus mandatis Dei, & Ecclesię pareant, nec ab ejusdem Ecclesiæ decretis, & sanctionibus devient. *Gregorius.*

Sint etiam prędicatorum sermones casti, & examinati, ad amorem Dei populum trahentes: detestentur vitia concionatores verbi Divini, alliciantque auditores ad amplexus virtutum. Habeant præ oculis pro scopo honorem Dei, & profectum animarum, nihil ad gloriam, & ostentationem faciant, non quęstui sint intenti, aut vindictę appetentes.

Quod si secus fecerint, aut si populum more scurrarum vilissimorum, dum ridiculas, & aniles fabulas recitant, ad risus, cachinnationesque excitaverint, aut (quod deterius est) si prælatis Ecclesiæ, principibus, Sacerdotibusque detraxerint, ac tandem populum ab obedientia superiorum retraxerint, eumdemque à solutione decimarum, ac aliorum, ad quæ jure divino, & positivo sunt omnes obstricti, abalienaverint. Nos volumus tales tàm ineptos, & perniciosos concionatores ab Officio prædicationis suspendi, & à suis superioribus, pro modo, & mensura excessus, acriter puniri. Per præsens tamen statutum, non intendimus derogare Clementinæ: *Dudum.* E *De prohibendis, & puniendis ineptis prędicatoribus*

Solos illos mendicantes habere potestatem absolvendi, qui ante per suos Prælatos diœcesanis præsentati fuerint, & per eos commissi. Cap. XXXVII.

NOs præterea cupientes animarum periculis, quantum cum Deo possumus, consulere, volumus omnes, & singulos intelligere, quod illi soli mendicantes habent potestatem absolvendi, qui primùm per suos provinciales, custodes, ministros, priores, guardianos, aliosve eorundem mendicantium Prælatos, electi fuerint tanquam sufficientes, & idonei, vita probati, discreti, modesti, atque periti, inde suffraganeis nostris in suis diœcesibus per præfatos mendicantium Prælatos præsentati, qui ab eisdem Episcopis ad audiendas confessiones sint commissi. Qui sic electi, præsentati, deputati, seu commissi, juxta Canones Conciliares, & Romanorum Pontificum decreta, confessiones sibi confiteri volentium liberè audire possunt, imponere pœnitentias salutares, & beneficium absolutionis impendere. Declaramus autem, non competere mendicantibus sic deputatis, & commissis, in absolvendo ampliorem potestatem, quàm Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à jure concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter duxerint faciendam. Guardianos autem, custodes, & alios fratrum mendicantium præfectos hortamur in Domino, ut in Ecclesiarum suorum conventuum loco ad legendum aptiore, chartam præsentatorum suorum nomina continentem statuant, quatenus, qui volent mendicantibus confiteri, videant prius, si sint de nominatorum, & approbatorum numero, aliàs absolutos se non fore intelligant.

Abbates Sacramentum Confirmationis non conferant, nec calicem consecrationis attentent, nisi diœcesano ante exhibuerint speciale (si quod habent) super hoc privilegium. Cap. XXXVIII.

QUoniam Abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre, idque vendicant ex consuetudine præscripta ad se pertinere, nos attendentes hanc impositionem manuum, à Christo primùm institutam, & ab Apostolis receptam, solis Episcopis (qui Apostolorum sunt successores) reservatam, consuetudinem hujusmodi, quæ potius corruptela dicenda est) reprobamus. Quod si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quòd cùm primùm fuerint requisiti à suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur. Et idem statuimus observandum, quantum ad illos, qui calicum consecrationem attentant.

Marc. 6. Act. 8.

Cum quanta reverentia, gravitate, & honestate, sacramentum Matrimonii est à fidelibus suscipiendum. Cap. XXXIX.

SAnè cùm matrimonium à Deo rerum omnium conditore, in paradiso, & in statu innocentiæ institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, sacramentum, proinde cum magna reverentia, ac devotione suscipiendum, utpotè, in quo (sicut & in reliquis sacramentis) gratia conferatur, prohibemus, ne in sponsalibus, aut nuptiali benedictione, fiant risus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuncientur. Quinimo moneantur affidati, quatenus jejuni, contriti, & confessi, ac cum multa reverentia ad hoc sacramentum accedant. Illum quoque abusum, qui invaluit in quibusdam partibus, ut benedictio nuptialis, & Missa celebrentur statim post mediam noctem, tollimus, & amputamus, statuentes, quòd talia deinceps non fiant, nisi post ortum solem, ac illucescentem diem. Siquidem exemplo pernicioso interdum compertum est, solemnitates hujusmodi nuptiales sic in latebris, & in occulto factas, clandestinis matrimoniis viam aperuisse, & occasionem dedisse contemnendi tàm excellens sacramentum, & lascivias, ac spurcitias quasdam committendi.

Gen. 2. Ephes. 5.

Benedictionem nuptialem, & Missam solùm in die celebrari debere.

Sed cùm ex clandestinis matrimoniis gravia eveniant in dies scandala, ac pericula, volumus omnes contrahentes, consulentes, scienter interessentes, auxiliantes, & adjuvantes, sententiæ excommunicationis ipso facto subjacere.

De clandestinis matrimon...

Imagines sacræ, precedente Episcopi visitatione, in Ecclesiis collocentur, neque, prætextu novi miraculi, erigatur capella, aut altare novum, nisi Episcopus loci de eo negotio ante definierit, quid sit tenendum. Cap. XL.

ET ut nihil sine discretione in Ecclesia Dei fiat, expediens, & rationabile visum est, propter lascivas imagines, & veritati scripturæ non convenientes, si in posterum præcedente Episcopi, aut commissi ejus judicio, & visitatione, imagines in Ecclesiis collocentur.

Ex multorum fida relatione didicimus, simplicem populum aliquandò levi assertione miraculorum, ad unum, & alterum locum populariter concurrisse, candelas, & alia vota obtulisse. Ut igitur credulæ simplicitati nobis commissæ plebis consulamus, & novis, impudentibusque hominum mente corruptorum ad quæstum occasionibus obviemus, sacro approbante Provinciali Concilio, districtè prohibemus, ne quis post hac miraculum de novo factum prætendat, neve intra, aut extra Ecclesiam, titulum, capellam, aut altare, prætextu novi miraculi erigat, aut populi concursum in miraculi gratiam, & venerationem recipiat, nisi prius loci Episcopus de negotio, quid sentiendum, tenendumque sit, causa cognita, decreverit.

Decretorum ad mores spectantium finis.

CONCILII POSTREMA CONCLUSIO.

ET quia parum esset, jura, & statuta condere, nisi essent, qui ea tuerentur, & executioni demandarent, idcircò volumus, statuimus, & ordinamus, sub pœnis ante dictis, omnia, & singula suprascripta, sicut præmittitur in dicto sacro Provinciali Concilio, decreta, statuta, & ordinata, per omnes suffraganeos nostros in suis Synodis intimari, & publicari, illaq; in futurum inviolabiliter observari, executionem hujusmodi pœnarum, eisdem nostris suffraganeis, tenore præsentium committentes. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes literas, seu præsens publicum instrumentum, decreta, & statuta nostra in se continentes, sive continens, exinde fieri, & per notarios publicos subscriptos, dicti provincialis Concilii scribas, seu graffiarios, signari, & publicari, sigillique nostri jussimus, & fecimus appensione communiri. Datum, & actum Parisiis, quoad præmissorum conclusionem, & definitionem, nobis in eodem Concilio præsidentibus in domo solitæ habitationis nostræ. Sub anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, indictione secunda, die verò nona mensis Octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Clementis, divina providentia Papæ septimi, anno quinto,

Controversia.

TRactatum edidit in hujus Concilii decreta ad fidem spectantia Judocus Clichtoveus Theologus Parisiensis cum hac inscriptione: *Compendium veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum assertiones, ex dictis, & actis in Concilio provinciali Senonensi, apud Parisios celebrato anno* 1528. In hoc controversias hujus Concilii eruditissimè discutit

discutit, & dissolvit, ut nihil utilius esset, quàm tractatum hunc integrum attexere, nisi majus studium coarctandi, quàm dilatandi voluminis impediret. Testatur enim in Epistola dedicatoria ad Franciscum Galliæ regem pertractatas fuisse frequenti agitatione, & diligenti trutina examinatas materias complures admodum arduas, & magni ponderis, ad fidem potissimum spectantes, in quibus à Catholicis dissident Lutherani, tunicam Christi inconsutilem (quam milites ethnici integram reliquerunt) dirumpere detestabili insolentia tentantes, & quia ipse hisce discussionibus, cùm agerentur, interfuerat, unà cum aliis nonnullis Theologicæ professionis viris insignibus ad id Concilium vocatis, operæ pretium duxit easdem malitias in unum quasi compendium coadunare, ac per aliquot capita digerere, definitiones rationibus diversis pro parte vera, atque Catholica suffulciens, & responsionibus ad cavillationes adversæ partis corroborans, uti ex auditis, inquit, in eo doctissimorum virorum cœtu, memoriæ eas commendare, mentique tenacius infigere potui.

Porrò hoc tractatu indicato, tantùm hìc monemus Concilium istud à sectatoribus Jansenii Iprensis vocati Concilium Semipelagianorum, quod per ejus decreta non pauca ex suis dogmatibus damnari, ac confodi sentiant, ut quæ spectant ad libertatem, ac gratiam sufficientem, ut videre est in disputatione de libero arbitrio Antonii Ricardi, seu Stephani des Champs Soc. Jesu. Sed detractionem istam antevertit Franciscus Suarez in prolegomeno 6. ad libros de gratia, cap. 5. Quia verò, inquit, aliqui minus deferre solent hujus Concilii authoritati, eo quod provinciale sit, & ab Ecclesia Romana non fuerit confirmatum, addendum hìc est, licèt non sit hæreticum sentire, aut dicere, Concilium illud in aliquo dogmate errasse, aut falsum esse aliquid ab ipso definitum, seu tanquam Catholicum dogma declaratum: nihilominus non posse talem assertionem illi Concilio injuriosam à temeritatis nota excusari. Quod probat ex assistentia Spiritus sancti, qui licèt non assistat Concilio provinciali, ut infallibiliter veritatem definiat, specialius tamen juvat plures prælatos, & doctores congregatos recta intentione, quàm quemlibet privatum doctorem, vel etiam plures casu in eamdem sententiam convenientes: deinde augeri potest Concilii provincialis authoritas ex numero, qualitate, & doctrina patrum in illo convenientium, & ex majori concursu doctorum hominum omni diligentia veritatem inquirentium, etiam quando ejus doctrina nunquam in suspicionem erroris venit in Ecclesia, sed potius usu ipso, & tacito quodam universali consensu probata est, & hoc modo Concilia provincialia in magna veneratione habita semper sunt, ut constat ex litteris Synodicis Theodori Patriarchæ Jerosolymitani, quæ referuntur in septima Synodo, act. 3. in fine, & à tota Synodo probantur. Addit præter Episcopos adfuisse ibi omnes graves Theologos Parisiensis Academiæ, seu Collegii Sorbonici, & ad singula decreta consilio, & doctrina cooperatos fuisse, ac eum magna subjectione ad Romanam Ecclesiam processisse, & quod caput est, Concilium Tridentinum, quod post viginti annos celebratum est, in sess. 6. virtute approbat totam doctrinam de gratia, quam Concilium Senonense tradiderat, quia eamdem ferè magis explicatam, ac locupletatam docet, ac definit. Igitur temerarium profectò esset, in hac parte aliquid in illo Concilio reprehendere, vel ab ejus sententiis discrepare.

A *Concilium Coloniense, anno Dom. 1536 auctoritate Hermanni Archiepiscopi (qui posteà in hæresim lapsus est) pro moribus, tempore Pauli tertii, & Caroli quinti Imperatoris.*

Hermannus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, princeps Elector, Vvestphaliæ, & Angariæ Dux, sacrosanctæ Apostolicæ sedis Legatus natus, ac administrator Ecclesiæ Paderbornen. &c. Universo Clero, ac populo provinciæ nostræ Coloniensis salutem in Domino sempiternam.

B INter innumera hujus calamitosæ tempestatis adversa, quibus justo Dei judicio premimur, nihil ita ex eo potissimum tempore, quo nos Deus Opt. Max. licèt indignos, ad ministerii Episcopalis functionem vocare dignatus est, animum nostrum torsit, quàm quod videmus Ecclesiæ naviculam, velut indormiente ipso nauclero Christo Jesu, in mediis constitutam fluctibus, turbulentissimarum procellarum impetu, jam nimium diu summo cum rei Christianæ periculo jactari, nec interim in tanta rerum desperatione laborantibus, ullum alicunde salutis portum, in quem se tutò recipiat Christi navis, vel de longinquo adfulgere. Nam quod aliquot abhinc annis pleraque remedia tentata sint, id nos discruciat magis, cùm animadvertimus hactenus pene nihil actum, sed omninò frustra laboratum esse. Et quis, quæso, tàm stupidus est, C qui non sentiat omnem conatum nostrum idcircò irritum, atque inanem fuisse; quod hucusque nec sincera in Deum fide, nec unanimi voto indormiscentem Dominum ardentibus precibus inclamaverimus, sed incredulitate torpentes, ac corruptissimis animorum affectibus, studia in contraria currentes, non respexerimus toto corde in eum, qui dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Neque enim ille vel immemor est promissi, vel manus ejus abbreviata, ut salvare non possit, qui non derelinquit omnes sperantes in se, sed iniquitates nostræ diviserunt inter nos, & illum: atque utinam jam tandem resipiscentes, studeamus, repurgatis per Dei misericordiam mentibus nostris, vel tantillam fidem à Domino impetrare, quantula Apostoli prædití erant, cùm in mari intumescenti comprehensi, ad Dominum D pariter accesserunt, atque in cervicali reclinantem suscitarunt, inclamantes: *Domine, salva nos, perimus.* Quæ ut tùm non satis integra fuerit, quod vicissim audirent: *Quid timidi estis modicæ fidei?* tanta tamen fuisse prohibetur, ut Jesus ille servator excitatus, ac surgens, imperaret ventis, & mari, adeò ut statim subsecuta sit tranquillitas magna. Quàm inferior ergo illa, licèt modica, unanimi tamen discipulorum fide, nostra erga Deum fiducia hactenus fuerit, quàm indignos gratia Dei præ Apostolis, quamquam adhuc rudibus, nos hucusque præstiterimus, res ipsa, actionumque nostrarum eventus satis, superque declarant. Quid enim tot comitiis, tot conventibus, tot denique cùm privatis, tùm publicis consultationibus super componendis hisce fluctibus, non semel habitis, aliud effectum est, quàm quod tempestas facta est concitatior? Tandem ad universale Concilium, uti ad ultimum E asylum respeximus omnes, quod in primis invictissimus perinde, ac pientissimus Ecclesiæ pugili Carolus, ejus nominis quintus, Romanorum Imperator semper augustus, authoritate Apostolica indici magna cum instantia postulavit. Beatissimus subinde Pontifex pientissimæ postulationi assentiens, futurum promisit, totus denique orbis ingenti cum desiderio hactenus expectavit. Sed, ut non levis momenti res est generalem Ecclesiæ Synodum convenire, ita permulta sunt, quæ omnis dissidii parente diabolo procurante, subinde suboriuntur impedimenta, quibus etsi non omnino spes indicendi, cogendique Concilii adi-

Tridentinum.

adimatur, tamen res omnium maximè necessaria in longum saltem protrahitur. Nos igitur rationem officii Episcopalis nobis concrediti, solicitè animo versantes, quanquam maluissemus rebus labentibus, publico, atque adeò totius orbis Christiani auxilio succurri, quàm privati in provincia nostra de necessario remedio despicere: In tàm longa tamen expectatione, dilationeque speratæ opis, nullam excusationem invenimus, diutius in officio nostro cessandi, maximè quod hæresum, ac schismatum pestilentissimis, exitialibusque flatibus, provinciam nostram undecunque, idque agminatim impetentibus, scelerum quoque longè corruptissimorum lue, ac fluctibus, magis, ac magis inundantibus, omnem dehinc moram extremi plenam periculi judicemus. Proinde & divina voce commoniti, & sacrorum Canonum jussu cohortati, B provinciale Concilium in civitate nostra Colonia Agrippina, Deo authore, celebrandum indiximus. In quo cum nobiscum reverendorum Suffraganeorum nostrorum, Leodien. Episcopi, ac Monasterien. & Osnaburgen. confirmati, administratorisque Mindensis Ecclesiarum legati (Trajecten. interim Episcopi procuratoribus, quo minus ad nos se reciperent, inter eundum per obvios milites, quemadmodum ipsorum litteræ excusatoriæ continebant, prohibitis) simul & cum venerabili clero nostro, & in Dei nomine convenerint, ipsiusque Dei, ac Ecclesiæ causam (quantum is, à quo omne datum optimum, ac omne donum perfectum descendit, Pater luminum concessit) diligenter pertractarint. Tandem discussis omnibus, quæ repurganda videbantur, reformationem, quam omni ope molimur, & ex animo optamus, in Canones quosdam C divinæ legis, ac Patrum sanctionibus consentaneos contraximus, quos in visitatione diœceseos nostræ effectui mancipare (quoad ejus fieri potest) Deo adjutore, adnitemur, ut habeat provincia nostra, donec generale illud indicatur Concilium, aliquantulam saltem opem, qua se adversus ingruentes, ac inundantes dissidiorum fluctus, ac scelerum luem, servet, ac tueatur. Omnia tamen, quæ hoc libello continentur, judicio sanctæ Apostolicæ sedis, quam meritò veneramur, submittentes.

Porrò continentur decreta hujus Concilii 14. partibus, quarum singulæ varia capita continent apud Binium; ex his quædam delecta damus.

D

Officium Episcopi post Verbi prædicationem consistit potissimum in impositione manuum, & visitatione Ecclesiarum.

EPiscopi munus in duobus potissimum consistit. Primum in impositione manuum, quæ est ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio ministrorum.

Deinde in visitatione diœceseos. Utrumque beatissimus Apostolus ad Titum dilectum filium, Cretæ Episcopum scribens, complectitur: Hujus, inquit, rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Alterum verò idem Apostolus, cùm à Mileto discessum maturaret, profecturus Hierosolymam, ac certus, quod amplius haud visurus E esset faciem eorum omnium, per quos transivit, prædicans regnum Dei, vocatis illò ad se ab Epheso Ecclesiæ Presbyteris, Apostolica vehementia inculcat, cùm ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo* Act. 20. *vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et quoniam *scio*, inquit, *quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis* Act. 9. *exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant disci-* Act. 15. *pulos post se, propterea vigilate.* Cui muneri, ut ambo illa Apostolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus, ac illius collega Paulus, satisfacerent, alter transivit, & invisit universos, alter perambulavit Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum, nimirum non tantùm verbo, sed & exemplo Episcopos commonentes, ut qui speculatores in Dei Ecclesia constituti sunt, ac appellantur, provinciæ sibi mandatæ vigilantissimè intendant, fidem, conversationem, mores, & vitam singulorum explorent, examinentque, ac provideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus est, torpescat.

De impositione manuum, quæ est ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio ministrorum.

IMpositio manuum est ostium, per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur. Proinde, quia ejusmodi ostium diligenter custoditum non est, factum est, ut tanta mala, quæ sentimus, agminatim in Ecclesiam Dei irruperint. Hujus januæ vigilantissimi custodes fuerunt Apostoli Christi, & quotquot ipsis successerunt Apostolici Episcopi. In primis verò Divus Paulus, qui dilectissimis discipulis Timotheo, ac Tito, ejuscemodi custodiæ formulam ex professo præscribit. Porrò Apostoli, cùm esset in 1.Tim. ad Tit. locum Judæ proditoris deligendus duodecimus collega, statuerunt duos ex his viris *(qui cum ipsis congre-* Act. 1. *gati fuerunt, in omni tempore, quo intravit, & exivit inter eos Dominus Jesus)* probatissimos, electionem alterutrius Domino committentes. Ad hæc, cùm essent Act. 6. deligendi primi illi Ecclesiæ Diaconi, Apostoli, convocata discipulorum multitudine, dixerunt: *Considerate, fratres, ex vobis viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto, ac sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Atque illi (cùm placuisset hic sermo) *coram omni multitudine elegerunt Stephanum, virum ple-* Act. 1. *num fide, & Spiritu sancto, ac reliquos sex, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum,* qui dein non temerè, sed *orantes, illis imposuerunt manus.* Denique de Barnaba, per Apostolos ad Antiochiam destinato, refert scriptura. Quoniam Apostoli *miserunt Barnabam, quod esset vir bonus, & plenus Spiritu sancto, ac fide.* Quibus exemplis edocemur, quanta cura, ac delectu, manus impositionem fieri oporteat. Beatus Apostolus inter alia Timotheum sic alloquitur: *Com-* 2.Tim. *menda,* inquit, *quæ audisti à me per multos testes fi-* 1.Tim. *delibus, qui & idonei erunt alios docere.* Et iterum: *Manus nemini citò imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* A qua regula, cùm longè, latèque discessum sit, affectibus privatis sibi omnia vendicantibus, morbus obortus est plurimus, atque ita radicatus, ut vix spes medendi relicta sit. Neque tamen in mediis, & exulceratissimis morbis, de remedio desperandum erit, sed tanto magis de pharmaco idoneo cogitandum, providendumque.

Ad certum titulum Ecclesiæ ministros canonicè deligendos, ordinandosque.

QUoniam verò primitivæ Ecclesiæ facies, quod ad institutionem ministrorum attinet, paulatim immutata fuit: nimirum dotatis templis, sacerdotiisque, ac certis stipendiis ministrantibus constitutis: visum subinde sanctis Patribus non absque multa ratione fuit, ne quisquam sine certo titulo (qui illi victum necessarium suppeditaret) ad majores, quos & sacros ordines vocamus, ordinaretur. Adhibita etiam non levi severitate in Episcopos, qui secus facere præsumpsissent. Quæ cùm sic se habeant, reformationem ordiri hinc fuerit necesse. Videndum itaque in primis est, ut collationes Ecclesiasticorum sacerdotiorum, seu beneficiorum, ut electiones, præsentationes, & institutiones clericorum, ac ministrorum, maximè eorum, qui curæ præficiuntur animarum (quæ scientia scientiarum meritò appellanda est) ritè, ac canonicè fiant. Utque maximi illi, & teterrimi abu-

abusus, & vitia (quæ in deligendis personis Ecclesiasticis, non vulgari cum detrimento Ecclesiæ sæpe numero committuntur) quoad fieri potest, tollantur. Quod tunc demum futurum est, cùm repulsis, ac submotis indignis, digni tantùm, ac idonei admittentur, qui & velint, & possint officium (propter quod beneficium datur) gerere, & explere. Scriptum est enim: *Qui non laborat, non manducet.*

Manum nemini citò imponendam.

QUamobrem omnibus, qui præficiendi Ecclesiasticis muniis ministros potestatem habent illa (quam paulò ante retulimus) Paulina admonitio semper ob oculos versabitur: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Si enim ad honores mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quàm diligens, & quàm prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & cœlestium dignitatum? Certè olim excommunicatione percellebantur, qui Ecclesiastica beneficia contulissent indignis.

Videndum, quo affectu ad ordines accedatur.

QUo denique affectu, ac proposito accedant ordinandi, videndum, accurateque investigandum est, num videlicet Dei causa tantùm, an potius suæ commoditatis gratia ad ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Quid enim est sua quærere, & non quæ Christi sunt, nisi cùm tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda sequentes, lucris inhiantes, & honores ab hominibus expetentes? Quisquis ergo talis est, non Dei filius, nec ovili Christi idoneus pastor futurus, sed mercenarius est. Ubique Deus hominis intentionem, & mentem spectat, quam Christus in Euangelio lucernam corporis, atque oculum vocat. Qui, si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Sin autem fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit. Quare si lumen (quod in initiando est) tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Neminem ab examinatione immunem esse oportere.

A Qua quidem neminem excipimus, etsi magisterii titulum prætexat, nisi quem publicum sit, & vitam integram egisse, & ea, quę ordo impertiendus requirit, facilè callere. Quamobrem nedum clerici (qui sæculares appellantur) sed & religiosi cujuslibet etiam professionis fuerint, hanc censuram experientur.

Cujus admonendi sunt pridie ordinationis initiandi sacris.

PRidie ordinationis admonebit vicarius noster in pontificalibus omnes iterum, quo sese quisque discutiat, ne officio se alliget, cui non possit satisfacere. Neve mentiatur Spiritui Sancto, aut impœnitenti corde accurrat, sed ore confessus, ac Spiritu contritus, humiliatusque, post perceptam sacrosanctam Eucharistiam, Deo totus deditus accedat.

In minoribus ordinibus conferendis, quæ cura.

QUanquam qui minores vocantur ordines, tàm exactam curam non requirant, suo tamen modo pro gradu, & excellentia ordinis, omnium eorum, quæ diximus, ratio habenda est. Quid enim indecorum magis, quàm admoveri infantes, qui non intelligant quid agatur, imò ne capiant quidem, quid Clerici nomen, & reliqua minorum ordinum vocabula significent? Quid turpius, quàm quod penitus Analphabeti, ac interdum flagitiosi (qui, ut legum civilium censuras, ac pœnas eludant, sese impudentissimè ingerunt) in maximam Ecclesiastici ordinis ignominiam, sacris initiantur? Qua de re nemo posthac ordinibus hisce insigniendus est, nisi quem & vita commendet, & literaturæ, ætatisque sit pro ratione suscipiendi ordinis, sufficientis, ac rectæ, synceræque voluntatis. Qui enim in clerum alleguntur, rem profitentur minimè ridiculam, nempe se peculiariter in sortem Domini ascitos, quibus posthac omnia terrena sordeant, ac solus Dominus sors, ac pars hæreditatis futurus sit. Cujus quoque (priusquam ordinentur) diligenter admoneri debent.

Dispensationes inspiciendæ, ut occurratur abusibus.

QUàm impudenter plerique diplomatis, ac dispensationibus apud sedem Apostolicam extortis, præter summi Pontificis mentem (qui & vult, & debet potestate sibi concessa non ad destructionem, sed ad ædificationem uti) abutantur, nullus est, qui ignoret. Non prohibeo (inquit quidam vir pius) dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem credita est, sed hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maxima culpæ pars resideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta causa, supplicatoriis precibus inserta, dispensationis tectorium tandem eliciunt, quos apud Deum (qui renes, & corda nostra scrutatur, omnemque hypocrisim, ac fraudem execratur) securos quis dixerit? Nemo tibi (ait idem, quem jam citavimus) de dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam divina sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt, in quorum conspectu est Deus, plerique verò, qui sacra authoritate pro sua libidine passim abutuntur, fit, ut Lugdunensis Concilii sub Gregorio decimo celebrati, non insalubre decretum, adversus insolentiam ejuscemodi hominum in usum revocare cogamur. Quo subnixi cunctis, qui talibus diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponemus, litteras suas nobis exhibendi, visuris, num ritè impetraverint, ac rectè impetratis utantur. Et ut quàm maximè robustæ sint dispensationes istæ, curabimus tamen, ut menti canonis, ac Summi Pontificis satisfiat: videlicet, ne animarum cura in his Ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus, quas sub hoc prætextu occupant, negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur.

Præstat paucos esse bonos, quàm multos inutiles sacerdotes.

ET ut cum divo Clemente hoc caput concludamus: Melius est Episcopo paucos habere sacerdotes, ac Ecclesiæ ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

Clericum suo officio intentum esse oportere.

OMnis mali seminarium cupiditas semper fuit. Nam dum nemo suum peragit officium, alienis semper intentus: nempe clericus, quæ laici, laicus, quæ clerici sunt (ut deteriora sileamus) usurpat, fit, ut Ecclesiæ harmonia diutius constare non possit. Obtestatur Paulus Apostolus Timotheum, quin potius contestatur simul omnes, quotquot erant Timotheo successuri: *Tu* (inquiens) *vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ: ministerium tuum imple.*

Duplex Clericorum ministerium.

CLericis, & in primis Ecclesiæ Presbyteris duplex ministerium, divinis, & humanis legibus est

Margin notes: ...m. 5. ...eo cap. ...mur, ...list. Concil. ...t. — ...l. 2. — ...guff. 8. ...c. sunt. — ...ron. ad ...p. — 2. Cor. 20. — Bernar. ad Eug. 1. Cor. 4. — Psal. 7. Bernar. ad Ruper. com. Ex Concil. Lug. ca. ordin. de offic. ord. lib. 6. — Clemens. — 2. Tim. 4.

est injunctum. Alterum, ut in commissum sibi populum, Deum propitium habere cunctis rationibus enitantur, quod non tantùm sacrificiis solemnibus efficitur, sed etiam precibus, quæ à pio corde proficiscuntur, teste Jacobo, qui nos ad precandum cohortans: *Orate* (inquit) *pro invicem, ut salvemini.* (Jacob. 5.) *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Omnibus (Matth. 7.) quidem dictum est: *Petite, & accipietis.* His verò, ut semper petant, nec pro semetipsis tantùm, sed & pro tota Ecclesia Dei, ut vincat populus, qui sub ipsis est, hostes illos invisibiles impugnantes eos, qui volunt (Exod. 17.) piè vivere in Christo, ut stent, sicut Moses, levatis (Ps. 105.) semper interioribus animi manibus in cœlum in con- (Hebr. 5.) fractione, in conspectu Domini, ad avertendum iram ejus, ne disperdat populum suum assiduè precantem, deinde, ut offerant dona, ac sacrificia pro peccatis, (Levit. 21.) quemadmodum scriptum est: *Quoniam sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerent, & ideò sancti erunt.* (Psal. 18.) Alterum, ut sint religionis magistri, proindeque, ut in lege Domini meditentur die, ac nocte, ut judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, dulciora super mel, & favum, totis præcordiis amplectantur, exquirant, scrutenturque. Idque non pro- (Ex decret. de Clem.) pria præsumptione, aut humano sensu, sed Spiritu sancto dictante, qui abscondit hæc à sapientibus, & prudentibus in oculis suis, & revelat ea parvulis. Un- (Matth. 11.) de scriptum est: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam,* (Malach. 2.) *& legem exquirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Qui in hoc secundo munere præstant gregi Christi pascendo, admonendi sunt, de quibus suo loco dicemus.

Biblia à Clericorum manibus nunquam deponenda.

HIc satis est admonuisse omnes pariter Ecclesiasticis muniis consecratos, ipsos precibus, supplicationibusque publicis Deo persolvendis mancipari. Quas, ut non tantùm ore murmurent, sed & corde persolvant, nunquam à manibus eorum liber Legis, hoc est Biblia, deponatur. Nam ut, quæ legunt, & canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit: si tamen quid est in litteris sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, aliis subinde divitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus.

Summa devotione Missæ sacrum celebrari oportere.

JAm si tanto mentis ardore quælibet preces dicendæ sunt, quanta putamus devotione sacrosanctum Missæ ministerium, in quo Corporis, & Sanguinis dominici sacramenta tractantur, conficiunturque, peragendum est? Certè graviter dolemus, atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim tantis mysteriis conductitios illos, ac indignos sacerdotes, publicis etiam, ac manifestis criminibus contaminatos, sese (idque irreverenter, & interdum magis lucelli, ac stipis, quàm Dei causa) sacris ingerere, quorum instat interitus, & perditio non dormitat. *Probet* (inquit Paulus) *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de* (1. Cor. 11.) *calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Atque ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nam si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Arguuntur, qui polluta mente ad altare Domini accedunt.

(Matth. 7.) TErret, nec immerito, nos sermo Dominicus, qui vetat nos sanctum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos, cùm quosdam levicu-

A los sacerdotes illotis manibus, pedibusque (ut in proverbio est) audacius in hac sacratissima mysteria, quàm in prophana irrumpere comperimus. Quales sunt, qui humano affectu tantùm, & potius ex more, quàm devotionis ardore ad altare accedunt, quorum polluta est & mens, & conscientia, quos meritò horrendum Euangelii exemplum (quod Joann. 13. legimus in hæc verba: *Et postquam accepisset buccellam, introivit in eum Satanas,* & cætera, quæ sequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti mysterii contemplationem revocaret.

Habitus, seu exterioris corporis cultus modestia à clericis exigitur.

B BEatissimus Paulus habitus modestiam in mulieribus desiderat, quem vult verecundum esse, non (1. Ti...) in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Itidem Apostolus Petrus eas commendat, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Quàm turpis ergo putanda est in clericis tanto gradu sublimioribus deformissima illa, ac frequentissima nostræ tempestatis habituum variatio, quam ne inferiori quidem vasculo Apostolorum principes permittendam duxerunt? Ex veste, (Matth...) apud homines sanctimoniæ opinionem aucupari pro- C hibuit Christus, qui in omnibus operibus nostris id, quod intus est, primum respicit, mundarique jubet: deinde, quod deforis est: Væ illud horrendum Pharisæis hypocritis interminans, qui, ut viderentur ab hominibus justi, dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias, cùm essent intus pleni rapina, & immunditia. Interim tamen Euangelium non temerè (Matth...) vestimentum Joannis Baptistæ (quod illius professioni, ac menti respondebat) de pilis camelorum contextum celebrat, ac ipse Christus vestium mollitiem, ac levitatem aversatur: *Ecce* (inquiens) *qui mollibus* (Matth...) *vestiuntur, in domibus regum sunt.* Quæ omnia huc spectant, ut velimus clericos præter indictam tonsuram, vestes quoque suo ordini congruentes deferre, quem- (Ex Co... gener. cler. de... & hon... Hieron...) admodum olim generali Concilio cautum est. Pudet D siquidem nos, cùm videmus prodire clericos, perinde atque sæculi milites amictos, vel qui sint in fœmina compti. Itidem pannosi clerici, ac vestibus laceri displicent. Neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt.

Mali exempli est sacerdotem se venditare in Capellanum delicato laico, aut mulierculæ.

MAgna eorum levitas est, in magnam cleri ignominiam redundans, qui se laicis, atque adeò delicatis fœminis, ventris causa, in Capellanos (ut appellant) atque anteambulones venditant. Qui (Ibid.) enim debebant esse gregis duces, rediguntur in cau- E dam, & sordidissimis quibusque negotiis alligantur. Proh nefas!

Inter sacra nihil ne cogitandum quidem, quod Dei, aut Ecclesiæ oculos offendat.

LOngè verò abominabile est, quod quidam tùm, cùm divina aguntur, inter sese de rebus prophanis tractant, mussitationes, colloquia, risus, & ca- (De C... nicis.) chinnos intermiscent. Quidam aut in aliquem chori angulum se recipientes, de nugis, ne quid gravius dicamus, commentantur: aut foris per templum magno cum populi offendiculo deambulantes, oculos pariter, & aures ad vanitatem convertuntur, atque sacra loca fœdant, positi in lapidem offensionis, & petram scandali. Hac lege nullum excipimus, sive claris sit

nata-

natalibus prognatus, sive plebeius. Quin potius, qui genere præstant, meminerint se illic canonicos agere, & conversari non in aulis, sed in scholis virtutum, ac Ecclesiasticæ disciplinæ. A

Ad personalem residentiam cogendi, quibus hæc per fundationes beneficiorum est imposita.

QUorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi, aut ipsi resideant, aut à proventuum perceptione suspendantur, & fructus illi in alios pios usus convertantur, nisi qui reipublicæ causa ex authoritate nostra abfuerint.

Lucri tantùm causa sacris adesse non oportere. B

UTinam optando à Deo Optimo Maximo consequi possimus, ne quisquam lucri causa divinis interesset, alioqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis, quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse putans, qui, non dubium, ex numero eorum est, de quibus Esaias dixit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Nec multum is abest (uti plerisque doctissimis viris placuit) ab horrendo crimine Giezi, qui existimavit divinum munus pecunia redimendum. Quare viderint clerici nostri, ut eorum mens, & intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronunciantes omnia judicia oris ejus. In via etiam testimoniorum Domini delectentur, sicut in omnibus divitiis. Optandum, ut Psalmus ille centesimus decimus octavus, qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur, ore simul, & corde respondente singulis verbis mente decantetur. Et cum eodem Psalte ex animo dicatur: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et: *Qui altario deservit, de altario & vivet.* Sed interim cogitare debet clericus, se vivere, non ut edat, sed edere, ut Christo vivat, habereque semper menti reconditum Christi verbum: *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* C

Officium Decani in rebelles.

SI quos Decanus rebelles cernat, si divini cultus, atque sui officii negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta foventes, aut aliis publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusaverint, agat in his capitulis, quod jubet Paulus: *Peccantes coram omnibus corrige.* Tùm si resipiscere nolint, arceat à sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem revertantur, sic tamen, ut his servetur regula Apostolica: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes*, & neque ira, neque odium, neque rancor ullas sibi partes vendicet. Nam illa præpositorum solicitudo est utilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sæpè etiam innocentes ad crimen inducit. Dum enim justo amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, graviora committimus. Per hæc tamen nostris, ac Ecclesiarum provinciæ nostræ privilegiis, ac legitimis consuetudinibus, & præsertim mori, ac consuetudini, quæ in aliquibus Ecclesiis est (nempe, ut causæ disciplinæ per Diaconos dijudicentur) nihil præjudicamus, modò tamen Diaconi, ad requisitionem Decani, suo officio gnaviter, ac strenuè incumbant, ac satisfaciant. Quod si decanus, & Capitulum negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint, ad juris communis dispositionem redire necesse erit. D E

1. g.5. 118. 53. r.9. im.5. th.6. Concil. t.c.2. im.5. heß.5. oc.Pap. Greg ad tth. .ca.illa qu.3.

Qui sunt legitimi parochi, & illorum vicarii, modò tamen hi examinati prius, & admissi sint.

ORdinarii ergo verbi ministri, Ecclesiarum parochialium legitimi rectores, ac parochi sunto, quos etiam personaliter apud easdem Ecclesias, secundum canonicas sanctiones perpetuò residere volumus, nisi tamen eos magna ratio, veluti quod vel majoris, ac publicæ utilitatis causa absint, quæ & nostro calculo approbari debet, vel quod soli ob parochiæ amplitudinem gubernationi tantæ non sufficiant, excusaverit. Tunc enim, qui per illos delegabuntur, vicarii, seu vicecurati (modò tamen examinati, & tàm quod ad vitæ integritatem, quàm Christianæ eruditionis puritatem, & zelum attinet, idonei reperti fuerint) nostro permissu eodem officio perfungentur. Qui verò deinceps in vicecuratos assumentur, Vicarii nostri in Pontificalibus, ac Theologorum ei per nos adjungendorum, in diœcesibus verò Suffraganeorum nostrorum, illorum, quibus hoc muneris committendum duxerint, censuram (num videlicet obeundo muneri apti, seu idonei sint, vel minus) expectabunt. *Ca. licèt is etiam de ele.lib.6.*

Fratres Mendicantes quatenus admittendi.

ALiquot retro sæculis in Ecclesiam recepti sunt quatuor mendicantium fratrum ordines, quo parochorum in verbi ministerio cooperarii forent. Quos absit, ut repellamus, si tamen intra Concilii Viennensis sub Clemente quinto celebrati, aliarumque canonicarum constitutionum cancellos se continuerint. Nec ante accesserint, quàm per ipsorum prælatos, ut viri inculpatæ vitæ, discreti pariter, ac modesti, ac verbi divini probè gnari, judicentur, atque ad hoc munus deligantur. Deinde etiam vicariis nostris in Pontificalibus præsentati, tales inventi fuerint, ac permissi. *Ex Concil. Vienn. cle. dudum de sepult.*

Quàm modestiam fratres Mendicantes in Verbi prædicatione servare oporteat.

QUi tamen, cùm in subsidium tantum vocati sint, ordinariis Ecclesiarum rectoribus molesti esse desinent, ita videlicet, ne eosdem (cùm suo munere fungi ipsimet velint) præoccupent, neve, quos in excolenda vinea Domini juvare debent in concionibus, virulenta, ac detractoria lingua carpant, uti nonnulli hujus generis solent, qui inflati, ac incompositi, populi auribus demulcendis student, suam, non Christi gloriam ambientes. Tàm ignari omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, ut ignorent parochos, si fortè ceciderint, suos habere judices, non ipsos fratres censores, multò minus promiscuam plebem, quàm exploratum est, mutuis Ecclesiasticorum virorum amarulentis detractionibus, adeò non emendari, ut scandalizetur multò magis. Nec audiendi sunt isti, si servos Dei accusare se dicant, ut meliores fiant, cùm potius invidiæ stimulis, adulationisque, quàm charitatis studio agitati convincantur. Idipsum vel propria eorum conscientia attestante, quod sciant nullum vel in sæculo, ne dicamus in eorum monasteriis inveniri, qui velit suum servum ab alio, quàm à se judicari, adeò ut si quis secus facere præsumpserit, hunc & multa sequatur indignatio, & ulciscendi cupiditas. Quin Paulum audiant dicentem. *Nolite judicare invicem, sed hoc judicate magis, ne offendiculum detis fratri.* *Ex decret. Pôtian.pôt.* *Ex decret. Anaclet.* *Rom.4.*

Non ferendi, qui in jurisdictiones, & potestates temerè ad plebem invehuntur.

MUltò minus ferendi sunt, qui, ut auram venentur popularem, in jurisdictiones Episcopales, ac

ac ordines Ecclesiasticorum pariter, & civilium magistratuum invehentes, temerè vociferantur ad populum, non intelligentes interdum neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Quo nihil aliud efficiunt, quàm ut plebem, alioqui satis in clerum irritatam, irritatiorem reddant, ac gliscenti seditionum igni oleum subministrent. Jurisdictiones, ac magistratus esse oportet. Quod interdum personarum, non ordinis, seu magistratus vitio peccatur, alia providentia purgandum est, non cæco plebis judicio expendendum: fraterna correptione opus erat, non accusatione, aut laceratione ex suggestis. Et ut omnia non statim ad vivum usque repurgentur, quod fieri vix potest, non gravabuntur isti oculati, in se quoque descendere, ac suos erratus inspicere, quo tandem æquiores fiant, divinisque judiciis etiam quædam relinquant. Si enim omnia (ut scitè Anacletus ait) in hoc sæculo vindicata essent, locum divina judicia non haberent. Sed de his satis.

1. Tim. 1. Matth. 18. Ex can. Anaclet.

Qui nulla legitima authoritate innixi, se Verbi ministerio ingerunt, uti seditiosi comprimendi.

Ex concil. Antioch. ca. 5.

EXtraordinarios parochos, illorumque legitimos cooperarios, nemo deinceps, neque suggestum occupet, neque conventicula, vel in privatis domibus, vel vicis faciat, aut quovis tandem modo usurpet. Quod si quis secus agere præsumpserit, & inobediens perturbare Ecclesiam Dei (quæ foris est) perseveraverit, hunc tanquam seditiosum corripi oporteat.

Vita ut doctrinæ in parocho conveniat, necessarium.

UBique fermè, cùm de parochis sermo incidit, scriptura vitam doctrinæ copulat, nimirum, quod qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo destruit, quàm ædificet verbo. Oportet enim & fieri sermonem, non tantùm dici: alioquin competet in parochum, quod Seneca Platoni objectum fuisse refert, aliter loqueris, aliter vivis. Et quod Christus Pharisæis imputat: *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Apponatur ergo manus ori necesse est, ne sit vox quidem, vox Jacob, manus autem Esau. Porrò vox operum fortius sonat, quàm verborum. Intuendus nobis pastorum princeps est, cujus tota vita sua doctrina est, qui cœpit primum facere, post docere. Siquidem, potens opere, & sermone, qui discipulos Joannis de adventu Messiæ rogantes, ad opera remisit, dicens: *Ite, dicite Joanni, quæ vidistis, & audistis.* Qui denique non solùm vocat oves suas nominatim, sed & vadit ante eas. Et eum tantùm, qui sic docuerit, & fecerit, magnum in regno cœlorum forè pollicetur.

Matth. 23. Gen. 27. 1. Pet. 2. Act. 1. Luc 24. Mat. 1. 11. Jo. Matth. 5.

Pastores, gregis exemplum esse oportere.

QUare beatissimus Paulus Ecclesiæ ministrum instituturus: *Exemplum* (inquit) *esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Itidem ad Titum 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Sal enim terræ, & lux mundi prædicator Euangelii dicitur, & lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt: Sic, ut videant homines opera illius bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est. *Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum enim valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Apostolus itaque hoc præceptum commendat Timotheo, ut militet bonam militiam, habens non tantùm fidem, sed & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt, ex quibus

1. Tit. 2. Matth. 5. 1. Tim. 1.

A tùm erant Hymenæus, & Alexander, quos tradidit Satanæ, ut discant non blasphemare. Intereà verò ex eodem numero omnes hæretici fuere.

Vitanda Parocho in primis avaritia.

JAm quæ clericis vitanda erunt, supra diximus. Ea ipsa potissimum Paulus quàm longissimè à parochis esse vult, & quæ illis opposita sunt, in ipsis quàm maximè elucere. Primum scilicet, ut abstineant ab omni avaritia. Hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, sed animas venantes, non auri, sed hominum piscatores, alioqui ex pastoribus fient mercenarii, & vertentur in lupos, audientque Dominum per Ezechielem exprobrantem: B *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum erat, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsivistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*, & cætera, quæ sequuntur. *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix quippe omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu verò, ò homo Dei, hæc fuge, sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, & mansuetudinem.* C

1. Ti. Matth. Ezech. 1. Tim.

Quid Parocho meditandum.

MEditabitur parochus, quid ipsi Dominus per Ezechielem cap. 33. ac 34. præceperit, parabolaque speculatoris menti infigenda est: *Speculatorem* (inquit) *dedi te domui Israel. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Parochi siquidem sunt, quibus potissimum dictum est: *Fratres, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte.* Dura est D nimis illa Prophetæ lamentatio: *Parvuli petierunt panem, & nemo dabat eis.* Pasce ergo fame morientem, si non paveris, occidisti. At homo ex duabus partibus constat, ex carne scilicet, & spiritu. Duplici ergo cibo opus est. Nam, ut scriptura ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Cibus exterior carnem tantùm mortalem reficit, & intrans per os in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Panis autem spiritus tàm per verbum prædicationis, quàm sacramentaliter in veritate Corporis, & Sanguinis Dominici, in viva fide comestus, vivificat, reficit, ac vegetat animam, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, & hunc qui ederit, non morietur in æternum. Id, quod omnes E pii sciunt, ac sentiunt. Vivus enim sermo Dei est, & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, ac pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagumque, & medullarum.

Jacob. Matth. Heb. 4.

Quis sit fidelis verbi dispensator.

IS autem fidelis est dispensator (attestante divinissimo Joanne) cujus scopus unicus illi Christus est, & cujus spiritus confitetur Christum in carne venisse, id est, ut divus Paulus interpretatur, qui docet apparuisse gratiam Dei, & Salvatoris nostri, omnibus hominibus ad erudiendum nos, ut abnegantes omnem impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè

1. Joan.

piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Qui, inquam, docet eundem Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum hominem factum, ut daret ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Quibus verbis ſanctus Paulus duas in Chriſto naturas, verbi ſcilicet, & carnis, indiſſolubili vinculo cohærentes, & utriuſque naturæ rationem complectitur. Verbi, quatenus erudit nos, docens quæ ſit voluntas Patris, quam facientibus denunciat præmium, prævaricantibus verò pœnam æternam. Carnis verò, quatenus datus, & immolatus eſt pro nobis in ara crucis. (Petr. 2.) Agnus immaculatus, & victima tollens peccata mundi, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, & eadem cogitatione armemur, quia, qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne temporis vivamus. Omnis autem ſpiritus, (an.4.) qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & jam in mundo eſt.

Summa Euangelicæ prædicationis.

(ch. 18.) EZechiel verò Propheta ſummam ſuæ prædicationis Dominum enarrantem facit, hiſce pene verbis: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur impius, & vivat. Juſtitia juſti non liberabit eum, in quacunque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Quare qui egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum, vita vivet, & non morietur, quod Chriſtus brevius complexus eſt: (th. 3.) *Pœnitentiam (inquit) agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Sed de his aliàs locupletius. Suffecerit hic utcunque indicaſſe ſcopum.

Parocho cautiſſima ſolicitudine in prædicatione verbi utendum.

QUo autem ſolicitius parochus provinciam, cui admotus eſt, gubernare ſatagat, haud exiſtimabit ſe alicui levi muneri, ſed omnium graviſſimo, ac difficillimo præfectum, tantæ nimirum difficultatis, ut verbi prædicatorem undequaque abſolutum, vix unum è millibus reperias. Non idem eſt ovium palatum, magna in paſcendis varietas, quod unam oviculam nutrit, alteram macerat, aut mactat. Culpaverit aliquis avaros: prodigus hinc argumentum prodigalitatis ſuæ colliget. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacitatis ſuæ excuſationem arripiet. Ea eſt hominum malitia, ut nedum alia, ſed & ſanctiſſimum Dei (.140.) verbum pro ſuis quiſque affectibus, ac ad ſua deſideria confovenda potius, quàm eradicanda trahat. Videmus, proh dolor, quemadmodum hac tempeſtate plerique ſacras literas in parabolam, ac proverbium vertant, atque ad excuſandas excuſationes in peccatis ſumma vi, atque impudentia torqueant, adulterantes verbum Dei. Quare parochus cautiſſima ſolicitudine agere debet, per gladium Dei ſecantem à dextris, & ſiniſtris, ut medium iter pateat ad incedendum per viam regiam mandatorum Dei.

Prima pœnitentiæ pars, contritio, in ſuggeſto ſemper pertractanda.

(.6.) PRima pœnitentiæ pars, quum omnis Euangelicæ prædicationis exordium ſit, nunquam non eſt in ſuggeſto pertractanda. Hac enim confugitur ab ira Dei ad miſericordiam, hac convertimur ab operibus mortuis ad Deum viventem, hac ſubducimur à peccati, ac diaboli laqueis, ac concorporamur Chriſto.

A Unde à pœnitentia præcurſor Joannes, deinde Chriſtus ipſe, ac princeps Apoſtolorum Petrus prædicationis Euangelicæ doctrinam ſunt exorſi. (Matth 3. Act. 6.) Pœnitentia autem tùm rectè prædicatur, quum arguuntur ſcelera, ac flagitia per verbum Dei, & incutitur populo timor (Rom. 2.) iræ, indignationiſque, ac juſti judicii Dei, certò certius manentis eos, qui malè agunt, ac malè agendo perſeverant. Subinde verò vino oleum miſcendum eſt, ut ex animo, vereque territis, ac converſis promittatur gratia, ac miſericordia. Ad eum modum Paulus ad Epheſios ſcribens: *Hoc* (inquit) *ſcitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat innanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* (Ephe. 5.) B *Nolite ergo effici participes eorum.* Et iterum ad Galatas: (Galat. 5.) *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, iræ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Neminem non ad pœnitentiam invitari.

JAm, quanquam nemo convertatur ad Dominum (Joan. 6.) niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur, quod ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per inter- (Gratiæ ſufficiens.) C num, & externum verbum, commonens, ut convertamur à via noſtra peſſima, & inclamans quoniam ira, indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Hic concuſſis conſcientiis commoſtrandus eſt Samaritanus ille, qui infundit vinum, & oleum, qui ſanat omnes contritos, & alligat omnes contritiones eorum. *Filioli miei* (inquit diviniſſimus Joannes) *hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed, & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem,* (1. Joan. 2.) *Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed & pro totius mundi.* Hæc eſt doctrina, quæ docet mori mundo, & vivere Chriſto.

D *Presbyter, qui à confeſſionibus eſt, qualis eſſe debeat.*

DE confeſſione, & quotuplex ſit, alibi dicemus. Tantum, quod ad eam, quæ ſacerdoti privatim ſit, attinet, paucis admonebimus. Primum magnopere neceſſarium judicamus, ut ſacerdos, qui à confeſſionibus eſt, ſit integer, eruditus, ac ſilentii tenax, alioqui ſi ad quæſtum intentus ſit, ſi ad malum ſolicitet, ſi curioſior explorator ſit, ſi pertinacibus blandiatur, ſi intricatam conſcientiam extricare neſciat, ſi denique vel ebrioſus, vel iracundus, vel levis, vel ſecreti minimè tenax, diſſipandis magis, quàm paſcendis ovibus videbitur idoneus.

Quid confitentem docebit Presbyter confeſſarius.

E IN primis autem qui huic muneri intentus eſt, docebit confitentem, ne ambiguis, ac perplexis ſermonibus ſe remoretur, & percontando cogatur velut expiſcari crimina (quod ſæpenumero periculoſum eſt) ſed (Roma. 14.) ſimpliciter, tanquam coram Deo aperiat lethalia crimina, & quæ conſcientiam onerant, ac lædunt, quod ea, quæ contra conſcientiam aguntur, ædificent ad gehennam. Atque ibi maximè opus eſt ſacerdote judice, diſcernente inter lepram, & non lepram.

Reme-

Remedium pro ratione morbi adhibendum.

1. Thess. 5. QUod omnibus Christianis præcepit Paulus, dicens, *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*: Hoc eum, qui à confessionibus est, maximè convenit observare, nimirum ut consolando erigat pusillanimes per immensam Dei misericordiam, præfractos autem objurget, tremendumque Dei judicium ante oculos ponat. Denique uti prudentissimus medicus, pro morbi qualitate temperabit medicinam, obfuturus magis, quàm profuturus, si putaverit uno collyrio omnium mederi morbis. Monendi ergo qui confitentur, singuli secundum ordinem, statum, ac ætatem, atque id per locos quosdam communes ex scriptura depromptos, quos in numerato habere debet parochus.

Nimis anxii, quomodo tranquillandi.

QUi nimis anxii sunt in repetenda confessione, vel iteranda apud alium sacerdotem, vel etiam in enumerandis circumstantiis, quales sunt quidam, qui quantumvis confitendo, conscientiam tamen vix tranquillare possunt, docendi erunt, Deum (cui omnia patent) synceritatem tantum cordis à nobis requirere, nec tàm severum esse exactorem, qui conscientiam ob unam, vel ob aliam delicti circunstantiam, inter confitendum non dedita opera neglectam, perpetuo turbatam esse velit. Nam quis omnes
Psal. 18. erratus suos enumeraverit? quemadmodum David ait: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine*.

Moderatio in casibus reservatis.

IN occultis delictis ex reservatione casuum compertum habemus, nonnihil mali interdum accidere, vel quod peccator non habens in promptu sacerdotem, qui illum absolvat, confiteri vel differt, vel contemnit, vel quod, qui minores ætate sunt, vel mulieres, difficilè adducantur, ut ex suis parochis non sine levi suspicione ad nos, seu commissarios nostros proficiscantur. Quare ut consulamus & verecundiæ, & famæ, visum nobis est hanc potestatem nostram absolvendi à peccatis, & casibus nostræ absolutioni reservatis (occultis tamen) omnibus parochis per diœcesim nostram constitutis ritè vocatis delegare, modo tamen Vicariorum nostrorum in pontificalibus consilium requirant, ac adhibeant, nostris tamen suffraganeis potestatem facientes, aliter in diœcesibus suis, uti consultius videbitur, super hac re ordinandi.

Publicæ pœnitentiæ usus in Ecclesiam revocandus.

IN publicis verò criminibus, quemadmodum necesse est, ita jubemus ad canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi, atque adeo ad Christi, & sui discipuli Pauli institutum reverti, qui ad Corinthios exemplo ostendit, quomodo oporteat Ecclesiam in publicè peccantem animadvertere, donec ipsi publicè peracta pœnitentia satisfecerit de quo fusius dicemus sub titulo, de jurisdictione Ecclesiastica contentiosa.

Concilium Tridentinum generale XXI. inchoatū an. 1554. habetur in 3. classe. *Alia sunt plura decreta, ut librum integrum efficiant, ideo omittimus. Ea porro decreta Sleidanus lib. 10. elevare contendit: nimirum hæretico, quæ Catholica sunt, non possunt non ingrata esse. Extat autem Card. Sadoleti epistola ad Hermānum, qua hoc Concilium valde laudat, desiderasse tamen se ait, quod nullam mentionem Purgatorii faceret in explicatione tertii membri pœnitentiæ, apud Spondanum anno 1536.*

Concilium Coloniense II. Sub Adolpho Archiepiscopo pro reformatione disciplinæ anno Domini 1549. tempore Pauli Papæ III. & Caroli V. Imperatoris.

Adolphus Dei Gratiæ Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Vvestphaliæ, & Angariæ Dux, Legatusque natus, &c.

UNiversis, ad quos legatione pro Domino fungimur, gratia, & pax à Deo, qui dives est in misericordia, & propè adest omnibus invocantibus eum in veritate. Qui postquam nos, licèt indignos, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, ac Provinciæ, procellosa tempestate graviter jactatæ, atque afflictæ gubernaculis admovit, huc continuò animum, omneque studium nostrum sua inspiratione convertit, quo diœcesim illam ab hæresum inundatione, quæ pravorum hominum studiis jam plus nimio invaluerant, repurgare, schismataque, quibus miserè, atque adeo ut in ea jam actum de fide Catholica potuerit videri, discerpebatur, tollere, & oves nobis creditas in unum ovile Christo colligere, pro virili adniteremur. Eaque de causa in primis lupos, pro boni Pastoris officio, ab ovili dominico abigere, & omnis mali originem, concionatores sectarios, perniciosos illos hominum seductores, ditione nostra protinus, quanquam non sine difficultate, ejicere sategimus, substitutis Catholicis, & incorruptis verbi Dei concionatoribus in eorum locum. Qua ratione plurimum quidem profecimus. Etenim progressum hujus cancri hoc impetu sumus remorati, & Catholicis aperuimus fenestram rursus respirandi. Non tamen hæ scopæ purgamentis istis sufficiebant penitus everrendis: Jam enim hæreseos malum altius, quæ est ejus natura, fixerat radices, quàm ut potuerit una falce semel demeti: ac hærebat in mentibus, ac penetralibus hominum: unde neque vi extrahi, neque persuasiône suffodi, aut sensim ratione, tanquam cauterio pungi, atque curari se pateretur.

Durabant quoque abusus, & mores corrupti, quibus Ecclesiastici ordinis pars maxima dedita, infirmis erat offendiculo, & ut malè de religione laici sentirent, causa, ut verè quadraret in eos, quod in Euangelio Dominus dicit: *Væ vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiæ, & ipsi non introistis, & eo, qui introibant, prohibuistis*. Luc. 11

Plurimum autem nobis erat fiduciæ in Concilio Tridentino, quod feliciter inchoatum, ac sessionibus aliquot habitis, celebre jam factum, accessu omnium imperii ordinum, qui se reverenter ei summiserant potentissimum, & saluberrimum fore credebatur, cujus progressu sperabamus nancisci opem, & vires justas, quæ erroribus istis, & vitiis radicitus extirpandis sufficerent, ejusque authoritate, quæ apud omnes maxima est, sublatum iri, non in nostra modo diœcesi, & provincia, verum etiam toto orbe Christiano, quidquid uspiam irrepsit malorum, & Ecclesiam Christi pristinum suum nitorem, concordia, atque unitate redintegrata, recuperaturam.

Quæ spes quum inexpectata contentione inter Patres de transferenda Concilii sede suscitata, nobis pene eriperetur, atque in longum tempus extraheretur, non sine metu graviorum perturbationum in repub. Christiana: En omnibus nobis, hoc est Ecclesiastici ordinis statibus consternatis, atque in metu constitutis adfuit ejus, qui conatibus religiosis, & piis nunquam deest, Dei, à quo est omne bonum, consolatio. Enim verò misericordiam Pater Deus, qui nuper dedit fortissimo, invictissimo, felicissimoque religionis Orthodoxæ propugnatori Carolo Imperatori nostro de cœlo victoriam, ut hostium validissimorum vires, & consilia, non tàm viribus, quàm Conciliis melio-

melioribus frangeret, & imperio suo non multo fuso sanguine, cogeret parere: cuique, quod mirandum magis est, dedit victoria parta modestè, ac clementer uti, ut rebelles filios castigasse potius more boni Patris, quàm bello petivisse videatur: ejus nunc animum impulit, ut ad catholicæ fidei, paternarumque traditionum restitutionem omnia consilia, omniaque studia sua converteret. Hinc, quod vix quisquam mortalium sperasset futurum, egit cum eis, ut protestatione, fœderibusque, & contentionibus positis, duobus tantum articulis ad Concilii definitionem rejectis, doctrinam Catholicam, traditiones, & ceremonias Ecclesiasticas, Concionatorum bona parte, unde pendere solebant, reclamante, receperint. Quos cum Deo, & Ecclesiæ quantum in se erat, Imperator piissimus lucrifecisset, atque in plenioris unionis, ac concordiæ spem adduxisset, necesse erat, ut firmioris illius, ac solidæ spei offendicula quoque tollerentur.

Quamobrem animum appulit & ad cleri corruptos mores reformandos, quo benefactis suis obmutescere faceret, ut Apostolus Petrus ait, imprudentium hominum ignorantiam, & qui capere clerum tanquam malefactores solebant, conspectis bonis eorum operibus glorificent Deum in die visitationis. Deditque negocium quibusdam Theologis piis, eruditis, & Deum timentibus, qui formulam aliquam piam, ad quam reformatio cleri videretur instituenda; juxta sacræ scripturæ normam, antiquos Patrum Canones, & rectæ rationis judicium, conciperent. Hanc Cæsar acceptam tradidit universis Ecclesiastici ordinis statibus diligenter expendendam, qui annotarent, dicerentque, quid qua ratione repudiandum sibi putarent, quidque recipiendum. Multis igitur consultationibus, ac deliberationibus privatim, & communiter habitis, quibusdam in formula expunctis, aliis mutatis, vel additis, tandem communi consensu eam probarunt: Cæsareæque majestati, ut se reformarent, instanti, polliciti sunt sese ipsos, suosque subditos, ad illam velle componere, ac reformare, salva summi Pontificis authoritate, quæ eis, ut in articulis quibusdam accederet, necessarium arbitrabantur id, quod in præfatione, quam Cæsarea M. formulæ huic præfixit, clarius est videre.

Nos itaque considerantes nostri muneris etiam alias esse, ut vigilemus super gregem nostrum, ut infirmum consolidemus, ægrotum sanemus, confractum alligemus, abjectum reducamus, & perditas oves quæramus, nisi velimus æternæ maledictionis illud væ, quod apud Ezechielem Dominus Pastoribus malis, & negligentibus comminatur, certissimo judicio incurrere, tàm præclaram rerum benè, & sanctè gerendarum occasionem nequaquam duximus negligendam.

Proinde ad Diœcesim, & Provinciam nostram reversi, primo omnium indiximus clero nostro Synodum Diœcesanam, quam & ad eum modum, quem reformationis formula præscribit, propitio Deo celebravimus: in qua publicatam, & ab universis imperii statibus Ecclesiasticis comprobatam, receptamque reformationem clero nostro injunximus servandam. Transmisimus quoque eam ad reverendos Comprovinciales Episcopos nostros suffraganeos, & fratres, similiter in eorum diœcesibus publicandam, & clero injungendam: quod ipsos sedulo curasse, ex gestis, & statutis Synodorum, quas ipsi quoque celebrarunt, nobis oblatis, & legatorum eorum fida relatione cognovimus.

Verùm negotium istud majus erat, quàm ut pateretur se unico impulsu moveri, & morbus inveteratus levi medicamini non cedit: Unde hac ratione vix quidquam aliud promotum est, quàm ut sciret quisque, quod alioqui nemo ignorabat, quomodo sibi vivendum esset piè, ac canonicè. Contingit enim fere mortalibus, quod poeta quidam ait: Video meliora, proboque, deteriora sequor. Unde est illa Ap. Pauli confessio de lege mentis, & membrorum. Etenim cum legi Dei condelectemur secundum interiorem homi-

A nem, & eam bonam, ac sanctam esse confiteamur, est tamen in nobis torpor quidam membrorum, spiritui, ac menti repugnans, ut non perficiamus, quæ volumus.

Proinde non erat nobis hìc quiescendum, quasi jam satisfecerimus: sed ulterius de modo erat cogitandum, quo ad efficacem reformationis executionem possemus pertingere. Siquidem inutilis est quantumvis bona Ecclesiastici ordinis instituta Reformatio, quam nemo exequatur: quemadmodum & lex bona, contra quam liceat cuilibet impunè peccare, jacet inutilis. Multi sunt antiquorum Patrum Canones saluberrimi: atque est illorum utilitas, quos pauci norunt, pauciores servant? Quamobrem vestigiis majorum nostrorum insistentes, qui in rebus magnis cogere solebant Comprovincialium Episcoporum conventus, Reverendis Comprovin-
B cialibus Episcopis, confratribus nostris, totique clero nostro indiximus Concilium Provinciale, in quo de rebus ad efficacem, & durabilem reformationis executionem constituendam pertinentibus, ac necessariis, communibus consiliis tractaretur, ac statueretur. Qui cum ipsi ad constitutum undecimum Martii diem Concilii locum ob adversam valetudinem adire non potuissent, misere summæ authoritatis in clero suo, & præstantis eruditionis legatos, qui eorum loco, & nomine Concilio interessent, & de rebus tractandis nobiscum agerent, tractarent, ac consulerent in commune.

Multis itaque deliberationibus, ac consultationibus cum Capitulo nostro, & Legatis illis, ac clero nostro, à jam dicta undecima Martii die ad sextam usque Aprilis, quotidie habitis, tandem apparuit, propterea quod ri-
C gor antiquorum Canonum statim revocari in usum absque motu graviori hac tempestate non possit, ad media quædam, sacris tamen Canonibus consentanea, quibus clerus, & populus ad pleniorem reformationem sensim perduceretur, esse confugiendum; visaque nobis sunt plurimum momenti ad durabilem, & efficacem Reformationis executionem comparandam allatura media sex, nempe.

1 *Instaurationem studiorum, potissimum sacrorum.*
2 *Examen ordinandorum, ad ministeria, vel prælaturas instituendorum.* *Sex media ad reformandam Ecclesiam.*
3 *Officiorum, seu munerum susceptorum sedulam perfunctionem.*
D 4 *Visitationem Archiepiscopalem, Episcopalem, Archidiaconalem, & eorum, quibus hoc incumbit.*
5 *Synodorum frequentem celebrationem.*
6 *Jurisdictionis Ecclesiasticæ jam propemodum collapsæ, & abusu depravatæ, restitutionem.*

PRimum quidem instaurationem studiorum, quoad ea, quæ Reformatio, & Ecclesiæ necessitas exigit, nemo præstiterit melius, quàm scripturarum sacrarum, canonum, & munerum Ecclesiasticorum peritus. Sive enim regere Ecclesias, & docere populum, sive hæreticos convincere, & scripturarum aperire mysteria, sive sacramenta conficere, eaque administrare, sive examinare ex ordine Ecclesiæ ministros, sive visitare diœceses, aut Synodos celebrare, vel judicia Ecclesiastica exercere oporteat, scientia opus est: alioqui, ut inquit in Euan-
E gelio Christus, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.

Quo etiam modo Esaias indoctos Ecclesiæ Prælatos cæcos, & mutos appellat: Speculatores ejus, inquit, cæci, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare. Non valentes, inquit, etiam si cupiant, latrare, hoc est officia sua exequi; & subdit: videntes vana, dormientes, & amantes somnia sua: Canes imprudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, propterea omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum, dicentes: Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius, quibus verbis Propheta significat non postremam vitiorum in populo

pulo Dei causam esse ignorantiam pastorum.

Et jam magna religionis Orthodoxæ jactura, Christianæque Reipub. irrecuperabili fraude, experti per hanc tot hæresum, & seditionum tempestatem sumus, quantam Ecclesiæ Christi perniciem adferat prælatorum, & cleri ignorantia, quibus Scripturas divinas negligentibus, sutores, textores, calcearii, & id genus opifices, nemine prohibente, quidlibet impune pro Euangelio docentes, irrepsere, & mira audacia etiam munera Ecclesiastica invasere: unde teterrima hæresum monstra suppullularunt, & sacra profanis, superis infra miscuerunt, & confuderunt.

Nec hoc modo, quin etiam studiorum sacrorum neglectus in causa est, cur tàm innumeræ, eædemque locupletes Ecclesiæ, per Germaniam ministris idoneis, ac possessoribus careant, etiam nunc cum restituuntur: neque enim desunt benè mereri de Ecclesiis cupientes, sed potentes desunt, & idonei, nempe, literarum periti, qui Ecclesiasticis muneribus perfungi queant, earumque hoc nomine possidere bona. Neque enim ad Ecclesiarum munera, & bona prosiliunt Catholici, sicut hæretici, aut bonorum Ecclesiasticorum occupatores sacrilegi.

Percipitur autem scientia ad Ecclesiæ ædificationem necessaria in scholis, potissimum Theologorum, quas constat esse propria quædam seminaria ministrorum, & prælatorum Ecclesiæ. Quibus florentibus, floret Ecclesia doctoribus, & ministris: Neglectis, & contemptis, Ecclesia quoque ministris idoneis destituitur. Neque enim, ut olim in die Pentecostes repentino spiritus Sancti afflatu, aut velut fungi calore solis exciti prodeunt nobis passim Theologi subito, sed exercitiis longis, ejusdem tamen Spiritus unctione, formantur in scholis.

Quibus rationibus (cum stabilem reformationis executionem meditaremur) permoti, nostrarum esse partium putavimus, ut scholas Theologicas apud Universitates, Collegia, & Monasteria magna cura, cum primis Concilii hujus authoritate instauraremus: nec has modo, verum etiam ludos triviales, & pædagogia, unde non parum malorum per hanc tempestatem in Ecclesiam defluxit, repurgaremus. Quapropter habita cum Capitulo nostro, & Reverendorum Comprovincialium Episcoporum Legatis, ac synodalibus hujus Concilii Patribus, matura deliberatione, consentientibus, & astipulantibus eis omnibus, de studiorum instauratione statuimus, & ordinavimus in modum sequentem.

Quod ad instituendam juventutem non sint admittendi, nisi de fide, moribus, & institutione sua prius examinati.

PErcepimus sectarios quosdam concionatores à nuperrimis Comitiis, cathedris, quas invaserant, deturbatos, incertisque sedibus vagantes nunc magisteriis inhiare scholarum, & operam suam instituendæ juventuti passim venditare, ut quibus non datur amplius grassari publicè, & venena sua è cathedra spargere, teneræ ea juventuti instillent, quo cuniculis talibus Ecclesiam Christi suffodiant. Quippe quod è juventute qui olim regant Ecclesias, & gubernationi admoveantur rerumpublicarum, videntur fore potissimum ii, qui nunc dant operam literis. Quibus corruptis durabit hoc malum multo tempore, atque in multos transfundetur, ut verendum sit, ne si admittantur, qualescunque in ludis literariis præceptores, gravem inde, atque indelebilem accipiat Respub. Christiana corruptionem. Idcirco nos, quibus non minor adhibenda est cura, ne instituant illi malè juventutem in triviis, quam ne populum è suggestis corrumpant, communi omnium consensu statuimus, & ordinavimus: Neminem præceptioni trivialium studiorum admittendum esse, nisi qui sit de fide, & religione sua, de vita item, & moribus probe examinatus, & consti-

A terit, ubinam gentium, & apud quos sit ipse institutus. Neque enim parvi retulerit, à catholico, an à schismatico sit institutus, qui juventutem docturus est. Pertinebit autem examen præcipuè ad ordinarium, qui ordinet per diœcesim viros idoneos, quibus hoc negotii committat. Nec abs re fuerit, si examinentur quoque in civitatibus à Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, qui scholæ præsunt: ruri autem à pastoribus, & decanis ruralibus idoneis, & eruditis. Visitatores verò de facto examine inquirant: & si contra hanc formam sint aliqui admissi, rejiciantur. Præcipimusque, & mandamus Magistratibus, ædilibus, & provisoribus, qui scholas suis impensis erexerunt, ne propterea examen hujusmodi quovis modo impediant: alioqui censura Ecclesiastica, & aliis remediis opportunis coercendi.

B *Quæ artes in triviis, & quid in gymnasiis studiorum, seu Universitatibus doceri debeat.*

PAssim Ludimagistri ingenia juventutis, quæ primis literarum rudimentis, ac artibus minoribus expolienda susceperant, depravant præpostera docendi ratione quidlibet ad eruditionis suæ ostentationem, quibuslibet promittentes, & cum Encyclopædiam quandam omnium disciplinarum velut in summa comprehensam juvenibus polliceantur, non absque aliorum professorum elevatione, nihil tradunt absolutum, atque perfectum. Quare ingeniis eorum imponunt, qui tali accepto prægustu, continuo se abunde omnia tenere confidunt, studiaque graviora fastidiunt, & nunquam perveniunt ad frugem maturam: ex quibus officinis prodeunt nobis
C imperiti medici, hominum temerarii interemptores, & jurisperiti, omnia perturbantes, novarumque religionum authores gloriosi Theologastri, qui magna stoliditate non verentur velut à tripode Apollinis de dogmatibus Ecclesiasticis, & Religionis veritate pronuntiare, atque statuere, cum solidi nihil ferè de eis sint assecuti. Interest autem Ecclesiæ, quomodo Sacerdos, quem populus velut ducem sequitur, & à cujus ore (ut in Malachia dicitur) legem Dei requirit, sit institutus. Siquidem quantum ex Ecclesiarum Rectoribus, benè, ac gradatim divinis literis imbutis, boni, tantû à non rectè institutis, mali solet Ecclesiæ plerumque evenire. Quemadmodum & in Rep. de medicis, & jurisperitis res habet. Ea de causa triviis modum esse dandum censuimus, intra quem se
D contineant: statuimusque, ut in trivialibus nonnisi Grammatica, Poetica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, & quæ hujus generis sunt triviales, & liberales artes: Dominicis verò, & festis diebus, literalis Euangeliorum, & Epistolarum, Hymnorum, Psalmorum, Parabolarum Salomonis, & ejuscemodi sacrorum librorum expositio, pro ætatis illius, & ingenii captu, tradatur. Quanquam Dialecticè etiam requirit usum disputandi, quali exercentur studiosi in gymnasiis, sine quo ars ipsa ociosa est. Poterunt & linguarum rudimenta in trivialibus doceri. Cæterum exacta, atque absoluta artium, & linguarum cognitio, ratioque, & reliqua Philosophia: Physica item, & ars Medica, Jurisprudentia, & Theologia, seu Scriptura sacra, non nisi in probatis Academiis, & Catholicis universalium studiorum scholis expli-
E centur, doceantur, ac tradantur, nisi quod Theologia etiam in Monasteriis opulentioribus, & collegiis Canonicorum juxta reformationis formulam debeat doceri.

Qui libri parochis, & concionatoribus sunt vitandi, & fugiendi.

COmpertum nobis est, simplices, & indoctos Parochos, quibus non est datum pura ab impuris discernere, obvios quosque de negotiis religionis tractantes libros emere, & eos potissimum, qui speciosis titulis venditantur, quales sunt conciones adversariorum, & commentarii eorum in sacras Scripturas. Quamvis autem quidam eorum in speciem pietatis alicu-

alicubi præ se ferre videantur, habent tamen, quotquot sunt, latens sub melle venenum, unde incauti, & se contaminant ipsos, & auditores quoque: idcirco paterna sollicitudine pro grege nostro solliciti, ne pabulum mortis pro vitæ pabulo ei porrigatur, præcipimus omnibus fidelibus, quorum animæ curæ nostræ à Deo commissæ sunt, potissimum verbi Dei tractatoribus, sub anathemate, quod aliàs incurrant, ut sibi caveant, non modo ab his, quæ ex officina venerunt Lutheri, Buceri, Calvini, Oecolampadii, Bullingeri, Francisci Lamperti, & Philippi Melanchthonis, quos constat omnia sua scripta ad decipiendum, & seducendum homines à vera fide, edidisse: fugiant etiam Corvinum, Capitonem, Brencium, Pomeranum, Pellicanum, Musculum, Sarcerium, & Christophorum Hegendorphinum, Osiandrum, B Spangenbergium, Oldendorpium, Hermannum, Bonnum Hedionem, & ejus in Ecclesiasticam historiam pestilentissima supplementa, Chronicon Sebastiani Franck, & quidquid ejus est farinæ, donec pleniori catalogo libros contagiosos per hanc tempestatem editos eis indicaverimus.

De studiosis canonicis mittendis ad studia universitatum sumptibus collegiorum.

Statuimus, ut dent collegia (ideſt capitula) uni, duobus, vel tribus, ut multus, vel exiguus fuerit personarum numerus in Collegio, bonæ spei, ac studiosis adolescentibus, non minus quàm triennii tempus, quo possint in studio potissimum Theologico versari: in quo si C laudis aliquid obtineant, tempus eis prorogetur, atque interim percipiant integros præbendæ suæ fructus, quotidianis distributionibus acceptis, aut saltem quantum ad victum, & libros necessarios sufficiat.

De cautione, quam dare debeant mittendi ad universitates.

Cum formula reformationis exigat, ut juniores in gymnasiis alātur impensis collegiorū ad hoc, quod collegia claris, & doctis viris ornentur, ut huic menti satisfiat, & collegia non fraudentur expectatione sua, statuimus, & communi consensu decernimus, ut canonici, nondum in majoribus ordinibus constituti, poscentes hoc nomine, aut fructus integros, aut decreta D subsidia à collegiis, quæ pro more habent, ut de fructibus participent, etiam in minoribus constituti ordinibus, prius dent cautionem sufficientem, se non velle ordinem, & institutum Ecclesiasticum deserere, aut si mutato proposito forsan resiliant, tùm se velle, & debere fructus, perceptaque subsidia collegio illi integraliter solvere, ac restituere.

De altero medio ad consequendam Reformationis executionem necessario, quod est Examen Ordinandorum.

Deinde visum nobis fuit ad stabilem, & duraturam Ecclesiastici ordinis Reformationem comparandam, necessarium esse, ut initiandi sacris ordinibus ritè examinentur. Hi verò, qui ad Prælaturas, & regimen animarum assumuntur, novo, eidemque rigidiori E examini submittantur, propterea quod mortales omnes sequi suum Genium quotidie experiamur, & asinum manere asinum, etiam si exuviis leonis induatur: atque ita evenire, ut cum vitiis dediti homines assumuntur ad dignitates, & Prælaturas, vertant dignitates, & curas, non quo oportet, sed vel ad avaritiam implendam, vel ad ventrem saginandum, aut ad fastum, & pompam: quidam etiam, ut in luxu, & deliciis vivant. Quibus profectò rebus fit, ut plane in diversum abeant officia, & munera divinæ jussionis, nec fere ulla sit animarum, & rerum Ecclesiasticarum cura vera, sed imagines tantùm, & apparatus, nec seria benè

A institutæ Reformationis executio, sed major in dies morum, & doctrinæ corruptela. Quamobrem in primis statuimus, & ordinamus, ne quis ad sacrorum Ordinum perceptionem admittatur, nisi diligenter examinatus de fide, quam teneat, de affectu, quo ducatur ad petendos Ordines; de sciētia, quæ sufficiat ad Ordinis, quem petit, ministeria explenda, de moribus Ordinem decentibus, & ætate legitima.

Ad quos pertineat Examen.

Quoniam verò difficile erat, ubi sunt magnæ Ecclesiæ, & multi ordinandi, Episcopos, ad quos examinatio propriè pertinet, hoc negocii per se obire: olim ea cura in quibusdam Diœcesibus, in Scholasticos Cathedralium Ecclesiarum, in aliis verò in prælatos relegata est, quibus jam examinandi jus est quæsitum, & majora, quàm cæteris canonicis, stipendia ab Ecclesia decreta: verum quales nunc sunt plerique Scholastici, & illi, penes quos est examinandi potestas, jura quidem sua tuentur, nec tamen docent juventutem, nec examinant, officiumque, & curas alias aliis, non multo melioribus examinatoribus interdum delegant: quo fit, ut alio in alium hanc curam transferente, aut nullæ, aut perfunctoriæ, & admodum frigidæ fiant ordinandorum examinationes. Quem defectum supplere cupientes, & examen ad sua principia, hoc est ad Episcopos revocare, quibus ex lege divina incumbit, nemini cito manus imponere, matura deliberatione præhabita, declaramus, Episcopos non debere hujuscemodi examinationibus (quando non ignorant eas perfunctoriè factas) statim acquiescere, & inquisitionis specie, quam ex reliquiis antiqui moris retinent in altari, cum rogant, utrum sint digni, justi, & sancti, putare se satisfecisse, atque ita inutiles, & indignos homines, nonnunquam etiam sceleratos, ab aliis forte (quos ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, sacris illis ordinibus contra conscientiam propriam insignire. Eaque de causa requirimus Provinciæ nostræ Episcopos in Domino, ut vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, vel curam illam imponant viris piis, doctis, & de Ecclesiæ profectu sollicitis, quorum diligentia sit eis explorata, nisi certissimo experimento cognoverint Scholasticum, vel eum, ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui merito fidant, adhibuisse.

De formulis ad examinationem aptis.

Quoniam diversi ordines, officiorumque, & dignitatum gradus diversi, alias, atque alias requirunt in hominibus conditiones: & ratio præterea habenda est eorum religiosorum, qui perpetuo delitescere quærunt in suis Monasteriis, & ad nullas animarum curas evocari, sed tantum cupiunt Chori officiis in suis monasteriis adhiberi, sacrificiumq; pro Ecclesia in missis offerre, & monasticæ vitæ indulgere: visum fuit præsenti Concilio expedire, ut extarent formulæ, ad quas examinarentur ordinandi, secundum diversos suscipiendorum Ordinum gradus, & instituendi, & confirmandi secundum conditiones munerum, & officiorum, quibus adsciscūtur. Petentibus Suffraganeorum nostrorum comprovincialium Episcoporum legatis negocium tales formulas congerendi dabimus eruditis aliquot viris, qui non modò in literis sint exercitati, verum etiam cognitionem Ecclesiasticorum officiorum teneant, & conscribant in genere, quod communicetur eis omnibus pro locorum, & Ecclesiarum diversitate, in species aptas deducendum.

Formulæ de examine ordinandorum.

De institutis pleno jure à Prælatis, & aliis Ecclesiasticis.

Cum bonorum omnium testimonio magnus, & perniciosus sit abusus, quod Archiepiscopi, Episco-

Episcopi, Præpositi, Abbates, Prælati, & quibus in Clero est potestas conferendi beneficia Ecclesiastica pleno jure, conferunt Ecclesias parochiales absolutè, & simpliciter quibuslibet, interdum indignis, & ineptis hominibus inexploratis, nullo præcedente examine: & quod intolerabilius est, nonnunquam spuriis, nothis, pueris, aut servis indignis: Censuimus hanc rem totius Concilii nomine ad summum Pontificem deferendam, petendamque sedis illius provisionem, & declarationem, irritantem tales collationes, quas vocant pleno jure, nisi præcedat examen Episcopale, seu eorum, quos Episcopi ad hoc dabunt, & ut potestatem faciat Episcopis, ut quos non constaret à sua sanctitate, vel aliàs ritè examinatos, non teneantur, quavis licèt authoritate nitentes, ad possessiones Prælaturarum, vel Sacerdotiorum curam animarum habentium admittere, nisi examine diligenter excussos, atque probatos. Similiter, ne quenquam in ordine ab alio, quàm suo proprio Antistite, surreptitie, & nullo prævio examine suscepto, teneantur ad Ecclesiasticas functiones admittere, sed ab ordinis suscepti executione suspendere, donec exhibitis suæ promotionis literis, per examen debitum, & juxta Reformationis formulam factum, fuerit repertus idoneus.

De sæcularibus usurpantibus sibi potestatem pleno jure conferendi beneficia.

DE sæcularibus verò habentibus jus præsentandi aliquem ad beneficium Ecclesiasticum, sive Curatum, sive à cura liberum, qui contra regulas canonicas adnituntur pleno jure conferre, absque institutione canonica, aut præsentatum via facti intrudere: Decernimus cum toto Concilio, tales conatus irritos, ac nullos esse: & si qui tale quiddam facere tentaverint, hos ipsos facto jure præsentandi pro vice illa privatos esse: illum verò, qui beneficium tali titulo recipit, aut se ei intromittit, nihil per hoc juris acquirere, procul ab illius occupatione removeri debere, & per ordinarium in ejus locum surrogari alium: quin & jura decernunt utrumque, & intrudentem, & recipientem, anathemate feriendum esse.

De jure Patrono, cq. Tractatu.

De officiorum Perfunctione, Medio tertio, ad comparandam executionem Reformationis necessario.

NOn prodest ad Ecclesiæ ædificationem, Prælatos, & Pastores curam animarum habentes, fuisse diligenter examinatos, probatos, & legitima manuum impositione institutos, atque admissos, nisi præstent etiam officium, ad quod sunt vocati, & cujus gratia stipendia ab Ecclesia accipiunt: Idcirco pro consequenda Reformationis executione curandum esse censuimus, ut Ecclesiarum Prælati, & Pastores suo munere strenue perfungantur. Quod nisi fiat, jacent omnia, quæ reformatio exigit.

Quibus possint Archidiaconi munus suum committere.

JAm quod passim tàm indoctos, & inutiles sacerdotes videmus Ecclesiarum regimini præfectos, unde & mores boni corrumpuntur, & omnis disciplina populi labascit, quodque tàm turpiter in concubinatu, perpetua ebrietate, & aliis infamibus vitiis, unde & populus scandalizatur, quidam vivunt, Episcoporum negligentiæ, & Archidiaconis illis, qui quæstum avarum, ex officiorum, seu munerum suorum locatione faciunt, & malunt homines de salute æterna periclitari, quàm se lucro turpi, ac temporali non ditari, acceptum ferendum esse, fatentur omnes, quibus dolet animas hominum, quos sanguine suo Christus mercatus est, non pluris æstimari, & Cleri infamia populum scandalizari. Cui accusationi, & justæ querelæ mederi cupientes, sancimus, & statuimus, ut Episcopi, Archidiaconi, & omnes, qui functionem munerum suorum, non per se, sed per ministros, aut commissarios, seu collectores solent obire, vices suas non committant hominibus levibus, vitiosis, aut conjugatis: sed tantùm Ecclesiasticis, gravibus, & probatæ opinionis viris.

Quod non liceat relinquere peccata pro pecuniis impunita.

MAgno populi Christiani scandalo quidam, ad quos pertinet vitiorum correctio, relinquunt peccata ob pecunias, & munera impunita, non perpendentes pudendum esse crimen, crimina non coercere: nec quidquam esse, quod atrocius Episcopos, & Prælatos coram Deo accuset, quàm hujus rei neglectus, &c.

Ut Abbates à monasteriis suis non discedant.

MAndamus quoque, & præcipimus, ut Abbates quorumlibet Monasteriorum, non nisi intra Monasteriorum septa, cum fratribus habitent, nec moram longam extra ea trahant.

De restringenda plurimorum beneficiorum curam animarum habentium coacervatione.

CUpientes ex animo quantum in nobis est prohibere, ac tollere odiosum illud, & insatiabile (quod & Patrum canones detestantur) studium coacervandi multa beneficia curam animarum habentia, unde populus fidelis graviter scandalizatur, & optimorum quorumque animi à Clero alienantur, spoliantur Ecclesiæ debitis ministeriis, cessatio inducitur cultus divini, fundatores, quorum sacrosancta, & inviolabilis debebat haberi suprema voluntas, spe, & expectatione sua fraudantur: meliores, quibus beneficium aliquod Ecclesiæ certæ debetur, quique ministrare in eo, & cupiant, & possint, non absque injuria, & offensione Dei excluduntur, & ad studia prophana impelluntur, ubi Ecclesiæ poterant esse ornamento, donec Cæsarea Majestas provisionem meliorem adversus licentiam hanc à summo Pontifice impetret: id quod ab Ecclesiasticis Imperii Statibus rogatus, se recepit à sanctitate ejus eniti, atque efflagitare velle: Statuimus, & communi, maturaque deliberatione cum Concilio præhabita, quod justissimum est, & ad Ecclesiæ ædificationem pertinet, sancimus, ut beneficiatus quisque, si beneficia habet à Curis libera, aut unum curatum, aliud simplex satisfaciat officio, cujus gratia beneficium accipit, secundum Fundatorum intentionem, sacros canones, & Patrum decreta: & ab Ecclesia, ubi beneficium negligit, non participet. Etenim divini juris est, ut qui servit altari, de altari vivat: nec bono jure is, qui non servit altari, vivit de altari: sicut stipendium non debetur nisi militanti. Si verò Curatum habet beneficium, apud Ecclesiam, ubi beneficium habet, resideat, & officio satisfaciat, alioqui nihil percepturus: pertinebitque ad Episcopum, seu eos, quibus hoc juris competit, ut de præbendæ, seu beneficii fructibus ad Ecclesiæ illius utilitatem disponant: nisi Beneficiatus ille Ecclesiæ Dei utilius aliquod servitium interim impendat. Quod si quis juxta cap. De multa. De præben. qualificatus jam impetravit à sede Apostolica facultatem plura, quàm unum Beneficium retinendi, mandamus, ut hanc Episcopo suo, aut ejus Visitatoribus secundum dispositionem cap. Ordinarii De offi. Ordina. in 6. præsentet, atque exhibeat. Quæ si appareat sufficiens, curet Episcopus, ut beneficia debitis obsequiis non fraudentur. Alioqui beneficiatus, uno, quod maluerit, retento, reliqua liberè resignet,

gnet, aut dimittat viris idoneis, personaliter residere volentibus, absque præjudicio tamen præsentium, eligentium, & collatorum conferenda. Si verò dispensatum sit cum indigno, summo illud Pontifici curet Episcopus significare, ut digniori de Beneficio illo provideatur, per eos, quibus aliàs competit jus eligendi, conferendi, vel presentandi.

Ne cogantur Ecclesiarum Rectores opera servilia subire.

OMnino autem vetamus, ne ulla Collegia, Monasteria, vel habentes dignitates, locent Ecclesiarum suarum regimen cum agris, vineis, sylvis, pratis, & juribus, rectori plus offerenti sub annua pensione: tales enim coloni veriùs, quàm pastores, servilibus, & sordidis negotiis se dedere, & majorem temporalium, quàm spiritualium bonorum solicitudinem habere, dignamque animarum curam negligere solent. Possunt tamen colonis sæcularibus Ecclesiarum prædia sub annuo censu locari, emolumentaque pro utilitate Ecclesiarum commutari, vel vendi: quin etiam non vetamus, quin collegia, & monasteria possint Ecclesiæ rectori, bonorum ad ipsam Ecclesiam pertinentium, administrationem plenam committere, pro moderato censu, quem de prædiis pendat, sic tamen, ut ei supersit honestus, & sufficiens victus, ac vestitus: nec ad supremum censum adigatur, ut solent licitantes à plus offerentibus, pro quo corradendo cogatur se sordidis, & servilibus operibus mancipare, ac rusticus fieri, ut vix, aut ægrè ei supersit, unde nuditatem suam vestiat, & vitam miseram sustentet: quales multos, magno Ecclesiastici ordinis dedecore, in pagis videmus sacerdotes.

De quarto medio reformandi Ecclesiam per visitationem.

NOn aliàs sanè meliùs, quàm in visitatione deprehenduntur, corriguntur, & eradicantur errores, & vitia, quæ visitatoribus dormientibus seminantur, crescunt, & securum robur acquirunt. Sic in Euangelio dicitur: Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania, morum nimirum, & doctrinę corruptelam. Dormiunt prælati, qui non visitant: soli vigilant, & servant custodias noctis super gregem suum, qui mala, quæ metuuntur, visitatione pręcidunt. Et quoniam semper oportet eos in sibi commissas oves habere oculos intentos, speculatores appellantur: *Speculatorem*, inquit Propheta, *dedi te domui Israel*. Nec aliud est Episcopus, etiam ex nomine, quàm speculator. Hinc etiam Apostolus: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos*. Et universo, inquit, gregi, quòd visitationem requirit, ut Episcopus nemini desit. Quale exemplum dedit ipse de se Apostolus, non semper prædicans, sed visitans etiam suos, quos ad Christum converterat, ut exploraret, utrùm servarent doctrinas, & traditiones Apostolorum, & seniorum. Sic, habito Concilio Hierosolymitano, in quo Apostoli, & seniores statuerant, quonam pacto lex vetus sepeliri deberet, ait ad Barnabam Paulus: *Revertentes visitemus fratres per universas civitates, quo modo se habeant*. Qualium visitationum frequens mentio est in Actis Apostolorum, cap. 20. commemorat Episcopis Asiaticis labores suos, ac tandem contestatur eos in hæc verba: *Quapropter contestor vos hodierna die, quòd mundus sum à sanguine omnium: Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei*. Qua sanè contestatione pronunciat reos sanguinis omnium pereuntium animarum, Episcopos illos, qui oves suas non requirunt. Visitatione igitur opus est, cùm Archidiaconali, tùm Episcopali, atque Archiepiscopali, & eorum, quibus hoc muneris incumbit ad extirpandos errores, ac vitia, & mores bonos plantandos, eosque in usu, & vigore suo retinendos. Hactenus autem (quod negare non possumus) alto somno dormierunt Episcopi, de Archidiaconorum visitatione securi, qui speciem quandam visitationis retinuerunt, sed deformem, & pravorum officialium, seu visitatorum quæstu vitiosam, ac reprehensibilem. Nunquam profectò, quod nunc sero querimur, tot hæreses, & sectæ, moresque corrupti eousque invaluissent, nec jaceret adeo disciplina Ecclesiastica neglecta, si rectè visitatum ab Episcopis, & Archidiaconis, & iis, quibus hoc muneris incumbit, fuisset. Quapropter Archidiaconis quidem totius Concilii authoritate mandamus, & præcipimus, ut, abusu correcto, visitationem instituant ad formulam reformationis, nec quemquam sinant in vitiis, pecuniæ, vel munerum causa, hærere, juxta superiores nostras constitutiones sub pœna, quam Episcopi, vel superiores dignam judicaverint. Episcopos autem requirimus, ut frequentius per hoc triennium visitent suas diœceses, cùm ad exigendas hæresum, & schismatum reliquias, tùm verò ut Archidiaconales, & inferiores visitatores observent, atque in ordinem redigant. Nam nisi hoc fiat, verendum est inferiores visitatores suum morem retenturos.

De notario in visitatione adhibendo.

STatuimus ad hæc, ut visitatoribus adhibeatur Notarius, qui sit sacerdos, aut saltem clericus non conjugatus.

De visitatione exemptorum, & non exemptorum.

CAutum est in reformationis formula, ut à visitatione Episcopali nulla Ecclesia esset libera, seu exempta, propterea, ut opinamur, quod exempti multi ab institutis suis latè deflexerunt, & populum graviter irreligiosa vitæ conversatione, & moribus corruptis scandalizent: induceretur autem Ecclesiæ turpis facies, plurimaque in populo scandala nascerentur: si visitatis, ac reformatis non exemptis, exempti, quos oportebat esse potius reformatos, hæreant perpetuo in eodem luto. Verùm quum in hoc negocio deesset Episcopis summi Pontificis authoritas, Cæsarea Majestas recepit se velle cum summo Pontifice agere, ut operi huic tàm sancto sanctitas ejus se accommodaret. Quod ipsum utrum jam factum sit, necne, nondum ad nos pervenit. Idcirco statuimus interea, donec de hoc reddamur certiores, ut Episcopus quisque visitet omnes sibi subjectos non exemptos, licèt sint per Archidiaconos, aut alios prælatos visitati: Exemptis verò, ne quid in se patiantur Episcopi desiderari eorum, quæ Cæsarea Majestas serio requirit, suum visitandi studium, atque operam offerant, hoc periculoso præsertim tempore: Et nihilominus præsenti Concilio statuente, requirimus, & à reverendis coepiscopis nostris suffraganeis, in eorum diœcesibus requirendos censemus, omnes exemptorum prælatos, & visitatores, ut munus suum strenuè exequantur, reformentque subditos suos, juxta reformationis Cæsareanæ (quam sibi comparare quisque teneatur) formulam, & Cæsareæ Majestatis mentem. Qua in re si fuerint negligentes, & non cum effectu reformationem exequantur, tùm Episcoporum erit, ut negligentiam hanc aut summo Pontifici, aut Cæsareæ Majestati significent, quo prospiciatur eis de remedio opportuno.

De authoritate, qua oportet visitatores Episcopales præditos esse.

ERit quoque visitatoribus Episcopalibus opus flagello Evangelico, & Ecclesiastica coercendi potestate, ut vendentes, & ementes, scorta, nequitias, im-

imposturas, omnemque turpitudinem ex Ecclesia ejicere valeant. Proinde decernimus, ut Episcopi, & Prælati, mittentes aliquò, ubi ipsi fuerint negotiis aliis occupati, suos visitatores, instruant eos etiam authoritate, ac potestatate sufficienti, rebelles, ac criminosos per censuras Ecclesiasticas coercendi, & vitia, ut magna, vel parva fuerint, castigandi.

De formulis inquirendi in visitationibus.

QUanquam nulla certa inquirendi regula, ob rerum omnium instabilitatem, & diversos casus, qui subinde accidunt visitatoribus, potest præscribi, expedit tamen, extare formulas, ad quas pro diversa locorum, ordinum, & Ecclesiarum conditione, aliter, atque aliter inquisitionem suam illi instituant, & quibus submonitorii loco uti possint. Quæ si non inveniantur editæ, quo visitatores hoc onere levemus, dabimus piis, & eruditis aliquot viris negotium, tales formulas, etiam suffraganeis nostris Episcopis communicandas, colligendi, ac scribendi.

De sumptuum, & procurationum in visitatione exigendarum moderatione.

SEmper mansit extra controversiam, eos, qui visitantur, debere suis visitatoribus sumptus omnes, dicente Apostolo: Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat? Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Sed quoniam frigescente charitate, populus non ut olim benignè, & liberaliter succurrit Ecclesiarum necessitatibus, & gravibus insuper exactionibus Ecclesiæ per hanc tempestatem atteruntur, ne visitatio superveniens fiat onus importabile, & offensionem demus, ut Apostolus loquitur, Euangelio; Requirimus reverendos comprovinciales Episcopos, nostros suffraganeos, ut quando non per se, sed per commissarios visitabunt, non sinant visitandos supremis evectionum, ac procurationum juribus gravari, neque enim debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis; Præcipimusque, & mandamus universis, & singulis nostris inferioribus visitatoribus, ne superfluum famulitium in comitatum assumant, & victualium sumptu medіocri, pro sua decentia, sint contenti. De parochis verò, ubi tenues sunt redditus, & paucus est populus, ordinamus, ut visitandi vocentur ad vicinum aliquem illius Decanatus, seu regiunculæ locum, & moderatum tantummodo subsidium conferant in sumptus communes. Cæterum si pauperis cujusspiam parochiæ necessitas requirat visitationem personalem, cum hac visitatores agant benignè, & ad exemplum Apostoli Pauli, qui malebat manuum labore victum sibi, & suis quærere, quàm quemquam gravare, Ecclesiæ pauperi de suo, quod à locupletiori Ecclesia habent, serviant.

De Synodorum celebratione, medio Quinto ad reformationem exequendam necessario.

MAgno status Ecclesiastici, imò reip. Christianæ detrimento sero querimur, Synodos vel intermissas, vel non rectè hactenus fuisse celebratas. Quarum necessitas hinc intelligitur, quod ubi deficit visitatio, ubi officiorum non est cura, ubi examen, & studia bona jacuere neglecta, solæ restant Synodi, seu Conclia in nomine Christi congregata, idonea non tantùm ad bonorum morum plantationem, & extirpationem malorum, verum etiam ad mediorum, seu viarum, quibus ad istas pertingimus, restitutionem cum primis valentia. Siquidem in Synodis redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando, ubi ea, quæ in visitatione non dabatur exequi, executionem studiis communibus assequuntur, ubi de capite, & membris, de fide, & pietate, de religione, & cultu divino, de moribus, de disciplina, de obedientia, de judiciis, & rebus omnibus, ad benè, Christianèque vivendum commodis, vel necessariis, tractatur, atque statuitur, ut verissimè in reformationis formula dicatur; Salus Ecclesiæ, terror hostium ejus, & fidei catholicæ stabilimentum sunt synodi, quas etiam rectissimè corporis Ecclesiæ nervos diximus; Neglectis enim synodis, non aliter Ecclesiasticus ordo diffluit, quàm si corpus humanum nervis solvatur. Idcirco statuimus, ut synodus diœcesana quotannis bis, pro veteri quidem more, sed juxta Reformationis formulam religiosius, & meliori cum fructu celebretur. Suffecerit tamen in diœcesi Leodiensi, propter ejus latitudinem, & multitudinem Prælatorum semel quotannis rectè, & studio ferventi celebrare. Synodum verò provincialem volumus juxta Basileensis Concilii decretum, singulo quoque triennio cogi debere.

De sumptibus, quos in Synodis faciunt Decani Collegiorum, & Pastorum.

DEcani Collegiorum accedentes Synodum, pro suis Collegiis in religionis officio, & dignitate sua conservandis, & Decani rurales pro suæ regiunculæ parochis, Deo utique militant. Nemo verò, ut Apostolus ait, militat unquam stipendiis suis. Propterea decernimus, & statuimus, ut pro numero dierum, quibus concilium durat, conferant Decanis suis Collegia, & parochi subsidia in sumptus, quos necessariò facere debent, absque omni tergiversatione. Qua in re tàm justa, si qui rationis, & æquitatis obliti, reddiderint se difficiles, visitatorum nostrorum erit hos tales non modò compellere ad id, quod jure divino debent, persolvendum, verum etiam pœnas ab eis pro iniquitatis modo exigere.

De novis constitutionibus in Synodis edendis.

STatuimus quoque, ut in Synodis communibus consiliis decernatur de tollendis abusibus, & moribus corruptis, quos contigerit ad Synodi judicium referri, disciplina Ecclesiastica castigandis. Et si opus sit, canones veteres renoventur, aut novi in novis casibus, juxta Sacram scripturam, Patrum sanctiones, & rectæ rationis judicium condantur: id quod modò nos quoque ex his, quæ ad synodum relata sunt, facere decrevimus.

De medio Sexto ad reformationis executionem necessario.

SExtum medium ad exequendam reformationem efficax est jurisdictio Ecclesiastica, qua tanquam supremo refugio compelluntur, qui sponte non ducuntur ad vitæ emendationem. Hanc Christus Ecclesiæ in Petro pro Ecclesia confitenti ipsum esse filium Dei, promisit, quandò dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Quam promissionem non ad unum Petrum pertinere, sed in omnes Apostolos transmissam, alio loco insinuat, ubi dicit; Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis. Ecclesiæ igitur sunt claves istæ ligandi, atque solvendi datæ, quas non ab hominibus, sed à Christo accepit; ut absque divinæ authoritatis contemptu contemni non possint. Quapropter Christus præcipit, ut eum, qui Ecclesiam jus dicentem non audierit, pro Ethnico habeamus, & publicano. Tanta est Ecclesiasticæ jurisdictionis vis, & potestas. Hac coercentur obstinati in sceleribus, pervicaces, rebelles, flagitiosi, & contumaces. Hac usus est beaus Apostolus Paulus, quando

do Corinthium, novercæ suæ stupratorem, tradidit A Satanæ: Ego, inquit, absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens: Eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Hac item usus est adversus Hymenęum, & Alexandrum, qui operum conscientiam, quæ fidei rectę congrueret, repellentes circa fidem naufragaverunt, quos tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare. Et increpat beatus Apostolus Corinthios, apud judices infideles, & Ethnicos judicio contendentes; *An nescitis,* inquit, *quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam angelos judicabimus, quantò magis* B *sæcularia?* Et per ironiam subdit: *Sæcularia igitur judicia si habueritis contemptibiles, scilicet, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles?* Quibus permoti rationibus, decrevimus cum præsenti synodo, judicia Ecclesiastica in primis reformanda esse. Et quidem in hanc rem antecessores nostri sancti Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Theodoricus, & Robertus quædam statuere, post quos antecessor noster Hermannus, anno vigesimo-nono, copiosiorem nostræ curiæ reformationem edidit, quæ & in Provinciali Concilio, anno trigesimo sexto, communi omnium consensu publicata, C atque recepta est. Verùm cum, prohibente hominum malitia, non sit Reformatio illa per hanc tempestatem sortita per omnia executionem, decrevimus hanc primùm in Diœcesi nostra diligenter exequi, & omnes Curiæ nostræ Officiarios jurejurando astringere ad ejus observantiam. Requirimus quoque, & monemus reverendos confratres nostros Suffraganeos Episcopos, ut & ipsi secundum hoc exemplar, prout melius videbitur congruere saluti, & tranquillitati subditorum, suasquoque Curias reforment, & executionem reformatæ jurisdictionis, Episcopali sua authoritate inferioribus omnibus ad eundem modum, hoc est per jusjurandum imponant.

De impedientibus executionem mandatorum, & sententiarum judicum Ecclesiasticorum.

D

ECclesiasticus judex officio suo nequit perfungi, ubi Magistratus, & sæculares homines contumacibus, flagitiosis, & rebellibus patrocinium ferunt adversus ecclesiastica judicia, vel ea impediunt. Idcircò mandamus omnibus Magistratibus, Prefectis, Judicibus sæcularibus, & quibuscunque Ecclesiæ filiis, ne quis ad judicium Ecclesiasticum vocatis, adversus Dei ordinationem, unde est ista potestas, & sacros canones patrocinetur, aut quovis modo impediat mandatorum, & sententiarum Ecclesiasticorum Judicum executionem, sub pœna excommunicationis, qua nisi admoniti resipiscant, sint plectendi. E Piissimum quoque Imperatorem nostrum, & Principes sæculares, quorum ditiones in provinciam nostram excurrunt, vel intra ejus ambitum continentur, duximus totius Concilii nomine, tanquam justitiæ patrocinatores invocandos, ut ditionem illarum Satrapis, Præfectis, Judicibus, Magistratibus, suisque vicariis mandare, ac præcipere velint, ne Ecclesiastico Judici brachium sęculare petenti illud denegent, aut cujuscunque exceptionis per reos propositæ occasione differant; etiamsi nullitatem exceptio concernat, quemadmodum jure communi cautum est.

Ne Judices sæculares de matrimonialibus, & aliis spiritualibus causis judicent.

CUm matrimonii Sacramentum, ut Sacramenta reliqua, in thesauris Ecclesiæ numeretur, nec sit civilis quidam Contractus, ut olim putarunt Ethnici, ad solius Ecclesiæ judicium, præsertim ubi quæstio juris versatur, ejus discussio pertinet. Idcirco statuimus cum præsenti Concilio, & sub excommunicationis pœna prohibemus, ne Magistratus, aut judices sæculares, in matrimonialibus, aut aliis spiritualibus quibuscunque causis, ad cognitionem solius Ecclesiastici judicis spectantibus, inter suos subditos, aut alienos judicent, nec dispensandi, aut transigendi potestatem in matrimonio, ac gradibus prohibitis sibi usurpent: sed ejuscemodi causas omnes ad Judicis Ecclesiastici cognitionem, & definitionem remittant.

De concubinariis Monachis, vel Sacerdotibus.

IN tertio genere versantur Monachi apostatæ, qui ministeriis Ecclesiasticis perfunguntur, & scortis, seu concubinis adhærent. Quorum quidam religionis suæ habitum penitus abjecerunt, quidam non integrum, sed partem ejus ob metum retinuerunt. De quibus statuimus, ut severiori ordinis disciplinæ pro tanti scandali expurgatione submittantur, & carnis suæ petulantiam pœnitentiæ afflictione mortificent. De sacerdotibus verò, & clericis beneficiatis, quibus concubinæ, vel fœminæ de incontinentia suspectæ, seu cum quibus ipsi antehac dè fornicatione diffamati fuerunt, manifestè cohabitant, ut nuper in Synodo Diœcesana, ita nunc quoque totius Concilii consensu, & approbatione decernimus, & pronunciamus, eos, qui tales fœminas apud se detinent, sententiam suspensionis ab officio, & beneficio incurrisse: Mandamusque, & præcipimus, ut juxta novissimam declarationem, eas tàm procul è vicinia submoveant, ut commerciis non detur facilis occasio, & suspiciones omnes vitentur: ipsas verò fœminas, si posthac in domibus, vel vicinia permanserint, censemus excommunicationis censura plectendas: Volumus quoque, & jubemus, ut Ecclesiarum prælati sententiam memoratam contra concubinarios notorios, & de concubinatu suspectos, diligenter exequantur, alioqui nostrarum partium erit eorum negligentiam supplere, & pœnas dignas pro ea exigere. Quod si qui libidinis furiis correpti, instar equi, & muli, quibus non est intellectus, suspensionis pœna non emendentur, aut his nostris mandatis facto contrario docuerint se non velle parere, contra hos tales ad ulteriorem beneficiorum privationem, aliasque duriores pœnas decrevimus, & censuimus esse procedendum.

De requirendis omnis generis Apostatis, ut resipiscant, & ut ad instituta sua revertantur.

JAm licet Apostatarum, & eorum, qui, missa ad aratrum manu, retrospexerunt ad sæculum, & se ineptos reddiderunt regno Dei, alius alio gravius impegerit: & quidam humanitate propter errorem communem, eorum, qui cum prohibere hunc cursum potuissent, officium neglexerunt, conniventiam. Alii severa ultione, ob malevolentiam, & impietatem digni videantur: in hoc tamen sunt omnes pares, quod Religionis suæ vota illa solemnia, quibus se Deo præ cæteris mortalibus manciparunt, timore Dei, & ęternа animæ salute postpositis, perfidè solverunt. Quæ profectò magna est impietas. Enimverò propheta Baruch deos gentium falsos à Deo vero hoc veluti signo proprio discernit: Quod falsi illi votum, quo se quis obligaverit, nec tamen reddiderit, non requirant: Deus autem verus requirit. Unde per spi-

ſpicuum eſt ſecuros illos votifragos, Apoſtatas, qui ſibi perſuadent Deum vota non requirere, habere ſib iperſuaſum Deum eſſe falſum, quales ſunt dii gentium, quod vel cogitaſſe horrendum idololatriǫ ſcelus eſt. Petrus quoque in Actis Apoſtolorum teſtatur eos, qui communem vitæ ſocietatem, qualis olim inter Apoſtolos erat; & nunc apud Religioſos conſervari debet, ſemel receptam deſerunt, tentare ſpiritum ſanctum, & mentiri non hominibus, ſed Deo. Idcirco duximus eos omnes ſalutis, de qua periclitantur, graviter admonendos, & uno nomine requirendos, quibus, & præſentis Synodi authoritate invocato Chriſti nomine, quem ſceleratis ſuis factis abnegarunt, mandamus, & præcipimus, ut, relictis falſis conjugibus, & concubinis, ſi quibus adhærent, poſtpoſitiſque negotiis, quibus ſe implicuerunt, habitum Religionis ſuæ reſumant, & ad ſuum quique Monaſterium revertantur, ubi pœnitentiam ſalutarem ad divinam ultionem avertendam, veniamque erratorum impetrandam humiliter agant.

De abjuranda hæreſi, & communione ſchiſmatica vitanda.

SImiliter requirimus, & paterno affectu monemus Monachos, & ſanctimoniales apoſtatas, Sacerdotes, ſui ordinis, & diſciplinǫ deſertores, clericos, & laicos, eoſque omnes, qui communione ſchiſmatica, aut pravorum dogmatum contagione per hanc tempeſtatem ſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, extra quam non eſt ſalus, ſepararunt, ut hæreſi, ſchiſmateque omni abjurato, abſolutionem, & reconciliationem à ſede Apoſtolica, vel eis, quibus hoc muneris delegatum eſt, petant, ſtudeantque deinceps in unitate communionis, & fidei cum Eccleſia ſancta Catholica permanere. Propter eos verò provinciǫ noſtræ incolas, qui ſibi arbitrantur utriuſque ſpeciei communionem à Cæſ. M. permiſſam, operæ precium duximus de hoc iterum ferre noſtrum judicium. Proinde Cǫſ. M. Declaratione maturo judicio lecta, atque expenſa, quod nuper in ſynodo noſtra fecimus, nunc totius Concilii ſententia declaramus omnibus provinciǫ noſtræ fidelibus, nihil tale in religioſiſs. catholiciſſimique Imperatoris Declaratione, qua ſuam mentem expoſuit, inveniri, quin potius contrarium: ſiquidem expreſſis, & diſertis verbis à catholicis imperii Statibus, & eorum ſubditis, ſerio valde exigit, ne quid in Sacramentorum adminiſtratione, præter Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem immutent, aut immutari in ſuis ditionibus ullo pacto permittant. Cui Cæſ. M. planè Catholicæ, & Chriſtianæ ordinationi decrevimus. Nos, tanquam Archiepiſcopus, & Princeps Elector per Dei gratiam Catholicus, cum Reverendis confratribus noſtris comprovincialibus Epiſcopis, & principibus, eadem gratia divina concedente ſimiliter catholicis, fideliter, & obedienter per omnia obtemperare. Id, quod & alioqui pro noſtra erga ſanctam Eccleſiam devotione, ſtudio pacis, & unitatis, quæ divino illo ſacramento ſignificatur, conſervandæ, eramus facturi. Prǫcipimus idcircò, & authoritate præſentis Synodi in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti convocatæ, mandamus omnibus Provinciǫ noſtrǫ incolis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, ut corporis, & ſanguinis Chriſti veritatem ſub una Sacramenti ſpecie percepiſſe contenti, vinculum pacis cum gratiarum actione ſervent.

Veniæ ſpe propoſita errantes omnes ad Eccleſiam Catholicam revocandos.

NE verò pœnarum ſeveritate propoſita, reverti ad Eccleſiam ab hæreſi cupientes, avertamus, & retropellamus, & non potius etiam duros, & obſtinatos veniæ blandimentis emolliamus, atque ad pudorem, & reſipiſcentiam invitemus: In omnibus A cujuſcunque ſint ſtatus, gradus, aut conditionis, ad mentem cum filio prodigo redeuntibus, reſipiſcentibus, atque ad Eccleſiam, patris ſui domum, unde aufugerant, ab hæreſum, & ſchiſmatum lenociniis cupientibus reverti Eccleſiæ valvas, quantum in nobis eſt, aperimus, & facilem ignoſcentiam pollicemur: Requirimuſque Reverend. confratres noſtros ſuffraganeos Epiſcopos, ut animo volventes, boni paſtoris officium eſſe, non imperare cum auſteritate, & potentia, ſed infirmas oves conſolidare, ægrotas ſanare, confractas alligare, perditas per deſerta quærere, atque in humeris reportare; Patris item boni officium eſſe prodigo filio à longe revertenti veniæ propoſitione occurrere: ſtudeant etiam ipſi errantes ad reſipiſcentiam, & Eccle- B ſiam revocare. Omnibus verò Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, & Monaſteriorum utriuſque ſexus ſuperioribus mandamus, ut pœnitentia ductos ſuos ſubditos, & ultrò revertentes, veniamque petentes, & emendationem pollicentes, paternè recipiant ad pœnitentiam tolerabilem, quam emendatione eorum perſpecta ſenſim minuant, ut ſanent, non interimant ſuas oves. Quod ſi fortè caſus ſit, ut in Monaſterium, & locum proprium abſque ſcandalo recipi pœnitentes nequeant, curent eos in alio ejuſdem Ordinis Monaſterio, ſecundum juris canonici diſpoſitionem recipi. Nec eos tantùm, qui intra diœceſeos noſtræ pomeria continentur, cogi volumus, ut huic muneri ſuo ſatisfaciant, ſed omnes ubique locorum per totam C Provinciam. Proinde requirimus, & monemus Reverendos confratres noſtros ſuffraganeos comprovinciales Epiſcopos, ut ad eundem modum, & ipſi ſuarum Diœceſum Prǫlatos requirant, & cogant, reſipiſcentes, ac ultrò redeuntes benignè ad modum prædictum recipere.

De refractariis, & in errore reſiſtentibus vi cogendis.

QUod ſi qui apoſtatæ, & ordinis ſui deſertores, faſcino diabolico, & vitiorum amore excæcati, atque illaqueati, non patiantur ſe invitari ad vitæ emendationem, aut ad Eccleſiæ ſinum benignè adduci, eos decernimus, poſt ſpretam benevolentiam noſtram paternam vi cogendos, per Dei miniſtros illos, D qui gladium tenent ad vindictam malorum, & laudem bonorum, ut intrare vel inviti compellantur, qui ſponte reverti nolebant. Idcirco concilii totius nomine per authoritatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos vocavit, & cujus cauſam agimus, requirimus Chriſtianos Principes, Magiſtratus ſæculares, & quotquot poteſtatem coercendi malos habent omnes, ut ſuo miniſterio ad laudem Dei, & Eccleſiæ, cujus ſunt filii, ſalutem perfungentes, obſtinatos apoſtatas, Monachos, & ſanctimoniales in ſuis ſordibus, & rebellione hǫrentes, ſeductores quoque fidelis populi, eis indicatos, potenti manu capiant, tradantque ſuis ſuperioribus, aut monaſteriis, pœnitentiæ ſeveriori, ſalutari tamen, ſubmittendos.

E *De Apoſtatis, qui ſub prætextu diſpenſationum Apoſtolicarum, vota, religioniſque ſuǫ inſtituta deſeruerunt.*

APoſtatæ quidam extra Monaſteria ſua degunt, ſuperioribus rebelles, & ad rebellionem alios ſolicitantes: tanto nocentiores in Eccleſia, quanto hoſtis domeſticus externo perniciosior eſt: qui nequitiam ſuam velant diſpenſationum Apoſtolicarum prǫtextu, quas plerunque vel in curia, vel à Pœnitentiariis ſummi Pontificis, aut legatis, & nunciis Apoſtolicis, ſurreptitiè, vel allegatione cauſarum falſarum impetrant. Et ſi cauſæ juri innixæ bullis obtentis

téntis interferantur, tales tamen petunt sibi dari, atque impetrant earum examinatores, & judices, summo Pontifici, Legatis, Nunciis, & dispensatoribus ignotos, qui neque causas allegatas examinent, nec partibus legitimè vocatis de earum veritate inquirant: sed simpliciter eorum libidini patrocinentur: aut si dantur judices incorrupti, & probitatis amantes, iis Bullas suas non exhibent cognoscendas: & nihilominus secum dispensatum esse jactant, utunturque dispensationibus obtentis, haud aliter, quàm si causas illas legitimè verificassent, unde non infrequenter plus malorum, & scandalorum, quàm à notoriis apostatis accipitur: nostrum verò non est sustinere in Ecclesia tantam imposturam, tàmque licentiosam votorum violationem. Proinde statuimus, & ordinamus, ut qui dispensationes tales obtinuerunt, in habitu, & obedientia suæ religionis, quam professi sunt, coram nobis, aut reverendis Comprovincialibus nostris Coepiscopis compareant, atque ita dispensationes suas exhibeant examinandas, & vocatis eorum superioribus, ac quorum intererit, discutiendas; aut si jam habitum temerè, & absque prævia bullarum examinatione deposuerunt, eum reassumant, & eousque in Monasterio, ac sub obedientia se contineant, donec, dispensationibus nobis ad examinandum oblatis, inveniantur, non etiam summum Pontificem, & ejus legatos, vel alios dispensatores fefellisse, aut sinistrè aliquid impetrasse. Quod si dispensationibus obtentis, aliter, atque jam statutum est, voluerint uti, eos pro notoriis Apostatis habendos, vitandos, à Magistratu capiendos, & superioribus cum rebus omnibus, quas habent, expensis tamen Monasteriorum tradendos, ad eundem omninò modum, quo de apostatis jam decretum, et statutum est, totius Concilii sententia decernimus, & approbamus.

A

B

C

Ut campanarii, seu custodes religiosè officia sua exequantur.

DElatum quoque ad synodum est, campanarios, seu custodes quosdam, quos alii matricularios vocant, tàm Parochialium, quàm collegiatarum Ecclesiarum, qui pallas, mappas, vestes sacras sordidè, & irreverenter servant, peraguntque ministeria sua prolixis barbis horridi, ac nulla religionis veste a plebeis discreti: Statuimus igitur, ne liceat campanariis nutrire barbam, aut in veste laica in Ecclesiis circumcursitare, sed ministeria sua in superpelliceis exhibeant, linteaque Ecclesiæ, & Sacrarii, ut munda sint, diligenter asservent. De eorum verò lotione, quæ pertinent ad usum sacrorum, illos admoneant sedulò, quibus hæc cura incumbit, ut talium ablutionem fieri procurent per eos, quibus hoc per canones licet: sub pœna suspensionis ab officio, et emolumentis, donec pareant.

D

De benedectione fontis, & parvulis tempore paschali baptizandis.

INolevit gravis abusus in Collegiis quibusdam, qui tempore paschalis officii aquam omnibus baptismi ceremoniis benedicunt, quam postea effundunt: Statuimus propterea, ut nullum fontem, seu aquam, Collegia posthac consecrent, cujus nullus est usus, sed ceremoniis, & benedictionibus utantur apud illum fontem Parochię suæ, quem intra Collegii septa, aut in proxima vicinia habent. Et ut orationes, et ceremoniæ solemnes, quæ tempore Paschali, & Pentecostes baptismo adhibentur, habeant res eis respondentes: statuimus, ut pastores, et concionatores adhortentur populum, ut parvulos natos instante festo Paschæ, servent baptizandos in Vigiliam Paschæ, et natos, festo Pentecostes instante, ad festum Pentecostes usque servent: si tamen nullum immineat vitæ periculum.

E

Ubi, & quibus horis debeant parvuli baptizari.

DEtestanda est non minus laicorum superbia, quàm Pastorum eis obsequentium adulatio: qui contempta Ecclesia proles suas volunt in suis domibus baptizari, & eo baptismi aquam deferri. Quem abusum prorsus rescindere volentes, statuimus, neminem alibi, quàm in Ecclesia, quocunque loco natus sit, debere baptizari, exceptis Regum filiis, &c. quibus valeat secundum Concilium Viennense deferri. Pastores verò, qui secus fecerint, ab officio suspendimus, donec absolutionem à nobis obtineant. Similiter multos abusus, & levitates, quæ passim apud dignissimum illud Sacramentum admittuntur, amputare cupientes, prohibemus parvulos tempore pomeridiano baptizari, sed quando jejuni, & sobrii sunt homines, & ad res tantas attenti. Si verò pauca sint in civitate aliqua Baptisteria, & multi baptizandi, poterunt residui, qui apud sacrum matutinale baptizari commodè non poterant, tempore pomerdiano baptizari. Et si adsit digna populi frequentia, Pastor eos de baptismi mysteriis doceat: præsertim, ut cogitent quanta sit Dei misericordia peccata abluentis, & nos in suos filios adoptantis. Præterea vetamus, ethnicorum more, ab hoc Sacramento magna convivia instruere, epulari, & ebrietate (ut passim homines parum Cristiani faciunt) omnia miscere.

Comędias quatenus liceat in Monasteriis ludere.

PErcipimus Comędiarum actores quosdam, scena, & theatris non contentos transire etiam ad Monasteria monialium, ubi gestibus prophanis, amatoriis, & sęcularibus commoveant virginibus voluptatem. Quæ spectacula, etiam si de rebus sacris, & piis exhiberentur, parum tamen boni, mali verò plurimum relinquere in sanctimonialium mentibus possunt, gestus externos, spectantibus, et mirantibus, cæterùm verba non intelligentibus. Ideò vetamus, & prohibemus posthac vel Comędos admitti in virginum Monasteria, vel Virgines Comędias spectare.

Abusus populi in audiendis Missis quomodo coercendus.

ANimadvertentes populum rudem, & simplicem, religionis antiquę, & veræ ignarum, actiones penè nullas in Missæ sacrificio, præter hostiæ sacrosanctæ oblationem observare, et hinc abusum natum in civitatibus, ubi multę celebrantur missæ, ut ab altari ad altare discurrant, nulli sacrificio plenè intenti. In oppidis verò, et pagis cœmeteria circumambulent, & de rebus nonnunquam prophanis tractent, donec detur ad hostiæ elevationem signum, qua vel è longinquo conspecta, ac salutata, putent se hominis christiani officio abundè perfunctos. E salute fore populi fidelis existimavimus, si hoc vitium gladio spiritus exscinderetur. Idcircò Pastoribus, et verbi divini concionatoribus omnibus injungimus, ac mandamus, ut ubi irreligiosus hic abusus irrepsit, frequenter doceant populum de tremendis, atque adorandis missæ mysteriis, juxta sanctorum patrum doctrinam, et ea, quæ in declaratione Cæsareæ Majestatis de Missa traduntur, et quod Christianorum sit integro Sacro auscultare, quo participes fiant confessionis, quam sacerdos pro tota plebe facit, et omnium orationum, et benedictionis, qua eos dimittit.

Et si quidem peccat ea in re tota, ut alicubi fit, rustica communitas, censemus Præfectum loci requirendum, ut abusum talem coerceat, ac prohibeat. Qui si fortè hoc facere recuset, prohibemus omnibus Pastoribus, Vicecuratis, et animarum curatoribus quibuscunque, ne quis eum absolvat, aut ad Sacramentorum perceptionem admittat, nisi certa fide pollicea-

tur, se velle regulis istis Ecclesiasticis obtemperare. Si verò paucorum istud vitium est, & moniti non emendent, cera, vel rebus aliis ad Ecclesiæ ornatum, vel pauperum subventionem pertinentibus, pro arbitrio Pastoris, & ædilium mulctentur.

Et ne cui desint pietatis sub Missa exercitia, dabimus piis quibusdam, & eruditis viris negotium conscribendi divino huic officio congruẽtes meditationes, & orationes, pro populi simplicis captu, quas vel ipsimet legentes intra se revolvant, vel è Parochi frequenti institutione addiscant.

Quandò, & ubi conveniat simul plures Missas dicere.

MEntem sequentes formulę, ad quam Reformatio instituenda erat, ordinamus, ut in Ecclesiis Parochialibus, ad quas potissimùm confluere solet populus in unum collectus, & in minoribus Collegiis, ac Monasteriis, sacerdotes, quibus dicendæ sunt Missæ speciales, eas finiant ante solemnis missæ Euangelium: aut ad summum ante actionem, aut ab ejus communione facta incipiant, ne populus in diversa distrahatur. Ubi verò amplæ sunt Monasteriorum, vel Collegiorum Ecclesię, sic in oratoria distinctæ, ut in locis diversis diversus accipiatur populus, nec possint uni missæ commodè omnes esse intenti, poterunt singulis populorum turmis singulæ missæ celebrari, quibus unusquisque populus sit intentus: sub concione autem nulli sacerdotum liceat in Ecclesia illa missam celebrare.

De oblationibus in Missa faciendis.

VAria fuerunt olim in lege veteri sacrificia, & oblationes, Christi perfectum sacrificium prefigurantes, quas unica Christus hostia in crucis ara consummavit, semetipsum pro nobis offerens. Hęc est hostia sempiterna, quam eandem in Missa sacerdos eorum omnium nomine, qui Christum pro se oblatum cupiunt, offert, ac sistit ante patrem. Fuerunt & alię Primitiarum, Decimarum, & liberalium votorum oblationes, quibus in Ecclesia, prĕter sacrificia spiritualia, mactationis vitiorum, gratiarum actionis, laudis, & servitutis, quæ divinę majestati debetur, successerunt etiam rerum temporalium ad usum ministerii necessariarum oblationes, quas olim in primitiva Ecclesia magnis studiis offerebāt in Missa, quo suffragiis ejuscemodi sacerdotes, & Ecclesiæ ministros sustentarent. Unde adeo locupletatę sunt initio Ecclesiarum res etiam persecutionis tempore, tanta copia, ut post sacerdotum, & ministrorum alimenta, partiti sint eas etiam in alimenta viduarum, orphanorum, & pauperum: in vestes item, & vasa ministerii, ornatum, & fabricam Ecclesiarum, de quibus extant adhuc antiqui Patrum canones, extant quoque orationes, quas Secretas appellamus, sub Offertorio Missæ, quibus oblationes populi Deo commendantur. Qui mos offerendi semper fuit in populo fideli retentus ad novissima usque ista secula. Verùm res tàm altæ originis, & ratione tàm sancta subnixa, jam tota propè abire cępit in desuetudinem, hominibus piis causam, & originem offerendi ad altare ignorantibus, & impiis cupiditate sacerdotum usum illum introductum calumniosè asserentibus. Quamobrem divini verbi concionatoribus, illis præsertim, qui de oblationibus populi non participant, ad cupiditatis speciem tollendam, præcipimus, ut populo veritatem rei istius, & utilitatem exponant, hortenturque omnes sequi majorum studia, ut vel exigui munusculi oblatione, suam pro rebus à Deo acceptis ostendant gratitudinem, quo etiam preces illæ in eos conquadrent, inculcentque eis, quòd Deus non tàm ad dona, quàm ad voluntatem, & mentem piorum respiciat, quamquam locupletes, & A divites convenit esse liberaliores, quo gratitudinis signum de se amplioris prębeant, & testentur, se à Deo ad Dei honorem, & cultum habere, quicquid habent.

De oblationibus pro defunctis, & exequiis pomposis prohibendis.

CUm mortuus sit Christus pro vivis, & defunctis, offertur etiam in Missa non tantùm pro vivis, verum etiam pro defunctis. Quod rudes, & Sadduceis crassiores homines ignorantes, neque orant, neque sacrificium expetunt, aut exequias, aut justa pro parentibus, liberis, cognatis, & amicis persolvunt: non aliter sanè, quàm si cum corporibus simul & animæ extinguerentur. Mandamus idcirco, ut verbi B divini concionatores populum hac de re diligenter, ac piè informent, & doceant, ne animę amicorum in Christo defunctorum, suffragiis orationum, & oblationis Christi fraudentur. Qui modus semper fuit retentus in Ecclesia, atque etiam antę Christum apud Judæos celebris. Neque enim ex unico Machabæi facto concluditur, sanctum esse pro defunctis orare, & sacrificium offerre, ut à peccatis solvantur, sed quoniam ita pii, & de vera fide instructi Judæi, absque hæsitatione credebant: verùm non probamus propterea pomposos, & sumptuosos apparatus supra hominis conditionem, qui valent ad ostentationem potiùs opum, quàm ut defuncto suffragentur. Improbamus verò commessationes, & ebrietates, quibus post exequias quidam indulgent, quasi mortuorum amicorum C memoriam vino abluere velint, ubi potiùs eadem via sibi sequendum esse cogitare debebant.

De processionibus, in quibus sacra Hostia cum imaginibus Sanctorum circumfertur.

NIhil propè tàm sanctum est, quòd sæcularium hominum vanitas non trahat in abusum: Ecclesia de thesauro Corporis Christi exultans, circumfert longis Processionibus, etiam extra sacras ædes hostiam illam salutarem, videlicet simul repræsentans itineris Christi historiam, qui dum quæreret salutem nostram, in medio populi versatus est, & universam Judæam circumambulavit docens, & ægrotos sanans, D discipulis comitantibus: quamobrem & Sanctorum reliquias, & imagines eorum, qui vestigia ejus secuti sunt, simul circumferimus: significantes illos nunc cum ipso regnare, & triũphare in cęlis; quæ memoria debet piis esse jucunda, & læta. Verùm huc sæcularis stultorum hominum vanitas irrepsit, & adhibentur etiam ludi prophani, & scurriles, magno strepitu, ac quasi ad bellum procedendum esset, tympana pulsantur, & otiosa spectacula eduntur, rebus istis non congruentia, quibus populus delectatus, à rebus, quæ processione aguntur, avocatur. Mandamus idcirco, ut juxta Cæs. Majestatis reformationem, quicquid non valet ad devotionem excitandam, à processionibus removeatur. Sed sint processiones compositæ, graves, & modestæ, absint risus, joci, & confabulationes, & orent homines, aut suaviter corde, & voce modulentur: nec beatæ E virginis, aut alterius cujuslibet Sancti, plures, quàm imago una, uniuscujusque circumferatur, ne videamur magnas, & parvas, cultas, & incultas statuas inspicere, & non sursum mente in cęlum subducta, rem significatam potiùs cogitare. At ubi populus vanus noluerit abusum hunc corrigere, & insolentiam prohibere, mandamus, & præcipimus sacerdotibus, & clero, ne talibus processionibus intersint, ubi iram Dei, non verò misericordiam in nos provocamus.

Patres a[…] & alia[…] procession[…] rationes […] quarũ pr[…] cipua e[…] fideles, […] quãdo pr[…] lata cru[…] procedun[…] extra Ec[…] clesiam, […] ad eam r[…] vertuntu[…] admoneri[…] imitation[…] Christi, q[…] de summ[…] cęlo egr[…] sus in mu[…] dum, p[…] crucem r[…] gressus […] in gloria[…] patris, ju[…] ta illud […] quod in p[…] regrini s[…] cie ipse […] se in E[…] maus ai[…] Nonne oportuit Christum pati, & i[…] intrare i[…] gloriam suam?

De stationibus, & supplicationibus.

QUantum in Processionibus festivis peccat turba populi, tantùm in stationibus, & supplicatio-

tionibus ſolet clerus peccare, & populum devotum nudis interdum plantis, & capitibus incedentem, ſua inſolentia, confabulationibus, cachinnis, incompoſitis motibus, & diſcurſibus ſcandalizare. Præcipimus idcirco, ut in omnibus cujuſcunq; generis proceſſionibus, clerus exemplis bonis populum ædificet, & aut oret, aut cantet, cum gravitate per plateas incedens: nec dilabantur ad jentacula, nec in Eccleſiis, dum ſacrum in ſtationibus peragitur, deambulent, aut confabulentur, ſed choro omnes interſint, habeantque ſinguli decani, & ſeniores ad juniores reſpectum, & puniantur tranſgreſſores pœnis, quas decanus injunget.

Ut diſtributionum non ſint participes, qui officiis integris non interfuerint.

NOn minori populi ſcandalo clerici quidam quando ſunt pingues diſtributiones, chorum ad breve tantummodo tempus, quo ſui præſentiam teſtentur, ingrediuntur, nec officium totum perſolvunt, ſed continuo egreſſi chorum, aut obambulant in Eccleſia, vel ejus immunitate, aut ad aliam, in qua ſimul beneficium habent celeri tranſitu ſe proripiunt, ut ſimiliter teſtentur ſe fuiſſe præſentes: quo duarum Eccleſiarum diſtributiones pro eodem officio integras percipiant, cum in nulla Eccleſia officium integrum perſolverint, manifeſto indicio ſe pecuniæ, non Chriſto, aut Eccleſiæ ſervire, ut ter peccent: primum cupiditate, deinde cultus divini negligentia, tertio exemplo pravo, quo populum ſcandalizant, ut tranſgreſſionem canonum prætereamus. Etenim in Concilio Chalcedonenſi ſtatuerunt Patres, ne quis clericus in duabus Eccleſiis inſcriberetur, aut miniſtraret, nec communicaret prioris Eccleſiæ rebus, qui ad ſecundam tranſiret. Quamobrem ſtatuimus, ut illi ſoli, qui horis divinis, aut defunctorum exequiis, ſeu memoriis à principio ad finem uſque interſunt, idque in habitu, qualem temporis, & perſonæ conditio requirit, diſtributiones percipiant, niſi juſta cauſa ſit, quare ante officium finitum diſcedant, aut tardius ad ipſum accedant. Nolumus tamen hac conſtitutione privilegio prælatorum derogatum.

De proceſſionibus ruralibus.

DEcanis ruralibus committimus, ut ruri, ubi major eſt abuſus per ſuas regiunculas paſtores adhortentur, ut ad prædictum modum ſuas proceſſiones inſtituant, nec vagi, & incompoſiti per agros diſcurrant, & preſertim rogationum tempore, quando Deum pro miſericordia, & frugum conſervatione imploramus, tranſgredientes paſtores, aut ipſi in ſynodis ſuis corrigant, aut viſitatoribus noſtris indicent.

Ut paſtores rurales Decanis ſuis obediant.

QUod pręcipit Apoſtolus, ut fideles omnes prępoſitis ſuis, quorum eſt vigilare pro animabus eorum ad reddendam Deo rationem, obediant, atque ſubjaceant, intelligant paſtores rurales, non ad laicam modò turbam, ſed etiam ad ſe pertinere, qui debent Decanis ſuis in licitis, & honeſtis omnibus reverenter auſcultare, & parere, & æquum eſt, ut obedientiam, quam ab inferioribus ſuis tanquam Chriſti vicarii exigunt, ſuperioribus exhibeant. Præcipimus od id, ut viſitatores de obedientia, quam mavult Deus, quàm ſacrificium, potiſſimum inquirant, nec ſinant inobedientiam impunitam.

Ne magiſtratus ſæculares Decanis, & Paſtoribus in officiorum ſuorum executione ſint impedimento.

ACcepimus Magiſtratus ſęculares quoſdam, & principum præfectos munera Eccleſiaſtica invadere, ac tyrannidem in Chriſti ſacerdotes, & clerum

A exercere, cogere paſtores, ut præter Eccleſię Catholicę conſuetudinem, ſubditos ſub duplici ſpecie communicent, & ceremonias piè inſtitutas abrogent. Quos Schiſmaticos, atque cum Chore, Dathan, & Abiron, quos terra deglutivit, ęternę maledictioni obnoxios eſſe, è ſacra ſcriptura diſcimus. Alios quoſdam accepimus impedire Decanos rurales, quo minus poſſint officia, & juriſdictionem ſuam exercere, ſynodos liberè celebrare, & exceſſus corrigere, ſed judicium hoc vendicare ſibi, qui & ipſi intelligant ſe excommunicationem à jure, & canonibus latam incurrere: Quos & excommunicatos totius concilii authoritate (ubi præmoniti non abſtinuerint) pronunciamus, & declaramus. Volumus quoque, ut viſitato-
B res tales Eccleſiaſticę diſciplinę, ac libertatis violatores, atque oppreſſores, ad nos pro ulteriori eorum perſecutione perferant, quos ſi noſtræ ditionis fuerint, pro malis meritis plectemus: ſin alterius eorum principibus, aut Cęſareę Majeſtati plectendos denunciabimus.

Ne clandeſtina conjugia contrahantur, & tolerentur.

SÆpius experti, quanta mala ex clandeſtinis conjugiis oriantur, qualia ſunt perjuria, ſtupra virginum, adulteria, homicidia, parentũ, & amicorum offenſiones, exhęredationes, ut pretereamus ea, quę Cęſareæ
C M. Reformatio piè, & Chriſtianè commemorat, decrevimus, & ſtatuimus, ut clandeſtinè contrahentibus tantiſper ſacramenta negentur, donec ab excommunicatione à Judice competente abſolvantur, atque ita in facie Eccleſiæ ſacramenti ſolemnia celebrent. Idem ſtatuimus de incolis, & advenis illis, de quibus ſuſpicio eſt eos in facie Eccleſiæ non eſſe conjunctos: qui aut matrimonii ſolemnes ritus in Eccleſia celebrent, aut alibi id ſe feciſſe idoneis teſtimoniis probent. Dum verò hujus gratia ad Eccleſiam convenitur, & qui junguntur, benedictioni ſacerdotali ſe ſubmittunt, abſit omnis levitas, & jocus ſęcularis, ſed cum Dei timore cogitent, quale ſit vinculum, quo colligantur, & quod Deus ſit, qui eos conjungat, ut diſcant in Chriſto nubere, cujus gratia, & dono torus immaculatus datur, & conſervatur.

D *Quod matrimonium debeat præcedere trina proclamatio, & nemo niſi à Paſtore, ad quem hoc pertinet, conjungi.*

FIt ſæpè, ut dum paſtor alter alterius ovile invadens, copulat virum, & fœminam ſibi non ſubditos, abſque Epiſcopi licentia, ut unus fiat duarum maritus, & contra una multorum uxor: Ideo ſub pœnis, & cenſuris canonicis, ſtatuimus, & ordinamus, ut nemo parochus, vel presbyter auſit ſibi non ſubditos copulare, niſi ſit alter alterutrius parochus proprius, & paſtoris alterius dimiſſorias literas acceperit, nec niſi in utriuſque parochia, trinę proclamationes tribus diebus feſtis à ſe invicem diſtantibus, ad populi fre-
E quentiam præceſſerint.

Quod non debeant ſponſus, & ſponſa conjungi, niſi in Eccleſia, & tempore ab Eccleſia non interdicto.

SUperbiam eorum, qui Eccleſiam Dei contemnunt, reprimere volentes, Mandamus, & præcipimus univerſis parochis, & Presbyteris, ne quis alibi, quàm in Eccleſia publicè poſt miſſam auditam jungendos matrimonio copulet, nec alio tempore, quàm jura permittant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam ſacerdotes mandatum hoc pretergredientes incurrant: nec volumus per officiales noſtros, cum quovis, niſi ex cauſis graviſſimis, & urgente magna neceſſitate, diſpenſari.

De

De communione, & confessione sacramentali.

PErlatum est in Concilium multos reperiri atheos homines, qui sacram communionem ab annis aliquot à suo parocho non perceperint, quos verisimile est, vel non communicasse, vel alibi clanculum apud schismaticos communicare. Quosdam etiam adire sacram Synaxim, de quibus non constet, utrum sint confessi peccata sua, absoluti, an secus. Statuimus idcirco, ut quicunque Christiano nomine volunt censeri, semel ut minimum in anno accipiant à suo Parocho sacram communionem, secundùm catholicæ Ecclesiæ ritum, sub una tantùm specie. Et vel eidem prius confiteantur, vel si de eorum confessione probabilis est dubitatio, testimonium adferant, quod alibi sint confessi, & absoluti. Alioqui viventes ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & mortui Ecclesiastica careant sepultura.

Ne fratres quatuor Ordinum audiendis confessionibus se intromittant, nisi sint præsentati.

EXploratum habemus quosdam è fratribus quatuor ordinum mendicantium juvenes, imperitos, & inexpertos sacerdotes, fiducia privilegiorum suorum audire passim confessiones, & quoslibet passim absque judicio, & discretione casuum, quam nullam noverunt, absolvere: Cui periculo obviare volentes, præcipimus, ne quis fratrum Ordinum mendicantium confessiones audire præsumat, nisi legitimè, & secundum formam juris, nobis, vel comprovincialibus Episcopis præsentatus, & de istis, quæ ad officium illud pertinent, probe informatus sit, & judicatus idoneus. Quod si priores, & guardiani non compulerint suos fratres ad ordinationis hujus observantiam, & dissimulaverint, tales noverint se ab omni ministerio Ecclesiarum nostrarum cum suis fratribus submovendos. Ne verò habeant, quod de præsentatione querantur, has gratis, salva scribarum moderata mercede, eis impartiemur.

De pœnitentiariis Episcopalibus.

INsuper, ut conscientiis scrupulosis consulatur, ac facilior pateat omnibus ad veniam, & absolutionem peccatorum aditus, ordinamus nostros in hac diœcesi pœnitentiarios, qui facultatem habeant sibi confessos ab omnibus casibus nobis de jure, vel per statuta Synodalia reservatis, in foro conscientiæ absolvendi. In primis Reverendum Cyrenensem Episcopum, nostrum in pontificalibus vicarium. Deinde metropolitanæ Ecclesiæ nostræ presbyteros, canonicos, Theologos, omnes quoque intraneos, & extraneos collegiorum, & ruralium pastorum decanos, & quatuor primarum parochialium Ecclesiarum in Colonia pastores: scilicet Martini, Columbæ, Laurentii, & Albani: Priores quoque quatuor ordinum mendicantium, & præterea ex ordine Prædicatorum fratrem Georgium de Tremonia, ex ordine Minoritarum fratrem Vvinandum ab Effren, Licent. Theologiæ: ex ordine Carmelitarum fratrem Vvilhelmum à Blatzhem: ex ordine Augustinensiū fratrem Henricum à Vuyerd. Præterea addimus in majori nostra Ecclesia venerabilem licentiam Theologiæ, Joannem Lunem, Joannem Lamb, decretorum doctorem, Joannem ab Heinsberg, Theologiæ licentiatum, & Gofridum Ditmarum ab Hagem.

De confessoribus sanctimonialium.

VOlentes consulere infirmitati sanctimonialium, quas nonnunquam pudor, vel metus retinent à confessione libera, quando ad unum tantum patrem, vel confessorem eis familiariter notum alligantur, unde fit, ut sæpè non integrè, sed vix unquàm liberè, conscientiam suam exonerent: & tamen ad sacrosanctam communionem statutis temporibus cum aliis accedant: Clementer indulgemus, & concedimus, ut sanctimonialibus bis, aut ter in anno fiat potestas, alii, quàm suo presbytero confitendi, ab ordinario loci deputando, nisi proprius eorum visitator, aut commissarius huic rei prius providerit.

De contemnentibus sacram Unctionem.

RElatum nobis in Concilio est, impios quosdam homines infirmitatis suæ tempore unctionem sacram respuisse, ac contempsisse, quamobrem statuimus, ut si quis sacramentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantoperè commendatum, contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.

Est quoque in observatione dierum festorum multa varietas, de qua in proxima synodo nostra diœcesana statuemus. Ea verò, quæ hic constituta sunt, judicio sanctæ sedis Apostolicæ, & œcumenici Concilii, ut omnia nostra reverenter submittimus: nec per ea sacris canonibus, traditionibus Ecclesiasticis, aut reliquis majorum nostrorum provincialibus, & diœcesanis synodalibus constitutionibus volumus derogatum: Potestatemque præmissa omnia, & singula interpretandi, & declarandi, quoties opus fuerit, & visum erit expedire, nobis reservamus, in cujus rei fidem, & testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Metropolitana Ecclesia nostra Coloniæ. 6. Aprilis anno Domini 1549.

Subm... se Con... judicio ...dis Ap... licæ.

Concilium Moguntinum, sub R. in Christo Patre, & Amplissimo Principe Sebastiano Archiepiscopo Moguntino, &c. sexta Maji, anno Domini 1549.

PRÆFATIO.

SEbastianus Dei gratia, Sanctę Sedis Moguntinę Archiepiscopus, Sacri Rom Imp. per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector, &c. Universo Clero, & populo per Diœcesim nostram Moguntin. salutem in Domino sempiternam. Posteaquam grave illud Pastoralis muneris onus humeris nostris (Domino sic disponente) incubuisset, sanè nunquam quasi in dignitatis, & honorum fastigio sublimati, lætari potuimus, sed quasi in quadam specula positi, ingentem, & anxiam solicitudinem animo concepimus, & quasi importabile onus humeris sustinentes, ad omnem suscepti muneris recordationem frequenter ingemuimus. Non enim ignorabamus depositum, quod tradente, & commendante Christo suscepimus, quanta in illo asservando cura, solicitudine, & labore desudare nos oporteat: quantave pœna nos maneat, & quam terribilis nos Domini sententia expectet, si quidquam de Thesauro illo, quem Christus, velut sedulus, & prudens negotiator, pretio sanguinis sui comparandum duxit, nostra forte incuria perire contigerit.

Accedebat ad cumulum solicitudinis nostræ, & timoris nostri pondus in immensum augebat, quod functionem nostram Pastoralem in eam videbamus tempestatem incidisse, qua tot sectæ, schismata, & omnes penè preteritorum temporum hæreses, velut conspiratione facta, agminatim in Ecclesiam irruerant, & dispersum Christi gregem immanes lupi ad interitum rapiebant, & qua universa vitiorum corruptela, & gravissimorum scelerum lues ovile Christi quasi contagione perserpens, oviculas Christi sanguine redemptas, crudelem in modum depascebatur.

Atque hac temporum iniquitate nobis nequaquam desidiæ patrocinium, aut negligentiæ excusationem præberi existimabamus, sed curam, & solicitudinem nostram potius augeri, ut quanto gravioribus malis labo-

laborantem Ecclesiam conspiciebamus, tanto attentiore animo, & studio vigilantiore, in eam, quam Dominus nobis imposuerat, Pastoralis officii functionem incumberemus, & gregi nobis credito custodiam simul, & disciplinam sedulo adhiberemus. Custodiam quidem, ut ex commonitione nostra cavere noxia, & salutaria appetere, peccata refugere, & virtutes sectari, plebs nobis commissa sedulo addisceret. Disciplinam verò, ut qui spretis salutaribus monitis, aut torpentes negligentia, aut malitia incitati, delinquerent: per nos à vitiis suis Ecclesiasticæ censuræ severitate coercerentur. Siquidem memineramus, hanc utramque curam à Domino ovilis sui custodibus sub gravi comminatione injungi. Custodiam quidem, cùm ait. *Si Speculator viderit gladium venientem, & non*
Ezech. 33. *insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu Speculatoris requiram.* Severitatem verò disciplinæ Dominus à Pastoribus exigens; *Non quæras*, inquit, *fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates:* nimirum innuens, gravi culpa alligari eum, qui vitia subditorum, quæ pro potestate sibi tradita compescendo emendare debet, dissimulando nutrit, & auget. Et
Ezech. 34. alibi Dominus Pastorum negligētiam severissimis minis increpans; *Ecce ego ipse*, inquit, *super Pastores gregem meum de manu eorum requiram.*

His nos Domini commonitionibus incitati, jam inde ab initio ordinationis nostræ propensa voluntate ad debitam commissæ nobis functionis executionenem, omnem animi, & consilii vim convertebamus, sed pios conatus nostros inquietudo temporis illius impediebat, dum tumultibus, & bellis ferverent omnia, ac planè appareret seculum nostrum jam nec vitia sua ferre posse, nec remedia pati velle. Et jam nihil aliud, quàm gravem Ecclesiarum ruinam, & de proximo imminentem Religionis nostræ interitum oculis prævidebamus, nisi Deus pro immensa sua misericordia miseratus, Ecclesiam suam tot malis gravissimè afflictam, & sub tantarum calamitatum onere jamjam ruituram, Invictissimi, & potentissimi Principis Caroli Quinti, Pientissimi, & verè Catholici Imperatoris, armis texisset, & à casu præservatam pia ejusdem Imperatoris sollicitudine ad pristinæ securitatis recuperandæ spem erexisset.

Cùm igitur singulari Dei gratia, & misericordia, & Christianissimi, ac Potentissimi Imperatoris beneficio hæc quies Ecclesiis reddita esset, ut jam de rebus Religionis consilia tutò capere liceret; Nos tantam opportunitatem, quam nobis divinitus concedi diu desideraveramus, nequaquam negligendam rati, omnes animi, & consilii conatus ad Ecclesiarum nobis subjectarum disciplinam ritè constituendam, & ad plebis commissæ salutem promovendam, adeoque ad totius Pastoralis muneris nostri functionem pro virili exequendam applicuimus. Et veterem Ecclesiæ consuetudinem insequentes, quam Apostoli nobis reliquerunt, & Sancti Patres quasi per manus traditam sedulo retinuerunt, ut quoties in fide Christiana dubiæ quęstiones orirentur, aut alioqui ancipiti malo Ecclesia periclitaretur, mox Synodum convocarent, & dubias quæstiones ex scripturis sanctis, juxta communem Sanctorum Patrum consensum, & receptam Ecclesiæ authoritatem, dirimerent, & suborientibus difficultatibus, & periculis collato inter se consilio, matura, & salutaria remedia adhiberent: Nos quoque, post celebratam à nobis Synodum Diœcesanam, præsentibus malis, etiam amplioris consilii remedia credentes quærenda, juxta Sacrorum sanctiones Provinciale Concilium duximus congregandum. Itaque Comprovinciales nostros amicos charissimos, & dilectos in Christo Reverendos Coepiscopos, ad diem sextum Maji in civitatem nostram (Moguntiam evocavimus) è quibus cùm Reverendus in Christo, & amicus noster syncerè dilectus Mauritius, Episcopus

A Eystetensis, vir insigni eruditione præditus, & promovendæ Religionis zelo mirificè flagrans, per seipsum, plerique verò alii per idoneos nuncios, pietate, doctrina, prudentia, & consilii magnitudine præstantes viros, promptè comparuissent, omnium, qui convenerant, voluntates, ad Ecclesiæ tot malis afflictæ, & tantis cleri, & populi vitiis deturpatæ, auxilium, & emendationem valde pronas deprehendimus. Qua animarum alacri pietate, & pia alacritate exhilarati, invocato Dei auxilio, sine ampliore mora sancto, & necessario negotio manus admovimus, & quantum is nos adjuvare dignatus est, cujus causam agebamus, in commune cœpimus consulere, quanam ratione populos nobis commissos in officio continere, noxia quæque ab eis avertere, & salutaria
B eis providere, ac Ecclesias nostras in pace, & puritate regere possimus, donec generale Concilium his tantis malis aptiora remedia provideret, & omnium abusuum pleniorem emendationem, ac Deo propitio calamitatum, & dissidiorum finem invenerit. Tandem, cùm dies aliquot continuis deliberationibus absumpsissemus, quęcunque ad Dei gloriam illustrandam, ad Ecclesiasticæ disciplinæ emendationem, & ad salutem commissi nobis Gregis promovendam, apta, & salutaria nobis visa sunt, in Constitutiones divinæ legi, Orthodoxorum Patrum sententiis, & sacrorum canonum sanctionibus, ac rectæ rationis judicio consentaneas, congessimus, & eas, ut ab omnibus per civitates, & Diœceses nostras observentur, communi consensu publicandas decrevimus. Dedi-
C mus autem operam in iis nostris Constitutionibus, ut sollicitudinis, & Pastoralis nostræ curæ utramque partem complecteremur, & Gregi nobis commisso custodiam simul, & disciplinam præstaremus: omnem curam adhibentes, quatenus in Ecclesiis nostris simul salutarem Christi doctrinam, in qua vita, & salus Christiani Gregis consistit, à pravis opinionibus immunem, & puram conservare, & disciplinam Ecclesiasticam magna ex parte collapsam erigere, & sic Christo Principi Pastorum, oves, quas suo sanguine redimendas sibi existimavit, in illo die incolumes sistere valeamus: nequaquam immemores, ut ingentis meriti sibi comparant fructum, qui super Gregem Domini diligenti custodia excubantes, ad justitiam erudiunt, & ad salutem promovent multos: sic æter-
D ni supplicii se reos constituere, qui ad Pastoralis officii functionem admoti, sua negligentia interire sinunt animas, pro quibus sanguinem suum impendere, & acerbissimam mortem tolerare sustinuit Christus Filius Dei.

Synodi Provincialis Moguntinæ Methodus de Doctrina Christiana.

NOs igitur juxta Apostoli commonitionem attendere volentes universo gregi, in quo nos *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: memores nos aliquando coram justo Judice, pro animabus commissæ nobis plebis, rationem reddituros esse, in primis sollicita cura duximus providendum: Ut in Ecclesiis per universam nostram provinciam, & Diœceses constitu- 1. Pet. 1. Ephes. 4.
E tis, sana, & syncera, tùm etiam una, consentiens, & concors sacrosanctæ fidei nostræ doctrina tradatur, quatenus populi curæ nostræ commissi, sicut uno Baptismo in spem vivam regenerati unum colunt Deum, unamque fidem profitentur, & unam omnes ambiunt unius Patris in cœlo hæreditatem: sic ad eandem una concordi doctrina erudiantur.

(Act. 20. Heb. 13.)

Proinde universos, & singulos Pastores, Parochos, Concionatores, & Curatos, per civitates, & Diœceses nostras constitutos, in Domino exhortamur, eisque districtè præcipiendo injungimus, ut tùm universam Christianam doctrinam, juxta receptum sanctorum sensum (vitatis noxiis novitatibus, & suspectis opinioni-

nionibus penitus omissis) plebibus sibi commissis fideli cura tradant: Tùm verò eos præcipuè, qui hisce temporibus in controversiam trahuntur, sacrosanctæ Religionis nostræ Articulos, in eam, quæ sequitur, sententiam explicent.

De sancta Trinitate, & fide Catholica.

CAPUT PRIMUM.

PRincipio, ut superbenedictæ Trinitatis fidem simplici populo non anxia nimis, & scrupulosa, sed plana, & simplici oratione, juxta scripturæ sacræ, & trium Symbolorum, Apostolici, Nicæni, & Athanasii traditionem, exponant, & eos unum Deum in Trinitate, Trinitatem in unitate credere, & confiteri edoceant. Unum, eundemque Deum in essentia, & in personis Trinum: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

De Creatione, & conservatione mundi.

CAPUT II.

HUnc Deum conditorem, conservatorem, & gubernatorem esse rerum omnium, in pœnis, & vindictis justum, simul & misericordem: in donis liberalem, omnis quidem boni; sed nequaquam mali culpæ authorem: Siquidem nos peccata, nulla impulsi necessitate, sed malitia, & vitio nostro, perpetramus.

De hominis Creatione.

CAPUT III.

Genes. 1. INter cætera bonitatis, & potentiæ suæ opera, Deum ab initio hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidisse, corporis, & animæ viribus rectum, ornatum justitia, & gratia: intus in anima
Ecclef. 15. pravis moribus vacuum, in corpore infirmitatis omnis, & omnium ærumnarum expertem, & à moriendi necessitate immunem. In voluntate ad bona, malaque appetenda ex pari liberum.

De lapsu hominis.

CAPUT IV.

QUi cùm mandatum Dei conditoris sui prævaricatus esset, sanctitatem, gratiam, & justitiam,
Genes. 3. Eccl. 40. Genes. 6. in qua erat constitutus, justissimo Dei judicio amisit: iræ Dei, ac damnationi obnoxius, & in corpore, simul & anima factus deterior, ut jam in corpore famem, sitim, & innumeras alias miserias, & infirmitates, in anima concupiscentiam ad mala prolicientem, multasque noxias, & molestas ærumnas, ac tandem utriusque, videlicet corporis, & animæ mortem sustineret.

De peccato Originali.

CAPUT V.

Rom. 5. Ephes. 2. Genes. 8. 1. Cor. 2. HOc primorum hominum peccatum propagatione in omnes homines transire, ac secum pœnam suam trahere, ut sint natura omnes homines iræ Dei, mortis, & damnationis rei, & in peccatum proni: Qui per libertatem arbitrii sui (quæ exigua, & infirma in iis residet) nondum adjuti gratia Dei, ea, quæ sunt spiritus, & ad salutem conferunt, non agnoscere, nedum appetere queant.

A

De redemptione per Christum.

CAPUT VI.

AB hoc Originalis peccati morbo homines sola Dei misericordia, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, liberari: Qui infirmitates, & languores nostros in se suscipiens, & peccata nostra in cruce perferens in corpore suo, Patri nos reconciliavit, ut satisfactionem pro delictis nostris, quam in nostris meritis non invenimus, de Christi sanguine, & meritis ejus assumamus: Cui dum per Baptismum inserimur, per Spiritum sanctum mundamur, & omnem reatum, quem nascendo, vel propriè peccando contraximus, renascendo exuimus, & ab omni prorsus pecca-
B to liberamur, & per Spiritum sanctum sanctificamur, & innovamur secundum internum hominem, viresq; contra relictæ concupiscentiæ impetus accipimus, *ut jam non regnet peccatum in mortali nostro corpore*: nec ad culpam nobis, sed ad meriti occasionem, si per gratiam Dei graviter pugnaverimus, concupiscentia in nobis sit relicta.

Rom. 5. Esaiæ 53. 1. Petr. 2. Cor. 5. Ephes. Tit. 3. Rom. 6.

De justificatione.

CAPUT VII.

C ATque hac ratione justificari homines, cùm qui immundi, & Natura iræ filii, & damnationis rei sunt per Christi meritum peccatorum suorum remissione impetrata, renovantur spiritu Dei per Christum secundum internum hominem: Ut jam justificati gratia ipsius, & reconciliati Deo, & ab æternæ damnationis reatu absoluti, hæredes sint secundum spem vitæ. Rom. 5. Tit. 3.

Talis autem Justificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores sunt, excitati, & adjuti, & eidem gratiæ sic excitanti, & adjuvanti consentientes, & cooperantes, ad Justificationem disponuntur.

Hanc verò prævenientem gratiam, cùm per alia media, tùm potissimum in prædicatione verbi, ad conversionem hominis operari, dum homo peccatorum suorum admonitus, & à Deo justo Judice constituta peccatis supplicia metuens, mox excitatus, & adju-
D tus Dei gratia, à timore peccati ad Dei misericordiam cogitatione deflectit; & cum alia omnia in scripturis revelata, tùm hoc præcipuè fide firma capit. Deum peccatoribus propter Christum misereri velle: Qua subnixus fiducia, spem concipit, & timorem animo ejicit, ac Deum, quem ad miserendum proclivem, sibique jam propitium credit, diligere, & peccata, quę ipsum à Deo separabant, odisse incipit, jamque Deo per Baptismum uniri: Si nondum est in Christo regeneratus, aut si post acceptam Justificationis gratiam in peccata relapsus est: per pœnitentiam Deo reconciliari desiderat, eique per vitæ novitatem placere, & per mandatorum ipsius observationem perpetuo adhærere velle proponit. Sicque is, qui tunc primo fidei Christianæ initiandus venit, regenerationis la-
E vacro suscepto, aut saltem votis expetito, dum suscipiendi facultas non suppetit: Ille verrò, qui post acceptam Justificationis gratiam per peccatum rursus excidit, per pœnitentiæ remedia Justificationem accipit. Quæ cum peccatorum remissione etiam sanctificationem, & interni hominis innovationem confert, quatenus per meritum Passionis Christi, quod jam credenti communicatur, cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum sanctum unà cum fide, simul Charitatem in corde diffusam, ac spem accipit. Hisque Dei donis in ipso permanentibus non jam solùm reputatur, aut nominatur, sed verè existit justus, non tamen sua propria, aut suis meritis comparata, sed ex gratia Dei, per Chri-

Genes. 2. 23. Act. 10. Joan. 1. 3. Re. Rom. 5.

.3. Chriſtum donata, & communicata juſtitia. A

ef.2. Itaque hominem juſtificari gratis per fidem, quia nullis precedentibus meritis juſtificatio acquiritur, ſed ex Dei gratia per Chriſtum donatur his, quibus in eum credentibus, mortis ejus, & fuſi pro peccatoribus ſanguinis meritum applicatur.

De charitate, bonis operibus, & merito eorum.

CAPUT VIII.

an.3. CHaritatem verò, ſine qua nemo juſtus eſſe poteſt, jam tùm, cùm in Juſtificatione hominis accedit, operibus bonis gravidam eſſe, nec otioſam manere in verè juſtificatis: Quin oblata occaſione, & facultate permiſſa, promat de ſe opus bonum, & quotidiana (B) faciat juſtitiæ incrementa, ſecundum ſcripturam: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*; Ea verò, quæ juſtificati jam, membra ſua exhibentes arma juſtitiæ in ſanctificationem, fide per dilectionem operante fecerint opera: Tùm quia Deus benè operantibus, & in ipſo ſperantibus mercedem miſericorditer promiſit: Tùm etiam, quia ejuſmodi juſtificatorum opera gratiæ Dei effectus ſunt, & movente, & adjuvante Spiritu ſancto fiunt, verè bona, & Deo grata, ac remuneratione vitæ ęternę digna eſſe.

Non enim ſecundum humanas vires æſtimanda ſunt juſtificatorum opera, ſed ſecundum eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus, ex qua deinde (C) bona ipſorum opera promanant: & ſecundum eam dignitatem, quam de Spiritu ſancto, velut omnis boni operis motore, & operatore, ſumunt. Sic enim extenuandæ vires humanę, ut non ſimul & gratia Dei vilis reputetur: Sic in bono opere faciendo, deprimenda eſt facultas hominis, ut interim cogitemus, Spiritus ſancti motum & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, ac pretioſum eſſe.

Obſervationem mandatorum Dei verè Chriſtianis eſſe poſſibilem.

CAPUT IX.

.24. EX eadem cauſa demonſtrandum eſt, Mandatorum Dei obſervationem renatis, ac juſtificatis eſſe (D) poſſibilem, non ſecundum Naturę infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem: ſed ſecundum gratiam Chriſti, qua imbuti ſunt, & ſecundum opem Spiritus ſancti, quem renati, ac juſtificati acceperunt: Ut jam divinorum præceptorum obſervatio renatis tanto ſit poſſibilior, quanto majorem gratiam, eodem ſemper opitulante Spiritu, vel ſemel acceptam retinent, vel amiſſam novo ſubindè munere recuperant.

De vera libertate Chriſtiana.

CAPUT X.

(E)

.5. EAm verò libertatem ſuam (quam lex ſpiritus, quæ eſt ipſa Charitas, diffuſa in cordibus noſtris, nobis affert) Chriſtiani intelligant, non ut impleant ea, quę in mandatis Dei exiguntur, ſed quatenus ad ea adimplenda, non ut alii homines pœnarum metu, & imperio legis compellantur, ſed ea jam non inviti, immo verò volentes faciant; Ita ut obedientia ipſorum ſecundum animi promptitudinem, & in recte factis lætitiam, vera libertas, ſecundum pręcepti adimpletionem, plena, & pia ſervitus exiſtimetur. Alioqui cupiditatibus frena laxare, & carnis curam ſecundum ejus deſideria facere, non Chriſti libertas, ſed pernicioſa Diaboli ſervitus reputanda eſt.

De ſacramentis in genere.

CAPUT XI.

DOceant etiam Paſtores noſtri, Septem eſſe Eccleſiæ Sacramenta divinitus inſtituta, per quæ velut apta remedia, atque inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſuæ gratię munera nobis impartiri Deus voluerit: eaque non eſſe ritus ſimplices (quod quidam impiè confingunt) ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritè ea ſuſcipientes, gratiam eis conferendo, ſanctificent. Gratiam verò Sacramentorum, non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito Miniſtri, ſed ex internæ, & divinæ operationis virtute, æſtimandam eſſe. Rom.3.

Modus doctrinæ circa Baptiſmum.

CAPUT XII.

ET ut populus virtutem, ac fructum uniuſcujuſque Sacramenti planè intelligat, concordi doctrina erudiri populos nobis commiſſos volumus, ut credant Baptiſmi virtute omne prorſus peccatum tàm Originale, quàm Actuale remitti, nec quidquam in ritè Baptizato relinqui, quod ab ingreſſu regni cœleſtis remorari eum queat. Concupiſcentiam enim, quæ poſt Baptiſmum in nobis, ad agonem, non ad culpam relinquitur, jam non eſſe peccatum vera ratione peccati: ſed peccatum ob id appellari, quod per peccatum facta, & ex peccato relicta ſit, & ad peccatum amplius inclinet. 1. Cor.6. Act.2. Rom.7.

De Baptiſmo parvulorum.

CAPUT XIII.

DAtum etiam Parvulis in fide Eccleſiæ Baptiſmum, ad abolendum Originale peccatum, & ad ſalutem conſequendam, efficacem eſſe: Eumque ſemel ritè, etiam à parvulo, ſuſceptum, aut ab hæretico, vel infideli in forma Eccleſiæ, cum recta intentione datum, ſine injuria Chriſti (in cujus mortis ſimilitudinem ſemel pro nobis redimendis tolerat, traditur) ſine grandi piaculo amplius iterari nec poſſe, nec debere: ne invocatio ſanctiſſimi nominis Dei, in qua ſemel ablutio data eſt, per iterationem quaſi vana accuſetur: & mors Domini, in cujus ſimilitudinem ſemel baptizamur, repetito Baptiſmo, quaſi inefficax arguatur. Rom.6.

Baptiſmum adhibitis Ritibus ſecundum veterem Eccleſiæ morem adminiſtrari debere.

CAPUT XIV.

PArochis verò, & aliis Eccleſiarum Miniſtris, per noſtras ditiones conſtitutis, ſedulo injungimus, & ſub gravi pœna, prævaricantibus ſine remiſſione infligenda, comminamur, ne aliter, quàm adhibitis Exorciſmis, & Exſufflationibus, Unctionibus etiam, & cæteris ritibus, per Catholicam Eccleſiam ab antiquo obſervari ſolitis, & in aqua non prophana, ſed ſolemni benedictione, & ſacri Chriſmatis unctione ſanctificata, extra caſum neceſſitatis Baptiſmum adminiſtrare præſumant.

Unctiones in Baptizatis parvulis omiſſas expleri debere.

CAPUT XV.

CUm autem circa ſacrum Baptiſma non rarò evenire ſoleat, ut myſticæ illę Unctiones, jam inde ab ini- De conſec. d.4. cap. ab antiqua.

ab initio Religionis Christianæ per universam Ecclesiam adhiberi solitæ, vel ex necessitate propter metum imminentis mortis infantium, vel etiam ex contemptu omittantur: Nos Parochis nostris hanc curam serio injungimus, eisque districtè præcipiendo mandamus, ut de pueris sic baptizatis diligenter inquirentes, si compererint alioqui debitam verborum formam observatam, Baptismum quidem sic traditum approbent: Eos verò, qui, dum baptizarentur, Unctiones non receperunt, serio exhortentur, & sedulo inducere tentent, ut consuetas Unctiones cum Oleo sancto, in pectore, & scapulis, & in vertice cum Chrismate (adjunctis solitis precationibus, quæ in Agendis habentur) aliosque ritus omissos, in seipsis per Catholicum Sacerdotem juxta vetustissimum Ecclesiæ morem cautè, & piè suppleri curent. Quod si deprehenderint in tali Baptismo nec formam debitam esse observatam, his, qui sic baptizati frustra putabantur, totum Baptisma secundum Ecclesiæ ritum tradant.

Baptismum ante meridiem administrari debere.

CAPUT XVI.

ET ut tanto mysterio debita omnino reverentia exhibeatur, Parochos, & Ecclesiarum Ministros serio monemus, ut manè intra officia Divina, aut mox post ea peracta (non autem tempore pomeridiano post epulas, & prandia, nisi necessitas, aut periculum infantium accelerare Baptismum exposcat) cum multa sobrietate, & accurata devotione Baptismum administrent, commessationes verò, & parum sobria convivia, quæ in quibusdam locis post Baptismum fiunt, per Civiles Magistratus inhiberi, aut saltem ad moderationem Christianis dignam reduci volumus.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Confirmationis.

CAPUT XVII.

Joan. 14. 15. 16. Act. 8. 19. SAcramentum Confirmationis ex institutione Christi, & Apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse, in quo, juxta Domini promissionem, Spiritum sanctum, quo in Baptismo ad peccati emundationem signati sumus, cum novo gratiæ suæ munere accipimus; videlicet ut virtute ejus contra Satanæ tentationes muniamur: ut gratia ejus ad melius capienda fidei mysteria illuminemur: & ad confessionem Christi fiduciam, & contra vitia robur accipiamus. Quę omnia Christus Dominus, per Spiritum sanctum, quem missurus erat, fidelibus conferenda, disertè promisit. Ea verò, ut erant à Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manuum impositionem in alios transfundi cœpta, actus ipsorum satis testantur: Unde Ecclesia Catholica Spiritum sanctum, per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam accepit.

De unctione Chrismatis in Confirmatione.

CAPUT XVIII.

Ibidem. DIligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum, ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita Chrismatis unctione, cœperit conferri. Nam cum in initio Spiritus sanctus ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret confirmatis: externa Unctione, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea verò adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus sanctus visibiliter descende-

A ret, mox in locum visibilis signi Unctio Chrismatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam, & spiritalem Unctionem repræsentaret, ut quid intus agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet.

De cognationibus, ex his duobus potissimum Sacramentis, Baptismi, & Confirmationis, provenientibus.

CAPUT XIX.

NOn raro ex impedimentis cognationum spiritualium, difficultates, & pericula solent evenire: Ad quę cohibenda decernimus, ne cuiquam, sive ex sacro fonte levando, sive ad Sacramentalem Confirmationem tenendo, plures, quàm unum Patrinum liceat adhibere. *Ex conc. Mogunt. Domini. Petri. confec. dist. 4. Non plures.*

B

Modus doctrinæ circa Sacramentum Pœnitentiæ.

CAPUT XX.

POenitentiam, velut secundam post naufragium tabulam, cujus præsidio, in peccatorum voraginem relapsi denuo perniciem effugimus, & gratiam reconciliationis, & remissionis peccatorum recipimus, Pastores nostri in Ecclesiis sedulo urgeant, & admoneant fideles, his partibus integram, & utilem Pœnitentiam absolvi: Contritione, Confessione, & Satis-
C factione.

De Contritione.

CAPUT XXI.

NEque enim remitti peccatum, cujus eum, qui admisit, non pœniteat.

De Confessione.

CAPUT XXII.

ET cum ad sananda hominum peccata Christus duplicem ministris Ecclesiæ suæ potestatem reliquerit, ut remittant, aut retineant, solvant, aut ligent:
D quatenus id remedium sanandis peccatis apponendum nobis Dominus tradidit, eatenus Confessionem cum enumeratione peccatorum faciendam nobis commendasse: Ut ex recensione peccatorum is, qui discernendi potestatem accepit, sciat, utram commissi muneris partem debeat exercere.

De Satisfactione.

CAPUT XXIII.

SAtisfactionem verò ab his, qui deliquerunt, doceant pręstandam. Non illam quidem, qua culpa peccati, & æterna pœna diluitur: hæc enim Satisfactio ex sola Christi propitiatione donatur: Sed illa à nobis præstanda est, qua pœna temporalis, quæ post
E culpæ remissionem nonnunquam remanet, aut Eleemosynis, aliisque pietatis operibus redimitur, aut Jejuniis, & aliis Satisfactionibus (quæ tamen ipsæ etiam ex merito Passionis Christi efficaciam sumunt) avertitur. *Dan. 4. 4. Cor. 11.*

De absolutione.

CAPUT XXIV.

SAcerdotes verò, qui Confessionibus audiendis dant operam, absolutionis formam non intricent pluribus membris, aut conditionibus appositis: sed

tis: sed planis, & simplicibus verbis depromant. Ego absolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Non tamen prohibemus, ut idoneo loco, seu ante absolutionem, seu post eam, orationes pro petenda delictorum venia, adjungant.

De iis, qui confessionibus audiendi præfici debent.

CAPUT XXV.

nodo ata nt. ardi- Nico- it. S. ad la, & lorico iepis. 453.

EPiscopis, qui curam animarum susceperunt, hac præsertim tempestate, qua variis, & perniciosis opinionibus simplicium animi, miserandum in modum, depravantur: summo studio enitendum est, ut audiendis Confessionibus, quæ ad formandas conscientias opportunè serviunt, Sacerdotes viri integri, & periti præficiantur. Unde omnes Superiores fratrum mendicantium (qui in hac parte Parochis in adjutorium accedunt) inducendos censemus, & serio monemus, ut fratres suos, quos ad audiendas Cõfessiones admittere destinaverint, prius Commissariis nostris exhibeant, qui eos aut per examen, aut fide digno suorum Superiorum testimonio dijudicent, num idonei sint, quibus ovium Christi salus tuto committi queat.

De reservatione Casuum relevanda.

CAPUT XXVI.

NE autem propter casus reservatos, à salutari Confessionis remedio homines retrahantur, dum vel in promptu Sacerdotem non inveniunt, qui eos absolvere possit: vel etiam famæ suæ, & sumptui timent, si longius pro absolutione consequenda ablegentur: Nos pudori simul, & sumptibus subditorum nostrorum consulere volentes, præsenti decreto ordinamus, & constituimus, ut deinceps omnes Parochi, per provinciam nostram ritè ordinati, & vocati, omnesque fratres mendicantes, per suos Superiores, ut præmittitur, præsentati, & per commissarios nostros approbati, potestatem habeant, vice, & nomine nostro, absolvendi Laicos contritos, & confessos à quibuscunque peccatis, occultis quantumvis gravibus, & enormibus, quæ alioqui authoritati nostræ ordinariæ reservari debebant: exceptis duntaxat Homicidis, Hæreticis, & Excommunicatis, ad nos, vel Commissarios nostros mittendis.

Ne Religiosi laicos communicent sine consensu Parochorum.

CAPUT XXVII.

Conci- itzla-

NUlli tamen Religioso (etiamsi ad confessiones audiendas, ut præmittitur, admissus fuerit) licere volumus, cuiquam Laico sacrosanctæ Eucharistiæ communionem, sine speciali consensu Parochi, ad cujus curam ille pertinet, porrigere. Quemadmodum & Parochis omnibus serio inhibemus, ne quemquam alienum Parochianum, sine consensu sui Parochi, extra necessitatem, sive ad confessionem, sive ad ullius Sacramenti perceptionem recipiant: Si tamen subditus rationabilem causam allegans, alii Sacerdoti Confessionem faciendi consensum à suo Parocho petiverit, talem ei consensum volumus non denegari.

Sine testimonio factæ confessionis nemo ad sacræ Eucharistiæ perceptionem admittatur.

CAPUT XXVIII.

II.

ET ne contempto Confessionis remedio, homines sacrosanctam Eucharistiam percepturi, periculum sibi, quod Apostolus indignis, & inexploratis graviter comminatur, accersant: Parochis nostris injungimus, ne posthac quenquam Parochianum, qui non suo Parocho Confessionem fecerit (saltem ubi non factæ Confessionis suspicio subsit) sine testimonio ejus, cui Confessionem fecit, ad sacrosanctam Eucharistiam admittere præsumant.

De confessione non revelanda.

CAPUT XXXI.

MAgnam etiam cautionem adhibere debent Confessarii Sacerdotes, ne de inusitatis criminibus, præsertim à junioribus inquirendo, inexpertis, novæ cupiditatis, aut criminis ante non tentati, occasionem objiciant. Caveant etiam, ne Confitentis peccatum sermone, vel signo, vel aliqua ulla ratione, prodant. Sed si consilio super aliqua re, in Confessione sibi manifestata, indiguerint: rem ipsam, sine ulla authoris mentione, ad peritiorem referant. Quod si Sacerdos alicujus crimen, per Confessionem sibi compertum, vel aperto judicio, aut saltem conditionis, aut loci, aut viciniæ, aut cujuscunque circunstantiæ significatione, revelaverit: à Beneficio Ecclesiastico remotus, ad arctum Monasterium ad agendam Pœnitentiam retrudatur. Nec etiam Sacerdos confessarius à quoquam, sibi Confitente, de peccatis alterius expresso nomine, ullo modo inquirere præsumat.

Ex Conc. Fritzlar. — *De pœnit. & rem. cap. Omnis.* — *De pœnit. & remi. Ex Concil. Fritzlar.*

De satisfactionibus.

CAPUT XXX.

SAcerdotes etiam Confessarios monemus, eisque præcipiendo injungimus, ne in usura, furto, rapina, aut fraude, absolutionem Confitenti impertiantur; nisi ea, quæ injustè abstulit, quatenus ejus facultates permittunt se restituturum promiserit. In aliis levioribus delictis, Satisfactiones, juxta qualitatem culpæ, aut confitentis possibilitatem, moderentur.

Eosdem hortamur juxta delictorum qualitatem Satisfactionis modum temperent, & avaris Eleemosynas, incontinentibus jejunia, pro satisfactione imponant. Quo semper Confitentium vitia contrariis virtutibus compensentur.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Eucharistiæ.

CAPUT XXXI.

DE veritate corporis, & sanguinis Dominici in Eucharistia, plebem ex verbis Domini instruant, ut credant, post Consecrationem, sub speciebus panis, & vini, veram corporis, & sanguinis Domini substantiam contineri: Nec jam dividi Christum, aut sanguinem ejus à carne separari unquam posse, quoniam amplius non moritur, ideoque sub alterutra specie Christum integrum contineri, & sub una specie tantum à fidelibus, quantum sub utraque sumi.

De communione unius speciei.

CAPUT XXXII.

CUm autem nemo fidelium dubitet, virtutem sacrosanctæ Eucharistiæ, non ex speciebus pendere, sed ex vivifica Christi carne, & sanguine provenire: jam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem, ad salutem sumentium æque utilem, & efficacem esse, quàm alterum sub utraque: Cum constet, non minus accipi in una specie, & eum quoque communicandi morem in una specie, jam inde ab initio praxis Christi, & Apostolorum, in Ecclesiam introduxerit. Unicuique autem fidelium, ex his duobus communicandi modis, eum merito tenendum esse, quem Ecclesia,

clesia, propter causas rationabiles, pro temporum ratione elegerit, & populo tradiderit observandum.

Ut à jejunis, & confessis Sacrosancta Eucharistia sumatur.

CAPUT XXXIII.

Parochis etiam, & Ministris Ecclesiarum serio inhibemus, ne cui extra casum infirmitatis, aut necessitatis sacrosanctam Eucharistiam, nisi jejuno, & confesso porrigere præsumant.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Extremæ Unctionis.

CAPUT XXXIV.

Sacram Unctionem doceant Pastores nostri, ad infirmorum, & eorum, qui ad vitæ exitum vergunt, præsidium, à pio Domino traditam esse, quam ejus jussu primi Apostoli exercuerunt. Quæ dum per orationem fidei infirmis adhibetur, per divinæ virtutis operationem contra corporis infirmitates, & terrores conscientiæ, alleviationem, & hilaritatem ritè sumentibus præbet, leviora peccata tollit, & graviorum restantes reliquias expurgat, juxta Apostoli testimonium, & receptam consentientis Ecclesiæ doctrinam.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Ordinis.

CAPUT XXXV.

In collatione ordinum, quæ cum impositione manuum, velut visibili signo, traditur: doceant, ritè ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad Ecclesiastica munera ritè, & utiliter exercenda, apti, & idonei efficiantur, & qua rata sint, & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Ecclesia, juxta Christi, & Ecclesiæ institutionem, geruntur. Hanc verò gratiam esse ordinis, & muneris, non hominum, aut personarum, nec ad cujusquam privatam, sed ad communem totius Ecclesiæ utilitatem accommodari. Ideoque in ritè ordinatis, sive boni, sive mali sint, efficacem esse. Atque ita inter dispares Ministros Domini nostri dona semper æqualia, semper bona, & sancta permanere.

Modus doctrinæ circa Sacramentum matrimonii.

CAPUT XXXVI.

De hoc Sacramento doceant Pastores nostri, Matrimonium ab initio ad officium institutum, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium cessisse; ut jam hæc maris, & fœminæ commixtio, quæ alioqui, propter turpem concupiscentiæ motum, peccato ex se non careret, propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non
Hebr. 13. imputetur: Sed sit *honorabile in omnibus connubium, & torus immaculatus*, esse autem conjunctionem maris, & fœminæ, duorum tantùm, nec alicujus tertii consortium, nec duorum à se invicem separationem, nisi per alterius mortem, ullo modo admittentem. Quod si ob fornicationem (quæ sola illis separandi
1. Cor. 7. causa à Domino permissa est) conjuges invicem dimiserint, manere debere innuptos, aut dimisso conjugi reconciliari, & neutri eorum, donec vixerit prior conjux, ad secunda transeundi Matrimonia potestatem esse.

Matrimonia etiam sine consensu parentum legitimè inita non debere rescindi.

Hanc conjunctionem ex libero consensu contrahentium per verba de præsenti expresso stabiliri, nec A à parentibus (si fortè eorum voluntas non accesserit) rescindi posse.

Monendos liberos, ne, insciis parentibus, contrahant.

CAPUT XXXVII.

Volumus tamen liberos sedulo admoneri, ut divini præcepti memores, velint in parentum esse potestate, nec, illis insciis, aut invitis, inire Matrimonia, aut quidquam rei seriæ inchoare præsumant.

De matrimonii solemnitate.

CAPUT XXXVIII.

B Et ut Matrimonio suus honos conservetur, conjunctiones conjugum volumus in conspectu Ecclesiæ, adhibita celebritate consueta, confirmari: ne per occultas copulationes, sub prætextu conjugii, illicitæ libidines grassentur. Et ut pericula, quæ ex clandestinis copulationibus suboriri possunt, excludantur: nomina contrahere volentium, ante conjunctionem, tribus diebus festivis, non immediatè se invicem sequentibus, sed per aliquot dierum intervalla à se distantibus, in Ecclesia coram multitudine proponi debent: ut si qui impedimentum Matrimonii inter eos noverint, id ante nuptiarum diem Parocho revelent. Nec contra hujusmodi denunciationem, nisi ex ardua, & necessaria causa, dispensari debet. Quod
C si qui tempore hujus denunciationis præsentes fuerint, & impedimentum reticuerint, post conjunctionem in conspectu Ecclesiæ celebratam, amplius ad ejus Matrimonii accusationem, aut ad testimonium contra ipsum, admitti non debent. Caveant etiam Parochi, & Curati nostri, ne peregrinos, & ignotos ad Matrimonia jungenda admittant, nisi libertatis suæ testimonia ex his locis attulerint, ubi prius vixerunt. Levitates verò, quas in pulsando sponso (& si quæ sunt similes) abusus in ipsam usque Ecclesiam invexit, omittantur: Saltationes lascivæ, & comessationes parum sobriæ, si in tantum tolli nequeant, saltem ad moderationem Christianis dignam reducantur, ut sic hilaritas nuptialis, pie-
D tate, & modestia condita, oculis Dei, qui Matrimonii author, & copulator est, commendetur. Parochis, seu Curatis, per universam Provinciam nostram constitutis, injungimus; si sub cura sua habuerint subditum, qui mulierem, cui Matrimonio jungi per impendimenta Canonica non potest, tamen uxoris loco publicè foveat, ut ad dimittendam eam, ipsum serio exhortentur: aut, si Matrimonium eorum dubium sit, num de jure subsistat, eosdem infra duos proximos menses ad nos, aut Officiales nostros, pro declaratione accipienda venire jubeant. Quod si sic moniti ab invicem non discesserint, aut declarationem, ut præmittitur, non petiverint, aut nostræ, vel Officialium nostrorum decisioni, & sententiæ non acquieverint, ab Ecclesiasticis Sacramentis protinus arcean-
E tur, & nisi ante mortem peccatum suum emendaverint, aut saltem id confessi fuerint, aut serium super eo animi dolorem ostenderint, Ecclesiastica etiam sepultura priventur.

Ex Frit. de S. & L. mon.

De benedictione salis, aquæ, & aliarum rerum, quæ per Exorcismos, & orationes ad usum fidelium præparantur.

CAPUT XXXIX.

Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras quasdam res, in usum fidelium, per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendet, qui secum

cum reputaverit, Ecclesiam inter cætera salutis, & utilitatis suæ, cùm augendæ, tùm conservandæ præsidia, etiam exorcizandi potestatem, contra insidias Dæmonum, aliasque noxias pestes avertendas, accepisse. Quam potestatem, dum per res externas, ad utilitatem fidelium, exercet Ecclesia, nimirum in eo Sanctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quosdam effectus, divino jussu res corporales adhibuisse leguntur. Quem morem in Ecclesiis nostris præcipimus conservandum, dummodo populum Pastores sedulo doceant, effectus, qui inde petuntur, non ipsarum rerum efficaciæ, sed divinæ virtutis operationi, per fortissimi nominis divini invocationem, tribuendos esse. Et caverint, ne rebus talibus ad impias superstitiones abuti quisquam præsumat.

De ceremoniis.

CAPUT XL.

Similiter & reliquas Ceremonias, quæ aut in cultu divino ornatum augent, aut mentes hominum ad pias, & utiles cogitationes excitare possunt, diligenter retinendas censemus, præsertim eas, quas ex multa antiquitate profectas, & per universam Ecclesiam observatas, quasi per manus traditas accepimus. Quales sunt, quæ in administratione Sacramentorum adhiberi consueverunt, quibus adnumeramus, ut templa (velut orationum, & divini cultus, & Sacramentorum officinæ) per loca idonea habeantur, ad quorum ornatum (simul etiam velut divini cultus, & promovendæ pietatis apta instrumenta) in iis signa crucis, aliasque imagines, vexilla, vestes sacras, altaria, & vasa sacra, conservari, & usurpari volumus.

De imaginibus.

CAPUT XLI.

Imaginum autem usum, velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis utilem, in Ecclesiis nostris retineri serio mandamus, dummodo Pastores nostri populum accuratè moneant, imagines non ad id proponi, ut adoremus, aut colamus eas: sed ut quid adorare, aut colere, aut quarum rerum utiliter meminisse debeamus, per imagines recordemur. Procaces verò Imagines, & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potius vanitatis speciem, quàm ad pietatis commonitionem effigiatas, in templis proponi omnino vetamus, tàm lascivam artis ostentationem, frugi, & severo patrifamilias intra privatas ædes gravem, templis prorsus intolerabilem censentes.

De abusu imaginum prohibendo.

CAPUT XLII.

Cum utilis, & legitimus Imaginum usus intra eos limites contineri merito debeat, ut simplex populus non ipsas Imagines adorare, aut fiduciam in eis ullam ponere: sed quem adorare, quosve honorare, & unde omnia bona sperare debeant, per imagines discant recordari. Nos pravæ superstitioni viam præcludere volentes, omnibus locorum Ordinariis injungimus, ut si fortè in Territoriis suis, ad Imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius Imaginis figuram respectum habere, & quasi quandam Divinitatis opinionem illi tribuere, animadverterint: ipsam Imaginem (adhibitis prius in consilium Theologis, & Christianorum antiquitatum scientissimis, juxta ac pientissimis viris) pro causæ qualitate, aut tollant, aut mutent, & aliam, à prima notabili quantitate differentem, reponant, ne rudis populus,

A in intellectu suo depressus, & ideo per media corporalia ad divina erigendus, spem suam contra Ecclesiæ intentionem, in corporali, & quidem certa Imagine, privata phantasia, atque inhæsione collocet, quasi in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non aliter, inducatur Deus, & Sancti, id facere, quod petuntur. Verum hæc omnia, uti dictum est, de Theologorum & sapientissimorum virorum sententia, ut sic salubri Ordinariorum providentia à pernicioso Idololatriæ scelere populi præservetur.

De reliquiis Sanctorum.

CAPUT XLIII.

B Reliquias etiam Sanctorum, velut divinæ gratiæ olim receptacula, & verissima Christi membra, & pura Spiritus Sancti domicilia, monemus in Ecclesiis nostris, vel ob id proponendas, & religiosa pietate venerandas, ut per eas fideles commoniti discant virtutem, & fidem Sanctorum imitari; Et alicubi in iis sanguinolentas notas, & pro fide Christi tolerati Martyrii vestigia, cernentes, admoneantur spem fidei nostræ non esse inanem, pro qua omnia dira pati, sancti Martyres in animum sibi induxerunt. Quorum exemplo, ipsi etiam, ad adversitatum omnium tolerantiam animentur.

De peregrinationibus ad reliquias Sanctorum.

C

CAPUT XLIV.

Peregrinationes etiam ad certas Sanctorum Reliquias, aut ad templa memoriis eorum dedicata, vel ob id Christiano populo censemus permittendas, ut ex ipsorum locorum admonitione homines ad imitandam Sanctorum fidem, pietatem, & constantiam, vehementiori affectu incitentur, & ut majori devotione se meritis Sanctorum sociari, & eorum precibus adjuvari postulent, dummodo sedulo caveant Pastores nostri, ne uspiam incertæ Reliquiæ, aut novæ sine Ecclesiæ authoritate, aut ne ullæ etiam ad quæstum proponantur, & ne concursu superstitiosi ad statuas, prophanis potissimum locis sitas, aut privata au-
D thoritate erectas, fiant.

De invocatione, & veneratione Sanctorum.

CAPUT XLV.

Doctrinam magno totius Ecclesiæ consensu jam inde ab initio receptam, & quasi per manus traditam, retineri in Ecclesiis nostris omnino volumus: Sanctos videlicet, qui in fide Christi nos præcesserunt, & vitæ hujus cursum beato fine clauserunt veluti ejus corporis, quo Christo conjungimur, nobilissima membra, à nobis merito honorari, non tamen eo, qui uni Deo debetur, cultu: sed eo societatis, & dilectionis cultu, quo in hac vita sancti homines à nobis ritè coli possunt. Illos tamen tanto devotius, quanto
E securius post incerta omnia superata, quando etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc usque pugnantes. Quorum etiam meritis associari, & orationibus adjuvari, ritè petimus, qui uno Spiritu nobiscum colligati, velut ejusdem corporis membra, utique hac nobis lege Charitatis obligantur, qua pro invicem membra sollicitudinem gerere, & pro invicem orare jubentur, ut salutem consequantur: Quod eo magis Sanctos in alia vita pro nobis facere confidimus, quo illis post infirmæ carnis depositionem, & ferventior Charitas, & de se securis, ad promovendam aliorum salutem, promptior facultas accessit.

August. contra Faustum lib. 20.

1. Cor. 12. Jacobi 5.

A

De orationibus pro defunctis, & de Purgatorio.

CAPUT XLVI.

EX eadem lege Charitatis, qua nobiscum adhuc cohærent, qui in fide, & communione Christi ex hac vita migrarunt, tenendum est, Defunctos vivorum pietate, & orationibus adjuvari, saltem eos, qui cum viverent, ut eis hæc prodesse possent, meruerunt. Qui non ita boni ex hac vita discesserunt, ut iis non indigeant, nec ita mali, ut eis hæc prodesse non queant.

Est autem consentiens Ecclesiæ doctrina, multarum scripturarum collatione, & evidenti ratione firmata, Talem esse quemdam medium decedentium statum, qui non mox, ut carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum consortia admittantur: In quos, moderata, & mixta clementiæ severitate, vindicat ad tempus is, qui & misericordiæ suæ, & tormentorum modum, & mensuram novit. Alioqui, cum ex iis, qui peccaverunt, & per pœnitentiam sanantur, alii in hac vita multas adversitates, alii aut parvas, aut nullas experiantur, & cum multi ex hac vita migrent, à lethalibus quidem criminibus immunes, levioribus tamen alius alio magis implicatus, quorum tamen nemo, sive ob plura, sive pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam sustinebit: Non facilè modus inveniri posset, quomodo Deus, qui est in omnibus, & erga omnes justissimus, non injustus videretur, si non post hanc vitam per temporales, & non æternas pœnas omnium compensatio expectaretur.

Ratio pro purgator.

B

C

De jejunio, & delectu ciborum.

CAPUT XLVII.

PLebem Christianam Pastores nostri (sumpta ex divinis literis commonitione) ad perpetuam vitæ sobrietatem sedulo cohortentur, ut cibi, potusque moderatione carnis lasciviam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberius intendere queant. Eos verò, quos necessitas nulla excusat etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda inducant: Ipsumque jejunium divini esse præcepti doceant. Tempora verò jejunandi, prout salubritati corporum, & animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata, & totius Christiani orbis consensu recepta, & jam inde ab Apostolorum temporibus observata sunt, quæ qui extra necessitatem non observaverint, velut Ecclesiasticæ disciplinæ violatores, & consuetudinum Ecclesiæ temerarii contemptores, severitate pœnarum coerceri debent.

D

Huic jejuniorum observationi jungendus est ciborum delectus, itidem consensu totius Ecclesiæ ad nostra usque tempora retentus, monendique sunt fideles, ut diebus jejuniorum, similiter sextis Feriis, & Sabbatis, à carnium, & aliorum ciborum esu, quos Ecclesiæ consuetudo per eos dies huc usque vitare perseveraverit, extra legitimam necessitatis excusationem, sibi temperent, non quidem ab iis, velut immundis, abstinentes: Sed edomandi corporis causa, propter animam, ab irrationabilibus motibus amplius humiliandam. Non tamen existiment Christiani, sola carnis abstinentia se Deo gratos esse posse (cum meminerint, primos homines, qui carnem nondum gustaverant, ob vitæ nequitiam, diluvii immissione deletos) sed cum abstinentia carnis, etiam cæterorum ciborum moderationem, & perpetuam totius vitæ sobrietatem conjungant.

E

De constitutionibus Ecclesiæ.

CAPUT XLVIII.

DE Constitutionibus Ecclesiæ, quæ ad disciplinam Ecclesiæ continendam, ad bonum, & decentem ordinem in Ecclesia tuendum, & conservandum, & ad pietatem publicè, ac privatim promovendam, introductæ sunt: Pastores plebem sibi commissam probè, & diligenter instruant, ut discant, eas ab ordinata potestate conditas, velut Dei ordinationes, reverenter agnoscere, & gratanter eisdem obedire. Sive hæ constitutiones serventur ex consuetudine, quam Paulus violari non vult. *Si quis vult contentiosus esse* (inquit) *nos talem consuetudinem non habemus*, neque Ecclesia Dei: Sive tradantur scriptis Canonibus, quales Apostoli Spiritui Sancto tribuere non verentur. *Visum est* (inquiunt) *Spiritui sancto, & nobis*. Itaque plebs Christiana Ecclesiæ constitutiones, nequaquam, ut traditiones hominum (quales erant Pharisæorum, ad subversionem divinæ legis adinventæ, quibus Deus frustra colitur) aspernentur: Sed, ut ad pietatem colendam, & continendam in officio plebem utiles libenter amplectantur, nec eas existiment sine grandi piaculo violari posse; considerantes, etsi hoc in præceptis divinis non continentur, quod tales Majorum nostrorum constitutiones jubent, tamen ut Majoribus obediamus (saltem in iis, quæ legi divinæ non adversantur) diserti juris divini est. Unde & per occasionem talium constitutionum transgressiones grandis peccati reos faciunt temerarios violatores: maximè, dum ex contemptu, aut cum scandalo charitatem violant, quorum utrumque per se peccatum mortale operatur. Alioqui Ecclesia constitutiones suas charitati, & necessitati libenter submittit.

1. Cor. *Act.* 1

Hanc doctrinam, quæ in superioribus compendio traditur adjecta institutione ad Christianam pietatem, diffusius explanari curabimus. In qua omnia, quæ ad sacræ Religionis nostræ fundamenta pertinent, & Christianis omnibus cognitu admodum necessaria sunt, copiosius explicabuntur: Quam à Parochis, & Pastoribus nostris diligenter legi, & ex ea populos sibi commissos, in iis, quæ sunt fidei, sedulo erudiri volumus.

Ne ignoti, & inexplorati, ad prædicationis munus admittantur.

CAPUT XLIX.

ET quo minus in posterum salutaris Christi doctrinæ synceritas perversis dogmatibus, aut noxiis opinionibus, & hæresibus depravetur: Decernimus, definimus, & præcipimus, ut homines vagi, & ignoti, qui testimonia Episcoporum suorum, tàm ejus à quo recesserint, quàm illius, ad cujus Diœcesim diverterint, non habeant à Ministerio verbi, seu prædicationis officio, in Provincia nostra prohibeantur, & soli admittantur hi, qui ad id munus ritè vocati, & ordinaria authoritate examinati fuerint, & approbati.

Ex Di[...] sana S[...] do Mog[...] tiæ ce[...] brata [...] 1648.

Fratres tamen mendicantes, quorum plerique pietate, & doctrina satis instructi, in asserenda Catholicæ doctrinæ veritate, his temporibus utilem sanè operam præstant (saltem ubi tales noti sunt, & probitatis, doctrinæ, & modestiæ suæ testimonium à suis Superioribus habent) à concionandi munere excludere non intendimus. Quos tamen ipsos, etiam priusquam concionandi munus in Provincia, aut Diœcesibus nostris, sibi usurpent: nobis, aut Vicariis nostris præsentari, & per eos, vel examine prævio, vel sufficienti, & fide digno suorum Superiorum testimonio, tanquam ad id munus idoneos approbari volumus.

A

Observandi Parochi, & concionatores, quomodo quisque doceat.

CAPUT LXIII.

ET ut pestilentes doctrinæ, & perniciosi errorum Magistri ex Ecclesiis protinus ejiciantur: mandamus, & injungimus Visitatoribus nostris, Archipresbyteris, seu Decanis Ruralibus, & Testibus Synodalibus, nunc existentibus, aut in posterum futuris, ut Diœceses crebro, & sedulo lustrantes, si quos compererint Ecclesiæ Ministros, in exponendis scripturis sacris, & administrandis Sacramentis, ab Orthodoxorum Patrum communi consensu, & recepta Ecclesiæ consuetudine, & authoritate deflectentes: tales Ordinario loci, aut B ejus Fiscali, pro excessuum qualitate, aut corripiendos, aut è Ministerio Ecclesiæ prorsus abjiciendos, denuncient.

Iidem, si quos per Diœceses viros, doctrina, & pietate excellentes, & ad ministeria Ecclesiæ idoneos cognoverint, loci Ordinario in locum abjectorum sufficiendos, aut alioqui destitutis Ecclesiis præficiendos commendent.

Commisimus autem Vicariis, seu Officialibus nostris, eisque in hoc viros pios, & peritos adhibuimus, aut Archipresbyteris, & Testibus Synodalibus, tales querelas ad Religionem pertinentes deferentibus, consilio, & auxilio sint.

De his, qui plura beneficia Curata obtinent.

CAPUT LXIV.

RES ipsa loquitur, plura beneficia, potissimum quibus animarum cura submissa est, non sine gravi Ecclesiarum damno ab uno obtineri: Cum unus in pluribus Ecclesiis ritè officia persolvere, aut rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur, juxta Reformationis commonitionem, contra hanc Ecclesiarum calamitatem, velut salubre remedium, illud Lugdunensis Concilii decretum opponentes, singulos ejusmodi Curatorum beneficiorum detentores monemus, & districtè eis præcipiendo injungimus: Ut intra trimestre tempus, post hujus Synodi Provincialis exitum, nobis, aut Comprovincialibus nostris, locorum Ordinariis D dispensationes, quarum prætextu ejusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia, quasi eo ipso illicitè obtineri convincantur, post trimestre tempus elapsum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debent. Quod si dispensatio alicujus legitima, & sufficiens videbitur, is beneficia sine molestia retinebit: Nihilominus tamen providebit, per idoneorum, & Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, nec cura animarum in his Ecclesiis negligatur, nec ipsa beneficia debitis officiis fraudentur: Alioqui negligentia ejus, per Ordinarium de fructibus beneficii suppleri, & ipse insuper subtractione certæ portionis reliquorum fructuum pro arbitrio Ordinarii puniri debet. Sin dispensationes invalidæ, aut non satis legitimæ visæ fuerint, si is, E qui earum prætextu plura beneficia Curata obtinuit, uno retento, cætera libere resignare recusaverit: causa illius ad sedem Apostolicam referatur, ejusdemque judicium expectetur, quem sui beneficii modum esse velit. Quod si quis in diversis Diœcesibus ejusmodi beneficia Curata obtineat, à quolibet Ordinario ad talem exhibitionem compelli debet. Et si legitima dispensatione munitus non fuerit, ultimo, quod accepit, beneficio retento, cætera resignet, cum juxta juris communis dispositionem, per subsequentis beneficii Curati acceptationem, quod prius obtinebat, ipso jure vacare dignoscatur.

De generalibus studiis instaurandis, & conservandis, Et de Adolescentibus ad studia publicè alendis.

CAPUT LXV.

PRudentes homines facilè prospiciunt, & boni, ac pii jam diu queruntur interitum studiorum, quæ in hac misera perturbatione rerum saltem in locis Catholicis, propemodum in universum perierunt: In primis Ecclesiastici Status extirpationem, adeoque sacrosanctæ Religionis, ac totius Reipublicæ Christianæ ruinam secuturam esse. Cum enim successio eorum, qui utranque Rempublicam administrare debent, ex juventute dependeat, si illa, aut pravis, aut nullis doctrinis imbuatur: spes nulla esse potest, aut in Ecclesiis puritatem Religionis, aut in externa Politia pristinam tranquillitatem, unquam nobis reddi posse. Itaque quanto quisque desiderio sacrosanctam Religionem nostram post se superstitem relinqui, ac porro salvam conservari expetit, quanto desiderio communis patriæ incolumitatem, & vivus restitutam videre, & ad posteros transmittere satagit: tanto conatu ad instaurationem studiorum incumbere debet. Præsertim verò homines Ecclesiastici, quibus etiam hujus vitæ benè, ac beatè transigendæ omnis facultas, ab incolumitate Religionis (quæ sine studiorum auxilio nequaquam durare potest) dependet, ad studiorum conservationem, veluti ad unicum status sui conservandi, & retinendæ dignitatis præsidium, omnes vires suas certatim conferre debent. Hinc Comprovinciales nostros in C Domino exhortamur, & serio commonemus, eisque pro authoritate nostra metropolitica injungimus, ut omni cura, ope, & industria, ubique per universam Provinciam nostram, studia præcipuè generalia instaurare, promovere, & conservare satagant, & hanc Religioni, ac publicæ tranquillitati perniciosam necessitatem parentibus juventutis adimant: qui alioqui sanctæ Religioni nostræ bene affecti, tamen ex neglectu studiorum in locis Catholicis, compelluntur filios suos ad alias Universitates, & Scholas ablegare, ubi unà cum literis, noxias de Religione opiniones hauriunt, quibus infecti, & perversi domum redeuntes, ipsos plerunque parentes, ac totam sæpè viciniam pestilentibus opinionibus imbuunt, & sinceritatem fidei Christianæ in eis corrumpunt. Ad quam perniciem avertendam, omnes boni, quos ulla pietatis ratio, & sacræ Religionis nostræ amor tangit, & in primis Proceres Ecclesiastici, omni conatu incumbere debent, quatenus in hac re saluti civium, & sanctæ Religionis profectui, & publicæ tranquillitati consulatur.

Nec minorem curam, & sollicitudinem Comprovinciales nostri circa Scholas, per suas Diœceses in Civitatibus, & Pagis constitutas, impendere debent, ut passim instaurentur, & conserventur, & eisdem idonei, & Catholicæ veritatis amantes, & de hæresi non suspecti, præficiantur Pedagogi.

Et ne desint, qui ad messem spiritualem, velut idonei Operarii, mitti ritè queant: Comprovinciales nostros similiter, per honorem Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & sacrosanctæ Religionis nostræ conservandæ, & promovendæ amorem, exhortamur, quatenus curare velint, ut aliquot Adolescentes felicioris ingenii, & melioris spei (quibus ad studiorum suorum sustentationem, à parentibus, & propinquis facultates non suppetunt) publicis Ecclesiarum, & monasteriorum sumptibus in studiis alantur: Qui ad Theologiæ studium operam suam applicent, in qua si operæ pretium fecerint, deinde Ecclesiis, & Parochiis per Diœceses præficiantur. Quos in Ecclesiarum Ministerio servituros, maximè convenit earundem sumptibus sustentari.

De clericis sæcularibus, & Regularibus, ad studia ablegandis, & de studiis, apud Monasteria instruendis, & conservandis.

CAPUT LXVI.

ET quo magis Ecclesiæ idoneis Ministris abundent, decernimus, ut Capitula quarumlibet Ecclesiarum, in Provincia Moguntina constitutarum, ex Clericis sæcularibus beneficiatis, juxta cujusque Collegii facultates, & personarum numerum Adolescentes aliquot bonæ spei, & docilis ingenii, ad privilegiatas Universitates, pro studio potissimum Theologico (cujus usus cum primis est Ecclesiis necessarius) mittant. Et iis ad quinquennium fructus beneficii omnes (exceptis quotidianis distributionibus) concedant. Si tamen cœptis studiis gnaviter incubuerint, & de profectu eorum fructus speretur (negligentes enim, & pravis moribus deditos, Ecclesiarum patrimoniis non existimamus alendos) ubi fructus Præbendæ non suffecerint, de communi Ecclesiarum censu, pro cognitione Prælatorum, pars adjiciatur. Eos verò, qui sic mittuntur, capitulis suis sufficientem cautionem præstare volumus, sese in ordine Clericali permansuros esse. Quod si, mutato proposito, ab ordine Ecclesiastico resiluerint, & ad Matrimonia, seu negocia sæcularia se transtulerint, ad restitutionem omnium fructuum, aut sumptuum Ecclesiasticorum, quos sic perceperint, eos teneri, & omnino compelli volumus.

De Clericis verò Regularibus, dispositionem Reformationis, & juris communis volumus observari. Ut Monasteria opulentiora, intermissa studia, in primis verò Theologica, apud se instaurent. Quæ verò minus opulenta sunt, & pauciores habent Monachos, aliquot tamen juvenes felicioris ingenii ad ejusdem Ordinis, & Provinciæ Monasterium, in quo studia vigeant, ablegent. Ubi verò Prælati, sive Sæculares, sive Regulares, in ea re negligentes fuerint, per Ordinarium debent ad hoc debitis pœnis compelli.

De Theologiæ apud Ecclesias Collegiatas professoribus.

CAPUT LXVII.

COllegiis Ecclesiarum, juxta Reformationis præscriptum injungimus, ut doctores, qui Theologiam profiteantur, pro cujusque Ecclesiæ facultate, & conditione conducant: Contra negligentes sic Actui, ne quid vel in publicis, vel in privatis hisce studiis constituendis, ad pietatis incrementa passim promovenda, quantum in nobis fuerit, desideretur.

De patronis, & collatione beneficiorum.

CAPUT LXVIII.

De præbendis c. Gravenimis.

REs est perniciosi exempli, & quæ gravem sæpe Ecclesiis calamitatem affert, quod Patroni, tùm Ecclesiastici, tùm Laici, propinquitate junctos, aut aliis meritis, & officiis sibi conciliatos sine omni ætatis, aut eruditionis respectu, idoneis præteritis, ad beneficia Ecclesiastica admoveant. Alii de Censibus beneficiorum partem sibi retinent, aut etiam in totum fructus beneficiorum intercipiunt, his, quibus ea ad speciem infamis cupiditatis suæ obvelandæ conferunt, inanem modo titulum relinquentes: Quos præsenti constitutione Provinciali in Domino hortamur, & peremptoriè monemus, ut à pernicioso hoc conatu sibi temperent, alioqui severitate pœnarum rigide censemus coercendos, ac talis beneficii collatione, vel præsentatione, saltem pro hac vice, aut pro gravitate excessus, per omnem vitam suam privandos; Ita tamen, ut collatio talis beneficii, hæredibus, aut successoribus eorum integrè restituatur, & liberè permittatur. Quo verò perniciosam temeritatem Patronorum, à Curatis beneficiis salubri consilio prorsus secludamus: districtè præcipimus, ne quis Prælatus, seu Officialis ejus, ad quem munus investiendi pertinet, ad beneficium, cui animarum cura annexa est, quemquam investire præsumat, nisi qui annum ætatis suæ Vigesimum Quintum attigerit: & qui in cæteris idoneus, etiam ordines, quos cura Ecclesiæ, cui præfici vult, requirit, aut habeat, aut infra tempus à jure statutum se suscepturum, sub amissione beneficii, ad quod investiendus est, promiserit: & qui censum istius Ecclesiæ, ad suam sustentationem sufficientem esse, eumque sibi à Patrono integrum relinqui, docuerit. Alioqui investituram talem inanem, & irritam, & salutaris hujus inhibitionis temerarium transgressorem, ipso facto ab officio suspendendum, & arbitrio Ordinarii sui puniendum decernimus. Eum verò, qui præsentationem, seu provisionem alicujus beneficii, sive Curati, sive non Curati, à Patrono receperit cum tali pactione, ut Patronus de proventibus beneficii portionem reservet, ad tale beneficium prohibemus investiri; aut si post investituram talem pactionem fecisse deprehensus fuerit, beneficio decernimus privandum, & eidem beneficio alium idoneum præficiendum.

De admissione ad beneficia Ecclesiastica, & eorum Resignatione.

CAPUT LXIX.

UNiversis Archipresbyteris, aut aliis Commissariis nostris serio inhibemus, ne quem ad alicujus beneficii possessionem, vel ad regimen, aut ad officiaturam alicujus Ecclesiæ admittant, nisi qui investituram, seu provisionem, & institutionem suam Canonicam, literis earumdem sigillatis ostenderit. Beneficium verò, quod quis legitimè tenuit, non aliter quàm in manus nostras, aut Vicarii, seu Officialis nostri, sive alterius Collatoris Superioris, ad hoc potestatem habentis, resignare, aut dimittere præsumat, &c. *Petrus Archiepisc. Mogunt.*

De justa distributione proventuum Ecclesiasticorum.

CAPUT LXX.

PErniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore, & animarum periculo, gravique Ecclesiarum detrimento conjunctus, quod in Ecclesiis quibusdam Cathedralibus, & Collegiatis, potissima proventuum portio, Canonicis etiam apud Ecclesias non residentibus, nec quicquam utilis, aut necessarii Ministerii exequentibus, distribuitur: vicariis, qui diurna, & nocturna fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam misere sustentandam ægrè sufficiat, relicto. Hinc Capitula, & Canonicos Ecclesiarum in Domino exhortamur, ut æquitatis, & rationis olim Deo reddendæ memores ad functiones Ecclesiis suis necessarias, his, qui eas gerunt, de fructibus Ecclesiarum sufficientem, & honestum victum deputent: ne causam præbeant de Ecclesiarum proventibus necessario aliter disponendi.

Ut præpositi, Decani, Scholastici, Custodes, & Cantores apud Ecclesias suas resideant.

CAPUT LXXI.

CUm constet, harum dignitatum officia Majores nostros ideo in Ecclesiis instituisse, ut essent, qui disciplinam Ecclesiasticam, tanquam inspectores, & moderatores, conservarent: jam videamus, ea ab iis occu-

occupari, qui dignitatum titulos tantum gerunt, & A emolumentis gaudent, & tamen ab Ecclesiis suis absunt, nihil minus, quàm appellationibus suis respondentes. Quare statuimus, ut posthac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenus hæ ad nostram, aut Comprovincialium nostrorum dispositionem pertinent) jam præfulgent, aut porrò ornandi erunt, præsentes suis Ecclesiis, utilem, & nomine dignam operam præstent: Non absentes fructus tantùm auferant, neque liceat cuiquam absenti ullam harum dignitatum gerere: Sed quisque tali titulo insignitus, suæ Ecclesiæ non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse inserviat.

De modo deserviendi quotidianas distributiones. B

CAPUT LXXII.

Sess. 3. CUm Apostolus victu, adeoque ipsa vita, indignos judicet homines otiosos, qui panem non labore suo partum, cum gravamine aliorum edunt: Quanto graviori indignationi divinæ eos subjacere putandum est, qui Census Ecclesiæ, Sanctorum Martyrum patrimonia, & donaria piæ plebis, ad divini Ministerii sustentationem collata ociosè absumunt: pro iis debita ipsis Ecclesiis obsequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obviare, & necessitati Ecclesiarum consulere volentes, præsenti statuto decernimus, & ordinamus, ne posthac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibuscunque aliis nostris, & nobis subjectis Ecclesiis, per C universam Provinciam constitutis, quotidianæ distributiones, ad brevissima quædam momenta, puta, ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi, aut responsorii: sed integris, ac totis officiis, & horis assignentur, & iis modò tribuantur, qui officiis divinis, de quibus hæc emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi verò, qui excursus, & recursus suos ita partiri consueverunt, ut de laboribus minimum, de emolumentis autem plurimum perciperent: in posterum, nisi integris officiis, & horis interesse studeant, illius officii, aut horæ fructu in totum mulctentur, quibuscunque irrationabilibus, aut pravis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus. Si qui tamen infirmitate, aut legitima causa D impediantur, apud Prælatum, aut alium, cui de Ecclesiæ consuetudine competit, se excusent, & veniam absentiæ suæ impetrent: Canonicos verò, per actus Capitulares ab ingressu Chori, quandiu Capitulis intersunt, & non diutius excusari volumus. In qua re Decanos Ecclesiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eisdem præcipientes, ne extra necessitatem Capitula indicant in eam horam, qua divina officia peraguntur: cùm possint aut maturius, aut serius Capitula haberi, ut ipsi etiam Prælati, & Canonici, divinis officiis commodius interesse queant. Quos utique, supra Chori officia, quæ ipsis incumbunt cum Vicariis communia, actuum Capitularium labor gravare non debet: cùm supra communes distributiones, de Præbendis suis ampliore etiam E emolumento potiantur, &c.

Otiosas deambulationes in Ecclesiis inter divina prohibendas.

CAPUT LXXIII.

EOs verò, qui interim, dum divina peraguntur, in Ecclesia, in qua beneficati sunt, aut foris circa eam ociosi inambulant, & aliis psallentibus, & Deo servientibus, ipsi inanibus, nonnunquam etiam turpibus confabulationibus, tempus terunt: amplius ferendos non censemus. Quos illius non solùm horæ, sed totius diei emolumento decernimus privandos. Sæculares verò per Magistratus civiles debita animadversione de tali Sacrorum contemptu coercendos.

De honestate, & decentia Clericali.

CAPUT LXXIV.

HInc hortamur, atque monemus omnes, & singulos Clericos, ut vitam vivant, quam professio eorum exigit, & Christus requirit, inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 22. Et cum vestitu honesto incedant, quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne ii, quibus præest, torques aureos publicè in Ecclesia, aut vestes varii coloris, veluti virgatas, & fimbriatas, aut discissas, deferant: sed longis, atque talaribus utantur. Nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamque non nutriant: Barba. Coronam, & tonsuram deferentes, tùm summopere curantes, ne quem laicorum indecentia vestitus offendant, ut sacris canonibus cautum est.

Insuper tabernas publicas evitent, nisi eos peregrè proficiscentes ingredi oporteat, & tàm inibi, quàm domi, & alibi, à crapula, ebrietatibus, omnique ludo à jure prohibito, blasphemiis, rixis, & aliis quibuscunque excessibus, & offensionibus, penitus abstineant: Choreas, spectaculaque, & convivia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum, nomen Ecclesiasticum malè audiat.

Cumque secundum Apostolum, nemo militans Deo, sese negociis sæcularibus implicare debeat: nemini Clerico liceat domi suæ tabernam, compotandique locum aperire laicis: Quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ Sacerdotalem polluunt dignitatem: negociationibus quoque, mercimoniisque, more mercatorum, abstineant.

De decimis, & offertoriis persolvendis.

CAPUT LXXV.

CUm autem, Domino testante, mercenarius dignus sit mercede sua, statuimus, & decernimus, ut Decimæ, quæ jure debentur divino, tàm majores, quàm minores, sine fraude, aut diminutione solvantur, etiam personales, in quibus eas solvendi consuetudo est.

Simili modo debent etiam quatuor Offertoria, & cætera jura Parochialia integrè solvi.

De foro competenti, & immunitate Ecclesiastica.

CAPUT LXXV.

PRætereà, cùm omnibus palam sit, super Ecclesiarum, atque eorum, qui in sortem Domini delecti, pro Magistratuum, imò totius Reipub. salute, apud Deum quotidie interpellant: libertate, & immunitate, non tàm Pontificio, quàm etiam Civili jure, cautum, atque provisum. Comperimus tàm infelici hac rerum perturbatione, Ecclesiarum quarundam bona, imò ipsas Deo dicatas Ecclesias, in prophanos usus cessisse: Clericos ad munia civilia, etiam sordida interdum coactos, quæstiones contra ipsos, eorumque, & Ecclesiarum bona: Similiter super causis Matrimonialibus, & aliis etiam merè Ecclesiasticis, coram sæcularibus statibus intentari, ac definiri. Proinde adhortamur omnes, & singulos in Domino, ut si non divini judicii respectu, vel eorum saltem, quæ legibus sancita sunt, memores, ab injusta hac Ecclesiasticæ libertatis immunitione, atque oppressione absistant: Ecclesias, Sacerdotes, atque res ipsorum suæ restituant, atque permittant immunitati, & libertati.

Quo-

Quorundam igitur vim injustam inhibere, & personis Ecclesiasticis suam libertatem vel in hoc asserere volentes: statuimus, ut actor Clerico coram sæculari judicio actionem intendens, eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad ejus causæ querelam, etiam coram Ecclesiastico Judice admittatur. Judicem verò sæcularem, qui causam Clerici, etiam eo consentiente, aut aliam quamcunque causam ad Ecclesiasticum judicium pertinentem, quales sunt Matrimoniales, & similes, judicandam sibi desumpserit: excommunicationis pœnam ipso facto incurrere decernimus.

Similiter Judex Ecclesiasticus, causas, quas Laici ad invicem habent, judicandas sibi non assumat, nisi tales causæ sint, quæ ad forum Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine pertinere noscantur.

Quibus Episcopi, aut Archidiaconi suas vices committere debeant.

CAPUT LXXVII.

CAveant autem Episcopi, & Archidiaconi, dum ipsi officiis suis præesse non possunt, ne vices suas hominibus dubiæ famæ, aut ab Ordine Ecclesiastico prorsus alienis, committant: Sed in suum locum, quoties suis muneribus per se non præsunt, viros bonos, graves, peritos, prudentes, & in primis Ecclesiasticos substituant. Nec unquam crimina subditorum per se, aut suos substitutos, mulcta pecuniaria punire præsumant: Sed aliis debitis, & à jure constitutis pœnis coërceant.

De regularibus.

CAPUT LXXVIII.

Ex Concil. Aschaf. D. Gerardi.

QUoniam insolentia quorundam, qui à Religionibus semel professione solemni recepti, temerè resiliunt, his nostris calamitosissimis temporibus disciplinam Ecclesiæ, adeoque totam Religionem, non parum perturbavit: Nos huic calamitati ex monasticæ disciplinæ neglectu provenienti, pro viribus occurrere volentes, Prælatos Monasteriorum, per charitatem, quæ est in Christo Jesu, hortamur, & seriò requirimus, ut curæ sibi traditæ diligentius incumbentes, personas Regulares sibi subjectas ad Monasticæ disciplinæ, & regularum suarum observantiam, solicitius inducant, aut refractarios etiam debitis pœnis compellant: Alioqui cessationem, & negligentiam Prælatorum, nos juxta Canonum sanctiones supplebimus. Cùm verò personæ quædam Regulares jugum jamdudum excusserint, & desertis Monasteriis, & spreta suorum Prælatorum obedientia, in sæculo versentur: nos hujusmodi Regulares, contra Regulam divagantes, volentes ad sua monasteria reducere, ne alii ex prohibita illorum communione periculis involvantur, Superiores eorum monemus, ut ejusmodi vagos Monachos diligenter inquirant, & ad sua monasteria eos retrahere quoquo modo procurent. Similiter & omnibus personis Ecclesiasticis nobis subjectis mandamus, ut omnes Regulares, cujuscunque sint conditionis, aut ordinis, in suis districtibus commorantes, diligenter moneant, & requirant, ut infra mensis spatium, post ejusmodi requisitionem ad sua Monasteria redeant, & obedientiæ Superiorum suorum subdantur: aut dispensationes suas, quarum prætextu obedientiam Prælatorum suorum reliquerunt, intra idem tempus nobis, aut Officialibus nostris examinandas exhibeant. Hujusmodi verò monitioni non parentes, & in rebellione, & inobedientia sua perseverantes, sine mora nobis, aut Officialibus nostris denuntient, quos nos per Ecclesiasticæ censuræ pœnas, & omni severa animadversione, quantum nos justitia permiserit, ad suas regulas redigere, & sub Prælatorum suorum obedientiam retrudere non omittemus.

A Cùm verò aliquoties contingat, ut personæ aliquæ Regulares aut graviorum excessuum conscientia, aut etiam ex animi levitate, Monasteria sua deserant, deinde pœnitentia ductæ, redire ad sua Monasteria volentes, à Superioribus quibusdam nimis rigidis, aut pœnarum asperitate absterreantur, aut prorsus non recipiantur. Nos à quantacumque perversitate resipiscenti, gremium misericordiæ non esse claudendum considerantes, ne hujusmodi repulsis etiam amplius delinquendi occasio præbeatur, præsenti statuto cavemus, & ordinamus, ut monasteriorum Abbates, & Prælati, Abbatissæ, Præpositi, Priores, & Magistratus, cujuscunque ordinis nobis subjecti, Regulares personas, in apostasiam ex quacunque causa lapsas, & cum humilitate redire volentes, juxta cujus-
B cunque ordinis disciplinam, sive regulam, & consuetudinem observatam, benignè recipiant: nec eis pro excessibus graviores pœnas, quàm quæ in sacris Canonibus, & regulis ordinum expressæ sunt, imponant: Ita tamen, ut propter excessus suos nec victus, nec vestitus necessarius eis subtrahatur. Prælatos verò, & quoscunque Monasteriorum Magistratus huic constitutioni nostræ contravenientes sententiæ suspensionis à divinis, simul etiam ab administratione tàm spiritualium, quàm temporalium (quam in contrafacientes, præsenti Canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis) volumus subjacere.

Et cùm hoc tempore passim Ecclesiæ idoneorum Ministrorum penuria nimis periculosè laborent: Prælatos Regulares summopere exhortamur, & seriò mo-
C nemus, si qui fratres eorum potestati subjecti, per Ordinarios locorum ad regimen Ecclesiarum Parochialium, aut ad munus prædicationis adhibiti sint, aut tales ad eandem operam in posterum evocari contingat, ut promovendæ pietatis, & conservandæ sanctæ Religionis nostræ intuitu, Ordinariis locorum in tanta necessitate deesse non velint. Religiosos tamen de consensu suorum Prælatorum sic evocatos, nihilominus sub eorundem obedientia, qui eos corrigere, & revocare valeant, volumus permanere.

De clausuris Monasteriorum Virginum.

CAPUT LXXIX.

D VIrginum Monialium, velut imbecillioris sexus continentiam & munire præsidiis, & adjuvare opportunis auxiliis volentes, præsenti statuto inhibemus, ne sanctimoniales cujuscunque ordinis, quas votum sub perpetua clausura manendi astringit, quacunque de causa, nisi sola inevitabili necessitate compulsæ, aut tali morbo infectæ, unde ex contagione aliis periculum immineret, consortium sororum suarum relinquere, aut extra Monasterium prodire ullo modo præsumant. Vicissim verò, quo minus animi Deo dicatarum Virginum, pravis cupiditatibus tententur, aut à salutaribus meditationibus distrahantur: omnibus personis, sive Ecclesiasticis, & Regularibus, sive Laicis, præsertim viris, seriò interdici-
E mus, ne in ipsa Monasteria quarumcumque Monialium, seu clausuras, nisi ex necessaria causa, cum honesto comitatu, & de manifesto consensu Superioris, ad quem pertinet, introire audeant. Alioqui huic nostræ prohibitioni temerè contravenientes, si Ecclesiastici sint, suspensionis ab officio, & beneficio: Si sæculares, excommunicationis pœna percellantur.

Vide C… Fritzl… D.Sifr…

Pasto-

Pastores, & alii, Ecclesiis suis, quibus per se non præsunt, idoneos, & perpetuos Vicarios præficiant.

CAPUT LXXX.

PAstoribus etiam, & iis, qui Curata beneficia obtinent, injungimus, ut Ecclesiis, in quibus per consensum Diœcesani instituti sunt, nec tamen eisdem per se præsunt, Vicarios idoneos, & Canonicè institutos præficiant, eisque pro sufficienti victu portionem congruam de proventibus Ecclesiæ assignent: nec sic à se institutos Vicarios ab eadem Vicaria amoveant, nisi ipsi jam actu Sacerdotes Ecclesias suas per seipsos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis causam contra Vicarium coram Diœcesano, aut ejus Officiali, probaverint.

De promovendis ad sacros Ordines.

CAPUT LXXXI.

ncil. ardi. DE his, qui ad sacros ordines promoveri volunt, ordinamus, & decernimus, ut nemo ad quemcunque ordinem majorem recipiendum admittatur, nisi qui paulò ante confessus fuerit idoneo Sacerdoti, qui vitæ conditionem in ordinando sedulò scrutatus, eum instruxerit, utrum expediat eum ordinari, an potius propter irregularitatis, aut legitimi alicujus impedimenti sequelam abstinere, donec tale impedimentum à se removerit. Nec quisquam ordinandus recipiatur, nisi ad certum titulum Ecclesiastici beneficii, quod sit perpetuum, à quo non possit ad inordinatum alicujus placitum amoveri, aut cui de proprio patrimonio sufficienter sit provisum.

De ordinandorum testimonio.

CAPUT LXXXII.

ET ne Ecclesiarum ministeria quibusvis (quod hactenus multis malis causam præbuit) sed dignis modò, & idoneis permittantur: sancimus, eos, qui ad suscipiendos ordines assumi expetunt, Episcopi simul, & plebis judicio comprobandos hoc modo, Ut Episcopus doctrinam examinet, plebs quoque de moribus testimonium præbeat. Morum itaque, & vitæ testimonium ordinandi, idque in litteris sigillatis adferant, acceptum à Prælatis Ecclesiasticis, seu Parocho, atque etiam à Senatu, seu judicio ejus loci, in quo majorem vitæ partem exegerint. Quod testimonium illis gratis concedi volumus. Ex longinquo verò venientes, si in Provincia Moguntina ordinari expetiverint, ad Canonicarum Sanctionum observantiam adigantur.

Qui in baptismo unctiones sacri Olei, & Chrismatis, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem non susceperunt, ad ordines sacros ante talium Unctionum suppletionem non admittantur.

CAPUT LXXXIII.

HAc calamitosa tempestate, qua sacrorum, prophanorumque omnium periculosa confusione laboramus, plerunque evenire solet, ut in sacri baptismatis administratione, Unctiones sacri Olei, in pectore, & scapulis, & Chrismatis in vertice infantium, jam inde à temporibus Apostolorum per universam Ecclesiam religiosa pietate adhiberi solitæ, quorundam temerario ausu omittantur. Qua de re circa eos, qui ordinibus sacris initiari volunt, diligentem inquisitionem per nostros in Pontificalibus Vicarios, aut alios, qui ordinandorum examinibus præsunt, præcipimus faciendam. Eos verò, qui tales Unctiones, dum baptizarentur, non receperint, nisi eas (unà cum orationibus, quæ in agendis ad tales Unctiones adhibendæ inveniuntur) in se per Catholicum Sacerdotem piè supplere curaverint, ab Ordinibus prorsus mandamus repellendos.

De iis, qui ordinantur extra suas Diœceses.

CAPUT LXXXIV.

EVenire solet, ut aliqui eruditionis, & vitæ non satis probatæ, aut alioqui censuris Ecclesiasticis obnoxii, conscientiam eorum, quibus noti sunt, subterfugientes, ad remotiores Diœceses se conferant, & ordines ab ignotis Episcopis, qua possunt fraude, extorqueant, aut saltem eos se consecutos, comminiscentes, in iis ministrare præsumant. Quorum temeritatem reprimere volentes, Commissariis nostris seriò inhibemus, ne in posterum alicui litteras dimissorias ad aliam Diœcesim, sine magna, & necessaria causa, quam benè exploratam habere debent, concedant. Qui verò in aliena Diœcesi ordines susceperint, ad ministerium, seu executionem Ordinum, quos se habere asseverant, non admittantur, nisi prius Vicariis, seu Commissariis nostris, de susceptis ordinibus legitimo documento fidem fecerint, & ab eisdem, quod admitti debeant, testimonium patentibus litteris obtinuerint: Alioqui tales per Archipresbyteros nostros ab omni Ecclesiæ officio semoveri, aut, si iis non paruerint, nobis denunciari debent.

De honore Prælatorum.

CAPUT LXXXV.

AD confusionem, & dehonestamentum Ecclesiastici Ordinis facit, sicubi honorum discrimina tolluntur, nec suus cuique honos habetur. Unde ordinamus, & decernimus, ut inferioris dignitatis Clericus, seu Vicarius, sive Canonicus, Prælato suo reverentiam, sive in assurgendo, sive in aliis prærogativis, juxta consuetudinem illius Ecclesiæ debitam, subtrahens, fructuum Præbendæ subtractione ad tempus pro excessus qualitate puniatur. Quòd si simultate, aut animi arrogantia provectus, in tali contemptu Prælati sui perseveraverit, à reliquis confratribus, velut inobediens, & juramenti sui parum memor, à consortio Ecclesiæ, & omni fructuum perceptione amoveatur; non nisi de ipsius Episcopi consensu ad eandem rursus admittendus, ut discat, potestatem supra se positam, velut Dei ordinationem, agnoscere, & venerari.

Ne domicellares Canonici ante merita virtutis, & doctrinæ, ad Capitula assumantur.

CAPUT LXXXVI.

HActenus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis (saltem in ea parte, qua Majores nostri, *Ex Concil. Aschaf. D. Gerardi.* non sine magna ratione, juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non statim, ut beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub jugo Prælatorum detineri voluerunt) satis negligenter advigilatum esse, non sine Ecclesiarum pernicie sentimus, dum hi, quibus ex cura incumbit ad studia, & mores Domicellarium parum attendentes, si modò Domicellares certum tempus in beneficii possessione exegissent, aut pecuniam pro emancipatione constitutam, numerassent; sine ampliore delectu quosvis ad Capitula admiserunt, etiam eos, quos nec vitæ honestate, nec doctrina satis idoneos, aut Ecclesiis utiles futuros norint. Unde fit, ut interdum Ecclesiæ minus utili Canonicorum turba oneratæ, nec in spiritualibus,

bus, nec in temporalibus, debitis obsequiis administrentur. Quarum indemnitati consulere volentes, Prælatorum, Capitulorum, & aliorum, quorum interest, conscientias duximus onerandas, hisque districtè præcipiendo injungimus, ut in posterum, non secundum prætensam consuetudinem (quæ in hac parte, ut Ecclesiis perniciosa, irrationabilis, aut potius corruptela censenda est) quoslibet, sed secundum conscientiam idoneos tantùm, & dignos, ad Capitula, præsertim Metropoliticum, & Cathedralia, admittant. Pravis verò moribus deditos, & ignavos tantisper à Capitulari dignitate, & emolumento arceant, donec emendatione vitæ locum hunc mereri videbuntur: aut si contra omnem emendationem præfracti, & incorrigibiles se exhibere perseveraverint, ad dimissionem beneficiorum, remediis juris, tanquam inhabiles, & insufficientes, ac minus idoneos, prorsus cogant. Qua constitutione nostra, & ipsis Prælatis, & Capitulis, ut officio suo diligentius invigilent, & Juventuti Ecclesiasticæ, ut vitæ, ingeniique cultum accuratiore studio capessant, occasionem præstari arbitramur.

De juramentorum exactione restringenda.

CAPUT LXXXVII.

Ecclef. 23. CUm scriptura admoneat, Virum crebro jurantem iniquitate oppleri, ac plagis multis obnoxium fieri; jurationem namque multa comitari pericula, quæ non tàm pejerantem, quàm eum, qui perjurio causam, cùm debet, & potest, non subtrahit, involvunt. Nos igitur crebram illam juramentorum exactionem in Capitulis, si non ut injustam, certè ut periculosam, censemus coarctandam. Injusta verò, & illicita juramenta, per quæ nonnunquam via debitæ correctionis præcluditur, & Prælati à promovenda Ecclesiarum suarum disciplina, & utilitate impediuntur, omnino tolli debent. Et Nos cum hac sancta Synodo talia omnia damnantes, locorum Ordinariis, & Prælatis Capitulorum, ad ejusmodi correctionem per præsentes facultatem impertientes, districtè eis præcipiendo injungimus, ut Ecclesiarum statuta diligenti cura revideant, & juramenta non necessaria à Sede Apostolica non confirmata, in primis verò injusta, & perniciosa, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus (cùm iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat) corrigant, cassent, & tollant. Quod si facere inferiores Prælati, & Ordinarii, ultra sex menses post publicationem hujus constitutionis distulerint: Nos ad primam opportunitatem, aut saltem in futura Provinciali Synodo negligentiam illorum supplebimus, ipsosque cessatores debitis insuper pœnis afficiemus.

Pecunias ex statutis beneficiatorum, aut aliunde cedentes, in Ecclesiarum utilitatem impendi debere.

CAPUT LXXXVIII.

MUltas Ecclesias in bonis temporalibus ingentia detrimenta sustinere, ac domos earum, aut collapsas, aut ruinis proximas videmus ex prava consuetudine, seu potius corruptela, qua Canonici quidam pecunias ex possessionibus novorum Canonicorum, aut optione domorum receptas, non in utilitatem Ecclesiarum, sed in proprios usus convertunt. Quod nos ultra fieri omnino prohibemus, talesque pecunias necessitatibus Ecclesiarum, aut domorum reparationi, & conservationi, impendi volumus. Si quos huic constitutioni nostræ rebelles deprehenderimus, privatione omnium fructuum, quos ab ea Ecclesia percipere deberent, per semestre tempus plectemus, fructusque eis sic ademptos in Ecclesiæ utilitatem impendi curabimus. Sicubi verò in Ecclesiis aliunde sumptus ad conservationem templorum, ædificiorum, & domorum, ad Ecclesias, aut earum personas pertinentium, & in alios necessarios usus suppetunt: rationabiles consuetudines, super hujusmodi pecuniis disponendis hactenus observatas, hac præsenti constitutione adstringi, aut abrogari non volumus.

De rebus Ecclesiarum diligenter curandis.

CAPUT LXXXIX.

NE ex incuria, aut negligentia, sicut consuevit, damna Ecclesiis accidant, Capitulis Metropolitanæ, Cathedralium, & Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Rectoribus, & Curatoribus mandato injungimus, ut singulis annis, semel ad minimum, omnes Ecclesiarum res, & ornatus inspiciant, & in indice singula diligenter conscribant, quo si quid inde perierit, facilius deprehendi, & sarciri, & ratio ab his, quibus ea cura commissa est, exposci, & reddi queat. Ex [illegible] Fritz[illegible]

Eadem diligentia volumus, & præcipimus, ut omnium Ecclesiarum prædia, & redditus, tùm communes, tùm etiam ad singulas dignitates, seu beneficia pertinentes, in libro ad id deputato, exactissimè conscribantur. Litteræ verò Originales Censuum, tàm communium, quàm ad singula beneficia pertinentium, non apud singulos possessores relinqui: sed in publica, & benè munita custodia (copiis earundem auscultatis apud possessores retentis) asservari debent. Unde, si occasio exegerit, depromi, & singulis personis sub cautione redhibitionis permitti poterunt.

De procuratione, seu fabricis Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT XC.

UT Ecclesiæ per Provinciam nostram constitutæ, à damnis, quæ nonnunquam ex infida procuratione accipiunt, in posterum vindicentur, decernimus, & ordinamus, ne posthac solis Laicis, sed cum aliquot Laicis cujusque Ecclesię Rectori, seu Plebano, velut principali, officium Fabricæ, seu Procuratio Ecclesiæ committatur: Ita tamen, ne ipsi Ecclesiarum Rectores, seu Plebani, officio exactionis censuum, proventuum, sive redditium, seu procurationis labore graventur. Tales etiam Ecclesiarum procuratores, de pecuniis, seu proventibus Ecclesiarum, nihil in suum privatum usum convertant: sed omnia in Ecclesiæ utilitatem impendant, & de omnibus acceptis, & expensis, debito tempore, ad minimum semel in anno, coram ipso Plebano, seu Rectore Ecclesiæ, & aliis ad hoc deputatis, rationem conficiant.

Volumus etiam ad singulas Ecclesiarum Cistas, in quibus litteræ Censuum, seu pecuniæ, & preciosiores Ecclesiarum res asservantur, diversas seras, & ad minimum duas fieri, & ex clavibus semper unam apud Parochum, seu rectorem Ecclesiæ relinqui, & custodiri: Sic, ut tales Cistæ non ab uno aliquo procuratore, nec unquam absente Parocho, aut Rectore Ecclesiæ, possint, aut debeant aperiri. Huic verò nostræ constitutioni in Ecclesiarum fraudem non parentes, ipsi Plebani nobis, aut Vicariis nostris denuncient, debita monitione prævia excommunicandos.

De Simonia.

CAPUT XCI.

UT ab institutione ad Ecclesiastica Beneficia omnem ambitionem, omnemque Simoniæ pravitatem præcidamus, præsenti statuto ordinamus, & decernimus, ut quicunque vel muneribus, vel pollicitatio- Ex Co[illegible] Ascha[illegible]

tionibus, seu quibuscunque pactionibus, unius, vel plurium sibi favorem conciliaverit, ut per eos ad beneficium, seu dignitatem qualemcunque (quatenus ad nostram dispositionem pertinent) promoveatur: eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, & reddatur inhabilis, ne amplius ad tale beneficium, seu dignitatem eligi, aut assumi possit. Quod si electus, & assumptus postea fuerit deprehensus, tales donationes, promissiones, seu pactiones fecisse, beneficio sic occupato privari, & de dignitate omnino deponi debet. Simili modo quicunque pensiones non legitimè assignatas aut dederint, aut receperint, aut alioqui illicitis modis beneficia, aut dignitates occupaverint, pro excessuum qualitate puniri, & talibus beneficiis, aut dignitatibus privari debent. Quæ ut arctius observentur, nullus in posterum clericus ad aliquod beneficium, seu dignitatem admitti debet, nisi prius juraverit, quod in ejus adeptione nullam commiserit Simoniam, aut illicitam fecerit pactionem.

[margin: ...nstitu- ..., ex Fritz. ... Concil. ...haff.]

Ut Parochi Sacramenta gratis administrent.

CAPUT XCII.

Execrabilis quorundam Sacerdotum avaritia, usque ad Sacramentorum ipsorum contemptum, & injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre Sacramenta detrectant. Quorum pravam cupiditatem, sacris etiam Conciliis invisam, & damnatam, comprimere volentes, omnibus nobis subjectis Parochis, seu Ecclesiarum Ministris seriò prohibemus, ne quid de Sacramentorum administratione, à quoquam, velut debitum, aut exigant, aut recipiant, quod consuetudo rationabilis laudabiliter introducta, & hactenus observata non permittit: sed ultra id etiam oblatum, quasi non debitum, modestè recusent. Quod si aliquis subditus ultrò aliquid dare voluerit, non obstamus, quin, quod libera voluntate, & ex charitate offertur, recipere valeant. Archidiaconis etiam nostris, sive eorum Officialibus injungimus, ut in Synodis, seu Capitulis super hujusmodi exactione sedulo inquirant, & huic nostræ constitutioni non parentes, severis pœnis, usque ad suspensionem ab officio, & beneficio compescant.

De competentiis Parochorum.

CAPUT XCIII.

Cum Dominus ipse pronunciet Mercenarium sua mercede dignum, & Apostolus clamet, altari servientem de altari vivere debere: Universos Ecclesiarum Metropolitanæ, Cathedralium, & Collegiatarum Prælatos, Canonicos, & Capitula, omnes etiam Regulares, Prælatos, & Conventus, quicunque Ecclesias Parochiales, suis Ecclesiis, seu Monasteriis unitas, & incorporatas habent, in Domino exhortamur, & districtè eis præcipiendo injungimus, ut intra trimestre tempus, post hujus constitutionis nostræ publicationem, Ecclesiarum sibi incorporatarum Rectoribus talem fructuum portionem ordinent, qua pro loci conditione honestè sustentari, ac insuper Episcopalia, & Archidiaconalia jura solvere, hospitalitatem exercere, & alia necessaria onera sustinere queant. Quod nisi fecerint, nos illorum injustam negligentiam, ipsis Ecclesiis, & animarum saluti nimis periculosam, amplius sufferre non volentes, apud omnes Ecclesias Parochiales, jurisdictionibus nostris subditas, talem justi, & sufficientis victus deputationem de decimis, proventibus, vel bonis Collegiorum, aut Monasteriorum, aut Prælaturarum, per nos, aut Officiales nostros, secundum juris communis, & sacrorum Conciliorum dispositionem, ordinare, seposita ampliore mora, omnino aggrediemur.

De Clericis peregrinis.

CAPUT XCIV.

Clerici aliundè advenientes, nec in iis ordinibus, quos jactant, ministrare permittantur, nec ad ulteriores ordines promoveantur: nisi fidedigno testimonio docuerint, se eos ordines, quos habere se asseverant, ritè, & legitimè suscepisse. Peregrini autem sacerdotes, ad missarum celebrationes non admittantur, nec ultra mensem in aliquo presbyterorum consortio foveantur, nisi testimoniales litteras super vita, moribus, & recessu ab eo Episcopo, à quo discesserunt: similiter admissionis testimonium ejus Episcopi, ad cujus diœcesim se contulerunt, ostendant.

De sacellanis nobilium.

CAPUT XCV.

Sacellani verò nobilium in sacellis castrorum missas celebrare, aut alia Sacramenta conferre, aut etiam prædicare non præsumant; nisi super eo auctoritatem, & consensum ordinariorum obtinuerint, & prius manualem promissionem Episcopo, seu loci illius Archipresbytero fecerint, se in obedientia diœcesani mansuros, & ad Synodos, & capitula venturos, & mandatis Ecclesiasticis secundum justitiam, & quatenus eos attingunt, parituros esse. Salvis etiam juribus Parochiarum, ad quas talia castra nobilium pertinere noscuntur,

[margin: Ex Concil. Fritzlar. D. Sifridi.]

De magistris scholarum.

CAPUT XCVI.

Hoc in primis totius reipublicæ Christianæ utilitas exposcit, ut erudiendæ juventuti passim magistri, eruditione, honestate vitæ, & fidei sinceritate commendabiles præficiantur, quod in administratione utriusque Reipublicæ & Ecclesiasticæ, & sæcularis successio, à pueris dependeat: Qui si perversis, & pravis hominibus erudiendi tradantur, à quibus recentes eorum animi (qui malorum, & bonorum, ut quidque primum hauserint, æquè tenaces sint) pravis, & impiis opinionibus imbuantur, spes non est, sacrosanctam religionem nostram in integrum restitui, aut à pravis doctrinis repurgari, aut pristinam felicitatem, & tranquillitatem in Germaniam nostram reduci unquam posse. Proinde sive prælatis, & capitulis, sive communitatibus, aut locorum præfectis, ad quos ea cura pertinet, seriò injungimus, ut in posterum scholis sibi commissis didascalos præfecturi, eosdem ad vicarios nostros in spiritualibus, seu locorum commissarios ablegent, qui eruditionem, mores, & fidei sinceritatem in eis accurato examine explorent, eosque quid in scholis tàm ad eruditionem, quàm ad mores juventutis excolendos, conducibile potissimum prælegant, pro cujusque loci ratione, diligenter admoneant, sine quorum testimonio (quod scripto his, quos dignos judicaverint, exhibeant) quemquam alicui scholæ præfici omnino prohibemus.

De testamentis, & ultimis voluntatibus.

CAPUT XCVII.

Quamvis jam olim multis Conciliis provincialibus, velut Fritzlariensi, Domini Gerardi, & aliorum Archiepiscoporum Moguntinensium super Testamentorum ordinatione cautum sit, quibus omnino suum robur manere volumus. Videmus tamen hac temporum licentia plerasque morientium voluntates incassum recidere, defunctorumque substan-

stantiam contra ipsorum legitimam voluntatem interverti, à testamentariis præsertim, & quibus pro officio competebat ratum servare defuncti arbitrium: Statuimus, ut qui deinceps nominati fuerint testamentarii, quàm primum, & ante omnia ipsius defuncti hæreditatem, sive substantiam, coram notario, & testibus fide dignis conscribant, & in inventarium fideliter redigant, omnimodamque morientis voluntatem, arbitrium, & ordinationem intra debitum tempus executioni demandent, & exequantur, de quo ordinario, aut ipsius commissario rationem faciant. Quod si quis infideliter agens hujus nostræ constitutionis transgressor repertus fuerit, pro ordinarii arbitrio, aut aliàs, condigna pœna, pro excessus qualitate, plectatur.

Mercatus diebus Dominicis, & festivis prohibentur.

CAPUT XCVIII.

Magnus abusus est, cùm ad rerum temporalium, & mox periturarum conquirenda lucra sex diebus homines intendant: ad regnum cœlorum, ejusque justitiam inquirendam, septimum diem destinatum, ne eum quidem à prophanis negotiis liberum execranda hominum avaritia relinquat. Cui nos improbæ hominum cupiditati modum ponere volentes, seriò prohibemus, ne in posterum in locis nostræ provinciæ subjectis, diebus Dominicis, aut præcipuis Ecclesiæ festivitatibus, mercatus (nisi fortè earum rerum, quæ ad usum quotidiani victus necessariæ sunt) exerceantur, aut ne subditi nostri ulli operi servili, quod sine evidenti detrimento dilationem sustinere potest, manum admoveant: sed dies Dominicos, & festivos, spiritualibus lucris conquirendis, & saluti animarum procurandæ, adeoque pietatis, & divini cultus exercitiis impendant. Quam nostram constitutionem, nisi Magistratus locorum, quorum ea potestas est, sub gravibus pœnis ita observari curaverint, ipsos Magistratus, debita admonitione prævia, in sententiam excommunicationis incidere, & ubi ad nostras temporales jurisdictiones pertinent, insuper aliis pœnis pro nostro arbitrio puniri volumus.

De libris per typographiam publicandis.

CAPUT XCIX.

Multis constitutionibus Imperialibus cautum est, ne quis librum aliquem, sine certo authoris, & loci, ubi excusus sit, nomine, aut qui per commissarios, qui per loca huic rei curandæ destinati sunt, comprobatus non sit, vel excudat, vel excusum vendat. Quam ordinationem renovantes, inhibemus, ne quis tales libros in nostris ditionibus vendere, aut emere, aut donare, aut occultè quovis modo alii obtrudere, aut omnino apud se retinere audeat: officialibus nostris tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus injungentes, ut in eam rem acri diligentia invigilent, & si quos librorum vel excusores, vel venditores, aut detentores, huic ordinationi non parentes, deprehenderint, supra librorum confiscationem, etiam pœnis in multis recessibus Imperialibus constitutis, sine remissione afficiant.

De pœna Clerici percussoris, aut rixosi contra alium Clericum.

CAPUT C.

Paci etiam, tranquillitati, ac honestati clericorum consulere volentes, decernendum duximus, ut quicunque clericus alium clericum probris, maledictis, aut convitiis incesserit, sub duorum, aut trium testimonio, ab omni proventuum Ecclesiasticorum perceptione per unum mensem suspendatur. Quod si manus alteri clerico violentas, citra tamen vulnus, attulerit, jam dictam pœnam sustineat duplicem. Si vulnus inflixerit, ultra pœnam excommunicationis, in quam ipso facto incidit, ad quatuor menses tali fructuum privatione mulctetur. Si membrum aliquod mutilaverit, aut inutile reddiderit, omni Beneficio Ecclesiastico sit ipso facto privatus. Nihilominus etiam in omnibus iis casibus, juxta diœcesani arbitrium, læso satisfacere cogatur, & pro delicti gravitate, à diœcesano, si videbitur, etiam gravius puniatur. Illud superioribus comminationibus duximus addendum: Si linguæ petulantiam, aut violentas manus in prælatum intorserit, in tribus prioribus casibus supra memoratis, ubique pœnæ duplicatione gravandum esse: salvo tamen jure, quod vim vi repellere permittit. Similiter clericos, &c.

De vitandis excommunicatis.

CAPUT CI.

Et ut timoratis conscientiis subveniamus, & scandala excludamus, generalis Synodi Basileen. constitutionem volumus observari, quæ decernit: Quod nemo deinceps à communione alicujus, in sacramentorum administratione, vel receptione, aut in aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, vel prohibitionis ab homine, vel ab jure generaliter promulgatæ occasione, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura Ecclesiastica hujusmodi fuerit, vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à judice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè: aut si aliquem ita notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quæ nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri vult juxta canonicas sanctiones, per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo revelare, nec eis quomodolibet suffragari. *Ex Co[...] Basile[...]*

Cùm humana fragilitas in omnibus actionibus, & præsertim in iis, quæ pietatis sunt, si ope divina non adjuvetur, & dirigatur, sine fructu desudet: præsenti constitutione duximus ordinandum, ut in posterum per omnes totius provinciæ Ecclesias, quoties in illis multitudo fidelium convenerit, fiant precationes ad Deum, pro Spiritus sancti gratia, ad salutarem harum constitutionum provincialium observantiam impetranda. Similiter pro summi Pontificis Imperatoris, ac Regis Roman. incolumitate, & felici gubernatione, & pro omnibus, qui ad utriusque regiminis gubernacula in orbe Christiano præsident, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. In ipsa verò sacræ Missæ celebratione, alternis diebus pro peccatis, & pro pace, sive in ipso sacro collectam pro suffragio, sive post illud antiphonam cum collecta pro imploranda Dei misericordia, devotè recitari, aut cantari volumus. Quam rem discretioni prælatorum, pro loci, & temporis conditione committimus curandam. *Preces execut[...] Concil[...]* *1.Tim[...]*

Quo verò supra dicta omnia, & singula accuratiore cura observentur, & ad excusationem ignorantiæ nullus locus relinquatur, ordinamus, & præcipimus, ut præsentium constitutionum liber apud metropolitanam, cathedrales, & collegiatas Ecclesias in choro, aut capitulis, similiter apud parochiales Ecclesias idoneo loco, fabricæ sumptu comparatus, habeatur, ad quem omnibus, quorum interest, pateat accessus.

Postremo. Cùm his præsentibus nostris constitutionibus, omnes etiam generalium Conciliorum consti-

ſtitutiones, & decreta, ſimiliter omnia, & ſingula alia ſtatuta provincialia, in Conciliis Provincialibus, ſub noſtris præceſſoribus celebratis, edita, quorum in his noſtris conſtitutionibus etiam nullam mentionem fecimus: in ſuo vigore permanere volumus, & ab omnibus nobis ſubjectis, qua quemque parte attingunt, pro confirmatis, & authenticis agnoſci, haberi, & obſervari diſtrictè præcipiendo mandamus, ſacroſanctę Romanæ catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſię judicio, cujus authoritatem in omnibus ſalvam conſervari volumus: hęc omnia cum debita obedientia ſubmittentes.

Concilium Mediolanenſe I. Quod ſub pio IV. Pontifice Carolus Borromæus Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis Legatus ad univerſam Italiam, & Archiepiſcopus Mediolanenſis habuit ann. M. D. LXV.

ORatio D. Caroli in principio ſynodi habita inſinuat, quomodo ſeſe habere debeant patres in ſynodo, quid obſervare, & quibus rationibus ad ſynodum congregandam motus fuerit.

Multa præcepta dantur prędicatoribus verbi Dei, inter cętera; Ne in ordinem ullum, ſtatum, aut vitæ genus ab Eccleſia receptum invehantur.

Ne Epiſcopos, alioſve pręlatos, neve civiles magiſtratus cum auditorum offenſione aſperius objurgent, ſed piè potius admoneant. Doceant, quomodo utendum ſit bonis animi, corporis, & externis: Quove modo ſecundis, & adverſis rebus: ut ea ſint illis tanquam inſtrumenta ad conſequendam vitam cœleſtem.

Sacra concio noctu nunquam, ſed opportuno tempore, Epiſcopi præſcripto, habeatur.

De ſanctarum reliquiarum Veneratione.

CUm populo pietatis cauſa oſtenduntur, lumina accendantur.

De feſtorum dierum cultu.

NE quid ematur, aut vendatur, pręter id, quod ad victum illius diei neceſſarium eſt, vel ad ęgrotorum curationem.

Ne officinę aut omnino, aut aliqua ex parte apertę habeantur.

Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem.

FIdeles in baptizandis filiis eos potius eligant compatres, qui eorum animę conſulere, quàm qui inopiæ ſubvenire poſſint. Cujus officii ſępius eos parochus admonebit.

Minori ſeptennio Confirmationis ſacramentum nemini præbeatur.

Euchariſtiæ Sacramentum, ubi pro Eccleſiarum amplitudine commodè fieri poſſit, maribus ſeorſum à fœminis miniſtretur, idem præcipit de prædicatione, ac de loco orationis.

Sacerdos ſanctiſs. Euchariſtiam iis, qui raro ſumunt, non prius miniſtret, quàm eos diligentius admonuerit, quanta reverentia, & humilitate ad tremendum iſtud ſacramentum accędere debeant, quantaque illis ſupplicia ſint parata, qui indignè ſuſcipiunt.

De pœnitentia.

In foribus ſacriſtię cujuſvis Eccleſiæ, ubi confeſſiones audiri, & confeſſores plures eſſe ſolent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina confeſſorum approbatorum deſcripta ſint.

Caveant confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas ſunt, perſolvendi, illiſque, ut id facerent, in ſuperiori confeſſione pręceptum ſit, pręſtare tamen neglexerint, exceptis iis, qui periculosè ægrotant.

Caſus reſervati Epiſcopo, & ab eo delegatis.

De quadrageſima.

Edicimus pręterea, ut in provincia noſtra proxima quarta feria, poſt quinquageſimam omnes quadrageſimalis obſervantiæ initium faciant, præter civitatem Mediolanenſem, eaſque diœceſis partes, ubi ex D. Ambroſii inſtituto divina Officia celebrantur.

Illorum verò damnamus ingluviem, qui primis quinque quadrageſimę diebus Rom. Eccleſiæ more inſtitutis, Mediolanum ſe conferunt, patrię ritum in jejunio, & ciborum abſtinentia fugientes.

Quæ pertinent ad collationem beneficiorum.

NE redimendæ vexationis ſpecie in cauſis beneficiorum ſimoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in caſibus quidem jure permiſſis pecuniam dare, quidquamve paciſci, aut tranſigere, niſi Epiſcopi conſenſus acceſſerit.

Qui beneficium Eccleſiaſticum vacans multis, & ambitioſis precibus per ſe, vel alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit.

De dignitate ab Epiſcopo retinenda.

Alienum eſt valdè ab Epiſcopali dignitate, ſi Epiſcopi in conſuetudine principum ſeſe deprimant, & abjiciant.

Ne igitur principibus accumbentibus ſtent ipſi, ne eo quidem nomine, quod, ſumpto à principibus cibo, gratias agere debeant.

De Epiſcopi veſtitu.

ITaque in veſtitu ſericum non adhibeant.

Nec mulę, aut equo Epiſcopali ſtragulum, & ornamentum ex villuto, aut ſerico, ſed ex corio factum, aut lana adhibebit.

Ephippiis, aut calcaribus, aut frenis inauratis non utetur.

In ejus ſupellectili nihil aureum, aut argenteum ſit pariter: leviſſima, ac tenuiſſima quædam inſtrumenta ad cibum ori admovendum comparet.

De clericis.

PArochus etiam quamprimum librum habeat, in quo omnium, qui in ejus parochia ſunt, nomina, & cognomina quamprimum deſcribat, ſingulorumque ſexum, ætatem, & ſtatum, quem librum Epiſcopo, quotieſcumque voluerit, ad inſpiciendum, vel deſcribendum dabit.

De exorciſta.

ID ne agat, niſi conſulto, & conſentiente Epiſcopo.

Caveat etiam, ne ullus intercedat in exorciſmis quæſtus, neve ulla curioſa percunctatio, præſertim quæ ad divinitatem pertineat.

Candelæ, & cerei in Miſſa, ne ea exiguitate adhibeantur, quæ in tanto myſterio dedeceat, & adſtantibus offenſionem afferre poſſit.

Ante ſolis ortum, & poſt occaſum, mortuum & afferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus.

Si mortuorum hæredes ita ſe impiè geſſerint, ut religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, cruci, cle-

ci, clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint, ab Episcopo ea cogantur comparare, quæ necessaria videbuntur.

Statuat Episcopus in civitate, ac diœcesi sua pro modo laboris, quantum mercedis causa dandum sit curatoribus exequiarum.

Miserabiles personæ, quibus mortuis, aut nihil superest, aut ita parum, ut sua impensa humari non possint, à parocho sumptibus Ecclesiæ sepeliantur.

Exequiarum sepulturæ, & anniversariorum causa nemini quidquam pacisci, aut exigere liceat; neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habeat.

Pias tamen consuetudines in his servari jubemus, cujus rei Episcopus curam suscipiat.

De meretricibus.

Ut meretrices ab honestis mulieribus omnino internoscantur, curent Episcopi, ut aliquem amictum palam indutæ sint, quo earum turpem conditionem, & vitam omnes notam habeant.

De usuris.

Si quis oblatas reipsa loco, & tempore pecunias etiam dotales sibi debitas, accipere recusaverit, nihil præter sortem etiam ratione damni emergentis, vel lucri cessantis accipere possit, vel ex quacumque alia causa.

Nota, non excludi titulos lucri cessantis, aut damni emergentis, cum exceptio firmet regulam.

Ne fiant cambia, cum literæ ad destinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur.

Ne cui liceat cum altero ita contrahere, ut is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, solvat, cum ille partim pecuniam dederit, partim nominibus, quæ difficilè exigi possint, vel in rebus pluris, quàm valeant, æstimatis.

Ne cui præsentem pecuniam quærenti quidquam carius vendatur, ut statim à venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.

Ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendat justo pretio.

Ne res modico pretio pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intra certum tempus; ut si ad dictum tempus res redempta non sit, res libera fit emptoris, vel ejus, qui pignori accepit.

Ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes.

Neque fiat pactio, ut sors salva sit, fructus verò communiter dividantur.

Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo, aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus, qui locarit, &c.

Si qui autem in aliquo ex his casibus, aut aliis, qui usuram sapiunt, & à jure, ut iniqui prohibentur, contraxerint, ipsi contractus etiam jurejurando muniti, nulli, irriti, & inanes sint, &c.

Controversia.

Dubitatur, an S. Carolus cum de differenda absolutione tractat, intenderit, sicut aliqui prætendunt ejus auctoritate se munientes, prius peragendam esse satisfactionem injunctam pro peccatis, ut ea doloris, & internæ dispositionis pœnitentis fidem faciat sacerdoti, priusquam absolvat pœnitentem. Asserit Bagotius Dissertat. 2. de pœnitentia sect. 3. quotquot casus ab illo notantur ad differendam absolutionem esse extraordinarios, cum videlicet sacerdos ob quasdam circumstantias dubitare potest prudenter, non quidem an pœnitens in posterum in vitæ melioris studio constans futurus sit, sed an tunc verè emendationem velit, verèque peccati pœniteat. Deinde cum occasiones aliquæ tollendæ sunt, restituenda fama, aut bona usurpata, idque non tunc, cum primum promittit, sed cum antea promisit, fidemque fefellit. Lege attentè singulos sancti Caroli ab adversariis laudatos versiculos, si vel levissimam satisfactionis hujus implendæ mentionem fieri animadverteris. Quare concludit parerga esse, & prorsus futilia, & inania, quæ ex D. Carolo afferuntur ad probanda hæc tria. 1. An satisfactionem, & pœnitentiam à sacerdote impositam peccator peragere debeat ante absolutionem. 2. An confessarius, ut legitimè absolvat, certus esse debeat non tantum de præsenti affectu pœnitentis, sed etiam de futura emendatione, & perseverantia. 3. An pœnitens aliud dare nequeat testimonium suæ internę conversionis, quàm pœnitentię injunctę actionem, executionemque, quas tres prępositiones numquam S. Carolus tanquam probabiles docuit, ut facilè intelliget, qui ad ea attenderit, quæ in isto primo Concilio §. *caveant*, & alibi tàm Latina, quàm Italica lingua, observanda decernit in Sacramentorum administratione.

Pœnitentia.

Insuper circa decreta in materia usuræ, dubitatum est, an in iis omnibus sit usura, quæ dicitur juris naturalis, & quæ reipsa iniquitatem, & injustitiam habet, an tantum usura juris positivi, quæ sit mala, quia jure humano prohibita, an etiam in iis comprehendatur contractus *trium* vulgò dictus. Quia cum synodus hæc probata sit à summo Pontifice, ubique locorum obligaret. Quidam volunt omnes casus ibi expressos usuram naturalis juris habere, propter hæc verba, *Et à jure ut iniqui prohibentur*, unde & contractum trium, ut iniquum jure naturali volunt. Etsi verò nihil hìc asserere proposuerim, cum satis multa scripserim circa istas difficultates parte 2. examinis pœnitentium in lib. *De triplici examine*. Dico tamen vix aliquid certi ex propositis verbis in fine colligi posse, cum non tantum dicat, in aliquo ex his casibus, sed insuper addat, *Et aliis, qui usuram sapiunt, & à jure, ut iniqui prohibentur*. Qui sunt autem tales casus, an hìc expressi, an alii? cur ergo Bonacina, & alii scriptores hujus provinciæ plures ex hujusmodi casibus licitos tutati sunt, sine cujusquam offensione? cautissimè tamen hæc omnia prohibet S. Carolus, ad sistendum usuræ præfluvium, quod ferè ubique variis artibus, & prætextibus inundat; quidquid sit de distinctionum diverticulis.

Usura.

Alia decreta hujus Concilii prætermittimus, quæ apud Binium tom. 9. edit. Paris. videri poterunt, cum pluribus centuriis contineantur haud Summæ huic congruentibus.

Concilium Mediolanense II. Quod Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis tit. S. Praxedis, habuit ann. Dom. 1569. sub Pio V. Summo Pontifice.

Hoc Concilium 1. continet edictum de Concilio celebrando ad omnes fideles provinciæ missum: ut omnes, qui de jure, vel privilegio interesse debent, ad illud conveniant. Hortatur interim omnes, ut assiduis precibus, reliquisque Christianæ pietatis officiis misericordiam Dei implorent, quo facilius nos, inquit, ejus ope adjuti, in conspectu animi habentes exemplum gravissimę, & sanctissimę disciplinę, quęcumque ad eam restituendam accomodata, necessariaque sunt, ea sine ullis hęsitationibus decernamus, tùm ad Dei ipsius gloriam, tùm ad eorum, qui in nostra fide, curaque conquiescunt salutem Mediolani. 16. Martii anno 1569.

Indictio Concilii.

2. Ejus-

2. Ejusdem sancti Archiepiscopi oratio in Concilio habita, in qua primò differit de causis, ob quas celebrandum sit Concilium. Etsi, inquit, quod duce Spiritu Sancto à Tridentinis Patribus decretum est, ut tertio quoque anno provinciales synodi habeantur, hæc causa, Patres Reverendissimi, satis explorata est, & ea quidem justissima, quamobrem jam tribus post primum nostrum congressum annis, huc iterum conveniremus, tamen si quis rem ipsam attentè intuetur: facilè animadvertet, hoc iterati Concilii officium non solùm Tridentino jussui debitum, verum etiam & temporum conditioni, & Pastorali nostro muneri, & initiis, quæ proximo superiori Concilio jecimus, consequens, ac planè necessarium. Jam cognoscitis, jam scitis, qua in perturbatione status reip. Christianæ versetur; quàm funestæ hęresum faces in proximis provinciis jamdiu excitatæ, quàm turbulenti inde in Gallia motus, &c. Secundò explicat, qualiter sese gerere debeant Episcopi. Jam hìc duce Spiritu Sancto adsumus, Rever. P. ut provinciale nostrum Concilium iterum celebremus, in qua muneris tractatione pro rei gravitate, animo, menteque reputemus, quæ nobis potissimum proposita esse debeant. Ac primum perspicuum est, quàm turpe, quàm detestabile sit in eo, quod Christi Legatione fungimur, Deique Ministri sumus, si non Christum ipsum, non quæ Dei sunt, de nostro quæramus, &c. Deinde hìc eo animo, eaque mente adesse debemus, ut non coacti, sed sponte .... itaut non obumbratam quandam, sed expressam illam disciplinæ Christianæ formam, afflante Spiritu Sancto, decretis nostris restituere curemus, quam nascente Ecclesia instituit vivus sermo Dei, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, ac Spiritus ... nam si vitiorum semina non funditus tollere studemus, sed satis id esse putamus, ut externa quędam tantùm, quæ oculis offensionem in vulgus præbent, quasi levi manu emendemus; id nobis eveniet, quod Agricolis, qui dum herbas inutiles radicitus evellere negligunt; quæque solùm è terra extant, amputant, ne agrum quidem à stirpibus noxiis purgant, sed etiam, quod planè nolunt, id sanè efficiunt, ut uberiores paucis post diebus emanent. Tertio fortiter hortatur contra objectionem filiorum perditionis, qui dicunt: Non ferunt hæc tempora veterum canonum feveritatem. Sic tamdiu viximus. Sic vixerunt, ita egerunt, qui ætate antecesserunt. Vitæ institutum nihil est, quod mutemus. At nos hęc, atque alia ejusmodi contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam Spiritus, & virtutem, qua armati Patres nostri Apostoli, qua muniti martyres, qua instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius hujus Ecclesiæ antistes, qua affecti alii religiosi viri ... pro Dei gloria, pro gregis sui salute, forti, constantique animo adhibuerunt illam, quasi censoriam virtutem acerrimam peccatorum vindicem ... nam si contra à nobis fiat, in formidoloso illo judicio, cum animarum rationem reddemus, tùm aliorum nos accusantium vociferationes, & irati judicis, nos item acerbè objurgantis, eas voces audiemus; si speculatores eratis, cur cæci? Si Pastores, cur gregem vobis commissum errare permisistis? si sal terræ, quonam modo evanuistis? si lux eratis, cur sedentibus in tenebris, & umbra mortis non illuxistis? si Apostoli, cur Apostolica virtute non usi, cuncta egistis ad oculos hominum? si os Domini, cur muti? si vos huic oneri impares esse sentiebatis, cur tàm ambitiosi? si Patres, cur ita desides, ita negligentes? nihil vos prophetarum voces, nihil Evangelii leges, nihil Apostolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil Ecclesiæ labentis status, nihil hìc formidolosus judicii dies, nihil præmia, nihil supplicia, æternique cruciatus moverunt? has horribiles irati judicis voces nobiscum, Patres, animo, menteque reputemus, ut iis, atque adeo aliis excitati in hac sacrosancta tàm gravium rerum tractatione, non remissè, non leviter, non timidè, non negligenter, non dissimulanter, sed sincerè, & constanti, sanctaque sollicitudine, Deum solum spectantes, quod in nostro officio, munereque positum est, agamus, & perficiamus, duce Spiritu sancto, omnium actionum, & Conciliorum moderatore. Cui gloria sit, & honos sempiternis ætatum sæculis. Amen.

[Margin: Sermones Caroli. — Pars. — Pars. — Pars. — Notent Episcopi.]

3. Sequuntur plura decreta disciplinæ, ac reformationi abusuum apta sub 3. titulis.

1. Titulus. Quæ ad fidem tuendam, sacramenta ministranda, & alia pastoralia munera pertinent.

2. Titulus. Quæ ad Missam, divina officia, Ecclesiæ cultum, & Ecclesiasticos spectant.

3. Titulus. Quę ad bona, & jura Ecclesiarum, piorumque locorum attinent.

Adduntur capita quędam ad Moniales pertinentia.

Cap. 2. Prohibet, ne Moniales à parentibus, aut curatoribus puellę pecuniam mutuo, aut depositi nomine sumant, antequam illa professionem regularem confecerit.

Episcopus pręterea tùm impensas æstimet, quæ & in Religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu, aut pro aliis rebus ad ipsius puellæ, vel Monasterii usum, commoditatemve pertinentibus, tùm pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine Monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, ejusdem judicio, ad ea alimenta satis sint, Monasterio attribuantur.

Nota. S. Carolum, & ipsius Concilium Provinciale, non æstimasse simoniam esse, aliquid dare in professione status Religiosi, nomine alimentorum.

In fine Concilii quatuor decreta fiunt sub hoc titulo, quæ generatim ad hæc decreta pertinent, in quorum secundo S. Carolus sibi reservat explicationem, & interpretationem omnis difficultatis eorum, quæ decretis tradita sunt, si quæ orta fuerit ante aliud Concilium.

Nota. Controversiam esse, ad quem pertineat dispensare in lege Concilii Provincialis. Diana parte 8. tract. 3. resol. 12. putat, Episcopos posse dispensare, nec recurrendum ad metropolitanum, qui est inferior Concilio Provinciali. Suarez de Legibus lib. 6. c. 15. putat Archiepiscopum ligari legibus Concilii Provincialis, tamquam unum ex membris ejus, & inferiorem illo: unde non potest magis dispensare, quàm alii Episcopi, oportetque recurrere ad summum Pontificem, aut Concilium generale, aut Provinciale iterum congregari, si dispensatio sit interdicta.

In decreto 3. qua debemus humilitate, & obedientia sanctæ sedis Apostolicę, omnium Eccesiarum matris, & Magistræ judicio, atque authoritate omnia, & singula, quęcunque in hac Provinciali synodo sancita, decreta, actaque sunt, semper emendanda, & corrigenda subjicimus.

Laus Deo.

Concilium Mediolanense III. Quod Carolus Borromæus Cardinalis tit. S. Praxedis Archiepisc. habuit anno Christi 1573. sub Gregorio XIII. Summo Pontifice.

In hoc Concilio statuitur inter cætera, ne patena, cùm oblatio fit, sed aut crux, aut sacra aliqua imago offerentibus fidelibus ad osculum detur.

Permittitur mulieribus in Missa sedere, cùm recitatur Euangelium.

Sacerdotes, quo die eorum unusquisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quotannis recolant Missę sacrificio, & precibus.

Concilium Mediolanense IV. anno 1576.

ORationem habet S. Carolus initio Synodi in hæc verba: Quousque tandem Concilia provincialia toties convocata? quorsum, & tot constitutiones, & tot decretorum vincula, vulgaris vox, patres sanctissimi, ac sicut ne tacita quidem mentis cogitatione religiosæ mentis digna, longeque à sensu Episcopalis vestri animi aliena, ita hominum vel impiorum est Ecclesiam Dei oppugnantium, vel Christianorum Christianam disciplinam abhorrentium, vel imperitorum, planeque nescientium, quantas vires habeat frequens synodorum actio, atque usus, vel illorum sanè, qui angusto, parvoque animo metiuntur. Porro illud, patres, est nobis certum, atque exploratum, hominem divina lege, quasi sepi meritò vallatum, ut est is tùm summa naturæ imbecillitate, tùm immensa cupiditate sæpe labi, sæpeque ab officii semita deflectere: proinde plurimis & Conciliis, & institutis, & decretis opus esse, quibus quasi sanctissimis vinculis ille adstrictus, à recto cursu non declinet; aut aliquandò digressus iisdem adjutus in viam salutis redeat, & quod caput est, ut salutaris hujus Conciliorum instituti auctor est cœlestis Magister Christus Dominus: sic Apostoli eo sæpè usi lege sanxerunt, ut bis in annos singulos Concilia ab Episcopis haberentur, &c. multa, patres, nostris superioribus Conciliis desunt ad perfectam illam, quam magnopere expetere debemus populi Christiani disciplinam, alia item in iis decreta sunt, quæ communiri oportet: alioquin operis à nobis inchoati jacta fundamenta brevi corruerent: alia item ab hinc triennio suborta esse possunt corruptelarum semina, quæ nostra cultura convellenda sunt, tùm vitiorum spinæ succrescentes amputandæ sunt; Hæc tria proposita quidem nobis semper esse debent, *&c.* Tùm proposita populorum devotione, qui Episcoporum curæ commissi, ab iis dirigi in via salutis expetunt, atque etiam obligatione Episcoporum pro animabus, pro quibus effudit sanguinem Dei filius. *Concludit*. Id sanè præstabimus, si non laboribus deterriti, *&c.* Sed divini amoris igne accensi, omni virtutum Episcopalium studio, eo cùm semper, tùm in conciliaribus actionibus progredi contendemus, ut populum nobis commissum & purgemus, & illustremus, & perficiamus, hisque perpetuis progressionum laboribus introducamus in tabernacula cœlestia.

Synodi utiles.

Variis decretis constat hoc Concilium ad reformandos mores, ad administrationem rerum sacrarum, & pastorale munus ritè obeundum spectantibus, inter quæ hoc unum juvat annotare.

A Sacerdotibus, ab iisque etiam, qui provectiori ætate sunt, hoc si nunquam per ipsos antea præstitum est, omninò præstari peroptamus, ut cùm omnis anteactæ vitę peccata diligenter, ritèque confiteantur, tùm spiritualium exercitationum, prout iis, qui subdiaconatum, vel diaconatum, vel sacerdotium suscepturi sunt, præscriptum est, studium aliquandò suscipiant: quo diligentius in via salutis sibi prospiciant.

Exercitia spiritualia 10. dierū.

Plures quoque habet pias monitiones ad sacerdotes, quæ illis proponendæ sint in synodis ab Episcopo.

Primò fratres, & filii in Christo charissimi, memores perpetuò estote vocationis, qua nos dignatus est Dominus noster.

Et sicut sacro ordine à reliquis hominibus sejuncti estis, ita à communis fidelium vitę usu sejuncti præcipuum quoddam, atque hoc præstantius vitæ genus sequimini, quo ordinis dignitate præcellitis.

Cœlestem in terris vitam, tanquam Angeli Dei, moribus vestris, usque adeò exprimere studete, ut à vobis divinarum virtutum exempla ad cœteros emanent.

A Qui sacerdotes, Missæ sacrificium sæpius facite sanctè, ac religiosè.

In omni, in primis, sancta oratione vos assiduè exercete, tùm in meditationis, tacitæque piæ orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu incumbite.

Qui pro facultatibus, proque studiorum ratione plures (*Libros*) habere possunt, eorum optamus, & laudamus in iis comparandis diligentiam.

Multi librorū laudat sacerd bus.

Estis divina misericordia in Ecclesiastico ordine constituti, ad Dei gloriam conservandam, propagandamque, ideò tùm ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte tùm dignitatem, ac decorem servate.

B Sensus autem vestros ita dirigite, ut cùm adeò utiliter dati sint, tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis, sicut satellites cupiditatum, *&c.*

Concilium Mediolanense V. sub Carolo Borromæo anno 1579.

INdictio hujus Synodi ad omnes Episcopos, & eos, qui interesse debent, Item oratio habita in hoc Concilio à Carolo Cardinali tit. S. Praxedis, & Archiepiscopi præponuntur, quibus subjungitur hoc initium. In nomine sanctę, & individuæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Nos Carolus S. R. E. tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mediolanensis, ad Dei omnipotentis, beatæque Mariæ semper C Virginis, ac Sancti Ambrosii Confessoris Patroni nostri laudem, hæc pro Christianæ morum disciplinæ conformatione, qua clerum, populumque fidei nostræ concreditum prælucere totis in Christum visceribus expetimus, de consilio, & assensu Reverendiss. dominorum Coepiscoporum nostrorum in Concilio provinciali Mediolanensi quinto decernimus, statuimus, & sancimus.

Parte 3 seminar & exar nandi r tione.

Postea sequuntur plures centuriæ decretorum, aut constitutionum, incipiendo ab eis, quæ ad fidei tuendæ studium pertinent sub diversis titulis. Admodum autem providetur pro tempore pestilentiæ, ac de peste infectis, ac de variis examinibus clericorum, ordinandorum, ac confessariorum, & parochorum. Quæ omnia apud Binium tom. 9. edit. Paris. invenire est.

Reserva casus.

D Circa titulum illum, *quæ ad pœnitentiæ* sacramentum pertinent, hoc statuit.

Ne facultatum, privilegiorumque jure, quę cuicumque etiam rosarii, & cruce signatorum scholæ, confratriæ, collegiove etiam laicorum, queve collegiis, confratribusve in eo adscriptis, ante, vel post Concilii Tridentini cōfirmationem, concessa sunt, confessarius, cujusvis ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua diœcesi reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contra fecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat.

Hanc objectionem sibi proponit Martinus Delrio disquisit. Magicarum lib 6. sect. 3. dum agitat quæstionem, an post Concilium Tridentinum liceat mendicantibus virtute suorum privilegiorum absolvere à casibus Episcopo reservaris. Respondetque E fuisse quædam rescripta Pontificis Rom. in favorem prælatorum Mediolanensis, & Bononiensis de Ecclesia bene meritorum, quibus speciali privilegio concessit summus Pontifex, ut in eorum diœcesibus, nempe Mediolanensi, & Bononiensi religiosi à casibus per ipsos reservatis non possent absolvere. Quod si generaliter hoc Pontifex voluisset, ubique servari, aliquo motu proprio, vel bulla declarasset. Hoc autem indultum fuisse specialiter Carolo Borromæo, patebit magis in sequenti Concilio Mediolanensi 6. ut hinc manifestum sit nihil contra summum Pontificem attentasse tàm sanctum Archiepiscopum. Subscribit Concilio S. Carolus sub hac forma. Nos Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis, Dei, & Apo-

& Apostolicæ sedis gratia Archiep. Mediolanensis de consilio, & assensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum subscripsimus. Ego Cæsar Episcopus Tertonensis consentiens subscripsi: & sub hac forma reliqui Laudensis, Aquensis, Brixiensis, Cremonensis, Bergomi, Astensis, Alexandrinensis, Vercellensis, Albensis, Vintimiliensis, Savonensis, Casalensis, Viglevanensis, Novarrin.

CONTROVERSIA.

De examine ordinandorum.

PORRO, quæ statuit Concilium hoc circa examen ordinandorum in doctrina præsertim, eruditè explicat Doctor Hallier, parte 1. *de sacris electionibus, & ordinationibus*, sect. 2. Ac per ea determinat, quæ sint inquirenda à singulis tàm ad tonsuram clericalem, quàm ad minores ordines, ac ad majores usque ad Presbyteratum; nec enim sine examine quemquam, nisi forsan publico judicio commendatus esset, admitti par est. Dubios examinari necessum est, ut tententur, ineptos, ne se rejectos sine causa conquerantur, idoneos, ut cæteris in exemplum proponantur. Sed quousque extendi debeat hoc examen, & quid à singulis inquirendum, dubitari merito potest. Nam quidam examinatores paucioribus, & levioribus quæsitis probant ordinandos, malle se, ut quidam Episcopus ajebat, terram suam per asinos coli, quàm incultam deseri. Alii verò tot, tàmque ardua, & extra rem inquirunt ab ordinandis, ut videantur magis eos velle vincere in examine, quàm ipsos tentare, an idonei sint pro gradu, ad quem adspirant. Arte opus est, & methodo in examinatoribus ad tentandas vires ordinandorum, ut ipsos nec temere admittant, nec cum injuria rejiciant. Ideo convenit ab ipsis inquirere ea maximè, quæ pertinent ad ordinem, & ad actus ordinis executionem, itaut intelligant gradum illum, ad quem conscendere prętendunt officia illi annexa circa sacrificium, vel circa administrationem sacrorum. Hæc sunt autem, quæ in hac 5. Synodo magis speciatim attingit S. Carolus, quæ ab aliis non nisi valdè generatim decreta fuerant. Ut verò difficile est omnia statim perficere, quin aliqua desiderari possint, successor S. Caroli in Archiep. Mediolanensi D. D. Federicus tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis supplevit abundè ea, quæ deficere videbantur ad perfectum examen in libello prænotato. *Institutio ad ordines Ecclesiasticos suscipiendos in Ecclesia Mediolanensi*. Qui liber anno præterito 1669. luce publica donatus est Parisiis typis à *F. Muguet*. In quo libro proponuntur omnia interrogata sine ullis responsis, quæ proponenda sunt ratione singulorum ordinum, incipiendo à tonsura Clericali, ad quam habet XVI. interrogationes: ad minores XXXIV. ad subdiaconatum XLV. ad Diaconatum, LXXXI. ad Presbyteratum ferè CV. de quibus judicium aliorum esto, an tot quæstionum solutionibus imbuti esse debeant singuli ordinandi. Quod si affirmativam tuearis, vide in quot angustias, & scrupulos injicies tàm conscientiam ordinandorum plurium, quàm ipsorum examinatorum, qui minus habentes probabunt esse sufficientes. Debet esse certa Regula examinatoribus tàm ad inquirendum, quàm ad probandum. Sine illa morosa quorumdam severitate, & nimia aliorum facilitate, medio tutissimus ibis. Nec sufficit, si dicas, id prudentum judicio agendum esse: nam & ipsi, qui vocantur prudentes, certam etiam regulam habere debent, sine qua prudentes non sunt.

te opus in examinando.

Quæstionem hanc expendit jampridem D. Thomas Doctor Angelicus supplem. quæst. 3. 61. art. 2. ubi minimè requirit, quod ordinandus sit in tota scriptura instructus; sed plus, vel minus, secundum quod ejus officium ad plura, vel pauciora se extendit, & quæ ad executionem sui ordinis spectant: & post ipsum Thomas Sanchez in opere posthumo *Consil. Moral.* lib. 7. cap. 1. dub. 45. has ea de re profert sententias. In ordinandis etiam ad primam tonsuram scientia requiritur non ex necessitate sacramenti, sed ex necessitate præcepti. Episcopus nequit dispensare cum omnino illiterato, ut tonsuram suscipiat. Omnino illiterati, ut sint irregulares ad ordines minores, dicuntur, qui nesciunt legere, ut non peccetur, in promotione ad ordines ea scientia necessaria est, quæ necessaria est ad bonam ministerii Ordinis suscepti executionem, ad primam tonsuram promovendus, requiritur, ut sciat scribere, & legere fidei rudimenta. Sic Concilium Trid. sess. 23. cap. 4. de reform. ad quatuor minores, ut saltem latinam linguam intelligat. Ad subdiaconatum, & Diaconatum, ut initiandus latinè sciat, &, quæ legit, intelligat. Ad sacerdotium ultra dicta requiritur, ut sacrificium illud intelligat, & sic requiritur, ut benè legat contenta in Missa, & mediocriter intelligat, & quod sciat defectus occurrentes in Missa, materiam, & formam consecrationis, dispositionem necessariam ex parte animæ, & corporis. Video tamen per hujusmodi assertiones non parum inertiæ, & socordię plurium ad Sacerdotii dignitatem anhelantium suffragari, & hęc generalius asseruntur, quàm ut ubiquę terrarum praxi impunè demandentur. Videndum est, quid requirant tempora, quid loca, quid diœceses. Non potest pro omni tempore idem capacitatis gradus, & mensura statui. Ubi vigent hæreses, ut hodie ferè ubique, & vitia populorum ex ignorantia ferè pullulant, aut ex defectu proborum hortatorum, oportet Clericos, qui sunt velut anima corporis Ecclesiæ, magis splendore scientiæ coruscare, nec majus detrimentum patitur Ecclesia, quàm ab ignaris Clericis, & Sacerdotibus, qui ut canes muti non valent sese, & alios defendere. Nec est, inquit prefatus Hallierus in parænesi ad examinatores, quod aliquis exceptionem admittat, putans non eam severitatem servandam esse, ut qui presbyteratum hoc tantùm fine petat, ut cantui, lectioni, vel orationi vacet, qui populum docendi, & sacramenta administrandi provinciam refugiat, sibi soli victurus, non aliis. Non enim hæc exceptio canonica. 1. quis spondere audeat eum non omnem lapidem moturum, ut beneficium, aut potestatem administrandi sacramenta adipiscatur? 2. quis ferat Presbyterum ordinari, ut sibi tantum vacet, 3. quis sciat eum à populo numquam appellandum, ut munere publico fungatur? Agite ergo examinatores sedulo constanter, vestrique officii eas partes credite; à vobis Ecclesiæ restauratio pendet. Actum est de Ecclesia, ejusque ornamento, & salute, si in ordinandis sacerdotibus functionum Ecclesiasticarum scientia, disciplinæ studium, & aliqui in ea profectus nulla ratione spectentur. Apage examinatores istos, qui ubi aliquis duo, aut tria latina verba effuderit, continuo ipsum ordinatione dignum judicant, &c.

Opinio S. Thomæ, & Thomæ Sanchez.

Hortatio ad examinatores ordinandorum.

Sanè non leve est, quod addit Trident. sess. 23. cap. 14. de reformatione, quod ordinandus sacerdos comprobetur idoneus diligenti examine ad docendum populum ea, quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, ac ad administrandum sacramenta. Quæ etsi paucis verbis dicuntur, multa tamen comprehendunt. Nam ad docendum non satis est rem qualicumque modo cognoscere; qui doctor est aliorum, eminentiori quodam modo res debet intelligere, ut eas cum certitudine proponat, cum aliquot similitudinibus insinuet, rationibusque, ac auctoritatibus confirmet, alioqui parum proficiunt discipuli: ea verò, quæ necessaria sunt ad salutem, multa denotant, omnia nempe præcepta Dei, & Ecclesiæ, nec sufficit decalogum nosse, quasi ipsius cognitio involveret omnium præceptorum Dei Enciclopædiam, is namque tantùm præcepta naturalia omnibus gentibus etiam ipsis Turcis, & Judæis, ac Saracenis nota continet. Preterquam quod sunt pręcepta fidei & explicita, & implicita, & pręcepta Sacramentalia. Aliqua enim pręcepta Dei sunt pre-

Præcepta Dei præter Decalogum.

præcepta Sacramentorum, & eorum, quæ ad ipsa spectant. Prætereo præcepta proprii status uniuscujusque, & distinctio peccatorum mortalium à venialibus contra unumquodque præceptum. Jam verò administratio Sacramentorum, etsi non omnes casus occurrentes, sed communiores spectentur, quanta continet? unde colligi facilè potest levioris armaturæ in scientia clericos haud esse ordinationi idoneos. Ideo tot decreta statuit præsens hoc Concilium. Ad quod magis explicandum ante viginti, & aliquot annos librum vulgavimus de *Triplici examine* ordinandorum, confessariorum, & pœnitentium, in cujus quarta, & quinta editione ea, quæ videntur requiri, ab hoc Concilio satis explicatè, & cum nova methodo proponuntur per interrogata, & responsa non ita prolixa, in gratiam ordinandorum, qui non ita assiduè scholas Theologicas adierunt, quamvis & ipsis etiam non inutilis videbitur, si velint attendere. Methodus hujus examinis est, ut pro candidatis Minorum ordinum inquiratur super Catechismo Clericali magis generaliter, qui Catechismus est de tribus præceptorum Dei generibus: nempe fidei, proborum morum, seu decalogi, & sacramentorum. Pro singulis aliis ordinibus usque ad Presbyteratum idem Catechismus magis dilatatur, & amplificatur per explicationem rerum magis in speciali, ut eo amplius illuminati in scientia appareant ordinandi, quo ad altiorem ordinem promovendi sunt. Itaut tamen in initio examinum ad singulos ordines à definitione ipsorum ordinum, & eorum, quæ ad ipsos spectent, ducatur initium examinis, ne contingat ordinandos ignorare sacramentum, quod postulant. Non est, quod de fructu hujus examinis in variis orbis Christiani Provinciis quidquam hìc inseram, res satis nota est, & jam fama est typographos Venetiarum hunc librum excudere, ut per Germaniam, & Italiam diffundatur, sicut per universas Galliæ provincias jam pridem disseminatus est. Audio tamen aliquos reluctari hujusmodi examinibus, nominibusque indecoris ipsa afficere, ut despectui habeantur, ne loca, in quibus degunt, fructum capiant hujusmodi lucubrationis, etsi ex decreto Conciliorum, ut ibidem ostenditur, talia in lucem prodeant. Sed qua intentione id faciant, dies Domini revelabit. Ipsi certè vel non legerunt, vel offenduntur doctrina illa, quæ damnatis propositionibus ex libro R. E. Iprensis excerptis adversatur, cum tales obtrectores partem illam hactenus fovisse satis notum sit, Deus illis ignoscat, & nobis gratiam concedat ad ferendum patienter ipsorum adversum nos, & nostra scripta iracundiam.

Liber de triplici examine.

Tria genera præceptorum Dei.

Concilium Mediolanense VI. Quod habuit Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis tit. S. Praxedis Archiep. ann. 1582. Gregorio XIII. Pontifice.

ORationem habet initio synodi Carolus, in qua præfatus de utilitate Conciliorum ab exordiis Ecclesiæ, & de malis, quæ ex eorum defectu accidunt, duo tractat. 1. repræsentat totam suam Provinciam veluti quoddam amplum hospitale, in quo multitudo ingens sit hominum graviter, ac periculosè ægrotantium in omni statu laicorum, sacerdotum, & Episcoporum ipsorum. 2. exstimulat, & hortatur ad perquirenda remedia, proh dolor! quid hoccine est, *Nunquid resina non est in Galaad?* Jerem. 8. *&c.* concludit, Proponamus nobis hìc ob oculos probaticam illam piscinam amplam (Joan. 5.) porticus quinque habentem, & in iis iterum ex hac provinciali specula prospiciamus multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, expectantium aquæ motum, Hi omnes (intuemini quæso provinciam ægrotam) expectant motum aquæ, agitationem consultationum nostrarum, actionemque salutarem nostrarum deliberationum, *&c.* Erige spem tuam provincia Mediolanensis. Patres isti venerunt tibi, ut morbos, & vulnera tua sanent. Leva, popule meus, in circuitu

A oculos tuos, & vide: isti congregati sunt, venerunt tibi. (Isa. 60. *&c.* Tu exurge igitur, exurge, excita te ad orationis studium, ad pietatis opera; quibus implorata divina ope parentum tuorum perennis hæc sollicitudo adjuvetur in perpetuum, Amen.

Hortatio potentissima habetur ad fideles, ut in parochia propria diebus saltem dominicis, & festis solemnioribus adsint, ac proposita Ecclesiæ antiquæ consuetudine, juxta quam parochi ante Missæ celebrationem plebem interrogabant, an alterius parochiæ fidelis adesset, qui, proprio contempto Presbytero, ibi Missam audire vellet, ut eum ejicerent, & in parochiam suam ad audiendam Missam redire compellerent: atque etiam alienæ parochiæ fidelem ad Missam audiendam non admittebant, nisi in itinere esset, idque ex canonum decretis.

B Nec verò quemquam aliquod, quod vel ex parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluvia, frigore, æstu, temporumque vicissitudine existit incommodum, ab hoc officio deterreat: immo verò ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est; qui salutis suæ memores hujus rei gravitatem eorum, quæ commemorata sunt, ratione perpendent, quique aliquando secum animo reputabunt, non solùm parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis sacramentis aluntur ad perpetuam salutem: sed parochum etiam sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque observent; hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internuntium, ac deprecatorem esse, divinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ, & morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant rectè, pièque agendi consilium, ac denique ministrum omnium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt.

C

De baptismo, religiosi instituti olim fuit, diem baptismi quotannis à fidelibus piè celebrari, id quod S. Gregorius Nazianz. aliquando ostendit.

Quæ sanè institutio, cum ad pietatis cultum, piamque morum disciplinam non parum adjumenti in primis adjutrice Dei gratia afferre possit, eam in usum revocari vehementer in Domino cupimus.

Itaque Parochus, & confessarius, prout occasio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum gerunt curam, unusquisque, quo die baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique charitatis opere, atque officio, spiritalisque gaudii celebritate recolat, memor se, chyrographo damnationis deleto, hereditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse.

D

Qua in cogitatione, cum semper aliàs, fereque in singulos dies, ut B. Chrysost. monet, tùm eo potissimum die sanctè sese excitet ad preclaram illam sponsionem, & Christianam professionem, quam in sacro lavacro per sponsores solemniter edidit. Repete, inquit sanctissimus pater noster Ambrosius, quid interrogatus sis, recognosce quid responderis, renunciasti diabolo, & operibus ejus, mundo, & luxuriæ ejus, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.

E Parentum cura sit diem ob eam causam notare, quo eorum filius Christo renatus est, *&c.*

Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent.

MOneat quoque (parochus) sæpenumero cohorteturque, ut quoties quis rem arduam, & difficilem, in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggreditur, primo confessus itidem faciat: ut tanto sacramento corroboratus, spe erectiori fiat rei benè gerendæ.

Quæ superioribus Conciliis ex sanctæ sedis Apostolicæ decreto confessariis sacerdotibus etiam regulari-

bus

bus vetitum est, ne pœnitentem quemquam ex privilegiorum, quæ ipsis regularibus, aut confratribus data sunt, vi, auctoritateque absolvant: idem iis interdictum est etiam indulgentiarum literis, quæ Ecclesiis concessæ sunt.

Nota. Ex his colligitur, quod in his Conciliis adversus privilegia regularium sancitum est, ex authoritate Summi Pontificis factum fuisse.

Quæ ad Ordinis Sacramentum pertinent.

NE quis patrimonii ab alio cujusvis conditionis homini assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni victui necessaria suppeditanda facta sit, sacris ordinibus majoribus initietur: nisi præter cæteras præscriptas cautiones; illud etiam publico instrumento caveatur, ea certa adjecta clausula, ut uterque, & qui patrimonium assignat, & cui assignat, jurejurando affirmet, id patrimonium verè possideri, obtinerique, ac nihil preterea inesse doli, & fraudis, nullumque esse eo nomine contractum initum, nullumque promissum factum, nec verò in posterum se aliquid acturos, facturosve esse, quo minus clericus, qui initiandus est, assignato patrimonio verè, rectèque ipse utatur, ac fruatur: proindeque si quid contra actum, gestum, factumque erit, id omne irritum, descissum, atque planè ipso jure nullum, nulliusque roboris esse velle, *&c.*

Quæ ad funera pertinent.

MOrtuum quovis etiam generis, gradus, dignitatisve nomine illustrem laicum Ecclesiastici homines ne efferant: ne item inferioris ordinis clericum, qui in superiori ordine constituti sunt, *&c.*

Quæ ad cultum Ecclesiarum pertinent.

MUlieres, cujusvis ordinis, status, & conditionis sint, pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ sancita, velato in Ecclesia capite sint. Quæ verò non paruerint, postquam ter, aut semel (quę unica monitio pro tribus satis sit) etiam generatim monitæ in contumacia perstiterint, ab Episcopo, prout expedire judicaverit, puniantur.

De Episcopo, &c

SIbi duos sacerdotes pietatis zelo flagrantes secretò in civitate deligat, quorum officium sit Episcopum assiduè admonere, quidquid in eo vel desiderari, vel opus esse viderint; cùm ad omnis disciplinæ, tùm verò ad Concilii Tridentini, nostrorumque Provincialium Conciliorum perfectam, atque absolutam executionem, &c.

De Concilio Provinciali.

EPiscopo ad Concilium venienti Metropolitanę Ecclesię Vicarius generalis, & alii Prælati, Ecclesiasticique viri, quos Archiepiscopus delegerit, duo, aut tria millia passuum obviam prodeant.

Urbem, locumque, ubi Concilium celebratur, mula is vectus, & insigne Episcopalis dignitatis viatorium indutus decore ingrediatur: cùm ingreditur, sancta charitate, rogatu, & concessu Metropolitani quodammodò impulsus, in via populo benedicere non recuset.

Primò urbem, locumve Concilii ingressus ad basilicam Metropolitanam primariam, ut accedat; ubi paulisper Deum sanctè precetur.

Ad basilicæ valvas ei obviam veniant, & qui dignitates obtinent, & canonici, & clerici quicumque illius basilicæ.

Quod si fortè tunc divinis officiis in choro occupati sunt; duo tamen, quatuorve, qui ex ordine sacerdotum, & diaconorum digniores sunt, è choro mittantur, qui Episcopum ingredientem excipiant, & ad altare majus deducant. Dum atrium, limenque Ecclesię ille ingreditur, ejus adventus, & ingressus solemnizetur campanarum sono, & nisi divina celebrantur, organo etiam, piaque cantus modulatione excipiatur.

Inde à Basilica ad Metropolitanum ipse veniat, qui obviam procedens fratrem Episcopum omni charitate, & osculo pacis benignè excipiat.

Cætera statuta vide apud Binium.

Additur post subscriptiones indictio alterius Concilii Mediolanensis septimi, quod tamen celebratum non est ob mortem Caroli Borromæi, id autem fieri volebat in fine cujuslibet Concilii decreto Concilii Carthaginensis, ut hac occasione frequentiora essent Concilia.

Concilium Aquilejense, celebratum anno Domini 1596. sub Clemente Papa VIII. præside Francisco Barbaro Patriarcha, & principe Aquilejensi.

IN nomine sanctæ, & individuę Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Nos Franciscus Barbarus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Patriarcha Aquilejæ, & princeps, de consilio, & assensu Rever. Coepisc. nostrorum in Provinciali synodo prima Aquilejensi hæc statuimus, & sancimus.

In hoc Concilio summatim de his agitur.

De Fide profitenda ab omnibus provisis de Beneficio, ab omnibus, qui docendi munus in Academiis susceptum habent, ab iis, qui Philosophiam publicè, aut privatim docent, ut in Lateranensi sub Leone X. cautum est, à prædicatoribus, à promovendis ad Doctoratus insignia, &c.

De fide tuenda. Duo sunt, quibus catholicæ fidei veritas sustinetur, ac munitur, quorum alterum ad veritatis sinceritatem, & doctrinam pertinet, ut prædicetur, doceatur, declaretur: alterum cautionem respicit, qua veri dignitas, ac fama à malorum artibus integra conservetur, ne dormiente Patrefamilias inimicus homo Zizania superseminet, & messem corrumpat: quo hactenus pestilentiæ genere maximas, & nobilissimas Provincias laborare lacrymabili exitio apud omnes cognitum est.

Ut igitur cœlestis sacrorum librorum Thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, in commune commodum eorum industria, & studio, quibus & dispensatio mysteriorum Dei commendata impendatur, & veritatis appetentibus dispertiatur, sacri Concilii decreta sequentes decernimus, ut sacræ scripturæ lectio instituatur in Ecclesiis cathedralibus, & Collegiatis insignibus, quamvis nullius diœcesis, si clerus ibi numerosus fuerit, prębendam quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacaturam, cui aliud onus incompatibile non sit adjunctum, &c. in Theologalem commodiore, Episcopi decreto, qua potuerit ratione erigendam, & personis idoneis, quæ munus obire possint, conferendam, &c.

De Prædicatione verbi Dei.

De Divinis Officiis divina officia vetere Sanctorum Patrum instituto, ordine, & horarum numero ad omnipotentis Dei nomen colendum, & invocandum disposita, quorum celebritate, & frequentia in militante Ecclesia triumphantis figura, tanquam exemplaris imitatione exprimitur, ita decet tractari, ut cordis munditie adsit, moderatus, & penè Ecclesiasticus corporis cultus, index plerumque eorum, quæ sunt in animo, non desideretur, Devotio autem, & quædam compositio actionum sacrarum non absit.

Emineat autem inter omnia, quæ sacris habentur mysteriis, & actionibus missæ sacrificium & rei dignitate,

tatæ, & sacerdotis præstantia, & fructus excellentia: Dominus enim noster Jesus Christus, &c.

Episcopos autem, qui cæteros antecellunt dignitate, & toti anteire clero decet cum hujus frequentatione, ac celebratione, &c.

De residentia Episcoporum.

De residentia Curatorum, qui curam animarum officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quę singulis periclitatur momentis, præsentem operam darę, &c.

De residentia Canonicorum, & Beneficiatorum, qui residendi obligatione tenentur.

De Episcopis.

De Parochis.

De dignitatibus, Canonicatibus, & Beneficiis simplicibus.

B

De Vita, & honestate Clericorum.

De Seminario Clericorum.

De Visitatione.

De Festorum dierum sanctificatione.

De Reliquiis Sanctorum.

De Ecclesiis, & pio in eis versandi modo, Altaribus, & Sacristiis.

De bonis, & juribus Ecclesiarum tuendis.

De Vicariis foraneis.

De Monialibus.

Tria conservant statum regularem. Ad quem titulum istud inter cætera habet: Tria sunt, quibus præcipue monasticæ disciplinæ status conservatur, & augetur, sufficiens communis victus, devota regulæ observantia, pia sacramentorum frequentia: ad quæ si accedat Pastoris vigilantia, Deo favente, sperandum, profici vel plurimum posse, &c.

C

Atque in isto Concilio Aquilejensi finis imponitur, Conciliis tàm in Binio, quàm in collectione regia, cujus decreta recognita, & approbata fuerunt à Sacra Congregatione Concilii Tridentini.

CANONES CONCILIORUM

quorumdam incerti ferè temporis per Franciscum Joverium Theol. Paris. collecti ex Burchardo, Ivone, & Gratiano.

Canones Concilii Remensis.

Bur. l. 5. c. 30. Gr. de con. dist. 2. PErvenit ad notitiam nostram, quòd quidam presbyteri in tantum parvipendant divina mysteria, ut laico, aut fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur. Quod quàm sit horribile, quàm detestabile omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodis presbyter per semetipsum communicet. Quòd si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.

D

Bur. l. 1. c. 120. Sunt in quibusdam locis Scoti, & alii erronei, qui se dicunt episcopos esse, & multos negligentes absque licentia dominorum, sive magistrorum, presbyteros, & diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plerunque in simoniacam incidit herefim, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.

E

Bur. l. 2. c. 29. Authoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper & majestas regia Canonicæ religioni assensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines, & familiam propriam promovere Ecclesia quæque delegerit, in præsentia Sacerdotum Canonicorum simul, & nobilium laicorum, ejus, cui subjectus subscriptione, & manumissione sub libertatis testamento solemniter roboretur: idcirco ego Burchardus Deo annuente Vvormaciensis Ecclesiæ Episcopus, quendam Ecclesiæ nostræ famulum, nomine Eberhardum, sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præsentia, per hoc authoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die, & tempore benè ingenuus, atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus, vel natus: eandem pergat partem, quamcunque volens canonicè elegerit, ita ut deinceps, neque nobis, neque successoribus nostris ullum debeat noxię conditionis servitium, sed omnibus diebus vitæ suæ, sub certa, plenissimaque ingenuitate, sicut alii, qui sunt ejusdem ingenuitatis, titulum, benè semper ingenuus, atque securus existat. Suum verò peculiare, quod habet, aut, quod ab hinc assequi poterit, faciat inde secundum Canonicam authoritatem liberè quidquid voluerit. Et ut hęc ingenuitatis pagina inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roboravimus.

Ut nullus Presbyter absque amictu, alba, stola, & fanone, & casula ullatenus præsumat missam celebrare, & sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco infra Ecclesiam collocentur, nec unquam Presbyter his indutus extra Ecclesiam exeat: quia hoc lex divina prohibet. *Bur. l. 2. c. 50.*

Ut omnis Presbyter omnibus Parochianis suis symbolum, & orationem Dominicam aut ipse insinuet, aut aliis insinuandum injungat: & cùm ad confessionem tempore quadragesimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter decantari faciat: nec ante sanctam communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronunciare noverit. Siquidem sine horum scientia nullus salvus esse poterit. In uno enim fides, & credulitas, & fides Christiana continetur: in alio quid orare, & petere à Deo debeamus, exprimitur. Quod sine fide nemo possit esse salvus, Dominus ostendit, cùm dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Nullus autem credere potest, quòd nescit, nec audivit, ait enim Paulus. Quomodò credent ei, quem non audierunt? Nec sola fides in corde sufficit, nisi verbis enuncietur, ut idem Apostolus testis est: *Corde enim*, inquit, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Nullus autem de stoliditate sensus, vel tenuitate ingenii causetur, quia hæc tàm parva sunt, ut nemò tàm hebes, & barbarus sit, qui hoc discere, & verbis communibus pronunciare non possit: tàm magna, ut qui horum scientiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad salutem perpetuam. Illud etiam observandum, ut nullus suscipiat infantem in baptismo à sacro fonte, antequam idem symbolum, & orationem Dominicam coram Presbytero decantet: & tunc Presbyter omnibus patrinis annunciet, quod debitores sint suis filiolis, cùm ad intelligibilem ætatem venerint, hęc eadem insinuare. *Bur. l. 2. c. 62.*

Ancillas, vel libertas à cellario, vel secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua clericus manet, placuit removeri. *Bur. l. 2. c. 114.*

Ut nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam supra sacra, vel supra sancta Euangelia juret, sed simpliciter cum puritate, & veritate dicat: est, est: non, non; sed si est aliquid, quod eis à laicis objiciatur, ad Episcopum, in cujus territorio est, deferatur, & juxta id, quod illi, qui ejusdem sunt ordinis, dijudicaverint, aut corrigatur, aut expurgetur. *Bur. l. 2. c. 188.*

Unusquisque Presbyter Ecclesia una, ad quam ordinatus est, contentus sit, & nullus in duabus Ecclesiis ministrare præsumat. *Bur. l. 3. c. 44.*

Sicut in unaquaque Ecclesia Presbyter debet esse, ita ipsa Ecclesia, quæ sponsa, vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures Presbyteros, sed unum tantummodò habebit sacerdotem, qui eam castè, & sinceriter regat. Unde interdicimus, ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos, vel plures dividere: quia Ecclesia Christi uxor, & sponsa debet esse, non scortum, sicut Callixtus Papa testatur. Si quis jam translatus *Ibid. c. 45.*

latus

latus est ab una Ecclesia in aliam, nihil habeat commune cum priore sive sub Ecclesia constitutis martyribus, sive in paroeciis, sive in xenodochiis, aut eorum negociis. Eos verò, qui ausi fuerint post ordinationem hujus magnæ, & universalis Synodi agere, quæ prohibita sunt: statuit sancta Synodus cadere de proprio gradu. Aliud est transferri, atque aliud propria temeritate transire, illud Apostolica authoritate fieri licet: hoc verò omnibus modis prohibetur. Sicut autem duabus Ecclesiis unus præponi non debet, ita nec una Ecclesia inter plures dividi valet.

Statutum est, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Episcopo, permiserit.

Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnimodis ex argento. Nec causentur Presbyteri ava-
r. l. 3. 96. ritia suadente de paupertate, vel impossibilitate, cum quarta pars ex omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent, in fabricis ipsius Ecclesiæ sit impendenda. Admonendus est etiam populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, sicut antiquus ille populus sub Mose in tabernaculo Domini fecisse legitur. Si quis autem tàm pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære autem ex aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo calice, aut vitreo consacrare præsumat.

r. l. 3. 7. Observandum est, ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi vota, & preces populi in conspectu Dei à Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis, & pallis diligentissimè cooperiatur, nihilumque super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum reliquiis, & quatuor Evangelia. Expleta missa calix cum patena, & sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondantur.

Corporale, super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo, & purissimo linteo fit, nec in eo alterius generis materia preciosior, aut vilior misceatur, & nunquam super altare remaneat, nisi in tempore missę, sed aut in sacramentorum libro ponatur, aut cum calice, & patena in mundissimo loco recondatur: vel quando abluitur à Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono, primo in Ecclesia in loco, & vase ad hæc præparato abluatur, eo quod ex dominico sanguine infectum sit. Post hæc à lavandario in nitido loco paretur.

. l. 3. 04. Ut nullus Presbyter pręsumat calicem, vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel fœminæ in vadium dare, nisi justissima necessitate urgente; quia tanta est sanctitas sacri ministerii, ut salva mysterii altioris intelligentia, etiam per prophetam Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis Sacerdos procedat ad populum, sed illa intra sancta dimittat, à colloquio divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum à sacris Canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro ministerio, nec ad contingendum immundis: quantominus in vadium exhibere debet; Sicut Stephanus sanctus Papa, & martyr sanctum Hilarium in suis decretalibus docuit.

conc. relia. Ut nullus Presbyter ad introitum Ecclesiæ xenia donet.

Ut Presbyteri per plebes suas fœminis prædicent, ut linteamina in altaria præparent.

Investigandum si nihil patrimonii habeat Presbyter
l. 3. 98. quando provectus est ad ordinem Ecclesiasticum, postea si emerit prædia, cujus juris sint, quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habente promotus est, esse de-
. l. 3. 23. bent, juxta Canonicam authoritatem.

Inquirendum si quis aliquis Presbyterorum de ritibus Ecclesiæ, vel oblationibus, ac votis fidelium alio

A nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad Ecclesiam pertinent, ibidem collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel quod turpius tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium suum exerceant, & curam domus agant, & in eadem Presbyter frequenter veniens manserit, & contra decreta Canonum hoc malum agat: quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fœnus exercere debet, multominus fraudem de facultatibus Ecclesiasticis: quoniam hoc sacrilegium est, & par crimen Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur.

Si laici capellas proprias habuerint, à ratione, & authoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut genitiarias suas pascant, sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde
B restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitum, ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta Ecclesia, ac pro statu regni Dei misericordiam studiosè implorent.

Episcopo liceat in campo, si necesse sit, confirmari.

Fœmina non det pœnitentiam, nec corporale cum oblatione, nec calicem super altare ponat, nec inter ordinatos stet in Ecclesia, nec sedeat inter Sacerdotes in convivio. Bur. l. 3. c. 84.

Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur.

Ut Episcopi, & Judices judicia discernant, quia sunt quędam judicio mundi, quædam judicio Dei reservanda: Scriptum est enim: Nolite judicare ante Bur. l. 1. c. 60.
C tempus; quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Et illius memores sint: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini & vos.

Ut Episcopi sermones, & homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem communis linguæ prædicare studeant. Bur. l. 1. c. 96.

Canon ille de recitanda memoriter oratione Dominica, & symbolo non videbitur admodum rigidus ei, qui legerit Cano. 9. Concilii 4. Toletani, & legerit id, quod ait Cyprianus in orationis Dominicæ expositione: aliter, inquit, orare, quàm Christus docuit, non solùm ignorantiæ est, sed culpa, vide epist. 89. ad Hilarium, oratio Dominica (ait) omnibus necessa- Collectionis auth.
D ria est, ut sciatur, & dicatur. Hæ authoritates non sunt intelligendæ ad amussim, ut exigant exactum ordinem à simplicibus hebetibus: satis est eos rationem crassa Minerva posse reddere; de his, quæ in illa oratione indicantur petenda, & in symbolo proponuntur credenda juxta simplicium, & rudium captum, qui plura præstare nequeunt.

CANONES CONCILII Rhotomagensis.

Guillermo Nordmanorum duce, qui postea Angliæ Rex electus est, præsente, Maurilius Archiepiscopus Rhotomagensis, cum Provincialibus Bajonensi, Abrincensi, Lexoviensi, Ebroicensi, Sagiensi, Constantiensi. De castitate, & cæteris Patrum institutis servandis, Pastorum incuria neglectis, plura statuit anno 1055. porro tria referuntur Concilia sub Maurilio habita. E

Statuimus secundum Canonicam cautelam, omnes undecunque supervenientes ignotos Episcopos, vel Presbyteros ante probationem Synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admittere. Bur. l. 1. c. 123.

Ut viri veraces, & Deum timentes in civitatibus, & publicis vicis, Decani constituantur. Canon 9.

Ut populus admoneatur, ut in Dominicis, & Festis Bur. l. 2. c. 239.

ſtis diebus omnes ad veſperas, & nocturnas vigilias, & ad miſſam omnimodis occurrant, & ut Decani in civitatibus, & in vicis publicis viri veraces, & Deum timentes conſtituantur, qui deſides, & negligentes commoneant, ut ad Dei ſervitium abſque occaſione properent, & ut ipſi Decani Sacramento aſtringantur, ut nulla interveniente cauſa, ſcilicet, aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, muneris negligentes, & tranſgreſſores reticeant, quin Sacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia, zelo, & amore divino, cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum erratibus ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere.

Ut nullus munus aliquod à Presbytero propter Eccleſiam requirat.

Canon 5. Bur. l. 3. c. 114. Sancitum eſt, atq; omnimodis prohibitum, ut ſi quis Presbyter inventus fuerit alicui clerico, aut laico munera dare, aut dediſſe, aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri Eccleſiam ſurripiat, aut Eccleſiam vacantem precio redimat, pro hac cupiditate, ſeu rapina, ſeu præſumptione turpis lucri dejiciatur à clero, & alienus exiſtat à regula.

Ut viduæ velum ſibi imponere non debeant inconſulto Epiſcopo ſuo, & ne Presbyteri eis imponere præſumant, quod Epiſcopis non licet.

Bur. l. 8. c. 33. Statutum eſt viduas non debere velare. Simul & hoc ſtatutum eſt, ut ſi quiſpiam Presbyterorum deinceps hujus conſtitutionis normæ contumaciter tranſgreſſor extiterit, ſcilicet, ut aliquas viduas velare præſumat, quia hoc & Epiſcopis non licet, gradus ſui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à Presbyteris non velandis ſtatutum eſt, ut ſi quis hoc facere tentaverit, tanqam tranſgreſſor Canonum damnetur.

Ut Epiſcopus Monaſteria Monachorum, & ſanctimonialium frequenter viſitet.

Bur. l. 8. c. 66. Ut Epiſcopus Monaſteria Monachorum, & ſanctimonialium frequenter introeat, & cum gravibus, religioſis perſonis, & in eorum, vel in earum conventu reſidens, eorum vitam, & converſationem diligenter diſcutiat, & ſi quid reprehenſibile invenerit, corrigere ſatagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam ſubtiliter inveſtiget. Et ſi qua invenitur, quæ neglecto propoſito caſtitatis, clerico, aut laico miſceatur, & in privata cuſtodia retrudatur, ubi, quod malè commiſit, dignè pœniteat: interdicat etiam ex authoritate ſanctorum Canonum, ut nullus laicus, aut clericus in earum clauſtris, & ſecretis habitationibus acceſſum habeat, neque Presbyteri, niſi tantùm ad miſſam, expleta miſſa ad Eccleſias ſuas redeant. Omnibus præterea publicè, & privatim denuntiet.

Si quis ariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit.

Cum Epiſcopus pro certis ſceleribus aliquem excommunicat, diſpoſitum clericum, & plebem ita debet alloqui.

Bur. l. 11. c. 2. Noverit charitas veſtra, fratres mei, quod quidam vir nomine N. diabolo ſuadente poſtponens Chriſtianam promiſſionem, quam in baptiſmo profeſſus eſt, per apoſtaſiam converſus poſt ſatanam, cui abrenunciavit, & omnibus operibus ejus, vineam Chriſti, id eſt, Eccleſiam ejus devaſtare, & deprædari non pertimeſcit, pauperes Chriſti, quos precioſo ſanguine ſuo redemit, violenter opprimens, & interficiens, & bona eorum diripiens. Unde, quia filius hujus noſtræ Eccleſiæ (cui Deo authore præſidemus) debuerat A eſſe: quia in ea per aquam, & ſpiritum ſanctum renatus eſt, & inter adoptivos filios Dei adnumeratus, quamvis modo filius diaboli ſit imitando diabolum, ſoliciti, ne per negligentiam paſtoralem aliqua de ovibus nobis creditis periret, pro qua in tremendo judicio ante paſtorum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum rationem reddere compelleremur, juxta quod nobis terribiliter comminatur, dicens: *Si non annunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ſuum de manu tua requiram.* Miſimus ad eum Presbyterum noſtrum, & literas commonitorias ſemel, & iterum, atq; tertio invitantes eum canonicè ad emendationem, & ſatisfactionem, & pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipſe, proh dolor, diabolo cor ejus indurante, monita ejus ſalutaria ſprevit, & in incœpta malitia perſeverans Eccleſiæ Dei, quam læſit, B ſuperbiæ ſpiritu inflatus, ſatisfacere dedignatur. De talibus itaque tranſgreſſoribus, & ſanctæ religionis, paciſque, quam Chriſtus diſcipulis dedit, atq; reliquit, violatoribus, præcepta Dominica, & Apoſtolica habemus, quibus informamur, quid de hujuſcemodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Euangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Fratres, in unumquemque peccat, qui in Eccleſiam ſanctam peccat.

Si enim ſancta Eccleſia unum corpus eſt, cujus corporis caput eſt Chriſtus, ſinguli autem ſumus alter alterius membra: & ſi compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, procul dubio in nos peccat, qui membra noſtra lædit. Jubet ergo Dominus, ut frater, id eſt, Chriſtianus in nos peccans, C primo ſecreto corripiatur, deinde cum teſtibus redarguatur: noviſſimè in conventu Eccleſiæ publico conveniatur. Quod ſi has tres commonitiones, & pias correptiones contemnit, & ſatisfacere deſpicit, poſt hæc ſit tibi, inquit, ſicut ethnicus, & publicanus, id eſt gentilis, atque paganus, ut non jam pro Chriſtiano, ſed pro pagano habeatur. Et in alio loco, membrum, quod à ſua compage reſolvitur, & à junctura charitatis diſſociatur, & omne corpus ſcandalizat, Dominus & abſcindi, & projici jubet, dicens: Si oculus tuus te ſcandalizat, vel pes, vel manus, erue, & projice abs te. Et Apoſtolus: Auferte, inquit, malum à vobis. Et iterum: Si quis frater nominatur, & eſt fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere licèt. Et Joannes dilectus præ cæteris Chriſti diſcipulis, ta- D lem nefarium hominem ſalutare prohibebat, dicens: Nec ave ei dixeritis, neque in domum receperitis. Qui enim ei avè dicit, communicat operibus ejus malignis Dominica igitur præcepta adimplentes membrum putridum, & inſanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis à corpore Eccleſiæ abſcindamus, ne tàm peſtifero morbo reliqua membra corporis veluti veneno inficiantur.

Prima excommunicatio ex eodem Concilio eſt apud Burchard. cap. ſequenti.

Sunt aliqui, qui culpis exigentibus ab Epiſcopo proprio excommunicantur, & ab aliis Eccleſiaſticis, vel laicis præſumptione in communionem accipiuntur, E quod omnino ſanctum Concilium Nicænum, ſimul & Chalcedonenſe, necnon & Antiochenum, atque Sardicenſe fieri prohibent. Bur. l. c. 42.

De illis, qui aliquem ira percuſſerint. Ex Concilio Rhotomagenſi, cap. 9.

Si quis alium per iram percuſſerit, & ſanguinem effuderit, ſi laicus eſt, viginti dies pœniteat: clericus triginta. Illi autem, qui gradum habent, amplius pelli debent. Diaconus ſex menſes. Presbyter unum annum. Epiſcopus duos annos, & ſex menſes. Bur. l. c. 119.

De

De bubulcis, qui suas incantationes exercuerint.

Perscrutandum, si aliquis subulcus, vel bubulcus, sive venator, vel cæteri hujusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet à peste, & clade, & alterius perdat: Quæ omnia idololatriam esse nulli fideli dubium est; & ideò summoperè exterminanda. r. l. 10. 19.

De his, qui apud hæreticos baptizantur.

Baptisma unum est, sed in Ecclesia Catholica, cujus nos membra effecti sumus, ubi una fides est, ubi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti datur. Et ideò, qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio, vel confessio annulletur, sed doceantur integrè, & instruantur sensu sanctæ Trinitatis, & mysteria, quod in sancta Ecclesia tenetur: & si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgatæ fidei integritate, firmentur manuum impositione. Si verò parvuli hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis; qui eos offerunt juxta morem baptizandi, & ita interrogentur, ut sciant, quid respondere debeant, & sic manus impositionem accipiant. lib. 4. 9.

De Episcopo, qui principalem cathedram suæ Ecclesiæ negligit.

lib. 1. Ut non liceat Episcopo principalem cathedram suæ parochiæ negligere, & aliam Ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

Ut in circuitione Episcopi omnes, qui sunt in parochia, singularum matricum, exceptis infirmis, ad Synodum ejus venire debeant.

c. 90. Cùm Episcopus suam diœcesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet, uno, aut duobus diebus per Parochias, quas visitaturus est. Et plebe convocata, annunciare debet proprii Pastoris adventum. Et ut omnes, exceptis infirmis, ad ejus synodum die denominata impretermisè occurrant, & omnimodis ex authoritate sanctorum canonum præcipere, & minaciter denunciare debet. Quod si quis absque gravi necessitate defuerit, proculdubio à Communione Christiana sit repellendus: deinde ascitis secum Presbyteris, qui in illo loco servitium debent exhibere Episcopo, quidquid de minoribus, & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat, ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigatus; aut sibi immorari amplius necesse sit ibi, quàm expensa sufficiat. Ait enim Dominus ad Mosen de hujusmodi cooperatoribus: Ut tecum, inquit, sustentent onus populi, & non tu solus graveris. Et beatus Joannes Baptista adventum Domini præcucurrit prædicando dicens: Pœnitentiam agite, &c. Et idem: Parate viam Domino. Si quidem Episcopus vicem Christi agere videtur: & ideò cum gaudio, timore, & summa reverentia à plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur, quod Apostolus discipulis: Testimonium, inquit, vobis perhibeo, quòd ita suscepistis me sicut angelum Dei, sicut Dominum Jesum.

Quod in primis prædicandum est, qualiter credere debeant.

In primis prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum c. 59. A unum Deum esse omnipotentem, qui omnia fecit, & unam esse deitatem, & substantiam, & majestatem in tribus personis Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

De eadem re.

Item prædicandum est, quomodò filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria virgine, pro salute generis humani passus, sepultus, tertia die resurrexit, & cœlum ascendit, in fine mundi veniens judicare omnes homines secundum opera propria, quomodò impii cum diabolo in ignem æternum mittentur; justi cum Christo in vita æterna erunt.

De eadem re.

B Item prædicandum est, quòd omnes homines in propria carne resurgent.

Ut Presbyteri plebes admoneant, ut bubulcos, atque porcarios in principalibus festis ad Missam venire permittant.

Admonere debent sacerdotes plebes subditas sibi, ut bubulcos, atque porcarios, aut alios pastores, vel aratores, qui in agris assiduè commorantur, vel in sylvis, & ideò velut more pecudum vivunt, in dominicis, & in aliis festis diebus, saltem vel ad Missam faciant, vel permittant venire. Nam & hos Christus pretioso sanguine suo redemit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum, non elegit oratores, atque nobiliores quosque, sed piscatores, atque idiotas sibi discipulos ascivit, ut ostenderet in facto, quod ipse verbis in Euangelio affirmat dicens: Quod hominibus est altum, abominabile est apud Deum, & salva altiore intelligentia nativitas nostri Redemptoris primò omnium Pastoribus ab angelo nunciatur. Bur. lib. 2. c. 71. C

Ut cuncta, quę Deo offeruntur, consecrata habeantur.

Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur. Boves, & oves, & capræ, quæ sub Pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia modò multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus, ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, & secundò, & tertiò. Si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur usque ad satisfactionem, & ad emendationem congruam. Bur. lib. 3. c. 130. D

Ut in oblatione corporis, & sanguinis Domini incensum imponi debeat.

E Ut tempore, quo Euangelium legitur, finitoque offertorio, super oblationem incensum, in mortem videlicet Redemptoris nostri, deponatur, decrevimus. l. 3. c. 227.

Canones Concilii apud Confluentiam.

Hæc civitas lingua nativa Cobels vocata, latino verò Confluentia à concursu trium fluminum in Rhenum eo in loco confluentium. De tempore, & occasione hujus Concilii nihil mihi hactenus compertum est.

De Ecclesiis Monachorum.

Hoc quoque statutum est, quatenus Ecclesiæ quorundam Monachorum in singulis Parochiis sitæ, Epi- l. 3. c. 240.

Episcoporum, ut decet, divinitus subdantur regimini, A eisque debita obsequia in exercendis Ecclesiasticæ curæ negotiis solicitè exhibeant: ipsi proculdubio Monachi Episcopis suis in omnibus obediant.

De illis, qui dum suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, decimam nusquam tradere se posse cognoscant.

Si quis verò laicus, vel clericus, seu utriusque sexus
l. 3. c. 241. persona proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum Priori Ecclesiæ legitimè signatum, inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus dicatur, & ipse ad emendationem Ecclesiastica coerceatur censura. B

De eo, qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit,
l. 6. c. 49. qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit. Responsumque est ab omnibus, homicidii reatum ipsum hominem sibi contrahere.

Quòd infra sextam generationem conjugia non fiant.

l. 7. c. 30. Anno Dominicæ Incarnationis 1422. apud Confluentiam jussu venerabilium principum Caroli videlicet, & Henrici regum venerandissimorum congregati sunt Episcopi numero 8. Hermanus Aggrippinensis Archiepiscopus, Herigerus Moguntiensis Archiepiscopus, Thiedo Vviceburgensis Episcopus, Lintharius Mindavensis Episcopus, Doto Osveburgensis Episcopus, Richgovimo Vvormaciensis Episcopus Richuvinus Strazburgensis Episcopus, Unvuano Paderbornensis Episcopus cum Abbatibus, aliisque sacri Ordinis viris quamplurimis, cap. 1. qui ipso cooperante, & sententia eorum confirmante Domino nostro Jesu Christo in synodali residentes conventu, multa utilia, ac sanctæ Dei Ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cetera, quæ statuerunt, hoc maximè necessarium, & instanti (proh dolor) tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum firmaverunt. Hoc est, ne ullus Christianus infra sextam generationem nuptias copulare præsumat. C D

Canones Concilii Bellovacensis.

Bellovacum ex commentariis Cæsaris satis innotescit, vulgò Beaulves. De tempore, & occasione hujus Concilii nihil hactenus ex historiis colligi.

De precariis violatarum Ecclesiarum, ut non valeant.

l. 3. c. 166. Ut precariæ, & commutationes, tempore viduatarum Ecclesiarum factæ, ab his, qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur, & cum authoritate Ecclesiastica, vel civili, si faciendæ sunt, fiant.

De eadem re.

l. 3. c. 167. Precariæ à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ, in suo tantùm, qui dederit, nomine, si res proprias, & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu, in suo tantùm quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare, ut alienarum rerum dispensatorem convenit, non propriarum rerum largitorem.

De eadem re.

A nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo, & sanctis ejus dicatis, cùm ratio, & usus obtineat, neminem, qui non vult, contra utilitatem, & orationem præstitum de proprio facere Beneficium. l. 3. c.

De eadem re.

Ut precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem, & authoritatem renoventur. l. 3. c.

De commutationibus rerum Ecclesiasticarum.

Ut commutationes rerum Ecclesiasticarum valde caveantur, & subtilissimè, si aliquo modo fieri debent, l. 3. c.
inspiciantur. Quæ autem inconsultè factæ sunt, juxta decretum canonicum Hilarii Papæ, quas illicitè decessor Episcopus admiserit, vel ab aliis illicitè commissæ sunt, ab eo, qui successor, emendentur.

De chrismatis panno.

Si quis voluerit chrismatis pannum iterum linire, & l. 4. c.
super alium baptizatum mittere, non est absurdum.

Canones Concilii Eparnensis,
De illis, qui excommunicati moriuntur.

Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam l. 11. c.
sit confessus, & testimonium habet bonum: & non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.

Canones Concilii apud S. Medardum,
De Dominica die, qualiter sit veneranda.

Statuimus quoque, secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quòd nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpando, vel arbores cædere, vel in pratis laborare, nec domos struere, nec in horto laborare, nec placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur.

De eadem re.

Tria carraria opera licet fieri in Dominica die, idest, hostilitia carra, victualia, vel angaria, & si fortè necesse sit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum.

De eadem re.

Fœminæ opera textilia non faciant in die Dominica, non capulent vestitus, non consuant, vel lanam carpant, non licet lixivium facere, aut vestimenta lavare, E nec verveces tondere, ut omnimodis honor, & requies die Dominica persolvatur, sed ad Missarum solemnia undique conveniant, & laudent Deum pro omnibus bonis, quæ nobis in illa die conferre dignatus est.

De eadem re.

Omnes dies Dominicas cum omni veneratione observare decrevimus, & ab illicito opere abstinere, Bur. lib.
& ut mercatus in eis minimè fit: nec placitum, ubi ali- cap. 85.
quis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta jurentur, nisi ad pacem.

De

De eadem re.

.2. Ut nullus Episcoporum, vel Presbyterorum, vel clericorum die dominico propositum cujusque causæ negotium audeat vendicare, nisi hoc tantùm, ut Deo statuta solemnia peragantur.

Ut nullus ex ordinatis se proclamet in Synodo, nisi scriptis.

.2. 97. Hincmarus Archiepiscopus Rhemorum suis accusatoribus dixit: Quæ est petitio vestra, fratres? Misericordiam (inquiunt) petimus nobis à vestra paternitate impendi, de ministratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos à Domino Ebbone quondàm provecti, à vestra authoritate suspensi sumus. Hincmarus Episcopus dixit: Habetis libellum reclamationis, aut postulationis, sicut Ecclesiastica se habet traditio? Illi autem responderunt, se præ manibus nullum habere libellum. Hincmarus Episcopus dixit: Legum Ecclesiasticarum authoritas talis est, ut causis gestorum semper scripturam requirat: adeò, ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen præcipiatur: qui ad summum Sacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur. Ordinatus autem à suis ordinatoribus litteras accipere jubetur. Qui etiam ab Ecclesiastica societate, quolibet excessu discinditur, libellari scriptione aut recipitur, aut dejicitur. Sed qui accusatur, vel excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari, vel reconciliari jubetur. Et sic in cæteris hujusmodi in tantum scriptura deposcitur, ut sicut beatus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem ex Romanis legibus sumens, scribit: Sententia, quæ sine scriptura profertur, nec nomen sententiæ habere mereatur. Quapropter fratres, & filii oportet vos secundum Ecclesiasticam authoritatem, reclamationem vestram libelli seriè allegare, eamque manibus vestris roboratam, Synodo sacræ porrigere, ut convenienter, & canonicè vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina subscribentes, porrexerunt Hincmaro Episcopo, qui tunc erat unà cum Vvenilone Senonensi Archiepiscopo, & cum Amalrico Turonensi æquè Archiepiscopo sub præsentia gloriosi Regis Caroli, qui Synodo præsidebat.

De regalibus præceptis super precaria.

b.3. 75. Præcepta regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio fuit, nec authoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicatur, necesse est, ut majestas regia, non, nisi ab Ecclesiastico rectore petatur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne sui ordinis, & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra authoritatem præceptum regium pro quacunque assentatione fieri petat. Quæ & si fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, regia discretione, & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro principis injusta suggestione dignè corripiatur.

De illis, qui Christi pecunias auferunt, vel rapiunt.

b.11. Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam rapere, vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

Quo tempore jurare liceat.

b.12. 0. Decrevit sancta Synodus, ut à Septuagesima, usque ad octavas Paschæ, & ab Adventu Domini, usque post consecratos dies, necnon & in jejuniis quatuor temporum, & in litania majore, & in diebus rogationum, & in diebus Dominicis, nisi de concordia, & pacificatione, nullus super sacra jurare præsumat.

Canones Concilii Nanetensis.

In alterius parœcia (nisi eo vocante) nulli aliquid agere licet.

Nullus Presbyter, aut Diaconus alterius plebanum (nisi in itinere fuerit, vel placitum habuerit) ad missam recipere audeat. 9. qu. 1. ca. Nullus Episc.

Qui ordinandi sunt, feria quarta ad examinationem conveniant.

Quando Episcopus ordinationem facere disponit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad civitatem unà cum Presbyteris, qui eos repræsentare debent: & tunc Episcopus à latere suo eligere debet Sacerdotes, & alios prudentes viros gnaros divinæ Legis, exercitatos in Ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum, ubi educati sunt, si benè litterati, si instructi in Lege Dei ante omnia diligenter investigent. Si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus cura committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti à vero devient, ut indignum, & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent. Quod si aliter fecerint, & ille, qui indignè accesserit, ab altari removebitur: & illi, qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati Ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic Sabbato, qui probati sunt, Episcopo repræsententur. 1. q. 25. ca. Quando Epistola.

Corripiendus est Episcopus, qui conviviis occupatur.

Nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem 30. aut 7. aut 3. alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam convenerit, se inebriare ullatenus præsumat, nec precatus amore sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus, aut risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat, aut turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur: nec larvas dæmonum ante se fieri consentiat, quia hoc diabolicum est, & sacris Canonibus prohibitum.

De eodem.

Quando conveniunt Presbyteri ad aliquod convivium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum, & potum benedicant: & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta Scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in Cœna fecisse legitur, & se contineant omnes Presbyteri maximè in talibus locis, ut non vituperetur ministerium eorum. dist. 44 c. Quando autem.

De eodem.

Quando Presbyteri per Calendas simul conveniunt post peractum divinum ministerium ad necessariam collectionem: non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium ibi ad tabulas resideant, ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent, quia indecens est, & onerosum: sæpè etiam tardè ad Eccle-

siam redeuntes, majus damnum de reprehensione consequuntur (quæ de gravedine mutua contrahunt) quam lucrum ibi faciant. Nam de hujusmodi conventu Paulus reprehendit: quia inconvenienter cœnam dominicam manducare conveniebant. Sic & qui ad cœnam Dominicam, id est, ad collationem verbi sub occasione conveniunt, & ex ingenuitate ventris causa conjunguntur: reprehensibiles coram Deo, & hominibus habentur, & ideò peractis omnibus, qui volunt panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, & singuli singulum bibere faciant, & maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant: & sic ad Ecclesias redeant.

Canones Concilii apud Vermerias.

De tempore, & loco hujus Synodi nihil mihi hactenus compertum, aliqui referunt temporibus Pipini Regis.

Tr æmonitio. *Concilium hoc, inter conjuges propter culpam alterius partis, concedit parti insonti divortium, & potestatem denuò contrahendi, vivente etiam parte culpæ obnoxia, cujus simile habes in Triburicensi Concilio, & in epist. 3. Gregorii tertii, quod nunc justa de causa Ecclesia non recipit.*

De uxore mariti mortem conciliante.

l. 6 c. 41. Si qua mulier mortem viri sui cum aliis conciliata est, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, & si probare potest ille vir, eam rem esse consilii, potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, &, si voluerit, aliam uxorem accipere, ipsa autem insidiatrix, pœnitentiæ subjecta absque spe conjugii maneat.

De hoc, si plures unum impugnaverint.

l. 6. c. 42. Si quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures, contra unum hominem rixati fuerint, & ab iis vulneratus, mortuus, fuerit, quicunque eorum & plagam imposuit, secundum statuta canonum, ut homicida judicetur, reliqui autem, qui eum impugnabant, volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantùm adfuerunt, extra noxam sint.

De ingenuo homine, si alterius ancillam pro ingenua acceperit, & post ancillam eam esse intellexerit.

l. 9. c. 26. Si quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, & existimat, quod ingenua sit, si ipsa fœmina postea fuerit inservita, si eam servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Si autem servam eam scierat, & collaudaverat: post aut legitimam habeat. Similiter & mulier ingenua de servo alterius facere debet.

De fœmina ingenua, si servum maritum acceperit.

l. 9. c. 27. Si fœmina ingenua accipit servum, sciens, quia servus esset, habeat eum: quia omnes unum patrem habemus à cœlis. Una lex erit & viro, & fœminæ.

De his, qui in matrimonio conjuncti sunt, & concumbere non possunt.

l. 9 c. 41. Si qua mulier se proclamaverit, quod vir suus nunquam cum ea coisset, exeant inde ad crucem, & si verum fuerit, separentur, & illa faciat, quod vult.

De illis, qui in alias provincias fugerint, aut suos seniores secuti fuerint, & uxores suas domi reliquerint.

Si quis, necessitate inevitabili cogente, in alium ducatum, seu provinciam fugerit, & uxor ejus, cùm valet, & potest, amore parentum, aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Ille verò, qui necessitate cogente, in alia patria manet, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat, si se continere non potest, aliam uxorem accipiat, tamen cum pœnitentia. l. 9.

De illo, qui cùm matrem habuerit uxorem, cum filiastra fornicatus fuerit.

Si quis cum filiastra sua fornicatus fuerit, nec matrem, nec filiam potest habere: nec illa, nec ille aliis se poterunt conjungere ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, si ita voluerit, & sic se continere non potest, si, postea quam cognovit, quod cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habuit, si vult, alii nubere potest. l. 17.

De illo, qui cum noverca fornicatus est.

Si quis cum noverca sua dormierit, neuter possunt ad conjugium pervenire: sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui cum filiastra sua, vel cum sorore uxoris suæ dormierit, stare potest. l. 17.

De illo, qui cum filiastra, ignorante matre, fornicatus est.

Si quis cum matre, & filia fornicatus est, ignorante matre de filia, & filia de matre: ille nunquam accipiat uxorem: illæ verò, si voluerint, accipiant maritos. Si autem hoc scierint ipsæ fœminæ, absque maritis in perpetuum maneant. l. 17.

De illo, qui stupraverat quandam, quam frater ejus postea duxerat uxorem.

Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus nesciens, eandem duxerit uxorem: frater, eò quod fratri crimen celaverit, pœniteat, & post pœnitentiam nubat. Mulier autem usque ad mortem pœniteat, & sine spe conjugii maneat. l. 17.

De eadem re.

Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciens cum eadem concubuerit: Mulier omnibus diebus vitæ suæ pœniteat: post pœnitentiam autem frater ignarus sceleris conjugium accipiat, si vult. l. 17.

De eo, qui filiastrum, aut filiastram suam coram Episcopo tenuit.

Si quis filiastrum, aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & aliam nunquam accipiat. Similiter & mulier. l. 17.

Ancillam in matrimonio susceptam viro dimittere non licet.

Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si consensu amborum conjuncti sunt, excepta causa fornicationis: sed una lex deinceps erit per omnia & viro, & fœminæ.

Ejusdem Meldensis Concilii capita ex Gratiano collecta.

Si quis de ordine sacerdotali, contemptu minoris Ecclesiæ, ambitiosè, & improbè ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum definitio conservetur, hoc est, ut utraque careat. Qui verò pretio Ecclesiam vacantem ingressus fuerit, ab officio suo deponendus est, sicut in Rothomagensi Concilio legitur.

1. In ... icis. In dominicis diebus, vel festis presbyteri, antequam missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parœcianus in Ecclesia sit, qui, proprio contempto presbytero, ibi missam velit audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam parœciam redire compellant.

Nemo Episcoporum quemlibet sine certa, & manifesta peccati causa communione privet Ecclesiastica: sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut coepiscoporum, nullum præsumat ponere, nisi unde canonica docet authoritas, quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis, qui aliter non potuerunt corrigi.

De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis, placuit usque ad septimam generationem observare: nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum definitiones sancita usque ad septimum gradum protendit hæredum successionem, non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur.

nf. d. efiæ. Ecclesiæ, vel altaria, &c. suprà.

Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniant, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.

Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis, & qui usque ad subdiaconatum unicam, & virginem uxorem habuerit.

Meldensis Concilii capita ex Burchardo collecta.
Caput primum.

b.4. 5. UT presbyter in cœna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos, juxta sententiam Apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.

Caput secundum.

14. Qui cum senioribus suis, & aliis provinciis in aliam provinciam veniunt, sine formata ministrare non permittantur: quam & si attulerint, & ministrare idonei inventi fuerint, instruantur, quàm religiosè, atque studiosè sacrum ministerium peragant, & in quibus locis agere debeant.

Ex eodem capite secundo.

7.2. Ut illæ, quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere videntur, sed potius in delitiis viventes, mortuæ in divinis oculis computantur, per provincias discurrentes, curiosæ, & verbosæ, si libidinibus, cæterisque carnis voluptatibus inservire accusantur, & manifestè detegi potuerint, Episcopali authoritate, & regis potestate in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur: ubi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam. Si enim manifestè detegi non valuerint, erga Ecclesiam suæ opinionis malam famam canonicè purgare cogantur: &, ut religiosius de cætero vivant, & in monasteriis conversentur, Episcopali decreto, & regia authoritate coerceantur. De his etiam Apostolus dicit: Quæ cùm fornicatæ fuerint, in Christo nubere volunt.

Item ex eodem capite.

Si quis habuerit uxorem virginem ante baptisma: l.11.c.61. vivente illa post baptisma alteram habere non potest. Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia.

Ex capite tertio.

Quod si intra biennium divinitus temporum tran- l.1.c.46. quillitate concessa, admonitis comprovincialibus à metropolitano, Synodus indicta non fuerit, & metropolitanus ipse provocationes tardaverit, anno integro missas facere non præsumat. Quod si evocati, & non corporali infirmitate detenti adesse sua abusione despexerint, simili sententiæ subjacebunt.

Rursus ex eodem.

Ne Judæi administratorio usu sub ordine villicorum, atque actorum Christianam familiam regere audeant: l.15.c.31. nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur. Si quis verò contra hoc agere præsumpserit, si Episcopus, si presbyter, aut diaconus fuerit, proprio summoveatur gradu: si verò monachus fuerit, communione privetur. Similiter & laicus. Et si perseveraverint inobedientes, anathematizentur.

Adhuc ex eodem.

Ut quisque Episcopus talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum, & purissimum l.1.c.88. sensum catholicorum patrum, fide, & observatione mandatorum Dei, sed & prædicationis doctrina presbyteros plebium assiduè instruat, & informet, ne domus Dei vivi, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est, quod cùm Moses querelam in conspectu Dei poneret, non se posse portare tantum onus, quod ei fuerat impositum, audivit à Domino: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Quid in Mose, nisi summum sacerdotium? quid in septuaginta viris, nisi presbyteros accipimus? Quod autem Dominus aufert de spiritu Mosi, traditque eis, patenter ostendit, quod ii, qui ab Episcopo in conspectu Dei vocati sunt, ut secum onus populi sustentent, eadem velle debeant, & in partito sibi onere totis viribus cooperari. Hoc enim significat, quod non alium, sed eundem Mosi spiritum accipiunt.

Ex capite quinto.

Ut Episcopi, qui plebes sibi creditas aut rarò, aut l.1.c.84. nunquam per seipsos visitant, juxta ordinem Euangelicum, & Apostolicum, atque Ecclesiasticum, cum Dominus Mosi dicat: *speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo verbum, & annunciabis eis ex me, &c.* à comprovincialibus Episcopis acrius corripiantur.

Item ex eodem.

Similiter de illis presbyteris, qui contra statuta ca- l.2.c.147. nonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diversissimis modis usuris inserviunt, & aliorum domos inhonestè, & impudicè frequentant, & comessationibus, & ebrietatibus deservire non erubescunt, & per diversos mercatus indiscretè discurrunt, observandum judicavimus, ut ab hinc di-

districtè, severiterque coerceantur: ne per illorum illicitam, & indecentem actionem, & ministerium sacerdotale vituperetur: &, quibus debuerant esse in exemplum, deveniant in scandalum.

Rursus ex eodem.

l.4.c.77. Ut nemo Episc. vel quilibet minister ecclesiast. propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuscula, quæ per ministros episc. à presbyteris inordinabiliter exiguntur.

Ex eodem.

l.9.c.32. De his, qui sponsas alienas rapiunt, antiqua, & Synodalis sententia observetur. Quod & si fortè in eccles. B eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis, & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canonica, ut eisdem verbis utamur, docet authoritas, quia prior, inquies, definitio durius: posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia. Quod si hæc obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur. Fautores verò illius, juxta modum culpæ, episc. decreto pœniteant. Si verò, quod non optamus, de gradu Ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem, vel interventorem manifestè prodiderit, à gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonicè se purget. C

Ex capite sexto.

Hi, qui ordinari petunt, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo, & religioso, vel etiam in civitate saltem uno anno immorentur, ut de vita, & conversatione, atque de doctrina illorum certitudo possit agnosci.

Ex eodem.

l.2.c.4. Item jubendum est, ut nemo laicorum presbyteros eccles. suarum turpi villicationi, &, secundum apostolum, sæculari, & inhonestæ negociationi implicare, nec secum aliorum aliorsum contra authoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod si hæc interdicta præsumpserit, excommunicetur. D

Ex eodem capite.

l.2.c.156. Ut Episc. non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet, & Pentecoste, à jejunis celebrari debet baptismus, ita etiam traditionem sancti Spiritus à jejunis Pontificibus convenit celebrari.

Item ex eodem.

l.4.c.67. De presbyteris, qui accipiendi chris. gratia ad civitates in cœna Domini venire soliciti soliti erant, sancitum est, ut de his, qui longè positi sunt, de octo, vel decem unus ab archidiacono eligatur, qui acceptum chrisma sibi, & sociis diligenter perferat. Hi verò, qui non longius à civitate, quàm quatuor, aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi verò gratia alio non quadragesimali tempore ad civitatem convocentur propter plebes sibi commissas. E

Ex capite septimo.

l.4. cap.13. Hoc caput Omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizan- A di officium habeat, quod extra ecclesiam non deportetur. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. apu est ver conj Omi byt.

Iterum ex eodem.

Si laicus cum laica fœmina, id est uterque absolutus à lege conjugii, concubuerit, tres annos pœniteant. Et quanto sæpius, & negligentius ea peccata commiserunt, tanto magis & tempus addatur, & modus pœnitentiæ. l.9.c

Ex capite octavo.

Episcopum, presbyterum, &c. aut diaconem canes ad venandum, aut accipitres, aut hujusmodi res habere non licet. Quod si quis: hoc caput apud Gratianum est in iisdem verbis. l.2.c. dist. Episc

Ex eodem capite.

Juxta Synodalica præcepta decrevimus, ut nullus mortalium de agro ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit ecclesiæ, neque de decimis, & oblationibus fidelium quenquam presbyterorum aliquem censum persolvere cogat: nec quisquam cujuslibet ordinis, aut dignitatis exinde quicquam subtrahat, & redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur. l.3.c.

Ex eodem capite.

Qui sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ subigantur: ipsæ verò fœminæ locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur. Ipse autem incestuosus sine spe uxoriæ copulationis perenniter maneat, nisi nescisse se velatam expurgare potuerit. Si verò (quod absit) conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, & amplius propellantur. Qui si fortè obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur. l.8.c.

Ex eodem capite.

Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur. l.3.c.9

Ex capite nono.

Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerunque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata cœmeteria, sive polyandria facta sunt. Unde volumus, ut ab hac re deinceps abstineatur, ut nemo in ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora verò, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt, nequaquam projiciantur, nisi sint paganorum: sed tumuli, qui apparent, profundius in terram mittantur: & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in alio loco constituto, ubi religiosè, & purè Deo sacrificium offerri valeat. l.3.c.1

Ex eodem capite.

Ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem episcop. aut presbyt. pro l.3.c.1

qua-

qualitate conversationis, & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat, nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulchro suo ejicere, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquo modo violare, sed unumquemque in loculo sibi à Deo parato, atque concesso adventum sui judicis præstolari concedat. A

Rursus ex eodem.

Qui verò deinceps rapere virgines præsumpserint, vel viduas, secundum Synodalem Beati Gregorii definitionem, ipsi, & complices eorum anathemat. & raptores sine spe conjugii perpetuò maneant.

Item ex eodem.

.35. Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpè sub obtentu orationis, & religionis latenter scelera committant.

Ex eodem.

De his, qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, ut in quibuscunque locis fuerint exclusi, in eodem loco consequantur communionem.

Adhuc ex eodem.

c.1. Ut multiplex juramentorum, & perjuriorum confusio, per quam multæ fidelium animæ in toto hoc regno proditæ esse noscuntur, quàm sit detestanda, & Deo odibilis, attentius omnibus annuncietur. Tantum namque hoc malum est, ut ad sanctuaria martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licèt manifestè interdum vexari non videantur, justo Dei judicio à dæmonibus arripiantur. Et sicut sanctus dicit Gregorius, ad horum corpora ægri veniunt, & curantur, & perjuri à dæmonio vexantur. C

Ex capite 45.

.10. Ut ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, & ut superflua altaria destruantur.

Ex capite 48.

.14. Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in civitatibus, atque temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis, vel certæ necessitatis: & loca illa authoritatem, & privilegia debita retineant. D

Canones Concilii Avernensis, qui inventi sunt in Burchardo, diversi ab iis, qui continentur in Tomo Conciliorum hactenus impresso.

De mancipiis Judæorum, quæ ad baptismum confugiunt.

ib.4. Licèt prioribus canonibus jam fuerit definitum, ut de mancipiis paganis, quæ apud Judæos sunt, si ad ecclesiam confugerint, & baptismum petierint, etiam ad quoscumque Christianos refugerint, taxato, & oblato à fidelibus justo pretio, ab eorum dominio liberentur: Ideò statuimus hoc, ut tàm justa constitutio ab omnibus catholicis observetur. E

De illis, qui presbyteros suos malè tractaverint.

ib.2. Si quis presbyterum proprium inhonorat, aut verbo, aut facto contumeliam facit, tamdiu à liminibus ecclesiæ arceatur, quousque per condignam pœnitentiam satisfaciat. Ait enim Apostolus: Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur. Item alibi dicit: Obedite præpositis vestris, subjecti eis estote.

De Synodo congreganda.

Peractis omnibus, quæ ad correctionem nostri ordinis in hoc Concilio promulgata sunt, placuit definire, ut omni anno ad peragendam celebritatem Concilii in metropolitana sede, tempore, quo principis, vel metropolitani electio definierit, devotis semper animorum studiis conferamus, nec quibuslibet requisitis occasionibus dissentiamus, sed in præparato die, quo indictum fuerit, adunatis in metropolitana sede omnibus provinciæ pontificibus, Concilium, Deo præsule, celebretur. Quisquis autem episcopus, excepta inevitabili causa, vel necessitate, de peragendo se Concilio absentaverit, per unius anni spacium erit communione plectendus. B Quod si deinceps absque celebratione Concilii, anni unius metas transierit, omnium in communione pontificum ejusdem provinciæ sententiam obnoxius retinebit, id est, si nulla impediente sibi principis potestate, vel infirmitate, aut inevitabili causa, sed solius propriæ voluntatis libitu sese ad celebrandum Concilium non collegerit. Bur. lib. 1. c. 45.

De parvis, & levibus causis nullus communione privetur.

Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, & levibus causis à communione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab ecclesia jusserunt committentes. 11. quæst. 1. nullus sacer.

Canones Concilii apud Compendium.

Compendium civitas Picardiæ vocabulo corrupto, cùm dici oporteret Combivium, sic dictum à duobus fluminibus illuc confluentibus. Compendium.

Quod neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur.

Placuit, ut secundum Euangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

De his, qui in matrimonio juncti sunt, & concumbere non possunt.

Si quis accepit uxorem, & habuit ipsam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit, quod non coisset cum ea, & ille vir dicit, quod sic fecit, in veritate viri consistat, quia vir caput est mulieris. Bur. lib 9. c. 41. Grat. 33 q. 1. Si quis.

Quod res ecclesiasticæ ad laicos disponendæ non respiciant.

Synodali decreto sancitum est, ne laici, vel sæculares de viris Deo dicatis, Ecclesiæque facultatibus, aliquid ad se putent, vel præsumant, præter reverentiam pertinere, quorum, quarumque sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

De eadem re.

De viris Deo dicatis ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi, nulla legitur laicis, quamvis religiosis unquam attributa facultas.

De presbytero, qui se deprehenderit non esse baptizatum.

Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse

esse baptizatum, bapizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizavit. A

Quo tempore baptismus fieri debeat.

Ut extra statuta tempora canonum, id est in Pascha, & Pentecoste baptisma non celebretur; quia sacri canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit, fieri prohibent, intantum, ut etiam eos, qui alio tempore baptizantur, à gradibus Ecclesiasticis abstineant, nec ad clerum admittantur.

Quando Episcopus paræcianum alterius excommunicare valet.

6.q.3.Pla. Placuit pro communi utilitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus parœcianum pro deprecationis causa alter Episcopus excommunicaverit. B

Ut presbyteri, cùm festivitates annunciant, vigiliarum non obliviscantur.

Item, cùm presbyteri sacras festivitates populo annunciant, etiam jejunium vigiliarum, ubi esse debet, eos omnimodis servare moneant.

De dominica die, qualiter sit veneranda.

Omnes dies dominicos à vespera in vesperam, cum omni veneratione observare decrevimus, & ab illicito opere abstinere, & ut mercatus in eis minimè fit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta jurentur, nisi pro pace facienda. C

Canones Concilii apud Altheum.

Locus ignotus. *De eo, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit.*

Bur.lib.9. c.74. Illud verò communi decreto secundum canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali judicio auditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugio, quam prius polluit per adulterium. D

De Episcopis, qui apud Romanam sedem accusati fuerant, quod cum excommunicatis communicarent.

Bur.lib.11. cap.68. Regno Conradi piissimi, & Christianissimi regis quinto congregata est sancta generalis Synodus apud Altheum in pago Rethia, præsente videlicet domini Joannis papæ apocrisiario sanctæ Ortensis Ecclesiæ Petro venerabili Episcopo. Hoc quatenus aliquo modo diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas machinationes quorundam perversorum hominum sedare, & eliminando purgare deberet. Transacto igitur triduano jejunio, & sacris litaniis more debito celebratis, convenimus in Ecclesia sancti Joannis Baptistæ, & mœsti consedimus. Tùm demum præfatus sancti Petri, & domini Joannis papæ missus, proferens chartam apostolicis litteris inscriptam, qua monebamur, arguebamur, & instruebamur de omnibus ad veram religionem Christianæ fidæi pertinentibus. Quæ omnia, ut justum, & dignum erat, humiliter accepimus, diligenter tractavimus, & devoto affectu omnino amplectebamur. Ergo euangelicam præceptionem, & institutionem saluberrimam lachrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisæi, & Scribæ: *Mundate* (inquit) *prius, quæ intus sunt*. Et item: *Ejice primùm trabem de oculo tuo*: Ac propheticum illud: *Ruina populi, sacerdotes mali*. Perpendentes, & discutiendo nosmetipsos E inspicientes, & in medium pœnitentiæ sanctæ digno fructu ad terram nos projicientes deflevimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra gravissima. Deinde hortatu Domini Petri contra nosmetipsos, & vitia irati; adjuvante primo Spiritu sancto, & miserante, capitula infra notata ad correctionem tàm nostram, quàm Christiani populi statuendo collegimus.

De eadem re.

Placuit sanctæ Synodo hunc errorem, quasi impium, ab Ecclesia amovere: quia animarum curam à Deo accepimus, non pecuniarum. Inde & reddituri sumus Deo rationem, & accepturi propter suam misericordiam æternam retributionem, vel justam damnationem. Bur.lib. cap.70.

De Episcopis, ut non sint malum exemplum populo.

Bonum exemplum populis seipsos Episcopos, vel sacerdotes debent præbere, & ostendere non solùm dictis, verum & factis. Propter hoc enim statuimus, ut minimè unquam in posterum contra sacra instituta aliquo modo communicemus excommunicatis, & dijudicemus nosmetipsos, quatenus in futuro non judicemur à Domino. Sequi cupimus dicta, & statuta S. Gregorii papæ, & pœnitentiam dignam agere volumus secretè in monasterio, quia publicè nequimus: in futuroque prædicta omnibus modis, Deo propitio, vitare volumus. Eamdemque legem statuentes presbyteris, diaconibus, & omni clero, si de gradu deponi noluerint, ut fideliter observent, & aliis servare prædicent. Bur.lib. cap.71.

De correctione Episcoporum, qui cum excommunicatis communicaverint.

Authoritate Apostolica firmamus dicta, & præcepta sanctorum canonum, & interdicimus, quandiu quis excommunicatus sit, ut nullus nostrorum Episcoporum ei audeat communicare, vel cum eo in Ecclesia orare. Et laici, qui sequuti sunt nos, ut dicunt, errando, & sequendo, nos modo, nos, aut nosmetipsos per pœnitentiam macerantes corrigendo, & viam eis vitæ prædicantes, & aperientes, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quibus per nostra mala exempla capti tenentur, & ad veram matrem ecclesiam per pœnitentiam revertantur. Bur.lib. cap.72.

De clericis, qui fugerint ecclesias suas, & de servis, qui dominos proprios fugerint.

S. Gregorius dixit: Clericum fugientem ab ecclesia sua, vel servum fugientem dominum proprium, & nolentem reverti, judicamus communione privari, quoadusque ad propriam ecclesiam, vel ad dominum suum redeat. Et item: Clericum fugitivum suo Episcopo, vel domino suo decernimus Apostolica sententia restitui, vel excommunicari unà cum illis, qui ei communicaverint. Bur.lib. cap.78

De hæreditate episcoporum, cæterorumque ecclesiasticorum.

Sed & hoc ibidem inventum est de Episcopis, presbyteris, & clericis, si hæreditatem à domino rege, vel ab alio principe, vel amico suo, seu per hæreditatem sortiti fuerint, vel acquisierint, donare eis liceat hanc, cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ, ad ecclesiam quamcumque elegerint, vel consanguineis suis, vel amicis. Sin autem antea obierint, quàm firmiter perfecerint, altari, cui serviunt, omnia perpetuò sanctificentur, & in jus tradantur. Similiter de presbyteris statutum est. Bur.lib. ca.227

SUM-

SUMMA
CONCILIORUM.
QUINTA CLASSIS CONTINENS
ADDITIONEM.

QUANTÆ sit utilitatis frequens, & attenta lectio Conciliorum, multa persuadent. Per eam sæculorum Historiæ, & secretiora Ecclesiæ negotia cognoscuntur; antiquæ Ecclesiæ consuetudines addiscuntur: per eam hæreticorum technæ, & fraudes innumeræ deteguntur, ne dubitari possit amplius, quin serpens omnia agat, quæ ab ipsis ad fideles decipiendos pertentantur: optimæ leges contra varios abusus, optimaque antidota contra varia vitiorum venena aperiuntur: variæ Ecclesiæ persecutiones conspiciuntur, accuratæ vitæ Ecclesiasticæ norma, & speculum probatissimorum morum, improbatis iis, quæ fugienda sunt, exhibetur: firmissimum in eorum lectione fidei Catholicæ propugnaculum invenitur, ut non facilè sit, eum in errorem labi, cujus animum semel hæc lectio initimè imbuerit: denique ausim dicere neminem perfectum esse Theologum: nec talem debere censeri, qui non sæpè sæpius Concilia evolverit. Inde est, quod multi omni scientiarum genere excultissimi, magno labore, & studio Concilia in omnibus Ecclesiæ Provinciis celebrata jamdudum perquisierunt, ut in unum corpus redigerent; rati se magno beneficio divincire scientiæ solidioris percupidos, tantumque in eo conatu profecerunt, ut tandem junctis in unum eorum operibus prodierit collectio regia omnium Conciliorum, Typis Regiis Parisiis edita, ac triginta sex ingentia volumina complectens, quæque merito ob multitudinem tomorum, characterumque proportionem egregiam Typographiæ opus palmarium dici potest. Atque post hanc lucubrationem omnia in hoc scribendi genere exhausta esse videbantur, nihilque residui esse, in quo posteris de hoc argumento amplius laborandum esset. Attamen re pensiculatius librata, quantumvis, qui nos præcesserunt Synodorum collectores, totam earum segetem demessuisse videantur, video tamen illos in tàm vasto, & infinito opere, non tantùm spicas aliis ad colligendum reliquisse, sed quandoque etiam manipulos integros, ita ut ipsi collectioni Regiæ plures etiam tomi facilè possint superaddi. Hac spe fretus cum hisce diebus elapsis à me postulatum esset, ut secundæ editioni Summæ Conciliorum Coriolani, nonnulla Galliæ Concilia Provincialia, quæ nondum in corpus Conciliorum relata essent, adjungerem, tantisper in hoc opus incubui, dum ad prælum properaret editio, ut ad ipsius Summæ calcem per modum appendicis, aut supplementi annecterentur. Quare & factum, ut cum multa nobis Conciliorum turma occurreret, quod non omnia integra exhibere potuerimus, ne, nimium excrescente nostra additione, volumen sejunctum à Coriolano edere cogeremur. Ita tamen nos gessimus, ut antiquiora, quæque vix inveniri possunt, completa omnino, ut potuimus, daremus, racentiora verò, quæque facilius recuperari possunt, exhibuerimus cum selectis dumtaxat eorum decretis, quæ iis magis sunt singularia, ut ita eadem decreta multoties non repeteremus, &, quæ communia sunt, non ingereremus, usque ad nauseam lectorum, quibus magis nova, & singularia placent, non trita, & ubique provulgata. Qua in re si quis mihi litem moveat, opponam illi ob oculos præclarè dictum à Seraphico Doctore, melius est partem habere, quàm toto carere. *Porro non tantùm vetera, sed etiam recentia tractamus memores parabolæ Euangelicæ, & ejus corollarii à Christo Domino appositi:* ideo omnis scriba doctus in Regno cœlorum profert de thesauro suo nova, & vetera: *verborumque mysticorum sponsæ recordati, quæ Typum gerit Ecclesiæ:* omnia poma, dilecte mi, nova, & vetera servavi tibi. *Et si autem desiderari possent coætanei auctores omnium veterum Synodorum testes: Attamen his nobis deficientibus, quibus omnia perlustrare non licuit, eos auctores modernos protulimus, qui vetera manuscripta viderant, ut eorum testimonium sit certo scientis, quod in judicio rejici non debet. Quamvis & plura in iis antiquis codicibus viderim, qui prudenti cuique ad faciendam fidem, pro antiquitate sua, satis sint, quorum in cursu collectionis sermonem habiturus sum. Cæterum non ita omnia accipienda sunt quasi ex proprio sensu, & sententia à me proposita sint: quanta enim hic sunt, quæ non ex meo affero, sed ex alieno refero, Historicum sæpius, quàm Theologum agens? in quibus si quid vitiosum esse intelligetur, mihi usurpabo, quæ de se scribebat D. Hilarius,* nemo mihi vitium potest assignare dictorum, internuntius enim, ut voluistis, sum dictorum, non conditor. *Quod si quis velit omnia nobis tribuere, non discernendo personam loquentem inductam, perinde faciet, ac qui putaret Iob ea, sentire, quæ loquebantur socii, aut Davidem ea, quæ in persona impiorum dixit. Sed cum disputetur in utramque partem, an qui partes historici sustinet, de re proposita sententiam ferre debeat, laudando, aut vituperando, an judicium integrum relinquere legentibus: ac quibusdam pars affirmativa magis arrideat, qui triplicem notam, aut conditionem legitimæ historiæ assignant, veritatem, explanationem, & judicium; nos ita procedimus, ut in rebus, in quibus nulla lege prohibetur sensum suum expromere, veritati, & explanationi judicium attexamus: at in quibusdam aliis, non parvi sæpè momenti, in quibus per leges modus imponitur, & libertas coarctatur, aut tacemus, aut res in quodam rationum utriusque partis æquilibrio suspendimus, relicta aliis liberiori judicandi facultate. Ordimur autem à Conciliis Gallicis, quod in iis perquirendis majori studio incubuerimus, licet quædam alia nationum aliarum interea nobis occurrerint, quæ etiam adjungenda duximus in præsenti editione tertia.*

Utilitas lectionis Concilii orum.

Collectio Regia Cõciliorum.

Opusculo de quinque festivita ibus pueri Jesu Math. 23. Cant. 7.

L. de Synodis adversus Arrianos.

3. Partes historiæ.

ADDI-

ADDITIO I.

CONCILIORUM GALLICANORUM,

SERIES, ET ORDO REGUM Francorum in Gallia.

Duces olim regebant Francos usque ad initium anni Domini 420. quo ipsi filium Marcomiri Ducis Pharamundum sibi Regem constituunt.

1	Qui regnavit an. Chr. 420		Annis 11
2	Clodio comatus	431	18
3	Meroveus	449	10
4	Childericus I.	459	26
5	Clodoveus Mag. primus Rex Christianus.	485	30
	Hujus filii.		
	Childebertus Parisiorum		
	Clotarius Suessionum		
6	Clodamirus Aurelian.	515	45
	Theodoricus Mediomatricum		
7	Clotarius I. solus	560	5
	Hujus Filii.		
	Cherebertus Parisiorum		
	Chilpericus Suessionum	565	9
8	Guntrannus Aurelianensium		
	Sigibertus Mediomatricum		
9	Chilpericus I. solus	574	14
10	Clotarius II.	588	44
11	Dagobertus	632	14
12	Clodoveus II.	646	17
13	Clotarius III.	663	4
14	Childericus II.		12
15	Theodoricus	680	14
16	Clodoveus III.	694	4
17	Childebertus II.	698	18
18	Dagobertus II.	716	4
19	Chilpericus II.	722	5
	Carolus Martellus Francorum Princeps conditus in mausoleo Dionysiaco in ordine Regum. 723.		
20	Theoricus II.	727	15
21	Chilpericus III. stupidus, ultimus hujus familiæ regno exactus, monachus efficitur.	742	Annis 9
	Pipinorum genus.		
22	Pipinus Brevis Caroli Martelli Franciæ Principis Frater an. Chr.	751	18
23	Carolus magnus	769	46
24	Ludovicus I. pius	815	26
25	Carolus II.	841	38
26	Ludovicus II. Balbus	879	2
27	Ludovicus III. & Carolomanus ejus fratres nothi ex Balbo	881	5
	Ludovicus iners		
28	Carolus Crassus imp.	886	5
29	Odo	891	6
30	Carolus simplex	900	27
31	Rodolphus	927	2
32	Ludovicus IV. transmarinus	929	27
33	Lotarius VI.	956	31
34	Ludovicus V. Theuto. Francorum postremus.	987	1
	Capetorum genus.		
35	Hugo Capetus, Comes Parisiensis, vi, & favore militum Primus Gallus Gallorum Rex	988	9
36	Rubertus	997	34
37	Henricus I.	1031	30
38	Philippus I.	1061	49
39	Ludovicus VI. crassus	1110	28
40	Ludovicus VII. junior	1138	43
41	Philippus II. Augustus, dictus à Deo datus	1181	43
42	Ludovicus VIII.	1224	3
43	Divus Ludovicus	1227	44
44	Philippus III.	1270	15
45	Philippus IV. pulcher	1286	28
46	Ludovicus Hutinus	1314	2
47	Philippus longus	1316	5
48	Carolus pulcher	1321	7
49	Philippus Valesius	1328	27
50	Joannes	1350	14
51	Carolus V. sapiens	1364	17
52	Carolus VI.	1381	42
53	Carolus VII.	1423	38
54	Ludovicus II.	1461	23
55	Carolus VIII.	1484	23
56	Lud. XII. Dux Aurel.	1498	17
57	Franciscus Valesius, Dux Engolisinensis, Ludov. XII. gener. fil. Caroli Valesii pronepotis Caroli Sapientis, vir omni laude cumulatissimus	1515	32
58	Henricus II. Francisci Valesii filius anno Christi.	1547	
59	Franciscus II.	1559	1
60	Carolus IV.	1570	14
61	Henricus III.	1574	16
62	Henricus IV. seu magnus	1589	21
63	Ludovicus XIII.	1610	33
64	Ludovicus XIV.	1643	

Faxit omnipotens Deus immensa sua benignitate, ut regnum ejus faustum sit, fortunatum, atque diuturnum, juxta quod retro actis sæculis prædictum, esse traditur.

Par erit, & toto florebit Gallia mundo,
Donec adhærebunt lilia Pontifici.
Par erit, & puro fulgebit Gallia flore
Dum claves cingent lilia Pontificis.

CON-

CONCILIUM GALLICUM,

Contra errores Montani celebratum circa annum 130. tempore Eleutheri Papę, & Hadriani Imperatoris.

QUodnam fuerit primum ex omnibus Galliæ Conciliis, egregium est dissertationis argumentum, quam nos aliis lubentes relinquimus. Interim re maturius considerata, præsens Concilium contra Montanistas in Phrygia hæresim suam profitentes, prius tempore celebratum existimamus, quod nobis suggerit Ruffinus, qui Eusebium ferè sequitur Historiæ Eccles. lib. 5. cap. 3. & 5. his verbis.

Igitur Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrygiæ partibus tunc primum apud quamplurimos in Prophetarum opinionem venerunt. Et quia per illud adhuc tempus multæ aliæ etiam virtutes, & gratiæ in diversis Ecclesiis per donum sancti Spiritus ministrabantur, facilè accommodata est fides; etiam his potuisse Prophetiæ gratiam dari. Cumque plurima inter fratres dissensio fuisset exorta, rursum Ecclesiæ Galliarum judicium suum, & sententiam de his quoque, cum omni reverentia, & rectæ fidei expositione decernunt, epistolas martyrum, qui apud eos consummati fuerant proferentes, quas illi in vinculis positi, per Asiam, & Phrygiam fratribus consistentibus scripserant, & Eleuthero urbis Romæ Episcopo, de pace Ecclesiæ commonentes, quique etiam Irenæum Presbyterum tunc adhuc Ecclesiæ Lugdunensis supradicto urbis Romæ Episcopo commendabant testimonium vitæ ejus perhibentes, sicut ipsorum etiam voces, quæ infra scribuntur, ostendunt.

Valere te in DEO iterum, & semper optamus, Pater Eleuthere.

Rogavimus fratrem, & socium nostrum Irenæum hæc scripta deferre, quem deprecamur ut habeas commendatum. Æmulator namque est testamenti, &c.

CONTROVERSIA.

EX hac relatione celebratum fuisse unum, & alterum Concilium contra nascentem Montani hæresim, non immerito concludit Bosquetus nunc Monspeliensis Episcopus, Ecclesiæ Gallicanæ Historiarum tomo 1. lib. 2. Jam antea inquit de Montano sententiam tulisse Patres Gallicanos, innuisse videtur Eusebius, qui illos judicium iterum dedisse scribit: Quale autem fuerit, conjectura possumus assequi ex ejus verbis: Qui ἰδίαν κρίσιν ἐκλαβῆ, ἐρωδοξοτάτην, id est, non privatum, ut vertunt, sed Gallorum proprium, & eorum modestiæ singulare, & prudens, rectæque fidei maximè conveniens. Damnasse itaque credo Montani ludibria, ea propter orthodoxum dictum, non tamen Asiaticos ab unitate Ecclesiæ abscidisse, & à sua communione removisse. Hoc enim in fulmine Ecclesiastico vibrando, valde fuisse moderatos Gallicanos Episcopos, cùm ex hac, tùm ex Paschalis disputatione constat, &c. Prudens ergo judicium, quod non temerè Ecclesias Montani prestigiis delusas à communione abscindens, discussis, & damnatis Pseudoprophetiæ erroribus Ecclesiæ pacem intulit, &c. Quæ autem concordia resecatis à communione Ecclesiis constitui poterat? Hoc Gallicani Concilii decretum, & illas Martyrum Epistolas, Irenæus Presbyter Lugdunensis ad Eleutherum Episcopum legatus detulit. Ille tùm ut rerum in Gallia gestarum certiorem Eleutherum redderet, tùm ut turbatam Montani dogmate pacem Ecclesiæ componeret, Romam mittebatur, nondum Episcopus.

A Errores autem, quos Concilium hoc Gallicum reprobavit, hi erant inter cæteros. Quod Montanus erat Spiritus sanctus. Quod Prisca, & Maximilla, quorum ministerio deliramenta sua inculcabat Montanus, prophetissæ erant. Quod secundæ nuptiæ pro fornicationibus habendæ essent, ideoque eas permisisse Apostolum, quia ex parte prophetabat, nondum enim venerat, quod perfectum est. Quod ipsi Spiritum sanctum plenius, quàm Apostoli recepissent. *Errores Montanistarum.*

Vide de his, & aliis Guidonem Carmelitam de Hæresibus cap. 24. Quibus addendum est ipsos Novato viam præmonstrasse, ad excludendos post baptismum lapsos ab Absolutione Sacramentali.

De Tertulliano.

B HInc verò patet non satis consonare veritati, quod aliqui, ut Tertullianum Montano fœderatum contra Ecclesiam ab errore vindicent, innoxios fuisse Montanistas asserunt, tantumque in iis id desideratum fuisse, quod zelo religionis nimio ferventes rigidiorem disciplinam, plura jejunia, institutumque vitæ severius observarent, interim liberè carpentes, quicquid in Ecclesia mollius, aut laxius arbitrarentur, quasi ipse Montanus divino afflatu inspiratus esset ad Ecclesiæ instructionem, ac reformationem. Sed id frustra in defensionem Montanistarum adducitur, cum eorum hæreses à pluribus Conciliis proscriptæ sint, atque etiam à pluribus antiquis in catalogo, & impugnatione hæreseon C scriptis consignatæ. Quin & ipse Tertullianus in luculentissimo, ac disertissimo commentario de præscriptione, cum tunc vita innocens ardentissimo zelo Religionis Christianæ flagraret, Montanum cum suis sectariis inter hæreticos annumeravit. Quod annotat Baronius ad annum Christi 201. ubi & discutiens, quid causæ fuerit, cur vir adeo moribus præstans Catholica Ecclesia relicta ad impostores defecerit, id in tres potissimum causas rejicit. Primo, quod forte indignè tulerit Victorem Papam ejusdem secum nationis (Afer enim erat, sicut ipse) sibi honore prælatum, vel quod ab ipso non adeò, ut sibi præsumpserat, haberetur honore, vel coleretur officio. Sic Ambrosiaster in epist. 1. ad Cor. cap. 13. D nam & Tertullianus, & Novatianus non parvæ scientiæ fuerunt: sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui, hæreses creaverunt. Secundò ait idem Cardinalis, dum attentius, accuratiusque considero hominis ingenium, nihil propemodum est, quod adeò admirer ipsum lapsum in hæresim. Ex ejus enim scriptis animi ipsius affectus elucent. Etenim perspicitur in illis durum hominis ingenium, austerusque animus intelligitur: quippè qui exactioris disciplinæ, arctiorisque vitæ cultu nitens, se Judicem gerebat Ecclesiæ: adeo ut cum Christianæ vitæ professionem in severitate, atque austeritate nimia collocaret, eo tandem incurrerit amentiæ, ut ex asperioris vitæ cultu, de veritate dogmatum Judicium faceret, atque E temerè sententiam ferret. Hinc cum in discipulum Montani Proclum incidisset rectè de Trinitate, ac Christo sentientem, sed multa austera de castitate, de jejuniis, de martyrio, de precibus, & aliis ex instinctu Spiritus sancti servanda profitentem, hominiadjunxit se, ac deinceps in catholicos invehi nusquam destitit, vocans psychicos, id est animales, quod tàm bonas à Spiritu sancto revelatas institutiones damnassent. Tertio accedit, quod Tertullianus, licèt durus in disciplina, in credendo tamen magna erat animi facilitate præditus: adeo ut quæcunque muliercula se aliquid secundum visum accepisse diceret, illi præstaret fidem, posthabita doctrinæ veritate. Est de ea re patens exemplum ab eo descriptum lib. de anima cap. 9. Quo quidem demonstratur *Casus Tertulliani.*

insa-

insanisse planè hominem, dum arbitrio mulierculæ A à cardine dimovetur, non tantum Theologiæ, sed etiam humanæ philosophiæ, ut animam corpoream, coloratam, anthropomorphitamque crediderit. At cum esset ad retinendum, quod semel, licet animo deceptus, concepisset, tenax, nulla Christiana animi submissione præditus, agens in omnibus censorem Ecclesiæ, ad lapsum sibi præcipitium paravit, dicente de hujusmodi scriptura, Eccles. 7. *Qui cito credit, levis est corde*: &, *Noli esse justus multùm, neque plus sapias, quàm necesse est; ne obstupescas*. Hæ præcipuæ causæ lapsus infelicissimi Tertulliani, quarum aliquæ non paucis quadrant, quos dolemus in hæreses incidere, ac in iis obstinatè persistere, ut advertant aliqui nimiam devotionem, ac austeritatem (si tamen devotio sit dicenda fucata devotio, cum sub- B missione careat) vergere sæpè in superstitionem, ac hæresim, nec existimentur aliqui Orthodoxi in fide, ex eo quod proborum species in eis appareat, cum plures hæreses nihil aliud sint, quàm excessus in iis, quæ ad Religionem videntur spectare, nec probitas tantum sita sit in exteriori pietatis facie, qua etiam præstant hypocritæ, quantum in eo, quod intrinsecus latet.

Error de anima.

Locus hujus Concilii, sicut & aliorum quorumdam frequentium, videtur fuisse Lugdunum maxima Galliarum Metropolis; cujus dignitas nescio quàm primo peculiarem auctoritatem, deinde etiam sollicitudinem in Christianos adjacentes conciliavit.

CONCILIUM NARBONENSE,

In quo suam innocentiam, & castitatem asseruit Episcopus Paulus circa annum Dom. 230.

HUjus Concilii Narbonensis acta referuntur in vita ejusdem Pauli Episcopi Narbonensis, quæ extat apud Franciscum Bosquetum, excerpta tùm ex codicibus Ecclesiæ Narbonensis, tùm ex Bernardi, Guidonis, & Quercetani manuscriptis. Sic autem illa se habent.

Quid plura? cum ille Chelindrus antiquus, semper humano generi inimicus, ejus felices actus invideret, illiusque bonitatem perhorresceret, immisit se in duobus Diaconibus suis, qui cum ante lectulum ejus clanculum calceamenta muliebria projecissent, & causa irrisionis ei fecissent, ille evo- D catis paucis Episcopis Galliæ, quia nondum erant plures in Ecclesia, de qualitate facti voluit judicari. Et cum per triduum fuisset procrastinata cognitio, diu, noctuque; ipsius in ædis culmine missa divinitus Aquila resedit. Multi eam jactu telorum terruerunt, sed minimè abscedere fecerunt; quin etiam illis diebus, quibus in eo culmine sedit, cibum, deferente corvo, accepit. In quibus rebus multa debuerunt esse ex miraculis DEI narrata, dum avis ab avicula mirificè est pasta: verum, tenuis noster sermo, quamvis non explicet Aquilæ, & corvi significantiam, narranda sunt, quæ à Dei famulo super Diaco- E nis ipsis sunt facta. Jam dum ad miraculum Aquilæ, sententiamque sacerdotis affatim Christianorum turba concurreret, tertia die sanctus Papa noster Paulus incidit in orationem cum populo, & cum sacerdotibus suis, ut DEUS manifestaret aut illorum perversorum assertiones, aut suæ vitæ meritum. Et dum Beatissimus Paulus in oratione ingemuisset, illi Diacones correpti subito furore limphatico inter invisibilia tormenta clamabant, factionem invidiæ super Episcopo voluisse confingere: quandoquidem valdè pro ipsorum incontinentia eos sæpiùs, ac frequentius castigarat. Quod cum ipsi malitiosi justo Dei judicio graviter ejularent, & dicerent, se minimè posse sustinere tàm grandia supplicia: DEI famulus misericordia, qua motus semper, populis semper cathegorizans rogavit consacerdotes, & populum, quod pro ipsorum absolutione Domini pietatem exorarent, quatenus eos à tormentis liberaret. Tamen ille se indignum dicebat sacerdotio, si ipsi, qui pro sua innocentia à dæmonio fuerant arrepti, non salvati fuissent precibus suis: & Ecce, dum proclamaret ad Dominum iterum sanctissimus Paulus, exauditæ sunt preces ejus, & Diaconi à Dæmonibus liberati. Tunc iidem malitiosi universa machinamenta, quæ contra suum sacerdotem moliti fuerant, publicè in conspectu tàm sacerdotum, quàm laicorum confiteri cœperunt. Hoc evidenti judicio cognito, Episcopi ipsi ad talia, qui deprecaturi Dominum convenerant, certamina, provoluti cum universa plebe ejusdem pedibus rogare cœperunt; quod pro illorum peccatis interveniret, pro eo quod dubitaverant apud Dominicam pietatem. Quibus rebus peractis Ales orientalem partem volatibus petens, nullo impugnante discessit ex summo culminis fastigio: intellexit in se vir Dei ad patriam reverti.

Nota. In Martyrologio Adonis Viennensis, apud Chanutium in serie Archiepiscoporum Narbonensium, quidam tradunt hunc Paulum discipulum fuisse Beati Pauli Apostoli, eundemque ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, &c. Quæ opinio si admittatur, multo ante datam hujus Concilii in fronte præscriptam, celebratum fuisset hoc Concilium, unumque esse videretur, de quo dubitari posset, an fuerit primum inter omnia Galliæ Concilia, sed sequuti sumus hìc Bosquetum loco citato. Quod verò ad causam Concilii attinet, communis fuit multis aliis Conciliis, in quibus Episcopi, virique alii castissimi de impudicitia accusati sunt, non convicti, de quibus extat locus communis apud Doctorem Espencæum, l. 6. de Continent. c. 9. cujus titulus est: *S. Viri incontinentiæ rei acti non peracti*.

Plures viri casti impudicitia accusati.

D. Joannes Chrysostomus accusatus est, quod cum muliere dormisset, satagentibus iis, qui Eudoxiæ Imperatrici addicti erant. Sicque in exilium ejectus est, ac mortuus. Apud Nicephorum lib. 6.

D. Joannes Chrysostomus.

Macedonius Episcopus quoque Constantinopolitanus simili nota inustus est per quosdam Sycophantas Anastasii Imperatoris Arriani, ac simul Manichæi, qui subducta in continenti tunica virilibus se carere ostendens, falsum esse testimonium convicit. Apud eumdem Nicephor. lib. 16 cap. 26.

Macedonius.

Methodio item Greco Patriarchæ idem crimen impactum est per mulierem multo auro corruptam, & subornatam ab Iconomachis; cum tamen diu ante in mirabili quadam visione virilia frigefacta omnino contabuissent. Narrat Zonaras in Michaele.

Methodius.

Antea multò Damasus Pontifex Rom. in Concilio à 44. Episcopis absolutus est ab adulterii accusatione, diaconis Concordio, & Callixto ejus accusatoribus damnatis, & ab Ecclesia projectis, Talionis quoq; pœna in falsi criminis delatores in posterum lata. Ex libro Pontificali, Platina.

Damasus.

Coacto apud Tyrum Concilio magna ex parte Arrianorum, ab iis introducta mulier clamitabat sibi virginitatem professæ ab eo in hospitium suscepto pudicitiam partim vi, partim muneribus expugnatam fuisse, cui Athanasio tacente Timotheus ejus Presbyter ad eam conversus: *Verè ne unquam apud te mansi, aut etiam, ut tu asseris, tibi vitium obtuli?* Tùm illa procacitate talibus solita digito interrogantem designans, *Tu tu*, inquit, *& tunc, & illic virginitatem mihi eripuisti*, sicque Athanasii probata innocentia erubescentibus, qui fabulam composuerant. Ruffin. Eccl. Hist. l. 11. c. 7.

D. Athanasius.

Britius Divi MARTINI Turonensis successor in Episcopatu Turonensi, post triginta annos in Episcopatu sanctè exactos à lotrice sua pariente accu-

Britius.

accusatus per puerum triginta tantùm dierum, cùm adjuratus esset, purgatus est, negante illo Episcopum esse suum patrem, & nihilominus exilio mulctatus, non nisi elapso septennio restitutus est in Episcopatum, duobus Episcopis eidem injustè substitutis mortuis. Ex martyrologio.

[…]orius. Gregorio Antiochiæ Episcopo incestus cum sorore impactus est, qui ad judicium Mauritii Principis, & Synodi convocatus, re diligenter discussa, victor evasit, accusatore suo per forum circumacto, nervis bubulis cæso, ac deportato. Apud Nicephorum lib. 18. cap. 18. quod itidem multis gravissimis, sanctissimisque viris contigit, ut inter cæteros D. Hieronymo nihilo superioribus minus gravi sancto, & docto. Qui quamvis causam gloriosè obtineant, est tamen tantæ malignitatis hæc accusatio, ut quantumcumque medeatur vulneri, qui morsus est, aut delatus, remaneat tamen cicatrix, & aliqua mali suspicio in plerisque.

[…]ugust. […]ctæ […]tur […]as. Sed nec Divus Augustinus, quantumcumque sanctus, ac castus vixerit post baptismum, immunis fuit à talibus calumniis, dum enim totus in hæreticorum sui temporis errores confutandos fertur: sic ejus doctrina eis fuit admirationi, ut etiam horrori fuerit. Unde cùm vitæ ejus aliquando insidiati sint, nec famæ pepercerunt. Testatur hoc inter alios liber tertius contra Petilianum Donatistam, ubi cap. 16. ait: *Eat nunc, & anhelis pulmonibus, ac turgidis faucibus me tanquam Dialecticum criminetur, &c. Dicat, quicquid velit apud imperitos, unde stomachentur docti, illudantur indocti, &c. Manichæorum immunditias libenter exaggeret, easque in me latrando detorquere conetur, &c. Confitentem Eulogias panis simpliciter, & hilariter datas, ridiculo nomine, & venenosæ turpitudinis, ac furoris infamet, & de nostro corde tàm malè sentiat, ut amatoria maleficia data mulieri, marito non solùm conscio, verum etiam favente, credi sibi posse præsumat.* Et alia plurima, quæ narrat sibi opposita fuisse. De quibus omnibus existimat sanctus vir, per hæc sanctorum fidem exerceri in terris, mercedem augeri in cœlis. Additque cap. 12. ejusdem libri. Cùm enim per bonam famam probamur, utrum nos in superbiam non extollamur, & per malam famam probamur, utrum inimicos eos ipsos, à quibus nobis confingitur, diligamus, per arma justitiæ à dextra, & à sinistra diabolum vincimus, &c. cap. 13. Si ergo sum Dei servus, & miles non reprobus, quamlibet disertus convitiator in me Petilianus existat, nunquid molestè ferre debeo, quod mihi armorum sinistrorum faber solertissimus paratus est? opus est, ut his in adjutorio Domini mei apertissimè dimicem, & eis illum feriam, contra quem invisibiliter pugno, qui perversissima, & antiquissima astutia callidè intendit, & agit, ut propter hæc Petilianum oderim, ac sic præceptum Christi, quod ait: *diligite inimicos vestros*, implere non possim: quod à me avertat ejus misericordia, *qui me dilexit, & tradidit semetipsum propter me*, ut pendens in Cruce diceret: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*: meque Petiliano, & talibus inimicis meis dicere doceret: Domine, ignosce illis, quia nesciunt, quid loquuntur. Hæc piè, & christianè Divus Augustinus in solamen eorum, quos innoxios aliquando rumor malus ex adversariorum malevolentia adspergit, quibus sanius est consilium criminationem aliquam contra castitatem sic opprimere, quàm cum multo murmure litigando, aures omnium defensionibus tuis, & apologiis opplere. Scio, ajebat Divus Hieronymus in quadam epistola, *per bonam, & per malam famam ad regna Cœlorum perveniri*, cùm nimirum injuriam falsi illi criminis imputassent.

A

CONCILIUM LUGDUNENSE:

Sub Faustino contra Martianum Arelatensem Novatiani sectatorem, anno Christi 258.

De hoc Concilio D. Cyprianus tom. 2. epist. 67. ad Stephanum Papam:

Videlicet cùm hæresis Novatiani, qua zelo amaro erga lapsos in peccatum mortale commotus, eos per Sacerdotes absolvendos esse non censeret, sed sola Dei misericordia peccatum eis posse condonari, non tantùm intra limites Italiæ virus suum ejecisset, sed etiam
B
ad Nationes Italiæ adjacentes pervenisset, suosque protectores habuisset. Inter cæteros animum Martiani Arelatensis Archiepiscopi infecit, à quo plurimi seducebantur in Gallia. Quapropter proximior Archiepiscopus Faustinus Lugdunensis metuens suo gregi, siquidem juxta vulgatum proverbium: tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet: conventum Episcoporum, ac Sacerdotum habuit, in quo condemnaverunt præfatum Martianum, ut hæretica labe adspersum, omnesque censuerunt rescribendum esse ad Summum Pontificem, ut eum de throno dejiceret, aliumque in ejus locum substitueret.

Ista patent ex epist. 67. D. Cyprian. ad Stephanum Papam, aliàs epist. 13. lib. 3. qua idem postulat ab eo, quod Patres Lugdunenses postulabant.

C
Faustinus, inquit, *collega noster Lugduni consistens, frater charissime, semel, atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nunciata tàm ab eo, quàm à cæteris Coepiscopis nostris in eadem Provincia constitutis, quod Martianus Arelate consistens, Novatiano sese conjunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate, atque à corporis nostri, & Sacerdotii consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem; ut servis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & ad Ecclesiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus, divinæ pietatis, & lenitatis paternæ solatia, & subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis, & communicationis relicti, ad luporum rapinam, & prædam diaboli rejiciantur.*

Et sub finem Epistolæ. *Ex quibus cùm Martianus esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ, & pietatis extiterit: sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio Sacerdotum, quando ipse sit ab universis Sacerdotibus judicatus, &c.* In quibus verbis ultimis satis innuit, imò declarat habitum fuisse cœtum Episcoporum, in quo condemnatus fuerit.

D
Cæterum, quod Episcopi eum non dejecerint de gradu, id factum est, quod esset Metropolitanus, cujus depositio ad summum Pontificem spectabat, sicuti notat Baronius ad annum prædictum: vide etiam Pamelium in notationibus ad eandem epistolam, quare summus Pontifex eum destituit, subrogans in ejus locum Heradem virum pium, qui nihilominus à populo Arelatensi posteà expulsus est: de successore autem petebat Divus Cyprianus certiorem se fieri per Stephanum. *Significa*, inquit, *planè nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.*

E
Ad idem Concilium spectant, quæ habet Div. Athanasius Epistola ad Rufinianum, qui ab eo quærebat, quid sentiendum esset de iis, qui à fide lapsi erant, necessitate acti. Sic habeto, inquit, multum dilecte Domine, sedata, quæ primùm per vim cœperat, seditione, præsentibus externarum partium Episcopis, habitam esse Synodum, deinde & ab his, qui Græciam colunt, ejusdem nobiscum muneris socii: rursus & ab his, qui in Hispania, & Gallia degunt: atque ubique omnes idem, quod hìc sensisse: *Iis nempe veniam, qui*

qui cecidissent, etsi impiorum se duces præbuissent, modo eos pœniteat, nec per vim, aut necessitatem detur, largiendum esse, ac restituendum in clero locum: idque præcipuè quod à fide non remotam sui defensionem edidissent, unde quod gestum erat, œconomia quadam factum esse videretur, se enim ad impietatem nunquam transisse, sed ne impiorum quorundam furor Ecclesias perderet, vim potius sequi, & id oneris ferre, quàm populum perire maluisse dicebant, quæ ideo nobis à veritate aliena non videbantur, *Quod Aaronem illum Mosis fratrem in solitudine veniam populo peccanti indulsisse, ea tantum ratione, ne Ægyptum repetens, idololatriam amplecteretur*, afferebant. *Fore enim nemo non videbat, modo in deserto remanerent, impietatem omnem fore abjecturos: sin autem in Ægyptum redirent, interituros non solùm, sed impietati priori multum esse adjecturos: itaque quod eis cleri nomine factum esse venia donandum, & reliquis in fraudem per vim essent deducti, indulgendum*. Ista verò tibi pietati tuæ confisus narrare non sum veritus, cum ea præsertim te probaturum, nec ita coactorum patrum in remittendo facilitatem damnaturum mihi persuaserim, hæc D. Athanasius.

Denegatio reconciliationis apud Gallos antiquos odiosa. Petrus autem Saxius in Pontificio Arelatensi. Martianus, Arelatensis Ecclesiæ sedem adeptus Novatiani erroribus irretitus, qui nolebat lapsos in Ecclesiam recipiendos, tantum Ecclesiæ Gallicanæ timorem incussit, ne præsules alios authoritate Metropolitani in suam sententiam pertraheret, ut Faustinus, cæterique Galliarum Episcopi ad D. Cyprianum, Cyprianus ad Stephanum primum Pontificem (cujus erat Metropolitanum deponere) scripserint, rogaturi fas esset Martianum hæreticum de gradu abjicere, & electum à civibus Arelaten. abjecto suffici. Quod an factum sit, melioremve ad frugem se receperit Martianus, quis asserat? certè quidem ab elencho Antistitum Arelatensium, quem in archivo nostro asservamus, expunctus reperitur, restituitur tamen ab invito, cum nomen, titulumque Arelatensis Episcopi possederit; præfuit Ecclesiæ usque ad initium tertii sæculi, si annos aliquos vacuos nolimus admittere.

Controversia de reconciliatione pœnitentium.

EX his intelligimus, quantum Episcopi antiqui Galliæ Novati zelum præposterum improbaverint, qui lapsos pœnitentes absolvere refugiebat, non magis probaturi, si adhuc viderent eos, qui hodie Novatianismi speciem quamdam renovant peccatores pœnitentes, ac beneficium absolutionis sacramentalis efflagitantes, vacuos à se dimittentes sub variis prætextibus, aut quod pluries in eadem peccata impegerint, aut quod satisfactionis æquivalentis criminibus opera non adimpleverint ante absolutionem. Est enim aliquorum dogma, sanctos patres explanatè docere, ut jus habeamus expectandæ à sacerdotibus remissionis peccatorum, oportere prius satisfactionem à nobis convenientem, & gravitati peccatorum respondentem explere. Itemque statuisse Deum pro sapientiæ suæ regulis, ut satisfactio interponatur inter recognitionem criminis, & absolutionem sacerdotis, sicut natura duce, & experientia docemur in rebus civilibus offensiones reconciliari non solere, nisi præmissa repræsentatione injuriarum rebus, aut personis factarum: quibus verbis praxim hodiernam violati juris divini, accusant. Cum tamen Concilium Tridentinum sess. 6. c. 8. de satisfactionis necessitate, & usu, hæc habeat. *Sancta synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*. Et ratio Theologica eos refellit, quia ut satisfactioni dignitas, ac perfectio meriti accedat, debet esse actio hominis justi, ac procedere ab inhabitantis Spiritus Sancti gratia secundum illud Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Quo fit, ut, cum fuerit actio hominis reconciliati, ac in filium Dei adoptati, duplicem fructum pœnitenti afferat. Alterum, quem ex divinæ gratiæ in animo insidentis radice, & quasi genitali succo trahat, alterum ex ipsius operis in sacramentum assumpti, & à Deo nobilitati, institutione procreatum. Quod minimè illi competit, si fuerit actio hominis mortui, & adhuc diabolo mancipati, à cujus vinculis solutus nondum sit per virtutem absolutionis. Sed hæc fusius à pluribus discussa sunt.

CONCILIA PLURA GALLICA,

Sub Divo Hilario Pictaviensi Episcopo celebrata contra Arrianos circa annum 354. tempore Liberii Papæ, & Juliani Imperatoris.

DE his ita Severus Sulpicius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. Verum ubi Hilarius permensus est fermè orbem terrarum, malo perfidiæ infectum dubius animi, & magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur non ineundam esse cum his communionem, qui synodum Ariminensem recepissent, optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem, & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epistolis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum statum reformant. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sanè pessimus, & ingenio malo, pravoque: verum etiam præter infamiam, multisque, atque infandis criminibus convictus Ecclesia ejectus est, ita partium vires, amisso duce, fractæ. *Saturn[inus] Arela[ten]sis ex[com]munic[atus].*

Nota. Hæc Concilia celebrata sunt post Divi Hilarii reditum ab exilio, in quod amandatus fuerat per Conciliabulum Mediolanense factionibus Saturnini Arelatensis Episcopi Arriani, cujus rabies præsidiis mundi fulta, Constantii scilicet Imperatoris, in Ecclesia Gallicana grassata est, donec reverso ab exilio quatuor, aut quinque annorum, Hilario Pictaviensi sub annum 362. secundum supputationem Onuphrii, aut sub annum 365. ut Joanni Gilloto placet in Commentatione Divi Hilarii, ubique in Gallia synodi convocatæ sunt, quarum ope plures ad sanam mentem redierunt, qui Arrianis, aut vi, aut precibus, aut ignorantia seducti adhæserant. Nunquam tamen Saturninus, qui potius in impietate perseveravit, ut ideo ejiciendus fuerit ab Ecclesia. Ex qua occasione Rubio visum est in Histor. Lugdunensi cap. 4. Primatiæ dignitatem, quæ Arelatensibus concessa est à Pontifice Rom. 25. quæst. 2. cap. *In Galliarum*, quod sanctus Trophimus unus ex septuaginta Discipulis primus fidei fundamenta ibi jecisset, ita ut ex ejus prædicationis fonte omnes Galliæ fidei rivulos acceperint, sublatam fuisse. Quod tamen refellitur à Petro Saxio Arelatensi Canonico in Pontificio Arelatensi *in Saturnino*. *Prim[atia] Arela[ten]sis.*

Porro ad hæc Concilia illud spectat, quod dicitur apud Pariseam celebratum, idest, urbem Parisiensem, cum aliqua nominis corruptione, de quo actum est in classe antecedenti. Item aliud incerti loci anno 358. in quo damnata est formula fidei Sirmiensis, ne se hæretici jactarent Ecclesiam correxisse, vel emendasse in syllaba, quod ipsi pluris æstimant. D. Hilarius lib. de Synodis.

CON-

CONCILIUM NEMAUSENSE,

Circa annum Domini 386. & tempora Siricii Papæ, & Valentini, & Theodosii Imperatorum.

HUjus Concilii monumentum extat apud Severum Sulpitium lib. 3. vitæ D. Martini, cujus hæc verba sunt.

Apud Nemausum Episcoporum synodus habebatur. Ad quam quidem ire noluerit (D. Martinus) sed, quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpitius navigabat: sed procul, ut semper, à cęteris in remota navis parte residebat. Ibi ei Angelus, quid gestum esset in synodo, nuntiavit. Nos postea tempus habiti Concilii sollicitè requirentes, satis compertum habuimus ipsum diem fuisse conventus, & ea ibi ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nuntiavit.

Levis conjectura Crespetii de synodo Nemausensi.

POstquam verbo *Officium divinum*, hæc retulit, ex Can. 19. Conc. II. Turonensis sub Pelagio primo: *Superest, ut vel duodecim Psalmi expediantur ad Matutinum, quia Patrum statuta perceperunt, ut ad Sextam sex Psalmi dicantur cum Alleluja, & ad Duodecimam duodecim. Itemque cum Alleluja, quod etiam Angelo ostendente didicerunt, &c.* Ut est in Summa. C Porrò, inquit Crespetius, quia mentionem facit hoc Concilium de Divino Officio, quod ab Angelo revelatum est, crediderim, hoc esse decretum Concilii Nemausensis, de quo scribit Severus Sulpitius lib. 3. Vitæ Martini, &c. Hujus autem Concilii non extant Canones: verùm facilè possit opinari, quia etiam quædam de Divino Officio celebrando, Angelo dictante, conscripserint. Unde & Carolus Magnus in Constitutionibus horum decretorum meminit, & ea diligenter præcipit observari.

Invenitur Canon citatus à Crespetio decimus octavus Concilii II. Turonici celebrati sub Joanne Papa tertio.

CONCILIUM ARELATENSE,

Contra Prædestinianorum hæresim recentem ex mandato Cœlestini Papæ, circa annum 432. sub Hilario.

MUlta Concilia ad unam hæresim damnandam habita fuisse insolens non inveniet, qui in lectione sacræ Historiæ versatus fuerit. Cum autem hęresis prædestinianorum, qui docebant, unicuique salutem, aut damnationem contingere ex vi prædestinationis, ac reprobationis: itaut nihil reprobis bona opera prodessent, nec mala prędestinatis, sub finem vitæ D. Augustini incęperit, ex cujus scriptis malè intellectis illam hauserant, ac etiam confirmabant, obieritque D. Augustinus anno Christi paulò ante Concilium Generale Ephesinum, Cœlestino sedente, E propius mihi ad veritatem accedere visi sunt, qui Synodum, in qua primùm damnata est hæc hæresis, proximiorem faciunt anno, quo mortuus est Div. Augustinus. Siquidem cum tunc frequentes essent Synodi, non est probabile, quod tamdiu siluerint de ea, ac impunè illam grassari passæ sint. Quare improbabile est, quod anno 475. sub Leontio Arelatensi tempore Simplicii Papæ tantum damnari incęperit. Quo anno reponit hanc Synodum Sirmondus tom. 1. Conciliorum Galliæ; adhuc improbabilius, quod Baronius eam sub anno 490. reponat, quem sequuntur multi, sed omnium improbabilissimum, quod Binius eam referat ad annum 524. ut quid

A enim hæresis perniciosissima sæculo ferè integro sine reprehensione, & condemnatione Ecclesiam vastaret. Non erat hæc mens Cœlestini Papæ, qui ubi de ea primùm monitus illico remedium adhibendum esse rescripsit ad Episcopos plures Galliæ in illa epistola, quæ reponitur VIII. inter ejus epistolas, *Nam, quid in Ecclesiis vos agitis*, inquit, *si illi summam teneant prædicandi?* Cujus epistolę cùm fragmenta aliqua retulisset Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in libro de Prædestinatione, cap. primo subjungit: At cujus (Cœlestini) jussionem prædicti Galliarum Episcopi Synodum habuerunt, & hujusmodi pravè sentientes, aut resipiscentes, pietate Ecclesiasticâ receperunt, aut in sua vecordia, aut pravis sensibus persistentes, Episcopali, B atque Catholica, & Apostolica authoritate à consortio fidelium segregaverunt, sicut epistola amicalis Fausti ad Lucidum Presbyterum, & Libellus ejusdem Presbyteri Lucidi in Synodo porrectus Episcopis apertè demonstrat. Quæ utraque & epistolam, scilicet, & correctionis libellum ad demonstrandum rei evidens documentum, quia non quærimus de mendacio adstruere veritatem, hinc inserere necessarium duximus. Tùm subjungit epistolas Fausti ad Lucidum, & Lucidi ad Conventum Episcoporum, quibus improbantur opiniones Prędestinianorum, ut sic probet eas in hac Synodo damnatas fuisse.

Atque in hoc ultimo minus mihi probandus videtur, in hoc enim hallucinati sunt plures, quòd putent fuisse lectas has Fausti, & Lucidi epistolas in prima illa Synodo contra Prædestinianos habita. Quippe nondum Faustus tunc temporis florebat, cùm hæc hæresis nascebatur, ac in initio damnabatur. Non enim, nisi sub finem quarti sæculi vigebat Faustus. Et Addo Viennensis in Chronico ad annum 492. ait, eum ex Abbate Monasterii Lyrinensis Episcopum factum fuisse apud Regium Galliæ. Quare cùm nondum conscriptæ essent illæ epistolæ, cùm Synodus hęc habita, nulla de iis facta est mentio, sed in posterioribus synodis, in quibus repullulantem hanc hæresim rursus exscindere necessarium fuit. *Anno 455. cum Arelatense Cōcilium sub Ravennio habitū est, Faustus adhuc erat Abbas nōdum Episcopus.*

Nec objiciat quispiam hìc multiplicari Synodos Arelatenses, nam multò plures fuerunt, quàm scriptis contineantur. D Nam & Petrus Saxius à Sabaudio Præsule Arelatensi Synodum Arelatensem decimamtertiam habitam, in qua mendosè Sarpidius nominatur. Cùm tamen sederit circa annum 556. ubi tot Synodi Arelatenses invenientur? Quidni inter illas tredecim hæc enumeretur; proderit autem ad hanc magni ponderis introspiciendam veritatem hìc addere integram epistolam Cœlestini Papę ad Episcopos Galliæ, in qua eos excitat ad reprimendam hanc hęresim: cùm enim hoc aptiùs agere non possent, quàm in conventu synodali, jure hunc conventum habitum fuisse cum Hincmaro concludere licebit, in quo novi Prædestiniani devicti, & prædamnati fuerunt.

Cęlestini Papæ pro Prospero, & Hilario de gratia Dei Epistola ad quosdam Galliarum Episcopos.

DIlectissimis Fratribus, Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ Episcopis, Cœlestinus Episcopus, Apostolici verba præcepti sunt. Apud Judæos, atque gentiles sine offensione nos esse debere, hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit, quod cum ita sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, illa contristent, quæ authoribus Christianis percellunt animos Christianos, dominicus in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quod ex-

expediat scandalizanti unum de pusillis, in maris profundum demergi: Et ideò, quæ sit eius jam pœna, quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

De Prospero, & Hilario.

FIlii nostri præsentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio, quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos persecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justius imputamus, quando illi supra vos copiam habent disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam, nam & hos ipsos à Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi, Magistris tacentibus, hi loquuntur, qui, si ita est, discipuli non fuerunt? timeo, ne convivere sit hoc tacere, timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: Quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem: desinatque ita incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare, conantur sæpe naufragio mergere, quo intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad Apostolicam prædicti sedem, hęc ipsa nobis, quę tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres charissimi, pro catholicæ plebis pace tractatum, sciant se, si tamen censentur, Presbyterii dignitate vobis esse subjectos, sciant omnes, qui malè docent, quòd sibi magis discere competat, quàm docere. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi teneant summam prædicandi? nisi forte illud obsistat, quod non authoritate, non adhuc elatione colligitur, ut aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio, in collegium nostrum fortassis admissi nesciant, quid sibi debeant vindicare? super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentii dedimus scripta responsum, nunc tamen repetentes sæpiùs admonemus, ut vitentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quàm ille noster jussit agricola, seminare; nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

Episcoporum authoritas.

De sancto Augustino Episcopo mira laudis Adsertio.

AUgustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nonnunquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis semper præcessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserant, utpotè qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus, nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat his beatitudo promissa, quicumque probatur persecutiones propter justitiam sustinere: quibus quid promittat Dominus in futuro, sequens sermo declarat, non est agentium causa solorum universalis Ecclesia, quacunque novitate pulsatur, intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere, quod ita demum probare poterimus, si, imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessaverit. Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

Quod additur huic Epistolæ, alterius cujusdam Epistolæ videtur assumptum, ita ut ex duabus Epistolis una conflata sit. Finis enim Epistolæ est istud ultimo loco positum. *Deus vos incolumes custodiat, fratres*,

Controversia.

IN hac autem Epistola Cœlestinus monitus à Prospero Regiensi, & Hilario Arelatensi de novis opinionibus, quæ cum scandalo, & publicæ pacis detrimento divulgabantur in Gallia, quasque Cœlestinus vocat indisciplinatas, monet Episcopos, ut hæc ingenia compescant, in synodo scilicet, id enim significant ea verba, *Habetote, fratres charissimi, pro catholicę plebis pace tractatum, sciant se, si tamen censentur, Presbyterii dignitate vobis esse subjectos*. Unde cùm hic habeamus mandatum Cœlestini de cogenda synodo contra hujusmodi opiniones, aliique asserant de facto ex ejus mandato celebratam fuisse, hæc resque tanti momenti id exposceret, ac tunc frequentissimę essent synodi provinciales ex decretis Apostolorum, ac Concilii Niceni, haud dubium esse debet, quin contra tales opiniones habita sit synodus circa dies Cęlestini Papæ. Nec enim ex ejus mandato habita fuisset, post viginti, triginta, aut plures annos, cùm de Fausto, ac Lucido agi cępit. Quod verò istæ opiniones hæ fuerint, quæ attribuuntur Prædestinianis, qui sub nomine D. Augustini eas tuebantur, quasi ex ejus libris excerptæ essent, patere potest ex eadem Epistola; in qua tantum extollit doctrinam D. Augustini, quam eo ipso Prædestiniani in Gallia deprimebant, quod illi affingerent has opiniones indisciplinatas, ac novas minimè decentes tantum doctorem, quem nunquam sinistræ suspicionis rumor adsperserat.

Idem quoque evidentius patet ex præfatione ejusdem D. Prosperi in responsione ad objectiones Gallorum, quæ nihil aliud sunt, quàm opiniones illæ Prædestinianorum, quas esse jactabant D. Augustini, aut doctrinam D. Augustini non intelligendo, aut intelligere eam nolendo. *Ne ergo*, inquit, *hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, brevi, & absoluta professione respondeo.*

Inter illas autem opiniones D. Augustino affixas falsò hæ sunt notandæ. Quod non omnes homines vocentur ad gratiam. Quod liberum arbitrium in homine nihil sit sive ad bonum, sive ad malum, sed prędestinatio Dei in hominibus operetur. Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis pręscientia Dei, & prædestinatione discreti. Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum. Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, & aliæ hujusmodi his connexæ, & affines sententiæ, quæ in prædicto libro Prosperi, tùm in alio, responsionis ad objectiones Vincentianas reperire est.

Error Prædestinianorum.

At imaginabitur quispiam, nullum extitisse, qui tales opiniones tenuerit, aut defenderit tunc temporis, sed totam quæstionem fuisse, an essent D. Augustini, sicut asserebant, qui calumniatores ejus dicuntur; si enim hoc ita est, nulli revera fuerunt hæretici Prædestiniani. Verùm hæc est hallucinatio Usseri Dubliniſtæ, ac Jansenii Iprensis, & ejus sectariorum. Satis enim denotat Epistola Cęlestini, & liber

liber Prosperi ad objectiones Gallorum reipsa extitisse Presbyteros, qui has opiniones evulgarent, non ad injuriam expressam D. Augustini, quasi nil aliud intendissent, quàm ejus famæ detrimentum inferre, cùm contra ejus authoritate, & scriptis se munirent ad eas absolutè, si fieri posset, in concionibus persuadendas. Dicuntur tamen calumniatores D. Augustini, quod indirectè saltem injuria illum afficerent, tales sententias illi attribuendo, quæ cum fide, ac veritate catholica pugnarent. Lege sententias D. Prosperi singulis Gallorum capitulis oppositas, in quibus absolutè dicuntur non esse catholici, qui hæc sustinent. Et si tantùm dixissent hanc esse doctrinam D. Augustini, non hac nota afficiendi fuissent, sed magis imposturę, mendaciique, ac malæ intelligentię nota inurendi fuissent. Quare non benè conqueruntur novelli harum opinionum propugnatores, qui per supposititia Concilia, falsaque contra imaginarios hæreticos anathemata, se damnari exclamant. Ac notari potest, eamdem technam esse antiquorum Prædestinianorum, ac novorum. Utrique enim in specie D. Augustinum extollunt, ac ita agunt, quasi sola esset quæstio facti, de mente, ac sensu D. Augustini, quamvis sub hac larva suas erroneas opiniones tueantur, ac nihil intentatum reliquerint in hac nostra ætate ad eas ubique disseminandas: solaque potestas illis defuerit, nisi sub alio prætextu, doctrinæ, scilicet, moralis corrigendæ, multis fucum denuo faciant.

Prædestiniani quomodo calumniatores Augustini.

CONCILIUM INCERTI LOCI

Celebratum in Gallia anno Christi 444. Valentiniani 3. Imperatoris 19. Beati Leonis Papæ 3. in quo Chelidonius Episcopus Vesontionensis, tanquam viduę maritus, & qui capitalibus aliquandò judiciis præfuisset, Episcopatu dejectus est.

Huic Concilio præsidebat Hilarius Arelatensis, & inter alios adfuit S. Germanus Autisiodorensis, ut inquit Honoratus Massiliensis, seu quis alius auctor vitæ ejusdem Hilarii.

Chelidonius sic condemnatus Romam petiit, & coram Sanctissimo se injusto rigore adstruit condemnatum. Mox S. Hilarius secutus est eum, humiliterque totum negotium exposuit Sancto Leoni, qui præventus à Chelidonio, exitum judicii non expectavit, sed eum absolvit, quod adversus eum objecta non satis probata sibi viderentur.

Ex quo nata est illa Leonis in Hilarium indignatio, quam ejus ad Episcopos Provinciæ Viennensis Epistola 1. declarat. S. tamen Hilarius in civitatis recessu totum se ad placandum animum S. Leonis inclinata humilitate convertit, misso primitus S. Ravennio tunc Presbytero, postea proprio successore: deinde S. Nectario, Sanctoque Constantio, pręcipuis Sacerdotibus. Ac nihilominus secundum aliquos hinc adempta est Hilario Arelatensi potestas in provinciam Viennensem.

CONCILIUM INCERTI LOCI,

Ad opem ferendam Britanniæ contra Pelagianos, anno 446.

Hoc Concilium incerti loci fuit celebratum in Gallia anno Domini 446. Leonis Magni Papæ 5. Valentiniani 3. Augusti 21. Aetio 3. & Symmacho Consulibus. Ex quo duo præclara religionis lumina, quique ut terram corporibus, sic cœlum meritis possidebant, Heroes devotissimi claritatem negotii fidei stimulis maturantes.

CONCILIUM PROVINCIÆ

Arelatensis, & Narbonensis, in quo lecta est, & approbata D. Leonis Papæ epistola contra errores Abbatis Eutychis, tempore ipsius Leonis Papę, & Merovei regis anno 450.

Famosa illa, & Dogmatica Epistola Divi Leonis Papæ contra errores Eutychis Flaviano Constantinopolitano Archiepiscopo inscripta, etiam missa fuit ad Ravennium Archiepiscopum Arelatensem, ut non solùm Orientalibus, sed etiam Occidentalibus innotesceret, quæ de Verbi incarnatione teneret hactenus, tenuissetque semper Catholica Ecclesia, nec nascenti Eutychianorum dogmati de unica in Christo natura quisquam in Galliis assensum præberet: unde & eo fine ad Ravennium missa erat à Divo Leone. ut in conventu Episcoporum legeretur. *Per te cupimus*, inquit idem Pontifex ad eumdem Ravennium epist. 110 *ad omnium fratrum, & consacerdotum nostrorum notitiam pervenire, &c. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Ecclesiis, & Domino nostro Episcopatus tui possis commendare primordia, si hæc ita, ut credimus, atque mandavimus, impleveris, frater charissime.*

Est decima inter epistolas D. Leonis.

Fecit Ravennius, quod intendebat Leo Pontifex, habitoque conventu maximo, in eodem lecta est, & maximè approbata Epistola contra Eutychem, ut patet ex epistola Episcoporum hujus synodi, quam in gratiarum actionem ad Pontificem direxerunt, quæ habetur post epistolam 51. ejusdem in editione Lugdunensi anno 1623. *Exultavimus itaque, Christo propitio, lectis Beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiscum, qui, Catholicæ fidei lumine derelicto, in errorum tenebras inciderunt. Quæ Apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter, & exultantes, recognoverunt fidei suæ sensum: & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, & vester Apostolus exposuit, jure lętantur. Nonnulli solicitiores facti, Beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè, ac fiducialiter, suffragante etiam Apostolicę sedis auctoritate eloquantur, ut asserat unusquisque, quod credit: quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solùm Gallias, sed totum mundum, velut pretiosissimis quibusdam gemmis ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvere, doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut costanter teneat, quod credere debeat, debet etiam infidelis, ut perfidia sua, agnita veritate discedat, &c.*

Error Eutychis is erat, quòd ut unicam hypostasim Christo verè tribuebat, sic eidem unicam naturam falsò affingebat, quod existimaret duas naturas, divinitatem, & humanitatem sic in illo permixtas fuisse; ut, veluti absorpta esset à divinitate humanitas, solaque verè restaret divinitas, quę sub carnis non veritate, sed figura, famem, sitim, crucem, mortemque perpessa sit, & post triduum è sepulchro revixerit. Contra hæc errorum monstra rescripserat Divus Leo ad Flavianum, ut Orientales ab iis revocaret, voluitque eamdem Epistolam dirigi ad Ravennium Arelatensem, ne Occidentales inficerentur Eutychiano dogmate, priusque remedium, quàm morbum noscerent: serpebat enim facilè virus istius hæresis maximè apud religiosos, ac quosdam pios minus cautos, & sapientes, quibus arridet ex ferventiori amore creaturam annihilari, à seipsa de-

Nota.

deficere, ac ad Deum converti, ficut aquæ gutta in vinum conjecta, aut ferrum in ignem; ex præpostero enim devotionis zelo, & Theologiæ mysticæ minus sano intellectu, ortam esse Archimandritæ Eutychis hæresim aliqui observarunt. Quod pluribus aliis accidit, accideretque quotidie, nisi Theologia scholastica se opponeret. Porro de præsenti Concilio hæc habet Saxius in Pontificio Arelat. in Ravennio, ubi loquitur de Leone in hunc modum: Misit præterea celebrem illam contra Nestorianos, & Eutychianos Epistolam, quam prius in Orientem ad Flavianum direxerat, qua accepta synodum in Gallia Narbonensi celebravit Ravennius, ut patet ex Epistola, quam ad sanctum Leonem rescripserunt patres, & antequam solveretur synodus, cui præfuit Ravennius, interfuitque Rusticus Narbonensis, & quadraginta quatuor alii Episcopi, ut patet ex subscriptione, uno omnes consilio libellum supplicem Summo Pontifici dederunt pro restituendis Arelatensis Ecclesiæ juribus, &c. Vide circa ista, quæ dedimus in quarta synodo, classe 2.

CONCILIUM ARELATENSE

Propter exemptionem Abbatiæ Lyrinensis, anno 455.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia à Ravennio Episcopo, in causa insulæ Lyrinensis, anno Domini 455. B. Leonis I. Papæ 14. Aviti Imperatoris 1. Convenerunt ergo in hac synodo sanctissimi 13. Episcopi, ut providerent de remedio scandali, quod in Monasterio insulæ Lyrinensis obortum fuerat inter Faustum ejusdem Monasterii Abbatem, & Theodorum Episcopum, super regimine, & jurisdictione, statuentes ad dissolvendum omnem causam discordiarum ad invicem, rogarunt Theodorum, ut, indulta venia culpæ, si qua esset, sanctum Presbyterum Faustum Abbatem in pristina pace reciperet, & in insulam ipsi, Deo dispensante, commissa, remitteret: ita ut tamen in posterum nihil sibi vendicaret, quàm quod prædecessor suus, bonæ memoriæ Leontius Episc. vendicaverat, Idest, ut Clerici, atque Altaris ministri, à nullo, nisi ab ipso, aut, cui ipse injunxerit, ordinentur. Chrisma nonnisi ab ipso speretur. Neophiti, si fuerint, ab eodem confirmentur. Peregrini absque ipsius præcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur. Monasterii verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente præsumat. *Ex codice Lugdun. Ecclesiæ.*

CONCILIUM LUGDUNENSE,

Sub sancto Patiente circa annum 490. tempore Clodovei primi regis Francorum, in quo recepta est professio Lucidi Presbyteri ab hæresi Prædestinianorum resipiscentis.

AB initio regni Francorum in Gallia cœpit hæresis Prædestinianorum, quæ sæpiùs in diversis temporibus revixit, ut diversa Concilia ad eam eliminandam fieri necesse fuerit. Cùm autem, ut ex Concilio Arelatensi classis præcedentis sæculo 5. patuit, Faustus scripsisset ad Lucidum Presbyterum insignem in Gallia, hac lue infectum, sic animam ejus immutavit, ut ad veram fidem reverteretur, eamque testatam faceret Episcopis Lugduni congregatis hac Epistola, quæ nobile quoddam fragmentum est hujus Concilii, cujus alia acta perierunt. Hujus annum consignamus post Joannem

A Chanutium, qui in serie Archiepisc. Lugdunensium ait sanctum Patientem præfuisse suo Concilio Provinciali anno 490.

Epistola Lucidi Presbyt. errores præteritos revocantis. Ita in Biblioth. Patrum, sed Binius ita habet. *Epistola Lucidi, quam in detestationem errorum suorum ad alium Episcoporum conventum Lugdunensem scripsit, hæc est.*

DOminis Beatissimis in Christo Reverendis patribus Leontio, Euphronio, Fontejo, Viventio, Mamerco, Patienti, Viriano, Auxiano, Fausto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Basilio,
B Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Juliano, Amicali, Joanni, Opilioni, Licinio, Viventio, Theophrasto, Episcopis, Lucidus,

Correctio vestra, salus publica, & sententia vestra medicina est; unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione mea diluam.

Proinde juxta prædicandi, recentia statuta Concilii damno vobiscum sensum illum, qui dicit, humanæ obedientię laborem divinæ gratiæ non esse jungendum.

Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Qui dicit, quòd Christus,& salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.

C Qui dicit, quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.

Qui dicit, quòd post acceptum legitimè baptismum in Adam moriatur, quicumque deliquerit.

Qui dicit,alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

Qui dicit, ab Adam usque ad Christum, nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, idest, per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

Qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel summos quosque Sanctorum etiam ante redemptionis tempora, intra paradisum deguisse: hæc omnia quasi impia,
D & sacrilegiis repleta condemno.

Ita autem assero, gratiam Dei, ut annisum hominis, & conatum gratiæ semper adjungam, & libertate voluntatis humanę non extinctam, sed attenuatam, & infirmatam esse prœnunciem, & periclitari eum, qui salvus est, & eum, qui periit, potuisse salvari.

Christum etiam Dominum, & Salvatorem nostrum, quantum pertinet ad divitias bonitatis suæ; pretium mortis pro omnibus obtulisse: & quia nullum perire velit, qui est Salvator omnium, maximè fidelium, dives in omnibus, qui invocant illum.

Assero etiam per ordinem, & rationem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ,
E quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos; tamen ex initio mundi, ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis non absolutos.

Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perseverantes humanas culpas, meritò sequitur divina sententia, quam justè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me, Domini sancti, & Apostolici patres.

Hactenus (ait Baronius ubi supra) professio Lucidi secundum ea, quæ à nominatis patribus in synodo definita fuissent, in hoc incumbentibus patribus, ut errores exploderent illorum potissimùm, qui ex doctrina S. Augustini malè ab ipsis percepta, sive

sive in pravum sensum calumniosè detorta, pravas deduxissent conclusiones, &c.

Porrò tale est additamentum, seu fragmentum, de quo dictum est Concilio Arelatensi an. 435. in præcedenti classe ante ista verba ; *assero etiam per ordinem*, & quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum memini me ante dixisse, quod Christus his tantum, quos credituros præscivit, advenisset, sententias dominicas sequens, quibus ait sic ; *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis*, & illud, *hic est calix sanguinis mei novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, vel illud Apostoli : *Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata*. Nunc verò sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abundè per spatia divinarum litterarum inveniuntur, ex seniorum doctrina, ratione patefacta libens fateor, Christum etiam pro perditis advenisse, qui eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solùm, qui videntur esse salvati, immensæ divitias bonitatis, ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos.

Additi verò Episcopi sunt Crocus, & Ursicinus, & plures alio ordine disponuntur.

Controversia.

INcipiemus istam controversiam ab errato Henrici Canisii alioqui de antiquitatibus ecclesiasticis benè meriti, qui in admonitione post Epistolam Fausti ad Lucidum, prout extat in bibliotheca Coloniensi to. 5. parte 3. pag. 526. dicit eam epistolam erroneam, atque idcirco pœnituisse Lucidum, quod eidem subscripsisset. Stupeo, inquit Joannes Eusebius, scriptor sanè valde eruditus, & notus, in *dissertationibus epistolicis* de immaculata conceptione epist. V. tale assertum, tantum scilicet lapsum in viro erudito, cum contrarium prorsus acciderit. Lucidus enim in errorem Prędestinianorum lapsus à Fausto per Catholicam epistolam revocatus est, & cæt. Itaque sic aberravit Canisius, ut historiam inverteret, quodque gloriosum fuit Fausto, in ignominiam ejus vertit perperam intellectum. Vide dicta in Arelatensi, anno 475. in classe præcedenti seculo V.

Lucidus iste, ac qui ejus errores sequuti sunt, Prædestinianorum nomen sortiti sunt à primario, & capitali errore de prædestinatione, & reprobatione, qui est, velut radix aliorum errorum, quia ex hoc quod Deus ex mero beneplacito quibusdam voluit dare gloriam, & quosdam ab ea excludere, hinc inferunt illis voluisse dare media gratiarum ad illam acquirendam in tanto, & tali gradu, quod essent per se efficacia, & voluntatem quamvis non cogerent, attamen necessitarent ad benè agendum, idque ex merito Christi patientis pro salute electorum : aliis verò ad gloriam non electis non dari, cùm media non sint, nisi propter finem. Unde etiam ulteriùs sequitur, Christum fuisse tantùm pro illis mortuum, ut pretio sanguinis illis auxilia gratiæ acquireret, pro his nequaquam, cùm exclusi esse deberent à mediis, sicut à fine. Rursus sequitur deperditio liberi arbitrii : in illis quidem ad malè agendum, ne propositum Dei æternum frustraretur, in his ad benè agendum, ne contra intentionem Dei vita ęterna digni invenirentur. Atque exinde gradatim procedendo, vel liberum arbitrium omninò extinguunt, vel novam libertatem confingunt cum nova essentia, ac definitione. Consequenter in odium gratiæ sufficientis omnibus datæ adultis, insurgunt. Qua semel explosa, ab iis in-

[…]ctrina [præde]ﬅinatione […]tuita [con]ſe[q]uentibus [opp]oſita.

A fertur impossibilitas mandatorum Dei in reprobis omnibus, cum enim aliqua ex illis sint supra naturam, ac auxiliis gratiæ opus sit ad exequenda illa, auxilia verò illa denegentur, sequitur, illos non posse adimplere divina mandata. At verò, quia durum esset, & à Dei summa bonitate alienum, ignis vorantis cruciatibus exponere in æternum homines, ac mulieres innumeras, eo quod non fecerint impossibile, hinc eo usque processit Lucidus, ut flammas illas fictitias putaret, magno, & ingenti beneficio innumeros mortales, ac dęmones devincturus, si quod habebat in mente, & in ore reipsa præstitisset. Sic error errorem trahit. Sed & alia pleraque ex eo inferuntur. Hinc enim & alii existimaverunt, nonnisi prædestinatos esse membra Ecclesiæ, cujus Christus

Infernum negant Prædestiniani.

B caput est, quod in reprobos non influit tanquam in membra. Hinc quoque inducti sunt, ut assererent Deum esse auctorem peccati, ut nempe decretum suum ęternum de damnandis hominibus in tali, ac tanto gradu pœnarum exequeretur cum titulo justitiæ. Sed & pleraque alia absurda in hoc errore latent, quę brevi explicarentur, si persuaderi posset hominibus, ut propter ea contra illum exarserit Ecclesia & tempore hujus Concilii, & in aliis subsequentibus sęculis.

Verum est, tales consequentias ab aliis negari, imò contrarias inferri, sic ex eodem centro quædam lineæ ducuntur in unam partem circumferentiæ, aliæ lineæ in aliam, sic idem sol ceram liquefacit, lutum indurat: fatendum tamen est talibus principiis se-

C mel admissis de prædestinatione, & reprobatione, de prædeterminationibus, & gratiis per se necessitatem antecedentem agendi inferentibus, vix posse intellectum consequenter ad ista principia ratiocinantem sese à pluribus ex his consequentiis expedire, nisi forsan seipsum non satis audiat, & sibi ipsi vim quamdam faciat ad imaginandum potius, quàm ad opinandum ea, quæ satis cum talibus principiis amica non sunt ; mirum est enim, quàm magnum sit phantasiæ imperium in multis hominibus, ut facile putent esse verum, quod semel sibi imaginati sunt, cùm aliis justiori trutina res perpendentibus satisfacere non valeas, nisi illis proposueris sententias Theologo dignas, quæ mentem non obnubilant, socordiam non teneant, cum hæresibus affinitatem non habeant, minusque rationem naturalem perturbent, quamdiu res indefinita erit, nec

D dum erit obligatio captivandi intellectum in obsequium fidei.

Etsi verò apud multos Theologos probabile sit Prædestinationem ad gloriam esse ex mero Dei beneplacito, cùm bonitas sit illi causa sufficiens, cur velit dare gloriam aliquibus, juxta textus scripturæ Exod. 33. *Miserebor, cui misereor.* ad Ro. 9. *cujus vult, miseretur*. At non ita censent de reprobatione. Siquidem Deus ex suo bonus est ; ex nostro justus, & malè sonat, ac pias aures offendit, quod aliqui asserunt, Deum sic voluisse damnationem plurium ad manifestationem suæ justitiæ, ac perfectionem universi, quemadmodum paterfamilias vult occisionem vituli, aut gallinæ ad refectionem suæ familiæ. Quam comparationem in Hervæo reperies in primo

E sent. dist. 36. art. 2. & 3. quod etsi aliqui non audeant impugnare, ne juri divinæ omnipotentiæ derogare videantur.

Attamen Bonaventura *in* 1. *dist.* 41. *in litera* E. rejicit hanc sententiam, quia propositum Dei æternum, & voluntas Dei est rationabilissima : ergo habet, & habuit rationem ab æterno. Si nullam haberet rationem, esset injusta in reprobatione ejus, qui nihil mali egit. Denique jam sic non dicerentur occulta Dei judicia, sed manifesta, cum quilibet hanc rationem capere possit, quia Deus sic voluit, ergo sic fecit.

De quæstionibus hujusmodi Scotorelus *in* 1. *dist.* 40. &

40. & 41. nimis temerarium est multum loqui, quia etiam, ut ibidem Magister dicit in littera: In hoc melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Et Psalmus ait, *Judicia Dei abyssus multa*. Ideò est timendum, ne curiosè quærentes hanc abyssum, demergamur in abyssum. Bonaventura etiam eadem distinctione 41. art. 1. quæst. 2. dicit: Cavendum est, ne dum voluntatem Dei volumus magnificare, eidem derogemus, ac sic in errorem incidamus.

Quia sive hic salvetur, sive ille, non autem alius; semper salvatur perfectio universi, & manifestatur misericordia Dei, ac ejus justitia.

Ceterum, quia Prædestiniani hoc prætextu occultæ Dei voluntatis utuntur ad tuendum errorem suum, & aliundè monet nos D. Petrus, ut simus parati rationem reddere omni poscenti nos de ea, quæ in nobis est spe, & fide, non ita absurdum est, si quis rationes assignare conetur istius mysterii; & favet scriptum à D. Bernardo, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria, non scrutator voluntatis*. Ideo plures dicunt posse assignari rationem, si res spectetur in genere. Hæc autem est duplex. Una, perfectio universi, quia distincti gradus faciunt ad majorem perfectionem universi. Alia est ad manifestandum misericordiam Dei in electis, & justitiam in reprobis, ut patet per August. 21. de Civit. Dei cap. 12. Sed si quæratur in particulari, quare Deus è duobus similibus istum vult servare, alium non, non possumus dare rationem in particulari, nisi Deus revelaret nobis: Deus autem non revelat communiter, quia utilius est saluti nostræ id nescire. Vnde D. Augustinus super Joannem dicit: Quare Deus illum trahat, & istum non, noli velle dijudicare, si non vis errare. Proinde etiam Apostolus non audens inquirere, admirans exclamat ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum!*

Reprobationis datur causa.

Alii dicunt etiam in particulari posse dari rationem reprobationis, licèt non possit dari Prædestinationis. Quia cùm reprobatio sit condemnationis via, justus autem judex nullum condemnet sine justa ratione, aliàs esset crudelis, & injustus, ideò nec Deus quemquam reprobat sine prævisione operum malorum. Et si id faceret, non reluceret ejus justitia, sed potius obtenebresceret, eo quod videatur injustum aliquem determinare ad damnationem sine ratione, unde statuunt alium ordinem in reprobatione, quia in reprobatione primò occurrit Judas in naturalibus, secundò prævidentur mala ejus opera usque in finem, tertiò determinatur ad pœnam æternam. Ita ferè Scotorellus apud Pelbartum de Temisuvar in 1. sent. verbo *Prædestinatio*, §. 20.

Attamen ubi res exactiùs considerabitur, non apparebit tanta necessitas statuendi diversum ordinem in Prædestinatione ad gloriam (de qua hic sermo, ut distinguatur à Prædestinatione ad gratiam, & gloriam simul) ac in reprobatione. Satis enim constat, si de possibili agatur, æquè Deum potuisse prædestinare ad gloriam propter merita ex vi gratiæ profluentia, ac in ejus mente prævisa, ac potuit reprobare propter demerita etiam prævisa. Unum enim Deo non est difficilius alio. Tantùm ergo restabit difficultas de facto, an à parte rei ita fecerit, potuit enim & aliter facere. Nec possumus scire, an ita fecerit, nisi revelaverit se ita fecisse, at id revelavit Matth. 25. vocans electos ad regnum, quod illis paravit: & reddens rationem, subjungit: *esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, quasi diceret: Prædestinavi vos propter bona opera. Et accedit etiam hæc ratio, quòd Deus destinavit ab æterno facere propter easdem causas, propter quas exequitur in tempore: at in tempore det gloriam adultis propter bona opera, sicut impiis supplicium infert propter mala opera.

Inquirentes causas prædestinationis, qui vituperandi.

Nec verò istud derogat D. Augustino, ubi præsumptores alicubi vocat, qui causas rimantur in hoc mysterio, agit enim contra Pelagianos, qui in facultate naturali sine gratiæ adjutorio eas inquirunt, quod non faciunt, qui causas illas quærunt non in sola libertate naturali, sed etiam, & præcipuè in gratia præveniente, aut etiam subsequente. At in his non immoramur, quæ alibi pluries discussimus, ista autem hæc scripsisse hic operæ pretium nobis visum est, ut nemo leviter in sententiam Prædestinianorum abducatur ex occultis Dei judiciis, & admirabilibus, cùm in sententia eorum nihil sit admirabile, quandoquidem causa cognita voluntatis divinæ, deesset admiratio, sicque objiciunt id, quod in ipsolmet continuò rejici potest.

Ordo prædestinationis.

Sed, etsi rem istam penitiùs introspicere velimus, ac primam originem salutis, & damnationis hominum, sicut & Angelorum indagare, inveniemus eam in divina voluntate, ac in occultis ejus judiciis. Nam inter infinitos, & innumeros ordines condendi mundi, qui intellectui Dei infinito offerebantur, cùm hunc ordinem, in quo de facto creatus est, magis voluit, qui prædestinatus est propter bona opera, quæ cum gratia facturus erat, poterat creari in altero ordine mundi, in quo propter mala opera damnatione dignus fuisset. Similiter, qui in hoc ordine præsenti damnandus est propter mala opera, in altero ordine creari poterat, in quo dignus vita æterna fuisset. Quod ergo iste sit in hoc ordine, in quo salvatur, & damnatur, in quo ille, voluntas est divina propter occulta judicia, & hominibus incognita, juxta illud Exodi 33. quod citat Apostolus ad Rom. 9. *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Porrò, posita Dei prædestinatione, & reprobatione fundata in præscientia futurorum operum in omnibus adultis gratia sufficienti donatis ex merito Christi post Adæ lapsum, Deus in executione sui decreti non aliter se gerit, ac si communi providentia contentus nihil præscivisset, nullumque prædestinasset, aut reprobasset. Nihilque influit in prædestinatos in hac vita, ipsa eorum ad gloriam prædestinatio, sicut nec reprobatio à gloria æterna in reprobos: nam sicut Prædestinatio est extra Prædestinatos: ita & reprobatio extra reprobos. Tantumque in illis sunt gratia, & tentatio, quæ illis nullam necessitatem injiciunt, licèt invitent, illiciant, impellantque liberè sequi volentes, aut nolentes: tantumque Deus scit, quicquid finaliter hominibus obtingere debet, ac si esset Propheta, qui propter prævisionem rerum certissimam, nulli imponit necessitatem, cùm res non ideo futuræ sint, quia illas prævidet, sed ideo illas prævidet, quia tali modo futuræ sint, & si aliter futuræ fuissent, aliter eas futuras prævidisset, aliterque statuisset ab æterno. Sed ista variis Theologorum ratiociniis, & contradictionibus agitabuntur, quamdiu erunt, qui scientiam in Deo mediam, & conditionatam sub diversis hypothesibus, in quibus mundus creari poterat, aversabuntur, ut non intelligant: quamdiu erunt, qui confundent finem hominis cum fine ipsius Dei, ac ideo concipient Deum prius voluisse beatitudinem hominis, quàm suam gloriam: quamdiu denique non deerunt, qui voluntatem divinam quasi cæco modo sine præscientia res decernere imaginabuntur; quod de homine sapiente nollent admittere; hi enim sunt præcipui fontes, ex quibus error plurimorum profluxit, ac profluere non cessat circa prædestinationem, & reprobationem hominum.

Cur errent Prædestiniani.

Admiratio in Prædestinatione.

Itaque, posita illa multitudine diversorum ordinum ob oculos Dei obversantium, & quod ex hypothesi istum ordinem, in quo sic omnia disposita sunt, præferret aliis, sic possumus omnia referre in voluntatem Dei hunc præeligentis, ut nihilominus restet plurimum locus admirationi, stupori, & exclamationi Apostolicæ, *O altitudo divitiarum!* super prædestinatione, ac reprobatione hominum. Primò enim, cur ex infinitis rerum ordinibus possibilibus, hunc voluit, in quo ille salvatur, iste damnatur, licet cum stupore vocem emittere? *O altitudo di-*

divitiarum? Cur hunc ordinem elegit, in quo prævidebatur Lucifer casurus, Michael in fidelitate permansurus, Adam in tentatione vincendus, Job in tentatione victurus? *O altitudo!* Cur hunc ordinem elegit, in quo ille ad mille gradus gloriæ, ille tantum ad centum perventurus spectatur ab æterno, cum mutatis quibusdam circumstantiis res longè aliter accidisset? *O altitudo!* Cur istum ordinem, in quo ille, curantibus parentibus, non baptizatur, ille, invitis parentibus, baptizatur? *O altitudo!* Cur istum ordinem elegit, in quo unus, dum est in statu gratiæ, statim rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus: alter diu vivere permittitur, donec tentationi succumbat, & in malo statu intereat? *O altitudo!* Cur istum ordinem, in quo pauci salvantur præ multitudine damnatorum, cum alium posset decernere, in quo vix aliqui, aut nullus periret? *O altitudo!* Cur istum, in quo hæ, & illæ nationes illuminantur luce Euangelii, aliæ obcęcantur, obtenebrantur, variisque errorum præstigiis deluduntur? *O altitudo!* Hæc enim, & plura alia coegerunt Apostolum, dum ea in suo radicali principio contemplatur, altitudinem divinę sapientię, & occulta judicia demirari, licèt nihilominus voluntas divina causa sit omnium, dum illum ordinem rerum currentium per sæcula ab ęterno decrevit, & rursum voluntas humana Dei auxilio sufficienter præmunita, in his omnibus sic intermixta est, ut in ejus libertate indifferentia sita sit sors ejus æterna. Sic in ista opinione dura ferè omnia mollescunt, majores difficultates explanantur, libertasque hominis, gratia sufficiens, discretio prædestinatorum à reprobis, voluntas divina omnium causa, & altitudo arcanorum Dei judiciorum mirificè consentiunt, ut ex hinc probabilitas illius inferri possit dicente Aristotele 1. Ethic. 8. *Verum vero consonat, à falso autem cito dissonat ipsum verum.* In altera verò opinione Prædestinianorum, omnia ferè dissonant, ut ad concordanda illa inter se, errores innumeri admittantur ab ejus patronis, seu circa libertatem hominis, seu circa mortem Christi pro omnibus, seu circa possibilitatem mandatorum divinorum, seu circa communem gratiam pro omnibus, seu circa peccata, & eorum pœnas, seu etiam alia, in quibus refellendis, & ex suo agro avellendis, jam per plura sęcula militat, & desudat Ecclesia ipsa, quæ novos subindè patitur Theologos, sub velo D. Augustini non sanè intellecti, dogmata renovantes antiquorum illorum Prędestinianorum; quorum placitis quantum mentes humanæ inclinatę sunt, ac propensę, patere potest ex antiquorum gentilium errore in admittenda fatali quadam necessitate circa rerum humanarum eventus: nec non etiam Orientalium fere omnium, quos similis error Mahumeti ad se facillimè attraxit, ut sub quocumque tegumento proponatur, progressus ingentes habiturus sit, nisi constanter impugnetur.

[margin: ...stiam ...pomæ.]

Sed ut ad ejus impugnationem utilis esse possit præsens synodus, sic narrat Prędestinianorum hæreticorum historiam Cornelius Jansenius Episcopus ejus renovator in suo Augustino lib. 8. de hęresi Pelagiana cap. 25. Ut suspicionem meam, inquit, liberè dicam, & lectoribus dijudicandam afferam, *Existimo equidem nunquam in rerum natura fuisse hæresim Prædestinianam, vel hæreticos Prædestinianos:* sed è contrario doctrinam catholicam, quam sanctus Augustinus, & Prosper docuerunt sub nomine istius hæresis calumniosè à Massiliensibus traductam esse. Itaque heretici illi Prędestiniani non fuerunt alii, quàm S. Augustinus, Prosper, Hilarius, & quotquot eorum doctrinam sequebantur, quos eo nomine indigitarunt Semipelagiani, atque inter hereticos, nominibus eorum non expressis, collocarunt, quibus credula posteritas, quosdam tamquam hereticos Prędestinianos aversata est. Argumenta existimationis istius non contemnenda sese offerunt. Primum quod jam dixi, quia nullum heręseos istius indicium extat apud August. cum tamen mox sub initium heręseos Pelagianę anno videlicet 415. ut Sigebertus ait, quo necdum heresis Pelagiana prescripta fuerat, memoretur. Hęc, & alia Jansenius, quę ferè exscripsit ex homine Calvinista, tacito hujus nomine, Usserio Armachano Archiepiscopo Dublinista in Hybernia eo in libro, quem Dublini edidit cum hoc titulo 1639. *Britannicarum Ecclesiarum antiquitates, quibus inserta est pestiferæ adversus Dei gratiam à Pelagio Britanno in Ecclesiam inductæ hæreseos historia.* At quomodo sententię Prędestinianorum potuerunt esse Prosperi, cum eas in pluribus libris impugnet, indiculum earum vocet diabolicum? Quod scripsit ad capitula Gallorum, & objectiones Vincentianas hanc conjecturam Jansenianam mendacissimam æquè, ac levissimam omni attento lectori comprobabit.

[margin: enii de ate iæ.]

[margin: Sensus D. Prosperi.]

Quicquid verò afferunt Jansenius, & alii ad elevandam fidem hujus historię, petitum est ex levibus conjecturis, aut ex meris negantibus, ex quibus nihil solidè probari potest contra probatos authores omnium ferè seculorum, quę ab hoc tempore fluxerunt. Quam leve enim istud est, quod nullus extet tractatus D. Augustini contra illam heresim, quę nascebatur, cum ipse ad mortem declinaret? quid si etiam aliquem tractatum scripserit, qui adhuc in aliquo angulo alicujus Bibliothecæ lateat cum tinea, ac blattis dimicans? nam quotidiè adhuc novi partus nunquam antea visi ex D. Augustini operibus in lucem emittuntur: ut videre est in illo supplemento, quod anno 1654. opera Hieronymi Vignier Presbyteri Oratorii Parisiis prodiit cum multis tractatibus D. Augustini hactenus ineditis.

Sed ad melius perspiciendam mentem D. Augustini juvabit examinare, quibus verbis loquatur de Prædestinatione in lib. de Prædest. Sanct. sic enim habet cap. 10. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine Prædestinatione præscientia.* Et lib. de dono perseverantiæ cap. 14. *Hæc prędestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Quæ quæso est ista pręscientia, quam D. Augustinus ita alligat prædestinationi, nisi operum, ac meritorum primo quidem Christi Domini, deinde ipsorum electorum?

[margin: Sensus D. Augustini circa præ. destinationem.]

Juvabit quoque perpendere D. Augustinum, cum multoties asserit divinam gratiam indeclinabiliter, insuperabiliter, aut invictissimè agere hominem, ut Deo salvum facere volenti nullum resistat liberum hominis arbitrium, ut loquitur in lib. de corrept. & gratia cap. 12. sermonem illi esse de Prædestinatis, ut cap. sequenti semetipsum explicat, & hæc asserere habito respectu ad finem hujus vitę: ita ut finaliter, insuperati, & invicti remaneant, licèt interim durante hac vita pluries gratiæ reluctentur, & cadant aliquando, ut in eodem cap. 12. indicat his verbis. *Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut, quamvis quamdiu hîc vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla surrepant, propter quæ dicunt quotidie, dimitte nobis debita nostra, non tamen ultra serviant peccato, quod est ad mortem... ego autem dico illud esse peccatum, fidem, quæ per dilectionem operatur, non deserere usque ad mortem.* Potest autem gratia sufficiens subsistere cum hac gratia, quæ finaliter invicta remanet; ita ut providente Deo variis modis salutem Prędestinatorum, felici obitu discedant ex hac vita, licet pluries antea gratiæ restiterint, & peccaverint contra eam: sicut fieri potest, ut exercitus, qui sępe fusus est, in fine, & in ultimo conflictu, victoriam, & triumphum obtineat. Sed dum aliqui studio partium occupati legunt præproperè D. Augustinum, inveniunt sępè, quę illis fucum faciunt. Quod idem putamus de pluribus, qui se pal-

pallio D. Thomæ obtegunt, quasi solis ipsis datum esset, ut arbitrantur, mentem tanti Doctoris assequi. Qua de re periculum faciamus aliquod, maximè ubi tractat de voluntate divina 1. p. qu. 19. art. 8. ubi resolvit voluntatem Dei esse causam efficacissimam, quæ quibusdam rebus necessitatem essendi imponit, quibus aptat causas necessarias, alias res vult esse contingentes, quibus aptavit causas contingentes defectibiles, quibus effectus contingenter eveniant. Porro ibi sanctus Doctor non excludit causas medias ab ipsa intentione voluntatis divinæ. Si distinctio contingentium à necessariis referatur solum (nota istud solum) in causas secundas, sequitur hoc esse pręter intentionem, & voluntatem divinam. Ait. Ergo non erit pręter intentionem divinam, si non solum in causas secundas, puta bona, vel mala opera, referatur, sed in ipsam voluntatem divinam primario, & radicaliter: Quæ cum sit efficacissima, non solùm sequitur, quod fiant ea, quę Deus vult fieri, sed & quod ea fiant eo modo, quo ea vult fieri. Vult autem Deus quædam fieri contingenter, quędam necessario, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Siste hìc gradum: nunquid etiam vult, & intendit aliquos salvos fieri per bona opera ex principio gratiæ liberè elicita, alios damnari per, & propter mala opera; an non hoc est de mente D. Thomę? Quid separas ex infirmitate mentis tuæ, quæ in voluntate divina conjuncta sunt ab æterno? quid distinguis executionem ab intentione, cum sanctus Doctor intentionem expressè asserat? quis ergo non intelligat ipsum non adhæsisse prędestinianis hæreticis, nec in antecedente, nec in consequentiis. Videbor forsan alicui extra chorum saltare, ut dicunt. Sed novi, quantam plagam inferunt Ecclesiæ plures, qui se dicunt esse Thomistas, & non sunt. Hæc in principio hæresis monenda censuimus.

Faustus Rhegiensis defenditur. Nec quemquam morari debet Faustus aliquando Semipelagianus, quod Lucidum aberrantem ad orbitam reduxerit, cum sint horę diei duodecim, & quod homo, qui in una peccavit, aliquando in altera emendat, sitque in una tenebrio, ac lucifuga, sit verò in altera lucidus, ac lux in Domino, ut propterea sancto fine obierit, ac sanctorum catalogo adscriptus, ut divos vocetur ab Ecclesia Rhegiensi, cujus antistes extitit. Unde & ejus sanctitatis assertores sunt plurimi, nominatim Baronius in appendice tom. 10. nec non Andreas Sausajus nunc Episcopus Tullensis in Martyrologio Gallico. Quamvis Joannes Driedo Doctor Lodaniensis in suo opere certè eruditissimo de *Captivitate, ac redemptione generis humani*, libros Fausti de gratia Orthodoxos esse censeat: ac contra errores Lucidi conscriptos, de quibus infra agetur. Quod hìc obiter annotare voluimus propter furentes nostri temporis contentiones, quę usque ad bellum Gigantæum pervenerunt ad exturbandos è cœlo divos, ex hac parte Faustum, ex altera Prudentium Tricassinæ urbis Episcopum; Hæreticis spectaculum jucundum, ac dęmonibus, non ita forsan Angelis, ac piis hominibus.

De D. Paulo dicendum esset cum aliis, nisi jam in Apparatu p. 1. præoccupavissemus, ubi de verbo Dei scripto super Epist. ad Romanos, & ad Ephesios.

CONCILIUM

Apud CABILONEM,

Pro electione Episcopi, celebratum sub sancto Patiente Archiepiscopo Lugdunensi, circa annum 500. & tempore Simplicii Papæ, & Clodovei I.

APollinaris Sidonius lib. 4. Epist. 25. ad Domnullum, hoc Provinciæ Lugdunensis Concilium ab oblivione vindicavit. Nequeo differre, inquit, quin grandis communione te gaudii festivus impertiar, nimirum nosse cupientem, quod pater noster in Christo pariter, & Pontifex Patiens, Cabilonum profectus more Religionis, more sue constantię fecerit. Cum venisset in oppidum suprascriptum, Provincialium Sacerdotum pręvio partim, partim comitante collegio, scilicet ut municipio, summus aliquis Antistes ordinaretur, cujus Ecclesia disciplina nutabat. Postquam junior Episcopus Paulus decesserat, decesseratque; exceperunt Pontificale Concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non & illa, quę bonum publicum semper evertunt, studia privata; quę quidem triumviratus accenderat competitorum: quorum hìc antiquam natalium prętogativam reliqua destitutus morum dote ructabat: hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus ingerebatur: hic apice votivo si potiretur, tacita pactione promiserat, Ecclesiastica plausioribus suis prædia fore. Quod ubi viderunt sanctus Patiens, & sanctus Euphronius, qui rigorem, firmitatemque sententiæ sanioris, pręter odium, gratiamque primi tenebant; consilio cum Coepiscopis priùs clam communicato, quàm palam prodito, strepituque despectu turbę furentis, jactis repente manibus arreptum, nihilque, tùm minus, quàm quę agebantur, optantem, suspicantemque, sanctum Joannem virum honestate, humanitate, mansuetudine, insignem, &c. dissonas inter partium voces, quæ differebant laudare non ambientem, sed nec audebant culpare laudabilem, stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam sibi consecravere.

ADDITIO AD

CONCILIUM EPAUNENSE,

Celebratum anno 509. tempore Symmachi Papæ, & Clodovei Regis.

OMisit Canones hujus Concilii Coriolanus, ut qui nihil novi habeant, quod non sit in Decretis pręcedentium synodorum, hos tamen exhibent alii Conciliorum collectores, eosque numero quadraginta, sed silentio prætereunt indictionem ejusdem Concilii, quam hìc addimus repertam inter Epistolas Alcimi Aviti.

Avitus Viennensis Episcopus Quintiano Episcopo.

DIu est, quod rem valdè necessariam, & non sine divina inspiratione à Patribus institutam, aut oblivione, aut occupatione deseruimus; sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint à præceptore. Conventus ergo, quos bis per annum à Sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si benè perpenditis, utinam vel singula per biennia faceremus! Nam & venerabilis Papæ nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt. Unde supplicat per me, si dignamini, Ecclesia Viennensis, poscit intermissę consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit excitari. Justum est, quod reor, ut constitutis prioribus sub communis pręsentię opportunitate tractatibus, nostris simul, nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel si necesse est, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium in Parochia Epaunensi adesse dignemini. Qui locus, omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est: sicut & tempus, in quantum potest, ab instantia ruralis operis

operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum. Quamquam Ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret Actiones, Supplicamus ergo, & quæsumus, testamur, & obtestamur, ne quem à dispositione tàm sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem à tali charitatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat. Sed si forte, quod Deus avertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo, duos Presbyteros magnæ, ac probabilis vitæ mandati instructione firmatos fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minus scientia, quàm reverentia jure faciat interesse. Cum quibus delectet Summos Pontifices ferre sermonem, quos ad definitiones pro Episcopo suo sanciendas, subscribendasque, cum fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi. Sed istud non extorqueat, nisi summa necessitas. Cæterum dilectionis fraternæ, ac pastoralis diligentię magnitudo, nisi laboris magnitudine, non probatur. Conjicit enim, Sanctitas vestra, post hoc longum abusionis nostræ silentium, qualiter aut definiri debeant, quæ Deo præstante tractanda sunt, aut quæ definita fuerint, universi Ecclesiarum Provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

Nota. Observat P. Sirmundus, cujus cura, & studio epistola, & cætera opera Alcimi Aviti prodierunt Anno 1643. falsam videri Epistolæ inscriptionem. Cùm enim ad Provinciæ Viennensis Episcopos scripta sit, ut ad Concilium Epaunense veniant, quis locus foret Episcopo Arvernorum, qui non modò extra Viennensem Provinciam erat, sed extra quoque ditionem Burgundionum? Nam ut Agatense Concilium eorum tantum fuit, qui Vvisigothorum Imperio parebant, & Aurelianense primum eorum dumtaxat, qui sub Francorum erant potestate; sic ad Epaunense ii tantùm convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deesse hoc loco Epistolam ad Quintianum, cujus sola restat inscriptio. Hujus verò, quam ad Episcopos Provinciæ scriptam diximus, inscriptionem desiderari. Hæc Sirmundus in Notis ad Avitum ad epist. 80.

CONCILIUM LUGDUNENSE,

Anno Christi 517. Hoc Concilium fuit celebratum in Gallia circa annum Christi 517. Hormisdæ Papæ II. Childeberti Regis Francorum VI. contra Stephanum, qui oblitus divinas, & humanas leges, cognatę suæ, ausu nefario, se sociavit, tempore Sigismundi Regis Burgundionum, & Vinentioli Episcopi Lugdunensis.

HUjus Synodi sunt 6. Canones. I. de incesti crimine, & causa Stephani. 2. ut Episcopo uno in tribulatione posito, cæteri compatiantur. 3. ut si Rex ab Ecclesia, vel Sacerdotum communione ultro se suspenderit, sancti Antistites, absque ulla dilatione, se recipiant in Monasteriis, nec ullus egrediatur, priusquam cunctis generaliter fratribus fuerit pax promissa, vel reddita. 4. ut nullus alienam parochiam usurpet, aut ejus ordinationem præsumat. 5. ut nullus in locum viventis Episcopi audeat aspirare. 6. ut observentur hi Canones, & Stephanus admittatur ad loca sancta, usque ad orationem plebis, quæ post Euangelia legitur, mitius cum eo agentes. *Ex codice S. Mariæ Rhemensis.*

CONCILIUM ARVERNENSE,

Pro restituendis Parochiis Episcopo Rutenorum, tempore Hormisdæ Papę, & Childeberti Regis celebratum, circiter Anno Domini 520. sub Sulpitio Archiepiscopo Bituricensi.

DE hoc Concilio Gregorius Turonensis l. 6. Hist. Francorum, num. 38. Theodosius Rutenorum

A Episcopus, qui Sancto Dalmatio successerat, diem obiit, in qua Ecclesia in tantum pro Episcopatu intentiones, & scandala orta convaluerunt, ut penè sacris Ministeriorum vasis, & omni facultate meliori nudaretur. Verumtamen Transobadus * Presbyter rejicitur, & Innocentius Gabalitanorum Comes eligitur ad Episcopatum, opitulante Brunichilide Regina. Sed adsumpto Episcopatu, confestim Ursicinum Cadurcinæ urbis Episcopum lacessere cœpit; dicens, quia Diœceses Rutenæ Ecclesię debitas retineret. Unde factum est, ut, diuturna contentione gliscente, post aliquot annos conjunctus sit Metropolit. cum suis Provincialibus apud urbem Arvernam residens, & judicium emanaret: scil. ut Parochias, quas numquam Rutena Ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet, quod B ita factum est.

* Alias. Trusibaldus.

Et num. 39. loquens de Sulpitio electo in Episcopum Bituricensem, ait: Hic Sinodum illam, cujus supra meminimus, pro Parochiis Cadurcinis fieri commonuit.

CONCILIUM TULLENSE,

Celebratum in Gallia, anno Christi 550. Vigilii Papæ II. Childeberti Regis Francorum 39.

THeobaldi Regis jussu, Kalendis Juniis, in Tullensium urbe habetur propter molestias, quas Nicetius Episcopus Trevirensis, ab excommunicatis C quibusdam patiebatur. Hic enim excommunicaverat, ob incestas nuptias, Francos aliquos, quod illi cùm ægrius ferrent, & contumeliosius agerent in Episcopum, indicta est Theobaldi Regis jussu prędicta Synodus. *Ex codice Rhemensi.*

CONCILIUM ARELATENSE,

Celebratum in Gallia, anno Christi 554. Pelagii Papæ I. Childeberti Regis Francorum 43. sub Sapaudo Episcopo, die 3. Kalendas Julias.

HUjus Synodi sunt 7. Canones. 1. ut oblatæ ab Episcopis Provinciæ ad formam Arelatensis Ecclesiæ offerantur. 2. ut Monasteria ei subsint Episcopo, in cujus territorio sita sunt. 3. quod Abbati longius à Monasterio sine Episcopi permissione vagari non liceat. 4. ne Presbyter Diaconum, vel Subdiaconum, deponere præsumat. 5. ut Monasteria sub cura sint Episcoporum, & Abbatissis nihil liceat contra regulam. 6. ut Clericis facultates, quas ab Episcopo in usum accipiunt, deteriorare non liceat. 7. ut Episcopus alienum Clericum sine Episcopi sui epistola non ordinet. *Ex codice Ecclesiæ Lugdunensis.*

CONCILIUM LUGDUNENSE,

Pro puniendis duobus Episcopis, tempore Joannis Papæ, & Childeberti Regis Francorum, anno Dom. 571. præside Sancto Nicetio.

DE hoc Concilio agit Gregorius Turonensis lib. 5. Historiæ Francorum, num. 21. Igitur, inquit, contra Salonium, Sagittariumque Episcopos tumultus exoritur. Hi enim à sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, Diaconatus officium sunt sortiti. Hujusque tempore Salonius Ebredunensis urbis, Sagittariusque Vapigensis Ecclesiæ Sacerdotes statuuntur. Sed assumpto Episcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus insano furore grassari: ita ut quodam tempore celebrante Victore

ctore Tricastinorum Episcopo solemnitatem natalitii sui emissa cohorte, cum gladiis, & sagittis irruerent super eum. Venientesque sciderunt vestimenta ejus, Ministros cæciderunt, vasa, & omnem apparatum prandii auferentes, relinquentes Episcopum in grandi contumelia. Quod cùm Rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit, conjunctique Episcopi cum Patriarcha Beato Nicetio, discussis causis, invenerunt eos de his sceleribus, quibus accusabantur, valdè convictos: præceperuntque, ut qui talia commiserant, Episcopatus honore privarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injustè remotos: sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis esse dimotos. Ille verò epistolas ad regem dirigit, in quibus locis suis eos restitui jubet. Quod Rex sine mora castigatis prius illis verbis multis, implevit. Sed nulla (quod pejus est) fuit emendatio subsequuta. Quod pergit Gregorius Turonensis describere, ita ut coactus fuerit Rex ipsos in Monasterium detrudere agendæ pœnitentiæ causa, ex quo ejus benignitate laxati, cùm per paucos dies laudabiliter vixissent, non diu, inquit, hæc eorum sanctitas illibata remansit; sed conversi sunt retrorsum, &c. Unde anno 4. Childeberti, qui fuit annus 18. Guntheramni Regis apud Cavillonum civitatem synodus acta est ex jussu Guntheramni Regis, discussisq; diversis causis, &c. ab Episcopatu dejecti in Basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt.

Appellatio ad summū Pontificem.

De eodem Concilio testimonium habemus Aimoini Monachi Floriacensis l. 3. Hist. Francorum cap. 28. ubi eadem narrat cum Gregorio Turonensi.

CONTROVERSIA,

HOs Episcopos Sagittarium, & Salonium asserit Pasquierius lib. 3. Disquisitionum Gallicarum, Privilegiis, & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanę valde nocuisse. Anteà siquidem causæ omnes Ecclesiasticę in Concilio Provinciali finiebantur, absque appellatione ad Summum Pontificem, qui Conciliorum decreta corrigeret, aut absolveret eos, qui in iisdem tanquam rei condemnati fuissent. Unde antequam suos Reges haberet Gallia, Romano Imperio adhuc subdita, cùm Maximus Episcopus de hæresi Manichæorum suspectus in Concilio ea de causa congregando se sistere deberet, Bonifaciumque Primum Summum Pontificem adiisset, noluit Pontifex de hujus causa cognoscere, sed missis epistolis ad Episcopos Galliæ, eosdem rogavit, ut tantisper differrent, antequam ille cogeretur in eorum Concilio ab iis dijudicandus comparere. Similiter cùm Britius suffectus in locum Divi Martini Turonensis, & à populo absque juris forma expulsus sub prætextu adulterii, de quo accusabatur, Romam se contulisset, noluit tamen Summus pontifex pro illo sententiam ferre, sed permansit Romæ Britius per septem annos, quoadusque defunctus fuisset Antonius, qui sedem Turonensem occupabat, mitioresque in eum facti fuissent, qui maximè ei antea adversabantur, tunc enim Turonum rediens absque alia juris forma restitutus fuit, sicut antea spoliatus fuerat. Adde, si velis, quæ habet Bertinianus in Annalibus Francorum, anno 862. de Rothaldo Suessionum Episcopo, qui cùm ex Concilio Pistensi ad Papam provocasset, malè propterea audivit, vocaturque *Novus Pharao propter cordis sui duritiam*.

Verùm si primi non fuerunt Sagittarius, & Salonius, qui ad judicium Summi Pontificis provocaverint, quid præjudicii libertatibus Galliæ inferre potuerunt? Qui enim utitur jure suo, erga nullum est injustus. Jus autem est Episcoporum, ut varias ob causas ad summum Pontificem confugiant, qua de re Capitularium l. 7. cap. 124. *Placuit, ut quandocumque accusatus Episcopus est, & Comprovinciales suos vicinos suspectos habuerit, sanctę, & universalis Romanæ Ecclesiæ appellet Pontificem*, ut, ab eo qui quid justum, & Deo placitum fuerit, terminetur. Et cap. 323. *Judicatus Episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit, appellet*; Ex Concilio Sardicensi, tit. *Quod si appellaverit, in Cathedra ipsius aliter non ordinetur*. Quod decretum sæpius repetitur in iisdem Capitularibus.

CONCILIUM SANTONENSE,

Ad reconciliandum Nantinum Comitem excommunicatum anno Dom. 579. tempore Pelagii II. & Chilperici Regis.

NArrat Gregorius Turonensis, lib. Hist. cap. 27. Quod is Nantinus, ut Magnacharii avunculi sui, quondam Comitis, postea Episcopi Engolismensis veneno extincti necem ulcisceretur, inter alia atrocia, & contumeliosa, quæ gesserat, etiam Presbytero, ut confessionem ab eo ederet, tormentis vitam eripuerat, atque hac de causa ab Heraclio, qui Magnachario in Episcopatu, post Frontonium, unius anni Pontificem successerat, ab Ecclesiæ foribus fuit prohibitus, qui tamen facti pœnitens, pacem deprecabatur, res omnes Ecclesiæ sine ratione ablatas restituturum se promittens, ac se Sacerdoti humilem exhibiturum, in gratiam receptus est.

CONCIL. APUD SAURIACUM VILLAM.

In causa Episcopi Suessionensis anno Dom. 587.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia, anno Christi 589. sub eodem Papa, & Regibus in causa Droctigisili Episcopi Suessionensis, quo jussum est, ut ipsi liceret ingredi suam urbem, ab ipsa exulanti, propter adventitium aliquem dementiæ morbum, ex maleficio, vel nimia potatione, ut refert Gregorius Turonensis lib. 9. hist. cap. 37.

CONCILIUM

In confinio trium Civitatum, Clarimontis, Gabali, & Rutenæ pro cogenda Tetradia ad restituenda ablata Eulalio Comiti tempore Gregorii magni, & Clotarii II. anno 590.

GRegorius Turonensis lib. 1. Historiæ Francorum num. 8. In Confinio, inquit, termini Arverni, Gabalitani, atque Ruteni, Synodus Episcoporum facta est contra Tetradiam relictam quondam Desiderii, eo quod repeteret ab ea Eulalius Comes res, quas ab eo fugiens secum tulisset. Erat scilicet Tetradia uxor Eulalii Comitis, qui, cùm in domo sua ancillarum concubitu misceretur, eam negligere cœpit, gravissimis plagis eamdem sæpius adficere, cùm à scorto reverteretur, cumque pro multis sceleribus debita nonnulla contraxisset, ornamenta uxoris, aurumque evertebat. Eulalio autem curiam Regis adeunte, omnem ejus substantiam tàm in auro, quàm in argento, & vestimentis, quæ moveri poterant, cum seniore filio secum sustulit, duci quoque Desiderio matrimonio se sociavit. Hac igitur de causa, conjunctis Sacerdotibus, inquit, Greg. Turon. & viris magnificis in confinio supradictarum urbium; Tetradia ab Agino repræsentatur, atque Eulalius contra eam causaturus accessit. Cumque res, quas de ejus, abiens ad Desiderium

derium, domo abstulerat, inquireret, judicatum est, Tetradia ut quadrupla satisfactione ablata restitueret, filiosque, quos de Desiderio conceperat, incertos haberi. Illud etiam ordinantes, ut si hęc, quę Eulalio est jussa, dissolveret, accedendi in Arvernum licentia pręberetur, rebusque suis, quæ ei ex paterna successione evenerant, absque calumnia frueretur. Quod ita & factum est.

Nota. Videntur Patres istius Concilii æmulari voluisse in condemnatione Tetradiæ ad restitutionem quadrupli, legem judicialem Judęorum, Exodi 22. *Si quis furatus fuerit ovem, & bovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove*. Sed & lex de restitutione quadrupli apud alias Gentes usitata fuit, sicut annotat vir doctissimus Joannes *de la Haye*, in commentariis suis literalibus, & conceptualibus in Exodum, in expositione vers. 1. dicti capitis, ut scilicet metu pœnæ furta impedirentur. Unde cum pręcedentibus temporibus malitia Judęorum incresceret, pœna furti aucta fuit à Regibus, ita ut cogerentur septuplum rei furto ablatæ restituere. Quod colligitur ex Proverb. 6. cap. *Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suę tradet*. Judęi siquidem, ait Carthusianus ad hunc locum, erant avari, & ideo pœna furti, Exodi 22. aucta fuit à regibus.

CONCILIUM, SIVE POTIUS Conciliabulum Cabilonense,

Celebratum in Gallia anno Christi 603. Gregorii Magni Papæ XIV, Clotarii II. 19. Theodorici Regis VIII.

IN quo S. Desiderius Episcopus Viennensis, Brunechilde Regina instigante, quod impios ejus mores liberius argueret, ab Episcopatu dejicitur, & prosequentibus Aridio Lugdunensi Episcopo, Conciliabuli præside, cum Brunechilda, subrogatus est loco ejus Domnolus, eorumdemque consilio, Theodoricus anno regni sui 12. S. Episcopum de exilio egressum lapidari pręcepit: Sic testatur *Fredegarius in appendice ad Gregorium Turonensem*.

CONCILIUM AURELIANENSE,

Contra hæreticum quemdam Asiaticum tempore Vitaliani Papæ, & Dagoberti Regis, circa annum 655.

SUrius in vita sancti Eligii cap. 35. à beato Audoeno Rothomagensi Episcopo duobus libris conscripta, post narrationem martyrii Martini Papæ, sic habet.

Per idem ferè tempus, quo apud urbem Romam hæc gesta sunt, quidam hæreticus pulsus à partibus transmarinis in Gallias venit. Moxque se conferens ad civitatem, quæ olim Hedua, nunc Augustodunum vocatur, cœpit tàm cautè, quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cum in Palatio ad aures Eligii pervenisset, cœpit vigilanter (uti semper in ejusmodi rebus sollicitus erat) cum Audoeno, & cæteris viris catholicis tractare, quomodo hanc pestem palam omnibus manifestatam detegerent, nec destitit Episcopos commovere, & optimates, quousque jussu Principis Sacerdotale Concilium apud Aurelianensem urbem congregaretur. Ubi eo, quem diximus, hęretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diversis modis interpellare, sed nullo poterant genere concludere. Tanta quippe dicendi arte, objectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maximè putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorum se fronti opponeret. Cumque nullo genere à quoquam posset concludi, aut superari, extitit quidam ex no-

A stris pro Dei providentia doctissimus Episcopus, nomine Salvius, qui ita ei in omnibus obviavit, ut ingens ea causa nostris fieret gaudium, & expectatio. Omnes enim ejus versutias, & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palam funditus detexit. Sicque adversus eum omnium Episcoporum sententia prolata, & per singulas civitates super ejus nomine decretis constitutis, cum ea, qua par erat, ignominia, & dedecore, è finibus Gallię eliminatus est. *S. Salvius Ambian. Episc.*

De eodem Concilio fit mentio in vita sancti Audoeni in mense Augusto apud eumdem Surium, qui eam ex Fridegodo sancti Odonis Diacono stylo tantisper correcto exhibet. Ubi prędictus hæreticus vocatur impii dogmatis assertor, ac ex Asia pulsus, perfidus Apostata, cumque à beatis Eligio, ac Audoeno B convictus fuisset, ii tamen modestiæ causa ejus Victoriæ palmam beato Salvio Episcopo, & martyri concesserunt.

ANNOTATIO.

HÆreticum istud dogma Monothelitarum, qui unam dumtaxat in Christo voluntatem admittebant, itaut divina sola voluntas ageret, nihil humana voluntas, unde sequebatur Christum, ut hominem nihil meritum fuisse, aut non satisfecisse, voluisse in Galliam invehere, ex eo fit probabile, quod tunc temporis maximè vigeret in Oriente, unde profectus erat, hæc hęresis: nam & Martinus Papa, quod ei obniteretur maximè, ea de causa in exilium amanC datus fuerat, ac multa indigna passus Constantinopoli satagente Imperatore, ac Paulo Patriarcha Constantinopolitano eadem hęresi infectis. Laudandus autem zelus sanctorum Episcoporum Audoeni, & Eligii, qui diligenter malo exorienti sese opposuerunt, memores illius dicti Cantic. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit*. Quæ est vox sponsi pręcipientis sponsæ suæ, & filiabus Jerusalem, sanctis videlicet Doctoribus, vel animabus fidelibus, ut hæreticam pravitatem in ipso initio debellent, ne robusta facta validius Ecclesiam impugnet. Non ait, occidite, & extinguite, ait Ludovicus à Ponte lib. 5. in Cant. exhor. 33. §. 2. sed *capite*, prius enim sunt rationibus capiendi, ut in illis extinguatur hęresis, destruaturque astutia vulD pina, & adunentur Ecclesiæ. Quod si adhuc rebelli obsistant contumacia, separandi sunt ab Ecclesia censurarum gladio, &c. consulto autem dicit *capite nobis parvulas*, nam hęreses in suo exordio, dum adhuc parvulæ sunt, facilius capiuntur, & citius extinguuntur. At si grandescunt, & multiplicantur, pluresque sui similes filios generant, difficilè evelluntur. Cur verò per vulpes intelligantur hęretici, non una ratio est. Vulpes dolosum est animal, & fraudulentum, in specubus, & cavernis habitans, nec recto, sed tortuoso incedens itinere, ait Bruno Astensis in 2. caput Canticorum, ideoque designat hæreticos, & schismaticos. Vulpes semper tortuosis anfractibus currunt, & hęretici simulati, ficti, vafri. Vulpes animal callidum, ait E Delrio in 2. caput Canticorum. Quid hæreticis in libidinem projectius? ita fit, ut videas Bezam, cum tres successivè duxisset mulieres, primam ob opus, secundam ob opes, tertiam ob opem, ut dictitabat, cum senio infirmaretur, etiam ętate decrepita lascivire, & cubilibus vacare, ut non cum Satyris modo semper expeditos, sed & cum vulpe libidinis instrumenta illis ossea quis queat suspicari. Vulpes ubi minxerit, locum sterilem facit, hi verò ubi virus suum effuderint, virtutes omnes depereunt. Vulpes, ait divus Ambrosius in cap. 7. Lucæ, nunquam mansuescunt, sic hæretici semper feroces in Ecclesię filios, ac vix unquam corriguntur. *Hæretici vulpes.*

Con-

CONCILIUM NANNETENSE,

Celebratum in Gallia anno Christi 658. Vitaliani II. Papæ jussu, & ejusdem Pontificatus II. Clodovei II. Regis 15.

REfert Flodoardus lib. II. hist. cap. 7. B. Nivardus Episcopus Rhemensis cum ex communi consensu totius Concilii præsulum Galliæ Nannetis Romani Pontificis jussione exhibiti, Rege favente, restruxisset Ecclesiam Monasterii, super ripam Matronæ fluminis in loco nuncupato Villari dudum siti, sed à barbaris diruti, & ab eo constructa hæc funditus excidisset Ecclesia, in alio loco rursus ab ipso constructa, rursus traditur corruisse, sed posteà idem præsul succidi sylvam jubens in honore Sanctorum Apostolorum, ibi construxit Ecclesiam, & ubi resedisse columbam cœlo lapsam viderat, altare instituit, collectisque servis Dei, Monasterium ordinavit.

CONCILIUM AUGUSTODUNENSE,

Anno 670. tempore Adeodati Papæ II. Theodorici Regis IV. & sancti Leodegarii, Augustodunæ civitatis Episcopi.

HUjus Synodi ex antiquissima collectione Canonum è Bibliotheca Ecclesiæ Andegavensis producuntur Canones aliquot, qui omnes ad vitam Monasticam spectant, inscribunturque Canones Augustodunenses S. Leodegarii Episcopi. Hortantur ad omnia servanda regulæ S. Benedicti. Sic enim & numerus Monachorum augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.

CONCILIUM VERMERIENSE,

Celebratum in Gallia anno Christi 752. Stephani II. Papæ I. Pipini Regis I. & eodem præsente, apud Vermeriam Palatium.

In tom. 2. Conc. Galliæ P. Syrmond.

HUjus Synodi sunt Canones 21. qui omnes versantur circa matrimonium. 1. scilicet de conjugiis in tertio, & quarto gradu. 2. de eo, qui cum uxoris suæ filia carnale commercium habuit. 3. quod relictam Sacerdotis uxorem ducere non liceat. 4. de fœminis sponte, vel invite, vel sine virorum consensu velatis. 5. de eo, cui mortem uxor cum aliis machinata est. 6. de ingenuo, qui ancillam duxit pro ingenua, & de ingenua, quæ servo nupsit pro ingenuo. 7. de servo, qui ancillam suam concubinam habuit, &, illa relicta, Domini ancillam vult ducere. 8. Servus à Domino libertate donatus, si posteà cum ejus ancilla mœchatur, cogi potest, ut uxorem illam habeat. 9. de muliere, quæ virum suum in alio pago sequi non vult. 10. de filio, qui cum noverca mœchatus est. 11. de eo, qui cum privigna, vel cum uxoris sorore mœchatur. 12. de eo, qui cum duabus sororibus dormierit. 13. qui ancillam volens uxorem duxit, cum ea permaneat. 14. ut ab Episcopis vagis Presbyteri non ordinentur. 15. Presbyter degradatus potest in necessitate baptizare. 16. ne Clerici arma gerant. 17. de muliere, quæ viri impotentiam causatur. 18. de eo, qui cum uxoris suæ consobrina mœchatur. 19. de servo, & ancilla, si per venditionem separentur. 20. ut Chartularius, qui cum ancilla fornicatur, eam libertate donatam, uxorem habere cogatur. 21. qui uxorem velari permisit, aliam ne ducat.

CONCILIUM GALLICUM,

Habitum tempore Stephani Papæ III. & Pipini Regis Francorum, Anno 755. pro reformanda disciplina.

HOc Concilium nobis suppeditavit, quisquis ille est, qui in fronte Capitularium Caroli magni, &c. congessit testimonia aliquot Francorum, quæ extant in editione Parisiensi anno 1640.

PRÆFATIO.

HIc (inquit ille) quia meminimus, Benedictum Levitam in præfatione, &c. dicere, Pipini se quædam capitula inseruisse collectioni suæ, visum est non incongruum, & alia quædam ejusdem Pipini adjicere, quæ in antiquissimo codice post Synodum Svessionensem sub Childerico Rege ante Vernensem, anno 755. à nobis reperta sunt, sæculi quidem infelicitatem redolentia, necdum tamen quod sciamus edita. Sic igitur habuit exemplar.

Incipiunt capitula de alia Synodo sub ipso Domino Rege Pipino facta.

1. SI homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina sua spirituali de fonte, & confirmatione Episcopi, aut cum matre, & filia, & duabus sororibus, aut cum fratris filia, aut sororis filia, aut nepte, aut cum consobrina, atque sobrina, aut cum amita, aut matertera, de istis capitulis pecuniam suam perdat, si habet: & si emendare se noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum ei donet; & si hoc fecerit 60. sol. Domino Regi componat, usque dum se ipse homo correxerit. Et si pecuniam non habet, si liber est, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem: Si servus, aut libertus est, vapuletur plagis multis. Et si Dominus suus permiserit eum in tale scelus cadere, ipsos 60. solidos Domino Regi componat.

2. De Ecclesiasticis verò si bona persona fuerit, perdat honorem suum: minores verò vapulentur, aut in carcere recludantur.

3. De Presbyteris, & Clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat, unà cum comite: & si quis contempserit, Comes eum distringere faciat, ut ipse Presbyter, aut defensor suus 9. solidos componat, & ad Synodum eat, & Episcopus ipsum Presbyterum juxta Canonicam auctoritatem dijudicare faciat: solidi vero 60. de ipsa causa in sacello Regis veniant. Et si aliquis per violentiam Presbyterum, aut Clericum ut impetuosum contradixerit, tunc Comes personam per fidejussores positam ante Regem faciat, unà cum misso Episcopi venire, & Dominus Rex distringat, ut cæteri emendentur.

4. De Teloneis sic ordinamus, ut nullus de victualia, & carnalia, quod absque negotio est Teloneos, non prehendat: de summis verò similiter ubicumque vadunt, & de peregrinis similiter constituimus, qui propter Dominum ad Romam, vel alicubi vadunt, ut ipsi per nullam occasionem ad pontes, & ad exclusas, aut navigio non detineantur propter scripta sua: Nullus peregrino calumniam faciat, nec ullum Telonium ei tollat. Et si aliquis hoc comprobaverit, de 60. solidis 30. illi concedimus, & illi alii in sacello Regis veniunt.

5. De moneta constituimus, ut amplius non habeat in libra pensante, nisi 22. solidos, & de ipsis 22. solidis monetarius accipiat solidum unum, & aliud alius Domino, cujus sunt, reddat, ut immunitates conservatæ sint.

6. De justitia facienda. Ut omnes justitiam faciant

ciant tàm publici, quàm Ecclesiastici. Et si quis homo ad palatium venerit pro causa sua, & ante ad illum Comitem non innotuerit in malo ante Racemburgos hoc sustinere noluerit, quod ipsi ei legitimè judicaverint, si pro ipsis causis ad palatium venerit, vapuletur: & si major persona fuerit, Regis arbitrium erit. Et sic reclamaverit, quod legem ei non judicassent, tunc licentiam haberet ad palatium venire pro ipsa causa: & si ipsos convincere poterit, quod legem ei non judicassent, secundum legem contra ipsum emendare faciant. Et si Comes, & Racemburgi ei convincere potuerint, quod legem ei indicassent, & ipse hoc recipere noluerit, hoc contra ipsos emendare faciat.

7. Similiter de Ecclesiasticis, si ad palatium venerint de eorum causa sibi reclamare, nisi super seniore, vapulentur, nisi senior hujus pro sua causa transmiserit.

Ad hoc Concilium revocamus ea, quæ leguntur in libro de vita, & passione sancti Austremonii primi Arvernorum Pontificis, cap. 14. Inter Francorum reges unum diva sublimitás prælegit Pipinum cognomine, qui, sicut Titan suo jubare, laticomorumque vibratione, tetrum tegimen nebularum facessit, & detegit; ita suo auxilio, & labore nocuum destruxit, & proficuum, imo salutiferum cultum auxit. Qui venerandus Rex, nimiumque solers, & industrius Deo gratam jussit aggregari Synodum, in qua fuere præsules clarissimi, & Comites innumeri. Cum his ergo jam dictis Rex plurima, prout divina sublimitas concessit, de fide sanctæ Trinitatis contra Deo contrarios hæreticos disputavit, & incorrigibiles, quosque de suo regno cum suis complicibus exturbavit.

CONCILIUM NARBONENSE,

Tempore Adriani Papæ, & Caroli magni celebratum præside Desiderio, anno Domini 788. contra Felicem Urgelitanum.

FRagmentum hujus Concilii inseruit in suis Monumentis Linguæ Occitanæ, libro 5. in Danielis Archiepiscopi vita Guillielmus Catel Senator Tolosanus. In quo tantùm fit mentio quorumdam judiciorum de finibus parochiæ, seu diœcesis Narbonensis. Ac fini actus additur.

Quod si laica potestas ex hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi à temeraria præsumptione se citissimè subtraxerit satisfaciendo, quod deliquit, digna ultione totius anathematis fit undique, & ubique multatus, Domini Jesu Christi authoritate, & nostra vigente. Ut autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem obtineat roboris vigorem, manus nostræ subscriptione illud roborari voluimus in Christi nomine.

Daniel Dei miseratione Narbonensis Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus, hujus decreti institutionem subscripsi. Ego Elisantus primæ sedis Arelatensis Episcopus, confirmavi. Ego Desideratus Diensis Episcopus, subscripsi. Ego Salieus Arausiensis Episcopus, subscripsi. Ego Arruso Tolosanæ sedis Episcopus, confirmavi in Dei nomine. Donadeus Vvapacensis Episcopus, Ego Francolinus Conseranensis Episcopus, subscripsi. Ego Lupus Cavalionensis Episcopus, subscripsi. Ego Armudus Uceticensis Episcopus, subscripsi. Ego Hiscepio Carcassensis Episcopus, subscripsi. In Christi nomine Magnicus Episcopus Attensis, subscripsi. Vviterineus Nemausensis confirmavi. Felix Episcopus Urgelitanæ sedis, subscripsi. Ego Bonitus Vacentinæ sedis Episcopus, subscripsi. Ego Justus Agatensis Episcopus, subscripsi. Ego Adaulphus Termidensis Episcopus, subscripsi. In Christi nomine Vvenedarius Helnensis Episcopus, subscripsi. Ego Fervidei Barchinonensis Episcopus. Ego Aribertus

A Antipolitanæ sedis Episcopus, subscripsi. Ego Joannes Curelacensis Episcopus, subscripsi. Ego Joannes Madalonensis Episcopus. Ego Asmarius Urcanilienfis Episcopus. Abraham Commensæ sedis Episcopus. Ego Ragambaldus Diaconus Diaconensis vocatus Episcopus, subscripsi. Ego Amatus Carpentinensis Episcopus. Ego Ansebrandus Diaconus ad vicem Landeberti Eglinensium Episcopi, subscripsi. Ego Dominicus indignus Presbyter ad vicem Vvlfegurii sedis Biterrensis Episcopis, subscripsi. Ego Arrico Cancellarius, ac indignus Presbyter hoc decretum scripsi die, anno, quo supra.

Quia porro hoc Concilium Narbonense, maximè contra hæresim Felicianam habitum est, qua sub novis terminis Nestorianismus reviviscebat, pauca
B quædam hìc libet subjicere ad majorem lucem hìc afferendam. Ac primo Eginhardus de Gestis Caroli Magni, ad Annum 792. *Orgelis est civitas in Pyrenæi montis jugo sita, cujus Episcopus nomine Felix Natione Hispanus ab Elipando Toleti Episcopo, per literas consulius quid de humanitate Salvatoris Dei, & Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secūdum id, quod est, homo proprius, an adoptivus Dei Filius credendus esset, ac dicendus: valde incautè, ac inconsideratè, & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopū libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit.* Hujus rei causa ductus ad palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in qua
C & hyemaverat, residebat. Ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus: ubi etiam coram ipso in Basilica beati Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. Quo facto ad civitatem suam reversus est. Cæterum testatur Baronius ad Annum 794. Elipandum Toletanum Episcopum in errore obfirmatum numquam quievisse, donec reversum Felicem ad Orthodoxos, revocarit ad castra impietatis, & potentius armarit ad prælium, & exacuerit diligentius ad certamen. Unde & factum est, quod *Elipandus.* refert Jonas Aurelianensis lib. 1. adversus Claudium Episcopum Taurinensem, Felicem in Septimania, quæ aliàs dicitur Gothia, estque hodie Provincia Aluxitane tunc subdita Narbonensi Archiepiscopo, errorem suum seminasse: *Emersit*, inquit, *ex eadem Hispania, tempore sanctæ Memoriæ Caroli piissimi, atque*
D *invictissimi Augusti, quidam Felix nomine, actu infelix Urgelitanensis civitatis Episcopus, qui juncto suo scelerato errori Elipando Toletanæ urbis Episcopo, secundum humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum prædicare ausus est, & hac virulenta doctrina uterque Hispaniam magna ex parte infecit. Deinde Apostolorum Actus imitari volentes, cū ipsi non Apostoli essent, sed præcones essent hostis antiqui, unusquisque separatim diversas Provincias eadem insana sua doctrina imbuendas appetivere...... Porro idem Felix cum multis apud Septimaniam eundem haustum pestiferum propinarit.* Ex quibus conjici potest hoc Concilium Narbonæ habitum fuisse, ut occurreretur malo in Provincia grassanti. Huic autem interfuisse Felicem apparet ex subscriptionibus
E Episcoporum, inter quos reperitur, unde & ibidem palinodiam recantasse, sicut Romæ jam fecerat coram Summo Pontifice, verisimile est: neque enim si impœnitens perseverasset, passi fuissent Episcopi, ut ulli actui Synodali cum ipsis subscripsisset: Porro si idem judicium ferendum est de Felice, & Elipando, in hunc errorem ambo prolapsi sunt ex consuetudine cum Mahumetanis, ex quibus (inquit Baronius, ad Annum 794.) ita humiliter sentire de Christo, secundum humanitatem, infelix Elipandus existimatur, inducens fortasse in animum, si hoc evincere potuisset, conjungeret simul Mahumetæos, & Christianos in unam fidem. Quod annotatum voluimus, ut pacifici hujus temporis (ita enim sese nuncupant) quo *Conditio pacis cum hæreticis.* nomine insigniti sunt, alias quidam hæretici, qui conci-

ciliare volebant Eutychianos cum Catholicis cum aliquo fidei Catholicæ detrimento) caveant sibi in tam magno opere, ne quicquam detrahant de fidei Catholicæ articulis, ut ipse novus Nestorius. Hæretici enim, ut redeant ad Ecclesiam, legem debent ab ea accipere, non ipsi præscribere. Vide, quæ dicta sunt in classe præcedenti in Concilio Francofordiensi.

ADDITIO AD CONCIL. THEODONIS

Villæ; seu Tionvillæ, tempore Leonis III. & Caroli Magni, celebratum Anno Dom. 805.

HAnc additionem desumpsimus ex libro sexto Capitulorum Caroli Magni, cap. 225. cui Capiti hic appositus est titulus.

CAPITULARIUM DOMINICUM, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 806. ad Theodonis villam, & Anno Imperii Dom. Caroli VI.

1 UT Lectiones distinctè in Ecclesia legantur.
2 De cantu. Ut secundum ordinem, & morem Ecclesiæ Romanæ fiat cantus.

3 De Notariis. Ut unusquisque Episcopus, & Abbas, & singuli Comites suum Notarium habeant.

4 De cæteris disciplinis Ecclesiæ. Ut secundum Canones, vel Regulam fiant.

5 De Medicinali arte. Ut infantes hanc discere mittantur.

6 De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis, & luminariis, & de his, qui decimas assumunt, & de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur, & de Altaribus, ut non superflua sint in Ecclesia.

Nota. Hi Canones sex etsi à Benedicto Levita collecti sint, qui congessit, digessitque capita trium ultimorum librorum Capitularium, quinti scilicet libri, sexti, & septimi cum additionibus adjunctis: inveniuntur tamen in Appendice prima apposita ad librum quartum eorumdem Capitularium per Ansegisum Archiepiscopum Senonensem collectorum.

Capitularium Dominicum, idest, fasciculus Capitum, seu Canonum, quos Dominus Carolus Magnus ordinavit, seu instituit, aut approbavit in Conventu Theodonis villæ.

Ut non superflua sint. Videtur hoc Canone præcipi, ut non plura Altaria in Ecclesiis erigantur, quàm quæ necessaria sint pro Missarum celebratione, ita ut nullum sit, in quo ordinariè per singulos dies Sacrificium non offeratur. Ea de re agitur in Concilio Aquensi, Anno 1585. celebrato, cap. De Altari, ubi prohibet nimiam Altarium frequentiam, tùm ne Sacerdotes se invicem interturbent inter celebrandum, tùm ne convenientia illis desint ornamenta. Vide infra illud Concilium.

CONCILIUM APUD LAURIACUM, In pago Andegavensi.

Lorris.

Anno 843. Greg. IV. Papæ XVI. Caroli Calvi IV.

HUjus sunt quatuor capitula. 1. de eo, qui Ecclesiasticam auctoritatem contemnit. 2. de eo, qui contra regiam dignitatem egisse comprobatur. 3. de eo, qui potestati Regiæ non obtemperat. 4. de eo, qui adversus hæc capitula prævaricatur. Placet eos omnes anathematizari, *apud Sirmondum.*

CONCILIUM THEODONIS

Villæ sub Drogone Metensi, anno Domini 844.

IN loco, qui dicitur Judicium, quando tres Fratres gloriosi Principes, Hlotarius scilicet, Hlodouvicus, & Carolus simul convenerunt anno Christi 844. Sergii II. Papæ I. ejusdem Caroli Calvi V. Cui Synodo Drogo Metensis Episcopus præsedit eorundem regum consensu, qui ejusdem Synodi capitula 6. De mutua charitate Principum, de Ecclesiastica, & Monastica disciplina approbarunt, & se servaturos promiserunt, ut Monasteria laicis concessa, religiosis deinceps viris, seu fœminis committantur. Ut locorum religiosorum, quæ laici tenent, curam interim, & providentiam Episcopi gerant. *Ibidem.*

CONCILIUM VERNENSE,

Ve

Anno Christi 844. sub eodem Pontifice, & Rege, cui præsedit Ebroinus Pictavorum Episcopus, & Vvenilo Senonum Archiepiscopus, nec non Hlodouvicus Sancti Dionysii Abbas, & Hincmarus post Rhemorum Episcopus.

HUjus Synodi habentur Canones 12. Videlicet. 1. Ut cultum Dei Rex omnibus præferat, & misericordiam cum justitia, & judicio conservet. 2. Ut mittantur à Rege Legati, qui scelerum patratores, & Apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant. 3. Ut Religiosi, & idonei viri dirigantur, qui Monasteria scrutentur, in quibus collapsa est disciplina. 4. Ut Monachi vagi ad sua loca revertantur, & profugi, vel rejecti corrigantur. Item de clericis Ecclesiarum suarum desertoribus 5. De iis, qui Sanctimonialibus illicitè miscentur. 6. De sponsa ab altero capta, & de pœna captoris. 7. De Sanctimonialibus, quæ Religionis causa virilem habitum sumunt, vel crines attondent. 8. Ut Episcopi, qui ad bellum non eunt, homines suos alicui ex fidelibus Regis committant. 9. Ut Rhemorum Ecclesiæ Pastore diu destitutæ, quamprimùm præficiatur Episcopus. 10. Ut in Ecclesia Aurelianensi ratam rem esse permittat Agii Episcopi. 11. De prælatione Drogonis expectandum videri Episcoporum Galliæ, Germaniæque conventum, & consensum. 12. Ut Ecclesiis restituantur loca, & prædia Ecclesiastica, quæ laici possident.

CONCILIUM CARISIACENSE

An Ber ni.

Prius, contra Godescalcum Monachum præside Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, tempore Caroli Calvi an. 849.

DE hoc Concilio sic habent annales Bertiniani, quos reperias tom. 3. Hist. Francorum, ad an. 849. Godescalcus Gallus quidam Monasterii Orbacensis, parœciæ Suessionicæ Monachus, & Presbyter scientia tumidus, quibusdam superstitionibus deditus, Italiam specie religionis aggressus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam, Noricamque adorsus, quædam nostræ saluti valde contraria, præcipuè sub nomine prædestinationis, pestiferis dictis, & scriptis adstruens in præsentia Hludovici Germanorum Regis Episcopali Concilio detectus, atque convictus (nempe in Concilio Moguntino, cui præerat Rabanus Archiepiscopus) tamdem ad Diœceseos suæ urbem Metropolim Rhemorum, Durocortorum nomine, cui Hincmarus vir venerabilis præsidet, redire compellitur, quatenus illic dignum suæ perfidiæ (desunt aliqua) strenuissimus cultor Carolus advocato Ss. memoratæ Diœceseos Episcoporum conventu, suis adspectibus præsentari decrevit. Quo perductus publicè flagellatus, librosque suarum assertionum igni cremare compulsus est. Hæc ibi, ex quibus intelligimus à Concilio Moguntino damnatum Godescalcum missum fuisse ad proprium Archiepiscopum in vinculis, ut in eum animadverteret, cumque sic in officio

officio contineret, ne amplius perversæ doctrinæ prædicatione turbas in Ecclesia excitaret, aut ullos ab antiquæ fidei tramite avocaret. Quod cum audiisset Rex Galliæ Carolus Calvus, qui tùm placitum habebat Carisiaci, idest, Conventum ex Episcopis, ac quibusdam nobilibus laicis conflatum ad providendum rebus sæcularibus regni, ac jura reddenda populis, desiderio pacis Ecclesiasticæ in regno suo, hominem videre voluit, ac illius negotium per Hincmarum, ad quem ejus causa devoluta erat, aliosque Episcopos præsentes terminari, qui idcirco in placito Concilium habuerunt, ad sola Ecclesiastica tractanda seorsim ab aliis congregati, sicque ad eorum tribunal sistitur GODESCALCUS, præsentibus ibidem multis Abbatibus, interrogaturque, ut fieri solet in hujusmodi causis, primo de iis, quæ spectabant ad mores, tùm de iis, quæ spectabant ad doctrinam. Qua de causa nimirum egressus esset è Monasterio sine venia superiorum, quænam esset hæc nova doctrina de prædestinatione, de libero arbitrio, de morte Christi pro paucis hominibus, quam cum scandalo multorum in variis locis evulgare ausus esset, à quonam accepisset magistro? Hoc enim maximè percontandum est à novellis Doctoribus, ac qui nova, & à veritate aliena ingerunt auditoribus suis, si nempe valeant cum Apostolo dicere 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Ad quæ cum responderet ille omnia sua esse Divi Augustini, ac multos ejus textus proferret, ex quibus librum suum, quem præ manibus habebat, totum fermè, ac integrum compleverat: contra verò urgerent contra eum, non hanc fuisse mentem D. August. nec totius Ecclesiæ, textus ab ipso prolatos non rectè ab ipso intelligi, aut corruptos esse, ac depravatos, jam ante ipsum, Lucidum Presbyterum in similibus quæstionibus deceptum esse, ac errores revocasse, idem ipse faceret, si benè sibi consultum esse vellet, non se ejus perditionem, sed pœnitentiam, & conversionem exoptare. Homo sui sensus tenacissimus, ut est omnis hæreticus, ac nonnisi valde mediocriter rerum Theologicarum peritus, ut qui vix annum unum Theologiæ lectionibus excipiendis impendisset, cum non posset respondere iis, quæ sibi cum aliquo fervore objiciebantur, è gradu patientiæ dejectus est, ac in voces plures calumniarum erupit, quibus Episcopos judices suos palam affecit, ut ex hoc appareret hominem esse obstinatissimum, ac conclamatæ malitiæ. Hinc ergo deventum est ad suffragia, & ad judicium contra ipsum, quod datum est conforme regulæ sancti Benedicti, quam ipse professus fuerat cap. 28. Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verbum vindictæ in eum procedat. Ubi advertit Joannes Caramuel, pœnam verberum vocari acriorem excommunicatione Monastica, non verò vocari majorem, quia hæc pœna major est illa. Hinc dictum, aut dicterium illius Veneti, qui in dissidio reipublicæ suæ cum summo Pontifice Romano, cum ad patibulum duceretur, quod Romano Pontifici adhereret contra edicta reipublicæ, ex adspectu patibuli resiluit à sententia, dicens se malle per annum excommunicatum esse, quàm per semihorulam suspensum. Sed id obiter.

Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Godescalcum propter incorrigibilem obstinationem illius in Synodo apud Carisiacum habita à duodecim Episcopis Ecclesiastico vigore prolata.

Frater Godescalce, sacrosanctum Sacerdotalis ministerii officium, quod irregulariter usurpasti, & in cunctis moribus, ac pravis actibus, atque perversis doctrinis, ut hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus sancti, cujus gratiæ munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, noveris tibi esse, si quomodo suscepisti, sublatum, & ne ulterius eo fungi præsumas, penitus inter-

A dictum. Insuper quia & Ecclesiastica, & civilia negotia contra propositum, & nomen Monachi conturbare contemnens, jura Ecclesiastica præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundum Ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi authoritate Episcopali decernimus, & ut de cætero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.

Hæc sententia confestim exequutioni demandata est, ac verberatus acriter Godescalcus per Monachos sui ordinis, donec compelleretur librum suum in ignem conjicere, deinde in carcerem detrusus est, ac ex sententia Episcoporum eum Hincmarus custodiendum accepit, *ne*, inquit in epist. quæ est 24. ad Egilonem Archiepiscopum Senonensem, *aliis sua*
B *perversa doctrina noceret, qui sibi prodesse nolebat*. Ubi etiam testatur se scripsisse ad Summum Pontificem Nicolaum, qualis esset ejus doctrina, & utrum vellet, ut ei licentiam ad eum eundi daret, aut alteri ex ejus jussione commendaret, metuens sine authoritate Synodorum duarum definitionem dissolvere, eum liberum dimittendo ex propria voluntate. In eadem epistola conqueritur, quod multos fautores haberet, inter cæteros Prudentium Tricassinum Episcopum, qui in annali gestorum regum Franciæ ad annum 849. scripserat Nicolaum summum Pontificem de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de sanguine Christi, ut pro omnibus fusus sit catholicè decernere, nempe ut intelligebat, ad mentem ipsius Godescalci. Quare rogat præ-
C fatum Egilonem, qui Romam proficiscebatur, ut id suggerat domno Apostolico, ne scandalum, inquit, in Ecclesia oriatur, quasi ipse, quod absit, talia, sicut Godescalcus, sentiat. Denique ait, plura vobis de ipso Godescalco scribere poteram, quàm perniciosus sit, & multo magis noxius erit multis, si ab ipsa custodia fuerit absolutus: quia pro certo talia dicit, & talia facit, in quibus evidenter cognoscitur, aut dæmoniacus esse, aut maniaticus, & scitis quoniam mania esse non solet absque dæmone. Ac postquam exposuit, ut omnia ad vitam commoda ei suppeditentur non secus ac aliis Monachis, addit: Sed postquam in eamdem mansionem intravit, non solùm corpus lavare noluit, verum nec manus, nec faciem. Antea enim, sicut illi testantur, inter quos conversatus erat, turpis-
D simus erat, & nunc in sua turpitudine manet. Et sciatis, quia maxima nausea in ista Ecclesia commovebitur, si ad Synodum venire jussus fuerit, aut de ipsa custodia absolutus extiterit. Quæ non pro me dico, quia inde mihi nulla alia cura est, nisi pro aliis, sed vos probabitis me verum dicere. Tales enim surgent, qui adhuc latent. Hæc sunt, quæ inter cætera hoc prius Concilium Carisiacense sequuta sunt, duæ enim distinctæ Synodi in diversis annis habitæ sunt, quas in unam confusas apud antiquos scriptores, ac etiam in secundo tomo Conciliorum Galliæ, distinguere docuerunt nostri sæculi controversiæ, ac antiquorum librorum recentes editiones, ac maximè Annalium è Monasterio sancti Bertini erutorum.

E *Epistola Rabani Archiepiscopi Moguntini ad Hincmarum.*

Ex lib. de Prædestinatione Hincmari cap. 2. habemus exemplar litterarum Concilii Moguntini, & Episcoporum, aliorumque catalogum, qui in hac Synodo interfuerunt.

Reverendissimo fratri, & Consacerdoti Hincmaro Archiepiscopo.

Rabanus, servus Christi, & servorum ejus in Domino salutem.

Notum sit dilectioni vestræ, quod quidam Monachus Gyrovagus nomine Godescalc, qui se asserit Sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam novas superstitiones, &

noxiam doctrinam de Prædestinatione Dei introdu- A cens, & populos in errorem mittens.

Dicens, quod prædestinatio Dei ficut in bono fit, ita & in malo. Et tales fint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore, & peccato se corrigere, quasi Deus fecisset ab initio eos incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire; hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita nuper audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente, atque jubente piissimo Rege nostro Ludovico decrevimus, eum cum perniciosa sua doctrina damnatum remittere ad vos. Quatenus eum recludatis in vestra parochia, unde primum inordinatè recessit, & non sinatis eum amplius errorem docere, & seducere populum Christianum, quia jam multos seductos, ut audivi, habet, & minus devotos erga suam salutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in servitio Dei? quia si prædestinatus sum ad B mortem, nunquam illam evadam: si autem malè egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis scripsimus intimantes qualem ejus doctrinam reperimus: vos etiam valebitis de ore ejus, quid sentit, plenius audire, & quid inde agendum sit, justè decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram benè valentem, & pro nobis orantem in æternum conservare dignetur.

Fructus doctrinæ Godesc.

Interfuerunt huic Synodo, ut refert idem Hincmarus cap. 2. libri sui posterioris de prædestinatione, Vvenilo Senonensium Archiepiscopus, Hincmarus Rhemorum Episcopus, Folcoinus Morinensium Episcopus, Teudericus Cameracensium, Hrotddadus Suessionicæ C civitatis, Ragenarius Ambianensium, Imo Noviomagensium, Erpoinus Sylvanectensium, Lupus Catalaunensium, Irminfridus Belvacensium, Pardalus Laudunensium, Teutboldus Lugdunensium, & Lingonicæ civitatis Episcopus, Gernobrius Turonensium Provinciæ Episcopus, Rigboldus Rhemorum Chorepiscopus, Vvitao Cameracensium Chorepiscopus, & alii, qui nunc Dei gratia Episcopi ordinati, tunc autem jam dictæ Synodo cum Episcopis suis secundum morem fuerunt. Vvenilo scilicet tunc cum Patre suo Ragenario, nunc autem Rothomagensis Archiepiscopus, Æneas Notarius sacri Palatii, & modo Parisiorum Episcopus, Isaac Diaconus Parduli, & nunc Lingonicæ civitatis Episcopus. Sed & venerabiles Abbates Synodo ipsi interfuere D Ratbertus Corbejæ, Bavo Orbacis, & Halduinus Altivillaris Monasterii, aliique Domini Sacerdotes, ac Diaconi. Vvlfadus quoque Rhemorum Metropolis Oeconomus: & Rodoaldus Archidiaconus cum aliis sequentibus Cleri ordinibus. In quorum præsentia idem Godescalcus, sicut & in Moguntia civitate inventus hæreticus, atque incorrigibilis, honore Presbyterali, quem per Rigboldum Rhemorum Chorepiscopum, cum esset Suessionicæ Parochiæ Monachus, inscio civitatis suæ Episcopo, usurpaverat potius, quàm acceperat, abjectus & pro sua irrevocabili contumacia secundum leges, & Agathenses Canones, ac regulam sancti Benedicti, ut improbus, virgis cæsus, sicut decreverant Germaniæ Provinciarum Episcopi, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus. Sed ne solus periret, E sibi consentientes cœperunt undecumque exsurgere, & pravam ab illo vulgatam doctrinam, & verbo, & scripto disseminare, &c.

CONCILIUM POSTERIUS Carisiac.

Contra Godescalcum, habitum tempore Nicolai II. & Caroli Calvi, anno Dom. 853.

IN priori Concilio Carisiacensi damnatus erat Godescalcus in propria persona, non erant verò notati in particulari articuli doctrinæ ejus, unde multi putabant sibi licitum illam defendere, cum non pateret, quid in illa hæreticum esset, ac inde turbæ, & dissidia nascebantur; quare multi expetebant, ut terminarentur quæstiones illæ Theologicæ, &, quid expressè tenendum esset, definiretur. Sicut vidimus in diebus nostris factitatum esse, cum Jansenii Iprensis Episcopi liber inscriptus Augustinus damnatus esset per Urbanum VIII. Summum Pontificem, non designatis in specie illius hæresibus: etsi enim talis damnatio suspectam redderet doctrinam illius libri, quia tamen bona in libris malis mixta sunt, non sufficiebat ad continendos multorum spiritus doctrinis novis adhinnientes, ideo opus fuit, ut primum tentaretur in facultate Theologiæ Parisiensi quarumdam propositionum censuram edi, ac confirmari, quod cum irrito conatu factum fuisset ob tumultus ab illius discipulis excitatos, eædem propositiones delatæ sunt ad Summum Pontificem Innocentium decimum, à quo tandem post diuturnum, & sedulum examen die 31. Maji anno 1653. nono sui Pontificatus emanavit constitutio, qua declarantur, & definiuntur quinque propositiones in materia fidei: Ita in hoc Concilio Carisiacensi quatuor propositiones declaratæ sunt, ac definitæ erroribus Godescalci contrariæ. Sunt autem hæ sequentes, ut patet ex laudatis antea annalibus Bertinianis ad annum 853. Carolus inde ad Carisiacum veniens cum quibusdam Episcopis, & Abbatibus Monasticis quatuor capitula edidit, & propria subscriptione reprobavit. Quorum

Primum est. Neminem prædestinatum ad pœnam, unamque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. *4. Ca[...] contr[a] desc[...]*

Secundum. Liberum arbitrium, quod in primo homine perdidimus, nobis præveniente, & adjuvante gratia Dei redditum.

Tertium. Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licèt non omnes salventur.

Quartum. Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur.

CONTROVERSIA.

EX his definitionibus intelligere debemus, quæ fuerit doctrina Godescalci, circa quam ferventior tunc temporis erat contentio. De qua Hincmarus epistola alia ad Egilonem Archiepiscopum Senonensem, quæ est 25. inter ejus opuscula, & Epistolas tom. 2. operum illius. Si aliquis vos interrogaverit de Godescalci doctrina, unde vobis jam quædam scripsi, hanc esse interroganti respondere potestis, sicut & verba, & scripta illius demonstrant. Dicit enim Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse, sicut sunt tres sanctæ Trinitatis personæ. Dicit ita geminam esse Dei prædestinationem, ut sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam. (Intellige hoc sine prævisis malis meritis) 3. Dicit, quod non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantùm eos, qui salvantur, &c. Quia si vult, quod non potest, omnipotens non est. 4. Dicit, quod non pro totius mundi redemptione, idest non pro omnium salute, & redemptione, Dominus, & Salvator noster sit crucifixus, sed tantùm pro his, qui salvantur. 5. Dicit deponens sententiam Apostoli Petri (2. Petri 2.) *eum, qui emit eos Dominum negantes*. Baptismi inquit Sacramento eos emit, non tamen pro iis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Ex quibus mortiferis capitulis quanta exitiosa prodeant, Catholicus, & literatus quisque conspicere potest. Quæ tota epistola fusius enarrat, ut de his moneret summum Pontificem Egilo. Sed & idem Hincmarus tom. 1. in libro de Prædestinatione ejusdem errores coacervatione multorum testimoniorum refellit, ac eosdem ab ipso Godescalco in

ejus

ejus libris assertos ostendit, quod tunc non deessent, A qui hanc esse ejus doctrinam negarent, sicut & hoc tempore factum est, dum ageretur de damnandis quinque propositionibus Jansenianis, quibus doctrina Godescalci (excepto errore de Trinitate) renovabatur, novis ejus discipulis, aut novitiis contendentibus has non esse apud Jansenium, & quibusdam ex illis distinguentibus inter doctrinam, & sensum Jansenii, ut quamvis concederent esse secundum ejus doctrinam, non tamen essent secundum illius sensum, ac mentem: ac ideo postulantibus, ut summus Pontifex declararet expresse, damnasse se illas in sensu, ac mente Jansenii, quasi non possent postea novis subterfugiis uti, ac calumniari summum Pontificem, quod de re occulta, ac purè interiori judicasset: aut cuivis licitum foret quamlibet erroneam doctrinam B verbis expressis docere, modo diceret se non habuisse in illis verbis malam mentem, qualis per ea indicatur: sicut si aliquis alium vocaret animal, excipiens se per illud nomen intelligere præstantissimum quippiam.

[...]scal. [...]nsenii [...]aratio

Porro quod de errore circa mysterium Trinitatis siluerit Concilium, ratio est, quod nullus esset, qui hunc tueretur errorem, ex quo pluralitas deorum inducebatur: sicut nec omnes errores Jansenii per constitutionem Innocentii decimi notati sunt, ut propterea in ea constitutione post damnationem quinque propositionum addiderit hæc verba: Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus, approbare ullatenus alias C opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Jansenii: Sæpe enim accidit, ut qui vel in uno doctrinæ Catholicæ articulo aberrat, contempta semel antiquæ traditionis regula, præceps feratur in devia quæque, cum unus error gradus sit ad alium, una lis fomitem suppeditet alteri, & abyssus abyssum invocet.

Ad majorem autem elucidationem horum quatuor capitulorum, advertenda sunt nonnulla, ne relinquatur locus aliquibus dubitandi.

1. Est, quod dicitur in primo capitulo, neminem esse prædestinatum ad pœnam, unamque esse prædestinationem, non id ita intelligendum esse, ut nemo reprobatus sit à Deo: esset enim error maximus, sed non esse reprobatum eo sensu, quo Prædestinatiani, & inter eos Godescalcus docebant, scilicet ex absoluta Dei voluntate, quasi ex mero beneplaD cito quosdam ab æterno voluisset damnare, alios salvare, nullo habito intuitu ad eorum opera. Volebant autem illi prædestinationem ad bonum, & malum, ad vitam, & mortem sic esse activam, ut idem esset in Deo prædestinare ad aliud, ac illud efficere, cum Deus non faciat omnia, quæ præscit, sed quæ prædestinaret: unde res evenire aliter non poterat, qui sensus tunc erat manifestus. Atque, ut ait Hincmarus l. de prædestinatione cap. 19. qui hoc sensu unam dicunt esse prædestinationem (sicut initio docebat Godescalcus) tàm vitandi sunt Ecclesiæ, ut si fieri potest, sicut de leprosis significantibus hæreticos legitur, longius remoti, magno clamore Christum interpellent, & cum aliis turbis non comprimant, de quibus le- E gitur, Luc. 17. *Quisteterunt à longe;* quare postea Godescalcus emendatius loqui volens, unam quidem esse dixit, sed duplam, quæ & ad bonos, & ad malos extenderetur sub verborum argutiis lites renovans. Unde postea disputatum est, an prædestinatio dici posset gemina, sicut charitas, in quantum extenditur ad Deum, & proximum; qua de re legendus Hincmarus ibidem.

2. Quod dicitur liberum arbitrium in primo homine perditum nobis præveniente, & adjuvante gratia redditum esse, id dici contra Godescalcum, qui sentiebat nullam relictam esse homini facultatem ad benè operandum. Per gratiam verò, si cui daretur, necessitatem invehi ad benè operandum, unde non remaneret libertas indifferentiæ ad bonum, & malum: at contra determinat synodus, mediante gratia Dei præveniente, & adjuvante, restitui liberum indifferentiæ arbitrium, cum gratia illa non sic necessitet voluntatem, quin illi possit resistere, ac aliquando resistat; quæ est doctrina Catholicorum contra hæreticos. Hoc fit evidens ex his Hincmari verbis in l. de prædest. cap. 21. Secundum capitulum in synodo apud Carisiacum habita, nos de gratia, & libero arbitrio ex sanctorum patrum dictis excerpsimus; de quo prisci dixerunt Prædestinatiani, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed *sive ad bonum, sive ad malum prædestinatio Dei in omnibus operetur. Quoniam Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit, nisi velle malum.*

3. Circa tertium capitulum, Deum velle omnes homines salvos fieri, intelligendum esse de voluntate complacentiæ, & antecedenti, inquantum ab æterno gratissimum Deo fuisset nullum à gloria excludi, si nullus defuisset gratiæ suæ. Quæ voluntas complacentiæ, & antecedens an fuerit in Deo actu, & formaliter, an tantum virtualiter, argumentum est disputationis inter Theologos Scholasticos. Cæterum quod quispiam idem asserat de omnibus hominibus sine exceptione de voluntate absoluta ad gloriam æternam singulorum, parum convenire videtur cum illo Psalmistæ versu, *omnia, quæcumque voluit, fecit.* Psal. 113. Nisi sequamur explicationem D. Bonaventuræ in I. sent. dist. 46. art. 1. quæst. 1. ubi docet per illud Deum velle omnium salutem, connotari in omnibus ordinationem ad salutem æternam tùm ex parte naturæ datæ, tùm ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim, inquit, Deus naturam, secundum quam eum possent cognoscere, & cognitum quærere, & quæsitum invenire, & invento inhærere, ac per hoc salutem obtinere. Gratiam similiter obtulit, dum filium misit, & obtulit, cujus pretium omnium saluti sufficit. Leges etiam, & mandata tribuit salutis, & ostendit. Ipse etiam præsto est omnibus inquirentibus, & prope est omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter salvare, est ordinatum ad salutem, & volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem, &c. Huic responsioni magis consonant Magistri. Hæc Seraphicus doctor, cujus sententiam non pauci amplectuntur.

4. Circa quartum capitulum, quod est de morte Christi pro omnibus, licèt non omnes redimantur, multum proderit intelligere varios esse fructus crucis, ac varios gradus redemptionis hominum, quos nescio quo instinctu in primis nostris opusculis distinguere conabamur, & cuilibet apertos, ac manifestos reddere, antequam de Jansenio, qui Prædestinatianorum cineres revocavit, quicquam rumor sparsisset; ejusque larvatus Augustinus in theatro Ecclesiæ prodiisset, ipsam hæresim cædentes, antequam oriretur: & licet in libro de beneficio crucis, seu articulis disputatis de gratia non pauca de iis evulgavimus, proderit tamen hìc aliqua refricare ad majorem perspicuitatem obscuræ hujus quæstionis. Dicimus igitur tres esse gradus redemptionis humanæ per crucem, & passionem. Primus est, redemptio ab impotentia salutem consequendi per adjutoria sufficientia unicuique concessa ex merito sanguinis Christi. Secundus est, redemptio à peccato ipso per gratiæ sanctificantis infusionem. Tertius, redemptio à pœnis, & miseriis per gloriæ assequutionem, qui gradus duplex dici potest ratione duplicis beatitudinis, animæ scilicet per visionem Dei, & corporis per resurrectionem. Sic igitur se habet redemptio humana; ut quamvis non omnes homines redempti sint quoad tertium gradum, nec quoad secundum, quia non omnes sunt beati, aut justificati, omnes tamen redempti

3. gradus redemptionis.

pti sunt de facto quoad primum gradum; quia impotentia aliquid agendi ad salutem conducens, invecta generaliter in omnibus per prævaricationem Adami, ablata est merito passionis Christi, cujus virtute dantur omnibus media sufficientia ad salutem, nisi per homines steterit, & data sunt omnibus hominibus, qui ante passionem Christi ab initio vixerant, ut explicat Prosper l. 2. de vocatione gentium cap. 3. Juxta doctrinam sanctorum patrum, qui id disertè docuerunt, ut non nisi ex ignorantia rerum Theologicarum quidam irrideant, quod dicitur, Christum etiam mortuum fuisse pro iis, qui ante ejus mortem vixerant, & mortui fuerant, atque etiam damnati, ut inter eos Judas inter postremos, ad quem etiam pertinent ista verba Matth. 26. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; nam inter eos Judas aderat. Vide, quæ dicta sunt in Controversiis Concilii Trident. Classe 3. Nec morari debet quosdam, quod videantur plures sic obdurati in peccato, quasi essent à Deo derelicti, nullaque gratia adjuti, sicque carere omni facultate revertendi ad Deum per fidem, aut pœnitentiam. Non enim unquam carent gratia, & facultate, sine qua non possint converti, etsi cum ea non sint de facto convertendi, quia viatoribus semper eam misericordiam ex merito passionis exhibet Deus, qua sufficienter eis assistit: quia pro extremo saltem virium adorando possent peccati indulgentiam consequi, ut in hoc differentia sit viatorum ab iis, qui transierunt terminum, ait orthodoxè Adrianus in 4. sent. ubi tractat de sacramento Pœnitentiæ. Ac pro hujus clariori intelligentia solertè advertit, quod regulariter homines onus intensi, & profundi cogitatus refugiunt, & à pondere gravi humeros substrahunt, leve autem libenter subeunt. Paucos invenies, inquit, qui ad extremum virium aliquid faciunt. Ideo, si debeant ad Deum carnalia (idest peccatores) corda converti, opus est plus quàm sufficienti gratia, sed abundanti, & quæ onus in parte magna alleviat. Hanc scilicet gratiam abundantem ob hominum mala merita quasi indignis sæpe substrahit, ut sint ab iis, quasi vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non est memor amplius, quia de manu sua repulsi sunt, Psal. 87. hinc Propheta. Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est, Isai. 55. propter quod semper cum Propheta orandus est Dominus, ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Ps. 60.

Adrianus.

Atque hæc de quatuor capitulis, quæ tunc multi impugnaverunt, ut Prudentius Tricassinus Episcopus: alius etiam scriptor, qui sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis sibi authoritatem aliquam conciliare voluit. Atque etiam Concilium Valentinum, quod ex minus diligenti discussione sensuum, qui iis inerant, ea rejicit cap. 4. propter quod ne ingrati essent huic beneficio quidam novi confratres, ac sodales Godescalcani, illud æneis tabulis sculpi curarunt, unde illius imaginem papiraceam quandoque licuit intueri inter plures imagines ad parietes palatii Parisiensis affixas, quæ à transeuntibus emerentur die festo, licèt istud Concilium iis non ita faveat, quin etiam cap. 5. ipsum juguler his verbis. *Firmissimè tenendum ex ipsa multitudine fidelium, & redemptorum alios æterna salute salvari, quia per gratiam Dei, in redemptione sua fideliter permanent: alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quàm servare elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenere.* Ex quibus verbis multa liceret inferre, sed nobis certos limites præfigimus. Qui plura de his capitulis desiderat, Cellotium potest adire in historia Godescalci lib. 4. per plura capita, cum totus sit in hoc opere ad purgandas corruptelas, quibus nonnulli hanc historiam sæculi noni depravare conati sunt.

CONCILIUM VERMERIENSE, Sub Vvenilone Senonensi,

Verb.

Sub anno 853. Leonis Papæ, & Caroli Calvi tempore.

HAbentur tres definitiones hujus synodi. 1. Herimanno Episcopo Nivernensi, ubi convaluit ab infirmitate, in qua sæpe ineptire, & quædam ad naufragium rerum Ecclesiasticarum agere indiscussè solebat, Ecclesiæ suæ dispositio restituta est. 2. Monasterium Lebraha, quod juris erat S. Dionysii Contrado in precariam dari vetitum fuit. 3. Capitula in synodo Suessionensi proposita sunt relecta, & probata.

CONCILIUM LINGONENSE,

Lang.

Apud Audemantumum Lingonum à Remigio Lugdunensi tempore Nicolai Papæ II. & Caroli Calvi Regis Galliæ anno 859.

IN hoc Concilio partim correcta, partim imminuta sunt decreta Concilii Valentini, de quo supra in classe præcedenti actum est, quodque lumen affert huic Concilio, sicut & quod dictum in Concilio Tullensi. Specialiter hìc juvat annotare canonem decimum hujus Concilii, quo patet studium Episcoporum pro Scholis, & universitatibus.

Can. 10. Lingonensis Concilii.

Ut Scholæ sanctarum scripturarum, & humanæ quoque litteraturæ, unde annis præcedentibus per religiosum Imperatorum studium magna illuminatio Ecclesiæ, & eruditionis utilitas processit, deprecandi sunt pii principes, & omnes fratres, & Coepiscopi nostri instantissimè commonendi, ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id est, fideliter, & veraciter intelligentes donare dignatur, constituantur undique Scholæ. Scilicet, ut utriusque eruditionis, & divinæ scilicet, & humanæ, in Ecclesia Dei, fructus valeat accrescere. Quia, quod nimis dolendum est, & perniciosum maximè, divinæ scripturæ verax, & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura, & studio remedium procurandum est.

CONTROVERSIA.

COntroversiam hujus Concilii, ad elucidationem abundè suppeditat Ludovicus Cellotius lib. 5. in historia Godescalci l. 4. ubi inter alia, ait: Quæ, inquam, & qualia ediderunt capitula? Valentina retractata, & correcta. Primò in numero: nam Valentiæ tria supra viginti, apud Lingonas non plura sedecim decreta sunt. Istud tolerabile, cum è multis certa quædam eligere liberum habuerint, quæ majori Concilio exponerent ad confirmationem. Secundo in innovatione, est enim illa novitas, eosdem Episcopos è superiori suo Concilio multos detrahere canones, multos de novo adjicere. Neque hoc admodum reprehensioni videtur obnoxium, quippe quod libertati concederetur. Sed prudentiæ, zelique fuerat de prioribus eligere meliora, & ad instructionem Dominici populi maximè conducentia, cum videamus omissa ex Valentinis pulcherrima, & utilissima: conservata ex adverso contentionis, & rixarum plenissima, quæ maximè suppressa oportuit, ut docuit eventus. Tertio in

in ipsius Valentini textus mutatione, quam in præcipuis duobus canonibus ostendo. Nam è canone quarto detracta est quatuor capitulorum Carisiacensium censura, & aucta Syllogismorum Scoticorum atrocioribus verbis reprehensio. Eam mutationem non tacet Hincmarus, ubi canonem hunc quartum, sibi post Concilium Tullense, aliter traditum scribit, quàm acceperat post Valentinum lib. de prædest. cap. 30. &c. factæ sunt igitur Ebboni, & bonis patribus Valentinis secundæ cogitationes sapientiores, atque, ut rectè judicat post Usserium, præses dissertator, ne rex ipse Carolus Calvus, qui quatuor illis capitulis subscripserat, & Hincmarus, qui eorum author erat, contentionis, & querelæ occasionem sumerent, abstinendum clausula illa, quasi non necessaria censuerunt. Et, ut justa quidem mutatio, sed malè facta contra regulas Ecclesiasticas, quæ vetant cujusvis Concilii decreta, nisi à majore Concilio, rescindi.

...lius ...r cum ...naro.

Fuit, inquis, ipsorum opus canon Valentinus, cur ergo refingendi potestatem negas artificibus? audio, & hæc levitas est in cursu, præproperè nulla justa causa mutare sententiam, convellere decretum: quod si maturo ante consilio latum fuit, cur modò supprimitur? sin temerè, cur tunc temporis factum? Livoris, & odii est, quod Valentini Carisiacos damnarunt levitatis, & temeritatis, quod Lingonenses Valentinis, hoc est, sibi ipsis fuerunt oppositi, nihilominus si potest vitiorum justa esse defensio aliqua, cautè, & prudenter fecisse Lingonenses arbitror. Habebant enim verò in conspectu tres Hincmari libros omnium manibus expositos, pro capitulis Carisiensibus contra censuram Valentinam fortiter dimicantes. Repertum erant in Tullensi Concilio Hincmarum, & ejus doctrinæ faventes plurimos, visuri regem, & Episcopos Synodi Carisiacensis auctores, probatoresque, quibus capitulorum quatuor damnationem in os impingere, non inurbanum tantùm, sed etiam periculosum videbatur. Aliud quippe est, membranæ omnium patienti muta verba committere, aliud contradicturis coram audacter ingerere. Et quotidie videmus istos sine adversario Thrasones Alexandrum inter pocula debellantes, qui ad primum adversariæ tubæ bombum pallent, & tremunt totis artubus, leones in pace, in bello cervi. Timuit ergo capitulis suis Ebbo, si damnaret aliena: percepit animo, quod evenire potuit, acciditque revera, & crassam ostensionem sustulit, quo noceret callidius.

Hæc ibi Cellotius, & plura insultando patribus Lingonensibus, qui, si vera fuisset censura capitulorum Carisiacensium per Valentinos patres, quovis metu deposito, obfirmato ad fidem Catholicam tuendam animo, vel usque ad martyrium, si necesse foret, debuerunt generosi illi censores Valentini damnationem illorum in tanto, tàmque propinquo trium regnorum Concilio, Tullensi scilicet, etiam invitis rege Carolo Calvo, & Hincmaro, cæterisque factiosioribus Episcopis procurare, &c.

CONCILIUM SUESSIONENSE,

Anno Christi 866. jussu Papæ Nicolai, pro causa Vulfadi, & aliorum clericorum discutienda, non definienda, tempore Caroli Calvi.

IN alia Synodo Suessionensi Hincmarus, qui Ebboni successerat in Archiepiscopatu Rhemensi, adhuc vivo, & superstiti, ordinatos ab ipso Ebbone post depositionem suam exauthoraverat, quasi nihil recepissent sacrum in ordinatione facta ab Episcopo deposito. Opposuerunt se illi clerici, & ad Pontificem appellaverunt, qui Concilium istud Suessionense anni 1553.

A abrogavit: ac cùm ob eam causam tumultuarentur in Gallia, seu quod disputaretur, an tempore illius ordinationis Ebbo jure in sedem suam restitutus fuisset, an tantùm de facto, seu quod etiam alii revocarent in dubium, an invalidæ essent ordinationes à deposito Episcopo factæ, cùm spectent ad potestatem ordinis, rescripsit Nicolaus Papa ad Herardum Archiepiscopum Turonensem, præcepitque, ut nisi Hincmarus Vulfadum, aliosque clericos ab Ebbone ordinatos suis gradibus ultro restituat, Concilium Suessione ad 15. Calendas Septembris convocetur, ac in eo varia rei momenta examinentur, atque ad ipsum mittantur, nihil definiendo.

Variis affectibus agitabatur Hincmarus, nam si ratas habet ordinationes Ebbonis, in cujus locum suffe-
B ctus erat, metuendum illi occurrebat, ne ipsi ab Episcopatu Rhemensi decedendum esset: non enim duo legitimi Episcopi in eadem sede simul esse possent: aliunde quæstio erat obscura tunc temporis, nondum discussa per Thomistarum, ac Scotistarum clarissima ingenia, quid esset in Episcopo potestas ordinis, ac jurisdictionis, & quis utriusque effectus? Quare seu verè, seu fictè (quis possit decernere?) Hincmarus dicebat se non posse sine authoritate Concilii rem tantam definire, an ab ordinum exercitio dimittendi essent ordinati ab Episcopo semel legitimè deposito, quamvis variantibus rerum humanarum negotiis, ac in regnantium vicissitudinibus sedem suam recuperasse videri posset. Idcircò summus Pontifex, si permaneret hæc Hincmari ambigua fluctuatio, Concilium hoc con-
C gregari jussit: atque ut Hincmarus ad Concilium, sic Concilium ad summum Pontificem difficultatis definitionem revocavit. Qui (is tunc erat Adrianus secundus, mortuo interim Nicolao) perpensis rerum momentis, de quibus ad eum scriptum fuit, Vulfadum Abbatem, ac socios restitui jussit, benignè, ac devotè acquiescente Hincmaro. Extant plura acta ad hoc Concilium spectantia tom. 3. Conciliorum Galliæ Sirmondi, atque etiam in prætermissis in hoc tom. 3. ad calcem ejusdem. Interfueruntque Episcopi plurium provinciarum.

D
CONCILIUM TRICASSINUM, *Troye.*

Jussu Nicolai primi, ab iisdem Episcopis, qui præcedenti anno apud Suessiones convenerant, celebratum anno Christi 867. pro eadem causa ordinatorum ab Ebbone.

DUm Romam mittuntur acta discussionis causæ ordinatorum ab Ebbone, interim moritur Nicolaus Papa, cujus successor Adrianus secundus, his perpensis, scribit pro restitutione illorum ordinatorum, concedit quoque pallium Vulfado, qui ad Ecclesiæ Bituricensis thronum, volente rege Carolo, pro-
E motus fuerat. Sicque finem accipit gravis illa Controversia de ordinatis ab Ebbone, Hincmaro benignè, ac devotè definitioni sedis Apostolicæ acquiescente. Quamvis ob hanc rem Ebbonem juniorem Episcopum Gratiapolitanum infensissimum adversarium passus sit, quod sedem patrui sui Ebbonis occuparet.

Controversia de ordinatis contra canones.

1 MOrinus *de sacris ordinat. part. 3. exercitation. 5.* multa hic discutit, aitque Episcopos tunc temporis censuisse depositos, nullam ordinandi potestatem habuisse, idem judicium tunc ferentes de potestate ordinis, ac de potestate jurisdictionis. Itaque existimasse ordinationem à Catholico Episcopo canonicè datam, deleri non posse, sed illius vim depositio- *Ordinationes factæ ab excommunicatis.*

ne

ne ita reprimi, & hebetari, ut aliam ordinationem generare non valeret. Profectò, inquit, hoc tempore difficultas illa, quæ Galliam præcipuè anno 27. vexavit, nullo negotio ab annuo Theologiæ tyrone dissolveretur: illicitè, diceret, sunt ordinati, non tamen invalidè. Quo dicto cuicumque nodo cuneus est paratus. Verum Hincmarus, & plerique alii tunc ex illicita actione colligebant, ut ita dicam, illius nullitatem, & inanitatem. Neque hunc loquendi modum cęteri abhorrebant. Atque ejusdem exercitationis cap. 9. molam eamdem versans, aut non absimilem, ait:

Difficultas ordinatorum à Simoniacis centum annis, & ultra vexavit Ecclesiam, ob quam multa Concilia, conciliandæ hujus difficultatis causa, celebrata sunt, etiam summis Pontificibus ea procurantibus. Si tamen quis ista, & pleraque alia ad hodiernam consuetudinem examinet, nullamque habeat animo conceptam antiquæ historiæ effigiem, ne umbram quidem difficultatis in his omnibus deprehendet: remedium illi erit in promptu, & velut in numerato ad Pontificis dispensationem esse confugiendum, qui authoritate sua vitium purgabit, facietque, ut, quæ invalida futura erant, valescant, stupebitque antiquitus tantos esse de re tantilla, & reparatu tàm facili, disputationum fluctus commotos, universumque Occidentem in sese, & cum Oriente collisum. Si quis tamen hæc, ut catholicum decet, oculis adspiciat æquis, non transversis, & hircinis, facilè conciliabit, nec erit illi necesse absurdos, & inauditos sensus verbis patrum affingere, phrases planas, & obvias, velut in equuleo, torquere, susque, deque flectere, vertere, trahere, ut quod anticipata opinio præjudicavit, tandem exprimant. Sæpius Ecclesiæ œconomia, cui Christus dixit: *quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo*, &c. variatis personis, & temporibus, regimen variat, &, quæ sunt unicuique pro eadem varietate convenientia, administrat: Ideò leges olim admodum severas magna ex parte paulatim abrogavit, aut immutavit, cæteras nunc, & ab aliquot sæculis facilè relaxat. Nec leges istæ actionis decus, & honestatem tantùm afficiebant, sed etiam rei substantiam, & corpus, tanta est, & haberi debet Ecclesiæ authoritas. Quapropter, si ea diligenter attendatur, temporis quoque, & personarum varietas, ex rebus tàm discordibus concors harmonia consurget, deprehendeturque Ecclesiam instar prudentis medici, qui ægrorum temperamenta, & temporis qualitates studiosè inquirit, remedia modò aspera, modò lenia, sed semper efficacia suis filiis propinasse.

Ecclesiæ authoritas.

Vult characterem imprimi in ordinatis contra canones, sed virtutem characteris hebescere, ita ut ejus virtus judicio Ecclesiæ subdita ab ea suspendi possit, ut in ordinatis ab Ebbone deposito, qui inventi sunt, characterem non suscepisse.

Admittit nihilominus ordinationum formas ab omni ævo definitas, quibus nihil addi, aut demi possit, quod ad eorum substantias pertineat.

Idem de hoc sacramento (Ord.) analogicè dicendum, quod de Matrimonio, & Pœnitentia, quorum materias videmus sæpè sub interminatione irriti sacramenti restrinxisse, dilatasse, vario modo terminasse, &c. Hinc sequitur sacramentorum istorum materias in diversis Ecclesiis posse esse diversas, atque matrimonium, absolutionem, ordinationem quibusdam in locis celebrata, irrita esse, & nulla, quæ si eodem modo, & cum iisdem circumstantiis facta fuissent, aliis in locis fuissent rata, & legitima, dummodo conditiones illæ, & circunstantiæ, ut assumimus, sint ex usu illius Ecclesiæ, ut substantiales imperatæ. Unusquisque enim Ecclesiæ, in qua vivit, morem sequi tenetur, nisi licentiam à potestatem habente sit consequutus.

Formæ Sacramentorum.

Hæc ibi, & plura, quæ difficultate non carent maxima, si habeatur ratio institutionis sacramentorum à Christo, quibus præfixit certas conditiones, quæ essentiæ locum tenent, ut sint immutabiles, nec fluxæ, & variantes pro arbitrio Pontificum, aut varietate temporum. Nam aliter multum detrahitur dignitati sacramentorum. Sed & cavendum, ne supra modum extendantur hæc verba, *quæcunque solveritis, &c.* Adde, quod materia est essentialis sacramento, & nihil Ecclesiæ juris concessum est in eam, nam omnia turbarentur, tàm enim materia essentialis est, ac forma. Sed & Tridentin. de sacrament. Pœnitent. sess. 14. can. 3. si quis dixerit verba illa, &c. non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacram. Pœnitent. sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, &c. anathema sit. Quod argumentum, licèt sit ab authoritate negativa, non tamen semper inane est.

Remoram autem hic aliquibus affert ritus ordinandi sacerdotes apud Græcos per solam manus impositionem sine traditione instrumentorum, ut fit apud Latinos, cùm tamen Ecclesia Romana ratas habeat ordinationes Græcorum. De hac difficultate non pauca diximus in Controversiis Concilii Florentini classe 3. post Arcudium, quem sequitur Cardinalis de Lugo de sacram. disp. 2. sect. 5. Ac quoniam in hac Controversia gravissimi momenti multi suas conjecturas attulerunt, & nostram quoque proferre, ac magis proponere, quàm asserere audebimus, dimisso aliis decretorio de ea judicio. Dum apud Photium in Biblioth. numer. 59. capita accusationum in Divum Joannem Chrysostomum in Synodo ad quercum intenta expendimus, decimum tertium est, quod sine altari Diaconorum, ac Presbyterorum ordinationes fecerit. Hinc nobis venit in mentem, quod coram altari, in quo supponimus sacra vasa extitisse, sacerdotes apud Græcos ordinari debent, ideoque præsentantur quodammodo sacra vasa ordinandis in sacerdotem apud Græcos. Hinc Simeon Thessalonicensis Græcus scriptor, in tractatu suo de sacris ordinationibus, eas dividit ita, ut minores fiant extra sanctuarium, eximiæ autem intra sanctuarium, & in ipsa sanctissima mensa, scilicet Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum: at hìc adest calix præsens. An autem contactus realis vasorum sacrorum, an tantùm eorum præsentatio necessaria sit, disputatur probabiliter in utramque partem, his ajentibus, his negantibus: atque in hoc esse posset conciliatio ritus Græci, & Latini.

Ordi... nes G[ræco]rum.

CONCILIUM PARISIENSE,

Anno 866. in quo electio canonica, & regularis Abbatis Corbiæ in Picardia stabilita est.

HUjus Concilii fragmentum illustre habetur inter primas paginas operum Ratberti Abbatis Corbiensis, quo ab Episcopis conceditur privilegium Abbatiæ Corbiensi in Picardia, quo jus electionis alicujus Monachi in Abbatem, qui secundum Monasticam disciplinam aptus sit, & quem vitæ meritum, & sapientiæ dignitas probabilem reddiderit, quemque sanioris consilii, licèt pauci numero, fratres elegerint, conservatur.

Quod si aliquando contigerit, ut aliquis pervasor, imò lupus ovilis dominici, aut pecunia, more Simonis, aut qualibet gratia apud dominos rerum, Monasterium illud impetrare voluerit: primo secundum canonicam authoritatem, quia sæculari potestate Ecclesiam Dei obtinere voluit, anathematizamus unà cum omnibus sanctis patribus, qui sacros canones ediderе, &c. deinde inferimus, quia servorum Dei contubernium turbare voluit, exturbet illum, sicut Achan de turba viventium, si tamen non citò resipuerit. Si autem & impetraverit, neque hìc, neque in futuro so-

M... ctione Abba... comm... datar... Jos. 7

cie-

cietatem cum sancta Ecclesia Dei habeat, quam infami satis exemplo contaminavit. Imò chorus omnium Ecclesiarum contra eum indesinenter concrepet, qui dicit, Hæreditate possideo sanctuarium Dei, *Deus meus pone illum, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis, qui comburit sylvam, sicut flamma comburens montes*, & cætera, quæ sequuntur. Et quia cupiditate ductus etiam pecuniam, ac substantiam servorum, & pauperum Christi invadere, & asportare voluit, unà cum Juda sacræ pecuniæ dilapidatore, & proditore Domini nostri Jesu Christi, maledictiones illas, quæ in eum prolatæ sunt, excipiat, utpote invasor gregis Christi, & necator pauperum.

Præterea, si filii nostri Domini rerum eis, qui hæc nunc forte machinantur, aut quandoque tentabunt, aspiraverint, semel, & secundo, & tertio, vel amplius moniti, si non se correxerint, similis eos obligationis sententia & hic, & in futuro adstringat, nisi se erga eum, qui rex regum, & Dominus est dominantium, per veram satisfactionem correxerunt. Et ut hoc filii, ac Domini nostri, quod Dei, & Ecclesiasticæ sanctioni adversum est, facere formident, canonica auctoritas, quid de his, & in plurimis capitulis statuat, annectimus; ita enim sancitum est: *Si quis dederit, vel acceperit oblata, præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit*, &c.

Hincmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rhemorum Episcopus hoc privilegium Episcopali auctoritate ratum decernens in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, confirmavi. Subscribunt deinde Erpuinus Sylvanectensis. Guntboldus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rothomagensis Episcopus. Simeon Laudunensis. Rothadus Suessionensis. Theodericus Cameracensis. Irminfridus Bellovacensis. Wenilo sanctæ Senonicæ Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus. Fulconius Tarvanensis. Helias Carnotensis. Raginarius Ambianensis. Prudentius Tricassinæ Ecclesiæ Episcopus. Aldricus Cenomanensium. Erchenradus Parisiensis. Freculphus Lexoviensis. Gexobodus Sagensis. Imo Noviomagensis. Erluinus gratia Dei Constantiæ Episcopus.

Ludovicus monasterii pretiosissimorum martyrum Christi, Dionysii, ac sociorum ejus Abbas, privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi. Radbertus ipsius monasterii Abbas, privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi.

Metuere certè maledictiones hujusmodi deberent Abbates commendatarii hujus loci, nisi ab eis per concordata se eximant.

CONCILIUM DUZIACENSE,

Adversus incesta conjugia, & rerum Ecclesiasticarum pervasores, anno Christi 874. tempore Joannis Papæ octavi, & Caroli Calvi.

Extat hujus Concilii Epistola Synodica contra incesta conjugia, & pervasores rerum Ecclesiasticarum, cujus initium est: Sancta Synodus plurimarum provinciarum, nutu divino, & sanctione Domini Caroli regis gloriosi, apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemensis parochiæ, in Dei nomine, anno Incarnationis Dominicæ 1374. indict. 7. idibus Junii convocata, dilectis fratribus, & venerabilibus consacerdotibus nostris, in provinciis Aquitanicæ regionis sanctas Dei Ecclesias gubernantibus, plurimam in Salvatore salutem, &c.

Extat quoque ejusdem Concilii sententia, seu definitio, per quam quædam Monacha Benedictina, Duda nomine, à quodam Presbytero corrupta, subjicitur pœnitentiæ septem annorum, post quos, si dignè pœnituerit, percipiet communionem Corporis, & Sanguinis Christi; prius tamen jubetur coram Abbatissa sua, vel sororibus, ut cæteræ metum habeant, nudo dorso, remota virorum præsentia, virgis flagellari, ut caro, quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam: & sanguine carnis virgis elicito, sanguinem animæ, videlicet profusas lachrymas, flagello producat à mente. Berta quoque, & Erpeda moniales huic mollitiei consentientes, quæ non eam indicaverant, pœnitentiæ trium annorum, & dimidii anni subjiciuntur, post mensuratam virgarum castigationem. De Presbytero autem statuitur, ut depositus, in longinquas terras amandetur, & in aliquo exilii sui monasterio retrudatur in perpetuum, laica tantùm communione sibi servata. *Apud P. Sirmondum tom. 3. Concil. Galliæ ex codice S. Leodiensis.*

Synodi Mantalensis anno 879. fragmentum. Ex Annalibus Burgundiæ Paradini.

Mente, ou Mante.

Sacra Synodus Mantalensis territorii Viennensis, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregata, simul cum primoribus, inspirante divinitate summæ majestatis, sincera devotione vestram prudentiam, clarissime princeps, adit, petens addiscere certissima vestra responsione, qualem vos velitis in principatu, quo vos sublimari per divinam misericordiam optamus, omnibus ostendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide Catholica veraciter quæsituri estis, & Ecclesiam illius pro viribus exaltaturi, si vultis omnibus, sicut boni principes, qui vos præcesserunt, & quorum formam litteris, & fama nostis, legem, justitiam, & rectum concedere, & servare: tenentes humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, cum patientia, & animo sereno, humillimo, ad damnandum incondito, sed in omnibus justè promissis, stabili, & certo, benè per Dei gratiam præparato, & ornato, sobrietate competenti venusto. Qui sitis accessibiles omnibus recta suggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodesse, quàm præesse, sequentes vestigia sanctorum principum, calcantes iram, sævitiam, duritiam, avaritiam, cupiditatem, indignationem, & superbiam, justus patricius vestris majoribus, & minoribus apparentes, veritatem ore, & opere præferentes, salubre Concilium libenter audientes, monstra vitiorum declinantes, & persequentes, virtutes amantes, defensionem, & mamburgium singulis exhibentes, ut neque eadem sancta Synodus, & primates vestri cum ea sentientes, nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque sacro vestro principatui, vobis, ut credimus, profuturo, justè derogetur: sed sit pax, & veritas sanctorum suffragiis per divinam gratiam prælatis, & subditis, sacerdotibus, & illis commissis primatibus, dum illis auctoritatem Euangelicam, & Apostolicam cum justa lege humanæ consenseritis, & observaveritis, ut per omnia, & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam sacerdotalis, & laicalis fidelitas, ut faciat vestra prudentia unumquemque in vestra domo suum vas possidere in sanctificatione, & honore.

Subjungitur electi regis Bosonis ad Synodum responsio, qua Synodo gratias agit, seque suscipere normam, & instructionem ab ea ad se missam, seque hanc observaturum pollicetur. Addit in fine. Simulque precor per charitatem, qua fervetis, ut communi faventes utilitati, triduanis solemniter precibus Dominum Deum nostrum, cum plebibus vobis commissis, exoretis, ut propter peccata mea, vel levitatem meam, vos, aut me ad deceptionem populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc voluntatem misericorditer ostendat.

CONCILIUM

apud S. MACRAM,

Rhemensis, anno 879.

EX codice Senariæ Lugdunensis edidit P. Sirmondus hoc Concilium, quod celebratum in Gallia apud Martyrium S. Macræ, in loco, qui dicitur Finibus Rhemensis parochiæ, ubi diversarum Provinciarum Episcopi, diversis occupationibus tàm paganorum infestationibus, quàm pravorum Christianorum insectationibus diu præpediti, nunc tandem convenerunt, videlicet anno Christi 881. Joannis 8. Papæ 9. Ludovici, & Carlomanni Regum 2. Hujus Synodi habentur 8. Capita. 1. quod distinctæ sint potestas regia, & auctoritas Pontificum. 2. increpatio torporis, & negligentiæ Sacerdotum ex S. Gregorio. 3. de honore, cultuque Dei, & Ecclesiarum. 4. De suscipienda cura Monasteriorum. 5. De rapinis compescendis, & pace restituenda. 6. Admonitio ad Regem, & ministros reip. 7. de præstanda per pœnitentiam emendatione. 8. ad Regem, ut bonos deligat Consiliarios.

Fimes.

CONCILIUM

TOLOSANUM,

Præside Sigebodo Archiepiscopo Narbonensi, circa annum 883. & tempora Marini Papæ, & Carlomanni, in causa Judæorum.

OCcasionem huic Concilio dederunt querelæ Judæorum Tolosanorum: cùm enim aliquando Abderam Saracenum Regem Hispaniarum, sponte, & multis suasionibus adduxissent, ut bellum inferret Christianis, quod & fecit cum multa strage Christianorum à Pyrenæis Montibus usque Lugdunum, ita ut & Tolosa capta fuerit, omnesque, exceptis Judæis, interempti: Rex Carolus Magnus tribus prælis fugato Abdera Tolosam simul recepit, compertoque, quod Judæi ejus habitatores fœdus inierant cum Saracenis, universos morte dignos adjudicavit: Attamen illis lachrymantibus, & misericordiam ejus implorantibus, ea conditione pepercit, ut morerentur rei ejus fœderis, & pactionis, reliqui verò in urbe possent habitare, & vivere, modò unus illorum, aut successorum per singulos annos, ter in anno, scilicet in die Natalis Domini, Passionis, & Assumptionis, colaphizaretur ante fores illius Ecclesiæ, ubi ejusdem Civitatis Episcopus juberet dumtaxat uno ictu virtuosi hominis, oblato prius pro censu pondere trium librarum ceræ. Cùm igitur Judæis tale jugum gravissimum videretur, Carlomannum Francorum Regem filium Lodovici Balbi adierunt, conquerentes injuriam sibi fieri ab Episcopo Tolosano, & ab omni Clero illius, & populo, in colaphizando pariter, & cædendo ter in anno unum ex advocatis eorum, genuflexi, & lachrymabili voce petentes, ut sua auctoritate id impediret, multa auri, & argenti pondera pollicentes, si id faceret. Rex verò nolens quicquam temerè definire de Ecclesiasticis causis, præcepit Ricardo Proregi Aquitaniæ, ut, coadunato Episcoporum Septimaniæ, & Aquitaniæ conventu, in prædicta civitate Tolosa, cui præsideret Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus, in cujus Diœcesi est Tolosa, justo judicio terminaretur, quid super querelis Judæorum agendum esset.

Judæorum supplicium.

Cùm autem Concilium Tolosæ ageretur, dicentibus Judæis hanc pœnam esse injustam, & contrà dicentibus Christianis, eos justo judicio ad hanc pœnam damnatos fuisse, cùm neutra pars alteri cederet, surrexit sanctus Theodardus, & cum bona venia Patrum Concilii exhibuit duo diplomata Caroli Magni, & Ludovici Pii eorum signaculis inscripta, quibus narrata eorum perfidia, ad hanc colaphizationem ferendam damnabantur, cum hac clausula: *Ut nemo eam audeat dissolvere, aut violare. Quod quicumque ageret, noverit se æterna ultione damnandum, & nullam habere partem in Regno Christi.* Quibus auditis, Judæi dixerunt, non sibi rectum factum esse judicium: quia si patres eorum tantum incurrere delictum, filios eorum immunes fieri ab eorum iniquitate constare, juxta quod scriptum est: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Prætereà Moysem, cùm prædixit illis mala omnia, quæ generi suo advenire debebant, nihil de tali supplicio loquutum fuisse. Petebantque, ut juxta præcepta Legis suæ judicarentur. Nam quod bona sit, & sancta Lex nostra, ajebant, quidam ex fidei vestræ cultoribus dixit: *Lex quidem bona, & sancta.* Et Psalmista: *Lex Domini irreprehensibilis.* De vobis autem vester sanctus, & fidelis Propheta ait: *In Gentibus non est Lex.* Respondit illis Theodardus: Importunitas Judaicæ perfidiæ, Deo pariter, & hominibus semper rebellis in tantam prorumpit insolentiam, ut dicat nos Christianos nullam habere Legem: cùm Lex vestra à vobis jure ablata sit propter malitiam studiorum vestrorum, & nobis Christianis plenius, ac perfectius, quàm vobis, aut parentibus vestris tradita, juxta illud: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti verbum ejus.* Posteà multis ultro, citroque verbis habitis, inter quæ nonnullæ voces in Christum blasphemæ à Judæis pronuntiatæ, auditæ sunt, subjunxit. Nam si hoc jugum, unde sedulo querimoniam Regi, ac Duci clamosis vocibus insonatis, ad litteram velimus accipere, non tantùm uno virtuosi hominis ictu, sed etiam pro unoquoque eorum septem vobis colaphi imprimentur. Juxta quod in Lege vestra scriptum est, Domino dicente: *Augebo pœnas vestras septuplum adversus incedens contra vos*, & cætera. Judæi: Hoc quidem, inquiunt, in terra nostra Dominus nobis justè pro peccatis nostris inferre minatus est. Nunc autem, quia in terra hostili sumus, non debent nobis talia inferri supplicia, vel tormenta. Ad hoc dux iratus proponebat mittere legationem ad regem de his, quæ objecta erant Concilio, & quod dixerant audientibus cunctis, Judices eos Christianorum jure fieri debere, qui eorum Christum, & Dominum suo judicaverunt judicio, atque condemnaverunt, utpote mortis reum, Crucis supplicio, ut quod super his agendum sit, suo determinet regali edicto. Sed Judæi terrore perculsi, provoluti pedibus Episcoporum, obtinuerunt, ut pro ipsis à Duce peterent, ut sineret eos ipso, eodemque mancipatos supplicio, quo ab Imperatoribus prius damnati fuerant, sub silentio, ac tranquillitate vivere, qui cùm nollet eis assensum præbere, dixisse perhibetur ad eum beatus Theodardus: In hoc, Domine, & Clementissime Dux, postulationibus Episcoporum acquiescere debes, si aliquid ad gloriam Dei omnipotentis ex proposito tuo, prædicto Judæorum adjiciatur supplicio. Erit enim memoriale, & cunctis Christicolis non parum acceptabile, ut is, qui colaphizandus est Judæus, priusquam pugnizetur, coram omnibus circumstantibus ter voce dicat excelsa: Benè quidem, & satis justè decretum est, ut cervices Judæorum pugnis subjiciantur Christianorum, eo quod noluerint subjici Jesu Christo Nazareno Deo deorum, ac Domino dominorum. Quod si noluerit, referiatur septies, ut impleatur, quod in lege eorum scriptum est: *Augebo pœnas vestras septuplum adversus incedens contra vos, &c.* Quod cùm placuisset Duci, & universo Concilio, missa sunt hæc compressa ad Regem, &c.

HÆc desumpta sunt ex Vita sancti Theodardi Confessoris Christi, atque Pontificis Narbonensis, quæ integra extant apud Duchenium tomo 3. Histor. Francorum, & apud Guilielmum le Catel Sena-

natorem Tolosanum libro 5. Monumentorum Linguæ Occitanæ in Sigebodo, ubi ex quibusdam antiquis chartis ostendit colaphizationem illam in mulctam pecuniariam postea mutatam fuisse, improbatque tantùm, quod in Historia narratur de capta à Saracenis Tolosa. Quamvis alia plura suspectæ fidei in ista narratione fortasse videri debeant.

CONCILIUM NEMANSE

2. minus. Sub Theodardo Archiepiscopo Narbonensi, anno 886.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia in villa, quæ Portus dicitur, sita inter Megulonem, & Nemansum, anno Christi 886. Stephani 5. Papæ 3. Caroli Crassi Regis 2. adversum Selvam Clericum Hispanum, qui cùm se Archiepiscopum fecisset, & Ingobertum Urgellitanum Episcopum ejecisset, constituto etiam in Gerundensi Ecclesia pro servo Dei, quem Theodardus ordinarat, quodam Ermemiro, quem ordinarunt cum Selva, Frondoinus Barcinonensis, & Gotmarus Ausonensis Episcopi; Ordinatores prædictos ad se venire jussit beatus Theodardus, quibus detrectantibus, Synodum suæ provinciæ indixit, in qua Selvam, & Ermemirum degradarunt, scissis Episcopalibus indumentis, baculis eorum super capita confractis, annulis cum dedecore à digitis avulsis, Frodoino Barcinonensi venia, quam humiliter postulabat, concessa: *Ex monumentis Ecclesiæ Narbonensis.*

CONCILIUM VIENNENSE,

In Delphinatu, tempore Formosi Papæ, & Ludovici Balbi Regis, anno 892.

IN vetere quodam libro Bibliothecæ in Abbatia Desneæ Lugduni, scriptum legitur: Tempore Papæ Formosi, jussu Regis Ludovici secundi, cognomento Balbi, Concilium indictum fuisse Ecclesiæ Gallicanæ in Templo Salvatoris Viennæ. Præsedisse autem Legatos Sedis Apostolicæ duos, Paschalem, & Joannem. Et subscripsisse illi Barmonem Archiepiscopum Viennensem, Isaacum Archiepiscopum Valentinum, Aurianum Archiepiscopum Lugdunensem, Isaacum Archiepiscopum Gratianopolitanum, & complures præcipuos viros alios tunc temporis sacerdotes adhuc maritos. Fuitque factum in illo Concilio statutum tale, quod ad verbum subscripsimus.

Ut Presbyteri non in villis, sicut quibusdam consuetudinis est, morentur, & fœminas suas secum in domibus suis habitare non permittant, exceptis illis, quos canonica permittit auctoritas.

Ita refert Joannes Majerius Belga Secretarius à libellis, & Historiographus Illustrissimæ Dominæ D. Annæ Britannicæ duplici nomine Reginæ Franciæ, in tractatu de differentiis schismatum, & Conciliorum, &c. Quem ex Gallico in Latinum convertit Ludovicus Joachimi, Lipsiæque editus est, non indicato anno editionis. Unde suspicionem aliquam ingenerare potest auctoris, cùm aliunde in pluribus aliis Galliæ Conciliis, quæ breviter describit, ubique arrepta occasione animum infensissimum adversus summum Pontificem, & Curiam Romanam ostendat. Quamvis aliunde protestetur, se nihil velle derogare auctoritati sanctæ Ecclesiæ Romanæ, retinentis integritatem suam, neque Pontificibus, Prælatis, & Pastoribus obtrectare, qui sapienter, sanctè, & prudenter vitam egerint.

De eadem Synodo Papirius Massonus tract. de notitia Episc. Galliæ. Viennæ à Paschali, & Joanne Apostolicæ Sedis Legatis, in Basilica Urbis ipsius, Sancti Salvatoris nomine consecrata, jussu Domini Formosi, Synodus habita est Anno 892. indict. 10. Quam quidem manuscriptam habeo. Ædes verò Salvatoris admodum exigua adhuc superest.

Porrò Cardinalis Baronius ex codice Papirii Massoni, quem penes se habuit, exscripsit idem Concilium Viennense inter addenda, & emendanda in annalium Ecclesiasticorum tomis, ad tomum decimum, quæ extant ad calcem tomi 12. editionis Antuerpiensis.

Hæc capitula facta sunt anno Dominicæ Incarnationis 812. indiction. 10. consensu Formosi Apostolici congregata Synodo apud Viennam Metropolim Galliæ, præsentibus Legatis Apostolicæ sedis venerabilibus Episcopis Paschali, & Joanne, & aliis Coepiscopis ejusdem regni, quorum nomina subter habentur adscripta, in Basilica sancti Salvatoris nomine consecrata.

Ut ab injusta invasione, & possessione rerum Ecclesiasticarum sæculares abstineant, & quod hactenus fecisse noscuntur, emendare cogantur: & si admonitis non se correxerint, tunc congruo tempore virtute Spiritus Sancti ex auctoritate B. Petri Apostoli habeantur excommunicati.

Ut sæculares, qui de Catalogo Clericorum aliquem occiderint, vel castraverint, vel aliquo membro detruncaverint, seu temerè dehonestaverint, de præteritis pœnitendo Ecclesiæ satisfaciant, & emendare studeant, quod si non fecerint supradicto tempore, excommunicentur.

Ut eleemosynam Presbyteri, vel Episcopi ægrotantis nemo qualibet fraude violare præsumat. Quod si quis fecerit, nisi emendaverit, simili sententia feriatur.

Ut nemo sæcularium Ecclesiæ dare, vel offerre absque Concilio, & voluntate Episcoporum, ad quos ipsæ Ecclesiæ pertinent, præsumat, & ut nulli census à Presbytero, loco muneris ad introitum, ut dicunt, Ecclesiarum * exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur. *exigãtur.
Hactenus de Synodo Viennensi.

CONCILIUM TURONENSE,

Pro instituendo festo translationis corporis S. Martini, præside Adalrado Archiepiscopo Turonensi, tempore Formosi Papæ, & Caroli Simplicis, anno 895.

ACcipe hoc Concilium ex Vincentio Belvacensi in Specul. Histor. lib. 24. cap. 54.

Tollone ad fidem converso relatum est corpus S. Martini ab Antissiodoro Turonum. In cujus reditu quicumque qualicumq; incommodo detenti, etiam non rogantes, etiam non volentes, sunt sanati. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes, quæ fiebant, communicato consilio, aptatis baculis sub ascellas, repere magis, quàm fugere tentabant, fugientesque, inviti sunt sanati. Quod ipsi postea confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines Parochiæ suæ tempore brumali, omnia fruteta vestita sunt foliis, & floribus, & tàm cerei, quàm lampades accendebantur, igne divinitus misso, maximè in duabus Basilicis in ejus nomine consecratis, in Majori monasterio, & Ecclesia Novi Castri, in qua nunc usque servatur, & dextera, lævaque in omnibus Ecclesiis campanæ divinitus pulsabantur, nemine tangente. Factum est hoc anno à transvectione ejus 31. idus Decembris, & Synodali auctoritate decretum est, ut hoc festum celebre ageretur ab Adalrado Archiepiscopo Turonensi, & provincialibus suis Raymone Au-

D. Martini miracula.

Aurelianensi, fratre Adalardo, Mainoldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi, & suffraganeis totius Provinciæ Episcopis.

CONCILIUM RHEMENSE,

Heriveo Archiepiscopo Rhemensi præside, contra homicidas sui prædecessoris, tempore Romani Papæ, & Caroli Simplicis celebratum, anno 900.

EX veteri manuscripto Codice Nicolai Camusatii Canonici Trecensis corrivavit Ducenius in tomum secundum Historię Francorum scriptorum actum hujus Concilii Rhemensis, in quo illius causa continetur, necnon formula excommunicationis contra interfectores Archiepiscopi Rhemensis, cum tot maledictionibus, horrendisque imprecationibus, ut vix similis alibi reperiatur.

ANno 900. Dominicæ Incarnationis pridie Nonas Julii, primo scilicet die, quando ordinatus est Heriveus in Archiepiscopatu Rhemensi Episcopus, lecta est excommunicatio hæc, quæ sequitur, in Ecclesia sanctæ Mariæ Rhemis, præsentibus Episcopis infra scriptis. Heriveus nomine non meritò Rhemorum Archiepiscopus, ac plebis Dei famulus: Vvido Rothomagensium Archiepiscopus, Riculfus Suessionum Episcopus, Heidolo Noviomagensium Episcopus, Dodilo Cameracensium Episcopus, Herinandus Morinensium Episcopus, Orgarius Ambianensium Episcopus, Honoratus Belvacensium Episcopus, Mancio Catalaunensium Episcopus, Rodulfus Laudunensium Episcopus, Orfridus Silvanectensium Episcopus, Angelrannus Meldensium Episcopus. Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tàm Clericis, quàm laicis, quàm nos, & nobis commissa omnis Ecclesia nimia perturbatur tristitia. Pro re inaudita post persecutionem temporis Apostolorum, eorumque successorum: de occisione nimirum patris, & pastoris nostri Falconis ab impiis impiè perpetrata, qui pro Regni utilitate, & totius sanctæ Ecclesiæ statu, pro viribus diu, noctuque desudans, ac seipsum in defensione omnium Ecclesiarum in hoc regno consistentium muro protectionis opponens. Res enim earum à Balduino comite filio Baldivini, ac Judith contra omnem legem & divinam, & humanam pervadebantur. Ideò ab ipsius Baldivini hominibus, Vvincemaro, & Euverardo, & Raterido; cæterisque eorum complicibus interfectus crudelissimè occubuit, de ejus morte totius Ecclesiæ ordo, atque protectio meritò contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris temporibus perpetrare non timuerunt, quod àntea, nisi fortè à paganis, in Ecclesia non auditum, quia non est actum in nomine Domini, & virtute Sancti Spiritus, nec non auctoritate Episcopi, per Beatum Petrum Principem Apostolorum divinitus consolata, ipsos à sanctæ Matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus: ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Christianos conversatio. Sintque maledicti in civitate, in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum. Maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum, armenta boum suorum, & greges ovium suarum. Maledicti sint ingredientes, & egredientes. Sintque in domo maledicti, in agro profugi. Intestina in secessum fundant, sicut perfidus, & infelix Arrius, veniantque super illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moysem in populum Divinæ legis prævaricatorem se esse intentavit. Sintque anathema maranatha, & pereant in secundo adventu Domini. Insuper quidquid maledictionis sacri Canones, & Apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis, & sacrilegis. Nam illos sacrilegiorum nomine notamus, qui in hunc Christum Domini manum mittere ausi sunt, omne super illos, ac perpetuum interitum per justissimam Divinæ animadversionis sententiam congeratur. Nullus ergo eis Christianus vel ave dicat. Nullus Presbyter missas aliquando celebrare, nec si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere, vel sacrosacram Communionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso fine vitæ suæ præsumat unquam dare: sed sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium super faciem terræ sint, ut sint in exemplum opprobrii, & maledictionis præsentibus generationibus, & futuris, & sicut hæ lucernæ de nostris projectæ manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

Maledictiones.

CONCILIUM RHEMENSE,

Sub Seulfo Archiepiscopo, pro imponenda pœnitentia contra militantes in bello injusto, tempore Joannis decimi, & Caroli Simplicis, celebratum anno 924.

EX eodem codice, quo superius Concilium Rhemense sub Heriveo celebratum, exscriptus est actus, qui sequitur, quo notum sit præsens Concil. Rhemense.

ANno Dominicæ Incarnationis 924. Episcopatus autem Domini Seulphi, convenientes sancti Patres, Seulfus scilicet Rhemorum Archiepiscopus, Abbo Suessionicæ urbis Episcopus, Adelelmus Silvanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis, cum cæterorum ejusdem Rhemensis diœceseos Episcoporum legatis, decreverunt sanè pœnitentiam his, qui bello Suessionis inter Rotbertum, & Carolum acto interfuerant, injungendàm: videlicet, ut tribus quadragesimis secunda, quarta, & sexta feria, in pane, sale, aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ, & quindecim diebus ante nativitatem Domini Salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerint, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate sine malitia detentum esse contigerit.

Patet autem ex codice Camusatii, ex quo prodiit hoc Concilium, & ex Chronico Frodoardi, nobilem quemdam Robertum rebellasse tunc adversus Carolum Simplicem Regem Galliæ, ac in prælio occisum fuisse prope Suessionem, licèt sui exercitum Regis in fugam verterint, campoque, ac spoliis potiti sint. Hos autem victores Episcopi pœnitentiæ subdiderunt pro hoc perfidiæ, & rebellionis crimine, quod in Gallia non est infrequens.

CONCILIUM TROSLEJANUM,

Sub Heriveo Archiepiscopo, anno Christi 931.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia apud Troslejum, in quo Erlebaldus Comes excommunicatus, post mortem est absolutus, anno Christi 931. Joannis 10. Papæ 9. Caroli Regis 19. Iste enim Erlebaldus, ut refert Flodoardus lib. 4. Historiæ cap. 16. Comes Castricensis pagi ab Heriveo præsule excommunicatus est, propter Rhemensis Episcopii terram, quam pervaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia Ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat; sed tandem ab illa munitione expulsus, & ad Regem confugere coactus, ab hostibus ipsius Regis irruentibus occi-

occisus est, sed post mortem interveniente Rege, & obnixè flagitante in prędicta Synodo, absolutus est. Est autem Troslejum pagus in tractu Svessionensi.

CONCILIUM TRENORCHIANUM,

Sub Guidone Archiepiscopo Lugdunensi, ac Gosfrido Vesontionensi, Anno Christi 944.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia, anno Christi 944. Martini III. Papæ II. Ludovici IV. Regis VIII. Gisalberti Ducis evocatione in ejus loci Monasterio, ubi congregati Episcopi, multi Abbates, & Clerici decreverunt, ut sacræ reliquiæ Monasterii, quæ orto inter Monachos dissidio, quibus prędictus Gisalbertus ineptum Abbatem imponere nitebatur, ad S. Portianum, apud Arvernos exportatę fuerant, ante triennium, Missa Legatione, reposcerentur, & in pristinis sedibus collocarentur, re peracta, omnem protinus, qua vexati fuerant, calamitatem desiisse. Auctor est Petrus à sancto Juliano in originibus Trenorchianis.

CONCILIUM APUD S. THEODERICUM,

Anno Christi 953.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia 5. Episcoporum, in territorio Rhemensi, Artaldo Archiepiscopo præsidente, ad quod vocatus Reginaldus Comes, ob res Ecclesiasticas ab eo ablatas venire noluit, sed deprecatus est Regem, ut ad Synodum mitteret, ne excommunicaretur, anno Christi 953. Agapiti II. Papæ VII. Ludovici IV. Regis 17.

CONCILIUM RHEMENSE,

Tempore Adalberti. Archiepiscopi Rhemensis, anno Christi 975.

HOc Concilium fuit celebratum in Gallia, in quo Theobaldus Episcopus Ambianensis Ecclesiæ usurpator præsidente Stephano Diacono, Benedicti VII. Papæ Legato, anno Christi 975. ejusdem Pontificis. 1. Lotharii Regis 21. excommunicatur his verbis. Velut morbidum, & morbosum hircum separamus te à grege Dominico, usque ad veram tui recognitionem, & dignam satisfactionem.

CONCILIUM KARROFFENSE,

Celebratum Kalendis Junii circiter anno 988. certè ante annum 990. quo obiit Hugo Episcopus Engolismensis.

PRædecessorum nostrorum auctoritatibus Synodalicis roborati in nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi Kalendis Junii, Ego Gumbaldus Archiepiscopus secundæ Aquitaniæ, cum omnibus Episcopis Comprovincialibus convenimus aulam, quæ olim Karrof vocitatur tàm Episcopi, quàm & Religiosi clerici, necnon etiam & omnis uterque sexus, auxilium divinę pietatis implorantes, ut qui quę quondam in nostris domiciliis moribus pestiferis per longam tarditatem Concilii diu pullulare cognovimus, respectu cœlestis gratiæ & eradicentur noxia, & plantentur utilia. Nos ergo in Dei nomine specialiter congregati decrevimus, sicut in superioribus manifestata, clarescant ita.

1. Si quis Ecclesiam Dei sanctam infregerit, aut aliquid exinde per vim abstraxerit, nisi ad satis confugerit factum, anathemá sit.

2. Si quis Agricolarum, cæterorumque pauperum prædaverit ovem, aut bovem, aut asinum, aut vaccam, aut capram, aut hircum, aut porcos, nisi per propriam culpam; si emendare per omnia neglexerit, anathema sit.

3. Si quis Sacerdotem, aut Diaconum, vel ullum quemlibet ex clero arma non ferentem, quod est, scutum, gladium, loricam, galeam: sed simpliciter ambulantem, aut in domo manentem invaserit, vel ceperit, vel percusserit, nisi post examinationem proprii Episcopi sui, si in aliquod delictum lapsus fuerit, sacrilegus ille, si ad satisfactionem non venerit, à liminibus sanctæ Ecclesiæ Dei habeatur extraneus.

Ego Gumbaldus Archiepisc. Burdigalensis subscripsi.
Ego Gillebertus Pictaviensis Episc. subscripsi.
Ego Hildegarius Lemovicensis Episc. subscripsi.
Ego Abbo Sanctonum Episcop. subscripsi.
Ego Hugo Engolismensis Episcopus subscripsi.

Hoc Concilium laudatur in alio Concilio Pictaviensi, quod apud Philippum l'Abbe, tom. 2. extat sine temporis, & anni designatione, ac ideo à nobis omittitur.

CONCILIUM NARBONENSE,

Preside Hermingaudo de Narbona Archiepiscopo Narbonensi, celebratum contra invasiones Nobilium in bona Ecclesiastica, circa annum 990. & tempore Joannis XV. & Hugonis Regis Galliarum.

VEstigium, & memoria hujus Concilii Narbonensis extat in Monumentis Linguæ Occitanæ, Guillielmi le Catel libro 5. in Hermingaudo Archiepiscopo Narbonensi, ubi testatur eum Provinciale Concilium convocasse, cui pręter Episcopos interfuerunt Raimundus Comes Rovergiensis, Rogerius Comes Carcassonensis, & filius ejus Raimundus, Raimundus Vicecomes Narbonensis frater Hermingaudi Archiepiscopi, Guillielmus Vicecomes Biterrensis, aliique primæ nobilitatis nota insignes. Hoc autem Concilium potissimum contra nobiles habitum, qui non modò Ecclesiasticorum bona invadebant, sed eorum personas indignè habebant: ideoque contra eos multa decreta sunt, sicut in pluribus aliis Conciliis, & potissimum in ultimo Burdigalensi, quia malum hoc vetus est in Ecclesia, quod sæpe recrudescit, aut avaritia, aut ambitione, aut indevotione, & infidelitate plurium, quibus aquę furtivę dulciores sunt, quodque proinde sæpe sępius reprimi necesse est, ne magis invalescat.

CONCILIUM APUD S. DIONYSIUM,

Propè Lutetiam, præside Seguino Archiepiscopo Senonensi, tempore Sylvestri II. & Roberti Regis, circa annum Domini 1000.

AImoinus in vita S. Abbonis Floriacensis Abbatis, & Martyris, quam ex parte Duchennius inseruit in tomo 4. suæ Historiæ Francorum, hęc refert de hac Synodo.

In illis sanè Diebus, in Monasterio sancti Dionysii haud procul à Parisiis Concilium aggregatum est quam plurimorum Episcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tàm suis, quàm subditorum pravis moribus, sermocinari debuissent, juxta vulgare proverbium, cunctum suum sermonem ad decimas verterunt Ecclesiarum. Quas laicis, ac Deo servientibus monachis auferre moliti, usitante eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiscuam in vulgi concitavere manum. Ortaque subito seditione,

tione, tantus in Episcopos timor irruit, ut publica statione relicta, passim quisque diffugeret, inter quos Seguinus Senonum Archiepiscopus, Primatum Galliæ in ea Synodo sibi usurpans, primatum quoque fugæ sibi arripuit. Et inter fugiendum securi inter scapulas, lutoque à popularibus oblitus, ægrè evasit. Uni quoque Episcoporum timor fugienti tàm veloces addidit alas, ut affluentissimo prandii apparatu, quem sibi exstruxerat, relicto vicinæ urbis Parisiorum mœnia, fugitabundus expeteret.

Apologia Abbonis, cui imputabatur hæc irrogata Concilio injuria.

NEc me vestro, ait regibus, aliorumque sapientum examini subduco, qui contra Canones sensisse suspicor. In Episcopos manum Monachorum misisse accusor, &c. sed esto cui sententiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio vix apertum librum videre potui? aut Concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt, & disconciliati recesserunt? cum ibi discordes reconciliari debuerint, aut Canonica districtione mulctari. Quid in me singulariter commiserunt Episcopi, ut eis saltem cogitatione obesse voluerim, præsertim cum non inimicum, sed fide, & opere amicissimum, graviora pericula pertulisse contigerit? ecce coram Deo in Christo non mentior, quia audita insequentium conclamatione, ultra quam dici potest, indolui, recordatus pristinæ amicitiæ, & beneficiorum tanti viri, cujus nix venerandum caput ostendit, excepta Primatis prærogativa, & Sacerdotali infula. Qua suggestione vos decepi, ut vestram & benevolentiam optimis auferretis, malè meritis conferretis? num ego Deus sum, qui mutat mentes, mutat corda, mutat regna, & tempora? verè fateor me Magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didicisse.

Synodus in Airiaca villa in tractu Bituricensi, anno Domini 1016. *Airy.*

EX chronico sancti Petri vivi circa annum Domini 1016. in tempore illo factus est magnus conventus in Autisiodorensi pago, in Airiaca villa, à Leotherico Archiepiscopo. Ubi de singulis locis delata sunt Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum pretiosa pignora in suis scriniis. Inter quæ de cœnobio B. Petri vivi dum deferretur, vel referretur B. Martyr Sanctianus, imminentibus noctium tenebris super duo capita scrinii emicuerunt duo præclarissima sydera, totius noctis tenebras suo splendore superantia, oculis quidem deducentium visibilia, sed tactu impalpabilia. Ibi fuerunt præsentes Robertus Rex, & Goslinus Bituricensis Archiepiscopus cum aliis Episcopis, Abbatibus, & populo innumerabili. Ibi etiam multa disposita sunt ad utilitatem Ecclesiarum. *Reliquiæ.*

ADDITIO AD CONCILIUM AURELIANENSE,

Tempore Benedicti Papæ VIII. & Roberti Regis celebratum anno Dom. 1017. contra Heribertum, & Lisoium, aliosque novos hæreticos.

HOc Concilium exhibet Glaber Radulphus Cluniacensis Monachus Historiarum sui temporis libro tertio, cap. 8. his verbis.

Tertio-de-vigesimo, supra jam dictum millesimum anno est apud præfatam Aurelianensem urbem cruda nimium, atque insolens hæresis, quæ scilicet diutius occultè germinata, in perditionis segetem malè pullulans, plures in suę cęcitatis pręcipitavit laqueum.

A Fertur namque à muliere quadam ex Italia procedente, hæc insanissima hæresis in Galliis habuisse exordium, quæ ut erat Diabolo plena, seducebat quoscumque volebat, non solùm idiotas, & simplices, verum etiam plerosque, qui videbantur doctiores in clericorum ordine, &c. Fuerunt nempè hujus perversi dogmatis Hæresiarchę duo, heu proh dolor! qui in civitate putabantur genere, ac scientia valentiores in clero, quorum unus Heribertus, alter Lisoius dicebatur. Hi denique, quamdiu res latuit, summam obtinuerunt amicitiam tàm apud Regem, quàm apud palatii proceres, nempe idcirco facilius quoque decipere potuerunt, quorum mentes amor fidei universalis minus distrinxerat. Qui non solùm in prædicta urbe, sed etiam in vicinis urbibus malignum dogma B spargere tentabant, &c.

Ut autem cognovit Rex, scilicet Robertus, ut erat doctissimus, ac Christianissimus, tristis, ac mœrens nimium effectus, quoniam & ruinam patriæ revera, & animarum metuebat interitum; idcirco quantocius Aureliam properans, convocatis plurimis Episcopis, & Abbatibus, ac reliquis quibusque laicis, acerrimè cœpit persequi, qui essent auctores hujus perversi dogmatis, vel qui parti illorum jam decepti consentirent. Facta igitur perscrutatione inter clericos, quomodo unusquisque sentiret, & crederet ea, quæ fides Catholica per doctrinam Apostolicam incommutabiliter servat, & prædicat; illi duo, videlicet Heribertus, & Loisius se aliter sentire non negantes, quales diu latuerant, manifestaverunt. Deinde C verò plures post illos se parti istorum profitebantur hærere, &c. Qui dum interrogati fuissent, à quo, vel unde ista eis præsumptio accidisset, hujusmodi reddiderunt responsum. Hoc enim diu est, quod sectam, quam vos jam tardè agnoscitis, amplectimur, sed tàm vos, quàm ceteros cujuscumque legis, vel ordinis in eam cadere expectavimus. Quod etiam adhuc fore credimus. His dictis continuo palam exposuerunt omnium antiquarum stultissimam, ac miserrimam, nempè sui deceptricem hæresim .... Dicebant ergo deliramenta, quicquid in veteri, ac novo Canone, certis, ac prodigiis, veteribusque testatoribus de trina, unaque deitate beata confirmat auctoritas. Cœlum pariter, ac terram, ut conspiciuntur, absque auctore initii semper extitisse asserebant. Et cum universarum hæresum insanientes, canum more latrantes deterrima, in hoc tantum Epicureis erant D hæreticis similes; quoniam voluptatum flagitiis credebant, non recompensari ultionis vindictam. Omne Christianorum opus, pietatis dumtaxat, & Justitiæ, quod æstimatur pretium remunerationis æternæ, laborem superfluum judicabant esse, &c. Pręterea cum à pluribus omni sagacitate laboratum fuisset, qualiter deposita mentis perfidia, veram, & universalem reciperent fidem, atque illi omnimodis se facere denegarent, dictum est eis: Quoniam nisi clericus ad sanam fidei mentem redeant, Regis jussu, & universæ plebis consensu igne essent protinus crematuri. At illi malè in sua confisi vesania, vel pertimescere jactantes, seque evasuros ab illo igne promittentes, quin potius ad meliora sibi suadentibus, spernendo illudebant. Cernens quo- E que Rex, & universi, qui aderant, minus posse illos ab insania revocari, jussit accendere non longè à civitate ignem permaximum, ut vel fortè territi à sua malignitate desinerent, ad quem cum ducerentur, rapidi adacti dementia, se omnimodis hoc velle proclamabant, ac sese ultro ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad ultimum numero 13. igne traditis, cum jam cœpissent acrius aduri, cœperunt voce, qua poterant, ex eodem igne clamare, se pessimè deceptos arte Diabolica, nuper de universorum Deo, ac Domino malè sensisse, & ob hanc ab eisdem illatam ei blasphemiam illos temporali, atque ęterna ultione torqueri. His verò plures è circumstantibus auditis,

Hære[...] Herib[...] & Lo[...]

In ig[...] se a[...] scun[...] se dec[...]

àuditis: humanitatis pietate permoti accedentes, ut vel semivivos ab igne eriperent, minimè valuerunt, quoniam vindice flamma consumente illos, continuò in pulverem sunt redacti. Si qui verò postmodum hujus perversitatis sectatores fuerunt reperti, simili ultionis vindicta ubique fuerunt perditi. Præterea venerabilis Catholicę fidei cultus, extirpata insanientium pessimorum vesania, ubique terrarum clarior emicuit.

Hujus Synodi acta reperiuntur tom. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii Benedictini. Ex quibus ad majorem confirmationem sequentia delibavimus.

Sed antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo, qui cœlestis ab illis dicebatur, quali ante conficiebatur, nescientibus demonstrare curabo. Congregabantur siquidem certis noctibus in domo denominata, singuli lucernas tenentes in manibus, ad instar litaniæ, Dęmonum nomina declamabant, donec subito Dæmonem in similitudine cujuslibet bestiolæ inter eos viderent descendere. Qui statim, ut visibilis illa videbatur visio, omnibus extinctis luminaribus, quam primum quisque poterat mulierem, quæ ad manum sibi veniebat ad abutendum accipiebat, sine peccati respectu, & utrum mater, aut soror, aut Monacha haberetur, pro sanctitate, & religione ejus concubitus ab illis æstimabatur: ex quo spurcissimo concubitu infans generatus, octavo die in medio eorum copioso igne accenso probabatur per ignem more antiquorum paganorum, & sic in igne cremabatur. Cujus cinis tanta veneratione colligebatur, atque custodiebatur, ut Christiana religiositas corpus Christi custodire solet ægris dandum de hoc sæculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicę fraudis in ipso cinere, ut quicumque de præfata hæresi imbutus fuisset, & de eodem cinere quamvis sumendo parum prælibavisset, vix unquam postea de eadem hęresi gressum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua re parum dixisse sufficiat, ut Christicolæ caveant se ab hoc nefario opere, non ut studeant sectando imitari. Verum quia digressionem fecisse videor, ad eadem modò, quæ dimisi, vertatur oratio, ac succincto cursu infidelium crudelitas transcurrendo peragatur, ne prolixior controversia sermocinatio fastidium generet delicato lectori.

...æ fa- ...atio ...nta.

Igitur, ut dictum est, illis introductis ante Regem, & Episcoporum conventum; Prior Arefaltus Regem allocutus est dicens: Domine mi Rex, miles sum Richardi tui fidelissimi Comitis Normanniæ, & immeritus teneor vinctus, & catenatus ante te. Cui Rex ita respondit: Causam tui adventus citò nobis indica, ut ea cognita aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius à vinculis dimittaris. Ad hæc ille respondit: Audita sapientia, & Religione horum, qui vincti adstant ante te, ad hanc urbem venire volui, ut inde exemplo bonorum operum, atque doctrinæ eorum melioratus redirem. Hæc quidem causa est, pro qua de patria mea exire volui, & hanc urbem petii. Quod si reatu aliquo pro hoc opere teneor, pręsules tibi assistentes videant, & judicent. Tunc præsules dixerunt; Si sapientiam, ac religionis modum, quem ab his didicisti, nobis proferas, nostro judicio facilè dignoscetur. At ille ait: Regia majestas, & vestra auctoritas eis jubeat, ut, quę me docuerunt, ea ipsi coram vobis dicant, quatenus audita à vobis aut digna laude habeantur, aut oblivioni tradantur. Quibus Rex, atque Antistes cum juberent, ut suæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici, alia pro aliis dicentes, intra suæ hæresis fœditatem nullo aditu introire volebant, sed ut serpens quantò plus in manibus stringitur, tantò amplius elabitur, ita & isti, quo amplius concludebantur veritatis sermone, tantò magis labores videbantur effugisse. Tunc Arefaltus videns, quòd redimerent tempus, & sermonum clypeo festinarent obnubilare suæ fidei errorem, ad eos est conversus dicens. Veritatis magistros, non erroris habere putavi, dum constanter illam mihi doctrinam, quam salutiferam evangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte toleranda nunquam eam esse à vobis denegandam, nunc verò oblita fide, quam promisistis, ut video, timore mortis ab illa doctrina longè vultis fieri, meque adhuc rudem discipulum in periculo mortis dimittere parvipenditis. Unde Regiæ jussioni parendum est, & obedire tantorum præsulum auctoritati oportet, ut in his, quæ à vobis didici, si qua sunt Religioni Christianæ contraria, istorum judicio cognita, quæ sequenda sunt, & quæ respuenda, acquiescam. Docuistis equidem me, nullam in baptismo promereri veniam peccatorum, neque Christum de Virgine esse natum, neque pro hominibus passum, neque verè sepultum, neque à mortuis resurrexisse, neque panem, & vinum, quod super altare manibus Sacerdotum sancti Spiritus operatione effici videtur sacramentum, converti posse in corpus, & sanguinem Christi.

...rfaltus.

Cumque hæc Arefaltus una voce perorasset, Guarinus Beluacensis pręsul interrogavit Stephanum, & Lisojum, qui hujus erroris videbantur esse magistri, si ita sentirent, & crederent, quę ab Arefalto erant memorata. At illi cum diabolo in inferno jam mansionem paratam habentes, vera esse memorata, & ita se sentire, ac credere constanter asserunt. Quibus cùm pręsul diceret, voluisse Christum nasci de Virgine, quia potuit, & pro nostra salute pati in humanitate, ut tertia die devicta morte resurgeret in sua deitate, nosque doceret esse resurrecturos in reformatione, viperino ore responderunt, dicentes: Nos neque interfuimus, neque hæc vera esse credere possumus. Ad hęc præsul eos, inquit, interrogans: Carnales parentes habuisse creditis, an non? Cumque se credere assererent, præsul respondit: Si ex parentibus vos esse procreatos creditis, cùm non eratis, ante sæcula Deum de Deo genitum sine matre, in fine temporis sancti Spiritus obumbratione de Virgine natum, cui credere respuitis? At illi dixerunt: Quod natura denegat, semper à creatione discrepat. Quibus præsul respondit dicens; Antequam quidquam fieret per naturam, non creditis per filium Deum Patrem fecisse omnia ex nihilo? Cui alienati à fide dixerunt. Ista illis narrare potes, qui terrena sapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum scripta in membranis animalium; nobis autem, qui legem scriptam habemus in interiori homine à Spiritu sancto, & nihil aliud sapimus, nisi quod à Deo omnium conditore didicimus, incassum superflua, & à Divinitate devia profers; idcirco verbis finem impone, & de nobis, quidquid velis, facito: jam regem nostrum in Cœlestibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera sua nos sublevat, dans superna gaudia.

Insolens responsum.

Cumque ab hora diei prima usque ad horam nonam multifariàm elaborarent omnes, ut illos à suo errore revocarent, & ipsi ferro duriores minimè resipiscerent, jussi sunt singuli sacris vestibus indui in suo ordine, statimque ab Antistibus à proprio honore sunt depositi; & Rege jubente, Constantia Regina ante valvas Basilicę stetit; ne populus eos intra Ecclesiam interficeret; & sic de gremio sanctę Ecclesiæ ejecti sunt. Qui cùm ejicerentur, Regina Stephani sui olim confessoris, cum baculo, quem manu gestabat, oculum eruit. Deinde extra civitatis educti muros, in quodam tuguriolo igne accenso, præter unum clericum, atque unam monacham, cum nefario pulvere, de quo supra diximus, cremati sunt. Clericus enim, & monacha divino nutu resipuerunt.

Degradatio.

Habetur de eadem Synodo in Chronico S. Petri vivi. Sub ipso tempore exorta est magna hæresis nova, & inaudita in urbe Aurelianensi. Quapropter accersiens Rex Archiepiscopum, jussit congregari in eadem

dem urbe Synodum. Erant autem ipsi hæretici ex melioribus ipsius civitatis clericis Communi verò consensu, & voluntate omnium convicti omnes perpessi sunt ignis incendium.

In his sanè exemplum videre est infirmitatis hominum, quod tot Ecclesiastici, qui in honore erant, tàm subitò à vera fide deflectant, & ad ignis pabulum destinentur. Namque, ut in præcitatis actis habetur, Stephanus, & Lisoius in civitate Aurelianensi apud omnes sapientia clari, sanctitate, seu religione magnifici, eleemosynis largi opinione habebantur vulgi. Quàm ingens ergo malum est hæresis, quàm mala radix, ex qua tot pullulant amari fructus! sed & quanta levitas, & miseria in Christianis, sic facilè abduci à vera, & antiqua fide in errores adeò absurdos.

Malum magnum heresis.

Decretum quoddam Episcoporum Galliæ, ut fertur, pro pace mundo procuranda, tempore Joannis vigesimi & Roberti Regis anno Christi 1032.

Vincentius Beluacensis hujus decreti meminit verbis sequentibus ex libro 25. spec. historialis cap. 16. desumptis. Anno 8. istiusmodi decretum à Franciæ Episcopis datum est servari subjectis sibi populis.

Unùs eorum dixit, cœlitus sibi delatas esse litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra, quam rem mandavit cæteris, & hæc tradenda dedit populis: arma quisquam non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis, vel cujuslibet proximi ultor minimè existens, percussoribus cogeretur indulgere, jejunium in pane, & aqua omni feria sexta servarent, & in Sabbato à carne, & liquamine abstinerent, soloque contenti hoc jejunio in omnium peccatorum remissionem, nullam sibi scirent aliam adjiciendam pœnitentiam, & hoc se servare Sacramento firmarent: quod qui nollet, Christianitate privaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplura dedere mandata, quę oneri visæ sunt replicare. Hanc mandatorum novitatem cùm multi cupidi novarum rerum libentiùs justo amplecterentur, Gerardus Cameracensis Episcopus, qui solus Lotharensium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat; dicens, genus hominum ab initio trifariàm esse divisum in oratoribus, pugnatoribus, & agricultoribus. Et unum duorum, & duos unius egere auxilio. Ideò debere arma ferre, & rapinas reddi per auctoritatem legis, & gratię, authorem percussi, vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundum Euangelium ei reconciliari. Jejunium in 6. vel in 7. feria, nec omnibus unum esse imponendum, quia non est omnibus una possibilitas, nec omnes hoc uno jejunio contentos esse, quia non est una omnium pœnitendi qualitas: hoc Sacramento firmare, vel Sacramenti violationem non perjurio augere esse utile, his contradicentes excommunicari, infirmis visitationem, mortuis sepulturam negari esse detestabile, sufficere authentica Patrum decreta, & super his neglectis impositum pœnitentiæ modum.

Ita in Manusc. Cholergo.

Hominum partitio.

Controversia.

Lepida hæc narratio non immeritò cuiquam suspectæ fidei esse videatur, quòd litteras de cœlo missas ad unum ex Galliæ Episcopis contineat. Non tamen id novum, & insolitum. Legimus namque 2. Paralip. cap. 21. de Elia, qui jam è terra in cœlum raptus fuerat, quod litteras ad Regem Joram detulerit: *Allatæ sunt autem & litteræ ab Elia Propheta.* Quas litteras asserit Gaspar Sanctius in 2. capite lib. 4. Regum, non improbabile esse scripsisse Eliam, easque Angelorum ministerio ad Regis manus esse translatas. Ita, inquit, putat Maluenda lib. 9. cap. 9.

A & quidam ex Hebræorum Magistris. Et in Majori Chronologia Hebræorum capite 17. quæ invenitur in calce Chronologiæ Genebrardi, legitur de Joram: allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus res ipsi venturæ scribebantur, nimirum de cœlo. Nam jam septem erant anni, à quo Elias reconditus disparuerat.

Sed & Matthæus Paris in Historia Anglorum, ad Annum 1200. similem refert Historiam, nec minus mirabilem. Circa dies istos, inquit, Epistola de cœlo veniens in Jerusalem, appensa est super Altare sancti Simeonis in Golgotha, ubi crucifixus est Christus pro redemptione Mundi. Quam per tres dies, & totidem noctes, homines ex alto dependentem adspicientes, corruerunt in terram, rogantes Domini misericordiam, ut ipse eis dignaretur suam ostendere voluntatem. Die verò tertia post horam diei tertiam erexit se ab oratione Patriarcha, & Archiepiscopus Zacharias, & expandentes infulam super altare Sanctum, Sanctam Dei epistolam acceperunt. Quam cum inspexissent, illud inveniunt superscriptum: *Ego, Dominus, qui præcepi vobis, ut observaretis sanctum diem Dominicum, in quo requievi ab operibus meis, ut esses requies cunctis mortalibus in æternum, & non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnituistis, &c.* Quæ tædiosum esset transcribere, cùm liceat unicuique integram epistolam legere apud Authorem, in qua Deus multum conqueritur de inobservantia diei Dominicæ inter Christianos, & multa etiam mala propterea comminatur. Sed subjungit Author: Cùm autem Patriarcha, & clerus omnis Terræ sanctæ hunc epistolæ tenorem diligenter examinassent, communi omnium deliberatione decretum est, ut epistola ad judicium Romani Pontificis transmitteretur; quatenus quicquid ipse gerendum decreverit, placeat universis. Cumque tandem epistola ad notitiam Domini Papæ pervenisset, continuò Prædicatores ordinavit; qui per diversas mundi partes profecti, prædicaverunt ubique epistolæ tenorem, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Inter quos Abbas de Flai, nomine Eustachius vir religiosus, & literali scientia eruditus Regnum Anglię aggressus, multis ibidem Miraculis confirmavit, &c. Hactenus Matthęus Paris: Quibus adde occasione harum litterarum celebratum fuisse Concilium in Scotia, de quo classe precedenti, sicut & innuit Vincentius Belvacensis celebratum fuisse in Gallia illarum occasione, in quo Episcopi in diversa abierunt.

Verum quamvis ista narratio Matthęi Paris, ut vera admittatur, cum nihil contineat, quod censura, & reprehensione notari possit, aliud tamen est de narratione Vincentii Belvacensis, & de epistola, quam refert è cœlo lapsam pro tollendis dissidiis inter homines, inter quos adeo frequentia sunt, ut vix ullus cœtus, quantumcumque modicus reperiatur, qui non à seipso dissideat: etenim per illam epistolam videtur excludi omnis alia pœnitentia, & satisfactio pro peccatorum remissione, prèter jejunium sextę Ferię, & abstinentiam in Sabbato, cum tamen plurimorum gravissima crimina multò asperiorem exigant satisfactionem. Quare, quoad hanc partem, non videtur è cœlo prodiisse, & Episcopi citius, quàm par erat, iis fidem adhibuerunt, quamvis ex alia parte consilia aliqua Euangelica suggerat; quorum executionem facilius est desiderare, quàm intueri in tanta morum corruptione. Atque utinam homines ad ea ita attenderent, ut magis conarentur eorum perfectionem assequi, quàm unde promanaverint discutere, sicut ii faciunt, quibus cum optimum propinatur vinum, non curant ex qua vite, ex quibus palmitibus, quibusve promptuariis processerit.

CON-

CONCILIUM PARISIENSE,

Sub Henrico Rege, tempore Leonis IX. Papæ contra Berengarium circa annum M.LIII.

DUrandus Abbas Troanensis in libro de corpore, & sanguine Christi habet hoc Concilium parte nona. Ubi hæresis Berengarianæ compendium quoddam exhibet: Narratque, ut Berengarius Normanorum Principem sua hæresi inficere conatus in conventu Brionensi per sapientes viros Normaniæ, evidenti ratione superatus est. Tùm subjungit, quæ sequuntur.

Cum autem tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementius percelleret, porque multos hujusmodi virus latenter, & apertè jam serperet, contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui consultu sui regni Pontificum, Procerumque Concilium Parisiis cogi decimo septimo Calendas Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta Patrum authoritate firmaret multis sibi obnitentibus, aut si ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obviare non posset, fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtui Patrum imperavit.

Interea condicta venerat dies, frequensque conventus Præsulum, ac reliquorum sancti ordinis Clericorum, nec non nobilium laicorum Parisiis factus est: sed jam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat, eò venire distulit, seque cum Brunone suo videlicet Episcopo Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpotè tanti viri credulus, & ipse noscebatur involvi.

[Bereng... s refu... Concilii ...spectū.]

Interea Præsul Aurelianensis quosdam apices in sceda haud parva digestos, in conspectu omnium, & Regis (intererat enim) protulit, &, Præcipiat, inquit, vestra sanctitas has litteras à Berengario editas, si libet, recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari, nomine Paulo, per veredarium dirigeret, violenter rapui, quibus susceptis, & ad legendum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum, quæ continebantur in eis, præparantur. Sed inter legendum multum repente fit murmur, & per singula absurdi sensus verba, gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit. Damnato proinde communi sententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, cum codice Joannis Scoti, ex quo ea, quæ damnabantur, sumpta videbantur, Concilio soluto discessum est, ea conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis in Ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubicumque convenissent, eo usque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.

[...x Joā... Scoti.]

Quamobrem territi non multo post in Concilio super statu suo conventi, ita se, sicut Ecclesia tenet Catholica, credere fideliter, & sapere publicè professi sunt, delatisque Sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos, qui aderant, certos facerent, Sacramentum dederunt.

Nota modum loquendi de codice Joannis Scoti (ex quo, inquit, *sumpta videbantur*, quæ damnabantur) quia revera hæresim non continebat codex ille, sed videbatur continere propter verba quædam ambigui sensus, & ineptè prolata, contra veram præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, ex verbis enim inordinatè prolatis nascitur

A hæresis. Id manifestum fecimus in libro nostro contra Ministrum Ugonotam Claudium, qui liber inscribitur Gallico Idiomate, *La fidelité perseverante de Susanne*, &c. fidelitas perseverans Susannæ, *&c.* Simili modo loquendi auctor parte 7. explicat illa verba D. Augustini, *facinus, vel flagitium videtur jubere*. Videtur, inquit, jubere, non jubet; ubi Judæos tangit, & eorum sequaces erroris, qui grande flagitium in his Domini verbis esse arbitrati sunt, & ideo exhorruerunt, *&c.*

Controversia de libro Bertrami, seu Joannis Scoti.

LIber ille Joannis Scoti jussu Synodi Parisiensis combustus, non alius esse videtur, quàm liber Bertramo adscriptus *de Corpore, & Sanguine Christi*, ut ostendimus ad Concilii Vercellensis ann. 1051. sæculo 11. habiti controversiam, Classe 4.

B Causa autem comburendi hunc librum fuit, quod faveret hæreticis veritatem corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ negantibus propter ineptas expressiones, & verba inordinatè prolata, quibus destruit, aut destruere putatur, quod ex alia parte asserit de veritate ejusdem corporis in Eucharistia. Sic enim ex verbis inordinatè prolatis nascuntur hæreses, & hæretici hujus temporis facilè in eo reperiunt confirmationem sui erroris propter illam verborum Batologiam, qua compactus est.

Illyricus Eterodoxus scriptor in Catalogo testium veritatis tom. 2. putat Paschasium Radbertum Abbatem Corbiensem, qui claruit circa an. 880. æmulum fuisse illius Bertrami, ac contra illius libellum

C scripsisse, sed ita quæstionem Bertrami solvit, inquit, ut errores Pontificios de Transubstantiatione, præsentia corporali sub signis, manducatione orali evertat. Ita ille, cum novissimi Ugonotarum (ita Calvinistas vocat populus in Gallia) Ministri, Blondellus, Aubertinus, & quidam Claudius dictus, doceant contra Paschasium primum fuisse, qui doctrinam de veritate corporis Christi in Transubstantiatione in Ecclesiam introduxit, ac contra ipsum scripsisse potius illum, quem vocant, Joannem Scotum, aut Bertramum, si placet, jussu Caroli Calvi Imperatoris, qui de his quæstionibus voluerit instrui, cum tunc agitarentur. Unde ipsi non leve argumentum ducunt de novitate illius

Contrarii sibi sunt hæretici circa librū Bertrami.

D Doctrinæ circa veritatem corporis Christi, & Transubstantiationem, quæ sæculo nono introducta fuerit per Paschasium. Quæ Controversia his ultimis temporibus multum agitata fuit occasione cujusdam libri Gallicè editi *de perpetuitate fidei Catholicæ circa realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia*, per D. Arnaldum Theologum Parisiensem, cui Minister Claudius opposuit alium librum anno 1667. ubi contendit Paschasium innovatorem fuisse, perturbatorem pacis Ecclesiasticæ, introducendo opiniones antea inauditas in Ecclesiam. Item, quòd Heribaldus, Rabanus, Joannes Erigena, Scotus, & Bertramus contra ipsum scripserint, ac maximè Bertramus à Carolo Calvo Principe suo consultus, libellum illum de *Corpore, & Sanguine Christi*, scripserit ad retun-

Controversia de Paschasio.

E dendum Paschasium, ac ejusdem sectatores: cui etiam, quotquot docti fuerint, in sæculo nono contradixerint: denique conversionem substantiæ panis in Corpus Christi habitam fuisse sæculo nono pro novitate opposita sanctis Patribus. Huic autem libro cùm plures responderint variis modis, conati sunt hanc prætensam novitatem de Doctrina Paschasii, cui Bertramus, seu Joannes Scotus librum alium de Corpore, & Sanguine Christi opposuerit fictitiam, & imaginariam esse demonstrare. Ac quidem ex antecedentibus, & consequentibus mutationem istam sæculi noni chimericam fuisse demonstrant, ut idem Doctor Arnaldus in volumine non modico, ac duodecim libris conflato, quos reposuit an. 1669. contra

istum ministrum: Alii verò sequentes Illyricum, dicunt Paschasium potius scripsisse contra librum illum Bertrami de corpore, & sanguine, cujus censuram edere voluerit, ut Pater Noetus in volumine sex librorum contra eumdem Ministrum sectæ Calvinianæ. At verò, ut fert regula juris in *sexto*, quis non prohibetur pluribus defensionibus uti? Ideo nec nobis interdictum putavimus alia responsione occurrere isti difficultati, quæ nonnullos Catholicorum angebat, Calvinistas verò in suo errore confirmabat. Quod præstitimus in Opusculo quodam inscripto; *Fidelitas perseverans Susannæ adversus ultimas senum calumnias*. In quo brevius refutatis aliis Ministri istius objectionibus contra SS. Eucharistiam, quod à centum, & amplius annis abundanter confutatæ essent à Scriptoribus Catholicis, huic postremæ difficultati enodandæ magis intendimus. Cujus lucubrationis summa est, quod hallucinentur manifestè, qui putant sæculo nono controversiam fuisse de reali præsentia Corporis Christi in Euch. ac consequenter de Transubstantiatione, qua de re voluerit informari Carolus Calvus per Joannem Scotum, aut Bertramum: Controversia enim illius sæculi non erat de veritate realis illius præsentiæ, sed (quod maximè advertendum) supposita illa reali præsentia, quæ semper credita fuerat, eratque tunc credita, ac postea fuit à veris fidelibus, Controversia aliqua fuit de modo illius præsentiæ realis, an scilicet esset ibi præsens modo passibili, sicut erat in Cruce moriendo, quod opinabatur Paschasius. Insuper alia quæstio agitabatur, an ibi esset Corpus Christi sine operimento specierum; quod dicebatur tunc, an esset ibi in veritate, & nuditate, an in figura specierum, & accidentium, prout figura est quarta species cathegoriæ qualitatis. Illud enim arbitrabantur non pauci, qui conversionem totalem panis tàm quoad substantiam, quàm accidentia putabant. Atque duo hæc sunt capita, de quibus Rex Carolus per Joannem Scotum, aut Bertramum (liber enim de Corpore, & Sanguine Christi utrique attribuitur, nec magni interest ad controversiam, cujusnam sit) volebat instrui. Quo posito, sanè evanescit inventio illa novitatis in doctrina per Paschasium, cum non de substantia ipsa realis præsentiæ, sed tantùm de modo ipsius controversum fuerit. Id verè manifestum fiet ex paucis speciminibus, & textibus illius libri, qui sic incipit. Jubes; gloriose Princeps, ut, quid de Corporis, & Sanguinis Christi Mysterio sentiam, vestræ Magnificentiæ significem. Imperium, quàm magnifico principatu vestro dignum, tàm nostræ parvitatis viribus constat difficillimum, &c.

Controversia sæculi 9. circa Euch. quæ fuerit.

Quod in Ecclesia ore fidelium sumitur Corpus, & Sanguis Christi, quærit vestræ Magnitudinis Excellentia, in mysterio fiat, an in veritate, id est, utrum aliquid secreti contineat, quod oculis fidei solummodo pateat, an sine cujuscumque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus inspiciat interius, ut totum, quod agitur in manifestationis luce, clarescat? En prima quęstio regis, an Corpus Christi pateat immediatè oculis corporis, an sub velatione, aut operimento specierum? nec verba aliud possunt significare, si illis potestas sua reddatur. Sequitur secunda regis quæstio.

Scopus libri Joan. Scoti aperitur.

Et utrum ipsum corpus sit, quod de Maria natum est, & passum, mortuum, & sepultum, quodque resurgens, & cœlos ascendens, ad dextram patris consideat. Harum duarum quæstionum primam inspiciamus, &c.

Ubi ęstimamus legendum esse pro verbis istis, *& passum, mortuum, & sepultum*, ut passum mortuum, & sepultum. Tùm quod id indicat quędam versio marginalis ad c. 2. Paschasii in libro *de corpore, & sanguine Christi*: tùm quod Anonymus scriptor à Cæletio luci publicæ datus; id manifestè indicat, referens etiam imputatum fuisse Paschasio, quod diceret Christum toties pati, quoties renovaretur sacrificium Missæ.

Quibus positis patet studioso cuilibet non præoccupato, regem supposuisse realem, & oralem manducationem Corporis Christi in Euchar. atque ideo realem existentiam, sed anxium fuisse de modo, an ibi esset in veritate, aut nuditate sine velamento specierum; atque etiam, quæ erat ejus secunda quæstio, an esset ibi modo passibili, ut passum, mortuum, & sepultum, an modo glorioso, ut est jam in cœlo: cum hic sit scopus libri Bertrami, aut Scoti, quibuscumque verborum ambagibus utatur (si codex non fuerit ab hereticis corruptus, qui primi ex M. Ss Typographiæ tradiderunt) non aliò tendit auctor illius, quàm ut regem Carolum informet super duabus istis quæstionibus.

Ac 1. quæstioni respondet inter alia. Si enim nulla sub figura mysterium illud peragitur, jam mysterium non ritè vocitatur: quoniam mysterium dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo volumine contectum. At ille panis, qui per sacerdotis ministerium Corpus Christi efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur. Ast interius longè aliud, multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia celeste, quia divinum, id est, Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel adspicitur, vel accipitur, vel comeditur.

Quæsti[onum] reg[ia]rum re[so]lutio.

Ad 2. quæstionem respondet: Si enim corpus Christi est, & hoc dicitur verè, quia corpus Christi in veritate corpus Christi est, & si in veritate corpus Christi incorruptibile est, & impassibile est, ac per hoc æternum; hoc igitur corpus Christi, quod agitur in Ecclesia, necesse est, ut incorruptibile sit, & æternum.

Hęc est solutio duarum quęstionum regiarum in libro de corpore, & Sanguine Christi. Sed hæc solutio tot verborum ambagibus ab auctore hujus libri, quisquis tamdem fuerit, implicatur, ut causam prębeveret contrarium opinandi illius, quod intendit, iis maximè, qui non distinguunt ea, quæ per modum objectionum, aut interrogationum immiscet ab iis, quæ per modum solutionis, aut assertionis ibidem reponuntur. Quare Berengarius, & illius asseclæ, & aliqui ex orthodoxis scandalum accipiebant ex illo libro, quę fuit causa, cur in pluribus Synodis flammæ consecratus sit, licet alioqui veritatem fidei Catholicæ contineret, si rectè intelligatur.

Non parum autem confirmat, quæ hìc asserimus, Index Expurgatorius librorum, qui hoc sæculo prodierunt, vel doctrinæ non sanè erroribus inspersis, vel inutilis, & offensivæ maledicentiæ fellibus permixtis: juxta Sacri Concilii Tridentini decretum: Philippi II. regis Catholici jussu, & auctoritate, atque Albani Ducis consilio, ac ministerio in Belgio concinnatus ann. M. D. LXXI. Ubi est istud judicium Universitatis Duacensis censoribus probatum. Nihil namque reprehensibile est in eo, præter obscuritatem elocutionis hominis, & vocum quarundam, sententiarumque ineptam usurpationem, vel interpretationem: Quæ si scholio marginali, aut præfixo, aut subjuncto exponerentur, & sensus, ac scopus auctoris indicarentur; denique quędam, quæ videntur ab hereticis inserta, & assuta sub finem libri, nihil esset, quod ab isto opere metui lectori esse posset. Ac, quæ de prima quęstione notavimus, ipsi animadvertunt. De secunda verò quęstione tacent, cujus elucidatio omnino utilis est ad deprehendendum scopum auctoris istius libri, nec ibi tractari aliud, quàm de modo pręsentię realis, supposita ipsa, de qua Regi Carolo nulla erat dubitatio. Unde claret hallucinatio Calvinistarum.

Judici[um] Duace[n]sium [de li]bro Jo[an.] Scoti.

CON-

CONCILIUM HEDUENSE.

Præside Gaufredo Lugdunensi Archiepiscopo propter injurias illatas Heduorum Episcopo, celebratum tempore Victoris II. & Henrici I. anno. 1055.

REfert illud Concilium Cardinalis Baronius ad annum Christi 1055. ex Hugone in sancti Hugonis actis.

Mirandis plus miranda subjungo, quæ referentibus viris authenticis probata cognosco. Hæc sanè referunt Gaufredus de monte sancti Vincentii, & Rainaldus Heduensis, qui adhuc præsentes sunt. Dux Burgundiæ Robertus Haganonem Heduorum Episcopum nimia infestatione gravabat, variisque prædonum incursibus passim Burgundia laborabat. Eapropter Gaufredus Lugdunensis, Hugo Bisunticensis, Richardus Cabilonensis, & Drago Mastinensis Heduam convenerunt, magnique patrem Côncilii prædictum Hugonem Cluniacensem Abbatem venire rogaverunt. Aderat illustrium multitudo virorum, populus confluebat infinitus pro pace supplicans indefessis clamoribus. Adveniens ipse dux, imò tyrannus Heduam intravit, sed fastu maligno interesse conventui recusavit. At pater Hugo fervore charitatis permotus adiit tyrannum, eumque vehementer increpans, cunctis mirantibus, tamquam ovem mitissimam secum adduxit. Episcopis autem supplicantibus, ut pater Hugo pro pace componenda loqueretur, turbis undique reticentibus, & ab ejus ore pendentibus sic ait: *Qui pacem quærunt, qui Deum diligunt, nos audiant, nobiscum agant. Qui verò pacis filius non est, qui non ex Deo, sed adversarius est, huic ex parte omnipotentis Dei præcipio, ut à nobis exeat, & operi divino non noceat.* Vix dicta compleverat, cùm ecce quidam statura procerus, facie truculentus, multis eum sequentibus egressus disparuit. Non fuit in tanta multitudine hominum, qui aliquem nosset ex iis, qui egediebantur. Mirabantur singuli, stupebant universi. His ita depulsis tantam mox efficaciam prædicatio Sancti habuit, ut eo jubente Dux ipse sui necem filii interfectoribus condonarit, & Ecclesiæ parere cœpit. Quandiu enim in conventu ille vir sanctus perdocuit, sicut columba candida super caput ejus apparuit, quibus id videre datum est, Deum glorificaverunt: non enim omnes hanc videre gloriam meruerunt.

CONCILIUM CABILONENSE,

Propter controversiam inter Hugonem Abbatem Cluniacensem, & Droconem Episcopum Matisconensem, præside Petro Damiani Cardinale Legato Alexandri II. anno 1063.

INter præludia operum Petri Damiani, qui sic à fratris sui nomine vacatus, tomo 3. editionis Parisiensis 1642. habetur epistola Alexandri II. ad plures Galliæ Metropolitas de legatione illius: ubi ait. Quoniam igitur pluribus Ecclesiarum negotiis occupati ad vos ipsos venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Rom. Ecclesia auctoritas non habetur: Petrum videlicet Damianum, Ostiensem Episcopum: qui nimirum & noster est oculus, & Apostolicæ sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus: ut quicquid in illis partibus, Deo auxiliante, statuerit, ita ratum teneatur, ac firmum, ac si speciali nostri examinis sententia fuerit promulgatum, &c.

Subjiciuntur acta Synodi in Galliis celebratæ à B. A Petro Damiani Card. Episc. Ostiensi, Apostolicæ sedis Legato Alexandri II. jussione, quorum actorum tantum superest Synodalis definitio, in qua narratur, anno 1063. Droconem Matisconensem Episcopum armatorum agminibus stipatum velut prædicandi gratia, vel etiam synodalis judicii obtentu, ad B. Majoli Confessoris Christi Basilicam usque pervenisse, resistentium sibimet obstaculo infractum ingredi non potuisse, qua occasione Hugo Abbas Monasterii Cluniacensis querelam suam exposuit coram summo Pontifice, quem ea de causa adierat, ac misso in Gallias Petro Damiani Cabilonensis Synodus sub ejus auctoritate congregata est, in qua primo lectum est monimentum, seu charta Comitis Vvillielmi, qui primus loci fundator instituerat, ut præter Rom. Pontificem nullum jus, nullumque dominium cuiquam mortalium, aut Ecclesiæ derelictum est. B Lecta sunt nihilominus Privilegia summi Pontificis loco concessa, & inquisiti omnes Episcopi, si Privilegia, quæ audierant, rata haberent, ea laudarent, & quia in eis Privilegiis prohibebatur Episcopis in Monachos excommunicationis ferre sententiam, excusavit se Droco, dicens se non absolutè jaculum excommunicationis intulisse, sed cum hac restrictione (si qui sunt mei juris in illo Monasterio, quos mihi liceat excommunicare, excommunico) nihilominus decernente Concilio adhunc decisionis finem causa perducta est, ut præfatus Episcopus propria manu super sanctis Euangeliis superposita juraret, sicque sedis Apostolicæ Legato, sanctoque Concilio satisfaceret. C

Indiculum Sacramenti.

AUdiat, inquit, Dominus Petrus Ostiensis Episcopus, & omnis sancta Synodus, quia eo die, quo Cluniacum commotus adveni, non in contemptu, sive despectu sedis Apostolicæ, vel Domini Alexandri Rom. Pontificis hoc egi, & privilegiorum tenorem, ac seriem, quæ modo in nostris auribus lecta sunt, tunc ad liquidum non cognovi. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Euangelia.

Additur de jejunio septem dierum in pane, & aqua ab eodem in pœnitentiam accepto.

Controversia de exemptione Monasteriorum.

D DE exemptione Religiosorum, & Abbatum ab Episcopis multa disputat D. Bernardus in libris de Consideratione ad Eugenium, eamque magis improbat, nisi cùm ab initio ex fundatorum institutione Monasteria Jurisdictioni Episcoporum substracta fuerunt accedente summi Pontificis authoritate. Hanc autem exemptionem plures posteà probaverunt, quod in ea non defuerit authoritas illius, cui dictum est, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Nec ratio sine causa, ad quam tria specialiter spectanda, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem. Ad hæc revocantur major quies inducta Monasteriis contemplationi deditis, Professionum diversitas: non enim decens est illum esse Magistrum in disciplinis regularibus, & contemplativis actibus, qui non novit E se fuisse discipulum; Mandatorum à pluribus superioribus, vix enim religiosus specialius elegit Deum in patrem, & præceptorem, Doctorem, & consiliarium, quàm cæteri Christiani. Decens, & expediens est, ut Dei Vicarius in terris hujusmodi religiosum eligat, & suscipiat in specialem filium. Additur favor sedis Apostolicæ, ut sic multos immediatos subditos diversi generis habeat, qui ipsam defendant, cum schismata oriuntur. Quibus omnibus potius est, quod cum aliqua Monasteria sub eodem Ordine militant, ac in diversis orbis Provinciis, & regnis dilatata sint, vix servari possent in regulari observantia, si non eodem duce regerentur, quippe diversi Episcopi diversas ipsis præfigerent constitutiones, quibus unio, & conformitas

Ex proportione Ecclesiasticæ hierarchiæ ad cœlestem.

mitas regularium cito labefactaretur. Sed verba Divi Bernardi attendamus lib. 3. cap. 4. Quod si dicat Episcopus: Nolo esse sub Archiepiscopo: aut Abbas: Nolo obedire Episcopo: hoc de cœlo non est, nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audisti: Nolo sub Archangelis esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi Deo. Quid, inquis, prohibes dispensare? non, sed dissipare, &c. ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. *Nonnulla tamen monasteria sita in diversis Episcopatibus, quod specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? sed aliud est, quod largitur devotio, aliud, quod molitur ambitio impatiens subjectionis.* Et hæc dicta de his.

CONCILIUM TOLOSANUM,

Præside Hugone Candido Cardinali, tempore Alexandri Papæ II. & Philippi Regis Francorum, anno Domini 1068. celebratum pro disciplina Ecclesiastica, & aliis negotiis.

PORtiunculam actorum hujus Concilii Tolosani excepit Guillielmus du Catel, Senator Tolosanus ex Archivio sancti Stephani Tolosæ, & quia nondum publici juris fuerat, hanc inseruit in lib. 5. Monumentorum linguæ Occitanæ in vita Durani Episcopi Tolosani, qui Concilio interfuit cum decem aliis Episcopis. Sic autem se habet. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Anno Incarnationis Domini millesimo sexagesimo octavo, indictione sexta, octavo anno Domini Papæ Alexandri, videlicet secundi, secundo verò anno Regni Philippi Francorum Regis, ac tuitione Balduini Flandrensis Comitis, Hugo Candidus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis præcipuus in Tolosa urbe; jussu præscripti Papæ, consultu verò omnium cófratrum suorum sanctam Synodum cum undecim Episcopis, & Abbatibus pluribus, cum Religiosis clericis, vel laicis, Christo verò disponente in ipsius ministerii, qui vera lux constat, opus tenuit. Nam cùm de omnibus congruentiis Ecclesiarum, Episcoporum, scilicet, clericorum, monachorum, & laicorum, sive pauperum, justè, & religiosè secundum Deum, & Canones SS. Patrum, ibi, in quantum ipse Christus sua pietate permisit, definitum est. Tùm Spiritu sancto accensi accusando, defendendo, judicando simoniacæ hæreseos non tantùm stipes, verùm etiam radices funditus exterminaverunt. Contigit verò inter cætera de Lectorensi Ecclesia, quæ erat jam penè destructa, legitimè definiendo judicare: erat enim in loco illo quoddam Monasterium de Episcopatu omninò constructum; ita videlicet, ut non solùm ipsius plebis inscientiæ sufficeret bona supra nominatæ Ecclesiæ, Episcopatus sancti licet Monasterio illi tribuere, verum etiam Altaria, lapides, cætera additamenta ibi velociùs transmutare. Placuit autem Spiritui sancto illud Monasterium, jam eousque authenticum, quod Gregorius Lascarensis Episcopus juris sancti Severii esse injustè dicebat ad pristinum revocare gradum; quamvis veluti Episcopatus stultè agendo jamdudum conversus est in monasterium, ita conversum, sapienter corrigendo, monasterium converteretur in Episcopatum. Judicatum est igitur à fratribus omnibus illius sancti conventus Dominum Episcopum, nomine Raymundum accipere, & loco proprio suæ sedis in Monasterio ea ratione ponere, & monachos ibi morantes religiosè, & secundum regulam S. Benedicti viventes, ut Dominus Abbas constringeret, & si pro meliori ratione vitæ ad alia vellent ire, nulli denegaret. Evacuato autē de monachis Templo, Clericos Religiosos, ut regulariter vivere volentes, probos, pudicos secundum Deum ibi poneret: quoniam nullus alterius Monachus, quemadmodum à sanctis fratribus illis statutum est, ibi ordinaretur, & ita Monasterium non amplius esset monachorum propriè locus, sed esset Episcopi vera sedes, & victus. Hoc autem privilegium Dominus Hugo Cardinalis, vir excellentissimus, cum Archiepisc. Guillielmo Auxiensi, Aymone Bituricensi, & cum Episc. Durano Tolosano, Geraldo Caturcensi, Godemaro Xanctonensi, Gregorio Lascarensi, Petro Adurensi, Guillielmo Convenienfi, ipso Raymundo Lectorensi, Bernardo Coseranensi, Bernardo Aquensi cum Abbatibus Hugone Cluniacensi, Ademaro de sancto Martiale, Beraldo de sancto Ægidio, Raymundo Condonensi, Odone de S. Joanne Angeriaco, Bernardo Massiliensi, Constantio de Clayraco, Raymundo de sancto Populo, Flotardo de sancto Pontio cum omnibus religiosis viris, clericis, vel laicis, qui in sancta Synodo interfuerunt, laudavit, confirmavit, atque sub anathematis vinculo omnes, qui contradicere ulterius vellent, in perpetuum sine remedio aliquo juris damnavit.

ADDITIO
QUORUMDAM CONCILIORUM
ROTOMAGENSIS PROVINCIÆ.

***

CONCILIUM ROTOMAGENSE

Sub Joanne Archiepiscopo celebratum pro rebus fidei, & moribus, tempore Alexandri secundi, & Philippi Regis Galliarum, anno 1072.

Describitur hoc Concilium his verbis ab Orderico Vitali Anglo, Monacho sancti Ebrulphi, seu cœnobii Uticensis, historiæ Ecclesiasticæ l. 4.

ANno igitur ab Incarnatione Dom. M.LXXII. congregatum est Concilium in metropolitana Rotomagensis urbis sede, in Basilica Beatæ, & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, cui Joannes ejusdem urbis Archiepiscopus præerat: Et vestigia Patrum secutus utilitati Ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum suffraganeis suis, Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Loberto Sagiensi, Michaele Abringatensi, & Gisleberto Ebroicensi.

In primis disputatum est de fide sanctæ, & individuæ Trinitatis, quam secundum statuta sanctorum Conciliorum, scilicet, Nicæni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Chalcedonensis Concilii corroboraverunt, sanxerunt, se toto corde credere professi sunt. Post hanc Catholicæ fidei professionem annexa sunt hæc subscripta Catholicæ fidei doctrinæ capitula.

In primis statutum est à nobis, ut secundum statuta Patrum, chrismatis, & olei, baptismatis, & unctionis consecratio, competenti hora, id est, post nonam secundum statuta sanctorum Patrum fiat. Hoc etiam debet Episcopus prævidere, ut in ipsa consecratione 12. sacerdotes sacerdotalibus vestibus indutos, vel plures secum habeat.

Item in quibusdam Provinciis mos detestabilis inolevit, quod quidam Archidiaconi Pastore carentes ab aliquo Episcopo particulas olei, & Chrismatis accipiunt, & ita oleo suo commiscent, quod & damnatum est. Sed unusquisque Archidiaconus Chrisma, & oleum suum totum Episcopo, à quo consecrabitur, ut proprio Episcopo præsentet. *Oleum non misceatur cum chrismate.*

Item Chrismatis, & olei distributio à Decanis sum-

summa diligentia, & honestate fiat, ita ut interim, dum distribuerint, albis sint induti: Et talibus vasculis distribuatur, ut nihil inde aliqua negligentia pereat.

Item statutum est, ut nullus missam celebret, qui non communicet.

Item nullus Sacerdos baptizet infantem, nisi jejunus, & stola indutus, & alba, sine necessitate.

Item sunt quidam, qui viaticum, & aquam benedictam ultra octavum diem reservant: quod & damnatum est. Alii verò non habentes hostias consecratas iterum consecrant; quod terribiliter interdictum est.

Item donum sancti Spiritus, ut non detur nisi jejunis, & à jejunis, neque ipsa Confirmatio absque igne fiat, statutum est. Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris ordinibus Apostolicæ authoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis Papæ, quod non passim diebus omnibus sacri Ordines celebrentur, sed post diem sabbati in ejus noctis exordio, quæ in prima sabbati lucescit, his, qui consecrandi sunt, jejunis à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso dominico die continuato sabbati jejunio celebrentur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit: quò diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.

Item quatuor temporum observatio competenti tempore secundum divinam institutionem communi observantia à nobis servetur, id est prima Hebdomada Martii, secunda Junii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ Nativitatis. Indignum enim valde est, ut sanctorum institutio aliquibus occupationibus, vel mundiali sollicitudine destruatur.

Item Clerici, qui non electi, nec vocati, aut nesciente Episcopo sacris Ordinibus se intromittunt; aliquibus verò Episcopus, ut Diaconibus, manum imponit: alii cæteros ordines non habentes Diacones, aut Presbyteri consecrantur, hi digni sunt depositione.

Item qui coronas benedictas habuerunt, & reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur. Clerici, qui ordinandi sunt in feria 5. veniant ad Episcopum.

Item Monachi, & Sanctimoniales, qui relictis suis Ecclesiis per orbem vagantur, alii pro nequitiis suis à monasteriis expulsi, quos pastorali auctoritate oportet compellere, ut ad monasteria sua redeant: Et si expulsos Abbates recipere noluerint, victum Eleemosynæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quousque, si vitam suam emendaverint, videantur.

Item emuntur, & venduntur Curę Pastorales, scilicet Ecclesiæ Parochianæ tàm à laicis, quàm à Clericis, insuper etiam à Monachis; quod, ne amplius fiat, interdictum est.

Item nuptiæ non in occulto fiant, neque post prandium: sed sponsus, & sponsa jejuni à sacerdote jejuno in monasterio benedicantur, & antequam copulentur, progenies, utrorumque diligenter inquiratur: Et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas inventa fuerit, & si aliquis eorum dimissus fuerit, non conjungatur. Sacerdos, qui contra hoc fecerit, deponatur. De sacerdotibus, & levitis, & subdiaconibus, qui fœminas sibi usurpaverunt, Concilium Lexoviense observetur: ne Ecclesias per se, neque per suffraganeos regant, nec aliquid de Beneficiis habeant. Archidiaconi, qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere, nec concubinam, nec subintroductam mulierem, nec pellicem: sed castè, & justè vivant, & exemplum castitatis, & sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam, ut tales Decani eligantur, qui sciant subditos redarguere, & emendare, quorum vita non sit infamis, sed merito præferatur subditis.

Item interdictum est, ne aliquis, qui vivente sua uxore calumniatus fuerit; post mortem illius unquam, de qua calumniatus fuit, accipiat. Multa enim mala inde evenerunt: nam plurimi de causa hac suas interfecerunt.

Item nullus, cujus uxor velata fuerit, ipsa vivente unquam aliam accipiat.

Item si uxor viri, qui peregre, aut aliàs profectus fuerit, alii viro nupserit, quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

Item statutum est, ne hi, qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissimè in sacris Ordinibus restituantur. Si enim lapsis (ut ait B.Greg.) ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicę proculdubio frangitur disciplinæ, dum per reversionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc ratum manere oportet, ut in crimine publicè lapsus ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summa necessitate post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

Item si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponendum tot Coepiscopos, quot auctoritas: scilicet in Sacerdotis sex, in Diaconi depositione tres: unusquisque, qui adesse non poterit, Vicarium suum cum sua auctoritate transmittat. *Aliquid deest.*

Item statutum est, ut nullus in quadragesima prandeat, antequam, hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat. *Jejunium.*

Item statutum est, ut in sabbato Paschæ Officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ Resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam, Gloria in excelsis Deo, & alleluja cantatur: quod etiam in Officii initio, Cerei scilicet Benedictione monstratur. Narrat liber Officialis, quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sanctam feriam, & sabbatum, in quo recolitur luctus, & mœstitia Apostolorum.

Item, si alicujus sancti Festivitas in ipsa die evenerit, in qua celebrari non possit, non ante, sed infra octavum diem celebretur.

Item juxta sanctorum Patrum decreta, scilicet Innocentii Papæ, & Leonis, statuimus, ne generale baptisma nisi Sabbato Paschæ, & Pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. Vigilia, vel die Epiphaniæ, ut nullus nisi in infirmitate baptizetur, omnino interdicimus.

Huic Concilio consenserunt Joannes Archiepiscopus Rothomagensis Ecclesiæ, Odo Bajocensium Episcopus, Michael Abrincatensis Episcopus, Gislebertus Ebroicensis, & quamplures etiam venerabiles Abbates, quibus eo tempore Cœnobia Normaniæ nobiliter pollebant, & monachicum rigorem servabant.

CONCILIUM APUD ILLEBONAM,

Sub Guillielmo Cadomensi, Archiepiscopo Rothomagensi, pro moribus, & disciplina celebratum tempore Gregorii septimi, & Philippi primi Regis Galliarum, Anno 1080. *Al. Julio bona apud Caletes.*

Hoc concilium celebratum apud Illebonam, ait Matthæus Paris in vita Guillielmi secundi, Anno 1081. sed Ordericus refert ad annum præcedentem 1080. l.5. Ecclesiasticæ historiæ, ejusque decreta sic narrat.

ANno ab incarnatione Domini M. L XXX. Rex Guillielmus in Festo Pentecostes apud Illebonam

nam resedit, ibique Guillielmum Archiepiscopum, & omnes Episcopos, & Abbates, comitesque cum aliis Proceribus Normanniæ simul adesse præcepit. Ut Rex jussit, factum est. Igitur octavo anno Papatus Domini Gregori Papæ VII. celebre Concilium apud Illebonam celebratum est, & de statu Ecclesiæ Dei, totiusque regni providentia Regis cum Baronum suorum consilio utiliter tractatum est. Statuta verò Concilii, sicut ab his, qui interfuerunt, veraciter annotata sunt, volo hic inserere, ut posteri discant, quales in Normannia leges fuerunt sub Guillielmo rege.

PAx Dei (quæ vulgo trevia dicitur) sicut ipse princeps Guillielmus eam in initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas Parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui verò servare contempserint, vel aliquatenus fregerint, Episcopi, secundum quod prius statutum est, eos judicando justitiam faciant. Si quis verò Episcopo suo inobediens fuerit, Domino, in cujus terra habitat, Episcopus hoc demonstret, & ille subdat eum Episcopali justitię. Quod si & Dominus facere contempserit, Regis ViceComes per Episcopum inde requisitus, omni remota excusatione faciat.

DE his, qui parentela sua uxores tenent, vel uxores parentum suorum, Episcopi Canonicam justitiam exequantur. Rex enim inde nullum sustinet, vel tuetur, sed potius Episcopos adjuvando admonet, ut lex Dei firmiter teneatur. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & omnes Canonici, & Decani nullam omnino fœminam habeant. Quod si aliquis post eamdem culpam visus fuerit incurrisse, si per ministros Episcopi inde prior fuerit accusatus, in Curia Episcopi se purgabit. Si verò Parochianorum, vel dominorum suorum aliquis eum prius accusaverit, habeat accusatus inducias, ut cum Episcopo possit loqui: Et si se purgare voluerit, in eadem Parochia, cui servit, pręsentibus Parochianis pluribus ante Episcopi ministros, & eorum judicio se purgabit. Si verò purgare se non potuerit, Ecclesiam perdet irrecuperabiliter. Hoc prædictus Rex statuit, non perenniter Episcopis suis auferendo debitam Justitiam, sed quia Episcopi eo tempore minus, quàm convenisset, inde fecerant, donec ipse eorum videns emendationem eis redderet pro benefacto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commisso.

NUllus laicus in redditibus altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat; nec pecuniam per horum venditionem aliquatenus habeat, nec Presbyter inde servitium faciat, nisi legationem Domini sui portet. Ita ut in eadem die ad servitium Ecclesiæ revertatur, & ad orationes (per Normanniam solummodo) victum Domini sui habens, si Dominus voluerit, secum vadat: servitium Ecclesiæ Presbyter interim curet.

PResbyteri ab Episcopis, vel ab eorum ministris præter justos redditus Episcopi, vi, vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum fœminas nulla pecunię emendatio exigatur.

ARchidiaconi per Archidiaconatus suos semel in anno Presbyterorum suffraganeorum suorum vestimenta, & calices, & libros videat; designatis ab Episcopo in unoquoque Archidiaconatu solummodo tribus locis, ubi vicini Presbyteri ad hæc monstranda convocentur.

QUando Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris, qui conveniunt triduò, si expedit, victum sibi habeat.

Si Presbyter forisfacturam fecerit de forestis Regis, vel Baronum ejus, nullam inde emendationem habebit Episcopus.

PResbyteri semel in anno circa Pentecostem cum processionibus suis ad matrem Ecclesiam veniant; Et de singulis domibus cera denerata, vel idem valens ad illuminandam Ecclesiam altari offeratur. Quod, qui facere noluerit, à presbytero suo per ministerium suum cogatur hoc solvere sine emendatione pecuniæ.

LAicus Presbyterum non det, vel adimat Ecclesiæ, nisi ex consensu Præsulis: quem tamen, si recipiendus est, Episcopus non repellat, &, si repellendus est, non retineat.

IN Cœmeteriis Ecclesiarum, quæ in civitatibus, vel castellis, vel burgis sunt, quodque Episcopi tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus consensu habuerunt, Episcopi rehabeant.

IN cemœteriis verò, quæ in marchis sunt, si guerra fuerit, & aliqui ad habitandum ibi faciant mansionem, dum guerra duraverit, & ipsi propter guerram in atrio manserint: Nullam forisfacturam ab eis Episcopus habebit, nisi quam habuisset, antequam ad atrium confugissent. Cùm autem pax facta fuerit, qui propter guerram illuc confugerant, de atrio exigere cogantur, aut Episcopalibus legibus supponantur.

ECclesiæ villarum, quantum Cœmeterii tempore Roberti Comitis habuerunt, vel usque ad illud supra scriptum Concilium habuerunt, tantum habeant: Et in eis illas consuetudines habeant Episcopi, quas tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus consensu habuerunt, nisi Episcopi concedente Rege Guillielmo aliquam consuetudinem fecerint.

Si post Concilium aliqua fit nova Ecclesia intra villam, faciat Episcopus cęmeterium consideratione dominorum, & Parochianorum ejusdem Ecclesiæ. Si verò extra villam nova fit Ecclesia, undique habebit quinque perticas Cęmeterii.

Si Monachis donatur Ecclesia, Presbyter, qui eamdem tenet Ecclesiam, honorificè teneat, quidquid de eadem Ecclesia habuit, antequam Monachi eam haberent, & tantò melius, quantò sanctioribus associatur hominibus. Eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, Abbas idoneum Presbyterum quærat, & Episcopo eum per se, vel per nuncium ostendat. Quem, si recipiendus est, Episcopus recipiat. Si verò Presbyter cum Monachis religiosè vivere voluerit, videat, ut Ecclesia, quam Episcopali licentia intravit, honestè tractetur, tàm in vestimentis, quàm libris, & cæteris Ecclesiæ serviendæ necessariis, secundum ejusdem Ecclesiæ facultatem. Quod si Presbyter cum Monachis vivere noluerit, tantum det ei Abbas de bonis Ecclesiæ, unde & benè vivere, & Ecclesiæ servitium convenienter valeat Presbyter adimplere. Quod si Abbas facere noluerit, ab Episcopo convenienter cogatur, ut faciat. Presbyter verò Episcopo suo justè subditus sit, & Episcopales redditus persolvat.

QUæ verò superabundant, in usus monasterii sui Abbas habeat.

HOc idem in Ecclesiis Canonicorum observetur.

VIolatio Ecclesiæ, & atrii, sicut superius determinatum est, & commissa, pro quibus officium divinum remanet, Episcopis per pecuniam emendetur. Assultus in itinere, similiter.

Si quis iratus persequatur alium in atrium, vel Ecclesiam, similiter.

Si

Si laicus arat, vel ædificat in atrio fine licentia pontificali, similiter.

Si Clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percusserit, aut vulneraverit, aut occiderit: si duellum sine licentia Episcopi susceperit, aut nammum ceperit, aut assultum fecerit, aut aliquid injustè saisierit, aut incendium fecerit, aut manupastus ejus, aut habitator atrii, similiter.

Si Clericus adulterium fecerit, aut incestum, similiter.

Si Presbyter de ministerio suo foris fecerit, similiter.

Presbyteri, qui ad Synodum venire neglexerint, similiter.

Et qui Synodum, & circadam statutis terminis non reddiderit, similiter.

ANNOTATIO.

NOmina hæc sunt vectigalium, & exactionum. Synodi enim dicebantur, quod colligerentur, & circadæ, quod circumeundo. Fulbertus epistola 110. *Jubes, inclyte præsul, nos dare tibi circadas, quæ sunt in Episcopio tuo*. Et in privilegio concesso monasterio sancti Dionysii ab Episcopo Parisiensi dicitur: *Omnes illi, qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis serviunt sint liberi, & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum, & synodorum*. Ita refert De la Cerda advers. sacrorum c. 72. num. 19.

Si Clericus coronam suam dimiserit, similiter.

Si Monachus, vel monacha, qui sunt sine regula, habitum suum dimiserint, similiter.

Si Presbyteri præter treviæ Dei infractores, & latrones sine licentia Episcopi excommunicaverint, similiter.

Si erraticum habere (quod vulgò dicitur Vueridif) in curiam Sacerdotis, vel Clerici, qui in atrio manet, venerit, vel in eleemosynam ejusdem Ecclesiæ, vel in atrium Episcopi erit.

Si quid per contentionem in domus Presbyteri, vel Clerici, vel in atrio Sacerdoti, vel clerico, vel eorum manupasto relictum fuerit, Episcopi erit.

Si quis Presbyterum, aut Monachum, aut monacham assalierit, aut percusserit, aut ceperit, aut occiderit, aut domos eorum in atrio incenderit, similiter emendabit. Si quid in Ecclesia, vel in atrio inveniatur, vel relinquatur, Episcopi erit.

Si quis adulterium, vel incestum fecerit, vel cum matrina, vel cum matre, vel filiola coierit. Si mulier hoc idem fecerit, similiter. Si quis uxorem suam, vel si qua mulier virum suum sine judicio præsulis requisierit, similiter. Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter. Qui intentum sibi crimen inficians, vel negans ferri judicio convincitur (excepta Dei trevia) similiter. Qui justitię resistens, excommunicari se patitur, similiter.

Parochianorum crimina Episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum judicio examinentur.

Si contradictio judicationis facta fuerit, ante Episcopum definiatur.

Si ferri judicium fuerit judicatum, ante matrem Ecclesiam terminetur.

ANNOTATIO.

PEr judicium ferri hic intelligitur, purgatio per contactum ferri candentis, ex quo si quis illæsus abiret, innocens habebatur, sin aliter, nocens, & reus. Hæc enim purgatio apud Normannos in usu fuit, ut patet ex facto Rollonis eorum ducis, qui A ignis probatione adhibita, auctorem furti explorari jussit, factumque, ut plures rustici absque ulla læsione ferrum attingerent, quod minimè rei essent; ut refert Martinus Delrio disq. magic l. 4. q. 4. sect. 3. ex Crantzio. Unde non mirum, si in præsenti Concilio videatur aliquatenus probari hujusmodi purgatio, cum fieret non auctoritate privata, sed quasi publica. Attamen illicitam esse hujusmodi purgationem, quovis modo fiat, rectè ostendit Ivo Carnotensis epist. 74. in qua Hildebertum Cænomanensem Episcopum de proditione Cænomanicæ urbis apud regem Angliæ suspectum, itaut nollet eum immunem aliter habere, nisi igniti ferri examinatione demonstraret innocentiam suam, deterret ab hujusmodi purgatione. *Breviter itaque tibi respondeo*, inquit, *consulens, ut non transgrediaris terminos antiquos*, B *terminos, quos posuerunt patres tui, aliter namque innocentiam defendere est innocentiam perdere*. Et post pauca; *inde etiam ita scripsit Alexander II. Papa Rainaldo Cumano super causa Gislandi presbyteri tui de morte Episcopi prędecessoris tui infamati in medium consuluimus, &c.* Vulgarem denique legem, ac nulla canonica sanctione fultam scilicet, sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis (quia fabricante hęc sunt omninò ficta invidia) ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare: immò Apostolica authoritate prohibemus firmissimè: *Inde etiam Stephanus V. Papa dixit Lamberto Episcopo Moguntino*: Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet, sacri C non censuerunt Canones, & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare: occulta verò, & incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. Hæc Ivo, quamvis Epistola 251. & 254. eam purgationem per ferrum candens illicitam non credat, si fiat præcedente judiciaria accusatione, nec aliud remedium ad veri indagationem suppetat. Ita nutant mortalium ingenia, modòque in hanc, modò in illam flectuntur partem. Juvat autem observare Gratianum, 2. q. 4. can. *Mennam verò*, attribuere sancto Gregorio Papæ epist. ad Brunigildam reginam Francorum, D verba, quæ hic Ivo Alexandri II. esse asserit. Unus, scilicet, Pontifex ab alio mutuare potuit, quod non insolitum, sicut etiam quod in Conciliis Provincialibus non approbatis nonnunquam aliquid statuatur, aut toleretur, quod à recto deviat. Vide plura de ista re apud Martinum Delrio loco citato, ubi etiam notat, ferrum istud ignitum vocatum fuisse olim *judicium*, quod indicare videntur præsentis verba Concilii, sed & factum fuisse cum vomeribus, & chirothecis ignitis, &c. Adhibitamque quarumdam precum formulam, quibus à Deo peteretur, ut ferrum benediceret, eoque reus, & innocens agnoscerentur. Glossarium ad Capitularia Caroli magni plura congerit de hujusmo- E di purgationibus, in quarum quibusdam etiam missa quædam judicii dicta celebrabatur, quam refert.

Modus judicialis.

Si plana lex erit facienda, ibi fiat, ubi placitum prius.

In parochia Episcopi sine licentia ejus nullus audeat prædicare.

Qui in prędictas culpas inciderit, si spontè ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus exigatur.

Si laicus raptum in atrio fecerit, Episcopo emendabit: si verò alibi fecerit, quocumque modo faciat Episcopus, nihil habebit.

Has

HAs consuetudines habeant Episcopi in illis locis, in quibus eas tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus concessione hactenus habuerunt. Quæ verò quieta fuerunt, eam quietudinem habeant, quam hucusque solidè tenuerunt. In his omnibus justitiis, & consuetudinibus Rex sibi retinet, quod hucusque habuit.

Si Presbyter Domini sui judicio contraxerit de Ecclesiastica causa, & cum in curiam Episcopi eundo injustè fatigare fecerit, Domino suo X. solidos emendabit.

Si Episcopi aliquid, quod non sit hìc scriptum, in Regis curia monstrare possunt se habuisse tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus concessione, Rex eis non tollit, quin habeant: tantummodo illud nullatenus saisiscant, donec in curia ejus monstrent, quod habere debeant. Similiter & laicis propter hoc scriptum, Rex nihil tollit, quod in Curia ejus monstrare possint Episcopos non debere habere. Tantummodò Episcopos inde non desaisiscant, donec in Curia Regis monstratum sit, quod Episcopi inde habere non debeant.

HÆc Synodus in vico regali secus Sequanam celebrata, ubi antiqua urbs fuit, quæ Caletus ab incolis dicta est, à qua circumjacens pagus à mari usque Talantium Calcegius, usque hodie appellatus est. Hanc (ut in antiquis Romanorum legitur gestis) C. Julius Cæsar obsedit, & pro nimia bellatorum obstinatione intus acerrimè repugnantium subvertit. Deinde postquam hostes ibidem ad libitum compressit, considerata opportunitate loci, præsidium Romanorum providè constituit, & à nomine suo Juliambonam (quam barbari, corrupto nunc nomine, Illebonam nuncupant) appellavit.

Quidam credunt esse urbem dictam Honfleur.

CONCILIUM PROVINCIÆ BURDIGALENSIS,

Apud S. Maxentii urbem tempore Gregorii VII. Et Philippi I. an. Dom. 1073. sub Gosselino Archiep. cum duobus aliis sub eodem celebratis.

DE his Conciliis ita breviter Joannes Chanutius in serie Archiepiscopor. Burdigalensium Gosselinus. Is adeò sui officii fuit memor, & religionis Orthodoxæ acerrimus vindex, ut tres suæ Provinciæ Synodos coegerit. Primam anno 1073. ad Divi Maxentii in Pictonibus contra Berengarianæ hæresis fautores. Secundam apud Mediolanum Sanctonum, cui etiam interfuere plures Galliarum Episcopi, præside Amato Apostolicæ sedis Legato. Tertiam Burdigalæ, in qua de luxu Clericorum frænando, & moribus eorum componendis actum.

Cæterùm Berengarium multos sectatores, fautoresque habuisse, contra quos Gosselinus Synodum congregavit, evidens est ex duobus, quę de ipso referuntur. Unum est, quòd cùm Fulbertus Carnotensis Episcopus in extremis ageret, atque multi confluerent, inter quos affuit & Berengarius, ut ipsum morientem visitarent, intuitus Berengarium inter oppositas catervas, visu, quo potuit, expellendum censuit, protestatus, immanem dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum, blandiente manu, & illice, corrumpere. Alterum est, quòd ipse Berengarius die Epiphaniarum moriens, recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris sui calore secta sua infecisset, producto gemitu: Hodie, inquit, in die apparitionis suę apparebit mihi Dominus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Hæc Vincentius Beluacensis lib. 25. Spec. Hist. cap. 30. ex Guillielmo Malmesburiensi in Chronicis. Qui & addit ipsum in fine vitæ ita resipuisse, ut sine retractatione à quibusdam sanctus habeatur, fuit enim plenus eleemosynis, & humilitate, magnarum possessionum Dominus, dispertiendo: non famulus abscondendo, & adorando, nullam fœminam conspectui suo patiebatur admitti. Berengarius tamen, quamvis se correxerit, eos, quos depravaverat, convertere nequivit. Adeò pessimum est, alios exemplo, vel verbo à bono infirmare, quia fortasse peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Utriusque autem hujus acti meminit Cardinal. Baronius, primi quidem ad Annum Domini 1028. quo mortuus est Fulbertus, secundi ad Annum 1088. quo migravit Berengarius Cariosus hæresiarcha, ait ille, sæpè falsa pœnitentia eludens Ecclesiam. Vide, quæ dicta sunt in classe præcedenti sæculo XI.

DE Conciliis Sanctonensi, & Burdigalensi habemus etiam testimonium Papyrii Massonii tract. de Notitia Episc. Galliæ. Concilium, inquit, Burdigalæ celebratum à Domino Amato venerando Olorensium Episcopo, Domini Papæ Gregorii VII. Vicario, assidente cum eo collega suo Hugone Dionysio venerabili Episcopo, tempore Gosselini Archiepiscopi Burdigalensis, Anno Domini 1079. Anno proximè sequenti magnus Conventus Episcoporum factus est in Sanctonica civitate, prædicto Amato Legato præsidente.

CONCILIUM ROTHOMAGENSE

Celebratum contra Monachos Sancti Audoeni, tempore Gregorii VII. & Philippi I. anno Dom. 1073.

MAtthæus Paris testimonium reddit huic Concilio in Vita Vvillielmi Conquæstoris, ad annum 1073. Eodem anno, inquit, invaserunt Monachi sancti Audoeni Joannem Archiepiscopum Rothomagensem, Missam celebrantem in Festivitate ejusdem Festi, cum armata manu virorum: unde judicatum est in Concilio, in eadem civitate congregato, præsidente Rege Anglorum Vvillielmo, monachos hujus criminis reos, per Abbatias carceribus retrudi, & perpetuam agere pœnitentiam super tàm gravi delicto.

Joannes Chanutius in serie Episcoporum Sajensis Ecclesiæ refert Robertum, quem trigesimum ponit in Ordine Antistitum hujus Ecclesiæ, interfuisse Concilio Rothomagensi anno 1074.

CONCILIUM RHEMENSE,

Sub Rainoldo Archiepiscopo Anno 1092. celebratum tempore Urbani II. & Philippi I.

EX Genealogia manuscripta Comitum Flandriæ narrat Ducennius in Urbano secundo Robertum Barbatum Comitem Flandriæ prætextu cujusdam consuetudinis antiquę fisco suo addixisse bona omnia Clericorum defunctorum, ita ut cum aliquis eorum è vivis excessisset, omnes eorum terras, domos, pecuniam, & hæreditates possideret, iisque hæredes spoliaret: qua de injustitia monitus ab Urbano secundo per epistolam, tantum abest, ut emendaret, quin potius multorum clericorum adhuc viventium bona usurpaverit. Quare Clerici Flandriæ opem, auxiliumque imploraverunt Synodi Rhemensis, quam tunc habebat Rainaldus Archiepiscopus, in qua expositis tùm litteris Urbani secundi ad Comitem Robertum, qui eas spreverat, tùm detrimentis bonorum, quæ iniquè patiebantur, ita commoverunt animos omnium Episcoporum, ut ex eorum consensu, & consilio Rainoldus rescripserit ad Arnaldum præpositum Audo-

domarensem, ad Joannem sancti Bertini Abbatem, Girardum Abbatem Hammensem, & Bernardum Præpositum Varenensem, ut adirent Robertum Comitem in Monasterio S. Bertini tunc commorantem, ac dies quadragesimæ in castitate, & orationibus ducentem, illique denuntiarent ex parte Concilii, ut nisi intra Dominicam Palmarum restitueret omnia, quæ illicitè usurpaverat, comitatus ejus sub interdicto poneretur, & suspensione ab omnibus Divinis Officiis, ipseque anathematis gladio feriretur: Qua comminatione ille territus de omni damno illato satisfecit, veniam etiam exoravit de peccato admisso, &, quicquid hac in re statuerat, annullavit: ita ut nec ipse in posterum, nec ejus successores quicquam simile attentaverint. A

CONCILIUM ROTHOMAGENSE, B

Sub Guillielmo Rothomagensi Archiepiscopo pro concilianda pace inter proceres Normaniæ, & disciplina Ecclesiastica tempore Victoris II. & Philippi I. Regis Galliarum Anno 1095.

Ex Orderico Vitali lib. 9. Ecclesiasticæ historiæ.

GUillielmus igitur Archiepiscopus Rothomagi Cõcilium aggregavit, & cum suffraganeis Episcopis de utilitatibus Ecclesiasticis tractavit. Tunc omnes mense Februario Rothomagum convenerunt, capitula Synodi, quæ apud Clarummontem facta est, contemplati sunt: scita quoque Apostolica confirmaverunt, & hujusmodi scriptum posteris dimiserunt. C

STatuit Synodus sancta, ut trevia Dei firmiter custodiatur à Dominica die ante caput jejunii usque ad secundam feriam Oriente sole post octavas Pentecostes, & quarta feria ante adventum Domini Occidente sole usque ad octavas Epiphaniæ: & per omnes Hebdomadas anni à quarta feria Occidente sole usque ad secundam feriam Oriente sole, & in omnibus festis sanctæ Mariæ, & vigiliis eorum, & in omnibus Festis Apostolorum, & vigiliis eorum: ut nullus homo alium assaliat, aut vulneret, aut occidat, nullus namnum, vel prædam capiat.

STatuit etiam, ut omnes Ecclesiæ, & atria earum, & Monachi, & Clerici, & sanctimoniales, & fœminæ, & peregrini, & mercatores, & famuli eorum, & boves, & equi arantes, & homines carrucas ducentes, & Mercatores, & equi, de quibus herceant, & homines ad carrucas fugientes, & omnes terræ sanctorum, & pecuniæ Clericorum perpetua sint in pace: ut in nulla die aliquis audeat eos assalire, vel capere, vel prædari, vel impedire. D

STatuit etiam, ut omnes homines à XII. annis, & supra jurent hanc constitutionem treviæ Dei, sicut hìc determinata est, ex integro se servaturos tali juramento. *Hoc audiatis vos N. quod ego à modo in antea hanc constitutionem treviæ Dei, sicut hìc determinata est, fideliter custodiam, & contra omnes, qui hanc jurare contempserint, vel hanc constitutionem servare noluerint, Episcopo, vel Archidiacono meo mox auxilium feram: ita ut si me monuerint ad eundum super eos, nec diffugiam, nec dissimulabo, sed cum armis meis cum ipso proficiscar, & omnibus, quibus potero, juvabo adversus illos per fidem sine malo ingenio, secundum meam conscientiam. Sic me Deus adjuvet, & isti Sancti.* E

STatuit præterea sancta Synodus, ut omnes feriantur anathemate, qui hoc juramentum facere noluerint, vel hanc constitutionem violaverint, & omnes, qui eis communicaverint, vel sua vendiderint: sive fabri, sive officiales, sive Presbyteri, qui eos ad communionem susceperint, vel divinum eis officium fecerint. Hoc etiam anathemate feriuntur falsarii, & raptores, & emptores prædarum, & qui in castris congregantur propter exercendas rapinas, & Domini, qui à modo eos retinuerint in castris. Et auctoritate Apostolica, & nostra prohibemus, ut nulla Christianitas fiat in terris Dominorum illorum.

STatuit etiam sancta Synodus, ut omnes Ecclesiæ ita sint saisiatæ de rebus suis, sicut fuerunt tempore Guillielmi regis, & cum eisdem consuetudinibus, & quod nullus laicus participationem habeat in tertia parte decimæ, vel in sepultura, vel in oblatione altaris, nec aliquam exactionem inde exigat, præter eam, quæ tempore Guillielmi Regis constituta fuit.

STatuit etiam, ut nullus laicus det, vel adimat Presbyterum Ecclesiæ sine consensu præsulis; nec vendat, nec pecuniam inde accipiat.

AC ut nullus homo Comam nutriat, sed sit tonsus, sicut decet Christianum. Alioquin à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ sequestrabitur, nec sacerdos aliquis divinum ei Officium faciet, vel ejus sepulturæ intererit.

NUllus laicus habeat consuetudines Episcopales; vel justitias, quæ pertinent ad curam animarum.

NUllus Presbyter efficiatur homo laicus, quia indignum est, ut manus Deo consecratæ, & per sacram unctionem sanctificatæ, mittantur inter manus non consecratas: quia est, aut homicida, aut adulter, aut criminali peccato obnoxius. Sed si feudum à laico sacerdos tenuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem, quod securus sit.

HÆc itaque Gislebertus Ebroicensis Episcopus; qui pro sua proceritate cognominabatur Grus, & Fulbertus Rothomagensis Archidiaconus, scita Patrum palam promulgaverunt, & Guillielmus Archiepiscopus, aliique præsules auctoritate sua corroboraverunt. Odo quippe Bajocensis, & Gislebertus Lexoviensis, Turgisus Abrincatensis, & Serlo Sagiensis, atque Radulphus Constantiensis prædictam Synodum sanxerunt. Abbates quoque totius Provinciæ cum Clero, & parte procerum pacem optantium affuerunt. Sed principali justitia deficiente, &c. quæ tunc definierunt, penè irrita fuerunt. Erat enim eo tempore mira seditio inter Optimates Normaniæ, &c. incendia, & rapinæ totam patriam devastaverunt, indigenarum quàmplurimos in exilium extruserunt, & Parochiis destructis Ecclesias Presbyteri fugiendo desolatas deseruerunt. Indomita gens Normanorum est, et nisi rigido rectore coerceatur, ad facinus promptissima est. In omnibus Collegiis, ubicumque fuerint, dominari appetunt, et veritatis, fideique tenorem prævaricantes, ambitionis æstu multoties effecti sunt. Hoc Franci, et Britones atque Flandrenses, aliique Collimitanei crebro senserunt: hoc Itali, & Guinili, Saxonesque Angli usque ad internecionem experti sunt.

ANNOTATIO.

CApitula illa Synodi apud Clarum montem habitæ sub Urbano II. quæ Patres hìc contemplati sunt, alia referuntur ab Orderico paucis lineis ante descriptionem Synodi, nec non à Matthæo Paris ad annum 1095. quàm ea, quæ vel Binius, vel Coriolanus retulerunt, studiosus lector conferre poterit pro otio.

CONCILIUM PICTAVIENSE,

In causa Philippi Regis Galliarum in adulterio perseverantis tempore ejusdem Regis, & summi Pontificis anno Domini 1100.

Philippi I. et Urbani II.

HOc Concilium attingitur in summa, & ejus Canones ex Vaticano per Baronium extracti in ejus annalibus, ac in collectione Binii inseruntur. Sed quod subjicimus ex notis Soucheti Canonici Carnotensis, ac antiquitatis studiosi, ut experti ipsi sumus ex invisione ejus bibliothecæ, dum iter per urbem Carnotensem ageremus, nondum in corpus Conciliorum, aut summam à quoquam relatum, à me prætermitti non debuit ob memoriam sancti viri, de quo ibi agitur, qui mecum eandem patriam sortitus est, è qua velut è medio spinarum emersit. Sic autem habetur in præfatis notis ad epistolam 84. Huic loco illustrando multum affert, quod Goffridus Grossus in vita Bernardi Tyronensis Abbatis primi scribit, qui liber, quia nondum in lucem prodiit, hic subjicere ipsius testimonium non gravabor. Per id tempus, inquit Goffridus, duo Cardinales Joannes, atque Benedictus Apostolicæ sedis Legatione fungentes ad urbem Pictavium Cōcilium convocarunt, in quo centum quadraginta Patres affuerunt, qui Philippum Regem Francorum propter Fulconis consulis Andegavensium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Guillielmus Duc Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ, ac sanctitatis inimicus, timens, ne consimilem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore incensus, jussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus Pontifices, & Abbates huc, illucque diffugiunt, & , ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At verò Bernardus, atque Robertus Abresellensis, qui Concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis, ac injustitiæ expugnatores, ita immobiles, constantesque perstiterunt, ut nec ab incepto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem, vel contumeliam pati gloriosum ducerent: & quamvis eis persecutores mortem non intulerint, isti, quantum in ipsis est, martyrium pertulerunt.

Bernardi Tyronēsis, & Abresel. virtus.

Nota.

Plura Concilia haberi in hac causa procuravit zelus Pontificis Urbani, natione Galli ad obviandum scandalo, & promovendam regis salutem, etiam si tempora essent difficilia, & infensum regis animum sibi reddere jure metueret Pontifex. Non pauci Principes hoc zelo Pontificum ad bonam frugem redierunt, ut hic Philippus primus, & posteà Philippus Augustus. Refert tamen Matthæus Paris sub finem vitæ sancti Ludovici illum amisisse privilegium strumosos curandi, nec recuperasse, cum initio regni plures sanasset suo contactu. Durante verò interdicto Galliæ ob adulterium Philippi Augusti in publicis actis non fuisse scriptum, regnante Philippo, sed regnante Christo, narrant alii.

Quia verò hallucinantur aliqui in Guillielmo illo Aquitanorum Duce ex notis ad Litanias Pictavicas Henrici Ludovici Castanæi de la Roche-Pozai, Pictavorum Episcopi, doctrinæ titulo inter cætera illustris causas hallucinationis amovere hic juvat. Varii authoris, inquit, nominis convenientia decepti sancto Guillielmo nono Aquitaniæ Duci, qui stemmati suo perinsigni clausulam insigniorem imposuit, probra aliquot perperam ascripserunt, quæ in facinorosum Guillielmum octavum Patrem regerenda sunt, ut animadvertit Joannes Besly, Regius apud Fonteniacum consiliarius, exquisitissima antiquariæ rei eruditione (è qua permulta tenacis amicitiæ privilegio fultus sitienter hausi) prænitens, qui primus subductis temporum rationibus, Pictonum Comites, eosdemque Aquitaniæ Duces inter se distinxit, & in ordinem digessit. Ac paucis interjectis subjungit. Bernardus de Abbatis Villa dictus, quod eo loci in Pontinensi Comitatu ortus sit, anno 1100. Abbas sancti Cypriani defuncto Reginaldo eligitur. Fundamenta posuit Tyronensis cœnobii in Carnotensi Diœcesi, & 7. Kalendas Maji anno 1116. mortem occubuit. Ordericus Vitalis, qui histor. l. 8. eum Quinciaci Abbatem nuncupat, oppido falsus est, ut variis ex Cartularii S. Cypriani locis manifestè colligitur, quorum enumerationi parsum esse aveo, ne libellus iste turgescat. Hujus sancti vita legitur à Gaufrido Grosso Monacho, ejus discipulo scripta ad Gaufridum Carnotensem Episcopum, Apostolicæ sedis legatum, atque dicti Ivonis successorem. Hæc ibi, quibus concinunt, quæ habet P. Ignatius Joseph à sancta Maria Carmelita discalceatus in Historia Ecclesiastica Abbatis Villæ lib. 1. cap. 95. Vir inter religiosos religiosissimus, qui multa scripsit pro ornanda Sparta, quam nactus est, ac tota Diœcesi Ambianensi, si omnia Typis edantur.

CONCILIUM APUD BALGENCIACUM,

Baug

Tempore Paschalis Papæ II. & Philippi I. Regis Galliarum pro eodem Rege absolvendo congregatum circa annum Domin. 1103.

CAusa hujus Concilii fuit adulterium publicum Regis Galliarum Philippi primi, nam concepto odio in Bertham Reginam, eam apud Monasterium in arce asservari jussit, abductaque à foro Andegavo Bertranda uxore, eam in pellicem per plurimos annos habuit, quare excommunicationis gladio percussus est ab Urbano secundo summo Pontifice, ut ejus ignominia percitus, dimissa Bertranda ad propriam rediret uxorem: quod cum post aliquot annos facturum se polliceretur Ricardus Albanensis Episcopus, legatusque Paschalis summi Pontificis, Synodum convocavit Episcoporum Galliæ, ut eum solveret à vinculo excommunicationis, sed cum Episcopi non consentirent in Synodo de absolutione Regi impertienda, propter quamdam difficultatem è litteris legati ortam, re infecta Synodus soluta est. Sed hæc manifestius patebunt ex epistola Ivonis Carnotensis ad Paschalem summum Pontificem, qua rem gestam in Concilio narrat, monetque, ut minùs severè cum Rege agat, ne deterius aliquid contingat. Sic autem se habet epistola.

Paschali summo Pontifici, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia orationum obsequium. Notum facimus paternitati vestræ, quod 3. Kalendas Augusti plures Episcopi, tàm Rhemensis, quàm Senonensis Provinciæ invitati à Domno Ricardo Albanensi Episcopo legato vestro convenimus, in quoddam municipium Aurelianensis Episcopatus nomine Balgenciacum ad faciendam absolutionem Regis secundum tenorem litterarum, quas super hac re miserat moderatio vestra. Convenit etiam Rex, & lateralis sua, & secundum præceptum tactis sacrosanctis Euangeliis parati fuerunt abjurare absolutè omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper, & mutuam colloquutionem, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, usque ad vestram dispensationem. Sed quia in litteris vestris continebatur, ut in hac absolutione consilium prudentium sibi adhiberet Domnus Albanensis Episcopus, totum onus Concilii voluit ex arbitrio pendere Pontificum. Episcopi verò nescimus quid conjicientes, semper explicabant se debere esse hujus Concilii Comites, & non Duces. Quamvis quibusdam nostrum videretur, quod prædicta absolutio ita posset, sicut

ſicut prætaxata eſt, honeſtè fieri, & propter quorumdam ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cum itaque res indefinita remaneret in medio, Rex clamitans inculcabat ſe malè eſſe tractatum, qui tamen per ſe, & per nos adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, ut ſecundum moderationem litterarum veſtrarum, & verba, quæ Domino Galoni Coepiſcopo noſtro injunxiſtis, cauſam ejus temperetis: ne contingat de eo il-
v.30. lud Salomonis: *Qui multum emungit, elicit ſanguinem*, Diſpenſationis autem modus nulli unquam ſapientium diſplicuit. Unde beatus Cyrillus ad Gennandium Presbyterum: Sicut enim, qui mare navigant, tempe-
enſa- ſtate urgente, navique periclitante, quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant: ita & nos cum habeamus ſalvandorum omnium certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia: & quia hæc ſuggerendo dicimus, non docendo, noſtræ ſuggeſtionis ſumma eſt, imbecillitatem hominis amodo, quantum cum ſalute ejus poteſtis condeſcendentes, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.

Quod Epiſcopi Galliæ tàm difficiles ſe exhibuerint erga regem proprium, nota eſt ſeveritatis, quæ tunc exercebatur erga pœnitentes, & potiſſimum relapſos in peccatum poſt acceptam ſemel abſolutionem: Philippus autem excommunicatus primum ab Urbano ſecundo, & abſolutus redierat ad vomitum, rurſuſque ab eodem Urbano eodem vinculo excommunicationis innodatus fuerat. Sed eo defuncto exiſtimabat ſe liberatum ab omni cenſura, unde & profundius in luto peccati immergebatur: qua de cauſa Paſchalis ſecundus Urbani ſucceſſor ſynodum Pictavienſem ann. 1100. congregari curavit: in qua renovata ſunt vincula illius per cenſuram, qua ille tandem territus meliorem frugem pollicebatur, attamen Patres Concilii Balgenciacenſis minimè conſenſerunt, ut tàm cito abſolveretur, niſi viderent animum ejus in propoſito firmiorem, metuens tamen Ivo ne religio in Gallia detrimenti aliquid pateretur, ſi Canonum rigor erga regem ſervaretur, movet Pontificem, ut provideat.

CONCILIUM SUESSIONENSE

Circa annum 1112. Sub Rainaldo Archiep. Rhemenſi, in quo Roſcelinus errorem de Trinitate revocavit.

VErba Anſelmi Abbatis Becci epiſt. ad Fulconem Bellovaci Epiſcopum, prolata à Jureto ad Epiſt. 7. quamvis ex manuſcripto nondum tunc edito, illuſtrant hoc Concilium. Audio inquit, quod tamen abſque dubietate credere non poſſum, quia Roſcelinus clericus dicit in Deos tres perſonas eſſe tres res abinvicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen, ut una ſit poteſtas, & voluntas, Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici, ſi uſus admitteret, in qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Lancfrancum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt Concilium à venerabili Archiepiſcopo Rainaldo colligendum eſſe in proximo. Quoniam ego puto reverentiam veſtram ibi præſentem futuram, volo ut inſtructa ſit, quid pro me reſpondere debeat, ſi ratio exegerit. *Et paulo poſt addit.* Quicumque blaſphemiam, quam ſupra poſui me audiiſſe à Roſcelino, dici pro veritate aſſeruerit, ſive homo, ſive Angelus, anathema eſt, & confirmando dicam, quamdiu in hac perſtiterit pertinacia, anathema ſit, omnino enim Chriſtianus non eſt.

Patet autem ex aliis ibidem à Jureto congeſtis, hunc Roſcelinum, vel Racelinum clericum Compendienſem fuiſſe, atque ex Aventino lib. 6. anna-

A lium Bojorum Magiſtrum Petri Abailardi, Britannum novi Licæi conditorem, qui primus ſcientiam vocum, ſive dictionum inſtituit. Unde diſtracti poſtea Ariſtotelici in Nominales, & Reales, in quibus diſſidium, & bellum civile eſt. Potuit autem eſſe Britannus origine, habitatione Compendienſis, ut propterea ſub juriſdictione Archiep. Rhemenſis extiterit.

Hic autem error, qui inſania Sabelliana reviviſcebat, occaſionem dedit D. Anſelmo ſcribendi librum de Incarnatione: ſic namque pleræque hæreſes ad hoc inſervierunt, ut Orthodoxorum patrum ſpiritus excitaretur ad ſcripta edenda, quibus fidei myſteria elucidantur, & ab adverſariis motæ quæſtiones ſcribendi extiterunt occaſiones magnis viris, qui alias conticuiſſent. In ipſo autem diſputationis exordio hanc auream pro-
B fert ſententiam, quam mirum in modum extollit Baronius ad annum 1094. Nullus quippe Chriſtianus debet diſputare, quod Catholica Eccleſia corde credit, & ore confitetur, quomodo non ſit: ſed ſemper eandem fidem indubitanter tenendo, amando, ſecundum illam vivendo, humiliter, quantum poteſt, quærere rationem, quomodo ſit. *Si poteſt intelligere, Deo gratias agat: ſi non poteſt intelligere, non immittat cornua ad ventilandum, ſed ſubmittat caput ad venerandum. Citius enim in ſe poteſt confidens humana ſapientia impingendo cornua ſibi convellere, quàm innitendo petram hanc evellere, &c.*

Revocavit autem errorem in hoc Concilio, ſed paulo poſt ad eumdem reverſus eſt, ſicut demonſtrat Epiſtola 7. Ivonis ad eumdem Roſcelinum. Sed, quia, inquit, ſcio te poſt Concilium Sueſſionenſe in auribus quorumdam, quos mecum benè noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſputationibus ſtudioſiſſi-
C mè defendiſſe, & eamdem, quam abjuraveras, & alias non minus inſanas perſuadere voluiſſe, non poteſt intrare in cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris. Et poſt aliqua. Reſtat igitur, ut palinodiam ſcribas, & recantatis opprobriis veſtem Domini tui, quam publicè ſcindebas, publicè reſarcias, quatenus ſicut multis exemplum erroris fuiſti, ſic de cætero fias exemplum correctionis: ſic enim bono odore, & priſtinum odorem conſumente, & à nobis, & ab aliis diligi, & coli, & beneficiis poteris ampliari.

Dicebat porro Roſcelinus ille ſe revocaſſe ſententiam in concilio propter metum, ne à populo interfice-
D retur, quamvis illam mente retineret, quare illi improperat Ivo illud ethnici, ſeu ſecundum alios ethici tractatoris. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.*

CONCILIUM

Contra vexationes Thomæ de Marna, & ad revocandum è Carthuſia Godefridum Epiſcopum Ambianenſem, Bellovaci inceptum, Sueſſioni continuatum, & Rhemis perfectum ſub Conone Legato anno 1115. tempore Paſchalis II. & Ludovici Groſſi.

E SUggerius Abbas D. Dionyſii, libro de Vita Ludovici Groſſi, cauſam, & acta Concilii aperit. Thomas ſiquidem de Marna homo perditiſſimus Ludovico Rege ſupradictis guerris, & multis aliis attendente, pagum Laudunenſem, Rhemenſem, Ambianenſem, diabolo ei proſperante, quia ſtultorum proſperitas eos perdere conſuevit, uſque adeo dilapidaverat, furore lupino devoraverat, ut nec Clero Eccleſiaſticæ ultionis timore, nec populo aliqua humanitate pepercerit, omnia trucidans, omnia perdens, etiam ſancti Joannis Laudunenſis Monaſterio Sanctimonialium duas Villas peroptimas eri-

eripuit, fortiſſima caſtella Creciarum, & Novigentum vallo mirabili, altis etiam turribus, tanquam proprias munierit, & ſicut draconum cubile, & ſpeluncam latronum adaptans totam ferè terram, tàm rapinis, quàm incendiis immiſericorditer expoſuerit. Cujus intolerabili fatigata moleſtia, cum ſederet Belvaci Generali Conventu Gallicana Eccleſia, ut in hoſtes veri ſponſi, Jeſu Chriſti, hic etiam judicii primordia, & damnativam promulgare incipiat ſententiam, venerabilis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatus Cono Præneſtinus Epiſcopus innumerarum pulſatus moleſtia querelarum, Eccleſiarum, pauperum, & orphanorum, devexationum tyrannidem, mucrone beati Petri, anathemate ſcilicet detruncans, cingulum militare ei licèt abſenti decingit, ab omni honore tanquam ſceleratum, infamatum Chriſtiani nominis inimicum, omnium judicio deponit. Tanti itaque Concilii rex exoratus deploratione citiſſimè in eum movet exercitum, &c. Creciacum caſtrum munitiſſimum divertit, &c.

GAguinus in Ludovico Groſſo meminit hujus Thomæ, quem vocat de Marla, aitque Concilium congregatum fuiſſe Viennæ, ſed Sugerio magis fides adhibenda. Quod ſpectat ad annum, quo celebratum eſt Concilium, ſequimur Ducennium in Paſchali ſecundo, ubi teſtatur Cononem legatum accepta à ſummo Pontifice poteſtate ad reformandam Eccleſiam Gallicanam tres ſynodos habuiſſe anno MCXV. Remenſem, Bellovacenſem, & Cabilonenſem. Quæ pluribus confirmata invenimus per Juretum in obſervationibus ad Epiſtolam Ivonis 266.

S. Godefridus Ambianenſis Epiſcopus.

Surius in vita S. Godefridi Epiſcopi Ambianenſis cap. 9. Interim Conon Cardinalis, Pontificis Maximi Legatus, & Radulphus Remorum Archiepiſcopus apud Bellavocum ſynodum celebrant. Ad eam accedunt Ambianenſium Legati, conqueruntur ſe deſtitutos optimo paſtore ſuo. Ad quos Remenſis Archiepiſcopus: Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere auſi eſtis, qui virum pudicum, Orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, veſtra improbitate à ſua ſede expuliſtis? quem illi parem, nedum ſanctiorem, unquam habituri eſtis ſacerdotem? O vos miſeros, qui tanto paſtore unquam ad momentum caruiſtis! Num vos illum turpia lucra ſectantem, libidini vacantem, Eccleſiaſtica beneficia venundantem unquam deprehendiſtis? Illis reſpondentibus ab his planè illum immunem eſſe: ſubjecit Archiepiſcopus: Ite ergo, & tàm peritum ovilis dominici cuſtodem perquirite, & inventum ad vos reducite. Teſtor enim Dominum Jeſum, donec erit ullus in Godefrido vitalis ſpiritus, nullum alium vos Epiſcopum habituros.

Dum hæc geruntur, en adſunt nuntii apportantes litteras beati Godefridi, quibus ille ſignificat ſe Epiſcopatu abdicaſſe: hortatur, ut alium patrem ſibi quærant: ſe nunquam rediturum affirmat, oſtendit ſe ineptum eſſe, & in idoneum, qui Epiſcopi munere fungatur: ſe verbis quidem docuiſſe ſubditos ſuos, ſed mala vita perdidiſſe, & corrupiſſe. Quæ cum legerentur, penè omnes lachrymati ſunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cum eſſet meritis ſummus, infrà omnes infimos ſe abjicere videretur, &c.

Cap. 10. Tamdem ſtatuunt Patres apud Sveſſiones ad Domini Epiphaniam convenire, & quid faciendum ſit, deliberare. Ubi eo ventum eſt, jubente Ludovico Francorum rege, accitus ab eis eſt Henricus Abbas S. Quintini, in quo Monaſterio vir Dei Godefridus ab ipſis penè incunabulis ſobriè, & piè educatus ad ſummum virtutum apicem pertigerat. Vocatus eſt etiam Hubertus, magnæ authoritatis vir, & celeberrimi Monaſterii, quod Cluniacum vocant, monachus. Hos duos, cum ſuis litteris mittunt ad

A fratres Carthuſiæ: orant, imò & imperant, ne Godefridum Ambianorum Præſulem, apud ſe diutius morari ſinant, ſed ad ſedem ſuam citius redire compellant. Addunt mandata ad ipſum Godefridum, ut celerrimè ad deſolatum ſuum gregem ſe recipiat: Oſtendunt non debuiſſe illum ſemel ſuſceptam Eccleſiam tàm facilè deſerere: plus eum apud Dominum demereri, dum ſinit per abrupta vitiorum præcipites ire oves ſuas, quam poſſit promereri, dum privatim in quamtumvis remota ſolitudine vivit, etiam ſeveriſſimè: tùm quoque docent ſacros vetare Canones, ne quis Epiſcopo viventi ſubrogetur, niſi vel infirmitate petente, id ipſe petat, vel ob crimen deponendus ſit.

Aure V. Car

Hæc ubi Godefridus accepit, animo valdè conſternatus ad pedes monachorum ſe proſtravit, cum multis lachrymis orans, ne ſinerent ipſum à ſe avelli.
B Flent pariter etiam illi, attamen multis eum conſolantur modis: & quia regis, & Epiſcoporum authoritati reſiſtere non poterant, in pace illum à ſe dimittunt, &c.

Cap. 11. Porrò autem beatus Godefridus à Carthuſia non tàm ſponte ſua, quàm vi propemodum adactus, exiens, crebro ad eam reflectebat oculos lachrymis madentes, ſe miſerum, & infelicem ſummo animi dolore proclamans, cui in illo Angelico contubernio non licuerit uſque ad ſupremum vitæ diem permanere, & ſoli divinæ contemplationi vacare. Fuit autem in Carthuſia à feriis Sanct. Nicolai Epiſcopi, quæ aguntur octavo Idus Decembris uſque ad Quadrageſimæ initium, admodùm interim
C exultans in Domino, quod à terrenis curis abſolutus optata quiete frueretur, &c. Profectus inde venit ad Rhemorum urbem, ubi tùm Cono Cardinalis, & Legatus frequentiſſimam Synodum habebat. Adduxit autem eum in Synodum Radulphus Rhemorum Archiepiſcopus, jejuniis, vigiliis, aliiſque ſanctis exercitiis adeò attenuatum, & confectum, ut vix pedibus conſiſtere poſſet. Quem, ut viderunt patres, valdè admirabantur adeo illum ſe mundo, mundumque ſibi crucifixiſſe, ut nec mundum ipſe diligere, nec mundus illum amare poſſe videretur. Duriuſculè eum tunc appellavit Cono Legatus, quod injunctum munus reliquiſſet: deinde admonuit, ut propriæ utilitati multorum ſalutem anteponens, Ambianos rediret, & ſuo officio fungeretur, rectius ſibi
D conſulturus, ſi non ſua unius ſalute contentus, plurimos Chriſto lucrifacere conaretur, & tamdem à Chriſto audire mereretur, *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui*. Cum non poſſet autem vir Dei illius, aliorumque Epiſcoporum authoritati obluctari, ad ſuam redit Eccleſiam, ab omnibus cupidiſſimè excipitur, ſed non diu poſt ſuper vixit, &c.

Matth

CONTROVERSIA.

An Epiſcopat. dimitti

AN Epiſcopus dimitti poſſit, non parva concertatio eſt. Petrus Damiani, qui Epiſcopatu ſeſe exuit ob amorem ſolitudinis, id fieri poſſe contendit in opuſculo vigeſimo, ſeu in Apologetico ob dimiſ-
E ſum Epiſcopatum tomo 3. Verum hic mihi fortaſſe objicitur, ſemel acceptum regimen dimitti non licere. Ad quod breviter dico, quod ſentio: Quia plerique Pontificatus jura non deferunt, & de ſiniſtris ſunt: quotquot autem legimus recta intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt eos de æterna cum Chriſto ſocietate gaudere. Neque hoc dicimus, ut paſſim deſeri Epiſcopatum liceat, niſi videlicet id fieri magna neceſſitas compellat. Enimvero beatus Valerius, dum ſibi providet ſucceſſorem, magnum Auguſtinum Hipponenſi Eccleſiæ inthronizat antiſtitem: Lucidus Ficolenſis Epiſcopus, dum propinquum ſibimet obitum imminere cognoſcit, ad Cœnobialis portum convolat ordinis, &c. Cui nimirum ante-

Qui Epiſcopat. dimiſ.

quam

quam moreretur, beatus Apostolus Andreas apparuit, &, qua hora migraturus esset ex corpore, nuntiavit. Quid beatum Adelbertum Martyrem dicam; qui nimium, quoniam Bohemiensis Ecclesiæ postposuit Cathedram, monachum induens, triumphalem martyrii meruit invenire coronam? &c. Episcopus etiam ille Sabinensis, qui solium Pontificale deseruit, & Farsense monasterium, contempta sacerdotali dignitate, construxit, quàm nobilis in Christo vir fuerit, testis est antiqua traditio, quæ sanctitatis ejus insignia celebrat, &c. Nec te, felix Bonite, prætercam, qui hac dumtaxat occasione percepta, de manu regis, laici videlicet hominis traditionem Ecclesiæ te suscepisse contigerat, Cathedram contempsisti, atque ad remotioris vitæ custodiam te protinus contulisti. Hisce exemplis dimissionem Episcopatus defendit, quam sarcinam tribulationis appellat, qua abjecta liber ad dilectam solitudinem repedavit. Libet itaque, inquit, sub quadam mentis energia quasi diu stipitibus attritos agitare pedes, durisque catenis edomitas sublevare cervices, illudque Propheticum (Psalm. 115.) alacriter decantare, *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*.

In contrarium est, quod Navarrus consiliorum l. 1. consilio de renuntiatione, multis impugnat illam dimissionem, cum adhuc Episcopus est corporis, & animi viribus satis vegetus, & cum fructu Ecclesiæ præfert. 1. ex illo dicto Alexandri 3. cap. 1. de renuntiatione: Indecens omnino probatur prius solvere militiæ cingulum, quàm cedat victori adversitas præliorum. Hæc ibi, per quod sanctissimus ille Papa noluit facere facultatem renuntiandi cuidam illum obnixè roganti, etiam senectutem ad hoc inculpanti: deinde ei, qui verè ex animo Christianus est, non licet, nec decet quærere peccati occasiones, peccandi tentationes: & qui renuntiat præsulatui, etiam in finem quietis contemplandi, videtur tacitè, & per quamdam consequentiam quærere ejusmodi tentationes, ut doctissimus ille jurium speculum Innocentius III. clarè docuit, definiens in c. *nisi cum pridem* §. *verum*: ea ratione negandam facultatem cedendi Episcopatui, ne in otiositatem, & voluptatem, quæ arma sunt diaboli ad captandas miserandas animas, incidat.

Amplius lege naturæ, divina, & humana tenemur pacta, conventiones, & contractus servare, præsertim contractum matrimonii, qui est indissolubilis, juxta illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: At Episcopus contrahit matrimonium cum Ecclesia, &c.

Has, & alias rationes affert Navarrus, quæ apud ipsum legi poterunt, ut inde pateat, quàm parùm approbet hujusmodi dimissiones. Suffragatur D. Bernardus Epistola CXLI. quæ est ad Humbertum Abbatem Igniacensem, qui Abbatiam suam dimiserat: Parcat tibi, inquit, omnipotens Deus. Quid voluisti facere? quis te crederet ad tantum prorumpere malum, hominem tantis præditum bonis? quomodo potuit arbor bona pessimum hunc ex se producere fructum? &c. quid quæso rationis, imo quid non impietatis habet hæc fuga tua, de qua filii lugent, adversarii rident? Miror, quod te non terruit Arnaldi Abbatis exemplum, cujus similis præsumptio digno, sed pavendo fine (ut benè meministi) in brevi est dedicata. Et quidem ille qualemcumque, ut benè novi, habuit causam, tu nullam, &c.

Sed objiciunt aliqui valde esse difficile in statu Episcopali salutem assequi. Verum ut admittamus difficiles esse functiones Episcoporum, si gratiam Dei amoveamus, non tamen si consideremus in ordinatione Episcopali, quæ sacramentum est, gratiarum auxilia conferri, vel jus quoddam ad illa suo tempore habenda, quibus possit ordinatus, si illis de- esse non velit, omnia sua obire munia, quantumcumque excelsa videantur. *Omnia possum*, ait Apostolus ad Philip. 18. *in eo, qui me confortat*. Et D. Leo sermone 1. de sua assumptione ad summum Pontificatum: Etsi, inquit, necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono: quoniam, qui mihi muneris est author, ipse mihi fiet administrationis adjutor, & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.

Alii opponunt curas, & labores status Episcopalis, inter quas cupienti integrè suo munere fungi, vix datur ulla requies. Sed quis nesciat hominem ad laborem natum esse, sicut avis ad volatum? ut loquitur Sapiens: tempus hujus vitæ laboribus, & curis destinatum est, satis erit temporis post hanc vitam ad requiescendum in visione divinæ essentiæ per totam æternitatem. Si status Episcopalis minus quietus est, eo fructuosior est, & meritis locupletior, ut ex hinc recompensetur labor ille, sicut Liæ lippitudo, in qua pulcritudini Rachelis inferior erat, fœcunditate compensabatur. Quamvis zelo Christi ardentibus, sit omnis quies labore tumultuosior, cum sit illis difficile, ac vix tolerabile, Christo patiente, nihil agere, aut pati ad ejus gloriam, & salutem animarum, pro quibus mortuus est. Cogitabat quondam Alphonsus à Rosa, post multos labores exantlatos in convertendis Indis ad fidem, de reditu in Europam, ut dies suos in pace expleret, cui hæc cogitanti, Crucifixus apparuit conquerens suaviter, *Cur me derelinquis?* Qua ille apparitione commotus, consilium mutavit, ac labores quieti sapienter prætulit.

Quidam alii avocantur à munere Episcopali, quod ita pluribus exponatur tentationibus, ut vix peccata in illo vitari possint: Est autem præferendum quibuscumque meritis, in Deum non peccare nec venialiter: quia, qui Deum sincerè, & ex corde diligunt, bonum divinum privato bono præferunt: est autem non peccare bonum divinum, cumulus verò majorum meritorum bonum privatum. Quam rationem benè perpendebat septimus in societate Jesu generalis Carafa, ut in piis responsis Philosophi Christiani ad calcem Philosophiæ affectivæ annotatum invenies.

Sed contra hæc omnia considerari potest, nullum esse statum in hac vita à tentationibus immunem: aliquando etiam accidere, ut minoribus urgeantur tentationibus, qui in gravibus circa proximi salutem occupantur exercitiis, quàm qui otio vacant, & quieti, quæ sæpè diaboli est pulvinar: unde major hominis innocentia ex majori ejus fidelitate ad Deum pendet, in quocumque statu (licito tamen) constitutus sit. Quod D. Athanasius in Epistola ad Dracontium his sententiis explicat: Quot Monachorum patres, & præfecti Agathon, Apollo, Ammonius, Serapion, Paulus, & alii Episcopi constituti non contradixerunt, sed pro exemplari Helisæum habentes, conscii quid Helias egerit, quid Apostoli, quid discipuli fecerint, ministerium aspernati non sunt, non protinus seipsis deteriores facti, sed ipsi proficientes, & alios adjuvantes. Ne te igitur impediant monachi, quasi solus ad hocè monachis constituaris, imo poteris melior fieri, si sanctorum acta æmuleris, qui ita creati mysteriorum dispensatores, melius ad scopum, & bravium supernæ vocationis se incitarunt. Quando Paulus, nisi ad docendum missus, coronam se accepturum contestatus? Quando Petrus nisi hominum piscator confessus? Quando Helias, nisi adimpleta Prophetia assumptus? Quando Helisæus nisi relictis omnibus Heliæ sectator dupla consequutus? Cur discipuli ad prædicandum electi? *Quæ cum exempla habeas, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum peccandi esse causam, delinquendi occasionem*.

Itaque his omnibus perpensis, fatius videtur, ut quamdiù Episcopus cum fructu spirituali animarum præesse adhuc potest, ac timore judiciorum divinorum ducitur, in ea vocatione permaneat, in qua vocatus est: nec crucem, gregemque derelinquat, quin priùs vocetur à Domino: nesciens sæpè, quem in suum locum substituat, maximè si caro, & sanguis sese in assumptione successoris immisceant, sæpè enim, quem putas esse Angelum, vix homo est, & majus beneficium ei conferres, quem ex præ alta rupe in profundum maris demergeres, quàm quem ad illam curam, & dignitatem, cęco amore evehis, quam nonnisi cum animæ certissima ruina tenere potest. A

ADDITIO AD
CONCILIUM SVESSIONENSE, B

Contra Petrum Abaelardum, Monachum Sancti Dionysii, præside Cnoone Legato, an. 1118. tempore Gelasii II. & Ludovici Grossi.

Dissidium est de anno, in quo primum hoc Concilium contra Petrum Abaelardum celebratum est, siquidem Amboesius in Apologetica Præfatione pro Petro Abaelardo ejusdem Petri operibus præfixa, arguit Severinum Binium erroris, quod Concilia duo, Svessionense videlicet, & Senonense contra eum congregata asserat, Ann. MCXL. nam inter utrumque Concilium annos intercessisse viginti contendit, Cnoonemque Legatum ex Gallia discessisse, circa Ann. MCXX. neque post illud tempus ad Galliam remigrasse. Unde colligitur Concilium Svessionense præsens habitum fuisse ante Annum MCXX. quo tempore Abaelardus adhuc subjacebat ferulæ Abbatis Dionysiani, eratque florente juventa fervidus, necdum canos attigerat, ut cum Senonensis Conventus contra eum habitus, à quo provocavit ad summum Pontificem, dicens: *Filius sum Romanæ Ecclesiæ: volo causa mea quasi impii judicetur, Cæsarem Ecclesiæ appello.* Hæc paucis annotata esse voluimus, & quasi per transennam, quia Coriolanus proximè sequutus est Binium in designatione anni præsentis Concilii, de quo etiam pauca admodùm habet, quare visum est nobis opportunum hìc attexere Historiam Concilii, prout ab ipsomet Abaelardo descripta est Epistola prima, in qua suas depingit calamitates, actaque in hoc Concilio, cujus ipse pars magna fuit, fusius narrat. Unde conjecturam ducimus in propriæ causæ patrocinio sibi ipsi non defuisse, & indulgentius forsan secum egisse, in adversarios verò paulò acriùs, itaut ea fides narrationi ejus adhibenda sit, quæ debetur homini pro seipso loquenti. C D

Historia Concilii Svessionensis ab Abaelardo exarata.

De libro Theologiæ suæ, et persecutione, quam sustinuit à condiscipulis.

Accidit autem mihi, ut ad ipsum fidei nostræ fundamentum humanæ rationis similitudinibus disserendum primò me applicarem, & quemdam Theologiæ Tractatum de Unitate, & Trinitate Divina Scholaribus nostris componerem, qui humanas, & Philosophicas rationes requirebant, & plus, quæ intelligi, quàm quæ dici possent, efflagitabant: dicentes quidem verborum superfluam esse prolationem, quam intelligentia non sequeretur, nec credi posse aliquid, nisi primitus intellectum, & ridiculosum esse aliquem aliis prædicare, quod nec ipse, nec illi, quos doceret, intellectu capere possent, Domino ipso arguente, quòd *cæci* essent *duces cæcorum*. Quem quidem Tractatum cùm vidissent, & legissent plurimi, cœpit in commune omnibus plurimum placere, quòd E

Matth. 15.

in eo pariter omnibus satisfieri super hoc quæstionibus videbatur. Et quoniam quæstiones istæ præ omnibus difficiles videbantur, quantò earum major extiterat gravitas, tantò solutionis earum censebatur major subtilitas. Unde æmuli mei vehementer accensi Concilium contra me congregaverunt, maximè duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet, & Lotulfus, qui jam defunctis Magistris eorum, & nostris, Guilielmo scilicet, atque Anselmo post eos, quasi regnare se solos appetebant, atque etiam ipsis tanquam hæredes succedere. Cum autem utrique Remis Scholas regerent, crebris suggestionibus Archiepiscopum suum Rodulphum adversum me commoverunt, ut ascito Cnoone Prænestino Episcopo, qui tunc Legatione fungebatur in Gallia, Conventiculum quemdam sub nomine Concilii in Svessionensi civitate celebrarent; meque invitarent, quatenùs illud opus clarum, quod de Trinitate composueram, mecum afferrem. Et factum est ita. Antequam autem illuc pervenirem, duo illi prædicti æmuli nostri ita me in Clero, & populo diffamaverunt, ut penè me populus, paucosque, qui advenerant ex discipulis nostris, prima die nostri adventus lapidarent, dicentes me tres Deos prædicare, & scripsisse, sicut ipsis persuasum fuerat. Accessi autem mox, ut ad civitatem veni, ad Legatum; eique Libellum inspiciendum, & dijudicandum tradidi, & me, si aliquid scripsissem, quod à Catholica fide dissentiret, paratum esse ad correctionem, * vel satisfactionem obtuli. Ille autem statim mihi præcepit Libellum ipsum Archiepiscopo, illisque æmulis meis deferre, quatenùs ipsi me judicarent, qui me super hoc accusabant: ut illud in me etiam compleretur, *& inimici nostri sunt judices.* Sæpiùs autem illi inspicientes, atque revolventes Libellum, nec quid in audientia proferre adversum me auderent invenientes, distulerunt usque in finem Concilii, Libri, ad quam anhelabant, damnationem. Ego autem singulis diebus, antequam sederet * Concilium in publico omnibus, secundum quam scripseram fidem Catholicam, disserebam, & cùm magna admiratione omnes, qui audiebant, tàm verborum apertionem, quàm sensum nostrum commendabant. Quod cum populus, & Clerus inspiceret, cœperunt adinvicem dicere: Ecce nunc palam loquitur, nemo in eum aliquid dicit. Et Concilium ad finem festinat, maximè in eum, ut audivimus, congregatum. Nunquid judices cognoverunt, quia ipsi potius, quàm ille, errant? Ex quo æmuli nostri quotidie magis, ac magis inflammabantur. Quadam autem die Albericus ad me animo intentatis * cum quibusdam discipulis suis accedens, post quædam blanda colloquia dixit se mirari quoddam, quod in Libro illo notaverat: quòd scilicet cùm Deus Deum genuerit, nec nisi unus Deus sit, negarem tamen Deum seipsum genuisse. Cui statim respondi. Super hoc, si vultis, rationem proferam. Non curamus, inquit ille, rationem humanam, aut sensum nostrum in talibus, sed authoritatis verba solummodò. Cui ego. Vertite, inquam, folium Libri, & invenietis authoritatem. Et erat præsto Liber, quem secum ipse detulerat. Revolvi ad locum, quem noveram, quem ipse minimè compererat, aut qui nonnisi mihi nocitura quærebat. Et voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi, quod volebam. Erat autem sententia intitulata. Augustinus de Trinitate libro 1. *Qui putat ejus potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eò plus errat, quod non solùm Deus ita non est; sed nec spiritualis creatura, nec corporalis. Nulla enim omninò res est, quæ seipsam gignat.* Quod cùm discipuli ejus, qui aderant, audissent, obstupefacti erubescebant. Ipse autem, ut se quoquomodò protegeret: Bene, inquit, est intelligendum. Ego autem subjeci, * hoc non esse novellum: sed ad præsens nihil attinere, cum ipse verba tantùm, non sensum requisisset. Si autem

Reme[...] Arch[...] scopus Abael[...] dum.

Concil[...] contra[...]

*al co[...] ptione[...]

Deut.

al. c[...] ret.

al. int[...] tandum

Cap. 1[...]

al. su[...] junxi.

tem sensum, & rationem attendere vellet, paratum me dixi ei ostendere secundum ejus sententiam, quòd in eam lapsus esset hæresim, secundum quam is, qui pater est, sui ipsius filius sit. Quo me audito, statim quasi furibundus effectus, ad minas conversus est, asserens nec rationes meas, nec authoritates mihi in hac causa suffragaturas esse. Atque ita recessit. Extrema verò die Concilii, priusquam residerent, diu Legatus ille, atque Archiepiscopus cum æmulis meis, & quibusdam personis deliberare cœperunt, quid de meipso, & Libro meo statueretur, pro quo maximè vocati fuerant. Et quoniam ex verbis meis, aut scripto, quod erat in præsenti, non habebant, quod in me prætenderent, omnibus aliquantulum conticentibus, aut jam mihi minus apertè detrahentibus, Gaufridus Carnotensis Episcopus, qui cæteris Episcopis, & Religionis nomine, & Sedis dignitate præcellebat, ita exorsus est: Nostis, Domini omnes, qui adestis, hominis hujus doctrinam, qualiscumque sit, ejusque ingenium, in quibuscumque studuerit, multos assectatores*, & sequaces habuisse, & Magistrorum tàm suorum, quàm nostrorum famam maximè compressisse, & quasi ejus vineam à mari usque ad mare, palmites suos extendisse. Si hunc præjudicio, quod non arbitror, gravaveritis, etiamsi rectè multos vos offensuros sciatis, & non deesse plurimos, qui eum defendere velint; præsertim cùm in præsenti scripto nulla videamus, quæ aliquid obtineant apertæ calumniæ, & quia juxta illud Hieronymi, *semper in propatulo fortitudo æmulos habet, feriuntque summos fulgura montes*. Videte, ne plus ei nominis conferatis, violenter agendo, & plus nobis criminis ex invidia, quàm ei ex justitia conquiramus. Falsus enim rumor, ut prædictus Doctor meminit, citò opprimitur, & vita posterior judicat de priore. Si autem Canonicè agere in eum disponitis, dogma ejus, vel scriptum in medium proferatur, & interrogato liberè respondere liceat, ut convictus, vel confessus * penitus obmutescat. Juxta illam saltem beati Nicodemi sententiam, qua Dominum ipsum liberare cupiens, ajebat: *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, & cognoverit, quid faciat?* Quo audito, statim æmuli mei obstrepentes, exclamaverunt: O sapiens * Consilium, ut contra ejus verbositatem contendamus, cujus argumentis, vel sophismatibus universus obsistere mundus non posset! Sed certè multo difficilius erat cum ipso contendere Christo, ad quem tamen audiendum Nicodemus juxta Legis sanctionem invitabat. Cùm autem Episcopus ad id, quod proposuerat, eorum animos inducere non posset, alia via eorum invidiam refrænare attentat, dicens ad discussionem tantæ rei paucos, qui aderant, non posse sufficere, majorisque examinis causam hanc indigere. In hocque ulteriùs tantum suum esse consilium, ut ad Abbatiam meam, hoc est Monasterium sancti Dionysii, Abbas meus, qui aderat, me reduceret: ibique pluribus, ac doctioribus personis convocatis, diligentiori examine, quid super hoc faciendum esset, statueretur. Assensit Legatus huic novissimo consilio, & cæteri omnes. Inde mox Legatus assurrexit, ut Missam celebraret, antequam Concilium intraret, & mihi per Episcopum illum licentiam constitutam mandavit, revertendi scilicet ad Monasterium nostrum, ibi expectaturo, quod condictum fuerat. Tunc æmuli mei nihil se egisse cogitantes, si extra diœcesim suam hoc negotium ageretur, ubi videlicet judicium minimè exercere valerent, qui scilicet de justitia minus confidebant. Archiepiscopo persuaserunt hoc sibi valdè ignominiosum esse, si ad aliam audientiam causa hæc transferretur, & periculosum fieri, si sic evaderem. Et statim ad Legatum concurrentes, ejus immutaverunt sententiam, & ad hoc invitum pertraxerunt, ut Librum sine ulla inquisitione damnaret, atque in conspectu omnium statim combureret, & me in alieno Monaste-

A rio perenni clausura cohiberet. Dicebánt enim ad damnationem Libelli satis hoc esse debere, quòd nec Romani Pontificis, nec Ecclesiæ authoritate commendatum legere publicè præsumpseram, atque ad transcribendum jam pluribus eum ipse præstitissem. Et hoc perutile futurum fidei Christianæ, si exemplo mei multorum similis præsumptio præveniretur. Quia autem Legatus ille minus, quàm necesse esset, literatus fuerat, plurimum Archiepiscopi consilio nitebatur *, sicut & Archiepiscopus illorum. Quod, cùm Carnotensis præsensisset Episcopus, statim machinamenta hæc ad me retulit, & me vehementer hortatus est, ut hoc tantò lenius tolerarem, quantò violentius agere eos omnibus patebat; atque hanc manifestæ invidiæ violentiam eis plurimum obfuturam, & mihi profuturam non dubitarem: Nec de clausura Monasterii ullatenus perturbarer, sciens profectò Legatum ipsum, qui coactus hoc faciebat, post paucos dies cùm hinc recesserit, me penitus liberaturum. Et sic me ut potuit flentem, flens & ipse consolatus est.

Vocatus itaque statim ad Concilium adfui, & sine ullo discussionis examine meipsum compulerunt propria manu Librum memoratum meum in ignem projicere. Et sic combustus est, ut tamen, cùm nihil dicere viderentur, quidam de adversariis meis id submurmuravit, quòd in Libro scriptum deprehenderat, solum Deum Patrem omnipotentem esse. Quod cùm Legatus subintellexisset, valde admirans ei respondit, hoc nec de puerulo * aliquo credi debere, quòd adeò erraret: Cùm communis, inquit, fides & teneat, C & profiteatur tres omnipotentes esse. Quo audito Tetricus quidam Scholarum Magister irridendo subintulit illud Athanasii: *Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens*. Quem cùm Episcopus suus increpare cœpisset, & reprimere quasi reum, qui in Majestatem loqueretur; audacter ille restitit, & quasi Danielis verba commemorans, ait: *Sic fatui filii Israel, non judicantes, neque, quod verum est, cognoscentes, condemnastis filium Israel. Revertimini ad judicium, & de ipso judice judicate*; quia talem judicem, quasi ad instructionem fidei, & correctionem erroris * instituistis: qui cùm judicare deberet, ore se proprio condemnavit, divina hodie misericordia innocentem patenter, sicut olim Susannam à falsis accusatoribus, liberate. Tunc Archiepiscopus assurgens, verbis, pro- D ut oportebat, commutatis, sententiam Legati confirmavit, dicens: Revera, Domine, inquit, omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Et qui ab hoc dissentit, apertè devius est, nec est audiendus. Et modo, si placet, bonum est, ut frater ille fidem suam coram omnibus exponat, ut ipsa, prout oportet, vel approbetur, vel improbetur, atque corrigatur. Cùm autem ego ad profitendam, & exponendam fidem meam assurgerem, ut quod sentiebam, verbis propriis exprimerem; adversarii dixerunt, non aliud mihi necessarium * esse, nisi ut Symbolum Athanasii recitarem, quod quivis puer æquè facere posset. Ac ne ex ignorantia prætenderem excusationem, quasi qui verba illa in usu non haberem, scriptu- E ram ad legendum afferri fecerunt. Legi inter suspiria, singultus, & lachrymas, prout potui. Inde quasi reus, & convictus Abbati sancti Medardi, qui aderat, traditus; ad claustrum ejus tanquam ad carcerem trahor. Statimque Concilium solvitur.

Ut verò Cistercienses Divum Bernardum tutati sunt in hac lite, causam Abailardi exactius discutit Abbas quidam innominatus, cujus extant tres libri, quorum primus initio caret, in Bibliotheca Cisterciensi Bertrandie Tessier tomo 8. ac ipsum Abailardum suis ipsis verbis convincit de non paucis, nec minimis erroribus, eumdemque stilo mordacissimo exagitat.

L. 1. ipsum convincit de errore contra Trinitatem, quod potentiam ad operandum in solo Patre admitteret, dicens Filium esse sapientiam, qui solum haberet vir-

[Margin notes: * al. utebatur. — Cap 10. De combustione ipsius Libri. — * al. parvulo. — In Symbolo. — Cap. 13. — * al. errorum. Ibidem. — * al. necessum. — Errores imputati Abailardo]

virtutem discernendi, non exequendi, & Spiritum sanctum esse amorem, qui solum charitatis affectum haberet. Hic est enim sensus illius dicti, quod in Patre esset omnipotentia ad exequendum, in Filio semipotentia ad discernendum tantùm, in Spiritu sancto nullipotentia, ut qui tantùm polleret bono affectu, tamquam bonitas, sed imbecilla, quæ nihil poterat operari. Jure merito exclamat hic Abbas. Hæc autem eodem ordine verbis eisdem, licèt locis diversis, sicut hìc posita sunt, ab antiquo serpente per eum in diabologia illa evomita sunt. Quis umquam Arrius, quis Eunomius, quis alius Hæresiarcha de Deo tàm malè sensit, tàm malè scripsit? Quid agitis, ò nostrates Philosophi? Cur oculos avertitis, ò nobilissimi juvenes, ò mundi flores, ò aurea scientiæ sæcularis causa, cur talia discitis, cur dicitis, cur scribitis? Utinam magistri vestri scripta vana tantummodo essent, non tàm perniciosa, &c.

2. Convincit eum lib. 2. de errore Nestoriano, quia profitetur hìc ore prophano Nestorianæ hæreseos involutus errore, quod Jesus Christus, secundum quod homo est, non est in Trinitate persona. Hæc est illa scientiæ sæcularis altitudo extollens se adversus humilem scientiam Dei: quæ armis non carnalibus, sed potentibus Deo destruetur, & præcipitabitur in profundum inferni. De talibus scriptum est, *& dimisit eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis*: est enim non solùm vana, sed etiam prophana nova hæc inventio: ac fundatissimam Catholicam fidem pro posse suo penitus evertit, qui dicit, Christus secundum quod homo non est in Trinitate, quod non est aliud, nisi quod secundum quod homo non est in Deitate. Hoc refellit Abbas. Quid enim est persona, inquit, nisi rationalis, & individualis substantia? Ubi illa est, non deest, & ubi est, tota est, si enim divisa est, illa non est, sicut autem Deus de Deo, Christus cum eo, & non unus, sed unum est: sic è converso Deus unitur homini, unus quidem, sed non unum est, quia Deus, & homo est, & quia unus est, nulla potest divisione sejungi. Dic ergo, dum Christus moreretur in Cruce, erat cum eo Deus, aut non erat? &c. Quæ, cùm sint satis perplexa, & obscura, non mirum, quod contenderet Abailardus, & qui ei favebant de sensu suæ assertionis.

Unus, & unum.

L. 3. idem Abbas illi impingit tria alia in hunc modum: de multis ergo prophanis, & mortiferis novitatibus, quæ adhuc restant, quas stultè Petrus in Theologia sua, stultius in Apologia sua delirans profudit, tria tantùm sequestravi, quæ & rempublicam nostram graviter infestant, atque bonis æmulatoribus excitant majorem zeli, qui candet in domo Dei, fervorem. Unum est, quod Filius Dei semper de Deo nascitur. Secundum est, quod Deus facere non potest, nisi quod facit, nec alio tempore, nec dimittere, quin faciat, quod facit. Tertium, quod gratia illa, qua salvantur electi, communis est omnibus. Hæc tria ex verbis ejus adstruit. Primum tamen non omninò videtur impugnandum, cùm generatio Verbi sit æterna, & in æternum absque imperfectione ulla. Circa secundum jure excandescit Abbas ille. Quis Augustinus, inquit, quis Gregorius, vel aliquis talium in horum ruderum horrendam spissitudinem te projecit? Nullus eorum hoc dicere ausus fuit, Deus non potest facere, nisi quod facit, &c. Circa tertium gravior est difficultas de sensu hujus propositionis, multa enim carpit verba Abailardi, quæ censuram non merentur, ut illa, ad benè vivendum reprobos præparari, sicut electos: id videlicet dicendo, & admonendo, & facultatem præbendo, ut nulla jam supersit excusatio. Unde asserere gratiam quandam inchoatam communem esse electis, & reprobis non repugnat, quæ communiter dicitur gratia sufficiens: sed gratia consummata non est communis. Videtur certè tunc agitatas fuisse quæstiones nostri sæculi, eademque improperia sustinuisse Abailardum, quæ Molinam feriunt. Propterea existimari potest aliqua errata affixa fuisse Abailardo, quæ facilè excusari possent: etsi ab omni labe immunem quis audeat asserere: nam & Gaufridus Abbas, sermone octavo de resurrectione, alium errorem illi impingit. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli, pretioso sanguine humanum genus esse redemptum; in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem certandi pro justitia, & veritate, & adhibitum velut quoddam incentivum amoris. Cæterum, ut se defenderet Abailardus, ea in quæstionibus juris, & facti distinguebat. Namque attexitur Anonymi, tribus illis libris ejusdem Abailardi, responsio, qua ea, quæ sunt juris, damnat, quo ad factum tamen negat se ea intendisse. En aliqua ejus specimina.

Quæ gratia communis omnibus.

Universis sanctæ Ecclesiæ filiis Petrus ex eis unus, sed in eis minimus. Notum proverbium est, *nihil tàm benè dictum, quod non possit depravari*, & ut meminit beatus Hieronymus, *qui multos scribit libros, multos sumit judices*. Ego quoque cùm scripserim pauca, vel ad comparationem aliorum nulla, reprehensionis notam effugere non potui: cùm tamen in iis, de quibus graviter accusor, nullam, sciat Deus, meam recognoscam culpam: nec, si qua fuit, procaciter defendam. Scripsi forsan aliqua per errorem, quæ non oportuit: sed Deum testem, atque judicem in animam meam invoco, quia de iis, de quibus accusor, nihil per superbiam, aut per malitiam præsumpsi, &c. Quod mihi igitur per malitiam, aut per errorem impositum est, quod de Deo scripserim, quia Pater est plena potentia, filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia: hæc ego verba non tàm humana, quàm diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum auctore suo pariter damno; quæ si quis in scriptis meis reperiat, non solùm me hæreticum, sed etiam hæresiarcham profiteor, &c. Gratiam Dei ita omnibus necessariam dico, ut nec naturæ facultas, nec arbitrii libertas, sine illa sufficere possit ad salutem. Ipse quippe gratia nos prævenit, ut velimus, ipsa subsequitur, ut possimus: ipsa nos conservat, ut perseveremus. Deum ipsa solum facere credo, quæ ipsum facere convenit: & quod multa facere posset, quæ non facit. Multa quoque per ignorantiam facta, culpæ sunt adscribenda: maximè cùm negligentia nostra contingit nos ignorare..... Ex Adam, in quo omnes peccavimus, tàm culpam, quàm pœnam nos contraxisse assero, &c. Novissimum capitulum scripsisse assero; quod neque opus, neque voluntas, neque concupiscentia, neque delectatio, quæ movet eam, peccatum sit, nec debemus eam velle extingui; nec minus à me dictis, quàm à scriptis alienum est, &c.

Defensio Abailardi.

Si quid igitur consolationis in Christo Jesu, si qua viscera pietatis, fraternam charitatem vestram exoro, ut innocentiam, quam à culpa veritas liberat, infamiæ veneno respergendo, non delinquat, charitatis quippe est opprobrium non accipere adversus proximum, & quæ dubia sunt, in meliorem partem interpretari: & illam semper dominicæ pietatis sententiam attendere: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.*

Luc. 6.

CONCILIUM TOLOSANUM.

Tempore Calisti II. & Ludovici Grossi, celebratum circa annum 1120. contra Hæreticos.

Guilielmus du Catel in Monument. Languedociæ lib. 5. in Amelino Episcopo Narbonensi ab oblivione vendicat istud Concilium ex fratre Bernardo Gui-

Guidonis in vitâ Callisti secundi, & in tractatu de Conciliis, illudque expresse distinguit ab alio Concilio Tolosano sub eodem Callisto celebrato, Anno 1124. de quo agit Coriolanus in Summa.

ANno Domini millesimo centesimo vigesimo octavo Idib. Junii, Callistus Papa Pontificatus sui anno primo, celebravit Concilium Tolosæ, unà cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Provinciæ Gothiæ, Gasconiæ, Hispaniæ, & citerioris Britanniæ: in quo Concilio inter cætera, quæ gesta sunt in eodem, fuerunt damnati hæretici, & depulsi ab Ecclesia, qui Religionis speciem simulantes Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramentum, Baptisma parvorum, Sacerdotiumque, & omnes Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum damnabant fœdera Nuptiarum. Primitiæ quoque, decimæ, oblationes, & bona cætera deficientis Episcopi, & Clericorum fuerunt Principibus, & quibuscumque laicis interdicta.

Ejusdem Concilii fit mentio in quodam veteri Monumento asservato in Archiviis Ecclesiæ Cadurcinæ, ubi refertur Callistum primum Altare ejusdem Ecclesiæ consecrasse, dum rediret ex Concilio Tolosano. Sed & in Archiviis Ecclesiæ sancti Stephani Tolosæ reperitur Actus, quo constat in eodem Concilio Aicardum Præpositum Ecclesiæ sancti Stephani Tolosæ, duas proclamationes valdè utiles fecisse, unam super Ecclesiam Amantianam, quam diu Ecclesia beati Stephani perdiderat. Auditisque utriusque partis altercationibus, investiri jussisse Dom. Papam Ecclesiam sancti Stephani de Ecclesia Amantianensi, &c. Alteram verò super Ecclesia beati Saturnini de suburbio Tolosæ, ubi & corpus ejus humatum quiescit, &c. Respondentibus autem, & dicentibus Beati Saturnini Clericis suam Ecclesiam esse juris beati Petri; Quæsivit ab eis Dominus Papa, utrum hæc Ecclesia singulariter beati Petri esset, vel generaliter: cui & responderunt singulariter. Ille, verò iterum requisivit, quis eam beato Petro dedisset: cui & responderunt, quia Clerici, qui eam tenebant, ei & beato Petro dedissent. Quibus ipse, Quia Clerici ex diversis partibus congregati, quorum fundus non erat, dare non potuerunt. Interim dum hæc ventilantur, alia supervenere maxima negocia, quibus interpositis, Dominus Papa hoc placitum differri jussit, donec post Concilium, &c.

CONCILIUM NANNETENSE.

Præside Hildeberto Archiepiscopo Turonensi, tempore Honorii secundi, & Ludovici Grossi celebratum, circa ann. 1126.

CItatur præsens Concilium à patribus ultimi Concilii Turonensis, sub Simone Mailleo habiti, nobisque quoddam Concilium Engolismense quærentibus inter Epist. Hildeberti opportunè occurrit: siquidem duas Epistolas, in quibus continetur, offendimus, primam, qua ipse Hildebertus scribit ad summum Pontificem Honorium secundum de iis, quæ decreta sunt in dicto Concilio Nannetensi, petens, ut illa sua auctoritate corroboret: secundam Honorii ad Episcopos suffraganeos Archiepiscopi Turonensis: qua eorum decreta in Concilio confirmat. Sic utraque se habet.

Beatitudini vestræ, Reverendissime Pater, decrevimus exarandum, quod ex suggestione venerabilis Britannorum Comitis, pariterque provincialium Concilio Episcoporum in Britanniam descenderimus, ubi præter alias multiformes, & abhorrendas enormitates, matrimonia quidam incæstus; sanctuarium autem

A Domini hæreditaria successio polluerat. Quapropter convocatis eisdem Episcopis, & Abbatibus, multisque Religiosis, ac sapientibus viris in urbe Nannetensi, triduo sedimus in ea Synodum celebrantes, ex qua, largiente Domino & Ecclesiæ honorem, & populo magnum constat emersisse fructum. Siquidem usque in diem præfati conventus, hujusmodi consuetudo in terra Comitis extiterat, ut decedente marito, vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem potestatis transirent. Præterea, quicquid evadebat ex naufragiis, totum sibi fiscus lege vendicabat patriæ: passosque naufragium miserabilius violentia principis spoliabat, quàm maris rapina, quàm procella. Utramque autem exactionem sub oculis totius Concilii, Comes in nostra manu deposuit, postulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicumque vel

B manumissa petere, vel manumissionis plenitudinem imminuere attentarent: totus itaque consessus & gratiarum actione consequutus est, & persequutus anathemate beneficii distractorem. De incæstuosis autem conjugiis hoc universitati confidentium placuit, ut Episcopi quidem in omnibus suis conventibus, reliqui verò sacerdotes in Ecclesiis talia contrahi matrimonia prohiberent. Eos quoque excommunicationi subjicerent, quicumque post præsentis synodi actionem scienter inirent incæstarum fœdera nuptiarum. Placuit & hoc universis, ut ad incutiendum cæteris metum, filii hujusmodi commixtione deinceps generati, veluti spurii haberentur: & ad legitimos hæredes jus paternum transiret. Porrò in ordinibus celebrandis Canonicas

C sanctiones & diligenter attendi jussimus, & inoffensè custodiri. Ordinari filios sacerdotum, nisi prius Canonici regulares, aut Monachi fierent, assensu communi nobis Synodus interdixit. His autem, quos jam ordinatos constabat, abolendæ successionis intuitu in Ecclesiis, quibus patres eorum ministrarent, ministrandi abstulimus facultatem. Præbendas, & quaslibet Ecclesiæ dignitates, rigore, quo debuit, inhibitum est hæreditate obtineri. His addita sunt & alia in hunc modum, quibus ex Canonicis prodeuntibus institutis, præsens Synodus & assensum præstitit, & servanda decrevit. Hæc igitur, sancte Pater, significanda censuimus, quatenus acta Canonicè vestra dignetur confirmare auctoritas; & datis ad Episcopos litteris communiter exhortari omnes, ut quæcumque eis fa-

D cienda sanximus in Christo, & dicenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant, & docere. Illam prætereà manumissionem de naufragiis, & de substantia morientium, quam Comes in nostra manu deposuit, vos, beatissime Pater, non gravemini confirmatione Apostolica roborare, ac prohibere, ne quis omninò eam rescindere, vel aliqua ex parte minuere præsumat. Conservet vos Dominus Ecclesiæ suæ, sancte Pater, jucunditas, & exultatio exuberat, quoties obsequio famæ vos benè valere cognosco. Etenim solemne mihi est vos colere, vos amplecti, vestramque promotionem inter meos assignare successus; inde est, ut mihi ad plenitudinem gaudii cedant, quæ circa vos prospera sunt: ad cumulum verò te esse incolumem. Mendacii arguar, si frustra postularis, quod possit, & ex-

E pediat amico erogari. Interim rogo, ut ad me transferatur vestra pagina, qua mysterium vestræ voluntatis, & salutis agnoscam. Vale.

Confirmatio Concilii Nannetensis.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus Turonensis Metropolis suffraganeis Episcopis salutem, & Apostolicam benedictionem. Charissimus frater noster Hildebertus Turonensis Episcopus, sicut bonus pastor pro grege suo vigilans, evocatis fratribus sapientibus, & aliis religiosis viris, quemadmodum ex suarum litterarum inspectione cognovimus in Nannetensi civitate de more Metropolico Concilium celebravit. Ibique de incestis nu-

nuptiis, & de spuriis sacerdotum filiis, & de his, qui quasi hæreditaria successione Ecclesiastica petebant beneficia, & de aliis diligenter pertractans, corrigenda correxit, & statuenda constituit. Universitati ergo vestræ mandamus, quatenus ea, quæ ab ipso SS. Patrum cœtu decreta ibi ad honorem Domini, & salutem populi statuta esse noscuntur, irrefragabiliter observetis. Sicut enim humani compage corporis membra famulantur, & obediunt capiti, tanquam supremo, & provisori, ut sic persona servetur incolumis: ita fidelium mentes unius affectæ voluntatis pro custodienda unitate fidei, & statu Ecclesiæ, suis debent humiliter parere prælatis. Ad hæc pravas illas consuetudines à Comite Britanniæ C. in manu præfati Archiepiscopi in conspectu Synodi refutatas, quarum maritis una fuit, vel uxoribus ducentibus, bona eorum mobilia à potestate seculari diripiebantur: altera illis, qui naufragium evaserant, & in portu postmodum inventa erant, damnamus: Et ne quis eas futuris temporibus renovare præsumat, auctoritate Apostolica interdicimus. Iniquum enim censemus esse, ut quem divinæ Clementiæ magnitudo à sævientis pelagi voracitate exuit, hominum sæva rapacitas audeat spoliare. Piorum namque Imperatorum emanavit auctoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempestate maris, levandæ navis causa, ejiciuntur, non amittatur dominium. Non enim eas eo animo abjicit, quod habere nolit, sed quo periculum effugere possit, & qui res ipsas furandi animo abstulerit, furtum committit. Datum Laterani 13. Calendas Junii.

Ad Leg. Rhod. de jactu, ff. de Leg. 1. § final. & leg. qui levandæ, &c.

ADDITIO

AD CONCILIUM

RHEMENSE,

Celebratum sub Innocentio II. & Ludovico Grosso, anno 1131.

Ex Chronico Mauriniacensi.

IGitur Rex Ludovicus die Sabbati, cum Radulpho Vermandensium Comite, qui sibi cognatus, & major Regiæ domus erat, multisque Francorum proceribus, Concilium ingreditur, Tribunal ascendit, Domini Papæ pedes osculatur, juxta quam, Cathedra posita, sedit, pauca pro filio defuncto peroravit, omnes ad lachrymas excitavit. Papa verò in Regem convertens intuitum, sic orsus est fari: Oportet, inquit, te, Rex optime, qui super nobilissimam Francorum gentem tenes Imperium, ad illud summi Regis, per quem Reges regnant, majestatem, mentis oculos attollere, & ejus voluntatem per omnia venerari. Ipse enim gubernat omnia, qui creavit omnia, & omnium habens scientiam, in universitate rerum mihi facit, vel fieri permittit injustè, quamvis multa fiant injusta. Morem habet ille piissimus Dominus, ò bone Rex, fideles suos & prosperitatibus consolari, & adversitatibus erudire. Sicut enim in sancta Scriptura legimus, quæ ejus Epistola de Cœlo per Spiritum Sanctum ad nos in terra positos directa est, *ipse percutit, & flagellat omnem filium, quem diligit. Ego*, inquit, *occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Ne videlicet homo, qui ad imaginem Dei conditus, reatu transgressionis ad hujus mortalitatis tenebras devolutus est, pro patria diligat exilium: sed quantocyùs redire festinet ad illam, de qua peregrinatur in terris, cœlestem civitatem sanctam Hierusalem, cujus fundamenta sunt in Montibus Sanctis, hoc est in Apostolis nostris, quæ sursum est, quæ mater nostra. Advenæ etenim sumus, & peregrini, sicut omnes Patres nostri, nec habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. In ea cum Deo perenniter exultant, qui carnales hìc concupiscentias viriliter conculcant, ad eam filius tuus simplicitatis, & innocentiæ puer emigravit. Talium enim est regnum Cœlorum. David, ò Rex, qui bonis regibus exemplar virtutum fuit, dum filius illius languesceret, gravissimè ploravit: postquam verò mortuus nuntiatus est, de cinere, & cilicio, in quo jacebat, exsurrexit, vestes mutavit, manus lavit, ad convivium familiam convocavit. Impossibile enim est non fieri, quod factum est. Et sciebat vir Deo plenus, quantum peccaret, qui divinæ justitiæ, vel voto contrairet. Depone nunc igitur hanc, quam tibi carnalis generavit affectus, quam pectore, vultuque geris, mœstitiam. Quia, qui sibi unum secum regnaturum suscepit, plures, qui postea regnare possent, tibi dereliquit. Debes etiam consolari, scilicet homines extraneos, & à propriis sedibus expulsos, quos tu primus omnium pro amore Dei, & Beati Petri in regno tuo honorificè suscepisti, obsequiis honorasti, beneficiis onerasti. Reddat tibi Dominus vicem, & perpetuam mercedem, Domine Rex, in illa, de qua gloriosa dicta sunt, civitate, in qua est vita sine morte, æternitas sine labe, gaudium sine fine.

Papa regẽ consolatur.

Scriptura sacra Epistola cælo missa.

Hujus orationis mirabili velut antidoto cor Regis, sanctus Apostolicus delinivit. Ac protinus surgens in pedes, oratione Dominica, sicut mos Christianus exigit, dicta sub silentio, pueri defuncti animam absolvit. Dein Archiepiscopos, Episcopos, Abbates per obedientiam monuit, quatenus sacris, atque festivis, sicut erant in conventu, vestibus induti, die crastina, quæ Dominica futura erat, sese repræsentarent, & consecrationi novi Regis interessent.

Absolut mortui.

In sequentibus describit auctor præfati Chronici, quomodò summus Pontifex Innocentius consecravit puerulum decem annos plus minus habentem: Oleo, inquit, quo sanctus Remigius, per Angelicam manum sibi præsentato, Clodoveum Regem Francorum in Christianum unxerat. Rege autem reverso ad regni negotia, Pontifici in Concilio remanenti allatæ sunt litteræ à parte Imperatoris Lotharii, Henrici Regis Anglorum, & regum citerioris Hispaniæ, quibus illi obedientiam pollicebantur. Insuper ex parte excellentissimorum Heremitarum Carthusiensium. Erant autem Carthusienses, inquit, in jugis Alpium Angelicam ducentes vitam, supereminentissimæ Religionis, & incomparabilis auctoritatis viri. Hæ autem literæ in Concilio recitatæ sunt per Gaufridum Carnotensem Episcopum, in quibus summum Pontificem admonent, ut non terreatur, sed confortetur in Domino in omnibus, quæ Romana patitur Ecclesia, sub finem Epistolæ hæc habentur: *Vestræ Majestatis pedibus advoluti, pro cunctis, sed maximè pro novellis Religionibus Cistercienſi, scilicet; ac Frontevaldensi; necnon pro universo mundo preces offerimus. Non enim pars una, sed totus potius orbis est vestra Diœcesis. Nam, sicut Deus est unus, mediator unus, mundus unus, sol unus, &, ut minora inseramus, in animalibus cunctis caput unum; ita beati Petri Vicarius, idest Papa, non potest esse, nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem justitiæ, lumen doctrinæ, & ipsius, quam nomine quoque præfertis, incomprehensibilis debetis exemplar esse innocentiæ. Nam, sicut in hoc invisibili mundo, lux est tenebris, & calor contrarius frigori, ita vestra totius sæculi peccatis innocentia, erroribus sapientia, luxuriis temperantia, adversitatibus tolerantia, & vitiis est objecta justitia, ut dum ab uno vincitur unus, idest, à Beati Petri Vicario mundus, quo sine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eo major Deo, cujus est totum, honor reddatur, & gloria.*

Papa.

CON-

CONCILIUM LATINIACENSE,

Præside Ivone Sedis Apostolicæ Legato, tempore Innocentii II. & Ludovici VII. propter varia dissidia celebratum anno 1142.

HOc Concilium depromitur è libris miraculorum S. Rictrudis, ubi inter cætera, post narrationem dissensionis inter Monachos Marchianenses, & Episcopum Attrebatensem, quod nollet iis permittere liberam electionem Abbatis, prætendens juris esse sui, ut ex tribus, quos sibi præsentarent, unum in Abbatem assumeret, ita scriptum invenitur.

Deinde transactis admodum paucis diebus, quidam Romanæ sedis Legatus in Franciam directus est, ut faceret judicium injuriam patientibus, & extra Alpes Summi Pontificis partes explicaret. Hic apud Latiniacum Concilium convocavit: ad quod Episcopi cum Abbatibus, & infinito cleri numero confluxerunt. Multa, quæ digna erant correctione, ibi discussa, & recisa sunt. Dum verò oppressus clamat, vel oppressor partem suam nititur defendere: causam inter Episcopum, & Marchianenses Monachos diu ventilatam, tàm Episcopus, & qui ei adhærebant, recordati sunt. Et dum Cardinalis Presbyter quæreret, quid causæ esset, quod Marchianenses non venissent, plenam justitiam accepturi: qui Episcopo favebant, illos tanquam refugas justitiæ, nunquam venturos responderunt. Qui enim, inquiunt, in spiritu mendacii Romam profecti sunt, qua fiducia, vel temeritate præsentibus iis, qui eos intus, & in cute norunt, conventui Sanctorum se manifestare præsumerent? sic, dum in absentes falsitatis crimen intenditur, ecce fratres iidem, qui Roma insperatò redierant, ad eumdem locum accurrentes, celebri illo conventu alacriter salutato, se medios ingesserunt. Ad quorum præsentiam, eo quod nunquam venturi dicerentur, Legatus, qui eos Romę noverat, hilaris factus, assurrexit eis, & annuens, ut sederent, non modicum coram omnibus honorem eis exhibere dignatus est. Post paululum, eo jubente, unus ex iisdem fratribus stans in medio, quæcumque Romano Pontifici innotuerant, cuncta per ordinem in auribus omnium memoriter repetere non distulit. Ad quem Legatus: Verbum, inquit, frater, quod nunc dixisti, maximè consonat illi, quod Romæ locutus es: ad rem pertinens nihil additum, vel prætermissum est. Nam, cùm præsens essem, omnia hoc ordine te prosecutum satis recordor: & nunc, vobis tacentibus, venerabili Episcopo, qui adversum vos agit, respondendi facultas tribuitur. Respondentibus Episcopis, qui partem illius tuebantur, Pater sanctissime, cum consilio responsurus est Episcopus. Justitia, inquit ille, fratres charissimi, petitioni vestræ refragatur. Isti quippe fratres, advocatum non habuerunt, & absque consilio locuti sunt: æquum est quemcumque stantem ex adverso inconsultum, & absque advocato respondere. Videns itaque Episcopus, quod ad respondendum, dictante justitia, inducias habere non poterat, se deceptum, & fraternas irrogando injurias, graviter peccasse, coram omnibus confessus est. Nam, sicut vir sapiens præcavens sibi in futurum, dicebat se malle confundi coram illo celebri conventu, pro eo, quod modum corrigentis excesserat; quàm ad diem districti examinis cum noxa hac venire impunitum. Audiens hoc Legatus, & inclinans se ad Bernardum Claravallis Abbatem (erat enim propè) dulcis scilicet memoriæ virum: Audisti, inquit, fratris, & Coepiscopi nostri Confessionem pro humilitate tanti Sacerdotis omni laude dignissimam? ubi ergo fuit tuæ sanctitatis discretio, cùm litteras tàm detestabiles, & multæ amaritudinis nota respersas, Romam adversus fratres innoxios misisti? ad quem ille: Peccavi, inquit, & culpam humiliter confiteor, quia ignoranter feci. Credidi nunciis Episcopi, & uterque nostrum uno, eodemque spiritu deceptus est. Quibus salubriter confessis, indulta venia: Episcoporum, qui convenerant, procurante sapientia, alterutrum reconciliati sunt: & qui discordes ad invicem illuc venerant, amici redierunt. Patribus tamen illis postulantibus, ut Abbati, qui per Episcopum fuerat assumptus, non deposito Cura Pastoralis crederetur; Legatus indignæ petitioni nequaquam voluit adquiescere: quia electionem hanc appellatio prævenerat. Immo, inquit, Patres charissimi, cassatis omnibus recens institutis, juxta Apostolicam traditionem Marchianensibus electionis liberæ privilegium restituitur: quibus etiam, si idoneam judicaverint personam, Abbatem, quem ante appellationem elegerant, habere licebit.

CONTROVERSIA.

HUcusque ex actis miraculorum sanctæ Rictrudis, quæ inseruit in sua Gallo-Flandria sacra, & prophana Buzelinus lib. 2. cap. 21. Ubi & innuit in eodem Concilio excommunicatum fuisse à prædicto Legato Radulphum Viromanduorum Comitem, quod dimissa propria uxore, Reginæ sororem Petronillam duxisset, simulque suspendisse Episcopos Laudunensem Bartholomæum, Noviomensem Simonem, ac Petrum Silvanectensem, qui divortium illud fecerant, producto in eam rem testimonio, ex supplemento Roberti de Monte. Sed hunc locum, ait proponens, ac discutiens Cardinalis Baronius, nullum assignat Concilium, oppidumque, ad quod Ivo Episcopos, Abbates, ac Clericos evocaverit, nullamque hujus conventus mentionem facit is, qui nuperrimè Conciliorum tomos concinnavit, ac notis illustravit: ut omninò peritura tùm ejus, tùm eorum, quæ præter Radulphi causam tractata sunt, memoria videretur, nisi auctor Martianensis utrumque operi suo inseruisset.

Cæterum videri possent acta illa suspectæ fidei, propterea, quod tàm durè à Legato habeatur D. Bernardus Abbas Claravallensis: sed non est sine exemplo, quod ita mulctatus sit in vita D. Bernardus propter litterarum suarum acrimoniam. Nam & cùm similibus litteris tetigisset Josleenium Suessionensem Episcopum, ac Regis Caroli Consiliarium, ipse mirum in modum offensus, acerbiores ad eumdem sanctum Bernardum litteras reddidit, quibus inter alia ipsum talia scribentem, spiritu blasphemiæ afflatum esse redarguit. Ad quem quidem, ait Baronius, ann. 1142. ista digna perenni memoria idem sanctus Bernardus rescripsit, sale sapientiæ Christianæ condita, quæ sic se habent: *Bernardus Josleno Suessionensi Episcopo salutem in Domino, & non spiritum blasphemiæ.* Minimè quidem me habere spiritum blasphemiæ arbitror, sed nec cuiquam maledixisse, aut maledicere velle me scio, principi præsertim populi mei. Cæterum, quicquid illud sit, quo se læsam vestra dignitas judicat, peto veniam. Scio enim, qui dixit: *Blasphemamur, & obsecramus:* Dico ergo cum beato Job: *Quæ loquutus sum, utinam non dixissem*, & ultra non addam, &c. ep. 223. Quæ ideò hic proferimus propter similitudinem cum re gesta per Ivonem in Concilio. Sed & Massonus in Ludovico Crasso agens de epistola D. Bernardi ad Honorium, pro Henrico Senonensi Archiepiscopo, & aliis. Scripsit, inquit, graves admodum, & acerbas profectò litteras. Et in Ludovico septimo meminit libri à Berengario Pictaviensi pro defensione Abailardi, cujus auditor fuerat, conscripti, contra Divum Bernardum. Qui liber non magni quidem corporis, sed ingentis acrimoniæ fuit. De quo postmodum à multis increpatus, se excusat, quod adolescens scripsisset; & quòd viri sanctitas sibi nondum penitus nota esset. Hæc ex Petrarcha Massonus. Quæ eadem Ivo Legatus

Episcopus rebatur. (margin)

D. Bernardus acerbior. (margin)

tus diceret, cùm tàm asperè D. Bernardum habuit, cujus zelum pro Ecclesia, ac sanctitatem eximiam non omninò perspectam adhuc habebat.

A

ADDITIO AD CONCILIUM VEZELINUM,

Vezelai.

Celebratum contra Turcas, ann. 1145.

Adhortatur Rex Galliæ Ludovicus VII. ad bellum Sacrum.

B

Hortatio ad bellum Turcicum.

EX Chronico Mauriniacensi. Audiens Rex noster, ut erat piissimus, miseriæ transmarinorum condoluit, & ut concepta inde pietas fructum aliquem afferret, celsiores Regni sui in Pascha apud Viziliacum, ut exigebat necessitas, convocavit. Omnesque pro modulo alloquens, solitamque Francorum pietatem commemorans: Magnum, inquit, dedecus nobis emergeret, si exprobrari cœperit Philistæus familiæ David: si possidere cœperit gens dæmoniaca, quæ gens cultui divino dedita longo tempore obtinuit: si canes mortui vividam probitatem deluserint, maximèque Francorum, quorumque virtus etiam inter vincula libera fuit: quæ in quantalibet necessitate arctata, contumeliam etiam illatam pati non potuit. Quæ amicis in tempore opportuno promptum auxilium promptè tulit, inimicos etiam post mortem persequi non cessavit. Non insolescat igitur ipsa virtus, sed amicos Dei, & nostros, transmarinos scilicet Christianos, subventu virtuoso relevet; inimicos autem viles, nec etiam hominum nomine dignos gravi persequutione deturbet. Eamus viri virtutis, resistamus idolorum cultoribus, proficiscamur ad loca, quæ Dei hominis pedibus calcata olim fuisse cognovimus, in quibus etiam passus est, quæ ejus præsentia, & corporali visitatione digna fuerunt. Exurget autem Deus nobiscum, & dissipabuntur inimici ejus, & fugient, qui oderunt eum à facie nostra. Confundentur, inquam, & convertentur retrorsum omnes, qui oderunt Sion: si viriliter egerit probitas nostra, & à Deo non recesserit confidentia nostra. Magnam super hoc scite jam mihi devotionem incumbere, unde & vos obnixè deprecor, ut meam studeatis voluntatem vestro comitatu, & auxilio roborare. Multis igitur eorum, qui convenerant, corde tenus infixus est sermo Regis. Quapropter assumptis cum ipso Rege crucibus, Hierusalem post tempus modicum tetenderunt.

C

D

CONTROVERSIA.

Bellum contra Turcas licitum.

HÆc generosi animi parænetica oratio, quæ Gallicæ nobilitati, & innumeræ multitudini stimulos addidit, nihil Lutherum commovisset, qui asserit, præliari adversus Turcas esse repugnare Deo visitanti iniquitates nostras. Quam propositionem Lutheranam plurimi refutarunt. Sed inter cæteros Bernardus de Lutzemburgo in Catalogo Hæreticorum, libro 4. particula 16. Hæreticum refellit exemplis bellorum veteris Testamenti contra Infideles, & etiam principum Christianorum, quorum arma Deus sæpè promovit ad felicem exitum. Sed & sacri Canones id approbant 23. quæst. 8. cap. Dispar, & sanè actum esset de re Christiana, nisi Christiani sese conatibus Turcarum virili animo opposuissent. De eodem argumento agit Fridericus Nausea, centur. 1. serm. in Feriis D. Martini. Ajunt novi isti Turcæ perfidi non esse pugnandum, neque præliandum adversus Turcas. Primum, quod Deus per illos iniquitates nostras visitet. Secundò, quoniam nihil hactenus prosperi contra Turcas sit gestum à Christianis. Responderim breviter fateri nos quidem, quod per Turcas Deus peccata nostra, & maximè hoc tempore visitet, quoniam videt nos modicæ esse fidei, & non tamen ideò non est contra Turcas præliandum, alioquin frustra nobis Deus ex terra medicinam creasset, &c. Qua ratione nec Medicorum ope, nec agricolarum industria uti liceret, nec uti item liceret bello adversus carnis fomitem, quia utique nobis à Deo propter peccatum datus est, &c. Prætereà, si possessiones nostras bello contra Christianos defendere licet, cur non adversus infideles easdem, immo & fidem nostram, adeoque Christi honorem, animasque defendere liceret? Quod ajunt nihil hactenus esse prosperi gestum contra Turcas, non est verum: & nisi vel Amurati, vel Mahometi, vel Othomano fuisset à Christianis prosperè occursum (Deo opem ferente) de re Christiana penitus fuisset actum, &c. Vide plura ibidem.

Nihilominus experientia nimis luctuosa constat non desinere ipsorum progressus in terras Christianorum, etsi ipsorum resistentia paululum aliquando retardentur, ut hoc præsenti anno regnum Cretæ adhuc eripuerint Venetis, non sine opprobrio Christianæ gentis, frustra auxiliares copias mittente ex solutis militibus, etiam Christianissimo rege. Dicunt ad tot victorias adversarii Christiani nominis, populum Christianum successisse in locum populi Judæorum, electi, scilicet, populi, cui Deus providerat de flagello correctionis, cùm præcepta ejus transgrederetur, Apoc. 3. *Ego, quos arguo, castigo.*

Vincentius Ferreriensis in serm. *Ecce ascendimus Jerosolymam*, dicit, Christianos è terra sancta ejectos esse, in qua Filius Dei passus est pro ipsis. Multum enim displicet Christo, si nos filii per Baptismum faceremus in ea corruptiones, & peccata: sed de Agarenis, tamquam de canibus, non curat: sicut non tantum curaret Rex, si canis in camera sua sordes suas ejiceret, quantum si filii. Deinde id permittitur ad confusionem ipsorum Saracenorum, ut ipsi loca sacra tenentes, in quibus mysteria Christi peracta sunt, eaque aliis ostendentes, convincantur de veritate Christianæ religionis. Addit tertiam rationem, ut Judæi convertantur, sciantque Messiam Christum non venisse, ut terram illam daret suis populis, quare illam occupari permittit ab adversariis, quia non venit, ut daret terram illam, sed cœlestem, de qua David Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viventium*; sed hæc ratio mystica est; de his videri potest auctor *Fortalitii fidei* lib. 4. qui est de bello Saracenorum, ubi narrat de bellis, ac præliis inter Christianos, & Saracenos, extitisse usque ad sua tempora, quæ attingunt tempus Concilii Constantiensis, circiter centum quinquaginta octo, vario Marte, nunc his, nunc illis victoribus, pluries enim, & in variis locis triumpharunt Christiani. Quod si à trecentis circiter annis parùm, & rari felices exitus bellorum extiterint, id sanè ad divisiones principum Christianorum, schismataque, & hæreses referendum. Conjunctas vires habet Turcarum Imperator: virtus verò unita fortior: discordiis, invidiæque, & odiorum furiis apud Christianos res magnæ dilabuntur quotidie: ac meliora sperare in futurum vix audeam. Etsi verò Christus Ecclesiam numquam in totum deseret, attamen regnum ipsius non est de hoc mundo, regnat, vincit, triumphat in mentibus verè fidelium, sinitque interim adversarios suos impinguari, sed sicut boves ad victimam, donec ponat inimicos suos omnes scabellum pedum suorum. Plura de hoc argumento congerit Cornelius à Lapide in Prolegomeno ad Prophetas minores.

E

CONCILIUM AUTISIODORENSE,

Ab Eugenio III. celebratum, in causa Gilberti Porretani Episcopi Pictaviensis, circa annum 1147. tempore Eugenii III. & Regis Francorum Ludovici Junioris.

HOc fuit primum Concilium celebratum in negotio Gilberti Porretani, de quo agit Ducennius in Vita Eugenii III. Gallico idiomate conscripta, citans pro Authore Othonem Frizingensem in Vita Friderici, lib. 1. cap. 46. & 47. Antequam enim errores suos revocaret in Concilio Rhemensi celebrato anno 1148. non verò 1119. ut mendosè scribit Matthæus PARIS in Henrico primo, Eugenius celebraverat Concilium Autisiodori, in quo citatus Gilbertus præfatus auditus fuit in iis, quæ pro doctrinæ suæ defensione, seu explicatione proponere voluit. Ut tamen nihil temerè fieret in præjudicium viri celeberrimi, nihil conclusit Summus Pontifex in hoc Concilio, sed rem voluit examinari Parisiis in ampliori consessu, deinde Rhemis, ubi disputante contra eum Divo Bernardo biduana disceptatione, quam ea lege ingressus fuerat dictus Gilbertus, ut promitteret sine ulla sese obstinatione correcturum liberè suam opinionem pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, damnatus est, ac interrogatus, num damnationi consentiret, seseque consentientem respondisset, indulgentiam absque nota infamiæ consequutus est, ac remissus in suum Episcopatum.

CONTROVERSIA.

GIlbertus ille magni nominis erat propter scientiam, & eruditionem, Britannus, seu Armoricus natione, Doctorque universalis vulgo nominatus, qui ut refert Ducennius in vita Eugenii, quod in Concilio Synodali concionem habuisset, in qua nonnulla de Trinitate insinuavisset à Doctrina Catholicorum discrepantia, à duobus Pictaviensibus Archidiaconis coram Sũmo Pontifice accusatus est, atque in jus vocatus, ut rationem redderet de Doctrina. Sed cum Summus Pontifex iter arripiens versus Gallias Senis accusationem illam excepisset: respondissetque se brevi in Gallia de controversia illa definiturum, ideo primum Concilium Autisiodori habuit.

Divus autem Bernardus non meminit illius concionis Synodalis, sed Commentarii illius super libros Boetii de Trinitate, quem erroribus suis infecerat, quamvis verborum cavillationibus occultasset. Sed verba ipsius Bernardi juvat hic transcribere serm. 80. in Cantica: *Recedant à nobis charissimi, recedant novelli non Dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, & postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse, impiissimè disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est: sed divinitas non est Deus: forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est, ut faciat Deum. Sed, si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse. Sed ne nihilum quidem opinor dabis, &c. Sed si aliquid est, quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut par, aut major. Quomodo minor quo Deus? Restat, ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed si major ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque Catholicus refugit sensus.* Ita Divus Bernardus subtiliter premebat adversarium, sed plura addit paulo post: *Unde non immerito nuper in Concilio, quod Eugenius Papa Rhemis celebravit, tàm ipsi, quàm cæteris Episcopis perversa visa est, & omnino suspecta expositio illa in libris Gilberti Episcopi Pictaviensis: qui super verba Boetii de Trinitate, sanissima quidem, atque Catholica commentabatur hoc modo: Pater est veritas, idest, verus: Filius est veritas, idest, verus: Spiritus sanctus est veritas, idest, verus, & hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, idest, unus verus. O obscuram, perversamque explanationem!* Et paucis interpositis subjungit: *Quamquam manifestius in nonnullis locis aliis à rectitudine fidei liber ille visus est discrepare, quorum verbi causa, adhuc unum pono. Nam dicente auctore, Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam: noster commentator intulit, non quæ est, sed qua est: quod absit, ut assentiat Catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omnino rem, qua Deus sit, & quæ non sit Deus. Sed hæc minimè jam contra ipsum loquimur, quippè qui in eodem Conventu sententiæ Episcoporum humiliter acquiescens, tàm hæc, quàm cætera digna reprehensione inventa, proprio ore damnavit, sed propter illos, qui adhuc librum illum contra Apostolicum promulgatum ibidem interdictum transcribere, & lectitare feruntur, contentiosius persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, & erroris, quàm correctionis Magistrum habere malentes.* D. Bernardus.

De eodem Gilberto agit Bernardus de Luxemburgo in Catalogo hæreticorum, in hunc modum. Gilbertus cognomento Porretanus Pictavorum Episcopus in sacris litteris plurimum exercitatus, sed sublimiora se scrutatus ad insipientiam sibi, siquidem de sanctæ Trinitatis unitate, & divinitatis simplicitate, non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, & cum super hoc invalesceret scandalum, vocatus est ad medium, & librum tradere jussus est, & in Concilio Rhemensi coram Eugenio Papa Bernardus biduana disputatione convicit.

Porretani dicti à Gilberto Porretano, auctore sex ultimorum prædicamentorum. Hi ponunt relationes divinas non esse personas, nec esse in personis, sed eas à foris assistentes divinis Personis, & quod est falsa essentia Trinitas. De hoc Thomas 1. p. qu. 39. art. 6. & quia S. Bernardus Abbas in Concilio Rhemensi Gilbertum vicit, & ipse errorem suum in Concilio revocavit, & sic hæreticus non permansit. Sæpè enim cordis oculus nube erroris obductus supernæ illustrationis lumine fit serenus, ut author schismatis ad unitatem radicis redeat. Hæc Bernardus de Luxemburgo in catalogo hæreticorum lit. G. & P. Opinio porretanorũ.

Scribit autem adversus ista Alphonsus à Castro l. 1. de Hæres. c. 9. Non est alia durior, aut acerbior, quam Christiano viro possis inferre contumelia, quàm si eum hæreticum appelles. Sunt tamen multi nil magis habentes in promptu, quàm hæresis notam, quam pro libito objiciunt, & non expendentes de qua re, aut de quo loquantur. E quibus multis non potui calamum temperare, quin unum fratrem Bernardum de Luxemburgo notarem, qui in suo hæreticorum catalogo plures in hæreticorum numerum retulit, dignos, qui meliore calculo numerarentur: quales sunt Papias Hieropolitanus Episcopus, Præpositivus, Gilbertus cognomento Porretanus. Hunc autem cum ipse fateatur errori suo renuntiasse, miror quid hominem impulerit, ut illum hæreticorum catalogo inseruerit. Quis enim unquam docuit eum esse dicendum hæreticum, qui errorem sic tenuit, ut monitus, & convictus non erubuerit palinodiam cantare? NOTA. Hæresis.

Porro quid de Gilberto illo dixerit D. Thomas, libet attendere 1. p. q. 39. art. 6. ad 1. Hoc nomen homo, ait, per se habet supponere pro persona, sed ex adjuncto habet, quod stet pro natura communi: & ideo hæc est falsa, homo est omnis homo, quia pro nullo supposito verificari potest. Sed hoc nomen Deus habet, quod stet pro essentia, unde licèt quod pro nullo suppositorum divinæ Naturæ hæc sit vera, Deus est Trinitas, est tamen vera pro essentia. Quod non attendens Porretanus eam negavit. Hæc D. Thomas. D. Thom.

Hunc Gilbertum cum aliquando valdè laudasset in scriptis suis Otho Frisingensis Episcopus, in morte revo-

revocavit, si quid in ejus laudem dixisset, quod fidei Christianæ contrarium videri posset. Apud Bellar. de scriptoribus Ecclesiasticis in Othone Frisingensi.

Nec omittendum, quod prædictum illi fuerit, cum esset in Concilio Rhemensi, in quo contra Abailardum agebatur. Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet; jam tunc enim suspectus erat. Guillielmus Abbas in vita D. Bernardi refert.

Ex his porro agnosces, quàm subtilis, & implicata fuerit ipsius Porretani hæresis, ut opus fuerit ipsius propositiones diligenter prius excutere, quàm damnare. Unde & Eugenius Pontifex eam doctissimis viris examinandam tradidit, ut inter cæteros, cuidam Godescalco Abbati in Ordine Præmonstratensi; deinde Episcopo Attrebatensi, qui quidem ex libris Sanctorum Patrum notavit authoritates illi manifestè contrarias, & in schedula conscriptas Eugenio præsentavit in Concilio Rhemensi, ut legitur libro 2. Biblioth. Præmonst. Sed non immeritò Eugenius Pontifex ipsum audiens pro se loquentem in Concilio Autisiodorensi, non esse festinandum judicavit, sed rem maturiùs examinandam, ut factum est in duobus Conciliis, quæ in Summa Conciliorum continentur: verè tunc opere, & exemplo commonstrans, quod dicebat Cardinalis de Monte, in sessione 2. Concilii Tridentini: *Ubi agitur de fidei dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportere nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in unius verbuli discussione longo tempore immorari.*

ADDITIO AD CONCILIUM BALGENCIACENSE,

Pro separatione Ludovici VII. Regis Galliarum, & Alienoræ conjugis tempore Eugenii III. & ejusdem Regis Anno Domini 1152.

Baugency.

CUm esset Alienora in Palæstina unà cum Rege Ludovico, qui exercitum secum duxerat, ut auxilium Christianis afferret, illa suasu avunculi Haymonis cum Sultano Ægypti Saladino nuptias contrahere proposuerat Rege derelicto, qua de re factus ille certior, ita graviter tulit, ut ab hoc tempore divortium cum illa semper desideraverit, metuens ne forte illegitimos procrearet filios. Dolorem tamen animi dissimulavit, donec in Galliam cum ea reversus Anno 1152. Conventum Episcoporum, & procerum habuit, Bogiaci, consentiente Papa Eugenio tertio, D. Bernardo suadente, inquit Bernardus Guidonis.

In hoc conventu quæstio divortii, quod Rex præmeditabatur, in medium adducta est, & proposita per Archiepiscopum Lingonensem. Scitis, inquit, quod quamvis Dominus noster Jesus Christus dixerit hominem non posse separare, quos Deus conjunxerit, excepit tamen causam adulterii, quo adveniente licita est dissolutio. Verum est autem, quod Rege jubente vobis dico, quod in itinere transmarino (ex quo Dei gratia salvus redit, & incolumis) secum duxerat sponsam Alienoram, tàm ut loca sancta Redemptionis humanæ, quàm ut ducem Antiochiæ avunculum inviseret, cujus ope, & auxilio sperabat Rex se posse bellum propositum feliciter peragere: Nihilominus præfata domina absque ulla causa, & ratione Regem sponsum voluit derelinquere, & seipsam in Conjugem Saladino tradere, cujus imaginem, & effigiem depictam perspexerat, atque ita Regem cum exercitu infideliter prodere, id totum ei suadente avunculo Haymone. Quod infelix propositum exequutioni nequaquam demandatum, Rege cum multa diligentia sese è periculo subtrahente. Quam rem, etsi numquam dictæ Dominæ propalaverit: attamen ab eo tempore illud tàm ægrè sustinuit, ut non posset ei fidere, sed vellet ab ea separari, si res ita rationi consentanea sit, nec in ea separatione ulla incurratur Dei offensa. Nam, ut ait, nunquam poterit credere, quod proles legitima fuerit, quam ipsa editura est.

Post Archiepiscopum Lingonensem Archiepiscopus Burdigalensis, jubente Rege, dicere exorsus est, sciebat enim, quod propter Aquitaniam ipse causam tueretur Alienoræ Reginæ. Quod fecit, ut potuit, dicens, quòd, quamvis Rex à Regina separaretur; attamen aliud matrimonium contrahere non posset, ipsa vivente. Quod si bonum publicum, & regni utilitas separationem illam requirerent, se habere alium modum illius separationis, eumque honestiorem, & Reginæ non indecorum, quod scilicet Rex conjunctus esset in gradu consanguinitatis prohibitæ cum Regina.

Lætatus est Rex de illa consanguinitate, eaque probata, dissolutum est matrimonium inter illum, & Reginam, & utrique permissum alteri se jungere matrimonio. Quod Papa Eugenius tertius approbavit, etiamsi duæ filiæ ex ea Regi natæ fuissent.

Dein duo ex Episcopis cum uno principe nuntium hoc detulerunt Reginæ Alienoræ, quæ, eo audito, præ dolore animi ex Cathedra, in qua sedebat, corruit semimortua, loqui, & lacrymari impotens. At ubi paululum ad se reversa est intuens tales nuntios, Heu quid in Regem commisi, ut me adversetur? Quod meum facinus? Juvenis sum, nec sum sterilis, aut illegitima, prædives etiam, & me semper obsequentissimam habuit. Et si de sanguinis nobilitate agitur, progenita sum ex Othone imperatore, & Lothario Rege à Carolo magno descendente, imo illi affinis sum ex parte utriusque parentis, si placeat illi rem hanc disquirere. Verum est, ò Domina, respondit illi Archiepiscopus Lingonensis, qui erat dux verbi, vos estis affines, & consanguinei, & ea de causa matrimonium vestrum dissolvi debet, ut sic consulatur saluti animarum vestrarum, quamvis dissolutio non minus regis animo, quàm vestro displiceat. Coacta igitur est Regina divortio acquiescere, quamvis Papa facillimè dispensare potuisset. Ea tamen conditione acquievit, ut ducatus Aquitan. & Comitatus Pictaviensis, ejus essent ditionis, præstando Regi tanquam supremo Homagium. *Ex Annalibus Aquitaniæ Gallicæ conscriptis per Joannem* BOUCHET. Nupsit deinde Henrico Duci Normaniæ. Quæ res, inquit Gaguinus in Ludovico septimo, initium fecit multis postea bellis, nam ob eas nuptias Aquitania, Andegavia, Cœnomania, & Turonensis Comitatus Henrico advenere.

Aderant inter alios Samson Archiepisc. Rhemensis, Hugo Rothomag. Goffridus Burdigalensis, omnes cum suis Suffraganeis. De hoc Concilio agit etiam Cardin. Baronius ad annum Christi 1151. ex Sugerio Abbate.

Sunt porro, qui ægrè ferant suspectam reddi castitatem Alienoræ scriptis quorumdam, nec immerito, quis enim tantum facinus in Regina nobilissima suspicetur? Id potius falso rumori tribuendum est.

CONCILIUM MONTPELIENSE,

Anno 1195. Præside Magistro Michaele Apostolicæ sedis Legato, sub Cœlestino III. Papa.

COncilium hoc fuit omnium Episcoporum Provinciæ Narbonensis, qui de mandato Magistri Michaelis venerabilis Apostolicæ sedis Legati interfuerunt per se, aut per internuntios, de quorum assensu statuti sunt canones viginti, inter quos hi specialius annotandi.

1. Ut pax in tota Narbonensi Provincia, sicut jurata fuerat antea de voluntate Domini Comitis Tolosanensis.... cum bona fide servetur, nec aliquis eam violare præsumat. Supponitque omnem personam Ec-

Ecclesiasticam, sive sæcularem excommunicationi, & totam terram ejus interdicto, quæ pacem aliquatenus violabit, donec, sicut in statutis pacis continetur, pacem violatam emendet.

12. Decrevit etiam, imò decretum renovavit antiquum, ut qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficilè reddunt, tamquam necatores egentium secundum canones per Episcopos locorum excommunicatione notentur.

16. Viri quoque Clerici, sive laici incisas vestes, sive linguatas ab inferiori parte non habeant, & mulieres vestibus sumptuosis, & proprii corporis longitudinem superfluè excedentibus amodò non utantur; sed in habitu honesto, & moderato incedant, qui nec lasciviam notet, nec jactantiam vanitatis ostendat: cùm enim Dominus, sicut ei placuit, in amissione Jerosolymæ terræ, & in invasione cujusdam partis Hispaniæ totam Christianitatem duplici contritione contriverit, nonnisi per emendationem vitæ nostræ in iis, & aliis nostri dignabitur misereri.

17. Statuit quoque idem legatus, quod quia peccato saturitatis Israeliticus populus ab hostibus legitur superatus, & eos postmodum in parva manu, placato per jejunium Domino, superavit, multiplicitas ferculorum, quæ boni viri sensum obtundit, & meliora cogitare non sinit, de Clericorum mensa præcipuè subtrahatur, & duobus ferculis carnium, vel piscium ad plus præter venationes, & Xenia gratis oblata, contenti, juxta Verbum Jesu Christi, omnes Episcopi, & Clerici attendant, ne corda eorum crapula, vel commessationibus aggraventur. Si verò Clerici has constitutiones voluerint observare, hoc tempore maximè, quo Jerosolymitana terra Sarracenorum dominio subjacet ancillata, & Hispania solito acrius infestatur ab ipsis, Episcopus loci eos canonica censura compescat.

20. In fine quoque omnium addidit, ut quia in pluribus locis Provinciæ Narbonensis hæretici sunt, in consilio Archiepiscopi, & Episcoporum fit, qualiter pro eorum, quæ superius statuta sunt, transgressione, interdicta debeant promulgari; ne occasione generalis, & diutini interdicti hereticis occasio pateat ad simplices Catholicæ fidei supplantandos.

Notat Baluzius in notis ad præsens Concilium illud celebratum à Magistro Michaele, cùm in Hispaniam proficisceretur Legationem obiturus nomine Cœlestini Papæ III. Occasio autem Legationis fuit magna irruptio paganorum in finibus Hispaniæ, & Gallecia, quare Michael in hac Synodo vetuit, ne arma deferrentur ad Sarracenos, & ad strictiorem vitam viros, & mulieres adstrinxit, ad iram Dei amovendam, viæ laxiori Christianorum tribuens hos infidelium successus, qui etiam nunc visuntur in Candia.

CONCILIUM

BITURICENSE,

Sub Archiepiscopo Simone de Soliaco, tempore Innocentii tertii, & Philippi II. Augusti, circa annum 1200.

Meminit hujus Concilii Joannes Chanutius in Chronologia Archiepiscoporum Bituricensium in Simone de Soliaco. Cùm Primas noster Symo Concilium Provinciale convocasset Biturigibus, & Archiepiscopus Burdigalensis vocatus adesse contempsisset, eum de consilio suffraganeorum, ab officio Metropolitano suspendit: cumque ille Romanum Pontificem Innocentium III. appellasset, pendente lite Rex Philippus II. Augustus prædicto summo Pontifici scripsit pro confirmatione juris primatiæ Archiepiscopi Bituricensis. Pluribus hæc author præfatus prosequitur, quæ nos brevitatis causa prætermittimus, sicut & alia Concilia Provinciæ Bituricensis, quæ indicat in Chronol. sed nihil singulare refert, quod in iisdem vel actum, vel decretum sit, nobis autem propositum est de iis Conciliis tacere, de quibus nihil habemus, quod narrari possit.

CONCILIUM

SUESSIONENSE,

Sub Innocentio III. & Philippo Augusto, & præsidibus Octaviano Episcopo Ostiensi, & Joanne Presbytero titulo S. Priscæ Cardinalibus in causa divortii Philippi regis, & Engembergæ anno 1201.

Totius fere regni Francorum Episcoporum, ac principum fuit istud Concilium, cui etiam rex ille Philippus interfuit per Danorum regem accusatus apud summum Pontificem de dimissa uxore, quæ soror erat regis prædicti (necdum enim Daniæ regnum per schisma Lutheri à communi patre Dei, ac religionis desciverat, ubi post varias, & longas disputationes multorum dierum tædio longioris moræ affectus, recepta spontè legitima sua conjuge Engemberga, summo mane insalutatis omnibus discessit: sicque sublatum est diuturnum regni interdictum, ac Episcopi, qui illud non servaverant, jussi sunt Romam ire ad summum Pontificem, à quo pœnitentes absoluti sunt. Vix tamen rex potuit illam post multos annos amore conjugali diligere: & quia totus in conspectu ejus perturbaretur, hoc maleficorum artibus, per quas fascinatus putabatur, imputatum est à quibusdam. Nihilominus superinducta Agnes, seu Maria paulò post ex mœrore obiit. Ejus tamen filius Philippus, & Joanna filia ex decreto summi pontificis petente rege legitimantur, quod nonnullis Episcopis authoribus contraxisset, & ipsa Agnes nobilissima esset filia ducis Meraniæ, ex Rigordo, & Æmilio, sed maximè propter bonam fidem, qua contractum fuerat matrimonium.

De eodem Concilio meminit Massonus annal. l.3. ubi descripta regis Philippi iracundia in Episcop. qui synodo Divionensi interfuerant, in qua sub Petro Capuensi interdictum in regnum decretum fuerat, quos suis sedibus exegerat, rebus eorum fisco addictis, subjungit. Deinde mitescente ira Pontificia authoritati parere visus est, Isburgi in regiam reducta, cùm Octavianus Ostiensis Episcopus, & Joannes Presbyter Cardinalis Suessione per quindecim continuos dies in consilio Episcoporum de Isburgis matrimonio confirmando, dissolvendove disputassent. Ad famam Isburgis in regiam reductæ, Maria ex dolore animi obiit. At enim soluto Concilio apparuit verum esse, quod Tullius ait, metum non esse diuturni officii magistrum. Philippus enim adhuc impotens sui Isburgim Stampas relegavit, id est oppidum Blesiæ in finibus Carnutum, ubi sub legitima custodia vixit usque ad annum ducentesimum decimum tertium. Tunc enim rex ad sanitatem animi reversus ultro eam recepit, ac deinceps in summo honore habuit, &c. *Concilium Divionense.*

Sed nec omittendum, quod congregatis omnibus, cùm multi disertissimè, ac copiosissimè nimis causam regis agerent, qui summo silentio, ac assensu audiebantur, nemine contra illos vocem mittente, perdiu ex hoc expectatione suspensis animis, tandem ex humili multitudine adolescens ignotus, quis, & unde veniret, venia dicendi demississimè & à rege, & à legato, & à cætero consessu petita, externæ, desertæque mulieris causam tàm ornatè, dilucidèque defendit, tàm reverenter de rege verba faciens, ut in admirationem sui omnes converteret; sine dicendi facto se surripiens, nusquam deinceps comparuit. Sunt, qui numini id attribuant. Refert Bzovius ad annum 1198. ex Paulo Æmilio in Philippo 2. scilicet *Deus non deest in necessitate.*

licet ut quondam ad Susannæ patrocinum ex insperato Daniel apparuit: sic Juvenis iste ad piæ, & afflictæ reginæ defensionem de repentè surrexit. Cæterum paulo aliter rem istam narrat Gaguinus in Philippo Augusto, indicat enim legatos summi Pontificis fuisse Othonem cum collega Archiepiscopo Burdigalensi, qui legatus regem admonuit, ut Ingembergam uxorem reciperet, paruitque legato Philippus. Nam cum Suessione legati variis disceptationibus de regis cum uxore reconciliatione agerent: rex tantæ moræ impatiens assumpta Ingemberga, insalutatis Legatis, Concilium dimittit.

A servis, in equis, in cibis, in vestibus, & conversationibus? Cujus vita despicitur, restat, ut ejus doctrina contemnatur. Seneca epist. 6. ad Lucilium: homines amplius oculis, quàm auribus credunt; deinde quia longum iter est per præcepta, breve, & efficax per exempla. Impurè vivere, inquit alius, & Euangelicam velle etiam invitis obtrudere puritatem, haud scio stultum ne sit magis, aut ridiculum. Maxima ea est doctoris laus, cum qui audiunt, ex Deo illum esse non ambigunt, sic noster erat Joannes, sic Paulus, qui de se illud dicere non verebantur, *an experimentum illius quæritis, qui in me loquitur Christus?*

CONCILIUM

IN PARTIBUS ALBIGENSIUM,

Celebratum pro eorum conversione, præside Legato sedis Apostolicæ, tempore Innocentii, & Philippi secundi an. 1207.

De hoc Concilio hæc Vincentius Belvacensis in Spec. Histor. l. 29. c. 93. ex gestis beati Dominici. Missi sunt hoc tempore ab Innocentio Papa duodecim Abbates Cisterciensis ordinis cum uno Apostolicæ sedis legato in terram Albigensium, ut fidem Catholicam prædicantes Hæretica venena pro viribus expulsarent. Qui convocato Archiepiscoporum, & Episcoporum, aliorumque in partibus illis Ecclesiæ Prælatorum Concilio, conquirebant inter se, quonam modo commodius id, cujus gratia venerant, executioni mandarent. Illis autem super hac deliberatione sollicitis, venerabilis Didacus Oxoniensis Episcopus supervenit, cum honore autem suscipitur, consulitur, & fides ejus consiliis adhibetur. Hoc autem fuit ejus spiritu divino suggerente consilium, ut abjecta pompa superflui apparatus, quam equidem satis incongruè, qui ad Christum pauperem prædicandum advenerant, in expensis, ac equitatibus, ac vestibus, & varia supellectili præferebant, veram, atq; Euangelicam in se prætenderent paupertatem: & fidem Christi non verbis tantùm, & labiis personarent, sed rebus, & manibus demonstrarent, atque hoc modo animas, quas Hæretici falsa virtute, ac pietatis imagine deludebant, ipsi vera sanctitatis, ac religionis exhibitione possent ad fidei veritatem revocare. Faventque omnes ejus consilio, & juxta verbum ejus se facere pollicentur. Ipse verò primus dictis suis facta compensans, cœpit facere, quod aliis suadebat, statimque misit suos Oxoniam cum equitaturis, & suppellectili, & diverso, quem secum tulerat, apparatu. Retinuit tamen sibi paucos ex Clericis, & fratrem Dominicum, scilicet suæ Oxoniensis Ecclesiæ superiorem; qui ex tunc jam cœpit Frater Dominicus, & non superior appellari, remissisque ad loca sua temporalium sarcinis, cœperunt singuli Euangelicam paupertatem amplecti, pedites discurrere, ac strenuè fidem Christi Verbo, & opere prædicare. Habentes super se quasi totius negotii Ducem Episcopum Oxoniensem. Quod videntes, ac invidentes Hæretici, cœperunt ex adverso importunius prædicare. Petrus itaque de Castronovo Domini Papæ Legatus, à Comite Tolosano, quem propter Hæreticorum defensionem excommunicaverat, occiditur, ideoque terra ejus expugnanda Regi Francorum à Papa exponitur.

Prædicatores quales esse debeat.

Nota. Nunquam satis laudari queat tale Concilii decretum; quid enim magis animarum curationi adversarium, quàm ut comatuli, delicatuli, & effœminati crucem Christi prædicent, quam ipsi totis viribus refugiunt, & aversantur: quam ut vitam Christianam, & à sæculi corruptissimi moribus abhorrentem persuadere aliis nitantur, cum ipsi toti mundo immersi sint, nihilque, nisi mundum, & ejus pompas ostentent in

B

CONCILIUM

APUD MONTILIUM,

In causa Raymundi Comitis Tolosani per Milonem Legatum summi Pontificis celebratum anno Domini 1208.

Hoc Concilium celebratum est occasione querimoniarum, quas miserat Raymundus Comes Tolosanus Albigensium fautor, ad Summum Pontificem Innocentium tertium, de nimia acerbitate Arnaldi Abbatis Cisterciensis, ac Legati Apostolici in partibus Tolosanis. Cum enim ardenti zelo accensus Albigenses hæreticos quaqua via ad fidem reducere conaretur, C qui ea de causa illi infensissimi erant, adeo ut Petrum de Castro-novo Monachum Cisterciensem Cœnobii frigidi Montis Inquisitoris Hæreticorum partes agentem, qui cum dicto Abbate missus fuerat, occidissent; Comes Raymundus, ut excusaret suos, conquestus est de nimia severitate Arnaldi, ac suorum, proposuitque Summo Pontifici se in omnibus ejus mandatis obediturum, si aliquem virum mitteret ex suis collateralibus, qui mitius ageret. Ea de causa Summus Pontifex Milonem misit unum de Clericis suis cum Thedisio Canuensi viro doctrina, & morum integritate conspicuo, qui conventum Episcoporum habuit apud Montilium in Provincia Narbonensi, de quorum consilio, Raymundo tergiversanti promissa adimplere diem dixit apud Valentiam civitatem, ut se judicio sisteret. Comparuit die D dicta exterritus fama expeditionis in se, suosque ubique conclamatæ, ac quæcumque Milo præcepit, jurejurando pollicitus est se adimpleturum. Datis etiam pro securitate fidei septem castris in manus Thedisii. Quare sequenti anno apud sanctum Ægidium solemni ritu absolutus est, nudus constitutus ante fores Ecclesiæ, & flagellis verberatus, & deinde per stolam collo ejus impositam in Ecclesiam introductus, in qua tumulatus fuerat Petrus de Castro-novo, quem sui interfecerant. Hæc apud Spondanum ex Historia Albigensium, anno quo supra.

Arna... Abba...

Auste... penite...

CONTROVERSIA.

Cæterum quanta fuerit severitas istius Abbatis Cisterciensis, discimus ex formula reconcilia- E tionis hæreticorum, qua tunc utebatur D. Dominicus ab ipso delegatus. Unam, & alteram inseruit Bzovius in suis Annalibus, ad annum 1215. numero 13. ex pervetusto Commentario de Rebus Ordinis Prædicatorum à Nicolao Roselo Card. sancti Sixti composito. Tenor talis est primæ.

Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes Litteræ pervenerint, F. Dominicus Oxoniensis Canonicus prædicator minimus, Salutem in Christo. Authoritate Domini Abbatis Cisterciensis Apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis injunxit officium, reconciliavimus præsentem latorem Pontium Rogerium, ab Hæreticorum secta Deo largiente conversum: mandantes in virtute præstiti Sacramenti, ut tribus Dominicis Festivis diebus ducatur à Sacer-

à Sacerdote nudus in femoralibus, ab ingreßu villæ usq; ad Ecclesiam verberando, injungimus etiam ei, ut à carnibus, ovis, & caseo, seu omnibus, quæ sementinam trahunt originem, abstineat omni tempore: excepta die Paschæ, & die Pentecostes, & die Natalis Domini: in quibus adjurationem erroris pristini præcipimus, ut eis vescatur. Tres Quadragesimas in Anno faciat, à piscibus abstinens. Tribus diebus in hebdomada semper à piscibus, & ab oleo, & vino abstineat, & jejunet: nisi corporalis infirmitas, vel labores æstatis exegerint dispensationem. Religiosis vestibus induatur, tùm in forma, tùm etiam in colore; quibus in directo utriusque papillæ, singulæ cruces parvulæ sint assutæ. Quotidie, si opportunum fuerit, Missam audiat, & diebus Festivis ad Vesperas in Ecclesia pergat. Alias Horas tàm diurnas, quàm nocturnas ubicumque fuerit, Deo reddat. Scilicet septies in die, decem Pater noster *dicat: Media nocte vigesies. Castitatem observet; & mane apud Cererim villam chartam istam Cappellano suo per singulos menses ostendat. Capellano etiam præcipimus, ut de vita ejus curam diligenter habeat: Hæc omnia diligenter observet, donec aliàs super his Dominus Legatus suam nobis exprimat voluntatem. Quod si ea observare contempserit tanquam perjurum, & hæreticum, & excommunicatum ipsum haberi præcipimus, & à fidelium consortio sequestrari.*

En specimen in hac formula, illius severitatis, qua agebatur cum Albigensibus hæreticis ad Ecclesiæ unitatem regredi volentibus. Qua potius eorum conversio impediebatur, quàm promoveretur, ut propterea Comes Tolosanus petiverit à Summo Pontifice homines, qui benignius agerent, si saluti eorum consultum vellet. Quàm supplicationem Summus Pontifex non despexit, satis cognoscens plures reducendos ad viam veritatis, si suavius ageretur, quàm si inhumanius. Notum est, quod præclarè scripsit sanctus Maximus Hom. 59. quæ est 2. de sancto Eusebio Vercellensi. *Etenim, inquit, quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium civium in Deum provocabat affectum.* Sed & Petrus Blesensis epist. 203. nam immeritò quendam confessarium increpat super austeritate nimia erga pœnitentes: *Nimia, inquit, tui rigoris austeritas, quam exerces in tuorum confessionibus fratrum, sicut dicitur ex eorum querela communi, enormium generat materiam scandalorum. Susceptos enim ad pœnitentiale remedium post confessionem publicè dehonestas. Nam licèt infirmitates eorum verbo non publices, &c. Novisti, quàm gravi animadversione plectatur transgressio Sacerdotis peccata sibi confitentium revelantis. Nec multum interest, utrum voce, vel signo, vel quodam vultuoso contemptu, aut aliàs nimia severitate satisfactionis secreta conscientiæ alienæ vulgentur. Tales equidem Canonica censura deponit, ac depositos perpetuæ, & ignominiosæ peregrinationi addicit, &c. O si cognovisses & tu, quàm districto, & tremendo judicio te oporteat respondere juxta consilium Joannis Damasceni; consiliosius, & tutius esset tibi rationem reddere de misericordia, quàm de severitate justitiæ. Ille misericordiam superexaltat judicio, quem dixiße legisti: Misericordiam volo, & non sacrificium. Si zelus justitiæ quandoque, sicut expedit, attendatur: Misericordia tamen primas partes obtineat: Pastorque tanquam prudens Medicus ulcus alienæ conscientiæ suaviter tangat; Calamum quassatum non conterat, & linum fumigans non extinguat. Qua igitur fronte, quibus oculis, qua conscientia præsumit de Dei misericordia, quem durum, & immisericordem sentit fraterna miseria?* Plura videre licet in eam rem, apud Auctorem Præfatum, epist. 51. metuimus enim, ne in his citandis nimiæ prolixitatis arguamur. Quamvis in his paulo fusius immorari non sit inutile in hac temporum calamitate.

(Margin: *veritas ...is.*)

ALBIGENSES.

Quia autem sæpè mentio habenda est de Albigen- A sibus hæreticis, non ingratum erit nonnulla de eorum erroribus disquirere, de quibus non una est omnium sententia. De his ita Gaguinus in Philippo Augusto. Erant per hos dies in Narbonensi Provincia, quam vulgo linguam Occitanam appellamus, Christianæ puritatis permulti contemptores ex Albigesio primam suæ doctrinæ, & iniquitatis institutionem referentes. Quorum doctrinam nemo adhuc mihi notus scriptor reliquit. Et cum hæreticos eos vocent, atque ob eam causam exterminatos esse Authores tradant, genus tamen hæreseos prætereunt. Puto eos, quoad conjectura assequi possum, Arrianam pestem sequutos. Fœdis quoque amoribus, & masculinis concubitibus indulsisse. Ideoque legitimas nuptias, & carnis esum damnare, & in Dom. Mariam Christi Matrem esse blasphemos.

B Quod rem istam magis ambiguam efficit, hæresis est Albanensium, quos nonnulli videntur confundere cum Albigensibus. Guido siquidem Carmelita refert hæreses Albanensium, tacens de Albigensibus, hos cum illis proculdubio confundens: Et Joannes Garzo Bononiensis Orator in Vita Divi Dominici, quam reperias ad calcem epitomes Historiæ Aloysii Lipomani de Vitis Sanctorum, non alio nomine vocat Albigenses. Verum ea distinguunt Alphonsus à Castro, adversus hæreses in multis locis, nec non Bernardus à Lutzemburgo seorsum refert horum, & istorum hæreses. Temporibus Innocentii Papæ (ait ex Cæsario Cisterciensi in 5. distinctione Dialogi) invidia diaboli hæreses Albigensium cœperunt pullu- C lare, tàm validè, ut omne triticum fidei gentis illius versum videretur in lolium erroris. Et eorum errores fuerunt multi, nam hæresiarchæ eorum quædam collegerant puncta ex dogmate Manichæi, quædam ex erroribus, quos in Periarchon scripsisse fertur Origenes, plurima etiam, quæ de suo finxerunt, adjicientes. Duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum, & malum, idest Diabolum, quem omnia creare corpora, sic Deum bonum omnes animas. Corporum resurrectionem negant; quidquid beneficii mortuis à vivis impenditur, irrident. Ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse, Baptismum abjiciunt, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi blasphemant; Et quod anima secundum meritum perversa transit corpora, etiam animalium, & serpentum, si male vixit, si autem benè, intrabit D corpus alicujus principis, vel alterius illustris personæ. Item in tantum eorum error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates, & si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto, quòd totam Europam corrupisset, & Christiani missi erant contra eos: & in civitate Biders, quæ expugnata fuit per Christianos, ipsi Albigenses supra volumen sacri Euangelii mingentes de muro illud contra Christianos projecerunt, & sagittis post illud missis, clamaverunt: Ecce lex vestra, miseri. Item quidam in Tolosa in odium Christi, & in confusionem fidei, juxta Altare majoris Ecclesiæ ventrem suum purgavit, & Palla Altaris ipsas immunditias tersit. Quidam eorum supra Altare scortum posuerunt in conspectu Crucifixi, eo ibi abutentes, postea ipsam sacram imaginem detrahentes, brachia E ei præciderunt, & crucifixi collo fune alligato per plateas illum traxerunt cum multis blasphemiis, & crux fuit prædicata contra ipsos. Iidem Memelinum potentissimum Afrorum Regem de Maroch in auxilium sibi invitaverunt, qui de Africa in Hispanias cum tàm incredibili multitudine venit, ut totam Europam se obtinere posse speraret. Mandavit etiam Innocentio Papæ, quia equos suos in porticu Ecclesiæ Beati Petri debebat stabulare, & super illam vexillum suum figere. Quod ex parte impletum est, & si secus, quàm ipse cogitasset, & quia Deus frangit omne superbum.

(Margin: *Cap. 21.*; *Abominationes Albigen.*)

Deinde paucis interjectis refert hæreses Albanensium,

sium, qui ita dicti sunt à vestibus albis, quibus induebantur.

Unde patet Albanenses alios esse hæreticos, quàm Albigenses fuerint. Quicquid sit, horrendum tunc monstrum parturivit Gallia, ut non immerito contra eos omnibus omnium Catholicorum armis pugnatum sit, non minori zelo, & ardore, quàm contra infidelissimos Turcas, & Sarracenos.

Addo istis narrationem quandam ex eodem Cæsario desumptam ex Homil. Dominicæ IX. post Pentecost. qua patet eosdem connubia communia admisisse cum Nicolaitis. Anno præterito, inquit, Domino Conrado Portuensi Episcopo, quem contra eosdem Albienses hæreticos Honorius Papa miserat, oblatus est quidam hæresiarches: homo maturus ætate, barbam habens prolixam. Iste dicebat nihil interesse, utrum mulier admitteret virum legitimum, sive extraneum: nullam faciens differentiam inter conjugium, & incestum, vel adulterium. Reservatus est usque in diem sequentem: eo quod Legatus coram omni populo illum revincere vellet. Stante eo in turba, validè clamabat: Estne hic aliqua, quæ virum admiserit non suum? cunctis præ verecundia tacentibus: erupit una dicens: Ego in hoc rea sum. Tunc hæreticus, Eia, inquit, inveni, quod quæsivi, dixitque ad illam: Dic mihi, mulier; cognovit te alio modo vir extraneus, quàm tuus, nec ne? Respondente muliere, Non; Conversus ad Legatum hæreticus exclamavit: Audi, stulte, audi, tibi consimilis actio, quæ esse potuit in culpa dissimilitudo?

Adulterium.

Sciens Episcopus, quia nullum ex scripturis admitteret testimonium hæreticus; à Deo inspiratus hanc dedit similitudinem. Paterfamilias per ostium intrat in vineam suam, & uvas ex ea tollens effert, & comedit. Fur ex opposito sepem latenter transcendens, idem & eodem modo facit: numquid æquè licitè hoc actitant? Numquid Dominus, & fur idem jus habet in vinea? Ad quod verbum cum obmutesceret hæreticus, populi fideles frementes, maximè matronæ, quas confuderat, irruentes in miserum, tamdiu eum capillis trahebant, donec exhalaret spiritum. Vide, quæ dicta sunt classe 2. in Lateranensi. 3.

CONCILIUM AVENIONENSE,

Anno 1290. in quo præsidebat Hugo Regiensis Episcopus.

Ex tom. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii Benedictini.

IN nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem 1209. Pontificatus Domini Innocentii Papæ III. anno 18. Idibus Septembris, hæc, quæ sequuntur, statuta fuerunt apud Avenionem in Concilio Generali sub Hugone Regiensi Episcopo, & Thedisio Domini Papæ Notario, Apostolicæ sedis Legatis, præsentibus Viennensi, Arelatensi, Ebroduuensi, & Aquensi Archiepiscopis, & Episcopis viginti numero; nec non & multis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Rectoribus.

Cum in Provinciæ partibus refrigescente charitate adeo abundaverit malitia, quod ferè omnes indigenæ in profundum venerint vitiorum, ut præsentibus, & futuris temporibus Provincialium malitiis occurratur, innovare antiquos, & novos etiam Canones sancta Synodus promulgare decrevit, ea potissimum ratione inducta; quia morbis insuetis adhibere convenit excogitata remedia, & antidota insueta, & vulnera, quæ levia fomenta non sentiunt, mordicativis, seu vexativis remediis curari oportet.

Quia igitur propter formidandam, & puniendam negligentiam Prælatorum, qui existentes potius mercenarii, quàm Pastores se murum pro domo Israel non opponunt, Euangelicam disciplinam, in his partibus diversæ, & damnatissimæ hæreses pullularunt, præsenti approbatione Concilii duximus statuendum, ut in sua diœcesi quilibet Episcopus frequentius, & diligentius solito fidem prædicet orthodoxam, & cum expedierit, per alias honestas, & discretas personas faciat prædicari. In eo tamen diligens, & cautus prædicator existat, ut adulteria, fornicationes, perjuria, usuras, odium, aggressiones, &c. mortalia vitia adeò verbo detestetur, & opere, quod exinde honestas, pax, patientia, justitia, & cæteræ inferantur virtutes.

Quia omnes non obediunt Euangelio, & ad supplementum gladii spiritualis materialis auxilium sæpius ab Ecclesia imploratur, decernimus, quod quilibet Episcopus cives suos, Comites, Castellanos, Milites, & alios parochianos suos, de quibus viderit expedire, per censuram Ecclesiasticam, si opus fuerit, jurare compellat, sicut illi de Montepessulano juraverunt, præcipuè circa exterminandos hæreticos excommunicatos, perdurantes in sua pertinacia pecuniariter puniendos: Judæos à publica, seu privata administratione privandos, & quod nunquam ad suum ministerium in domibus propriis permittantur habere Christianos. Et in eo præsertim dicti Nobiles, & alii adstringantur, quod coram suo judice sive sit ordinarius, seu delegatus de se conquerentibus exhibeant justitiæ complementum: Et ut plenius Episcopus exterminare valeat de sua diœcesi hæreticam pravitatem, in singulis parochiis suis tàm in civitate, quàm extra, Sacerdotem unum, & duos, vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures, si opus fuerit, juramenti religione adstringat; vel receptatores eorum, ipsi Episcopo, & Consulibus civitatum, & dominis locorum, seu bajulis eorumdem, cum omni studeant festinantia intimare, ut eos puniant secundum Canonicas, & legitimas sanctiones; nihilominus bona ipsorum omnia confiscantes. Si autem in hoc obsequio divino præfati Consules, & alii ab Episcopis requisiti, fuerint negligentes, vel etiam contemptores, ipsorum personæ excommunicentur specialiter, & terræ interdicto Ecclesiastico supponantur: Et ut ipsis efficacius det vexatio intellectum, si qua castra, vel possessiones tales ab Ecclesia noscuntur habere, propter ingratitudinem, & indevotionem suam ad ipsam redeant pleno jure. Illud præcipuè non duximus dimittendum, defensores, receptatores, & hæreticorum fautores cum ipsis hæreticis pari pro crimine pœna feriri.

Licet ad extirpandum usurarum vitium utriusque conveniat pagina Testamenti, & nihilominus super hoc canonica plurima emanaverint instituta: quia tamen prætermissis aliis negotiis, multi quasi licitè usuras exercent, ad detestationem vitii memorati aliquid duximus apponendum: ut videlicet festivis diebus, & solemnibus, & maximè cum Synodus celebratur, usurarii omnes sive suo, sive alieno nomine crimen illud exerceant, generaliter excommunicationis vinculo innodentur: si verò fuerint publici, aut de crimine illo convicti, si post trinam admonitionem satisfacere noluerint, nominatim eadem feriantur censura, & insuper infligantur eisdem pœnæ contra usurarios in Lateranensi Concilio constitutæ; scilicet ut eorum non recipiantur oblationes, nec, si in illo peccato decesserint, Ecclesiasticam habeant sepulturam.

De Judæis usurariis illud statuit Concilium, ut per excommunicationis sententiam in Christianos, qui eis in commerciis, seu alio modo participaverint, ab usurarum exactionibus compescantur, & secundum constitutionem domini Innocentii Papæ III. ad remittendas easdem compellantur. Quibus etiam prohibemus, & jubemus per Episcopos pœna simili prohiberi, ne diebus dominicis, & solemnibus publicè laborare præsumant, nec carnibus abstinentiæ diebus vescantur.

Ad notitiam hujus sanctæ Synodi multiplici querela pervenit, quod laici, & cæteræ personæ, quæ de man-

mandato dominico ad præstationem decimarum, & primitiarum tenentur, eas in grave animarum suarum præjudicium non dandas penitus contendunt, in erroris sui favorem alii dissuetudinem, alii præscriptionem temporis allegantes. Cum igitur decimæ, ac primitiæ adeò debitæ sint, ut sine voluntate eorum, quibus debentur, absque mortali peccato non valeant retineri; volumus, & præcipimus, ut tàm laici, quàm aliæ personæ de bonis omnibus sibi collatis à Deo non deductis expensis, ad solutionem ipsarum per Ecclesiasticam censuram compellantur, præscriptione aliqua, titulo, seu consuetudine non obstante. Prohibemus insuper, ne Episcopus, aut alia persona Ecclesiastica alicui laico collectionem decimarum perpetuo concedat habendam; ne laici, si eis concessum fuerit, ex hujusmodi concessione aliquod jus sibi valeant vendicare. Ad hæc vallem de Tretis, quæ ut acephala in nullius diœcesi asseritur instituta, Domino Episcopo Regiensi Apostolicæ sedis Legato ad custodiam decernimus specialiter assignandam, qui spirituali, & etiam, si oportuerit, materiali gladio expellat ex ipsa hæreticam pravitatem, & fidelibus, qui fuerint ibi pro tempore, sicut debuerunt, Ecclesiastica ministret Sacramenta, donec summus Pontifex aliud de ipsa duxerit exponendum, salvis privilegiis Romanorum Pontificum.

Onera importabilia, & deprimentes fasciculos, quantum cum Deo possumus, attenuare volentes, jubemus, ut tàm Ecclesiasticæ personæ, quàm seculares à pedagiis, quidagiis, salinariis, & aliis indebitis exactionibus per excommunicationis sententiam in personas, & interdictum terrarum penitus desistere compellantur, nisi fortè Regum, vel Imperatorum concessione probaverint se habere: prohibemus insuper, ut nullus propter pedagia, vel alias indebitas exactiones excommunicatus ab Episcopo, vel alia persona Ecclesiastica reconcilietur Ecclesiæ, nisi quidquid à tempore latæ sententiæ probabitur extorsisse, cum integritate restituat, & distribuat secundum reconciliantis arbitrium.

Cum in Ecclesia Dei Ecclesiasticæ personæ beneficium in domo Domini habeant, sive sint expertes, illiusque secundum Canonica, & civilia jura ab angariis, & parangariis, & prorsus ab omnibus indebitis exactionibus censentur immunes, à laicis divina reverentia, & timore abjectis ancillatæ, & sub tributo importabili sint constitutæ; sub anathematis districtione modis omnibus prohibemus, ut albergas, procurationes, exactiones, seu tallias aliquas ab ipsis de cætero laici non exigant, vel extorquere præsumant. Immo tàm Ecclesias, & domos religiosas, quàm & nominatas personas in plenissima libertate conservent; ita videlicet quod Episcopis, vel aliis earum Rectoribus defunctis, ipsas nullo modo audeant spoliare, nec se administrationi earum, seu custodiæ, nisi fortè rogati ab Episcopo, vel Capitulo, occasione alicujus consuetudinis, seu aliqua alia, immiscere, sed omnia cum integritate qualibet defunctorum successoribus reserventur.

Inhibemus, ne electioni Episcopi, vel alterius Rectoris Ecclesiæ favendæ, per se, vel per quamcumque aliam personam se immisceant, vel violentiam faciant, vel impedimentum adhibeant, quominus electio Canonicè, ac liberè celebretur. Illud autem tanquam abominabile, ac præposterum districtione qualibet prohibemus, ne videlicet ab Ecclesiis, seu religiosis domibus, ac Ecclesiasticis personis, sicut in quibusdam locis huc usque præsumptum audivimus, vicesimam partem annuorum redditnum in posterum ratione murorum, vel aliqua occasione laici extorquere contendant.

Propter abominationes, quas vidimus, & intelligimus ab illis, qui Ecclesias incastellando domos Domini convertunt in speluncam latronum, aliquid severiùs constituimus contra hujusmodi præsumptores, sub anathematis pœna districtissimè inhibentes, ne quis ulterius, nisi fortè ad repellendam instantiam paganorum, aliquam Ecclesiam incastellare præsumat, & attentet, immo incastellatas, videlicet totam incastellaturam, & quidquid infra cœmeterium ædificatum est, ad arbitrium diœcesanorum Episcoporum, quàm celeriùs poterunt, diruendum jubemus, præter illam, vel illas, quas ad tuitionem parochianorum, Episcopis visum fuerit reservari: quæ perpetuo possideantur ab eis, vel ab aliis personis Ecclesiasticis teneantur. Si fortè aliquis temerarius, vel violentus detentor Ecclesiam incastellatam ad mandatum sui Episcopi noluerit diruere, vel ei noluerit tradere possidendam; nominatim excommunicationis vinculo percellatur, & interdicti sententiæ supponatur tota terra ipsius.

Sicut peccatis exigentibus multo tempore sumus experti propter guerram, seu Baronum, & civitatum discordiam tàm personæ, quàm terræ ipsorum, in exterminium, & direptionem trahuntur. Ad cujus jacturæ remedium pacem, & concordiam etiam invitis prædicari, & seminari oportet. Jubemus ergo, ut cives, & civitatum Rectores, Comites, Barones, Castellani, Milites, & alii, qui ab Episcopis ad hoc idonei videbuntur, ad pacem, seu treugam faciendam pariter, & servandam; necnon & ut strata publica serventur securè ab Episcopis, si fortè fuerint difficiles, per Ecclesiasticam districtionem cogantur, & interim, quousque pacem juraverint, sint à pacis beneficio alieni. Et quoniam triplex funiculus difficiliùs rumpitur, præcipimus, ut ad pacem faciendam firmiter, & servandam Episcopi sibi mutuum auxilium studeant exhibere, sicut in capitulo felicis recordationis domini Alexandri Papæ III. plenius continetur.

Quia verò per Aragones, Brabanzones, Baselones, Ruptarios, seu quocumque alio nomine censeantur, multotiens discordia, & perturbatio, & rapina generantur in terris, de ipsis ad memoriam revocamus, quod ab eodem dicto Alexandro contra ipsos noscitur constitutum, ut videlicet sicut & hæretici, & .... ante alios excommunicentur, & ab omnibus fidelibus expugnentur ubique locorum. Qui autem alios tenuerit, aut in terra sua esse permiserit, censura simili percellatur.

Inter cæteras querelas, quæ ad hanc Synodum perlatæ fuerunt, illam severiùs puniendam, & corrigendam censemus: videlicet quod Archiepiscopi, Episcopi, & Ecclesiarum Prælati, sive ordinarii sint, sive judices delegati, tepidi sunt nimium, & remissi ad justitiam coram se querelantibus faciendam, propter quod quanta possumus, & convenit ratione, censemus, ut causas, quæ in conspectu ipsorum propositæ fuerint, quàm diligentiùs, & festinantius poterunt, studeant terminare, cogantque subditos suos in judicio servare illud idem.

Intelleximus etiam, quod sententiæ tàm excommunicationis, quàm interdicti sine congrua satisfactione relaxant; in quo casu illam districtionem præcipimus inviolabiliter observari, quam Dominus Innocentius Papa III. in quadam sua decretali noscitur expressisse, hoc est, ut si quis, quia datum damnum noluerit emendare, fuerit excommunicationis vinculo astrictus, præter juratoriam cautionem, antè faciat de damno dato emendam, quàm ejus sententia relaxetur. Si verò excommunicationis sententia feratur in aliquem, qui citatus ad judicium venire contempsit, ad eam relaxandam sufficit, si quod juri pareat, præstiterit juramentum. Et quia interdum hujusmodi judices à malo non revocat amor Dei, nec Ecclesiastica disciplina, negligentes, & contemptores hujusmodi ad restituendum damnum passis duximus condemnandos.

Contra publicè perjuros, seu convictos de perjurio; & eos, qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint, pro eo, quod faciles sunt homines

nes ad perjuria, & ad censuram Ecclesiasticam contemnendam, specialem, & novum Canonem promulgamus, scilicet ut nulli Episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad sedem Apostolicam, sicut sacrilegi, & incendiarii absolvendi mittantur. Perjuris verò propter aliam satisfactionem dictam sedem in præsentia visitare injungatur. Si fortè Clerici fuerint, in utroque casu ab officio, & Beneficio Ecclesiastico repellantur, ad quorum neutrum restitui valeant, nisi per summum Pontificem, vel ipsius Legatum.

Quorundam Monachorum, & aliorum, sive sint Religiosæ, sive aliæ quæcumque personæ, provisio indiscreta, qui Ecclesias ad præsentationem ipsorum pertinentes ex certa scientia quandoque faciunt ultra tempus à canone indultum vacare, Nos Lateranensem constitutionem innovare compellit, in qua noscitur constitutum, quod nisi à Monachis, & aliis personis infra sex menses ad vacantes Ecclesias Episcopis idoneæ fuerint personæ præsentatæ, postmodum appellatione remota, liceat in illis ordinare Rectores, qui præesse noverint, & prodesse; ita tamen quod ex hoc nullum patronis in posterum præjudicium generetur. Ad hæc, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, & cæteris Religiosis, Prioribus, Conventus insinuat Synodalis, & sub attestatione divini judicii districtè injungit, ut subditis suis professis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cum etiam hoc Romano Pontifici non liceat, sicut Dominus Innocentius Papa III. in quadam sua constitutione testatur.

Ut raptorum, violatorum pacis, & eorum, qui in stratis publicis aggressuram committunt, necnon qui captos homines ad redemptionem compellunt, nimium grassanti malitiæ occurratur; antiqua innovantes statuta decernimus, ut si in quacumque Diœcesi præfatas iniquitates dicti malefactores deprehensi fuerint exercere, ab Episcopo illius loci anathemati districtiori subdantur, ipsum alii circumadjacentes Episcopi, quousque passis injuriam plenè satisfactum fuerit, teneantur viriliter adjuvare, sententiam, quam in delinquentem tulerit, observantes, & auxilium ei manu militari etiam, si opus fuerit, impendentes. Quod si quis Episcopum contempserit, ad resarciendum damnum passis injuriam teneatur.

Statuimus, ut in sanctorum vigiliis in Ecclesiis histrionicæ saltationes, obsceni motus, seu choreæ non fiant, nec dicantur amatoria carmina, vel cantilenæ ibidem: ex quibus præter id, quod aliquotiens auditorum animi ad immunditiam provocantur, obtutus, & auditus quorumlibet spectantium polluuntur.

Pro eo quod Clerici, & qui Religioni adstringuntur ex voto, etiam sæculares, nec opere, nec habitu professionem suam ostendunt, immo quod dolentes, & inviti dicimus, adeò dissoluti sunt, & multipliciter immunditiis, & excessibus implicantur; quia sicut laicus, sic sacerdos; Laici, quibus ipsi sunt signum positi ad sagittam, eorum corrumpuntur exemplo, & quos in omnibus actionibus suis ad honestatem prævenire deberent, & vitam, tanquam cæci cæcos eos in foveam trahunt, & ad gehennam præcedunt.

Circa Religiosos igitur servandum jubemus, ut in quacunque sint dignitate, aut ordine constituti, habitum, & tonsuram, & in aliis suæ professioni habeant congruentem. Quibus firmiter inhibemus, ne panno de stamine forti, aut alio colorato, seu sumptuoso, vel aliquo serico in futurum utantur. Cappas similiter coloratas, & manicatas prohibemus eisdem. Circa sæculares quoque illud firmiter præcipimus observandum, ut amodo maximè in sacris ordinibus constituti convenientem coronam habeant, & clausa deferant indumenta, nec rubeis, aut viridibus, seu aliquibus sericis in posterum uti

A præsumant; sed honestatem Clericorum, quæ in decretali felicis memoriæ Gregorii evidentiùs exprimitur, servent.

Jubemus insuper tàm præpositos, quàm alios Clericos ad exhortationem, vel ad mandatum sui Episcopi sine difficultate qualibet ad sacros ordines promoveri.

Præterea in sacris ordinibus constituti, qui stipendiis Ecclesiæ sustentantur, coram judicibus sæcularibus officium advocationis non sumant contra canonica instituta: nec detestabiles conspirationes faciant de cætero, seu conjurationes in quacumque sint Ecclesiæ professione, aut ordine constituti. Quicumque autem constitutionis hujus propria temeritate se constituerint transgressores, à suis Episcopis canonicè puniantur.

B Miserabilem, & lacrymosam interfectionem sanctæ memoriæ Petri de Castro novo Apostolicæ sedis Legati ad memoriam reducentes: & atrox facinus necis Magistri Gaufredi Canonici Gebennensis piæ, & religiosæ conversationis, & vitæ, his temporibus nequiter perpetratum, & aliorum plurimorum Religiosorum virorum, quos non sufficimus ad præsens, nec expedit enarrare, tanti facinoris frequentia, & atrocitate commoti, ultione, qua possumus, prosequentes, sacri approbatione Concilii duximus statuendum, ut nullus de parentela illorum, qui præfatos Clericos occiderunt, usque ad tertiam lineæ cujuscumque generationem, Ecclesiasticum beneficium consequatur. Immo si qua forsitan sunt adepti, tamdiu suis beneficiis, & officiis priventur, donec per Romanum Pontificem fuerint restituti. Statuimus etiam, ut si quis simile facinus commiserit in

C futurum, circa ipsorum consanguineos similis censura servetur: quem rigorem circa illos tantùm volumus observari, qui de perpetrata iniquitate apud bonos, & graves fuerint infamati.

Archiepiscopis, & Episcopis sub attestatione divini Judicii districtè jubemus, ut omnes supra scriptas constitutiones pro sua possibilitate bona fide observent, & faciant ab omnibus subditis suis inviolabiliter observari.

Sequitur forma juramenti consulum Montis pessulani de parendo decretis synodi.

DECRETUM.

D Significatum fuit synodali capitulo, quod quarumdam Ecclesiarum Cathedralium Clerici sedem suam ad Aquilonem ponere volentes, ut Acephali, quod criminosum est, habeantur. Et Episcopos suos in capitulo suo, vel extra, & præcipuè in Vivariensi, & Uticensi Ecclesiis ad correctionem aliquam non admittant: negotia Ecclesiæ suæ cum eorum consilio disponere, vel tractare penitus contemnentes, in quo dubium non est sacris canonibus obviare: ideoque præsenti decreto statuimus, ut tàm in Ecclesiis Cathedralibus, quàm aliis Clerici proprios Episcopos ad correctionem suam, sicut qui de animarum suarum cura tenentur reddere rationem, admittant humiliter, & devotè: nihilque in Ecclesiis suis absque ipsorum consilio, & tractatu præcipuè in majoribus negotiis statuere, vel ordinare præsumant. Quod si hujus statuti inventi fuerint transgressores, ab Episcopis pœna canonica feriantur.

E

CONCILIUM PARISIENSE

Contra Almaricum, ejusque sectatores tempore Innocentii III. & Philippi Augusti, anni 1210.

Damus hoc Concilium ex Vincentio Belvacensi in Spec. Histor. lib. 29. cap. 109.

Jam in illis diebus florebat studium litterarum Parisiis, illucque de toto orbe scholaribus*, non illum

*Confluentibus.

illum propter loci amœnitatem, & bonorum omnium affluentiam, sed etiam propter libertatem, ac specialem prærogativam, quam scilicet impendebat eis Rex Philippus, & ante ipsum pater ejus. Illic in sacra facultate studebat quidam Almaricus de territorio Carnotensi, villa, quæ dicitur Bena, oriundus, semperque suum habuit, & in artibus liberalibus, & in Sacra pagina discendi, atque docendi modum, opinionem privatam, ac judicium ab aliis separatum. Hic ausus constanter affirmare, quod quilibet tenetur credere se esse membrum Christi, & hoc unum esse de articulis fidei, sine quo non potest homo salvari. Omnibus autem Catholicis in hoc ei contradicentibus ad summum Pontificem coactus accessit. Qui, audita ejus propositione, & Universitatis scholarium contradictione, contra ipsum sententiavit. Reversus ergo Parisios, compellitur ore confiteri, quod contrarium sentiret prædictæ opinioni. Ideo, inquam, ore, quia nunquam discessit corde. Itaque tædio, & indignatione affectus, ut dicitur, ægrotavit, ac lecto decumbens in brevi decessit. Post cujus mortem ejus venenosa doctrina quidam infecti surrexerunt, qui, plusquam oportet, sapientes ad exsufflandum Christum, & novi testamenti sacramenta, novos, & inauditos errores, & adinventiones diabolicas confinxerunt. Inter cetera verò impudenter asserere conabantur, quod Patris potestas duravit quamdiù, inquit, & quia scriptum: *Novis supervenientibus, abjicientur vetera.* Postquam enim Christus venit, absoluta sunt omnia veteris testamenti sacramenta, & viguit nova lex usque ad illud tempus, videlicet quo prædicabant talia. Illo ergo tempore dicebant novi Testamenti sacramenta finem, & Spiritus Sancti tempus incepisse. Ideoque Confessionem, Baptismnm, Eucharistiam, & alia etiam, sine quibus non est salus, locum de cætero non habere, sed unumquemq; per gratiam Spiritus Sancti tantum interiùs, sine aliquo exteriori actu inspirantem salvari posse. Charitatis virtutem quoque sic ampliabant, ut id, quod aliter peccatum esset, si fieret in charitate, jam non esse peccatum dicerent. Unde & stupra, & adulteria, cæterasque corporis voluptates in charitatis nomine committebant, mulieribusque, cum quibus peccabant, & simplicibus, quos decipiebant, impunitatem peccati promittebant; Deum scilicet tantummodo bonum, & non justum prædicantes. Hujusmodi autem fama cùm ad Petrum Parisiensem Episcopum, & fratrem Guerinum Regis Philippi Consiliarium occultè pervenisset, miserunt clam magistrum Radulphum de Namurcio Clericum, qui hujusmodi sectæ viros diligenter inquireret. Hic ad singulos astutè accedebat, & de eorum secta se esse fingebat, illique sua secreta revelabant. Itaque plures hujusmodi sectæ sacerdotes, & Clerici, & laici utriusque sexus detecti, & capti Parisios sunt adducti. Ibidem ergo congregato Concilio convicti, & condemnati, atque ab ordinibus suis degradati, & curiæ traditi sæculari jussu Regis extra portam in Campellis cremati sunt. Mulieribus autem, ac simplicibus, qui per majores corrupti sunt, ac decepti, pepercerunt. Heresiarcha verò Almaricus licèt jam fuisset (ut putabatur) in pace Ecclesiæ sepultus, quia tamen plenè constitit sectam illam ab ipso habuisse originem, ab universo Concilio condemnatus est, & excommunicatus, ac de sacro cæmeterio ejectus ejus cinis, & ossa per sterquilinia sunt dispersa, ac ejecta.

Addunt aliqui tunc simul combustos fuisse Aristotelis libros, ex quibus videlicet hi hæretici præcipua dogmatum suorum capita hauserant, quod plerisque hæreticis familiare fuit, ut non immerito *Hæreticorum Patriarchæ Philosophi* vocentur à Tertulliano, libro adversus Hermogenem.

CONCILIUM APUD AVENIONEM,

Præside Milone Legato anno 1210. sub Innocentio III, & Philippo Augusto.

De hoc concilio ita Massonus in Philippo Augusto: Interim synodus Avenione habita est, ac judicio patrum Tolosatibus sacrificio interdictum, quod hæreticos urbe sua non expulissent. Milo illi synodo præfuit, nec multo post fato functus.

Addit Spondanus eodem anno 1210. ideo convocatum fuisse Concilium, quod Comes Raymundus, de quo supra actum est, vectigalibus supra modum subditos suos vexaret, idque contra datam fidem, quando fingens se Catholicum, in pristinum statum restitutus fuerat. Ideo illi prohibitum est sub pœna excommunicationis, ne quid amplius in talia vectigalia intentaret. Cùm tamen non desisteret, eodem anno in alia synodo apud sanctum Ægidium excommunicatus denunciatur, præside Thedisio legationis Milonis tunc defuncti socio.

CONCILIUM PARISIENSE,

Sub Roberto de Corceone Card. tempore Innocentii III. Papæ, & Philippi Adeodati, seu Augusti, anno 1212.

De hoc Concilio tractat Spondanus in supplemento Anna l. Baron. tom. I. ad ann. 1212.

Alia parte, inquit, hoc eodem Anno. Robertus de Corceone Presb. Card. Tit. S. Stephani in monte Celio, natione Anglus missus ab Innocentio Papa in Galliam ad negotium Crucis contra Albigenses, & pro subsidio terræ sanctæ, Concilium habuit Parisiis (in qua Ecclesia Cononicum olim egerat) quo multa statuit pro correctione morum, extirpatione abusuum, & restitutione disciplinæ Ecclesiasticæ tàm in Clericis sæcularibus, quàm regularibus, & monialibus: sæcularibus inter cætera prohibens, ne quis juramentum faceret de non commodando libros, vel domos, vel alias res, vel de non mutuando, aut fidejubendo pro aliis; & ne excommunicatio pro hujusmodi fieret. Regularibus autem interdicens itidem juramentum de non commodando libros suos indigentibus; (Cùm, ut ait, commodare inter præcipua opera misericordiæ computetur.) Ita tamen ut indemnitate, & restitutione caveretur sufficienter: Itemque ne bini jacerent in lectulo propter metum incontinentiæ. Quod etiam monialibus prohibuit. Sunt plurima alia egregia decreta pro singulis eorum, necnon pro Episcopis, quæ dabit aliquando doctissimus Jacobus Sirmondus in continuatione Conciliorum Gallicorum: à quo interim nos hæc habuimus communicata nobis ab ipso pro sua humanitate. Prædictus autem Robertus Legatus, impigrè (ut ait Petrus Vallisarnensis in Historia Albigensium) injunctum officium exequens, plura alia Concilia, seu conventus celebravit, prædicatores Crucis instituit, hæreticos exagitavit. Sed tanta, ut legitur in Memoriali Historiarum, acerbitate in Clericos Catholicos, & facilitate in Cruce omni hominum generi indignè impertienda, ut fuerint de illo referendæ à Rege, & Clero ad Pontificem querelæ. Qui & in alio MS. Cod. dicitur in Conciliis, quæ celebravit, multa contra dignitatem Prælatorum, & consuetudines Ecclesiarum statuisse. Cumque tandem apud Bituricas se sen-

sensissent gravari, interposuisse appellationem. Quod A in appendice Roberti Monachi in Chronico sancti Adriani expressius describitur, dum ait auctor eumdem Robertum, cùm jam per biennium ob negotium Crucis Franciam peragrasset, & propter temeritatem suam omnibus se fecisset exosum, demum apud Bituricas Concilium convocasse: tuncque Episcopos Franciæ appellasse, viri improbi impetum formidantes, quem postea Romæ in generali Concilio vehementissimè reddidere confusum, adeò quòd Innocentius Papa multiplices dicti Cardinalis excessus à prælatis Franciæ ipsi petierit relaxari. Nesciebat hic Angelus cum Clero docili quidem, sed libero, & injuriarum impatiente sibi rem esse: Atque ideo meruit exuberantis inconsiderantiæ suæ ab ipso summo Ecclesiæ judice, cujus est jus suum cuique reddere, acriter B argui: cum esset alioqui literis, & eruditione insignis, qui præclara edidit Theologica scripta.

Nota, *Itemq; ne bini jacerent in lecto propter metum incontinentiæ*. Decretum istud haud satis laudari posset, mihique revocat in memoriam libellum quemdam à pio Presbytero Gallicè editum anno 1643. & à tribus doctoribus præter me approbatum cum hoc titulo: *Monitum Christianum super materia magni momenti*: in quo quidem libello totus est author, ut persuadeat dissitos lectos tàm divitibus, quàm pauperibus, etiam pro personis ejusdem sexus propter innumera peccata, quæ exindè oriuntur. Unde & factum, ut Episcopus Genevensis beatus Franciscus Salesius id maximè consulat lib. 2. Epist 1. nec non sanctus Carolus Borromæus (in cujus die festo hæc nunc scribo) in libro, C cui titulus est: *Formula vitæ Christianæ*; Et sanè si plures divites in alienorum miseriis sublevandis satis aliquando liberales sunt, non est, quod parciores existant in aliquibus expensis mediocribus, quæ necessariæ sunt, ut nati, servique in stratis separatis dormiant, maxime cùm summæ ingentes pecuniarum in vanis, inutilibus, & superfluis pompis quotidiè à multis expendantur. Sed & si oppressio parvulorum per incuriam inter peccata reservata censetur, sæpèque monent Pastores, ut parvuli propè grandævos, aut grandævas in eodem thalamo non recubent propter metum suffocationis, & jacturæ vitæ temporalis: quanto magis providendum est, ut multi Christiani ætate provecti, meritique, ac demeriti capaces vitam spiritualem non amittant, defectu sejunctorum stratorum pro quiete nocturna? Neque verò malum tantum hìc sistit, ut committantur aliqua mollitiei peccata, sed inde emanant D cætera juventutis non castæ vitia, & pessimæ habitudines, quæ cum tempore, objecto dumtaxat peccati mutato, in fornicationes, in adulteria, incestus aliaque peccata libidinis degenerant, propter quæ Deus in plerosque irascitur, & specialioribus gratiæ auxiliis destituit, unde brevi patet aditus ad barathrum miseriarum infinitarum: ut taceam multos, multasque in juventute reformidare hæc peccata turpia confessariis pandere, quorum reticentia absolutiones nullæ sunt, & communiones subsequentes sacrilegæ. Qua de re legendus Gerson tract. de Cõfessione peccati mollitiei tomo secundo. Quantum autem attinet ad pauperes, quibus difficiles sunt impensæ plurium lectorum ob rei domesticæ penuriam, considerent summum malum non esse paupertatem, sed peccatum, jactent cogitatum suum in Dominum, ejusque provi- E dentiam, *Quærant primum regnum Dei, & justitiam ejus*, nec ita sint solliciti: *dicentes, quid manducabimus, aut quo operiemur?* Quod si propter nonnullas impensas amovendæ occasionis peccatorum causa ad graviorem pauperiem reducantur, proponant sibi ob oculos, ut eam levius ferant, Christi Domini paupertatis exemplum, quæ tanta erat, ut de se diceret: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*. Forsitan hoc exemplo commovebuntur, ut non dedignentur sortem subire plurimorum religiosorum, qui cum natalitiis sint insignes, & ex familia prædivite oriundi, non in culcitra plumea, sed in stramine duro decumbunt, præter alias austerioris vitæ, quam profitentur, mortificationes, quibus tamen omnibus non impediuntur, quo minus vitam in sanitate bona, sanctaque lætitia transigant. Tandem monet author istius libelli patres familias, ut saltem consulant peritos confessarios, ad quid in ista re Charitas Christi urgere debeat, ut multis domesticorum peccatis occurrant, quibus ira Dei accenditur, eosque verbis Apostoli stimulat. 2. Cor. 5. *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*.

Pueri ne in eodem lecto dormiant.

CONCILIUM APUD MELODUNUM,

Tempore Innocentii III. & Philippi Augusti, propter Excommunicationem in hunc latam per Summum Pontificem, Anno Christi 1216.

OCcasio hujus Concilii fuit Rebellio Anglorum contra proprium Regem Joannem; illum enim, habitis primum frequentibus Comitiis, Regno spoliaverant propter multitudinem vectigalium, quibus opprimebantur, ac Ludovicum Philippi Augusti filium ad Sceptrum Angliæ evocaverant, permittente patre, ut filius in Angliam transmitteret, frustra renitente Galone Legato Innocentii tertii stantis à partibus Regis Joannis. Quare Papa Innocentius Petro Archiepiscopo Senonensi committit, ut Philippum Regem excommunicatum denuntiaret, ac Regnum Galliæ interdicto supponeret. Hac de causa synodus apud Melodunum congregata est, in qua primates Regni declaraverunt, se Regem pro excommunicato non habituros, nisi manifestius de Papæ voluntate certiores fierent. Præsertim cùm Rex nullum filio impenderet consilium, aut auxilium. Quare Papa Honorius Innocentii successor, innocentiæ Philippi Regis luculentum dedit testimonium, anno sequenti, revocans quæcumque statuta fuissent contra eum, ejusque Regnum ob invasionem Angliæ contra prohibitionem Sedis Apostolicæ. Hæc partim apud Spondanum Ann. 1216. partim apud rerum Gallicarum conscriptores. Ratio autem, cur tantum faveret partibus Joannis Regis Angliæ Innocentius, attingitur à Matthæo Paris in illius Regis vita, quod scilicet regnum Angliæ Innocentio resignaverat, eique homagium de illo fecerat, ut supremum dominium penes Papam esset. Quod futurum paulò ante illi predixerat quidam Petrus Heremita publicè asserens, quod non foret Rex in die Dominicæ ascensionis proximè sequentis, nec deinceps, sed die illa coronam Angliæ ad alium transferri prædixerat. Qua de causa prædictus heremita arctæ custodiæ traditus fuit, ut puniretur post diem illam, si Rex adhuc regnaret. Quod ita accidit, tunc enim jussit Joannes illum caudis equorum primo alligatum, ac per plateas raptum, patibulo cum proprio filio suspendi, multis conquerentibus, quod tàm crudeli morte puniretur pro assertione veritatis. Cùm enim supremum Regni sui dominium Papæ cessisset, heremita mendacium non dixerat, Hac autem de causa cùm Primogenitus Regis Galliæ Regnum Angliæ invaderet, in eoque à primatibus pro Rege admitteretur, pater ejus Philippus Augustus excommunicationis fulmine ab Innocentio ictus est. Quam tàmen excommunicationem proceres regni Gallici noluerunt citò admittere, quod & idem fecerunt Regni Angli Primates, in quos propter idem negotium interdicti fulmen jaculatus fuerat idem Pontifex. Scilicet inquit Papyrius; Massonus in Philippo Augusto. hæc

Angli ... gem exp... lunt.

Prophe... cujusda... Petri ...

hæc pœna, olim, quia raro infligebatur, pungentes aculeos in mortalium animis relinquebat: ex quo autem Romani Pontifices dirarum prodigi fuere, minus virium habuit: nec mirum, siquidem rara admirari, & quotidiana despicere humanum est. Excommunicationis sententia (inquit alius) vires ex justitia sumit, qua destituta languet, & moritur. Quibus opponitur Magni Gregorii dictum XI. quæst. 3. can. *Sententia*, Sententia Pastoris sive justa, sive injusta, tenenda est. Sed harum controversiarum discussio modò inutilis.

CONCILIUM
APUD TOLOSAM

Contra hæreticos Albigenses tempore Gregorii noni, & sancti Ludovici Regis, Anno 1228. Petro de Collomedio præside Legato Ecclesiæ Romanæ Cardinali Tituli sancti Angeli.

De hoc Concilio ita Spondanus. Romanus Legatus Conventum Antistitum, & Procerum provinciarum Aquitaniæ, & Narbonensis Tolosæ celebravit mense Novembri ejusdem proximi anni, cui interfuerunt Archiepiscopi Narbonensis, Burdigalensis, & Auxitanensis, ac Comes ipse Tolosanus: ubi rursum confirmata fuere, quæ Parisiis gesta fuerant. Ejus Acta nos vidimus beneficio Eminentissimi Cardinalis Filonardi quondam Vicelegati Avenionensis: quibus præfatur Romanus; Licèt à diversis Apostolicæ sedis Legatis diversa emanassent instituta contra hæreticos, credentes, fautores hæreticorum, & super pace conservanda in Tolosana Diœcesi, & Narbonensi provincia, & circumjacentibus Diœcesibus, ac terris vicinis, & super aliis, quæ ad bonum statum terræ pertinebant: se tamen attendentem terras prędictas post longæ, ac miserabilis turbationis discrimen, quasi miraculosa pace de assensu, & voluntate Majorum gaudere; ordinandum duxisse, & statuendum de Concilio Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum, & Baronum, & militum, quę ad purgationem hæreticæ pravitatis, conservationem pacis, necnon & terræ quasi neophytę nosset expedire. Sunt autem sexdecim capita valdè severa de modis detegendi, inquirendi, & puniendi hæreticos; conversiones, & abjurationes eorum recipiendi, pœnitentiasque imponendi, denique de pœnis eorum, qui negligentes forent in iis persequendis. Sicque instituta est generatim ab eo Inquisitio Tolosę contra hæreticos: Quæ posteà (ut dicetur) tributa est speciatim Dominicanis. Post quæ idem legatus Tolosa recedens, aliud rursum Concilium Antistitum celebravit apud civitatem Auraicam; quo pœnitentias contra suspectos de hæresi constituit, & Episcopo Tolosano publicandas transmisit. Atque hactenus de rebus ea legatione per Romanum Cardinalem summa diligentia, & utilitate regionis, ac regni gestis.

Decreta hujus Concilii, quæ in priori editione mutila dederamus ex versione Arnaldi Sorbini, nunc magis integra exhibemus ex to. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii, qui exemplaria magis sana nactus est.

Hæc sunt statuta Concilii Tolosanensis.

Licèt à diversis Apostolicæ Sedis Legatis diversa emanaverint instituta contra Hæreticos, credentes, receptatores, & fautores eorum; & super pace conservanda in Tolosana diœcesi, & Provincia Narbonensi, & earum adjacentibus diœcesibus, & terris vicinis, & super aliis, quæ ad bonum statum terrę pertinere noscuntur: Nos tamen attendentes terras prędictas post longæ, ac miserabilis turbationis discrimina, nunc quasi miraculosè pace de assensu, & voluntate majorum gaudere, ordinandum duximus,
A & statuendum de consilio Archiepiscoporum, & Prælatorum, Baronum, & Militum, quæ ad purgationem hæreticę pravitatis, conservationem pacis, necnon & terrę quasi neophytę novimus expedire.

Statuimus itaque, ut Archiepiscopi, & Episcopi in singulis parochiis tàm in civitatibus, quàm extra, *Edicta in hæreticos*.
Sacerdotem unum, & duos, vel tres laicos bonæ opinionis, vel plures etiam, si opus fuerit, juramenti religione constringant, quod diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in eisdem parochiis, domos singulas, & cameras subterraneas aliqua suspicione notabiles perscrutando, & si appensa, seu adjuncta in ipsis tectis ædificia, seu quęcumque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus, & perquirendo repererint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, seu defensores eorum, adhibita cautela, ne fu-
B gere possint, Archiepiscopo, vel Episcopo, dominis locorum, seu Ballivis eorumdem cum omni festinantia studeant intimare, vel animadversione debita puniantur.

Hoc idem faciant Abbates in locis suis, qui non sunt Ordinariis jure diœcesano subjecti.

Solliciti etiam sint Domini terrarum circa inquisitionem hæreticorum, in villis, domibus, & nemoribus faciendam, & circa hujusmodi appensa, adjuncta, seu subterranea latibula destruenda.

Statuimus etiam, ut, quicumque in terra sua de cætero permittet scienter morari hæreticum, sive propter pecuniam, sive propter aliam quamcumque causam, & fuerit inde confessus, aut convictus, amittat in perpetuum totam terram suam; & corpus suum sit in ma-
C nu Domini ad faciendum inde, quod debebit. Si autem de scientia convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia dissoluta, vel frequenter in terra sua inveniantur hæretici, vel super hoc sit diffamatus, pœnis legitimis puniatur. Illam domum, in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus, sive ipse fundus confiscetur. Baillivus verò, qui semper est residens in loco, contra quem præsumitur, nisi contra hæreticos, valdè sollicitus inveniatur, & diligens, bona sua amittat, & de cætero nec ibi, nec alibi constituatur.

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut cuilibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur, statuimus, ne aliquis credens, vel hæreticus puniatur, nisi per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ potestatem habeat, dum
D fuerit credens, vel hæreticus judicatus.

Statuimus etiam, ut quilibet in terra alterius possit inquirere, & capere hæreticos, & Ballivi locorum teneantur eis præstare auxilium, & favorem; ita quod Ballivi Regis in terra Comitis Tolosani, & aliorum hoc facere possint; Comes Tolosanus, & alii in terra Regis similiter.

Item statuimus, quod si aliqui hæretici, veteri hæresi sponte dimissa, fuerint ad Catholicam fidem reversi, suum recognoscentes errorem, non remaneant in villa, in qua fuerant conversati, si villa suspecta de hæresi habeatur, sed collocentur in villa Catholica, quæ nulla sit hæresis suspicione notata; in detestatione quoque veteris erroris duas cruces portent de cętero ante-
E rius prominentes alterius coloris, quàm sit vestis eorum, unam à dextris, & aliam à sinistris, nec per cruces aliquis excusetur, nisi habeat Episcopi sui litteras testimoniales de reconciliatione ipsius, nec de cætero talibus officia publica committantur; nec ad actus legitimos admittantur, nisi per dominum Papam, vel Legatum ab ejus latere destinatum, fuerint in integrum restituti, injuncta sibi pœnitentia competenti.

Hæretici autem, qui timore mortis, vel aliqua quacumque causa, dummodo non sponte, redierint ad Catholicam unitatem, ad agendam pœnitentiam per Episcopum loci in muro cum tali includantur cautela, quod facultatem non habeant alios corrumpendi;

dis quibus ab illis, qui bona eorum tenuerint, provideatur in necessariis secundum dispositionem Prælati. Si verò bona non habuerint, universi tàm mares, quàm fœminæ; masculi à decimo quarto anno, & supra, mulieres à decimo secundo abjurent omnem hæresim extollentem se adversus sanctam, & Catholicam Ecclesiam, & fidem orthodoxam quibuscumque nominibus censeantur.

Jurent etiam, quod fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia tenet, & prædicat, conservabunt, & hæreticos pro viribus persequentur, & eos bona fide intimabunt, & manifestabunt. Nomina autem omnium virorum, ac mulierum in qualibet parochia conscribantur: & omnes coram Episcopo, vel coram bonis, quibus demandaverit, præstent juramentum præmissum: & si aliquis absens fuerit, & post reditum infra quindecim dies idem juramentum non præstiterit, quod ex B inspectione hominum poterit apparere, suspectus de hæresi habeatur. Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur.

Omnes autem utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, confessionem peccatorum faciant ter in anno proprio sacerdoti, vel alii de voluntate ipsius, & mandato, injunctam sibi pœnitentiam humiliter impleturi pro viribus suis; & ter in anno, in *Trina cõmunio per annum.* Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, Sacramentum Eucharistiæ cum omni reverentia suscepturi: ita quod confessio Communionem præcedat, nisi fortè ob aliquam causam rationabilem ad tempus ab ejus perceptione abstinuerint de consilio proprii sacerdotis. Solliciti itaque sint Presbyteri circa ista, ut ex nominum inspectione cognoscant (sicut superius est expressum) utrum sint aliqui, qui communicare subterfugiant; nam si qui à communione, nisi de consilio proprii sacerdotis abstinuerint, suspecti de hæresi habeantur.

Biblia translatio in vulgari. Prohibemus etiam, ne libros Veteris, & Novi Testamenti laici permittantur habere, nisi forte Psalterium, aut Breviarium pro divinis Officiis, ac horas beatæ Virginis aliquis ex devotione habere velit; sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos.

Statuimus, quod quicumque fuerint de hæresi, infamia, vel suspicione notati, officio medici de cætero non utantur.

Cumque aliquem infirmum de manu sui Presbyteri sacram Communionem contigerit recepisse, adhibeatur ei diligens custodia usque in diem obitus, vel convalentiæ, ne hæreticus, aut de hæresi suspectus ad ipsum infirmum habere possit accessum; cum ex accessu talium intellexerimus nefanda, & enormia contigisse.

Cùm verò aliquis voluerit condere testamentum, hoc faciat sub testimonio sui Presbyteri, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, si proprius non possit haberi sacerdos, adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hoc voluerit accersere: & testamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicujus sint momenti.

Inhibemus etiam, ne Prælati, Barones, Milites, seu quicumque Domini terrarum, hæreticis, vel credentibus eorum, Ballivas, seu administrationes terrarum suarum committant; sed nec eos, aut etiam aliquos infamatos de hæresi, vel quos credant de hoc esse suspectos, in sua familia, vel suo consilio, habere, vel retinere præsumant. Illos autem debent pro infamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel quorum de diffamatione apud bonos, & graves coram Episcopo loci legitimè etiam constiterit constitisse.

Omnia privilegia Ecclesiarum, & libertates earum, & religiosarum domorum, inviolabiliter præcipimus custodiri. Universi etiam de bonis, & proventibus suis, non deductis expensis, Ecclesiis integrè decimas, & primitias solvere teneantur, præscriptione, A seu consuetudine aliqua non obstante: nec quascumque exactiones laici exigere, vel extorquere præsumant.

Clerici talliis munes Clerici quoque non talliabuntur occasione etiam hereditatis, etiam si per successionem eis obvenerit, nisi sint mercatores, vel uxorati. Sed si per successionem hereditariam aliqua possessio feudalis, seu etiam censualis, ad eorum manus devenerit, pensiones, & onera ipsi in posterum annexa solvere teneantur, aliàs à talliis, & aliis exactionibus omnino liberi sint, & immunes. Item præcipimus, quod clerici, & etiam religiosi, & quilibet peregrini, & milites cum rebus ipsorum immunes sint ab omni pedagio, nisi fuerint mercatores: sed nec ab ipsis, aut quibuscumque aliis personis, pedagia, quidagia, seu alias exactiones quascumque laici exigere, vel extorquere præsumant, nisi ea, quæ ab antiqua Regum, vel Imperatorum, vel Principum concessione probaverint esse concessa, vel ex antiqua consuetudine introducta: quod si adquiescere noluerint, per diœcesanum loci censura, qua convenit, desistere compellantur.

Hi autem, qui pedagia recipiunt taliter in districtu suo stratas studeant custodire, quod damnum aliquod transeuntes non sentiant, vel violentiam aliquorum, & si fortè aliqui in districtu eorum damnum incurrerint, dummodo non sit guerra communis, & de die viatores incedant, ipsi ad damni restitutionem integrè teneantur, ad hoc per superiorem etiam, si necesse fuerit, compellendi.

C Homines autem Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum virorum, laici talliare, vel in eos exactiones aliquas facere non præsumant; nisi fortè ab eis aliquas possessiones habere noscantur, & tunc etiam temperatè id faciant, considerato nihilominus possessionum, quas ab eis tenent, valore: Ecclesiæ autem, & viri Ecclesiastici eodem jure uti possunt circa homines laicorum.

Si quis autem quemcumque clericum, etiam si tantum primam tonsuram habuerit, pro quocumque crimine, vel aliqua qualibet causa captum detinuerit, hoc insinuet statim Presbytero loci, vel per eum significetur Episcopo, & requisitus ab Episcopo, vel Archidiacono, seu mandato, ipsum captum clericum sine dilatione restituat, & per eum secundum juris exigentiam ju- D dicetur. Quod si facere distulerit, denuntietur excommunicatus, & per superiorem Dominum ipsum restituere compellatur.

Item statuimus, ut parochiani, Dominus, & domina cujuslibet domus, & dominicis, & festivis diebus, in quibus ab operibus est cessandum, teneantur ad Ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro divinum officium, & prædicationem, nec recessuri inde, donec Missa compleatur omnino; quod si alter illorum absens fuerit extra villam, vel aliqua causa rationabili præpeditus, alter saltem teneatur venire: quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, nulla infirmitate, seu aliqua rationabili causa detenti, duodecim denarios Turonenses solvere quilibet teneatur; quorum medietas E sit Domini villæ, & alia medietas sacerdotis, & Ecclesiæ. Sabbato etiam circa vesperas ob reverentiam Beatæ Virginis Ecclesias suas cum devotione visitare procurent.

Qui di festi per annum Dies autem festivos dicimus, sicut in Canonibus continetur, Natale Domini, sancti Stephani, S. Joannis Euangelistæ, Innocentium, & S. Silvestri, Circumcisionem Domini, Epiphaniam, Purificationem, Annunciationem, Assumptionem, & Nativitatem Beatæ Virginis; sanctum diem Paschæ cum duobus sequentibus diebus; item Rogationes tribus diebus; diem Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Inventionem, & Exaltationem sanctæ Crucis, Natale S. Joannis Baptistæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Laurentii, S. Martini, S. Nicolai, dedicationem S. Michaelis, dedicationem cujuscumque Ora-

Oratorii, & festivitatem cujuslibet Sancti, in cujus honore constructa est Ecclesia: Item omnem diem dominicam. In his itaque diebus secundum Canones, & antiquam consuetudinem est ab omni opere feriandum, & etiam in aliis festivitatibus pro locorum variis consuetudinibus, prout Prælatus induxerit. Hujusmodi autem festivitates debent sacerdotes populo suo annuntiare quolibet die Dominico in Missa.

De pace statuimus, & præcipimus, quod omnes à decimo, & quarto anno, & supra, jurent servare pacem: & si quis monitus à diœcesano, vel per litteras, vel per nuntium ejus, infra quindecim dies jurare noluerit, ad id cogatur per censuram Ecclesiasticam, & ipse sit extra pacem, & homines sui, si ei fuerint: nec aliquis, qui sit in pace, teneatur ei in aliquo respondere, ipse autem de conquerentibus respondere cogatur. Illud autem juramentum de conservatione pacis de triennio in triennium renovetur.

Si aliquis pacem fregerit, vel moverit guerram, nisi monitus infra quindecim dies emendam, & damna refundat, excommunicetur, & extra pacem sit, & tota terra faciat ei, & toti terræ suæ guerram, & expugnetur, sive in castro, sive in civitate, sive in nemore; & homines sui similiter, nisi ipsum cum aliis impugnaverint, non obstante fidelitate, quam ei primò fecerant. Circa locum etiam, in quo se receptaverit, fiant stabilitates militum, & peditum, ut nec nocere possit aliis, nec alii sibi prodesse: nec recipiatur ad pacem, donec emendet, & resarciat omnes expensas, & damna.

Si verò capiatur, publicentur bona ipsius; & is, qui bona ejus habuerit, pro valore eorumdem bonorum damnum restituat, & de persona ipsius faciat Dominus superior, quod debebit. Si quis autem illi auxilium dederit, consilium, vel favorem, vel ipsum receptaverit cum præda, vel etiam sine præda, nisi monitus infra diem sibi præfixam emendaverit, pœna simili puniatur. Consanguinei etiam parentes ipsius teneantur jurare, quod ei non præstabunt auxilium, vel favorem, sed ei, sicut & alii, facient vivam guerram: quod si facere recusaverint, in manu domini sint ipsi, & bona ipsorum. Si movens guerram, vel pacis violator ad mandatum redire noluerit, firmantia, vel sacramentum solum non recipiatur ab ipso, sed pignora, vel obsides, vel persona propria in bona custodia teneatur, donec emendaverit competenter. Si verò aliqua sint castra vicina illi, qui pacem fregerit, si illi, qui sacramentum pacis procurant, ea munire voluerint contra illum, sine difficultate tradantur, & ipsi guerra finita in eodem statu dominis ea restituere teneantur, donec emendaverit competenter. Hoc idem de castris paciariis erit observandum.

Item si is, qui guerram movet, damnum intulerit, vel prædam abduxerit, villæ, vel castra, per quorum territorium fecerit transitum, damna restituant, nisi pro posse eum arrestaverint, & prædam defenderint, vel clamaverint, & insecuti fuerint bona fide. Si autem de præda hujusmodi scienter emerit quis, ei, cujus est præda, sine pretio restituat, & tantumdem Domino pro emenda solvat.

Si vassalli, vel homines rebellaverint, vel insurgere attentaverint contra dominos, pax assistat dominis contra eos.

Item statuimus, ut aliquis amicitiam, familiaritatem, vel treugas non habeat cum faiditis, † vel aliis, qui guerram moverint: de bonis suis expensas faciat contra illos, & damna data restituat, aliàs ad utilitatem Domini. Nullus etiam latrones, ruptariosve, † vel lachinones † recipiat, sed ab omnibus abjiciantur; & si quis eos tenuerit, damna per illos illata restituat ad vocem simplicem conquerentis, & pacis reputetur infractor. Præcipimus etiam, quod quando aliquis guerram moverit, fiat contra eum sacramentum de novo, quod qui præstare noluerit, fractor pacis reputetur: modò etiam expressè fiat sacramentum contra inimicos fidei, atque pacis, videlicet Guilliel-

mum, dictum Dominum de petrâ pertusa, Gauserandum du..... qui tenet Podium Laurentium, Raymundum de Mort, & excommunicentur, & perpetuò sint exhæredati, nec absolvi possint à sententia, nisi per sedem Apostolicam, vel Legatum de ejus latere destinatum.

Inhibemus etiam, ut Barones, Castellani, Milites, Cives, vel Burgenses, seu etiam rurales conjurationes, colligationes confratrias, seu alias quascumque obligationes, fide, vel juramento, seu qualibet alia firmantia, interpositis, facere non præsumant, quod si fecerint, Baro in centum libris currentis monetæ puniatur: Castellanus in sexaginta, Miles in quadraginta, Civis vel Burgensis in viginti, & rurales in centum solidis. Si quæ verò conjurationes, vel colligationes usque nunc factæ sunt, eas decernimus irritas, & inanes; statuentes, ut omnes abjurare teneantur easdem.

Item nullus Castrum, vel villam furetur, de his maximè, quæ ab Ecclesia tenentur, & Rege; quod qui fecerit, excommunicetur, & bona ipsius omnia publicentur; & ipse infamis perpetuò habeatur; nec à sententia possit absolvi, nisi per Dominum Papam, vel Legatum de ipsius latere destinatum. Mittatur etiam ultra mare, ad terram propriam nullatenus reversurus.

Item statuimus, quod nullus aliqua occasione alicujus bona per vim capiat, vel pignoret, nec vassallum, nec rem vassalli pro domino capiat; sed si aliquid sibi debere credit, illud per judices repetat. Si autem contra hæc aliquis fecerit, tamquam fractor pacis habeatur, & jus, quod habebat, amittat: Si verò nullum jus habuerit, res pignoratas, & etiam æstimationem earum restituat, & in utroque casu, videlicet si jus habeat, vel non habeat, tantumdem Domino pro emenda persolvat.

Pro pace quoque melius conservanda: statuimus, quod castra non ædificentur de novo occasione Bovarios, vel contra eam alia ratione, nec munitiones directæ reædificentur. Mulieres quoque viduæ, & mulieres hæredes nobiles, quæ munitiones habent, vel castra, inimicis fidei, & pacis scienter non nubant; quod si fecerint, castra ipsa, & munitiones à terrarum dominis occupentur, ad hæredes tamen ipsarum legitimè reversura.

Nullus omninò judex occasione expensarum, seu prætextu alicujus consuetudinis, pro justitia exhibenda aliquid à litigantibus exigere, vel extorquere præsumat, sed gratis omnibus justitia exhibeatur, postpositis gratia, odio, vel timore. Si autem aliqui pauperes sint, qui præ paupertate Advocatum habere non possint, det ipsis Curia Advocatum, si causa indigeat Advocato.

Hæc autem statuta supradicta præcipimus per parochiales Presbyteros diligenter exponi quater in anno, in Dominicis videlicet diebus, quæ jejunia quatuor temporum subsequuntur.

CONCILIUM
SAN QUINTINIANUM,

Sub Henrico de Branna Archiepiscopo Rhemensi, tempore Gregorii IX. & S. Ludovici Regis in causa Episcopi Beluacensis ann. 1231. & apud Laudunum ann. 1232. in eadem causa.

Ita de his Spondanus anno 1231. Celebratum est Concilium Provinciæ Rhemensis apud sanctum Quintinum Veromanduæ ab Henrico de Branna Archiepiscopo in causa Episcopi Beluacensis, cujus jura Rex Ludovicus, seu ejus ministri usurpaverant,

rant, & damna non pauca tàm ipsi, quàm incolis Belvacensibus intulerant; pro quo patres Concilii nonnullos Episcopos ad regem destinarunt rogatum, ut Episcopum in integrum restitueret. Qui rursum anno sequenti Lauduni convenientes sub eodem Henrico Metropolitano, eadem de re legarunt ad regem Gothofridum Episcopum Laudunensem, alterum Gothofridum Cameracensem, Azonem Atrebatensem. Cumque nihil obtinuissent, decreta inter Episcopos in synodo facta de interdicto ponendo in singulis Diœcesibus, ita ut cessaretur ubique à divinis: recusarunt illud admittere nonnulla capitula Cathedralia. Qua de re iis gratias egit Rex Ludovicus anno 1233. cùm nihil se in his gessisse diceret, quod Episcopos inducere potuisset ad ejusmodi interdictum.

Ipsi verò interim Episcopi rursus apud sanctum Quintinum collecti eodem anno 1233. Sabbato post Nativitatem beatæ Mariæ promiserunt inter se, & sese (ut loquuntur acta) obligaverunt pro honore Dei, & Ecclesiarum libertatibus conservandis ad hoc, quod irent omnes Romam in propriis personis, si Archiepiscopo videretur expedire, vel illi, quos ad hoc elegerunt, vel ipsemet Archiepiscopus, si Episcopis expeditius videretur; & qui irent, expensas facerent de communi omnium. Cæterum, quod spectat ad Capitula, quæ Synodi decretis se opposuerant, idcircò id factum est, quod vocata non fuerint. Sed Capitula, inquit Doctor Hemeræus, in Augusta Veromanduorum suis Episcopis obmurmuravere: Questa se ad Synodos non vocata, palamque vociferata nullius authoritatis, & virium futuras sanctiones, quas de cessatione divinorum per Rhemensem Provinciam promulgandas, ne quidem monitis Capitulis Episcopi statuissent. Eaque in obnuntiatione palma constantis, & imperterriti animi, vel etiam ad Episcoporum minas Magistro Simoni de Arceio decano Ambianensi tributa est. Hac occasione captata, rescripsit Ludovicus ad eadem Capitula de interdicto non admittendo.

ANNOTATIO.

Quis fuerit iste Episcopus Beluacensis, & cujus damni occasione Concilium istud fuerit Sancti Quintini incœptum, Lauduni continuatum, & completum, ubi primò fuerat inchoatum, possumus utcumque discere ex Vincentio Beluacensi lib. 30. spec. Histor. c. 137. cujus verba lucem aliquam afferunt huic Historiæ, quamvis mendum aliquod in anni computatione irrepsisse (quod satis familiare est Historicis minus accuratis) non sine ratione aliquis suspicari possit. Sunt autem hæc ejus verba.

Anno Domini MCCXXXIII. facta est dissensio inter Burgenses, Beluacenses, minoribus insurgentibus contra majores. Unde plures ex minoribus capti, & per diversa regni loca carceribus mancipati, ad ultimum verò multa pecuniæ summa redempti, *namque Milo ejusdem urbis Episcopus, tamquam faveret minoribus, in hoc facto suspectus habebatur*. Rex autem Ludovicus, tamquam superior judex, manum ultricem adhibuit, & ob hoc Episcopatus pluribus annis sub interdicto fuit. Milo verò præfatus Episcopus Romam proficiscens in itinere obiit. Sed & ejus successor Gaufridus, eidem causæ contra regem insistens, dies paucos malos, idest afflictione plenos, in Episcopatu peregit, cui succedens Robertus pacem cum Rege fecit, & sic ab interdicto Diœcesim absolvit.

Ex quibus colligas seditionem Bellovaci exortam fuisse, in qua plurimi occisi sunt, Episcopo Milone suspecto de seditionis ipsius crimine. Quare Rex Ludovicus positus in vindictam malorum, & laudem bonorum, reos punivit. Cùm verò Milo præfatus existimaret sibi, juribusque suis derogatum fuisse à commissariis Regiis, totius Provinciæ Episcopos cum Archiepiscopo commovit.

De his agit paulò fusius in Augusta Veromanduorum Hemeræus ad annum 1231. & sequentes. Et, quod spectat ad primum Concilium San Quintinianum ann. 1231. celebratum, notat, priusquam ad Regem deputatos mitteret, constituisse, ut qui libertates Ecclesiæ labefecissent, primum monerentur de restituendo damno, & si ipsi contemptim obsurduissent, restitissentve, excommunicatione percellerentur, procederetque ratio ista monendi, & excommunicandi per gradus, eousque, quoad ventum esset ad personas Regum, & principum: quæ si nec satisfecissent vexati præsulis petitioni intra 40. dies, interdicti per Diœcesim suam publicandi facultas vexato præsuli Concilii authoritate concederetur: & eo ad Episcopos rescribente de interdicto per Episcopium suum promulgata, simili quoque cessatione res sacras per suas illi Diœceses suspenderent. Prius tamen vel Episcopi, vel ipse Rhemorum Archiflamen Regem ad procurandam reparationem jacturarum, quas tulisset Milo de Nantolio Bellovac. Præsul, altera postulatione, supplicationeque adhortaretur.

CONCILIUM

apud SAN QUINTINIANUM,

Propter querelas Capitulorum, celebratum anno 1232. sub Henrico de Branna, tempore Gregorii IX. & Ludovici IX. Regis Galliarum.

De hoc Concilio ita Hemeræus rerum, quæ Veromanduorum Augustam spectant, solers indagator.

Factumque est, ut querimoniæ Capitulorum augescentes, materiam præbuerint quarto Concilio San Quintini congregando, ad diem Dominicam, ante Natalem Domini ejusdem anni. Cujus auctoritati, ut nemo in posterum adversaretur, visum est ad illud quoque Capitula Cathedralium Ecclesiarum evocanda. Ista autem Synodo, suadente eodem Decano; Simone de Arceio Decano Ambianensi, revocatum interdictum est, cui Provinciam Rhemensem Episcopi Capitulis inconsultis subdidissent. Conclusumque nihil deinceps ab Episcopis statui, decernique posse sine consensu Capitulorum eorumdem. Haberique eam ob causam irritas Sanctiones præcedentium Synodorum, quas nullo suo suffragio Capitula probavissent. His indignatum, frementemque Milonem, Petrus de Collemedio præpositus Audomarensis flexit oratione. Et eundem appellantem, atque adeuntem Romanam Sedem, mors exolvit difficillimæ, & periculosissimæ controversiæ pedicis, & tricis. Fuit autem iste Petrus vir magni nominis, primò Legatus Summi Pontificis contra Albigenses: electus deinde in Archiepiscopum Rothomagensem, recusavit, quoad usque per literas mandasset illi Summus Pontifex in virtute sanctæ Obedientiæ, ut acceptaret.

Cæterum si Patres Provinciæ Rhemensis in hac Synodo San Quintiniana hujusmodi Decretum in favorem Canonicorum sancierunt, tamen Decreto ipsi posteà non steterunt, celebrantes aliqua Concilia, non evocatis Capitulis, ne talis evocatio præjudicium suæ authoritati afferret, cùm illam prætenderent esse necessariam, & de jure sibi debitam, non tantùm ex privilegio, & ex quadam decentia, & honestate, ut res suavius peragerentur.

Capitula tamen ægrè ferentia repulsam ab ingressu Conciliorum decreverunt ipsi mittere suos procuratores viros selectissimos San Quintinum, opportunissimam Civitatem, & quæ tunc veluti umbilicus totius Provinciæ Rhemensis magis extensæ, quàm nunc sit, videbatur, ubi Capitula Generalia habuerunt, multaque utilissima decreverunt, quæ Canonici jurabant

rabant in admissione sua se sanctissimè servaturos. Sæpeque repetita sunt hujusmodi Capitula, Concilia ipsi vocabant, ab anno 1331. quo primum celebratum fuit in Æde Fratrum Dominicanorum, ad ann. 1415. quo propter bella Burgundica desierunt. Hemeræus ad annum 1331.

Controversia de auctoritate Capitulorum in Synodis.

VEtusta est disputatio, an necessario, & ex jure Cathedralia Capitula debeant vocari ad Concilia Provincialia. Etenim, quod non debeant vocari, ex eo videtur inferri posse, quod in judicio Synodorum soli Episcopi judicant, subscribunt, & sententias ferunt, non simplices Presbyteri, sive Parochiarum Pastores, sive Doctores Theologi existant. Quam ob causam in Concilio Chalcedonensi cum Clerici inferiores se immiscerent, à Patribus clamatum est: *Synodus Episcoporum est, non Clericorum, superfluos foras mitte*, Act. 1. Et rursum Act. quinta ejusdem Concilii narratur, quod quidam Presbyter in Concilio Constantinopolitano, sub Leone Imperatore, Præsidente Flaviano, rogatus à Dioscoro hæretico, ut subscriberet, respondit: *Non est meum subscribere, Episcoporum tantùm est.* Accedit, quod sit officii, & jurisdictionis Episcopalis docere, & Euangelium prædicare: Sacerdos autem id tantùm habet authoritate ab Episcopo accepta: Quare, si alii Ecclesiastici ordinis ab Episcopis Concilio intersint, adsunt tantùm, ut consultores, non ut judices, & vocem habentes deliberativam, non definitivam. Sed & Bellarm. notat lib. 2. de Conciliis, & Ecclesia, quatuor ob causas aliquos Conciliis interesse posse: quosdam, ut judices, qui res definiant: alios, ut Doctores, qui difficultates examinent, & consilium dent: alios, ut ministrent, quales sunt plures Conciliorum officiarii: alios denique, ut locum securum reddant, & Episcopos tueantur, ac protegant, quales sunt Principes, & Milites. At Capitula, seu eorum deputati propter nullas ex his causis necessariò debent interesse Synodis Provincialibus, ut satis patet singula discutienti: neque verò, ut approbent Decreta, cùm id sit Summi Pontificis, & aliunde maximè ex hinc coarctaretur potestas Episcoporum, quibus aut æquivalerent, aut prævalerent numero suffragiorum Capitula.

At verò aliter nonnulli existimant, multasque pro sua sententia authoritates allegant. 1. Mota ea de re controversia in Provincia Senonensi, Innocentius III. de his, quæ fiunt, cap. *Etsi membra*, rescribit ad Archiepiscopum Senonensem, & ejus Suffraganeos: *Visum fuit nobis, & Fratribus nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, & eorum Nuntii ad tractatum admitti.* Ubi Glossa ait: Quia cùm Archiepiscopus, & Episcopi sint unum corpus cum Capitulis suis, & ipsi caput sine membris suis talia, vel alia facere non debent. Nota. Quod omnes tangit, ab omnibus debet tractari. Item, non debet caput à membris recedere, nec membra à capite. 2. Concilium Tridentinum non permittit, ut Episcopi constitutiones edant sine consensu Capituli, sess. 24. cap. 2. In constitutionibus faciendis non est requirendus consensus, & approbatio Cleri, sed tantùm consensus Capituli. At Episcopi sejuncti majori non pollent auctoritate, quàm simul congregati. 3. Canonici prævalent aliis Clericis, qui possunt admitti ad Concilia, ut consilium impertiantur: ergo & illi debent habere suffragium decisivum, ut plus aliquid habeant, quàm cæteri. 4. In omnibus Conciliis præteritorum sæculorum Canonici suffragium habuerunt, etsi alio nomine vocarentur, ut Presbyteri, vel Sacerdotes. Actor. 15. *Statuerunt, ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ad Apostolos, & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione*, & Act. 21. *Collectique sunt omnes seniores.* Concilium Valentinum anno 855. cùm trium Provinciarum Episcopi in unum collecti resedissent, adjuncto etiam venerabili cœtu Presbyterorum: *Placuit omnibus in sancta Synodo constitutis.* Concilium Suessionense Anno 855. *Visum est omnibus in eodem sacro Conventu degentibus*; & inferius: Residentibus etiam Presbyteris, & Abbatibus, & quamplurimis aliis Sacerdotibus, adstantibus Diaconibus, adstante quoque & reliquorum graduum Clero, &c.

Plures hujusmodi rationes possent ex utraque parte afferri; verum iis non immorando, videtur in hac difficultate duas esse quæstiones sejunctim tractandas, 1. an Capitula debeant vocari, ut intersint Conciliis Provincialibus 2. An vocem definitivam ibi habeant. Rursus videtur maximè esse distinguendum inter causas, propter quas congregantur Concilia. Etenim aliquando propter solas res fidei, aliquando propter aliquam causam, cujus judicium ad solos pertinet Episcopos, ut si agatur de absolvendo aliquo à censura. Aliquando verò habentur Concilia pro reformatione abusuum totius Provinciæ. Igitur ubi Concilia habentur, ut in iis solæ res fidei, & controversiæ tractentur, non est necesse, ut vocentur Capitula, quia soli Episcopi judices sunt in rebus fidei, tantumque necesse est, ut faciant, quod in ipsis est, nec Deum tentent in præcipiti aliqua, aut nimis accelerata definitione, quod vocent doctos Theologos, qui disputando rem definiendam elucident. Idem est judicium, si tractari tantùm debeat in Concilio aliqua materia, quæ solos spectet Episcopos, & eorum potestatem. Probatur, quia cap. cit. *Etsi membra*, Innocentius III. addit sub finem: *Eos ad tractatum admitti, maximè super illis, quæ ad ipsa Capitula attingere dignoscuntur.* *Capitula, quam vocem habeant in Synodis.*

At verò si Concilium indicatur pro reformatione morum totius Provinciæ, videtur, quod debeant evocari, tùm propter illam Decretalem Innocentii, quæ ipsis dat jus tàm in illa Provincia Senonensi, quàm extra illam ex paritate rationis, ut vocentur. Tùm quia posito rerum statu, ut est, parum prodessent decreta Conciliorum reluctantibus Capitulis. Quod verò spectat ad qualitatem suffragii, non videtur aliud esse debere, quàm quod placuerit Episcopis, ut scilicet sit tantùm consultivum, non definitivum, prout magis conforme est omnium temporum, & locorum praxi. Vide infra, quæ de his habentur in Concilio Narbonensi ann. 1609. & in Burdigalensi ultimo. Interim, quod inter objectiones dictum est, Episcopos non plus posse congregatos, quàm sejunctos, rejiciendum est exemplo sagittarum, quæ sejunctim positæ, facili negotio etiam manu puerili franguntur: Non ita, si in fasciculum collectæ sint, cætera facilè solves.

CONCILIUM NARBONENSE,

Sub Petro Amelio Archiepiscopo celebratum tempore Gregorii Noni, & Ludovici Noni anno 1235. pro juvandis Fratribus Prædicatoribus Inquisitoribus.

ITa de hoc Concilio Spondanus anno Christi 1235. habitum fuit Concilium Narbonæ sub Petro Amelio Archiepiscopo, qui etiam interfuerunt Arelatensis, & Aquensis Archiepiscopi, unà cum trium illarum Provinciarum suffraganeis Episcopis: Cùm mandato accepto à Sede Apostolica de consilio impertiendo fratribus Prædicatoribus recens in partibus illis constitutis Inquisitoribus contra Hæreticos, quomodò se gerere adversus eos deberent; 29. Capitula condiderunt de pœnis tàm iis, quàm eorum fautoribus imponendis, sive qui converterentur, sive qui obstinati permanerent, ac de signis, quibus detegi possent: suntque valdè severa, prout ferebat praxis ejus temporis. Fitque in

in eis mentio statutorum Roman: Cardinal. leg. quæ A vidimus edidisse in Concilio Tolosano. Hæcque monita se dictis fratribus Inquisitoribus dare profitentur, non ut vellent eos ad ea arctare, sed per modum consilii, quod ipsi petiissent, & ex mandato, quod diximus, Sedis Apostolicæ. Hactenus Spondanus.

Cæterum causam huic Concilio videntur dedisse ea, quæ referuntur à Bzovio ad annum 1235. num. 4. Instituerat etiam, inquit, Gregorius IX. aliquot ex fratribus Prædicatoribus contra hæreticam pravitatem quæsitores, ut hæreticos ex eodem regno eradicarent. Quod cùm perfidi illi cognovissent, continuò illis acerrimum bellum indixere: adeò, ut abjecta omni modestia, atque humanitate, illos innumerabilibus afficerent injuriis, præcipuè in partibus Tolosanis. Raymundus porrò Toparchus Tolosanus, omnibus civibus B consortio fratrum Prædicatorum interdixit. Neque his contentus, positis ad januam cœnobii custodibus, vetuit, ne quis cibum intro conclusis introferret. Volebat siquidem omnes inedia conficere. Verum ut perspexit Patres, in fide Catholica, atque Romanæ Ecclesiæ devotione intrepidè persistere, neque ab eo precibus, aut minis posse abduci, jussit publico interdicto exinde abire. Quod, ut patres acceperunt, ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Christi, & obedientia Romanæ Ecclesiæ contumeliam pati. Igitur rebus omnibus exuti, & ferè seminudi, bini, & bini per mediam civitatem, Cruce prælata, exeuntes, ingenti voce Symbolum fidei concinebant: Credo in unum Deum. Addiderant & Antiphona[illegible] illam ab Hermando Contra- C cto compositam: S[illegible] *Regina mater misericordiæ*; non multo post, N[illegible]bonense Cœnobium ejusdem Ordinis à furentibus hæreticis solo æquatum, Fratres capti, & multis injuriis affecti, libri sacri partim lacerati, partim exusti: sacra fidei Sacramenta, & Symbola conculcata, indignissimumque in modum prophanata fuere.

Leander de Vir. Illust. Ord. Præd. lib. 2.

Decreta Concilii Narbonensis.

FElicis memoriæ Ludovicus Rex Franciæ considerans cum quanta obstinatione laici Provinciæ Narbonensis, & aliarum partium jacebant in præjudicium animarum suarum, monitu, & consilio Domini R. Diaconi Cardinalis Romani sancti Angeli, & sanctæ D sedis Apostolicæ Legati, similiter & omnium Prælatorum, & Baronum Franciæ tunc in civitate Appamiensi congregatorum, statuit pro libertate Ecclesiæ, ut quisquis post legitimam monitionem excommunicari se pateretur, mulcta novem librarum puniretur, & si per annum in dicta excommunicatione permaneret, manus Regia in omnia ejus bona injiceretur. Quam constitutionem nos P. Archiepiscopus Narbonensis, consilio fratrum nostrorum omnium suffraganeorum, & approbatione totius Concilii Provincialis, decernimus, & jubemus observari, prout à præfatis observatur. *Adjiciuntur nonnulla ad hoc caput: sed ita obscura, & involuta defectu aliquorum verborum in exemplari, ut intelligi nequeant, ideoque omisimus.* E

De Judæis.

PRæterea, Judæi exactionibus suis usurariis Christianos maximè vexant, quamvis usuræ in universum à Deo prohibeantur, quare huic malo providendum duximus per Concilium provinciale, ut in posterum Judæi nullas prætendant à Christianis usuras: quod si faciant, ad earum restitutionem auctoritate Ecclesiæ compellantur, & per excommunicationem prohibeantur Christiani ab omni cum illis commercio, & participatione.

ILlis vetatur uti servis, & nutricibus Christianis: insuper comedere, vel divendere publicè carnes, illis temporibus, quibus inter nos prohibentur. Deinde non possint esse Baillivi, vel inter Christianos præsidere in quibuscumque Officiis, &c. Ordinamus, & strictè jubemus, ut signum rotæ in medio pectore gerant. Illis inhibemus publicè laborare diebus Dominicis, & Festivis, ne per eos Christiani scandalizentur. Volumus etiam, & jubemus, ut in Hebdomada Sancta è domibus non egrediantur, & Prælatis, ut eos ab injuriis Christianorum protegant, potissimum durante hac Hebdomada. Ordinamus etiam, ut singulis annis in Festo Resurrectionis solvant sex denarios, seu tres solidos monetæ Nugloriensis, quam solvant ex debito, & obligatione Ecclesiæ Parochiali.

De Testamentis.

ET quia voluntas testatorum inviolabiliter servari debet, volumus etiam, & præcipimus, ut quodcumque testamentum fiat in præsentia Presbyteri Parochialis, vel alterius personæ Ecclesiasticæ vices illius gerentis: ut possit de testatore laudabile ferre testimonium, & pia legata citius, & absque fraude solvantur. Quod si Testator Presbyterum vocare contemnat, vel personam Ecclesiasticam, ut supra dictum est, Ecclesiastica careat sepultura. Et notariis, qui absque prædicta solemnitate testamenta, aut ultimas voluntates recipere præsument, ingressus in Ecclesiam impediatur.

De perjurio.

QUicumque in posterum de perjurio convictus erit, publicè denuntietur in Ecclesia, ut... quo renuente, candelis extinctis, & campanis sonantibus, omni die festo, & non festo declaretur excommunicatus, infamis, & inhabilis, qui unquam admittatur ad ferendum testimonium, vel ad alios actus alicujus ponderis. Idem observetur erga falsos testes.

De iis, qui Confessum accedunt.

PRæterea præsens Concilium decrevit, ut nomina omnium, qui peccata confitebuntur, scribantur à Confessoribus, ut habeant, unde laudabile reddant testimonium de eorum confessione. Et hi, qui habentes quatuordecim annos, renuent peccata confiteri saltem semel in anno, si vivi sint, illis occludatur aditus in Ecclesiam usque ad condignam satisfactionem: & si defuncti sint, iis Ecclesiastica interdicatur sepultura, Confessoresque non in secretis locis, sed in aperto confessiones excipiant.

De usurariis notoriis, incestuosis, adulteris, concubinariis.

DEcrevit præsens Concilium, ut publicè diebus Dominicis, & Festivis excommunicentur in Ecclesia.

De Vicariatibus perpetuis, & Curatis.

ET ex abundanti, cùm in Concilio Lateranensi, & aliis sæpè statutum fuerit, ut Presbyteris Ecclesiarum Monachalium, & aliarum portio congrua assignetur pro sustentatione Curati: &, ut justè à sua sanctitate non coarguamur, præcipimus vobis Abbatibus, Prioribus, & aliis tàm regularibus, quàm secularibus, qui tales Ecclesias possidetis, ut vestris Episcopis personas idoneas præsentetis, quibus cura animarum committatur usque ad proximum Festum Pentecostes: iisque competentes portiones assignetis juxta facultatem vestrarum Ecclesiarum, & piorum judicium: itaut tàm hi, quàm qui eorum sunt, honestè possint vivere, & ea exequi, quæ illis demandata sunt per plures constitutiones jamdudum super

Porti[illegible] gra[illegible]

super ea re à sancta Sede emanatas. Nobisque expediens visum est significare, ne in nostris Ecclesiis Monachi, aut Canonici Regulares minus, quàm tres habirent, sicut aliàs constitutum est à Domino P. Beneventano tunc Legato Sedis Apostolicæ, in Concilio Provinciali, & ab eo tempore observatum. Adjungimus ad hæc, ut nullus Monachus, vel Canonicus Regularis, aut Presbyter audeat adesse in Curia seculari, vel Ecclesiastica, nisi pro causa suarum Ecclesiarum, vel miserabilium personarum, idque cum speciali licentia Prælati. Quod si pars adversa talem non repellat, à judicibus suis rejiciantur.

De libertatibus Clericorum.

ORdinamus etiam, ut Clerici pro bonis patrimonialibus nullo pacto collectarum impositionibus, & oneribus subjaceant, sed ab iis sint omninò immunes, & laici ad hujusmodi collectas compellantur simul, & ad pædagia, & similes exactiones per censuram Ecclesiasticam.

VOlumus etiam, & strictè mandamus, ut in omnibus parochiis, testes Synodales instituantur, qui diligenter inquirant de hæresi, & aliis criminibus notoriis, ut referant ad Episcopum, &c. Et qui hæresim professi fuerint, suspecti, & justè de ea notati, si sint Baillivi, vel aliud munus publicum gerant, quàm citò ab officio amoveantur, nec umquam ad illud restituantur.

De excommunicatione filii Raymundi.

IN hoc capite statuitur, ut Raymundus filius Raymundi Comitis Tolosani, Comes Fuxensis, & O, Vicecomes Biterrensis, & hæretici Tolosani, & aliis adhærentibus ipsorum defensoribus, &c. Si qui illis arma vendiderint, commeatus suppeditaverint, auxiliumque aliquod præstiterint, cum extinctione candelarum, & campanarum sonitu denuntientur excommunicati in omnibus parochiis, omnibusque Dominicis, & Festis.

De promovendis Curatis.

ET, quoniam pluribus Canonibus sancitum est, ut Archipresbyteri, Præpositi, Abbates, aliique curam animarum habentes, parochiis provideant: mandamus, ut tales, & qui Ecclesias parochiales tenent, ad ordinem Presbyteratus promoveantur, munereque suo defungantur, sicuti obligantur: Præcipimusque omnibus Presbyteris, & aliis Ecclesiarum rectoribus, ne permittant conciones haberi à nonnullis quæstoribus, qui tantummodò litteras suas, si quas habent, publicè legere volunt, prout statutum in Concilio generali.

INsuper, ut quorumdam dubium tollamus super celebratione Festi S. Matthæi, & Quatuor Temporum Septembris, omnibus notum esse volumus, & servari etiam jubemus, ut in omni anno bissextili, Festum S. Matthæi in ultima duarum dierum celebretur, & jejunium prima mercurii Septembris. Cui adjungitur, quod Concilium generale celebratur Dominica, in qua cantat Ecclesia: *Lætare Jerusalem.*

CONCILIUM SAN QUINTINIANUM

Aliud, quod continuatum est apud Compendium, & deinde apud Sylvanectum pro libertatibus Ecclesiasticis, tempore Gregorii IX. & Ludovici IX. Regis Gallorum, Anno Domini 1231.

ACcipe iterum illud Concilium ex Spondano ad Annum 1231. ubi loquens de Archiepiscopo Rhemensi Henrico de Branna, atque Episcopis Provinciæ, necnon deputatis Capitulorum, qui jam convenerant in eumdem locum, in causa Milonis, ut jam dictum est. Dein iterum apud idem oppidum San Quintini congregati anno 1235. mense Julii, contestantes lædi graviter Ecclesiæ libertates in relegatione Thomæ de Bellomanso Canonici Rhemensis, in obsignatione bonorum Capituli Suessionensis, & in eo, quod Rex prohibuisset Episcopo Suessionensi, ne benedictione in ea Ecclesia uteretur, nisi prius acceptis ab eo regalibus; necnon in eo, quod vellet, ut personæ Ecclesiasticæ probarent per duellum in curia seculares homines de corpore suo esse; & aliis pluribus ejusmodi concernentibus jura Ecclesiæ, & Archiepiscopi Rhemensis. Demum omnium, tàm Episcoporum, quàm Capitulorum consensu, decreverunt omnes illò unà cum Archiepiscopo conventuros Regem ad supplicandum ex parte Concilii super iis. Quod & factum est in Octavis beatæ Mariæ Magdalenæ apud Melodunum. Super quibus Rex respondit se habiturum Concilium: tempusque audiendi illud assignavit quindenum diem Assumptionis beatæ Mariæ. Cùm verò nihil ageretur, Sabbato ante Nativitatem beatæ Mariæ, præsentibus Archiepiscopo Rhemensi, Episcopis Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Noviomensi, Tornacensi, Sylvanectensi, & procuratoribus Ambianensi, & Monrinensi, necnon præsentibus procuratoribus omnium Capitulorum Rhemensis Provinciæ; absente Episcopo Belvacensi, qui ad Romanam Curiam profectus erat; & Cameracensi, qui ad Imperatorem ierat: Fuit Rex monitus apud sanctum Dionysium de negotio Rhemensis Ecclesiæ, & Archiepiscopi, ac de relegatione Thomæ de Bellomanso Quæ fuit secunda monitio. Denique convenientes rursum Episcopi apud Compendium, decreverunt Regem tertiò monere per tres Abbates sancti Crispini Suessionensis, sancti Dionysii Rhemensis, & de Essone Suessionensis; ita ut, nisi Rex dictis monitionibus pareret, ad pœnam procederetur contra eum. Quod ipsi fecerunt apud Vicennas juxta Parisios, feria secunda post Exaltationem sanctæ Crucis dicti anni 1235. Rebus verò ex parte Regis eodem statu permanentibus, habito omnium Episcoporum, & Capitulorum Concilio apud Sylvanectum, feria quarta post Festum beati Martini consultantes de pœna, qua in Regem non satisfacientem agendum esset; Cùm Laudunensis, Noviomensis, Ambianensis, & Sylvanectensis Episcopi, unà cum procuratoribus Capitulorum illarum Ecclesiarum respondissent, pœnam fore competentem, si in Cathedralibus Ecclesiis, & capellis Episcoporum submissa voce celebraretur. Archiepiscopi unà cum Episcopis Suessionensi, Catalaunensi, Cameracensi, & Monrinensi (Belvacensis absens erat in curia Romana, sed Capitulum illius Ecclesiæ consensit cum Archiepiscopo) attendentes, quod alii Episcopi non faciebant, quod promiserant, & debebant, statuerunt pœnam in totum dominium Regis situm in Provincia Rhemensi: ita tamen quòd exhiberetur ibi viaticum, & baptisma. Excommunicarunt omnes Episcopos, qui pœnam hanc non observarent, & in suis quibusque Diœcesibus non publicarent, & servari facerent.

Hæc ibi tunc statuta: quid verò porrò secutum fuerit, haud nobis compertum: nec quid amplius reperimus in schedis Rev. P. Sirmundi de rebus Conciliaribus Gallicis, quas nobis pro sua humanitate communicavit, deceptis illis ex Chartulario Archiepiscopatus Rhemensis, & à nobis summa fide relatis. In quibus & valdè mirati sunt ferventem constantiam Episcoporum illorum, in conservatione jurium Ecclesiarum suarum, & patientiam Regis in audiendis æquanimiter adeò frequentibus eorum querelis: sed & maximè, quod piissimus Rex (fuit enim iste Ludovicus, qui virtutum ergo inter sanctos colitur: *S. Ludovicus.*

litur : ita potuerit à suis ministris persuaderi (qui nusquam ferè non cessarunt, malo omnibus Regnis, atque provinciis communi, & inveterato, felicitati Ecclesiæ invidere, eamque omnibus immunitatibus, & gratiis, ac privilegiis, tàm à Deo ipso Optimo Maximo, quàm à Regibus, & Principibus Christianis eis collatis spoliare ad nudum) ut tot annis sustinuerit hanc actionem. Quin enim demum satisfecerit, jura sibi debita servando, & illorum restituendo (sic enim feliciter adimpletur ad omnium satisfactionem, & salutem præceptum Domini, ut reddantur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei) nihil dubitamus: non solùm, quod nullæ amplius reperiantur dictorum Episcoporum adversus Regem querimoniæ: Verum è contra, quod ex eodem Cartulario habeamus, anno 1239. die Lunæ, ante Festum sancti Andreæ Apostoli celebrato alio Concilio dictæ provinciæ Rhemensis apud sanctum Quintinum adversum quosdam nobiles, qui prædictum Thomam de Bellomanso tunc Præpositum Ecclesiæ Rhemensis captum violenter carceri mancipaverant; eos Concilium de ejus restitutione moneri statuisse, pœna excommunicationis proposita, & interdicti in terras eorum: necnon, si obstinati permanerent, invocari auxilium dominorum secularium, à quibus dicti nobiles temporalia tenerent: Et si isti eos ad satisfactionem cogere postponerent, excommunicari; & ad eorum malitiam compescendam, supplicationem fieri summo, & supremo seculari Domino, Regi videlicet: ad quem non recurrerent, nisi de præcedentibus ab eo ipso satisfactum fuisset.

A

B

Porro, quia hæc confirmantur, & elucidantur magis ab Hemeræo in Augusta Viromanduorum ad annum 1235. visum est verba ejus hic attexere.

C

Concilia tria, inquit, habita San Quintini ab Episcopis Metropoli Rhemensis, festi postridie Magdalenes adversus Officiales Regis, qui Suessionensem Ecclesiam durius divexassent, & supremæ Dominationis manum in ejus prædia, & possessiones injecissent. Eoque definitum est, videri libertates Ecclesiarum reapse læsas, & Abbatiam sanctæ Mariæ Suessionensis præter jus, & fas oppressam: cujus & Antistita Episcopali benedictione consecrari speciali jussione Regis prohiberetur: & reliquiæ omnes ablatæ essent, & Monasterio exportatæ. Additum, de duellis, quæ Regis authoritate, concessioneque fierent, de Archipræsulis, & Canonicorum Rhemensium expulsione, de cæde illata in domesticos Henrici Archiepiscopi, de sacri ejus Palatii deformatione, de Sepulchris loco motis, &c. quæ fuisset anno præcedenti, vulgus ipsum Rhemorum in res, personasque sacrosanctas, impetu præcipitatæ mentis aggressum. Denique de authoribus injuriæ tantæ canonica vindicta compescendis. A Concilio missi Melodunum, qui decretorum Synodi Regem admonerent. Neglecta autem monitione, secutum Concilium secundum ibidem, eodem anno. Eoque conclusum, iterum admoneri Regem oportere ab Abbatibus tribus. Quibus Regem apud Vincennas allocutis, tertia monitio successit, prioribus solemnior, facta à tribus Episcopis, totidemque deputatis Ecclesiarum Cathedralium ad sanctum Dionysium. Qui ubi rediissent, convenere Præsules tertiò San Quintinum, decrevereque, ut per universum Dominium Regis in Provincia Rhemensi interdictum, auctoritate Synodi, promulgaretur. Per hoc autem interdictum, suspenso rerum sacrarum usu, Ludovicus, ubi magnates San Dionysium convocasset, visum conventui est ad Summum Pastorem de amplitudine jurisdictionis Episcoporum universim, deque interdicto, Regis, procerumque querimonia quàm primum deferretur. Factum Rhemenses per Archiepiscopi sententiam emenda expiarunt usu tùm recepto, cujus exemplum notandum est ad annum 1213. Omnes enim iere obviam Canonicis ad montem usque arenarum: & de vulgi numero selecti 60. qui in braccis, camisiis, nudisque pedibus occurrerent Collegio redeunti, ita allocuturi:

Duellum.

D

E

Capitulum Rhemense conquerebatur de nobis, & aliis, qui sunt in banno Domini nostri Rhemensis Archiepiscopi, quod injurias ipsis, & damna intuleramus, & ita Capitulo emendamus. Per arrestum verò Regis graviori in eosdem castigatione sævitum est. Nam mulctati sunt summa 1000. lib. Paris. & Processionibus dierum Dominicalium per Ecclesiam in camisiis traducti, flagellatique, &c. Datis in facinoris inquisitionem Abbate sancti Dionysii, & Petro de Collemedio viris incorruptis. Hoc factum anno 1236.

CONCILIUM ALIUD

SAN QUINTINIANUM,

Sub Henrico de Branna, anno Domini 1236. tempore Gregorii IX. & Ludovici IX. pro libertatibus Ecclesiæ tuendis.

HAbitum, inquit, Hemeræus, Concilium octavum eorumdem Episcoporum adversus Inguerranum Conciani Dominum, quo excessus violentiæ in personam M. Andreæ de Corbaudo Decani Laudunensis illatæ justa ultione emendaretur: & Ecclesiæ libertates adversus injurias tales, & earum actores in posterum protegerentur.

CONTROVERSIA.

QUod tot videamus Concilia pro asserendis libertatibus Ecclesiasticis congregata, totiesque libertates Ecclesiasticas à judicibus laicis pessumdatas, & violatas, id maximè accidit ex diversitate sententiarum super casus, in quibus secularis possit manus in personas Clericorum, ut quæ à privilegio clericali exciderint, sine metu excommunicationis injicere. Sunt enim septem casus, in quibus plures existimant aliquem non incurrere excommunicationem, clericum percutiendo, de quibus Bernardus Laurenti præses Tolosanus, tractatu ea de re edito, 1. cum bono zelo, & causa correctionis id fit à patre, matre, magistro, Prælato, & similibus, 2. si cum jocosa levitate, 3. cùm quis clericum turpiter agentem invenit cum matre, uxore, aut sorore, 4. si vis vi repellatur, 5. si ignoretur esse clericus, 6. si clericus sit Apostata, non deferens habitum, & tonsuram post trinam monitionem, 7. si se transferat ad actus omninò contrarios clericatui, sævisque, & enormibus se immisceat, ut si fiat miles, &c.

Jurisdi[ctio] Ecclesi[ast]ica.

Insuper aliqui existimant in aliis casibus licere judici sæculari clericum coercere. 1. Quando clericus incorrigibilis est, & degradatus, & traditus brachio sæculari. 2. Ubi potestas Ecclesiastica deficit. 3. Quando per Ecclesiam invocatur brachium sæculare. 4. Ubicumque clericus se immiscet sævis, & enormibus, ut militando, aut publicè joculatoriam artem profitendo, aut si turpem vitam exerceat, macellarium, aut tabernarium personaliter agendo, manibusque non abstineat. 5. Si attentet clericus, in præjudicium temporalis jurisdictionis,

In qu[ibus] casibus [ju]dex sec[ula]ris cle[ricum] coercet.

Sed & alii casus enumerantur, in quibus ajunt, licere Judici sæculari clericum capere, & incarcerare. 1. In omnibus casibus, in quibus potest punire. 2. Si id mandet Judex Ecclesiasticus, remittendo ad sæcularem potestatem. 3. Si clericus paratus sit ad injuriam alteri inferendam, abestque Prælatus clerici, nec aliter eum possit compescere Judex secularis, quàm incarcerando. 4. Si inveniatur clericus in flagranti crimine à Judice seculari, poterit per viginti horas incarcerari. Adduntalii, si clericus debitor sit, & timetur de ejus fuga.

Dum hi, & similes casus agitantur, in quorum saltem nonnullis possunt laici jurisdictionem exercere

in

in personas Ecclesiasticas, multi multa aggrediuntur, etiam protestantes se Ecclesiæ privilegia venerari, sed justè dumtaxat, existimantque sibi plura licita esse, etiamsi de facto satis non constet. Sed & plurium ambitio, invidia, avaritia non potest tolerare, ut Ecclesia suis fruatur pacificè juribus, quę adversarios patitur, etiam proprios filios, quos ipsa enutrivit, à quibus contemnitur sæpè, ut per adversa hujus mundi ad cœlum progrediatur. Inde tot lites pro tuitione jurisdictionis, inde tot Synodi, & tot anathemata.

Rabardeus ...ibit con... jura ...clesiæ.

Pendet autem maximè ista difficultas ex resolutione quæstionis, an exemptio clericorum sit de jure divino, an de jure humano. Si primum, excusari non poterunt Judices: si secundum, prætendent jura humana immutari, & contraria consuetudine aboleri. De his quæstionibus Antoninus Diana egregiè disputat pluribus in locis, tùm maximè 7. parte tract. 1. Ubi refellit plures assertiones Rabardei, Soc. Jesu Theologi, qui cum impensius jura sęcularia adversus Ecclesiam tueretur, à censura Romana immunis non fuit. Liber ille inscribitur, *Michaelis Rabardei Optatus Gallus de cavendo schismate, &c. benigna manu sectus*. Hic auctor in sect. 2. per totam ex professo pertractat materiam immunitatis personarum, & bonorum Ecclesiasticorum, & quidem ait ibidem Diana tract. 1. Resol. 1. Debebat Pater Rabardeus inhærere vestigiis sapientissimorum virorum suæ societatis, Suares, Azorii, Layman, Comitoli, Tanneri, Dicastilli, & Baldelli, qui in Theologia morali l. 5. disp. 33. num. 3. optimè sic ait. Cum hæretici, & schismatici in odium Pontificis, & status Ecclesiastici maximè impugnent exemptionem Clericorum à potestate laicorum, & ipsi Principes, & judices laici maximè illam extenuent, optimum, & rationabilissimum est, ut contraria ratione, Theologus, quantum potest, illam defendat, & tueatur, sed sanum ejus consilium minimè à Rabardeo amplexatum fuisse satis infra patebit. Ita Diana, qui librum illum ann. 1641. in lucem emissum impugnat per sententias communiter receptas inter doctores suæ præstantissimæ religionis. Dignæ essent hæ controversiæ, quæ hic summatim insererentur, nisi volumen hoc jam excresceret. Vide authorem, si libet, etsi ejus scripta carpant aliqui, sed qui vix ulla propria ediderunt.

...iceron.

CONCILIUM CAMPINACENSE,

Tempore Gregorii IX. celebratum, & Ludovici IX. anno Dom. 1238. sub Gerardo Archiepiscopo Burdegalensi.

HOc eodem anno (ait Spondanus ad ann. 1238. sub finem) Gerardus Archiepiscopus Burdegalensis Concilium Provinciæ suæ habuit apud Campinacum (vulgo Cognac) post octavam Paschæ. In quo cupiens, ut ait, novis, ac damnosis hominum malitiis obviare, per quas justitia læderetur, propagaretur iniquitas, cresceret impietas, totiusque cleri decoloraretur honestas, multa constituit pro reformatione morum, immunitate Ecclesiæ, & disciplina Ecclesiasticorum tàm sæcularium, quàm regularium.

CONTROVERSIA.

...egiæ ...rum ...pita ...n-

QVia frequens sermo incidit de immunitatibus Ecclesiasticarum personarum, libet hìc semel annotare, privilegia clericorum ad tria capita fermè reduci. Primum consistit circa immunitatem personæ. Ut quicumque in clericum etiam volentem violentas manus injiciens per se, vel per alium, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. 17. quæst. 3. cap. *si quis suadente diabolo*. Atque etiam pro ejus persona nulla pedagia, vel quidagia exigantur, de censi-

A bus, cap. *Quamquam*, lib. 5. Secundum caput privilegiorum horum est, ut bona Ecclesiastica immunia sint à taliis, collectis, & exactionibus, itaut, nec pars aliqua proventuum ipsis subtrahatur, nec aliqua onera iis imponantur, de immunitate Ecclesiæ, cap. *Non minus*. An autem hoc privilegii caput extendatur ad bona ex parentum successione, vel alio modo ex dono, vel ex acquisitione provenientia, inter Canonistas disputatur. Tertium denique caput privilegiorum consistit circa immunitatem fori, ut scilicet clericus non conjugatus sive in sacris, sive in minoribus tantùm constitutus, sive tantùm tonsura insignitus clericali incedens in habitu clericali, & tonsura etiam volens coram sæculari judice conveniri, vel trahi non possit, vel ab ipso judicari, vel distringi, sive criminaliter, sive civiliter agatur 11. quæst. 1. cap. *Continua*: Sunt

B autem tres casus potissimum, in quibus clericus absque ulla monitione perdit omne privilegium clericale. 1. Quando degradatus actualiter relinquitur judicio sæcularis Judicis puniendus, de verborum signific. cap. *Novimus*. 2. Si clericus etiam deferens habitum, & tonsuram per annum, exercet artem joculatoris, cap. *Unico*. De vita, & honest. cleric. lib. 6. 3. Quando dimisso habitu clericali sævis, & enormibus publicè, vel notoriè se immiscet. Per enormia autem intelliguntur occisiones, mutilationes membrorum, graves, & periculosæ percussiones cum plagis, & multa sanguinis effusione, spoliatione, Ecclesiarum, adulterationes monetarum, raptus mulierum, & hujusmodi crimina, quæ nec mediocria, nec levia haberi possunt,

Privilegia Clericorum quando perdūtur.

C in quibus si inveterati perseveraverint diutius, ipso facto omni privilegio excidunt. Ita Bonicontus in brevi scriptura super privilegiis, & immunitatibus clericorum.

At vero quàm sæpè extra hos casus violantur ista privilegia quis enarret? sed quis remedium afferat in tanta temporum calamitate? Non prætermittam, quæ monet Gerson sermone habito in Concilio Rhemensi. Fiat, inquit, ulterior provisio, ne pauperibus sua bona auferantur, vel detineantur. Hæc sunt ea bona, quæ viris Ecclesiasticis supersunt ultra simplicem victum, & vestitum juxta licentiam sui status in Ecclesiæ republica. Notissima est hoc loco, sed durissima Bernardi, atque Hieronymi sententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriosam profusionem non

Gersonis dictum notab.

D dubitaverunt sacrilegium, immo omni sacrilegio, & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant Ecclesiastici, ne forte ob hoc justo Dei judicio proveniant rapinæ ejus, & conculcationes indignæ, & jurisdictionum suarum usurpationes, quia quandoque, quod non habet Christus, tollit fiscus, & quod subtrahitur egeno, rapit prædo. Hæc enim est veteris proverbii sententia, quod abdita vulpium fiunt rapinæ luporum, ut, qui prædatus fuerit, prædetur & ipse.

CONCIL. *apud* SAN QVINTINIANUM,

Sub eodem Henrico celebratum propter libertates Ecclesię Anno Domini 1239. tempore Gregorii Noni, & Ludovici Noni.

E

COncilium Provinciale Nonum San Quintini adversus Nicolaum de Rhumigniaco, & Hugonem di Grisagonela, sive de Tunica: qui Thomam de Bello manso præpositum Ecclesiæ Rhemensis carcere inclusum injuriis opprimerent; & illa viri Ecclesiastica dignitate præstantis vexatione, jura, libertatesque sacræ politiæ discerperent. Erat Thomas Atrebatensis, vir eruditus, scriptisque commendatus, quem ad Cathedram Rhemensem doctrina, pietasque paulò post evexit.

PLacuit moneri sacrilegos, uti cum primum incarceratum exolvant, & injuriam emenda expient;

piunt; reluctatique Concilii monitioni censura Ecclesiastica castigentur, & familia eorum omnis interdicto subdatur.

IN hoc Concilio maluimus Hemeræum sequi, quàm Spondanum, qui refert ad annum 1235. rati illum exactius perquisivisse, ac distinxisse hujusmodi controversias.

CONCILIUM BITERRENSE,

Tempore Innocentii IV. & Domini Ludovici IX. Regis Galliarum, Anno Dom. 1246. celebratum contra Albigenses, præside Episcopo Tornacensi sanctæ Sedis Apostolicæ Legato.

DE hoc Concilio Spondanus refert breviter ad annum 1246. Quo eodem anno factum est Concilium Provinciæ Narbonensis apud Biterras 13. Kalendas Maji. E quo patres litteras scripserunt ad Inquisitores ordinis Prædicatorum à sede Apostolica contra hæreticos in Arelatensi, Aquensi, Ebrodunensi, & Viennensi Provincia constitutos, de modis procedendi contra eosdem hæreticos: cum à Cardinale Albanensi Legato moniti fuissent, eos iisdem Inquisitoribus præscribere. Quod & fecerunt triginta septem capitibus per modum consilii eodem ferè tenore, quo usos vidimus patres Concilii Narbonensis.

Cæterum cum hoc Concilium Gallicè ediderit Arnaldus Sorbin anno 1569. Parisiis apud Guillielmum Chaudiere, in vico Divi Jacobi, & vix qui hodie in paucis Bibliothecis inveniatur, ut ab oblivione vindicetur, operæ pretium me facturum existimavi, si è Latino Gallicum factum, hic è Gallico Latinum redderem.

CONCILIUM BITERRENSE,

Celebratum per Episcopum Tornacensem Legatum sanctæ Sedis Apostolicæ.

ET quia diversis temporibus statuta salutaria edita sunt super negotio fidei tàm per Magistrum Romanum sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum, quàm per alios ad idem opus delegatos: Credimus satis esse, si iis subscribamus, ea minimè renovando, modo debitè observentur. Sancimus duntaxat eorum transgressores Canonicè puniendos.

Forma excommunicandi hæreticos.

.... *Tantum finis hujus Canonis in exemplari reperitur, quo patet etiam agere contra hæreticorum fautores, quos vult haberi pro hæreticis simul, & eos, qui inquisitionem impediunt.*

De Captura hæreticorum.

ORdinamus, ut quælibet persona privata in quacumque terra possit inquirere, & hæreticum capere, eumque sine mora Episcopo præsentet, Officiali, vel Baillivo Episcopi, nullusque audeat capturam impedire, sed quilibet Christianus teneatur illi opem, & auxilium impendere.

Ut non emantur officia Baillivorum per suspectas personas in fide.

AUdivimus certos credentes, & tutores ipsorum, ac defensores à summis Dominis Baillivatus chariori pretio emere, ut habeant hæretici, unde ingrediantur, & egrediantur, & sine resistentia fidei

A Catholicæ adversentur: idcirco strictè prohibemus omnibus Dominis, ne tale quid in posterum committant: quod si id peragant, & ab Episcopo moniti de crimine se non emendent, gladio excommunicationis feriantur, quam debent agnoscere se incurrisse, non sine nota infamiæ.

De Crucibus, quas ferre debeant conversi ex hæreticis.

INsuper qui ex hæreticis reconciliati sunt, duas cruces patentes, & evidentes ferant: quod si renuerint, habeantur tanquam hæretici, & eorum bona fisco addicantur.

De nominibus Parochianorum describendis.

B PRæterea cum omnes Parochiani teneantur convenire in Ecclesiam Festivis diebus sub pœnis in Cōcilio Tolosano Decretis, & statutis in eodem promulgatis, expedit, Sacerdotes maximè sedulos, & diligentes esse erga omnes suspectos, quos ex catalogo nominum, & cognominum debent agnoscere, ut diebus fixis Ecclesiam frequentent, & sine obstaculo puniantur: quo fiat, ut hæc statuta ab iis serventur sicut pupilla oculi: quorum si Curatus transgressor inventus sit, ab officio, & beneficio suspendatur; similiterque privetur, si post competentem monitionem negligens sit, & remissus. Quod si Curatus se ad hæc minus idoneum existimavit, statuitur, ut ea referat ad Episcopum, quorum notitia ad se pervenerit, ut se liberet à culpa. Et pereuntium sanguinem ab eorum manibus requiret Deus, si in vigilantia pastorali defuerint.

De non promovendis ad sacros Ordines.

C ET quoniam personæ omnino indignæ ad dignitatem sacrorum Ordinum promoventur, contra Canonicas sanctiones, etiam in partibus hujus Legationis, jubemus, ut, quisquis ad Ordines promovendus est, diligenter examinetur super scientia, vita, & moribus: neque admittatur absque titulo patrimoniali valoris ad minus centum librarum, vel absque Ecclesiastico, prout jure cavetur: nullusque tonsuram primam recipiat, nisi legere sciat, & de legitimo procreatus sit matrimonio, juxta quod scriptum est in Deuteronomio, *cap.* 23.

De his, qui debent admitti ad Ordines.

D ORdinamus, & firmiter jubemus, ut etiam nullus ad primam tonsuram admittatur, nisi legere possit, & cantare: sitque ex parentibus liberis oriundus, & ex legitimo matrimonio, nisi ex causa videatur Episcopo loci cum eo esse dispensandum.

De Simonia.

ATque ad abolendam Simoniæ corruptionem, quæ in hisce partibus aucta est, ex hoc etiam, quod Episcopi nullo modo clericos sacris ordinibus initiare volunt, nisi juramentum præstiterint, aut vadem alium dederint pro titulo patrimoniali, vel per seipsos, vel E per alios minus idoneos, ne sibi, vel suis successoribus molestias ingerant; Ea de causa strictissimè jubemus, ut rem similem in posterum facere non attentent: quod si fecerint, sciant se ab ordinum celebratione suspensos.

De electione Archidiaconorum.

JUbemus insuper, ut tales Archidiaconos præferant, qui zelum habeant animarum, sintque idonei ad annuntiandum verbum Dei, & Clericis, & populo.

De

A

De lectione Constitutionum.

LEgantur Constitutiones: excommunicamus contrarium agentes, & justè: Etiam sacrum Concilium approbantes sub excommunicatione examinis divini. Nam ut sua sanctitas scribit ad nos, ubi non gubernator, corruet populus: atque etiam Ecclesia rectore destituta, etiam in temporalibus.......

Hic Canon, inquit Arnaldus, dubii est sensus, nec satis titulo convenit: errore forsitan conscriptoris.

De Patronis Ecclesiæ.

QUa de causa, & auctoritate, qua fungimur, strictè jubemus omnibus religiosis, Capellanis, & aliis personis tenentibus Ecclesias Parochiales sui regiminis existentes, ut intra proximum diem Natalis Domini offerant Diœcesanis Episcopis rectores, aut Vicarios perpetuos sufficientis vitæ, & scientiæ, ut curam animarum ab ipsis recipiant: congrua tamen reddituum portione illis, & ipsis assignata sufficienter secundum Canonicas sanctiones: Quam portionem Episcopus Diœcesanus possit, & debeat legitimè approbare. Quod si nostri mandati executionem remorentur, jubemus Episcopis Diœcesanis in virtute sanctæ Obedientiæ, ut vice nostra mandatum nostrum exequutioni demandent: quod si adimplere negligant à nobis pro præsenti, & à Domino pro futuro de gravi inobedientia puniantur. Si verò Episcopi hujusmodi Ecclesias habeant, & intra præfatum temporis spatium, Vicarios perpetuos non instituant, nostræ donationi tales Ecclesias reservamus.

B

De iis promovendis, qui curam habent animarum.

OMnes curam animarum habentes intra annum ad ordinem Presbyteratus promoveantur: nisi sint Archidiaconi, vel citius promoveri possint, & qui in tempore opportuno receptionem Ordinum negligent, compellantur substractione beneficiorum ad eos suscipiendos, ut lucrum amantes, ordinem etiam ament. Quod si Ecclesia Parochialis dignitati, vel præbendæ annectatur, necesse est, ut ille, cui incumbit in majori Ecclesia inservire, præsentet Vicarium perpetuum idoneum, & capacem, qui habeat Ecclesiæ Parochialis congruam portionem. Illo autem hæc adimplere contemnente, sciat, sex elapsis mensibus, se hac vice privatum jure providendi huic Ecclesiæ. Strictè ergo volumus, & jubemus, ut unaquæque Ecclesia proprium Sacerdotem habeat pro Vicario perpetuo, qui personaliter in ea inserviat: itaut unicæ personæ satisfiat unica Ecclesia Parochialis, revocantes in memoriam statutum Concilii, quo jubetur, ut quisquis beneficia cum cura animarum, aut residentia annexa recipiet, si primum simile possidebat, hoc eodem titulo privetur: Quod si illud retinere illi concessum sit, altero privetur: qua de causa nobis reservamus pro libito collationem specialiter talium beneficiorum.

C

D

De vita, & honestate Clericorum.

QUod spectat ad Clericos Scholasticos, jubemus constitutiones editas in Concilio Generali super eorum vita, & honestate (quæ incipiunt, *Clerici*) servari. Addimus, & strictius inhibemus, ne ulli Clerici privilegiis Clericalibus uti, & frui cupientes gladios acuminatos deferant, enses, lanceas, aut arma alia, per quæ vis inferri possit, nisi ob metum belli. Jubemus præterea, ne ulli Canonici scholastici scabellum in choro habeant, nec vocem in Capitulo, nisi primum Ordinibus sacris initiati sint, vel dispensationem ab Episcopo suo ex causa legitima obtinuerint.

E

De Conservatione Religionis.

TRia sunt substantialia, quæ regularem spectant professionem: scilicet expulsio proprii, continentia carnis, & regularis obedientia. In his tribus, & aliis observationibus, quarum beneficio ordo servatur, & disciplina regularis, tàm Monachorum, quàm Canonicorum regularium, qui remanent in omni parcitate digni sua professione, conservant quoque valetudinarium, eleemosynam, Hospitalitatem, & alia, quæ sunt potissimæ, & principalis regulæ, secundum quam se victuros voverunt, & sine cujus observatione minimè sunt in statu, & numero salvandorum. Et quia grave natum est in Clero scandalum, & propter proprietatem, & illius ornatum, breviter statuta attingemus super ea re edita per nostrum sanctum Patrem Innocentium. Prohibemus strictissimè in virtute sanctæ Obedientiæ, ne in posterum ullus Religiosus quicquam possideat, qui si aliquis sit proprium habens, quàm cito resignet. Quod si in posterum quisquam cum proprio deprehendatur, præmissa regulari monitione è Monasterio expellatur, nec in illud recipiatur, priusquam disciplinæ Monasticæ se submiserit. Quod si in articulo mortis cum proprio inveniatur, juxta statuta Divi Gregorii, in Fumo sepeliatur, in signum perditionis. Neque verò ullus Abbas, aut alia persona existimet se posse dispensare super proprio, cum ullo Monacho, aut Canonico regulari, quoniam omnis proprietatis abjectio, castitatisque observatio, ita regulæ Monasticæ conjunctæ sunt, ut nequidem possit super iis Summus Pontifex dispensare. Quin etiam volumus tales personas denuntiari excommunicatas in solemnibus Festis. Quod si aliqui superiores in his correctionibus negligentes sint, jus corrigendi ab ipsis Abbatibus ad Episcopos transeat, ut Abbates ipsos de negligentia puniant. Abbates, & Monachi sancti Benedicti induant se vestimentis talis materiæ, & coloris, ut non sit, unde propter magnitudinem, & formam irrideri possint, illisque sufficiet talibus uti, quæ minori pretio emi poterunt in Provincia, in qua habitant.

Nonnihil deest in Gallico exemplari.

Paupertas religiosa.

De Canonicis Regularibus.

PRohibemus Canonicis Regularibus, ne insignia, aut reprehensibilia gerant vestimenta, neque debent desiderare per vestimenta hominibus placere, sed per morum ornamenta, secundum statuta Montispessulani, abstinentes in clamidibus, togis, palliis, caligis ab undulatis versicoloribus, aut sericis, ne maculam inferat ardentius pretiosæ vestis desiderium. Nolumus in posterum, ut Monachi, aliive regulares summam aliquam pecuniarum pro re vestiaria ab superioribus, aut ab iisdem delegatis accipiant, quia hinc datur occasio aliquid in proprium sibi asservandi, sed volumus, ut omnes tàm parvi, quàm magni è communi vestiario induantur.

De custodia Claustri.

CLaustrum etiam diligenter servetur, & claudatur, ut re, & nomine Claustrum merito dici valeat. Fœminæque, vel laici in claustra, eorumque officia non ingrediantur, nisi in pompis funeralibus, solemnibusque processionibus, cum id ex consuetudine illis permissum est, vel ex evidenti necessitate. Deliberavimusque statuere, ut omnes regulares lectionem audiant tempore, quo pascuntur.

De Comitiis celebrandis.

JUbemus præterea, ut regulares in claustris capitula habeant singulis diebus, nisi sit clamor super excessibus fratrum, & correctione regulari. In Ecclesiis etiam conventualibus sit concio in Festis potissimis, iique

Hic deest quidpiam in exemplari.

iique, qui specialibus negotiis, aut necessitate non præpediuntur, sedentes maneant in claustro ab hora capituli usque ad tertiam, considerantes quid legi, aut cantari debeat in Ecclesia, nec ipsis liceat divagari, aut illuc exire non habita superioris speciali licentia.

De mandato pauperum.

CONsulimus, ut mandatum pauperum semel fiat in hebdomada: sicut per singulos dies in Monasteriis debitè constitutis fieri consuevit.

Nota Arnaldi Sorbini in hunc Canonem.

HIc terminus mandati eleemosynam denotat, quæ temporibus præteritis erogari consueverat in Abbatiis locupletioribus, & quæ forsitan adhuc perseveraret, nisi plures Abbates, aut Prelati mandatum pau- B perum propriæ mensæ adjunxissent. In Capitulo Auxitano (Dei gratia, & virtute Dominorum, qui in eo sunt) viget adhuc consuetudo duodecim, aut tredecim pauperes nutriendi, quos unusquisque ex Dominis (idest Canonicis) ordine suo per unam hebdomadam sustentare tenetur, & in exitu majoris Missæ, mensæ benedictionem impertiri, gratiasque reddere in præsentia dictorum pauperum, ut sæpè ibi existens inspexi.

De docendis Religiosis.

ET quoniam ignorantiæ cæcitas plurimum in his regionibus invaluit, decernimus, ut in omnibus Monasteriis, & Conventibus, Abbates, & Priores Conventuales præceptorem habeant intra clausuram, vel ex C suis, vel alium Clericum sæcularem idoneum ad docendum juniores, aliosve Grammaticam.

De non conferendis in Laicos beneficiis.

AD nostrum pervenit auditum nonnullos se, suaq; Monasteriis donare, eo fine, ut hac via sibi beneficia Ecclesiastica conferantur. Quę res omnino damnata est propter notam Simoniæ. Sanximus tales beneficiis privandos, quæ injustè obtinuerunt, eosque, qui hoc modo beneficia conferunt, auctoritate regendi pro hac vice spolientur, jusque collationis ad Episcopum devolvatur Diœcesanum, nec tali personæ cura committatur animarum. Insuper nullus Abbas, neque religiosus, Monachusve alterius Cœnobii Prioratum habere possit, D nisi per Canonicam electionem in Prioratu conventuali, in quo post emissam professionem electus fuerit.

De tabernis in clausura Monasteriorum non erigendis.

TEstimonium ferimus eorum, quæ audivimus, & vidimus, scilicet quod aliqui ex Monachis, ex illis etiam, qui in nostra Legatione continentur, prætextu certæ cujusdam libertatis, œnopolium in clausura Monasterii certo quodam tempore exercent: atque propter aliquantulam utilitatem introducunt, aut introduci patiuntur personas inhonestas, joculatores, & meretrices publicas. Quæ res, ut in posterum non accedant, strictius prohibemus, quantumvis personæ sint exemptæ, ne hujusmodi inhonestas, & temporales introdu- E cant, scilicet aleatores, aut joculatores, à quibus nomen Dei blasphematur, vel per eos hujusmodi ingressus pateat eorum permissu. Qui externa gerunt officia in prædicta Abbatia, noverint se ab ingressu Ecclesiæ arceri, præcipuè cum suis libertatibus absque abusu, & talium personarum introductione uti possint.

De non admittendis laicis ad præbendas.

MAndamus etiam strictius, ne in ulla Ecclesia laici pro donatis recipiantur ad præbendam

A panis, & vini, ex quorum turpi conversatione exoriri possit scandalum. Qui si aliqui tales fornicarii, adulteri, aliisve criminibus rei inveniantur admissi, post convenientem monitionem, si non se corrigant ab excessibus, priventur beneficiis. *Gregorio, &c. Tornac, &c.* Parum enim est statuta edere, si malè consulti transgressores ad eorum observationem non compellantur. Et quia cautum est, ne quisquam Prior in Prioratu aliquo solus maneat, sed terni, quaternive simul inhabitent, ideò scriptis Apostolicis tuæ fraternitati mandamus, ut prædictum statutum constanter procures custodiri ab omnibus inobedientibus per totam tuæ Legationis terram. Auctoritate ergo hujus mandati jubemus, ne ullus Monachus solus maneat in ullo Prioratu, sed tres, vel quatuor simul sint: nec volumus, ut parvi Monachi inter eos comprehendantur, sed ut in Claustrum relegentur de disciplina regulari instituendi.

Prior so- non ha- tet in pr- ratu.

De renovatione juramenti pacis.

MAndamus, & jubemus, ut quælibet persona annos quatuordecim supergressa denuo jurare compellatur. Expresse Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis injungentes, ut, si necesse sit, faciant singulis Dominicis excommunicari campanis sonantibus, & cum extinctione candelarum, omnes pacis violatores, eorumque fautores, omnesque rapientes, & conspirantes. Insuper, ut in Conciliis Provincialibus, & Synodis legi faciant, & explicari hæc statuta, aliaq; salutaria, quæ ad reformationem hujus regionis pertinere noscuntur.

ONCILIUM

ALBIENSE, Anno 1254.

Factum à Domino Zoeno Avinionensi Episcopo Apostolicæ sedis Legato.

MUltis Episcopis, & Prælatis Narbonensis, Bituricensis, & Burdigalensis Provinciarum, ad Concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de consilio, & approbatione ipsorum, quædam pro exterminanda hæretica pravitate, ac roboranda fide Catholica: quædam pro Cleri honestate duximus ordinanda.

Inhærentes ergo super negotio fidei Concilio præcipuè Tolosano, quibusdam pro causa, & tempore demptis, additis, & mutatis: statuimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi in singulis Parochiis tàm in civitatibus, quàm extra, unum Sacerdotem, & Dominus loci unum laicum bonæ famæ sine mora constituant, qui diligenter, frequenter, & fideliter inquirant hæreticos, in Parochiis supradictis domos singulas, & cavernas subterraneas, aliqua suspicione notabiles perscrutando: & apprehensa, seu adjuncta ipsis tectis ædificia, seu quæcumque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus perquirendo: & si quos repererint hæreticos, credentes, fautores, defensores, seu receptores eorum, ne fugere possint, cautela adhibita diligenti, Archiepiscopo, vel Episcopo, & Dominis locorum, seu familiaribus eorum, vel Bailivis eorumdem cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debita puniantur. Sacerdotes autem, & laici supradicti jurent in manu Archiepiscopi, & Episcopi, & loci Domini, vel ejus Bailivi, quod omnia supradicta exequantur fideliter, postpositis amore, odio, & timore.

Hæret- perquis-

Et quoniam qui ad opus eligitur extraneus non debet fieri à mercede, præcipimus, ut pro quolibet hæretico, quem Sacerdos, vel laicus memorati, aut quilibet alius captum reddiderint, unam marcam argenti, vel saltem viginti solidos Turonenses loci Dominus, in cujus jurisdictione captus fuerit hæreticus, capientibus infra octo dies de bonis ipsius hæretici sol-

solvere teneatur. Si verò de ipsius hæretici bonis pecunia non poterit supradicta persolvi, Dominus loci, & ipsius loci communitas, in quorum territorio captus fuerit, solvant eam infra terminum suprascriptum; ut sic ad capiendum ipsos hæreticos efficiatur quilibet magis promptus.

Ad solvendum autem dictam pecuniam, prout superius continetur, Dominus, & loci communitas, à loci Diœcesano, vel ab Inquisitoribus per censuram Ecclesiasticam compellantur. Super quo taliter se habeant, quod videantur fidei zelatores. Et hæc omnia Abbates, & Priores exempti in locis suis, quæ non sunt ordinario jure subjecti Diœcesano, similiter facere teneantur. Solliciti etiam sint Domini terrarum, & Ballivi eorumdem circa inquisitionem ipsorum, in civitatibus, castris, villis, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam, & circa hujusmodi apprehensa, seu adjuncta subterranea latibula destruenda.

Statuimus etiam, Tolosanum Concilium innovando, ut quicumque in terra sua de cætero permittet scienter hæreticos commorari, sive propter pecuniam, seu propter aliam quamcumque causam, & inde confessus fuerit, vel convictus, amittat perpetuo totam terram suam, & ad faciendum inde, quod debebit, sit in manu Domini corpus ejus. Si autem de scientia convictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia dissoluta, vel si frequenter in terra sua inveniantur hæretici, aut super hoc fuerit diffamatus, vel defensor, & fautor hæreticorum ab omnibus censeatur. Illam autem domum, in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus, sive ipse fundus confiscatur. Ballivus verò, qui residet in loco, contra quem præsumitur vehementer, nisi contra hæreticos valde sollicitus, & diligens fuerit, & intentus, amittat omnia bona sua; & deinceps, nec ibi, nec alibi ullum obtineat officium, seu ballivam aliquam. Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur; statuimus, ut quilibet in terra alterius possit liberè hæreticos inquirere, ac capere, & locorum Ballivi, & si præsentes fuerint Domini, teneantur inquirentibus, & capientibus bona fide præstare consilium, favorem, & auxilium.

Si verò aliqui hæretici, veteri hæresi sponte dimissa, reversi fuerint ad Catholicam unitatem, suum recognoscentes errorem, non remaneant in loco, in quo fuerant antea conversati, si locus ille suspectus de hæresi habeatur; sed collocentur in alio loco Catholico, qui nulla sit hæresis suspicione notatus. Hæreticis autem, quandocumque ad fidem Catholicam fuerint conversi, credentibus, fautoribus, defensoribus, seu receptatoribus eorumdem, nulla de cætero prorsus officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, nisi per Dominum Papam, vel ejus Legatum prius fuerint in integrum restituti.

Universi tàm mares, quàm fœminæ, mares à decimoquarto anno, & supra, mulieres à duodecimo abjurent omnem hæresim extollentem se adversus sanctam Catholicam, & Romanam Ecclesiam, & fidem Orthodoxam, quibuscumque nominibus censeantur: Jurent verò, quòd fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia tenet, & prædicat, tenebunt pleniùs, & servabunt, & credentes, fautores, defensores, & receptatores hæreticorum, & ipsos hæreticos intimabunt, & manifestabunt diœcesanis, vel inquisitoribus hæreticæ pravitatis; ita ut Archiepiscopi, & Episcopi, quando suam parochiam visitant, juramentum recipiant supradictum, vel cui hoc duxerint committendum: qui fidei articulos, & articulos in ipso juramento contentos, eis, qui jurare debent, prius explicent, & exponant. Nomina autem omnium virorum, ac mulierum in qualibet parochia scribi faciant diligenter: & omnes coram ipso Episcopo, Archiepiscopo, seu coram illo, cui duxerint hoc committendum, prædictum præstent liberaliter juramentum: & si aliquis absens fuerit, & post reditum infra quindecim dies juramentum non præstiterit memoratum, quod ex inspectione nominum potuit apparere, suspectus de hæresi habeatur. Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur.

Porro Tolosano Concilio (quo cavetur, quicunque fuerit de hæresis infamia, vel suspicione notatus, officio medici de cætero non utatur) addentes, statuimus, ut nullus medicus præsumat de cætero prædicare in terris hæresis suspicione notatis, nisi prius de fide sua, præcipuè vita, & moribus fuerit, & loci Episcopo approbatus. Inhibemus etiam, ne Prælati, Barones, Milites, seu quicumque Domini terrarum hæreticis, credentibus, fautoribus, defensoribus, ac receptatoribus eorumdem, Ballivas, seu administrationes terrarum suarum committant, sed nec eos, nec aliquos de hæresi diffamatos, vel quos crediderint de hoc esse suspectos, in sua familia, in suo consilio, aut consortio habere, vel ritenere præsumant. Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos, & graves coram loci Episcopo legitimè constiterit.

Præcipimus quoque, quod Sacerdotes parochiales per se, vel per alios sæpius studeant exponere populo diebus Dominicis, & festivis articulos fidei simpliciter, ac distinctè, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quisquam possit. Et ad hoc idem in sua diœcesi frequentiùs, & diligentiùs faciendum quilibet Episcopus sit intentus: & cum per se non potuerit, per alias honestas personas, & discretas planè, ac explicitè fidem Catholicam, & ipsius articulos faciat prædicari, quia comperimus, quòd propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverint. Pueri quoque à septennio, & supra, ad Ecclesiam à parentibus adducantur diebus Dominicis, & festivis, ut in fide Catholica instruantur, atque Credo in Deum, & Pater noster, & Salutationem beatæ Virginis addiscant.

Præcipimus autem, quod hæretici, ac eorum credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, singulis diebus Dominicis publicè excommunicentur in Ecclesiis, pulsatis campanis, & extinctis candelis: ac in omnibus Ecclesiis singulis diebus in crepusculo omnes campanæ simul pulsentur in detestationem criminis memorati. Commoneantur etiam Comites, Barones, & Rectores, & Consules, Jurati, Judices, & Ballivi civitatum, & aliorum locorum, ac potestates aliæ sæculares quibuscumque fungantur officiis, quod promittant corporaliter, præstito juramento, quod fideliter, & efficaciter contra hæreticos, & eorum complices adjuvabunt Ecclesiam bona fide juxta officium, & posse suum, & quod de terris suæ jurisdictioni subditis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum pro viribus exterminare curabunt: & hoc juramentum de triennio in triennium renovetur. Ballivi verò, Consules, & Judices, & Rectores, quoties de novo fuerint instituti, præstent hujusmodi juramentum, ad quod, si necesse fuerit, per Diœcesanum per censuram Ecclesiasticam compellantur omnes superiùs memorati.

Interim periculosis casibus occurrentes statuimus, ut singuli Inquisitores omnia scripta inquisitionis transcribi faciant, & translata de consensu Legati à sede Apostolica, si in terra fuerit, per Diœcesanum imponantur, & serventur in aliquo loco tuto. De scriptis autem, quæ supra, id fiet de cætero annis singulis ab omnibus Inquisitoribus, idem fiat, vel saltem duplicentur, scriptis, ut dictum est, tuto loco servandis. Et quoniam circa executionem sententiarum ipsorum Inquisitorum reperiuntur aliqui negligentes, adhærentes in his Concilio Valentino, statuimus quod moneantur Comites, Barones, Consules, Vicarii,

rii Judices, & Ballivi civitatum, & aliorum locorum, ac potestates aliæ sæculares per Inquisitores, vel loci diœcesanum, ut ipsorum sententiæ cum omni diligentia exequantur; & si parere non curaverint infra præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipso Diœcesano per censuram Ecclesiasticam compellantur: & si nec se emendaverint, tàm Diœcesanus, quàm Inquisitores contra eos Clero ad hoc congregato, & populo, tanquam contra defensores, & fautores hæreticorum sententialiter procedere non postponant.

Et sententia postquam lata fuerit contra eos, per ipsum, qui eam tulit, vicinis Episcopis publicetur, ut eum denuntient, & observari faciant, & observent. Ne autem inquisitionis negotium per quorumcumque Advocatorum strepitum retardetur, providendo statuit dictum Concilium Valentinum, quod observari volumus, & mandamus, ut ab Inquisitoribus, seu prælatis non admittantur aliqui in ipsius inquisitionis negotio Advocati. Circa Advocatos verò hæreticorum, constitutiones contra hæreticos promulgatas volumus, & præcipimus observari.

Advocati.

De muris autem ipsis, & immurandis celeriter faciendis; statuendo mandamus, ut illi faciant ipsos muros, qui bona occupant eorumdem, & fiant, ubi diœcesanus Episcopus noverit instruendos. In quibus muris arcis sic sint clausi, quod exire inde non valeant ullo modo: quibus immuratis, & immurandis provideatur in necessariis secundum dispositionem prælati ab illis, qui bona ipsorum tenuerint: si verò non habeant ulla bona, Dominus, & loci communitas, ubi inventi fuerint, providere eis in necessariis non postponant, & ad hoc, si opus fuerit, à Diœcesano per censuram Ecclesiasticam compellantur. Statuimus insuper, & mandamus, ut, si per inquisitionem reperiatur aliquos defunctos fuisse hæreticos tempore mortis suæ, exhumentur, & eorum cadavera, sive ossa publicè comburantur, defensione legitima eorum hæredibus reservata. Pro his autem, quibus cruces, si viverent, essent imponendæ, ipsorum hæredes diœcesani, aut inquisitorum arbitrio satisfacere compellantur.

Hæretici post mortē exhumati.

Volumus insuper, & mandamus, ut temporales Domini ad occupandum, & confiscandum bona immuratorum, & illorum, qui relinquentur curæ sæculari, exhumandorum quoque à diœcesano, & Inquisitoribus per censuram Ecclesiasticam compellantur, cum ex............ quibusdam de bonis ipsis aliqua gratia facta fuit remanendi in ipsis nemoribus, necnon fugiendi eosdem, eis præstitum fuerit, ut accepimus. Denique cum plures intrent solitarii ad hæreticos adhortandos, ut per testes nequeat hoc probari, Concilii approbatione statuimus: ut si quis hæretica pravitate suspectus, domum intraverit, in qua hæreticum esse sciat, absque alia probatione adhortasse hæreticum vehementissimè præsumatur. Porrò qui citati legitimè super crimine hæresis, cum essent de hæretica pravitate suspecti, contumaciter se absentant, nec volunt parere coram Diœcesano, vel Inquisitoribus, itaut excommunicationis sententiam per annum, vel amplius vilipendant, ut hæretici condemnentur, etiamsi nihil aliud probatum fuerit contra eos.

Omnis autem utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, confessionem peccatorum faciat proprio sacerdoti: similiter alii de voluntate illius injunctam sibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno in Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste suscipiant Eucharistiæ cum omni reverentia sacramentum. Itaque confessio communionem præcedat, nisi fortè ob aliquam causam rationabilem ad tempus ab ejus receptione de consilio proprii sacerdotis abstinuerint, suspecti de hæresi habeantur. Item statuimus, ut parochiani, Dominus, & Domina cujuslibet domus,

Communio per in anno fiat.

A diebus dominicis teneantur ad Ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem, & divinum officium, nec recessuri inde, donec Missæ compleatur oratio. Quod si alter eorum absens fuerit extra villam, infirmitate, vel alia causa rationabili præpeditus, vel alter saltem venire teneatur. Quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, aliqua infirmitate, nec alia causa rationabili detenti, saltem duodecim solidos usualis monetæ solvere quilibet teneatur, quorum medietas sit Domini villæ, & alia medietas Ecclesiæ applicetur.

Et quoniam contemnere claves Ecclesiæ multos videmus, tàm contra hæreticam pravitatem, sacros Canones, quàm alia Concilia innovantes, districtius præcipimus, ut excommunicati vitentur ab omnibus, juxta Canonicas sanctiones; firmiter statuentes, ut nullus Comes, vel Baro, seu aliqua
B sæcularis potestas, multo minus nullus Clericus, vel prælatus, aliquem excommunicatum faciat suum judicem, consiliarium, seu Ballivum, alioquin quicumque scienter contra hoc fecerit, minori excommunicatione ipso facto eum esse decernimus irretitum. Adjicientes, quod si aliquis Clericus, vel Prælatus, alicui excommunicato scienter in mensa participare præsumpserit, per unum mensem sit ei Ecclesiæ ingressus interdictus. Laicus verò simili modo excommunicato si participaverit per unum mensem, ad divina officia nullatenus admittatur: à quo interdicto Clericus, vel laicus non nisi per Episcopum: Episcopus autem si simile commiserit, nonnisi
C per superiorem suum absolutionis beneficium valeat obtinere. Item circa Episcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos, qui sunt in regno Franciæ, statutum Narbonensis Concilii; quantum verò ad illos, qui sunt extra Regnum Franciæ, Valentinum Concilium observetur. De excommunicatis autem in Consules, Potestates, Rectores, Assessores, Ballivos, vel ad alia publica officia nullatenus assumendis, & illis, qui tales scienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denuntiatores excommunicationum statuta banna faciunt, seu præcepta, ac de excommunicatis publicè, qui se officiis Ecclesiasticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, à sacerdote moniti, vel prælatis, & de interfectoribus Clericorum, supradictum Concilium
D Valentinum servari volumus, & mandamus. Et quoniam excommunicationis, interdicti, nec non suspensionis sententiæ, sine maturitate debita non sunt ferendæ; Constitutiones bonæ memoriæ Papæ Innocentii quarti, *cum medicinal. &c. quoniam periculosum*, &c. *solet à nonnullis*, &c. in earum perlationibus observentur. Districtè nihilominus inhibemus, ne Episcopus, vel Prælatus, vel alius, ad quem sententiarum spectat absolutio prædictarum, cum talibus sententiis jam satisfecerint, vel parati sint satisfacere, juxta Ecclesiæ arbitrium de offensis pro solo actu absolvendi, quodcumque extorquere præsumat.

Præterea inhærentes Tolosano Concilio, volumus, & præcipimus, ut testamentum, vel ulterius
E voluntas cujusque in præsentia semper Catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius personæ Ecclesiasticæ, de voluntate ipsius parochialis Præsbyteri locum ejus tenentis condatur; præsertim, ut idem sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, & ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio habeatur, & maximè ut ea, quæ in pias causas reliquerit, sine fraude fideliùs, & citiùs persolvantur. Quòd si testator vocare, ut diximus, sacerdotem parochialem, & viros Ecclesiasticos contempserit, careat Ecclesiastica sepultura, donec de hujusmodi contemptu, qui eo tempore præsumitur, nisi eos vocaverit cum effectu, Ecclesiæ satisfactum fuerit competenter,

petenter. Notarius verò, qui absque solemnitate superius expressa notare, vel scribere præsumpserit testamenta, vel ultimas voluntates, quousque ad cognitionem diœcesani satisfecerit, ingressum Ecclesiæ sibi interdictum noverit. Verum quia parochiales Presbyteri circa solutiones eorum, quæ ad pias causas à decedentibus relinquuntur, existunt negligentes, præcipuè ex quo in his, quæ ad eos proveniunt, eisdem fuerit satisfactum, statuimus, ut omnia legata ad pias causas ab ipsis testatoribus derelicta, omnes parochiales sacerdotes in scriptis penes se deinceps curent plenius retinere, ut sciant quid, quantum, à quo, & à quibus legatum fuerit, seu relictum, circa quorum absolutionem eos sollicitos esse præcipimus, & intentos; statuentes, ut post obitum testatoris infra quindecim dies, hæres ab ipso parochiali Presbytero requisitus, ipsius testamenti, seu ultimæ voluntatis eidem sacerdoti dare transcriptum, seu translatum, quoad legatum piis causis, & piis usibus deputatum, expensis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem Presbytero per Censuram Ecclesiasticam valeat compelli ipse hæres. Insuper statuentes, ut legantur in Ecclesia publicè, tùm maximè die dominica, vel festiva, legitima, & legata omnia supradicta, ut, quid cui legatum fuerit, vel relictum, minimè ignoretur.

Item præcipimus, ut nullus sacerdos, vel Clericus regularis, vel sæcularis aliquam fœminam teneat intra septa Ecclesiæ, de qua mala suspicio valeat exoriri.

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus Ecclesiis, quarum redditus, & proventus annuatim attingunt summam quindecim librarum Turonensium, expensis duntaxat, quæ fuerint colligendo, & reponendo, deductis.

Statuimus etiam, ut Episcopi, & Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati, Rectores, vel alios, qui ad hoc de consuetudine tenentur, compellant per Censuras Ecclesiasticas ad reficiendum Ecclesias rurales, & alias domos, & alias officinas eisdem Ecclesiis necessarias, & servitoribus earumdem, prout ipsis, qui tenentur, propriæ suppetierint facultates.

Item volumus, & præcipimus, ne aliqui Clerici sęculares in sacris ordinibus constituti, & qui de beneficiis Ecclesiasticis sustentantur coram sęculari judice, nisi in casibus à jure concessis: nec etiam aliqui Regulares coram quocumque judice sine sui Majoris licentia speciali, officium Advocati non assumant indebitè.

Statuimus quoque Valentinum Concilium innovando, ut nulli Clerici in sacris ordinibus constituti, seu Canonici Cathedralium Ecclesiarum, seu aliàs beneficiati, Judicatum, Consulatum, Assessoriam, vel alia officia publica in curia sęculari, electi à populo, vel à sęculari persona recipiant; & si receperint, nisi infra mensem, postquam publicata fuerint in suis diœcesibus, hæc statuta non dimiserint, ab officio, & beneficio suspendantur: & si per annum in contumacia perstiterint, suis beneficiis per suos Episcopos sine spe restitutionis priventur.

Ad hæc statuimus, ut nullus Regularis in frænis, pectoralibus, aut calcaribus, & sellis suis usibus deputatis, auro, vel argento utatur; sed sint sellæ Regularium albæ, vel nigræ, vel rasæ. Denique statutis Canonicis, quæ olim sunt prodita pro honestate Clericorum, ac vita, illud duximus adnectendum, ut aliquis Clericus botones, vel firmallos aureos, vel argenteos, deauratos, vel deargentatos deferre in aliquibus vestibus non præsumat.

Statuimus insuper, antiquos Canones innovando, ne Clerici in sacris ordinibus constituti, & qui beneficiis Ecclesiasticis sustentantur, ad aleas, & taxillos non ludant: Coronam, & Tonsuram habeant congruentem: Quod sic intelligi volumus, & servari, ut omnes Prælati, & Regulares personæ supra aures in gyrum, ita quod aures omnino pateant, sive attonsi, alii verò in rotundum ad minus usque ad medium aurium tondeantur.

Commatres quoque sibi facere, pueros de sacro fonte elevando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus Clericis tàm sęcularibus, quàm Regularibus inhibemus.

Aves venatorias præterea quisquam Clericus in sacris ordinibus constitutus, vel alius, qui de beneficio Ecclesiastico sustentatur, in publico manu propria deferre non præsumat: & cum avibus, & canibus non venetur, aut instrumenta venatoria manu propria deferendo, nec frequentet hospitia mulierum.

Trepidare quoque, quod vulgariter biordiære dicitur, cum scuto, & lancea aliquis Clericus publicè non attentet; quia ex his multa dissolutionis, lasciviæ, & scandali materia generatur, frænis autem, & calcaribus, seu pectoralibus deauratis nullo modo utantur.

Item nulli Regulari pro vestibus, seu pro pitantia, à suo Majore pecuniæ summa detur: ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi; sed omnes in vestiario induantur. *Regularium mores.*

Prohibemus quoque districtius, ut nulli Regulares cum balandranis, seu gamarsiis, vel aliis vestibus laicorum equitent, vel incedant, sed cappas rotundas publicè deferant, vel suum habitum regularem. Et quia plurimi Regulares Regularem deferre habitum erubescunt, Montis pessulani, & Avenionensi Conciliis inhærentes statuimus, ut omnes Monachi nigri, & Canonici Regulares, vestes deferant albas, vel nigras, ut, cùm qui ex antiqua Ecclesiæ suæ consuetudine albas hactenus portaverint, hujus constitutionis prætextu nigras, vel è contra deferre propterea non præsumant; cum in unaquaque Ecclesia velimus unum habitum secundum statum antiquum, & laudabilem observari: districtè præcipientes, ut Regulares aliqui clara, vel nigra, bruneta, vel panno alio sumptuoso, scudato quoque, aut serico non utantur. Ut autem prædicta serventur ab omnibus Clericis tàm Regularibus, quàm sęcularibus, ipsius Concilii approbatione inconcussè statuimus, ut qui contra prædicta venerit, vel aliqua prædictorum, sit ipso facto ineligibilis ad beneficium Ecclesiasticum, & multo magis ad Ecclesiasticam dignitatem, ad quod, vel quam post hujusmodi excessum, primo eum eligi contigerit, vel vocari, nisi cum eo fuerit per sedem Apostolicam dispensatum.

Statuimus etiam, ut si talis fuerit prioratus Monachorum, in quo tres Monachi valent commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & unus ex eis Prior fiat, qui curam habeat animarum, vel aliorum. Si verò tot fratribus non sufficiat prioratus, cum pauciores vix possint regulariter vivere, duæ, vel tres Ecclesiæ, juxta arbitrium diœcesani Abbatis, seu Præpositi, vel Prioris, cui, vel quibus Ecclesiæ illæ subsunt, conjungantur in unum; & illi Priori, qui instituetur in una ipsorum, respondeant, qui Prior in illis Ecclesiis, in quibus tres non fuerint, ministret per presbyterum sęcularem. Adjicentes, ut si ille, ad quem spectat prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit, vel remissus, ipsorum prioratuum ordinatio devolvatur ad superiorem proximum.

De Prioratibus verò Canonicorum Regularium, cum Regulæ inserviant laxiori, si pluribus non sufficiat Prioratus, duo saltem Canonici in Prioratu ponantur: quod si nec duobus facultates sufficiant Prioratus, fiat, sicut de prioratibus Monachorum. Hoc enim in iis præsertim agimus, ut Monachus, vel Canonicus Regularis absque sociis, vel socio sui Ordinis non moretur.

Sanè cum in collatione bonorum Ecclesiasticorum haberi debeat principaliter ante oculos solus Deus, distri-

districtè præcipimus, & mandamus, ut omnia Ecclesiastica bona personis idoneis, & statuto à Canonibus tempore conferantur; nullo præcepto, vel promissis, remotis omni conditione, & pacto, absque omni diminutione, nova pensione in eisdem ad opus conferentis, vel alterius non injecta, prout Canonicæ statuunt sanctiones: circa quæ fraudem quamlibet devitari prorsus volumus, & districtè mandamus. Firmiter inhibentes, ne redditus Ecclesiarum vacantium præsumat quisquam, præterquam ipsius Ecclesiæ, quæ vacat, usibus applicare, aut easdem bonis suis aliquibus spoliare: si autem aliquis scienter contra fecerit, ipsorum beneficiorum aliter, quàm supradictum est, collatorum in pœnam ipsius conferentis, & ejus, qui recipit sic collata, ad superiorem ea vice tanquam vacantia per statutum hujusmodi devolvantur.

Beneficia ut conferenda.

Verùm quia in procurationibus exigendis, quæ ratione visitationis debentur, quidam Prælati excedere asseruntur subditos inhumaniter aggravantes; quos paterna tenentur gubernare providentia, statuimus, ac districtè præcipiendo mandamus, ut omnes Prælati cùm Ecclesias sibi subditas visitabunt, priùs proposito verbo Dei tàm clero, quàm populo, ac explicatis præsertim articulis fidei coram eis, quæ erant de vita, & conversione ministrantium in eisdem; Ornamenta tàm altarium, quàm sacerdotum, præcipuè corporalia, vasa, & calices, si sint munda diligentius intuentes, cùm in plerisque Ecclesiis interdum talia consueverint reperiri, quæ sint horrori potiùs, quàm honori. Intendant etiam ad emendationem congruam ministrorum per salubria monita, nunc lenia, nunc aspera, juxta datam sibi à Domino providentiam, & doctrinam. Notoria verò crimina, quæ examinatione non indigent, neque egent, cùm super his notari possit meritò ordinariorum negligentia, corrigant sine mora. Statuentes, ut prædictas procurationes nullus recipiat, nisi cùm per se, vel per alium providum, & honestum ipsas Ecclesias visitaverit: nullam tamen pecuniam ipse, vel alius pro eodem exigat, vel recipiat ullo modo, nisi una Ecclesia sine alterius auxilio visitatori commodè possit providere, attentius provisurus, ut aliquis de familia sua occasione alicujus officii, vel consuetudinis, seu quolibet alio modo, præter victualia moderata, quidcumque exigere, vel etiam recipere non attentent. Caveant insuper, & attendant, ut qualitercumque offerat, recipere non præsumant; ut non quæ sua sunt, sed quæ JesuChristi quærere videantur.

Prohibemus, & mandamus, ut, cùm prædictas Ecclesias visitabunt, non excedant evectionum numerum in Lateranensi Concilio constitutum: Attendentes, quod de prædicto ibidem evectionum numero continetur, secundum tolerantiam esse dictum in illis locis, in quibus ampliores sunt redditus Ecclesiasticæ facultatis; in pauperioribus autem locis tantam volumus, & præcipimus teneri mensuram, ut excessu majorum minores meritò non debeant se gravari: nec sub tali indulgent a illi, qui hactenus paucioribus equis uti solebant, indultam potestatem plurium sibi credant.

Visitatio Ecclesiarum.

Volumus insuper, & mandamus, ut in visitationibus supradictis non quærant epulas superfluosas, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè, ac competenter illis fuerit ministratum. Circa verò exactiones, & tallias à subditis exigendas supradictum Lateranense Concilium ab omnibus volumus, & præcipimus observari: adjicientes, ut in una, eademque Ecclesia nisi una die absque legitima causa, & necessaria non morentur ad expensas Capellani Ecclesiæ, vel lectoris. Quod si fuerit contra præsumptum, contra faciens Dei maledictionem incurrat, à qua, nisi duplum restituat, non liberetur.

Ad hoc quia plus solito contemnitur religio juramenti contra perjuros quoslibet manifestè statutum Avenionensis Concilii utriusque volumus observari:

A adjicientes, ut occultè transgressores liciti juramenti ab omnibus parochialibus Presbyteris ad Episcopum transmittantur, qui injungat eis de hoc pœnitentiam salutarem.

Licèt autem ad extirpandum vitium usurariorum pagina utriusque Testamenti conveniat, statutum Avenionensis Concilii super his editum innovamus, statuentes, ut servetur ab omnibus, prout in ipso plenius continetur. Adjicientes, ut Christianos ad solvendum Judęis, vel aliquibus aliis usuras aliquas non compellat ullus judex Ecclesiasticus, vel etiam secularis. Statuimus insuper, si sit dubium, an sit aliquid de usuris illis debitis, quæ interdum à Christianis postulant sibi solvi, iidem Judæi veritatem priùs dicere juramento super legem Mosaicam astringantur, rationibus aliis convenientibus, quæ ad probandas usuras inductæ

B fuerint, non rejectis: etiam hoc de mutuis cum ipsis Judæis usque modò contractis observandum. Statuimus, & mandamus in his, aut quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quicquam usurarium sit in eis, & in eo, quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur.

Usur... dæor...

Et quoniam ex cappis rotundis, quas Judæi portant communiter, honor vehementer confunditur Clericorum, qui cappis rotundis ex more utuntur, præsentis approbatione Concilii duximus statuendum, ut Judæi aliqui deferre cappas rotundas de cætero non præsumant, sed cappas portent de cetero, & deinceps manicatas, ita quod manicæ longæ sint adeò, sicut cap-

C pæ, nec in eisdem manicis plicatura sit aliqua, atque rugæ.

Portent insuper rotam amplam continuo, & publicè ante pectus, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, ac unius palmi dimidii altitudo. Carnes quoque, quas ipsi privatim faciunt in domibus suis in macellis Christianorum, vendere non attentent. Et quia in contemptum nostrum Judæi aliquibus cibis nostris, & potibus non utuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Christiani audeant uti suis. Abusum quarumdam partium abolentes, districtivè precipimus, & mandamus, ne Christiani contra Judæos in testimonium in omnibus contractibus, & in omnibus Curiis admittantur: ne autem Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab eisdem, diebus Dominicis, & festivis operari publicè non

Vestis ... dæoru...

Forte ... dæi co... Christi... nos.

D præsumant.

Excommunicentur præterea Christiani, qui causa medicinæ curæ se commiserint Judæorum. Adjicientes, ut Judæorum Domini prædictorum per Censuram Ecclesiasticam compellantur, ut Judæos suos portare faciant continuè, & publicè rotam, & habitum supradictum. Ipsos quoque Judæos per excommunicationem in Christianos, qui in commercio, vel aliis participationem habebunt aliquam cum eisdem.

Nova autem pedagia quocumque nomine censeantur, scienter quisquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quod si quis fecerit, excommunicationis sententiam per sedem Apostolicam in iis singulis promulgatam incurrat, quod nisi monitus ab iis desti-

E terit, per diœcesanum precipimus solemniter publicari.

Hoc Concilium ex veteribus manuscriptis ab oblivione vindicavit Lucas Dacherius Benedictinus tom. 2. Spicilegii.

CONCILIUM PARISIENSE,

Sub Sancto Ludovico Rege Galliæ contra Blasphematores circa hęc tempora.

GAufridus de Bello loco ordinis Prædicatorum, ac Confessor D. Ludovici in vita ipsius cap. 32. Plu-

Plurimum, inquit, anxiabatur, & compatiebatur cor ejus super pestem illam generalem, quæ ab antiquo noxa occupaverat, specialiter regnum suum: videlicet vitium adjurationum turpium, & blasphemiarum in Dominum, & in Sanctos ipsius. Zelo igitur divino permotus, & solerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari, habito prius diligenti consilio cum Domino Simone S. Ceciliæ Presbytero Cardinali, tunc Apostolicæ sedis Legato in Francia, auctoritate ipsius Legati, & sua convocati sunt Parisios majores de regno tàm principes, quàm prælati; ut super hoc damnabili vitio refrenando, vel potius destruendo apponeretur consilium, & remedium salutare. Igitur à Domino Legato facto super hac materia sermone solemni plurimum efficaci, Rex Catholicus zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, & rationibus validis, & apertis subnixam. Igitur de communi consilio, & assensu edidit pius rex generale statutum, quod per totum regnum servari, & promulgari voluit.

Statuta edita contra juratores, & blasphemos habentur apud Joannem Joinvillæ Dominum: cum autem post hujusmodi edictum civis quidam Parisiensis conditionis mediocris, inhonestè valdè jurando blasphemasset in Deum, rex justus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis absque misericordia, ferro candenti, in peccati sui memoriam sempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cum multi secundum seculum sapientes, propter hoc contrà regem verbis maledicis murmurarent, dixit verbum Catholicum, videlicet quod desiderabat potius simile cauterium sibi in labiis esse factum, & quoad viveret, talem indecentiam sustinere, dummodo hujusmodi perniciosum vitium de regno suo penitus tolleretur.

CONCILIUM BITERRENSE,

Habitum Anno MCCLV. *Ludovico Rege regnante, præside Guillielmo de Broa Archiepiscopo Narbonensi.*

De hoc Concilio duo memorantur à Baluzio in Conciliis Galliæ Narbonensis.

Alterum est, quod cum Petrus de Anatolio Senescallus Carcassonensis, & Biterrensis obsideret Castrum de Querbus nomine regis, subsidiumque, ac succursum peteret ab Archiepiscopo Narbonensi, & ejus suffraganeis in Concilio congregatis, habita matura deliberatione reperierunt, quod ex debito non tenerentur sequi Dominum regem, vel ejus Senescallum in exercitum, & si illud fecerunt quandoque non nisi mandato Legatorum Ecclesiæ Romanę, vel Domini Archiepiscopi Narbonensis, & nunquam mandato solius Senescalli fecerint. Et ideo non ex debito, nec ex mandato, vel rogatu dicti Senescalli, sed potius ex gratia, & honore Domini Regis, & quia dicitur, & fama est, dictum castrum fuisse receptaculum hæreticorum, furum, & latronum; unde etiam negotium pacis, & Ecclesiæ esse videbatur, concorditer convenerunt, quod ipsi prælati, & eorum homines moderatè, secundum quod eis honestum esse videbitur, in obsessione, & expugnatione dicti castri Domino regi præbeant auxilium, & succursum. Salvo tamen jure libertatis, & immunitatis suæ, & Ecclesiarum suarum, & sine omni suo, & Ecclesiæ præjudicio in futurum.

Alterum est, quod in eodem Concilio Biterrensi relicta fuerint statuta sancti Ludovici Francorum Regis pro reformatione morum in Galliam Narbonensem ejus jussu delata à Guidone Fulcodii: In quibus multa decernuntur de juramentis à judicibus præstandis, ut justitia debitè administretur sine cujusquam injuria, inter alia jurabunt etiam donum, seu munus quodlibet à quacumque persona per se, vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuscumque mobilibus, vel immobilibus, vel se moventibus, seu beneficiis personalibus, sive perpetuis, præter esculenta, & poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat.

Jurabunt etiam, quod ab illis de sua Senscallia, vel Ballivia, nec ab illis, qui causam habent coram ipsis, vel scient in proximo habituros, mutuum non recipient per se, vel per alium ultra summam viginti librarum, quas reddent à die contracti mutui infra duos menses, licèt etiam creditores velint solutionis terminum prerogari.

Inhibemus verò districtè Senescallis, & Ballivis nostris possessiones aliquas per se, vel per alium emere, administratione sua durante, in Senescallia, vel Ballivia sua, vel fraudulenter in alia sine nostra licentia præcedente, quod si fecerint, emptionem irritam esse, & possessiones sic emptas fisco nostro, si nobis placuerit, volumus applicari.

Prohibentes insuper Senescallis, & Ballivis nostris, ne quamdiu Senescalli, vel Ballivi fuerint, sibi, vel suis liberis, fratribus, aut sororibus, Nepotibus, Neptibus, Consanguineis, vel quibuscumque de sua familia matrimonia copulent cum personis suæ Senescalliæ, aut Balliviæ suę sine nostro speciali consensu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia Ecclesiastica, vel possessiones eis acquirant.

Senescalli nostri, & inferiores Ballivi caveant sibi à multitudine Bedellorum, &, quantò paucioribus poterunt, sint contenti ad curiarum exequenda præcepta, & illos nominent in assisia publica, aliter verò pro bedellis minimè habeantur, *&c.*

Nota. in his statutis quanta sollicitudo fuerit Pii Regis, ut judices integri essent, & sine dispendio cujusquam jus unicuique redderent. Hæc enim potior Regis administratio, & pars præcipua regiminis, ut per judices populi nec graventur indebitè expensis litium, nec iniquè rebus suis spolientur. Regimen enim in tyrannidem vergit, si non contineantur in officio judices per potestatem superiorem. Ac ipse Rex liber erit coram Deo, si probos judices constituerit, quamdiu negotium ad ipsius personam devolutum non fuerit. *Judicum integritas.*

CONCILIUM BURDIGALENSE,

Præside Gerardo de Malemort pro disciplina Ecclesiastica celebratum tempore Alexandri IV. & Ludovici IX. anno 1255.

Constitutio Domini G. Burdigalensis Archiepiscopi de Clericis beneficiatis.

Præcipitur omnibus Clericis habentibus Ecclesias, ut continuam faciant residentiam in eisdem, & ad singula tempora ordinum se offerant ordinandos: alioquin nulla alia monitione præmissa suis beneficiis noverint se privatos. *Residentia.*

De quæstoribus.

Item inhibemus sacerdotibus, ne quæstorem permittant in suis Ecclesiis, nisi de mandato nostro, sive Apostolico, prædicare: sed ipsi exponant subditis suis id solummodo, quod in Apostolicis, & nostris literis viderint contineri. Caveant insuper, ne cartellos à quæstoribus recipiant, nisi primitus diligenter inspectos, quod in iis nec major indulgentia, nec ampliora beneficia exprimantur, quàm in literis supradictis.

De Presbyteris alterius Diœcesis.

ITemque inhibemus, ne Presbyteri, nisi de Diœcesi fuerint, ad serviendum in Ecclesiis admittantur: nisi de licentia nostra speciali, quod si secus fuerit attentatum, sciant se, qui eos acceperint, animadversione debita puniendos.

De exequendis citationibus.

ITem præcipimus, ut, cum literæ citatoriæ elapsa majore parte termini assignati primo fuerint præsentatæ, ille, cui literæ diriguntur, mandatum nullatenus exequatur: ne per fraudem occultantis facultas adeundi judicem, aut mittendi procuratorem adversario subtrahatur. Si verò oblatæ fuerint in tempore competenti, seu, qui citandus est, commodè nequeat inveniri, tunc eo invento intra terminum, mandatum nihilominus exequatur.

De communicatione puerorum.

INhibetur Presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Paschæ: sed panem benedictum communem. Idem de aliis prohibitis, communicare, præcipimus observari.

Ut redditus Ecclesiarum scribantur in Missalibus.

PRæcipitur sacerdotibus, ut omnes redditus Ecclesiæ scribant in Missalibus suis, & de rebus Ecclesiæ, vel Presbyterii nihil alienetur, nisi per Episcopum.

Quando non licet super reliquias jurare.

REliquiæ non tradantur laicis ad jurandum, nisi certis temporibus. Decrevit enim sancta synodus, ut à septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & in jejuniis quatuor temporum, & litaniis majoribus, & in Dominicis diebus rogationum, nisi de concordia, & pacificatione, nullus super Dei Euangelia jurare præsumat, & in his diebus non debent sacerdotes reliquias præstare ad jurandum.

De querelis Capellanorum.

NUllus sacerdos, vel alia persona Ecclesiastica de personalibus injuriis, vel eleemosynis Ecclesiæ factis audeat litigare, nisi de consensu Episcopi, coram judice sæculari.

De Reliquiis.

IN Concilio statutum est, quod à modo reliquiæ extra capsam nullatenus extrahantur, nec exponantur venales. Inventas autem nemo de novo venerari publicè præsumat: nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.

De Clericis, ne intersint vindictæ sanguinis.

NUllus Clericus sententiam sanguinis dictet, aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut, ubi exercetur, intersit: nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.

De absolutione excommunicatorum à capitulo facienda.

CUm quidam simplices Capellani parochianos suos excommunicatos in mortis articulo laborantes, cum juramento, quod eorum hæredes stent juri, indifferenter absolvant, licèt plerique parochiani sint pro manifesta offensa, vel pro re judicata excommunicatio-

A nis sententia innodati, firmiter inhibemus, ne aliqua Ecclesiastica persona excommunicatum aliquem pro manifesta offensa, vel pro re judicata præsumat absolvere, nisi ab ipso infirmo, vel alio nomine ipsius adversario ejusdem infirmi fuerit prius satisfactum: Dum tamen infirmus non possit per inopiam probabiliter excusari. Si verò ab aliquo, non servata hujus forma, infirmus excommunicatus fuerit absolutus, absolvens adversario defuncti in solidum teneatur.

Ne in Claustris Religiosorum litigetur.

CUm religiosarum personarum, & Monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes Divinæ possint B liberiùs servire majestati, Canonum statuta sequentes districtè præcipimus, & mandamus prælatis, & omnibus Clericis, & laicis universis, ne infra Basilicas, vel claustra religiosorum Conventuum regularium conventualium litigare præsumant, vel audire aliquatenus litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud preceptum eis fuerit publicatum, nos transgressores dicti præcepti sub districti ponimus sententia interdicti.

De decimis, & primitiis.

PRæcipimus laicis universis, qui decimas, & primitias detinent contra salutem propriam animarum, quod eas dimittant Ecclesiis, quarum existunt. Quod si facere noluerint, eos præcipimus latæ à bonæ C memoriæ Guillielmo predecessore nostro sententię subjacere, videlicet quodad matrimonium, vel Eucharistię communionem, aut sepulturam Canonicam, vel ad purificationem post partum ipsum, vel uxores eorum, aut filii, & filiæ in eorum potestate constituti, vel existentes nullatenus admittantur.

De assensatoribus decimarum.

ASsensatores autem decimarum à laicis, si laici fuerint, simili sententia se noverint irretiri: nisi eorum dominio adeo sint subjecti, quod eorum non audeant imperio contraire. Si verò Clerici sint iidem assensatores, excommunicationis vinculo se noverint innodatos. Quas quidem sententias ab universis Ecclesiarum prælatis sub pœna excommunicationis præci- D pimus observari.

Item de decimis.

NUlla detur laicis detentoribus decimarum, vel eas repetentibus audientia in foro Ecclesiastico super decimas, nisi eas auctoritate Ecclesiæ possideant.

Item de decimis.

DEcrevimus, quod aliqui laicorum vendere, vel emere, vel obligare decimas, quas Ecclesiis Canones decernunt, quarum existunt, aliquatenus non E præsumant. Quod si facere præsumpserint, illos censuimus excommunicationis sententiæ subjacere.

Item de primitiis.

ITem statuimus, ne Prælati, vel Clerici in alienis parochiis, vel Provinciis decimas præsumant aliquatenus emere, vel titulo pignoris recipere, nisi de voluntate Episcopi, vel assensu, &c.

Item de decimis.

ITem inhibemus laicis Decimariis universis, ne de Sanctuariis Ecclesiarum decimas exigant, vel recipiant

cipiant ullo modo: & si facere præsumpserint, ipsos excommunicationis sententia decrevimus suspendendos.

Item de decimis.

ITem districtius inhibemus, ne aliqua Ecclesia conventualis, vel alia persona sæcularis, decimas ab aliquo recipiat emptionis, vel venditionis, obligationis, seu donationis titulo, seu alio aliquo modo: nisi eas dumtaxat, quæ ad Ecclesiam suam spectant, videlicet extra metas Ecclesiæ suæ contentas.

Item de primitiis.

DE Primitiis verò statuimus, ut laici per censuram Ecclesiasticam compellantur, trigesimam, vel quadragesimam partem, usque ad quinquagesimam nomine primitiæ persolvendam.

Item de decimis veteribus.

LIcèt per statuta Canonica decimæ ad Parochiales Ecclesias pertinere noscantur, quædam tamen Ecclesiæ ex præscriptione, aliæ ex consuetudine veteres decimas possideant in parochiis alienis: Nonnulli Ecclesiastici nullo jure suffulti, sed avaritia, & pertinacia sola ducti decimas in animarum periculo detinere præsumant. Sed his tàm Clerici, quàm laici non contenti ad novalia, quæ specialiter Parochialibus Ecclesiis jura
alia. reservant, extendunt illicitè manus suas, & eædem Ecclesiæ omnino jure suo quoad novalium decimas defraudantur. Volentes igitur huic præsumptioni Clericorum, & laicorum, prout possumus, obviare, & Ecclesiarum indemnitatibus providere: omnibus omnino prohibemus, ne quisquam de cętero Clericus, aut laicus occasione veteris decimæ novalia recipiat: sed ea Parochialibus Ecclesiis, in quibus novalia excreverunt, liberè possidenda permittat, usibus ministrorum Ecclesiæ profutura. Si verò quisquam temerarius hujus nostræ constitutionis contemptor novalia de cætero receperit, in Parochiarum prejudicium, & gravamen, ipsum excommunicationis vinculo innodamus.

Item de decimis novalium.

MOnemus etiam omnes illos, qui à triginta annis, vel citra hujus novalia ceperunt, ut infra duos menses sine difficultate restituant Ecclesiis, ad quas
ujus- pertinere dignoscuntur de cætero liberè possidenda. Ne verò quisquam per negligentiam ab hujus sententiis se valeat excusare, præcipimus hanc constitutionem per Presbyteros frequenter in suis Ecclesiis prędicari.

De pœna decimariorum.

QUia parum est jura, & constitutiones condere, nisi sint, per quos jura, & constitutiones serventur, & illa constitutio contra decimarios per bonæ memoriæ Dominum Guillielm. prædecessorem nostrum, videlicet quod decimarii, & uxores eorum, & filii, & filiæ in eorum potestate existentes, in his articulis ab Ecclesia evitentur, scilicet matrimonio, purificatione post partum, Eucharistia, & Ecclesiastica sepultura: illo articulo remoto, quod decimariorum filii ad ordines admittantur, cum semper sit cultus divini nominis ampliandus, Statuimus, ut quicumque Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel alius Clericus regularis, aut sæcularis prædicta sacramenta, vel aliqua de præmissis prędictis personis, vel alicui ministrare præsumpserit, seu procuraverit ministrare, ex tunc ipso facto Ecclesiastico subjaceat in-

A terdicto: aliàs tàm nobis, quàm Ecclesiæ, vel Ecclesiis, in cujus, vel quarum Parochiis hujus decimariorum decimæ subsistunt, secundum arbitrium puniantur. Dignum est enim, ut, quos timor Dei à malo non revocat, temporalis saltem severitas coerceat disciplinæ.

De pœna decimariorum.

VErum volentes animarum vitare periculum, statuimus, ut uxoribus decimariorum, ad quos decimæ non pertinent ullo jure, si ultimo mortis articulo sacramenta, vel sacramentalia cum humilitate poposcerint sibi dari, sed juramento corporali firmaverint, quod maritos decimarios pro posse suo inducent ad decimas Parochiali, vel Parochialibus Ecclesiis dimittendas, vel aliter componendum, prædicta eis, excepta Ecclesiastica sepultura, minimè denegentur: sed postquam convaluerint, quamdiu in sanitate permanserint, ad prædicta nullatenus admittantur.

B

De juribus Capellanorum.

STatutum est ab initio, & nos volumus observare, ut Parochiani per Capellanos suos compellantur, ubi contradictio erit, procurationes annuas exhibere, & insuper monemus Festivas, & oblationes in præcipuis solemnitatibus, & alia jura Parochialia Capellanis suis solvere, & si gratis noluerint, Ecclesiastica censura præcipimus coerceri.

C

Ne pro sacramentorum administratione aliquid exigatur.

VOlumus, & præcipimus, ne aliquis sacerdos quicquam exigat pro administratione aliqua sacramenti, quo usque ex toto fuerit ministratum, & tunc secundum consuetudinem Ecclesiæ honestè poterit, quod justum est expetere, ut à suis invenerit prædecessoribus ordinatum. Inhibemus fortiter, & districtè, ne pro beneficiis conferendis, vel Ecclesiasticis sacramentis, aut justitia exigenda aliqua pecunia exigatur, vel recipiatur. Si verò alia de consuetudine D laudabili, & antiqua debentur, postea à subditis exigantur.

Jura ut petere debent Sacerdotes.

De excommunicatis invito sacerdote Ecclesiam intrantibus.

DE laicis excommunicatis, qui invito sacerdote intrant Ecclesiam, & divinum perturbant officium: statuimus, quod talium bona per sæcularem Dominum confiscantur: qui, si noluerint obedire, excommunicationis sententia innodentur.

De pœna excommunicatorum.

SI quis per quadraginta dies in excommunicatione subjacuerit, pœnitentia novem librarum mulctetur, vel alia competenti.

E

De statutis Confrateriarum.

QUia Confrateriarum usus ad pias causas inventus propter quorumdam malitiam laicorum trahitur in abusum, dum statuta illicità statuunt, quibus enervare intendunt Ecclesiasticam libertatem, & antiquorum bonas, & pias consuetudines abolere, circa eam laicos suos quædam illicita, & machinationes, quæ obviant pietati: idcirco præsenti constitutione prohibemus, ne Confratres alicujus Confraternitatis Comitem, vel Comites eligant de cætero absque expresso consensu, & voluntate sui capellani.

Nonnihil deest.

Item de Statutis Confrateriarum.

ITem prohibemus, ne aliquis, vel aliqui comites, & confratres alicujus confrateriæ aliqua edant, vel statuant statuta, nisi quæ ad fabricam, vel luminaria Ecclesiæ, vel librorum, seu aliorum ornamentorum, seu vestimentorum, seu Ecclesiæ factionem, seu refectionem pertinere noscantur, vel ad sepulturam, vel vigilias, seu ad aliud Officium Defunctorum, vel ad publicarum viarum, seu privatarum, seu Cœnobii exemptionem, vel reparationem pontium, vel custodiam parentum ægrorum, vel inimicorum animalium, seu pecudum, vel ad arcendam ab agris inundationem fluminum, vel aquarum, vel ad lupos, vel ad alias pestilentias nocivas profugandas, vel ad eleemosynas colligendas, & relicta, seu data à vivis, seu defunctis, quæ cum consilio Capellani loci, in usus aliquos relicta fuerint, sive data, seu in alios pios usus, si à relinquentibus, vel dantibus non fuerit diffinitum, extrudi volumus, & mandamus. Si pia verò alia statuta fecerint, non observent. Imo de Capitularibus suis abradi faciant intra mensem, alia ulterius non facturi sine aliqua speciali permissione Prælati, ne in observatione præmissorum dolum faciant, sive fraudem.

Textus obscurus.

VErum volentes per comites, & confratres causam cani, & carregia ulterius fieri prohibemus, nisi ipsa carreggia pertinuerint ad præmissa, quæ eis superius expressa, vel concessa sunt, nisi ad communem utilitatem aliqua fecerint de consilio Capellani. Sanè quia justum est, ut, quos timor Dei non revocat à malo, pœnitentia coerceat à peccato: volumus, ut transgressores hujus constitutionis, nisi reatum suum purgaverint, infra mensem post publicationem ipsius factam, duobus diebus Dominicis, vel Festivis excommunicationis notam incurrant, cujus constitutionis volumus, quod singuli Capellani habeant transcriptum, & eam publicent in Ecclesiis suis, sicut superius est expressum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto Idus Aprilis.

Textus obscurus.

Transcriptum ex codice synodalium Constitutionum Xantonensis Ecclesiæ.

Ruffec in Pictaviēsi diœcesi.

CONCILIUM ROFFICIACENSE,

Sub Gerardo Archiepiscopo Burdigalensi, tempore Alexandri IV. & Ludovici IX. pro Jurisdictione Ecclesiastica; anno Christi 1256.

ITa de hoc Concilio Episcopus Appamiensis, ad Annum 1230. Et idem Girardus ad longum tempus Sedem propagans, anno 1256. 12. Calend. Septembris, alias salutares Constitutiones Provinciales edidisse reperitur apud Roffiacum Diœcesis Pictaviensis; ac speciatim contra illos, qui Ecclesiasticam immunitatem, ac jurisdictionem læderent; quod fiebat multis modis, & excessibus ibi expressis, seu impediendo ejus exercitium, seu invadendo ejus jura: quod erat iis temporibus, & aliis ferè semper, estque, & ut vereor erit in perpetuum singulis regnis, atque Provinciis frequentissimum, ac pene irremediabile malum.

Ex quibus Spondani verbis, non levi conjectura ducti, opinamur ad illud Concilium pertinere quosdam Canones maximè de ea materia immunitatis Ecclesiasticæ editos sub hoc titulo (Constitutionum synodalium Xantonensis Ecclesiæ) Res tamen non est certa, tùm quod annus, quo statuti sunt illi Canones, in prædicto codice non invenitur, tùm quod plura Concilia Burdigalensis Provinciæ apud Roffiacum celebrata reperimus apud Joannem Chanutium in

A Serie Archiepiscoporum Burdigalensium. Attamen quia illi Canones conditi sunt in Concilio Provinciali per Archiepiscopum Burdigalensem, & ejus Suffraganeos habito, visum est saltem eorum summam breviter hic apponere.

Constitutiones apud Reflecos.

PRimo Canone Excommunicantur impedientes, ne laici in foro Ecclesiastico litigent, nisi super articulis valdè paucis: atque etiam ne ab uxoribus, & famulis suis fiant oblationes, casibus, in quibus pia fidelium devotio offerre consueverat tàm de longa consuetudine, quàm de jure.

B

De reverentia Ecclesiæ.

EXcommunicantur prædones, tyranni, milites, qui infringunt Ecclesias capiendo bona contenta ibidem; aliquando homines ibidem capiendo, vulnerando, occidendo. Nunquam ad absolutionis beneficium admittantur, quoad usque pacis injuriam in duplum emendaverint, & loco sacro satisfactionem fecerint, quam Diœcesanus viderit expedire, & quoad usque ipsi Diœcesano, in cujus contumeliam sacrilegium commissum, fuerit congruè satisfactum.

De Religiosis.

C STatuitur, ut Religiosi, qui Ordinarios contemnentes, suspensi, interdicti, vel excommunicati, divina præsumūt officia prophanare, à Diœcesibus, in quibus talia perpetrant expellantur, in perpetuum, vel ad tempus; atque ut eorum Abbates, vel Priores compellantur per censuram Ecclesiasticam ad eosdem emendandos.

De Ballivis, ac Præpositis.

EXcommunicantur, si Ecclesias pacificè à rectoribus suis, aut Prælatis possessas saziant, vel occupent, aut occupare faciant, vel sazire.

Ne Beneficiati sint Advocati.

D EXcommunicantur Clerici, & Religiosi, si sint Advocati in foro sæculari, nisi prò se, aut miserabilibus personis, vel pro Ecclesia. Itemque si fuerint assessores, vel consiliarii contra Ecclesiæ libertatem.

De eodem.

EXcommunicantur personæ Ecclesiasticæ, quæ sine licentia Prælatorum agunt, vel respondent in foro sæculari de his, quæ ad Ecclesiasticum, non autem ad forum pertinent seculare.

De Testamentis faciendis.

E UT testamenta ordinentur Advocato Capellano, & coram aliis idoneis testibus, cum ad Episcoporum spectet officium, ut extremæ legitimæ voluntates fidelium effectui mancipentur.

De infirmis Excommunicatis.

FIrmiter inhibemus, ne aliqua Ecclesiastica persona excommunicatum pro manifesta offensa, vel re judicata præsumat absolvere; nisi ab ipso infirmo, vel aliquo, nomine ipsius, adversario ipsius infirmi fuerit satisfactum: nisi per inopiam non valeat probabiliter excommunicari: si verò ab aliquo, non servata ta forma illius, infirmus excommunicatus absolutus fuerit, absolvens adversario defuncti ad interesse in solidum tenebitur.

Ulti-

ULtimo Canone excommunicantur abutentes literis Apostolicis, variæque, ac subdolæ artes litigantium prohibentur.

Additur in fine Canonum.

A Sententiis autem excommunicationis, vel interdicti, in præmissis Constitutionibus Provincialibus promulgatis, Diœcesanus quilibet subditis suis poterit absolutionis beneficium impartiri.

CONCILIUM MONSPELIENSE.

Seu statuta synodi Montis pessulani præsidente Jacobo Narbonensi Archiepiscopo, anno 1259.

LEgem statuit Dominus humani generis Creator, ut ministerio vita rationabilis edocta, labe ruditatis abjecta, fieret discretionis luciditate præclara. Etenim ex lege resultat justitia, dum quisque sui debitum cujuscumque officii reddit, & custodit, quod sancti patres præceptis edocti justitiæ; ut sic dilucidentur obscura, inordinata in melius conformentur, & tollantur injuriæ, jusque suum servetur, & largiatur cuilibet indefesse, diversa statuta proinde ediderunt. Inde est, quod nos Jacobus miseratione divina sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, majorum nostrorum præsenti Concilio vestigiis inhærentes, ipsorum edocti magisterio, quædam pro moderamine, quædam verò transgressorum audacia reservanda, de assensu venerabilium fratrum nostrorum, præsenti Concilio comprobante, ad bonum statum nostræ Provinciæ duximus statuenda, quæ inferius declarantur. Sanè quia prædecessores nostri in provincialibus Conciliis ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei, tàm super Ecclesiarum libertatibus, quàm vita, & honestate Clericorum, necnon & aliis diversis capitulis diversa pro qualitate temporum edidere statuta; Nos eadem per omnia approbantes, conservandam Ecclesiasticæ libertatis justitiam, & perversorum reprimendam audaciam, ut quantum possumus, viam malitiæ claudamus, & in quiete vivere cupientes, quietem aliis præparemus, præsentis approbatione Concilii providè duximus statuendum:

Ut quicumque temerè bona Ecclesiastica invaserit, seu occupaverit; aut res Ecclesiarum, vel Monasteriorum rapuerit, personisque Ecclesiasticis injurias intulerit, aut Ecclesias, seu loca religiosa: vel earumdem Ecclesiarum libertates, & jura impediverit usurpando, sciat se ipso facto authoritate præsentis Concilii anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium scire expedit, & oportet, statuimus, ut ad requisitionem illius Episcopi, contra quem, aut contra cujus subditos, seu Ecclesiasticas personas, Ecclesias, seu Monasteria, aut loca religiosa, & in sua Diœcesi constituta hæc attentata fuerint, cæteri Episcopi reum hujusmodi, sive reos tandiu excommunicatos denuntient, & personas, civitates, & Diœceses faciant solemniter denuntiari, donec emendam proinde fecerint competentem: ipso tamen Episcopo ad enuntiationem hujusmodi priùs in sua Civitate, ac Diœcesi procedente.

Quia verò nonnulli instantia opportuna, vel per obreptionem forsitan, absque sui Ordinarii licentia per alios Episcopos tonsurantur, ut, quod specialiter prohibetur, fortius observetur, statuimus, ut nullus Episcopus de cætero prætextu ratihabitionis cujuslibet alterius Diœcesani aliquem absque licentia sui Episcopi tonsurare audeat, nec ipsum multò fortiùs ad minores,

A vel majores Ordines promovere. In tonsurando verò illos maximè, qui cùm postulant tonsurari, sunt in ætate viginti annorum, & supra constituti, cautelam habeat Ordinator, ut talem ascribat militiæ Clericali, qui ex devotione, non per fraudem ascribi cupiat Ordini Clericali; & qui non sit omnino expers scientiæ Clericalis.

Demum obloquentium ora cum debita justitia claudere cupientes, Jurisdictionem Ecclesiasticam sic volumus observare illæsam, ut non simus aliis onerosi, perpetuo statuto duximus ordinandum, quòd Clerici mercimoniam exercentes publicè, operatoriam scilicet, sive mensam hypothecam, vel similia, pro vendendis mercibus tenentes, seu cum personis laicis talia exercentibus, vel scholares, aut socii existentes: Et qui tonsuram dimiserint, aut in habitu non vixerint Clericali,
B vestes varias deferendo, vel alias Clericos non decentes: Et qui mechanicas artes exerceant, aut qui operas suas aliis locaverint, vilia exercendo; quandiu se notabiles reddiderint, vel in fraudem aliqua commiserint in præmissis: necnon & modo quolibet bigami, & qui etiam sua culpa propter homicidium, vel aliàs sunt inhabiles ad recipiendum ordinem clericalem, à talliis, seu quæstis ab Ecclesia de cætero minimè defendantur: & qui honore clericali se indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur. Privilegia verò per Canonem, *si quis suadente*, concessa ordini clericali per prædicta non intendimus invertere.

Porro animarum pericula vitare quantum possumus affectantes, statuimus, ut ad mandatum executoris à
C Domino Papa super negotiis aliquibus constituti, vel ab eodem Domino Papa judicis delegati, aut subdelegatorum exactorum, & judicis hujusmodi, nullus passim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, seu excommunicatum, vel interdictum denuntiet, nisi qui priùs potestatis, & commissionis suæ executor, aut judex fuerit delegatus, Apostolicas litteras; & si subdelegatus fuerit eorumdem, ipsas literas Apostolicas, necnon & suæ subdelegationis litteras ostenderit, fidem faciens de mandato; cùm tali etiam de jure, nisi priùs de mandato constiterit, minimè sit credendum.

Cæterum Judæorum insatiabilem avaritiam quantum cum justitia possumus refrænantes, statuimus, ut nullus de cætero Judæum aliquem contra Christianum super exactionem debitorum audiat, nec ei audientiam aliquam præbeat, nisi priùs, sacra lege Mosaica coram
D posita, Judæus ipse, qui justitiam postulat sibi exhiberi, per suum declaraverit juramentum, quid, & quantum de ipso debito, quod exigit, usura, vel sors fuerit, ut ex tunc super sorte solummodo audiatur, usurarum petitione penitus submota; salva nihilominus defensione, qualiter Christiano, si velit, & postulet se ad probandum admitti, totum fuerit usura, quod Judæus exigit, vel in majori, quam declaravit, quantitate.

Verùm quia Quæstores plurimi passim de locis aliis ad istam provinciam se convertunt, non abs re duximus statuendum, quod Episcoporum aliquis, nisi priùs nostras videat literas ipsis concessas Quæstoribus super negotio, pro quo quæstores hujusmodi destinantur, eisdem suas litteras non concedat.

Præcipientes firmiter, & mandantes, ut omnes in nostra Provincia constituti statuta ipsa cum devotione
E recipiant, & observent, ac eadem faciant à suis subditis inviolabiliter observari: ipsa nihilominus in proxima synodo, & aliis synodis publicentur. Et ne prætextu ignorantiæ, quamquam non sit constitutio singulorum auribus inculcanda, quisquam possit, aut valeat ad excusandas excusationes in peccatis forsitan excusare; præcipimus, & mandamus, ut constitutionem supradictam, provida deliberatione præsentis Concilii editam, contra bonorum Ecclesiasticorum temerarios invasores, omnes Episcopi diebus Dominicis, & festivis ab omnibus Capellanis, & Ecclesiarum rectoribus in suis civitatibus, & Diœcesibus faciant publicari.

Da-

Datum apud montem Pessulanum in Provinciali Concilio ibidem celebrato, octavo Idus Septembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo.

Consilium est, quod Ordinarius det licentiam Senescallo Bellicadri, quod ipse per se, & alias quasvis certas personas ab eodem Senescallo nominatas, & ab Ordinario acceptatas, possit, & valeat auctoritate Ordinarii Clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio; fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum; in ipso tamen flagrante crimine deprehensos. Ita tamen quod ad capiendum sceleratum Clericum illius loci, in quo facinus ipsum perpetrabitur, Capellanum, vel Rectorem, aut Officialem Ordinarii, aut Clericum aliquem, si alter eorum ibidem repertus fuerit, secum advocet. Sin autem facinorosum taliter deprehensum sine læsione aliqua, ad curam Ordinarii ducere non postponat. Hujus autem licentiam per suas patentes litteras Ordinarius faciat, & usque ad suum beneplacitum voluntatis: de ipsius verò concessionis licentia, ut appareat, quod Senescallus ejusdem Ordinarius patentes litteras ab eodem habeat Senescallo.

Casus privilegiati.

Illud Monspeliense Concilium ex veteribus Cartis extractum habetur tomo 2. Spicilegii Lucæ Dacherii Bliothecarii S. Germani de pratis.

Lieu du Diocese de Bordeaux.

CONCILIUM PROVINCIÆ BURDIGALENSIS,

Apud Coprinіacum, celebratū pro disciplina Ecclesiastica, præside Petro Burdigalensi Archiepiscopo, tempore Alexandri IV. Ludovici IX. Anno Domini 1260.

Constitutiones D. P. Burdigalensis Archiepiscopi factæ apud Copriniacum, an. mil. ducent. lx.

Cum ex vigiliis, quæ fiunt in Ecclesiis, frequenter multa turpia insequantur, & frequentissimè vulnera inferantur, propter quæ eadem Ecclesiæ reconciliatione, quæ per solos Episcopos habet fieri, indigere noscuntur, statuimus, & præcipimus firmiter, ne de cætero in Ecclesiis prædictis, vel cœmeteriis vigiliæ fiant. Cæterum luminaria, & alia, quæ ex pia devotione fidelium provenire consueverunt, fieri præcipimus, & mandamus.

De Balleatione in festo Innocentium.

Verberationes joco factæ.

Rursus cum in balleatione, quæ in festo Sanctorum Innocentium in quibusdam Ecclesiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones, & turbationes tàm in divinis officiis, quàm aliis consueverunt provenire, prædictas balleationes ulterius sub intimatione anathematis fieri prohibemus: necnon & Episcopos in prædicto festo creari; cùm hoc in Ecclesia Dei ridiculum existat, & hoc dignitatis Episcopalis ludibrio fiat, divina tamen officia, prout melius, & honestius fieri poterit, ut in aliis Festivitatibus celebrentur.

De fructibus Beneficiorum vacantium.

Cum de jure fructus Beneficiorum vacantium existere debeant successorum, ipsos fructus ad opus successorum eorundem per mandatum nostrum volumus, & statuimus custodiri, ita quod nullus alius quicquam percipiat de eisdem. Idem dicendum de bonis rectorum decedentium, quæ constiterit esse de bonis Ecclesiæ, cui præfuerunt iidem rectores, nisi tamen, dum viverent, aliter disposuerint de eisdem.

De commendis Ecclesiarum vacantium.

Commendas quoque Ecclesiarum vacantium, secundum quod ipsarum collationes ad nos, & A ad nullum alium volumus, & dicimus pertinere; Inhibentes, ne de his se alius intromittat; Excommunicationis pœnam in præmissis tribus articulis contra facientibus infligentes.

Ne mulieres alterius Parochiæ accipiantur ad matrimonium.

Mulieres de una Parochia non admittantur ad matrimonium in altera Parochia, nisi de expressa licentia Capellani, vel Prioris. Idem dicentes de viris, si ad Parochiam mulieris accedant: nam an sint excommunicati, vel alia inhabilitate effecti, melius norunt proprii Capellani.

B Presbyteri, qui non sunt de hac Civitate, vel Diœcesi, ad celebrandum divina, ut Presbyteri; non admittantur in Civitate, vel Diœcesi, cùm ignoretur, an Presbyteri existant, aut aliqua irregularitate innodati, alioquin tàm celebrantes, quàm admittentes eosdem, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.

De Bello Gallorum.

Quia ex duello Gallorum, quod in partibus istis, tàm in scholis Grammaticæ, quàm in aliis fieri inolevit, nonnulla mala aliquotiens sunt exorta, sub interminatione anathematis prohibemus, ne amodo fiat duellum prædictum: cùm hoc tàm mali materia, quàm temporis amissio existere dignoscatur.

C

De vita, & honestate Clericorum.

Presbyteri & cæteri dignitatis, vel personatus administrationem habentes dalmaticis non utantur, sed cappis clausis, & supertunicalia clausa portent: nisi in parte ista probabilitas, vel necessitas ipsos reddiderit excusatos.

Ne Chrisma detur Privilegiatis.

Statuimus, & sub pœna anathematis prohibemus, ne Archidiaconi, Archipresbyteri, vel alii Capellani chrisma dent, vel ministrent Ecclesiis privilegiatorum, cum ipsi Diœcesanis suis reddere, & facere denegent jura sua. Nullus quoque Presbyter Parochianis, vel hominibus illorum utriusque sexus sacramenta aliqua administret, nisi de nostra licentia speciali.

D

De Vicariis.

Rectores Ecclesiarum, qui in scholis, vel alibi, de nostra licentia sunt absentes, bonos, & sufficientes substitutos admittant nobis primitus præsentatos. Quibus de bonis ipsorum beneficiorum sic congruam portionem assignent, quod illi de sibi assignato præter illud, quod dabunt eisdem, possint sufferre tàm in procurationibus, quàm in aliis onera consueta. Idem dicimus de illis, ad quos Ecclesiæ pertinent pleno jure, & statuimus.

De jure Patronatus.

E Cum in ista Provincia sint quidam pauperes Capellani, qui præsunt Ecclesiis, in quibus pertinet jus patronatus ad aliqua Monasteria, statuimus, ut iidem Patroni pro victu suo infra mensem facta sibi monitione à suo Diœcesano de bonis suis certam iisdem portionem assignent: Quæ ad minus trecentos solidos valeat annuatim.

Vel ex hoc Canone satis liquet Synodum hanc fuisse Provincialem, non Diœcesanam.

De Prioratibus Monachorum.

Cum cultus Divini nominis minui non debeat, sed augeri, statuimus, quod in Prioratibus, in qui-

quibus olim duo Monachi morabantur, à modo ab aliis, qui dictos Prioratus tenent, continuè teneantur, & ad alendum eosdem, illi, qui fructus dictorum Prioratuum percipiunt, censura debita compellantur.

Ne Rectores Ecclesiarum alias Ecclesias ad firmam recipiant.

CUm unusquisque manere debeat in ea vocatione, in qua vocatus existit: statuimus, quod Rectores Ecclesiarum Parochialium alias Ecclesias ad firmam non præsumant recipere, vel tenere: hocque sub pœna proprii beneficii amissionis prohibemus: nisi hoc procederet de nostra licentia speciali.

Ne onera de novo Ecclesiis imponantur.

CUm sicut secundum jura novæ pensiones Ecclesiis imponi non debent, sic non sunt olim impositæ augmentandæ, quare ipsas prohibemus augeri: & præcipimus solvere tàm eas, quàm illas, quas illi imposuisse dicuntur, ad quos Ecclesiæ eædem pertinent pleno jure: ut si olim licitè impositæ, pensis Ecclesiarum facultatibus, extiterunt: nisi forte postea adeo Ecclesiarum hujus excreverint, vel decreverint facultates, quod debuerint, vel debeant merito minui, vel augeri.

De sepulturis extra Parochialem Ecclesiam.

PRohibemus, ne aliquis Capellanus alicui portandi funus ad locum sepulturæ licentiam concedat: quousque, ut moris est, ad Parochialem Ecclesiam fuerit deportatum: ut melius sciatur ibi, quàm alibi, an defunctus interdictus, vel excommunicatus existat. Qui ob culpam propriam interdicti, vel excommunicati fuerint, & per annum in hujus sententia permanserint, prohibemus in terra, vel tumbis lapideis etiam extra cœmeterium sepeliri.

Item de sepulturis.

INhibemus insuper, ne quisquam sæcularis, vel religiosus funus sibi delatum suscipiat: nisi per Capellanum proprium eidem fuerit præsentatum: cum conditiones personarum hujusmodi melius noverint proprii Capellani.

De habitatione Rectorum Ecclesiarum.

NUllus Capellanus Parochialem regens Ecclesiam cum alio commoretur: sed domos habeat locis congruis, ubi assiduè commoretur, & valeat inveniri: ut exinde per eum necessitatibus pœnitentium commodius occurratur. Præsertim cum de bonis Ecclesiarum per constitutionem nostram eidem satis congruè sit provisum.

De Decimis.

CUm constitutiones olim à prædecessoribus nostris contra decimarios, promulgatæ in civitatibus, & Diœcesibus hujus Provinciæ minimè observentur, imo in dictis locis decimarii, & alteræ personæ in dictis Constitutionibus contentæ, propter hoc, quia proprii Capellani ipsos decimarios esse ignorant, indistinctè ad Sacramenta, & Sacramentalia admittantur: præcipimus sub pœna anathematis, quod Capellani Parochialium Ecclesiarum omnes decimarios suæ Parochiæ nobis, vel mandato nostro manifestent: ut nos in illos Constitutiones prædictas ubicumque sint, & sententias in ipsis contentas faciamus expressè, & inviolabiliter observari.

Item de Decimis.

PRo certo comperimus Constitutionem olim super Decimis novalium promulgatam: tùm propter

A incuriam, & negligentiam Rectorum Ecclesiarum, tùm propter favorem, quem ipsi erga decimarios habere noscuntur, in multis locis Provinciæ effectum aliquem hactenus minimè habuisse. Unde tàm sub pœna anathematis, quàm amissione Beneficiorum prædictis Rectoribus injungimus, quò ipsi ex nunc sic exigere studeant, & satagant decimas antedictas, quod eorum defectus negotium prosequendo perfectissimè experiantur.

PAtet rursus ex his duobus ultimis Canonibus Synodum fuisse Provincialem. Et sanè cum ponantur inter Constitutiones Xantonensis Ecclesiæ, satis evidens est non esse peculiares Episcopatui Burdigalensi, cum sic inutiles forent, nulliusque vigoris ad obligandum

B Xantonenses. Cæterum in eodem codice Constitutionum Xantonensium reperiuntur aliæ Constitutiones plurimæ apud Copriniacum editæ, sed, quia sunt sine data, & designatione temporis, eas omittendas duximus.

CONCILIUM REDONENSE,

Celebratum anno 1263. sub Vincentio de Pilenis Archiepiscopo Turonensi tempore Urbani IV. & Philippi III. *Rennes.*

C EX Spondano hoc anno celebratum reperitur Concilium Provinciæ Turonensis Redone, die lunæ post ascensionem Domini, per Vincentium de Pilenis Archiepiscopum, & suffraganeos Episcopos. Quo quidem, qui in Episcopum, Abbatem, vel Abbatissam, manus injecerit violentas, vel in eorum domos ignem injecerit, vel Sacerdotem, aut personam Ecclesiasticam voluntariè occiderit, aut mutilaverit: si Clericus fuerit, omnis beneficii obtenti, vel obtinendi incapax sit, & anathematis vinculo innodatus: si laicus, ejus liberi usque ad tertium gradum à susceptione tonsuræ, & quorumcumque Ordinum, ac quolibet beneficio Ecclesiastico habeantur alieni. Atque ut usurpatores bonorum Ecclesiasticorum excommunicationi subjaceant, cum declaratione, quæ censenda sint bona

D Ecclesiastica.

NOTA. Ut ex pravis moribus bonæ leges oriuntur, discimus ex hac Concilii definitione aliquos Episcopos tunc temporis indignè habitos fuisse: eo enim fine novi Canones in Conciliis conduntur, aut antiqui recuduntur, ut adversus novas corruptiones nova sint medicamenta. Quod aliquoties in Gallia accidit, ut cum Joannes Episcopus in Novem populania, aut Vvasconia inhonestè, & inauditè occisus fuit, de cujus morte vindicanda actum fuit in quodam Concilio Theodonis villæ sub Ludovico pio. Cùm Proculus Arelatensis à quodam centurione cæsus fuit apud Prosperum Aquitanicum. Cùm Gualdericus Episcopus Laudunensis *Episcopi à suis interfecti.*

E populari civium Laudunensium seditione est interemptus feria quinta in cœna Domini, quod perperam jurantes à communione tempore paschatis prohibere vellet, apud Vincentium Beluacensem in speculo Historiali lib. 26. c. 11. Cùm Petracorii suum Episcopum Petrum Fournier anno 1574. quorundam scelere, & dolo malo occisum amisere, apud Chanutium in serie Episcoporum Petracorensium: quod idem accidit de Episcopo Massiliensi apud Papyrium Massonum in tractatu de notitia Episcoporum Galliæ sub finem. Ubi tamen advertit id malum raro in Gallia accidisse, ut, quæ semper similes casus horruerit, semperque execratura est, ut maximè funestos, & à pietate majorum suorum, insitaque erga Deum religione alienissimos.

CON-

CONCILIUM SENONIS,

Sent. Celebratum pro disciplina, & Jurisdictione Ecclesiastica sub Petro de Charny, Archiepiscopo Senonensi, sede Romana vacante, tempore Ludovici IX. Anno Domini 1269.

Statuta in Concilio Senonensi, quod celebravit Archiepiscopus Senonis die Sabbati ante Festum S. Simonis, & Judæ, Anno Domini 1269.

CUm Legatorum Sedis Apostolicæ statuta edita in Provincia eis] commissa perpetuò sint servanda, & bonæ memoriæ quondam Apostolicæ Sedis Gilo Legatus in Francia contra Sacerdotes, & Clericos Concubinarios statutum fecit in his verbis: *Excommunicamus omnes Sacerdotes, & Clericos quoscumque, qui post legitimam admonitionem focarias, vel alias mulieres, de quibus mala suspicio possit suboriri, in domibus propriis, vel alibi, unde populus, vel Ecclesia scandalizetur, duxerunt retinendas, nisi sint Clerici, qui sunt in minoribus constituti ordinibus, quos legitimè contraxisse probatur. Qui tamen cum vigore Ecclesiastica beneficia retinere non debent*, ac ex hujus salubri statuto rarus, aut nullus fructus pervenit, quia fortè statutum hujus ad multorum notitiam non pervenit, cum multi Sacerdotes, & Clerici in propriarum periculum animarum, plurimorum scandalum, perniciosum exemplum, vituperium ministerii nostri, & ad dispendium Ecclesiasticæ dignitatis tenentes focarias, vel alias mulieres suspectas in domibus propriis, vel alibi, unde populus, vel Ecclesia scandalizetur: præcipimus, & in virtute districtæ obedientiæ mandamus, ut omnes prælati, sive majores, sive minores subditos suos Sacerdotes, & Clericos tenentes in domibus suis, vel alibi mulieres hujusmodi, sint super hoc publicè diffamati auctoritate statuti prædicti in Synodis, & capitulis præsentibus .... moneant competenter, ut ab insolentiis, & hujusmodi pernitiosis, & detestabilibus resipiscant: Quod si competenter moniti non fecerint, authoritate statuti hujus excommunicati publicè denuntientur, ac exigente eorum rebellione eorum beneficia saizientur. Caveant Prælati quicumque, ne in faciendis his monitionibus sint tepidi, vel remissi, si Canonicam ultionem velint effugere, ac infamiam, ne scrupulo sanctitatis non careat, qui manifesto facinori, cum possit, desinit obviare.

Quia subscripti sigilli appositio in multis juris articulis consensum, & probationem inducit, prohibemus, ne qua persona Ecclesiastica litteras, vel instrumenta super contractibus usurariis, vel de usura suspectis sigillare, vel sigillari præsumat: ex hoc enim quidam laici credentes, vel confingentes contractus hujusmodi per Ecclesiam approbari, peccant securius, nec verecundantur dare publicè pecuniam suam ad usuram: ex qualitate auctoritatis, negotii, & personæ creditoris contractus usurarios reputamus, videlicet si creditor

Lambardi. consuevit fœnerare: prohibentes, ne quis in domibus, vel in locis, aut terris Ecclesiarum Lombardos, vel alios advenas, qui vulgariter .... dicuntur usurarios manifestos recipere præsumat. Cùm receptores hujusmodi approbare videantur usuram, quam utriusque testamenti pagina detestatur. Qui contra fecerint, à superiori suo, monitione competenti præmissa, per censuram Ecclesiasticam compescantur.

Item quia parum est esse jura, nisi sint, qui ea regant, & observent, & faciant observari, constitutionem Concilii contra usurarios editam, qua cavetur, ne usurarii manifesti ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in peccato decesserint, accipiant sepulturam, & quod oblationem ipsorum

Usure. nullus recipiat, firmiter præcipimus observari. Qui

A contra fecerint præter pœnam constitutionis ejusdem sui superioris arbitrio puniantur. Si verò exempti, sive privilegiati contra constitutionem eamdem fecerint, Episcopi loci illius contra eos, quantum de jure poterit, procedere non omittant, & si propter hoc ipse, vel alius, ad quem pertinet, litem, seu molestiam, aut calumniam patiatur, expensis communibus, quæ fient de contubernatione communi per .... duos, videlicet unum de capitulo Cathedralis Ecclesiæ, & unum Abbatem ejusdem Diœcesis fide dignum imponenda exigenda seu illos, quos ad hoc deputaverint, defendetur. Durabit autem præsens statutum usque ad sequens Concilium, & tunc melius videtur quis fructus ex hoc poterit provenire, & de hoc computabuntur in Concilio subsequenti.

B Item statutum Concilii Generalis de viventibus arcendis ab ingressu Ecclesiæ, & morientibus, qui Christiana debent sepultura carere, nisi saltem semel in anno omnia peccata sua fideliter confessi fuerint proprio Sacerdoti, & ad minus in pascha susceperint reverenter Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprio Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab ejus perceptione ad tempus abstinendum duxerint, observetur firmiter, & frequenter in Ecclesiis publicetur. Cur confiti... necess... Caveant Sacerdotes, ne ad communionem altaris aliquem admittant, nisi sibi, vel alii idoneo de sua licentia omnia peccata sua sit confessus.

Quamvis hoc grave nimis, & divini plenum animadversione judicii, quod aliqui laici falcem in messem Domini sacrilegis ausibus ingerentes personas Ecclesiasticas suis subjiciendos judiciis in periculum fidei, Ecclesiasticam moliuntur subjicere libertatem, hoc tamen attentius zelum commovet ultionis, quod

C iidem laici sui fermentum erroris dicuntur in clero aliquoties invenire; dum Clerici à Clericis in eo, quod est gravius, religiosi non solum .... sed interdum voluntarii, spretis Ecclesiasticis tribunalibus, ad publica judicia educantur. Hinc *volentes* juxta sacrorum instituta Canonum nos salubriter contra morbum hujusmodi remedia invenire, ad instar felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri statuendum duximus, ac etiam inhibendum, ut tàm Prælati, sive regulares sint, sive & sæculares, quàm alii Clerici Regni Franciæ alii alios in contemptum publici Beneficii, quod toti Clericorum Collegio ita inviolabiliter institutum est, ut eis privatis aliquorum pactis, vel consensibus nequeat derogari, suo relicto Judice ad publica trahere judicia non præsumant: Alioquin præsumptores

D hujusmodi causam perdant, habendi à communione nihilominus alieni, & tàm Episcopi, quàm alii in criminali negotio, si relicto Ecclesiastico judice publicis judiciis expurgare voluerint, suum locum amittant, etiam pro ipsis Ecclesia profiteatur. In Civili verò perdant, quod si locum suum maluerint obtinere. Desi... aliqua... Quod circa fraternitati vestræ ad instar prædecessoris ejusdem in virtute obedientiæ districtæ præcipiendo mandamus, quatenus & inhibitionem hujusmodi in vestris Provincialibus Conciliis, & Episcopalibus Synodis per .... Diœceses publicetis, & faciatis solemniter publicari, ubi & quando videbitis expedire. Si quos verò vobis legi Diœcesis subjectos, seu & exemptos (contra quos quantum ad hunc articulum pertinet, vobis tanquam delegatis à nobis commit-

E mus authoritate præsentium vices nostras) circa prædicta manifestè culpabiles invenietis, excommunicatos expresè denuncietis, & faciatis authoritate nostra usque ad satisfactionem condignam publicè denuntiari, quos absolvi absque speciali mandato Sedis Apostolicæ prohibemus, si secus actum fuerit, irritum nuntiantes, ipsos nihilominus aliàs animadversione castigando Canonica, si fuerit opportunum: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus eorum ab Apostolica sede sit indultum, quod excommunicari, aut interdici per Apostolicas litteras, neque vel

vel suspendi, quæ de indulto hujusmodi, ejusque tenore de verbo ad verbum plenè, & expresse non fecerint mentionem, seu constitutione de duobus dictis edita in Concilio generali.

Licèt regularis ordinis professores, illos præsertim, quos majoris libertatis Apostolica sedes Privilegiis honoravit, attollens congruis favoribus, & ipsorum illibata omnino servare Privilegia intendamus: Sic tamen suis juribus volumus manere contentos, quod ipsorum privilegiorum limites observantes, jura non occupent, vel impediant aliorum. Sanè intelligimus, quod Templarii, & alii Religiosi Privilegio exemptionis gaudentes de Regno Franciæ Hospites suos, qui Dati ordinum eorum, seu Oblati dicuntur, vel qui aliquem censum, & modicum eis solvunt, per se, ac conservatores, & à Sede Apostolica deputatos privilegiorum prætextu defendunt, ne, si cum delinquunt, à suis ordinariis Ecclesiasticis, sicut alii laici pro furtis videlicet, adulteriis, & aliis criminibus, quorum ad ordinarios ipsos spectare noscitur correctio, puniantur. Capellas autem, & oratoria sine consensu, & authoritate Diœcesanorum construunt, necnon & interdicti, & suspensionis sententias, quas Ordinarii proferunt in loca, & personas sibi subjectas damnabiliter contemnentes faciunt in locis eisdem, capellis, & oratoriis, divina renitente justitia, celebrari, quamquam, quod hæc ipsis liceant, Apostolorum privilegium, aut indulgentiæ non ostendant. Causas quoque suorum hominum assumentes, illos, quos propriis hominibus injuriari asserunt, super hujusmodi injuriis licet sint iidem homines liberi, conveniunt, & in causam nomine suo trahunt. Iidem etiam exempti, & alii quamplures religiosi pro cunctis peccatis cunctas pœnas statuunt infligendas, ex quo interdum evenit, ut dum tales pœnæ delinquentibus infliguntur, eorum peccata, quæ occulta fuerant, veniunt in notitiam aliorum: Volentes itaque talium præsumptionibus congruis, prout nostræ incumbit sollicitudini, remediis obviare, Apostolica authoritate de Consilio fratrum nostrorum statuimus, quod si hospites, vel homines, qui Dati dicuntur, vel Oblati, vel qui præfatis exemptis aliquem solvunt censum, si non se omnino iisdem exemptis reddiderint, sicut in proprietatibus suis omnimodo duxerunt remanendum: Propter hæc ab Episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem in eos ipsi Episcopi, sicut in alios suos Parochianos, eximant, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi, nec ob hoc exemptorum ipsorum conservatores quicquam contra eos Episcopos valeant attentare. Oratoria verò, vel capellas in locis non exemptis sine Diœcesanorum locorum licentia iidem exempti construere non præsumant, nec in sic constructis, neque in locis non exemptis, cum ab ordinariis fuerint interdicta, celebrent, vel faciant celebrari divina. Quod si talia præsumpserint, per locorum ipsorum ordinarios compescantur, & si quas propter hoc exemptorum ipsorum conservatores sententias in contrarium protulerint, illas pœnitus revocamus. Prohibemus autem, ne in locis exemptis, hæc ipsi exempti facere audeant, nisi super his licentiam sedis Apostolicæ habeant, vel ipsius privilegium speciale. Causas quoq; sive lites proprias suorum liberorum hominum, quæ videlicet ad ipsos tantùm homines iidem exempti suo nomine, sive ut actores, sive ut defensores veluti suas aliquatenus non assumant, etiamsi sint ipsi dicti homines censuales, cum id nequaquam licitum sit iisdem: pro peccato verò incognito, & occulto cuncta pœna nullatenus statuatur, ex quo si per eum satisfiat quoquomodo, peccatum ipsum percipi valeat, vel adduci.

HOc Concilium Provinciale sub Petro de Charny celebratum extractum est ex vetusto codice censuali Episcopatus Parisiensis, cujus transumptum extat in Bibliotheca Domini Officialis Parisiensis Andreæ du Sausay, viri perdocti, ac multorum librorum tàm editorum, quàm edendorum parentis: A quo illud multis precibus tandem obtinuimus, cum vix ei præ mole negotiorum inter manuscripta vacaret illud perscrutari, ut juris publici faceremus. Esse autem totius Provinciæ non solum Diœcesanum, patet maximè ex his verbis: *Episcopi loci illius contra eos, quantum de jure poterit, procedere non omittant, &c.* Non enim Synodus Diœcesana pluribus Episcopis quicquam præcipit, aut injungit.

CONCILIUM APUD SAN QUINTINUM,

Indictum sub Milone Suessionensi Episcopo Anno 1270. tempore Clementis IV. & Ludovici IX.

S. Quentin Noyon.

DE hoc Concilio iterum Hemeræus in Augusta Veromanduorum. Milo Suessionensis antistes, vacante sede Rhemensi, Concilium Provinciale, pro usu jam diu in eadem Ecclesia recepto, indixerat San Quintini. Celebrationem tamen ejus Canonici Rhemenses interturbarunt: vetantes inconsultis iis, nec largitis habendæ Synodi facultatem, quemquam interesse Suffraganeorum. Prohibitio publicata, Milonis institutum, consiliumque confutavit, evertitque.

CONCILIUM PROVINCIÆ RHEMENSIS, SAN QUINTINIANUM, & NOVIOMENSE,

Circa Annum 1271. & tempore Gregorii X. & Philippi III.

TRanscripsit primus decreta hujus Concilii Hemeræus ex lib. Episcoporum Suessionensium, in quo ea sine data invenit, eaque propter utilitatem publicam promulganda esse judicavit, ut sequitur. Item è Concilio Noviomensi sine data. Ad quarumdam personarum malitiam refrænandam statuimus; Ut si privatus in Collegium, vel privatus in privatum, suam voluerit cedere actionem, hoc coram Episcopo loci, vel Archidiacono ordinariam jurisdictionem habente, causa cognita ab eo, faciat diligenter: si verò aliter facta fuerit cessio, qui cessit, cadat à jure suo, & is, in quem facta fuerit cessio, commodum non reportet, & si ex cessione tali agere tentaverit, & monitus ab ordinario suo non destiterit infra quindecim dies, ex tunc sciat se excommunicationis vinculo innodatum. Adhuc statuimus, ut si quis coram diversis Judicibus, & super diversis querelis aliquem in causa traxerit, eligat, coram quo Judice suas simul velit prosequi actiones. Si verò coram diversis judicibus, & super diversis querelis maluerit experiri, hoc faciat unam post aliam successivè. Qui verò contra hoc statutum fecerint, modo prædicto sint excommunicationis vinculo innodati, *&c.* In hoc Concilio continentur, quæ prædicta sint in Synodalibus, scilicet, quod cruce signati crucem deferant, & quod clerici conjugati tonsuram deferant, & habitum congruentem. Item quod Sacerdotes, & Clerici negotiationibus sæcularibus se non immisceant: *De Concilio apud S. Quint. Anno 1271. ut suprà.*

I*Tem, de Concilio Noviomensi sine data.* Ad refrænandas fœneratorum fraudes, quas jugiter meditantur, ut possint aliorum substantias exhaurire, remedium aliquod nos convenit invenire. Statuimus igitur, ut si quis super usurarum crimine graviter fuerit diffamatus, licet nullus accusator appareat, Prælatus loci sola fama deferente descendat, & inquirat, & si clamorem opere completum repererit, in criminosum Canonicam non differat exercere ultionem. Si verò reus probatus non fuerit, fama autem ad

ad hoc concrebrescat ad sedandum scandalum, secundum discretum Prælati sui arbitrium taliter diffamato purgatio Canonica indicetur, in qua si defecerit, Canonicè puniatur. Secundum quod in I. Lateranensi Concilio continetur. Item de eodem Concilio,

ADhuc, quia sæpè per Advocatorum calliditates causæ hujusmodi prorogantur: & sic tales in suis criminibus defenduntur, præcipimus, ut in qualibet causa usuraria, statim porrecto libello, per quem futuræ litis species demonstratur, juramentum hujusmodi ab Advocato quolibet exigatur, videlicet, quod ipse credat se justam causam defendere: si non credat, non solùm à patrocinio præstando in eadem causa desistat, sed ab omni consilio, & auxilio, tàm publico, quàm privato. Si verò aliquis Advocatus, quod ore proprio non proponat aliquid, sed pro ponenti assistat, præcipimus, ut ipsè similiter præstet juramentum. Hanc autem constitutionem extendimus ad Procuratores gerentes officium Advocati. Qui verò præmissa jurare renuerit, quamdiu eadem causa durabit, à curia judicis penitus excludatur. Si quis autem Advocatus detectus fuerit dejerare, infamia notetur, & non solùm Advocatione careat, imò foro. Ut autem hæc constitutio firmiter observetur, pœna suspensionis unius mensis à judicandi Officio Judices, qui circa præmissa negligentes extiterint, decrevimus puniendos. Quia verò per Advocatorum multitudinem effrænatam, & imperitiam causarum multoties processus impeditur, præcipimus Judicibus, ut ipsi provideant diligenter, ut eorum onerosa multitudo in causis omnibus refrænetur, & soli ad hoc Officium digni admittantur.

Advocati juramentum.

ITem de iisdem Conciliis. Si cultum domus Domini creatione novorum ministrorum amplificaverunt Reges veteris Testamenti: Nos novi Testamenti Pontifices sustinere non debemus Dei diminui numerum servitorum. Pro certo autem didicimus, quod quidam Abbates Prioratuum suorum adeo exhauriunt facultates, quod iidem Prioratus debito Monachorum numero defraudantur. Cum ergo hoc non debeamus sub dissimulatione pertransire, statuimus, ut visitationis officium exercentes inquirant inter alia, quotus esse debeat numerus servitorum: & si diminutus fuerit, Abbati denuntient, ut infra mensem suppleat numerum diminutum, secundum quod possunt facultates eorum sufficere. Si verò facere noluerit, per saisitionem bonorum, vel alio modo, secundum quod Prælati expedire viderint, compellatur. Præcipimus autem, ut hoc præceptum sine acceptione personarum observetur.

ITem ex eodem Concilio. Sacras Constitutiones legentibus satis liquet, quod nullam habeant de rebus Ecclesiasticis disponendi laici aliquo modo potestatem: Verum nobis multorum quæstio patefecit, quod in tantum quorumdam Principum sæcularium processit temeritas, ut si Judei conquerantur de aliqua Ecclesiastica persona, quod eis sit debitis obligata, statim irrequisito loci Prælato, non convictos, nec confessos, per captionem bonorum eorumdem nituntur compellere ad ea debita persolvenda. Cum igitur idem istud manifestè sit contra omnia jura tàm Canonica, quàm Civilia, & etiam à ratione discordet, ut injuria crucifixi, melioris conditionis sint, quàm Christiani, præcipimus, ut Prælati, quando in eorum jurisdictione tale quid acciderit, in delinquentes hujusmodi pœnam canonicam vigilanter exercere non relaxent, donec non solùm de damnis, sed de injuria satisfecerint competenter.

ITem de iisdem Conciliis. Statuimus, & decernimus auctoritate Concilii, quod si in aliqua Civitate, vel aliquo loco Rhemensis Provinciæ contingat

A clericum detineri aliquem per laicalem justitiam, postquam dictus clericus fuerit ab Episcopo illius loci, vel Officiali, aut Decano Rurali, seu ex parte eorum alicujus legitimè requisitus, cessetur à divinis in loco captionis, & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

ITem, si clericus per justitiam Laicam capiatur in aliqua Diœcesi, & extractus ab ea ducatur ad aliam, cessetur similiter à divinis in loco, in quem fuerit deductus, donec ad dictam Diœcesim fuerit readductus, & sufficienter restitutus.

ITem, cum per justitiam laicam non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab iis levari emendæ de
B iisdem, cum hæc ad solos judices Ecclesiasticos, non sæculares pertinere noscantur, monemus auctoritate prædicta omnes, & singulos nostræ Provinciæ, ne pro prædictis, seu occasione eorumdem teneant aliquid, vel recipiant, seu exigant quoquo modo. Alioquin contra facientes, excommunicationis sententia, auctoritate prædicta, innodamus.

ITem, cum nonnulli Scabini, Rectores, Gubernatores, Judicatores communitatis locorum, seu territoriorum nostræ Rhemensis Provinciæ, prout intelleximus, conspirationes fecerint, seu conjurationes fecerint, aut facere nitantur, quod si aliquis de communitate sua, vel suis subditis, seu de suo territorio conveniatur in foro Ecclesiastico, aut contra eum procedatur
C in casu, in quo potest de jure, sive de consuetudine ibidem conveniri, eum ad communes sumptus defendant, propter quod jurisdictiones Ecclesiasticas non est dubium impediri: Monemus omnes, & singulos nostræ jam dictæ Provinciæ, quod si talia fecerint, ea revocent intra mensem, & quod de cætero talia non committant, & talibus non utantur. Alioquin subjaceant excommunicationi de facto.

ITem cum nonnulli Domini temporales suis inhibeant subditis, ne quis alium trahat in foro Ecclesiastico in casu à jure, seu consuetudine permisso; Quinimo contra sic trahentes procedunt frequenter ad captionem personæ trahentis, & bonorum ejusdem, ne talia fiant prohibentes, contra facientes excommunica-
D tionis vinculis innodamus à Canone jure excommunicatos. Item cum nonnulli Abbates hujus provinciæ inter se ordinaverint, & conspirationes inter se, ut fertur, fecerint, quod si contingat aliquem Episcopum contra Abbatem aliquem velle procedere sibi subditum pro suis excessibus, vel aliter puniendum, quod ad defensionem ejusdem contribuent, & ad sumptus communes omnium Abbatiarum defendetur, quod non est dubium fore in præjudicium sui Episcopi, & contra juramentum suæ professionis, per quam sub Episcopo suo est adstrictus, & contra Ecclesiasticam libertatem. Monemus tales, ut revocent intra mensem, & à talibus abstineant, aut alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

E ITem, quod si excommunicati publicè sententias excommunicationis per biennium, & amplius animo sustinuerint indurato, vocentur ad proximum Concilium tanquam suspecti de hæresi, & contra tales in eodem Concilio procedetur. Præcipimus districtius, & mandamus authoritate prædicti Concilii universis, & singulis provinciæ Rhemensis, ut ea, quæ taliter pro defensione libertatis Ecclesiasticæ, Episcoporum, ac Ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, prout superius continetur, servent, & teneant illibata.

CON-

CONCILIUM BITURICENSE,

Præside Simone de Bria, tituli sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinale, Apostolicæ sedis Legato, celebratum Anno 1276. sede Romana vacante tempore Philippi III. Regis Galliarum.

HOc Concilium describimus ex libro Pictavis divendito ad insigne Pelicani anno 1541. cum antiquis Characteribus, vulgo Gothicos vocant, edito, cui titulus præscribitur; Constitutiones Synodales Xantonensis Ecclesiæ, &c. quem mihi liberaliter commodarunt RR. PP. Conventus F. Minimorum Parisiensium.

Simon miseratione divina, tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, ad futuram rei memoriam. Inter Curas, quæ nostro adhærent Officio, illa præcipuè nos affligit visceribus cordis nostri infixa profundius, atque solidius radicata, nostrum incessanter perurgens animum suarum aculeis punctionum, ut nostræ Legationis Ecclesiæ, provisionis remedio, prout nobis desuper ministratur, contra malignorum defendatur incursus, cohibeantur injuriæ, & violentiis propulsatis in pacis pulchritudine delectentur, ut hostium ablata formidine in tranquillitate serena, & serenitate tranquilla pacis actori, cujus mancipantur obsequio, eo devotius, quo tranquillius, & quo eo acceptius valeant famulari. Libenter itaque assiduos labores amplectimur, quamquam nostris impares humeris ad portandum: Nocturnis continuoque insistentes vigiliis, etiam supra vires, ut personis Ecclesiasticis nostro commissis regimini molestationum turbinibus relegatis, Divino fulti præsidio sollicitudinibus nostris pacem, & proprio labore quietem opportunæ provisionis remedio præparemus. Sane in Bituricensi Concilio, quod ad quorumdam prælatorum nostræ Legationis instantiam nuper convocandum duximus, & auctore Domino feliciter celebrandum, per quosdam Prælatos, aliasque Ecclesiasticas nostræ Legationis personas, nonnullis Ecclesiarum, & personarum ipsarum oppressionibus, injuriis, & offensis ad nostram reductis notitiam, & per nos toti Concilio reseratis, ac deliberatione super iis in Concilio habita pleniori, de totius Concilii providentia unanimi, & concordi juxta negotiorum incurrentium, vel ingruentium, & temporis qualitatem remedia super eisdem injuriis pro defensione libertatis Ecclesiasticæ adhibere curavimus opportuna. Quæ quidem ex parte Concilii requisiti redigi fecimus in scripturam, & in ipso Concilio solemniter aliàs promulgari, publicari auctoritate, qua fungimur, sacro approbante Concilio, statuentes, ut quæ pro defensione libertatis Ecclesiæ, & ipsarum Ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, à personis nostræ Legationis, prout continentur inferius, serventur in perpetuum illibata.

De electione.

IN totius Concilii, quod nuper Biturigis duximus celebrandum, nostris auribus clamor horrendus insonuit ad nos per diversos Prælatos, aliasque quamplures personas Ecclesiasticas, non sine gravi lamentatione delatus, & toti Concilio querelosis insinuationibus patefactus. Asserebant siquidem, quod in regno Franciæ, in quo Ecclesiarum libertas, & honor eisdem debitus servari, retroactis temporibus, præ cæteris regnis, atque Provinciis consuevit: his diebus in electionibus celebrandis, in quibus potissimè libertatis puritas est servanda, pro libertate datur impressio: Et quasi pro auro plumbum, pro argento scoria: honores in contumelias convertuntur, adeo quod quando in certis locis electiones Pastorum imminent celebrandæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis, aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus consuetis nequeunt celebrari, prout in Lugdunensi, Burdigalensi, & Carnotensi Ecclesiis nuper dignoscitur esse factum. In qua siquidem Burdigalensi Ecclesia occasione impressibilis, dum immineret electio celebranda.................... homicidium de Sacrista nobili membro præfatæ Ecclesiæ inhumaniter extitit perpetratum. Quoniam igitur novis morbis nova convenit antidota præparari, ne morbus, cum perniciosius obrepat, & sui contagione trahatur à posteris in exemplum, sacri provisione Concilii duximus statuendum, quod quicumque de cætero per seditiosam conspirationem, vel conventionem habitam simul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens, vel patens præstiterit, quominus Ecclesiis sæcularibus, vel regularibus dignitatibus, personatibus, aut administrationibus quibuslibet, per illos, quos locorum ipsorum, vel dignitatum, seu administrationum per viam electionis, seu postulationis spectat provisio: eisdem locis, dignitatibus, personatibus, administrationibus: de personis idoneis undicumque extiterint oriundæ, & alias liberè per electionem, aut postulationem Canonicam valeat provideri, incurrant excommunicationis sententiam; quam in ipsos proferimus ipso facto. Et si clerici, vel regulares extiterint, nos privantes eosdem omnibus Ecclesiasticis Beneficiis, dignitatibus, vel administrationibus, seu personatibus, si quos eos contigerit obtinere: Decernimus fore inhabiles, & indignos ad quævis Beneficia, administrationes, & honores Ecclesiasticos ulterius assequendum. Si verò laici sint præter dictam excommunicationis sententiam, ipsorum familiæ interdicto sint Ecclesiastico subjectæ; nullaque eorum posteritas, usque ad quartam inclusivè progeniem, si sæcularis fuerit, prælaturam, dignitatem, personatum, præbendam, seu aliud quodcumque Beneficium Ecclesiasticum, aut si Regularis extiterit, administrationem quamlibet regularem in Civitate, vel Diœcesi, in qua excessum hujusmodi committi contigerit, in perpetuum valeat obtinere. Illi autem, qui prædicti facinoris terminis non contenti populum, aut turbam, potentesve quoslibet concitaverint, ut in dicto facinore opem ferant: quorumve data opera, suggestione, vel consilio, populus turba, aut cum armis, vel sine, ad hoc convenerint, pœnis similibus sint subjecti. Clerici præter hæc à Civitate, vel loco, in quo perpetraverunt talia, per triennium procul agant. Porro qui coacta multitudine cum armis, vel sine armis contumeliosa acclamatione, concitatione, & tumultu in loco, in quo ii, ad quos spectat electio, postulatio, vel provisio convenerint, seu in ipsos electores, vel in aliquos de eisdem, tempore, quo prædicta imminent facienda, duxerint irruendum, & eidem loco fracturam, seu violentiam, vel in personas electorum notabilem injuriam irrogaverint: & postremo qui ope, vel consilio clam, vel palam per se, vel per alium aliquid egerint, per quod conspirationis, vel conventionis initæ nequitia in aliquo sumat robur, & per hoc contingat electionem, postulationem, seu provisionem impediri totaliter, vel differri, excommunicationis sententia noverint se adstrictos; nec non & eorum familias, si laici fuerint Ecclesiastico suppositas interdicto. Quæ sententia relaxari nequeat, nisi auctoritate sedis Apostolicæ speciali. Clerici verò qui in talibus culpabiles fuerint, cum eorum offensa tanto gravior reputetur, quanto in sortem redemptoris assumpti, ac gradu Ecclesiastico pollentes libertatem, ac immunitatem Ecclesiasticam servare tenentur præ cæteris illibatam: præter excommunicationis sententiam, eo ipso beneficiis, quæ obtinent, sint privati. Ad obtinendum dignitates, personatus, officia vel beneficia quæcumque in Eccle-

Ecclesiis, in quibus talia perpetrantur, & in locorum ipsorum Diœcesibus nullo unquam tempore spem, aut fiduciam habituri. Si verò regulares ad administrationem aliquam regularem nullatenus admittantur, cadantque nihilominus ab obtentis. Insuper & laicorum prædictorum posteritas, usque ad quartum gradum, ad beneficia quælibet Ecclesiastica assequenda in Ecclesiis civitatis, & Diœcesis, in qua perpetrantur talia, sint inhabiles, & indigni.

De citationibus, & earum abusu.

CUm juris remedia per ora Pontificum summorum, & principum promulgata Divinitus ad tutelam bonorum, & cohibendas malorum insolentias utiliter introducta, nos doceant, innocentiam per corruptelam judicum, sive fraudem ad iniquitatis trahi dispendium: Sic illos, qui à nobis judicandi recipiunt potestatem, commissum sibi volumus exercere judicium, ut per viam Regiam, victrice justitia, gradientes, ab æquitatis tramite, odio, gratia, vel favore, seu cujusquam alterius corruptelæ vitio non recedant. Cupientes igitur, ut in citationibus faciendis per judices, sive conservatores, auctoritate, qua fungimur, deputatos nulla corruptelæ species vindicet sibi locum; sed forma per Romanam curiam in talibus introducta ab ejsdem judicibus, & conservatoribus firmiter observetur; Statuimus, & mandamus expressius inhibentes, ne Judices, aut conservatores prædicti, sub tali forma verborum, quam vobis lator præsentium nominabit, vel alia consimili citare præsumant: sed ei non pareatur: hujus autem citationis mandatum nullus exequi teneatur, sed ei non pareatur impunè, &c.......

Reliqua verba hujus decreti omittimus, quia obscuriora sunt, quàm ut possint intelligi propter omissionem aliquam in exemplari, quo utimur, cæterum nihil continent præter cassationem judiciorum, quæ ex tali citatione subsequuntur, & privationem Jurisdictionis in judice, nec non excommunicationem.

De Officio Judicis Ordinarii.

CÆca cordis ambitio repleri nesciens, sed quanto plus recipit, tanto fortiùs inardescit, sic quorumdam interiores oculos cæcutienti obtexit caligine, ut, quid de jure liceat, non advertant, quidve de honestate deceat, non attendant: quod in illis, qui judiciali præeminent dignitate, eo constat periculosius, quo per auctoritatis, qua funguntur, potentiam in concepto malignitatis proposito possunt adversus subditos licentius debacchari. Ea propter ad habitantem eorum avaritiam cohibendam providè duximus statuendum, ut nullus judex, seu conservator datus à nobis pro absolutionis, vel relaxationis beneficio impendendo, ab his, quos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis duxerit innodandos, emendas pecuniarias, seu res alias pro emendis, quoquo exquisito colore, præsumat petere, exigere ac oblatas recipere: etiam ex prius facto. Quisquis autem contra præsumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, à qua nonnisi per Legatum sedis Apostolicæ absolvatur: & tunc demum cum læsis omne interesse restituerit integrè. Ejusdem tamen sedis auctoritate in iis, & aliis semper salva.

Ne Prælati impediantur à laicis in correctione subditorum suorum.

SIcut ille, qui præeminet judiciaria potestate judicis, oppressorum querelis aures debet patulas inclinare: sic voces malignantium querulosas ipsum decet, & convenit obaudire: debet igitur diligenter advertere, & penes se ponderare prudenter, quis, contra quem, & super quibus etiam superioris officium interpellat: ut pensatis conditionibus, & mentibus personarum, & incumbentis negotii qualitate solerter intelligat, unde veniat conquerentis spiritus, aut quo vadat. Ob hanc causam Prælatis, qui nimis facilè claustralium, sive forensium Monachorum contra ipsos Abbates, maximè ubi de correctione agitur, querelas recipiunt, per quas plerumque hebetari contingit vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ, frequenter etiam ministratur occasio evagandi, sub ostentatione Divini judicii duximus injungendum, quod querelas hujusmodi facilè de cætero non admittant: sed tunc demum, quando circumstantiis, quæ circa hæc fuerint attendendæ, exaratis plenius, & discussis, pro conquerentibus Monachis vero similiter præsumetur ipsos non causa vitandi correctionem Ecclesiasticam, seu Canonicam secundum ipsorum regularia instituta, sed justè, & ex causa probabili ad Prælatorum judicium confugisse: ut Prælatorum officium eo fructuosius, quò liberius, valeat exerceri, præsenti statuto laicis quibusvis duximus injungendum, ne Prælatos quoslibet impedire, vel turbare præsumant, quominus in locis religiosis, vel regularibus, vel aliis eisdem Prælatis subjectis, officii sui debitum exequantur, ipsis ad hoc per eosdem Prælatos auctoritate præsentis Concilii competenti monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, si res exegerit, compellendis.

De his, quæ vi, metusve causa fiunt.

CUm parum proficiat legem condi in Civitatibus, si non extiterint, qui editam regere valeant, & tueri: nec solum judicum consistat officium in ea imponenda, sed in ea, prout opportunum fuerit, observanda, præcipimus, ut quicumque judices Ecclesiasticos ad absolutionis, vel relaxationis, suspensionis, vel interdicti sententiam, beneficium impendendum vi, vel metu compulerint, per Diœcesanos locorum juxta Lugdunensis statuta Concilii, excommunicati publicè nuntientur.

Ne judices sæculares compellant personas Ecclesiasticas coram se super personalibus actionibus litigare.

CUm falcem propriam nulli in messem mittere liceat alienam, de justiciariis laicis, seu aliis solam jurisdictionem temporalem habentibus, qui in actionibus merè personalibus Ecclesiasticas coram se personas litigare compellunt, contra Canonicas sanctiones, hujus provisione Concilii duximus statuendum: quod licèt eædem personæ Ecclesiasticæ non solum coram eisdem justiciariis litigare, sed etiam ad ipsos venire modi in causis hujus de jure minimè teneantur, si tamen venerint, allegato fori privilegio coram ipsis, iidem justitiarii compulsioni nihilominus institerint supradictæ, eo ipso excommunicationis sententiam, quam in ipsos ferimus, incurrant: Quæ circa ipsos nullatenus relaxaretur, nisi læsis de damnis expensis, & interesse prius per ipsos justitiarios fuerit integrè satisfactum, eorum processibus, atque sententiis habitis in hujus quæstionibus, & prolatis nil omnino roboris habituris. Ad hæc si quis temporalem jurisdictionem exercens de excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis: videlicet an justè latæ fuerint, an injustè, aut aliis merè Ecclesiasticis, seu spiritualibus causis decisionem, seu cognitionem præsumpserit usurpare, per Diœcesanos locorum auctoritate præsentis Concilii desistere moneatur: & nisi competenter monitus duxerit desistendum, ad hæc per censuram Ecclesiasticam compellatur.

De Decimis.

CUm in illis, in quibus periculum vertitur animarum, præscriptio quantumcumque longæva non vendi-

vendicet sibi locum, sed tanto graviora sint crimina, quanto miseram animam diutiùs tenuerint alligatam, exceptionem præscriptionis super rerum illarum decimis, de quibus, sive similibus in locis ejusdem hactenus à similis conditionis personis consuevit exolvi, præcipimus non admitti. Statuentes, ut qui eis, ad quos spectat perceptio harum decimarum, quominus eas percipiant, impedimentum præstare præsumpserint, si moniti competenter ab impedimentis hujusmodi non duxerint abstinendum, ex tunc auctoritate præsentis Concilii per locorum ordinarios excommunicationis sententia percellantur.

De Testamentis ultimis.

AD præsumptionis quorumdam conatus damnabiles reprimendos, qui testamenta, seu alias voluntates ultimas, quocumque nomine censeantur; licèt ritè sint facta juxta Canonicas sanctiones, tanquam legitima non admittunt, sed pro eo reprobant, & impugnant: quod scabinus, aut sæcularis judex præsentes non fuerint, aut auctoritatem nequaquam præstiterint, quando testator suum condidit testamentum, aut aliam ultimam voluntatem: Hoc duximus statuendum, quod ipsi cujuscumque conditionis, vel dignitatis extiterint, nisi infra octo dies, postquam super hoc moniti fuerint competenter, ab impedimento hujus duxerint desistendum, anathematis innodentur vinculo, quo ipsos adstringi volumus ipso facto.

De Pedagiis.

SAnguisugæ sitibunda progenies, ac radix omnium malorum cupiditas semper vociferans, affer, moliri non desinit, quemadmodum per exquisitas astutias, & callidiora commenta ardori proprio, licèt inextinguibili, lucri temporalis, quamquam illiciti, pocula subministret. Ex hac autem sitienti radice semper processisse cognovimus: quòd cum sedes Apostolica excommunicationis sententiam in omnes nova constituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipsam annis singulis in certis festivitatibus solemniter innovando, nonnulli Mammonæ filii propriæ cupiditatis vitium colorare aliàs nitentes, non nova, ut asserunt constituentes, pedagia antiqua ad clericos, & ipsorum res, quas non ratione mercaturæ per terram, vel aquam deferri faciunt, prorogant, & extendunt in illusionem memoratæ sententiæ, & præjudicium libertatis Ecclesiasticæ manifestum: Nos itaque ipsorum fraudibus obviare volentes, & tàm præsumptæ calliditatis astutiam pœna debita castigare, statuimus, ut infra duos menses, à tempore solemnis publicationis hujus factæ in civitatibus, & Diœcesibus, in quibus consistunt ipsa pedagia, numerandos: nisi ab eis in toto destiterint, excommunicationis sententiæ, quam ex nunc in ipsos proferimus, & tunc subjaceant ipso facto.

De facientibus statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ.

CUm jure Canonico caveatur, quod qui de cætero servare fecerint statuta, edicta, & consuetudines introductas, contra Ecclesiæ libertatem, statutarii, & scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, & Consules, Rectores, & consiliarii locorum, ubi hujus statuta, & consuetudines de cætero edita fuerint, vel servata, necnon & illi, qui secundum ea judicare præsumpserint, vel in formam publicam scribere judicata, excommunicationis sententiæ debeant subjacere: Nonnulli propriæ salutis obliti, & suæ verecundiæ non parcentes juris sententiam verborum amplexu, non sine fraude circumvenire nituntur: non statuta, ut asserunt, banna tamen faciunt proclamari: præcepta, ac prohibitiones inducunt, quæ

A non est dubium in libertatis Ecclesiasticæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hæc adhibitas fuisse cognovimus, obviare volentes, statuimus, ut quicumque contra ipsius Ecclesiæ libertatem banna, prohibitiones, sive præcepta scienter fecerint, aut fieri procuraverint, seu facientibus consilium, vel opem duxerint adhibendam, ipsa postquam per locorum ordinarios super hæc fuerint requisiti, absque cujuslibet difficultatis obstaculo indilatè revocent, seu faciant revocari, ad consimilia nunquam de cætero processuri: alioquin censura simili sint adstricti. Qui verò contra consuetudines antiquas rationabiles approbatas, & hactenus pacificè observatas, statuta, banna, aut prohibitiones, aut præcepta scienter fecerint, aut fieri procuraverint, aut servari fecerint,

B seu facientibus, vel servantibus in hoc consilium, vel opem præstiterint, per Diœcesanos locorum, tùm præsentis auctoritate Concilii moneantur, ut infra mensem à tempore monitionis hujus numerandum, statuta deleant: banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad consimilia nunquam ulterius processuri: alioquin excommunicationis sententia, quam tunc, ut ex nunc in ipsos ferimus, sint ligati.

De violatoribus Ecclesiarum.

QUorumdam insolentias perversorum, qui Dominum Jesum Christum verbo tantummodò profitentes, nec Deum timere, nec homines revereri pro suorum atrocitate factorum manifestissimè convincuntur, in tantam accepimus temeritatis, vel insaniæ audaciam prorupisse, quod confugientes ad Ecclesiarum tutelam contra juris utriusque statuta ad

C Ecclesiasticam libertatem ibidem vulnerant, mutilant, & interficiunt, vel incendunt, vel vi extra hanc violenter extractos vulnerare præsumunt: nonnunquam ultimum ipsis supplicium inferentes, aut ita fieri præcipiunt, aut procurant: seu consilium, & opem adhibent in tantis sceleribus perpetrandis. Nos itaque, quos zelus comedit domus Dei, hujusmodi sacrilegorum excessus detestabiles, & horrendos, quos non solùm evidentia rei docet inhumaniter excrevisse, sed inolevisse jam præsumptione damnabili, recensita præteritorum memoria comprobat, & declarat: castigationem Canonicam adhibere volentes, præsentis approbatione Concilii duximus statuendum, quod taliter delinquentes excommunicationis

D sententiæ, quam in ipsos proferimus, subjaceant ipso facto. Quam quidem sententiam locorum ordinarii ipsius auctoritate Concilii solemniter in subjectis sibi Ecclesiis denuntiari faciant, & usque ad satisfactionem inviolabiliter observari. Eisdem nihilominùs mutilatoribus, interfectoribus, necnon & iis, qui hujusmodi mutilationes, & homicidia fieri præcipiunt, vel procurant, aut facientibus consilium, vel opem impendunt, feuda, & beneficia, si qua ab Ecclesiis taliter violatis obtinent, eo ipso protinus amissuris: quæ ad Ecclesiam, à qua illa obtinere noscuntur, liberè convertantur, filii etiam eorum, non solùm nihil obtineant de prædictis, sed ad beneficia Ecclesiastica de cætero assequenda eo ipso reddantur inhabiles, & indigni.

E

De his, qui impediunt jurisdictionem Ecclesiasticam.

CUm multi temporale dominium obtinentes, seu sæcularis judiciariæ potestatis gerentes Officium, jurisdictionem sanctæ Matris Ecclesiæ subvertere, vel minuere exquisitis astutiis moliantur. Nos eorum conatus ultione Canonica reprimentes, statuimus inhibentes, ne quis in foro Ecclesiastico litigantes, seu litigare volentes super causis merè Ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiæ de antiqua approbata consuetudine, & hactenus pacificè ob-

servata pertinere noscuntur, ad desistendum compellat A per ipsorum, vel parentum, aut consanguineorum, sive rerum eorum, vel personarum hujus captionem, modis vel aliis quibuscumque. Si qui verò contra præsumpserint, excommunicationis sententiæ præsentis auctoritate Concilii se noverint subjacere.

De Judæis.

DE Judæis, quorum perfidia plerumque simplices decipit, & malitiosè secum pertrahit in errorem, sacro approbante Concilio duximus ordinandum, ut nonnisi in civitatibus, castris, & aliis locis insignibus habitare præsumant: temporalibus locorum Dominis, & vices gerentibus, seu locotenentibus eorum districtiùs inhibentes, ne Judæos ipsos permittant alibi, quàm in locis expressis superiùs B habitare: ipsis ad hæc, si res exegerit, à Diœcesanis locorum ejusdem auctoritate Concilii per censuram compellendis.

De privilegiis, & excessibus privilegiatorum.

LIcèt regularis observantiæ professores, & alios, quos sedes Apostolica exceptionis, seu libertatis majoris decoravit titulis, & privilegiis insignivit, attollere condignis favoribus intendamus, ipsorumque privilegia, quantum ad nos attinet, observare penitùs illibata: Sic tamen eos suis manere juribus contentos affectamus, quod privilegiorum suorum limites in aliorum injuriam non excedant: proindè C sacro approbante Concilio duximus statuendum districtiùs inhibentes, ne deinceps religiosi quicumque, vel etiam sæculares exceptionis, seu libertatis sedis Apostolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos ad Divina, seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam scienter admittant. Qui verò contra præsumpserint, præter pœnas à jure statutas, ingressum Ecclesiæ eo ipso sibi noverint interdictum; donec pro latoribus sententiarum hujusmodi, quorum auctoritatem contempserint, & aliis, quorum interesse contigerit, de prædictis excessibus, & omni interesse, & damnis satisfecerint competenter.

De iis, qui verberant nuntios, aut executores judicum, aut aliorum litteras deferentes, & qui litteras auferunt, destruunt, aut cancellant.

D CUm juris utilitas tot, & tantis excogitata vigiliis sufficienter nequeat prosperari, si processus ministrorum justitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam, quos amor divinus è malo non revocat, saltem rigor Ecclesiasticæ cohibeat disciplinæ, sacri provisione Concilii duximus statuendum, quod si quis cujuscumque dignitatis, aut conditionis existat, nuntios, aut executores Ecclesiasticorum Judiciorum, aut alios literas eorumdem, actave Judiciaria deferentes hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare: aut quod gravius est censendum, interficere, E litteras, vel acta prædicta personis memoratis auferre, seu ea rumpere, cancellare, aut aliàs destruere quoquomodo, vel sic ablata celare præsumpserit, aut, ut ista fiant, procuraverit, vel facientibus consilium, vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis sententiæ, quam ex nunc proferimus, subjaceat ipso facto, à qua nisi priùs, tàm Judici, cujus auctoritatem contempserit, quàm passo injuriam, & cæteris, quorum intererit, prout excessus postulabit atrocitas, satisfaciat competenter, nullatenus absolvatur. Ad quorum memoriam in perpetuum observandam sigillum nostrum duximus præsentibus litteris apponendum.

Datum in eodem Concilio Idibus Septembris, anno Domini MCCLXXVI. Romana Sede vacante.

SImon miseratione Divina Tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, ad futuram rei memoriam. Nuper in generali nostræ Legationis Concilio, per nos Biturigis congregato, nonnulla pro defensione Ecclesiasticæ libertatis, & tranquillo statu Ecclesiarum à Sede Apostolica nostro regimini commissarum, deliberatione provida, de ipsius approbatione Concilii ordinanda duximus, ac etiam statuenda: quæ quidem juxta approbationem hujus perpetuam obtinere decrevimus firmitatem. Ne igitur per aliquorum malitiam privilegiorum, sive indulgentiarum collegiis, locis, ordinibus, communitatibus, sive personis quibuslibet, sub quacumque forma, vel conceptione verborum à Sede Apostolica concessorum prætextu, adversus observationem ordinationum, & statutorum hujus quisquam immunitatem quovis exquisito colore sibi vendicare præsumat, aut ab ea se quomodolibet excusare: literarum Apostolicarum tenorem, per quas nobis expressè conceditur, quod præmissis, seu aliis nequaquam obstantibus Censuram Ecclesiasticam, Officium nostrum, & omnia ad ipsum spectantia, quæcumque nobis Officii ipsius ratione competunt, exercere liberè valeamus. Quas quidem in dicto Bituricensi Concilio solemniter fecimus publicari, literis præsentibus, ipsius ordinationibus, & statutis annexis jussimus annotari. Tenor autem ipsarum literarum talis est.

GRegorius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio Simoni, Tituli sanctæ Cæciliæ, Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum tibi plenę Legationis officium in Regno Franciæ Civitate, & Diœcesi Lugdunensi, necnon in partibus transmarinis duximus committendum, ne circa executionem ipsius, vel eorum, quæ ad ipsum spectant officium, vel tibi ratione ipsius competunt, te contingat aliquatenùs impediri, discretioni tuæ, ut, non obstante aliqua indulgentia, quibusque Archiepiscopis, Abbatibus, cæterisque Prælatis Ecclesiarum, sive aliis personis Ecclesiasticis, vel sæcularibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, seu Collegiis, vel dignitatibus, aut ordinibus à Sede Apostolica, sub quacumque verborum forma, vel expressione concessa, etiamsi contineatur in ea, quod aliquæ litterę, quantumcumque quęlibet obstantia, seu obstare possibilia expressius removentes, ipsi aliquatenùs non obsistant, sive quod de ipsa indulgentia, dignitatibus, ordinibus, seu nominibus propriis ipsorum ordinum, dignitatum, seu etiam personarum plenam, & expressam, seu de toto tenore ipsius indulgentię, seriatim, & de verbo ad verbum oporteat fieri responsionem, sive quod personę hujus excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas, vel Legatorum Sedis Apostolicę: in quibus de ipsis dignitatibus, ordinibus, nominibus, seu indulgentia, vel ejus tota serie plena, & expressa: sive de verbo ad verbum in eisdem Apostolicis, vel Legatorum ipsius literis responsio non habeatur, & qualibet alia indulgentia cujuscumque tenoris, formæ, vel expressionis existat: per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam hujus nostræ concessionis effectibus impediri possit, vel quomodolibet retardari, dictum officium, & omnia ad ipsum pertinentia tibi ratione ipsius liberè competentia, sine cujuslibet conditionis, vel alterius impedimenti obice valeas exercere, plenam, & liberam tibi auctoritate præsentium concedimus libertatem. Datum Viennæ septimo Calendas Octobris: Pontificatus nostri anno quarto.

GRegorius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio Simoni, Tituli sanctæ Cæciliæ, Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, Salutem, & Apo-

Apostolicam Benedictionem. Ut eo efficacius promissum tibi Legationis officium promovere valeas: quo majori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ, exerẽdi liberè censuram Ecclesiasticam in omnes, tàm Cathedraliũ, quàm aliarum Ecclesiarum Prælatos exemptos, & non exemptos, in universa quoque Capitula, & Conventus, Duces, Marchiones, Comites, nec non Barones, & quoslibet alios Nobiles, & Rectores, etiam Ballivos, Potestates, Consiliarios, Universitates, Populos, & quascumque personas Ecclesiasticas, Sæculares, Regulares, etiamsi Militiæ Templi, & Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, vel Sanctæ Mariæ Theutonicorum, seu Cistercienfium, Cluniacensium, Præmonstratensium, Minorumq; aut Prædicatorum Ordinum fuerint, & in quaslibet alias publicas, vel privatas tuæ Legationis, cum videris expedire, non obstantibus, si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possunt, aut aliquibus Privilegiis, Indulgentiis, vel literis B *quibuscumque, dignitatibus, Ordinibus, locis, vel personis generaliter, vel specialiter, sub quacumque forma, vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis; de quibus, quorumve tenoribus de verbo ad verbum, seu eorum ordinibus, locis, aut propriis personarum tenoribus certa specialis pœna determinata, & expressa mentio sit habenda, & per quæ etiam si contineatur in illis, & per quasvis Apostolicas literas, quælibet obstantia removentes eis in aliquo nequeat derogari, nullum in præmissis volumus obstaculum interponi, nec cuiquam contra ea præsidium, quomodolibet exhiberi, plenam, & liberam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum Lugduni decimo quarto Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno tertio. In cujus rei testimonium, ac munimen perpetuum sigillum nostrum præsentibus duximus apponen-* C *dum. Actum in eodem Concilio Idibus Septembris, Anno Domini 1276. Romana Ecclesia vacante.*

CONTROVERSIA.

ADverte hoc Concilium vocari generale, non simpliciter, & absolutè, sed respectu terrarum Legationis hujus Cardinalis, unde probabile ad illud convenisse, non tantum Episcopos ex omni Gallia, verum etiam ex partibus transmarinis, ut ex Anglia, ad quas se Legatio ejus extendebat.

Notantur præfationes, & introductiones quædam satis elegantes ferè ad singulos Canones. Qua de re disputat Uvestonus libro 3. de Moribus, Reip. Christianæ an conveniant. Sunt enim, qui prologos legibus præfixos vituperant, quod sint legibus extrin- D seci, magisque Oratorii, & Scholastici, quàm juri dando idonei, cum lex ex se ipsa satis sit directiva, & illuminativa absolutè aliquid jubendo, aut prohibendo. Addunt videri prologos majestati legislatoris aliquid detrahere, quasi satis non sit validum ejus imperium lege expressum, nisi accedat aliquis prologus aliquid suadens, & veluti à subditis emendicans. Postremo subjiciunt prologos suspicionem secum adducere, vix honestam esse legem, cui fucatum quoddam honestamentum præponatur, quasi solo sui ostentu justa, & æqua nequeat apparere. Sed & Seneca epist. 94. legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, veluti emissa divinitus vox sit; Jubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum E prologo.

Attamen in multis legibus utilissimos esse prologos suadet usus Ecclesiæ, & regum nostrorum in edictis promulgandis, ut suavius recipiantur. Quapropter Plato libro 6. de Legibus, hanc differentiam ponit inter Tyrannum, & civilem Principem, quod Tyrannus continuo mandat, civilis Princeps nonnumquam docet, probat, ac suadet. Utilis lex, inquit Possidonius apud Senecam epistola 94. si non tantum imperet, sed doceat.

Cæterum major aliis videbitur difficultas, quo pa- A cto Cardinalis Tituli Sanctæ Ceciliæ potuerit præesse Concilio, defuncto summo Pontifice Gregorio decimo, à quo auctoritatem acceperat: aliqui enim existimant Jurisdictionem omnem exspirare in delegatis, illo defuncto, à quo concessa erat. *Jurisdictio delegati.* Quod ab aliis vertitur in controversiam, eo quod cooperatores à Parochis assumpti ad audiendas confessiones, iis mortuis, Officio suo fungantur, donec amoveantur à successoribus; sed cum illi judicium suum exerceant non in persona delegantis, sed in Christi persona, & ejus auctoritate, non mirum est, quod mortuo delegante, adhuc vigeat eorum Jurisdictio: Christus enim non moritur. Legatus autem vices gerit Summi Pontificis delegantis, cujus cum potestas extincta sit, consequenter videtur extincta in delegato. Sed jura videntur hanc finire difficultatem, cum dicunt delegati ad Jurisdictionum contentiosam potestatem exspirare mortuo delegante, cum res est adhuc integra, & delegatus nondum Jurisdictione uti cœpit. Ita Urbanus III. de Officio, & Potestate Judicis delegati, cap. *Relatum est*, & Cœlestinus III. cap. *Gratum gerimus*, habetur. Jam autem uti cœperat jurisdictione sua Cardinalis Simon, nam saltem indixerat Concilium, ideoque potuit præesse Concilio Sede Romana vacante.

CONCILIUM COMPENDIENSE,

Anno 1277. ad Capitulorum usurpationes reprimendas, tempore Nicolai III. & Philippi III. convocatum.

HEmeræus. Anno 1277. Compendii Concilium Provinciæ Rhemensis Episcoporum, Capitulis contra antiquum morem non convocatis. Nata illuc ejusdem habendi occasione; Quod Capitula plerumque cessationem à divinis adversus Antistites ipsos promulgarent. Itaque conventu illo, Præsules in eam mutui auxilii societatem convenere, qui communibus impensis conservarent incolumem dignitatem suam, nec jus illud interdicendi, excommunicandi, suspendendi, quod merum Episcopale videretur, usurpatione manifesta sibi detrahi à Canonicis sustinerent.

CONCILIUM BITURICENSE,

Sub Simone de Bello loco Archiepiscopo, ann. 1286. tempore Honorii IV. & Regis Philippi III.

EX Spondano. Fuit & alia Synodus celebrata Bituригis in Gallia sub Simone de Bello loco Archiepiscopo, postea Cardinali: qui cum prædecessorum suorum Constitutiones pluribus Conciliis conditas, quæ tanquam incertæ vagabantur, & vacillabant, in unum corpus collegisset, quæ erant in illis dubia, declarasset, aliasque nonnullas addidisset sumptas ex variis decretis Summorum Pontificum Romanorum, publicavit illas, & servari jussit, in Concilio Provinciali præsentis Anni die Jovis ante Festum Divi Matthæi.

HUjus Concilii decreta ex Sorbonæ Bibliotheca doctissimus vir Claudius Hemeræus Doctor Sorbonicus, atque antiquitatis solers indagator nobis in exemplari mss. pervetusto liberaliter commodavit: ideo ea hìc adjunximus. *Bibliotheca Sorbonæ.*

QUoniam constitutiones Conciliorum prædecessorum nostrorum sic diversas, sicque reperimus vagabundas, quod tamquam incertæ per totam provinciam vacillabant, ex quo inconveniens seque-

sequebatur, quod aliqui per constitutiones ejusmodi erant pœnis multiplicibus obligati, alii verò excommunicati, alii scilicet suis Beneficiis privati, ignorantes pœnas, sententias, & præcepta, quæ in præcedentibus Conciliis continentur: Idcircò ad utilitatem, pacem, & tranquillitatem Provinciæ, ne labilis hominum memoria possit ignorantiam prætendere in futurum, constitutiones antiquas scripto de consensu totius Concilii dignum duximus comprehendi, & sigillorum nostrorum munimine roborari. Adjicientes constitutiones, & alia dubia, quæ erant in prioribus, declarantes, præcipientes, ut ab omnibus vocatis ad Concilium habeantur, & ut semel in anno in synodis Episcopalibus publicè, & perfectè legantur.

B IN primis ad instar prædecessorum nostrorum nos Archiepiscopus Bituricensis, cum suffraganeis nostris de Concilio, & assensu totius Concilii, statuimus, quod judices Ecclesiastici, ad quos spectat cognitio causarum matrimonialium in conjungendis, & dirimendis matrimoniis, cum omni maturitate consilio peritorum procedant: & quod matrimonia illicitè contracta timore, vel amore nullatenùs sustineantur ...... ad illa separanda omni dilatione, & excusatione exclusa permittant.

CApellani, aut Parochiales matrimonia, quæ in suis Parochiis illicitè contracta cognoscunt, studeant Diœcesanis, aut eorum officialibus quantocyus commodè poterunt intimare, quod nisi fecerint, superiorum suorum arbitrio puniantur graviter.

C ITem districtè inhibemus, ne ante ætatem legitimam masculus, vel fœmina matrimonium contrahant, & nonnisi in facie Ecclesiæ, atque bannis priùs editis juxta morem: & ne aliqui tali matrimonio interesse præsumant. Quod si infra ætatem legitimam matrimonium contrahere attentent, tàm contrahentes, quàm illi, qui scienter, & spontè intererunt, arbitrio ordinarii puniantur. Nec calumniosè procedant, quod malitia supplet ætatem, cum constet ejusmodi cognitionem ad ordinarium pertinere. Similiter quantum ad contrahentes clandestinè, & cooperantes, & scienter præsentes, servetur statutum antiquum. Quos omnes, statutum antiquum super hoc editum innovando, excommunicationis vinculo innodamus, etiamsi sint Clerici, laici, sæculares, vel religiosi.

D SAnè, quia nonnulli cognitionem causarum matrimonialium, necnon, & de sacrilegiis, aut aliis minoribus causis usurpare nituntur, aut de aliis causis cognoscunt extra loca suæ jurisdictionis, in quibus non cognoscere consueti, statuimus, & prohibemus, ne de cætero talia attentent, nisi de consuetudine præscripta antiqua, & approbata fuerit obtentum, aut nisi eis specialiter sit commissum ab eo, qui potestatem habeat committendi. Quod si contra factum fuerit superioris arbitrio puniantur, & processus non teneat ipso jure, causam etiam non præbeat præscribendi.

E ITem statutum renovantes antiquum, firmiter inhibemus, ne Archidiaconi, Archipresbyteri, seu alii Jurisdictionem habentes Ecclesiasticam extra ...... civitatem Officiales habeant, sed intra civitatem in personis propriis officium suum fideliter impleant. Etsi aliquis processus fuerit habitus coram talibus judicibus (quod fieri prohibemus) illum decernimus non tenere: hoc autem intelligimus, nisi quatenus de antiqua præscripta, & approbata consuetudine fuerit obtentum. Illud etiam, quod in contrarium ab aliis attentabitur, causam non præbeat præscribendi.

A ITem statutum antiquum editum invenimus, per hæc verba. Statuimus, ut Clerici in minoribus ordinibus constituti ad Regimen Parochialium Ecclesiarum præsentati in Ecclesiis per Diœcesim instituti, fructibus non gaudeant, donec fuerint in sacris ordinibus, sed in utilitatem Ecclesiæ, secundum quod diœcesano videbitur, convertantur.

ITem nullus Presbyter, vel Clericus peregrinus ad celebrandum, vel officiandum publicè populo in Ecclesia admittatur, nisi per Diœcesanum, vel suos fuerit approbatus.

ITem nullus sacerdos, vel Clericus beneficiatus mulierem habeat suspectam. Præcipiatur autem Archipresbyteris virtute præstiti juramenti, quod Archipresbyteratus suos hac vice discurrant, & omnes mulieres suspectas à domibus Presbyterorum, & Clericorum beneficiatorum expellant. Si quis autem prius Canonicè monitus deinceps convictus fuerit concubinam publicè, seu focariam in domo propria habere, privetur ab Ecclesia, seu beneficio, nisi Prælatus ejus ex causa probabili dispensandum viderit cum eodem.

FIlios autem illegitimè natos Presbyterorum, & Clericorum beneficiatorum nutriri in domibus propriis eorum penitùs prohibemus: Quod si contra fecerint, puniantur arbitrio Prælatorum. Presbyteri autem negociatores publici, & tabernas frequentantes, seu aleatores pœna simili puniantur.

ITem statuimus, quod Clerici beneficiati, qui per annum in excommunicatione perstiterint, & negligentes in petenda absolutione fuerint, beneficio omni jam adepto, priventur, nisi cum eis per diœcesanum fuerit dispensatum.

QUoniam excommunicati communioni hominum irreverenter se ingerunt, & nonnulli etiam cum excommunicatis participare non formidant in periculum animarum, ne aliquis per ignorantiam super hoc se excusare valeat: Statuimus, quod singuli Ecclesiarum rectores, & eorum loca tenentes habeant Rotulos, quilibet suum, in quo scribant omnia nomina excommunicatorum suæ Parochiæ, ex quorum auctoritate, & ad quorum instantiam sint excommunicati, & tempus excommunicationis, & eos sic excommunicatos denuntient publicè in suis Ecclesiis diebus dominicis, & festivis, donec de absolutione constet eis evidenter. Inhibeant nihilominus Parochianis suis, ne cum eis participare præsumant, alioquin noverint, quod contra eos durius procedetur. Præcipimus etiam sub pœna suspensionis, quòd omnes Parochiales Presbyteri habeant illas duas constitutiones, videlicet Gregorianam, quæ incipit *quicumque*, & Simonis Legati, quæ incipit, *cum juris utilitas*, contra impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam in gallico, seu vulgari suo, & latino, & eam legant saltem semel in mense, & eas ita diligenter exponant populo, quod nullus sæcularis possit se super hoc prætextu ignorantiæ excusare, quarum constitutionum tenores immediatè sequuntur.

COnstitutio edita in Concilio Lugdunensi à Gregorio Papa X. *Quicumque pro eo, quod in reges, principes, &c.* habetur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. apud Binium.

COnstitutio Simonis Legati facta in Concilio Bituricensi. *Cum juris utilitas*, &c. ut habetur supra, pagina sexagesimaoctava.

ITem aliam constitutionem de rescriptis, *quia nonnulli* ab omnibus præcipimus observari in omnes

mnes transgressores ipsius, scienter excommunicationis sententiam promulgantes. Ne autem de constitutione ejusmodi, sive de his, quæ continentur in illa, prætendi possit ignorantia, & diversi modi ea constitutione, quibus plerique litteris Apostolicis abutuntur, ex ipsius constitutionis inspectione plenè pateant, tenorem constitutionis illius de verbo ad verbum, prout proximè, & immediatè sequitur, duximus inserendum, *quia nonnulli*, &c. ut habetur titulo de rescriptis.

ITem statuimus, quod Presbyteri Parochiales admoneant suos Parochiales proprios, ut saltem semel in anno de omnibus peccatis suis confiteantur eisdem, & quod nomina sic confitentium in scriptis redigant, quibus in Festo Paschæ viaticum dent: aliis autem denegetur contemnentibus confiteri modo prædicto proprio sacerdoti, aut alii de licentia ipsius, vel Episcopi: & si anno, quo decesserint, confessi non fuerint, ut præmittitur, eis sepultura Ecclesiastica denegetur: nisi adeò morte præventi fuerint, quod possint legitimè excusari, & signa pœnitentiæ in ipsis apparuerint evidenter. In prædictis autem confessionibus diligenter inquirant à subditis, si jurisdictionem Ecclesiasticam impediant...... quod si confiteantur, ad Diœcesanum, vel ejus mandatum mittantur absolvendi, vel ad sedem Apostolicam, secundum quod negotii qualitas postulabit.

PRæcipimus etiam sub pœna excommunicationis universis Ecclesiarum capitulis, quòd habeant in vulgari, & latino constitutionem Innocentii Tertii, editam in Concilio generali, quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, & constitutionem Clementis Papæ, quæ dirigitur fratribus Prædicatoribus, & incipit, *Quidam temerè sentientes*.

ITem illam constitutionem Martini, quæ dirigitur fratribus Minoribus, quæ incipit, *Ad fructus uberes*, & eam diligenter intelligant, & frequenter populo exponant, quam ipsis Prædicatoribus districtè præcipimus observare. Tenores autem dictarum constitutionum hìc per ordinem inseruntur.

habēt viri. *OMnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat implere. Suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusdem perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, neque quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat: si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse ipsum absolvere non possit, &c.* Ut habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, cap. 21.

CLemens Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis magistro, & fratribus ordinis Patrum Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem. *Quidam temerè sentientes, & ad sobrietatem sapere nescientes, imprudenter assumunt asserere, quod de licentia, vel commissione Romanorum Pontificum, vel Legatorum Apostolicæ Sedis, seu Ordinariorum locorum, vos sine sacerdotum Parochialium Ecclesiarum licentia, & assensu non potestis liberè prædicare populis, audire confessiones, absolvere, pœnitentias injungere salutares. Nos igitur volentes assertionem tàm temerariam penitus confutare, & elucidare in talibus veritatem, deliberatione prævia declaramus, quod si vobis detur licentia, committatur, seu concedatur à Legatis prædictæ sedis, aut ordinariis locorum, nedum à Romano Pontifice, de quo proculdubio esset erroneum dubitare, quin in omnes sine alicujus consensu, vel etiam invitis quibuslibet, ejusmodi possit concedere potestatem, populis, Legatis, & Ordinariis subjectis eisdem liberè prædicare potestis, audire confessiones, absolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere salutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & rectorum Ecclesiarum, & sacerdotum parochialium assensu nullatenus exquisito, illis casibus exceptis, qui de jure, consuetudine, seu retentione ab eis specialiter facta, prædictæ Sedis Legatis, & Ordinariis prædictis specialiter relinquuntur, ad quos non licet manum extendere, nisi vobis specialiter committatur, ideoque auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne quisquam super iis, vel eorum quolibet vos, vel aliquem vestrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prædicationes vestras forsitan accedentes contra præmissæ declarationis formam aliquatenus molestare præsumat. Decernentes nibilominus irritum, & inane, &c. datum, &c.* Privilegia relig.

MArtinus servus servorum Domini, Dilectis filiis Generali ministro, & Provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad fructus uberes, quos in agro Dominico prædicando verbo pariter, & exemplo, confessiones audiendo, & alia virtutum exercitia satis ordo vester, & humiles ipsius ordinis professores produxerint hactenus, & in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciem convertentes, ut fratres ejusdem prædicationis, ordinis, & audiendi confessiones officia eo liberius, & efficacius exequi valeant, quo certius de ipsorum circa eadem authoritate constabit, Tibi, Fili minister generalis per te, vobis verò provincialibus ministris cum definitoribus in provincialibus vestris capitulis congregatis, committendi, auctoritate Apostolica, fratribus ejusdem ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicandi, audiendi confessiones, absolvendi confitentes, injungendi pœnitentias salutares, ac etiam fratribus aliis idoneis concedendi, eisdem quoque præfati ordinis fratribus, quibus dicta officia per nos taliter commissa, sive concessa fuerint, quod eadem liberè valeant exercere, plenam damus, & concedimus auctoritate præsentium facultatem. Districtius inhibentes, ne quis fratrum ipsius ordinis, quibus dicta officia taliter cōmittēda duxeritis, ut præmittitur, in exercitio, aut executione officiorum ipsorum quemlibet impediat. Volumus autem, quod ii, qui fratribus confitebuntur eisdem, suis Presbyteris parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout Concilium statuit, nihilominus teneantur: quodque iidem fratres eos ad hæc diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nisi ergo, &c. Inhibitionis, &c. Latum IV. *idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo.* Sanctus.

ITem statuimus, ut injungatur Capellanis, quod si viderint aliquem participantem cum excommunicatis in mensa, vel in domo, ut domesticus, vel consulendo, moneant ipsos alio mandato non expectato, & nomina Diœcesanis, vel officialibus eorum per suas litteras mittant, circa quod capellani solicitè, & diligenter se habeant, scituri, quod, si in hoc inveniantur remissi, vel desides, graviter punientur.

SAnè perspeximus, quòd nonnulli religiosi, & alii motui sui sensus potius innitentes, quàm considerare volentes, quàm grave sit, & periculosum aliquid attentare, potissimùm transgrediendo terminos, quos posuere majores, quod posse vergere videatur in contemptum clavium, & fractionem nervi Ecclesiasticæ disciplinæ, plerumque aliquorum corpora præsumunt tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, qui ab ordinariis suis excommunicati, culpis exigentibus eorumdem, per tempora multa in sua contumacia, & rebellione persistunt, Claves Ecclesiæ, & censuram Eccle- Excōmunicatorum sepultura.

A Ecclesiasticæ potestatis graviter contemnendo, in detrimentum nimirum animarum suarum, & in scandalum plurimorum: Sicque absolutione à præfatis ordinariis non obtenta, quia etiam nec petita fuerit, dies suos finiunt, colore assumpto aliquoties à prædictis, qui talium corpora sepulturę Ecclesiasticæ tradere non verentur, quod antequam eos sepeliant, ipsos intelligunt fuisse per aliquem Presbyterum in gravi infirmitate aliqua absolutos, qua evasione utuntur, ne dum non plenè eisdem, quod eo illi positi essent articulo, ut debuerit ipsis absolutionis munus impendi, immo etiam etsi non sufficienter constet eisdem, quod prædicti rebelles ab aliquo sacerdote fuerint absoluti, animadvertere etiam præsumptores hujusmodi non curantes, quod certis ex causis quandoque illis, quibus B absolutionis beneficium impensum est, & qui cum signis veræ pœnitentiæ obierunt, justè denegatur, sive differtur Ecclesiastica sepultura. Nos igitur inter alia plurima, quæ suadent circa hujusmodi congruum debere remedium adhiberi, considerantes, quod sepultura dilata defuncto non nocet, Ecclesiasticæ verò tradere sepulturæ excommunicatum nimis perniciosum existeret, ac damnosum, præsentis auctoritate Concilii erga hoc salubre istud remedium adhibemus. Statuentes, & districtius inhibentes, ne aliquis Presbyter, aut religiosus, vel quicumque alius cujuscumque conditionis, aut status existat excommunicatus authoritate ordinarii, quamquam in articulo mortis absolutus dicatur, Ecclesiasticæ tradatur sepulturæ, donec ab Ordinario defuncti obtenta fuerit licentia specialis. Si verò contrarium de sic defunctis aliquid C attentetur à quibuscumque, cujuscumque conditionis existant, tàm in eos, quàm in cooperatores, & qui opem, vel consilium, seu consensum dederint, & qui expensas ministraverint, & qui præsentes scienter hujusmodi funeri fuerint, excommunicationis sententiam promulgamus. Capellanis autem Ecclesiarum Parochialium districtè præcipimus, quod de hujusmodi statuto, & tenore ipsius plenè, & publicè certificent illos, qui vellent talia attentare, ne fortassis ignorantia prætendatur.

EIsdem pœnis subjaceant, qui usurarios publicos, quos authoritate præsentis Concilii excommunicamus, excommunicatos publicè denuntiari mandaD mus, in suis cęmeteriis scienter sepelire præsumpserint. Præcipimus etiam universis Presbyteris Parochialibus, ut singulis diebus Dominicis denuntient usurarios publicos testari non posse, nisi de usuris satisfaciant, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent, vel præmittant idoneam cautionem, nec per constitutiones tradi Ecclesiasticæ sepulturæ. Cum hoc etiam præcipimus servari, & per Capellanos, Curatos Ecclesiarum Parochialium in eorum Ecclesiis publicè denuntiari constitutionem Domini Simonis Legati, quæ incipit: *Licet regularis observantiæ professores*. Quia verò id solum benè agitur, ut vita hominum corrigatur, ac in vestra Provincia multos in religione girovagos reperimus contra substantiam ordinis sic errantes, quod à religione penitus deficiunt: Statuimus, ut in choro, refectorio, capitulo, & dormiE torio regula observetur, & nullus cameram singularem habeat, præterquam infirmarias, nisi necessitas officii id expostulet, in qua sibi jacere, & non comedere licebit, nisi de Abbatis licentia specialiter, quod rarò, & ex causa fit, eisdem vestibus, & ejusdem coloris, quibus religiosus in suo loco utatur.

Proprietas relig. ITem statuimus, & inhibemus, ut Monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant, sub aliquo colore, proprium de licentia Abbatis; cùm licentia Abbatis iis non valeat suffragari eisdem. Si Abbates contra hanc inhibitionem nostram fecerint, graviter puniantur.

PRohibemus etiam, nè aliquis Prior contrahat mutuum ultra summam sexaginta solidorum Turonensium de consensu, & auctoritate sui Abbatis, vel alterius superioris; & hæc constitutio in Parochia Prioris publicè nuntietur. Si quis verò contra inhibitionem, & denunciationem nostram mutuaverit Prioribus, sciat Priores ex tali mutuo non teneri, nisi evidenter constare posset pecuniam in utilitatem Ecclesiæ conversam. Caveant etiam diligenter Abbates, quòd dum prioratus suos visitant, domos prioratuum faciant congruè reparari.

PRæcipimus autem de omnibus Ecclesiis tàm prioratibus, quàm Parochialibus Ecclesiis arcas, & graneria penitus amoveri, quod si anno elapso amota non fuerint, ea faciemus in usus pauperum converti. Choreas fieri in Oratoriis, & Ecclesiis penitus inhibemus.

INhibemus etiam, ne Monachi minores viginti annis ad prioratus foraneos non conventuales mittantur moraturi ibidem.

HÆc autem ab Abbatibus præcipimus observari, quos in futuro Concilio contra constitutionem hujusmodi transgressores intendimus procedere, per suspensiones, excommunicationes, & alias, quantum justitia suadebit.

DE mulieribus autem in domibus Monachorum, & aliorum religiosorum non morandis; Hoc idem statuimus, quod de Presbyteris, & Clericis beneficiatis statutum est.

ITem, quòd nonnulli Religiosi recipiunt decimas à laicis sine consensu Diœcesanorum, & aliqui Clerici, & laici, in præjudicium Ecclesiarum Parochialium, juris prohibitiones contemnentes, sacro approbante Concilio ordinamus, quod Rectores Ecclesiarum, vel eorum Vicarii publicè semel, scilicet toto, diebus Dominicis, astante populo, in Ecclesiis suis, moneant, & prohibeant, ne tradendo, vel recipiendo, de cætero talia attentare præsumant. Quod si post monitiones contra fecerint, tàm tradentes, quàm recipientes, nisi ex causa justa, & rationabili super hoc defendi valeant, excommunicationi subjaceant ipso facto, quàm excommunicationem publicè præcipimus in Ecclesiis Parochialibus observari, & nuntiari, & nomina excommunicatorum Diœcesanis, vel Officiali suo in scriptis dari, qui contra hujusmodi constitutionis violatores procedat, quantum fuerit rationis.

QUia verò tàm Abbates, quàm conventuales mortuis, vel amotis Prioribus ex causa bona, quæ in eorum Ecclesiis inveniunt, capiunt, & asportant, prohibemus, ne de cætero talia attentent, nisi tantum dimittant de bonis eisdem, quousque ad fructus sequentes valeat competenter domibus, & prioribus provideri. Si verò contra fecerint, Diœcesani arbitrio puniantur.

STatutum verò quoddam antiquum editum invenimus in Provinciali Bituricensi Concilio per hæc verba. Ne decedentium voluntates, quas pium est executioni mandari, per aliquorum malitiam supprimi valeant, vel occultari: Statuimus, ut infra xv. dies à tempore obitus testatoris ad Episcopum, vel Archidiaconum loci, vel ad illos, qui loco ipsorum super hæc fuerint deputati, vel ad illos, qui jurisdictionem Episcopalem habere noscuntur, accedant, secum testamentum, si scriptum fuerit, delaturi, vel si scriptum non fuerit, per Sacramentum ipsorum, quando testator disposuit, probaturi; ut præfati testatoris voluntas in publicam formam redigatur. Injungimus

Exec. Testam. torum. *Quod.*

mus autem Episcopis, & Archidiaconis, & aliis jurisdictionem habentibus Ecclesiasticam, ut si executores testamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipsam fideliter executioni demandent, quibus prælatis, & executoribus sub intimatione divini judicii firmiter inhibemus, ne quid de bonis decedentium in proprios usus committere, vel etiam detinere præsumant. Statuentes, quod si executores aliquid, quod sibi deberi afferunt, propria auctoritate usurpandum duxerint, illud restituere compellantur, actione, si qua sibi super eodem debito competiverit, sua temeritate privati, nisi id restituerint, ex quo super hæc moniti fuerint competenter.

A

Item statuimus, quod executores titulo emptionis, vel alio nihil de bonis retineant testatoris, nisi ab ipso legatore legatum sibi expressè fuerit, vel concessum, quod etiam sine auctoritate judicis poterunt retinere, & si quid contra præsumpserint attentare, pretium amittant, si causa venditionis præsumpserint retinere; & si alia causa, judicis arbitrio puniantur.

B

Quod si nihil est, quod tàm hominibus debeatur, quàm quod supremæ eorum voluntates executioni mandentur, non est, quod negligentius persolvatur. Idcircò firmiter injungimus prælatis, & universis jurisdictionem Episcopalem habentibus, ut si executores, seu hæredes in exequendis decedentium voluntatibus invenerint negligentes, ipsas fideli executioni demandent, prout in sacris constitutionibus est statutum.

C

Attendentes autem spectare plurimum ad salutem animarum illorum, qui testamenta sua condere volunt, sive ultimas voluntates, ut Capellani Ecclesiarum, quorum Parochiani existunt, & à quibus recipere debent Ecclesiastica Sacramenta, intersint testamentis, & ultimis dispositionibus eorumdem, pro inducendo eos ad emendanda forefacta, & restituenda illicitè acquisita, & alia ordinanda, quæ ad salutem pertinent animarum, unde etiam ex præsentia sacerdotis testamentum per Canones redditum efficacius approbant: considerantes insuper, quod tuitio, & executio testamentorum ad pontificalem pertinent authoritatem; secundum civiles, & canonicas sanctiones statuimus, & statutum hujusmodi præcipimus publicari, ut quicunq; testari voluerint, proprium sacerdotem, & curatum, aut aliquem ordinarium ad testamenti sui factionem advocent, in cujus præsentia manifestè appareat de testatoris libera voluntate.

D

Statuimus, ut singuli, qui per annum, & amplius publicam sustinuerint excommunicationis sententiam, moneantur diligenter, ut intra duos menses à tempore monitionis faciant se absolvi, denunciando eis, quod, si id omiserint, nullo modo parcetur eis de emenda novem librarum Parisiensium, quin integrè leventur ab eis. De qua monitione, denuntiatione, & die, fiant litteræ illorum, per quas monebuntur, nomina continentes cum adhibitione testium, qui similiter inscribant, & si elapsis dictis duobus mensibus prædicti excommunicati. Moniti eamdem excommunicationis sententiam sustinuerint, prædictæ litteræ mittantur Diœcesano, vel ejus officiali, qui procedant contra eos hoc modo. Monebunt seculares potestates, & compellent, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam, ut eos excommunicatos redire compellant ad Ecclesiæ unitatem, injiciendo manus in personas, & bona eorum, item monitione præmissa competenti, excommunicabunt cum eis participantes.

E

Item citabunt dictos excommunicatos ad proximam Synodum, tanquam suspectos, responsuros de fide, & si comparuerint, contra eos procedetur, prout Diœcesano videtur; si autem non comparuerint, procedetur contra eos, tanquam suspectos de fide, & excommunicabuntur, & nihilominus citabuntur ad sequentem Synodum pro meritis recepturi, nisi interim faciant se absolvi, & tunc procedatur contra eos secundum formam canonum.

De his autem, qui minus anno excommunicationem sustinent juxta qualitatem personarum, & temporis, levetur emenda secundum morem, & consuetudinem Diœcesanam.

Præcipimus etiam, quod dies dominici, & festa, scilicet, quæ continentur extr. de feriis, cap. Conquestus, & ea, quæ consuevit quælibet Ecclesia solemniter celebrare, cum omni cura, & diligentia præcipiantur absque omni servili opere observari, & quod sacerdotes sub pœna suspensionis contravenientes denuntient ordinariis, qui eos puniant, prout viderint faciendum.

Item precipimus, ut suffraganei, & officiales ipsorum, & alii inferiores judices humiliter petetibus appellationes deferant, quibus fuerit deferendum, nec parti, aut advocatis bona fide appellantibus molesti existant, nec aliquam pœnam infligant. Qui scienter, & malitiosè contra fecerint, ab ingressu Ecclesiæ per mensem noverint se suspensos: advocati autem, qui scienter, & se malitiosè contra statum hujusmodi subtraxerint, aut ex favore illicito, excommunicationis vinculo innodamus.

Item præcipiendo statuimus, ut Officialis noster Bituricensis, & alii judices nostræ jurisdictionis suffraganeorum, & aliorum Ecclesiasticorum judicum subditorum nostrorum scienter per malitiam, non impediant, alioquin per mensem ab ingressu Ecclesiæ noverint se suspensos, advocatos autem, qui malitiosè contra statutum hujusmodi contrarium fieri procuraverint, excommunicationis vinculo innodamus.

Item statuimus, quod si judex Ecclesiasticus excommunicet Ballivum, præpositum servientem, aut alium quemcumque jurisdictionem temporalem exercentem pro eo, quod jurisdictionem Ecclesiasticam minuere, aut enervare nituntur, quod omnes Episcopi, & officiales eorum, & alii ordinarii, qui super hac fuerint requisiti, illam sententiam executioni demandent, & quod, si super hoc fuerit appellatum, ad nos, vel ad Officialem nostrum, statuimus, quod Officialis non admittat hujusmodi appellationem, si eidem constet super dicto casu appellatum fuisse, imò appellationem pronunciet nullam, & sententias ordinariorum executioni demandent, nisi causa sufficiens, quare appellans admitti debeat, allegetur.

Hæc quidem, quæ superius præmittuntur, inviolabiliter volumus observari statutis utilibus antiquis hìc non transfusis, in suo robore nihilominus duraturis. Item præcipimus firmiter observari constitutiones antiquas illas, videlicet, extr. de accusationibus, & inquisitionibus, cap. sicut olim, editam per Innocentium tertium in Concilio generali.

Item aliam extr. de præbendis, cap. grave nimis est, editam in generali Concilio per dictum Dominum Innocentium tertium.

Item aliam extr. de statu monachorum, cap. Cùm ad monasterium, ab eodem Domino Innocentio editam.

Item

ITem aliam extr. de censibus, & exactionibus, cap. Cùm Apostolus se, ac suos, editam in Concilio Lateranensi.

ITem aliam Domini Alexandri Papæ quarti contra jurisdictionem Ecclesiasticam impedientes, & turbantes, cap. Quàm sit grave nimis.

AD præmissorum autem omnifidem, & majoris roboris firmitatem habendam iis statutis, & ordinationibus per totum Concilium factis, nos Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas in Provinciali Bituricensi Concilio constituti, unà cum venerabilibus fratribus, & suffraganeis nostris G. Lemovicensis, R. Caturcensis, Rutenicensis, & B. & Albiencensis gratia ejusdem Episcopis sigillum nostrum, unà cum sigillis prædictorum suffraganeorum nostrorum, duximus apponendum. Nos verò prænominati Episcopi sigilla nostra, unà cum sigillo Reverendi patris Domini Simonis divina gratia Bituricensis Archiepiscopi primatis Aquitaniæ ipsi Concilio præsidentis prædictis duximus apponendum, Actum, & datum in Provinciali Bituricensi Concilio die Jovis post Octavas Nativitatis beatæ Virginis Mariæ, anno Domini MCCLXXXVI. Pontificatus Domini Honorii Papæ Quarti. Facta est collatio per Joannem de Charenton.

CONCILIUM
apud PONTEM AUDOMARI,

Pro disciplina, & moribus celebratum sub Odone Rigault Archiepiscopo Rotomagensi, tempore Nicolai III. & Philippi III. anno 1279.

Ex codice præceptorum Synodalium Lexoviensis Ecclesiæ in Bibliotheca Victorina f. f. f. num. 22.

Nova statuta de Concilio de Ponte Audomari.

1279. ANno Domini MCCLXXIX. die Jovis Ascensionis apud Pontem Audomari fuerunt salubriter ordinata per Reverendum Patrem, ac Dominum Rotomagensem Archiepiscopum, & ejus suffraganeos de totius Concilii providentia unanimi, & concordi, quæ inferius continentur.

VOlentes Presbyterorum, & Clericorum excommunicatorum insolentiam coarctare, sacris Canonibus inhærendo, statuimus, quod Presbyteri, & Clerici beneficiati, quamdiu auctoritate ordinariorum suorum justè excommunicati fuerint, beneficiorum suorum stipendia, sive fructus, & recuperandi eosdem fructus totaliter spem amittant, nisi quàm citius commodè potuerint, quod ordinariorum suorum arbitrio duximus relinquendum, procuraverint [Duxerint.] se absolvi, nisi ordinarii eorum super ipsis fructibus gratiam fecerint specialem. Si verò per annum dictam excommunicationis sententiam animo substinuerint indurato, procedatur.... contra eos per beneficiorum suorum privationem, & alias juxta Canonicas sanctiones.

ITem volumus, & ordinamus, quod Presbyteri ordinati Capellas, vel Ecclesias Parochiales obtinentes, qui missas non celebrant, ut debent, ipsas celebrare diutius sine causa rationabili negligentes, canonicè moneantur, ut missas celebrent, prout convenit, intra tempus à suis ordinariis præfigendum, alioqui contra ipsos per subtractionem beneficiorum suorum, & alias, prout justum fuerit, procedatur. Adjicientes, quod quicumque super hoc moniti fuerint, si eidem monitioni non paruerint, pro non residentibus habeantur.

VOlumus, & ordinamus, quod statuta in Bituricensi Concilio præsertim edita contra impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam, vel qui impediunt, vel imminuunt Ecclesiæ libertatem, vel collegationes, statuta, prohibitiones, vel banna, vel quæcumque alia emolumenta faciunt contra ipsam, singulis mensibus in Parochialibus Ecclesiis, cùm populi aderit multitudo, die Dominico, vel festivo, & singulis Synodis benè, & intelligibiliter excommunicati publicentur......... constitutiones Concilii Lugdunensis super hoc editæ, & contra usurarios manifestos. Præcipientes districtè, quod quilibet Parochialis Presbyter transcriptum habeat constitutionum dictarum. Ut animarum saluti provideatur salubrius, adjicimus, ut pœnitentiariis, atque confessoribus Rotomagensis Provinciæ suggeratur, ut pœnitentes interrogent, an in pœnam inciderint alicujus constitutionum dictarum, & ut exponant eis pœnam, atque pericula earumdem; ipsos ad suos ordinarios remittentes, si contra constitutiones prædictas repererint deliquisse: cùm per ipsos pœnitentiarios, vel confessores absolvi nequeant in hoc casu. [Serven] [Necnon]

STatuimus, quod excommunicati à Canone propter violentam manuum injectionem in Clericos, cùm de hoc legitimè constiterit, per parochiales Presbyteros ad mandatum ordinariorum suorum excommunicati publicè nuntientur, atque tanquam excommunicati ab omnibus aliis evitentur, & nisi infra terminum competentem à suo ordinario præfigendum, post denuntiationem hujusmodi procuraverint se absolvi, vel iter arripuerint ad sedem Apostolicam, vel ejus Legatum pro hujusmodi absolutione impetranda, justificari mandatur, sicut in aliis excommunicatis per suos ordinarios in Rotomagensi Provincia est hactenus fieri consuetum.

PRæterea præcipimus, ut secundum statuta Concilii generalis, quilibet Christianus singulis annis ad minus semel confiteatur proprio sacerdoti, vel alii potestatem habenti audiendi confessionem ejusdem, & salutarem simul pœnitentiam injungendi: atque quod viaticum recipiat in Paschate, nisi rationabilis causa subsit, quare à recipiendo viatico debeat abstinere. Alioquin contra talem, tanquam suspectum de hæresi, procedatur. Adjicientes, quod nomina talium per suos Presbyteros ordinario eorum insinuentur.

STatuimus, quod potestates sæculares Clericos capientes cum majori violentia, quàm requirit rebellio defendentis, vel detinentes eos ultra requisitionem judicis Ecclesiastici, denuntientur excommunicati à Canone in generali: in speciali verò non, priusquam de eo constiterit evidenter.

DIstrictius inhibemus, ne de causis ad Ecclesiam pertinentibus à personis Ecclesiasticis judex sæcularis.......... adeatur.

STatuimus etiam, ut Abbates, Priores, & aliæ Ecclesiasticæ personæ, quæ percipiunt majores decimas in Ecclesiis Parochialibus, compellantur ad restaurandam fabricam, libros, & ornamenta pro rata, quam percipiunt in eisdem.

INhibemus, ne aliqui Christiani, seu aliquæ Christianæ Judæis servire, seu cum ipsis inhabitare præsumant.

ET præcipimus, quod Judæi signa patentia deferre cogantur, quibus à Catholicis discernantur.

FIrmiter inhibemus, ne vigiliæ, & choreæ in cœmeteriis, & sacris locis fiant, præcipientes, quod transgressores canonicè puniantur.

Pro-

PRohibemus, ne Clerici beneficiati, seu in sacris ordinibus constituti, venationibus, aut aucupiis sint intenti, vel assueti.

STatuimus, ut in Abbatiis, atque prioratibus, in quibus facultates non sunt diminutæ, reintegretur numerus religiosorum, nisi forsan ex superioris sui licentia, atque causa rationabili sustineatur ad tempus: hoc autem, quod à jure statutum est, ne Monachus solus alicubi commoretur, observari volumus, & mandamus.

MOneantur Monachi commorantes in prioratibus non conventualibus, & cum interminatione suspensionis, & excommunicationis, prout expediens visum fuerit, inducantur, ut statuta Gregorii Papæ, quantum ad esum carnium, confessiones, & jejunia studeant observare. Statuimus, quod religiosi cum sæcularibus non morentur, nisi de Diœcesani licentia.

STatutum factum de non contrahendo mutuo à religiosis ultra certam quantitatem, nisi de licentia Abbatis sui, firmiter observetur.

PRæcipimus, quod decani rurales exercentes jurisdictionem, non suspendant, vel excommunicent, nisi in scriptis.

ITem præcipimus, quod sacerdotes non desistant ab excommunicatione, vel à denuntiatione excommunicationis, quamtumcumque partes pacificent inter se, nisi legitimè constiterit de excomunicatorum absolutione. Volumus, quod absolutio fiat cum solemnitate.

ITem inhibemus sacerdotibus, ne præsumant excommunicare in generali, nisi pro furtis, & deperditis, & competenti monitione præmissa.

STatuimus, ut Capellani, quibus Ecclesiæ committuntur ad tempus super litteratura, conversatione sua, atque ordinatione sua diligenter examinentur.

PLacuit sancto Concilio promulgare, quatenus in singulis Parochialibus Ecclesiis, & locis publicis moneantur diebus Dominicis, & festivis à se distantibus tàm Clerici uxorati, quàm non uxorati, ut à sæcularibus negotiis abstineant, maximè inhonestis, quodque tonsuram deferant, & habitum Clerico congruentes. Alioqui si ab hujusmodi negotio moniti non destiterint, non conjugatos, dum his se explicant, quominus de suis facultatibus, & consuetudinibus patriæ subjaceant, Ecclesia non defendet. In conjugatis autem æquanimiter tolerabit, quod ab ipsis justitias debitas Domini sæculares velut ab aliis uxoratis exigant, atque servitia consueta: denique, si post præmissas monitiones, Clerici in Apostasia tonsuræ, & habitus Clericalis remanserint, & se in negotiis sæcularibus permiscuerint, & contingat, quod à personis, atque judicibus sæcularibus in criminibus fuerint comprehensi, non præcipimus eos per censuram Ecclesiæ liberari.

STatuimus etiam de Clericis non deferentibus tonsuram, quod ipsi moneantur in Synodis in Ecclesiis cathedralibus, atque Parochialibus, & etiam à decanis ruralibus in suis Kalendis, ut ipsi tonsuram, & habitum deferant Clericis congruentes: alioqui si post trinam monitionem per intervalla debita factam eisdem super prædictis contempserint tonsuram, & habitum deferre prædictos, & in delictis enormibus fuerint deprehensi per justitiam laicalem, non defendantur per Ecclesiam quoad hoc, quominus inde à justitia sæculari debitè puniantur.

ITem statuimus de sacerdotibus excommunicatis propter defectum solutionis decimæ, ut infra instantem Nativitatem Domini curent se absolvi, ac secum dispensari super irregularitate, sicut excommunicatione prædicta, quam incurrerunt, alioqui puniemus eos graviter, etiam per Beneficiorum suorum privationem, si viderimus expedire.

ANNOTATIO.

IN Chronicis Normanniæ, quæ ex Bibliotheca Victorina typis edi curavit Duchesnius, cum scriptoribus antiquis historiæ Normanorum, video multum conquestos fuisse tunc temporis Ecclesiasticos propter decimarum solutionem, ad quam per censuras cogebantur. Siquidem ad annum 1254. refertur, quod Ludovico Nono à Papa decimam petente in subsidium terræ sanctæ, procuratores Cathedralium Ecclesiarum Provinciæ Rhemensis, Senonensis, & Rotomagensis Parisiis congregati solemnes procuratores ad Papam miserint, cum literis, in quibus expositis primum Ecclesiæ Gallicanæ pressuris, petunt ab iis liberari per sedem Apostolicam, ne pondere exactionum totus Clerus dispendium patiatur. Præsertim, inquiunt, cùm interrogante nostro Salvatore seniorem Petrum prædecessorem vestrum: *Reges*, inquit, *terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, vel ab alienis?* Respondit Petrus: *ab alienis*. Et exinde intulit Dei Filius, cujus vices geritis in terris, ergo liberi sunt Filii. Ubi glossa Rabani ait, antequam Petrus suggereret, Dominus interrogat, ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi. Quod quidem scandalum hodie, proh dolor! longè, latèque diffunditur in filios totius Ecclesiæ Gallicanæ. Nec mirum, cùm legatur in sacro, & antiquo Canone, quod Esdras Sacerdotibus, & Levitis, & sacris Cantoribus templi nullum tributum imposuerit. Sed & in libris Regum legitur de sapientissimo Salomone, quod universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Ethæis, & Pheresæis tributarios fecerit, de filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam cum tributo. Tamdem quantum jugum servitutis hujus Dei filio displicuerit, fide oculata, & miserabili experientia nuper demonstravit. Unde enim spoliati sunt veri Hebræi ad literam, ditati sunt Ægyptii, & Israel anathemate pollutus coram hostibus, licèt inimicis crucis Christi, in prælio stare non potuit? quia anathema decimæ, & duodecimæ per duodecim annos inventum erat in medio sui. Cæterum, quod propter hujusmodi exactiones Orientalis Ecclesia ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserit, patet cunctis. Quod denique Sacerdotes, Clerici, & Monachi per universam Ecclesiam Gallicanam occasione hujus decimæ minus planè solutæ, sunt suspensi, excommunicati, & irregulares facti: & quàm crudeliter sint exactæ, turpe est ostendere, impossibile numerare. Insuper, Clementissime Pater, pariter ad memoriam revocate, qualiter in supradictis exactionibus humilis obedientia remuneratur Ecclesiæ Gallicanæ, quia afflictæ afflictio superadditur, miseræ non miseretur, vulnus super vulnus inducitur, quia *princeps provinciarum facta est sub tributo*, cùm cæteris regnis mundi tantæ servitutis jugum nusquam imponatur, &c. Ex quibus conjicias, quis status tunc fuerit Ecclesiæ ex hujusmodi censuris occasione decimæ non solutæ laicis.

Querelæ Ecclesiæ Gallicanæ propter exactiones.

PRæcipimus etiam, ut per singulas Ecclesias moneantur Clerici cruce signati, vel litteris Apostolicis, vel Legati Sedis Apostolicæ, seu aliis aliquatenus non abutantur: scientes, quod solicitudine, qua convenit, contra eos invigilabimus, ut excessus eorum non remaneant impuniti.

STatuimus etiam, quod Canonici regulares, qui ad curam animarum à suis Prælatis Episcopis præsentantur, non recipiantur ad eas, nisi prius per inquisitionem præhabitam constiterit eos esse bonæ vitæ, hone-

nestæque conversationis, bonis imbutos moribus, atque etiam de sufficienti scientia eorum, atque natalibus eorumdem, quodque eorum Prælati, postquam ipsi ab Episcopo recepti fuerint ad curam animarum, eos sine conscientia Episcoporum suorum ab eis non valeant amovere. Et quod, nisi sufficientes personas infra quadraginta dies à tempore vacationis Ecclesiarum præsentaverint, per Episcopos Ecclesiis vacantibus provideatur, ponendo ibi Presbyteros sæculares, si ibi videbitur expedire.

Curati regulares.

CONCILIUM RHEMENSE,

Sub Petro Barbet Archiepiscopo, tempore Honorii VI. & Philippi Pulchri, anno 1287. in causa Religiosorum privilegiatorum.

FUit & Rhemis celebratum hoc ipso anno initio Octobris Concilium Provinciale à Petro Barbet Archiepiscopo, cum suis Suffraganeis, occasione dissensionis inter ipsos, & Fratres Prædicatores, & Minores ortæ ex concessione à Martino IV. olim iis facta super confessionibus audiendis, & pœnitentiis injungendis: quam dicti Fratres accipiebant, & intelligebant contra jus commune, Concilia, & Constitutiones Romanorum Pontificum, & intentionem etiam concedentis. Decretumque est in Concilio negotium istud prosequendum esse in Curia Romana.

CONTROVERSIA.

COntroversia mota in hoc Rhemensi Concilio, & quæ in subsequentibus sæculis sæpius renovata est, videtur attingi à Richardo Archiepiscopo Armachano Hyberniæ Primate in tract. cui titulus, *Defensio Curatorum*, ubi intendens probare, quod persona ordinarii est eligibilior pro confessione Parochiani, quia securior, & utilior, & confessio ei facta plura vitat incommoda, & dispendia: in orationis suæ tractu meminit concessionis factæ à Martino quarto Mendicantibus. Item, inquit, D. Martinus Papa IV. quibus Fratribus Minoribus facultatem audiendi confessiones concessit, in ipsius privilegii fine sic dicit: *Volumus autem, quod hi, qui Fratribus confitebuntur, eisdem suis parochialibus Presbyteris confiteri saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur quoque: iidem Fratres ad hoc diligenter, & efficaciter, secundum datam eis à Domino gratiam, exhortentur. Nulli ergo, &c.* Hæc ibi. Unde iste Dominus Papa mandavit apertè, quod non obstante confessione facta Fratri, confitens teneatur, juxta generalis Concilii statutum, eadem peccata suo Presbytero Parochiali confiteri. Sed huic decreto videtur hæc constitutio Joannina: *Vas electionis*, juxta sensum, quem Fratres de ea concipiunt, obviare, & populum eo modo informant in publico, seipsos, ut videtur, & illos damnando, si præmissum mandatum D. Martini sit fixum. Ubi contendit Armachanus præconfessa peccata Religiosis privilegiatis iterum confitenda esse ordinariis Curatis. Qui fuit error Joan. de Poliaco damnatus à Joanne XXII. Extravag. *Vas electionis*. Nec verò ex Constitutione Martini Quarti legitimè infertur, *Ut in defensione Mendicantium*, Armachano improperat Rogerius Chonone, Minor, Dominus Papa Martinus non dixit: Volumus, quod hi, &c. Semel eodem anno: *Et de iisdem peccatis*, quæ confessi fuerant, teneantur suis Parochialibus Presbyteris iterum confiteri. Tùm quia adjecit: *prout generale Concilium statuit*; & constat, quod nunquam Concilium generale Confessionem factam fratribus, vel alienis de licentia proprii Sacerdotis, vel aliunde factam decrevit esse iterandam quoad eadem peccata, & crimina, alioquin confessi Papæ, vel Episcopis, aut Pœnitentiariis eorum, tenerentur eadem peccata iterum confiteri. Tùm quia statutum non obligat ad confitendum peccata planè dimissa, sic enim quilibet semel in anno peccata etiam à juventute commissa deberet iterum confiteri. Denique plures existimant non esse ullam humanam potestatem, qua possit peccator absque suo consensu post legitimam Confessionem semel factam obligari ad eadem peccata iterum declaranda. Quæ est opinio Gersonis, lect. secunda super Marcum, & Navarri in cap. Placuit, de Pœnitentia distinct. sexta, in quibus locis ambo egregiè suam tuentur sententiam. Unde non est verisimile Patres Concilii istius Rhemensis idem intendisse, aut postulavisse à Mendicantibus, quod posteà Armachanus, & Joannes de Poliaco postulaverunt. Tantum ergo voluerunt, ut non obstantibus Confessionibus factis coram Mendicantibus, fideles tenerentur saltem tempore Paschatis, Curato, aut Presbyteris Parochialibus confiteri, prout semper moris fuit in Ecclesia, & multis statutis, qua Provincialibus, qua Diœcesanis cautum est.

Armachanus.

Joann. de Poliaco.

Confe... Pasch...

Contra quæ statuta nonnulli ex privilegiatis docent non esse necesse, ut fideles aliis à se confiteantur: Papam quippe esse proprium Pastorem, sicut Episcopus est & Curatus, se autem delegatos esse Papæ, sicque vices gerere proprii Pastoris, cui confitendum semel in anno jubet Lateranense Concilium sub Innocentio Tertio, cap. Utriusque sexus. Hacque nixi interpretatione, quæ est contra mentem Concilii Lateranensis, quidam dehortantur fideles, & penitus removent à Confessionibus faciendis in Parochia, quocumque tempore, etiam Paschali, maximè si fideles semel intra annum in Parochia confessi fuerint, quia Concilium Lateranense non determinat tempus præfixum annuæ Confessioni, quæ fieri debeat proprio Pastori, ejusve delegato, sicut determinat tempus communionis. Qua in re justa videtur Episcoporum querimonia, esto enim ex vi Concilii Lateranensis non tenerentur fideles tempore Paschali proprio Pastori confiteri, si alio tempore ejusdem anni, eidem, aut ejus Vicario confessi fuerint (quod tamen vix aliter sustineri posset, quàm sequendo verba Concilii, & contra ejusdem intentionem nitendo, satis declaratam in Extravagan. Xisti Quarti mox citanda.) Attamen tenebuntur ex vi statutorum Provincialium, vel Diœcesanorum, jubentibus Synodis Provincialibus, vel ipsismet Episcopis, ut singuli fideles in Parochia confiteantur tempore Paschali. Neque enim per Concilium aliquod, aut ullum Summi Pontificis Decretum interdicta est authoritas Episcopis leges justas condendi pro recto subditorum regimine, qui ut filii obedientes eisdem teneantur parere. Neque enim statutum de confessione in propria Parochia, saltem tempore Paschali, injustitiæ accusari potest, ut liceat fidelibus illud infringere sine scrupulo.

At, inquies, potestas, & jurisdictio concessa Religiosis approbatis, & privilegiatis, quocumque tempore permanet, quoadusque à concedente revocetur. Dubium forsitan moveri posset quoad approbationem: ut enim Episcopi possunt aliquem approbare, & judicare idoneum pro uno loco, non pro alio, pro certis personis, non pro aliis, ut verbi causa pro laicis tantùm, aut pro viris tantùm, sic etiam possent approbare pro certis casibus, non pro aliis, verbi causa, pro reservatis, in quibus aliquando occurrunt majores difficultates, quæ peritiores requirunt Confessarios, & pro certo tempore, non pro alio. Sed non est opus istas ingredi difficultates. Esto non sit invalida confessio extra Parochiam tempore Paschali, defectu jurisdictionis, poterit tamen esse invalida defectu dispositionis in pœnitente, utpote qui non habeat animum obediendi justo mandato sui Episcopi, qui habet

Limi... appr... tioni...

habet sufficientem authoritatem ad justam legem sanciendam sub pœna peccati. Instabis, istam legem impedire Religiosos, ne fruantur privilegiis sibi à Summo Pontifice concessis pro omni tempore, non excepto tempore Paschali. At si Episcopi approbent tantùm Religiosos ad audiendum confessiones extra tempus Paschale, dicere aliquis posset illo tempore nullum habere privilegium: sed, an id fieri ritè possit, adhuc sub judice lis est, & multæ afferri possunt ex utraque parte rationes. Idcirco, quoad usque quid juris in hac re magis innotuerit, videtur standum definitioni Xisti IV. anno 1477. contentæ in Extravaganti: *Vices* de tregua, & pace; *Ipsi Mendicantes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri: quia de jure tenetur Parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secundum juris communis, & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire, & pœnitentias injungere valeant.*

Attamen anno 1669. Martii die quarta emanavit arrestum è privato Regis Christianissimi consilio, in causa Reverendissimi Episcopi Agenensis contra quosdam privilegiatos, quod etiam mandatur observari per universum Regnum Galliæ ad vitandas turbas, & contentiones, quæ alioquin orirentur, quo prohibetur religiosis, & aliis, ne prædicationi Verbi Dei, aut audiendis confessionibus sæcularium aliter se immisceant, quàm juxta approbationem Episcopi, qui juxta usum Ecclesiæ possit approbationem limitare quadrupliciter, pro loco, pro tempore, pro personis, & pro casibus reservatis. Arrestum editum est Parisiis apud Antonium Vitray anno prædicto, in quo tota controversia eruditè discutitur pro utraque parte.

Juvat hic obiter annotare moderationem magnam Alberti magni D. Thomæ præceptoris, qui in istis controversiis, quæ suo tempore oriebantur, volebat & Pœnitentiarium, & privilegiatos remittere confitentem sibi ad proprium Sacerdotem, idest Curatum. Ex privilegio audientes, scribit in 4. sent. dist. 17. art. 44. sunt vocati quasi in sublevamen negligentiæ Sacerdotum, & illorum magis est cavere, ne dissipent officium Sacerdotum ad populum, & reverentiam populi ad Sacerdotes. Ac ibidem monet datum fuisse privilegium audiendi eos, quos movent verbo suæ prędicationis. Initium scilicet Privilegiorum hoc fuit, quod prædicando plures converterent ad pœnitentiam, qui coram ipsis conscientiam exonerare cupiebant, quamvis postea in majori amplitudine privilegia hęc concessa sint. An in favorem religiosorum quis præsumat asserere? quot enim innocentiam amiserunt, & à gratia exciderunt, dum nobilium, & divitum confessiones exceperunt? quot hodiè absorbuit infernus, qui cœlorum incolæ essent, quòd huic periculoso judicio, ac insidioso animorum foro sese immiscuerint? quàm pauci doctrina satis magna perpoliti sunt ad dijudicandas in veritate, quæ ibi occurrunt, difficultates? quàm pauciores hac animi constanti fortitudine, ut prępotentes absolutione indignos, aut ei nec dum maturos vel repellant, vel differant, vel condignis satisfactionibus subjiciant? *Magnum quidem, & præclarum est docere*, ajebat Gregorius Nazianzenus Orat. 20. *at discere periculum vocat. Quid Pastoris munus tibi arrogas, cum ovis sis? quid caput efficeris, cum pes sis? quid exercitium ducere aggrederis in militum ordinem adscriptus? quid magna quidem illa, & periculosa maris lucra consectaris, cùm terram sine periculo colere liceat, etiamsi minori cum quæstu?* Quæ non ad dejiciendum cujusquam animum hic usurpamus, in multis enim locis privilegiatorum opera maximè utilis, ac necessaria est, & per eam plurimi in viam ęternam deducuntur feliciter. Sed quia dolemus Ecclesiam usque ad hoc tempus tot scandalorum fluctibus concuti propter has controversias necdum exinctas, nec sopitas; quæ forsan tot non extarent, si quantum sit periculum, quantum onus audiendi confessiones, magis attenderent multi, nam ut illi gratum haberent se probos coadjutores nancisci, sic tàm importunè se non ingererent. Sed de his plura jam diximus in controversiis Concilii Lateran. 3. classe 2. Etsi tantum narrando, quæ momenta fuerint variis temporibus hujus prolixæ controversiæ, sicut in pluribus hujusmodi difficultatibus nobis agere propositum fuit, ne quis dicat nos contra hos, aut illos stare, aut scribere.

Obiter annota Martinum IV. debere dici Martinum II. quia ex quinque Pontificibus vulgo hoc nomine nuncupatis duo erant Martini. *Uvading. in Annal. Minorum, ad annum 1417.* *Martinus Papa.*

CONCILIUM
AUXITANÆ PROVINCIÆ,

Apud Nugariolum, sub Amaneo de Armeniaco Archiepiscopo, tempore Nicolai VI. & Philippi Pulchri, Anno Domini 1290. *Nogarol en l'Armenach.*

NObis suppeditavit plura Concilia Provincialia Jacobus Severtius Doctor Theologus Parisiensis, in lib. qui editus est Parisiis apud Nicolaum Buon, in Clauso Brunello, sub signo D. Claudii, cum hoc titulo: *Summa omnium excommunicationum, casuum reservatorum, &c.* Antiquius autem cæteris est præsens Auxitanum, quod ipse decerpsit ex vetusto libro Manuscripto Provinciæ Auxitanæ, quem Lutetię allatum acceperat à Reverendissimo Domino D. Leonardo d'Estrappes, Archiepiscopo Auxitano. Libro titulus erat: Constitutiones Provinciales Auxitanæ Provinciæ editæ sub anno Domini 1300. Notat autem præfatus Doctor textus sibi videri satis perplexos, & involutos, quamvis ipse reddiderit perplexiores, & involutiores, mutando eorum ordinem, nec satis distinctè proprias ordinationes cuilibet Concilio, cujus meminit, assignando. Unde coacti sumus pauca cuilibet Concilio ejus Provinciæ attexere, ea omittentes, de quibus dubium nobis subortum est, ad quodnam Concilium pertineant. De præsenti autem Concilio hæc ipse descripsit ex dicto Manuscripto.

Statuta Provincialia, sub Anno MCCXC.

NOtum sit omnibus, quod anno Domini MCCXC. die Sabbati post Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, venerabilis A. (Amaneus) Dei gratia Archiepiscopus Auxitanus assistentibus apud Nugariolum in Concilio Provinciali cum venerabilibus nostris Conseranensi, Olorensi, Tarviensi, Lascarensi, Adurensi, *&c.* necnon cum procuratoribus omnium capitulorum, Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum ipsius Provinciæ, & Abbatibus Pessani, & Reule Silvestrensi, *&c.* Prioribus, Præceptoribus, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, diœcesis, & Provinciæ prędictarum fuit cõcorditer ordinatum, *&c.*

QUoniam sortilegia idololatrię comparantur, per quam animæ damnabiliter decipiuntur, omnes, qui sortilegi fuerint, & in dando consilio, excommunicationis sententia innodati declarantur.

IN dicto Concilio institutum est, quod clericus, aut religiosus cujuscumque conditionis existat, qui clericum religiosum super actu personali, vel super crimine in Judicium vocari, seu citari fecerit coram Judice sæculari, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto, & citato de expensis satisfacere teneatur.

Idem statuitur in Carthag. 3. sub Syricio Papa, cap. 9. & alibi plures.

CONCILIUM

APUD BEATAM MARIAM,

De Prato Celebratum pro disciplina, & jurisdictione Ecclesiastica, sub Guillielmo de Flava Curia Archiepiscopo Rotomagensi tempore Bonifacii Octavi, & Philippi Pulchri, ann. 1299.

Ex codice Victorino, Synodalium praeceptorum Lexoviensis Ecclesiae f.f.f. 22.

INcipiunt constitutiones factæ in Ecclesia B. Mariæ de Prato juxta Rotomagum, per Reverendos Patres, ac Dominos Archiepiscopum Rotomagensem, & ejus suffraganeos, anno Domini MCCLXXXXIX. dic Jovis post octavas Pentecostes.

QUoniam, sicut ipsa facti evidentia quotidiana docente cognovimus, sacerdotes quidam curati, atque alii Beneficiati Clerici cucullati sotularibus consutis, laqueis calciati, ensibus accincti, seu gladiis, quorum usus eis interdicitur super vestem ad modum militum, impudenter accedunt in locis publicis, vestimenta nimia brevitate notanda, minusque congruentem tonsuram publicè deferentes: focarias, seu concubinas, aut alias mulieres, quarum conversatio cum eisdem Clericis est suspecta, in suis habent domibus, atque nonnunquam in alienis confovent, & frequentant: ac nonnulli justitiæ sæcularis officium audiendo causas, examinando processus, ut judices in curia sæculari exercent, & quidam fœneraticiis, aliisque contractibus illicitis ...... se immiscent, vitam suam aliàs in luxuriis, ebrietatibus, commessationibus deducentes, supplicium quærunt sibi perpetuum, seminantes in carne corruptionem messuri, perenniter ministerium suum vituperant, proximos scandalizant, atque subjectos, & alios populos, quibus benè vivendi limitem, & speculum sine ruga debent per opera sancta prætendere, in seipsis apostatare faciunt, atque errare in invio: ac ex suis reprobis actibus, & exemplis illos in puteum interitus secum trahunt. Quin obliti penitus Dei sui, atque homines sine lege Officii sui immemores, qui sunt in sanctificatione electi, præcepta spernunt Canonica, atque divina, prædicatores effecti, proh pudor! suæ legis: Nos tantis obviare periculis, & quos timor divinus à malo non revocat, etiam naturalis ratio non redarguit, & mundana verecundia non refrænat, suis dicentes in cordibus, sicut factis exterioribus prædicant, atque de pœnarum frenis temporalium, quas formidant, perstringere cupientes; Statuimus antiquorum patrum salubria statuta recensentes, ut si Clericus Beneficiatus quilibet, post generalem admonitionem de abstinendo penitus à præmissis, & quolibet eorumdem, & de vivendo piè, decenter, atq; justè secundum Canonicas sanctiones, aliquem de prædictis excessibus præsumpserit attentare, amissionis pœna omnium fructuum Beneficii sui, seu Beneficiorum, si plura forsitan obtineat, per annum unum absque misericordia percellatur: contra ipsum ad privationem Beneficii ipsius, seu Beneficiorum, si per annum ...... in eadem malitia perseveret, nihilominus procedatur.

STatuimus, ut Ballivi, præpositi, majores, atque alii judices sæculares quocumque nomine censeantur, assisias, atque placita diebus dominicis, atque Festis Virginis gloriosæ, sanctorum Joannis Baptistæ, Michaelis Archangeli, sanctorumque Apostolorum, & Evangelistarum, ac aliis, qui cum Clero, & populo in Ecclesiis celebrantur, in quibus solùm divinis laudibus, non terrenis negotiis insistendum, tenere, atque exercere desistant, penitusque quiescant. Generaliter

A moneantur, qui si parere contempserint ...... forsan contrarium attendendo, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

POena feriri simili ipso facto auctoritate prædicti Concilii statuentes Clericos, qui super factis personalibus, atque specialiter de clamore *de haro*, ubi de facto personæ quæritur, se supponunt justitiæ sæculari, seu ipsi justitiæ sub prætextu Sanctorum, nisi exhibeant emendas post monitionem de contrario generalem.

POrro inconsulta conamina quorumdam judicum sæcularium, quibus ministris videlicet Ecclesiæ
B libertates, atque jura multifaria moliuntur infringere, memorati auctoritate Concilii reprimere cupientes: statuimus inhibendo, ne quoscumque Clericorum eorum, aliasve personas occasione factorum à Clericis commissorum super delictis, atque factis personalibus, quibuscumque commissis, atque specialiter in clamore *de haro*, nec de crimine usurario à Clerico perpetrato coram se vivente eodem Clerico, vel defuncto respondere compellant, seu cognitionem factorum hujusmodi in se sumant. Quod si generaliter contra fecerint, auctoritate prædicta excommunicationi subjaceant ipso facto.

ADhuc nostrum pulsat animum, ut adversus varia justitiæ sæcularis officia tenentium insensatam malitiam occurramus, qui, quod sibi Sacræ Scripturæ
C præconium comminatur, ignorant, qui pro temporalibus molestiis, quas, dum præsunt, pauperibus ingerunt, atque qui armis bellicis non utantur, per quos ministri Ecclesiæ designantur, æterno incendio cremabuntur, quodque si pax augeatur, & disciplina Ecclesiæ per infideles principes, eorumque ministros quoslibet ...... solvatur, ille tamen exiget ab eis rationem, qui suam illorum tradidit Ecclesiam potestati: contra matrem Ecclesiam manum suam erectis cornibus aggravantes, ipsius jurisdictionem, & libertatem suis fallaciis usurpare nituntur, ac judices Ecclesiasticos in casibus, in quibus de iure, vel antiqua, & approbata consuetudine ad eosdem causarum cognitio noscitur pertinere, quominus de ipsis cognoscere valeant, im-
D pediunt, atque perturbant, eisdem cedulas inhibitorias dirigentes, quas brevia nuncupant, in casibus, in quibus brevia illa cadunt: propter quæ novellæ constitutionis Domini Bonifacii Papæ octavi auctoritate in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto: deliberatione habita super hoc diligenti statuimus ordinantes, ut nulla hæc brevia per Ecclesiasticos judices admittantur, nec eis in aliquo pareant. Quod si in hac sumpta occasione Ballivi, præpositi, vicecomites, aliive judices sæculares ad personarum, vel bonorum captionē procedant directè, vel indirectè partem ad desistendum, vel judicem compellendo, monitione legitima præcedente, excommunicationi subjaceant ipso facto; à qua per Prælatos nonnisi potestati, & judici congruè satisfacto, ac sibi pœna sub tanto excessu indicta legitima, quæ timorem cæteris in curia attentandi similia,
E quomodolibet absolvantur, nolentes, ut per officialem, aut pœnitentiarios Prælatorum, nisi eis speciali commissione liceat, hujusmodi sententiæ relaxentur, sententiamque excommunicationis latam ab uno judice Ecclesiastico præmissorum occasione, ac similium alii in suis districtibus exequantur.

CÆterum animarum saluti consulere, ac earum periculo obviare volentes, statuimus, quod Prælati fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, aliisve religiosis quibuslibet potestatem absolvendi subditos à peccatis suis de cætero non committant, in casibus, qui de jure, vel consuetudine reservantur eisdem, nisi certis personis, & notis dumtaxat, quarum Prælati industriam duxerint eligendam in cunctis casibus,

bus, qui in concessione, vel commissione eis facta specialiter inserantur : ipsa commissio ad casus, in quibus tenetur Catholicus quilibet confiteri semel in anno peccata sua proprio sacerdoti, nullatenus extendatur, nisi ipsius sacerdotis habita super hoc voluntate. A

VObis itaque universis Christi fidelibus in civitate, & Diœcesi Lexoviensi constitutis, atque vestrum cuilibet in virtute sanctæ Obedientiæ firmiter injungimus, atque mandamus, quatenus supradicta salubria, & ordinationes secundum tenorem præmissum, quantum in vobis consistit, fideliter observetis, & eis humiliter pareatis. Statuta sunt hæc, & unanimiter ordinata die, loco, & Concilio memoratis, Anno Domini, M. CCLXXXXIX.

CONCILIUM

PROVINCIÆ SENONENSIS,

Apud Melodunum sub Stephano Becard. Archiep. celebratum pro recipiendis quibusdam Decretalibus, tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, anno 1299.

Ex Bibliotheca Victorina f. f. f. numero 15.

IN Nomine Domini Amen. Nos Stephanus miseratione divina Senonensis Archiepiscopus, unà cum suffraganeis nostræ Senonensis Provinciæ in Provinciali Concilio apud Melodunum celebrato anno Domini MCC. nonagesimo nono die Jovis ante Festum Beati Vincentii continuata de die in die à die lunæ præcedenti, congregati unà cum aliis personis Ecclesiasticis dictæ Provinciæ ad ordinandum, statuendum, & reformandum ea, quæ fuerint ordinanda, & reformanda: Eodem approbante Concilio ordinamus, & præcipimus, quod quædam constitutiones Domini Bonifacii Octavi Papæ in præsenti Concilio, ac nostris, & suffraganeorum nostrorum Synodis publicentur, & cuilibet Presbytero Parochiali copia legeretur, & quilibet eorum habere, & commendare debitè memoriæ de cætero teneatur. Primò sequitur constitutio in titulo de rescriptis. sexto.

STatutum, *quod circa judices à sede Apostolica deputandos nuper edidimus: cum quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta : sicut experientia docuit : tendere dignoscantur ad noxam : sanctione præsenti (quam irrefragabiliter observari mandamus) suadente utilitate in melius duximus reformandum : Sancimus igitur, ut nullis nisi præditis dignitate, aut personatum obtinentibus : seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis : causæ auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi. Cum verò ejusdem civitatis, seu Diœcesis fuerint actores, & reus extra ipsam, causa non committatur ; nec conveniatur aliquis eorumdem nisi ab Episcopo contra aliquem de sua Diœcesi ; vel ab aliquo contra eum : aut contra ejus capitulum : seu contra universitatem civitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda : vel nisi actor eandem civitatem, seu Diœcesim intrare non audens : aut sui adversarii potentiam merito perhorrescens: eum infra ipsas nequeat convenire securè. In his quippe casibus extra dictas civitatem, & Diœcesim possit contra prædictos causa committi, nullus tamen eorum ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis valeat conveniri : sed & in duobus ultimis casibus nisi impetrans de prædicto timore (quem in litteris commissionis exprimere teneatur) primo fidem judici faciat, saltem per proprium juramentum : judex ipse nullatenus in causa procedat, sed partes à sua jurisdictione dimittens, impetrantem eundem in expensis legitimis parti condemnet. Cum autem actor, & reus civitatum, & Diœceseon fuerint diversarum : si actor in civitate, vel Diœcesi rei judicem habere recuset : ipsum non in sua, sed in alia civitate, vel Diœcesi liberè impetrare valeat, reumque trahere ad eandem : dummodò locus, ad quem eum traheret ultra unam dietam (sicut in casu alio præmittitur) minimè sit remotus : in nullo quoque casuum prædictorum judex extra civitatem, seu Diœcesim, in quibus deputatus fuerit, citet partes : nec de causa sibi commissa cognoscat : nisi ad id expressus earumdem accesserit assensus, neq; alibi, quàm infra illas, & personis dumtaxat superius designatis quomodo libet committat vices suas.* Quicquid autem contra præmissa, vel aliquid eorum contigerit attentari, sit ipso jure irritum, & inane.

B SEcundo contra illos, qui litteras citatorias, vel excommunicatorias delegatorum sedis Apostolicæ deferunt, nec bullam Presbyteris ostendere volunt. In antiqua compilatione in titulo de officio, & potestate judicis delegati. Cum in jure peritus, *Præterea quæsivisti, cum tibi ab aliquo sub hac forma mandatur, auctoritate, qua fungor, ut tale denunties excommunicationis sententiæ subjacere, ac tibi super mandato hæsitanti non sit fides, an mandatum hujusmodi exequi tenearis, super quo hujusmodi tibi damus responsum, quod nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris exequi non cogeris, quod mandatur.* l. 1. decretalium Gregorii.

TErtio contra illos, qui jurisdictionem ad forum Ecclesiæ, vel de jure, vel consuetudine pertinentem impediunt, vel perturbant. In titulo de immunitate Ecclesiarum.

C QUoniam *(ut intelleximus) quorumdam justitiariorum, ballivorum, judicumve secularium, ac temporalium dominorum in quibusdam partibus præsumptuosa temeritas sic excrevit : ut in terris eorum, sive districtibus, litteras Apostolicas impetrantes, vel ad judices ordinarios Ecclesiasticos recurrentes super causis, negotiis, seu quæstionibus, quæ ratione personarum, aut rerum de jure, aut antiqua consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinent, obtinere non possunt in eis per eosdem ordinarios judices, vel Apostolicas litteras justitiæ complementum, quin potius super illis recurrere ad judicium sæculare : vel à lite, causa, seu quæstione desistere compelluntur : Nos justitiam nostram, & Ecclesiæ sponsæ nolentes negligere, qui alios in sua justitia continemus ; Statuimus districtius inhibendo, ne quis impetratores litterarum nostrarum, vel* D *alios in foro Ecclesiastico delegato, seu ordinario litigantes, seu litigare volentes : sive ambæ partes voluerint, sive una super causis Ecclesiasticis : sive quæ ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, negotiorum, vel rerum de jure, vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur per se, vel per alium ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus hujusmodi litigandum per eorundem judicum Ecclesiasticorum, vel impetrantium, vel litigantium seu litigare volentium : aut propinquorum ipsorum, seu rerum illorum, aut Ecclesiarum suarum dent cautionem : modisve aliis quibuscumque compellat, seu compelli faciat, vel procuret : nec per se, aliosve impediat, quominus coram judicibus Ecclesiasticis delegatis, seu ordinariis querelantes de causis, quæ (ut præmissum est) ad cognitionem* E *pertinent eorundem, possint liberè justitiam obtinere: nec ad prædicta facienda dent auxilium, Consilium, vel favorem: Si quis verò contra præsumpserit, excommunicationi se ipso facto noverit subjacere: à qua (nisi tàm judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata : quam parti, quamquam turbata in prosecutione fuerit sui juris, de injuria, damnis, expensis, & interesse prius per eundem integrè fuerit satisfactum) nullatenus absolvatur.*

QUarto de hæreticis contra illos, qui ut suspecti de hæresi vocati, ut de fide respondeant .... ordinariis suis non apparent, sed se excommunicari permittunt, & in excommunicatione hujusmodi stant per annum. In titulo de hæreticis libro sexto.

Cum

Cum contumacia (in causa præsertim fidei) suspicioni adjiciat præsumptionem vehementem, si suspectus de hæresi vocatus à vobis, ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo (pro eo quod parere subterfugit: aut contumaciter se absentat) per nos fuerit innodatus: quam si per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.

Quinto contra regulares, & sæculares admittentes excommunicatos, & interdictos ad Ecclesiastica Sacramenta, & ad Ecclesiasticam sepulturam. In titulo de privilegiis libro sexto.

Episcoporum, & aliorum Prælatorum querelis frequentibus, & querulosis clamoribus excitati, præsenti decreto duximus statuendum, ne aliqui sæculares, aut regulares quantumcumque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ Privilegiis communiti cujuscumque ordinis, religionis, status, & conditionis existant, scienter celebrent, vel faciant celebrari divina in civitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis à jure conceditur) seu locis aliis interdictis ab ordinariis, & delegatis judicibus, vel à jure: aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta: vel Ecclesiasticam sepulturam admittant: qui verò contra præsumpserint (præter alias pœnas à jure statutas) ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum: donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.

Sexto: constitutio facta in Concilio Bituricensi à Domino Simone Apostolicæ sedis legato.

Cum juris utilitas tot, & tantis excogitata vigiliis, &c. Habetur supra pag. 68. & 69. inter decreta Concilii Bituricensis sub Simone de Bria legato.

ANNOTATIO.

Propter discordias Bonifacii octavi, & Philippi Pulchri, nullius extitit auctoritatis in curia Parlamenti Parisiensis liber sextus Decretalium à tribus doctissimis viris compilatus Bonifacii jussu quibusdam decretis novis à se additis. Falluntur quoque, qui existimarunt codicem illum juris Canonici in Concilio Lugdunensi editum fuisse, aut publicatum per dictum Pontificem, qui nunquam Lugduni fuit: Unde cum in antiquis exemplaribus hæc verba procemio præfigerentur, *Sexti libri decretalium in Concilio Lugdunensi per Bonifacium octavum editi compilatio*, in recentioribus, & emendatis exemplaribus tria hæc verba, *in Concilio Lugdunensi*, abrasa sunt, ut legentibus manifestum est: Unde & Molinæus in annotationibus ad hunc librum putidam vocat imposturam; additionem trium illorum verborum, *in Concilio Lugdunensi*, quam idcirco ipse resecat, ut fecerunt postea, qui juris Canonici corpus correxerunt. Quia tamen plura statuta utilitatis eximiæ in eo libro continentur, aliqua eorum recepta sunt in Conciliis Provincialibus Galliæ, ut in præsenti Meloduni celebrato. *Sextus lib. decret.*

CONCILIUM AUXITANUM, APUD MARCHIANUM,

Sub Guillielmo Archiepiscopo Auxitano, tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, Anno Domini 1300.

Nos Guillielmus permissione Divina Archiepiscopus Auxitanus, & nos Æ. Olorensis, P. Bajonensis, &c.

Hæ sunt Constitutiones Provinciales editæ in Concilio generali Auxitano, apud Marchianum, *&c.*

A Sub anno Domini 1300. die sancti Nicolai Hyemalis.

Duximus utiliter ordinandum, ut si quis commiserit injuriam contra familiares, & domesticos Episcoporum, negotia ipsorum Episcoporum facientes, vel honestatem, aut incedentes in locum, ubi erunt ipsi Episcopi, seu delinquentes, excommunicati sint, & locus, ubi factum fuit delictum, sit suppositus Ecclesiastico interdicto, donec condigna satisfactio præcesserit impendenda Episcopo, cui in persona sui familiaris fuerit injuria irrogata.

Excommunicamus, & excommunicatos Provinciæ denuntiari præcipimus Barones, Consules, Ballivos, & alios quoscumq; qui reclusos leprosos ratione B personarum, vel Patrimonii ipsorum ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem: nisi sic exacta infra 15. dies plene restituerint requisiti. *Ex Severtio, libro præcitato.* *Leprosi.*

Nota. Cum dicat Apostolus abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, Ecclesia noluit leprosos vitam miserabilem degere absque aliquibus privilegiis. Concilium Lugdun. 2. sub Pelagio 2. Can. 6. *Placuit*, inquit, *Concilio, ut uniuscujusque civitatis leprosi, qui intra territorium ipsius aut nascuntur aut videntur consistere, ab Episcopo Ecclesiæ ipsius sufficientia alimenta, & necessaria vestimenta accipiant.* Lateranense verò sub Alexandro III. cap. 23. concedit C illis propriam Parochiam, propriumque Sacerdotem, & Pastorem, ubi fuerint multi simul congregati, additque: *statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur*; & hic excommunicantur, qui ab ipsis, cum reclusi fuerint, tallias exigunt etiam ratione patrimonii, quod Concilium non decerneret, nisi in Auxitana Provincia concessum forsan fuisset initio fundationis domorum piarum pro leprosis constructarum, ut, qui in iis recluderentur, ne alios contagione inficerent, cum iis conversando gauderent tali privilegio. Quapropter vix hodie, inquit Severtius ad hunc Canonem, censentur dynastæ, vel collectores excommunicati, qui à leprosis modestè, nec magna vi nummos petunt ex consuetudine, perspecto præsenti ordinis Civilis, & rerum statu. Cæterum advertendum est duplicis generis fuisse D leprosos: quidam enim morbum hunc ex aliquo crimine contraxerunt, quos Ecclesia severè admodum habuit in detestationem peccati, ut patet ex Can. 17. Concilii Ancyrani. *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & eosdem non solum Leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios ipso suo morbo replentes, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritus periclitantur in mundo.* Alii verò fuerunt, qui à natura sic erant infecti, aut ex aliquo accidenti, ut tunc temporis accidebat in Gallia ex transmissione in Asiam ad subsidium terræ sanctæ; ut enim unaquæque Regio, ac Clima suas habet proprias qualitates, & affectiones, ita & morbos, imo unus, idemque morbus in alio climate alia habet symptomata: morbus autem lepræ in Palæstina communis E est, ut satis liquet ex veteri, novoque testamento; unde tempore belli sacri, ut notat Cornelius à Lapide in cap. 13. Levitici tot Belgæ, Franci, Germani ex Judæa domum redeuntes leprosi inde redierunt, pro quibus plurima tunc ædificata leprosaria, quæ hodie sine leprosis sunt. Tales autem leprosos privilegiis donari decebat intuitu pietatis, & causæ morbi: unde Ecclesia in Conciliis pluribus multa in eorum gratiam decrevit.

CON-

CONCILIUM NATIONALE GALLICUM PARISIIS,

Congregatum tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri propter dissidia inter ipsos anno 1301.

EOdem quoque anno circa finem quadragesimæ Philippus Rex Franciæ considerans, quod jacula prævisa minus feriunt, convocavit omnes Prælatos, & Barones personaliter, omnesque communitates regni sui per procuratores idoneos, & ad se venire Parisios fecit, consilium, & auxilium ab eis petiturus contra omnem hominem, & specialiter contra Bonifacium Papam. Intentio ferebatur, fitque rumor magnus in toto regno, turbatio cordium, & confusio rerum, fueruntque ipsi Bonifacio Papæ objecta crimina ex titulis hæresis, suoque prædecessore vivente intrusio, & ingressus illegitimus ad Papatum, & quod ei non erat parendum, fitque contra ipsum provocatio ad Concilium generale. Ex actis dissidii inter Bonifacium, & Philippum Pulchrum pag. 3.

Quæ detrimenta in fide, & religione, necnon in rebus temporalibus semper pepererunt, & paritura sunt dissidia utriusque potestatis Pontificalis, & regalis, vix est, qui sermone possit explicare. Non aliunde emanarunt fabula de Papissa Joanna, & aliæ narrationes falsæ contra decus summorum Pontificum, quàm ex dissentionibus inter ipsos, & Imperatores, qui subditos pro sua causa militantes, illos quidem gladio, hos verò calamo semper nacti sunt, nec facile discernas, qui plus noxæ, & detrimenti intulerint. Hinc est, quod in illo dissidio tot funesta legamus in illius historia, quæ Parisiis in lucem prodiit anno 1655. Et cum horrorem pluribus incuteret, ad aliquod tempus prohibita fuit, ne in vulgus distraheretur. Habuit autem initium ex eo, quod Philippus exegisset anno 1296. à laicis, & clero regni omnium bonorum centesimam, mox quinquagesimam, ut sumptus Anglici belli sustineret. Quod cum displiceret Bonifacio, sanctione vetuit in Ecclesiasticos hujusmodi exactiones fieri, monuitque, ut à clero vexando abstineret. Non parenti postea litteras per Jacobum Normannum acrimoniæ plenas misit, ut fertur, in quibus multa ab illo contra æquitatem, & juris ordinem fieri querebatur, & plebem, & clerum exactionibus opprimi, Ecclesiasticas dignitates conferri, bona Sacerdotum occupari, jurisdictionem illis suam eripi, ut ex Nangio latius narrat Masso annalium lib. 3. Hæ tamen litteræ, quibus ad iracundiam concitatus est Philippi animus, falsatæ creduntur, & non tales Regi datas fuisse, quales à summo Pontifice prodierant, id procurante subdolis artibus pacis adversario ad conturbandam Ecclesiam.

Legitur hoc in voto Cardinalis Portuensis F. Matthæi de aqua sporta pag. 75. ejusdem Historiæ, dum peroraret in consistorio summi Pontificis. Cesset murmur, quia numquam fuit scriptum in illa littera, vel mandatum ex parte summi Pontificis, & fratrum, quod deberet recognoscere se tenere regnum suum ab aliquo, & credo illum, qui fuit missus, talem virum, qui non excessit fines mandati sibi commissi. Dicitur, quod una alia littera fuit missa Domino Regi, nescio, unde venerit illa littera, sed scio, quod per fratres sacri Collegii non fuit missa, & excuso Dominum nostrum, quia credo firmiter, quod illam litteram non misit, nec ab eo emanavit, sed illa littera, quam misit summus Pontifex Dominus noster, & fratres, fuit ex mera charitate, & erat omni dulcedine, & dulcore plena, sicut esse debet littera pii patris, & dulcis matris, quia agnum mater nimis tenerè diligat,

A dicat dulcia filio, & blanda verba: Pater tamen districtius, quia magis sapienter diligit, & immiscet aliqua aspera, unde dicit Salomon *Fili, audi disciplinam Patris, &c.* Et Tobias filio suo idem dicit etiam; *flagellat Deus omnem filium, quem diligit*: Unde si fuerunt in illa littera aliqua, quę videbantur Regi dura, scio tamen, quod nihil erat ibi, quod non esset ad correctionem suam, & ad bonum finem, & sine dubio ego reputo Regem bonum, & Catholicum Principem, quantum est de persona sua: sed timeo, quod habeat aliquos malos consiliarios, qui non sunt ei multum utiles, &c. Dissipet Dominus consilium Achitophel, &c. Imposuit nobis, quod nos mandaveramus Regi, quod recognosceret regnum à nobis. Quadraginta anni sunt, quod nos sumus experti in jure, & scimus, quod duæ sunt potestates B ordinatæ à Deo, quis ergo debet credere, vel potest, quod tanta insipientia sit in capite nostro? Dicimus, quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem Regis, & sic frater noster Portuensis dixit. Non potest negare Rex, seu quicumque alter fidelis, quin sit nobis subjectus ratione peccati. Quantum ad collationem beneficiorum dicimus, quod nos zelantes veritatem, & salutem animæ Regis frequenter nuntiis suis diximus, volumus, quod Rex faciat licitè, quod facit illicitè. Volumus super hoc sibi facere omnem gratiam, quam poterimus, quia certum est, & omnia jura clamant, quod collatio beneficiorum non potest cadere in laicum, ita quod habeat jus, seu auctoritatem spiritualem, & potestatem conferendi, nolumus, quod decipiantur animæ, nec illi, qui tenent, vel recipiunt, quia constat, retinere, C vel recipere non posse, nisi consensu nostro tacito, vel expresso, &c.

Rex in quo subditus Ecclesiæ.

CONCILIUM COMPENDIENSE,

Sub Roberto de Courtenay, Archiepiscopo pro immunitate Ecclesiastica, anno Domini 1301. *tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri.*

HOc eodem anno mense Novembri coacta apud Compendium Synodo Provinciali per Archiepiscopum Rhemensem Robertum de Courtenay, excommunicati sunt Abbates, quicumque conspiraverant in suos Episcopos: fulminati Magistratus, qui non pa- D tiebantur, ut laici in foro Ecclesiastico convenirentur: decretumque, ut ubicumque à judice temporali caperentur Clerici, à divinis cessaretur officiis. *Spondanus ad Annum* 1301. *ex Mejor Annal Fland. l.* 10.

Iterum invenitur ab eodem Archiepiscopo in eodem loco celebratum Concilium die veneris post Festum Circumcisionis anno Domini 1303. tempore Benedicti XI. unà cum suffraganeis: in quo inter alia statutum est, ut quicumque interessent divinis Officiis unà cum excommunicatis, aut interdictis nominatim, aut eorum sepulturis, ac funeribus, excommunicationi subjacerent ipso facto: nec non qui matrimonia clandestina facerent, aut fieri procurarent, iisve interessent. *Spondanus an* 1303.

E

CONCILIUM AUXITANUM.

Apud Nugariolum sub Amaneo Archiepiscopo tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, Anno 1303.

STatuimus, quod nullus in Ecclesia sua recipiat clericum peregrinum ad officiandum sine litteris commendatoriis ordinarii sui, & licentia sui Episcopi; alioquin Clericus peregrinus sententiam excommunicationis incurrat.

IRrefragabili constitutione sancimus, quod Rectores Ecclesiarum, & sub Capellani eorum recipientes

tes peregrinos ignotos Presbyteros absque suorum Diœcesanorum litteris recommendatoriis, ad efficiendum Ecclesiastica sacramenta, ipso facto sint excommunicationis sententia innodati.

UT Prælatorum judicium, & Inquisitorum officium eo fructuosius, quo liberius valeat exerceri: præsenti statuto universis, & singulis tàm religiosis, Clericis, ac laicis duximus inhibendum, ne ipsos impedire, vel turbare præsumant, quominus in ipsis locis religiosis regularibus, vel aliis eisdem subjectis liberum officii sui debitum exequantur. Alioqui si laici fuerint, excommunicationis, si religiosi, & Clerici, interdicti ipso facto incurrant sententias.

SI quis nuncios nostros, suffraganeorum nostrorum, seu judicum nostrorum, suorumque missos per nos, vel eos pro convocandis Conciliis, Synodis, citationibus, vel executionibus faciendis per se, alium, vel alios, clam, vel palam impediverit, litteras eisdem abstulerit, fregerit, deleverit, vel occultaverit, percusserit, vel in præmissis, vel ad aliquod præmissorum dederit consilium, auxilium, vel favorem, eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus.

DE excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, scilicet an justè latæ fuerint, vel injustè, vel de aliis causis specialibus, vel Ecclesiasticis, seu aliàs ad forum Ecclesiæ de jure, vel de antiqua consuetudine spectantibus, se nullatenus intromittant Domini, vel judices temporales: nec judices Ecclesiasticos, nec super ipsis recurrentes ad ipsos in hujusmodi quomodolibet impediant, vel prædictis dent consilium, auxilium, vel favorem: aliter prædicta excommunicatione sint ligati, quæ, nisi satisfactio facta prius fuerit, minimè relaxetur.

QUicumque fugientes ad Ecclesiarum tutelam ibidem vulneraverit, mutilaverit, interfecerit, victualia subtraxerit, vel, ne habere, aut dare eis valeant, impediverit per se, vel per alium, seu alios, aut custodes, ne exinde exire possint, quoquomodo posuerit, incenderit, inde extraxerit violenter, aut aliquid prædictorum fieri præceperit, vel procuraverit, seu consilium, vel opem adhibuerit, excommunicationis sententiæ subjicitur ipso facto, præterquam in casibus à Canonibus permissis.

STatuimus, ut quicumque in transgressione juramenti manifestè fuerint deprehensi, ad mandatum nostrum, suffraganeorum, vel officialium nostrorum, *&c.* in Ecclesia eorumdem publicè denuncientur perjuri: qui si admoniti satisfacere noluerint, ex tunc excommunicentur candelis extinctis, *&c.* Et denuncientur intestabiles, ac infames. Nec ad testimonium, vel actus legitimos admittantur: nec in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo solvi valeant, *&c.* Et hoc frequenter in Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus præcipimus publicari. Officiarii autem, qui in observatione prædicti Statuti negligenter scientes extiterint, ipso facto ingressum Ecclesiæ usque ad mensem sibi noverint interdictum.

COrpora laicorum non sepeliantur intra Ecclesias sine licentia Prælati, & Rectoris, quamvis ab antiquo haberent sepulturas: alioqui eosdem (sepelientes) excommunicationis sententiæ volumus subjacere.

QUicumque extra suam Parochialem Ecclesiam, in qua decessit, elegerit sepulturam, matrici Ecclesiæ solemniter præsentetur, & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de jure, vel in Parochia fieri consuetum est: & contrarium facientes ipso facto subjaceant Ecclesiastico interdicto, *&c.*

A TAm detentores decimarum ante ipsarum restitutionem, quàm eorum filii, uxores, & familiæ sepultura careant Christiana: nec ipsi, nec eorum filii usque ad quartam generationem inclusivè ad tonsuram Clericalem, cæteros ordines, vel Ecclesiastica beneficia aliqua admittantur, *&c.* Sed eorum beneficia aliis liberè conferantur. Si nostri Ordinarii prædictis hæc contulerint, ab illorum collatione eo ipso se noverint suspensos, & loca, ubi sepulti fuerint, per annum Ecclesiastico subjaceant interdicto.

ARchidiaconus visitare volens in principio suæ visitationis omnes, quos secum ducere voluerit, sic informet, quod nec ipse, nec quisquam suorum aliquid muneris, qualitercumque offeratur, recipiat. Alioqui B percipientes usque ad restitutionem dupli illius, quod receperint, Ecclesiæ, vel Rectori, à quo receperint, faciendam teneantur, & excommunicationis sententiæ ipso facto se noverint subjacere. Archidiaconus autem contra præsentem constitutionem in aliquo veniens, tamdiu ab officio ipso se noverit suspensum, quousque de duplo hujus, si receperit, & ultra per ipsum fuerit plenariè satisfactum: nulla eis in hoc remissione, libertate, seu gratia valitura.

ECclesia nondum consecrata, attamen divino cultui dedicata, si polluatur seminis, aut sanguinis effusione hominis violenta, vel sepultura excommunicatorum, interdictorum, hæreticorum, schismaticorum, paganorum, seu Judæorum, nec ossa discerni, & exhumari possint (comprehenso cœmeterio) per Episcopum tantum aspersione aquæ benedicatur: C si verò inferior ipso Ecclesiam, aut cœmeterium hujusmodi, vel etiam consecratam reconciliare præsumpserit, eo ipso Ecclesiastico supponatur interdicto.

JUdices sæculares cujuscumque conditionis, si suas causas maximè de sanguinis effusione, & corporali pœna in Ecclesiis, vel cœmeteriis audeant agitare, statuta, aut parlamenta facere, nisi ad pietatem suadeant, per publicationem præsentis edicti excommunicationis sententiæ ipso facto volumus subjacere: processus eorum nihilominus careant roboris firmitate.

EXcommunicamus, & mandamus denunciari excommunicatos publicè omnes concubinarios, usurarios, adulteros manifestos.

D EXcommunicamus, & excommunicatos Provinciæ denunciari præcipimus creditores, qui instrumentum soluti debiti detinent, nisi infra quindecim dies, si commodè fieri poterit, restituerint ipsum instrumentum debitori, vel alii legitimo pro eodem, vel saltem ipsum cancellaverint, ac fregerint instrumentum infra dictum terminum.

SUpponimus Ecclesiastico interdicto omnem locum Provinciæ Auxitanæ, ubi manifesta rapina Ecclesiarum, Religiosorum, Clericorum, vel personarum Ecclesiasticarum reponitur, quamdiu dicta rapina ibi fuerit, vel Clericus, aut persona Ecclesiastica contra E voluntatem sui Prælati inibi capta à quocumque detinetur: & si de loco in locum mutata fuerit, primus locus, & alia unde, & ubi mutatur usque ad dignam satisfactionem, eo ipso in Ecclesiastico remaneant interdicto. Et si de prædictis quispiam consenserit scienter, ipso facto pœna consimili sit ligatus.

EXcommunicamus, & excommunicatos Provinciæ denunciari præcipimus Barones, Consules, Ballivos, & alios quoscumque, qui reclusos leprosos ratione personarum, vel patrimonii ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem, nisi sic exacta infra 15. dies plenos restituerint requisiti.

Per-

Personæ Ecclesiasticæ, vel earum bona pro aliis non pignorentur: contrarium facientes, nisi de præmissis satisfecerint, infra mensem ipso facto sint excommunicationis vinculo innodati. Universitates locorum Ecclesiastico subjaceant interdicto.

Denunciari præcipimus publicè excommunicatos universos, & singulos, qui apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum arrestaverint, vel occupaverint, & arrestari, vel occupari mandaverint: Et qui talia occupata receperint, quique in prædictis scienter dederint publicè, vel occultè consilium, auxilium, vel favorem.

Confirmatio prædictorum statutorum.

Publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones ab art. 4. qui est primus Canon, *Statuimus*, *&c.* apud Nugariolum die Lunæ post Festum beati Andreæ Apostoli in Concilio Provinciali celebrato per Reverendum in Christo Patrem D. Amaneum divina miseratione Archiepiscopum Auxitanum: præsentibus, & assistentibus sibi venerabilibus Tarniensi *Tarbes*, Convenensi (aliis Convenarum) Condonensi, Lectorensi, Vasatensi *Basas*, Aquensi *Aix*, Olorensi *Oleron*, Lascurensi, Adurensi *Aire*, Conseranensi *Conserans*, Bajonensi *Bajone*, * & quàm pluribus Abbatibus, Prioribus, & aliis subditis Provinciæ Auxitanæ sub anno Domini 1303.

CONCILIUM AUXITANUM,

Sub Amaneo Archiepiscopo, tempore Clementis V. & Philippi Pulchri, Anno Dom. 1308.

Precipimus sub pœna excommunicationis Ecclesiarum Rectoribus, ut diebus Dominicis, & festivis denuntient excommunicatos à Canone, & sedis Apostolicæ Authoritate, omnes illos, qui per vim, vel metum personis excommunicantium vel eorum amicorum illatum, extorserint absolutionis beneficium à sententia excommunicationis, vel interdicti.

Nota. Severtius hunc Canonem scribit fluxisse ex Provinciali Concilio Auxitano, quod celebratum est per Reverendum in Christo Patrem Amaneum Archiepiscopum Auxitanum 6. Kalendas Decembris anno 1303. Quod autem ad materiam Canonis spectat, idem statuitur cap. unico *de his, quæ vi* in 6. Oportet autem, ut metus incussus sit metus cadens in constantem virum, quique actum absolutionis sic obtentæ faciat involuntarium. Rursus excommunicatus, sit vera, & valida censura excommunicatus, nam, si excommunicatio fuisset invalida ex aliquo defectu, non verè obtineret per violentiam absolutionem à censura, sed potius declarationem nullitatis illius. Ita Suarez tom. 5. in D. Thom. 3. p. disp. 23. sect. 4.

CONCILIUM AUXITANUM. APUD NUGARIOLUM.

Sub Archiepiscopo Guillielmo de FLAVACOURT. sede Romana vacante, & tempore Ludovici X. Anno Domini 1313.

Ex Miss. codice Auxitano Severtii.

Notum sit cunctis, quo anno Domini 1313. Reverendus in Christo Pater, & Divina Miseratione Archiepiscopus Auxitanus, Nugariolum in Armaniaco suæ Diœcesis, Divina inspirante gratia, Concilium suum Provinciale, unà cum venerabilibus in
A Christo Patribus F. Aquensi idest, Vasatensi, A. Lascurensi, Lectorensi, A. Olorensi Episcopis, *&c.*

Prohibemus, ne Domini temporales, aut quicumque alii sæculares vacantes Ecclesias occupent, vel occupari faciant. Quorum si contrarium præsumpserint attentare, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: & illa vice eorum filii, ac quicumque alii ad eorum instantiam ad obtinendum dictas Ecclesias sint inhabiles penitus.

CONCILIUM PROVINCIÆ SENONENSIS PARISIIS,

B *Celebratum sub Philippo Archiepiscopo pro Jurisdictione Ecclesiastica, & disciplina tempore Ludovici X. Regis Galliæ vacante sede anno Dom.* 1314.

Ex Bibliotheca Victorina f. f. f. numero 15.

Philippus miseratione divina Archiepiscopus Senonensis in Provinciali Concilio anno Domini 1314. die Martis ante Translationem Beati Nicolai cum continuatione dierum sequentium Parisiis celebrato ad perpetuam rei memoriam.

Ut eo potentius Ecclesiasticæ libertatis vigor invaleat, & grex Dominicus Pastorali cura ab op-
C pressione, & incursibus sollicitius præservetur, quo plurimorum spectàtium fuerit sollicitudinis studio cõmunitus, & temerariæ rapacitatis abusus, multiplicibus fuerit acclamationibus vehementius confutatus: Sacro nos ad hoc sollicitante Concilio duximus statuendum, ut Curati Ecclesiarum Parochialium nostræ Provinciæ detentores Clericorum intra Parochiarum suarum limites constitutos licitè monere, & requirere teneantur, ut præfatos Clericos detentos ab eis ordinariis suis restituant indilatè: Quod si ab eis requisiti non adimpleverint absque mora: detentionem hujusmodi confitentes, vel cùm aliàs detentio ipsa adeo notoria, & manifesta existat, quod non possit aliqua tergiversatione celari: detentores ipsos excommunicatos à Canone in suis Ecclesiis studeant nuntiare, ut eos ab omnibus faciant arctius evitari, donec à locorum Ordi-
D nariis satisfactione eisdem, & passis injuriam de tantis excessibus competenter, vel ab aliis competentibus judicibus absolutionis beneficium meruerint obtinere: Facta.
statutis synodalibus aliàs super hoc editis, prout locorum Ordinariis videbitur nihilominus in suo robore duraturis.

Item sacro duximus approbante Concilio statuendum, quod in nostra Provincia omnibus Ecclesiasticis judicibus generales citationes, quæ sub ea forma consueverunt concedi: citetis omnes illos, quos lator præsentium, *&c.* intelliguntur penitus interdictæ, & ab iisdem in posterum nullatenus concedantur, & quod si forsan obtentæ fuerunt quoquo modo, nullius penitus sint effectus, & eis non pareatur impunè.

E Statuimus insuper, quod nullus super participatione cum excommunicatis citetur, nisi primo monitus fuerit nominatim, nec scribat Notarius citationem, nisi primo monitionem viderit tàm sigillo judicis, quàm executoris sigillatam. Ac impetrãs citatorium jurare teneatur se credere, quod citati cum excommunicatis participaverint in casibus à jure non permissis, & scienter, antequam citatorium obtineat supradictum, quodque in ipsa citationis littera talis inferatur clausula, scilicet præfatum impetratorem antedictum subiisse huiusmodi juramentum, ac in ipsa citatione quinque tantummodo contineantur nomina personarum. Si verò postquam personæ sic citatæ super participatione prædicta per earum juramẽtum, prout moris est, se debitè purgaverint,

eo

eo ipso actores, ad quorum instantiam tales citationes impetrantur personis sic citatis super hoc instanter, & supplicantibus, nisi præfati actores contrarium legitimè probare voluerint, in expensis ob hoc factis legitimè condemnentur. Et si qui modo superius annotato citationes impetrantes super ipsa participatione fraudulosi reperti fuerint de extorquenda pecunia taliter à citatis, tanquam fures perjuri per Officialem acerrimè puniantur.

NOTA. Cum jure antiquo omnes publicè excommunicati, & si non nominatim, vitandi essent, innumeri inde oriebantur scrupuli, innumeræ lites, innumera peccata, ut patet aliquo modo ex ultimo Canone hujus Concilii. Unde Concilium Constantiense hoc decretum edidit. *Ad cavenda animarum pericula statuit sancta Synodus, ut nemo deinceps teneatur aliquem ratione sententiæ, vel censuræ vitare in sacramentorum receptione, vel administratione, vel in aliis rebus externis, nisi talis censura specialiter sit publicata, & denuntiata, & contra aliquam personam, vel communitatem, vel nisi pro sacrilega in Clericum manuum injectione, sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incurrisse, ut nulla possit tergiversatione celari: nam à communione illius, licèt denuntiatus non sit, volumus abstineri, per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos suspensos, vel interdictos, in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari.* quod quidem decretum (etsi non inveniatur in actis Concilii Constantiensis, decreveritque postea Basileense vitandos omnes notoriè excommunicatos quacumque ex causa) usu jam invaluit: itaut, si solùm jus Ecclesiasticum spectemus, tantùm vitandi sint nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percussores: nam si jus divinum, & naturale spectemus, alii etiam excommunicati vitandi sunt in his casibus. 1. Cum ex communicatione sequitur favor excommunicato, & ejus doctrinæ, ut sit hæreticus. 2. Cùm adest spes conversionis excommunicati ex confusione, quam habet, dum ab aliis vitatur. 3. Cùm imminet periculum incidendi in similem errorem. 4. Ratione scandali, de quibus consule Stephanum Avilam tract. de censuris part. 2. cap. 6. dist. 2. dubio 1. in quibus quatuor casibus videtur esse peccatum, ut plurimum mortale, cum excommunicato communicare; nam aliàs veniale reputatur, si communicatio sit tantùm in rebus civilibus, & commerciis terrenis, non in rebus divinis.

Qui excommunicati vitandi.

CONCILIUM

SENONENSE PARISIIS,

Celebratum sub Guillielmo de Melduno pro Jurisdictione Ecclesiastica, & disciplina, tempore Joannis XXII. Anno Domini 1323.

Ex Codice præceptorum Synodalium Aurelianensis Ecclesiæ Bibliotheca Victorina f. f. f. num. 15.

NOs Guillielmus Archiepiscopus Senonensis Anno Domini 1323. die sabbati post Festum Beati Matthiæ Apostoli continuata de die in diem, à die Lunæ præcedenti in nostro provinciali Concilio unà cum suffraganeis nostris, cæterisque personis Ecclesiasticis nostræ Senonensis Provinciæ celebrato Parisiis congregati; eodem approbante Concilio, statuimus, & ordinavimus, ut quarta feria dictam quintam feriam præcedenti Festum pretiosissimi Sacramenti, omnes subditi nostri, & suffraganeorum nostrorum ab esu carnium abstineant, & jejunent. Quibus jejunantibus sic, vereque pœnitentibus, & confessis in remissionem suorum peccaminum quadraginta dies de indulgentiis duximus concedendum. Totidemque eisdem nos Episcopus Aurelianensis in nostra Diœcesi auctoritate Concilii prædicti concessimus.

CIrca verò solemnem processionem, quę dictà quinta feria fit à Clero, & populo in delatione prædicti Sacramenti iis diebus introducta videlicet, quoad præsens nihil immutamus, devotioni Cleri, & populi relinquentes.

STatuimus, & etiam ordinamus, ut si contingat aliquem Clericū in villis, seu castris Diœcesis, & Provinciæ Senonensis per judicem capi sęcularem, qui sufficienter requisitus de reddendo eundem Clericum suo judici Ecclesiastico, non reddiderit, seu restituerit in sua malitia perseverans, in dictis villis, seu castris cessetur, quandiu tenebitur idem Clericus, à divinis, nedum in illa Ecclesia, intra cujus fines dictus Clericus detineri dignoscitur: sed etiam in aliis Eclesiis in dictis villis, & castris existentibus, si in dictis villis, & castris plures Ecclesias contigerit esse sitas. Quod ad religiosorum monasteria in dictis villis, & castris constituta, & ad alias Ecclesias eisdem contiguas extendi volumus, ne, si in quibusdam à divinis cessaretur, & non in aliis, cessationis sententia, seu jurisdictio valeat vilipendi. Et prædictas cessationes auctoritate prædicti Concilii ab omnibus tàm exemptis, quàm non exemptis, cùm de jure ad hoc etiam teneantur, volumus observari.

PRæterea, quia multi religiosi, & religiosæ per annum, & diem in habitu religioso in suis monasteriis commorantes, per quam quidem moram tacitè sunt professi, & suis monasteriis alligati, in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum suis dimissis habitibus redire ad sęculum non verentur de facto: postmodum ad monasteria convolantes præmissa .... sibi de jure licere facere asserentes: eodem approbante Concilio statuimus, ac etiam ordinavimus, ut prędicti religiosi, ac etiam religiosæ dictis anno, & die elapsis per superiores suos, dummodo in ætatis discretione fuerint constituti, profiteri expresè, vel saltem ita publicè, quod dicta professio celari non valeat, compellantur, cùm non sit dubium sic exeuntes, ac etiam contrahentes sententiam excommunicationis incurrere ipso facto.

PRæthereà cùm sit certum, Clericos, qui caligàs rubeas, scatatas, & alias inhonestas publicè deferunt, non modicum detrahere Clericalis ordinis dignitati, indignos etiam prærogativa Professorum illius ordinis se reddentes inhonesti, talium occurrere cupientes ... eodem ap probante Concilio statuimus, ac etiam ordinavimns, ut Clerici beneficiati tàm Cathedralium, quàm collegiatarum Ecclesiarum, sive sint Canonici, & Capellani, Vicarii, seu simplices Curiales caligis rubeis, viridibus, scatatis, croceis, seu albis publicè non utantur, sed caligis nigris, seu aliis honestis tantummodo sint contenti. Quod si à delatione dictarum caligarum Canonici moniti non desistunt, ipso facto immediatè distributionibus, quæ insistentibus certis horis distribuuntur, auctoritate præsentis Concilii nos privamus: quod quidem statutum ad Presbyteros extendi volumus Ordinariorum arbitrio puniendos.

ET istud idem in prædictis Clericis comam nutrientibus, barbamque prolixam, seu tonsuram inhonestam; ac à parte exteriori amultias de cendento, seu de velueto deferentibus, ut uniformitas inter prædictos Clericos conservetur, volumus observari.

HInc est, quod paternitati vestrę auctoritate nostra Metropolitani mandamus, quatenus prædicta statuta in vestris Synodis, & alibi prout vobis expedire videbitur, publicetis, seu publicari faciatis, & à vestris subditis juxta tenorem ipsorum inviolabiliter observari. In quorum testimonium præsentes litteras sigillo nostro duximus sigillandas. Datum, ut supra,

CON-

CONCILIUM AUXITANUM,

Celebratum sub Guillielmo de Flavacourt, tempore Joannis XXII. & Caroli IV. anno Domini 1324.

INcipiunt constitutiones Synodales editæ per Reverendum Patrem Dominum Guillielmum Dei gratia Archiepiscopum Auxitanum, in prima sua sancta Synodo, in civitate Auxitana celebrata die Martis ante Festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ, sub anno Domini 1324.

Isti casus pertinent ad Episcopum.

IMpositio solemnis pœnitentiæ, absolutio excommunicatorum à Canone; dispensatio super irregularitate, quæ ad Episcopum pertinet, super incendiis, blasphemiis deliberatis, nothis, & super omnibus, quæ consuetudo Diœcesæom servat eis, super his, quæ specialiter sibi retinent, sicut de filios opprimentibus, de homicidio, sacrilegiis, falsariis, violatoribus Ecclesiarum, sortilegiis, de vitio contra naturam, incestibus, corruptionibus Monialium, restitutionibus, perjuriis, clandestine contrahentibus, sicut ante Sacerdos ad Episcopum, ita Episcopus ad Papam mittere debet tales propter enormitatem criminum.

CONTROVERSIA.

TRia hìc breviter advertenda, idest, de impositione pœnitentiæ solemnis, pervulgatum siquidem triplicem in Ecclesia veteri observatam fuisse pœnitentiam. Privatam, in qua peccatum soli detegebatur Sacerdoti, & satisfactio occultè, ac privatim peragebatur. Publica, in qua peccatum, utpotè publicum coram Ecclesia detegebatur, & publicè satisfactio pro eodem imponebatur. Solemnis autem species erat pœnitentiæ publicæ, sed multò severior: in ea siquidem peccatum aliquod, quod totam civitatem conturbasset, graveque scandalum generasset, declarabatur, pro quo satisfactio gravis, & diuturna ab Episcopo imponebatur, Feria 5. in capite jejunii. Quamvis autem pœnitentes, quibus imposita esset solemnis pœnitentia, in aliquibus Provinciis ad Eucharistiæ perceptionem non admitterentur, nisi post multòs annos, eaque integrè completa; Attamen Ecclesia Romana, quæ mater est Ecclesiarum, ultra tempus Paschale Eucharistiæ perceptionem non differebat. Quod patet ex accuratiori lectione Epistolæ Innocentii Papæ ad Decentium Episcopum Eugubinum, in qua arguit primum in genere eos, qui ea non servant, quæ ab Apostolis tradita sunt, sed quæ sibi visa sunt: unde diversa à diversis Sacerdotibus in diversis Ecclesiis tenentur, & servantur cum scandalo, & offensione populorum. *Dum nesciunt*, inquit, *traditiones antiquas, humana præsumptione corruptas putant .... quis enim nesciat, aut non advertat id, quod à principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari? &c. De Pœnitentibus verò, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat .... sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.* Quæ ultima verba convincunt, in verbo remissionis includi etiam perceptionem Eucharistiæ, quod patet etiam ex eo, quod illa remissio erat tàm pro pœnitentibus ex graviori crimine, quàm ex leviori, quibus non differebatur communio ultra tempus paschale. Sed & ante

A illud tempus absolutionem à peccatis facillimè plurimis datam, satis patet ex Alcuino lib. de div. Offic. cap. 13. *Denique*, inquit, *admonendi sunt, ut in cœna Domini redeant ad reconciliationem ..... si verò interest causa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes est, ut ei hoc Sacerdos suadere nequeat, injungat ei tàm quadragesimalem, quàm annualem pœnitentiam, & reconciliet eum statim.* Quamvis autem in faciliori pœnitentium reconciliatione, abusum nonnunquam irrepere posse non diffiteamur: quia tamen usus antiquior universalis Ecclesiæ revocatur in dubium, hoc notatum esse voluimus, ut non circumferamur omni vento doctrinæ, nec ritum antiquum alicujus peculiaris Ecclesiæ in differenda peccatoribus Eucharistia, etiamsi pœniterent, donec integram pœnam exolvissent, ritum fuisse Ecclesiæ Romanæ, vel universalis, facilè existimemus.

B 2. De reservatione casuum, hoc est peccatorum, qui sunt casus animæ, esse antiquum in Ecclesia, nec primum in hoc Concilio decretum, patet ex his verbis, *sicut ante Sacerdos ad Episcopum.* Probat autem Joannes *Chapeaville* in tract. de casibus reservatis cap. 1. qu. 3. visitatam fuisse primis Ecclesiæ temporibus. 1. ex Epist. D. Cypriani Presbyteris, & Diaconis directa, quæ incipit; *miror vos fratres*, ubi mandat Christianos idololatriæ reos coram seipso exomologesim facere, & pœnitere. 2. Ex facto D. Ambrosii ita Theodosium Imperatorem excommunicantis, ut nullus inferiorum Sacerdotum eum auderet Ecclesiæ reconciliare. In hist. tripart. li. 19. ca. 30. addit locum Origenis Homil. 10. in Numeros, ubi dicit pœnitentem non solùm Sacerdote, sed quandoque etiam Episcopo indigere, quo testimonio utitur Sotus in 4. dist. 28. qu. 2. art. 3. ad idem propositum. Verum discutienti Cyprianum magna est suspicio eo loci non agere de absolutione sacramentali, quandoquidem deficiente Episcopo, & sacerdote, vult eam obtineri posse à Diaconis, quorum non est peccata sacramentaliter dimittere. *Vel si Presbyter*, inquit, *repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, &c.* Unde Pamelius ibidem agi censet de absolutione à pœnis satisfactoriis, non autem à culpa. Quod spectat ad Theodosium, non tantùm agebatur de absolutione à peccato in foro interiori, sed maximè de absolutione à censura Ecclesiastica in foro, quod mixtum vocant. Locus Origenis, etsi aliquo pacto rem indicare videatur, est tamen ambiguus, & potest trahi in diversos sensus; ideo institutio prima reservationis casuum in foro conscientiæ quamvis antiquissima, & utilissima in Ecclesia, non satis hactenus demonstratur perspicuè, desideraturque in ea re labor scriptoris Ecclesiastici, qui sit multæ doctrinæ, & antiquitatis.

Reservatio casuum

Epist 13. aliàs Epist. lib. 17. 3.

Cum autem reservatio illa potissimum spectet Episcopum, sunt tamen, qui attribuunt Pœnitentiario, si fuerit institutus cum beneficio in Cathedralibus Ecclesiis, ordinariam potestatem in casus reservatos, atque alii ratione institutionis id ei competere arbitrantur, cum tamen in illa institutione nulla fiat mentio istius potestatis in casus reservatos, nec Concilium Tridentinum illius meminerit, nec verisimile sit Episcopos tunc consensisse, ut tanta plaga eorum jurisdictioni inferretur. Quare alii ratione consuetudinis id ei volunt inesse, qui satis refelli possunt ex iis, quæ dicit Suarez de Pœnit. disp. 30. sect. 2. ex consuetudine verò, inquit, nunquam credimus introductum esse, ut acquiratur jurisdictio ad absolvendum à reservatis, seu facultas eligendi confessorem, qui ab eis absolvat: tùm quia talis consuetudo directè esset contraria reservationi, eamque enervaret: tùm etiam quia supra ostensum est, contra voluntatem superioris non posse acquiri jurisdictionem in hoc foro. Ubi autem facta est reservatio, satis est declarata voluntas superioris, ut nemo à tali peccato absolvat sine sua facultate: ergo

Pœnitentiarii jurisdictio qualis.

ergo non poteſt contra hanc voluntatem conſuetudine præſcribi. Quod etiam confirmatur ex hoc, quod omni juri repugnet, confeſſiones primas ſacrilegas, ac abſolutiones, eo quod ſæpius repetitæ fuerint, tandem poſſe eſſe licitas, ac validas.

Hinc eſt, quod Capeavilla Pœnitentiarius Leocienſis, qui hanc poteſtatem ratione uſus, ac conſuetudinis, ut probabilem defendebat loquens in propria cauſa, ſicut quidam alii, citato c. 3. qu. 1. concludit per hæc verba, dum ſibi parum bene conſcius eſſet. Conſulo tamen Pœnitentiariis Eccleſiarum Cathedralium, quamdiu certò non conſtat illos habere ex officio ordinariam juriſdictionem circa caſus Epiſcopales, non ſubdelegare, niſi expreſſam ob hoc ab Epiſcopo commiſſionem habeant.

Atque hæc eſt mens, & voluntas Epiſcoporum, qui ea curant, quæ ſunt ſui officii, & anno præterito R. Epiſcopus N. in Gallia obſtitit, ne ejus Pœnitentiarius quoſquam ſubdelegaret per aliquot loca diœceſis, dicens id ad ſe pertinere. Vidi Epiſcopos, qui graviſſimè id ferrent: etſi enim, ut ajebant, cum titulo beneficii, aut præbendæ inſtituti ſunt plures Pœnitentiarii in Cathedralibus Eccleſiis, non tamen inſtituti ſunt, niſi ex noſtro conſenſu: & nos nunquam conſentiremus, ut independenter à nobis hoc munus exercerent, aut quemquam delegarent.

Atque hoc ipſum adſtruit multis authoribus Barboſa in collectaneis ſuis ſuper Concilium Tridentinum; Gavantus in manuali Epiſcoporum, & alii. Quod eo majori attentione perpendi debet, quod confeſſarii juriſdictio ſit quid eſſentiale in judicio pœnitentiæ, ſine qua ſacramentum nullum eſt. Nec eſt res hujuſmodi, quæ ſi exiſtimetur probabilis propter aliquos authores, aut aliquas ratiunculas, effectum ſortiatur, cum ſit tàm neceſſaria in ſacramento, ac ipſe character ſacerdotalis, ſine quo nihil fieret, quantumcumque multi aliter ſentirent, juxta ea, quæ diximus Examinis pœnitentium *parte 1. quæſito* 13. ubi in rebus eſſentialibus ſacramentorum reſolvimus, non eſſe locum opinioni minus probabili contra magis probabilem, quia ſacramenta agunt ex opere operato, prout Chriſtus ea inſtituit de facto, non autem prout intelliguntur ab hominibus. Ut omittam, quia & probabile non conſequenter verum eſt, ut dicit D. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium Grammaticum c. 7. Unde etiam ſi excuſaretur pœnitens propter bonam fidem, aut etiam ipſe confeſſarius, non tamen magis operaretur ſacramentum.

Liber de triplici examine.

Qui verò dicunt Eccleſiam ſupplere juriſdictionem, quotieſcumque ſacerdos ex probabili opinione aliquorum doctorum illa utitur, deberent oſtendere Canonem, in quo hoc determinatur, ſicut qui abſolvunt quoslibet in periculo mortis, producunt Concilium Tridentinum, quo id determinatum eſt ad tollenda dubia, quæ ea in re ſuboriebantur. Illud ſiquidem tantum locum habet in iis paſtoribus, qui cum jure careant, ab iis tamen inſtituti ſunt, qui eis authoritatem conferre poſſunt: quod ſi univerſalius extendatur, vix dici poteſt, quantum hoc dogma deſtruat omnem veram juriſdictionem, cum enim aliqui doceant eum, qui abſolvere poteſt directè à venialibus, conſequenter abſolvere poſſe indirectè à mortalibus quibuſvis, ut ſupra tactum eſt, quilibet ſacerdos dicere poterit ſe omnia poſſe ex tacita conceſſione Eccleſiæ, quæ in ipſo ſuppleat juriſdictionem. Quare & aliqui omnia audent in hoc ſacramento, modò poſſint juriſdictionem ſuam, quam prætendunt, dubiam reddere ſub hoc prætextu, quod Eccleſia ſuppleat, quæ de hoc non cogitat, imo potius prohibet, cum juriſdictionis, quæ non eſt, & quæ non apparet ſatis, eadem ſit ratio. Unde Suarez de *Pœnit. diſp.* 26. *ſect.* 5. ubi conatus eſt dogma hoc de ſupplemento juriſdictionis dubiæ duplici fundamento æquè dubio fulcire, concludit in hæc verba: Semper tamen admonerem tàm miniſtros, quàm pœnitentes, ut certiori, vel ſaltem probabiliori via utentur, niſi aliqua cauſa gravis, vel rationabilis urgeat. Hæc ille de hoc dogmate diffidens. Atque licet iſta magis ſubtilibus, ac laborioſis rationibus perquiri poſſint, tamen ſatis eſſe debent iis, quos ad ſalutem ſuam, & ſanctæ Eccleſiæ neceſſariam utilitatem cupimus informari, qui judicare poterunt ex his, quæ pro utraque parte acervatim coegimus 3. p. examinis pœnit. præter ea, quæ paſſim habentur in his Conciliis, quid in hac controverſia tenendum ſit, & quid agendum, illud Apoſtoli metuentes, & *peribit in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.*

3. Magna ſeveritate actum fuiſſe contra occultè contrahentes, qui enim ab Epiſcopo abſolvebantur de crimine, vi hujus decreti remittuntur ad ſum. Pontificem. Sicque inferiores tunc reſervarunt caſus ſuperioribus, & non tantùm ſuperiores ſibi ipſis, *ſicut ante ſacerdos ad Epiſcopum*, inquit ſynodus, *ſic Epiſcopus ad Papam mittere debet tales*, ſcilicet occultè contrahentes, ut enim valida tunc fuerint clandeſtina matrimonia, illicita tamen fuerunt, eaque ſemper abhorruit Eccleſia.

CONCILIUM AUXITANUM,

Apud Marchianum,

Sub Guillielmo DE FLAVACOURT, tempore Benedicti duodecimi, & Caroli quarti, Anno Domini 1326.

HÆ ſunt conſtitutiones Provinciales Concilii Auxitani celebrati apud Sanctum Marchianum Auxitanæ Diœceſis, ſub anno Chriſti 1326. die Lunæ 8. Decembris.

QUia horribile nimis eſt, & ad noſtrum pervenit auditum, quod in Eccleſiis noſtræ Provinciæ, in quibus quamplures laici, qui in jure Patronatus per Eccleſiam tolerantur, &c. extorqueant aliquam pecuniæ quantitatem, vel emolumentum aliquod conſequuntur: Nos volentes (ait Reverend. Archiepiſcopus) Simoniacam peſtem, & vitium hujuſmodi à noſtra Provincia extirpare, & ut tenemur, animarum providere ſaluti; Statuimus, ut nullus patronus aliquem præſentet ad regimen animarum aliquo dato promiſſo, remiſſo, vel retento, &c. Alioqui præſentans cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtat, ipſo facto illa vice ſit jure præſentandi privatus, & nihilominus, ſi laicus fuerit, ſit excommunicationis vinculo irretitus. Clerici verò, & religioſi Patroni præter hoc, quod illa vice ſint poteſtate præſentandi privati, ſibi noverint ingreſſum Eccleſiæ interdictum. A quibus ſententiis abſolvi, & liberari nequeant, præterquam in mortis articulo, niſi de noſtra licentia ſpeciali, vel ſuffraganeorum.

Præſentati verò ſic ſcientes, & conſentientes ſint inhabiles ipſo facto ad quodlibet beneficium Eccleſiaſticum obtinendum, niſi cum eiſdem per ſuperiorem ſuum fuerit miſericorditer diſpenſatum. Quod ſi ignoranter Simoniacè præſentati extiterint, confeſtim tamen ubi ſciverint, beneficio obtento renuntient, cum aliter nequeant agere pœnitentiam ſalutarem.

Nota. *Notat Severtius hujuſmodi patronos hactenus jure communi non fuiſſe excommunicatos.*

Procurat impedimentum, &c. intellige injuſtè.

ADdit prædictum codicem Auxitanarum conſtitutionum appoſito magno ſigillo authentico Curiæ Metropolitanæ, repoſitum in theſauro. Necnon etiam cum vetuſtate conſumeretur approbatum fuiſſe per Concilium Baſileenſe, petente Philippo Archie-

Cod xit

Archiepiscopo Auxitano sub illo titulo, Confirmatio constitutionum provincialium. Quod cum non reperiatur in actis dicti Concilii Basileensis per Binium collectis, in quibusdam aliis quærendum est: nam multi diversimodè de ejus actis conscripserunt.

CONCILIUM COMPENDIENSE,

Sub Guillielmo de Tria Archiepiscopo Rhemensi tempore Joannis XXII. & Philippi Valesii Anno 1329.

HEmeræus ex libro, quem vocat Episcopi Suessionensis, testatur hoc Concilium habitum fuisse die veneris, ante exaltationem sanctæ Crucis Anni 1219. Capitulis Ecclesiarum non evocatis, & illic constitutas sequentes sanctiones.

1. ORdinamus, quod omnes judices ordinarii Rhemensis Provinciæ habeant infra natale Domini omnes constitutiones Provincialium Conciliorum de libertatibus Ecclesiarum, & immunitatibus personarum Ecclesiasticarum ad defendendum, & tuendum, & subveniendum Ecclesiis, & occurrendum violentiis, & oppressionibus, & injuriis subditorum.

ITem injungimus omnibus judicibus ordinariis Ecclesiasticis subditis, ut observent diligenter omnes constitutiones factas in usurarios, & de usuris, & illicitis contractibus diffamatos, & suspectos editas.

CÆterum ordinamus, ne quis Religiosus Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi præsidens, jura, redditus, & possessiones ejusdem alienet ad vitam, seu ad aliud certum tempus concedat, pecunia jam inde recepta quovis modo sine assensu, & decreto Diœcesani loci. Alioquin unà cum suspensione, & contractus nullus habeatur. Nec administrationi, à qua cecidit, se immiscere præsumat. Per hæc non intendentes sacris Canonibus in aliquo derogare.

DEnique ordinamus, quod nullus rationes, seu alia mandata ad trahendum aliquem, vel aliquos de Rhemensi Provincia extra eamdem Provinciam, & ultra fines regni Franciæ, nisi ordinariorum locorum primitùs requisito consilio, & obtento exequatur, ut per hæc abusionibus, & periculis corporum, & bonorum, & prædationibus, quæ frequenter propter hæc contingunt, & contingere possent, nisi in futurum, prout possibile est, occurratur. Nihilominus ordinamus ad obviandum malitiis hominum circa abusum generalium citationum, sub tali forma citetis omnes illos, & illas, quam lator præsentium nominabit, vel alia similia. Citationes hujusmodi nullatenus executioni demandentur, locorum Ordinariis inconsultis.

ITem ordinamus, quod in singulis parochiis Provinciæ Rhemensis sacerdotes pronuntient in missa alta voce verbis Gallicis excommunicatos omnes, qui impediunt jurisdictiones Ecclesiasticas, & maxime Rhemensis curiæ.

NOtat Spondanus ad eundem annum hunc Guilliel. de Tria avunculum fuisse Regis Philippi, decretaque hujus Concilii inserta fuisse per eumdem in synodalibus ejusdem Ecclesiæ.

CONCILIUM GALLICANUM PARISIENSE,

Tempore Joannis vigesimi secundi, & Philippi quarti, seu Valesii, pro tuendis Ecclesiæ libertatibus, & jurisdictione, Anno 1329.

CUm in dies increscerent rixæ, & contentiones de jurisdictione inter Episcopos, & judices sæculares, utrosque per Epistolas Rex Philippus Valesius Lutetiam Parisiorum convocavit, ut auditis conquestibus, & rationibus ex utraque parte, de tàm salubri remedio possit provideri (ajebat Rex in Epist.) per nos, & consilium nostrum, quod inter vos, & ipsos amoris vinculum incorruptibile, & sinceræ charitatis affectio indissolubilis futuris temporibus debeant observari.

DIe ergo octavarum Festi sancti Andreæ, Anno 1329. Prælati Parisiis convenerunt in palatio regali, & comparuerunt coram rege, videlicet Domini Bituricensis, Auxitanus, Turonensis, Rothomagensis Archiepiscopi: Belvacensis, Catalaunensis, Laudunensis, Parisiensis, Noviomensis, Carnotensis, Constantiensis, Andegavensis, Pictaviensis, Meldensis, Cameracensis, sancti Flori, Briocensis, Cabilonensis, & Eduensis Episcopi. Qua die Rege sedente, & consiliariis suis, necnon aliquibus Baronibus ibidem assistentibus, & facta dignitati regiæ reverentia per Prælatos, Nobilis, & discretus vir Petrus de Cugneriis miles, & consiliarius dicti Domini regis in præsentia omnium, & in publico locutus est pro rege facto themate suo: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*. In quibus verbis dicebat notari duo. Primo Prælatorum ad Regis obedientiam, reverentiam, & subjectionem: Secundo jurisdictionis temporalis, & spiritualis divisionem. Et 1. probabat per illud, quod scribitur 1. Petri 2. *Subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis in vindictam malorum, laudem verò bonorum*. Secundum verò probabat per multa, quæ Christus dixit Luc. 22. cum dicerent Apostoli: *Ecce duo gladii hic*, dixit Deus, *sufficit*; per duos gladios intelligens duas jurisdictiones. Item pro eo, quod Christus pro se, & Petro voluit solvere tributum, Matth. 27. ad dandum exemplum quomodo Ecclesiasticæ personæ tenebantur solvere, & reddere potestati temporali temporalia. Et hoc confirmabatur per hoc, quod scribitur 1. 1. qu. 1. c. *Si tributum, &c. magnum.* Item quia hoc cavetur lege humana, cum dicitur: *magna duo dona collata sunt, sacerdotium, & imperium. Sacerdotium, ut divinis, imperium, ut humanis præesset*, in corpore authenticorum. Ex quibus concludebat, quod cum istæ jurisdictiones sint distinctæ à Deo, & una sit credita Ecclesiæ, & alia Dominis temporalibus, quod nullo modo Ecclesia se debet intromittere de jurisdictione temporali, cum scriptum sit Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*. Et benè signanter dicit *antiquos*, quia consuetudines, si quæ essent ad opposi- tum introductæ, non valerent: quinimo essent potius corruptelæ. Nec præscriptio potest habere locum, cum jus fisci sit impræscriptibile: nec Rex posset etiam à se tale jus abdicare, sicut probatur per multa capitula, quæ sunt 10. *dist.* Quare cum Rex in sua coronatione jurasset jura regni non alienare, & alienata ad se revocare, si per Ecclesiam, aut per quemcumque alium essent usurpata, tenebatur Rex per juramentum ad se illa revocare. Et finaliter conclusit, quod Prælatis sufficerent spiritualia, in quibus Rex eos defenderet: addiditque intentionem regis esse redintegrare suum temporale. Hæc in genere, sed in specia-

Petrus de Cugneriis.

speciali, tradidit scripto regi, & Prælatis sexaginta sex articulos, in quibus contendebat Ecclesiam jurisdictionem usurpasse, & injustè super eis Prælatos procedere, cùm in iis contenta ad eos non pertinerent. Et nihilominus propositione facta dixit idem Dominus Petrus, quod Prælati super his deliberarent, & consulerent Domino regi, tamquam ejus fideles.

Quibus auditis dixerunt Prælati sibi esse in animo super his deliberare, fuitque assignata dies veneris sequens, qua die respondit pro Prælatis electus Senonensis apud Vicenas, ubi Rex aderat, ac repetitis summatim iis, quæ Petrus de Cugneriis dixerat, & facta protestatione, quod, quicquid dicturus erat, non ad subeundum quodcumque judicium, sed solùm ad Domini regis, & aliorum assistentium conscientiam informandam diceret, Accipio, inquit, tale thema: *Deum timete, Regem honorificate*. 1. Pet. 2. in quibus verbis Beatus Petrus duo nobis ostendit, primò, quomodo Deo debetur timor filialis, & obedientia propter celsitudinem, & imperium suæ Majestatis: *Deum timete*: secundò, quomodo debetur regi honor specialis, & reverentia propter majestatem, & fastigium suæ dignitatis, *Regem honorificate*. In Gallico. *Premierement que nous devons à Dieu redoutanze, & tremour, & amour pour sa grande puißanze, & haute Majestè: Secondement que nous devons au Roy reverence, & honneur pour sa grande excellence, & haulte dignitè*. Et signanter præmittit Apostolus, quod primò debetur Deo timor, secundò regi honor, quia, si contraria Deo jubeat Rex, vel alius, contempto rege, obediendum est Deo, &c. Et videtur mihi, quod quis perpenditur Deum timere ex tribus, scilicet ex grata munerum, & donorum largitione, & privata servitorum suorum honoratione, & ex integra rerum, & bonorum redditione. In Gallico. *Quand il sert devotement, luy donne largement: quand il l'honore sagement, & devement; quand il luy rend le sien entierement*, &c. Ex hac autem tertia divisionis particula sumpsit occasionem probandi jurisdictionem temporalem pertinere ad personas Ecclesiasticas, & in his cadere posse, atque iis debere reddi: qui enim non reddit alteri, quod suum est, sed conatur usurpare, non timet Deum; nam ut dicitur Ecclef. 18. *Qui timet Deum, faciet bona*.

Timor Dei ex tribus perpenditur.

Probat autem, quia jurisdictio temporalis, & spiritualis non sunt formæ incompatibiles, quæ in eodem subjecto subsistere non possint; quod asserebat Petrus de Cugneriis. Unde in persona Christi fuit utraque jurisdictio, *nam Domini est terra, & plenitudo ejus*, &c. 2. Ab initio mundi omnes primogeniti à Noe usque ad Aaron fuerunt sacerdotes; imo Aaron, & filii ejus judicaverunt populum etiam in temporalibus. Deuter. 18. Et novissimè, opera Machabæorum, regni regimen reductum est ad sacerdotes. 3. In novo Testamento Christus secundum humanam naturam habuit utramque jurisdictionem, Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Et Petrus ejus vicarius Act. 5. Ananiam, & Saphiram pro crimine furti, & mendacii judicavit. Vult etiam Christus tale judicium esse penes Ecclesiam, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Et D. Paulus 1. Cor. 6. *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles in Ecclesia illos constituite ad judicandum*. Quod si Apostoli parum ab initio circa hujusmodi jurisdictionis exercitium insistebant, id fuit, quia totaliter conversioni infidelium intenti erant, & eorum eruditioni, attendentes illud 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Nunc autem, cum totus populus Ecclesiis jugum submisit, meritò Ecclesia insistit circa delictorum punitionem, & justorum judiciorum redditionem. 4. Sed addit rationes aliquas, ut, quòd personæ Ecclesiasticæ sint Deo proximiores, & eo ipso ad judicandum aptiores, quòd cognitio de peccato ad easdem pertineat; in litibus autem semper est peccatum alterius partis, &c.

Dico secundò, quod debetur honor regi, & specialis reverentia propter magnitudinem, & fastigium dignitatis, quia sequitur in themate, *Regem honorate*, &c. Et videtur mihi, quod ille Regem honorat, qui vult eum servare illa, per quæ ejus dominium diligitur, & ejus potestas, & excellentia non diminuitur, & ejus fama custoditur, ne perdatur, & ejus conscientia non læditur. In Gallico. *Ce parquy la Seigneurie est aimee, sa puißance n'est appetifsèe, sa renommèe est gardèe, & sa conscience n'est pas blessèe*.

Noto partitiones rytmicas usitatas fuisse a oratoribus Gallicis.

Et è contra ille non honorificat Regem, qui suadet sibi opposita ista quatuor. Hinc deducit illos Regem non honorare, qui consulunt illi, ut libertates Ecclesiæ violet, unde fit, ut Rex non tantùm diligatur, &c. Concludit tandem: Ut ergo vestra conscientia immaculata remaneat, placeat vestræ Celsitudini privilegium istud justum, & Canonicum confirmare, &c. Et quia multi articuli proponebantur, quorum aliqui jurisdictionem enervaverunt Ecclesiasticam, idcircò eos volumus defendere, & tueri, cum præscriptum sit *Ecclesiast*. 4. *Usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Alioqui alii sunt, qui continent solùm abusus, quos non credimus per Officiales nostros fieri, & si fierent, nollemus tolerare eosdem, & ideò propter honorem Dei principaliter, & propter exonerationem conscientiarum nostrarum, & propter Regis reverentiam, profectum, & pacem omnes hic simul congregati disposuimus tale remedium apponere, quo abusus prædicti, si qui sunt, cessabunt ad pacem populi, & laudem Dei, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Gentes nostras.

Altera autem die veneris immediatè subsequenti, videlicet die 29. Decembris, in palatio Regis adinvicem convenerunt Prælati, & rege ibidem more solito sedente, &c. Dominus Petrus Bertrandi miseratione divina Eduensis Episcopus loquutus est coram rege, facto pro themate suo: *Ne indigneris, Domine, si loquar*. Genes. 18. dicens, quod propter Regis magnificentiam, consilii sui providentiam, & loquentis insufficientiam, cum magnum negotium esset, loqui formidabat. Sed de regiæ benignitate confisus audaciam assumebat, & quia fuerat sibi à Dominis Prælatis injunctum. Deindè fecit thema suum tale, *Domine, refugium factus es nobis in præsens*. Et prosecutus est thema, Regis magnificentiam commendando, vocationem suam ad regnum quasi mirabilem declarando, tertiò, quod debet esse pugil Ecclesiæ, ostendendo, &c. Postmodum respondit ad ea, quæ proposita fuerant à Petro de Cugneriis primò in generali, deindè ad 66. articulos in speciali.

Primo ad illud, quod propositum est, *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*; Per quæ verba proponebatur ad regem obedientia, & subjectio, & spiritualium, & temporalium divisio; dixit, Quod non erat facienda divisio, ut ea Ecclesiis auferatur, &, si in tyrannorum regum terris status iste Ecclesiæ fuerit læsus, vel etiam violatus, in regno tamen Franciæ benedicto usque ad hæc tempora extitisset observatus. Legesque Theodosii Imperatoris, & Caroli magni hanc jurisdictionem confirmarunt. Extra de judiciis c. *nonne*. 11. qu. 1. *Quicumque*, &c. Addit juramentum regum in coronatione sua de servandis Ecclesiæ juribus, & privilegiis, & confirmationem sancti Ludovici, Philippi Arragonensis, & subsequentium regum.

Quod dictum est: *Ecce duo gladii hic*. Verum est, quod jus, & potestas istorum gladiorum est penes Ecclesiam, licèt executio gladii temporalis sit penes

penes sæculares, & hoc est, quod dicitur Matth. 26. *Converte gladium tuum in locum suum*.

Et quod autem dicitur distinctum esse Imperium, & Sacerdotium, verum est ex parte finis, & quantum ad executionem sanguinis, & non ex parte principii, seu subjecti, quia in eodem subjecto esse possunt.

Ad illud verò, quod dicitur, quod Christus solvit tributum; Respondeo, quod non ideò, quia deberet solvere: quia certum est, quod filii Regis non debebant, qualis ipse erat, sed propter scandalum hoc fecit. Unde talia non sunt ad consequentiam trahenda. Quod videlicet, ut asserebatur in prima oratione, vitandum scandalum pusillorum, non aliorum, qui ex malitia propria scandalum accipiunt, sicut accipiebant Judæi.

Nec istis obstat, quod Dominus Rex non potest ista jura abdicare à se, maximè cùm juraverit in coronatione sua, &c. Respondetur, quod imò potest totum abdicare, quia non abdicat à se, cùm Deo, & Ecclesiæ dat. Tale enim dare nihil est aliud, quàm reddere Deo, &c. Præterea ista ratio proposita damnaret omnes Reges Franciæ, &c.

Neque etiam obstat, quod dicitur, imprascriptibilia sunt talia, verum est ab alio, quàm ab Ecclesia, vel ab aliis, quàm subditis.

HInc supplicarum Regi pro salute animæ, & pace Ecclesiæ servanda, ut nihil immutet; sed, quemadmodum prædecessores sui, libertates Ecclesiæ servet: Et consideret quanta bona spiritualia habet quotidie ab Ecclesia, & quod numquam sibi defuit Ecclesia Gallicana, cùm opus fuit etiam in auxilio temporali, &c. Hæc dicta in genere contra eum, qui omnem potestatem, & jurisdictionem super temporalia à Regibus primis concessam, Ecclesiasticis personis auferre moliebatur.

QUod verò spectat ad 66. Articulos usurpationum, & abusuum, de quibus accusabantur Judices Ecclesiastici, eos in tres partes divisit. Quidam enim tangebant jura perpetua Ecclesiæ, & quæ pertinebant ad Ecclesiam de jure, & consuetudine, quæ erant parati defendere, sicut B. Thomas Cantuariensis, cujus Festum erat eo die, jura Ecclesiæ defenderat. Secunda pars continebat errores, & abusus, qui si veri essent, eos nolebant defendere, imò providere, ne talia fierent, & corrigere, si talia facta fuissent. Tertia pars continebat quædam injusta. Quantum ad justa; Respondit, ut de contentis in prima parte; quantum ad injusta, ut de contentis in secunda parte. Deinde sigillatim respondit ad 66. articulos eo ordine, quo propositi fuerant. Hos defendendo, ut justos, alios negando, ut falsò imputatos, & nihilominus, si veri reperirentur, emendationis curam adhibendam pollicendo.

His responsionibus factis, ex parte Domini Regis petitum fuit, ut illæ, prout prolatæ fuerant, verbo tenus scriptis mandarentur, & traderentur. Super quibus Prælati, matura deliberatione adhibita, censuerunt, loco prædictarum responsionum Regi tradendum esse hunc libellum supplicem.

SUpplicant Regiæ Majestati Prælati præsentes (tamen se alicui judicio minimè submittendo) quod placeat ei jura, libertates, privilegia Canonica, consuetudines, & saisinas, quæ, & quas Ecclesiæ Gallicanæ habent, & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere, & servare, specialiter super cognitione actionum personalium, realium, & mixtarum, necnon & interdictorum, maximè inter laicos. Item, super cognitione Clericorum, quando per laicos fit eis petitio, aut quando Clerici super violentia in bonis illorum illata per laicos conqueruntur. Item, super cognitione contractuum initorum coram Judice sæculari. Item, quod non impediantur, quin eorum Notarii contractus recipere valeant in quacumque parte suarum Diœcesum. Item, quod non impediantur super inventariis faciendis de bonis Defunctorum, quorum de jure, vel consuetudine, vel compositione, executores existunt. Item, quod non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de jure, vel consuetudine. Item, quod non impediantur super cognitione viduarum, & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantum ad eos pertinet de consuetudine, vel de jure. Item, quod non impediantur in quacumque parte Diœcesis suæ, quin possint habere suos Officiales, & suos Clericos capere, & ab ipsis Clericis, necnon laicis emendas pecuniarias exigere debitas consuetudine, vel de jure. Item, quod non impediantur super cognitione rerum furatarum à personis Ecclesiasticis. Item, quod tàm super cognitione Clericorum non conjugatorum, & conjugatorum, eorum jura, & consuetudines observentur, & confirmentur eisdem: quia vobis manifestè ostenderunt, quod hæc fieri debent de jure divino, & humano. Item significant Regiæ majestati, quod super abusibus, quos aliqui conquerentes imponunt Officialibus, & gentibus suis, dicendo, quod ipsi abutuntur, eis imponendo crimina, ut redimant, & emendas, ac expensas ab innocentibus exigendo, proferendoque sententias excommunicationis, una sola citatione non peremptoria præcedente: ac super eo, quod propositum fuerit contra ipsos Prælatos, quod ipsi tonsuram conferebant indignis. Et dicti eorum Officiales imponunt malitiosè laicis pro extorsione pecuniarum inde ab eis exigendarum, quod ipsi sunt circa fidem suspecti, quodque Clericos super maleficiis accusatos, ac eis redditos per judicem sæcularem dimittant impunitos. Item, quod labores, & expensas multis irrationabiliter conferunt, prætextu participationum cum excommunicatis. Item, quod laicis malitiosè usuras imponunt, ut redimant se, & conjugatis tàm viris, quàm mulieribus, quod adulteria commiserunt. Item super abusibus, quos facere dicuntur procuratores eorum, & super abusibus, quos Religiosi faciunt in multis civitatibus. Item super injuriis, & gravaminibus, quæ aliqui, ut dicitur, faciunt ratione privilegiorum eis indultorum. Item super eo, quod dicitur, quod litigantes in curia Ecclesiastica contra Officium non reperiunt advocatos: necnon super omnibus aliis, in quibus eorum Officiales invenirentur negligentes abusi fuisse, vel convicti, tàm in prædictis, quàm aliis, quæ si scirent, non permitterent ullo modo ipsi, & sunt parati corrigere, & facere corrigi, & emendari, pro futuris temporibus, tàm per statuta Synodalia, & provincialia, quàm per alia, quæ poterunt bona remedia salubriter providere. *Submissio Ecclesiasticorum.* Super aliis verò articulis supplicant dicti Prælati, quatenus jura Ecclesiæ, sive de jure, aut per privilegium, seu compositionem, vel consuetudinem acquisita, placeat Domino Regi servare, ac defendere, ac etiam confirmare: ubi autem in dictis capitulis essent aliqua contra jus, privilegium, consuetudinem, vel compositionem, ipsi Prælati nollent ea aliqualiter sustinere, supplicantes eidem Domino Regi, ut pro Dei honore, in statu, in quo sui boni prædecessores tenuerunt Ecclesiam, ipse eam teneat, ac defendat, nec ei faciat aliquam novitatem. Et placeat ei proclamationes, & inhibitiones factas (scilicet, quod nullus laicus trahat alium laicum coram Judice Ecclesiastico) revocare, quia hoc esset contra omnia Ecclesiarum jura, & licèt in aliquibus locis pro toleranda eorum malitia, in talibus proclamationibus, seu inhibitionibus, verba, quæ sequuntur, apponant: videlicet, *quod laicus non trahat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad judices sæculares*, hoc est propter jura Ecclesiæ usurpan-

parda: quia multa pertinent ad forum laicorum: hæc nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum, & sic vis, & consuetudo tolleretur, per quæ in laici electione est, quod possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire. Item, quia tales proclamationes, seu inhibitiones factæ, licèt etiam essent benè generales, dant occasionem omnimodo jurisdictionem Ecclesiasticam perturbandi. Unde Reges Franciæ quondam semper prohibuerunt tales proclamationes, seu inhibitiones fieri, & factas penitus faciebant revocari, & ad nihilum reduci.

Petrus de Cugneriis. POst hæc, die Veneris sequenti apud Vicennas venerunt Prælati coram Domino Rege ad audiendum responsionem suam: ubi Dominus Petrus, dictus de Cugneriis, proposuit pro Domino Rege, sic dicendo, *Pax vobis, ego sum, nolite timere*, & prosecutus est, qualiter Prælati non essent turbati de aliquibus, quæ essent dicta, quia intentio Domini Regis erat servare jura Ecclesiæ, & Prælatorum, quæ habebant tàm de jure, quàm de bona consuetudine, & rationabili, & interseruit inter primam, & ultimam conclusiones, & probare voluit, quod causarum civilium cognitio non poterat ad Ecclesiam pertinere, quia temporalia debent pertinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales, & ultra propositiones alias, quas proposuit, allegavit 86. distinct. cap. Cùm ad verum. Allegavit etiam, quod propter hoc Clericis radebantur capita in signum, quod temporalia abjicerent, &c. his tamen allegatis dixit, & conclusit, quod Dominus Rex paratus erat audire informationem eorum, qui vellent eum super aliquibus consuetudinibus informare, & illas consuetudines, de quibus esset informatus, quando essent bonæ, & rationales, facere observari.

QUæ responsio cùm prælatis non satisfaceret, Episcopus Eduensis plurimum laudata generali Regis responsione, dixit ad Mag. Petrum de Cugneriis: *Dixit mater ad filium: Fili, cur fecisti nobis sic?* & prosecutus est cum admiratione loquendo, & curialiter conquerendo de responsione ab eo facta, quæ Prælatis videbatur obscura. Responditque ad caput, *cùm ad verum*, jurisdictionem temporalem, & spiritualem esse posse in eodem subjecto, licèt essent sub eodem genere, ut homo, & asinus; quia Justitia, & Temperantia, quamvis duæ sint diversæ virtutes, & sub eodem genere, sunt tamen in eodem subjecto. Quod spectat verò ad rasuram capitis, dixit ibi duo esse, coronam, & rasuram, illam designare excellentiam, & dominium, hanc verò designare, quod sacerdotes non debeant thesaurizare in terra, cor applicando ad divitias, sed quod temporalia debeant ipsis subjici, non ipsi temporalibus, &c. Conclusitque supplicans Regi, ut benigniore responso Prælatos consolaretur, ne contristati recederent ab ejus præsentia: & ne daretur laicis occasio jura, & consuetudines Ecclesiæ impugnandi. Responsumque fuit ex parte regis, non esse voluntatis suæ consuetudines Ecclesiæ, de quibus sibi constaret, impugnare.

POstmodum die dominica sequenti convenerunt Prælati apud Vicennas, ubi Dominus Bituricensis dixit Prælatis nomine Regis, eum asseruisse, se eos defensurum in suis juribus, & consuetudinibus, nec se passurum regni sui tempore, ut aliis daretur exemplum, Ecclesiam impugnandi. Quare idem Bituricensis, nomine Prælatorum, Regi gratias egit, supplicavitque, ut quasdam sanctiones in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ factas revocaret. Responditque Rex ore proprio, non esse factas suo mandato; quodque nec aliquid sciebat, nec eas ratas habebat. Cùmque insisteret apud regem, ut Prælatos consolaretur de benigna sua responsione clariori. Respondens pro D. Rege D. Petrus de Cugneriis, dixit, quod placeret regi, si Prælati emendarent ea, quæ essent emendanda, & corrigenda, expectaturumque usque ad Festum Nativitatis Domini proximè venturum, infra quem terminum nihil innovaret. Si verò intra hunc terminum nihil emendassent, regem tale remedium adhibiturum, quod esset gratum Deo, & populo. Et sic Prælati receperunt licentiam à Domino rege, & recesserunt.

EXplicit quidam libellus de jurisdictione Ecclesiastica factus per Dominum Petrum Bertrandi, & in Concilio, *convenientibus Prælatis regni Franciæ, verbo tenus in Gallico per ipsum deputatum ex parte ipsorum Prælatorum, recitatus, impressus, &c.*

Nota. Per hæc ultima verba satis patet authorem narrationis actorum in hujusmodi Episcoporum conventu fuisse Petrum Bertrandi Episcopum Eduensem, qui postea galero Cardinalitio donatus est, ejusque memoria fuit in benedictione, & honore, quod præclarè jura Ecclesiæ propugnaverit: quamvis tamen Spondanus ad prædictum annum advertat primam orationem non ab eo habitam fuisse, sed à Petro Rogerii electo Senonensi, qui postea pro amplissima mercede summum Pontificatus apicem obtinuit: ita ut ambo illa Ecclesiæ propugnacula mercede sua etiam in præsenti vita non caruerint. Cùm è contra Petrus de Cugneriis tàm in nomine, quàm in simulacro posterioribus sæculis ridiculus fuerit. Manifestum est etiam ex iisdem verbis conventum illum Episcoporum Galliæ, jure merito inter Concilia recenseri, cùm eo nomine donatus sit à præfato Eduensi Episcopo, si tamen ultima illa verba, *explicit quidam libellus, &c.* ejus sint, & non alterius, qui hoc nomine hunc conventum donandum esse censuerit.

Cæterum hæc acta, ex quibus carptim ista desumpsimus, nonnullis omissis, quæ erant diffusius narrata, mutatisque quibusdam verbis parùm Latinis, sed retento semper eodem sensu, reperiuntur in Bibliothec. Patr. editionis Parisiensis tom. 5. necnon etiam in libro, cui præfigitur titulus, *status Romani imperii*, &c. Amstelodami edito ann. 1631. in quo tamen ante ista verba *explicit, &c.* leguntur hæ lineæ. *Sic re aliquamdiu ultro, citroque agitata, cùm Episcopi, & Prælati se suo solito more reformarent, ita nempe, ut specie, ac verbis injuriarum quamdam alleviationem simularent, re autem ipsa eas potius augerent, & aggravarent, quàm diminuerent: demum Rex severam quamdam legem fert, qua talem Prælatorum audaciam, & tyrannidem cohibet, seque, ac suos in libertatem asserit.* Quæ verba, cùm non reperiantur in citata Bibliotheca Patrum, non dubitamus ab hæreticis in odium Cleri assuta fuisse. Adeò periculosum est uti libris Catholicis in partibus hæreticorum prælo commissis.

CONCILIUM AVENIONENSE,

Per R. P. Arelatensem, Ebredunensem, & Aquensem Archiepiscopos cum suffraganeis in Monasterio S. Ruffi Ordinis S. August. anno 1337.

PRæludium hujus Concilii habet inter cætera. In nomine Domini. Amen. Antiqui Patres sanctitatis gratia prædìti . . , curam Pastoralis solicitudinis solicitè exercentes, sua sæpius Concilia celebrarunt, in quibus per justitiæ regulam suis consuluerunt temporibus . . . Ideò nos permissione divina Gasbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, Armandus Aquensis Archiepiscopi, prædictorum patrum antiquorum vestigiis inhærentes, ac subditorum nostrorum saluti, quantum nobis ex alto permittitur, prospicere cupientes de infrascriptorum Episcoporum suffraganeorum nostrorum præsentium, ac procuratorum nostrarum Provinciarum absen-

ſentium conſilio, & aſſenſu, videlicet Gasbertus Arelatenſis, cum venerabilibus in Chriſto patribus Dominis eadem gratia Petro Auraycenſi, &c. ad honorem omnipotentis Dei, & præcelſæ glorioſæ Virginis Matris ſuæ, totius cœleſtis curiæ beatorum, ac morum reformationem, delictorum, & exceſſuum correctionem, & animarum noſtrarum, & ſubditorum noſtrorum utilitatem, & ſtatum Eccleſiaſticum ſalubrius conſervandum, hoc ſacro approbante Concilio, ad infraſcripta ſtatuta edenda, ſeu eorum aliqua ordinanda, reformanda, & declaranda proceſſimus, ut inferius continetur. Proteſtati tamen fuimus ante omnia, quod per infraſcripta ſtatuta, ſeu eorum aliqua ſtatutis Provincialibus, vel Synodalibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum olim rationabiliter edita in noſtris Provinciis derogare non intendimus, niſi & in quantum dictis noſtris ſtatutis infraſcriptis reperirentur per contrarietatem, vel aliàs obviare. Sequuntur 73. Canones, quorum tituli ſunt.

1. De Miſſa Beatæ Mariæ ſemel in hebdomada celebranda.

2. De indulgentia aſſociantibus corpus Chriſti, dum ad infirmos portatur, conceſſa. Conceduntur indulgentiæ decem dierum, &, ſi fiat cum luminaribus, 30. dierum, dum tamen verè pœnitentes, & confeſſi fuerint.

3. De indulgentia conceſſa devotè intercedentibus apud Deum pro Domino Papa, & ejus regimine proſperando. Quilibet namque noſtrum Archiepiſcoporum per ſuam civitatem, & quilibet noſtrum Epiſcoporum per totam ſuam civitatem, & Diœceſim de injunctis talibus pœnitentiis 40. dies miſericorditer relaxamus.

4. De indulgentia conceſſa fidelibus, audito nomine Jeſu Chriſti, inclinantibus ſe devotè. Datur 10. dierum toties quoties.

5. De claudendis fontibus baptiſmalibus, ne quis in eis ſordidum tradere poſſit.

6. De Sacramento Euchariſtiæ in tempore Paſchali à Parochialibus ſolummodò Presbyteris miniſtrando. Vetat hic canon dari licentiam recipiendi ab aliis, niſi ex cauſa infirmitatis, nec etiam alicui miniſtrandi, ſeu conferendi extra Eccleſias ſuas Parochiales in feſto Paſchæ, nec in octo diebus immediatè præcedentibus, & conſequentibus. Si qui autem curati, ait canon, hujus ſtatuti fuerint tranſgreſſores, auctoritate præſentis Concilii excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto.

7. Ut beneficiati, aut in ſacris ordinibus conſtituti, in diebus Sabbati à carnibus habeant abſtinere.

8. Qualiter Prælati poſſint benedicere in Diœceſi aliena. Id permittit canon in abſentia proprii Epiſcopi loci, per quem tranſit quilibet Epiſcopus, etiam in civitatibus Archiepiſcoporum, poſſint etiam Epiſcopalem indulgentiam concedere, ac veſtes, & altarium ornamenta benedicere, &c.

9. De ſententia excommunicationis ab ordinario, exigente rebellione, & inobedientia, per prælatos alios publicanda.

10. Qualiter contra illos, qui excommunicationis ſententiam contemnentes, exemplo pernicioſa peragunt, procedatur. Vetat, ne projiciantur lapides in domum excommunicatione innodati, & alia jure non expreſſa, quæ ſolebant tunc fieri.

11. Ut cenſura Eccleſiaſtica ſic exigente contumacia exerceatur, quod nullus ultra juris tramites abutatur. Quidam excommunicati excommunicatores ſuos, aut denuntiatores excommunicabant, accenſos palearum faſciculos, aut candelas de cepo, vel titiones ardentes in patellis, aut ſartaginibus extinguendo per deriſum. Canon ſubjicit locum interdicto, donec fiat competens ſatisfactio, ſi fiat Domino loci ſciente, vel mandante, aut ratum habente, aut cùm requiſitus fuerit, vel ejus locum tenens negligente corrigere. Addit, quod adjuvantium, aut id mandantium poſteri uſque ad ſecundam generationem in clerum non admittantur, niſi prius per Metropolitanum cum uno ſuffraganeo fuerit ſuper hoc miſericorditer diſpenſatum. Si verò ſit Clericus beneficiatus, ultra pœnam laico inflictam, beneficio, ſi quod in provinciis noſtris obtinet, ſit ipſo facto privatus, non beneficiatus, ſit ad obtinendum beneficium tunc inhabilis, & indignus.

12. Ne Eccleſiaſticæ perſonæ titulum juriſdictionis quàm pacificè poſſederint, Curiæ ſæculari oſtendere teneantur.

13. Ut perſona Eccleſiaſtica per nullum judicem temporalem in criminalibus, vel perſonalibus diſtringatur . . . excipit cauſas feudales in caſibus à jure expreſſis.

14. Ut Clericus contra Clericum ante judicem ſæcularem, vel alium laicum pro facienda juſtitia, vel inferenda violentia non recurrat.

15. Proviſio contra illos, qui bona, & jura Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum ſubtrahunt, diminuunt, diſſipant, & invadunt.

16. Proviſio contra illos, qui bona Eccleſiaſtica invaſerint, vel quomodolibet occupaverint.

17. Ut qui res Eccleſiaſticas qualitercumque tenent, alienationem non faciant earum, ſub certa pœna, ſine licentia illius, ad quem pertinent, ſpeciali.

18. Ne quis in loco ſuo retineat bona Eccleſiarum alibi indebitè ablata.

19. Ut ſæcularis poteſtas Clericum per ipſam captum citò judici ſuo reſtituat, nihil exigens ab eodem.

20. Ut deferentibus literas pro juriſdictione Eccleſiaſtica, nulla injuria, vel violentia inferatur.

21. Prorogatio juriſdictionis in invaſores, & occupatores Eccleſiaſticorum bonorum, & jurium exercenda.

22. Ut excommunicati ad nullum publicum officium admittantur.

23. Ut nullus, ſine ſuperioris licentia, alicui quomodolibet miniſtret toxicum, vel alia venenoſa.

24. De pœnis toxicum, vel herbas mortiferas in mortem alterius miniſtrantium.

25. Qualiter contra exemptos, & privilegiatos in diverſis abutentes ſuis privilegiis procedatur.

26. Ut Presbyteri curati in teſtamentis Parochianorum interſint, & per Epiſcopum diſtribuantur reſtitutiones incertæ.

27. Quod Epiſcopi in diſtributione Legatorum vocentur, prout eſt de conſuetudine, vel jure.

28. Ut nullus confeſſor ſine Diœceſani licentia quemquam præſumat abſolvere in caſibus infraſcriptis, caſus verò hi ſunt, in excommunicato à Canone, &c.

29. Ut nulla perſona Eccleſiaſtica, occaſione ceſſionis, vel emptionis fraudulenter factæ, quemquam audeat convenire.

30. De inſtrumentis debitorum ſoluto debito reſtituendis, & ſi apud creditorem remaneant, cancellandis.

31. Ut inſtrumenta debitorum, & mandamenta poſt certum tempus nullam in foro Eccleſiaſtico ad probationem debitorum habeant roboris firmitatem, &c.

Canon 36. eſt de modo probandi electionem ſepulturæ illorum, qui apud religioſos eam elegiſſe dicuntur, ſcilicet, ut fiat ſummariè, & de plano per exhibitionem ordinationis teſtamenti, aut productionis teſtium coram Parochialis Eccleſiæ rectore, vel, illo abſente, aut comparere nolente, coram officiali, vel locum tenente ipſius, hoc probari ſufficiat, ſi funus in civitate fuerit, vel coram perſonis publicis, & honeſtis, ſi hoc extra civitatem fortaſſe contingat. Longum eſſet cætera indicare, cùm aliis Conciliis dandus ſit locus.

Post subscriptiones additur. Actum, & datum in prædicto monasterio sancti Ruffi anno Domini 1337. indictione quinta, die 3. mensis Decembris, Pontificatus S. D. N. Benedicti divina providentia Papæ XII. præsentibus venerabilibus viris, &c.

CONCILIUM VAURENSE,

La Vaur.

Præside Petro Narbonensi Archiepiscopo, tempore Urbani V. & Caroli V. celebratum, Anno 1368.

ASsertor est hujus Concilii Guillielmus du Catel in opere posthumo Tolosæ edito, anno 1633. monumentorum Linguæ Occitanæ. Siquidem libro quinto in Gaufredo Tolosano Episcopo asserit ipsum Lavaurensi Concilio interfuisse, quod didicit tàm ex cartis in Archivio Narbonensi asservatis, quàm ex originali cujusdam Bullæ, quod beneficio Episcopi Lavaurensis inspexit. Hoc Concilium integrum publici juris fecit Stephanus Baluzius inter Concilia Galliæ Narbonensis Parisiis edita *in octavo*, an. 1668. apud Franc. *Muguet*, continetque Canones centum triginta, quibus continentur in officio personæ varii status Ecclesiasticæ, ac sæculares, occurriturque variis abusibus eo tempore pullulantibus in detrimentum pietatis, & perniciem animarum. Longum esset hìc singulos Canones repræsentare, cùm similes passim reperiantur in aliis Conciliis, & in prædicto codice Baluzii reperiri valeant: monebo solùm, quod primus horum Canonum, cujus titulus est de fide Catholica, & ut laici de Articulis fidei, & aliis ad capescendam æternam salutem necessariis cum diligentia informentur, summam doctrinæ Christianæ reducit ad tria capita. 1. Quid sit credendum. 2. Quid diligendum. 3. Quid expectandum: &, quæ ad ea spectant, fusè admodum explicat, ut non sit necesse, inquit Concilium, pro implendo hoc nostro statuto librorum numerositatem evolvere, cui brevitas per nos hìc ex dictis Doctorum, & Sanctorum collata offert, quod quæritur sine labore.

Confessio Presbyterorum.

Canon 80. ut Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur, &, ne propter defectum confessoris eas omitti contingat, indulgemus, quod quilibet Presbyter volens Missam celebrare, licitè possit cuilibet Presbytero idoneo sua confiteri peccata, & absolutionis beneficium recipere ab eodem; cætera omittimus, ut quæ satis communia sunt, & passim reperiuntur in aliis Conciliis, exceptis sequentibus litteris de indulgentiis ab eodem Concilio concessis.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, ac etiam audituris, Petrus Primas sanctæ sedis Apostolicæ provisione Narbonensis, Gaufredus eadem provisione Tolosanensis Archiepiscopus, Philippus Abbas Soricinii Vicarius generalis in spiritualibus Patris Reverendissimi in Christo Domini Arnaldi Archiepiscopi Auxitani, Bernardus Convenarum, Petrus Lodevensis, Robertus Vaurensis, Hugo Biterrensis, Joannes Cadurcensis, Arnaldus Electensis, ... Vasatensis, Guillielmus Lumbariensis, Guillielmus Appamiarum, Otho Lescarensis eadem provisione Episcopi, in civitate de Vauro, de auctoritate Apostolica, & nostra, generale Concilium celebrantes, salutem in eo, qui est omnium vera salus, & veniam delictorum. Quoniam, ut dicit Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout unusquisque gesserit in corpore suo, & in corde, sive bonum fuerit, sive malum, & tàm præsens, & visibilis Ecclesia militans triumphanti cœlesti civitati Jerusalem non immerito comparetur, & locum, ubi sanctissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi conficitur, & servatur, & nostræ reconciliationis ad ipsum instrumenta, scilicet Ecclesiastica sacramenta ministrantur, tàm pro offensis, quàm & culpis populi recurrentis ad supplicandum, diem majestati specialiter deputatum, in quo delictorum venia confidentius impetratur, & inter cætera firmo fundamento, & expletis ædificiis communiri deceat, ut alliciat, reficiat, & informet. Sanè cupientes, quod Ecclesia Cathedralis Vaurensis nuper electa, in qua sacrum generale Concilium, auctoritate Apostolica prædicta, de præsenti celebramus, & in qua Dominus Jesus Christus Salvator, & Redemptor noster ad honorem Beatissimæ Gloriosæ Virginis Mariæ, ac Gloriosorum Sanctorum Beati Elani Pontificis, & Confessoris Patroni dictæ Ecclesiæ Cathedralis, Beati Albini meritis, & plurimorum Sanctorum, Sanctarumque virginum, pro quibus ad Dei, & Sanctorum ejus honorem, & gloriam in dicta Cathedrali Ecclesia sacra altaria sunt constructa, & ędificata, quamplura miracula operatur, & ejus claustrum de novo opere non modicùm sumptuoso reparetur. Potissimè dicta Ecclesia, quæ quotidie à parte fluminis funditur, & subjecta oculis nostris multum indigeat reparatione, libris, vestimentis, & aliis ornamentis divino cultui necessariis, deceatque ipsam Cathedralem Ecclesiam potius, quàm alias rurales majoribus, & solemnioribus decorare, & dignioribus suffragiis sustentare, & necessitatibus ipsius Ecclesiæ spiritualibus remediis subvenire, & saluti animarum, quantum cum Deo possumus, providere, cùm ad dictæ Ecclesiæ, & claustri reparationem, & ornamentum propriæ non suppetant facultates, nisi eleemosynis Christi fidelium eleventur. Nos igitur Archiepiscopi, & Episcopi hujusmodi sacrum generale Concilium in dicta Cathedrali Ecclesia celebrantes, volentes ad tàm pium opus fideles Christi devotius excitare, omnibus, & singulis utriusque sexus vere tàm pœnitentibus, quàm confessis, qui in festivitatibus Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Annunciationis, Nativitatis, Assumptionis, Conceptionis, Purificationis Beatæ, & Gloriosæ Virginis Mariæ, singulorumque Apostolorum, Omnium Sanctorum commemoratione, Joannis Baptistæ, & Euangelistarum, Beati Albini, sanctarumque Catharinæ, Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ Virginum, & Beati Elani, cujus vocabulo ipsa Ecclesia extitit insignita, & in dedicatione ipsius Ecclesiæ, & in vesperis, & per octavas eorumdem, ipsam Ecclesiam devotè visitaverint, ornaverint, adornaverint, & ad ædificandum, reparandum, ornandum ipsam Ecclesiam cum suis eleemosynis, & necessariis, suas manus porrexerint adjutrices, & qui in sanitate sui corporis, seu in extremis laborantes, quidquam suarum prædicto operi, & dictæ Ecclesiæ, & claustro legaverint facultatum, vel donaverint, de omnipotentis Dei gratia, & misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac sanctissimæ Virginis Mariæ Gloriosæ, & omnium Sanctorum, ejus auctoritate confisi, & nostra, & sacri hujusmodi Concilii auctoritate, & potestate nobis attributa, nos omnes singuli, & quilibet nostrum annuat in perpetuo pro qualibet die quadraginta dies de vera indulgentia, & de injunctis sibi pœnitentiis indulgemus, & misericorditer relaxamus. Datum Vauri in hoc sacro generali Concilio, die tertia mensis Junii, Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo.

CONTROVERSIA.

QUandoquidem huic Concilio interfuerint tredecim Episcopi, qui omnes, & singuli dederunt quadraginta dies indulgentiarum iis omnibus, qui de suis facultatibus contulerint ad reparandam, seu ornandam Vaurensem Ecclesiam, consequens videtur, ut indulgentia illa sit quingentorum, & viginti dierum, quia quadraginta dies per ter decies mul-

Indulg. ab Epis da...

multiplicari hunc numerum reddunt. Sed aliunde A res ista non caret difficultate. Existimat siquidem Cardinalis Bellarminus de indulgentiis lib. 1. c. 11. Episcopos etiam simul conjunctos non posse dare indulgentias, nisi unius, vel quadraginta dierum, juxta caput, Ex eo, de Pœnit. Quod idem existimat Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 55. sect. 3. conclusione 3. Hinc ergo concludo, inquit, non posse illo modo dari à pluribus Episcopis alienis plures quadragenas indulgentiæ eidem loco, & respectu eorumdem subditorum alterius Episcopi, etiamsi ipse id ratum habeat. Ratio est, quia nullus Episcopus potest per seipsum concedere uni loco, nisi quadraginta dies indulgentiæ (supple extra diem dedicationis, in quo conceditur indulgentia unius anni) ergo nec per delegatos id potest. Sed omnes illi Episcopi quoad B hoc se gerunt, ut delegati, ut ostensum est; ergo non possunt sic delegari. Solùm probanda est prima consequentia, quæ ex eo manifesta est, quod delegantis, & delegati una, & eadem est jurisdictio, nec potest plus extendi jurisdictio delegati, quàm delegantis, ut constat ex toto titulo *de Officio delegati*. Attamen Paludanus est in contraria sententia, putatque in 4. sentent. dist. 20. quæst. 4. numero 43. etiam plures Episcopos extraneos, de licentia tamen proprii, posse concedere quadraginta dies indulgentiæ, ita ut multiplicentur illi dies 40. pro numero Episcoporum, illasque Episcopus, in cujus loco conceduntur, omnes indulgentias ratas habeat, ejusque subditi illas simul lucrari possint. Ratio est, quia unus Episcopus de licentia alterius potest illius lo- C co dare indulgentiam, & nullus Episcopus prohibitus est dare hanc licentiam multis Episcopis respectu ejusdem loci, & ei, qui de licentia alterius concedunt indulgentias, suo nomine concedunt, sicut sacerdos, qui de licentia alterius absolvit, sua potestate absolvit, non alterius, à quo habet licentiam. Videntur igitur Patres istius Concilii sequuti fuisse hanc posteriorem sententiam, quæ sanè videtur probabilior alia Bellarmini, & Suarez, à quibus lubens quærerem, num si à quatuor hominibus dentur alicui puero ex consensu patris, à singulis scilicet viginti asses, an non puer ille habebit octoginta? cur igitur fidelis non habebit etiam quingentorum, & viginti dierum, si detur à tredecim Episcopis, ab omnibus scilicet, & singulis indulgentia quadraginta dierum? D

At, inquies, non potest plus extendi jurisdictio delegati, quàm delegantis. Esto: sed illi plures Episcopi non sunt propriè delegati, quemadmodum qui daret singulis religiosis vestem, aut aliud quidpiam ex consensu Abbatis, non esset delegatus propterea ipsius Abbatis. Sic etiam Episcopus, ex cujus consensu concedunt indulgentiam, non est propriè delegans, sed magis summus Pontifex, vel ipsemet Christus, in cujus etiam nomine donant, quicquid donant in hac parte, ut de se asserebat D. Paulus. Accedit, quod inutiliter indulgentia 40. dierum à pluribus daretur, siquidem solus Archiepiscopus illam dare potest pro omnibus subditis suæ Provinciæ: at non est verisimile patres illos inutiliter dedisse hanc indulgentiam, E aut pia aliqua fraude alios decipere voluisse: quare non est deneganda alicui Concilio hæc potestas, ut pro majori multitudine Episcoporum inter se consentientium, majorem etiam possit dare indulgentiam alicui loco, cum consensu Episcopi illius loci, aut saltem Archiepiscopi, in cujus Provincia situs est.

CONCILIUM NARBONENSE,

Habitum anno 1374.

HOc Concilium à Baluzio evulgatum continet literas Petri Archiepiscopi Narbonensis ad Arnaldum Episcopum Alectensem suffraganeum suum, quibus eum invitat ad Concilium in Narbonensi Ecclesia celebrandum die 15. mensis Aprilis, anno Domini 1374.

Eodem modo scriptum cæteris Suffraganeis, Capitulis, Archipresbyteris, & Rectoribus, ac Hospitalibus pauperum civitatis, & Diœcesis Narbonensis, & exemptis Provinciæ Narbonensis.

Sequuntur tres Bullæ Gregorii XI. datæ Avenioni. 1. Præcipit Concilium celebrari. 2. Ut venire compellantur exempti ad Concilium Provinciale. 3. Quod etiam exempti Ordinis Cisterciensis compellantur.

Copia literæ clausæ per Dominum nostrum Papam super Concilio Provinciali, quod exempti omnino venire teneantur, & etiam interesse.

Procœmium super constitutionibus. Canones 28.

Canon 18. licentiam dat Presbyteris etiam curam animarum non habenti confiteri, & absolutionem recipere à quolibet Presbytero idoneo, etiam non curato, præterquam de casibus Ordinariis reservatis.

Canon 27. indulgentias concedit orantibus pro Papa, & pro Rege, scilicet 10. dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus. *Confessio Presbyterorum.*

Porrò aliud Concilium ejusdem Provinciæ Biterrense anno 1351. Can. 3. quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxat, quoties id duxerint faciendum. Idem concedit Concilium Avenionense anno 1337. cap. 3. orantibus pro Domino Papa, & ejus regimine prosperando.

CONCILIUM PARISIENSE,

Ad tollendum schisma, tempore schismatis, & Caroli VI. Anno 1398.

DE hoc Concilio ita Genebrard. lib. 4. Chronolog. anno 1394. alii 1398. Concilium Gallicanum omnium Prælatorum Franciæ jussu Caroli sexti habitum Lutetiæ 23. Januarii, in quo Benedictus Antipapa deponitur, qui nihilominus noluit cedere. *Chronic. Franc.*

Hic Benedictus XIII. dictus Petrus de Luna electus fuerat à Cardinalibus Clementis Septimi Antipapæ Anno 1394. cùm prius jurasset cum cæteris Cardinalibus, ut quisquis eorum in Pontificem eligeretur, Papali dignitati lubens cederet, cùm id Cardinales utile, & expediens judicarent ad tollendum schisma, modò tamen Papa Bonifacius Nonus Romæ sedens, eidem dignitati ex sua parte cederet, cùm nec jus, nec ratio pateretur, ut simul essent duo Pontifices: Vixque receptus in Gallia pro legitimo Pontifice, universitate Parisiensi sese opponente, nisi prius media adhiberentur idonea ad incendium schismatis extinguendum, quæ media erant, ut duo Pontifices, Romanus, & Avenionensis de Papatu inter se contendentes, ambo deponerentur, procederetur que ad novam electionem absque ullo favore per pios, probosque Clericos ex omnibus regnis congregatos, ut sic unitas certi, & indubitati capitis Ecclesiæ restitueretur. Cùm id consilium variis ad principes legationibus tentaretur, admissus interim fuit pro Pontifice, ea tamen lege, ut requisitus pro bono pacis, & unionis Ecclesiæ de demissione à Papatu, sese dignitate abdicaret. Quam admissionem, ut obtineret, dum huc, illucque discurrunt nuntii pro tollendo schismate, placandi regis causa, inquit, Gaguinus in Carolo Sexto, decimam illi Ecclesiasticam nullo procurante donavit; quam invito, ac reclamante Clero, Rex exigere cunctatus non est. Sed, cùm ex hac admissione schisma perduraret, hoc anno Concilium celebratum est Lutetiæ, quo deliberatum est, non esse amplius Benedicto XIII. obediendum,

ſed novam electionem alterius Pontificis procurandam eſſe.

Venit idem quoque, inquit idem Gaguinus, Carolo Rhemis agente, Bohemorum Rex: videndi Caroli tantùm causâ, quem liberaliter exceptum, & donis cumulatum Rex habuit. Benedictus verò, cui Franci in Pontificatu favebant: licèt Pontificatui cedere crebris legationibus admoneretur: pertinax tamen contra perſtabat. Quare conventu ſacerdotum, procerumque Pariſiis contracto, à Benedicto ſecedendum eſſe decretum eſt. Neque admittendas poſt hæc gratias, ac beneficia adipiſcenda, quas Romani expectativas dicunt. Eccleſias, quæ rectore carerent, à collatoribus petendas, Electiones confirmandas, & exemptarum Eccleſiarum, ſalva exemptionis libertate. Ea à Benedicto diſceſſione cognita: Cardinales, qui cum illo Avenione erant, ad novam villam, ſex millibus paſſuum ab Avenione diſtantem, ſe contulerunt, ſuo Pontifice deſerto.

CONTROVERSIA.

HÆc nos pluribus retulimus, ut agnoſcamus ſubtractionem primam à Benedicto in Concilio Pariſienſi factam Anno 1398. quo anno Imperator, & Rex Carolus Rhemis de ſubtractione eadem egerant, ut teſtatur Ducennius in Bonifacio nono. Video enim apud hiſtoricos perplures iſta non ſatis eſſe elucidata.

Cæterum variè exagitata eſt illa ſubtractio ab obedientia Benedicti, eamque Nicolaus Clemengius Theologus Pariſienſis, cùm tunc eſſet à ſecretis Benedicto XIII. nomine univerſitatis Toloſanæ per quamdam Epiſtolam ſtilo dentato conſcriptam perſtrinxit uti leoninam, cruentam, fallacem, perfidam, pernicioſiſſimam, rabidam, prævaricatricem, viperinam, monſtruoſam, ſchiſmatis, & hæreſis genitivam, à patre mendacii procuratam, legis divinæ abrogativam, & aliis hujuſmodi notis cenſoriis affecit. Nec in ea regis famæ, nec filiæ ſuæ primogenitæ, univerſitatis ſcilicet Pariſienſis, pepercit. Sed hanc epiſtolam Parlamenti Pariſienſis Curia condemnavit, Pariſiiſque in ipſo Palatio, ac Toloſæ, ac ſuper pontem Avenionenſem publicè, ac fruſtratim lacerari decrevit, ut eſt apud Spondanum Anno 1402. Unde plures eidem Epiſtolæ reſponderunt, ut inter cæteros Gerſon Theologus, ac Cancellarius Pariſienſis, in Trilogo, ex quo carptim aliqua in eorum gratiam, quibus ad manum præſto non ſunt ejus opera, hic tranſcribimus, maximè cùm hæc pertineant ad æquitatem demonſtrandam ſubtractionis, quæ in præſenti Concilio decreta eſt.

Nicolaus de Clemengiis.

Gerſon.

Poſtulat in primis, Rex Chriſtianiſſime, Majeſtatis tuæ licentia, convertit ſe humilis filia tua, reſpondere Tholoſanis quibuſdam per Epiſtolam, tali ſobrietate, qualem te decet audire, & nos loqui, contextam non qualiter meruerunt hi, qui maledictis improbis, qui execrandis exécrationibus, infamare regiam dignitatem cum generali Concilio ſuo conati ſunt, rupto de repente diutino ſilentio, &c.

Ea, fratres, ſuper quibus accuſamur à vobis, ſi talia erant, qualia exaggerando declamat (immo ſatyrica dicacitate mordet) charitativa illa Epiſtola veſtra (niſi canina potius appellanda erat) profectò veſtrum accuſat quadriennale ſilentium, cur enim tunc confeſtim, ut nunc ſero, neque arguiſtis, neque ſtatuiſtis contra faciem noſtram, vos fratres veſtros, qui tàm manifeſta, & ſacrilega impietate veſtris judiciis errabamus, &c.

Sed exitum ſubtractionis, aut (ſicut ſermo veſter loquitur) partum infelicem præſtolabamini, quid ita, quæſumus? numquid ab eventu negotiorum..... actorum Bonitatem...... judicatis? videte, ne fallamini. Quanta ſunt optimo initiata principio, quanta in quibus nihil virtuoſæ, & moralis prudentiæ deficit, quæ tamen ſucceſſu proſpero, vel intento caruerunt? .... noſtrum eſt plantare, noſtrum eſt rigare ſecundum prudentiam à Deo nobis inſitam, hæc verò nihil ſunt, ſed, qui incrementi conſummationem dat, Chriſtus eſt, &c.

At fortè prolixus ſermo Epiſtolæ veſtræ, talem temporis tractum, ut elaboraretur, exigebat, atque interim coacervaretur grandis congeries maledicorum in nos verborum, &c. ſed profectò ſi fuiſſet; iniquitas noſtra, ut talia audire meruiſſet (quod libera voce refellimus) certè tamen veſtra amicitia ex ſimilitudine ſtudiorum nobis obnoxia, veſtraque prudentia, & gravitas, qualis deceret ſtudioſos, digna apparebat, quæ pulchriori, & non illoto, obſcœnoque ſermone uteretur, &c.

Præclarè demum dictum eſt ab Ariſtotele honorem eſſe in honorante: ita proculdubio illiberalis, & contumelioſa vituperatio ſordidat exprobrantem, &c.

Eſtne igitur, fratres, veſtra prudentia tàm oblita ſui, ut arroget ſibi docendi nos Officium, in re præſertim notiſſima, quod obedientia mala, graviterque plectenda? Quis hoc ignorare præſumi poteſt, præſertim apud nos, quorum ſtudium antiquius, ſolemniuſque, tàm numero, quàm merito, & authoritate ſemper extitiſſe nec ipſi negaretis. Nam & inimici noſtri ſunt judices, quod tantum cæteris ſupereminet univerſitas noſtra, quantum inter virgulta cupreſſi, &c.

Obedire ſiquidem oportet Deo magis, quàm hominibus, non hoc inficiabimini. Oportebat ergo (ut Deo jubente) recedere à conſortio vel hæretici, vel ſchiſmatici, vel in his vehementer diffamati, aut in nocumentum Eccleſiæ præſidentis, &c.

Erat idcircò radix hæc difficultatis, & controverſiæ, ad quam evellendam totis eloquentiæ illius veſtræ Tullianæ nervis incumbere debuerat charitas veſtra: quæ radix? probare videlicet Dominum Benedictum non eſſe ſchiſmaticum, non Hæreticum, non adverſantem Eccleſiaſticæ unitati, aut non de his vehementer infamatum, aut eſſe talem, qui non convertit obedientiæ ſuæ honorem in inſtrumentum deſtructionis Eccleſiæ, hoc eſt, quod in contentione verſari, quod unicum confutari conveniebat, non de obedientiæ præconiis, & inobedientiæ ſuppliciis, immo de partialibus maledictis membranam occupare .... iſta quidem eſt rixatio vel fœminea, vel canina, ſeu puerilis dentibus, & unguibus injuriarum cauſam ducere, iſta pugna Goliath à contumelioſo contemptu pugnam inire, &c.

Eſto ſint inter nos aliqui ambitioſi ad beneficia, aliqui leves ad judicia, aliqui odioſi ad Dominum Benedictum, unde tamen conſtat ſubtractionem per tales emerſiſſe? &c.

Noſtram interim conſcientiam ſequimur: nam quantum licet dubitare de Domino Benedicto, an perdiderit jus in papatu, aut quod obedientia ad ipſum peſtifera, tantumdem fas eſt ab ejus obedientia ſecedere: neque enim negabitis, quoniam pro culpa hæreſis, aut ſchiſmatis Papa fieret inferior quolibet Chriſtiano, jura ſunt ad hoc pleniſſima, &c.

Si enim palatium ſuum, ſive civitatem ſuam Papa facibus accenſis pro ſua libidine quæreret concremare, ſi paganos armatos, ſi agrorum depopulationem moliretur, &c. Quis tàm indulgentiſſimus unquam, aut blandus adulator ad Papam fuit, qui negaret his auſibus obviandum eſſe, & ſi hoc in damnis corporalibus tàm liquidum eſt, quid de ſpiritualibus incommodis longè gravioribus relinquetur æſtimandum? &c.

Papa.

Nullas præterea legum interpretationes ſubdolas fictas adducimus, ſolis innitimur regulis juris Divini,

ni, & naturalis .... hæ sunt regulæ, quas summus Ecclesiæ Prælatus, propter Ecclesiæ utilitatem stabilivit. *Quod Papæ, si apostatet à fide, resistendum est in facie, & si non rectè ambulet ad veritatem Euangelii: & quod vim vi licet repellere; quod Deo magis est obediendum, quàm hominibus, quod bonum publicum præferendum est particulari, quod ad publicum ordinatum est.* Istis, inquam, innitimur, non ut falsò criminamini talibus, *quod facienda sunt mala, ut bona eveniant: quod persequendus est Papa verus, ut schismaticis salus detur.* Nondum ita vestri similes sumus, ut ita desipiamus, &c.

Hæc pauca ex pluribus, quæ habet Gerson, sufficiunt tamen, ut agnoscatur, quibus rationibus subtractio decreta est in Concilio Parisiensi.

CONCILIUM SYLVANECTENSE,

Pro tollendo schismate inter Bonifacium IX. & Benedictum XIII. regnante Carolo VII. Anno 1402.

Cum subtractio ab obedientia Benedicti XIII. schisma ab Ecclesia non tolleret, quod erat tàm desperatum, ac radicatum, ut esset quasi cancer ægrescens medendo (ajebat Gerson in propositione postea Massiliæ facta coram Papa Benedicto) & inegressibilis Dædali labyrintus, & caput hydræ fabulosæ sua rescissione fœcundius, itaut periisse videretur consilium à sapientibus: Cum, inquam, malum tàm ingens de visceribus Ecclesiæ non tolleretur, post multa curationum tentata genera, Cardinales Galli cum Patriarcha Alexandrino, aliisque paucis Prælatis Conventum habuere Sylvanecti præsentibus primis regni Galliæ principibus (excepto Aurelianensi Duce fratre Regis, qui Benedicto favebat) in quo deliberatum est de convocando Concilio Generali omnium Prælatorum ejus obedientiæ, qui tunc Lunani vocabantur, ut ab iis cogeretur amplexari media, quæ idonea judicarentur tollendo schismati. Verum cum de his deliberaretur, & de circumstantiis talis Concilii, petiit Benedictus à Conventu, ut primum ei restitueretur obedientia. Quæ res variè exagitata est, tàm propter utilitates, quæ ex Concilio proventuræ sperabantur, quàm propter duritiem, & obstinationem Petri de Luna, qui pluries publicè dixerat se numquam cessurum Pontificatui, etiam si deberet comburi, & cessionem hujusmodi universa Ecclesia conclusisset: se quoque peccaturum mortaliter, si viam cessionis amplecteretur, etiam si adversarius ex sua parte cederet; deinde si nimis urgeretur, se Ecclesiam in tali statu positurum, ut post mortem suam numquam posset reparari. Quæ omnia, & plura alia obstinatissimum ejus animum prodebant: ita ut nihil sperari posset de sedando dissidio per viam pacis. Quapropter nihil est conclusum pro restituenda ei obedientia, quamvis anno sequenti, procurante Regis fratre ei restituta sit, nec invenitur quid conclusum fuerit in hujusmodi Conventu, sed tantùm quod magis approbatum fuerit, ut haberetur Concilium, cujus habendi ratio tot implexa erat difficultatibus, ut modus, & circumstantiæ indeterminatæ remanerent. De his autem difficultatibus tractatum peculiarem edidit Gerson, qui exstat tom. I. operum ejusdem. De hoc Concilio meminit Spondanus ad annum 1402. ex litteris quibusdam Episcopi Anicienfis, quæ exstant in quodam codice Manuscripto Bibliothec. sancti Victoris fol. 305. ubi eas legit.

CONCILIUM GALLICUM,

Pro restituenda obedientia Benedicto XIII. Anno Domini 1403. *celebratum tempore schismatis, & Caroli VII.*

Ut subtractio facta fuerat auctoritate Concilii, sic obedientia restituta est Benedicto XIII. auctoritate cujusdam Concilii, cujus quidem meminit Gerson in quadam Epistola nomine Regis Caroli septimi scripta, qua justificatur ultima subtractio facta ab eodem Benedicto: ubi loquens Rex de prædicto Concilio ita ait: At ubi visus est nobis ad salubriora se convertisse consilia, rursus absque omni culpabilis mutabilitatis nota obedivimus eidem, ita tamen animo nostro gerentes, si & quamdiu hæc obedientia nostra non obstaret Ecclesiasticæ unioni, quemadmodum in Concilio ultimo Ecclesiæ regni nostri meminimus satis datum intelligi: nec enim voluimus unquam scienter (neque fas esse credimus) obedientiam præstare cuiquam mortalium in pacis universalis præjudicium, in schismatis fomitem, in discordiæ instrumentum.

Et sanè obedientia illi restituta est mense Majo anno 1403. auditis duobus ejus Legatis, his inter alias conditionibus, quod scripto declararet se acceptare viam cessionis tribus casibus, videlicet adversario cedente, decedente, vel ejecto, omnes injuriæ occasione subtractionis ultro, citroque factæ remitterentur: Benedictus intra annum convocaret Concilium generale suæ obedientiæ, quo tractaretur de prosecutione unionis, de Ecclesiæ libertatibus, de subsidiis, & oneribus impositis à Pontificibus Ecclesiæ Gallicanæ, & quicquid ab eo statutum esset, observaretur à Benedicto.

Notat tamen Spondanus post harum conditionum narrationem, breve fuisse obsequium Benedicto præstitum, quod nollet confirmare electiones, collationesque tempore subtractionis factas. Discimus autem ex Epistola præcitata factam fuisse in die Ascensionis anno 1407. Rex siquidem declarat se cum Ecclesia regni sui, & Delphinatus neutralitatem amplexurum tali die, nisi pax advenerit, & data Epistolæ est diei 12. Januarii 1407. nam dum neutri populus obediret, inquit, neuter amplius de primatu, vel frustra contendit, neque audietur ultra illa vox crudelissimæ fœminæ? *nec mihi, nec tibi, sed dividatur*, sed illa piæ matris, *date illi infantem vivum, &c.* Quod accidit Martino Tertio, cui in Concilio Constantiensi data est Ecclesia integra, quam tempore schismatis Pontifices Romanus, & Avenionensis divisam, & per partes tantum possidebant, &c.

CONCILIUM AURELIANENSE,

Sub Archiepiscopo Senonensi, tempore Joannis XXII. & Caroli VII. propter excommunicationem latam contra Ducem Aurelianensem, & alios principes, Anno Domini 1411.

De hoc Conventu Nicolaus Ægydius in Carolo sexto hæc habet. Contra duces Carolum Aurelianensem, Joannem Bituricensem, Joannem Borbonium, Joannem Alenconium, & alios nobiles eis adhærentes, procuravit Dux Burgundiæ ferri sententiam excommunicationis, quæ per omnes urbes sibi subditas, & socias, publicata est, cum sonitu campanarum, ac extinctione candelarum, quod diceret eos fœdifragos, ac fidei mentitos fuisse, quam polliciti fuerant in pacto reconciliationis, quam invicem inierant, quæ sententia, cùm missa esset per caduceatorem ad Episcopum Aurelianensem, caduceator

captus

captus est, & ductus ad ducem Aurelianensem, quo A mandante, advenit Archiepiscopus Senonensis Aureliam, qui convocavit Episcopos Aurelianensem, Carnotensem, & plures Prælatos, Ecclesiasticos, Doctores, Clericosque illustres, à quibus materia hæc ventilata, & discussa est. Judicatumque prædictam excommunicationis sententiam directè in Burgundum, ac ejus fautores latam fuisse, non in alios. Quapropter erecto Theatro, in quo positus est prædictus Caduceator Burgundus, atque adhærentes ei denuntiati sunt excommunicati in præfata urbe Aurelianensi, præmissa concione, ac processione generali cum sonitu omnium urbis campanarum, ac extinctione candelarum, præsentibus omnium Episcopis in Pontificalibus. Deinde sententia sigillata fuit, & caduceatori tradita, ut eam secum referat, injunctumque omnibus Ecclesiis prædictorum B ducum, ac nobilium dominio subditis, ut proclametur publicè.

NOTA. Nihil notius historiæ Gallicæ peritis, quàm cædes Ludovici ducis Aurelianensis, conscio Joanne Burgundiæ duce invidiæ stimulis in Aurelianensem agitato, ut brevi detectum est, & ipsemet Burgundus confessus est. Quæ fuit origo multorum bellorum, ac calamitatum inter potentissimas horum principum familias, rege Carolo sexto amentia interim laborante. Multa autem egit Burgundus, ut parricidium obrueret: namque & armato milite se protexit, & Joanne parvo Franciscano diserto sui temporis oratore, usus est, qui parricidium, inquit Papyrius, ineptè, atque impiè defendit, quod Papinius non fecisset, qui occidi, quàm id scelus laudare, maluit. Hic siquidem novem propositionibus in libro insignito *justificatio ducis Burgundi* cædem illam licitè factam fuisse astruebat, quas omnes ex mandato Episcopi Parisiensis examinavit, & C reprobavit Theologiæ facultas Parisiensis, præhabitis deliberationibus plurimis, quæ duraverunt per tres menses cum tanta frequentia Doctorum, ac licentiatorum, ut asserat Gerson non plures fuisse in Concilio Constantiensi, in quo ea de re sermonem habuit. Probavitque has assertiones doctrinaliter, & judicialiter per doctores, & Episcopum Parisiensem condemnari potuisse, cum spectet ad Prælatos etiam inferiores pascere gregem pabulo doctrinæ Joan. 10. *Bonus Pastor, &c.* Matth. ult. *docete omnes gentes.* Esai. 58. *clama, ne cesses, &c.* Sitque æquitatis naturalis, ut pater erudiat filios, sapiens insipientes doceat, videnſque ducat cæcos, &c. Et quamvis aliqui assererent suscitatas iri divisiones, si hæc materia discuteretur, visum est potius D illos dici debere seditiosos, & scandalosos, qui doctrinas scandalosas seminant, non qui jam pestiferè seminatas, & nimis, proh dolor! adultas eradicare contendunt, scientes, quod à speculatore sciente pereuntium sanguis exquiritur. Qualis enim crudelior impietas, quàm errantibus in via morum nolle tramitem veritatis ostendere, viamque homicidiis, ac principum parricidiis apertam nolle obstruere? Quare non satis se tutum intelligens Burgundus protectione, & doctrina erronea, scandalosa, ac seditiosa istius Theologi, quam etiam Concilium Constantiense condemnavit, veniam à rege infirmo armatus, nec non fraudulenter obtinuit, filiis Aurelianensis merito, & frustra expostulantibus. Insuper aliquoties convenerunt Carnuti, & alibi, ut discordiæ extinguerentur, invicem E pollicentes se odium omne depositūros interposita jurisjurandi religione, sed cum subinde vivaces iras ageret animus, ut nullum non moverent lapidem, etiam armis spiritualibus, Burgundus, & filii Aurelianensis inter se decertarunt, undè procreata huic Concilio materia.

Joannes petit.

Censura pravæ doctrinæ.

CONCILIUM SENONENSE,

Parisiis habitum apud Bernarditas tempore Martini V. & Caroli VII. Anno Domini 1428. *à D. Joanne De Nantone Senonensi Archiepiscopo.*

IN nomine Domini Amen. Universis præsentes litteras inspecturis: Joannes miseratione divina Senonensis Archiepiscopus, totiusque Galliæ, & Germaniæ Primas, salutem in Domino sempiternam. Pastoralis cura sollicitudinis animum nostrum vehementer pulsat, & inducit, ut ad ea, quæ honorem Dei, & Ecclesiæ suæ, animarumque salutem conspicere dignoscuntur, nostræ considerationis oculos diligentiùs infigamus. Cum igitur quibusdam canonicis sanctionibus cautum existat, quod omnes, & singuli Christianitatis Archiepiscopi de triennio in triennium sua Provincialia Concilia sub certis pœnis, Canonico tamen cessante impedimento, celebrare teneantur, in quibus de criminibus corrigendis, ac moribus in clero, & populo reformandis, diligenter tractari oporteat: fuerintque talia Concilia à multis retroactis temporibus quodam desidioso neglectu prætermissa, qua ex re multa, & varia delicta incorrecta remanserant, & plurimùm in magnum animarum periculum invaluerant, ac de die in diem invalescunt, propter quæ verisimiliter præsumitur iram Domini super nos, & super gregem nobis ab eo creditum in eorumdem pœnam, & vindictam delictorum, descendisse. Quapropter nos cupientes circa prædicta, quantum nobis adest possibilitas, de opportuno remedio providere, hujus nostræ Senonensis Provinciæ Concilium Parisiis convocavimus, & convocari fecimus ad diem Martis post Dominicam, qua cantatur in Ecclesia Dei: Oculi mei, quæ fuit prima mensis Martii anni Domini M. CCCCXXVIII. more Gallicano, * cum continuatione dierum usque ad hanc præsentis definitionis diem. Quod quidem Provinciale Concilium tenuimus, ac solemniter, ut moris est, celebravimus unà cum venerabilibus suffraganeis nostris; videlicet I. *a* Carnotensi, I. *b* Parisiensi, I. *c* Meldensi, & I. *d* Trecensi Episcopis, ac Vicariis, & procuratoribus venerabilium fratrum, & suffraganeorum nostrorum Autissiodorensis, & Nivernensis Episcoporum, Aurelianensi Episcopo tàm de veniendo, quàm de mittendo ejus nomine sufficienter habito pro excusato: nonnullis quoque Abbatibus, Prioribus conventualibus, ac aliis viris Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm regularibus, exemptis, & non exemptis; aliis etiam viris litteratis diversarum professionum de suppositis venerabilis Universitatis Parisiensis in magno, & notabili numero, tàm pro seipsis, quàm aliorum convocatorum absentium nominibus procuratoriis, personaliter comparentibus, confidentibus, & convenientibus: Nonnullis etiam licet convocatis; minimè tamen comparentibus, nec pro se mittentibus. In quo Concilio cum Dei timore tractavimus de vita, statu, ac moribus nostris, ac subditorum nostrorum tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium in melius reformandis, Pro quorum reformatione, & emendatione, quamquam circa idipsum sanctorum Patrum decreta, ac Canonicæ constitutiones benè, & laudabiliter providerunt. Quia tamen hactenus quædam ex eis nimium fuerunt neglectæ; præcipuè quoad ea, quæ ad Ecclesiasticum servitium, & hominum mores respiciunt; Nos in dicto Concilio antiqua statuta, Canonicasque sanctiones à bonæ memoriæ nostris prædecessoribus Senonensibus Archiepiscopis in suis Provincialibus Conciliis hactenus, retroactisque temporibus sæpissimè celebratis, factas, & approbatas, ac in dictis Conciliis publicatas, in eodem præsenti Concilio perlegi faciendo, fuisse, fore, & esse inviolabiliter obser-

** I. I[...] secund[...] supput[...] nem R[...] nam, vulgò ceptam[...] a Joa[...] de T[...] gniuco[...] b Jac[...] du Ch[...] lier. c Joa[...] de Br[...] d Joa[...] l'Esgu[...] Nota unive[...] te P[...] siensi[...]*

observandas, eodem approbante Concilio volumus, statuimus, & ordinamus: Volumusque, statuimus, & ordinamus, ipsasque, prout, & inquantum opus est, innovamus, & insuper quædam statuta nova edidimus, quibus specialiter circa illa providetur, quæ ad perpetuam rei memoriam in his scriptis sub nostris, & supradictorum suffraganeorum nostrorum sigillis redigi fecimus in modum sequentem.

Et primo sequuntur statuta circa reformationem servitii divini edita, quorum primum est tale.

GLoriosissimi Ecclesiæ Doctores, ac plurimi ex sanctis antiquis Patribus, servitium Ecclesiasticum ad laudem, & gloriam Dei creatoris nostri, & ejus benedicti Filii JESU CHRISTI Domini nostri, sanctè, & laudabiliter instituerunt, & ordinaverunt; Quod quidem servitium tanto sanctiùs, & reverentiùs fieri oportet, quanto illi, ad cujus fit laudem, & honorem, sanctior, atque gloriosior existit. Sanè prout quibusdam referentibus, & per experientiam didicimus, plures Ecclesiarum ministri non attendentes majestatem, & dignitatem illius, ad cujus sunt deputati famulatum, in suis officiis Ecclesiasticis minus devotè, & irreverenter se habent, quod in plurimorum scandalum, ac exemplum perniciosum cedere dignoscitur. Quapropter nos attendentes, quod licèt summo Deo creatori nostro dignè servire non possumus; tamen, quantum humana sinit fragilitas, eidem debemus cum devotione, & sanctitate præstare famulatum: Omnibus tàm Cathedralium quàm collegiatarum, ac cæterarum quarumcumque Ecclesiarum Clericis, & ministris præcipimus sub pœna privationis suarum distributionum, vel alia arbitrio superiorum infligenda, quatenus à modo divinum servitium in suis Ecclesiis tractim, atque devotè, & horis congruentibus dicant, & decantent, & in psalmorum decantatione pausas faciant in medio versuum, prout convenit: nec pars chori psallitura alium versum incipiat, antequam ab alia parte sit omninò alius versus finitus. Capitula autem supradictarum Ecclesiarum, vel eos, ad quos de jure, vel consuetudine spectat divinum servitium ordinare in Domino exhortamur, quatenus prædictum statutum, & alia sequentia, quæ divinum servitium concernunt, faciant cum solita diligentia à suis Clericis irrefragabiliter observari.

CAveant etiam supradicti Clerici à locutionibus, derisionibus, & garrulationibus, quas in Ecclesiis plures ex eis facere consueverant; Quod si moniti abstinere minimè voluerint, unius diei sint eo ipso distributione privati. Prohibemus insuper sub pœna privationis fructuum beneficiorum suorum per unum mensem, ne de cætero supradicti Clerici facere præsumant derisorios, & inhonestos ludos, quos in festis sanctorum quidam ex ipsis facere consueverunt, præcipuè autem à supradictis ludis, & aliis quibuscumque irrisibus, choreis, & cantilenis abstineant, cum divinum celebratur officium, cum Deo nostro satis non valeamus deservire, cui nec Angeli famulari sufficiunt, nec ejus magnitudinem valet ambitus cœlorum comprehendere.

LIcèt templa, & Ecclesiæ sint ad preces, & orationes Domino fundendas, ab eodem ordinatæ, sicut Scriptum est: *Domus mea, domus orationis vocabitur*: tamen plures sunt, qui cum ad Ecclesias sub devotionis velamine pergunt, & præcipuè ad suas Cathedrales, quæ præ cęteris divino cultu colere, ac honorare tenentur, in eisdem quamdiu Ecclesiasticum durat servitium, garrulare, ac inhonesta, & profana verba proferre non cessant, quæ omnia sub dissimulatione tenere non possumus, cum illa sint contra honorem, & reverentiam Deo, & Ecclesiæ suæ debitam. Quapropter pręcipimus Episcopis, & aliis, ad quos

A supradictorum correctio pertinere dignoscitur, sic circa tales garrulationes, & oblocutiones provideant, quod in proximo celebrando Concilio non sint de negligentia redarguendi. Hoc autem statutum ad advocatos, & procuratores quoscumque, ac etiam mercatores volumus extendi.

CUm Ecclesiastici viri, & maximè hi, qui in Ecclesia Dei beneficia obtinere dignoscuntur, aliis debeant devotionis, & sanctitatis exemplum præbere, illi merito reprehensione digni sunt, qui licèt vitæ sustentationem ab Ecclesia receperunt; tamen ad divinum servitium peragendum, lenti sunt, frigidi, ac remissi. Sanè ad nostrum devenit auditum, quod aliquibus ex eis, qui Canonicatus obtinent, & præbendas, sufficit ad lucrandum suas distributiones in aliqua trium principalium horarum; scilicet Matutinis, Missa, aut vesperis, introitum, & exitum, vel eorum alterum facere, nulla, vel modica in choro facta residentia, quod in magnum cedit Ecclesiasticorum derisum, atque contemptum: Quapropter nos tales abusus ab Ecclesia Dei, & ejus ministris exulare cupientes, omnia Capitula, tàm Cathedralium, quàm aliarum Ecclesiarum in Domino exhortamur, quatenus circa prædicta sic provideant, etiam per privationem distributionum, quas in illa hora lucrarentur, quod apud Dominum valeant meritum reportare. *Canonici integrè Horis canonicis adsint.*

B

IN aliquibus villis, & civitatibus hujus nostræ Senonensis Provinciæ plures sunt præbendatæ Ecclesiæ, C in quibus omnibus, vel duabus ex ipsis aliqui præbendati existunt, qui inhonestæ cupiditatis rabie moti, quotidie volunt eisdem horis suas distributiones in utrisque Ecclesiis lucrari, ex quo plerumque accidit, quod de una Ecclesia ad aliam cum suis vestimentis Ecclesiasticis per villam discurrunt celeriter, ex quo à popularibus eluduntur, eorumque devotio, & reverentia ad Deum, & Ecclesiam plurimum diminuuntur: Quapropter nos supradictis Ecclesiarum Capitulis injungimus, quatenus sic circa Clericos discursores, & abusus ad honorem Dei curent providere, quod opus non sit aliunde perquirere remedium. *Unitas canonicatus.*

QUia insuper tales, qui, ut præmittitur, plurium Ecclesiarum in eadem civitate, vel villa præbendas obtinent, in festis solemnibus, sive annualiD bus, suas Cathedrales Ecclesias dimittunt, ut plus forsitan in aliis lucrentur; Volumus etiam, quod circa hæc per eosdem Canonicos de opportuno provideatur remedio, attendendo quod suam matricem, vel Cathedralem Ecclesiam plus cæteris debeant honorare.

INsuper hortari, & admoneri jubemus Ecclesiasticos viros per suos superiores, quatenus Ecclesiarum vasa, & ornamenta mundè, & honestè teneant, & præcipuè ea, quibus ad sacrificium altaris opus habent, & quod etiam in locis sacris, vel religiosis choreas, cantilenas, ludos, sive mercata fieri non permittant.

E *Item sequuntur statuta, quæ de moribus, & statutis Prælatorum loquuntur, quorum primum tale est.*

QUoniam juxta Canonum statuta, *Melius est paucos bonos, quàm plures inutiles habere Præsbyteros*: statuimus, & sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per tres menses prohibemus, ne de cætero Episcopi præsumant ad sacrum sacerdotii ordinem promovere, nisi qui sunt bonæ vitæ, conversationis honestæ, sciantque Epistolas, & Euangelia, ac reliquum officium benè, & competenter legere, & intelligere. Ubi autem non valeant iidem Episcopi super dictorum examinandorum examinationi interesse, saltem provideant de probis, & scientificis viris, qui solum

solum Deum habentes præ oculis, sciant, & velint, ac teneantur sub iisdem pœnis eosdem promovendos examinare in moribus, & scientia, & ætate. Volumus etiam ipsum statutum prædictum in aliis sacris ordinibus diligenter observari, juxta Clement. 1. & final. *de ætate, & qualitate ordinand. in clement.* Quia plures simplices ignorant eos, qui sacrum Subdiaconatus ordinem ascendunt, ad votum continentiæ adstringi, propter quod in magnum animarum suarum periculum, & totius cleri opprobrium continentiæ fræna relaxant, hoc præsenti statuto ordinamus, quod, cum aliqui de cætero petent ad prædictum sacrum ordinem promoveri, Episcopi, vel alii, quibus incumbit scrutinium, seu *examinatorium* circa ordinandos, faciant exponere dictis subdiaconiandis, qualiter, ordine subdiaconatus suscepto, erunt ad perpetuum continentiæ votum obligati: & potiùs hortentur tales, quod, si sentiant, vel percipiant se continere non posse, potiùs nubant in Domino, quàm ad ipsum ordinem damnabiliter ascendant. Cum sit ars artium regimen animarum, & ad idipsum juxta Canonicas sanctiones debeant assumi tales personæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate; statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus sub pœnis juris omnibus Episcopis, & aliis quibuscunque Prælatis, Capitulis, vel singularibus personis Ecclesiasticis, quibus de jure, vel consuetudine competit plena dispositio Ecclesiarum Parochialium: vel aliorum beneficiorum Curatorum, quod non præsumant regimen animarum committere cuiquam: vel supradicta curata beneficia conferre, nisi priùs talem examinaverint, præcipuè circa ea, quæ concernunt sacramentorum administrationem, & nisi sint de ejus vita, & moribus competenter informati.

STatuimus etiam, & volumus, quod Episcopi, & alii Prælati insignes de cætero, dum equitabunt per viam, & civitatem, pileos Pontificales, & vel alios secundum suam professionem deferant, prout fuit retroactis, & satis proximis temporibus laudabiliter observatum, sicut adhuc in Curia Romana, & aliis pluribus locis observari dignoscitur. Insuper præcipimus, quòd super vestibus, non tamen de veluto, seu alio panno sericeo figuratè factis, utantur in Ecclesia vestibus lineis, seu rochetis, non nimia brevitate, sive longitudine notandis, aliàs pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ suæ Cathedralis per unum mensem incurrant.

QUia Episcopi sunt vocati in magnam partem sollicitudinis gregis Dominici, & juxta propheticam doctrinam debent agnoscere vultum pecoris, sui, & eidem spiritale pabulum ministrare; quod utique sine prudentium, & scientificorum virorum † .... adimplere non valent, ipsos Episcopos in Domino hortamur, quatenus juxta Canonicas institutiones de cætero habeant unum, vel duos Theologos, aut alios scientificos viros, qui velint, & sciant ipsum Divinum gregem spiritali pabulo reficere, & ea, quæ circa mores, vel divina mandata erunt corrigenda, reformanda, advisare, & *executioni* demandare; si autem forsitan eorum Episcoporum facultates ad id non suppetant, ipsi poterunt de beneficiis ad eorum collationem spectantibus eisdem Theologis, vel aliis sufficientibus viris providere.

† *Fortè cō-filio, aut adjutorio.*

PUblica, ac communi famâ referente, didicimus, quod Curiarum Ecclesiasticarum Officiarii, Advocati, Promotores, Tabelliones, & Notarii, multos in supradictis Curis faciunt abusus, & velut immemores suæ salutis, non formidant à pauperibus, ac simplicibus exquisitis modis pecunias extorquere, illosque in pluribus malitiosis, & damnabi- A libus involutionibus pressum involvere, & illaqueare. Quapropter nos, qui nostrorum subditorum quietem peroptamus, supradictis abusibus de opportuno remedio affectantes providere, omnibus Episcopis hujus Provinciæ Senonensis, & cæteris, qui Jurisdictionem habent Ecclesiasticam, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per tres menses præcipimus, quod circa suas Jurisdictiones sic curent infra proximum festum omnium Sanctorum salubriter providere; faciendo scilicet ad ordinationem suarum curiarum ordinationes, & statuta, etiam pœnalia: vel jam edita sic faciant observari, quod apud Dominum possint meritum reportare, & opus non sit in proximo Concilio Provinciali eorum negligentias corrigere. Provideant etiam circa moderatam taxationem literarum quarumcumque, & salariorum eorumdem Officiariorum, qui quandoque pro suis salariis, & laboribus plus debito non B vererentur exigere. Provideant etiam iidem Prælati, quod non ita facilè feratur sententia excommunicationis, & præcipuè quod pro prima contumacia non feratur.

Item sequuntur statuta Reformationem Abbatum, Abbatissarum, ac aliorum religiosorum concernentia, quorum primum tale est.

FElicis recordationis Benedictus Papa XII. circa spiritualia, temporaliaque commoda, ac omnimodum statutum Religiosorum cupiens providere, inter cætera, quoad observationem regularum sanctorum Benedicti, & Augustini statuit, voluit, & ordinavit, quod omnes Abbates, aut Abbatissæ, Priores, aut C Priorissæ, singulis annis in suis Capitulis generalibus, sive annalibus, quæ scilicet tenentur singulis annis, cum religiosis, Prioribus, ac quibuscumque membris sibi subditis celebrare, statum eorumdem Monasteriorum, vel Prioratuum, quibus præesse dignoscuntur, quoad receptas, missas, atque debita, & credita eorum, astantibus insinuent, & declarent: quodque omnes, & singuli eorumdem monasteriorum Officiarii de suis administrationibus; saltem ter in anno computum reddant, sive rationem, ut singuli religiosi per hoc scire valeant, saltem in grosso, suorum statum monasteriorum. Nos igitur ejusdem vestigiis inhærentes, omnes Abbates, Abbatissas, cæterosque supradictos in Domino exhortamur, quatenus prædictum statutum, etiam aliàs in Provinciali Concilio ordinatum, cum omni diligentia servent, & observari D procurent.

VOlens insuper idem Benedictus Papa modum apponere circa antiqua statuta, quæ de abstinentia carnium, & jejuniis à Religiosis ordinis S. Benedicti observandis satis rigidè loquuntur, propter quod in pluribus monasteriis remissè observantur, matura deliberatione præhabita, statuit, & ordinavit, quod iidem Religiosi per singulas quartas ferias totius anni, ubique ab esu carnium ad minus abstineant, & quod in adventu Domini, & Septuagesima jejunia observent. Verum quia prædicta moderatio, licèt omni rigore, & austeritate careat; tamen in pluribus monasteriis ejusdem Ordinis omnino contemnitur, omnes Abbates, Priores, ac Præpositos ejusdem Ordinis in Domino ex- E hortamur, quatenus de cætero supradictis diebus, & temporibus à carnibus abstineant, & jejunent, cùm id à pluribus sæcularibus Clericis, & inter laicos, sollicitè custodiatur. Quoad regulares Canonicos circa jejunia, & abstinentiam carnium idipsum observari exhortamur, quod idem Benedictus in suis constitutionibus, quæ Benedictinæ dicuntur, ab eisdem voluit observari.

CUm evagatio, dissolutio, atque levitas maximè debeant à Religiosis evitari, cùm illa sint devotioni, & honestati religionis contraria, & inimica, omnes

omnes Abbates, Priores, ac Præpositos, sive quoscumque alios religiosos, cujuscumque Ordinis sint, vel religionis, in charitate Domini monemus, quatenus amodo à se, & à suis subditis omnem evagandi materiam, quantum eis possibile erit, propellere conentur, & servent, & observari faciant ea, quæ à sanctis Patribus de honestate, & gravitate Religiosorum fuerunt laudabiliter instituta, tàm in vestibus, quàm in calceamentis, necnon in gestibus, & incessibus eorumdem; quod præcipuè ea, quæ de floccis, vel cucullis, cappis, atque caputiis fixis supra humeros, botis, & sotularibus corrigiatis Clementina, *Ne in agro*, salubriter statuit, servent, & observari faciant: nec de cætero portent ipsi Abbates, seu permittant suis Religiosis tàm breves tunicas, quàm mantellos longos usque ad oram, vel zonas argenteas, seu laqueatas sotulares deportare, cum propter tales, & similes abusiones nunc omnes Religiosi à sæcularibus habeantur in opprobrium, & contemptum; qui tamen cæteris debent esse regula, forma, & exemplar totius devotionis, & religionis.

QUia canonicæ Institutiones, quæ de Simonia loquuntur, districtè prohibent pro ingressu Religionis ab ipsis ingredientibus, vel eorum nomine, quicquam exigi, etiam prætextu cujuscumque consuetudinis, quæ potiùs dici debet corruptela, omnibus Abbatibus, & Abbatissis, Prioribus, & Priorissis, ac aliis quibuscumque mandamus, quod jura de hac materia loquentia diligenter observent; sic scilicet, quod pro ingressu religionis pro se, vel monasteriis suis ex pacto, vel conventione nihil recipiant: si autem post ipsum religionis ingressum aliquid fuerit ab ipsis ingredientibus, vel eorum parentibus monasterio ex devotione oblatum, illud recipi minimè prohibemus.

CUm sacrarum scripturarum lectura, & intellectus in religiosis etiam conferat devotionem, dilatet, & augeat, idem Benedictus voluit, & ordinavit, quod in monasteriis quorumlibet Ordinum, Abbates, vel illi superiores provideant de idoneis magistris, qui novitios, cæterosque illiteratos in grammatices rudimentis habeant competenter instruere. Quod quidem statutum censemus in monasteriis vobis subditis observari debere: aliorum monasteriorum superiores in Domino exhortantes, quatenus faciant similiter in locis sibi subditis cum debita sollicitudine observari.

LIcèt per jura Canonica sufficienter fuerit provisum contra patronos parochialium Ecclesiarum tàm Religiosos, quàm sæculares, exemptos, & non exemptos, quod scilicet benè, & competenter provideant curatis Ecclesiarum Parochialium prædictarum, in quibus habent jus patronatus: Quia tamen eadem jura multis in locis negliguntur, & propter hoc sunt plures ex eisdem Ecclesiis vacantes, & pastoribus viduatæ in magnum periculum animarum: omnes hujus Provinciæ Episcopos in Domino exhortamur, quatenus jura supradicta, & præcipuè cap. *De Monachis* 12. *de præb. & dign. & Clement. de jure Patron.* irrefragabiliter faciant observari.

IDem Benedictus duodecimus, qui ad Beatissimorum Patrum Benedicti, & Augustini religiones zelum gerebat non modicum, ad supradictarum regularum observantiam multas constitutiones edidit, quæ Benedictinæ nuncupantur, & quæ à pluribus religiosis nesciuntur, imò & penitus ignorantur in magnum suarum periculum animarum; ea propter Omnes Abbates, Priores, ac Præpositos eorumdem ordinum in Domino exhortamur, quatenus in suis monasteriis supradictas Benedicti constitutiones habeant, & eas frequenter legant, & relegant, ut sciant qualiter oporteat eos in religionis semita ambulare.

A

AD nostrum quibusdam referentibus devenit auditum, quod Episcopi hujus Senonensis Provinciæ observare, ac observari facere omittunt ea, quæ statuta Canonica contra Moniales observari jubent, propter quod magna scandala, & spiritualia, atque temporalia incommoda frequenter eveniunt, ac imposterum evenire præsumuntur, si de salutari remedio minimè fuerit provisum. Quapropter eisdem Episcopis districtè præcipimus, quatenus supradicta statuta de cætero faciant in suis Diœcesibus inviolabiliter custodiri, & præcipuè cap. *Monasteria de vit. & hon. Cler.* statutum felicis recordationis Bonifacii Octavi, quod incipit. *Ut periculoso de stat. Monach. lib. 6. & clem. Attendentes in Clement. eod. tit.* Volumus autem, & præcipimus, ut testes synodales, qui per hoc sacrum Concilium deputabuntur, diligenter inquirant, si prædicta statuta servabuntur, ut in sequenti Provinciali Concilio quorumlibet vitia, atque defectus deferant, atque negligentias.

B

Item sequuntur statuta Reformationum morum Ecclesiasticorum concernentia, quorum primum tale est.

Reformatio Clericorum.

CUm morum gravitas, & vitæ honestas in Ecclesiasticis viris præcipuè debeant relucere: omnibus Episcopis, & aliis, ad quos spectat inferiorum mores reformare, districtè præcipimus, quatenus diligenter servent, & curent à suis subditis observari ea, quæ in sanctorum Patrum decretis, & Canonicis institutionibus de vita, & honestate Clericorum fuerunt laudabiliter instituta; maximè autem provideant circa Clericos, qui tabernas etiam cum laicis, quod eis non convenit, immò plerumque cum suis vestimentis Ecclesiasticis in malum, ac perniciosum exemplum aliorum, & in scandalum totius Cleri, nunc adire, & frequentare non verentur. Provideant etiam contra illos Clericos, qui proprio contempto ministerio negotiis, & mercimoniis sæcularibus se immiscent, emendo scilicet blada, vina, & alia hujusmodi, & etiam inhonesta mercimonia, eo animo, ut ea carius vendant. Provideant etiam insuper contra illos, qui depositis suis vestibus in ludis, vel camisiis in publicis locis ad palmam ludunt, quæ omnia non benè conveniunt honestati. Nam & per talia sæculares habent Clericos in derisum, & à devotione retrahuntur.

C

INsuper districtè præcipimus omnibus Ecclesiasticis viris, ut circa tonsuras, & vestes servent ea, quæ per Canonica statuta fuerunt de honestate Clericorum laudabiliter instituta, præcipuè autem inhibemus quibuscumque, ne portent tunicas colorum rubeorum, vel viridium per inferius, aut superius porfilatas, aut nimium caudatas: nec etiam magnos colletos reversos, aut manicas nimium grossas, seu caudatas; sed nec nimia brevitate, aut longitudine notandas, nec scissas à parte posteriori, seu à parte anteriori, nisi usque ad genua.

D

QUanto Ecclesiastici viri perfectioris status, & majoris dignitatis honore illustrantur, tanto majorem Domino, ac Redemptori nostro tenentur exhibere reverentiam, & ab omnibus blasphemiis, ac illicitis juramentis diligentius abstinere. Quod multi ex eis minimè attendentes de eodem Domino, & Redemptore nostro blasphemè, & irreverenter loquuntur, & jurant; quorum temerarios ausus refrenare volêtes: statuimus, quod pœna, quæ laicis propter tales blasphemias, vel illicita juramenta secundum unum statutum infra positum jubetur imponi, Clericis, quorum culpa gravior est, auctoritate præsentis Concilii duplicetur, publica tamen pœna, de qua in eodem statuto fit mentio, in aliam pœnam superioris arbitrio commutata, cùm eisdem Ecclesiasticis non ita facilè debeant pœnæ publicæ irrogari.

E

Cum

CUm propter crimen concubinatus, quo multi Ecclesiastici, & religiosi viri inficiuntur, habeantur Ecclesia Dei, & totus clerus in derisum, abominationem, & opprobrium cunctis gentibus, & illud nefandissimum scelus in Ecclesia Dei adeò invaluerit, ut jam non credant Christiani simplices fornicationem esse peccatum mortale; Nos volentes ad extirpationem tanti facinoris, quantum nobis possibile est, providere: Omnibus Episcopis hujus Provinciæ districtè præcipimus, quatenus in Diœcesibus suis non patiantur, vel sustineat aliquos Clericos, aut alios conjugatos, notorios concubinarios; sed contra illos juxta Canonicas constitutiones procedant, etiam usque ad privationem suorum beneficiorum: vel aliàs eos corporaliter puniant, prout eis videbitur magis expedire. Nec de cætero iidem Episcopi, vel quicumque alii prætextu quarumcumque pecuniarum tantum crimen dissimulent, ne forsitan videantur ejusdem criminis auctores, sive fautores existere, & ne sanguis eorumdem delinquentium de manibus suis requiratur à Domino, cum ipse ad judicandum venerit: & quod circa hæc serventur antiqua statuta, & potissimum constitutio Gilonis Apostolicæ Sedis Legati super hoc edita, cujus tenor sequitur, & est talis: *Excommunicamus omnes Sacerdotes, & Clericos quoscumque, qui post legitimam admonitionem focarias, vel alias mulieres, de quibus mala suspicio possit suboriri, in domibus propriis, vel alibi, unde populus, vel Ecclesia scandalizetur, duxerint retinendas, nisi sint Clerici, qui in minoribus ordinibus constituti legitimè contraxisse probentur: qui tamen cum uxore Ecclesiastica beneficia retinere non debeant.*

LIcet juxta Canonicas sanctiones taxillorum, & alearum ludus tamquam indecens, & illicitus omnibus indifferenter sit prohibitus; tamen præcipuè, & districtius antiqua Provincialium Conciliorum jura tales ludos Ecclesiasticis viris, & aliis Clericis interdixerunt; etiam certis pœnis adjectis; quæ quidem statuta nos in præsenti Concilio renovantes, quibuslibet Ecclesiasticis viris, cæterisque Clericis cujuscumque status, aut conditionis existant, præcipimus, quatenus de cætero cum taxillis non ludant, & hoc sub pœna unius libræ ceræ qualibet vice suæ Cathedrali, vel Parochiali Ecclesiæ applicandæ: vel sub alia majori pœna arbitrio superioris, considerata qualitate facti, & personarum infligenda.

Item sequuntur Statuta circa reformationem morum sæcularium edita, quorum primum tale est.

Reformatio laicorû.

QUia Dominus in veteri testamento, & Sabbata, & alias festivitates sanctificari voluit, & districtè præcepit in eisdem ab omni opere abstinere: & in novo Testamento Dominicales dies, aliaque festa ab Ecclesia indita eorumdem loco successerunt, quæ à pluribus malè, & negligenter observantur: Nos ad honorem Dei, & Sanctorum suorum jubemus, & districtè præcipimus supradictas Dominicales dies, & SS Festa, & præcipuè ea, quæ ad honorem Christi, & ejus gloriosæ genitricis Mariæ, & suorum Apostolorum instituta sunt, unà cum aliis festivitatibus, quæ sicuti festa Apostolorum consueverunt observari, ab omnibus subditis nostris cum omnimoda reverentia observari; abstinendo scilicet ab omni opere servili, & manuali, ac divinorum auditioni cum matura devotione vacando, illum abusum penitus reprobantes, quo marescalli, & barbitonsores supradictis Dominicis, & aliis B. Mariæ, & Apostolorum, & supradictis festivitatibus credunt sibi licitum fore sua ministeria, etiam præter necessitatem, exercere, circa quem volumus per ordinarios de opportuno remedio provideri, ipsos monitione prævia corrigendo.

A QUamquam fuerit retroactis temporibus tàm ex statutis sæcularium principum, quàm Ecclesiasticorum prælatorum sufficienter provisum contra eos, qui ausu temerario non formidant Deum renegare, despitare, vel malgreare, seu aliàs blasphemare, & etiam contra eos, qui de Christo Domino, & redemptore nostro blasphemè, & irreverenter loquuntur; puta jurando per ejus carnem, sanguinem, ventrem, barbam, vel *vulvam*; tamen propter negligentiam superiorum, qui prædicta statuta servari non fecerunt, pauci sunt, qui à supradictis blasphemiis, vel juramentis illicitis abstineant: Quapropter districtè præcipimus omnibus Ecclesiasticis prelatis hujus Senonensis Provinciæ, quibus id spectare dignoscitur, quatenus prædicta statuta, si quæ habeant, cum omni diligentia faciant observari. Quæ si non habuerunt, B volumus, & statuimus, quod despitantes, seu malgreantes, aut renegantes Deum, seu Christum, vel ejus gloriosissimam genitricem blasphemantes, prima vice compellantur pane, & aqua in carceribus jejunare per octo dies: & pro secunda vice pœna duplicetur, & pro tertia publicè in scala, vel aliàs puniantur. Quod autem ad illos, qui per carnem Christi, sanguinem, vel plagas, vel similiter jurant, pro prima vice solvent unam libram ceræ suæ Cathedrali, vel Parochiali Ecclesiæ: pro secunda vice, duas, & pro tertia, quatuor: vel alia pœna, etiam publica, arbitrio judicis puniantur, qualitate personarum considerata, ut cæteris cedat in exemplum.

C AD nostrum devenit auditum, quod in hac Senonensi Provincia Eleemosynarum quæstores abusus suos multiplicare non cessant, quodque prædicationis officium, licèt ignari, & illiterati sint, usurpare non verentur, & per vana mendacia, & alia ficta blandimenta pauperum simplicium pecunias extorquent, & quod deterius est, sanctæ Sedis Apostolicæ, & aliorum inferiorum Bullas, ac litteras similiter falsificant, & corrumpunt in plurimorum scandalum, &, gravamen. Quapropter nos contra tales nequitias, & abusus providere volentes, Episcopis hujus Provinciæ præcipimus, quatenus à suis subditis curatarum Ecclesiarum Rectoribus faciant inviolabiliter observari jura, & Canonica statuta, quæ contra supradicta sanctè, & laudabiliter providerunt. & *Cap. Cum ex eo, & Clement. Abusionibus* D *de pecc. & remiss.* Nolumus tamen populi devotionem per ipsos Curatos, vel Rectores, quam gerunt ad Sanctos, quorum supradicti quæstores existunt, quomodolibet impediri.

CUm plures sint, qui propriæ salutis penitus negligentes non nisi semel in anno sua peccata confitentur, propter quod cum memoria hominum sit labilis, non benè possunt suorum habere memoriam delictorum in magnum suarum animarum periculum: Nos huic morbo providere cupientes, præcipimus curatis, & Ecclesiarum Rectoribus, quatenus suos parochianos hortentur, & inducant ad sua peccata confitenda in quinque solemnitatibus Domini, præter Pascha, scilicet in Pentecoste, in Assumptio- E ne Beatæ Mariæ, in Festo omnium sanctorum, in Nativitate Domini, & in initio Quadragesimæ, & fiant tales exhortationes Dominicis diebus supradictas festivitates immediatè præcedentibus.

MEdicinalis artis Magistri, licèt juxta Canonum statuta non debeant infirmis corporalem medicinam exhibere, nisi priùs exhortatione facta per eos, quod sua peccata confiteantur; nihilominus iidem magistri tàm sanctum, & salutare statutum servare contemnunt in magnum præjudicium animarum, cum frequenter eveniat, quod infirmitatibus crescentibus, & quàm repente invalescentibus, plures sine confessione moriantur: Nos ideò supradictis

ctis Episcopis injungimus, quatenus decretalem circa hoc editam, quæ incipit, *Cum infinitas*. *De pœn. & re.* faciant inviolabiliter custodiri: prius tamen hoc præsenti statuto publicè declarato: vel notificato populo, ne forsitan infirmi, cum per ipsos Magistros inducentur de salute animæ cogitare, credant se in periculo mortis existere.

INclitæ memoriæ Bonifacius VIII. in sua Decretali, quæ incipit, *Quoniam*, *ut intelleximus*. *De juram. lib. 6.* vinculo excommunicationis ipso facto innodavit omnes, qui impediunt causas tractari coram judicibus Ecclesiasticis, quæ de jure, vel consuetudine tractari consueverunt: Et plures sunt simplices, & alii, qui forsitan propter ignorantiam supradictæ constitutionis, excommunicationis vinculo innodantur: Nos volentes eorumdem periculis animarum obviare, omnibus curatis, & Rectoribus Ecclesiarum præcipimus, quatenus juxta generalem observantiam plurium provinciarum, & Diœcesum hujus Regni, infra Missarum solemnia Dominicis diebus pro excommunicatis cum solemnitate denuncient omnes, qui modo supradicto molestiam, vel gravamen curiis Ecclesiasticis inferre præsumunt, & hoc juxta constitutionem supradictam. *Quoniam*, *ut intelleximus*.

QUerimoniam plurimorum Religiosorum, ac aliorum Ecclesiasticorum audivimus, quod licèt Dominus in veteri Testamento districtè præcipiat perceptorum fructuum Ecclesiæ ministris decimas tribuere; tamen his nostris temporibus easdem diminuere conantur, ut jam ex eis aliqui dicant, & asserant decimalia jura non nisi ad voluntatem fore solvenda, propter quod Ecclesiæ, & earum ministri maximum damnum patiuntur. Quapropter nos contra tales hominum nequitias occurrere cupientes, omnibus Episcopis, Archidiaconis, Decanis ruralibus, cæterisque Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, quatenus Dominicis diebus, nec non messium, & vindemiarum temporibus admoneant, atque hortentur, faciantque admonere, & hortari per eos, qui verbum Dei populo prædicant, omnes, qui ad solutionem decimarum tenentur, quod ipsi amodò illas solvant sine fraude, & deceptione qualibet, ulla contraria consuetudine non obstante, cum de omnibus fructibus quibuscumque, ubicumque, & in quocumque loco sint, ad illas solvendas sub damnationis pœna ex Dominico pręcepto teneantur.

CAnonica jura non sine magnis rationibus jubent Matrimoniorum contractus in Ecclesiis publicè celebrari, scilicet propter sacramenti dignitatem, reverentiam, & honorem, in quo confertur gratia, sicut & in cęteris sacramentis, & etiam ad tollendam omnem malam peccati suspicionem, cum plures existimare possent inter ipsos conjuges solum fore concubinatum, si de ipso matrimonio publicè non appareret. His tamen non obstantibus plures sunt, qui, à suis prælatis faciliter obtenta licentia, non in ipsis Ecclesiis, sed in privatis oratoriis matrimonium contrahunt, & solemnizant, quod cedit in maximum ejusdem Sacramenti contemptum: Nos autem circa id providere volentes, omnibus Episcopis, Archidiaconis, & Ecclesiarum Rectoribus sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per mensem prohibemus, ne de cætero in privatis oratoriis solemnizationem matrimoniorum faciant, aut fieri dispensent, nisi forsitan subsit ingens, vel necessaria causa, & non ficta; etiam pluribus præsentibus.

INsuper sub eisdem pęnis, & propter easdem causas Episcopis, Archidiaconis, & aliis, quibus id de jure, vel consuetudine competit, injungimus, ne de cætero ita faciliter dispensent super bannis in matrimonio concedendis: etiam prætextu cujuscumque

A pecuniæ, sicut hactenus dispensare consueverunt.

CErtis anni temporibus Matrimonia prohibentur ab Ecclesia celebrari, scilicet tempore Adventus, Septuagesimæ, & Rogationum, eo quod tunc homines magis, quàm aliis temporibus debent devotioni, & orationi intendere, ex quibus tamen plurimum retrahit carnale commercium; eo etiam quod illis devotionis temporibus choreæ, ludi, & convivia, quæ in nuptiis fieri solent, non benè congruunt; sed verius opponuntur devotioni, & contemplationi. Nihilominus tamen in hac nostra Senonensi Provincia quædam mala consuetudo, vel corruptela inolevit, quod scilicet supradictis temporibus plerumque fiunt festivitates nuptiarum, choreæ, ludi, convivia, & alia indecentia, quæ ex eisdem festis, conviviis, vel choreis frequenter evenire consueverunt. Ea propter nos

B prædictum abusum, seu corruptelam extirpare volentes, omnibus, & singulis viris, & fœminis hujus Provinciæ sub excommunicationis pœna inhibemus, ne supradictis temporibus audeant facere, vel facere procurent solemnitates nuptiarum, idest, convivia, festa, & choreas, vel cætera hujusmodi, vel eisdem quomodolibet interesse: Præcipientes insuper Episcopis, & Curatis, seu Presbyteris Ecclesiarum parochialium, quatenus hoc præsens statutum in suis Ecclesiis publicent, & publicari faciant diligenter, & maximè duabus, vel tribus Dominicis ante supradicta devotionis tempora.

CUm soli clerici ad altare Domini, cum divina celebrantur, debeant accedere: omnibus Episcopis

C hujus Provinciæ injungimus, quatenus sub certis pœnis per ipsos imponendis, faciant à laicis observari *Caput primum de vita, & honest. cleric.* cum etiam in veteri lege, cujus sacrificiis longè dignius est sacrosanctum altaris ministerium, laicalis populus ad altare Domini non auderet accedere.

CUm judices sæculares quandoque clericos in suis carceribus detentos, & ab Ecclesia requisitos, restituere nolunt: Volumus, quod Provinciale statutum in pluribus Conciliis Provincialibus renovatum diligenter observetur: cujus forma talis est. *Statuimus, ac etiam ordinamus, ut si contingat aliquem clericum in villis, seu castris Provinciæ Senonensis per judicem capi sæcularem, qui sufficienter requisitus de reddendo dictum clericum suo judici Ecclesiastico, non reddidit, seu restituit, in sua malitia perseverans, in dictis villis, seu castris, quamdiu detinebitur idem clericus, cessetur à divinis, nedum in Ecclesia, infra cujus confines dictus clericus detineri dignoscetur: sed etiam in aliis, si in dictis villis, vel castris plures Ecclesias esse contigerit: quod ad Religiosa Monasteria in dictis villis, vel castris constructa, et alias Ecclesias eis contiguas extendi volumus, ne si in aliquibus cessarent, et in aliis sententia cessationis, seu interdicti valeat vilipendi: Prædictas autem cessationes auctoritate præsentis Concilii ab omnibus, tàm exemptis, quàm non exemptis, cùm de jure ad hoc teneantur, volumus observari.* (D) *Habetur in Conc. Melodunensi, anno 1325.*

AD nostrum devenit auditum, quod in hac Provincia quidam temporales Domini, & eorum

E Officiarii quandoque sub magnis pœnis inhibent suis subditis, & aliis in dominio suo commorantibus, ne alter alterum citare faciat in foro jurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam in personalibus actionibus, & quod deterius est, supradicti Domini, vel eorum Officiarii plerumque prohibent Curatis, vel Rectoribus Ecclesiarum, aut aliis Presbyteris, ne sigillent, vel executioni demandent citationes, & alias litteras curiarum Ecclesiasticarum, & quandoque cogunt eos, ad quorum instantiam aliqui ex eorum subditis propter suam contumaciam fuerunt legitimè excommunicati, ut illos faciant absolvere: quod si recusaverint, vel distulerint, faciunt illos in carceribus deti-

detineri. Quæ omnia sunt in magnam læsionem, & A turbationem Ecclesiasticæ jurisdictionis: Et cùm absolutio taliter vi extorta nulla sit ipso jure, taliaque perpetrantes novam excommunicationis sententiam, nulli dubium, incurrant: Eaque propter nos talium dominorum, vel officiariorum ausus temerarios refrænare cupientes, jubemus antiqua Provincialia statuta circa hæc edita inviolabiliter custodiri, quibus cavetur, quod si aliqui Domini, vel judices temporales, aut eorum servientes, vel ministri aliqua ex gravaminibus Ecclesiasticæ jurisdictioni inferre præsumpserint, & de talibus, vel eorum altero legitimè constiterit, Canonica monitione præmissa cessetur à divinis juxta formam præcedentis statuti, & nisi tale gravamen infra octo dierum spatium fuerit reparatum, volumus, & præcipimus, quod ille, vel illi, B qui tale, vel talia perpetraverint, & circa ea dantes auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate præsentis Concilii denuntientur publicè, & solemniter ipso facto excommunicati. Cùm absolutio taliter vi extorta nulla sit ipso jure, taliaque perpetrantes novam excommunicationis sententiam, nulli dubium, incurrant.

ITem Volumus, & ordinamus, quod Testes synodales, qui in qualibet Diœcesi secundum Canonica statuta ordinati sunt, diligenter inquirant si prædicta statuta ab omnibus servabuntur, ut habeant, referre in alio proximo Provinciali Concilio, quæ circa ea viderint minimè observari, prout in capite, *Sicut olim. De accus.* continetur.

C

STatuimus, & præcipimus, quod omnes suffraganei nostri, Abbatesque, Priores Conventuales, & Capitula Ecclesiarum nostræ Senonensis Provinciæ: nec non Decani rurales cujuslibet Diœcesis, habeant copiam authenticam nostrorum præsentium statutorum, illaque faciant infra duorum mensium spatium in suis Synodis, & aliis locis solemniter publicari, ac declarari. Præcipuè autem volumus, quod illa, quæ concernunt, vel concernere possunt statum, & mores laicorum iidem suffraganei, & Decani in publicis prædicationibus, & vulgari sermone coram populo faciant exponi, ne aliqui valeant eorumdem ignorantiam prætendere.

TEstes autem Synodales hujus sacri Concilii Seno- D nensis, eodem approbante Concilio, in qualibet Diœcesi ordinamus, nominamus, & eligimus infrascriptos, scilicet pro Diœcesi Senonensi, Decanum Christianitatis Pruvinensis, & Officialem sancti Juliani de saltu: Pro Diœcesi Carnotensi Magistrum Joannem de Gazone, & decanum ruralem de Brou, Pro Diœcesi Parisiensi Decanos rurales de Montemorenciaco, & de Kala. Pro Diœcesi Meldensi Magistrum Joannem Tourtier, & Decanum ruralem de Columbariis. Pro Diœcesi Trecensi Decanos rurales Arcyarum, & sanctæ Margaretæ. Pro Diœcesi Nivernensi Magistros Stephanum Guedac, & Joannem Hurtauld. Et pro Diœcesi Autissiodorensi, Archipresbyteros S. Prisci, & de Verziaco.

E

NOs verò Joannes Archiepiscopus antedictus in dicto Provinciali Concilio, ut præfertur, præsidentes, ipso approbante Concilio omnia, & singula statuta præscripta teneri, & inviolabiliter observari ab omnibus, & singulis nostræ Senonensis Provinciæ volumus, & jubemus, ipsaque statuta, & omnia præmissa laudamus, & approbamus, concludimus, & definimus prout superius est expressum, ulteriorem ipsius sacri Concilii prosecutionem, & continuationem, quoad ea, quæ nondum perfecta sunt, de fratrum, & suffraganeorum nostrorum, ac aliorum in eodem Provinciali Concilio comparentium voluntate, & consensu, hinc ad diem Martis post Dominicam diem, qua in sancta Dei Ecclesia cantabitur *Jubilate*, anni Domini 1430. dictam diem Martis post *Jubilate*, Parisius cum continuatione dierum sequentium pro ipsius Concilii, & agendorum in eo, quæ nunc expediri obstantibus certis justis, & evidentibus impedimentis, minimè potuerunt, nec ad effectum deduci, totali, & finali conclusione, præfigentes, statuentes, & ordinantes. In quorum vim, & singulorum certitudinem præmissorum, præsentes nostras exinde fieri, & per Notarios publicos, scribasque Concilii Provincialis prædicti infra scriptos, subscribi, & publicari mandavimus, nostrorumque Archiepiscopi, & Episcoporum suffraganeorum præsentium prædictorum appensione sigillorum fecimus, & jussimus communiri. *Datum*, & actum, quod ad præmissorum conclusionem, Parisiis in dicto Collegio sancti Bernardi, nobis inibi manè hora Concilii consueta in eodem Concilio præsidentibus, sub anno Domini 1429. indictione 7. die 23. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Martini divina providentia Papæ quinti anno duodecimo. Præsentibus venerabilibus viris Dominis, & Magistris Petro Clerici Germano de natione Canonico Senonensi, & Petro Pinart Curato sancti Juliani de saltu nostræ Senonensis Diœcesis testibus ad præmissa vocatis.

HOc Concilium Parisiense acceptum referimus clarissimo viro, ac multæ antiquitatis Domino Souchet Canonico Carnotensi, qui è memoriis suis erutum, ac manu propria descriptum Carnuro Lutetiam ad nos misit, die 8. Maji anno 1645.

CONCILIUM BITURICENSE,

Pro recipienda pragmatica sanctione tempore Eugenii quarti, & Caroli septimi an. 1438. cum reprobatione ejusdem pragmaticæ sanctionis.

EXteri, qui Concilia in unum corpus redegerunt, aut tacent de hoc Concilio, vel ita perstringunt, ut lectoris appetitum sciendi non satient. Nos ergo, quos rerum nostrarum tractatio magis spectat, paulo plura de hoc Concilio congeremus, quorum cognitio lectoribus nostris ingrata forsan non erit.

Porrò occasio hujus Concilii, quod alii vocant Conciliabulum non secus, ac præcedens Perpinianense, fuit, quod cum duo Concilia simul in Ecclesia celebrarentur, unum Basileæ ab anno 1431. alterum Florentiæ, & ad utrumque Concilium invitarentur omnes presules Galliæ, ut videretur, quid fieri expediret in hac difficultate, Præsules Biturigibus convenerunt, ubi re disputata causam Concilii Basileensis susceperunt, legitimeque, ac justis de causis congregatum esse, nec posse inde transferri multis rationibus contenderunt: quare regem Christianissimum hortantur, ut mittat Legatos ad Eugenium quartum, quibus ipsum roget, ut potiùs continuare velit Concilium inceptum Basileæ, quàm novum, sub nomine translationis inchoare, *etc.*

Dum hæc tractarentur, acceperat Rex indiculum multorum Canonum ex decretis Concilii Basileensis conflatum, qui peropportuni videbantur pro bono regimine Ecclesiæ. Quare mittit illum indiculum ad Episcopos Biturigibus congregatos, ut approbarent. Rem accipe ex Gaguino in Carolo septimo.

Apud Basileam Eugenii quarti Romani Pontificis assensu congregato Concilio, ii, quibus Ecclesiasticam dignitatem tueri mandatum erat, leges communi omnium sententia ritè digestas sanxerunt: quas à Carolo admitti missis ejus rei causa Oratoribus petierunt. Legum hæc capita fuere.

Romanus Pontifex quoque decennio generalem synodum loco, quem volet, posthac congregato: si negligens erit, potestas esto patribus id designandi. Con-

Arti... pragm... cæsat... nis.

Convocati Concilii locum, nisi necessum erit, Pontifex non mutato.

Basileensis conventionis authoritas, & ipsius constantia decretorum perpetua esto; quæ nemo unquam, nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præsumito.

Romanus Pontifex majores Ecclesias, Metropoles, scilicet, atque Episcopales, collegiatasque, aut eas, quibus Abbates præficiuntur, & Ecclesiasticas dignitates, quæ per electionem sibi deligere rectorem consueverunt, nemini reservato. Præter eas, quæ jure scripto, vel Romani principatus causa sibi permittuntur. Huic decreto non contravenito. Si intercedet causa præter legem faciendi, id Apostolicis rescriptis exprimito. Idque, dum ad Pontificatum quippiam assumetur, se servaturum jurato.

Ecclesia Pastore destituta, ii, penes quos est eligendi potestas, die, & loco definito conveniunto. Peccatorum suorum confessionem agunto, & Eucharistiam sumunto. Mox confidentes, promisso jurejurando, non negligenter, non dolosè, non timidè, eum, qui gerendæ dignitati sit idoneus, eligunto. Principibus fas non esto pro quopiam commendando molestis precibus, aut violenta comminatione premere, aut cogere electores.

Electionis formam, & electi merita confirmatores Prælati inquirunto. Scribæ, & Notarii moderatum salarium accipiunto.

Romanus Pontifex, quem sanctitatis normam præ se ferre oportet, huic sanctioni nequaquam derogato: Si contemnat, & inde scandalum exurgat, ad subsequens universale Concilium deferatur.

Electiones tametsi pro Canonum authoritate legitimæ esse videbuntur: si inde aut Ecclesia, aut Patria, vel Respublica turbari formidabitur: cum hujusmodi electio ad Romanum Pontificem fortè refertur: & ea diligenter examinata nulla dici merebitur, alteram electionem iis, quorum refert, indicito. Electum verò confirmari, aut benedici ab alio, quàm ab eo, qui sine medio electo superior est, fas non esto. Si in Pontificis curia præsens electus erit; à Pontifice benedictionem, si volet, accipito, juramentum postea à suo Prælato.

Secus, qui faciet, centum aureorum mulcta eum castigato.

Universali synodo, ejusque definitionibus, & decretis omnis Catholicus, & Romanus Pontifex, eatenus obedito: quatenus fides, & schismatum explodenda seditio postulat.

Quæ synodus sancto Spiritu authore vocata consedit, eam sicuti Constantianæ conventionis patres definire, à Christo Deo auctoritatem protinus obtinere credito.

Ecclesiis Dei eos sacerdotes, & pastores præficito, qui doctrina sunt, & vita illustres, ut creditum sibi populum sollicitè instituant, & Deo obedientem, gratumque reddant.

Expectativis propterea gratiis, unde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito.

Beneficia (vivo eorum rectore) nemini reservato. Cum autem administratore vacabunt, eorum, quibus conferre oportebit, mores, & merita, graduatine sint, an secus, cognoscito.

Decretum de Theologo per quasque metropoles præbendando, ad Episcopales quoque Ecclesias extendito, ut in illis præbenda Theologo conservetur, qui in aliqua generali Academia decennem literis operam navavit. Beneficio donatus verbum Dei prædicato, & per quasque hebdomadas semel, atque iterum sacras literas audire volentibus explanato. Negligenti quotidiana Ecclesiæ stipendia substrahito.

Porro de iis, qui gradu alicujus disciplinæ provecti sunt, hunc ordinem observato. Primum post hanc sanctionem vacuum possessore beneficium Doctori, vel Licentiato, vel Baccalaureo conferto. Duo

A deinceps, quæ rectore carebunt, bene merentibus Clericis concedito. Quod his duobus successivum erit, graduatus obtineto.

Igitur scholasticis gradu insignes sua nomina beneficiorum collatoribus, dum quadragesima agitur, scripta quotannis tradunto.

Beneficiorum præter hoc decretum collatio facta, inanis esto.

In locis, qui ab urbe quatuor dierum itinere distant, in jus vocandi Romam, nisi in majoribus causis fas non esto.

Qui damno, aut injuria gravabitur, eum, qui proximus est superior, appellato, si tale est damnum, ut per ejus sententiam restitui possit. Alioquin si ad Romanam Ecclesiam judex per exemptionem pertinebit, causam definiendam ad eum, qui ejusdem est regionis, judicem (si metus abest) Pontifex

B committito.

A gravamine, aut interlocutione judicis secundo non provocato. Eum, qui frustrà, atque inaniter ante latam sententiam appellat quindecim florenis, præter cæteras litis impensas mulctato.

Triennem alicujus beneficii, & quietum possessorem non turbato: nisi hostilitate, metu, vel gravi impedimento tardatus eris, ne per triennium impetere potueris possidentem.

Cardinales viginti quatuor tantum divina, & humana scientia eruditos, annorum triginta boni nominis, & generis legitimi, qui Reipublicæ Christianæ consulere possint, Pontifex de suorum fratrum consilio præficito.

De dignitatibus, ac beneficiis Ecclesiasticis, qui-

C busvis collatis, aut conferendis nihil prorsus, sed neque annatam, neque fructuum primitias, neque, ut vulgo dicitur, deportum Pontifex exigito. Notariis, ac scribis mercedem, qui beneficium recipit, solvito. Hujus decreti prævaricatori pœnam symoniacis debitam infligito. Nihil præterea juris, aut tituli in beneficiis contra hanc prohibitionem impetratis, sibi acquisitum intelligat.

Clerici Ecclesiarum, qui divini cultus obsequiis deputantur rem omnem divinam, ac Dei laudes sanctè, distinctè, ac graviter celebrato. Ad Jesu nomen caput reverenter demittunto. Decanos, & reliquos per Ecclesias præfectos hujus statuti prævaricatores castigato.

Consuetudinem, qua inductum est, eum, qui in aliqua horarum choro abfuerit, omnium distributio-

D num participem esse, nolito.

Idque ad Decanos, ac præpositos, qui suarum prætextu dignitatum rei divinæ non adsunt, extendito.

Quos noveris, dum res divina agitur per Ecclesiam, aut juxta illam deambulare, aut confabulari, totius diei, quo hoc fecerint, distributionibus privato.

Iterum verò in hoc delinquentes: unius mensis stipendiis mulctato.

Tabulam, ubi designentur ii, qui definitis hebdomadibus sua officia exequi debebunt, in choro appendito. Negligenti totius diei stipem denegato.

Fidei symbolum non truncato: sed ad verbum absolutè decantato.

Camœnas vulgi in Ecclesia canere laicos prohibeto.

E Rem divinam, quam Missam appellamus, sine ministro nunquam celebrato. Dum eam facis, vocem exaltato, quæ à circumstantibus exaudiri possit. Secus agentem corripito.

Canonicos, qui se creditoribus obnoxios, ita constituunt, ut, si statuto die debito se non absolverint, interdicto rei divinæ cohibeantur, à stipendiis Ecclesiæ toto trimestri abstinento, nec quicquam inde, quamdiu divinis abstinebunt, percipiunto

Solemnibus diebus, dum major Missa fieri debet, capitulum non cogito: Per integram alioquin hebdomadam transgressores quotidiana stipe privato.

Spectacula, ludos, comessationes, choreas, nundinationes, ludibria, & larvatas personas incedere ab Ecclesia, & locis sacris arceto. Contemptorem Clerum trimestri proventu abstinere jubeto. Reliquos censura Ecclesiastica cohibeto.

Clerico cujusvis status concubinam foventi, ac secunda hujus sanctionis promulgatione non resipiscenti beneficiorum suorum perceptiones menses tres interdicito, ac eos fructus in Ecclesiarum, unde percipiuntur, utilitatem impendito. Hanc autem constitutionem in synodis, & capitulis promulgari quotannis imperato. Nec minus laicos admoneto nullam præter legitimam uxorem turpi copula contingere.

Excommunicatos ante latam sententiam, & revera denunciatam non vitato, nisi tàm notoria excommunicatio erit, quæ non valeat ignorari.

Nulli omnino genti, communitati, vel loco sacris interdicito: nisi per semet, aut per privatos, aut Officiales, id est, per suos Magistratus culpam admisit. Iniquum siquidem est ob unius cujusque privati delictum ferire insontes.

Nullius literis, quibus quempiam beneficio, aut suo jure se abdicasse narratur, nisi testibus, aut fideli documento id factum esse constet, credito.

Hæc cum Carolus satis enucleata, digestaque esse comperisset: Indicto apud Biturigenses Concilio, pragmaticam, quam vocant, sanctionem tulit. Eaque in Parlamenti Senatu promulgari mandat anno Christianæ pietatis CCCCXXVIII. supra mille. Nonis Julii. Quam regiam (auctoritate Basileens. synodi) factam constitutionem, qui deinceps fuere Romani Pontifices, non secus, ac perniciosam hæresim execrati sunt: quum eam nemo Pontificum dissoluto Basileens. conventu probaverit.

Abrogatio pragmaticæ sanctionis per Ludovicum undecimum regem Galliæ.

GAguinus lib. 10. compendii de gestis Francorum in Ludovico undecimo. Fama ante hos dies ferebatur Ludovicum Pio Pontifici Romano promisisse se pragmaticam sanctionem, de qua in Caroli septimi gestis diximus, deleturum, si aliquando ad regnum sine Controversia pervenisset. Ejus promissi Pius Pontifex non oblitus, cum eamdem pragmaticam sanctionem maximè execraretur, eamque hæresim appellaret, Legatum Joannem D. Benedicti Monachum Attrebatensem Cardinalem ad Ludovicum mittit, qui regem se promisso solvere hortaretur. Cui audiens Ludovicus Legato litteras ad Parlementeum Senatum dat de ipsa pragmatica abroganda. Erat in ipso Senatu Joannes Romanus regis procurator. Hic (Joanne Balva, ad curiam Ludovici, atque Legati nomine cum litteris veniente, petenteque Senatum, ut eas suo decreto roboraret.) Ego inquit, judices hanc commodissimæ legis abolitionem non approbo: & quatenus ad meum officium attinet, Joannis Balvæ petitionem impedio. Ea re incandescens Balva (erat enim ingenio versipelli, & doloso nimis) Joanni Romano multa est comminatus, cui repugnare etiam schola Parisiensis non formidavit Ecclesiæ Concilium appellans. Igitur Balva ad Ludovicum re infecta reversus, *&c.*

Papyrius Massonus l. 4. annal. in Ludovico XI. Ludovicus initio regni pragmaticam sanctionem sustulit. Extant ejus de ea re ad Pium Pontificem litteræ inter Pii ipsius Epistolas, quibus testatur legem illam latam seditionis, & schismatis temporibus meritò ab se eversam, quod ejus, à quo sanctæ leges oriuntur, authoritatem minueret. Pii quoque ad regem litteræ tollendæ pragmaticæ consilium laudant. Inter cætera, inquit, commendamus, quod absque conventu, & consultatione multorum pragmaticam auferre constituisti. Sapis certè, & regem te magnum

Ludovicus XI.

A ostendis, qui non regaris, & regas. Optimus enim princeps est, qui per se recta cognoscit. Hæc Pius scribebat metu, ut ipse ait: idque verum erat, ne si conventus publici haberentur, Episcopi, & Clerus Galliæ pro pragmatica sententiam dicerent.

CONCILIUM AURELIANENSE,

Tempore Xisti IV. & Ludovici XI. pro renovanda pragmatica sanctione, Anno 1479.

CAusa hujus conventus tribuitur Ludovici undecimi dolis, & artibus, qui, ut summo Pontifici aliquem metum (scrupulum vocat Belcarius) incuteret, B de articulis pragmaticæ sanctionis, quibus impediebatur, ne tot pecuniæ è Gallia Romam transferrentur, sicque facilius ab eo obtineret, ut absolverentur Florentini à vinculo cujusdam excommunicationis in eosdem latæ, conventum Gallicanorum Episcoporum Aureliis haberi voluit, ibique proponi media restituendæ pragmaticæ sanctionis, sed post multas disceptationes, re infecta, aliud Concilium Lugduni indictum est ad mensem Majum anni sequentis, quod tamen celebratum non est rege versipelli serio non agente. De eodem Concilio hæc habet Joannes Majerius in tractatu de differentiis schismatum, & Conciliorum pagina 93. Post non admodum longum intervallum temporis Rex Ludovicus undecimus Concilium Ecclesiæ Gallicanæ C indixit, & universitatum regni præcipuos Aureliam evocavit, ut melius materiam pragmaticæ sanctionis intelligeret, & cognosceret, & quantum ad annatas quoque beneficiorum aliquid certi, & explicati haberet. Nam avaritia extrema Curiæ Rom. *(Quasi verò, qui vineam colit, de fructu ejus comedere non possit absque avaritiæ nota.)* summam pecuniæ ingentem quotannis à Gallis de annatibus extorquebat. Hujus Concilii præses erat dux Petrus Borbonius, Dominus Beaujeus maritus Dominæ Annæ filiæ Regis Ludovici undecimi. Cum verò res deliberari cœpta esset, Rex intervenit, & consilium mutavit absque conclusione alia, & unicuique potestatem ad sua revertendi fecit promittens, quod Lugdunum brevi illos revocare vellet. Quod postea non est factum: implicabatur enim aliis negotiis, D & præcipuè bello Flandrico contra Maximilianum Archiducem Austriæ, & nunc Imperatorem, ac regem Germaniæ.

NOTA. Si miretur quispiam, cur hanc pragmaticam sanctionem hìc non exhibeamus, cum maximè ad Gallicana spectet Concilia, de ejusque articulis dempto uno, aut altero sileant Binius, & Coriolanus, legat ille sessionem undecimam Concilii Lateranensis sub Leone X. ubi omnibus prohibetur, ne pragmaticam illam, & in ea contenta capitula, seu decreta in domibus suis, aut aliis locis publicis, vel privatis teneant, jubeturque, ut ex omnibus archiviis etiam regiis, seu capitularibus deleant, aut deleri faciant sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, & aliis pœnis, ut privationis Beneficiorum infamiæ, &c. pro personis Ecclesiasticis, &c.

E

ADDITIO AD CONCILIUM TURONENSE.

Cui præfuit Franciscus de Rohan Archiepiscopus Lugdunensis tempore Julii II. & Ludovici XII. celebratum pro resolutione quorumdam casuum conscientiæ, Anno 1510.

COnciliabulum vocant Severinus Binius, & Coriolanus, Matthæus verò Palmerius in Chronico, Genebrardus, & alii Concilium, quia scilicet non invenitur reprobatum fuisse, quamvis Maximilianus

milianus Imperator in procuratorio dato Episcopo Gurcensi, quò suo nomine Lateranensi Concilio sub Julio Secundo adesset, authoritatem illi dedisset expressè ad annullandum, & irritandum, quæ per Ecclesiam Gallicanam in urbe Turonensi consulta, deliberata, acta ve fuissent, ut patet ex sess. 3. ejusdem Concilii.

Porrò Concilium hoc habitum est jussu Regis Ludovici Undecimi, dicti Patris Patriæ, occasione bellorum Italicorum inter Julium, & Alphonsum Ferrariæ Ducem, à quo Ducatum amovere valebat, licèt protegeretur à Rege Ludovico, ejusque exercitu propter affinitatem. Cùm enim Julius diris devovisset prædictum Ducem, omnesque ei adhærentes, & faventes, & specialiter omnes militantes in exercitu Gallico, ut suis Rex prospiceret contra Pontificem malè erga se affectum, tùm ut suos milites confirmaret, tùm etiam, ne è Gallia Romam pecuniæ transportarentur, quibus ipsa Gallia impugnaretur, hunc conventum Ecclesiæ Gallicanæ, & doctissimorum quorumcumque virorum fieri mandavit, in quo proposuit Patribus octo quæstiones magni momenti per eos discutiendas, & dissolvendas. Sunt autem hæ sequentes, quæ ad temporis negotia difficillima spectabant.

An liceat Papæ bellum inferre Principibus temporalibus in terris, quæ non sunt de patrimonio, vel dominio Ecclesiæ, &c.

Conclusum fuit unanimiter per Concilium, Papam nec posse, nec debere. Quod forsan intelligendum de Papa in propria persona, ut faciebat Julius, dicens se uti gladio D. Pauli, cùm prædecessores satis usi fuissent clavibus D. Petri.

An liceat Principi defendenti se, suaque, non solum propulsare armis ejusmodi injuriam, sed etiam invadere terras Ecclesiæ possessas à Papa notorio hoste suo: non tamen ea intentione, ut illas retineat, sed tantùm, ut impediat, ne per eas Papa ille fortior, & potentior sit ad offendendum dictum principem, & suos.

Conclusum est per Concilium, Principem hoc posse sub conditionibus, & qualitatibus in articulo propositis.

An ob tale odium notorium, & aggressionem injustam liceat tali Principi se subtrahere ab obedientia hujusmodi Pontificis, attento etiam, quod Pontifex concitavit alios quosdam Principes, & communitates, immo & tentavit cogere ad invadendas terras, & dominia ejusdem Principis, qui potius benevolentia sedis Apostolicæ dignus fuit.

Conclusum est per Concilium, Principem ab obedientia Papæ posse se subducere, ac subtrahere: non tamen in totum, & indistinctè, sed pro tuitione tantùm, ac defensione jurium suorum temporalium.

Tali subtractione licitè facta, quid agendum sit, tùm Principi ipsi, ac subditis ejus, tùm etiam Prælatis, & Ecclesiasticis personis regni sui in rebus, de quibus ad Sedem Apostolicam antea recurri solebat.

Conclusum est per Concilium, servandum esse jus commune antiquum, & pragmaticam sanctionem Regni ex decretis sacrosancti Concilii Basileensis desumptam.

An liceat hujusmodi Principi Christiano armis tueri, ac defendere alium Principem sibi confœderatum, & cujus protectionem legitimè suscepit, &c.

Conclusum fuit per Concilium licere.

Si quod jus Pontifex ad se pertinere contendat, ut patrimonii Sanctæ Ecclesiæ Romanæ partem: contra Princeps Imperii juris sui esse dicat, & de ea Controversia paratus sit, & offerat stare arbitrio, vel judicio bonorum virorum per compromissum, prout de jure: an eo casu liceat Pontifici absque alia causæ cognitione, bellum inferre dicto Principi: & si fecerit, an liceat Principi armis resistere, & aliis etiam Principibus in hujusmodi dissidio ei adesse, eumque defendere: maximè illis, qui ei cognatione, vel affinitate conjuncti sunt, cùm etiam per centum annos

A proximos Ecclesia Romana in ejus juris controversi possessione non fuerit.

Conclusum est per Concilium, licere Principi hoc casu resistere de facto, & aliis ei adesse in jure suo tuendo.

Quod si Papa nolit acceptare, quod Princeps juridicè, & honestè offert, sed contra, non observato juris ordine, contra talem Principem pronuntiat sententiam aliquam, an ei obtemperandum sit, maximè cum non est integrum, ac tutum tali Principi ad Sedem Romanam ire, vel mittere, & jus suum via Juris Civilis, & rationibus defendere.

Conclusum per Concilium non teneri talem Principem parere tali sententiæ.

Si Pontifex injustè, ordine juris non servato, procedens de facto, & manu armata, pronunciet, ac publicet aliquas censuras contra Principes sibi resistentes, eorumque subditos, & confœderatos, an ei parendum sit, & quod remedium adhibendum.

Conclusum est unanimiter per Concilium, talem sententiam nullam esse, nec de jure, vel alio quocumque modo ligare.

Visum est tamen Concilio, ante omnia, mittendos ab Ecclesia Gallicana legatos ad D. Papam Julium, qui fraterna charitate, & secundum Evangelicam correctionem, eum admoneant, ut à cœptis desistere desit, pacemque, & concordiam Principum amplecti. Quod si nolit Legatos in hoc audire, interpelletur de convocando Concilio libero, juxta sacrosancti Basileensis Decreta, & hoc facto, responsoque ejus accepto, providebitur, prout jus erit.

His ita deliberatis, ac conclusis, visum est insuper Patribus congregatis mittendos Ecclesiæ Gallicanæ nomine Legatos ad Julium Pontificem, qui eum humiliter monerent à cœptis desistere, pacemque, & concordiam Principum amplecti: si verò recusaret, de convocando Concilio libero, ex decreto synodi Basileensis compellarent: hisque peractis, ac responso ejus accepto, Quod Juri consentaneum foret se facturos.

Addit Duchennius in vita Julii secundi, tunc concessum fuisse Regi subsidium ingentis summæ pecuniarum super bonis Ecclesiasticis percipiendarum ad impensas belli Italici sustinendas.

CONTROVERSIA.

Ex his diffinitionibus Concilii intelligi potest, quàm schisma perniciosum sit, ex quo filii sese contra Patrem armandi materiam arripiunt, & quàm periculosum etiam sit absque maturo consilio, causisque penitus necessariis magnos principes ad iracundiam provocare, & veluti in desperationem redigere. Ex hoc enim totius principatus, aut regni periclitatur religio, & salus infinitarum animarum, propter quarum salutem, etiam si unica esset, omnes Ecclesiæ Pontifices propriæ vitæ cedere deberent, nedum aliquibus bonis temporalibus. Ergo, (aiebat Vincentius Rigaldus discutiens articulos hujus Concilii in opere jam præcitato in capitulo, *an sit permissum regibus Christianis inferre bellum Pontifici Romano*) non possum cogitare, qua pœna veniunt puniendi illi qui tollunt amicitiam inter Papam, & Regem. Nam æquè esse videtur, & peccant, ac si quis solem tolleret de mundo. Qui idem auctor multa dicit de jure belli, tàm ex parte Summi Pontificis, quàm ex parte regum, quæ quidem non satis accurata, ac rationibus firmata existimo. Aliqua tamen hìc exhibeo hinc, & inde, ex illo deprompta, quamvis in ipso authore parum cohæreant: Videmus, inquit, Summum Pontificem Julium bellum terribile inferre Regi Franciæ Christianiss. Ecclesiæ filio. Queritur Pater de filio malo: sed conqueritur filius de duro Patre, filius servat fidem Patri, sed non è contra. Aaron, & Moyses Summi Sacerdotes ad bella nullo modo accedebant, sed orabant, arma enim Presbyterorum, & munimenta

nimenta Clericorum sunt lachrymæ, & orationes. Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat. Notorium existit per universum orbem, quod ipse Rex non intendit, nec cogitavit terras ipsius Ecclesiæ unquam occupare, nec retinere sicut certus ipse Papa. Sed, ne certior fieret, opposuit nubem, ne transiret oratio: quare offensa videtur esse facta maxima ipsi Regi Franciæ, *&c.* Et si milites Regis, seu duces belli sunt in terris Ecclesiæ, illud non fit jure retinendi, sed conservandi unà cum terris Regis per eumdem, acquisitis juxta formam confœderationis inter eos factam. Opponitur caput *igitur* 23. quæst. 8. ubi videtur dicere, & tenere, quod Episcopi possunt bello interesse. Quare pro solutione est dicendum, quod illud caput *igitur* loquitur de bello contra infideles, puta Saracenos, justè enim infideles persequimur, non Christianos. Quin imò melius est, ut Ecclesia sua auferre desinat, quàm amplius in perniciem Ecclesiæ excandescat. Et posito, dicit Apostolus, quod omnia licent, non omnia expediunt, text. in cap. *aliud* 11. quæst. 1. & ipsum Papam, qui arbitros accipere refugit, apparet evidentissimè de justitia, & jure se diffisum per text. in cap. *Christianis* 11. quæst. 1. Item Deus Ecclesiasticos in suos elegit. Hi namque sunt reges se, & alios regentes in virtutibus, & à Deo regnum habent, prout designat corona in capite eorum posita, & hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni Christi. Rasio verò capitis est signum depositionis omnium temporalium, *&c.* Item nulli licet occidere, nisi habeat potestatem gladii, sed gladius Ecclesiæ non occidit, sed vivificat. Item numquid Hieremias gladium aureum Judæ Machabæo dedit, qui verus habetur Propheta, cognoscit gladium sibi, nec Ecclesiæ pertinere. Imò scribitur ad Thessal. 5. propter opus principum pacem habere cum illis. Item ad Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi, &c.* Imò potiùs vir Ecclesiasticus debet permittere se percuti, quàm occidat, text. & glossa in cap. *unum solum est* 23. quæst. 5. & ratio est boni Pastoris habere manna dulcedinis, non bellum, & habere in pectore scientiam sacræ Scripturæ loco loricæ, & galeæ, nec permittitur viris Ecclesiasticis, qui sub specie ovium subintrarunt, ut sævitia lupi quosdam audeant lacerare. Pro omni conclusione posito, quod Ecclesia gladium haberet, exercitium illius est Ecclesiæ prohibitum ex verbis Jesu Petro dicentis: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Igitur Papa Julius non potest ullo modo bellum inferre. Et si scriptum reperiretur, quod viris Ecclesiasticis esset permissa defensio, cur non ita laicis, puta armigeris Franciæ, si Papa eos aggrediatur, & si sit permissa Clericis, est verum quoad personam, & non pro rebus per Glossam notab. in cap. *Quisque militare;* 23. quæst. 1. Quid igitur de rebus, & juribus Ecclesiæ? Respondetur, quod si Papa Julius prætendat aliquod jus habere in rebus acquisitis per Regem Franciæ, vel eum damnum aliud Ecclesiæ intulisse, arbitros eligere debet, ne veniant ad arma, ut determinent, aliàs ipse Papa cadit à jure suo. Secus in causis Ecclesiasticis, in quibus Papa potest esse Judex in sua causa, & secus in bello præsenti, in quo non potest bellum inferre, quod arbitros accipere recusavit, imò totis viribus opposuit nubem, ne transiret orator: quare non est imputandum Regi Franciæ. Hæc autem attulimus, non quod omnia hujus auctoris dicta probare intendamus cum ipsiusmet Concilii resolutionibus: majori enim discussione indigent, quæ modo necessaria non est (& utinam nunquam sit necessaria) sed tantum ut lector saltem ex parte cognoscat, quibus momentis tunc librarentur Ecclesiæ Gallicanæ determinationes, quas non libenti animo, sed dolenti potiùs Episcopi protulerunt, post pacatiorem Ecclesiæ statum ingemiscentes.

Bellum Julii Papæ.

CONCILIUM NARBONENSE,

Præside Alexandro Zerbinatis tempore Julii III. & Henrici II. Anno Dom. 1551.

DE hoc Concilio Severtius hæc habet in tabula casuum reservatorum Narbonensis Ecclesiæ. Narbonæ quidem multa celebrata fuere Provincialia Concilia, & maximè postremum, Anno Domini 1551. à die 10. mensis Decemb. ad 20. præside Domino Alexandro Zerbinatis jurium doctore, Apostolico protonotario, & generali Vicario Illustrissimi Cardinalis Pisani tunc Archiepiscopi Narbonensis, præsentibus vicariis generalibus Reverendissimorum Episcoporum suffraganeorum. At illa Synodus articulos casuum non definit, sicut nec moris est in Concilio Provinciali semper id præstare: verumtamen præcipitur ibidem rigida observatio casuum reservatorum Reverend. Archiepiscopo, & singulis Provinciæ Episcopis: sive de jure, sive de consuetudine. Hæc ille. Attamen plures Canones in hoc Concilio conditi sunt, quos ad calcem suæ collectionis novissimorum Galliæ Conciliorum edi curavit Ludovicus Odespum, in quibus vix quidpiam singulare annotamus.

CONTROVERSIA.

NUnquam forsitan simile Concilium reperiatur, in quo soli procuratores interfuerint. Legimus quidem in Concilio Lugdunensi sub Pelagio I. anno 588. celebrato ex viginti Episcopis duodecim per procuratores interfuisse, & subscripsisse, & solemne etiam est in Conciliis generalibus Papam per legatos suos interesse, sed, quod omnes Episcopi eodem modo interfuerint, nusquam legitur extra præsens Concilium. Qua de re disputari posset, & in dubium revocari, an sit eadem ratio de Summo Pontifice, ac de cæteris Episcopis. Quicquid tamen sit, non admodum magnæ esset authoritatis Concilium hoc modo celebratum.

Cæterum de potestate Vicarii generalis Episcopi hic accepta occasione aliqua proponere non erit inutile, cum quæstio sit obscura, & paucis ventilata: An Jurisdictio Vicarii generalis ordinaria sit, an delegata, loquendo in genere, controversia est: & sunt authores, ac rationes pro utraque parte. Quære de hoc apud Thomam Sanchez de matrim. l. 3. disp. 29. Qui cum pluribus, quos allegat in magno numero, docet esse ordinariam. Maximè quia jus dat Vicario Jurisdictionem, non Episcopus, qui eum constituit, cap. 2. de Officio Vicarii in 6. Ubi habetur de Officio Judicis delegati. Quod tamen non caret difficultate, cum eadem sit proportio Vicarii alicujus Parochiæ in ordine ad Curatum, ac Vicarii Diœcesis in ordine ad Episcopum. Ille tamen ordinarius non est, sed delegatus. Militat quoque eadem ratio pro ambobus: quippe ille censetur delegatus, qui nomine alterius agit, non nomine proprio, sicut uterque videtur hic agere.

Pote. Vicar. Genera.

2. Posset Jurisdictio Vicarii generalis esse ordinaria quoad aliqua, puta ea, quæ Canon illi tribuit, delegata verò quoad alia, quæ Canon illi non concedit, sed Episcopus ex mera voluntate. Patet hoc in Episcopis, qui utuntur Jurisdictione ordinaria in multis, in aliis verò jurisdictione delegata à summo Pontifice, juxta Concilium Tridentinum, in quo conceditur illis, ut plura agant in sua Diœcesi tanquam sedis Apostolicæ delegati. Atque hoc forsan fefellit Thomam Sanchez, quod aliqua in jure Canonico tribuantur Vicario generali Episcopi, unde à dicto secundum quid conclusit dictum simpliciter. Sed & videndum, ne sæpè jura confundant Officialem rerum contentiosarum judicem cum Vicario generali in

in temporalibus, ut vocari solet, cùm in Gallia valdè discrepent, & ab Officiali appellari non potest ad Episcopum.

3. Jurisdictio Vicarii generalis non potest esse ordinaria quoad omnia. Patet, quia Canones non concedunt illis omnia, quæ pertinent ad forum, & jurisdictionem Episcopi, sed aliqua dumtaxat: ergo non poterunt ex vi Canonis omnia agere, sed indigebunt etiam commissione, & delegatione Episcopi quoad multa. Unde colligitur Vicarium debere examinare suam commissionem, & simul Canones, ut videat, quid possit, & valeat, ne sub titulo Vicariatus generalis aliqua usurpet indebitè, & facultates aliis concedat illegitimè, & invalidè. Probat autem istud cap. 2. de officio, & potestate judicis delegati in 6. licèt in Officialem Episcopi per commissionem Officii generaliter sibi factam causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquos excessus, seu aliquos à suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem, nisi sibi specialiter hæc committantur, & cap. 2. cùm in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: Officialis, & Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa. Ex quibus liquere potest multa non licere Vicariis generalibus, quæ posset ipse Episcopus, nisi ab eo speciale mandatum habeant.

4. Cùm in litteris Vicariatus generalis est clausula generalis hæc (& omnia alia, quæ per nos possumus, etiamsi mandatum exigant speciale) non tamen in vim hujus clausulæ poterit omnia in spiritualibus Vicarius generalis, nisi aliquid in specie expressum fuisset de spiritualibus; ita glossa ad præcitatum cap. 3. de officio, & potestate judicis delegati in 6. post Hostiensem de officio Archidiaconi cap. *Significasti*.

5. Plura sunt, quæ speciale mandatum Episcopi requirunt præter concessionem generalem Vicariatus. Docet Barbosa de potest. Episc. 3. par. allegat. 54. affertque ex hujusmodi capitibus quadraginta novem, quamvis ea omnia nominatim exprimere necesse non sit, sed ex illis aliqua cum clausula generali & ad omnia alia, etiamsi speciale exigant mandatum.

6. Non potest ex generali concessione facultatem, seu licentiam confessionis audiendæ aliis concedere. D Ita Barbosa loco citato num. 91. citatque Hostiensem in Summa tit. de Pœnitentia, §. *cui confitendum*, Joannem Andream in cap. 2. de Pœnitent. lib. 6. Dominicum Ancharanum, Franciscum, Albericum, necnon Sotum in 4. dist. 18. quæst. 4. & quæst. 24. num. 3. & Thom. Sanchez lib. 3. de matrimon. disput. 29. numer. 14. qui numero sequenti contrariam sententiam ut probabiliorem tuetur, illamque uberiori numero Doctorum confirmat. Quamvis possit ipse ex vi mandati generalis fidelium confessiones audire. Ibidem quoque docet Sanchez ex commissione generali, quam habet Vicarius, posse matrimonio assistere, atque alii sacerdoti licentiam assistendi committere. Eum sequitur Pontius de matrimonio lib. 5. cap. 11. pro utroque capite, tàm de confessionibus, quàm de matrimonio. E Aitque etiam Vicarium generalem posse concedere licentiam absolvendi à reservatis post Emmanuelem Sà, verbo *Vicarius*. Quorum tamen opinio procedit ex hac suppositione, quod Vicarius generalis sit ordinarius etiam in iis, quæ illi jus non concedit. Quæ sententia veritati non satis videtur consona, cùm sic Episcopus non posset limitare, & coarctare jurisdictionem Vicariorum suorum in danda licentia audiendi confessiones, & assistendi matrimonio. Quod utique absurdum est. Unde simili argumento colligit Diana tract. 4. par. 3. resolut. 228. Concilium non tribuere potestatem Vicario dispensandi de denuntiationibus matrimonii, sicut non potest tollere parocho licen-

A tiam assistendi matrimonio, neque potestatem concedendi alteri licentiam. Quod ergo Episcopus denegare potest Vicario, cui generalem administrationem commisit, signum est non esse illi concessum à Concilio, eo ipso, quod Vicarius est. Et ita declararunt Cardinales Concilii interpretes, quod Concilium dans potestatem Episcopo dispensandi in denuntiationibus nomine Episcopi, non intellexit Vicarium, unde indiget speciali commissione, ut illas remittat, ibid.

7. Quid possit, vel non possit Vicarius generalis Episcopi, ex ejus commissione mensurandum est, ut benè asserit Angelus, verbo *Vicarius*. Censetur enim unusquisque velle jus suum sibi servare, quod non cessit expressè alteri. Unde si in commissione Vicariatus generalis apponatur hæc restrictio, servando jus, B & antiquas consuetudines, ut legitimè censeatur aliquid agere Vicarius, videndum, an agat, secundum quod consueverunt præcedentes Vicarii; & utrum in jure, & Conciliis contineatur, quod hoc, aut illud possit Vicarius generalis. Unde Vicarii Episcoporum sæpè dubitant, an possint plura concedere titulo Vicariatus, quæ posset indubiè Episcopus, sicut in quodam observavi.

8. Delegatus specialiter ab Episcopo in aliqua causa, non potest impediri per Vicarium generalem sine speciali mandato. Quia non intendit Episcopus, ut, quod ipsemet ædificavit, destruat Vicarius. Favet Chassaneus in Cathalogo gloriæ mundi, parte 7. consideratione 20. infert Alexander consilio 79. incip. *circa primum*, col. 3. versu *quis igitur*, in 1. vol. quod C delegatus Papæ est major Episcopo, & delegatus ab Episcopo est major Vicario Episcopi in illa causa: unde ab eo ad Vicarium non posset appellari. Romanus singul. 458. & communem tenet Guido Papa quæst. 272. quapropter sanum est consilium pro hujusmodi Vicariis, ut, quæ sit intentio Episcopi, diligenter perquirant, maximè circa ea, in quibus jurisdictio esset essentialis, ut in sacramento Pœnitentiæ, in quo nullus defectus major, quàm defectus jurisdictionis.

COLLOQUIUM

POISSIACENSE,

In causa Religionis cum Ministris Calvinianis, tempore Pii Quarti, & Caroli Noni, Anno Domini 1561.

Collectanea hìc varia dabimus, ex quibus gesta in conventu intelligantur, incipiemusque ab excerpto ex quodam anonymo edito Parisiis ann. 1561. apud Claudium Fremy, via Jacobæa ad insigne sancti Martini, cum hoc affixo titulo.

Ad Illustrissimos Cardinales, Reverendissimos Episcopos, Religiosos Abbates, Circumspectos Diœceseon Legatos, ad Poissiacum coadunatos. Consilium.

Multæ, & graves occurrunt quæstiones, quæ à vobis in hoc vestro amplissimo, & frequenti *Causa fidei.* Patrum conventu dirimi posse multi existimant (Patres amplissimi.) Mihi verò multa cogitanti, de duabus tantùm agendum esse videtur, de fide scilicet Christiana, & Catholica purè retinenda, ac de labe morum Ecclesiasticorum abluenda. Quod ad fidem attinet (potissimum caput totius disputationis) non arbitror *Marci 16.* vos velle de ea differere: cùm ad Oecumenicum Con- *Rom. 10.* cilium spectet de ea statuere. Nam fidem, qua salvamur, Catholicàm esse oportet, quam Apostoli prædicaverunt (ubique enim vox Euangelii personuit) veræ

veræ igitur fidei cognitionem non poteftis vobis vendicare, cùm fit omnium gentium proprium opus. Veftri muneris eft, circumfpicere undequaque, fi majorum decreta, fi fidei caftitas, & integritas his calamitofis temporibus in veftris Provinciis integra fit. Quod fi lues aliqua populum vobis creditum contaminaverit, ineunda eft vobis ratio fanandi, non exulcerandi, & fævientis hoftis habenas, vehementi tuba Euangelii refrænare debetis, non colloquio aliquo familiari, aut difputatione, cùm dicat Apoftolus: *Noli contendere verbis: ad nihilum enim utile eft, nifi ad fubverfionem audientium* . . . . qui etiam, fi à vobis revera, & tefte eorum confcientia victi fuerint, fucis tamen fuis caufam intricabunt, ut fæpè expertus eft Tertullianus, cum quibus luctabatur quotidiè, & vincebat, nemo tamen eorum refipifcebat, ne cuiquam defipuiffe viderentur.

1. Tim. 2.

Id confirmat exemplis Arrii, Pauli Samofateni, & Sadducæorum, cum quibus difputare inanis labor fuit. Pharifæi à Chrifto victi funt, placati non funt: quomodo tu poteris eos placare, cùm viceris, numquid Chrifto fortior es? Addit auctoritates Origenis, Tertulliani, Divi Auguftini. Quod fi in arenam volueris cum illis defcendere, diffidium implacabile ubique excitabitur, & vulgus earum rerum fibi judicium fumet: eaque rerum facies rifum potiùs, tragicumque præbebit fpectaculum, quàm pacem, & concordiam pariat, &c.

D. Chryfof. ho. 26. Domi. 18. poft Pent.

Ad hæc lege cautum eft difputare cum hæreticis . . . . *nam injuriam facit judicio reverendiffimæ Synodi, fi quis femel judicata, ac rectè difpofita revolvere, ac publicè difputare contenderit.* Nunquam enim idoneum judicem controverfiarum hæretici invenirent: nam ab Ecclefia ad fcripturam provocant, Arrianorum more, &c. Cùm à fcriptura obfcura ad Ecclefiam judicem, & interpretem provocamus, quæ habet Spiritum Sanctum omnem veritatem fuggerentem. Audi Tertullianum ad fcripturas provocare prohibentem . . . . . *Nam Chriftiani nullum jus capiunt Chriftianarum litterarum, ad quos meritò dicendum eft, qui eftis? quando, & unde veniftis? quid in meo agitis, non mei?* & quod paulò ante fcribit, fcripturas ad Ecclefiam fcriptas: non Ecclefiam ad fcripturas, &c.

Co. de fum. Trin. l. nemo 24. q. 1. c. majores.

De Præfcr.

Rurfum, cùm hodie vulgus imperitum hærefeos infimulet multos ex vobis, vel accufet in fide fluctuare, vel (quod gravius eft) errare: ut huic opinioni falfæ per ora hominum volitanti occurratis, operæ pretium eft, ut antequam quifquam veftrum in conclave admittatur, vel egrediatur, profiteatur fidem Catholicam, non modò fymbolum Apoftolorum, & Athanafii, fed de feptem Sacramentis, & eorum fructu, & effectu in primis examinetur, jurisjurandi religione interpofita, fe, quod habet de religione in pectore claufum, in ore etiam promptum habere, ut fitis perfecti in eodem fenfu, &c.

Matth. 16. Erafm. de præpar. ad mortem.

Inducit ad hoc exemplum Chrifti interrogantis Apoftolos de fide: *Vos autem, quem me effe dicitis?* Pergit deinde. Veftro exemplo excitabuntur Chriftiani . . . & tutiffimum Carbonarii exemplum fequentur, qui agonis gravis tempore rogatus à quodam pio viro, ac docto, quid crederet, fymbolum recitavit: cùm interrogaret ille, quid prætereà crederet, refpondit: quod Ecclefia credit Catholica. Ille verò, quid credit Ecclefia, quod ego, inquit, credo, &c.

Itaque, qui præeft inter vos, primus fuæ fidei teftimonium edat, demum alios figillatim interroget: vos quem dicitis effe Chriftum? . . . . . nec fatis effe putetis, fi fymbola recitent, &c. Nam Chore, & Datan cum facerdote Aaron, & Moyfe, eumdem Deum noverant pari lege, & religione viventes: tamen, quia loci minifterium tranfgreffi contra Aaron facerdotem . . . . . . facerdotii licentiam vindicarunt, divinitus percuffi, pœnas ftatim pro illicitis conatibus pependerunt.

Vult interrogari Epifcopos de peccato originali, de Chrifmate, de Confeffione peccatorum, de poteftate clavium, de Euchariftia, &c. Quod fi quifpiam adeò defipiat, ut vobifcum fidem Catholicam profiteri, etiam in particularibus hifce articulis nolit, hunc notate . . . . . & agite apud Regem, ut ab Ecclefia omninò abjiciatur, qui concordi focietate fubfcribere noluit. Sic enim fecerunt Patres in Concilio Antiocheno, qui cùm hærefeos Paulum Samofatenum damnaffent, nec victus refipifceret, egerunt apud Aurelianum Imperatorem, ut manu publica de Ecclefia Epifcopali deturbaretur, &c.

Jubet Leo Pontifex, ut pleniffimo examine difquiratur, an fint aliqui inter Epifcopos hærefis contagio polluti, &c.

Ad Tu[...] Epifc. ep[...] 91. ep 2[...]

Ideò Leo, Artici Epifcopi Conftantinopolitani, fidei fatisfactionem non recepit, ni Eutychen clarè damnaret.

Divus Pater Cyprianus cum collegis fuis, Privatum veterum hæreticum caufam fuam agere volentem in Concilio Epifcoporum, hominem non admifit, quin imò fententia novem Epifcoporum, cum fuis Pfeudoepifcopis condemnatus eft. Vos horum exemplo, &c.

Epift. I[...]

Jacto hoc fidei fundamento, Patrum mores, & pias confuetudines, paulatim torrentis modo præcipitatas, quantum in vobis eft, reftituite; repetentes cum Auguftino verfum illum Ennii Poetæ.

Moribus antiquis ftat res Romana, virifque.

. . . . . . Epifcopi, Abbates, Priores electione ordinentur, qui teftes effe poffint coram Deo, *eorum, quæ fecit Jefus* . . . . multi enim precibus armatis, & litteris commendatitiis in numerum paftorum cooptati funt, ut mirum non fit, fi tàm negligenter munus fuum fubeant. Date operam apud Pontificem, & Regem, ut Paftores *per oftium* intrent, claufa autem fit janua furibus, &c.

Act. 2.

Joan. 10.

Item, Ecclefiæ deformatio inde orta eft, quia uni homuncioni imperito, perfido, vixdum Clerico, duo, tria Sacerdotia, Monafteria, Prioratus, Præpofituræ committuntur. Hoc in primis execrabile, &c.

Pingue aliquod, quod vitæ honeftè degendæ fatis fit, retinete. Quod fi hoc meum confilium grave nimis videatur, pars aliqua fructuum, unde vos tueamini, falva maneat. Hanc annuam penfionem (quam prifca difciplinæ feveritas non agnovit) tolerabiliorem cenfeo, quam fi retineatis, omnia cum gravi difpendio rei Ecclefiafticæ, & cum periculo animarum veftrarum, &c.

Neque putetis vobis licere, quod lubet, fed quod expedit faluti animarum veftrarum, & plebis. Alioquin non video, qua ratione faces hæreticorum in omni terræ angulo accenfas extinguere poffitis. Verendum eft, ne majorem invidiam vobis confletis, & linguas maledicorum exacuatis in vos, fi Conventus hic vefter, re infecta, diffolvatur. Navate omnem operam, ne nafcatur ridiculus mus.

Hac œconomia Ecclefiaftica ita compofita, unufquifque in vocatione, in qua vocatus eft, ambulet. Ad Epifcopatum vocatus es? prædica verbum Dei opportunè. Perluftra tuam Provinciam . . . . Sacramenta miniftra confirmans fratres tuos. Neque deferas fponfam tuam . . . . Theologos veros, & pios habeas tecum fubfidiarios, potentes & opere, & fermone, non adulterantes verbum Dei . . . . . . edentes, & bibentes, quæ apud te funt. Vos tales, ac tantos Theologos veritatem palam dicentes, adverfus lupos latrantes floccifeciftis. Hinc colluvies malorum veftrorum: hinc miferè collabitur Romana Ecclefia. Vos agafones, &c. Parafitos (& id fæcis hominum) confcientia reclamante, lege vetante, honeftate prohibente, Theologis antepofuiftis. Hoccine eft Epifcopi Chriftiani factum; Vobifipfis, quorum maximè intereft, animadvertite.

Ad Monafterium accitus es? efto unius moris, & ha-

habitus cum fratribus cæteris . . . . ora, obsecra pro Regibus . . . . . compesce insolentes Monachos . . . . humilitatem sectare, &c.

Ad Decanatum accitus es: age, chorum rege, Canonicos doce, corripe. Neque est, quod speremus meliora, imò in dies graviora nobis metuenda sunt, & expectanda: nisi revertatur quisque in eum ordinem, quem Deus in civitate sua constituit: ut Ecclesiam, quam Christus sanguine suo acquisivit, regamus: & in ea suum quisque munus fortiter tueatur. Pugnemus igitur contra serpentem antiquum unanimes, mutuis auxiliis nosmetipsos juvantes, &c.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: In Concilio justorum, & congregatione.

HÆc monita dabat Anonymus ille, quæ, prout unusquisque in suo sensu abundat, tunc opportuna judicabat, deprehendimus autem postea hunc fuisse Religiosum Præmonstratensem, extatque ejus oratio integra in Bibliotheca Præmonstratensi. Horum autem præcipua capita dedimus rati, non ingrata fore lectoribus, cùm aliunde ad Colloquium ipsum spectent, cujus descriptionem sic accipe ex Spondano in continuatione Annalium Baronii ad Annum Christi 556. paucis admodum resectis, quæ minus ad rem attinere visa sunt.

Historia Colloquii Poissiacensis.

SEcutum post hæc est Colloquium Poissiacense, quod oppidum est ad Sequanam flumen . . . . non longè à San Germano, Lutetia distans septem circiter milliaribus Gallicis. Fuit autem hic conventus Colloquium potius, quàm Concilium appellatum, quamvis fuisset prius deliberatum de Concilio nationali celebrando: tùm quod intercessisset semper Pontifex, ne Concilium nationale celebraretur in præjudicium generalis jam indicti: tùm maximè in gratiam sectariorum, qui pro certo habentes, si Concilium celebraretur, ipsorum ministros non admissum iri ad dicendam sententiam cum Prælatis; maluerunt Colloquium, sive collationem postulare, in qua ex æquo de articulis controversis disputaretur: eo quidem consilio, ut si Catholici venire detrectarent, sectarii jactarent refugisse eos, ne idololatriæ, & superstitionis convincerentur: sin venirent, adeo eos suis aculeis, cavillationibus, & calumniis in religionem Catholicam, Pontificem Romanum, ordinem Ecclesiasticum, in indignationem provocarent, ut collationem cum dedecore dissolvere cogerentur. Indictum autem Colloquium in quartum idus Augusti, nonnisi quinto nonas Septembris initium habuit. Nec tamen initio affuit Hyppolitus Esteus Cardinalis Ferrariensis, quem Pontifex, cùm vidisset rem omninò deliberatam, mittere decreverat, ut saltem curaret, ne quid de articulis controversis statueretur, antequam in Concilio generali examinati, & decisi fuissent. Properantiores sunt enim in suis consiliis exequendis Galli, quàm ut Romanas cunctationes operiri possint, &c.

Interfuerunt autem cum Rege, & Regina Navarræ, aliisque principibus regii sanguinis, & utriusque religionis magnatibus, & sanctioris consilii senatoribus, sex Cardinales, Borbonius, Turnonius, Castilioneus, Lotharingius, Armeniacus, & Guisius, ac quadraginta circiter Episcopi . . . . . . cum delectis Theologis Parisiensibus, Claudio Espencæo, Claudio Sanctesio Canonico regulari, & aliis. Ex parte hæreticorum adfuerunt Augustinus Marloratus Lotharingius Apostata Augustinianus, & minister Rothomagensis, Theodorus Beza Burgundus, præcipuus Calvini discipulus . . . . Joannes Malo Presbyter olim in Ecclesia sancti Andreæ de Arcubus Lutetiæ, fidei desertor . . . . Petrus Martyr

A Italus Apostata ordinis Canonicorum regularium, Joannes Spina Gallus, qui, deserto nuper Dominicanorum ordine, cæteris se aggregavit, ut numerum perfugarum augeret. Alii ejusdem abominationis homines, numero tredecim, &c.

Quinto nonas Septembris principium actioni datum. Cujus introitu ministri specimen suæ arrogantiæ dantes voluerunt intra septum, in quo Rex cum principibus, & Episcopis sedebat, irrumpere, & aliquem sibi locum usurpare: qui jussi sunt extra consistere, ac stantes loqui, cùm Doctores Catholici post Episcoporum sedilia in scamnis sederent . . . . Principio autem actionis Rex ad id instructus, monuit omnes, ut turbis per totum regnum nascentibus salutaribus consiliis consulerent, quæ emendationem

B requirerent, corrigerent, nec prius discederent, quàm dissidia composita essent. Cujus sententiam Hospitalius Cancellarius pluribus prosecutus, ac de necessitate, & utilitate Colloquii, non sine sugillatione Pontificis, ac Conciliorum generalium prolocutus est, haud antiquum oblitus, petitis à medicis, & medicina similitudinibus, ad pacem, & concordiam hortatus est, ac præcipuè Catholicos, ut à sectariis, qui fratres essent, eodem Baptismatis lavacro regenerati, ejusdemque Christi cultores non abhorrerent, &c.

Cùm autem longè alia, quàm quæ proposita ante Colloquium fuerant, sua oratione proposuisset; Cardinalis Turnonius antistitum princeps assurgens petiit, ut, quandoquidem ea nova essent, nec posset iis *Card. Turnonius.*

C extemplo responderi, scripto traderet, ut de iis Cardinalis cum Collegis responderet. Recusante Hospitalio metu, ne inde sibi negotium facesseretur, jussus à Regina Beza loqui, post ostentatam per preces ad Deum de geniculis factas pietatem, cujus cultor videri volebat, & benevolentiam Regis imploratam, iniquè secum agi dixit, quod tanquam turbulenti, seditiosi, & publicæ tranquillitatis perturbatores vulgo traducerentur: qui tamen nihil aliud sibi propositum haberent, quàm Dei gloriam, & pacem conscientiarum: tùm ad dogmata transiens, postquam de iis, in quibus cum Romana Ecclesia convenirent, & in quibus dissentirent, prolixè disseruit, tanto nequam spiritus impetu abreptus est, ut etiam suæ professionis hominibus parum acceptus fuerit: Catholicis *Beza.*

D autem adeò exosus, tùm præcipuè, cùm ausus est execrabiles in sanctissimam Eucharistiam ore impurissimo blasphemias effutire, dicens tantum ab ea distare Corpus Christi, quàm supremum cœlum ab infima terra; ut non sine adstantium fremitu, ac strepitu auditus fuerit, &c. Turnonius autem Cardinalis justa indignatione commotus, ad Regem conversus, dixit: Antistites, qui adessent, contra animi sui sententiam convenisse, ac conscientiis suis vim intulisse, cùm, ut novi illi Euangelistæ audirentur, consensissent: prævidisse enim fore, ut multa in Deum contumeliosa eructarent: ac proinde, nisi Regis mandatorum rationem habuissent, consessum abrupturos. Majestatem igitur Regiam orare, ne iis, quæ dicta essent, fidem haberet: Antistites contrarium adeò verum esse demonstraturos, ut quodnam sit inter verita- *Heretici in Eucharist. cõtumeliosi.*

E tem, & mendacium discrimen, facilè appariturum foret. Beza autem impudentis imprudentiæ suæ conscius, de verborum temeritate excusavit se postea apud Reginam, &c.

Placuit deinde, ut ad duo tantùm capita de Ecclesia, & Eucharistia disputatio revocaretur. Instauratoque Colloquio decimo sexto Kalendas Octobris, Lotharingius copiosissimam, fundatissimamque habuit orationem, quæ post edita fuit. Cujus hæc summa est, ut principio asseruerit Regem non caput esse, sed membrum Ecclesiæ: ejus quidem tuendæ curam præcipuam ipsum gerere, sed in iis, quæ doctrinam spectant, Ecclesiæ Ministris subjacere: Ecclesiam non solis electis constare: universalem errare non posse: *Rex nõ caput est Ecclesiæ.*

si quan-

si quando singularis aliqua errat, ad Romanam tùm A esse recurrendum ad generalium Synodorum decreta, & consentientes antiquorum Patrum sententias: sed ante omnia ad sacram Scripturam, Ecclesiæ sensu, atque interpretatione explicatam: hæreticos, quod ab hac via deflexissent, in errores inextricabiles sese præcipitasse: Nuperos in sacrosanctæ cœnæ Dominicæ mysterio, insanabili quæstionum curiosarum pruritu, quod à Christo ad nos arctiori unionis vinculo constringendos est institutum, ad Ecclesiam odio irreconciliabili discindendam adhibuisse. Hancque quæstionem paulò fusiùs tractans, &c. Conclusit demum nullam cum sectariis, si in ea sententia permanerent, concordiæ rationem iniri posse. Ad quæ cæteri Cardinales, & Episcopi assurgentes, in ea fide, quam Lotharingius professus fuerat, se vivere, & mori paratos declararunt: B Regem, ut in ea perseveraret, obsecrarunt; promittentes, si huic articulo sectarii subscribere non recusarent, se de cætero disceptationem non detrectaturos: sin autem, tùm ab omni audientia excludendos, tùm toto Regno eliminandos. Quare hìc colloquio finem impositum cupiebant.

Nihilominus illud denuo 8. Kalendas Octobris repetitum est: quo Beza respondere conatus orationi Cardinalis Lotharingii, disputavit etiam cum Doctoribus Espencæo, ac Sanctesio de eisdem, aliisque capitibus: aliaque insuper fuere inter Theologos cum non parvo tumultu agitata. Quando & impotens sui sensus Beza, Catholicorum rationes, quibus de ipsius, cæterorumque Ministrorum vocatione ostendenda premebatur, solitis technis eludens, ad carpendam præsulum institutionem, & ordinationem divertit, & quasi vitio factam pro legitima minimè habendam contendit. Idque ipsum rursus alio conventu ex scripto repetiit. Quo tempore Jacobus Laynius Præpositus Generalis Societatis Jesu, vir pius, & doctus, natione Hispanus, quem Cardinalis Ferrariensis Papæ Legatus secum adduxerat, eodem consessu interfatus, Protestantes, atque sectarios, lupis, vulpibus, & serpentibus similes esse dixit, illosque à Concilio amandandos. Reginam autem (aberat à consessu Rex) compellans, liberè monuit, hæc neque ad ipsam, neque ad quemquam principem sæcularem spectare, sed ad Pontificem, Cardinales, & Antistites pertinere; nec fas esse, dum Concilium universale celebraretur, privatum Colloquium institui. Ad cujus libertatem commota non parùm D Regina, Legati tamen ibi præsentis reverentia rem dissimulavit: ac nihilominus destitit deinceps ab hujusmodi congressibus.

Vocatiò Minist. hæret. nulla.

Quibus aliquoties repetitis, & quinis ex utraque parte delectis ad disputandum, cùm in nullo convenire possent, solutum est Colloquium vigesimoquinto Novembris, quo primùm sectariis in Gallia de Religione disputandi facultas concessa est, pessimo exemplo, dum errores pridem legitimè damnati retractari permissi sunt. Et quamvis nihil ibi conclusum fuerit, valdè tamen sinistrè inde Regina apud omnes Catholicos, tùm maximè apud Pontificem, & Regem Hispaniæ audivit: apud quos, missis Legatis, excusare sese conata est. Pontifex autem, ubi certior factus est Colloquium nullo fructu solutum, magnam inde sensit lætitiam, & laudatis Catholicis, qui strenuè se in eo gessissent, è contra orationem Cancellarii, tanquam multis partibus hæreticam damnabat, ad Inquisitionis Tribunal citandum interminatus. Cùm autem nullus fuisset constitutus Judex disputationum; sectariis omnem respuentibus, præter Scripturam suo privato cujusque sensu expositam, ac propter ea non mirum videri deberet, si nulla inter partes consensio intervenisset, victoriam sibi utrique vindicarunt....... Mentitur autem insigniter Lavatherus, cùm ausus est scribere, Catholicos cum Ministris consensisse. Quomodò enim id contingere potuisset, cùm nec ipsos Ministros inter se convenisse iisdem scriptis disertè appareat?

Inutile colloquium.

Controversia inter Doctores, & ministros.

CÆterum, quod spectat ad particulares controversias in eo Colloquio habitas, non videtur hìc omittendum, quod aliquis Bezæ socius dixit, cùm à Catholicis confutaretur ejus blasphemia de Eucharistia: quomodò, inquit, credat Beza esse Christi Corpus in Eucharistia, qui vix in cœlo Deum ullum esse credit; cumque de eadem præsentia validissimis argumentis urgeretur, ad eam delapsus est insaniam, ut mallet Deum negare omnipotentem, quàm Christi carnem in Eucharist. præsentem confiteri. Illud etiam Angeli, *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, non sine exceptione accipiendum esse dicebat: factum enim nequit fieri infectum, & bis tria nequeunt non esse sex, &c.

In disputatione autem, quam Doctor Sanctius habuit contra eumdem Bezam de vocatione ministrorum, protulit adversus eum, ut refert Bzovius ad Annum 1561. Epistolam Lutheri ad Senarum Malhusium adversus Anabaptistas, & nonnulla alia. Ad quæ respondente Beza, fidem è solis Scripturis sacris pendere, ac probari, inter alia designavit illi articulos de Beatæ Virginis post partum virginitate, & de infantium baptismate administrando, quos hæretici crederent, etsi scripturis expressis non continerentur. Dixit Beza, piè se credere virginitatem Beatæ Virginis Mariæ post partum, non tamen in articulis necessariis ad salutem se illud ponere. Cui, cùm objecisset: cur istud ergo inter articulos symboli Apostolici, ac fidei necessarios ad salutem in publica sua confessione coram Rege pronuntiata, & scripto tradita annumerasset, obticuit; & ad Baptismum parvulorum transiliens, eum præcipi dixit ab expressa scriptura de circumcisione, quæ jubetur conferri octavo die. Subjecit Sanctius ex ea Scriptura tantùm masculos fore tingendos, & non infantes fœminas, cùm puellæ non subirent circumcisionem. Obmutuit iterum Beza, in risumque effusis omnibus, solutum est eo die Colloquium.

Sanct...

Beza m...tus.

Altero die apud sanctum Germanum oblata fuit Bezæ formula de Eucharistiæ articulo, his verbis concepta: *firma fide confitemur, in augustissimo Eucharistiæ sacramento verum Christi corpus, & sanguinem realiter, & substantialiter esse, & existere, sumi, & percipi à communicantibus*. Qua in manus accepta, & perfecta, Sanctium convenit, quæsivitque, an ablatis verbis, *esse, & existere*, quod reliquum erat de formula, Catholicis sufficeret. Qui respondit, sui non esse ea de re definire: attamen videri sibi, verbis illis remotis, formulam sonare Calvinismum, aut saltem nimium ambiguam relinqui. Ex Catholicis, qui aderant, cùm subscriberetur illa, nonnulli precabantur illustrissimum Cardinalem Lotharingium, ut aliquid in ea subindicaret de Transubstantiatione, ne malè apud bonos audiret, quasi per silentium improbaret. Sed illi, atque aliis visum fuit satius de Calvinistarum hæresi ministros primum dejicere, deinde gradatim de singulis erroribus contra Ecclesiam Catholicam cum ipsis agere, ne longius resilirent, quo impellerentur asperius.

E Postquam igitur Beza nec litteras in cœlo scriptas pro sua vocatione ostendisset, nec quisquam vocem Christi è cœlo Bezam vocantis audivisset, nec ulla unquam miracula edidisset, rejectus est, ac simul etiam disputationi finis impositus, cùm ostendisset Espencæus, Protestantes, nulla auctoritate vocatos, ac institutos ad ministerium esse, quippe qui neminem citarent, à quo Episcoporum manus impositionem suscepissent, ut ordinaria vocatione se missos esse possint jactare; unde necessariò sequatur, nec secundum ordinem, nec extra ordinem eos in domum Dei ingressos, fures, non pastores dici debere.

Hære... fuga...

Refert Franciscus Sacchinus in histor. Societat. parte 1. anno Domini 1561. de Patre Laynio, qui primus post D. Ignatium Societatis Jesu Generalis fuit, quod cùm in illo Colloquio dixisset Petrus Martyr, quod pro-

propterea, quod Missa sit cruenti sacrificii, quod factum est in cruce, imago, & simulacrum, non posse ibi adesse ipsummet Christum, quod desinat simulacrum rei esse, ubi res ipsa est, rem omnem Laynius hoc simili illustravit. Fac Regem, qui præclaram ex hoste victoriam reportarit, victoriæ ejus memoriam instaurari quotannis velle; id triplici via proclive erit facere. Primum, si narrari rei gestæ seriem jusserit; Deinde, si per actores simulactum belli ipsum referri: postremò, si inter actores ipsemet esse velit; quamque in pugna olim subiit, eam postea in imitatione, & repræsentatione idem ipse personam subierit. Hanc enim cum vera Regis præsentia veram imaginem, veramque repræsentationem haud dubiè fore, idque nunc in divinissimo, & incruento Missæ sacrificio fieri. Ita vir eruditissimus cum plausu.

ra non edit entiâ.

Aliud narrat Franciscus Balduinus in responsione ad Bezam, quod in eo colloquio ridendum se propinavit Beza, cùm pressus loco potentissimo D. Augustini, quo dixit, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoneret auctoritas*; respondit, quod ipse à Calvino, Calvinus à Musculo, qui ei pro cortina erat, didicerat Augustinum eo loco locutum fuisse, ut Manichæum: quam calvam fatuitatem cùm audiret Petrus Martyr, qui Bezæ in eo conventu assidebat, nasum corrugavit, ut erat emunctioris naris, non tamen melioris mentis, quàm Beza.

Testatur insuper Espencæus in Apologia Bezam, & Martyrem, qui à partibus Calvini stabant, inter se non convenisse. Beza enim dicebat, Corpus Christi in Eucharistia reipsa quidem non esse, reipsa tamen in illa manducari: Martyr exclamabat, neque reipsa esse, neque reipsa manducari.

Idem quoque Espencæus in quadam Epistola ad Eustachium Bellajum Parisiensem Episcopum, quæ inter ejus opera reperitur, illi fidem facit de quadam controversia, quam tunc habuit San Germani cum ministris, non enim omnia, quæ pertinent ad Colloquium, Poissiaci sunt acta, sed etiam alia San Germani, propter utriusque loci viciniam.

De vera veri, inquit, corporis, & sanguinis Domini præsentia in his Mysteriis controvertebamur, ut & adhuc controvertimur, & nisi nos Deus respexerit, perpetuò controvertemur . . . . . ejus ergo, quicquid, & quantum est in hoc sacramento Christi carnis, & sanguinis præsentiæ, rationem, qua poteram, urgebam, & malebam, ut hodieque malo Dei verbo, quod, ut reliqua ejus opera, perfectum est, quod omnipotens est: & promissioni, quia fidelis permanet, & seipsum negare non potest: quam hominis sive dantis, sive accipientis fidei, quæ, quamdiu hìc peregrinamur, & corporis (quod corrumpitur, & animam gravat, ac deprimit) infirmitate circumdamur, manca est, infirma, & mutila, atque imperfecta, ut paucis dicam, Dei, quam hominis fidei attribuere. Etsi enim sacramentorum fructus, & profectus adeò fidei apprehendentis est, ut sine hac illa non modò nihil prosint, sed etiam vehementer obsint, eorum tamen dici veritatem, rationem, substantiam, quam etiam ideò formam, & quasi animam, Theologicæ scholæ non malè appellant, in Divino verbo, promisso, & institutio sitam esse, & illinc pendere, ut si hoc desit, & hoc illa si destituantur, mortua undique remanent elementa, seu κωφὰ πρόσωπα. Et hoc quoque nobis reliquum est, ut probemus. Neque verò minus Eucharistia, quàm Baptismus Euangelicis verbis consecratur: aut hujus magis, quàm illius Elementum, sive materia Verbum viventem, loquentemque facit: aut de illa, quàm de hoc minus verè dici possunt illa D. Augustini proloquia, *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, etiam ipsum tamquam visibile verbum; *Detrahe*, inquit, *verbum, quid est aqua, nisi aqua?* ita hìc detrahe verbum, quid est panis, nisi panis? vinum, nisi vinum? aqua, nisi aqua? accedunt verba ad elementa, & fiunt sancta corporis, sanguinisque Domini sacramenta. *Et non interest, cùm de sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit, qui Sacramentum accipit: interest quidem plurimum ad salutis viam, ad sacramenti quæstionem nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, & perversam fidem*. Et hìc quidem, ut & prius, Augustinum de Baptismate tractare agnosco, sed quod & in Eucharistiam quadrare possit, qui sequitur, ejus sermo probat. *Cùm de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quod antea verba Christi, quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, Christi Corpus appellatur*. Augustini quoque Catechista Ambrosius. *Quid dicimus*, inquit, *de divina consecratione, ubi Salvatoris verba operantur? nam & sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur, consecratio enim, quibus verbis, & cujus sermonibus est? Jesu Christi: Reliqua enim, quæ dicuntur, omnia, laus Deo defertur, oratione pro populo, pro regibus, & pro cæteris petitur, ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, sermonibus suis non jam sacerdos, sed Christi utitur; Christi ergo sermo hoc sacramentum conficit: sed quis Christi sermo? nempe is, quo facta sunt omnia: jussit Dominus, & factum est cœlum: jussit, & facta est terra: jussit, & facta sunt maria: jussit, & omnis generata est creatura. Vides, quàm sit operatorius Christi sermo, in cujus sermone si tanta vis est, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto plus est operatorius, ut quæ erant, in aliud commutentur? si operatus est cœlestis sermo in terrenis rebus, non operabitur in sacramentis cœlestibus? ergo didicisti, quod verbi cœlestis consecratione, ex pane Christi corpus, ex vino, & aqua in calicem missis, sanguis fiat, quodque accipis, Christi corpus esse*, &c. Nec aliter Div. Cyprianus de prima sacramenti hujus institutione concionatur: *Ante*, inquiens, *verba illa* (Christi indubiè) *cibus communis nutriendo tantum corpori commodus, vitæ corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo à Domino dictum est: hoc facite, & quæcunque sequuntur: quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni consecratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit*; & paulò post, *panis, quem Dominus porrigebat discipulis, omnipotentia verbi factus est caro, ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia*, &c. In quo Cypriani testimonio singulariter observandum, quod cum verbo fidem junxit; quoties, ait, his verbis, hac fide agitur: & verò nos ea non his jungimus, imò fidem requirimus, non ut non alioqui non sit sacramentum, sed ne non credenti obsit. Et hìc quoque cum Latinis Græci consentiunt. In Justin. altera pro Christianis Apologia ita legimus: *quemadmodum per verbum Dei Caro factus Jesus Christus, carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, ejusdem incarnati Jesu carnem, & sanguinem esse didicimus. Hìc enim Apostoli in Euangeliis sibi Jesum mandasse tradiderunt: sumpto pane, & poculo, dixisse, hoc facite, &c.* Et iisdem argumentis, ac totidem propemodum cum Ambrosio verbis, ratiocinatur Damascenus, Dei vero vero, vivo, efficaci, & omnipotenti, ut omnia, quæcumque voluit, esse perfecta, omnem & cœlorum, & elementorum ornatum, Deum etiam ipsum verbum hominem esse factum: hìc eodem, inquam, verbo, & panem, ejus corpus, & vinum, & aquam, ejus sanguinem effici. *Dixit in principio: producat terra herbam virentem, & usque nunc pluvia facta, producit germina, divino coadjuta, & vigorata præcepto. Dixit item Deus: hoc facite, &c. & omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur*. Addit locum D. Joannis Chrysost. hom. 83. in Matthæum, & aliorum antiquorum Patrum. Deinde subjungit: Et horum quidem locorum, quæ mihi tum occurrerunt, fragmenta indicavi. Quod etiam in primo Augustini testimonio, unde hanc telam exorsus sum, sequitur ita: *Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Etiamsi de baptismi magis effectu, & profectu, quàm de veritate, aut substãtia sonet, ut

Lib. 5 de bapt. c. 14.

Ser. 28. de verb Dom. qui tamen tribuitur D. Ambrosio. De Mister. c. 9. lib. 4. de sacr. c. 4.

De Cœna Domini.

Lib. 4. fidei Orth. c. 14.

ut à nobis utrimque est diligenter excussum. Sic enim conflictum fuit: unde tanta mystico cibo, poculoque virtus, ut in os intret, & cor sanctificet, nisi faciente verbo? Responsum est, mox nullo medio sequi: *Non quia dicitur, sed quia creditur*. Replicatum ibidem subjici, *aliud est in verbo sonus transiens, aliud virtus manens*. Regestum est (scilicet à Catholicis) tandem Augustinum concludere, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, &c. Sunt autem ejus verba: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, etiam nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri salutem*. Ex quibus scilicet verbis dabatur intelligi ex analogia baptismi, & Eucharistiæ etiam non credentem verè Corpus Christi percipere in Eucharistia, quemadmodum infans non habens fidem, verè baptisma percipit. Unde pergens Espencæus, ait: His similibus Patrum testimoniis, &c. olim persuasus partim eorum etiam aliquot tunc memor, sic in formula ex collocutorum consilio Ministris proposueram: *Quia verbum Dei, & promissio, cui fides nostra nititur, præsentia reddit, quæ promittit*, &c. Responderunt inter cætera Ministri pro ea, quæ est inter verbum, & fidem analogia, & vicinia, scripturam non insolenter alteri attribuere, quod alterius est. Itaque non admodum referre, verbine vocula, an fidei, priore loco ponatur: sed quoniam verbum sine fide esse potest, non enim omnium est fides, nec omnes credunt Euangelio: non verò etiam sine verbo fides esse potest, quia fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei, malle se ita scripto inferre: *Quia fides verbo Dei nitens res facit præsentes, quæ promittuntur*, &c. Verum, præterquam quod fides magis propriè dicitur accipere, & apprehendere, quàm vel polliceri, vel præstare: si non ita multum refert, utra vox alteri in formula antecedat; cur non, inquiebam, verbum fidei hìc anteponimus, & sic convenimus, & porrò pergimus? Atque hactenus de Colloquio Poissiaco, & Controversiis in eo habitis inter Doctores Parisienses, & Ministros Hugonotas, ex quibus discimus facilius esse illos vincere auctoritatum, ac rationum pondere, quàm persuadere propter animi duritiem, & superbiam, qua nolunt se fateri victos à veritate: ideoque, & si convincantur, non convertuntur.

Fides facit, ut Euchar. prosit.

Ipsum.

CONCILIUM
RHEMENSE,

Tempore Pii Quarti, & Caroli Noni Regis Galliarum, sub Carolo Cardinali à Lotharingia, Anno 1564.

EX manuscripto Carthulario Archiepiscopatus Rhemensis statuta, & acta non subsignata excerpsit M. Ludovicus Odespurg Presbyter Turonensis, ut in capite novissimorum Galliæ Conciliorum ab ipso editorum reposuit.

Statuta pro reformatione morum novemdecim continet.

Statutum 1. De residentia curatorum.

Statutum 2. De officio curati in deligenda sana doctrina, & prædicanda. Nostrorum hominum desideriis non opinamur melius satisfieri posse, quàm si à Tridentina Synodo conscriptam de religione Catholica doctrinam, nostrarum parœciarum curiones legant, & ad ejus normam conciones suas efforment, populumque instituant.

Statutum 10. De minorum ordinum functionibus restituendis per Ecclesias. Ut Sanctorum ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquando intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis, tanquam otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio cum sanctis Patribus, & generalibus Synodis flagrantes, in cathedrali primùm, deinde in diœcesis collegiatis Monasticis, & Parochialibus, ubi populus frequens, & proventus Ecclesiæ tot ordines ferre possunt, curabimus in cursu visitationis pro Ecclesiarum commoditate has functiones restitui, easque functiones exercentibus stipendia assignari, quibus aut ex parte mulctari, aut in totum privari ab Episcopis poterunt, quoties se negligentes in Officio præbuerint.

Statutum 11. De distincta horum ordinum collatione, minores ordines tantùm his, qui saltem linguam Latinam intelligent, & per temporum interstitia, nisi aliter aliquando expedire videbitur, conferemus, ut accuratiùs, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, & in unoquoque munere, juxta præscriptum nostrum, se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia.

Statutum 12. Ut omnes Clerici sint certæ alicui Ecclesiæ addicti. Dum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius Ecclesiis, cum sanctis Synodis generalibus statuimus, ut nullus in posterum quocumque gradu ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis sedibus vagetur; quòd si locum, inconsultis nobis, deseruerit, ei sacrorum ordinum exercitium interdicatur, &c.

Qui ordinandi.

Reliqua statuta communia sunt.

In actis hujus Concilii refertur, quòd in ejus apertione, Illustrissimi Archiepiscopus, ac Cardinalis utilissimam habuerint concionem, sumpto themate ex loco Joannis, cap. 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum*.

In prima congregatione idem retulit ad Synodum, ut ad Concilium omnibus pateret aditus, qui vel de aliqua re vellent admonere, aut supplicare, aut de aliquo conqueri, seu per Promotorem, seu per se id mallent exequi.

In secunda congregatione idem Metropolitanus magnopere contendit, ut à se inciperet reformatio, dicens se Reverendissimi Suessionensis, & Catalaunensis, qui illic aderant, paratum esse subire judicium. Inquirerent de vita ejus, & moribus, quemadmodum se gesserit in administrando suo Archiepiscopatu, se curaturum, ut afferrentur codices rationum tàm sigilli, quàm registri curiæ Ecclesiasticæ, & ut semel diceret, se omnia facturum, quæ sunt consentanea rationi, & æquitati, &c. Sibi in primis placere esse faciendam fidei professionem: dandumque esse hoc munus aliquibus Theologis, ut unam fidei formulam componant, eamque ad Synodum referant.

Archiep. Rhemens. modestia.

In quarta congregatione. Cùm fidei formula ab omnibus approbata fuisset per verbum *placet*, dixissetque Illustrissimus Cardinalis, se minimè detrectaturum fidem suam profiteri, pro qua tuenda sui majores depugnandum esse duxissent, & adversus incredulos Jerosolymam usque insigni parta victoria bellum gessisse, & pro qua Princeps suæ familiæ per summum scelus mortem nuper obiisset, is deinde surrexit, & ore converso ad R. Suessionensem Archiepiscopatus Rhemensis, & totius Provinciæ Vicarium, eam alta voce pronuntiavit.

In octava congregatione Episcopus Catalaunensis in sua deliberatione circa examen Curionum, dixit sibi minus placere eum, qui gradum aliquem sit assequutus, eximendum esse ab examine, cùm contingat multos sæpè gradum assequi, qui eo non sunt digni, & si digni essent, cùm promoverentur, eos tamen sæpè mutari, & fieri deteriores. Nihilominus Concilium statuit statuto 7. salvis Universitatum privilegiis per examen

Graduati non eximendi.

ex[illegible]en, & collationem illius providendum, qui juxta jura gradum assequuti fuissent.

In cæteris congregationibus plures proponuntur difficultates tàm circa Canones, quàm quorumdam conquestus, quæ variè discutiuntur.

Intererant huic Concilio Joannes Democares procurator Episcopi Laudunensis, Robertus Furnius.

Vocati ad hoc Concilium Episcopi Cameracensis, Attrebatensis, & Tornacensis miserunt procuratores, qui Bullas suæ exemptionis per Pontificem Rom. obtulerunt. Responditque per litteras Illustriss. Metropolit. Rhemensis non cohærere, quod in iis bullis habebatur, Pontificem sua sponte hoc negotium absolvisse, & tamen sæpius interpellatum se fuisse litteris, & verbis à Catholico Rege Hispaniarum. Non vocatos fuisse, qui vocandi erant, Regem Christianissimum, & Metropolitanum Rhemensem, ac rem susceptam esse contra Canones Nicænos, Ephesinos, & Chalcedonenses. Ecclesiam Rhemensem, quæ eos in fide genuerat omni, ut semper antea tanquam charissimos filios charitate amplecti. Datum Rhemis in Concilio nostro Provinciali, idibus Decembris. Hinc occasio data quibusdam tractatibus conscribendis pro ista separatione, quæ jam usu convaluit, & ad quam magis stabiliendam Archiepiscopus Cameracensis suis suffraganeis Episcopis Concilium Provinciale indixit anno sequenti.

CONCILIUM ROTHOMAGENSE,

Sub Carolo Borbonio Cardinali Tituli S. Chrysogoni, celebratum pro moribus reformandis, & Disciplina Ecclesiastica, tempore Gregorii XIII. & Henrici tertii, Anno Domini 1581.

QUo eodem anno, inquit Spondanus ad annum 1581. Carolus Borbonius, frater Antonii olim Regis Navarræ, Archiepiscopus Rothomagensis, Legatus Avenionensis, indictum à se ad Festum omnium Sanctorum Concilium Provinciale Rothomagi celebravit, pro moribus reformandis, & disciplina Ecclesiastica, juxta Decreta universalis Tridentinæ Synodi. Cui unà cum cæteris Provinciæ Episcopis interfuit Claudius Sâctesius ordinis Augustiniani insignis Theologus (quo nomine claruit in eadem Synodo Tridentina, stetitque in Colloquio Possiacensi, ut murus æreus contra hostes Ecclesiæ) Episcopus Ebroicensis, universo notus orbi Christiano, tùm multis aliis fecundi ingenii monumentis, tùm verò maximè præclarissimo illo commentario de Eucharistia, qui etiam hoc Concilium descripsit; cujus acta publicata fuerunt: eorum exemplo cęteri Archiepiscopi ad alia celebranda excitati sunt.

Concilium hoc constat duodecim titulis, sub quibus varia decreta continentur: cum duodecim quæstionibus summo Pontifici ad definiendum propositis cum ejusdem responsione.

Ad titulum *de Episcopis*. Suscepti ad Episcopale ministerium intelligant se non ad propria commoda, non ad divitias, non ad luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse.

Ad titulum *de Episcoporum officiis*. Resignationes factæ prius incognitis, aut his, quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspectæ de Simonia redduntur, præsertim si quid illicitè actum fama proclamat.

Ad titulum *de Curatorum, & aliorum Presbyterorum, ac parœcianorum officiis*. Can. 18. ad servitium parœciale perficiendum, præsertim Dominicis diebus, & festivis, non solùm obligantur Curati, & Vicarii, sed omnes ejusdem parçciæ presbyteri: qui illi adscripti sunt. Nisi ergo Presbyteri prædicti in habitu Sacer-

A dotali, cùm superpelliceo, horâ competenti, convenerint, quo ut conveniant, etiam qui non sunt adscripti, hortandi sunt, & in Officio divino ad finem usque cantantes, aut administrantes perstiterint, damus Curatis potestatem post trinam admonitionem eos suspendendi à divinis: & ut ordo in omnibus servetur in Ecclesia, omnes Presbyteros parçciæ, sicut omnes alios parœcianos, Curatis decet esse obedientes, & correctioni eorum, ac directioni subditos. Can. 25. propter periculosa tempora, in quæ incidimus, Curati ne de nocte exeant ad sacramentorum administrationem, nisi vocentur à bonis, & notis hominibus, & propter necessitatem: admoneant verò frequenter mulieres, & viros, de quorum necessitate timetur, ut in die sumant sacramenta. Can. 26. quamvis nefaria sit, & simoniaca pro sacramentorum administratione pactio, & licitatio: nihilominus, qui

B catechizatur, debet ministrare in omnibus ei, qui catechizat, & rependere temporalia seminanti spiritualia. Proinde sicut damnamus Curatorum, & Presbyterorum exactiones: ita non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum, & jus divinum nitentis, & corrupti esse judicamus, dispensanti sacramenta ad salutem requisita, non suppeditare victui necessaria, & operæ pretium, & laboris mercedem non reddere, scriptum est enim: non alligabis os bovi trituranti. Et, Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? qui plantat vineam, & de genimine vitis non bibit? ita ex his, qui altari deserviunt, de altari vivere constituit Deus. Proinde noverint omnes Christiani, non liberalitatis esse, sed de-

De Curatorũ Juribus.

C biti, ministranti sacramenta, atque alia spiritualia stipendium aliquod solvere, unde vivat, sed cum pretio nummario sacramenta nequeant æstimari, nec quanti sit cuique necessarium ad victum, possit, nisi ex ratione temporum, locorum, & personarum, definiri: rectè majores nostri ad laudabiles consuetudines, ad evitandam avaritiæ, & sordium suspicionem, occurrendum duxerunt: quæ cum hominum malitia intermittantur, obtestamur in Domino Curatos, & parœcianos de his amicè inter se convenire pro temporum varietate, & difficultate: quod si parœciani in contumacia contra jus naturæ, & divinum perstiterint, volumus vocari à Curatis coram Episcopis, ut, circumspectis omnibus, quod rationi

D debitur convenientius, constituatur, præsertim in civitatibus, & oppidis, ubi refrigescit charitas, & abundat iniquitas, nec Curatis ullæ decimæ, aut alii obveniunt proventus.

Duodecim dubia Summo Pontifici proposita per Concilium Rothomagense.

I. DUbium erat, quis deberet præcedere in consessu Concilii, Provincialis Sagiensis Episcopus, cujus Ecclesia antiquior erat, an Bajocensis, qui antiquior erat Episcoporum Normaniæ, & eorum Decanus. Respondit Summus Pontifex, in actibus Conciliorum Provincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum, non dignitatem, aut ordinem Ecclesia-

E rum.

II. An Abbates commendatarii admitti deberent in Concilium vocem deliberativam habituri cum Abbatibus regularibus. Respondit summus Pontifex, Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.

III. Qui debeant præcedere in consessu, & in ferendis suffragiis inter dignitates Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, procuratores Capitulorum, & Abbates Regulares, & Commendatarios. Canonici siquidem se membra esse capitis sui Episcopi, inter quæ nihil interjectum esse debeat: A contra Abbates minimè decorum servari ajebant, si ipsi usum mithræ, & baculi habentes postponantur iis, qui sibi sint inferiores. Respondit Summus Pontifex, Canoni-

nonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse, quādo Capitulariter procedunt: Abbates benedictinos, & qui usum Mithræ habent, præcedere Commendatarios. Post hos locum obtinere dignitates, & post dignitates collocandos esse procuratores. A

IV. An Monasteria exempta teneantur Conciliis interesse, cum ipsa immediatè Summo Pontifici subjecta sint, habeantque suas synodos Capitulares, quæ absque Ordinarii permissione celebrantur. Respondit, non obligari, nisi de jure, vel consuetudine teneantur interesse. Capitula verò, licèt exempta, obligari, ut Conciliis intersint Provincialibus, & omnes, qui jurisdictioni Episcoporum subduntur: exceptis etiam casibus, quibus exempti specialiter vellent interesse.

V. Qualem vocem, cujusmodi suffragium haberent Abbates præcipuè Commendatarii, deputati Capitulorum, & Procuratores Episcoporum. Respondit, Abbates Commendatarios, & Capitulorum deputatos vocem dumtaxat consultivam habere. Episcoporum Procuratores posse, si Concilio Provinciali placuerit, & decisivam habere. B

VI. An necesse esset Baptismi ceremonias supplere in Hæretico Calvinista, cum ad Fidem catholicam revertitur? Respondit, Ceremonias Baptismi supplendas esse, præcedente in adultis abjuratione hæresis, & reconciliatione.

VII. Si liceat super ætate ordinatorum præscripta à Concilio Tridentino dispensare deficientibus idoneis, qui promoveantur? Respondit, Indulgebitur facultas dispensandi cum hactenus promotis, de cætero intellecta necessitate, vel utilitate Ecclesiarum, singulatim dispensabitur. C

VIII. De residentia Canonicorum, an sit de præcepto, & Jure Divino. Respondit, Declaratum, & amplissimè provisum per Concilium Tridentinum. Illius decreta observentur.

IX. Si Canonicus curam habens animarum, sine cujus fructibus canonicatui deservire non potest, teneatur in Cura residere, quæ longius distet. Huic difficultati non invenimus, ajunt, quomodo possit provideri, nisi declaretur habendos pro residentibus in parœciali Ecclesia, qui actu deserviunt in Cathedrali, vel Collegiata, modò parœcialis distet ultra semidiem: ita ut bis, vel ter in septimana Curatus in ea faciat officium, & eodem die ad Ecclesiam Cathedralem, vel collegiatam redeat. Respondit, Quoad retentionem Parochialis, D cum Canonicatu pro necessitate, & utilitate Ecclesiarum, & regionis in casibus particularibus providebitur.

X. Quid in casibus reservatis agendum, ut cum à Concilio Tridentino dicitur Episcopos absolvere ab hæresi contra Bullam de Cœna Domini. Respondit, Pro necessitate Provinciæ concedetur ad tempus hæc facultas absolvendi juxta decretum Concilii Tridentini, cui magis visum fuerit.

XI. De Monialibus, an obligentur ad clausuram perpetuam. Respond. Executioni demandentur decreta Concilii Tridentini, & Bullæ Summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes.

XII. Continet supplicationem aliorum Episcoporum suffraganeorum petentium Canonicatum in suis E Cathedralibus, sicut habet Archiepiscopus Rothomagensis, ut possint ingredi in Capitulum. Respondit: Habebitur ratio hujus rei, & prout singulis Ecclesiis magis expedire visum fuerit, providebitur.

Dictum Concilium Rothomagens. Parisiis editum est per l'Huillier, in vico Divi Jacobi Anno 1582.

CONCILIUM BURDIGALENSE,

Sub Antonio Prevotio Sansaco Archiepiscopo Burdigalensi, Aquitaniæ Primate, Anno 1582. tempore Gregorii decimi tertii, & Henrici tertii, pro disciplina, & moribus.

Ex Concilio Burdigalensi anno Domini 1583. selecta quædam decreta.

De professione fidei. Cum omnis actio, quæ de rebus divinis, & ad religionem pertinentibus suscipitur, proficisci debeat à divini numinis cultu, & veneratione, cujus basis, & fundamentum est fides, bonorum omnium, ut inquit D. Augustinus, fundamentum, & humanæ salutis initium, ut propterea sine fide placere Deo impossibile esse dicat Apostolus: idcirco de divinis rebus, & Ecclesiasticis Officiis ad Dei gloriam, salutemque spectantibus in hac Synodo legitimè acturi à fidei professione communi jam Ecclesiæ usu recepta, initium sumendum esse duximus. Cujus hæc præscripta formula est, *&c.*

De iis, quæ ad divinum cultum, ac Religionem spectant, cap. 2. Omnis divini cultus, & Religionis ratio, qua solum præpotentem Deum piè, sanctèque colimus, in duas potissimum partes distribuitur: in precationes nimirum, & sacrificium: quibus & interior, & exterior cultus (adhibitis utrimque solemnibus ceremoniis) integrè perficitur. Neque enim aliter Deum placare, atque propitium reddere, neque Religioni, officioque suo satisfacere Christiani possunt.

De iis, quæ in sacrosancto Missæ sacrificio, divinisque officiis vel observanda, vel cavenda sunt, c. 5. Sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo memoriam fecit mirabilium suorum summus ille Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Deo solùm acceptum est, nec ullum præterea, nisi quatenus istius similitudinem, speciemque gereret, ulla unquam ætate ipsi gratum fuit, &c.

Celebraturi sacerdotes conscientiam suam prius diligenter excutiant, atque examinent, & piam aliquam meditationem præmittant. Peccatorum verò confessionem octavo quoque die, aut sæpius faciant, quoties aliquo se peccato gravatos senserint. Sibi autem conscii mortalis peccati, &c.

De pœnitentia, cap. 12. Neminem Parochi absolvant eorum, qui cum præcedente confessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos essent polliciti, cum facultas affuisset, neglexerint. Eos excipimus, qui in mortis articulo fuerint constituti, &c.

De Sacramento Extremæ Unctionis, cap. 13. Non eo usque differendum, dum æger omnibus pene sensibus destitutus sit.

Nec verò putent parochi se omnino officio suo satisfecisse, si ægrotis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis sacramenta solùm impenderint: sed eos præterea adesse oportere morientibus, eosque sanctis admonitionibus, & piis precibus omni ratione juvare: ut, quod eis superest vitæ, in vera, & Catholica fide possint explere: ne propter peccatorum suorum multitudinem, atque gravitatem ullo modo de Divina misericordia desperent. *Moribu- rum cu*

Nota. Hoc decretum aliàs valde terrori fuisse cuidam Parocho hujus Provinciæ Burdigalensis, qui dicebat facillimum esse Episcopis gravissima præcepta parochis imponere; dum nescirent, quàm difficile sit diu, noctuque ægrotanti moribundo præsens adesse, qui aliquando per plures dies in agonia mortis laborat.

De Parochis, cap. 17. Parochi, qui in partem sollicitudinis, & gubernationis Ecclesiarum ab Episcopis vo-

vocantur, diligenter muneri suo attendere debent, non A
ignari præcipuas officii sui esse partes populum in DEI lege, atque voluntate instruere, Sacramentis Ecclesiasticis reficere, atque communire, sacras ad Deum pro eo preces fundere, & laudabilis vitæ exemplo viam salutis præmonstrare.

Ut autem de suis ovibus rationem, cum necesse fuerit, reddere possint, singulis annis quatuor libros, seu indices conficiant. In quorum uno baptizatorum nomina, in altero contineantur omnes, qui statuto ab Ecclesiæ tempore ad confessionem, & communionem venerint; in tertio recenseantur, qui matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerint; in quarto mortui, & sepulturæ Christianæ traditi enumerentur.

De Verbi Divini prædicatione, cap. 28. Vetamus, ne
quis parochus, aut Vicarius in posterum ex suo inge- B
nio concionari, & Euangelium interpretari præsumat, antequam à suo Episcopo examinatus, ad id idoneus repertus fuerit, & in scriptis expressam concionandi licentiam habuerit. Sed illi satis sit homilias à nobis, & Coepiscopis nostris approbatas, ex scripto populo recitare. (*De scholis, Typographis, & Bibliopolis, cap.* 27.) Rectè olim à quodam hujus sæculi sapiente litteris mandatum est, nihil esse, de quo consilium divinius iniri possit, quàm de recta puerorum institutione, cap. 27. Juventus enim spes est, ac soboles reipublicæ. Quæ si, dum adhuc tenera est, diligenter excolatur, maximos, & miræ suavitatis fructus facit: contra verò si negligatur, aut nullos, aut amarissimos. Quare optima, eaque facillima, & maximè compendiaria restituen-
dæ in pristinum statum reipublicæ Christianæ ratio est C
diligens, & accurata ex majorum institutis educatio juventutis.

De hospitalibus, cap. 28. Pauperum, & peregrinorum, juxta Domini præceptum, maxima semper Ecclesiæ cura fuit. Ex quo tàm multa hospitalia, &c. Sed non desunt multi, qui impium Judæ scelus, & sacrilegium imitantes, quod Christo ad pauperum sustentationem oblatum est, in suos usus privatos transferunt, & pauperes hac ratione fame, & inedia conficiunt, &c.

Hoc Concilium constat 35. titulis, sub quorum singulis varia alia decreta continentur, quæ Patres in fine submittunt cum humilitate, & obedientia S. Romanæ Ecclesiæ judicio emendanda, & corrigenda. Unde missa sunt ad summum Pontificem Gregorium
XIII. Qui hac epistola ad Archiepiscop. Burdigalen- D
sem respondit.

Venerabili fratri Archiepiscopo Burdigalensi.

VEnerabilis frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Incredibiliter lætati sumus synodum provincialem à tua fraternitate ad nos missam perfectam esse tanta cum pietate, quantam & res ipsa flagitabat, & Zelus tuus pollicebatur. Quo nomine te plurimi facimus, tibique, & provincialibus tuis omnia à nobis paternæ charitatis officia deberi agnoscimus. Restat, ut pari studio, & cura operam des, ut quæ piè, sanctèque decreta sunt, quàm diligentissimè serventur: sic enim & Dei gloriæ inservietur, & disciplina Ecclesiastica magna cum dignitate, & fructu retinebitur.
Id verò te pro tua singulari prudentia facturum esse E
non dubitamus. Cætera, quæ ad synodum pertinebunt, præscribent fraternitati tuæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, dubiorum sacri Concilii Tridentini interpretes, qui decreta ipsa diligentissimè considerabunt. Adsit semper fraternitati tuæ divina gratia ad sui nominis gloriam, Catholicæ religionis amplitudinem, commissique tibi gregis salutem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris 3. Decem. M.D.LXXXIII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ant. Bucagadulius.

SUbscripserunt Antonius Prevotius Sansacus Aquitaniæ primas Arch. Burdig. Janus Fregouse Ecclesiæ Agenensis Episcopus. Carolus de Bony Engolismensis. Godofredus de S. Belin. Pictaviensis. Nicolaus Le Cornu Sanctonensis. Ludovicus de Salignac Sarlatensis. Arnaldus De Pontac Vasatensis Episcopus in provincia Auxitana, qui rogatus adfuerat. Bernardus Podianus procurator Ecclesiæ Condomiensis sede vacante, & alii, quorum nomina in actis habentur.

Sunt, qui vocant Archipræsulem Burdigalensem Patriarcham Aquitaniæ inferioris, quæ est Guinea, ut non confundant cum Bituricensi Archiepiscopo, quem Aquitaniæ superioris Patriarcham vocant.

CONCILIUM RHEMENSE,

Tempore Gregorii XIII. & Henrici Tertii Christianissimi Regis, sub Ludovico à Guisia, Presbytero Cardinali Archiepiscopo, ac Duce Rhemensi, & primo Pari Franciæ, celebratum anno 1583.

ACta hujus Concilii extant excussa Rhemis à Joan. de Foigny ad insigne Leonis, ex quibus sequentia selegimus.

Literæ Indictionis.

LUdovicus miseratione Divina sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis à Guisia nuncupatus Archiepiscopus Dux Rhemensis, primus Par Franciæ, Sanctæque Sedis Apostolicæ Legatus natus, Reverendiss. Fratribus Episcopis, necnon venerabilibus Decanis, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, Prioribus, cæterisque nostræ Rhemensis Provinciæ Ecclesiasticis personis, quæ de jure, vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino.

Cum tantis hactenus Ecclesia nostra hæreseon procellis, & Civilium bellorum tumultibus fuerit agitata, ut summæ, ac planè ineffabili Dei clementiæ planè tribuendum sit, quod illa non jam penitus à fundamentis distributa corruerit: illud etiam profectò dici non potest, quanta ejus bonitate, ac providentia sit effectum, ut non tantùm eadem Ecclesia in aliquo statu huc usque retineatur: verum etiam illa nobis relicta sint remedia, quibus in pristinum splendorem restitui, & in antiquam libertatem vindicari posse videatur ...... Concilia Provincialia; quibus olim Patres nostri Ecclesiam Catholicam hæreticorum injuriis pene prostratam, vel etiam abusuum multitudine planè deformatam, & vitiorum mole ferme penitus oppressam instaurarunt, sartamque tectam posteritati tandem reliquerunt. Et quidem hujusmodi conventuum Provincialium usus, quanto orbis Christiani incommodo, aliquot jam sæculis intermissus sit, adeo cunctis notum est, ut ipsorum revocationem nondum summopere utilem, sed etiam prorsus necessariam esse nullatenus dubitari possit. Nos igitur divino favore freti, Sanctorumque Patrum exemplo adducti, grassantibus Ecclesiarum morbis pro virili mederi cupientes, huc etiam accedente Sedis Apostolicæ auctoritate, necnon Christianissimi Regis nostri Henrici consensu simul, & hortatu, Concilium Provinciale in Ecclesia nostra Rhemensi, Dominica prima post Festum Epiphaniæ, hoc est nona Januarii proximè venturi celebrare decrevimus, & statuimus. Quamobrem omnes, & singulos fratres nostros Reverendissimos Coepiscopos monemus, & quo possumus charitatis affectu rogamus, necnon venerabiles Decanos, Capitula, Abbates, Conventus, Priores, & alias

alias nostræ Provinciæ Ecclesiasticas personas, quæ de jure, vel consuetudine Provinciali Concilio adesse debent, invitamus, ut eo ipso die ad Synodum Provincialem, juvante Deo, Rhemis celebrandam, per se, vel per legitimum procuratorem (si quod forte justum impedimentum, ab ipsa tamen Synodo probandum obrepserit) omnino compareant: ut, quo decet Religionis .... zelo ...... ad curanda hujus amplissimæ provinciæ vulnera ..... extirpandos errores .... accommodatissima quæque Duce Spiritu sancto ..... provideamus, & exequamur. Datum Parisiis in Ædibus nostris Dionysianis, Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo die 26. mensis Septembris.

Sequuntur aliæ litteræ prorogationis Concilii ad diem vigesimum quintum mensis Aprilis proximè venturi, propterea quod Romam miserat Cardin. à Guisia, ad habendum pallium, sine quo celebrari Concilium non poterat. Has hìc omitimus.

Apostolica Facultas pro Synodo Rhemensi celebranda, nondum suscepto Pallio.

Dilecto filio nostro Ludovico, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali à Guisia nuncupato, Gregorius Papa XIII. Dilecte fili mi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exquisita tuæ circumspectionis industria promeretur, ut Romana Ecclesia, cujus honorabile membrum existis, & quam tuorum honoras magnitudine meritorum, te specialis gratiæ favore prosequatur. Cum itaque pro nonnullis causis urgentibus Concilium Provinciale proximo quoque tempore adhuc celebrandum sit, cumque, qui Ecclesiæ Rhemensis ex dispensatione Apostolica administrator existis, Pallio nondum suscepto id facere nequeas, nisi nostra, & sanctæ Sedis Apostolicæ tibi licentia suffragetur, & facultas: nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, eidem circumspectioni tuæ, ut pro hac vice Pallio etiam per te nondum suscepto Concilium Provinciale convocare possis ad effectum, & illud, prout moris est, celebrare, ac eidem præsidere liberè, & licitè etiam pro hac vice tantum valeas, Apostolica Authoritate, de speciali gratia concedimus; non obstante felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Injunctæ*, & aliis Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Martii anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno undecimo.

Præcipua capita orationis habitæ ad Synodum per Illustrissimum, & Reverendissimum D. Cardin. Archiepiscop. Rhemens.

Permagnum, & perillustre gratulandi mihi, & gratias Deo omnium bonorum auctori cumulatissimas agendi argumentum præbuit hodiernus dies, RR. Fratres, quod mihi vix dum inaugurato divini numinis beneficio conceditur munus nostrum ab hujus Concilii exordiri convocatione: quo negotio nullum aut majus, aut illustrius........ esse potest. Suppeditat nobis exemplum sapientissimus ..... Salomon, de quo asserit nihil prius habuisse, quàm ut templum extrueret: affert etiam exemplum Christi Domini, qui Jerosolymam ingressus à purgando templo suæ authoritatis ferè duxit exordium, quibus exemplis se commotum ait ad restaurandum suæ Ecclesiæ statum ferè collapsum, necnon Regis voluntate, ac Caroli Cardinalis patrui charissimi, qui Concilii convocationem meditabatur post reditum à Concilio Tridentino. Quamvis autem agnoscat se parum idoneum ad opus tàm arduum, se nihilominus erigi virtutibus suffraganeorum. Quos exinde excitat, ut acri animo secum invigilent super universum gregem, sicut monebat Apostolus: *Attendite vobis, & universo gregi, &c.* Quod nisi sedulo fecerimus, verendum, ne contra nos illud pronuntiet Dominus, quod est apud Ezech. *Requiram gregem meum de manu eorum*, & plebs exclamet, quod vulgo circumfertur, ò præclaros custodes lupos! Sed video meliora, magnaque me spes tenet, &c. Concludit. Sed quoniam sine te, ò Deus optime, atque maxime, nihil præclarum, nihil salutare, neque statuere, neque peragere potest humani ingenii imbecillitas, animis nostris, quæsumus, propitius illabere: Et qui dixisti, ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, nobis hodie in nomine tuo congregatis adesse dignare: mentes nostras divini tui luminis splendore illustra, bonitate fove, sapientia rege, moderare, atque effice, ut privata commoda communi officio posthabeamus: eorum tantum utilitati, quibus præsumus, non nostris rationibus serviamus: & quæ vivendi exempla, ac præcepta aliis tradere paramus, ea ipsi primum te auxiliante sedulo, ac libenter exequi valeamus.

Huic Epistolę subjunguntur litteræ Synodi ad omnes communitates, & Ecclesiarum Rectores sibi subditos, quibus exposita necessitate Concilii convocati, & necessitate divini auxilii, mandat, ut singulis diebus supplicationem cum litaniis, & collectis de Spiritu sancto pro unitate Ecclesiæ, & prospero Concilii successu faciant: ac curatis omnibus, ut singulis diebus festis eisdem precibus, & supplicationibus vacent, ut, tamdem adjuvante Spiritu sancto, fiat omnium credentium cor unum, & anima una, restituaturque religio unitati, & Ecclesia per reformationem suæ puritati, & dignitati. Datum Rhemis die 27. Apostol. 18.

Post incipit ita Concilium.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, Amen. Nos Ludovicus miseratione divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis à Guisia nuncupatus .... interim dum ampliorem sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini in hoc regno promulgationem quotidie speramus .... de assensu Reverendiss. Fratrum nostrorum Coepiscoporum, & consilio plurimorum gravium virorum ex omnibus Provinciæ nostræ partibus in prima nostra Provinciali synodo congregatorum, quæ sequuntur, statuenda esse duximus.

De fide Catholica, & eandem profitendi ratione.

Quoniam Catholica fides humanæ salutis fundamentum est ....ideo illam omnes in primis, ac lubenter amplectimur, & profitemur: ac quoslibet Christi fideles nostræ curæ commissos doceri, Clericos verò, quotquot postmodum ad aliquod Ecclesiasticum beneficium, aut Officium promoveri contigerit, antequam admittantur, etiam profiteri volumus juxta eam, quæ à fel. recordationis Pio Papa quarto præscripta est, formulam, quam proinde hìc ad verbum inseri curavimus ad hunc modum.

Formula professionis fidei.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, &c.*

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consen- *Articul. controvers. cum hæret.*

sum

ſum patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramenta novę legis à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licèt non omnia ſingulis) neceſſaria: Scilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre. Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & Juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Quam converſionem Eccleſia Catholica tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari

Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes venerandos, & invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas firmiſſimè aſſero. Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, ac retinendas eſſe, eis atque debitum honorem, ac venerationem eſſe impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoquo Pontifici Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc verò Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo juvante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum; Ego idem N. ſpondeo, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Hanc formulam longiuſculam hìc inſeruimus, quod ad multa futura ſit multis utilis. De reliquis pauca exſcerpemus, eaque, quæ alibi difficilè reperiantur.

De cultu divino.

II. ET quoniam non ſola animi voluntate, ſed etiam externo ritu colitur Deus...... certo, & tamen pro qualitate dierum feſtorum diverſo campanarum pulſu fideles omnes ad Eccleſiam convocentur.

V. In pronuntiatione nominis Jeſu, & cum dicitur verſus Gloria Patri, caput aperiant, & inclinent.

X. Dum autem divinum celebratur Officium, aut

A habetur concio ad populum, nulli in Eccleſiis permittantur pauperes mendicare.

XII. Quamvis imagines, &c. valde tamen diſplicet, quod quædam procaci venuſtate pingantur, & alienum quid à divino cultu ferant .... nullus etiam exemptus imagines novas in templo collocare præſumat in poſterum ſine Epiſcopi, vel illius vicarii licentia.

De diebus feſtis.

IV. NEmini à propria Parochia liceat abeſſe ſanctiſſimis diebus Paſchæ, Pentecoſtes, & Natalis Domini, niſi quem infirmitas, vel alia legitima cauſa cum Parochi licentia excuſabit.

De Sacramentis.

B II. VEtamus, ne quis citra Epiſcopi, vel Parochi licentiam audeat conferre ſacramenta, aut ſine ſuperpelliceo, & ſtola, niſi aliud poſtulet ingens neceſſitas.

De Baptiſmo.

SI Parochus alicujus pueri parentes diutius diſtuliſſe Baptiſmum animadverterit, graviter eos increpet de periculo, in quod eorum culpa puer incidere potuit. Et ſi neglexerit, ſignificet Epiſcopo, ut huic malo remedium afferre conetur.

V. Multo autem minus hæreticos, vel etiam de hæreſi ſuſpectos ſinat eſſe fidei ſponſores.

VII. Convenire etiam judicamus, ut Epiſcopus in propria Diœceſi, Parochus in ſua Parochia, & initiatus ſacris Ordinibus in ſuæ reſidentiæ, vel beneficii loco pueros de ſacro Fonte non ſuſcipiant. Numquam verò Monachus patrinus, vel Monialis matrina eſſe queat. C

X. .... quinimo etiam adulti fuerint, poſt abjurationem hęreſis, & reconciliationem ſupplebuntur baptiſmi ceremoniæ.

De Pœnitentia.

IV. UT autem injunctæ pœnæ ſatisfacerè valeant pœnitentes, Sacerdos non ſe præbeat nimis ſeverum, neque tamen ita levem, ut pœnæ contemptu ad rurſum peccandum pœnitentem invitet, quàm ad novæ vitæ genus ineundum.

D VIII. Poſt Confeſſionem abſolutio nemini concedatur, qui non fuerit reconciliatus cum proximo, ſi quem oderit, ſaltem in voto.

De Euchariſtia.

VII. IMò dum divina celebrantur, ad Altare, vel intra chori cancellos nulli laici, multò minùs fœminæ ſeſe intrudant. Quod ſi præſumpſerint aliqui maximè ex eis, qui dignitatis alicujus ſplendore ſunt inſignes, nullus eis honos Eccleſiaſticus, ut thurificationis, & oſculi pacis, ac Euangeliorum exhibeatur.

XVIII. Idem volumus obſervari in organorum ſono ......, quæ omnino ſilere jubemus, dum ſymbolum Fidei decantatur, & ab elevatione corporis Chriſti uſque ad Hymnum *Agnus Dei*. *Organo.*

E

De Matrimonio

V. POrro Matrimonii benedictio, non niſi ſub finem Miſſæ, cui interfuerint, contrahere volentes, nec ante quartam Matutinam, nec poſt meridiem conferatur. Peccare autem graviter admodum eos, qui noctu, vel clanculum benedictionem nuptialem ſibi dari procurant propter metum maleficii. Maleficium enim ſe vitare poſſe cre-

dere debent, si eo pietatis affectu ad conjugium accedant, qui præscribitur in sacris Literis, &c. A

De Extrema Unctione.

II. PArochus etiam non expectet, ut rogetur de eo conferendo, sed sedulitate sua præveniat ægrotum de vita periclitantem: caveatque, ne vel mors Unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat.

IV. Nec putet suo satisfactum officio Sacerdos, si semel tantùm ægrotum inviserit, dum unctio fuit adhibenda, sed, quàm diutissimè poterit, eum consoletur .... eique, quoadusque è vivis excedat, assistat, & operam impendat.

De Sepulturis. B

VIII. NEc liceat tumulos ipsa humo altiores erigere, nec ibi cuiquam statuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere.

XIII. Et qui subita morte præventi, Paschali tempore, nec confessi sunt, nec Eucharistiæ communionem susceperunt, ... Christianæ sepulturæ honore, locoque priventur ..... quicumque autem eos sepeliendos quacumque ratione procuraverint, excommunicatione feriantur.

De Seminariis.

I. QUemadmodum autem agricola, nisi serat tempestivè, non potest metere: ita C Ecclesia Dei ex prædictis Sacramentis fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit, nisi seminaria juventutis erudiendæ, & moribus informandæ causa foveat. Ideoque præcipimus, &c.

IX. Et quoniam vultus morum index esse solet, eligantur pueri bona indole præditi, & apta membrorum compositione conspicui: nec sint notabili deformitate signati, &c.

De Clericis.

V. NE possessiones alienas conducant, aut aliorum causas lucri causa suscipiant, non fidejubeant.

XVIII. Barbam verbo aut omnino non gestent (quod magis probamus) aut saltem totam à superiore labio ob sacræ Communionis reverentiam tondeant, D vel radant, &c.

De regularibus, & eorum Monasteriis.

I. MOnachorum autem inter Clericos humilitate præstantium institutum, quam proximè ad Apostolorum tempora accedens libenter quondam amplexus est, quisquis, ut D. Basilius loquitur, cœlestis vitæ cupiditate flagravit, & Euangelicæ perfectionis studiosus extitit negotiator, &c.

II. Quisquis verò Virginem, vel mulierem invitam ad Monasticam vitam adegerit (præterquam in casibus à jure expressis) vel qui consensum, auxilium, vel authoritatem sciens, & prudens interposuerit, anathema sit. E

IV. Multùm displicet Deo infidelis, & stulta promissio: ideo monasteriorum novitii non munusculis, vel blanditiis alliciantur, sed præcipiantur potius eis dura, & aspera, &c.

VI. .... rem quippè nullis satis dignam lacrymis putamus; aliquot jam sæculis verbum Dei neque prælegendò, neque conciones habendo in illis locis explicari, in quibus olim omnis doctrinæ, atque virtutis scholas fuisse Ecclesiasticę testantur historiæ.

IX. Tria vota præcipua omnes Monachi, monialesve diligenter observent, juxta præscriptum regulæ, quam professi sunt, & loci consuetudinem, in cujus stabilem observantiam jurarunt, neque putent sibi licere quicquam contra illa gerere, etiam quod longa consuetudinum corruptela viderint in monasterio esse servatum, quicquid enim mali exempli, vel improbę consuetudinis irrepsit, penitus tollendum, & abolendum esse decernimus.

XII. Quisquis verò ingressus fuerit claustra Monialium sine superioris licentia (quam nonnisi in casibus necessariis impertietur) sententiam excommunicationis se incurrisse noverit.

XVII. Sanctimoniales, quę solæ degunt apud parentes, vel numero paucæ in Xenodochiis, aut Monasteriis, quæ ruri existunt, ne Satanæ, vel malorum hominum prædæ sint expositæ, si fieri potest, in urbes, vel oppida proxima Monasteriis occludendæ ducantur, etiam invitæ, & quamvis earum privilegia reclament, juxta Decretum Concilii Tridentini, & Constitutionem Pii V.

De Capitulis, & Canonicis.

I. UT autem Canonici cohærentes Episcopis quasi membra corpori ad regulam, quam eorum nomen præ se ferre conspicitur, componantur; Statuimus in primis, ut ad Canonicatum nemo admittatur, nisi prius coram Ordinario loci, & in Capitulo Catholicam Fidem professus sit, juxta formam à Pio IV. præscriptam. Capitulum porro diligenter inquirat etiam per juramentum, quibus rationibus ad Canonicatum pervenerit: & si quæ Simoniæ labes, vel alia aliqua illicita pactio intervenerit, non recipiatur.

III. Admissus verò resideat, nec ei diutius, quàm trimestri liceat abesse, &c.

IV. ...... qui ex illis non sunt adhuc Sacerdotes, aliique omnes Clerici ad eumdem ordinem nondum promoti, qui canonicorum Ecclesiis inserviunt, communicent ad majus Altare in magna Missa, diebus Paschæ, pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, omnium Sanctorum, & Patroni Ecclesiæ, alioqui per superiorem suspendi poterunt.

XII. Pacis ubique sint amantes Canonici, nec cum Episcopis animosè contendant, aut superbè respondeant, sed illis honorem, & reverentiam cum summa modestia exhibeant: & si quæ lites inter se suboriri cœperint, utrique amicè componant.

De Episcopis.

I. CUm in Episcopos velut supra montem positos, omnium oculi conjecti esse soleant, hortamur illos, ut Episcopi esse, quàm dici malint, &c.

II. Ut autem Ecclesia possit deinceps tales habere Episcopos, optamus omnes jus antiquum electionum Clero restitui: sed quoniam tanti boni modica, aut nulla adhuc spes affulget: Deinceps tamen, cùm Sedem aliquam vacare contigerit, preces, & supplicationes ad Deum à Clero, & populo fieri jubemus, ut gregi suo Pastorem dare dignetur idoneum.

De Simoniacis, & Fiduciariis.

III. COnfessarii de utroque peccato Simoniæ, & confidentiæ diligenter inquirant, & cùm commissum audierint, absolutionem, excepto mortis articulo, ad Summum Pontificem remittant.

De fœnore.

I. SImoniæ vitio peccatum usuræ esse affine nemo non conspicit: cùm igitur sacræ literæ excludant eum à divino Tabernaculo, qui pecuniam dede-

dederit ad usuram, aperteque nuntient, ut mutuum demus, nihil inde sperantes: quisquis præter sortem præcipuam ex mutuo aliquid amplius exegerit, vel acceperit, cujuscumque generis illud sit, modo pecunia æstimari possit, usurarius esse censeatur.

II. Quæ autem per usuram parta sunt, vel accepta, usurarii restituere teneantur.

IV. Actuarii, seu Notarii, usurarum proxenetæ, omnesque, qui contractibus usurariis aliquam operam, vel consensum prębent ejusdem criminis censeantur esse participes.

De Visitatione.

I. QUotannis Episcopi .... visitare non omittant etiam Parochias à militibus sancti Joannis Jerosolymitani dependentes, servata tamen forma literarum felicis memorię Pii V.

De Synodo Provinciali.

IV. SI quæ autem controversiæ super Decretorum hujus Concilii interpretatione oriantur, consulatur Dominus Metropolitanus, ac ejus judicio stetur, donec per proximum futurum Concilium Provinciale judicatum fuerit.

V. Hæc eadem sancta Synodus Concilium hujus Provincię in civitate Svessionensi habendum, ac Dominica post Pascha, Anno Domini 1586. celebrandum indicit, & decernit.

Publicatum in Ecclesia Metropolitana Rhemensi post Missarum solemnia, Feria quinta ipso celebri Festo Ascensionis Dominicę, Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio decima octava mensis Maji.

Episcopi, qui huic synodo interfuerunt, & subscripserunt.

NOs *L. Cardinalis à Guisia Archiepiscopus Rhemensis definientes*, subscripsimus.
Ego Carolus de Roucy Episcop. Svessionensis, subscripsi.
Ego Valentinus de Glas Episcopus Laudunensis, subscripsi.
Ego Cosmus Clauße Episcop. Catalaunensis, subscripsi.
Ego Claudius Episcop. Noviomensis, subscripsi.
Ego Geoffridus Martonius Episc. Ambianensis, subscripsi.
Ego L. de Creil procurator Reverendiss. Sylvanectensis Episcopi ejus nomine interfui, approbavi, & subscripsi.
Promotores Concilii Henr. Morus Decanus Rhemensis, & Cl. Goynne Decanus Bellovacensis.
Secretarii Concilii N. Colin Thesaurarius, & Joan. de Pile Canonicus Rhemensis.

Breve Apostolicum super Confirmatione Concilii Provincialis Rhemensis.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecto filio nostro Ludovico sanctæ Romanæ Ecclesię Presbytero Cardinali Guisiæ nuncupato.

DIlecte fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem: Mandavimus decreta Synodi Provincialis Archiepiscopatus tui, quę ad nos misisti, per venerabiles fratres nostros sanctę Romanę Ecclesię Cardinales super dubiis in materia Concilii Tridentini occurrentibus deputatos diligenter cognosci, atque, ubi opus esset, emendari. Remittimus nunc tibi eum librum emendatum, facies, ut quę piè, prudenterque decreta, atque emendata sunt, quàm diligentissimè serventur: hæc enim reliqua pars est curę tuę, sine qua omnis hactenus labor frustra susceptus esset. Speramus id te pari studio, & diligentia curaturum esse. Datum Romę apud sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die xxx. Julii M. D. LXXXIV. Pontificatus nostro Anno 13.

Ant. Buccapadulius.

Cardinalis à Guisia hoc Brevi recepto cum decretis emendatis, hęc typis edi curavit, misitque horum exemplaria ad universum Clerum suæ Provinciæ cum Epistola, quę libro edito pręfigitur.

CONTROVERSIA.

PRęter decreta viginti octo titulis comprehensa, quorum notabiliora hic dedimus, asserit Doctor Severtius in summa omnium excommunicationum, & casuum reservatorum in eodem Concilio Rhemensi congregato anno 1583. statutos esse tredecim casus reservatos Episcopo pro omni Provincia Rhemensi, quos ipse sigillatim exponit additis explicationibus ad obscuriora. Hos verò nos hic omittimus, quia horum nulla habetur mentio in ipso Concilio Provinciali Rhemis edito, anno 1585. cui majorem fidem adhibemus, quàm aliorum testimoniis. Interim prędicti casus cum nonnullis eos spectantibus videri poterunt apud prędictum Severtium, cujus liber in plerisque Bibliothecis reperitur.

Quod verò spectat ad titulum de fœnore, etsi nullus, nisi sit hęreticus, negare possit, usuram esse peccatum mortale, ut quę prohibita sit & divinis, & humanis legibus: attamen à pluribus sęculis disputatur cum magna contentione, in quonam sit usura, & in qua re consistat. Quamvis enim aliquis pręter sortem ex pecunia sua credita alteri aliquid accipiat, dicit tamen se non id accipere titulo mutui, sed propter lucrum cessans, aut damnum emergens, aut quia ex sua pecunia empta est villa, aut domus, prędiumve fructiferum, cujus ut redditus pars aliqua ad se redeat, injustum non est, aut propter sententiam judicis, qui debitorem propter moras solutionis ad interesse condemnavit, aut propter alias causas, quę nonnullis (verè, an falsò non hic definire animus est) videntur prębere justam ansam aliquid recipiendi ultra sortem. Idcirco ut hæ controversię in Ecclesia sopirentur, constitutiones magis singulares, & determinatas edere operę pretium videretur: in casibus siquidem conscientię enodandis, quo propositiones sunt universaliores, eo magis à veritate distare solent, sicut & veriores sunt, quo magis singulares sunt, & additis circumstantiis restrictę. *Usura, in quo sita est, disputatur.*

Res sanè non est parvi momenti, ex cujus determinatione innumerę animę in salutis via cum tranquillitate dirigerentur, quę variis agitantur conscientię procellis, prout variis sese committunt confessariis, quorum hi lucra aliqua, occasione mutui, seu alio titulo ut licita permittunt, illi penitus damnant. Sed & quidam hęretici ab reditu in Ecclesiam deterrentur, dum vident dissensiones in re, quę non minus spectat ad salutem animarum, quàm aliquis fidei articulus. Et si putas te illis satisfecisse, quod ex duabus opinionibus probabilibus, de quibus Ecclesia nondum definivit, licitum sit, quam malueris amplecti, in te insurgent alii, quasi ipsi, sicut & cęteri homines, aliis ducantur, quàm probabilibus in plerisque humanę vitę, & quotidianis actionibus, quę aliter non fiunt, nisi sępius probabilia tantum sectando. Taceo maximas morientium angustias, dum audiunt ab his necessarium esse ad salutem omnium pręter sortem pręcipuam acceptorum, quocumque ferè titulo accepta sint, restitutionem, ab aliis verò justos esse plures titulos, quorum virtute occasione mutui aliquid præter sortem recipi potuit, & sine injustitia possideri.

Sanè in his difficultatibus tres illæ concurrunt condi-

conditiones à Gersone in sermone de erroribus M. Joan. Parvi circa præceptum *non occides*, requisitæ, ut aliquæ quæstiones de fide decidantur. Prima, quod scandalum ortum sit in Diœcesi, aut Provincia ex aliquibus assertionibus. Secunda, quod assertiones tales sint, quæ sine periculo non possint diu admitti, vel tolerari, nec eorum falsitas ignorari, aut in dubio remanere. Tertia, dum habetur sufficiens copia Doctorum in sacris literis, & hominum scientium discernere de talium assertionum qualitate. Nam & sæpe sæpius oritur scandalum ex variis confessariorum resolutionibus, his aliquem contractum licitum ajentibus, istis negantibus. Res aliunde tanti est momenti, ut ex ea pendeat æternitas vitæ, & mortis, cum in tabernaculo Domini habitare non possit, qui pecuniam suam ad usuram dedit. Nec desunt plures oculatissimi, quorum opere plures casus singulares, qui hodie sunt in praxi, vel improbari ut usurarii, vel tolerari possint ut liciti, ut non B vexentur scrupulis conscientiæ multorum. Scio equidem comitia Cleri Gallicani Meloduni habita anno 1579 vestigiis ultimi Concilii Mediolanensis inhærentia, nonnullos ex his casibus singularibus titulo *de usuris* determinasse, sed tacent de pluribus aliis, quæ gravissimum facessunt negotium. Sed & parum est, si isti casus cum appositis circumstantiis authoritate Concilii dijudicentur, nisi & adstringantur omnes confessarii cujuscumque gradus, & ordinis, ad idem de iis profitendum, consulendum, injungendumque omnibus, ut usura extirpetur, ubi verè est, & non imputetur, ubi non est. Sed vereor, ne facilius sit ista optare pro tranquillitate animarum Christi sanguine redemptarum, quàm exequutioni demandata intueri, cum sæpe C non sit minoris operæ casum conscientiæ, quàm articulum fidei definire. Vide nos de *triplici examine*.

CONCILIUM TURONENSE,

Partim Turoni, mense Majo, partim Andegavi, mense Septembri, Anno 1583. habitum, sub Simone Mailleo Archiepiscopo, tempore Gregorii XIII. & Henrici III. Regis Galliæ, & Poloniæ.

Extat hæc synodus Latinè, & Gallicè edita Parisiis apud Ægidium Beisium, sub signo Lilii albi, via D Jacobea, anno M.D.LXXXV. Exinde sequentia desumpsimus, quę prolixiora sunt, compendio contrahentes, quæ utiliora verbis ipsismet Concilii referentes, quæ magis trita, & in aliis Conciliis crebrius repetita omittentes, ut ita tædium prolixitate nimia legentibus non afferamus, & in necessariis non desimus.

Concilii Turonensis indictio.

Simon Maillè Archiepiscopus Turonensis multum Reverendis in Christo Fratribus Provinciæ Turonens. Episcopis. S. P. D.

Opportunè admodum Tridentina synodus prævio Spiritus Sancti instinctu, & ductu labescenti propemodum Ecclesiasticæ disciplinæ occurrerat, manumque porrexerat auxiliarem, si sacrosanctis ipsius Decretis hanc retineri, ac fulciri (ut spes erat) licuisset. *Exinde* multis verbis exponit, cum hoc remedio uti non liceat, grassenturque hæreses ulterius progressuræ, nisi ad calamitosiora maturè obstruatur transitus, Spiritum Sanctum aliud remedium providisse. Cum inquit anno superiori celebri illud apud Melodunum conventui assidens, vel potius præsidens, totius Franciæ Cleri animos ea persuasione imbuit, ut à Rege, si non synodi generalis, saltem Conciliorum Provincialium ...... A promulgationem impetraret...... quod quidem cum Regio Edicto nobis esset concessum...... mea tamen verecundia non alienum existimavi sinere primores, ac Principes Ecclesiæ nobis viam præire. Qui cum id felicissime fecissent..... serenissimi Regis nostri literis Concilium urgentibus, & munere nostro id expostulante, hanc provincialem synodum de venerabilium Ecclesiæ nostrę Metropolis sodalium, aliorumque nostrę Diœcesis Ecclesiasticorum concilio Turoni prima die Maji, assignandam, ipsiusque indictionem vobis intimandam decrevimus, eamque pręsentibus literis intimamus, & significamus, vos obnixè, & per viscera misericordię Dei Opt. Max. obsecrantes, ut.... huic alacri animo interesse....... non dedignemini, vestroque Clero universo eamdem insinuare, &c. Datum Turoni, pridie Calend. Febr. anno Domini 1583.

Sequitur paræneticus Sermo Archiepiscopi ad Patres Concilii, quo, exposita illis præsentis temporis serenitate, monet eos, ut otium impendant in farciendis iis, quę irati maris furor offendit, & his corroborandis, quæ minus firma videntur procellis imminentibus sustinendis; nec verò imitentur imperitos nautas, qui post diuturnę tempestatis labores, si qua dies serena affulserit, genio indulgent. Hic omnis spiritualis pręfecturę finis (inquit Gregorius Nazianzenus) propria utilitate neglecta aliorum commodis inservire. Ad hoc inducit exempla Moysi, & Divi Pauli anathema esse desiderantis pro fratribus suis. Aggrediamur igitur rem fortissimi proretæ, atque in ea adeo insudemus, ut naviculam (in qua sub Christo Navarcho meremus) ad optatissimum tandem salutis portum, velis, remisque deducamus. Et alia quædam parænetica.

Synodi Prœmium, ejusque pro Christianissimi Regis incolumitate votum.

In primis Deo Optimo Maximo hæc synodus referendas gratias censuit (prout refert) quod divini ejus Spiritus afflatu Christianissimus Rex noster, Ecclesiæ Dei statum, ac ordinem modis omnibus roborare disponens, Conciliorum Provincialium in universo regno celebrationem gratam non solùm habuerit, sed etiam indici procuraverit: hinc futurum sperans, ut quæ summo nostro malo diutius grassatæ sunt hæreses, radicitus extirpentur, &c. *Consequenter omnia prospera Regi precatur synodus*. Itaque cum sancta sit, & Augusta Regum Majestas, sitque sacrilegus, & parricida, qui vel re, vel verbo tenus Regem violat: quod priscis cautum est Conciliis, quodque præsertim in synodo apud Lauriacum pagum Andegavensem habita pridem fuit, constitutum renovans hæc synodus statuit.

Quandoquidem religioni inimicum, & hominibus constat esse perniciosum, futura curiosius perscrutari, & facta Principum, eorumque casus inquirere, cum scriptum sit: Non est vestrum nosse momenta, vel tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, hoc decreto censemus, ut quisquis inventus fuerit talia perquisivisse, & vivente principe de alio regni successore habendo E consilium iniisse, sibique hac re socios conciliasse, à conventu Catholicorum excommunicationis sententia expellatur. *Rex hi... randus.*

Qui etiam pro perversis hominum moribus emendandis salubri deliberatione censemus, ne quis in principem maledicta congerat: scriptum est enim à legislatore, principem populi tui ne maledixeris: quod si quis fecerit, excommunicatione Ecclesiastica plectatur: nam si maledici regnum Dei non possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessario pellitur, qui divinæ sententiæ violator, atque in principem peccans invenitur.

Si quis contra regiam dignitatem dolosè, callidè, ac perniciosè machinari comprobatus fuerit, nisi dignissimè

gnissimè satisfecerit, anathematizetur.

Si quis potestati regię (quæ est à Deo) contumaci, ac inflato spiritu, contra authoritatem, & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis imperiis obtemperare noluerit, anathematizetur.

Sanctissimo Dom. nostro PP. necnon Christianiss. Domino nostro Regi humiles supplicationes.

A Sua Sanctitate (cujus judicio, & censuræ omnia in præsenti Concilio sancita, & diffinita subjiciuntur) supplex synodus, quàm potest, efflagitat obnixè, ut Episcopis Provincię, eorumque Vicariis, Officialibus, & Pœnitentiariis facultatem ab hęresi absolvendi, ac hęreticos Ecclesię restituendi iis interdictam concedere dignetur: quo facilius hæresis labe infecti, B eadem ejurata, ad Ecclesię Catholicę gremium revertantur.

Supplicat etiam, ut suo Brevi prohibeat, ne Episcopi, eorumque vicarii aliquas attestationes de fide, religione, natalibus, & moribus eorum, qui beneficiis electioni obnoxiis initiari petent, expediant, ratione beneficiorum extra suas Diœceses existentium, &c.

Cum Tridentini Oecumenici Concilii ad fidei Catholicę conservationem promulgatio, & juris Episcopos, & Abbates dudum ab Ecclesiis Francię distracti, & obtriti restitutio sint pernecessariæ, suam majestatem impensę rogat synodus, ut dignetur jubere Concilium Tridentinum publicari: necnon ipsis Ecclesiasticis permittere, ut Episcopos, & Abbates sibi deligere valeant, &c.

C Suę etiam majestati supplicat Concilium, ut decreta, & statuta omnia hujus synodi perpetuo, quibuscumque appellationibus postpositis: fiduciaria saltem jurisdictione (quod vulgo dicunt per modum provisionis) à Provincialibus observari jubeat: quibus quidem appellationibus si relinquatur locus, nullum omnino hujus Concilii, nec aliorum in posterum celebrandorum fructum presagit esse sperandum.

De professionis fidei tuenda cura.

IN hoc titulo imperata in multis casibus fidei professione, ejusque formula proposita, notat, ac vetat abusus contra eandem, quales committunt Magi, Arioli, fascinatores, divinatores, superstitiosi, D sortilegi, hæretici, schismatici. Jubet eorum libros sic, ubi reperiantur, comburi. Prohibet, ne Catholici intersint in ullis hæreticorum actionibus religioni adversantibus, ut sunt eorum conciones, vitiosæque sacramentorum administrationes. Ne etiam adeant maleficos, aut superstitiosos, ut suis, vel suorum morbis curationem, opemve inveniant, eorumve consilio scedulas cum certa verborum formula deferant, &c. Jubet etiam, ut penitus abstineant ab Astrologia judiciaria, &c.

Sanctorum Patrum antiquis constitutionibus inhærentes, laicis de fide Catholica disputare omnino prohibemus: imo magis ea, quæ à sanctis Conciliis sancita sunt, firmiter tenere injungimus, Mosemque audire E Israeliticum populum, cum curiosus de rebus arcanis inquireret, monentem: *Audi Israel, & tace.*

De extirpandis Simonia, & confidentia.

VOcat synodus Confidentiam, morbum priscis incognitum, & Virgineam Ecclesiæ faciem fœdantem, acriterque arguit nonnullos religiosos, qui ut sub Confidentiariorum cubito pulvillos consuant, sibi passim vendicant potestatem prædictos Confidentiarios etiam extra mortis articulum absolvendi virtute quarumdam indulgentiarum plenariarum sibi olim concessarum, adeo ut ab ipsis religiosis se verè

A absolutos esse maleferiati Confidentiarii facilè sibi persuadeant, in contemptum Bullæ Pii IV. & V. quia eorum absolutio extra mortis articulum Pontifici reservatur, idcirco rogat synodus suam sanctitatem, ne ullis indulgentiis hanc sacerdoti cuilibet faciat potestatem. Deinde statuit, ut Bulla Pii V. in qualibet Diœcesana synodo semel in anno, & Dominica passionis in singulis Parochiis publicetur, cujus tenor est ejusmodi: Pius Episcopus, &c. bene quidem, & providenter, &c.

COnfessarios monentes, ut Simoniæ, & confidentiæ reos non absolvant, sed ad sedem Apostolicam, juxta prædictam Bullam (donec aliter sanctitas sua decreverit) absolvendos remittant.

VOlumus omnes Episcopos in capituli manibus..... omnesque alios beneficiatos, priusquam fructuum perceptioni sese immisceant, etiam in ipsius Episcopi, seu ejus Vicarii, vel Officialis manibus jurare, se hujusmodi beneficia per Simoniam, aut Confidentiæ nomine non esse adeptos, quorum Beneficiorum fructus suos alioqui non facturos esse, imo ad eorum restitutionem (si quos perceperint) teneri decernimus.

In sessione apud Andes interrupti Concilii instauratio.

Simonis à Maillè Archiepisc. Turonens. ad patres Protrepticus sermo.

INtermissum jam à mense Majo summo cum nostro dolore Turonensis Provinciæ Concilium prosequamur (dilectissimi in Christo Fratres)........ Nonne quod in omnium Prophetarum semper ore fuit, vel unius tenuissimæ oviculæ sanguis à nobis exposcetur? ..... ut plurium debitores, pluribus, quàm multi alii beneficiis affecti, plus aliis illum etiam diligamus, plus in sua vinea excolenda, & à noxiis sentibus, & plantis repurganda laboremus, &c.

De Sacramentis, & eorum usu.

Synodus multos condit Canones ad rectam Sacramentorum administrationem aut necessarios, aut perutiles, qui tamen passim in agendis, seu manualibus reperiantur.

De Matrimonio.

QUibus, in quarto consanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis spiritualis, prohibitis gradibus, supra expressis, Episcopis dispensare non licere declaramus.

COnsuetudinem, vel potius corruptelam, quæ in multis Diœcesibus invaluit, ut post contractum una die, in præsentia Sacerdotis, per verba de præsenti, inter virum, & uxorem matrimonium, die altera uxor discooperto capite, sparsis crinibus, & Nuptiali pompa (virginum more) ad Ecclesiam Missam tantùm auditura deducatur, tanquam bonis moribus omnino adversantem, abrogandam judicamus: Ecclesiarum Parochialium rectoribus ne illam in hujusmodi fastu, seu solemnitate Ecclesiam admittant, districtissimè inhibentes.

ALtero autem conjugum absente, ei, qui domicilium non deseruit, nec ei, qui secessit, non licere nubere decernimus: donec certissimis, & indubitatis testimoniis de morte alterius illi constiterit, & ab Episcopo licentiam obtinuerit.

De Sanctorum cultu, veneratione Reliquiarum, & Imaginibus.

.... omnibus prohibemus publicas nundinatio-

nationes, & alios quoscumque mercatus..... currus, & equos onera gestantes ducere.......... contractus celebrare, &c.

SI qui verò locorum Domini jus nundinarum, & mercatuum iis diebus se habere prætendant, illas in perendinum, aut alium diem non Festum transferre in Domino hortamur: qui si parere distulerint, illos, necnon eorum Procuratores, & Judices, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere præsenti Decreto declaramus.

Jubet synodus sub anathematis pœna, novas reliquias populo colendas non exhiberi, nisi adhibita diligenti cognitione, & consultatione. Et si quæ à decem annis fuerunt propositæ, à conspectu hominum auferri, & recludi jubet, donec Episcopus illas verè esse Sanctorum judicaverit:

Sacris quippe Sanctionibus magis adversari certum est, impurorum, & sceleratorum ossa aliquo honore colere, quàm veras Sanctorum Reliquias debita veneratione carere.

De Discipl. Ecclesiastica, Cleri etiam, & plebis circa divina reformatione.

De Episcopis.

PRimo verò, aut secundo sui adepti Archiepiscopatus anno, saltem semel in vita ipse omnes suos suffraganeos visitet, deque eorum fide, moribus, & conversatione diligenter inquirat, & ad proximum provinciale Concilium (si quid correctione dignum compererit) referat.

DEcretum Concilii Viennensis, sub Clemente V. editi, cupiens hęc Synodus in usum revocare, ejusdem Concilii constitutionibus inhærendo, Archiepiscopo licere decernit, & declarat per quævis loca exempta suę Provinciæ facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut crucem ante se libere portari faciat, benedicat populo, divina Officia privatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari (quovis privilegio contrario non obstante) simili modo Episcopo, ut in locis ejusdem suæ Diœcesis possit populo benedicere, &c. Sic tamen quod prætextu concessionis hujusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam jurisdictionem, idem Archiepiscopus, vel Episcopus exerceat.

Limitatio exemptionum.

CUm multorum querelis didicerit hęc synodus nonnullos Abbates, Capitula, & alias personas Ecclesiasticas certis diebus, nempe Feria quarta cinerum, Jovis in Cœna Domini, & die Veneris Sancta, quibus quidem diebus Episcopi in suis Cathedralibus, & Ecclesiis publicas absolutiones populo indicere, & impartiri consueverunt, iisdem etiam illos absolutiones hujusmodi in suis Ecclesiis assignare, diesque festos, & carnalium abstinentias, quarum translationem certis de causis fieri decrevit Ecclesia, in alios dies, quàm qui per Episcopum sunt prę scripti, transferre: Sitque sacrosanctis Decretis interdictum, duos in eadem civitate Episcopali munere fungi, prorsusque ridiculum, nec à scandalo alienum in una Civitate, hos carnibus uti, illos verò abstinere, eoque fiat sæpe, ut multi diebus abstinentiæ ab esu carnium, festis autem ab operibus suis non abstineant, hoc illis ut minimè licere declarat hæc synodus, sic etiam nec Ecclesiastas, aut Concionatores in suas Ecclesias introducere absque Episcopi auctoritate, cujus est Prædicatores verbi Dei probare, aut reprobare: Quapropter ad abusum hujusmodi tollendum prohibet juxta sacros Canones, ne cujusvis privilegii, exemptionis, juris, aut consuetudinis prætextu aliqui concionatores non probati ab Episcopo in aliqua Ecclesia, Diœcesi, aut civitate admittantur: neve duæ in eadem die generales absolutiones fiant, festique dies & carnium abstinentia diversimode observentur sub excommunicationis contra particulares, & interdicti contra communitates pœna ipso facto incurrenda.

A

OMnibus Episcopis, Abbatibus, Capitulis, & aliis quibuscumque Beneficiorum Collatoribus....... quibusvis personis prima Beneficia vacatura promittere prohibet hęc synodus.

De Capitulis, Dignitatibus, & Canonicis.

B

IPsarum verò Ecclesiarum Cathedralium Canonicos, annis viginti duobus minores, non debere institui decernentes.

NEmo ibidem, dum Horę in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium, nam non solùm obsequium, cui obnoxius est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.

DIvinis verò Officiis peractis, ipsos Canonicos (præsertim Ecclesiarum Cathedralium, qui Episcopi consiliariorum nomine decorantur) oportet libros præsertim sacros legere, non verò huc, & illuc discurrere, & vagari, aut desides esse, multum etenim reipublicę Christianæ interest, ut sint in Ecclesia viri docti, qui cæteros ad justitiam, & pietatem invitent, & erudiant.

C

De Parochiis, Presbyteris, & aliis Clericis.

QUibus rectoribus Ecclesiasticis ministeriis inservientibus, ut facilius onera sibi incumbentia sustineant (illos etenim nec judicare, ac sordidos esse, & turpe est, & indecorum) sedulo curent Episcopi, ut jura illis debita, & ab antiqua, & laudabili consuetudine solvi consueta tàm pro sepulturis, & funeralibus obsequiis, quàm pro aliis etiam Officiis in sua Ecclesia celebrandis, integrè, & sine fraude præstentur, juxta regium edictum ad trium ordinum regni Blesis congregatorum supplicationem promulgatum, &c.

D

NEque etiam ad ullos sacros Ordines suscipiendos aliquos admittant, qui Beneficium Ecclesiasticum sufficiens pacificè non possideant, & si ad titulum patrimonii, vel pensionis aliqui erunt ordinandi, illi tantùm ordinentur, quos ipsi Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum, servatis, quę Oecumenicorum Conciliorum decretis super hoc statuuntur: quique juxta Chalcedonense Concilium certis addicantur, seu adscribantur Ecclesiis, quas sine Episcopi licentia, ex causa, & in scriptis obtenta, deserere non liceat, & ad alias (nisi invitati fuerint à Parochis Missæ celebrandæ gratia) spe mercedis tantum discurrere: non enim longè absunt à Simoniaca labe, & turpi quæstu, ex Concilii Tridentini auctoritate, qui non alio, quàm pecuniarum intuitu Missas frequentant.

E

De Christi fidelibus laicis.

EXcommunicationi subjacere eos omnes diffinimus, qui capillos ad videntium detrimentum scitè excogitatis nexibus adornant, & componunt, & infirmis animis escam ea ratione objiciunt.

PEcuniam si quis adulterinam, aut minus probatam receperit, quamvis ignoranter, auctorque sibi sit incognitus, alteri tradere non præsumat, cum

A cum id fieri nequeat sine specie mali (à qua Apostolus vult omnes abstinere Christianos) ac sine magna furti suspicione.

SI ventorum vi, vel tempestate agitata navis, variis onusta mercibus, scopulis illisa naufragio frangatur, ex Concilio Nannetis pridem habito, sedente Honorio secundo, Naufragii reliquias, neminem sive nobilem, sive alium, multò minùs Ecclesiasticum, præter naufragum, tuta conscientia sibi arrogare posse declaramus: adversatur enim non modò Christianæ pietati, sed etiam legi naturæ, & civili, cum aliena jactura locupletari.

De Monachis, & Monasteriis.

J*Ubet*, ut in regesto, *describantur nomina omnium, qui habitum suscipiunt, & eorum, qui vovent, quod signetur per Abbatem, vel priorem Claustralem, ipsumque suscipientem, aut viventem*, *necnon per duos, aut tres testes*.

UTque magis habitus susceptio, & emissio voti innotescant, & palam sint, mandat sancta synodus, ut publico in sacrario, seu choro Ecclesiæ Monasterii, post majoris Missæ offertorium, omnibus religiosis assistentibus, saltem intimatis, & de eorum assensu habitus susceptio, & voti emissio fiant.

Quod nostrum decretum in Monialium domibus, seu Monasteriis omnino asservari placet.

PRocuratores Abbatum, quos non rectè magnos vocant vicarios, etiamsi fuerint religiosi, nullam virtute suæ procurationis, aut vicariatus dignitatem, authoritatem, honorabilioremve sessionem, sive in choro, capitulo, aut alibi sibi vendicabunt, sed Prior Claustralis illos semper præcedat: locum verò suæ receptionis illi tantummodò teneant.

De Monialibus.

N*On vult audiri religiosas prætendentes nullam esse professionem, nisi intra quinquennium à die professionis.*

Neque tùm etiam nisi causas, quas prętenderint, coram Ordinario, & suo superiore deduxerint.

Ante quarum deductionem, si spontè habitum dimiserint, ad allegandam quamcumque causam admittendas non esse decernimus, sed ad Monasterium redire cogendas, & tanquam Apostatas puniendas.

Ne autem dictæ Virgines, quæ habitum susceperint, vel professionis votum emiserint, à tàm sancto proposito quoquomodo avocentur, ordinamus puellas sęculares, quas in dictis Monasteriis educari sæpius contingit, non vestibus sericis, sed laneis tantummodo nigri, aut fusci, vel albi coloris indui, nullo etiam exposito ornamenti genere uti, aut cencinnatos crinis, inaures, vel monilia, & alias ejus generis inanes delicias gestare.

De Sepulturis.

Vetat hæreticorum corpora in locis Sanctis inhumari. Illa verò si contigerit per vim, aut aliàs indebitè in Ecclesia, Cęmeterio, aut alio loco Sancto, sepeliri, exhumari volumus, & mandamus, ęquum judicantes eos cum iis non sepeliri, quibuscum viventes noluerunt communicare. Illas verò Ecclesias, seu Cęmeteria ..... pollutas, seu polluta, ac propterea reconciliatione indigere declarantes.

Nullo autem modo in Ecclesiis sepultura effodiatur, nisi quæ non minore, quàm sex, aut quinque pedum spatio à majore, aut digniore altari distet.

De Jurisdictione, & Visitatione.

Promotores non sint laici.

De rebus Ecclesiæ conservandis, & non alienandis.
De Seminariis, Scholis, & Universitatibus.

Simonis à Maillè Archiepiscopi Turonensis in Concilii dimissione gratiarum actiones.

IS est receptissimus omnium fere gentium mos, eaq; laudabilis hominum ingenuè educatorum consuetudo (dilectissimi in Christo Fratres) ut post extremam arduo cuicumque operi impositam manum, illis, quo-
B rum & auctoritate, & consilio, & ope freti, prosperos huic successus dederunt, gratias non solùm habeant immortales, sed etiam referant ..... ipsi etiam Ethnici, &c. Eorum exemplo probans Deo referendas gratias.

Agendæ prętereà forent Sũmo Pontifici nostro Gregorio ob imperata hæc Concilia, Regique nostro Henrico ob liberè permissa, gratię, si coram eis loqui liceret: quandoquidem verò absentes sumus, id minimè præstare possumus, Deo nostro preces ex animo, & devotissimè fundamus, supplicationes, & jejunia in id potissimum instituamus, ut illum suæ Ecclesiæ serio invigilantem, hunc suo Regno, suisque subditis benè, & legitime imperantem, quàm diutissimè servet incolumes.

C Restat, ut tunc humillimus, ergo, & indignissimus servus vester vobis etiam gratias agam: Quod mihi, &c. In quo certè, ut cæterarum virtutum, ita & vestræ humilitatis non vulgare specimen edidistis.

Quod illi paruistis, qui nulla ferè alia, quàm suæ unctionis prærogativa, & sanctitate præditus est, hujus fortè Theophilacti sententiæ in Joannis caput undecimum memores.

Τίμα μὴ τῆς ἀρχιερεῖς, Ἀξίως τῆς ἐν αὐτοῖς Κάριτος, ὁ τῆς αὐτῶν πρὸ αἱρέσεως.

Honora Archipræsules, inquit, pro dignitate ejus, quæ in eis est, gratiæ, non ejus, quam amplectuntur, vitæ rationis.

Pro tantis ergo vestris in me meritis .... me meam
D operam ...... vobis, totique huic celeberrimo cœtui de me promerito, ut lubens voveo, ita & devotissimus offero, & voti reus lubentissimè persolvam.

Subscriptiones.

N*Os Simon à Maillè Archiepiscopus Turonensis definiens*, subscripsimus.

Ego Guillielmus Ruzè Andegavensis Episcopus, subscripsi.

Ego Philippus du Bec Episcopus Nannetensis subscripsi.
Ego Rolandus de Neufville Episc. Leonensis subscripsi.
Ego Nicolaus Langelier Episcopus Briocensis subscripsi.
Ego Aemarus Henequæus Episcop. Redonensis subscripsi.
Ego Carolus du Liscoet Episcop. Corisopitensis subscripsi.

E *Pro absentibus Episcopis subscripserunt Procuratores, qui sequuntur.*

Ego Joannes Cheurollier, Reverendi Domini Episcopi Dolensis Procurator, & ejus nomine interfui, approbavi, & subscripsi.

Ego Anselmus Taron, Procurator Illustrissimi, & Reverend. Cardinalis à Rambouilleto, nuncupati Episcopi Cœnomanensis illius nomine, subscripsi.

Ego Joannes Trotereau, Vicarius Generalis, & Procurator Reverendiss. Episc. Maclovensis, quia interfui, & approbavi, etiam subscripsi.

Nos Jacobus Fleuriot, & Guillielmus du Hallegoet Procuratores deputati à Capitulo Ecclesiæ Turonensis, Sede vacante, subscripsimus.

Sequun-

Sequuntur aliæ subſcriptiones Procuratorum pro Capitulo Eccleſiæ Metropolis Turonenſis primum. Deinde pro Capitulo Eccleſiæ Beati Martini Turonenſis, pro aliis Capitulis dictæ Diœceſis Turonenſis, pro Abbatibus, Monaſteriis, & Prioribus ejuſdem Diœceſis, tùm pro Rectoribus, & curatis dictæ etiam Diœceſis Turonenſis. Deinde *pro Capitulo Dolenſi, & Abbatibus, pro Cœnomanenſi, pro Capitulo, & Clero Rhedonenſi, pro Clero Andegavenſi, pro Capitulo Nannetenſi, pro Maclovenſi, Brioceñſi, Coriſopitenſi, Leonenſi, & Trecorenſi, Sede vacante.*

Dicti Concilii Procuratores Domini Natalis Derondeau, Doctor in Theologia, & Simon Gallant, Theſaurarius, & Officialis Turonenſis.

Secretarii Dom. Dionyſius Bauduin, Canonicus Turonenſis, & Amoraldus de Herbammet Canonicus Rhedonenſis.

Continentur in codice, ex quo iſta carptim deſumpſimus, duæ Epiſtolæ, una Præfati Simonis Archiepiſcopi, quæ decreta Concilii à Gregorio XIII. Summo Pontifice probari petit in eis, quæ recta ſunt, & corrigi in iis, quæ ſunt emendanda. Altera eſt ipſius Summi Pontificis ad Præfatum Archiepiſcop. qua remittens ad eum Decreta examinata, & ubi oportuit emendata, mandat, ut diligentiſſimè curet ſervari. Datum Romæ 8. Octob. 1584. Pontif. anno 13.

Extant inſuper duæ Epiſtolæ, una Gallico idiomate, altera latino conſcripta ad Chriſtianiſſimum, & inviċtiſſ. Regem Henricum III. qua idem Archiepiſcopus humiliter ab ipſo petit Concilium probari, antequam typis mandetur, multa inſerens in prima Epiſtola de aſſiſtentia Principum in Conciliis, & in ſecunda de utilitate Conciliorum. Hunc igitur (inquit in poſtrema Epiſtola Latinè ſcripta) Chriſtianiſſime Rex à Turonenſis Provinciæ Patribus exaratum libellum tuæ Excellentiſſimæ Majeſtati ſupplices offerimus, gratumque habere humiliter deprecamur ..... offerimus, inquam, tibi libellum exemplo Patrum Concilii Cabilonenſis II. qui Imperatori Carolo Magno ſua Decreta duxerunt offerenda, ut ſacratiſſimo ipſius judicio, quæ ab ipſis rectè erant ſancita, confirmarentur: & ſic, ubi forſan eſſet omiſſum quippiam, ejus prudentia suppleretur. Quod quidem & ita feciſſe Concilii Turonenſis tertii Patres ex ipſius fine haud dubiè colligitur. Neque enim, dum offerimus, ignoramus, quantum Eccleſię miniſtris tribuas, quàm religioſus ſis in tractandis Eccleſiæ Decretis, quàm diligenter in mentem tuam introſpicias, & perconteris teipſum, antequam de miniſtrorum Dei ſtatutis aliquid exiſtimes immutandum. Grato igitur animo accipe, optime Princeps, tuorum humilium oratorum Canones, eoſque obſervari per totam Provinciam jubeto, &c.

CONTROVERSIA.

Conſenſus regis ad Concilia habenda.

Quod ex conſenſu Regis celebratum ſit hoc Concilium Turonenſe, ſicut & alia poſt Concilium Tridentinum, id novum non eſt in Gallia. Unde & Stephanus Papa X. epiſt. 1. ad Gervaſium Rhemenſem Archiepiſcopum, quę extat apud Ducennium, tom. 4. ſcriptorum Coætaneorum, &c. ait: *De Concilio vero Rhemis habendo, quid aliud dicendum, niſi quod beatæ memoriæ Dominus Victor hinc eſt raptus, & quod te ſicut inter vos convenit, non remandaſti, an in hoc eſſet Regis conſenſus.* Quod verò poſtulent Patres Turonenſes Concilii decreta à Rege Chriſtianiſſimo probari, non tamen exinde conſequium eſt, ut decreta Conciliorum robur, aut virtutem à poteſtate temporali emendicent, quaſi abſque illius judicio, & approbatione nullius ſint vigoris, ac momenti: ut enim præclarè ſcribebat Hoſius Conſtantino Imperatori: *Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe: reformida diem judicii, ſerva te in illam diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe; ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne, quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias;* Date, *ſcriptum eſt*, quæ ſunt Cęſaris, Cęſari; & quæ ſunt Dei, Deo. *Neque igitur fas eſt in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes, imperator.* Addit poſt nonnulla interjecta: *Quando à condito ævo auditum eſt? Quando judicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro judicio agnitum eſt? Plurimæ antehac ſynodi fuere, multa judicia Eccleſiæ habita ſunt. Sed neque Patres iſtjuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Petunt igitur Patres confirmationem à Rege, tùm ut tollatur locus appellationibus tanquam ab abuſu, quibus ſtantibus, parum fructus, ut ſupra animadevertit Concilium, ſperari poteſt ex ſynodorum decretis; tùm etiam ut exemplo Regis, quo nihil potentius ad flectendum ſubditorum animos, probentur ab omnibus concilii ſtatuta, eaque cum debita veneratione, & obſervantia exequutioni demandentur, abſque iis oppoſitionibus, & contradictionibus, quas plerique non ſine authoritatis Eccleſiaſticæ contemptu aliquando adhibent.

CONCILIUM BITURICENSE,

Sub Reginaldo Belnenſi tempore Gregorii XIII. & Henrici III. pro diſciplina, & moribus celebratum, Anno 1584.

Ita de hoc Concilio Spondanus ad Annum 1584. Hoc eodem Anno, menſe Septembri celebratum eſt ibidem in Gallia Provinciale Concilium Bituricenſe ſub Reginaldo Belnenſi, viro doctrina, rerum uſu, facundia inſigni. Hæc ibi de hoc Concilio, de quo multò plura habet Severtius in ſumma omnium excommunicationum, &c. in tabula 6. ex hac autem nonnulla excipiebamus, quia acta Concilii, etſi Pariſiis edita à Federico Morello Regio Typographo, invenire non poteramus.

Ac primò, in limine Concilii, & Epiſtolis Reverendiſſ. Archipræſul. inſcribit ſe Patriarcham, & Archiepiſcopum Bituricenſem, Aquitaniæ Primatem: ſunt ſiquidem duplicis generis Patriarchæ, alii majores, quales ſunt propriè tantùm quinque, Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Antiochenus: alii minores, ut ſunt Aquilejenſis, Canturienſis, Bituricenſis, & alii, quorum non eſt tanta auctoritas. Sed pro duobus præfatis titulis, & inſignibus ejuſdem Archipræſulis in concordiam revocandis, ſciendum eſt appoſitè dici Patriarcham Bituricenſem, quia dignitas Patriarchatus vulgo connotatur, & jungitur cum Metropoli civitate, quæ eſt primaria ſedes alicujus Eccleſiaſticæ poteſtatis longius diſperſæ. Sic enim Patriarcha Jeroſolymitanus dicitur talis, & non Judęæ, aut Paleſtinæ: pariterque Alexandrinus, non Africæ, aut Ægypti. At verò nomen Primatis appoſitè cum regione, & Provincia conjungitur, quæ univerſum juriſdictionis Eccleſiaſticæ ambitum, & amplitudinem denotat: ut Primas Galliarum, Aquitaniæ, & ſimilium.

In hoc Concilio adfuerunt Epiſcopus ſancti Flori, Epiſcopus Baro, & Comes Cadurcenſis, Epiſcop. Lemovicenſis, procuratores Capituli Cathedralis, ſeu

ſeu Epiſcopatus Claromontenſis tunc vacantis, Epiſcopus Caſtrenſis, Tutellenſis, Albienſis, Mimatenſis, Vabrenſis, & Epiſcopus Anicienſis abſens litteris pollicitus eſt ſe omnia probaturum, ac in Diœceſi obſervaturum, quæ in Synodo decernerentur: Attamen contendit ſe eſſe exemptum, nec alicui Archiepiſcopo ſubjectum. Vocati etiam fuere Dom. Reverend. Archiepiſc. Burdigalenſis, Narbonenſis, Auxitanus, & Toloſanus, tamquam huic primatiæ ſubjecti, qui non interfuerunt. Qua in re non eſt noſtrum inquirere de vetuſtis horum Archipræſulum juribus. Quamvis Burdigala pertineat ad antiquam Aquitaniam, Toloſa verò videatur pars Galliæ Bracchatæ, ſeu Narbonenſis, quæ ab omni pene ævo diſtinctam portionem effecit. Ait ibidem Severtius. Legimus tamen apud Chanutium in ſerie Archiepiſc. Narbonenſium Nicolaum Papam Archiepiſcopum Narbonenſem ſubjeciſſe primati Bituricenſi, à cujus authoritate eumdem liberavit Martinus ſecundus, & Benedictus, qui auctoritatibus ſuis confirmantur. Porrò inter varia decreta hujus Concilii libet hæc annotare ex Conciliis noviſſimis Galliæ.

Habet titulos 46. in quibus multiplex Canonum diverſitas contra abuſus tunc vigentes.

TIt. 1. *can.* 8. introeuntes Eccleſiam, divini officii, ſive celebrandi, ſive audiendi gratia frontem aqua benedicta aſpergant, & ſigno crucis ſeſe muniant, ac genuflexo adorent præſertim clerici, ſimul atque ingreſſi erunt.

De fide tit. 2. *can.* 5. hæretici, qui ad Eccleſiam Catholicam redeunt publicè, vel privatim, prout Epiſcopo videbitur coram eo, vel ejus Vicario in ſpiritualibus generali, præſentibus Notario, & teſtibus, errores, & hæreſes abjurent, ac fidem Catholicam profiteantur, ſcripturæque propria manu ſubſcribant, & eam ſubſignent: neque enim eos recipi decet, qui hæreſim abjurant, niſi fidei Catholicæ dogmata contraria exprimant, & profiteantur, ſcripturæque propria manu ſubſcribant, & eam ſubſignent, ne lupi inter oves graſſentur.

Tit. 4. *de abuſu ſcripturarum tollendo*, *canon.* 2. omnia Biblia Sacra, & quivis alii Libri de fide, & religione vernacula lingua ſcripti reſpuantur, niſi quos Eccleſiæ Catholicæ, & Ordinarii auctoritas probaverit.

De hæreticis vitandis, *tit.* 5. *can.* 2. hæreticis Eccleſiarum aditus, niſi cauſa audiendæ prædicationis non concedatur, neque ſepultura Chriſtiana.

Tit. 8. *de vigiliis, & jejuniis, canon.* 5. cùm res poſtulabit, Epiſcopi indicent jejunia, ex veteri Eccleſiæ Catholicæ ritu: & ea ſub pœna Eccleſiaſtica, & canonica ſervare teneantur ii, quibus indicta fuerint.

Tit. 12. *de celebratione divini officii*, *can.* 4. in fine Pſalmorum, & ubicumque gloria ſanctiſſimæ Trinitati redditur, omnes conſurgant, & in invocatione nominis Jeſu genuflectant. Horum tranſgreſſores illius horæ, in qua exceſſerint, diſtributione careant: perſeverantes majore pœna pro delicti gravitate plectantur, & per ſinceræ conſcientiæ punctuarium, cujus erit ſingulorum defectus obſervare, apud canonicos in capitulo congregatos deferantur.

Can. 8. Tollatur illa corruptela, qua iis jura totius diei conceduntur, qui uni tantùm horæ diei adfuerunt; ea enim percipere illi tantùm debent, qui pondus, & æſtum diei perferunt, & choro Eccleſiæ fideliter deſerviunt.

Sit Magiſter ceremoniarum in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis.

Tit. 16. *de cœmeteriis*, *can.* 13. hæreticis, ne in iis quidem Eccleſiis, quas fundaverunt, ſepeliantur, neque etiam inſigniorum, aut imaginum in iis depingendarum jus ſibi vendicent.

A *Canon.* 4. in Eccleſiis ſepeliantur tantùm Prælati, & miniſtri Eccleſiæ, principes, fundatores Eccleſiarum, patroni, & Domini locorum, & qui magiſtratu aliquo cum honore functi fuerunt, ac de republica benemeriti, & ii, qui ab antiquo in Eccleſiis ſepulturæ jus habent.

Tit. 20. *de ſacramento Confirmationis*, *can.* 2. nemo dicat chriſmatis confectionem ab alio, quàm à Chriſto inſtitutam eſſe.

Tit. 22. *can.* 5. nemo ſine contritione, confeſſione, & ſatisfactoriis operibus dignè præmunitus, ad Euchariſtiam ſumendam accedat.

Can. 10. Parochi, ſeu Curati omnium communicantium in ſuis Eccleſiis nomina excipiant, & deſcribant.

B *Tit.* 23. *de Miſſa*, *can.* 3. Miſſa vivis, & defunctis prodeſt, quia æquè ſunt membra Chriſti. Qui ſecus crediderit, anathema ſit.

Canon. 7. interdicit hæc Synodus omnibus parochis, & Presbyteris, ne res prophanas, litteras, & actus judiciales, aut quid ſimile inter Miſſarum ſolemnia, vel alio quovis tempore in Eccleſiis legant, ſed id præconibus, & lictoribus relinquant, qui pro foribus Eccleſiæ res indicendas, ſi videbitur, publicabunt, non enim decet ſacerdotem ſæcularia negotia tractare.

Titul. 24. *de Ordine*, *canon.* 1. celebrentur Ordines publicè, die, & loco, & temporibus ab Eccleſia præfinitis.

C *Titul.* 26. *de Sacerdotibus*, *can.* 2. ſacerdos in illa Eccleſia permaneat, ſub cujus titulo promotus fuit, nec cauponariam permutationem beneficiorum exerceat.

Can. 4. ſacerdos ſaltem intra tres menſes à ſua conſecratione Miſſam celebret.

Titul. 23. *de Beneficiis*, *canon.* 1. cùm beneficium Eccleſiaſticum non otioſis, ſed officium ſuum exequentibus ſit conſtitutum, & propter officium detur beneficium, denuntiat hæc Synodus omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis, qui beneficia Eccleſiaſtica ſolius temporalis proventus gratia ſuſcipiunt, eos non facere fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem teneri.

Tit. 37. *de monaſteriis*, *can.* 8. monaſteria omnia ad feſta ſuæ Diœceſeos celebranda adigantur.

D *Can.* 9. nemo ejiciatur de monaſterio, quantumcumque crimen admiſerit, ſed pro delicti ratione puniatur, & corrigatur, ut in melius emendetur, & in apoſtaſiam non incidat.

Tit. 39. *de blaſphemiis*, *jurejurando*, *&c.* *canon.* 2. ſcriptum erat antiquis, *non pejerabis, ſed reddes Domino tuo ſacramenta.* Chriſtus autem ſuos docuit non jurare omnino, ne temerè homines nomen Dei aſſumant, & ex jurandi conſuetudine via perjuriis aperiatur. Prohibet ergo hæc Synodus omne jusjurandum, niſi quod ad eliciendam veritatem in judicio requiritur, &c. *Levit.* 19. *Exod.* 20. *Deuter.* 5. *Matth.* 5.

Can. 3. non præſtetur juramentum ſuper ſacroſanctum corpus Chriſti, ſed ad ſancta Dei Euangelia, E aut alio in diverſis locis recepto more.

Tit. 42. *de concubinariis*, Chriſtus Dominus continentiæ, ſicut & cæterarum virtutum Magiſter, ſacerdotum Euangelicorum, quibus ſe tanquam exemplar imitandum propoſuit, mentes puras, & corpora caſta eſſe vult, ut imaginem ejus, quam præ ſe ferunt, cùm omni vitæ ſuæ quidem tempore, tùm maximè ſacrificii altaris oblatione, fideliter cuſtodiant, &c.

Titul. 45. *de laicis*, *canon.* 2. non ſit laicis grave ſacerdotibus, qui ſpiritualia ſervent, temporalia liberaliter rependere, illis debitum honorem exhibere: nec eos maledictis, aut ſuggillationibus proſequantur.

Can. 3. in Eccleſia laici Clericis non miſceantur, ſed ſuo quiſque gradu, & ordine diſcernantur, ne qui

qui divino officio inserviunt, à multitudine perturbentur.

Can. 8. usurarii non absolvantur, nisi prius quæstus illiciti cupiditati renuntiaverint, & quæcumque impiè extorserunt, se, quibus substulerunt, pro viribus reddituros polliciti fuerint.

Tit. 46. plus vident oculi, quàm oculus, &, ut ait Divus Bernardus, nihil absurdius est, quàm, ut privatam sententiam, patrum judicio, & universæ multitudini in Deo congregatæ quis anteponat; quod in rebus divinis præcipuè locum habet, dicente Christo, *ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio sum eorum*: ideò Ecclesia in Spiritu Sancto congregata sub B. Petro, & Apostolis, dubia quæque dissolvit. Unde Concilia generalia, provincialia, & diœcesana manarunt, &c.

de Resur. 1. ser. Do.

Matth. 18.

Acclamationes.

1. BEatissimo Domino nostro Gregorio sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici maximo multi anni, & æterna memoria.

Responsio. Domine Deus, sanctissimum patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

2. Christianissimo Regi nostro Henrico, qui hoc provinciale Concilium promovit, memoria in benedictione sit.

Responsio. Pium, & Christianissimum regem, Domine, conserva.

3. Reverendissimo D. Patriarchæ Bituricensi Primati nostro, qui hoc Concilium celebravit, cum multis annis magnæ gratiæ.

Responsio. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat, & in multos annos Ecclesiæ suæ conservet.

4. Sanctissimis, & Reverendis Dominis Episcopis sancti Flori, Cadurcensi, & Lemovicensi, qui ad hoc Concilium accesserunt, magnas gratias.

Responsio. Reverendis Dominis Episcopis magnæ gratiæ vita, & felix ad Ecclesias suas reditus, hominibus deputatis, & ordinibus, qui ad hoc Concilium accesserunt, vita, & in Deo omnis felicitas.

5. Hæc provincialis Synodus legitima convocata in Catholica fide, & Ecclesiæ obedientia celebrata, & terminata ad Dei omnipotentis gloriam, & Christianæ fidei propagationem omnium votis cedat, & ejus decreta unanimes servemus.

Responsio. Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes, & amplectentes subscripsimus.

6. His decretis inhærentes misericordiam Dei omnipotentis, & gratiam magni, & primi sacerdotis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, intercedente inviolata, & sacratissima Dei matre, SS. Petro, & Paulo, ac beato Stephano hujusce Ecclesiæ patrono, & omnibus sanctis consequamur.

Responsio. Fiat, fiat, Amen, Amen.

Conceduntur indulgentiæ quadraginta dierum à Reverendissimo Domino Patriarcha Archiepiscopo omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui huic Synodo interfuerunt, omnique populo, qui huic tàm sancto operi votis suis, & precibus favet. Patrum nomina, & eorum, qui subscripserunt. Additur in fine breve Apostolicum confirmationis hujus Concilii per Xistum Papam Quintum, in quo testatur decreta fuisse emendata, mandatque, ne aliter edantur. Subjungitur publicatio Concilii, ne, ut ait ibidem Archiepisc. quod mali Poetæ solent, extremum actum, præcipuam, potissimamque laboris nostri partem neglexisse videremur.

CONCILIUM AQUENSE,

Sub Alexandro Cogniaco Archiepiscopo, tempore Sixti Quinti, & Henrici Tertii, pro rebus fidei, ritibus Ecclesiæ, ac morum reformatione celebratum, an. 1585.

EXtat hæc Synodus edita Parisiis sub hoc titulo, *Decreta Synodi Provincialis Aquensis, &c. apud Ægidium Beysium, sub signo Lilii albi* 1586. Ex hac selecta quædam damus, cùm non sit nostri instituti omnia transcribere.

ALexander Canigianus Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Aquensis, omnibus præsentibus, & futuris salutem. Notum facimus, quod Anno Domini 1585. Pontificatus felicis recordationis Gregorii Papæ XIII. anno decimotertio; necnon & regni Christianissimi Regis Henrici III. anno undecimo. Cùm nostræ Provinciæ Aquensis Episcopi Ecclesiarum Cathedralium, & Capitulorum delegati, aliique viri Ecclesiastici in nostram Ecclesiam Metropolitanam ad Concilium Provinciale, quod die Dominica vigesimaquarta Februarii susceptum, & inchoatum est, convenissent; Illud in primis ab hac Synodo unanimi consensu decretum fuit, ut ab ipso Christianissimo Rege nostro humillimis precibus efflagitaremus, ut pro sua singulari pietate, Tridentinum Concilium, quo labenti Reipublicæ Christianæ accuratissimè subvenitur, promulgari juberet. Interim verò, dum hujusmodi promulgationem speramus, & expectamus, de fratrum nostrorum Coepiscoporum consensu, eorumque, qui huic Synodo interfuerunt, consilio, tùm quod Episcopi ipsi in sua quisque Diœcesi pro suæ conscientiæ exoneratione, omnia, quoad ejus fieri potest, ad ipsius Concilii decretorum præscriptum, dirigant, & moderentur: tùm hæc, quæ sequuntur, pro temporum necessitate, & Provinciæ nostræ statu, ad Dei laudem, & Ecclesiæ amplificationem in nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis statuere duximus.

DE PROFESSIONE FIDEI CATHOLICÆ.

Omnes profitentur fidem Catholicam juxta formulam à Pio Quarto præscriptam. Vide Concilium Rhemense.

DE SACRAMENTIS.

PArochi igitur. . . . atque ut intus candida innocentiæ stola exornati esse debent, ita etiam extrinsecus mundo superpelliceo, stolaque ejus coloris, qui sacramento ministrando congruat, induti sint semper.

Sedulo quoque videbunt, ne ad sacramenta quævis aliquem admittant, nisi armis depositis, modestoq; habitu ..... & fidei nostræ salutem initia recitare noverint.

Illud prætereà diligenter caveant, ne pro illis administrandis ab ullo, vel omnium rerum inope Sacerdote, verbis, aut etiam signis quicquam prorsus, vel minimum quovis modo petatur, exigaturve.

Quod si quis contra fecerit, is graviter ab Episcopo pro culpæ ratione puniatur, non avaritiæ tantùm labe notatus, sed etiam Simoniacæ pravitatis reus.

Quod si laici homines eleemosynas dare consuetas, impendereque renuerint, eos Episcopus ex Canonum jure, ad piè introductam consuetudinem perpetuo retinendam, cogat, atque compellat.

De Baptismi Sacramento.

EA nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula sunt, quæve Gentilium, atque adeò impiorum,

rum, & impurorum hominum memoriam refricant, A sed . . . . . ut & in ipso vitæ ingressu ne nomen quidem commune fideles habere velle protestentur, & ipsi infantes etiam, cùm ætate profecerint, nominum similitudine ad eorum, à quibus illa accepta sunt, imitationem excitentur, & propterea quos imitari studeant, eosdem quoque frequentius precentur, ac sperent eos sibi potissimum ad salutem tùm animi, tùm corporis advocatos fore.

In Baptismo compater non sit, qui sacro Chrismate confirmatus non est, eademque de commatre cautio sit, &c. . . . nec passim Clericus sæcularis sacris initiatus, aut beneficium Ecclesiasticum obtinens, nec qui minor natus sit quatuordecim annis . . . . . ut non ore solùm, sed animo, atque seriò ad interrogata, quæ in baptismo fiunt, respondeat, ac planè B intelligat suscepti à se muneris partes.

Nec verò ullum vel ornamentum, vel aliud quidquam, quod mundi hujus pompam præ se ferat, adhiberi patiatur: cùm minimè consentaneum sit, in ipso vitæ Christianæ ingressu, statim iis rebus studeri, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur.

Moneant etiam illos, ne baptismum filiorum suorum ultra octavum diem differant sub pœna excommunicationis.

De Confirmationis sacramento.

EPiscopus, & Parochus curent, ut qui ridiculum, & turpe habet nomen, illud mutet, sumatque in hoc sacramento nomen alicujus, qui veræ, sanctæque religionis laude floruit, ut eumdem imitetur, cujus nomen gerit. C

Quæ ad sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum pertinent.

TAbernaculum, in quo sanctissimum asservatur sacramentum, esse debet quàm ornatissimum, ac, si fieri posset, ex auro solido, pretiosis gemmis religiosè certis locis ornatum, &c.

Vetitum præterea sit, ne nocturno tempore afferatur, nisi ægro morbi periculum instet.

Facta communione, &c. moneatque domesticos, qui ægroti curam habent, ne per dimidiam saltem.... D illum visitari permittant, ne à munere gratiarum Deo agendarum avertatur.

De celebratione Missæ.

COrporalia quoque à se, aut ab honestiori quopiam sacerdote, aut etiam tantum à subdiacono ablui curent tertio quoque mense, & crebrius, si oportuerit.

Nec verò quis vel vir, vel mulier gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit, dum sacrum fit.

Quando elevatur sanctissimi Domini nostri Corpus in Missa majori, vel parochiali, semper signo majoris campanæ moneatur populus, ut ille se Deo humiliter, & quamvis longè positus, sanctissimum Sacramentum adoret. E

Quæ ad Pœnitentiæ sacramentum pertinent.

ECclesia autem, quæ plures habet confessarios, totidem confessionalia, quot confessarios habeat.

In tabulæ dividentis medio fenestella fiat latitudine cubiti dimidiati, & altitudine paulò minori, cui fenestellæ ferri lamina affixa sit minutis foraminibus plena, & tela tenui præterea nigri coloris à parte confessarii apposita, ut nequaquam confitentis faciem adspicere confessarius possit.

Quæ pertinent ad sacramentum Extremæ Unctionis.

PArochus verò fidelibus propè morituris suggerat, ut ex hoc sæculo antequam migrent, qui præsertim in urbe sunt, alio loco, in quo Episcopus sit, ad illum certum hominem mittant, qui eis Episcopalem benedictionem petat.

Quæ ad sacramenti Ordinis administrationem pertinent.

QUicumque ad Ordines majores promoveri volunt, mense integro ante statam ordinationis diem ad Episcopum conveniant, &c.

. . . . De se litteris legitimè testata exhibeat . . . præterea se vel origine, vel beneficio Ecclesiastico, quod in Diœcesi sua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione Diœcesanum esse, aut familiarem Episcopi, qui per triennium cum illo commoratus sit, . . . Hoc verò testimonium à Parocho habeat: sacram item communionem crebro per annum suscepisse.

Regularis, qui ad sacram ordinationem conveniet . . . . , loco tituli, censusve afferat testificationem præstitæ professionis regularis, & nihilominus coram Episcopo juramento affirmet scripto manu sua subsignato, se illam spontè fecisse, aut ratam habuisse: illud autem scriptum in Archivo asservandum Episcopus curet . . . afferat litteras dimissorias à superiore de Ordine suscipiendo.

De festorum dierum cultu.

NE quid ematur, aut vendatur, nisi quod ægrotis, aut illius diei victui necessarium sit.

De vita, & honestate Clericorum.

NEc in exteriori cultu Presbyteri sint negligentes. Valdè enim indecorum est à plerisque non solùm pauperibus, sed etiam ditioribus affectari sordes in familia in vestibus, &, quod pejus est, in Ecclesiæ sacramentis, & altari, quod maximum indicium est immundi, & impudici cordis.

De Episcopis.

EPiscopus in specula constitutus, & supra montem positus, sicut debet omnium inferiorum actiones inspicere, ita meminerit se omnium conspectibus expositum esse, nec posse abscondi, &c.

Certam sibi horam quotidie sumat, quam in contemplationum divinarum studio, exercitationeque attentissimis religiosæ mentis cogitationibus ponat. Qua oratione non sibi ipsi tantùm divini luminis illustrationem deposcat, sed etiam pro fidelibus suæ curæ commissis, humiles preces fundat, eorum peccata deplorando, &c.

. . . . Omnibus se faciles, benignosque præbeant, ita tamen, ut ne à gravitate recedant.

Episcopus non prophano ornatu, aut apparatu, sed fidei, & vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debet, &c.

Cùm exit per civitatem suam, vel etiam per Diœcesim, semper populo sanctæ Benedictionis munus impertiatur, etiam si quis non genuflectat.

De Visitatione.

MEminerint autem visitationem ad salutem eorum, qui visitandi sunt, institutam esse, &c.

Regularium monasteria regularium juri, curæve subjecta, quoad clausarum attinet, diligenter, accurateque visitent. Loca ipsa intro spectent, atque è superiori etiam parte circumlustrent, &c. *agit de Episcopis.*

De Concionibus, & Verbi Dei prædicationibus.

NUllus autem sæcularis, vel regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.

De Parochis, & animarum curatoribus.

PArochi in urbe, & in oppidis saltem insignioribus constituti, ut à reliquis Sacerdotibus animarum curam non gerentibus internoscantur, signum aliquod, quod proprium illorum insigne sit ab Episcopis in diœcesana Synodo eis præscribendum, ferant, cùm domo exeunt, supra exteriorem vestem, & supra superpelliceum, cùm in Ecclesia sunt, aut processiones, aliasque hujusmodi publicas actiones obeunt.

De Choro.

LAici verò nobiliores, & qui vel Christianissimi Regis consiliarii, & officiales, aut ex militaribus ordinibus, aut communitatum magistratibus fuerint, poterunt intra chorum admitti . . . . ita tamen, ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos ipsos ipsis sedere liceat.

Ipsæ fœminæ, si monitæ, statim non recesserint, vel iterum contumaciter ingredi præsumpserint, sint eo ipso excommunicatæ.

De Altari.

ID in primis propositum habeat Episcopus, nimiam Altarium frequentiam . . . esse vitandam . . . . ac ne illa, ut usu evenire solet, ornamentis necessariis, quo plura sunt, eo facilius destituta remaneant: *Ibidem prohibentur Altaria contra columnas erecta.*

De funeribus, & exequiis.

NEmini quemquam in funere laudare liceat in Ecclesia, nisi & eum, quem laudari Episcopus dignum censuerit, & laudationem scriptam ante probarit.

De Processionibus.

REgularibus sub excommunicationis pœna interdicitur, ne processiones solemnes, & publicas ipsi soli in civitatibus, & oppidis insignioribus obeant, absque facultate in scriptis ab Episcopo impetrata, sed cùm aliqua ex causa processionem illis obire necesse est, eam obire liceat in Ecclesia, vel in suo cœmeterio, vel in Claustro Monasterii.

De Reliquiis.

CUm populo pietatis causa ostendentur, luminaria accendantur.

De Excommunicatione.

QUamvis Excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ Disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cùm experientia doceat, si temerè, ac levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari.

Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere Ecclesiastico Judici, ut non excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, &c.

Quæ pertinent ad Beneficiorum collationem, &c.

OMnes pensiones, & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ auctoritas, illicitas, & Simoniacas declarantes, penitus improbamus.

A

De Synodo Diœcesana.

NOn alium in Synodo diœcesana præsidere oportet, quàm Vicarium Episcopi, eo absente, nisi Sede vacante: tunc enim ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis redit Diœcesis administratio.

De Monasteriis.

COmmendatarii, quamvis ad regularem observantiam non obligentur: ne tamen sint sine jugo absque omni regula, decet eos medium statum, atque ordinem sequi inter regulares, & sæculares Clericos, in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsura utantur ampliori, quàm sæculares: nec existiment sibi mandatum Monasteriorum regimen ad luxum, & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam, sed ad piam, & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus sibi reddendam rationem intelligant.

B

Visitante Episcopo, teneatur Abbas regularis, seu Commendatarius adesse, nisi justa causa per Episcopum judicanda impediatur, aut eo casu Vicarius legitimè constitutus, qui, quod ordinatum fuerit, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus exequatur, aut Canonicis pœnis coerceatur.

Quæ generatim ad has constitutiones pertinent.

C

MAximas Deo gratias agere debemus, quod pro communi hujus Provinciæ salute hoc tempore statuenda videbantur, ad exitum optatum perducta sunt. Denique ea, qua debemus humilitate, & obedientia, sanctæ Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum matris, & magistræ judicio, atque auctoritati, omnia, & singula, quæcumque in hac Provinciali Synodo sancita, decreta, actaque sunt, semper emendanda, & corrigenda subjicimus.

Subscriptio Episcoporum.

NOs *Alexander Canigianus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Aquensis, de consilio, & assensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum definientes subscripsimus.*

D

Ego Franciscus Episcopus Aptensis consentiens subscripsi.

Ego Petrus Paparinus de Calidomonte Episcopus, Comes, & Dux Vapincensis consentiens subscripsi.

Ego Helias Rastelis Episcopus Regiensis consentiens subscripsi.

Ego Antonius de Cuppis Episcopus Cistarcensis consentiens subscripsi.

Ego Helias Moßonus Vicarius Generalis, atque procurator generaliter ad omnia deputatus Illustriss. & Reverendiss. Episcopi Forojuliensis, ejus nomine interfui, & subscripsi. Et omnia, & singula in hac sancta Synodo Aquensi, acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

E

Sanctissimo Domino nostro Xisto Quinto Pontifici Maximo.

BEatissime Pater, Singulari Dei benignitate Synodum Provincialem (quam, ut hactenus differremus, partim pestilentiæ magnitudo, partim belli vis, & militares incursiones effecerunt) uti maximè optabamus, summa Episcoporum frequentia, summa sententiarum consensione, summa Cleri, populique lætitia habuimus. Quamobrem Patri luminum Deo grates agimus quàm maximas. Quæ in ea decreta confecimus, qua majori possumus reverentia, atque humilitate mittimus ad sanctitatem vestram, ejusque judi-

judicio, ac censuræ subjicimus, rogamusque, ut ea sapientia sua meliora facere, atque Apostolicâ auctoritate confirmare, & munire ad spiritualem hujus Ecclesiæ, & Provinciæ ædificationem promovendam velit. Interim sanctitati vestræ multos annos, atque æternam memoriam precamur. Aquis sextiis Kalend. Septembris 1585.

S. V. Humillimus servus
Alexander Archiepiscopus Aquensis.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Aquensi, Xistus Papa Quintus.

VEnerabilis frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Remittimus fraternitati tuæ decreta Synodi Provincialis Archiepiscopatus tui, à venerabilibus fratribus nostris sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus de rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectis mandato nostro examinata, atque, ubi oportuit, emendata. Curabis, ut quæ piè, prudenterque decreta, atque emendata sunt, itaut sunt emendata, nec aliter edantur, quamque diligentissimè serventur. Hæc enim reliqua pars est operæ tuæ, sine qua omnis hactenus frustra susceptus esset labor. Deus benedictus præsit semper consiliis, actionibusque tuis omnibus sua gratia, dirigatque studia, & conatus tuos omnes ad sui nominis gloriam, gregisque tuæ fidei, ac vigilantiæ commissi salutem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo piscatoris die 5. Maji 1586. Pontificatus nostri anno secundo.

Ant. Buccapadulius.

Hæ duæ epistolæ præmittuntur in codice ipsis decretis, cum duabus aliis: prima, qua Archiepiscopus Aquensis universis Provinciæ suæ fidelibus testatur Synodum peractam esse, ejus decreta à summo Pontifice probata, eosque adhortatur: ut ea suscipiant eo animo, ac studio, quod bonos, atque obedientes filios decet. Altera, qua Antonius Carafa Cardinalis ad Archiepiscopum Aquensem rescribit, Synodum, jubente summo Pontifice, ad eum remittens, cum pauculis quibusdam in margine notatis, quæ erant correctiones, quas adhibere judicaverant, deputati Cardinales ad ipsius examen. Missaque est Roma die 4. Maji, anno 1586.

CONCILIUM TOLOSANUM,

Sub Francisco de Jojosa, Cardinali Archiepiscopo Tolosano, tempore Xisti Quinti, & Henrici tertii celebratum, anno Dom. 1590.

INter tot bellica, ait Spondanus ad annum 1590. Ecclesiastica etiam curantibus Episcopis, Franciscus de Jojosa Cardinalis, Archiepiscopus Tolosanus Synodum Provinciæ suæ ibidem Tolosæ celebravit mense Maji, unà cum septem suis Suffraganeis Episcopis, in qua multa præclarè instituta sunt pro disciplina Ecclesiastica, & moribus reformandis, ad normam Decretorum Sacrosancti Concilii Tridentini.

Concilium hoc dividitur in quatuor partes, sub quibus varii tituli cum multis decretis continentur.

Prima pars est de personis, præmissa fidei professione, ubi agit de Episcopis, Canonicis, Parochis, Monialibus, &c.

Secunda pars est de rebus, hoc est de sacramentis, & sacramentalibus.

Ubi verò de concionatoribus agit, hoc habet decretum: Perdifficile est Episcopis, iis præsertim, qui latioribus diœcesibus sunt constituti, omnes eorum Ecclesias perlustrare, & in iis concionem habere, eos ta-

A men hortatur hæc Synodus, ut Apostolorum exemplo populum sæpius per litteras invisant, & consolentur, idque potissimum iis temporibus, quibus anniversaria redemptionis nostræ mysteria celebrantur. Hæ frequenti populo perlegantur, quo is paternam illam charitatem, propensumque Pastoris erga se animum agnoscere possit. *Lit. Episcopales.*

Secunda pars est de rebus, seu sacramentis, & sacramentalibus, ubi de Extrema Unctione. Cùm callidus serpens, & hostis humani generis, calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maximè soleat, ægrotos Parochi, quanta maxima fieri poterit charitate, visitabunt, consolabuntur, instruent, ultro, etiam sese non vocati iis offerent, dabuntque sedulo operam, ne in id tempus sacra, extremamque Unctio-
B nem differant, quo novissima conflictati valetudine, auctiorique morbo, tàm profuturi sacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, suis agnoscere non possit.

Ægrotos morti proximos Parochi hortabuntur, ut aliquos benedictionem suo nomine petituros ad Episcopum mittant.

Tertia pars est de locis, ut capellis, altaribus, & quarta pars est de pœnis, seu jurisdictione. Nec demum sine æterna animarum perditione, quæ à Christo ipso, legeque antiquissima libertatem sortita est, Ecclesiæ jurisdictio violari potest. Sacra sacris, alia allis sunt committenda.

De sacra inquisitione. 10. Ne dormientibus hominibus inimicus homo superseminet zizania, hæreses pe-
C nitus extirpandæ, fidesque Catholica, quibus fieri poterit, firmissimis fundamentis venit confirmanda. Sacrum igitur Inquisitionis officium, ubi nullum fuerit, introducatur, ubi introductum, diligenter & conservetur, & reformetur.

Qui hæreseos rei fuerint, qui hæreticorum libros legerint, retinuerint, vendiderint, quique de fide temerè aut loquuti, aut concionati fuerint, quique alio nomine de Religione suspecti fuerint, ut quod carnes comederint, aliudve simile fecerint, ii omnes ad Inquisitorem deferantur: qui libri prohibiti in publicis officinis fuerint, Inquisitorum etiam erit visitare.

Subscripserunt huic Concilio Provinciali Franciscus titulo SS. Trinitatis in Monte Pincio, S.R.E. Episcop. Presb. Card. de Jojosa, Archiep. Tolosanus. Alexander
D de Bardis S. Papuli Episcopus. Joannes du Bourg Episcopus Rivensis. Horatius de Birugue Episcopus Vaurensis. Germanus Saccale procurator Episcopi Lombariensis. Joannes du Laurier procurator Episcopi Apamiarum. Gregorius Topignon procurator R. Petri Donault Episcopus Mirapicensis. Nicolaus Chambignier à Capitulo Ecclesiæ Montis Albani, sede Episcopali vacante, Vicarius deputatus.

COLLATIO FONTANOBLIAUDENSIS

Cum Plessio Calvinista, tempore Clementis octavi, & Henrici quarti, anno Christi 1600.

E

QUa ratione Collationem Episcoporum Catholicorum cum Donatistis Carthagini habitam, t. 1. Conciliorum inseruit Severinus Binius, eadem nos hujus celeberrimæ Collationis Fontanobliaudi in amplissimo consessu Regis Christianissimi, Episcoporumque, ac Principum peractæ, in hac additione exhibemus, præcipua ejus Capita ex actis ipsius Collationis Ebroici Gallicè editis anno 1601. per ipsummet Episcopum Ebroicensem, aliisque Historiarum conscriptoribus. Ediderat Philippus Morneus Plessius Marlius nobilis Normanus Præfectus Salmuri, inter Gallos Calvinistas præcipui nominis, librum idiomate Gallico: *De Missæ abusibus, & antiquo sacræ Eucharistiæ usu*: stylo quidem eleganti exaratum, sed infinitis falsitatibus, atque depravationibus, & corruptelis refertissimum, ut sunt pleri-

que hæreticorum libri; &, ut necesse est, fieri, cum sanctorum Patrum auctoritate falsam doctrinam adstruere quærunt. A Deceptusque in eo Plessius à suis Ministris, qui ejus calamo abutentes suggesserant ei loca Patrum suo more falsata, corrupta, truncata, & contrario penitus sensu allegata; eadem ipse pro fide, quam eis habebat, absque ulla alia discussione, aut examinatione, suo operi intexuerat. In cujus librum, cùm proinde à Catholicis Doctoribus, ut à Berengario Theologo Parisiensi, aliisque passim conclamaretur, Jacobus quoque Davy Perronius Episcopus Ebroicensis, eo perlecto, ut erat in Patrum lectione, & Controversiarum agitatione versatissimus, ac solertissimus, quingenta amplius loca ex Patribus antiquis, & Scholasticis Doctoribus eo libro falsò citata esse se demonstraturum recepit. B Quod ubi Plessius audivit, scripto publico petiit, ut qui ipsius librum falsi insimularent, Libello supplici, quem Regi porrecturus esset, subscriberent; quo petebat, ut probitatis, & doctrinæ perspectæ delegati à Rege nominarentur, qui loca impugnata diligenter examinarent, &, verè, an falsò citarentur, dijudicarent. Accepit conditionem Episcopus: Amboque, ut id coram ipso Rege, si interesse dignaretur, fieret, postularunt: qui facilè, ac cupidè consensit. Intercessit tamen initio Episcopus Mutinensis Nuncius Pontificius, Religionis controversias per disputationes in dubium revocari non debere asserens; qui nihilominus, cùm intellexit, hanc concertationem non de Fidei decisionibus fore, sed tantùm de falsis Plessei allegationibus, cessavit ab intercessione. Locus ad Collationem delectus à Rege C Fontanobliaudum, ubi ipse erat Diæta valetudinem curans, Delegati nominati pro Catholicorum parte Jacobus Augustus Thuanus Senatus Parisiensis Præses Historiarum scriptor, Franciscus Pithæus in eodem Senatu Causidicus, vir apprimè doctus, & Nicolaus Faber Præceptor Principis Condæi, omni litterarum genere excultissimus. Pro Calvinistis Sofrœdus Callígno Navarræ Cancellarius, & Isaacus Casaubonus multiplicibus scriptis suis notus. Verum, quod Faber adesse non potuit, ejus loco delectus est Joannes Martinus, Regius Medicinæ Professor, Linguarum peritissimus pro Calignone, qui morbo præpeditus venire nequivit, Philippus Canajus Fraxineus Præses Cameræ bipertitæ Castrensis.

De forma Collationis, deque locorum examinan- D dorum designatione, cùm diu altercatum esset, Plessium adeò pœnitentia suæ confidentiæ subeunte, ut parum affuerit, quin Rege insalutato recederet, vixque unquam à suis pudore ignominiosæ fugæ suffusis, induci potuerit in aciem descendere: tandem post multas contentiones, ex 70. locis à Perronio pro primæ diei Collatione propositis, 19. ab eo selectis, die 4. Maji, ad rem ventum est post meridiem. Fuitque sessionis dispositio, ut in medio conclavis mensa posita, Rex ad caput ejus sederet, Perronius ad dextram, Plessius ad sinistram, è regione sese invicem conspicientes, ad imum Secretarii, qui Acta exciperent. Altius ad dextram Regis, Cancellarius cum Delegatis: Prope Regem Archiepiscopus Lugdunensis, cum Episcopis Nivernensi, Castrensi, & Bellovacensi; ad sinistram, E quatuor Secretarii status; tùm Principes, ac Proceres, qui frequentes aderant, hinc inde sedentes: ac circumfusi spectatores utriusque Religionis, in quibus & nonnulli Ministri; omnes in universum circiter ducenti.

Cunctis dispositis, ante omnia Bellievrius Franciæ Cancellarius, qui actioni coram Rege præerat, præfatus, sicut non ibi de dogmatibus fidei, ac doctrinæ Ecclesiæ inter Catholicos receptæ agendum esset (quod nullatenus Rex absque licentia Summi Pontificis fieri permissurus foret) ita nequaquam intelligere Regem, ut nullum inde edictis in sectariorum gratiam factis præjudicium afferri posset: partesque ad moderationem utrinque servandam hortatus est: Sic enim Regem velle, ac jubere. Qui proprio ore idipsum confirmans, nihil se dixit de sua Fide, ac Religione dubitare, neque velle, ut aliquod ejus dogma in disputationem adduceretur, sed tantùm à Plessio testimonia allata examinarentur; tùm Perronius Episcopus Ebroicensis dixit;

EN adsum, ò Rex, vestræ Majestatis jussioni morem gerens, & ad diem mihi à Domino Plessio indictam, me sistens. Onus in me suscepi de demonstrandis quingentis Textibus falsò allegatis in ipsius libro contra Missam. Vestra Majestas ea, qua singulari pollet, prudentia, id oneris suscipi potuisse existimavit absque ulla legum seu spiritualium, seu sæcularium transgressione, quibus cautum est privatis personis, ne publicis disputationibus Religionis articulos examini subjiciant. Neque enim hìc agitur de Fide antiquorum Patrum discutienda, aut eorum scriptis, sed an ea fideliter Plessius contra Catholicos produxerit. Olim Rex Vvandalorum Gundericus, cùm Catholicos ad ineundum disputationis certamen cum Arrianis provocasset, Eugenius Carthaginensis Archiepiscopus respondit, sibi liberum non esse hoc certamen aggredi absque consensu aliorum Episcoporum, & maximè Romanæ Ecclesiæ Pontificis, qui cæterorum caput esset. Si autem nunc simili ratione ductus à pugna non resilio, non est, quod in veneratione Sedi Apostolicæ præstanda illo Archiepiscopo inferior sum, sed quia doctrina Catholica in dubium non revocatur, sed veritas locorum singularium, qui in libro Plessii continentur. Ad quod mihi majorem indidit propensionem vestræ Majestatis modestia: neque enim illa thuribulum, ut ille Judæorum Rex, qui lepra percussus est, hoc est Sacerdotalem authoritatem, ac judicium de rebus sacris sibi assumit, sed tantùm doctos, ac fide dignos testes advocavit, qui veritati hujus Collationis testimonium perhibeant, atque si aliqua exoriatur de nominum versione, aut exemplarium editione difficultas, æquum super ea re judicium suum proferant. Qua in re imitata est Constantini, Valentini, Theodosiique Imperatorum exempla, qui de rebus Religionis judicium minimè sibi aßumpserunt, sed Pastoribus integrum reliquerunt. Ideoque sub ejus Imperii authoritate in Collationis hujus arenam descendo, si prius protestatus fuero me nulla in Plessium irati animi commotione adductum fuisse, quem, ut virum doctum, ac egregiis animi dotibus præditum veneror, neque verò ei falsi crimen deferre intendo, iis dumtaxat, qui tot falsa ei suggeßerunt, ut palam fiet ex pacifico disputandi modo, quem me adhibiturum polliceor.

SUbjunxit istis Plessius, se etiam adesse, ut librum suum defenderet, quem non ad ambitionem, aut vanitatem, sed ut aliquid pro sua parte reformationi Ecclesiæ conferret, scripserat. Fieri vix posse, ut inter quatuor amplius locorum citatorum millia, non aliqua reperirentur, in quibus errasset, ut homo, verumtamen asserere id posse, nulla se mala fide in his ductum fuisse.

Dixit Episcopus Ebroicensis, in tanto locorum numero duo millia Catholicis favere, quos, ut solveret, vel ne omitteret, in suo libro inseruerat: quoad alia duo millia, si tot tamen essent, quingentis præcipuis abrasis, reliqua sibi fore inutilia. Deinde breviter exposito præsentis collationis statu, adductisque in medium libris, posito scilicet super mensam ipsius Plessii libro Rupellæ edito *in quarto* per Hieronymum *Hautin*, posita etiam schedula locorum sexaginta, notatis in ea illis novemdecim, quos selegerat Plessius, quod minus inter omnia corrupta, aut falsata sibi visa fuissent, Collatio sumpsit exordium 4. Maji, hora prima pomeridiana, jubente Rege, ut secretarii propositiones, ac resolutiones dumtaxat exscriberent,

Discus-

Discussio novem locorum falsò citatorum à Plessio Calvinista.

I. ARticulus ex novemdecim, quos Plessius selegerat, ut discuterentur, Scoti textus erat citatus ab eo pag. 869. libri *in quarto*, Rupellæ editi per Hieron. *Hautin*, hoc verborum sensu: *Joannes Duns, dictus Scotus, ferè post centum annos à Concilio Lateranensi, audet in quæst. revocare, an Corpus Christi realiter sub speciebus contineatur, & disputat, quod non, suntque ejus argumenta, quod quantitas id non potest pati, nec magis localitas, & circumscriptio, quæ inhærent naturæ veri corporis, quale est Corpus Domini*, notabaturque in margine Scot. super 4 sent. distin. 10. quæst. 1.

Dixit Episcopus Ebroicensis dupliciter peccare Plessium. 1. quod Scoto imputabat, quod in quæstionem, seu dubium revocaret id, quod methodo scholæ proponebat, ut utrimque res agitaretur, antequam determinaretur. Si enim legitimus esset hic citandi authores modus, nulla esset impietas, quæ scholasticis imputari non posset, cùm omnes articulos fidei ea methodo tractent. Ut idem Scotus 1. sentent. distinct. 2. & alibi proponit, *an sit unus Deus*; statimque subjungit, *videtur, quod non*. Secundò dixit Plessium, argumenta hæreticorum, quæ sibimet ad refutanda Scotus objiciebat, pro ipsismet Scotis argumenti accipere, ut evidens erat ex verbis, quæ immediatè post Scotus subjiciebat, *contr. Matth. 26. dicit Christus*: Hoc est corpus meum, *& Joan. 6.* Caro mea verè est cibus: *dico, quod Corpus Christi esse ibi realiter, est simpliciter de substantia fidei*, & paulò post, & si hæretici vellent ista exponere, dicendo, quod sint figurativè dicta, sicut illud, quod ait Joan. 10. Ego sum vitis vera; & illud 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus; istud omnino est contra intentionem Salvatoris.

Huic objectioni respondit Plessius, mentem suam fuisse, quod Scotus dubitasset, an esset Corpus Christi sub speciebus ea realitate, quam credit Ecclesia Romana, scilicet per transubstantiationem, idque manifestum esse ex eo, quod dixisset Scotum scripsisse post Concilium Lateranense, ubi articulus transubstantiationis determinatus fuerat, atque etiam ex titulo capitis libri sui præfixo, *De progressu transubstantiationis à Concilio Lateranensi, &c.*

Dixit Episcopus Ebroicensis hìc, quæstionem non agitari de mente, & intentione Plessii, sed de verbis illius libri, in quibus nullus est sermo de transubstantiatione, sed tantùm de existentia reali corporis Christi sub speciebus, ut etiam rationes ex localitate petitæ convincebant. Quare Plessium non posse excusari. Dixit insuper, nullas esse rationes petitas ex Concilii Lateranensis tempore, aut titulo capitis, cùm Lateranense Concilium etiam realem præsentiam corporis Christi sub speciebus determinaverit, & sub præfato titulo nihil impediret, quin mens ejus fuisset id intelligere, quod sonabant verba. Tandem verò, etiam si Scotus, & Plessius voluissent loqui eo loco de transubstantiatione, de hac re controversiam præsentem non esse, sed an Scotus dubitans loqueretur, & si verba, quæ illi imputabat Plessius, propria illi essent, an hæreticorum, quæ sibi ad refellendum objiciebat.

Dixit Plessius, se non solùm verba Scoti citasse ex distinct. 10. quæstio. 1. sed etiam ex quæstio. 3. distinctio. 11. ubi Scotus articulos tractat. transubstantiat. aitque sibi probabiliorem videri opinionem contrariam, nec minus venerabilem, cui stetisset, nisi auctoritas Ecclesiæ impedivissent.

Dixit Episcopus Ebroicensis, Plessium ibi tres Scoti locos citasse, in quibus semper objectiones pro solutionibus allegabat, quod ostendit. Quod verò spectat ad verba Scoti ex quæstio. 3. distinct. 11. Minimè Scotum cum ea hæsitatione loquutum fuisse, quam Plessius exhibebat verba illius transponendo. Sic enim

A loquitur Scotus. Ad tertium, ubi stat vis, dicendum, quod Ecclesia declaravit istum intellectum esse de veritate fidei in illo Symbolo sub Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi: *Firmiter credimus, &c.* Et breviter, quicquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei: Et hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia. Et si quæras, quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem hujus articuli, cùm verba scripturæ possit salvari secundum intellectum facilem, & veriorem, secundum apparentiam fidei de hoc articulo: Dico, quod eo spiritu expositæ sunt scripturæ, quo conditæ; & ita supponendum est, quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit: *Quo tradita est nobis fides, spiritu scilicet veritatis edocta, & ideò hunc intellectum elegit, quia*
B *verus est*. Plures itaque errores Plessii inveniri, ubi unicus dumtaxat illi objectus fuisset. Nihilominus hìc tantùm agi de loco distinct. 10. quæstio. 1. in quo Plessius Scoto imposuerat, sumens objectiones pro solutionibus. Qua de re respondendum modò illi erat, neque huc, illucque divagandum.

Post aliquas alias concertationes, quibus Plessius frustra difficultatem effugere conatus est, allatus est in medium, jussu Regis, Scoti codex ex editione Paris. Jodoci Ascensii anno 1519. lectaque verba Scoti ex quæst. 1. distinct. 10. ubi apparuit de veritate dictorum Episcop. Ebroicensis, & falsitate allegationis Plessii.

II. Articulus ex novemdecim selectis à Plessio, Durandi locus erat citatus eodem libro, pagina 870. his verbis: Durandus, quem per excellentiam Sorbona Magistrum nuncupat, & Doctorem resolutissimum, hæc profert verba super 4. sentent. distinct. 11. contra, posito, quod substantiæ panis, & vini remanent, una tantùm ex hoc emergit difficultas, quod scilicet duo corpora simul sint. At ex positione contrarii plures emergunt, scilicet, quomodo accidentia possint nutrire, corrumpi, quomodo aliquid ex iis generari, cùm omnia ex præjacente fiant materia: & ideò videtur primo potius inhærendum. *Durandi textus.*

C

Dixit Episcopus Ebroicensis: Omnia ista verba partium esse adversantium, quæ per modum objectionis sibi Durandus proponebat, ut ea refelleret, unde & in resolutione contrariam sententiam asserebat his verbis lib. 4. sentent. distinct. 1. quæst. 1. Primum
D est, quod substantia panis, & vini convertuntur in substantiam Corporis Christi . . . . . . ad primum in oppositum dicendum est, quod in his, quæ sunt fidei, non est semper eligendum illud, ad quod pauciores sequuntur difficultates, &c. sed est ponendum magis illud, quod est consonum dictis Sanctorum, & Traditioni Ecclesiasticæ.

Conatus est Plessius difficultatem hanc effugere, mutando statum quæstionis, & citando alios Durandi textus, ubi non de actuali transubstantiatione, sed modo alio possibili ponendi Corpus Christi præsens in Eucharistia, quæ effugia repressit Episcopus Ebroicensis, & cùm videret disputationem plus justo protrahi, Regem supplicavit, ut deputati, juxta
E quod conventum erat, tantùm judicarent de veritate allegationis verborum, ne tereretur in vanum tempus, aliisque locis examinandis non deesset. Quod Rex fieri jussit, decrevitque Cancellarius, ut producto in medium Durandi codice, textus ex utraque parte citati legerentur, quibus perlectis, exquisitisque deputatorum suffragiis, ex omnium consensu pronunciavit D. Plessium objectionem pro solutione sumpsisse.

III. Articulus ex novemdecim selectis ille est, in quo pag. 537. contra intercessionem Sanctorum disputans Plessius ait, Divum Chrysostomum deducere ex hoc Hieremiæ versu: *Cum Moyses, & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum*. Conclusionem penitus Catholicorum sententiæ oppositam. Et revera, inquit Divus Chrysostomus, *D. Joann. Chrysost. hom. 1. in 1. ad Thess.*

hinc

hinc omnino contrariam deducit conclusionem, quod precibus Sanctorum non sit immorandum, sed salutem nostram cum metu, & tremore operari debeamus.

Dixit Episcopus Ebroicensis, Textum hunc omnino esse mutilatum, ac corruptum, cum Divi Chrysostomi conclusio omnino contraria esset. Verba enim ejus sunt: *Cum hæc ergo sciamus, neque preces Sanctorum contemnamus, neque totum in eas conjiciamus, tùm ne pigri simus, & socordes, & temerè insidiis circumveniamur: tùm ne à magno lucro excidamus, sed & hortemur ad orandum, & ad manus pro nobis porrigendas, tùm ipsi virtutem sectemur.*

Dixit Plessius, Se non verba omnia D. Chrysostomi attulisse, quæ pluribus foliis continebantur, sed ea in compendium reduxisse, unde textum verbo tenus non allegabat.

Dixit Episcopus Ebroicensis, Inutile esse tale effugium: nam conclusionem D. Chrysostomi, paucis verbis circumscriptam esse, ideoque nihil opus fuisse compendio, & rescissione verborum essentialium, quibus tribuebat D. Chrysostomo alienam conclusionem ab ea, quam ex verbis Hieremiæ deducebat.

Dixit Plessius, D. Chrysost. loqui de Sanctis adhuc viventibus, ut patebat ex verbo: *Hortandi ad orandum*; quod dici non poterat de Sanctis aliis, quàm qui nobiscum viverent.

Respondit Episcopus Ebroicensis, D. Chrysostomum indifferenter loquutum ibi fuisse de precibus quorumcumque Sanctorum tàm mortuorum, quàm viventium, ut manifestum erat ex exemplis, quæ proposuerat David, & Job, Samuelis, & Moysis. Quod autem est de verbo *hortari* in Græco esse *παρακαλεῖν*, quod etiam invocare significat.

Dixit secundo Plessius, Non posse negare, quin D. Chrysostom. ibi loqueretur de Sanctis mortuis, quandoquidem dicebat illum inferre ex versu Hieremiæ: *Si Moyses*, &c. conclusionem contrariam omnino sententiæ Catholicorum: est autem sententia propria Catholicis, Sanctos mortuos esse invocandos.

Dixit tertio, de quibuscumque Sanctis ibi agatur, in eo non esse cardinem disputationis, sed an inferret ex versu Hieremiæ id, quod asserebat Plessius, scilicet: *Nobis non immorandum esse in precibus Sanctorum, sed debere nos salutem cum metu, & tremore operari, &c.*

Dixit Plessius se verba æquipollentia verbis D. Chrysostomi citavisse, idemque esse non immorandum, aut sistendum in precibus Sanctorum, ac non totum in eas conjiciendum.

Respondit Episcopus propositionem hanc *non immorandum esse in precibus Sanctorum* ambiguam esse, duosque pati posse sensus sibi contradictorios. Poterant enim significare totum non esse constituendum in precibus sanctorum, & nihil esse in iis constituendum, quo ultimo sensu usurpabatur à Plessio, ut ex toto discursus illius contextu patebat. Quare illum non posse excusari, quod pro verbis clarissimis Divi Chrysostomi, *neque totum in eas conjiciamus*: hæc ambigua subjecisset, neque *in precibus Sanctorum immoremur*, abutens eorum ambiguitate contra authoris mentem. Deinde verò hæc sequentia verba abrasisset, *neque preces Sanctorum contemnamus, &c. hortemur ad orandum, & ad manus pro nobis porrigendas.*

Rogatis ergo deputatis, ut judicium proferrent de hac citatione, lectis editionibus Græcis D. Chrysost. Veronæ, & Hidelbergæ, ex omnium consensu pronuntiavit Cancellarius Plessium id omisisse, quod debuerat apponere.

Iterum expenditur Textus Jo: Chrysost.

IV. Articulus ex novemdecim locis erat D. Chrysostomi citatus pagina 574. his verbis. *Videtur Chrysostomus data opera hujus abusus destructionem aggressus fuisse, tàm sollicitus erat ejus fundamenta qualibet data occasione avertere: videbat populum magis sollicitum esse, quo pacto alienis suffragiis adjuvaretur, quàm de propria vita emendanda. Hanc ergo impugnat opinionem. Quin, ait, multo securiores sumus proprio, quàm alieno suffragio, neque tàm cito aliis rogantibus salutem Deus impertitur, quàm nobis rogantibus. Sic enim Chananæam illam aliquando miseratus est: Sic etiam meretrici donavit salutem, sic latronem à cruce in Paradisum transtulit, nullius patroni, nullius mediatoris precibus inflexus.*

Objecit Episcopus Ebroicensis Plessium tacuisse verba immediatè sequentia, *& hæc dicimus, non ut supplicandum esse sanctis negemus, sed ne nosmetipsos in otium, ac desidiam resolvamus:*

Dixit Plessius hìc Chrysostomum agere de precibus sanctorum viventium.

Respondit inter cætera Episcopus, bis ergo Plessium peccasse in hac citatione. 1. quod locum Chrysost. de precibus sanctorum viventium citaret contra preces sanctorum mortuorum. 2. Quod eumdem mutilasset, ea verba subticens, quibus apparebat de abusu citationis.

Dixit Plessius, se locum citavisse non quidem contra preces sanctorum mortuorum, sed contra eos, qui se adjuvari suffragiis alienis credebant.

Loquutus tunc Rex dixit, nomen *alienis* generale esse, extenditque tàm ad viventes, quàm ad mortuos. Revocavitque illi in memoriam, quod dixisset D. Chrysost. data opera hujus abusus destructionem suscepisse, petivitque ab eo Rex, quem abusum intelligeret, an abusus esset rogare sanctos viventes, ut pro nobis supplicarent?

Quibus Regis verbis alia addidit in confirmationem Episcopus, aliaque Plessii subterfugia confutavit. Tùm decreto Cancellarii lecta sunt verba Græca D. Chrysost. in codicibus editionis Parisiensis anno 1546. Basileensis anno 1558. Et in manuscriptis ex Bibliotheca regia extractis, inventumque, ut asseruerat Episcopus. Dumque legerentur hæc verba *ϗ ταῦτα λέγω οὐχ ἵνα μὴ ἱκετεύωμεν*, &c. Qui, dum sciolus ex ministris præsentibus, cùm putaret lectum fuisse *ἐκκλιτεύωμεν*, dixit verbum istud non significare supplicationem, cui, cùm à deputatis responsum fuisset haberi *ἱκετεύωμεν*: Si ita est, inquit, lubens cedo, ac se in turbam retraxit: quem Rex intuitus lepidè subjunxit, hunc levis armaturæ equitem esse, qui excusso sclopeto discedit, *c'est un carabin qui a yant tire son coup, s'est retire*, lectis deinde aliis verbis Divi Chrysostomi ab Episcopo allatis pro precibus sanctorum ex hom. 26. super Epist. 2. ad Corinth. pronuntiatum est à Cancellario votis omnium deputatorum consentientibus, Plessium omisisse, quod debuerat apponi.

Text. Chrys.

V. Articulus ex 19. selectis à Plessio locus erat D. Hieronymi lib. 4. in Ezech. cap. 14. citatus ab ipso pagina 583. *sed Divus Hieronymus in commentariis sedata ira, & dolore scribit, quod si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus*, maledictus *enim* omnis homo, qui spem habet in homine, *quamvis sancti sunt, quamvis Prophetæ*. Non est *confidendum principibus Ecclesiarum, qui quamvis justi sunt, animas suas tantùm liberabunt, non animas filiorum suorum.*

Objecit Plessio Episcopus Ebroicensis, quod in illa citatione omisisset verba illa, *si fuerint negligentes*. Haberi quippe apud D. Hieronymum, *filios autem, ac filias, quos in Ecclesia genuerint, si fuerint negligentes, salvare non poterunt*. Quæ verba omissa, totius textus clavis erant, eaque Divum Hieronymum ita necessaria putavisse, ut bis ibidem ea repetiverit.

Ad solitum effugium confugit Plessius dicens, Divum Hieronymum loqui tantùm de precibus sanctorum viventium.

Episcopus dixit, Divum Hieronymum de quibuscumque sanctis loqui, & ipsummet Plessium locum citavisse contra intercessiones sanctorum mortuorum. Denique quæstionem esse nunc, an de quibusvis sanctis ageret Divus Hieronymus, si enim absolutè dixis-

dixisset, & sine apposita conditione, *precibus suis salvare nos non poterunt*; an illam conditionem adhibuisset, *si fuerint negligentes*.

Post aliquas ex utraque parte contentiones occasione hujus loci Cancellarius exquisitis omnium deputatorum votis, quæ consententia inventa sunt, dixit, locum integrè debuisse citari.

VI. Articuli citatio fuit D. Cyrilli pagina 223. his verbis: *D. Cyrillus respondet Imperatori Juliano sibi improperanti honorem cruci exhibitum; Christianos nec adorationem, nec reverentiam signo Crucis exhibere.*

Dixit contra Episcopus Ebroicensis nullibi D. Cyrillum asserere, *Christianos nec adorationem, nec reverentiam signo crucis exhibere*.

Confessus est Plessius ita esse, ideoque se hæc verba citasse cum characteribus ipsius textus, non allegationis, sensum tamen horum verborum apud Divum Cyrillum inveniri.

Respondit Episcopus & illum citasse cum characteribus allegationis pagina 89. Cæterum & verba, & sensum neutiquam apud D. Cyrillum reperiri.

Respondit Plessius, sensum inveniri, nam cùm Julianus Christianis objecisset Crucis adorationem, non respondit Divus Cyrillus id verum esse, cùm tamen id debuisset respondere, si Christiani eam adorassent.

Nullam esse sequelam istam dixit Episcopus, cùm Christiani paucioribus, quàm poterat fieri, verbis agerent disputantes cum paganis, nec ansam illis præberent argumentandi. Cæterum, si conjecturis agendum esset, longè probabilius contrarium inde deduci posse, scilicet ideò Christianos reverentiam signo Crucis exhibuisse, quod cùm illud improperaret eis Julianus, non negavit id fieri à Christianis Divus Cyrillus, qua negatione breviter totam difficultatem absolvisset. Quibus subjunxit Rex: Verisimile non esse Julianum reverentiam Cruci exhibitam Christianis vitio vertisse, si aliter se res habuisset; quod confirmavit Episcopus ex eo, quod Julianus probè calleret mores Christianos, inter quos in adolescentia sua vixerat. Addidit insuper, si Julianum arguisset Divus Cyrillus de hoc dicto, quod Christiani Crucem adorarent, nunquam Christianos Imperatores, qui post hunc Imperio potiti sunt, commissuros, ut crucem honorabilem, adorabilemque vocarent, sicut eam Justinianus Imperator vocaverat. Quod ut ostenderet, Rex jussit: allatoque codice Authenticarum Justiniani Genevæ edito hæc verba lecta sunt: *Justinianus Imperator in Authentica de Monach. Si quis ædificare venerabile Monasterium voluerit, non prius licentiam esse hoc agendi, quàm Deo amabilem locorum Episcopum advocet: at ille manus extendat ad cœlum, & per orationem locum consecret Deo, figens in eo salutis nostræ signum: Dicimus autem adorandam, & honorandam verè Crucem.*

Dixit Plessius plures annos effluxisse à Cyrillo ad Justiniani tempora, in quibus plures abusus interim irrepere potuerant.

Respondit Episcopus, Non esse majus intervallum, quàm centum annorum. Cæterum à temporibus Cyrilli, & antea usque ad Justinianum plures esse scriptores, qui iisdem verbis uterentur. Produxitque testimonia Rustici Diaconi contra Acephalos. D. Athanasii alterius ab Alexandrino quæstio. 16. ad Antiochum. Divi Leonis serm. 8. de Passione. Sedulii Presbyteri carmine. Pascha. D. Chrysost. de adorat. Crucis.

Opposuit Plessius, Minutium Felicem, cum respondet Cæciliano Pagano, dicere: *Cruces nec adoramus, nec desideramus*.

Respondit Episcopus: Cæcilium improperasse Christianis, quod adorarent cruces, quas mererentur, intelligens patibula reorum, idcirco dixisse Minutium, ut alluderet ad objectionem Cæciliani, eam-

A que eluderet, Cruces nec colimus, nec optamus, scilicet patibula.

Opposuit Plessius, D. Ambrosium de obitu Theodos. verbis expressis dixisse de Helena Constantini matre, quod lignum Crucis non adorasset, sed Regem, qui in ligno pependisset.

Dixit Episcopus Ebr. Helenam Crucem non adorasse adoratione absoluta, sed respectiva, non secundum id, quod erat in se, sed secundum id, quod repræsentabat.

Regessit Plessius, Vanam esse hanc distinctionem, nec ullo nixam fundamento.

Dixit Episcopus, Fundamentum habere, & in Scriptura, & in ipsomet Div. Ambrosio: In Scriptura quidem, quia Deus Israelitis jubebat, ut arcam adoB rarent. Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, id est, Arcam, ut ponitur in margine Bibliorum ad hunc locum Genevæ editorum Anno 1588. quod à Josue, & cæteris Israelitis factitatum erat in obsidione Hai, Josue 7. Cum autem arca coli non posset adoratione absoluta, necessarium est respectivam admittere, qua illam coluerint Israelitæ propter Deum, quem designabat. In Ambrosio autem, quia post verba citata statim dixerat: *Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur*. Additoque alio loco ex D. Paulino Nolano in confirmationem ejusdem adorationis, protestatus est plus satis digressionibus locum datum fuisse, postulavitque à Plessio, ut illam propositionem, aut alteram illi æquivalentem ostenderet C in D. Cyrillo: *Christiani neque adorationem, nec reverentiam Cruci exhibebant*.

Respondit ergo Plessius, Satis Divum Cyrillum id significasse, cum dixisset Christum venisse, ut redderet adoratores spirituales. Notate adoratores spirituales, non ligni, & lapidum.

Ad hæc dixit Episcopus. 1. verba ista non esse scripta à D. Cyrillo, ut objecta adorationis discerneret, sed ut qualitatem adoratorum exprimeret, qui ab immunditia carnis liberi esse debebant. Verba ejus sunt libro 6. contra Julianum: *Ut legem in membris nostris sævientem sedaret, & spirituales faceret adoratores, mortuumque faciens in nobis sensum carnis, filios efficeret Dei*. Quæ verba etiam non dixerat occasione adorationis Christi. Secundo dixit, etiamsi verD ba Divi Cyrilli ad objectum adorationis spectarent, nihil ex his effici contra crucis adorationem, quandoquidem non desinunt esse *adoratores spirituales ii*, qui debito modo res corporales adorant, ut verbi gratia humanitatem Christi.

Dùm hæc ita agitarentur, Mercierius unus ex Secretariis collationis à Plessio nominatus, mutans disputationis medium, dixit, satis Divum Cyrillum negasse Christianos reverentiam cruci exhibuisse, cum Juliani objectionem extremæ ignorantiæ argueret. Quod cum gratum, ratumque Plessius habuisset;

Subjunxit Episcopus Divum Cyrillum non ea de causa Julianum arguisse ignorantiæ, quod dixisset Christianos Cruci reverentiam exhibuisse, sed quod E Christianos miseros dixisset, quia frontes, & domos Cruce signarent. Unde lectus est textus Divi Cyrilli, qui sic habebat: *Porrò miseros esse dicit, quibus cura est semper, & domus, & frontes signo sanctæ Crucis signare. Absque labore demonstrabimus hujusmodi sermones à malis cogitationibus profectos extremam sapere imperitiam*, lib. 6. contra Julianum, consequenter pronuntiatum à D. Cancellario ex concordi omnium deputatorum suffragio, locum citatum à Plessio non inveniri in D. Cyrillo.

VII. Articulus ex novemdecim selectis à Plessio, locus erat legis Imperator. Theodosii, & Valentiniani citatus pagina libri 223. *Sed quid dicturi sunt de Imperatoribus Theodosio, & Valente, qui ab hoc tempore illud pro-*

prohibent expressis constitutionibus? Cum sit nobis, aiunt, *cura diligens per omnia superni numinis Religionem tueri: signum Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in aliis materiis insculpere, vel pingere, & quocumque reperitur loco; tolli imperamus sub pœna gravissimi supplicii.*

Dixit Episcopus Ebroicensis, falsò legem citatam esse: cum in citatione deesset nomen *humi*, quod esset velut anima, & clavis istius legis: haberi enim in lege: *Nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere.* Addidit etiam tantum abesse, ut hæc lex contra Crucis honorem condita fuerit, quin potius in ejus honorem sancitam fuisse, ne pedibus conculcaretur, ut evidens erat ex 73. Canone in Trullo, ubi renovabatur.

Dixit Plessius, Se in hac parte falsi argui non posse, cum citasset Petrum Crinitum, qui eam cum iisdem verbis afferebat.

Respondit Episcopus, Se ab initio protestatum fuisse, quod nollet personam Plessii falsitatis nota inurere, sed eos, ac eorum collectiones, in quibus confisus fuerat; seque semper intendisse falsitates libri accusare, non personæ, falsitates scriptas à Plessio, non fabricatas ab ipso. Attamen non propterea illum immunem esse ab omni culpa, quoniam etsi Crinitum in margine citaret, tamen in textu Imperatores proferebat.

Deinde cum non ignoraret Crinitum recentem esse auctorem, & Grammaticum temerarium, contra Ecclesiam Romanam, malè affectum, idcò non debuisse in re tanti momenti, in qua agebatur de damnando usu perpetuo, & universali Ecclesiæ, ejus vadimonio fidere, sed potiùs consulere textum ipsum legis.

Ad id se minimè obligatum fuisse dixit Plessius.

Respondit Episcopus, Ex obligatione debuisse textum consulere, seu ut Theologum, seu ut virum omni scientiarum genere excultum, cum ea de re Sanderus, Bellarminus, aliique Crinitum arguissent, quos se non legisse prætendere non poterat Plessius contra eos scribens.

Post alias de eo articulo contentiones, pronuntiatum fuit à Cancellario ex mente omnium deputatorum, verè quidem Crinitum citatum fuisse à Plessio, sed deceptum fuisse Crinitum.

Textus D. Bernardi. VIII. Articulus ex selectis à Plessio locus erat D. Bernardi citatus pag. 604. D. Bernard. scribit de ipsa Virgine Ep. 194. *Falsis non eget honoribus veris cumulata honoribus, Non honorare est, sed inhonorare: Conceptionis festivitas nunquam rectè adinventa est.*

Dixit Episcopus Ebroicensis, Hanc citationem Centonem esse ex duobus segmentis compositum, duobus scilicet textubus sejunctis, omissis verbis, quæ post primum textum sequebantur: *Magnificæ gratiæ inventricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum*

Respondit Plessius se in hac citatione nihil fecisse absimile Apostolis, dum citarent continuè, & uno contextu diversos locos scripturæ cum ad eumdem scopum collinearent.

Dixit Episcopus, Id sine vitio esse in Apostolis, qui eodem spiritu, quo Prophetæ ducebantur, ut nihil contra eorum mentem afferrent: At non esse id ferendum in novis Ecclesiæ adversariis, qui nihil habent commune cum spiritu patrum antiquorum. Cæterùm nunquam commissuros Apostolos, ut duos locos Prophetarum per modum unius, & continui textus allegarent, inter quos intercederet aliqua clausula contraria fini, propter quem illos allegarent.

Dixit Plessius verba omissa à se, nullum præjudicium afferre scopo, propter quem D. Bernardum citaverat. Ea enim dumtaxat mente eum citasse, ut demonstraret nimios cultus virginis, & inter cæteros festum Conceptionis nunquam illi placuisse.

Contra dixit Episcopus, verba omissa omnino destruere scopum, propter quem D. Bernardum citaverat: erat enim scopus ejus, non quidem impugnare Festum Conceptionis, quamvis per transennam aliquid ea de re dictum esset, sed ostendere D. Bernardum inter lucida sua intervalla existimasse sanctos Mediatores non esse, neque ipsam Beatam Virginem. Quod probavit 3. rationibus. 1. ex scopo universi capitis. 2. Quia Plessius statim post citationem addebat. *Verum tamen est D. Bernardum alibi hunc abusum promovere.* Qui abusus non erat Festum Conceptionis, cujus festivitatem nullibi promoverat D. Bernardus. 3. Quod post eamdem citationem adderet etiam Plessius, Vvaldenses, & Albigenses insurrexisse contra abusum à D. Bernardo impugnatum, quorum oppositio ab eodem his verbis referebatur. *Quod non sit, nisi unus mediator, omnesque invocationes, & cultus sanctorum idololatriæ sunt.* Ex quibus omnibus probabatur, qua mente citatus fuerat D. Bernardus à Plessio, ideoque verba omisisse, quæ scopo suo penitus contraria erant, &c.

Mercierus secretarius dixit D. Bernardum per ista verba *mediatricem salutis*, intelligere voluisse, quod Deus per eam tanquam organum, Christum salvatorem dedisset. Quam responsionem Plessius approbavit.

Sed rejecta est ab Episcopo D. Bernardum asserente per illa verba, *mediatricem salutis*, non tantùm organum generationis Christi Domini, sed etiam intercessionis intelligere. Produxitque locum ex ser. 2. de Adventu. *Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda.*

Dixit Plessius se citasse Bernardum, ut ejus authoritate impugnaret tantum illegitimos cultus B. Virginis in genere, non ejus intercessionem.

Respondit Episcopus non ergo debuisse omittere illa verba, quibus legitimi ejus cultus manifestarentur, inter quos erat, quod mediatrix salutis agnosceretur, quod tamen ibidem impugnabat Plessius.

Dixit Plessius D. Bernardum inter illegitimos cultus Beatæ Virgini delatos, numerare Festum Conceptionis, quo hodie à Catholicis honorabatur. Petivitque legi contextum Divi Bernardi. Ubi arguit eos, qui Festum Conceptionis ejus celebrabant. Quo perfecto.

Respondit Episcopus, Non esse in quæstione, an Divus Bernardus inter falsos honores Virginis Festum Conceptionis illius poneret, sed an inter legitimos qualitatem mediatricis, aut advocatæ, cujus qualitatis occasione testimonium Divi Bernardi produxerat. 2. Festum Conceptionis eo modo, quo Catholici illud celebrant, non esse inter illos sacræ Virginis honores, quos Divus Bernardus falsos asserit. Si quidem duas ob causas arguebat illos, qui festum istud volebant introducere. 1. Quod viderentur velle adstringere Christianos ad credendum ex obligatione fidei immaculatam fuisse B. Virginis Conceptionem. 2. Quod res tanti momenti inconsulto summo Pontifice non debere tinchoari, *consulenda erat prius*, inquit, *Apostolicæ sedis authoritas.*

At hæ rationes locum amplius non habent: nam Xistus IV. & Concilium Tridentinum sess. 5. declarant nullum ex fidelibus teneri ad credendum ex fide conceptam fuisse B. Virginem sine peccato. Unde ideo Festum Conceptionis celebramus, ut de exordiis illius collætemur, non ut fide articulum stabiliamus. Aliunde jam Ecclesia festum istud approbavit. Ex quibus concludebat Plessium non esse sine culpa, quod contra Catholicos hæc verba Divi Bernardi adduxisset, *Falsis non eget honoribus veris cumulata honorum titulis.* Tacendo alia verba, quibus iidem Catholici adjuvabantur; saltem debuisse inter hunc

hunc textum, & alium sequentem interponere, &c. Si minus hæc duo loca D. Bernardi separare voluisset ad distinctionem sententiarum.

Quod bonum fuisse, si fecisset, pronuntiavit D. Cancellarius consilio deputatorum.

IX. Articulus, locus fuit Theodoreti in Psalm. 113. citatus à Plessio libri sui pag. 118. his æquipollentibus verbis, Gallicè enim scripserat, *Deus, quæcumque vult, facit, imagines verò sic efficiuntur, ut placet hominibus: sensuum quidem domiciliis indutæ sunt, sensibus verò destitutæ: eo ipso viliores muscis, & culicibus. Et justum est eos, qui eas colunt, sensum, rationemque amittere.*

Objecit Episcopus Ebroicensis Plessium substituisse nomen *imagines* loco nominis *idola*, inter quæ Theodoretus magnum discrimen interjiciebat. Sed quod objectionis caput est, eumdem omisisse illa verba, *quæ à gentibus coluntur, & tanquam dii*, ut quæ de idolis paganorum asserebat Theodoretus, ad imagines Christianorum transferret.

Dixit Plessius idem esse illa duo *idolum, & imago*, seque id probaturum per editiones Græcas Scripturæ, & Patrum.

Sed contra contendebat Episcopus editionem scripturæ non promiscuè, uti illis nominibus, sed illa distinguere, ut genus à specie distinguitur: nam omne idolum imago quidem erat, sed non omnis imago idolum. Et quidem imago tàm in bonam, quàm in malam partem usurpabatur, idolum verò solùm in malam partem. Idque asserebat se demonstraturum per scripturam, & patres. Nusquam enim invenitur idolum in bonam partem acceptum, vel quod homo dicatur idolum Dei: vel Christus idolum patris, quo denotabatur discrimen inter utrumque nomen.

Frivolam distinctionem hanc asseruit Plessius, & utrumque nomen unum, & idem significare apud linguę Græcæ peritos.

Sed negavit Episcopus Ebroic. affirmans usum horum nominum, & grammaticè, & Theologicè diversum esse, cum idolum aliquid falsum denotaret, Deumque, qui non est, exprimeret. Sicut asserebat Divus Paulus 1. Cor. 8. *Scimus autem, quia idolum nihil est in mundo*, non quidem subjectivè, sed objectivè, &c.

Dixit Plessius se auctoritate Holcot, & aliorum scriptorum Ecclesiasticorum, nihil esse discriminis inter idolum, & imaginem, probaturum.

Regessit Episcopus Ebroic. non versari in quæstione, quid Holcot, aliique moderni authores Græcæ linguæ nescientes, & nullius in hac re ponderis, sentirent, sed quid Theodoretus, aliique antiquiores. Et quidem si neoterici in medium afferri deberent, se instructiores in lingua Græca posse illi opponere, minusque illi suspectos, ut qui essent ejusdem secum religionis, scilicet Petrum Martyrem, qui in locis communibus: *Idolum est omnis forma, seu species, quam sibi homines, ut referatur, & exprimatur numen, adinvenerunt.* Et Henricum Stephanum sic scribentem in thesauro linguæ Græcæ. *Apud Ecclesiasticos scriptores εἴδωλα peculiari significatione vocantur simulacra numen aliquod repræsentantia.*

His respondit Plessius Tertullianum libro de idololatria utrumque confundere.

Dixit Episcopus Tertullianum ibidem loqui de istis nominibus secundum Etymologiam, non secundum communem usum Ecclesiæ, cujus amplius civis non erat, sed desertor, ideoque non potuisse, tunc inter Ecclesiasticos Authores censeri. Cui Episcopus Belvacensis hoc D. Hieronymi dictum subjunxit. *De Tertulliano nihil aliud dicam, nisi eum hominem Ecclesiæ non esse.* Additque Reverend. Nivernensis aliud Divi Hilarii verbum: *Consequens error detraxit scriptis probabilibus opinionem.* Hoc autem asserebat de hoc Tertulliani libro Episcopus Ebroicensis, tùm quod ibi laudat librum suum de Spectaculis, quem ad hæresim Montani deflexus ediderat, cum ibi spiritualium suarum phantasiarum meminerit, &c. tùm quod ibi condemnat, ut sacrilegam, & illicitam simplicem fabricam quarumcumque similitudinum, quod contrarium usui Ecclesiæ sui temporis ignorare non poterat, cum in libro de Pudicitia testetur Catholicos habuisse in Ecclesiis suis imaginem Salvatoris sub figura pastoris ovem in humeris reportantis, quæ in calicibus impressa erat. Qua figura utebantur Catholici contra Montanistas, ut demonstrarent lapsis post Baptismum pœnitentiæ locum superesse. Cæterum dixit cardinem Controversiæ non esse de sensu Tertulliani, sed Theodoreti, an discrimen poneret inter idolum, & imaginem, probavitque inter utrumque discrimen posuisse ex 37. ejusdem quæstione super Exodum, ubi ita ait; *Quid differunt idolum, & similitudo? Idolum nullo modo subsistit: similitudo verò est alicujus imago, & effigies.*

Ex Historia religiosa in Simeone Stilita, ubi asserit etiam Romæ fideles ipsius imagines habuisse, per quas sibi securitatem, & protectionem acquirebant. Petieruntque deputati, ut locus ille Theodoreti legeretur, ubi sic habetur: *Ferunt enim maxima in Roma celebrem adeò virum esse, ut in omnibus officinarum vestibulis parvas ejus imagines statuant, tutelam, & ex his quandam sibi, & præsidium comparantes.*

Quibus respondit Plessius, Longè differre imagines in ergasteriis, & in Templis habere.

Dixit Episcopus, Tantum controversiam esse, an Theodoretus discrimen poneret inter idolum, & imaginem: non verò utrum Christiani imagines haberent in ergasteriis, an in Ecclesiis, quod tamen ultimum in usu fuisse tempore Theodoreti, & ante illius ætatem sibi facillimum esset ad probandum, ut manifestum erat ex scriptis D. Basilii, D. Gregorii Nissæni, Prudentii, S. Paulini, & aliorum, quorum loca tantum indicavit, cum jam advesperasceret.

Plessius respondit: Concilium Elibertinum id prohibuisse his verbis. *Placuit in Ecclesiis picturas non esse.*

Solvit objectionem Episcopus, id Concilium novemdecim Episcoporum prohibuisse tempore persequutionis, non ut omninò non essent imagines in Ecclesiis, sed ne parietibus id, quod adoratur, depingeretur, ut cum fugiendum esset Christianis, imagines illæ infidelium ludibrio, & injuriis non relinquerentur: quare hodie in Episcopatu Granatensi in memoriam ejus decreti, nulla visitur imago in parietibus depicta, sed vel in tabellis, vel in velis. Tandem verò conclusit Episcopus has digressiones non esse ad propositum, sed an Theodoretus discrimen poneret inter idolum, & imaginem. Quod cum ipsi ostendisset, etiam ex Theodoreto, illum compellabat, ut de altera parte objectionis responderet, quod omisisset illa verba: *Quæ coluntur à gentibus. Et, tamquam dii coluntur.*

Respondit Plessius se locum integrum Theodoreti non attulisse, sed brevitatis causa usum fuisse contractione.

At, dixit Episcopus, valeant hæ contractiones in pictura, sed non in Theologia. Siccine est textum contrahere, aut potius mutilare, ex eo demere clausulas essentiales, & decisivas?

Dixit Plessius se clausulas substantiales istius textus servasse.

Dixit Episcopus Plessium servasse quidem clausulas substantiales pro se, non pro Catholicis, illas scilicet, *quæ coluntur à gentibus, & coluntur, ut dii.*

Post quædam alia dixit Plessius, etsi hæc verba omissa sint, nihil referre ad scopum, propter quem testimonium Theodoreti attulerat.

Dixit Episcopus, si non omissa fuissent, ex his manife-

nifestatum iri, Theodoretum non loquutum fuisse con- A tra imagines Christianorum.

Respondit Plessius mentem suam non fuisse agere directè contra imagines Christianorum, sed tantum per quandam analogiam, & similitudinem inter idola gentium, & imagines Christianorum, cum hæ, sicut illa efficerentur, non efficerent; haberentque domicilia sensuum, non ipsos sensus.

Dixit Episcopus, verba omissa destruere consequentiam, quam vellet deducere Plessius, illaque verba omissa, si non fuissent omissa, ostensura nec directè, nec indirectè testimonium Theodoreti militare contra imagines Christianorum, siquidem loquebatur ille contra idola, quæ ut dii coluntur: At nequaquam fideles Catholici imagines suas tanquam Deos colunt, cum potius id illis prohibitum sit à Concilio Trident. sess. 25. *Non* B *quod credatur aliqua in iis esse divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, &c.* Addebat etiam Theodoretum non propterea maledixisse idolis gentium, quod simpliciter fabricata essent, non fabricarent, sed etiam, quod tamquam dii haberentur. Quod cum taceat Plessius, agit mala fide in eodem statu reponens imagines Christianorum, & idola, dissimulans id, per quod non sunt maledictioni obnoxia, sicut sunt idola gentium, &c.

Dixit Plessius nonnullos quidem idola, ut Deos coluisse, sed non omnes. Dixit Episcopus omnes, qui adamussim paganismi regulas sequebantur, exceptis quibusdam Philosophantibus, idque se demonstraturum, cum tempus pateretur per omnes locos scripturæ, & patrum, qui de idolis agerent. Abstinuit tamen ab C hac digressione, solumque dixit saltem Plessium alteram ex his propositionibus non posse inficiari, scilicet, vel quod pagani idola tamquam Deos veros colerent, aut tamquam similitudinarios, qui repræsentarentur per illa idola, semperque sub eo respectu, non sub alio scripturam effigies, picturasque prohibere. Quare prohibitionem illam nihil spectare ad Christianos, qui imagines nec ut Deum, nec tanquam repræsentativas Dei, secundum quod Deus est, haberent: multo minus igitur ad eos spectare locum Theodoreti de idolis adoratis à gentibus, & adoratis, tanquam dii essent. Quare conclusit, & à Plessio corruptum sensum Theodoreti, maleque ejus verba ad imagines Christianorum adaptata fuisse, & ea omissa esse, quæ veram authoris mentem prodebant. Quibus dictis lectus est textus D Theodoreti, ac pronunciatum à D. Cancellario ex unanimi consensu deputatorum, locum Theodoreti non intelligi de Christianorum imaginibus, sed de idolis paganorum, ut manifestum erat ex his verbis omissis, *quæ à gentibus coluntur, & tamquam dii coluntur.*

Quo peracto, cum instaret septima, conventum Rex dimisit, ejus prorogationem ad diem crastinum remittens ab hora septima matutina ad undecimam, & ab hora prima pomeridiana usque ad sextam. Jamque dies advenerat, cum nuntius venit ad Episcopum de Morbo Plessii, qui cum vehementissimo lapsuum suorum dedecore confusus, tùm ex vigilia præcedentis noctis viribus attritus gravissimè ægrotabat: quare Rex finem controversiæ imposuit, ac ut quisque ad sua se reciperet, ab illo permissum. E Lutetiam autem delatus Plessius ad curandam valetudinem, Rege insalutato, Salmurum profectus est, ubi quæ in tàm celebri corona facta fuissent scripto publico partim inficiari, partim eludere ausus est, quem contrario scripto cum actis collationis confutavit Episcopus. Qui maximam exinde laudem consequutus est: nam & Pontifex Clemens ei per literas gratulatus est, & paulò post, ad Cardinalitiam dignitatem evectus est. Sed & aliqui ex hæreticis ad castra Ecclesiæ redierunt, ut inter alios Canajus unus ex deputatis, & Rex ipse, qui ante paucos annos hæresim abjuraverat, maximè in fide Catholica Apostolica, & Romana confirmatus, ad eam devios hæreticos adhortatus est, enitens, ut sine bello, & sanguinis effusione una religio in Christianissimo regno coleretur.

Plessi, Calvinistæ confusio.

Michael de Palude Augustinianus religiosus in Apologia constitutionis Urbanianæ c. 5. ep. 1. refert in Belgio Jansenitas postulavisse, ut Rex Hispaniæ examinaret librum Jansenii exemplo hujus conferentiæ sub Henrico IV. Sed longè dispar ratio. Siquidem de libro Plessii Pontifex nihil pronuntiaverat; nec fides examinata est. Sed & in Jansenio quæritur insuper, an legitimè ad propositam materiam verba D. Augustini adaptaverit.

Janse

CONCILIUM NARBONENSE,

Sub Illustriss. & Reverend. Ludovico Vervins Archiep. & Primate Narbonensi anno Domini 1609.

MArtianus Imperator in suo edicto in Concilio Chalcedonēsi actione 3. injuriam facit judicio religiosissimæ synodi, si quis semel prædicata, ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contendit. *Index titulorum.* De professione fidei. De rudimentis fidei. De libris vetitis, &c.

Statuta, & decreta, ex quibus dumtaxat selecta quædam, & minus vulgaria damus.

Nos Ludovicus de Vervins, Dei, & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus sanctæ primæ sedis Narbonæ Primas, & Præsidens natus comitiorum generalium trium ordinum Provinciæ Occitaniæ, de consilio, & assensu Reverendiss. dominorum Coepiscoporum nostrorum in Provinciali synodo Narbonensi hæc statuimus.

Cap. 1. ad tollendos gentium errores missi Apostoli, qui prius docere, tùm baptizare debebant, ut uno quasi inter se dato symbolo à falsis prophetis in vestimentis ovium venientibus, cum lupi rapaces essent, discernerentur: simul in unum congregati, qui paulo post sejuncti diversas permeare debebant terras, uno ore totius fidei nostræ compendium professi, hoc præcisè prædicari statuerunt, & merito, cum testante Apostolo sine fide, quæ radix, & virtutum aliarum fundamentum est, impossibile sit placere Deo, &c. Hinc juxta receptum Ecclesiæ universalis ritum initium sumendum esse à fidei professione decernitur, cujus forma ponitur.

De fidei rudimentis, & doctrina Christiana capit. 3. Biblia verò sacra idiomate Gallico conscripta legere, aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo aut ejus Vicario generali obtenta licentia: quam non concedent, nisi eisdem visis, lectis, & approbatis, ne venenum ab hæreticis sparsum in permultis versionibus leniter serpens, animas alioquin pias inficiat.

Lic pro vu lecti

Cap. 4. Dum Concio habetur in Ecclesia Missam in eadem, aut ejusdem aliquo sacello à quovis sacerdote celebrari, aut sacramenta (dummodo mortis periculum non immineat) ministrari prohibemus.

Cap. 9. Festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis secundum Ecclesiæ universæ ritum nunquam transferatur etiamsi in sabbato sancto, vel alio die majoris hebdomadæ evenerit, licèt officium transferri necesse sit.

Cap. 10. Medicos verò omnes quibusdam diebus ante Quadragesimam Episcopi ad se venire mandent, & moneant, ne propriæ salutis immemores, facilitate nimia cujuspiam malè affectam testentur sanitatem, ne sibi parent gehennam alios nimia adulatione perdentes, &c.

Me

Cap. 11. *De hæreticis.* Suos igitur sæpius moneant subditos Episcopi, ut si propter sæcularia cum illis agere cogantur, de rebus fidei credentes certo, quæ credit

La de pu

credit Eccl. non disputent, ne dum nimis curiosè, & præter captum inquirunt, mortem sibi certissimam afferant.

De Indulgentiis c. 10. Plusquam sufficienter pro peccatis nostris persolvit Christus per opera, ad quæ non tenebatur pro nostra redemptione: quorum merita, ut thesaurum pretiosissimum, in manibus D. Petri, ejusque successorum tradidit, ut pro sua prudentia ad libitum fidelibus communicarent, per concessiones, quas semper indulgentias nominavit Ecclesia populo utiles: eas tamen quæstus sordidi gratia publicari vetitum est, &c.

De Sacramentis in genere c. 13. Sit insuper parochus, ad quem administratio Sacramentorum spectat, purus, & ab omni labe lethalis peccati alienus, ne dum aliorum quærit salutem, seipsum condemnet, sibique æternæ damnationis sit minister: & illi dicatur à Deo: Signa novi, Sacramentum approbo, gratiam largior: tu verò labiis, & corde pollutus quis es?

Et quemadmodum intus candidæ innocentię stola exornatus esse debet: ita etiam extrinsecùs mundo superpelliceo, stolaque sit semper indutus, ut populus intelligat, non vulgarem, sed cœlestem rem agi, cùm Sacramenta tractantur.

Superbis cum resistat Deus, & humilibus det gratiam, cujus vasa sunt Sacramenta, ad hæc suscipienda fronte elata accedentes non debent admitti, sed qui exteriori corporis gestu internam denotent animi submissionem, propterea nulla Sacramenta conferantur arma gestantibus, sed ea deponant suscipientes, & eorum patrini, quandò necessarii sunt.

De Confirmatione c. 15. Hoc Sacramentum fideliter, & sollicitè administrent Episcopi, ne per eorum negligentiam fiant vires populi sibi commissi ad resistendum imbecilliores.

Non admittantur autem ad hoc Sacramentum, nisi sint perfectę ætatis, vel ad minus, qui septimum annum attigerint, qui orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, & decem præcepta Decalogi norint, adultos etiam peccata confiteri, symbolum profiteri, & jejunos accedere hortentur, si hora matutina hoc Sacramentum conferatur.

De casibus reservatis c. 17. Cum sibi reservandi casus facultatem habeant Episcopi, ea tamen parcè utantur, ne propter nimiam severitatem suffusi rubore, subditi peccata retineant; sed eos tantùm sibi reservabunt, quos ad bonùm animæ subditorum conducere judicabunt.

De Missæ Sacrificio c. 19. Ministrantes celebrantibus induantur toga talari, nec ad id admittantur fœminæ, quibus nec est licitum parare altare, cum silere debeant in Ecclesia, & propter sacerdotes faciem velare, illis ideò prohibemus, ne ad altare propius accedant, dum divina peraguntur.

De Sacram. Ordinis c. 2. In litteris dimissorialibus non inferatur clausula illa: *conscientiam nostram exonerantes, vestram onerantes*: cum nullus remitti debeat, quin ejus ordinis, ad quem sumendum remittitur, ab Ordinario capax, & idoneus fuerit judicatus.

De Extrema Unctione c. 22. Eos sæpius visitent parochi, quibus hoc Sacramentum contulerint, non enim muneri proprio satis est factum, nisi eos in periculo mortis invisant, & hortentur ad constantiam in fide, patientiam in morbo, ut finem suum feliciter explere possint in religione Catholica, cùm de ęterno bono, aut malo in tali statu agatur.

Et ut intersint, dum tale Sacramentum confertur, hortentur fideles, & indulgentias quadraginta dierum, quas interessentibus ter Pater, & Ave pro ægroto recitantibus conferimus, intelligibili voce publicent.

De sepulturis, & cura pro mortuis habenda c. 24. Non sepelientur defunctorum corpora, nisi post horas viginti quatuor, nisi fuerint pueruli: nec in funere mortuum habita oratione laudabit aliquis, nisi hoc sciente, & approbante Episcopo; concionem verò habere poterit, qui aliàs ad hoc fuerit approbatus, de mortis certitudine, & ejusdem horæ incertitudine, judicii Dei severitate, aut aliis, quæ audientes ad se parandum ad mortem commonere possint. *Oratio funebris.*

De visitatione c. 27. Nisi gregem inviserit (Episcopus) quid in eo infirmum sit, ignorabit, & medicamina ægris applicare non poterit, &c.

Si non singulis annis, tertio saltem quoque anno universam diœcesim visitent: moderato tamen comitatu, ne subditos nimiis sumptibus opprimant.

Dictam suam visitationem in quatuor præcipuè capita per articulos divisa distribuent, ut super eisdem responsuri maturè sese præparent.

Primum caput spectabit ad locum, qui est templum Dei, & Ecclesia. *Visitatio:*

Secundum ad personas divino servitio in dicto loco, aut Ecclesia fieri solito, destinatas.

Tertium ad instrumenta, & ornamenta mobilia, aliaque id genus ad obsequium divinum requisita, & necessaria.

Quartum ad proventus, & redditus tùm in generali, tùm in particulari dictorum Ecclesiasticorum nutritioni, & alimentis affectatas.

De synodo diœcesana c. 28. In synodo post annum in qualibet diœcesi habenda præsentis statuta Concilii publicentur, quæ præsentes omnes juramento medio promittent observare.

Beneficia obtinentes, & in synodo comparentes beneficiorum suorum titulos demonstrabunt, aliàs pro absentibus, & contumacibus censeantur.

De Concilio provinciali c. 29. Statuimus, ut tertio quoque anno provincialis synodus habeatur. Norint autem Cathedralium Ecclesiarum Procuratores, Abbates, & alii quicumque deputati consultivam, non autem deliberativam in eadem synodo se vocem habere.

Fiat indictio futuri Concilii in ultima sessione Concilii provincialis, quo absoluto, & factis acclamationibus, decretis ejus manu propria tàm Episcopi, quàm procuratores subscribant, licèt in omnibus nomine proprio non consenserint: judicia enim sanioris, & majoris partis prævalent: &, quod conclusum fuerit à pluribus, censetur approbatum, qua non obstante subscriptione, si in aliquibus quis se gravatum senserit: viam juris per appellationem ad summum Pontificem provincialis Concilii judicem ei patere declaramus. *Subscriptio*

Plura sunt alia Concilii hujus decreta valde utilia, quæ inveniuntur in editione novissimorum Conciliorum Galliæ per Ludovicum Odespun. Quę omnia in conclusione subjiciuntur emendanda, & corrigenda Papæ, & sanctę Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matri, & magistræ.

Subscripserunt Ludovicus de Vervins Archiepisc. & Primas Narbonensis, cum suffraganeis, aut eorum deputatis. Approbataq; sunt decreta à sacra congregatione Cardinalium Concilii interpretum: ac per Provinciam Narbonensem publicata.

CONCILIUM SENONENSE,

Sub Jacobo Davio Perronio Cardinali Archiepiscopo Senonensi Parisiis celebratum tempore Pauli quinti, & Ludovici decimi tertii, propter libellum Anonymi de Ecclesiastica, & politica potestate, Anno 1612.

NOs Jacobus miseratione divina sanctæ Agnetis in agone sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Perronius nuncupatus Archiepisc. Senonensis, Galliarum, & Germanię primas; Henricus Parisiensis, Franciscus Autissiodorensis, Joannes Meldensis, Gabriel Aurelianensis, Renatus Trecensis, Eustachius Nivernensis, & Philippus Carnutensis Epi-

Episcopi provincialiter congregati, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cùm nobis ex dignitatis, & provinciæ nostræ munere, non magis incumbat fideles nobis subditos Christi veritatem docere, quàm sedulò animadvertere, ne novæ, erroneæ, & perversæ sententiæ in eorum animos irrepant, & in Ecclesiæ perniciem impunè grassentur, libellum, cui absque nomine Authoris, & Typographi titulus est, *De Ecclesiastica, & politica potestate*, diligenter lectum, & expensum censura, & damnatione dignum judicavimus, & declaravimus, & re ipsa notamus, & damnamus, ob multas, quas continet propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, &, ut sonant, hæreticas, juribus tamen tàm Regis, quàm Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque immunitatibus, & libertatibus per nos non tactis. Quocirca omnibus Christianis nobis subditis, quorum salus salutis nostræ partem facit ejus libelli possessione, attrectatione, & lectione interdicimus, & à Typographis vendi, aut typis cudi prohibemus; qui secus fecerint, pœnis, & censuris Ecclesiasticis obnoxios volumus, & denunciamus: præterea cunctis nostrarum diœceseon parochis, ut eis notum faciant, mandamus, atque injungimus: in quarum præmissarum fidem, & testimonium has præsentes litteras manibus nostris subscripsimus, ac per magistrum Joannem Baudoin publicum Authoritate Apostolica Notarium juratum, ac per nos in hac parte pro secretario assumptum fieri, & signari, sigillorumque nostrorum appensione muniri fecimus. Actum Parisiis in nostra congregatione Provinciali anno Domini 1612. die Martis 9. mensis Martii.

Controversia.

L. de suprema Pontif. in Ecclesiam auctoritate.

HUjus censuræ justissimum judicium sanctissimus Dominus noster Paulus V. vehementer approbavit, inquit Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, ac Regius Professor in Theologia, inter cetera hoc laudis elogium adjungens, venerandos illos Antistites veterum Galliæ Episcoporum in retundendis erroribus, & fugandis hæreticorum monstris zelum imitatos fuisse. Cæterùm in libro nostro manuscripto, in quem referimus famosiora, quæ inter legendum nobis occurrunt, invenimus multas propositiones ejus libelli, quod præsens Concilium reprobavit, cum responsionibus præfati Doctoris Duvallii, viri, qua pietate, qua doctrina percelebris, qui adversus eum scriptum ediderat cum hac inscriptione. *Elenchus libelli de Ecclesiastica, & politica potestate*, ex quo nos ante octodecim ferè annos, quæ sequuntur, colligebamus, ex quibus posteri intelligant causam hujus Concilii, & cum quanta circumspectione de summi Pontificis Authoritate loquendum, ac scribendum sit. Verè enim accommodari possunt summo Pontifici, quæ de seipso dicebat Christus Matth. 21. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum*. Quod omnium seculorum experientia comprobavit, comprobabitque.

Anonymus 1. pag. *Vulgare est, Deum, & naturam priùs, atque immediatius ad totum suppositum, quàm ad partem aliquam suppositi intendere....... schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento .... docuit. Christum fundando Ecclesiam prius immediatiùs, atque essentialiùs claves, sive jurisdictionem toti Ecclesiæ dedisse, quàm Petro.*

A. Duvallius ridet verbum *essentialiùs*, essentiæ enim indivisibiles. Ad argumentum concedit priùs Deum intendisse ad totum, quàm ad partem, ad Ecclesiam, quàm ad Papam, pars enim est propter totum, non sequitur tamen prius toti datas esse claves, sicut jurisdictio non priùs convenit civitati, quæ est totum, quàm judici, qui est pars, potestas gregi, quàm Pastori...... Nullæ propriè communitati Ecclesiæ datæ sunt claves....... Lutheranismum sapit ista expositio: si enim claves communitati datæ, ergo omnes tanquam sacerdotes, ut volebat Lutherus, ligare, absolvere, & prædicare poterunt. Deinde, data hypothesi, quòd Prælati omnes de medio tollerentur, posset tunc Ecclesia jurisdictionem exercere, quod erroneum est.

Anonymus p. 2. *Christus autem omnes Apostolos, atque discipulos immediatè, individuè, & collectivè misit.*

A. Duvallius. De fide est, pastores seorsim jurisdictionem habere, nec tantùm Apostolos Christus simul alloquutus est, *Petre, pasce oves meas*. Deinde si mittens Apostolos, mittit Ecclesiam: ergo Ecclesiam mittit ad Ecclesiam.

Anonymus. *Christus non tàm uni, & soli Petro, quàm unitati infallibilem detulisse potestatem clavium, ut Divus Cyprianus, & Divus Augustinus confirmant.*

A. Duvallius. Vult ergo Cyprianus claves unitati datas, id est, in finem unitatis, ita ut Ecclesia non sit id, quod claves habet, sed ad quod potestas, & usus clavium, tanquam in proprium finem referatur.

Anonymus pag. 4. *Adde, quòd summa totius externæ jurisdictionis Ecclesiæ in facultate excommunicandi conquiescit.*

A. Duvallius. 1. Non ulterius progreditur. Id verò mendacium est purum; Prælatis injuriosum, ac consueto, & communi Ecclesiæ usui repugnans........ omnes fermè pœnas infert, præter mortem, mutilationem, & violentam sanguinis effusionem. Pecuniariam 21. q. 3. *Quisquis inventus*. Ergastulum. Concil. Tolet. 3. Verbera. *Adrianus Papa* 5. q. 1. *Qui in alterius.*

Anonymus. *Collationes Beneficiorum 1400. annis communi jure, id est, sacris electionibus factas...... ut lex divina, & naturalis confirmant.*

A. Duvallius. Contendit electiones Prælatorum esse de jure divino, sed magnam Pontifici, Regi, totique Galliæ Clero infert injuriam, sequeretur enim aut nullos esse jam veros Episcopos, aut peccasse mortaliter sine electione suscipiendo Episcopatum......., jus naturale est, quòd nulla adhibita finis, aut circumstantiarum necessitate, aut consideratione, statim unicuique occurrit: electio non est talis. Deinde nec est præceptum de ea in scripturis. Sunt quidem exempla electionis, sed præceptum non faciunt, &c.

Anonymus p. 17. *Enim verò Canone, aut Concilio Ecclesiam sponsam gubernari voluit Dominus, quo Romanus Pontifex absque aliis Episcopis nihil quicquam magni momenti de proprio motu, aut Olygarchici consilii ratione decerneret.*

A. Duvallius. Cardinalium purpuram hic fœdat. Sed Alliaco de auct. Ecclesiæ c. 3. Cardinales, ait, esse de ordine Hierarchico, & succedere Apostolis, ut Christo Domino ante Ascensionem adstabant, & ut Petro aderant ante dispersionem.

Anonymus p. 12. *Respondetur hanc Christi pollicitationem, fidem, scilicet Petri non defecturam secundum litteralem sensum ad solum tempus Dominicæ passionis extendi.*

A. Duval. id refutat authoritatibus, & quod parum efficax pro Petro Christi oratio fuisset.

Anonymus. *Lege, quàm absoluto unius imperio gubernari multo præstat: quoniam lex instar Dei, amore, ira, odio, aliisque humanis affectibus caret.*

A. Duvallius. Judex est tanquam lex viva, & animata, non distrahitur differentibus interpretationibus. Ante scripturam paucæ hæreses erant.

Anonymus p. 15. *Plenitudinem auctoritatis Pontificiæ ad executionem, & interpretationem Canonum, minimè verò ad institutionem, nisi per se, vel per legatos Concilio præsideat.*

A. Duvallius. Sed si Papa non posset condere Ca-

Canones, omnes hæreſes ante primum Concilium condemnatæ, Marcionis, Novatianorum, &c. reviviſcerent. Omnibus ſæculis Pontifices Canones ediderunt. Hoc fuit initium Lutheri, qui initio ſuæ defectionis decretalium corpus igni tradidit. Ad ſuperiorem ſpectat in ſtatu præſertim Monarchico leges ſancire Matth. 18. *Amen dico vobis, quęcumque ligaveritis, &c.* Et ſi Pariſienſes ad Concilium generale ultimam ejus analyſim referant, non tamen Pontifici poteſtatem de rebus fidei decernendi ademerunt: in evidens enim periculum Eccleſia conjiceretur, ſi ſemper Concilium expectandum foret. Almainus, & Gerſo concedunt illam poteſtatem.

Anonymus. *A temporibus Gregorii VII. omnia decernendi auctoritatem Pontifices collegiſſe.*

A. Duvallius. A Gregorio VII. multi ſancti Pontifices floruerunt.

Anonymus. *Quæ nempe arma, nempe excommunicationem olim abſquè conſilio, & moderatione Ariſtocraticæ Presbyterii non licebat diſtringere.*

A. Duvallius. Ideſt Prælatis injurioſum, &c.

Anonymus pag. 21. *Conſtantinus ad Epiſcopos: vos intra: ego autem extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum.* Vult ſcilicet probare Eccleſiam ſolo capite eſſentiali Chriſto contentam in ratione executionis à duobus gubernari, Pontifice, & politico Principe.

A. Duvallius. Euſebius l. 4. de vita Conſtantini ita refert. Vos eſtis Eccleſiæ Epiſcopi; ego verò exteriorum ſum Epiſcopus à Deo conſtitutus, ſcilicet paganorum, quorum templa occludi juſſerat.

Hæc pauca proferimus ex pluribus, quæ aliàs annotaveramus, quæque annotari poterant, ut agnoſcatur, quæ difficultates ventilatę ſint in hoc Concilio Senonenſi, ut in ſequenti Aquenſi. Cęterum author hujus libelli, cujus nomen data opera tacemus, dempto hoc ſcripto, vir fuit ſatis integer vitę, & ob multas præclaras dotes commendatione dignus, quique ſeptimo Decembris anno 1629. declarationem coram dignis teſtibus edidit, à ſe ſcriptam, & obſignatam, qua ſe, libellumque ſuum de Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate, ac quaſcumque ejus propoſitiones, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjicere declaravit; Eam matrem, & magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſcens: Et quatenus contrariæ illæ eſſent eidem Eccleſię Romanæ, improbavit, & condemnavit, hancque declarationem conſignavit Eminentiſſimo Cardinali Richelio Proviſori Domus Sorbonæ; cujus hortationibus, poſt tot obfirmati in contrarium animi annos ceſſit.

Cum autem aliquo poſt tempore, lecto, lethoque decumberet, ſumpto à Paſtore ſacratiſſimo Viatico, coram illo, multis adſtantibus palam, et publicè profeſſus eſt, ſe ſpontè, & abſq; ullo metu potentiſſimorum virorum, ut plerique clanculùm ſuſurrabant, declarationem prædictam edidiſſe: imò ſe ad eam repetendam paratiſſimum eſſe. Quod coram Notario Apoſtolico declararunt plures fide digni teſtes. Ac prædictæ declarationis, ejuſque in vicinia proximæ mortis, renovationis exemplaria, cum teſtium ſubſcribentium nominibus premiſit ſuo Tractatui de ſuprema ſummi pontificis poteſtate in Admonitione ad lectorem Doctor Duvallius in tomo poſteriori ſuorum operum editionis anni 1636. Tota verò Hiſtoria turbarum, quæ ex occaſione hujus libri in comitiis pluribus Sacræ Facultatis Pariſienſis excitatæ ſunt, & quem exitum tunc temporis habuerint, deſcribitur luculenter in Bibliotheca juris Gallici Gallico idiomate conſcripta *verbo* Scyndicus. A quibus omnibus repræſentandis hìc abſtinendum duximus, quod non minùs paci, quàm brevitati ſtudere incumbat neceſſitas.

...elli re... ...atio.

CONCILIUM AQUENSE,

Sub Paulo Huralto Hoſpitalio Archiepiſcopo, tempore Pauli Quinti, & Ludovici decimi tertii contra eundem libellum Anonymi de Eccleſiaſtica, et Politica Poteſtate, *Anno 1612.*

NOs Paulus Dei, & ſanctæ Sedis Apoſtol. gratia Aquenſis Archiepiſcopus, Carolus Rejenſis, Bartholomæus Forojulenſis, & Thuſſanus Ciſtaricenſis Epiſcopi provincialiter congregati, univerſis præſentes Literas inſpecturis, Salutem in Domino. Viſo, & examinato Libello diligenter, cui titulus eſt: *De Eccleſiaſtica, & politica poteſtate* Pariſiis excuſſo anno 1611. abſque nomine authoris, & Typographi, in quo multas deprehendimus propoſitiones, expoſitiones, allegationes, & doctrinas falſas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, hæreticas, & impietatem, gravemque errorem ſapientes: Declaravimus, & declaramus prædictum Librum dignum condemnatione, & cenſura, & ut talem notavimus, & condemnavimus, notamus, & condemnamus, omnibus fidelibus nobis ſubditis, & quorum ſalus nobis à Domino commiſſa eſt, libellum prædictum retinere, legere, aut eo uti, omnibus Typographis, & Librariis eumdem vendere, publicare, & retinere ſub pœna excommunicationis prohibentes: inſuper omnibus Prioribus, Parochis, Rectoribus, & aliis curam animarum in noſtra Provincia, & Diœceſibus habentibus, mandamus, quatenus hanc præſentem declarationem, & cenſuram ſignificent, & in portis Eccleſiarum eam appendant, populum ſibi commiſſum ſedulo monentes de hac noſtra declaratione, cenſura, & condemnatione. In cujus rei fidem hiſce præſentibus manu propria ſubſcripſimus, & ſigillis noſtris munivimus, & antiſignari fecimus per Mag. Brun. noſtri Archiepiſcopatus Notarium, & Secretarium. Datum Aquis in noſtra Congregatione Provinciali, die Jovis 24. menſis Maji, anno Salutis reparatæ 1612.

Nota. Non invento hujus cenſuræ autographo, ex Gallico Latinum reddidit M. Andreas Duvallius, eamque retulit in libro: *de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate adverſus Vigorium juriſconſultum:* qui authoris libelli Anonymi Provinciali decreto condemnati, quæſito aliunde prætextu, cauſæ patrocinatus eſt, contra quem ſtylum acuit, teſtaturque ea occaſione convocatas fuiſſe apud Aquas ſextias Epiſcopos Provinciæ Aquenſis, quod intellexiſſet Archiepiſcopus librum præfatum in Aquenſem Provinciam commeaſſe, inibique quorumdam manibus non ſine periculo, imo & piaculo verſari. Sanè miras contentiones videmus ferè per ſingulos annos in Eccleſia excitari occaſione variorum librorum, qui vallati auctoritatibus fucatis, et coloratis ſcripturę, et patrum à tramite univerſalis, et Catholicæ Eccleſiæ ſemper aliquos avertunt, pluresque averterent, niſi in hac humanæ vitæ militia, alii contra ſtarent. Contra quę magnoperè nobis Vincentii Lirinenſis adverſus hæreſes doctrina attendenda, atque retinenda eſt, ubi detegit callida machinamenta dæmonis Chriſtum tentantis, et divinorum verborum auctoritatem prætendentis: *ſi filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, quod Angelis ſuis Deus mandavit de te.... hoc eſt, ſi filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, ideſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quę etiam templum Dei putatur, doctrina, & traditione demitte. Ac ſi quis interroget quempiam hæreticorum ſibi talia perſuadentem, unde probas, unde doces, quod Eccleſiæ Catholicæ univerſalem, & antiquam fidem dimittere debeam? ſtatim ille: Scriptum eſt enim, & continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de* lege,

Commonitorii 1. c. 37

Hæretici ſcripturas jactant.

lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis. Quibus novo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur. Jam verò illis, quæ sequuntur, promissionibus, miro modo incautos homines hæretici decipere consueverunt. Audent etenim polliceri, & docere, quod in Ecclesia sua, idest, in communionis suæ conventiculo magna, & specialis, ac planè personalis quædam sit Dei gratia, adeò ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec quærant, nec petant, nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitùs dispensentur, ut Angelicis evecti manibus, idest, Angelica protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, idest, nunquam scandalizari.

Sed & idem auctor, quomodò variorum librorum dogmata discernenda sint, dilucidè aperit cap. 38. sequenti. *Etsi quandoque, inquit, pars contra universitatem, novitas contra vetustatem, unius, vel paucorum errantium dissentio contra omnium, vel certè contra multò plurium Catholicorum consensionem rebellaverit, præferant portionis corruptioni universitatis integritatem, inque eadem universitate novitatis prophanitati antiquitatis religionem. Itemque in ipsa vetustate uniusve paucissimorum temeritati, primum omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponant: tùm deinde, si id minus est, sequantur, quod proximum est, multorum, atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus adjuvante Domino fideliter, sobriè, sollicitè observatis non magna difficultate noxios quosque exsurgentium hæreticorum deprehendemus errores.*

Modus discernendi heresim.

Hìc nos forsan extra lineam nonnihil excurrimus, sed opportunè tamen, & non inutiliter pro præsentis temporis calamitate, in qua grassatur adhuc Calvini hæresis, & cauda Draconis non desinit aliquas secum trahere stellas in variis universi regionibus.

CONCILIUM BURDIGALENSE

Sub Francisco Cardinali De Sourdis, Archiepisc. Aquitaniæ Primate celebratum, tempore Urbani VIII. & Ludovici XIII. anno 1624.

Extant tùm Decreta, tùm acta hujus Concilii Burdigalensis separatim edita Parisiis anno 1625. per Antonium Stephanum Typographum Regium in via Jacobæa ad insigne Olivæ Roberti Stephani; ex his, quæ sequuntur, desumpsimus, omissis ut plurimum canonibus, propter rationes supra allatas.

Edictum de Concilio Provinciali Burdigalensi.

Franciscus miseratione divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Praxedis Presbyter, Cardinalis de Sourdis, & sanctæ Sedis Apostolicę gratia Archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ Primas. Concilia Provincialia bis quondam in anno haberi solita, &c. Nunc tandem armis invictissimi Ludovici XIII. Christianissimi Galliarum Regis, pace reducta, favente Christo Jesu Salvatore nostro, quamprimum cogere aggredimur. Cùm enim is optimus conservandæ disciplinę Ecclesiasticæ à Patribus divino Numine afflatis sit introductus, &c. Concilium Provinciale in Ecclesia nostra Metropolitana Burdigalensi ad Kalendas Octobris proximiores habendum, & inchoandum decrevimus, ad idque Reverendiss. DD. Episcop. Comprovinciales nostros per litteras nostras ad singulos nominatim datas evocavimus: Universis ideò, &c. Mandantes, ut sub pœnis in jure, & ultimo Provinciali contentas, ad condictam diem adesse curent, pios quoscumque fideles, qui in agro Dominico confertas segetes ad messem inalbescere exoptant, pro tantis operariis Dominum messis rogent, enixè hortantes. Ac ne quis inscius à Concilio absit, & deficiat, nevè causam ignorantiæ prætendere possit, præsens Edictum fieri, & per Secretarium nostrum subscribi, sigilloque nostro muniri jussimus, idque ad valvas, cùm Metropolitanæ nostræ, tùm singularum Cathedralium, & insignium Collegiatarum affigi voluimus. Burdigalæ die 28. mensis Julii, anno Dom. millesimo sexcentesimo vigesimo quarto.

De mandato Illustrissimi, & Reverend. D. Dom. Cardinalis.

Berteau, Secretar.

Litteræ scriptæ ad Reverendissimos DD. Episcopos Provinciæ.

Franciscus Miseratione divina sanctæ Ecclesiæ Romanæ, &c. Reverendissimo Domino Episcopo N. Suffraganeo nostro, Salutem in Domino.

Reverendissime Domine, Quod tantopere ab ipsius Assumptionis nostræ ad Sedem Burdigalensem exordio, optavimus, &c. Ut ad moderandos mores, &c. opportuno tempore Synodum Provincialem cogeremus: id tandem tempore accepto agendum suscepimus, &c. Ad eamque amplitudinem vestram pro authoritate nostra Metropolitana vocare, & ut stato die omninò intersit, monere prout præsentibus nostris Litteris vocamus, & monemus; nisi (quod absit) aliquod te justum, quominus adesse Concilio queas, detineat impedimentum; Quo tamen existente tuum erit, id quamprimum nobis significare, & juxta Canonicas sanctiones probare, procuratoremque ita, ac in ultimo Provinciali præfinitur, ad Synodum mittere, statum, & ordinem tuæ Diœcesis demonstraturum, & à Concilio decernenda ad te demum relaturum. Cum enim sacrorum Canonum decreta, & Patrum ultimi Provincialis vestigia, unà cum Reverendissimis Coepiscopis nostris ..... exactè premere cupiamus; cogeremur certè, pœnis te in dicto Provinciali contra absentes latis vel inviti ferire, &c. monemus...,... præterea, ut Edictum nostrum super celebratione Synodi paucis verbis conceptum, & in his Litteris inclusum in suæ Cathedralis, & aliarum insignium suę Diœcesis, si quæ sunt, Ecclesiarum valvis, ut quibuscumque innotescat, & nullus excusationi pateat aditus, affigendum, & publicandum diligenter curet, illiusque publicationis per acta publica citò nobis fidem facere velit. Quod verò Antistitem ad Synodum Provincialem accedentem aliquot tùm dignitate, tùm eximia, & singulari pietate præstantes viros ex sacrorum Canonum decretis secum adducere juvat, & precipitur, quod citius videlicet, dilucidius, & uberius singula pertractentur, &c. Idcirco amplitudinem vestram Reverendissimam hortamur, &c. Duos etiam ex totius Cleri corpore, qui rerum experientia, & doctrina prævalentes Synodo prodesse possint, accersat, & etiam atque rogamus, ut mense celebrationem Concilii præcedente, in singulis suæ Diœcesis Ecclesiis...,. preces, & supplicationes cum jejunio indicet, & decernat pro salutari nimirum Concilii ingressu; progressu, & exitu. Quo in ipsis Patrum acclamationibus Dominum introitum nostrum custodisse, & exitum usque in sæculum quilibet lætus persentiscat, & proclamet.

Interim amplitudinem vestram reddat diu incolumem summopere precamur. Burdig. 28. Julii anno 1624.

Cum anno 1624. post legitimam indictionem Burdigalam convenissent majori ex parte suffraganei Archiepiscopatus Burdigalensis, necnon deputati Capitulorum tàm Ecclesiarum Metropolitanarum, quàm Collegiatarum, necnon Clerici uniuscujusque Episcopatus die ultima mensis Septembris habita fuit con-

congregatio privata in secretiori consistorio. porticus Palatii Archiepiscopalis Burdigalæ ab Illustrissimo Domino Cardinali, & Archiepiscopo, cui interfuerunt sex Episcopi, ibique actum est de modo habendæ congregationis publicæ, de creandis officiariis, seu adjutoribus Concilii, de præcedentia procuratorum, & Ecclesiarum inter se, de Theologis, & Canonistis assumendis, de congregationibus publicis, & privatis, & secunda sessione indicenda. Quibus peractis, habita est eodem die congregatio publica prima in porticu Palatii Archiepiscopalis, cui præter Episcopos ordine consecrationis sedentes interfuere deputati, doctores, & plures alii. Dixitque Illustrissimus Metropolitanus deputatis omnibus, ut eumdem ordinem servarent inter se, quem servabant Reverendissimi Episcopi ordine consecrationis, idque esse juribus, & ordini consentaneum. Ad quæ insurgentes deputati Ecclesiæ Xantonensis dixerunt cum omni reverentia: Non esse eundem ordinem servandum inter Capitula, quæ nunquam mutantur, ac inter Reverend. DD. Episcopos, qui sæpè mutantur: Capitulum autem Xantonense antiquius esse cęteris institutione: Quare postularunt, ut post Pictaviensis Ecclesię deputatos locum assumerent. Similia petiere alii deputati. Quibus, cùm id non posse concedi respondisset Illustrissimus Metropolitanus, dixit, nullum exinde præjudicium juribus suis ingenerari, quominus, iis probatis, postulata concederentur. His dictis assurgens, detecto capite, recitavit orationem *Adsumus*, & pauca prępatus de fine Concilii, edixit singulis diebus duas congregationes habendas, unam mane hora octava, eamque privatam, in qua interessent soli Episcopi: alteram publicam hora prima pomeridiana, in qua insuper adessent omnes deputati Capitulorum, & Doctores nominandi. Tuncque jussum, ut omnes, præter deputatos, & Doctores, tàm ex civitate ascitos, quàm à Reverendissimis DD. Episcopis adductos exirent à Concilio. Hinc ventum ad procuratoria deputatorum examinanda, quibus exhibitis, & approbatis, Illustriss. D. Metrop. constituit duos promotores Concilii, duos secretarios, & deputatos ad discutiendas absentium causas, & excusationes, tùm ad causas particularium audiendas, litesque inter Reverendiss. DD. Episcopos, & eorum Capitula componendas, vel ad Synodum referendas. Ex his fuere quidam ex Deputatis Ecclesiarum. Deinde nominavit Doctores, & Canonistas, qui Concilio interessent.

Tùm indicta est prima sessio habenda die prima Octobris in Ecclesia Metropolitana, in qua omnes tùm Episcopi, tùm deputati sacram Eucharistiam sumerent, dictumque in ea decretum de modo vivendi in Concilio legendum, & professionem Fidei ab omnibus emittendam. Et secundam sessionem futuram die nona Octobris, sacra Divo Dionysio. Antequam autem surgerent Patres, & discederent, ad petitionem promotorum, Illustrissimus Præses Concilii omnes Deputatos, ac Coadjutores Concilii jure jurando obstrinxit, ne publicarent, quę agerentur tàm in Conciliis privatis, quàm publicis, finitaque Congregatio.

Prima Sessio.

Die prima mensis Octobris in Ecclesia Metropolitana sancti Andreæ Burdigalæ, habita est sessio prima hac veluti forma. Hora octava Illustriss. Metropolitanus in sacello Palatii Pontificalia induit, Reverend. Comprovinciales Episcopi in protocubiculo Palatii eadem ornamenta cum mitra sumpsere: Procuratores, & Theologi cum superpelliceis, & insignibus suis, tùm accessit Capitulum Metropolitanę processionaliter, itumque est ad Ecclesiam Metropolitanam procedentibus primo ordine procuratoribus Collegiatarum: tùm Cathedralium, tùm Metropolitanę, deinde D. Episcopi, & Illustriss. D. Cardinal. Metropol. retro sequente populo civitatis.

In Ecclesia Decanus, & Canonici Metropolitanę loca consueta retinuerunt, procuratores hinc, & inde in subselliis canonicorum locum sumpsere. At Reverend. DD. Episcopi in subselliis in formam hemicycli ante majus Altare paululum à terra erectis, & tapetibus ornatis consedere. Illustr. Metropolitanus in loco à cornu Euangelii paulò altius erecto sub umbella cum assistentibus assidet. Deinde ad Altare celebraturus accedit, in Missa omnes piè communicant ordine suo per manus Metropolitani, qui peracta Missa pluviali indutus coram altari in faldistorio preces præscriptas ad Deum fundit. Habetur Concio Gallico sermone à Theologali Metropolitanæ, qua peracta, unus ex secretariis accipit è manibus Illustr. Metropolitani decreta legenda, suggestumque conscendens legit primò decretum de aperienda Synodo.

Illustrissime, & Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres, Placetne vobis ad laudem sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, ad tuendam, & augendam Christianæ religionis disciplinam, pro moderandis moribus; corrigendis excessibus, & controversiis componendis Provinciæ Burdigalensis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, sacrum Burdigalense Concilium Provinciale incipere?

Alter secretarius accedit ad Episcopos vota requirens hoc modo, Placet ne vobis Reverend. DD. decretum? Qui omnes dicunt, Placet. Tùm idem secretarius refert ad Illustr. Metropolitanum decretum patribus placuisse. Quo audito dixit: Decretum placuit omnibus patribus, itaque decernimus Provincialis Burdigalensis Synodi initium fieri, & jam factum esse.

Tùm de mandato ejusdem secretarius legit decretum de modo vivendi, quo perlecto, ut prius ab altero secretario vota Episcoporum exquiruntur, Metropolitanusque audiens, ex ejus relatione placuisse, ait: Decreta placuerunt: ideò agendæ sunt Deo gratię; Patres responderunt: Deo gratias.

Tunc vocati omnes Reverend. DD. Episcopi, qui Synodo interesse debebant, præsentesque responderunt: Adsum: Promotoresque consequenter de Reverend. Sarlatensi, & Malleacensi, qui monito non paruerunt, nec nuncium pro se excusando miserunt, eorumque contumaciam accusando petunt, ut secundum jura puniantur.

Illustr. Metropol. dixit, Admittimus, nisi post tres dies hanc subsequentes compareant.

Legitur ex ejusdem Mandato decretum de professione fidei, quo perlecto, ipse accedit ad altare majus, ibi deposita mitra, genibus flexis, & sacra Euangelia tangens, dixit; Ego Franciscus Cardinalis De Sourdis Archiepiscopus, &c. Emittit professionem fidei, juxta formulam à Pio IV. præscriptam. Reversusque ad locum suum sub umbella, eamdem recipit ab omnibus Episcopis, deposita mitra, & genibus flexis, necnon ab omnibus officiariis, & deputatis.

Quibus peractis, secretarius legit decretum de habenda secunda sessione die 9. Octobris, ita tamen ut ad aliam diem prorogari possit, si pro rebus Concilii conducere videbitur. Relatione facta ab altero secretario ad Illustr. Metrop. quod decretum patribus placuisset, benedictionem solemnem omnibus impertivit, & indulgentias centum dierum per secretarium in suggestu stantem publicari fecit, sicque omnes recessere.

Prolixiores fuimus in istis initiis Concilii Burdigalensis enarrandis, ut in cæteris breviores simus, in qui-

quibus idem fere modus agendi, & statuendi servatus est, ideoque istas ceremonias non repetemus, lectorem nostrum satis instructum fore rati de modo celebrandi Concilia, ac in iis procedendi.

A die prima Octobris usque ad diem nonam, in qua futura erat secunda sessio, habentur Congregationes privatæ, & publicæ, in quibus abusus reformandi proponuntur, varia decreta edenda discutiuntur, ut in die sessionis stabiliantur, ac promulgentur. In congregatione autem publica secunda, procuratores Collegiatæ sancti Severini petunt sessionem suam post deputatos Metropolitanæ, qua illis denegata à congregatione quinta privata die 4. Octobris, promotores ad congregationem privatam non esse introducendos visum est. In quinta publica oblatus honor deputatis Cathedralium, ut si cum superpelliceis, & pluvialibus adessent, à sinistris Ecclesiæ Metropolitanæ incederent in processione, quæ die Dominica fieri debebat.

Die 2. Oct. Ante procuratores Cathedralium.

Sessio secunda.

Habita est die nona Octobris, hora octava matutina in Ecclesia Metropolitana sancti Andreæ, in ea fit sacrum, fiunt preces consuetæ ab Illustriss. Metropol. coram majori altari, auditur concio, qua finita, unus è secretariis decreta accipit è manibus Illustr. Metropolitani, ascendensque in cathedram concionatoris, legit primo, quod supererat decretorum confessionis fidei, alter secretarius cum notario exquirit suffragia ab Episcopis, qui responderunt, *placet*. Id refertur ad Illustriss. Metropolitanum, qui dicit, Decreta placuerunt patribus, ideo agendæ Deo gratiæ, patres responderunt *Deo gratias*. Simili modo legitur decretum de Sacramento matrimonii, de Simonia, de confidentia, de Ordine, & de Sessione tertia habenda die decima octava labentis mensis D. Lucæ consecrata.

Promotores instant contra R. Sarlatensem absentem, petentes, ut contra eundem procedatur juxta formam juris in absentes latam. Respondet Illustriss. Metrop. procedatur.

Tùm benedictione solemni concessa, & indulgentiis centum dierum publicatis, disceditur:

Cæterum in capite, seu decretis de ordine, ita habetur Can. 3. Prudenter admodum, & divinitus factum, ut per tot gradus ad sacerdotium ascenderent Ecclesiæ ministri; in quibus si punctuatim servatis temporum interstitiis consisterent promoti, exercitiis ordinum proximè susceptorum sedulò vacantes, Angelicæ profecto vitæ viros Ecclesiasticos haberemus, &c. ut non fictè, sed verè animus formetur Ecclesiasticus: Et quàm bonum sit homini portare jugum ab adolescentia cognoscatur, optaremus sanè ab uno ad alium minorum ordinem interstitia à sacris Canonibus præscripta servari, & quemlibet functiones proprii ordinis, anno interstitiorum labente exercere, ne vanæ, & otiosæ in Ecclesia Dei hujusmodi functiones ab Ecclesiis traducerentur. Sed id à Rom. Episcoporum judicio, &c.

Can. IV. *Ubi sermo est de ordinandis.* Cùm enim non pauci, quæ sua sunt potius, quàm quæ Jesu Christi quærentes fictis attestationibus, & ementito titulo, fæces potius Ecclesiæ, & onus accedant, &c. Et ne quid adhuc temerè suscipiatur, sed deducat eos spiritus Domini per semitas justitiæ, exercitiis spiritualibus octo dierum vacare, generali peccatorum confessione animam perpurgare eosdem exhortamur, & monemus.

Exercitia spiritualia.

Can. XII. Superioribus Monasteriorum, in quibus religiosi fixam, & firmam commorandi sedem habent, prohibemus, ne literas dimissorias religiosis suis, ut à quocumque ordinentur, concedant, sed à suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia Ordinandos esse dumtaxat decernimus: eos verò, qui pro instituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum litteris Provincialium suorum de voto religionis emisso fidem facientibus ab ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantùm præcipimus; ab aliis nunquam nisi attestatione præhabita à Pontifice loci, seu ejus vicario generali obtenta, qua, cur apud se nequiverint ordinari, perhibeatur.

Dimiss. regul.

Cap. XV. *De Simonia, & confidentia Can.* I. *Ubi sermo est de confidentiario.* Præter pœnas excommunicationis, privationis, &c. vel in Monasterium ad vilia ministeria præstanda detrudatur, vel intra Provinciam ad suorum ordinum functiones exercendas nunquam recipiatur, omni spe misericordiæ, quod est sacris Canonibus sancitum, eidem sublata; nisi tamen tanta fuerit ejus pœnitentia, ut à S. D. N. prius rehabilitatus, &c.

Can. V. *Statuitur, ut in qualibet diœcesi in Synodo diœcesana eligatur syndicus vir aliquis Ecclesiasticus zelo divino accensus, & solers in rebus agendis, qui tenuiorum Sacerdotum causas impensis Cleri communibus promovere teneatur, usquequo pacificam adipiscantur possessionem, post quam aliquid annuatim rependant Clero usque ad plenam solutionem habita redituum ratione.*

Continuantur congregationes privatę, & publicæ à die 9. Octobris ad diem 18. assignatam tertię sessioni.

Die nona Octobris in congregatione publica admittitur ad Concilium Decanus Ecclesiæ Sarlatensis, licèt haberet Procuratorium solum definitorum Cleri Sarlatensis, non Capituli, idque propter qualitatem viri, & rerum agendarum prudentiam. Surrexere promotores, petiereque, ut tertia par fructuum Episcopatus Sarlatensis fabricæ Ecclesię Sarlatensis per Concilium addiceretur, quod nec venisset ad Concilium, nec misisset.

Die 15. in congregatione publica decima tertia. Quidam ex Procuratoribus Capitulorum postulant, ut decreta, quæ à Patribus in congregationibus privatis definiuntur, eadem in congregatione Publica legantur die præcedente sessionem. Inter hos procuratores Dom. Pitard Canonicus Theologalis Santonensis surgit contendens omnes procuratores Capitulorum in Concilio vocem decisivam habere, præjudiciumque Capitulis ea propter inferri. Quod cùm exploderetur unanimi consensu PP. utpote judicatum jam, & ab ultimo Concilio definitum, in ea verba ausus est prorumpere: nimirum neque Papam, neque Episcopos de hac re judicare posse, quod in lite partes essent, Papamque in favorem Episcoporum semper judicaturum. Addidit Regem Christianissimum nullam posse ferre sententiam secundum benè regulatam rationem, ni prius haberet consilia, & vota Senatorum: quæ cùm valde aliena judicarentur, dilata sunt in crastinum decidenda.

In Congregatione privata decima quarta die 16. Octobris vocatus est Dom. Pitard, cui dixit Illustriss. Metropolitanus, ut curaret satisfacere in congregatione publica de iis, quæ hesterna die protulerat, &c. Conciliumque decrevit super iis hoc modo: *Sacro approbante Concilio, decretis ultimi Concilii Provincialis Burdigalensis inhærentes, opinionem quorumdam, qui ausi sunt asserere præter Episcopos, quosdam etiam alios habere vocem decisivam in Concilio provinciali, ut erroneam judicamus: quibuscumque deinceps eandem proponere, in concionibus agitare, docere, & tenere prohibentes.* Quibus respondit se fervore, & zelo partium Capitularium sustinendarum, rationibusque adductum ea protulisse, non quod ab Ecclesia, quam verbis, & scriptis propugnaverat, tantillum deflecteret. Cæterum se planè satisfacturum Concilio omnia sua dicta, & scripta Ecclesiæ judició subjiciendo.

Soli Episcopi vocem decisivam habent in concilio.

Quod

Quod præstitit post meridiem in congregatione publica.

In congregatione publica decimaquinta die 17. Octobris lectis decretis huc usque digestis, cum nonnulla privarent fructibus Canonicos non residentes, decanus Ecclesię Metropolitanæ Burdigalensis cum aliis procuratoribus, ejus Ecclesiæ nomine contra ea protestatus est, ut præjudicium non possent afferre juribus, exemptionibus, ac privilegiis, & possessionibus Canonicorum dictæ Ecclesię. Cui dixit Metropolitanus, verbum protestandi indecens valdè, cum nullus jus habeat sese opponendi decretis Concilii legitimè congregati per gratiam Spiritus sancti ad reformandos abusus, ac malas corrigendas consuetudines. Non solùm omnem Ecclesiasticum, sed etiam omnem Christianum teneri ejus parere decretis, eaque exequutioni demandare, juxta verba Domini Jesu Christi in Euang. *qui audit vos, me audit, qui vos spernit, me spernit:* Et alibi, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.*

Tertia Sessio.

Celebrata est hora octava Octobris, in qua, servatis assuetis, lecta sunt decreta de residentia pastorali, de Officiis divinis, de vita, & honestate Clericorum, de Parochis, de Prioratibus, & Capellis; de Canonicis, & Capitulis, de prædicatione verbi Dei, de Episcopis. Tandem lectum decretum de prorogatione hujus sessionis ad diem 24. hujus mensis.

Caput 9. De Canonicis, quod in hac sessione lectum est, & approbatum, sic incipit. Capitula, quæ capita populorum, Episcopos, proximè attingunt universo populo conspicua, & clara esse oportet, non solùm, ut eorumdem candidati Canonici oculos ad quæcumque circumferant perlustranda, sed ut in iis divinæ voluntatis nutus, & participationes elucescentes quasi Apocalypseos seniores coronas coram agno demittentes, assumptis cytharis laudes Deo decantent immortales, & in odorem phialarum suarum fideles plebes evehant felicitate donandas.

Caput 10. De Parochis sic incipit. Parochis, apud quos, qui descendunt ab Jerusalem in Jericho, & incidunt in latrones, deponuntur, vivificandi cura derelicta, & misericordis Samaritani Apothecæ curandis animabus balsama redolentes, & includentes, concreditæ sunt, & concessæ. Unde perspicaci eos ingenio præditos, & urgentis charitatis pulsu ad vulnera peccatorum detergenda, & abstergenda suaviter perculsos, denique in procuranda animarum salute summoperè patientes convenit, & pernecesse est reperiri.

A die 19. ad 24. continuantur congregationes solitæ.

In congregatione decima sexta privata habita die 19. Octobris, requirentibus promotoribus R. Sarlatensem ob absentiam privari tertia parte fructuum Episcopatus unius anni, ut applicaretur fabricæ Ecclesiæ, fertur in eum sententia de ista privatione.

Franciscus miseratione divina sanctę Romanę Ecclesię tituli sanctæ Praxedis Presbyter, Cardinalis de Sourdis, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ Primas, in Concilio Provinciali Burdigalę existenti definientes. Audita instantia promotorum, &c. Per eamdem sententiam decanus Ecclesiæ Sarlatensis constituitur magnus Vicarius ejusdem Episcopi tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus pro spatio unius anni, in locum regularis Carmelitæ natione Hispani, quem vicarium reliquerat discedens Episcopus præfatus. Addunt tamen clausulam, ut si intra tres menses Burdigalam appulerit, aut procuratorem miserit cum legitimis excusationibus, & decretis Concilii subscripserit, se

A non abnuere, quin hujusmodi fructuum sequestrationis debito gratiosè liberetur.

In congregatione privata decima octava vigesima Octobris à meridie habita, relatum est negotium concubinatus notorii cujusdam Burdigalensis, quem jam monuerat Illustriss. Metropol. de futura excommunicatione. Actum in Concilio, ut iis benedictionibus præveniretur, quibus vel ipsa pervicacia mitesceret: deputatique, qui eum convenirent, miserrimum statum, in quo volutabatur, repręsentaturi.

In congregatione privata die 21. quæ fuit 19. cum allatæ fuissent ad Concilium querelæ de excessibus irreligiosis Baronis d'Authon Xantonensis Seneschalli; quod in Ecclesia Castelli insulæ Doleron, infra Missarum solemnia concionatorem ordinis Re-B collectorum ex suggestu deturbasset cum multo clamore, Parochumque ad perficiendum sacrum coegisset, satageretque Concilium de eo ad Regem Christianum deferendo, ipsemet pœnitens ingressus est in Concilium, ac flexis genibus veniam deprecatus est: Quem Illustriss. Metropolit. de consilio, & assensu patrum nomine proprio interpellavit, ut surgeret, & staret, eumque consolatus est, & ad meliora hortatus est, dixitque Concilium, quantum in se erat, hanc noxam ab illo arcere, eum remittens pro pœnitentia, & absolutione ad R. Xantonensem Ordinarium suum. Ille gratias agit Concilio, cujus patres læti de pręclara viri potentis submissione, quæ plurimos ad debita obsequia revocare posset.

C In congregatione privata vigesima tertia die 23. Octob. in libros Milhardi de casibus conscientię hęc lata est censura.

Quia verò inter casus conscientiæ à Petro Milbardo vulgari sermone in lucem editos, multa sunt, quę potius animas pusillorum offendunt, quàm ædificant, dum Simoniæ, & usuræ circumstantias ita delineat, ut ejusmodi peccatis quasi viam aperire magis, quàm præcludere videatur, necnon libertinis ansam aliquam dare, prætextu pravæ multorum consuetudinis, impunè violandi generalia illa præcepta Ecclesiastica de audiendo sacro diebus festis, & jejunandis quadragesimæ temporibus: Nos his, aliisque permultis de causis lectionem librorum omnium, quos prædictus Milhardus de casibus conscientiæ quovis idiomate conscripsit, & quocumque titulo censeantur, omnibus Provinciæ fidelibus omnino inter-D dicimus: invigilent Ordinarii censuris, cum opus fuerit, adhibitis, ne ejusmodi, aut aliis erroribus sibi commissæ plebes inficiantur.

In congregatione privata vigesimaquarta die 23. Octobr. prohibetur Episcopis, ne utantur Pastorali baculo in divinis Officiis extra suam Diœcesim, nisi de licentia Episcopi, prætextu cujuslibet beneficii, nisi in eo jurisdictionem habeant Episcopalem, vel privilegio speciali Apostolico sint muniti. *Milhardi liber de casibus.*

Continuatio Sessionis tertiæ.

Facta est die Jovis vigesimoquarto mensis Octobris, more solito sessionum. Reverend. Aginensis habuit concionem de Ecclesiæ fortitudine, unione Episcoporum, & totius Cleri. Lecta sunt decreta de E Sacramentis, de Festis, de Sepulturis, de Visitatione, de Archipresbyteris, & testibus Synodalibus, de Seminariis, de Promovendis ad Beneficia, de Propaganda Fide, de Monasteriis, de Monialibus, de Concilio provinciali, & pœnis.

Hinc est decretum de subscribendo decretis Concilii Secretario in suggestu dicente, Franciscus Miseratione divina S. Rom. Ecclesiæ, tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis, &c. admonet Reverend. Patres omnes, qui huic Synodo intersunt, & interfuerunt: ut post se singuli loco, & ordine ad Altare majus accedant, & iis, quæ in hac Synodo decreta sunt, subscribant. Patribus dicentibus, Placet, Illustriss. Metropol.

tropol. accessit ad majus Altare inclinans se ad Rever. Episcopos, & primus subscripsit hoc modo.

Nos Franciscus tit. S. Praxedis sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis, hujus Basilicæ Archiepiscopus Aquitaniæ primas, hæc decreta à nobis definita subscripsimus. Tùm rediit ad Cathedram, acceduntque singuli debitas inclinationes facientes tùm ad Illustrissimum, tùm ad Altare.

Ego Antonius Episcopus Condomiensis subscripsi.
Ego Antonius Episcopus Engolismensis subscripsi.
Ego Claudius Episcopus Aginensis subscripsi.
Ego Henricus Ludovicus Episcopus Pictaviensis subscripsi.
Ego Franciscus Episc. Petracoricensis subscripsi.
Ego Michael Raoul Episc. Xantonensis subscripsi.
Ego Henricus Episcop. Malleacensis subscripsi.
Ego Emericus Episc. Lucionensis subscripsi.

De fine Concilii.

POst subscriptiones, secretarius in suggestu existens ait: R. Patres, placetne vobis ad Dei omnipotentis laudem, hujus Concilii Provincialis finem jam fieri? Exquisitis votis responderunt, Placet, tùm legit decretum finis Concilii, hoc modo. Nos Franciscus, &c. huic sancto Concilio finem imponi censuimus.

Hinc Illustriss. Metropol. pauca præfatus de sollicitudine pastorali, jussit, ut secretarius è suggestu legeret, quæ præcipuè in fine Concilii à Deo essent expetenda in oratione Mentali. Pro sancto Domino nostro Urbano Papa VIII. ut eum Deus dirigat: pro Provincia, ut in sanctæ Reformationis institutis progrediatur, pro Rege nostro Ludovico, ut victor sit de inimicis crucis, & Angelus Domini in cunctis eum comitetur, donec illi afferat sceptrum regni ęterni. Tùm genibus flexis ante majus altare per dimidiam horam in oratione mentali detinentur.

Finita oratione fit processio in Ecclesia, & Claustris, in cujus reditu distribuuntur tabellæ acclamationum, interim unus è secretariis in suggestu incipit acclamationes, assistentibus tunc principibus viris supremi Senatus, & aliis.

Acclamationes.

SOli Deo honor, & gloria in sęcula sęculorum.

R. Laudamus te Domine, qui illuminas mirabiliter à montibus æternis, sacrum istud Provinciale Concilium ad optatum exitum mira bonitate perduxisti. Tibi laus, tibi potestas, & imperium in sæculum sęculi.

Beatissimo Urbano Papæ, &c. Anni permulti, &c.

Resp. Impleat Dominus omnes petitiones sanctissimi Patris, &c.

Patriarchis, & Archiepiscopis, & Episcopis omnibus, &c. accuratissima in subditos sibi populos vigilantia.

R. Anticipent vigilias oculi eorum, & annos æternos in mente habeant, intendant ad visitandas omnes gentes, quas lavit Agnus in sanguine suo.

Christianissimo Regi nostro Ludovico, cujus laus in fines terræ ob zelum domus Domini, perpetua, & illibata felicitas.

R. Deus primogenitum ponat illum præ Regibus terræ, &c.

Fiunt aliæ acclamationes pro cæteris Regibus, & Principibus Christianis, pro fidelibus Provinciæ, pro Episcopis Concilii, quibus peractis, cantatur: *Te Deum laudamus.* Recitatur oratio pro gratiarum actione ab Illustriss. Metropol. ad illum sedentem sub umbella accedunt reverenter Episcopi, accipiuntque, & dant osculum pacis, tùm idem inter se per mutuos amplexus observant. Dom. Illustr. Metropol. dat benedictionem solemnem; publicantur indulgentiæ centum dierum. Secretarius in suggestu conclamat; Recedamus in pace. Respondet Chorus. In nomine Domini. Sic disceditur. Cap. 22. de Concilio Provinciali, & pœnis Can. 8. qui est ultimus. Hęc autem omnia, & singula Concilii præsentis decreta, ut nostra omnia sanctissimo Domino nostro Christi in terris vicario, universalis Ecclesiæ moderatori summo, æternum vigilantissimo, perlustranda, corrigenda, emendanda, & amplianda genibus in obedientiam flexis summittimus. Faxitque summus animarum pastor, lux vera, lumen de lumine, ut lucerna humilitatis nostræ pro curandis animabus ad eum accedens illuminetur, & facies nostræ non confundantur.

LAUS DEO.

CONVENTUS GENERALIS

Cleri Franciæ Parisiis congregati anno Domini M. DC. XXV. & M. DC. XXX.

IN hoc Conventu, quem non immerito Concilium nationale vocare quis posset, sicut & alios ejusmodi per singula quinquennia fieri solitos, pręter res temporales, ob quas potissimum indictus erat, plura alia acta sunt ad doctrinam, & disciplinam spectantia, quæ ob rerum momenta, visum est hìc inserere, aut indicare.

1. Acta hujus Conventus continent Epistolam Archiepiscoporum pro convocatione Conciliorum Provincialium ex consilio, & deliberatione totius Cleri Galliarum Lutetię comitia habentis. Scilicet tunc visum est operę pretium, si Concilia Provincialia frequentius celebrarentur, ideo hæc epistola multas rationes proponit, quibus induci possint Archiepiscopi ad ea convocanda. Unde factum est, ut paucos post annos indicerentur tùm ab Illustriss. Archiepiscopo Rhemensi Leonorio Destampes prius per ipsummet visitatis suffraganeorum Diœcesibus, tùm etiam ab Illustriss. Rothomagensi Archiepisc. Francisco de Chanvalon, licet casso opere ob varia impedimenta.

2. Continent Epistolam totius Cleri Francię ad Summum Pontificem pro beatificatione Reverendissimi Francisci de Sales Episcopi Gebennensis.

Sanctissimo D. D. nostro Urbano VIII. Pontifici maximo.

SAnctissime Pater, post oscula pedum beatorum. Cum superioribus annis beatus Pater felicis recordationis Reverendissimus Franciscus de Sales Gebennensis Episcopus eam apud nos vitam traduxerit, quę mirabili virtutum omnium concentu ad imitationem non paucos, ad fidem quam plurimos, ad admirationem omnes pertraheret; tandem gravissimis laboribus exhaustis è sudore ad quietem, è curriculo ad gloriam, ut opinamur, transvolavit. Magnum quidem sui desiderium Gallorum omnium animis, majorem tamen Sanctitatis opinionem reliquit: itaut quem præsentem coluerunt, absentem etiam taciti venerentur: speramus, quotquot Ecclesiastici ordinis præsentes adsumus, Sanctitati vestræ non ingratum fore, si, quæ publica cunctorum vota desiderant, ea nos conjunctis precibus efflagitemus. Qui cum in terris te unum esse sciamus, qui templa divis dare potes, fac, ut, cujus antea, dum in vivis foret, recreati sumus auxilio, ejusdem dum in humanis esse desiit, suffragio sublevemur, &c. Reliquum epistolę laudes virtutum hujus sancti viri complectitur, quas melius loquuntur ejus scripta propria, quàm quælibet aliena. Hęc dum sæpe legi, Sanctitatis ejus testimonia magis credibilia facta sunt. Cęterum finis hujus epistolę est. Datum Lutetię in Cleri generalis comitiis anno Domini 1625.

Beatificatio Francisci de Sales.

Obse-

Obsequentissimi, & devotissimi filii Vestri, & servi S.R.E. Crdinales Antistites, & Ecclesiastici viri in Cleri Generalis comitiis congregati.
Et infra.

De mandato Illustrissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum totiusque cœtus Ecclesiastici in comitiis generalibus Cleri Galliç constituti.

Leonardus Destampes, Epic. Carnotensis.

3. Continent acta hujus Conventus decreta numero quadraginta Gallico idomate dumtaxat vulgata ad continendos regulares exemptos in officio, ne prætextu privilegiorum Jurisdictionem Episcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum violent, non comprehensis in istis Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis.

4. Continent Epistolam ad Summum Pontificem in approbationem decreti circa privilegia exemptorum, Initium est.

Non peccavimus in Sanctitatem vestram, beatissime Pater, dum quorundam, qui sese privilegiis contra nostram tuentur authoritatem, reprimendam esse duximus audaciam; scimus enim quantum Sanctitati vestræ, quotquot sumus omnes, debeamus, &c. Tùm multis additis de authoritate Summorum Pontificum in genere, ac specialiter de virtutibus Urbani VIII. additur de exemptis. Quamdiu intra paucos: cùm etiam apertius eruperunt, latiusque vagari cœperunt, moderatione nostra mitigari posse putabamus: at verò postquam oppida, Provincias, universum denique regnum labefactaverunt, cùm plebem ab obsequio Pastorum avocari, edicta nostra negligi, censuras exsibilari, turbam à propriis altaribus aliò seduci vidimus, tandem sensimus, certis quibusdam gradibus audaciam crescere, diuque in minimis vires suas probare, antequam ad altiora conscendant. Neque tamen eorum, qui, vel aliqua religionis opinione, doctrinæ dotibus promovere populum nostrum ad cultum Divinum possunt, oblatum recusamus auxilium, dum & ipsi legitimum non detrectent imperium. Quamvis nunquam aliàs apud nos major fuerit aut ingeniorum proventus, aut adolescentum numerus; qui cùm ex antiquis Galliarum Academiis tanquam ex celeberrimis emporiis continuo prodeant, ubique pietatis simul, & doctrinæ specimen edentes ad excolendam Christi vitem sine ulla legitimi ordinis perturbatione locum petant: tamen & iis, qui religiosi dicuntur, nunquam denegabimus benè merendi facultatem, &c.

De mandato, ut supra, Leonardus Destampes Episc. Carnotensis.

Subjungitur alia Epistola Gallico idiomate scripta ad Archiepisc. regni monitoria, ut regulares privent iis concessionibus, quæ ex eorum authoritate pendent, quoadusque obedientes se præbuerint.

4. Hæc eadem acta continent aliam Epistolam ad Archiepisc. & Episcopos regni Galliæ super animadversione duorum libellorum, quorum tituli sunt. Prioris quidem. *Modestia, & brevis discussio aliquarum assertionum Doctoris Kellisoni in tractatu de Ecclesiastica Hierarchia authore Nicolao Smiteo.* Posterioris verò, *Apologia pro modo procedendi Sedis Apostolicæ in regendis Angliæ Catholicis tempore persecutionis, auctore Daniele à Jesu.* Quæ tamen Epistola nonnisi in Comitiis sequentibus edita est, cùm sit consignata sub die decima Februarii anno 1631. Occasionem autem huic Epistolæ dederunt turbæ in Anglia excitatæ ab eo tempore, quo R. Episcopus Chalcedonensis Angliæ præpositus in spiritualibus à Summo Pontifice voluit inquirere in doctrinam confessorum in Anglia tempore persecutionis, ut non sine ipsius approbatione Jurisdictionem in pœnitentes exercerent. Hinc enim prodierunt hi libelli sub larvatis authoribus, in quibus contendebatur, Episcopum tempore persecutionis alicui Ecclesiæ necessarium non esse, nulli esse solatio, cum officia Ecclesiastica publicè non exerceantur, sacramenti Confirmationis virtutem suppleri posse per alia media, religiosos, qua religiosos esse de Hierarchia, & in statu perfectionis non minus, quàm Episcopos, & Curatos. Hæc, & similia visum est Episcopis virgula censoria ferire, quod & præstitum est luculentius à facultate Theologica Parisiensi confecto indiculo variarum propositionum ex iis libellis excerptarum cum notis censoriis contra singulas. Quæ res cùm pacem deberet conciliare, majoris discordiç seminarium extitit. Ad infringendas enim censuras tùm Cleri Gallicani, tùm etiam facultatis sacrç Parisiensis, & ex prælo Belgico prodiit liber *Spongia* inscriptus sub mentito Authore Loemelii, qui erat simplex Sacerdos Belga nequaquam hujus eruditionis, & vigoris, qualem præferebat verus author hujus Spongiæ succo amarulento tumidæ, & verborum petulantia insignis. Ad quam comprimendam in lucem emissa est *defensio epistolæ Illustriss. & Reverendiss.* Galliæ *Episcoporum, & Censuræ sacræ Facultatis Parisiensis à Petro Aurelio edita.* Alius quoque liber solidè doctus Doctoris Halerii nunc Episcopi Cavallicensis, cum hoc præfixo titulo, *Vindiciæ sacræ Facultatis*, &c. quos libros in magno pretio habuerunt conventus Cleri Gallicani, qui postea celebrati sunt. *Spongia.*

Hæc autem variorum librorum pugna alit, fovetque pugnaces mentes plurium, seu regularium in Clericos sæculares, seu horum in istos. Quæ omnia libenter silentio obvolveremus, nisi exhinc alia mala graviora scaturire inciperent, qui enim dogmata aliàs, & nunc de hæresi damnata in mentes fidelium volunt invehere, & se zelosos etiam produnt contra regulares, ac partiarios sæcularium, ut cùm sic eorum gratiam sibi conciliarint, possint liberius sub eorum pallio, & clypeo doctrinam fidei innovare. Mendax sit hoc præsagium. Sic qui credit se dumtaxat pro recto ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ laborare, ac decertare, ne suis adjutoribus ingratus sit, iis etiam aliquid indulgebit.

Universis per Galliam constitutis Reverendiss. Patribus Archiepiscopis, & Episcopis, Dominis, & Fratribus nostris religiosissimis, Archiepiscopi, & Episcopi, Parisiis variis de causis agentes salutem in Domino.

Limites habet Jurisdictio Episcoporum, non habet charitas: omnes illud Apostoli usurpare & possumus, & debemus, *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Itaque veteri, atque Apostolico instituto, si qua in nostris Parœciis schismata oriuntur, aut hæreses, auctoritate compescimus; si alibi, medemur amore, qui tùm demum Christo dignus est animarum nostrarum Episcopo, cùm omnes complectitur, sicut ille pro omnibus mortuus est. Huc accedit, quod ubi de errore agitur, qui spectat Ecclesiam, sibi prospicit, qui aliena curat: serpit enim ut cancer error istiusmodi, & merito, cùm unum inficit, omnes terret. His de causis factum est, ut nostra fuerimus arbitrati, quæ essent Anglorum, nec minus miserandæ istius Ecclesiæ vulnera senserimus, quàm si nobis essent inflicta. Cùm enim accepissemus allatos esse ex ea insula libellos duos, quos linguæ periti dicerent doctrinæ pestilentis esse plenissimos, concurrimus velut ad sedandū domesticum incendium, quotquot in hoc orbis theatro versabamur Episcopi, & donatos latinitate excussimus dili-

diligentissime, ac recensuimus, iisque tandem inussimus stigmatis, quibus facile à scriptis probæ, ac sanæ doctrinæ discernerentur. Atque hoc judicium nostrum visum est mittere ad vos, Fratres Reverendissimi, ut quorum una est causa, unus spiritus, una charitas, unus quoque sermo sit, ac sententia. Neque enim ullo modo dubitamus, quin ea, quæ damnanda censuimus, satis damnaturi, & eamdem fidem, eamdem doctrinam totis animis professuri.

Primùm autem in iis libellis finis ipse, ac scopus summopere displicuit: id enim agunt potissimum, eoque collimant, ut quàm Dominus auctoritatem Episcopis attribuit, elevent quàm maxime, ac deprimant. Tùm verò per Episcoporum latus non Divinum tantummodo Confirmationis Sacramentum, sed & Ecclesiasticam Hierarchiam, qua nihil sub Cœlo est augustius, & ipsum Petri successorem Apostolorum Coriphæi, supremumque Christi in terris Vicarium non obscurè petunt, innumeris denique propositionibus scatent, quæ infelici isti scopo aptissimè, nimiumque respondeant. Nam in priore quidem libro falsæ, præsumptuosę, temerariæ, antiquissimo Parochorum instituto contrarię, Christianę plebis, ac simpliciorum hominum saluti perniciosæ leguntur innumeræ, &c. Posterior verò Libellus crassiora habet omnia, & blasphemat simplicius. Nam præterquam quod eadem penitus in eo peccantur, quæ in superiore reprehendimus, propositiones preterea ejus longè plurimas periculosas, seditiosas, impias, & quæ in anarchiam, atque ordinis confusionem maximè propendeant, vel fautor Authoris, atque amicus dixerit, si modo honoris Christi, ac Catholicæ veritatis fuerit studiosus, &c. Datum Lutetiæ 10. Februarii anno Incarnationis Domini 1631. scripserunt Episc. 32.

CONTROVERSIA.

HÆc sacris nota in Ecclesia extitit. Nam subito præter Loemelii spongiam alii Libelli plures Epistolam hanc Episcoporum, ipsosque Episcopos, non omissis Doctoribus sacræ Facultatis, irreverenter admodum prosciderunt. Libellus *querimonia* prænotatus ait inter cætera Epistolam non esse scriptam sermone Episcopali, Angelico idiomate, hoc est, puro, & casto. Sępius blasphemiæ nomen ingeminare in Danielem, quàm Angeli verecundia, vel in diabolum ausa sit. Episcopos non benè quieti suę, dignitati, honori consuluisse. Omnes Parisiensis censuræ in Danielem notas in Epistolam eorum velut in epitomen conferri, imò Epistolam ignominiosæ censuræ notas à Richeristis decantatas, ita numero multiplicatas reddere, ut merito Heptaphonos Echo dici possit. Quot in ea sententiæ, tot hyperbolæ. Episcopos vocat Aristarchos. Vecordiam in Epistola esse, & quisquis Richeristarum censuram probet, Labeone insaniorem inter sanos dicendum esse. Nihil horridius in Lutherum, vel Calvinum dici potuisse, quàm epistola dicat in Danielem. Epistolam nihil discernere inter festucam, & trabem, inter nævum, & tuber, atomum, & montem, murem, & elephantem, &c. Alias procacitates plures attingere tædiosum est, nec necessarium, qui non tàm ea quærimus, quæ magis ad multiplicandas phrases Aldi Manutii, aut aliorum Grammaticorum ad verbum maledicentiæ, quàm ad instruendos rerum Theologicarum cupidos idonea sint. Ideo satius nobis videtur aliqua delibare, quæ hanc controversiam saltem generatim elucident: nam discussio specialis singularum propositionum, quas Episcopi, & Theologi junctis umbonibus tunc percusserunt, volumen integrum expeteret, quales est Petri Aurelii, ac etiam Doctoris Halerii, ex cujus admonitione ad lectorem pauca hæc subjungimus.

Porro Episcopali judicio adversarii nostri tùm plures, tùm maximè exceptiones istas opponunt. Primùm enim, inquiunt, Episcopos Galliarum, dum genti

A ultra Oceanum laboranti succurrere se velle dicunt, hoc unum agere, ut eo prætextu Episcopum Episcoporum negligentiæ, incuriæque arguant. Levis sanè hæc objectio, etsi enim omnes noverint successorum Petri proprium munus esse in reliquos advigilare Pastores, Episcoporum tamen etiam aliorum est in religionis negotio de fidei quæstionibus sententiam suam dicere, & emergentibus ubique terrarum hæresibus se pro domo Israel murum objicere, ne dum proximus ardet Ucalegon excitata erroris flamma, cui non obsistitur, sacras eorum ædes invadat. Vera dixerunt in Epistola, limites habet Jurisdictio Episcoporum, charitas non habet; quamvis hæc verba suggillentur à Daniele, &c. Præterea multis aliis titulis Anglicanæ Ecclesiæ operam suam debet Gallicana; sunt enim maternæ, seu fraternæ Gallię cum

B Anglia necessitudinis vincula, utramque sibi mutuo devinciunt, ut neutra alteri ope, vel consilio desit, & una ab altera auxilium petere Jure suo possit, altera dare debeat, &c. Certè tantæ authoritatis est Rom. Pontificis judicium, ut cùm ipsi cæterorum Episcoporum obnoxię sint sententię, ipse ultimum judicet: quid ergo absurdi, si ultimo quoque loco, & post cæteros sententiam ferat, qua ultima cognitione litem dirimit?

Queruntur item adversarii se inauditos damnatos. Sed quomodo auditi fuissent, qui vocari non poterant? quomodo enim vocarentur, qui nec, ut audirentur,

C postularunt: nec quod sub alieno nomine delitescerent, nominatim accersiri potuerunt? & quid opus erat, ut vocarentur, quos nemo aut poterat, aut volebat condemnare? de personis nihil tactum est, Ignotorum tantum hominum damnati errores, & censura notati libelli, qui certum Authoris nomen maximè præferebat. Eructassent illi forsitan abscondita à constitutione mundi, & compositis rationibus, quas nemo prçter ipsos novit, judicum animos in suam traxissent sententiam. Tanta est scilicet eorum hominum facundia, & doctrina, tanta cæterorum stoliditas, & barbaries! quid si olim Origenis jam à pluribus sæculis demortui, & Theodori Mopsuesteni, aliorumque vel mortuorum, vel absentium memoriam damnare licuit, anonymorum hominum scripta damnare non licebit? nova hæc adversariorum privilegia sunt, quibus actus omnes judiciales eludant, &c.

D Criminantur alii judicii Episcopalis formam, quod indictum antea Concilium non fuerit; quod non ordinariæ juris formulæ in indicendo isto conventu servatæ sint, ut legitimus censeretur. Quasi verò adcircularem, qualem Episcopi Gallicani, scripserunt Epistolam, eos omnes ritus adhiberi oportuerit, qui ad status Ecclesiæ Conventus celebrandos adhibentur; quasi non antiqua plurima etiam Concilia ex Episcopis diversarum Provinciarum fortuitò inter se, aut ex alia causa convenientibus conflari solita fuerint, &c. quasi etiam non usurpatum olim fuerit, ut in rebus ad fidem, vel disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, si qui Episcopi in curia essent, statim atque ingrueret necessitas, consulerentur. Probat hoc variis exemplis, ut Concilii primum Tyri, deinde Hierosolymis habiti causa dedicandæ Basilicæ primum à Con-

E stantino Hierosolymis ædificati. Concilii Antiocheni sub Julio I. Arausicani secundi ob Encœnia: Turonensis I. ad quod convenerant Episcopi ad celebrandum festum Martini. Similia non pauca habentur in hac summa.

Ultima adversariorum contra istud Episcoporum judicium exceptio, est, potuisse falli Galliarum Episcopos, qui non ex sua scientia, sed ex libri versionibus, seu potius eversionibus, quas accusatores obtulere, confisi sententiam protulerunt. Verùm nec in ea re quicquam, quod alicujus momenti esse posset, omiserunt nostrates Episcopi, aut officio suo ulla ex parte defuerunt: tantam siquidem in versione ista fideliter habenda, probanda, recognoscenda diligentiam,

atque

atque induſtriam adhibuerunt, ut eventus docuerit, vix ei ullum irrepſiſſe errorem, unicumque, aut alterum adverſarii notarunt, quorum unus excuſationem ſuam ſecum habet, nulliuſque ad rem ipſam momenti eſt, &c.

Habes in iſtis præcipua rationum momenta, quibus tunc agitabatur controverſia hæc, quę nunc etiam fœda ſui relinquit veſtigia, quorum exitum quis futurus ſit, quis ſciat? ne autem propter hęc Catholicorum mentes in fide nutarent, ſcripſit ad eos dignam Vicario Chriſti Epiſtolam Vrbanus VIII. qua eos vocat reliquias cuſtodientium Angelorum, multumque hortatur, ut qui tàm fortiter in ſęviſſimis perſequutionibus ſe habuerunt, nequaquam commoveantur ob fluctus iſtos ab humana fragilitate non alienos, pleraque addit in hunc ſenſum.

CONCILIUM PRIMUM PROVINCIÆ PARISIENSIS.

Sub Illuſtriſſimo Joanne Franciſco de Gondi Primo Archiepiſcopo Pariſienſi, tempore Urbani VIII. & Ludovici XIII. celebratum anno 1640. *adverſus libellum inſcriptum*, Optati Galli, de cavendo ſchiſmate, &c.

UNiverſis Chriſti fidelibus, noſtræ curæ, ac regimini commiſſis, Archiepiſcopus, & Epiſcopi Pariſienſis Provinciæ, ſalutem in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CUm nuper emiſſus in publicum, & per hanc Pariſiorum urbem ſparſus fuerit libellus quidam hoc titulo, Optati Galli, de cavendo ſchiſmate ad Illuſtriſſimos Eccleſiæ Gallicanæ Primates Archiepiſcopos, Epiſcopos, liber Pareneticus, M.DC.XL. quo in libello nefarius, ac ſeditioſus auctor, non modo id ſpectat, ut aſſumpto ſibi magni quondam ſchiſmatum oppugnatoris, everſoriſque, Sancti Optati Afri Milevitani nomine, & honeſta tituli ſpecie, ſimplicium, & innocentium corda ſeducat; ſed etiam falſis, & iniquis diſſimulationibus conatur Regi Chriſtianiſſimo, & ejus miniſtris, ac conſiliariis, necnon Eccleſię Gallicanæ Pręſulibus, atque adeo Gallis omnibus ignominiam conciliare; Et ſub ficta quadam ſchiſmatis ſuſpicione civium animos à reverentia, & obedientia Chriſtianiſſimo Regi debita latenter, ac fraudulenter avocare; Nos Joannes Franciſcus de Gondi, Dei, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia primus Archiepiſcopus Pariſienſis, Leonorius Deſtampes Epiſcopus Carnotenſis, Nicolaus de Nets Aurelianenſ. Epiſcopus, & Dominicus Seguier Meldenſis Epiſcopus, Provincialiter congregati in Archiepiſcopali Palatio Lutetiæ Pariſiorum, duximus huic tàm exitiali malo, quantum in nobis eſſet, quantumque fieri pro conceſſi nobis à Deo muneris, authoritatiſque ratione, maturè occurrendum eſſe, ne tàm horrendum virus, & execrandum aliquos ex iis, quos curæ, & ſollicitudini noſtrę commiſit Deus, occuparet. Quare peſtiferum, & infamem librum à nobis perlectum, & diligenter examinatum damnavimus, damnamuſque, tanquam falſum, ſcandaloſum, contumelioſum, pacis publicæ perturbativum, Regi Chriſtianiſſimo, ejuſque miniſtris, ac Conſiliariis odium conciliantem, Præſulibus injurioſum ſub falſo, & per ſummam improbitatem conficto ſchiſmate, cujus per Dei gratiam, ne umbra quidem apud nos ulla eſt, Gallos à legitima obedientia, & ſubjectione avocantem, atque ad factiones, rebelliones, ſeditiones excitantem: ſubditiſque noſtris tàm ſcelerati, & pernicioſi libri lectione, & poſſeſſione interdicimus, & interdiximus; Et quotquot legerint, aut retinuerint, cenſuris eos, ac pœnis Eccleſiaſticis obnoxios decrevimus, & decernimus.

A Actum Lutetiæ Pariſiorum in noſtra congregatione Provinciali, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, die Mercurii vigeſima octava menſis Martii, Signatum.

I. Franciſcus, P. Archiepiſcopus Pariſienſis.
Leonorius Deſtampes Epiſcopus Carnotenſis.
Nicolaus Epiſcopus Aurelianenſis.
Dominicus Seguier Epiſcopus Meldenſis.

De mandato eorumdem Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Provinciæ Pariſienſis,

C. BAUDOIN.

APPROBATIO EJUSDEM CENSURÆ ab Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis data, qui tunc temporis res Eccleſiaſticas Pariſiis tractabant.

B

NOs infraſcripti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, pro rebus Eccleſię Pariſiis agentes ſuperiori cenſuræ ab Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Archiepiſcopo, & Epiſcopis Pariſienſis Provinciæ confectæ, viſæ, & examinatæ ſubſcripſimus, anno, & die prędictis, Signatum.

Andreas Fremiot, antiquus Archiepiſcopus Bituricenſis.
Cl. de Rebè, Archiepiſcopus Narbonenſis.
Victor Coadjutor Turonenſis.
C. de Noailles Epiſcopus ſancti Flori.
Jacobus Epiſcopus Sagienſis.
C Henricus Epiſcopus Apamiarum.
Gaſpardus Epiſcopus Albienſis.
Ludovicus Epiſcopus Mirapicenſis.
Le Baron Epiſcopus Valentinenſis, & Dienſis.
Jacobus Epiſcopus Xantonenſis.
L. de Matignon Conſtantienſis Epiſcopus.
Joannes Epiſcopus Bolonienſis.
Gabr. de Beauveau Epiſcopus Nannetenſis.
Franciſcus Epiſcopus Auguſtopolitanus, Coadjutor Trecenſis.
Robertus Epiſcopus Leonenſis.
Petrus Archiepiſcopus Autiſſiodorenſis.

CONTROVERSIA.

D HUnc Patrum Pariſienſium conventum, in quo condita hęc contra Optati Galli libellum cenſura, inter Concilia annumeravimus, quod ut dicit Hincmarus Epiſt. 7. cap. 8. *Perfectum Concilium illud eſt, ubi fuerit Metropolitanus Antiſtes*, Quæ verba eadem reperiuntur in Concil. Antiocheno I. Can. 16. & quamvis plures ſolemnitates in Conciliis ſervari ſolitæ hìc deſiderentur, non inde tamen concludi poteſt, quin nomine Concilii donari poſsit, cum ex Conciliis alia ſint magis, alia minus ſolemnia. Quod ſpectat autem ad libellum hìc damnatum, author eum evulgaverat ſub prætextu, ut præ ſe ferebat, vitandi ſchiſmatis, ſed re vera, ut potius illud concitaret, ad imitationem Optati non quidem Milevitani, ſed alterius quem D. Auguſtinus libro 2. contra Parmenianum, aliiſque locis deplorandi ſchiſmatis caput appellat, necnon ſchiſmaticorum Baſiliſcum. Quidam ſcilicet hac maligna E arte utuntur, vitia ut doceant ea dedocendo, juxta illud dictum Paciani Barcionenſis in paræneſi, ſeu exhortatione ad pœnitentiam: *Unum illud vereor, dilectiſſimi, ne ſolitæ contrarietatis adverſis, inculcando, quæ fiunt, admoneam magis peccata, quàm reprimam. Meliuſque fuerit Attici Solonis exemplo tacere de magnis ſceleribus, quàm cavere, eo uſque progreſſis noſtratium moribus, ut admonitos ſe exiſtiment, cum vetantur.*

Summa autem hujus libelli eſt pręſagium quoddam diſceſſionis à Summo Pontifice in Gallia imminentis, & conſecrationis novi Patriarchæ Gallicani in con-

in contemptum Summi, & legitimi Pastoris Pontificis Romani. Quod quidem presagium tàm levibus fulcit conjecturis, ut nihil illo sit futilius, sed temerarii istius planetarii, larvatique auctoris verba aliqua hìc proferamus: *Rumor est ubique apud nos sese diffundens, vires eundo acquirens, & nescio quid pessimi in Ecclesia Gallicana præsagiens, omnia in schismatis structuram prona eße, & antiquissimum, ac devotissimum Gallorum in sedem Apostolicam studium, quàm difficillimorum temporum turbinibus inconcussum, tàm jam pessum iri: omnia Patriarcham, hoc est Papalis dignitatis in Francorum Regno furem, aut larvam personare.*

Tribus verò potissimum argumentis nititur ad hanc schismatis calumniam, ac vicinitatem confirmandam. Primum argumentum petit ex editione duorum prægrandium tomorum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. *Primum*, inquit, *pro destruenda Ecclesiæ libertate diaboli molimen est, liber duobus tomis distinctus, à duobus fere annis luci datus, quibus non tantùm Rom. Sedis, sed totius Hierarchici ordinis potestas, atque auctoritas pessumdaretur, & potestatis sæcularis servituti tyrannicæ, & impio quodam consilio substerneretur, &c.* Nam & liber iste, de quo sermo est plurimorum Schismaticorum, & Calvinistarum congerie consarcinatus, non solùm in personas altarium ministerio affixas, sed in bona Christi fisco addicta, &c. Secundum argumentum deducit ex consilio, quod nuper datum erat Episcopis de submissè petenda à Summo Pontifice moderatione aliqua annatarum vi concordati Summo Pontifici debitarum, quo commodius Episcopatum adepti huic oneri satisfacerent. Tertium argumentum petit ex edicto Regio anno 1639. die 26. Novembris, quod declarationem vocant, quo asserit novas leges connubiales conditas esse in præjudicium Ecclesiæ, ad quam solam causæ matrimoniales pertineant. Nonnulla autem fingit Optatus, nec fideliter refert edictum, quod improbat.

Tomi duo de Libert. Ec. Gallicanæ.

Quibus omnibus, cæterisque ex occasione in illo libro contentis plures responderunt; sed inter cæteros perspicuè, & solidè doctor Habertius inter Sorbonicos celeberrimus, Ecclesiastes Parisiensis libro à se edito: *De consensu Hierarchiæ, & Monarchiæ*, qui mox alterius opera è Latino in Gallicum transfusus est, ut vani divinatoris insomnia omnibus paterent.

Ostendit autem vanas esse Optati conjectationes de schismate proximo, & de Patriarcha consecrando, tùm ex perpetua Regum Galliæ erga summum Pontificem observantia, ac maximè Ludovici decimi tertii, qui post Rupellæ expugnationem, fractasque hæreticorum arces, ac vires attritas, necnon antiquæ Religionis Catholicæ cultum in omni Galliæ solo restitutum, nihil magis in votis habuit, quàm omni data occasione suum erga summum Pontificem studium testari, ut in ista re maximè Regem Hispaniæ superaverit: tùm etiam quod à multis sæculis Clerus Galliæ summo Pontifici addictissimus videatur præcavisse, ne quis Episcoporum supra omnem Galliam primatum usurparet, cum in antiquis Conciliis præses multitudine suffragiorum electus fuerit: sic enim in quarto Aurelianensi anno 541. presuit Leontius Archiepiscopus Burdigalensis presente Flavio Rothomagensi antiquitatis jure potiori. Et in quarto Concilio Parisiensi anno 573. primas tenuit Philippus Archiepiscopus Viennensis præsentibus Prisco Lugdunensi, & Constituto Senonensi.

Quia verò Optatus verbis subobscuris Eminentissimum Cardinalem Richelium de Patriarchatus ambitione insimulaverat, proposito in eam rem Cardinalis Ambianensis exemplo, quem schismatis quadragenarii post electionem Urbani sexti, artificem asserit; probat ejus animum alienissimum fuisse ab hac ambitione, ut qui belli, pacisque tempore maximam semper summo Ecclesiæ Pastori reverentiam, & subjectionem exhibuerit, ac exhiberi procuraverit, cum ejus exhortationibus facultas Parisiensis 1. Decembris anno 1629. decreverit, ut omnes Baccalaurei propugnationi suarum positionum hoc juramentum præmitterent: *Protestor me nec dicturum, nec scripturum quicquam, quod adversetur sacræ Scripturæ, Conciliis Oecumenicis, decretis Summorum Pontificum, & almæ facultatis Parisiensis matris meæ, quibus adhæreo, & me formiter adhæsurum polliceor, &c.* Totque alia observantiæ suæ ad summum Pontificem monumenta edidit, ut Urbanus octavus epistola ad eum missa die 23. Febr. anno 1627. maximis eum cumulaverit laudibus, penitusque diversam ab Optato se de illo opinionem concepisse demonstret.

Richelius Cardinalis.

Jura[...] Bacc[...] reoru[...]

Quod verò spectat ad argumenta Optati. Primum ex duobus tomis, &c. petitum dejicit, maximè ex damnatione horum tomorum per Episcopos Galliæ Parisiis congregatos sub auspiciis Eminentissimi Cardinalis Rupefulcaldii. Et quia opponebat Optatus Bullam quamdam Bonifacii octavi, insertam fuisse in his tomis, qua conceditur exactio subsidiorum pecuniariorum à Clericis pro regni tuitione, non expectato Ecclesiasticorum consensu, inter alia respondet abrogatam fuisse in Concilio Viennensi; *De immunitate Ecclesiarum*. Secundum argumentum nullius est roboris, cum tantum precibus contendendum esse cum summo Pontifice, deliberatum sit, qui agendi modus innocentissimus est. Quod verò spectat ad edictum de legibus quibusdam connubialibus, ostendit primum in genere potestatis etiam sæcularis esse aliquas hujusmodi leges condere ex D. Thoma lib. 4. contra Gentes, & in 4. sent. dist. 34. quæst. 2. art. 1. Deinde sigillatim ad objectiones Optati contra edictum Regium respondet. 1. erat, quod edictum requirat quatuor testes in celebratione Matrimonii, cum Tridentino Concilio duo, aut tres sufficiant. Sed præterquam quod hic testium numerus jam à Comitiis Blesensibus requisitus est, perficit potius, quàm destruit decretum Tridentini, quo major numerus testium non prohibetur. 2. Edictum non permittit liberis etiam post vigesimum quintum ætatis annum, ut contrahere possint absque parentum consensu; cum Ecclesia id non requirat: Attamen Edictum non declarat talia matrimonia invalida esse, quamvis ea pœnis exhæredationis subjiciat, quia illicita sunt. 3. Edictum vult raptam libertati suę restitutam etiam parentibus adstipulantibus non posse contrahere, & liberos ex tali matrimonio hæreditate privandos esse. Sed omisit Optatus ista edicti verba, conformiter ad sancta Decreta, constitutionesque Canonicas, quibus verbis denotatur edictum intelligendum esse de tempore, in quo rapta est in potestate raptoris, secundum mentem Ecclesiæ. 4. Edictum prohibet, ne in fine vitę concubinarii cum concubinis suis contrahant, sancitque natos ab illis filios nihil paternæ hęreditatis accipere posse, quod impium vocat Optatus, cum parochi, & confessarii nihil aliud possint in hac hora pro eorum salute, quàm ut concubinatum in legitimum matrimonium convertant, & ex Nothis filios legitimos, & hęredes efficiant. Verum etsi edictum puniat hujusmodi concubinarios tunc temporis contrahentes, propter scandala, & innumera mala, quæ inde oriuntur, persępe tamen hac severitate non impedit hęc matrimonia, sed impellit potius concubinarios, ut dum tempus est, suis prospiciant rebus, nec in extremam horam differant, aliique metu pœnę deterreantur ab hac immunditia per totius vitæ cursum proroganda. Quamvis præstaret hujusmodi personas, quorum tota ferè vita infami societate fœdata est, in extremis separari, in easque severitatem legum exerceri, &c.

Edi[...] matri[...]nio.

Conc[...] nari[...]

Hæc pauca dedimus ex pluribus, quæ præfatus Theologus cum multis auctoritatibus, ac rationibus, stylo.

ſtyloque elegantiſſimo proſequitur: ſed ex iis ſaltem velut ex indiculis contenta in Optato Gallo, ejuſque ſcopus ſufficienter patebunt, quantum ſaltem ad inſtitutum noſtrum pertinet.

ANno 1644. indictum erat Rhemis Concilium totius Rhemenſis Provinciæ ad Calendas Octobris celebrandum per Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Leonorium Deſtampes de Valencay. Jamque omnes tàm Epiſcopi, quàm alii, qui de jure, aut cõſuetudine illic debebant intereſſe, ad iter ſe accingebant, cum excipiunt litteras, quibus revocabatur ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, qui indixerat ob motam controverſiam, ut fertur, de præcedentia inter R. Sueſſionenſem, & alios Epiſcopos.

ADDITIO ALTERA

Ad Summam Conciliorum ex Europæis, Aſiaticis, Africanis, atque Americanis quibuſdam ſynodis conflata.

DUm ſola Gallicana Concilia inquirimus, alia etiam aliarum nationum occurrunt, quæ hìc ſubjungimus cum quibuſdam etiam Gallicis, quæ feſtinantibus prælis omiſſa fuerant, nam plura alia ſunt in hac claſſe, quæ tempus, & ſtudioſorum hominum opera in lucem emittet. Tantum hìc monemus in eis ordinandis magis ad loca, quàm ad tempora attendiſſe, ut nulla methodus ad res debitè proponendas à nobis neglecta videatur.

SYNODUS LEODIENSIS anno 903. à Stephano antiſtite pro vindicandis quibuſdam reliquiis Sancti Eugenii Toletanæ Urbis primi Epiſcopi.

CUm Gerardus Abbas Bronienſis revertens à Sancti Dionyſii inclyto monaſterio, à cœnobitis aliquas reliquias impetraſſet, repoſuiſſetque in ſuo aſceterio, ubi mox miraculis refulgebant, quidam Clerici falſo zelo incenſi apud Stephanum Epiſcopum Leodienſem conqueſti ſunt de violata Eccleſiaſticarum regularum obſervantia à Gerardo abbate, quæ ignotos Sanctos coli prohibent.

Stephanus hac querela Clericorum commotus proponebat idem facere contra has reliquias, quod contra Pſeudo-Martyrem, ab ignara plebe ſacris honoribus frequentatum dudum egerat D. Martinus Turonenſis: cum à monaſterio Foſeſſenſi egrediens, ubi hæc maligna criminatio ipſi ingeſta erat, ſic colli dolore torquetur, ut ad extrema intra horæ unius ſpatium deductus fuerit, quare recogitans hanc ſibi calamitatem accidiſſe ob propoſitum adverſus reliquias S. Eugenii, pœnituit, ac veniam de errato humiliter deprecatus, plenariam ſenſit mox incolumitatem ſibi redditam, nolenſque eſſe immemor gratiæ, ac culpæ plenariam diœceſis ſuæ evocavit Synodum: ubi ſacerdotes de exhibendo Martyri debito cultu exhortatus eſt, ejuſque acta de ipſius vita, ac martyrio legi publicè, ac illibata ſervari juſſit. Quæ non alia de cauſa recitari ſtuduit, quàm ut in Synodo Epiſcopali auctoritate confirmarentur, ut ait ſcriptor vitæ S. Gerardi apud Surium 3. Octobris c. 14.

Unde infert Jacobus Doubletius in hiſtoria chronologica pro veritate Apoſtolatus D. Dionyſii in Gallia; Synodum hanc exiſtimaſſe ſynchronum fuiſſe Symmiſtam, & ſuffragatorem Apoſtolorum D. Dionyſium Areopagitam, à quo ordinatus fuit S. Eugenius, & in Hiſpaniam jure directus. Quod idem confirmat ex alia Synodo plurium Epiſcoporum circa annum 1003. tempore Roberti Regis in Caleſedis palatio Regio, ex quodam antiquo Chartulario dicti Regis perantiquo.

A

ADDITIO AD CONCILIUM RHEMENSE,

Sub Sonnatio Archiepiſcopo celebratum circa annum 630.

SOnnatius Archidiaconus Rhemenſis Archiepiſcopus creatur anno 600. ſynodum celebravit cum 40. vel eo amplius Galliarum Epiſcopis. Mortuus eſt in magna ſenectute die 20. Octobris. Ita Joannes Chenu in Archiep. Rhemenſ. hoc Concilium deſcribit his verbis Fleodoardus libro 2. *hiſtoriæ Eccleſiæ Rhemenſis cap.* 5. *Concilia Gallica.*

B Romulſum ſequitur in Epiſcopatu Sonnatius, qui ſynodum celebraſſe reperitur cum aliis quadraginta, vel eo amplius Galliarum Epiſcopis, ubi etiam ſanctus Arnulfus Metenſium præſul invenitur interfuiſſe, cum Theodorico Lugdunenſi, Sindulfo Viennenſi, Sulpitio Bituricenſi, Medegiſelo Turonenſi, Senoco Eloſanenſi, Leontio Xantonenſi, Modoaldo Treverenſi, Chuneberto Colonienſi, Richerio Senonenſi, Donato Veſontionenſi, Auſpicio Auguſtodunenſi. Item Modoaldo Lingonenſi, Ragneberto Bajocenſi, Chidoaldo Abrincatenſi, Bertegiſelo Carnotenſi, Palladio Autiſidiorenſi, Gondoaldo Meldenſi, Lendeberto Pariſiacenſi, Chainoalgo Lauduni Clavati, Godone Virdunenſi, Anſarico Sueſſionenſi, Claudio Rejenſi, Berthoaldo Cameracenſi, Agomaro Silvanectenſi, Cæſario Arvernenſi, Vero Rutenenſi, Agricola Gabalenſi, Lupoaldo Moguntiacenſi, Vvillegiſelo Tholoſano, Conſtantio Albienſi, Nammatio Ingoleſmenſi, Ruſtico Caturcenſi, Auderico Auſcenſi, Emmone Areſetenſi, Felice Cathalonenſi, Hadoindo Cenomanenſi, Magnebono Andegavenſi, Joanne Pictavienſi, Leobardo Nannetico, in qua ſynodo multa leguntur utilia conſtituta. (C)

Canones habentur ſupra in claſſe 4. inter Concilia ſæculi VII. ut non pluries eadem repetendo chartam oneremus.

Notæ in hoc Concilium ex Coluenerio, & aliis.

DE Sonnatio Epiſcopo.) Hæc eſt omnis ſcriptura exemplarium, tàm hoc c. quàm præcedenti m. ferè ſcribit Sonnatius, & interdum Somniacius, c. Sonnatius. Rhemenſis verò ſynodus ſub eo habita, de qua Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2. hoc c. utilis admodum Eccleſiis fuit, & pluſquam provincialis, utpote cui multi etiam aliarum provinciarum Archiepiſcopi interfuerint, quæ utinam extaret in tomis Conciliorum. (D)

Palladio Autiſidiorenſi.) mſ. Altiſidiorenſi. id eſt, perpetuo ſcribit Autiſiodorenſi, cui favet vox Gallica Auxerre.

Anſarico Sueſſionenſi.) c. j. Anſerico.

Claudio Retenſi) ſic omnia exemplaria. Videtur eſſe Rieux in Archiepiſcopatu Tholoſano, à quo aliàs Rivenſis, & Rivenenſis Epiſcopus nuncupatur. Niſi quis legendum putet Regienſis. Nam Claudius Regienſis Epiſcopus ſcriptus legitur Concilio 20. Cabilonenſi celebrato circa hæc tempora, videlicet anno 658. vel ut alii 664. in quo etiam ſubſcripti leguntur duo alii, qui huic Rhemenſi interfuerunt, Donatus Viſontienſis, & Palladius Autiſiodorenſis. Verum In tom. Concil. fortè legendum Rejenſis, quod eſt ignotius, pro Regienſis. Vero Rutedenſi) ſic j. cui accedit mſ. Rutumenſi. c. Tervenſi. Eſt autem Ruthenenſis Epiſcopatus, Gallicè Rhodes) nam Rhutenum aliàs Rhodium dicitur) in Archiepiſcopatu Bituricenſi. (E)

Agricola Gabalenſi) hoc eſt, ut poſterioribus ſæculis vocatur, Mimatenſi in eodem Archiepiſco-

patu Bituricensi, in quo Arvernensis, & Ruthenensis, qui proximè præcedunt. Nam Gavali, qui & Gabali Ptol. & Fortunato, & Gabales Cæsari, Plinio, Straboni dicuntur Gallicè *Mande* hoc est Mimatum in Aquitania regionis Gavalitanæ, quæ *Gevaudan* dicitur, civitas primaria, & caput est, ut docet Philippus Ferrarius in nova typographia Martyrologii Romani. Quod adnotamus, ne fortè quis putet esse oppidum Cabilonense, quod est sub Archiepiscopatu Lugdunensi, præsertim cum Robertus Cænalis sentiat Gabales esse Cabilonenses. Et quidem Agricola Cabilonensis Episcopus subscriptus legitur Concil. 4. & 5. Aurelianensi, quorum posterius habitum est anno 55. Item Parisiensi 2. & Lugdunensi 1. quod habitum est anno 570. præfuit autem Ecclesiæ suæ annis 48. & vixit anno 83. ut habet Greg. Turon. l. 5. hist. cap. 45. & ex eo Baron. in notis ad Roma. Martyrolog. die 17. Martii. Sed ut sit idem cum eo, qui huic Rhemensi synodo interfuit, obstare etiam videtur distantia temporis.

Auderico Auscensi, i. Auscii, alio nomine Auxitani, unde Archiepiscopatus Auxitanus Gall. Auxch in Vasconia.

Ut capitula Canonum Parisiis acta in generali synodo, in Basilica S. Petri Lotharii regis studio congregata, omni firmitate custodiantur. Videtur intelligi Concilium 3. Parisiense, cujus extant 9. Capitula tom. 2. Conciliorum per Binium editorum. Nec obstat, quod ibi dicatur celebratum sub Childeberto, quia intelligitur Childebertus primus filius Clodovei magni, qui obiit anno 559. Quo eodem tempore regnavit frater ipsius Clotarius primus, qui Lotharius nominatur, & obiit anno 565. Et quidem dictus Childebertus solium regni tenuit Parisiis, Clotarius autem Suessione, sed tandem etiam toti Galliæ præfuit. Unde verisimile est post annum 559. celebratam esse hanc synodum Parisiensem, quod disertè docet Binius.

Precaria quid. Per precatoriam impetrantur. De la Cerda *adversariorum sacrorum* ita interpretatur hoc verbum 127. nu. 11. Solebant, inquit, qui res suas Ecclesiæ dabant, precibus rogare, ut sibi, quoad vixissent, iis frui liceret, quam in rem instrumentum conficiebatur, seu charta, quam precariam, seu precatoriam nuncupabant quod precibus concederetur. Multa deinde in hanc rem congerit testimonia. Ac P. Crespetius in sua collectione, cui titulus, *splendor veritatis*, &c. *verbo precariæ*. Hoc vocabulum, inquit, peregrinum videtur, nam nec in usu apud Latinos invenitur, sæpius autem in decretis reperitur. Precariæ autem dicuntur quædam præstationes ususfructus in recompensatione hujus proprietatis, quæ datur Ecclesiæ. Differunt autem à precaria, quia precaria est quidam contractus affinis Emphyteosis, & in hoc differt, quod de quinquennio in quinquennium renovetur.

CONCILIUM

Apud

SYLVANECTUM,

Anno 876. tempore Joannis VIII. & Caroli Calvi pro coercendo Abbate Carlomanno.

Accipe istud Concilium ex fragmento Historiæ Franciæ, à morte Ludovici Pii, usque ad Ludovicum secundum dictum Balbum. Quod fragmentum accepit Ducennius ex MS. Codice Bibliothecæ Thuannæ, ac tomo secundo Histor. Francorum inseruit.

Item Carlomannus regis Caroli filius, & plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus, quoniam in- A sidias erga patrem suum infideliter moliretur, Abbatiis privatus, in civitate Sylvanectis est custodiis mancipatus. Item quia multi erant in regno Caroli, ut per Carlomannum filium ejus rediviva mala remergerent, Carolus apud Sylvanectum Episcopos convocavit: quatenus secundum Canones, à quibus nulla, ut Leo dicit, aut negligentia, aut præsumptione, licet eis discedere, Episcopale ministerium de illo exequerentur. Quod & fecerunt deponentes eum ab omni gradu Ecclesiastico. Post quod factum Diabolus excitavit illum, quasi liberius ad nomen, & potestatem regiam conscendere posset, quia ordinem Ecclesiasticum non haberet. Unde complices ejus cœperunt se iterum conjungere, & alios de aliis regnis adducere: Quatenus illum de custodia educerent, & sibi regem constituerent. Quapro- B pter necesse fuit, secundum sacrarum legum decreta, judicio mortis addictum, mitiori sententia, luminibus, acclamatione eunctorum, orbari.

Additio ad Concilium Trecense anno 878. celebratum per Joannem octavum Sum. Pontificem tempore Ludovici tertii Imperatoris, & Regis Galliarum.

Hanc additionem invenimus inter testimonia veterum de capitulis regum Francorum, apposita initio Capitularium edition. Parisiensis, ann. 1640. desumpta quoque est ex Ivone Carnotensi Episcopo, parte 3. cap. 98.

C Joannes Episcopus servus servorum Dei, omnibus Episcopis, Comitibus, Vice-Comitibus, Centenariis, Judicibus Catholicis in Hispania, & Gothia, & provinciis degentibus, omnique populo Occidentali Catholico, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Noveritis, dilectissimi filii, quia vos pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ, jussimus congregari Synodale Concilium apud urbem Trecas, ubi sedentibus nostris in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Siseboldus sanctæ Primæ sedis Narbonensis Episcopus, cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habetur de sacrilegiis; & in eisdem legibus scriptum erat, ut causæ, quas illæ Leges non habent, non audirentur à judicibus illius patriæ: atque ita jus sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ, & His- D paniæ Provinciarum. Unde nostra serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis Romanis legibus, ubi habetur de sacrilegiis, invenimus ibi à Justiniano Imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leviorem legem præcipimus esse tenendam, quæ à Carolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, videlicet in triginta libras argenti examinati. Idest, sexcentorum solidorum summam argenti purissimi. *Lege... clesi... Epis... c. 1 q. 4.*

Ideoque quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, istam leniorem compositionem emendet ipsis Episcopis, vel Abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii justè pertinuerit. Et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subjaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum per- E solvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum Psalmis, & Hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus, ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

CON-

CONCILIUM

Totius Regni Galliæ in regali Monasterio sancti Dionysii convocatum pro detectione corporis S. Dionysii Areopagitæ tempore Leonis Papæ IX. ac Henrici primi Regis Galliarum ann. 1050.

Ex Rigordo non ignobili Franciæ historico damus hoc Concilium.

Iste Henricus auditis rumoribus, quod in Allemannia in civitate Ratispona, in Abbatia sancti Emeranni Martyris inventum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysii Areopagitæ: misit nuntios suos ad Henricum Imperatorem cum litteris suis, ut diem elevationis illius Corporis protelaret, quo usque per certos nuntios utrum Corpus Hyeromartyris Dionysii Areopagitæ Athenarum Archiepiscopi, discipuli Pauli, Apostoli in Francia, in Ecclesia, quam Dagobertus fundaverat, esset, vel non, plenissimè certificaretur. Quo audito, Imperator misit viros magnos, & sapientes in Franciam, ut plenè rei veritatem agnoscerent. Visis nuntiis Imperatoriis, Henricus Rex convocavit Archiepiscopos, Episcopos, & Barones totius Regni, & cum Odone charissimo fratre suo ad Ecclesiam Beatissimi Martyrio Dionysii misit. Facta autem oratione, allata sunt tria vasa argentea S. Dionysii, S. Rustici, & S. Eleutherii coram omni populo diligentissimè sigillata, & aperto vase, totum Corpus Beati Dionysii cum capite inventum est, exceptis duobus ossibus de colo, quæ sunt in Ecclesia Vergiacensi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa III. secum ad Romanam portavit Ecclesiam, & posuit in Ecclesia, quæ hodie schola Græcorum vocatur: hoc videntes universi populi, cum lachrymis, & suspiriis puras mentes levantes ad Dominum, Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & sanctis Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc nuntii, qui missi fuerant, ad Imperatorem citissimè revertentes, super his, quæ viderant, & audierant, Imperatorem plenissimè certificaverunt. Hoc fuit factum tempore Leonis IX. Papæ (cujus confictas esse litteras, quibus Monachi Ratisponenses nituntur, ex hoc satis apparet) anno Domini 1050.

Hæc de illo conventu Rigordus, quem conventum vocat Doubletius Monachus San-Dionysianus Concilium universale totius Regni Galliæ celeberrimum, in historia Chronologica pro veritate S. Dionysii Areopagitæ Apostoli Galliarum, ac primi Parisiorum Episcopi. Ubi & ex antiquis membranis plura miracula refert, quæ tunc acciderunt, in quorum memoriam quotannis Junii nona die, festum ibidem celebrari, dictum, detectio corporis B. Dionysii testatur.

Referato cum magna difficultate argenteo scrinio adhuc prisca subtilitate munito, repertoque ibidem Beatissimi Areopagitæ Dionysii Corpore Pretioso; consumpto præ nimia vetustate à Galliæ Regi Christianissimo Dagoberto dato involuto, mox qui aderant, tanta suavissimi odoris fragrantia sunt perfusi, quo omnia pigmentorum genera superante, & experta Domini pietate, cum laudibus efferebant magnalia Dei. Tunc sacrosancto corpore à Prælatis, & Abbate Hugone in pallio ditissimo ad hoc à Rege Christianissimo Henrico collato devotissimè involuto, delatoque cum processione solemni, tamdiu super principale altare continuis diebus quindenis ad majorem rei memoriam est demissum, donec litteris primi erroris, & subsecutæ veritatis indicibus intromissis, loco suo priori honorabiliter fuit restitutum. Sed & Odo frater Regis Henrici dilectus ab eo à principio præsens interfuit, etiam ipse

A Rex inclytus eodem die nudis pedibus venire gratum duxit, ibique pro munere magni pretii pallium obtulit.

Nec prætereundum videtur silentio, licèt annonam, & vinum videamus, ut plurimum esse cariora, hoc tempore, totque in hoc festo cum utriusque sexus convenissent millia, quorum mercatores sua lucra cumulari putarent frequentia, merito tamen, & suffragio Beati Dionysii consuetudo suarum jura virium sic mutavit, quod ex improviso in tritico, vino, & hordeo major, quàm antea fuerat, pretii vilitas supervenit. Quidam quoque energumenus degens apud monasterium Columbense, qui stridens dentibus illos, quos attrectare poterat, dilaceraret morsibus, ac pedibus conculcaret, ipso die, quo Gaufridus Ab- B bas ejusdem Cœnobii particulam vetusti pallii, in qua Beatissimi Dionysii Corpus fuerat involutum, ad illud monasterium cum honore detulit; perfectè sanatus, tunc primum se in Christum credere recognovit.

CONTROVERSIA.

Cæterum de S. Dionysio tres potissimum agitantur controversiæ, quas hic breviter perstringere lectori ingratum non fore arbitratus sum. 1. est, an S. Dionysius primus Parisiorum Episcopus sit ille Areopagita, qui paulo concionanti Athe- C nis in ipso senatu adhæsit act. 9. secunda est, an libri, qui ejus nomine circumferuntur, genuinus sint illius partus. 3. an libri illi valde præstent, & excellant. *De D. Dionysio tria controvertuntur.*

Quoad primum attinet. Gregorius Turonensis Dionysium Parisiorum primum antistitem refert ad Imperatoris Decii tempora, cujus primus Imperii annis fuit 253. ideoque alium ab Areopagita Pauli discipulo statuit, atque hæc opinio quibusdam ansa fuit ad auferendam hanc Galliæ gloriam, quam ex Apostolatu tanti viri sibi vendicat. Sed unius Turonensis authoritas parvi est ponderis, si conferatur ad multo majorem numerum, seu Imperatorum, & Regum, seu summorum Pontificum, seu gravissimorum, ac antiquorum scriptorum, qui à sententia illius abeunt, quales sunt D inter Orientales Michael Syngelus, Metraphrastes, Methodius, & inter Occidentales Hilduinus, & Hincmarus, qui ex vetustissimis membranis Dionysium Areopagitam à sancto Clemente summo Pontifice in Galliam directum Parisios venisse, divina nempe vocatione eum urgente, vastationem Athenarum deserere, uberioris in Gallia messis animarum colligendæ causa. Sed & improbabile est tanto tempore Galliam, in qua vigebat ab initio prædicationis Apostolicæ Christianismus, Episcopo caruisse, cum adjacentes provinciæ Episcopos suos jam plures numerarent. Quid, quod est hæc traditio omnium sæculorum, cui quotiescumque aliqui obluctati sunt, statim à pluribus impugnati sunt, qui majori authoritate, & rationum pondere eam eo fortius stabilierunt, quo vehementius concussa vide- E batur. Unde tot prodierunt de hoc argumento scripta, maximè in hoc sæculo, in quo quidam Aristarchi tanto honore Patriam suam privare annisi sunt, contra torrentem nitentes, ac templum Dei fumo obnubilare molientes. Porro inter eos, qui Dionysio Areopagitæ adversati sunt, invenimus Abailardum, qui cum Monachus esset in regali Monasterio D. Dionysii in Francia, ut vocant, ausus est lapidem hunc movere, propter quamdam authoritatem venerabilis Bedæ acta Apostolorum interpretantis (licet ibi tantum asserat Areopagitam Dionysium fuisse Episcopum Corinthiorum) quare odium omnium incurrit, atque ab Abbate ejectus est è Monasterio, cujus gloriam, sicut & totius Galliæ offendebat. Feruntur quoq; Canonici Illustris Ecclesiæ Parisiensis lite contendisse in parlemento Parisiensi *Abailardus monit. quæstionè de D. Dionysio.*

cum iisdem Monachis San Dionysianis, apud quos esset corpus Dionysii Areopagitæ, ac arrestum extitisse, quo dictum est Monachos San Dionysianos possidere corpus Areopagitæ: Canonicos corpus Dionysii Corinthiorum Episcopi. Refert Advocatus Pasquierius in Disquisitionibus Galliæ. Sed quod magis ægrè tolerari potest, est, quod etiam nostro sæculo quidam ex iis, qui peculiari ratione obstricti videntur Divo Dionysio Areopagitæ, ut à quo primi eorum Patres Spiritum Apostolicum videntur obtinuisse ad prædicandum in omnem terram Euangelium, negaverunt Areopagitam esse Apostolum Franciæ.

P. Sirmondus.

Quoad secundam controversiam attinet, à pluribus sæculis non defuerunt, qui opera, quæ authorem ferunt Divum Dionysium Areopagitam illius esse germanum opus negaverunt. Nam Photius in initio suæ Bibliothecæ, Theodoretum Presbyterum librum scripsisse ait, in quo solvit quatuor potissimum argumenta eorum, qui partem negantem substinebant. Primum erat, quod Patres, qui sequuti sunt, ex iis testimonia non citent. Secundum, quod Eusebius Pamphili enumerans Sanctorum Patrum scripta, nullam mentionem faciat Divi Dionysii. Tertium est, quod ceremoniæ sacræ, quæ per incrementa diuturni temporis creverunt, in his operibus explicentur, cùm nondum institutæ essent. Quartum, quod cùm tempore Apostolorum fuerit Divus Dionysius, laudet tamen Ignatium Martyrem, ac Epistolam, quæ paulò ante mortem ab eo scripta erat Trajani tempore. Quia verò Photius, quid ad ista responderit Theodoretus Presbyter, non commemorat, & eadem argumenta inculcantur ab hæreticis, Andreas Scotus Photii interpres eorum dat solutionem. Ad 1. negat Divum Dionysium non citari à sanctis Patribus, cùm laudetur à Cyrillo Alexandrino, Origene, Divo Joanne Chrysostomo, Damasceno, & aliis plerisque, imò etiam à Conciliis universalibus. Ad 2. Eusebius Pamphili suspectus de Arrianismo, silet de Divo Dionysio, quia vel illius solius authoritate Arrii hæresim jugulari videbat. Ad 3. respondet sacras ceremonias à tempore Apostolorum exortas, ac veluti per manus traditas in Ecclesiam promanasse, quod docent copiosè Franciscus Turrianus, ac Baronius tom. 1. annal. de Essenis agens. Ad 4. mirum videri non debere, si Divus Dionysius Ignatii Martyris citet Epistolam, cùm ad hæc usque tempora pervenerit. Divina nempe Providentia satagente, fecit, ut longam vitam viverent primi Antistites ab Apostolis constituti, ut quæ ab iis didicissent, efficacius testarentur contra novitatis avidos, quod observat idem Baronius ad annum Christi 76. & ad annum 109. Sed veritas horum operum non innititur soli contrariarum improbabilitati rationum, verum etiam solidè probatur, quod si essent opera illa ab alio exarata, quàm ab Areopagita, à quodam Dionysio posteriori Alexandrino, aut Corinthio, ut vult Scaliger, Author horum operum esset mendacissimus, & verus impostor, cùm in iis asserat se habuisse præceptorem Divum Paulum, de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. part. 1. Item cap. 3. de Divinis nominibus, ait se interfuisse cum cœtu Apostolorum, ac expressè cum Petro, & Jacobo ad contuendum corpus beatæ Virginis. Scribit Epistolam ad Polycarpum, aliam ad Titum, aliam ad Sanctum Joannem in Pathmos insula exulem, narratque in ea sibi revelatum esse ejus reditum in Asiam. Scribens ad Apollophanem, eum commonet ecclipsis, quam simul viderant in Ægypto tempore passionis. Hæc, & alia scribit author illorum operum, quæ meræ imposturæ essent, si alius esset, ac posterior tempore Apostolorum. At Authorem librorum, in quibus tanta scientia reconditur imponere, tàm fœdè voluisse, quis credat? Sed in Conciliis sæpè afferuntur testimonia ex his libris sub nomine Divi Dionysii Areopagitæ, nec quisquam reclamavit unquam. Denique miraculis id probatum est, cùm ex

Defenduntur libri D. Dionysii Areopag.

A Græcia in Galliam missi sunt hi libri, tanquam veri Dionysii Areopagitæ.

Quoad tertium caput, mirum est, quanta fuerit Lutheri impudentia in elevandis istis libris, quorum authoritate videbat labefactari, quæ falsò asserebat, & contra Ecclesiæ fidem de libero arbitrio, de peccato originali, de Ecclesiastica Hierarchia, ac Primatu Divi Petri, de fide, & operibus, de Confirmatione, de sacramento, & sacrificio Eucharistiæ, de vita Monastica, de Festis, ac jejuniis, de usu imaginum in templo, de Angelorum invocatione, de reliquiis, & aliis quibusdam, quæ in iis apertissimè asseruntur contra hæreses, quæ ab eo disseminabantur. Hinc homo Apostata in captivitatis Babylonicæ libro scripsit: Mihi B verò displicet tantùm tribui Dionysio, in quo nihil est solidæ eruditionis. Nam ea, quæ in cœlesti Hierarchia comminiscitur, qua rogo authoritate, aut ratione probat? perniciosissimus ibi est plus Platonizans, quàm Christianizans. Ita in Ecclesiastica Hierarchia quid facit, nisi quod ritus quosdam Ecclesiasticos describit, ludens allegoriis, quas non probat? mihi non fuerit operosum meliorem Hierarchiam conscribere, quàm sit Dionysii.

Sed huic stulto respondet juxta stultitiam suam acer, & eloquens Povellus in eo libro, quem ante centum annos in Anglia sua scripsit, ac prænotavit: *Propugnaculum Summi Sacerdotii Euangelici*, &c. Verba ejus, quamvis pluscula attexere hìc non pigebit, quod vix extent authoris codices. Nam præcitatis Lutheri verbis subjungit. Parum arbitratus, Luthere, C Paulum Dionysii præceptorem maledictis ferire: nisi etiam in discipulum contumeliis, & probris debacchareris, & fureris. Sed avibus, Luthere, nequaquam bonis es rem auspicatus, ut ex conviciis in divos tibi laudem aucupari sperares. An fortè confidis, quod in Herculem Cacus, aut Cornix in Aquilam aliquando epicinia canet? stultè ergo in illos ferox insurgis: quibus, sicut nec nocere queas, ita illis convitiando non poteris divinam iram non maximè in te provocare. Sed nunquid, Luthere, ideò Dionysius Platonizat alicubi: quia tu Vuiclefizas ubique; qui non Platonem, verum Platonem tibi nunc in monitorem delegeris? Neque enim ob id Dionysius, Luthere, est perniciosissimus, quia tu evasisti schismaticus, & hæreticus perditissimus. An fortè de Angelis, de Ecclesiæ sacramentis, idcircò Dionysius perniciosè scribit: D quia hæretico capiti tuo ipse lapidem elisit? ventum enim feris, & umbram flagellas, Luthere: dum probris tuis, quæ pectoris tui atrocitatem indicant, Dionysii candorem posse denigrari fiducia duceris: Immo ubi Dionysii famam verborum maledicentia labefactare magis studes: Ibi celebri præconio eum vel invitus efters, & laude attollis majori. Quoniam tunc proculdubio Catholicus laudatur optimè, cùm ab hæretico pessimè inculpatur. Quandoquidem non possunt mali bonos, scelerati pios, hæretici Catholicos non plurimum odire. At mihi, inquis, non fuit operosum meliorem Hierarchiam scribere, quàm sit Dionysii; acres, Luthere, tibi addit stimulos vana cupido gloriæ, qui tumentibus, ac magnis buccis hic propriam gloriam in altum tonas: Cuculus E in cantu se ausus præferre Lusciniæ. Mihi, inquis, non fuit operosum meliorem Hierarchiam scribere, quàm sit Dionysii: O hominem inflatum, & turpidum, atque ipso quoque Lucifero superiorem, qui ultro tibi ipsi confusionem accersis! Nam cùm de cœlesti Hierarchia, sicut nec de sacramentis, nihil Dionysius aliquando scripserit, quod ex Divo Paulo, ad tertium usque cœlum rapto, ipse prius non dixerat, te Trasonem nihil pudet ostentando jactitasse: facilè tibi fore, meliorem Hierarchiam docere, quàm sit Dionysii, atque arrogare tibi posse Atheniensem Areopogitam Pauli discipulum, in hoc negotio instruere: cùm prodigiosa res sit, & incredibile profectò monstri genus; ut sus minervam do-

doceat, Idiota doctum, Sophista Philosophum, Lutherus Dionysium erudiat: præsertim in re tàm ardua, qualis est notitia Hierarchica, de qua suo loco agemus tecum postea. Sed puto equidem te non de cœlesti Hierarchia, cum qua nullum commercium habes: verùm de Hierarchia infernali, ubi sunt principes, & potestates tenebrarum, quo tu præceps properas, solum locutum fuisse: ut de illis, & non de bonis Angelis aliquando melius esses scripturus, novam de Cacodæmonibus Hierarchiam nobis editurus. Quod si id effeceris: non est, quod multum mirer. Nam cum in dæmonibus, uti divus Dionysius Catholicè simul, & doctissimè nos admonet, tria sint: videlicet phantasia proterviens, veritatem impugnans, quæ tibi, Luthere, non deest: deinde concupiscentia amens, qua ea, quæ sibi obsunt, semper affectant: qualis est hominum tentatio, eorum pœnam graviter accumulans, quo malo nec tu cares: postremo furor intolerabilis per Blasphemiam in Deum, & in Angelos, in sanctos sæviens: quod etiam tu (ut de Hieronymo, de Dionysio, & aliis Divis, quos maledictis persequeris, nunc sileam) etiam in Christi Vicarium, & omnes Catholicos facis. Non est ergo, cur ullo stupore affici debeam: si in iis docueris grandiora. Nam cum in iis dæmonum affectibus laboras maximè: poteris & de illis etiam aliquam Hierarchiam scribere apertissimè. Nec ista nunc continuo dixerim, Luthere, quod velim tibi displicere, par pari referre, aut tibi retaliare convitia, tametsi injustum non fuerit, ut malus nodus malo cuneo findatur, sed ut uno vero, & leviusculo in te jaculato verbo, facilè conjicias; alias; alios quàm graviter offendat falsas, & sulphureas, à te in illos deonerari sententias. Hæc ille in Lutherum.

Sed & universitas scholæ Parisiensis, id est sacra facultas Theologiæ, dum anno 1521. conderet censuram in falsas, & hæreticas Lutheri propositiones, non est passa immunem abire Lutherum in his, quæ de Dionysio contumeliosè scripserat: ubi enim ejus verba retulit adhuc atrociora, quàm quæ à Povello descripta sunt, nam & quæ de Angelis scripsit, somniis simillima dicebat, & in mystica Theologia, quam sic inflant quidam ignorantissimi Theologistæ, ajebat ille, nollem fidelem animum his libris operam dare vel minimam. Christum ibi à Deo non disces, ut, si etiam scias, amittas, expertus loquor, &c. ubi, inquam, hæc retulit facultas, sic censuit de ista contra D. Dionysium Lutheri invectiva: *Hæc propositio est falsa, temerariè, & arroganter asserta, ac viro sancto insigni eruditione claro injuria: quem Damascenus divinum Areopagitam, Pauli discipulum, sacerrimum, & Dei loquentissimum appellat.* Vide hanc censuram in præludiis Concil. Trident, classe 3.

Nec novi quidquam dixit facultas cæterarum magistra tàm benè Dionysium vindicans. Hæc erat mens antiquorum patrum, qui propter scriptorum ejus excellentiam miris laudibus eum sæpe extulerunt. Nam Chrysostomus in ultimo Libro sermonum, ejus scriptorum altitudinem demiratus, totus pene effectus attonitus; Volucrem cœli exclamat. Hinc sancti viri singulari doctrina fulgentes, S. Michael Hierosolymitanus, S. Andreas Cretensis, Dionysius Corinthiorum Episcopus, Methodius, Athanasius, Polycarpus, & universa docta Græcia, miris laudibus effert, Angelum appellat, & cui similis non successerit sacrorum interpretem. Silentio tamen præterire non sinam Joannem Damascenum, qui l. 3. de fide orthodoxa c. 6. ait enim divinus Apostolus, quod *in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: & ejus discipulus deifer, & circa divina plurimus Dionysius Areopagita ait, quod penitus nobis in una suipsius communicavit hypostaseo, &c. quæ refert simul cum integra facultatis censura F. Thomas Illyricus, alius ab Illyrico Lutherano, *in Clypeo Catholicæ Ecclesiæ in Lutheranas hæreses*. Qua de re plura congesta habemus apud eos, qui opera D. Dionysii Latina denuò reddiderunt, vel etiam Gallica lingua expresserunt. Plura scribere animo destinaveram, ac respondere etiam novis quorumdam recentiorum scriptorum argumentis. Nec quædam turba hominum cum gestibus, & indumentis fatuorum mihi demonstrata inter has lites nunc me deterret, *existimabam enim, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.*

An duo Dionysii.

Illud interim monebo obiter, quod objiciunt nonnulli, magno verborum apparatu, ut fictitia reddant, quæ traditione accepta sunt de Episcopatu Parisiensi Dionysii Areopagitæ, si excutias, puram ferè Sophisticem judicabis à loco ignorationis elenchi, redargutionis, ac contradictionis. Magno molimine breviariorum plurium Galliæ Ecclesiarum adstruunt duos Dionysios, Atheniensem unum, quem dicunt Areopagitam, Parisiensem alterum, quem Corinthium dicunt, ac sub Decio missum fuisse ex Gregorio Turonensi scribente l. 1. histor. num. 28. *Sub Decio, & Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, missos fuisse Turonicis Gratianum Episcopum: Arelatensibus Trophimum, &c. Parisiacis Dionysium Episcopum, &c. de his verò B. Dionysius Parisiorum Episcopus diversis pro Christi nomine affectus pœnis præsentem vitam gladio imminente finivit.* Ac quoniam Hilduinus Monachus Sandionysianus in Francia scripsit de Gregorio Turonico, parcendum esse ejus simplicitati, qui multa aliter, quàm se habeant, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis, ac simplicitatis voto literis commendavit, mirum est, quantum eum scriptorem deprimant tanquam literarum planè rudem, ingenio incultissimum, sermone infantissimum, historiæ prophanæ, & Ecclesiasticæ imperitissimum; cujus opus Areopagiticum sit perpetua barbarismorum, solœcismorum, infantiæ, imperitiæ textura, & alia. Sed apage, ista ad controversiæ solutionem superflua. Si concedamus, quod assumunt, an legitimè inferri potest fictitiam esse narrationem de Dionysio Areopagita primo Parisiensi Episcopo? an alter Dionysius nomine, qui in eadem urbe Episcopus, & Martyr fuerit post annos 200. excludit primum Dionysium, quasi non possent diversis sæculis diversi esse Episcopi ejusdem nominis? quæ est hæc syllogizandi ratio? Vidit hoc proculdubio senatus clarissimus Parisiensis in arresto à nobis laudato, nec existimavit duos Dionysios sese invicem consumere, etsi totum cardinem controversiæ in hoc reponant.

AMPLIOR DE D. DIONYSIO controversiæ discussio.

Volumina integra prodierunt de missione Dionysii Areopagitæ, & libris ipsius. Impugnant Bosquetus, Sirmondus Jesuita, Joannes de Launoy Theologus Parisiensis, Morinus Presbyter Oratorii parte 2. de sacris Ordinat. Græcorum, quibus addendi hæretici moderni. Multo plures propugnant, & defendunt.

Excerpta pro D. Dionysio.

1. Argumentum Bosqueti Prætoris Narbonensis est ex M. S. S. parte 2. pag. 68. Vitam, aut potius passionis S. Dionysii acta, Hilduino antiquiora accipe ex fide quinque M. S. S. codd. optimæ notæ. At in his apparet Dionysium minimè fuisse Areopagitam.

Dicitur istis codicibus alios oppositos inveniri, in quibus asseritur D. Dionysium Areopagitam in Gallias venisse Parisios, ac pro fide occubuisse.

2. L. 1. c. 25. pag. 50. in Concilio Lemovicensi Clericus quidam Engolismensis vulgarem de Dionysio opinionem arguit, ac Areopagitam omnino negat. Id olim se vulgi sententiam secutum existimasse fatetur: at Marcelli Martyris vita perlecta, mutasse

tasse sententiam; illic enim Dionysius, & Saturninus Fratres Ægeæ filii Roma à Clemente missi, & Sixto Papa, ac Laurentio hortantibus, Marcellus alter frater secutus in Gallias. Hinc infert D. Dionysium fuisse D. Laurentio, & Sixto synchronum, qui anno Christi 260. Hoc est octavo post Saturnini passionem vixerunt.

Hæc historia arguitur falsitatis, & agnoscit Bosquetus in hac narratione falsa veris esse permixta. Nec Binius acta ista in Concilio Lemovicensi retulit.

Martyrii Fusciani & Victorici acta.

3. Est ex actis S. Martyrum Fusciani, & Victorici inductis 1. p. historiarum suarum l. 4. c. 10. & parte 2. pag. 68. ibi sancti ergo viri Fuscianus, & Victoricus cum duodenario numero sociorum per ordinem glomerati una cum venerabili Dionysio præsule, & art. At illi non nisi in fine tertii sæculi sub Diocletiano, & Maximiano illuxerunt.

Putat Saussajus additum id fuisse in actis de Dionysio, nec notatur, unde acta illa extracta sint.

4. Ex actis S. Juliani Cenomanensis Episcopi l. 1. c. 34. pag. 56. 1. parte. Lethaldus Monachus Epistola ad Avesgandum Cenomanensem Episcopum Julianum Dionysii socium non à Clemente, qui sub Trajano vixit, sed à Sixto, qui Decio Imperatore sedit, missum ait. At scripta est epistola circa annum Christi 1000.

Julianus Cenomanensis.

5. Est ex discordia de tempore, quo in Gallias venerit apud eos, qui Areopagitam dicunt.

Attamen incertitudo temporis, quo res acta sit, non probat actum non esse.

6. Ex Martyrologio Romano veteri dicto, quod Heribertus Rosveidus edidit Antverpiæ ann. 1623. ubi duo Dionysii distinguuntur his verbis. Quinto Nonas (Octobris) Athenis Dionysii Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi, ut Aristides testis est, &c. Et infra. VII. Id. Parisiis Dionysii Episcopi cum sociis suis à Fescennino gladio animadversi.

Negatur fides isti Martyrologio. At quàm multa alia in idem tendunt.

7. Est ex Martyrologio Usuardi, qui floruit tempore Caroli Magni, ubi itidem videre est duos Dionysios distinctos, & Parisiensem distinctum ab Areopagita: illum enim assignat ad diem 9. Octobris, hunc ad diem 3. quid contradictionis?

8. Est ex Joanne Erigena Monacho Scoto in epist. ad Carolum Calvum, quam Latinæ Græcorum Dionysii operum versioni suæ præfixit ad Hilduini novam tunc sententiam de unico Dionysio alludens, non veterum, sed moderni, hoc est sui temporis hominum assertionem fuisse ait. Hilduini scilicet Abbatis San Dionysiani, qui scripsit Areopagitica in defensionem Dionysii Areopagitæ Parisiensis Episcopi in Græciam prius profectus, ut rei veritatem magis indagaret, ubi cum Græci suppetias à Gallis sperarent, ultro Monachis, penes quos maxima Galliæ pars rerum erat, suo Dionysio tùm primum dignitatem Areopagiticam, & Pauli Apostoli discipulatum affingentibus, applauserunt, & veris, fictisque monimentis auxiliati sunt.

Multis convitiis oneratur propter hoc dictum iste author, sed ad rem non pertinent, cum existimaverit sententiam de uno Dionysio novam fuisse suo tempore, si benè verba ejus expendantur.

9. Argumentum est ex interpontificio inter D. Dionysium, & alios in cathedra Parisiensi successores.

Sed parum solidum est ob persecutiones, quibus afflicta Ecclesia non potuit suos Episcopos manifestos habere.

10. Ex neglecta commemoratione transitus D. Dionysii Areopagitæ è Græcia in Galliam l. 1. p. 49. non primis temporibus fiebant hæ transitiones, ut patet ex can. 1. Concil. Sardicensis.

Sed transitus illius pia, & necessaria causa afferri potest, cum interim plures magni viri Athenis, & in Græcia non deessent, & satis patriæ suæ opitulatus fuisset D. Dionysius.

11. Argumentum duci poterit ex epistola Innocentii Papæ ad Decentium Eugubinum Episcopum, ubi asserit Gallias à sancto Petro, & successoribus ejus Ecclesiarum fundatores, primosque sacerdotes accepisse. Et Patres Concilii Arelatensis sub Leone I. in epistola Synodica ad ipsum Leonem asserit. Omnibus enim religionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis civitas missum à B. Petro Apostolo S. Trophimum habere meruit sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei, & religionis infusum. Hinc primatus Arelatensis, & Zosimus Papa scribens universis Galliæ Episcopis (extat apud Sirmondum tom. 1. pag. 42.) decernit vetus privilegium minimè derogandum esse Arelatensi Ecclesiæ, ad quam primum missus est ex Apostolica directione Trophimus summus antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ rivulos fidei acceperunt. Quod confirmant dyptica Ecclesiæ Romanæ 5. Kalendas Januarii, ubi adscribitur natalis dies S. Trophimi, cujus meminit D. Paulus 2 ad Timot. 4. & additur, ex cujus prædicationis fonte, ut sanctus Zosimus Papa scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit. Quod confirmat Petrus venerabilis adversus Petro-brusianos, Nunquid apud Arelatem, quam necdum vester sordidus error infecit, Pauli Apostoli Discipulus Trophimus, de cujus fonte, ut Papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei rivulos acceperunt, semper in campo, aut in foro prædicavit? At ista non nocent missione D. Dionysii. Trophimus fuerit fons primus Euangelii in Gallia, at non unicus. Ex vita Reguli M. S. refert Saxius in Pontif. Arelatensi Trophimum Arelate successorem habuisse Dionysium, ubi sedem aliquandiu fixit: ubi verso in terram Martis templo dæmones in hæc verba exclamare compulit: Paulus servus Christi usque Illyricum nos persecutus est, & per mare liberati huc venimus. Ab alio Paulo Græco hic catenis ferreis ligati sumus. Quàm aptè nominat Dionysium ipse Dæmon! scripta ejus non ignorabat. Quid tandem? muneribus Pontificiis Arelate absolutis, substituto Regulo in successorem, Lutetiam venit.

12. Objicitur 1. Severi auctoritas, qui trans Alpes Religionem Dei serò susceptam, & proinde martyria primum visa sub Aureliano Antonini filio perfunctoriè dicit.

Cui opponitur 1. Clemens multo antiquior, qui Epist. ad Corinth. 1. Paulum ad Occidentis terminos penetrasse testatur. Et Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini, Missionem Doctorum in Gallias ipsas apertè docet.

Opponitur 2. Justinus Martyr sub annum 140. clarus, qui graviter, atque asseveranter in Dialogo cum Triphone Judæo apud Ephesum agens sic loquitur; Sunt gentes quædam, ubi nondum vestri generis quisquam habitavit. Atqui ne unum quidem genus est mortalium, sive Barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque appellatur nomine, &c. inter quos per nomen Crucifixi Jesu, supplicationes, & gratiarum actiones Patri, & fabricatori omnium non fiant. Cujus authoris ratiocinatio revera fortissimè concludit. 1. quod asseverantius dici non possit, per nationes omnes disseminatam esse fidem. 2. Quod adversus Judæum nihil colligeretur, si concessa Judæorum dilatatione per omnem prope orbem, & affirmata majore adhuc diffusione Christianorum, excipienda tamen esset nobilissima Romanorum provincia, qualem Galliam fuisse neget quis? 3. Nititur maximè illa ratiocinatio divinæ auctoritati, apud Marcum quidem, qui cum Euan-

Euangelium Romæ scriberet, Galliam nobilissimam partem Imperii sine dubio comprehendit his verbis, prædicaverunt ubique, cap. 16. apud Paulum verò ad Rom. cap. 10. Nunquid non audierunt, & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? Quod est argumentum Justini, vult enim à Judæis nullam excusationem obtendi posse suæ infidelitati, qui Verbum Dei audierunt certè, cùm & ipsæ omnes nationes audierint; secundum quem sensum S. Thom. in eumdem locum ad Roman. ait: Nulla enim ratio esset auferendi excusationem infidelibus per hoc, quod in futurum erant audituri: per hoc tamen non habetur, quod ad singulos homines fama prædicationis apostolicæ pervenerit, licèt pervenerit ad omnes gentes, & Chrysost. & Euseb lib. 2. Eccles. hist. cap. 3. & Theophilactus in eadem sunt sententia. Quamobrem desinant tergiversari, qui adversantur & clam effugere, qui cum luce congredi non possunt.

Opponitur 3. Eusebius, qui lib. 3. demonstrationis Euangelicæ cap. 5. testatur Apostolos ad Britannicas usque insulas Euangelii facem protulisse. Theodoret. verò lib. 9. de Græcarum affectionum curatione, piscatorem, & sutorem Petrum, & Paulum intelligens, expressè docet in Britanniam, omnesque populos Romano Imperio subjectos Euangelium invexisse. Unde optimè fulcitur Anglorum traditio de adventu Josephi ab Arimathæa, & aliorum Euangelii præconum primo sæculo. Quod etiam confirmat Freculphus, cùm ait Chron. tom. 2. lib. cap. 4. Hic (Philippus) Gallis prædicat Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem, fideique portum deducit. Quæ sunt verba Isidori lib. de vita, & morte Sanct. cap. 74. ubi præter Galliam vides Britanniam tumenti junctam Oceano fide illustratam ab Apostolo: & in Græcorum Menologio 15. die Martii, ponitur Aristobulus Episcopus Britanniæ frater B. Barnabæ Apostoli, qui, Ecclesia instituta, ibidem Martyrium fecit. Et in diplomate Regis Henrici secundi, Glascoviensi Monasterio, mentio fit Ecclesiæ à discipulis Domini ædificatæ; quod ex privilegiis multorum retro principum confirmat, & continetur in hist. Eccles. Harpsfeldii sæculo 1. cap. 2. Itaque princeps histor. Eccles. Eusebius, traditio, authores Græci, & Latini Britanniam fuisse lumine fidei illustratam, cùm docet, quis non videat, quam meritò Galliam ab Apostolis non esse omissam intelligimus? quam immeritò adversarii & sine authore negant? Pluribus aliis supersedeo.

13. Objicitur authoritas Gregorii Turonensis lib. 1. Hist. Francorum cap. 30 Parcendum, ait Hilduinus, simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis Episcopi, qui multa aliter, quàm severitas habeat, non calliditatis astu, sed benignitatis, ac simplicitatis voto, litteris commendavit. Deinde refellimus authoritatem illam, primo ostendendo vitiosam esse historiam, unde illa sumpsit, Saturninum, Gratianum, Trophimum, Paulum, Dionysium, Stremonium, & Martialem sub Decio, & Grato Consulibus missos fuisse in Galliam. Et certè si vel in uno Episcopo veram non esse constat narrationem; nihil erit, cur in reliquis impetrare fidem mereatur, errore nimirum deprehenso non in aliqua circumstantia, sed in ipsa rei narrata substantia. Quid igitur, si penè in omnibus erronea sit? At verò ea fide, ac certitudine testimoniorum, qua majorem in historia nemo obtineat, ostendimus Paulum Narbonensem creatum Episcopum ab Apostolis, Trophimum ab Apostolo Paulo, Martialem à Petro, contra quam Greg. dicat. Et sanè litteræ Cypriani ad Stephanum Papam ita perspicuè manifestant antiquitatem Arelatensis Ecclesiæ, ut quamquam illarum authoritas sit à nobis allata, ne attingere quidem eam sit ausus, qui nobis adversatur. Hæc autem Epistola vulgata etiam habetur in antiquissimo Codice manuscripto Bibliothecæ Corbejensis. Ad hæc de

A Saturnino aliud memorari testatur ipse Gregorius, missum videlicet ab Apostolorum discipulis. Et verò in antiquissimis actis Dionysii ejusdem Corbejensis Bibliothecæ confirmatur hæc veritas; ex quibus universis quid aliud elicitur, quàm testimonium præfatæ historiæ de quatuor Episcopis falsitatis convictum, de reliquis tribus nihil certi continere, neque esse dignum, cui fides habeatur?

Refellimus 2. Gregorianam historiam Irenæi authoritate, qui mentionem facit Ecclesiarum in Celtis, Germania, & Hispania institutarum. Irenæus autem circa annum 186. Ecclesiam Lugdunensem administrabat. Dicunt, ut effugiant adversarii, Irenæum non alias laudasse Ecclesias, quàm quas vel ipse nuper, vel ejus decessor Photinus Lugduni, vicinisque in locis, B Severo teste, fundaverat. Ita Dissertator. Ubinam verò testatur Severus Ecclesias à Photino, vel Irenæo vicinis Lugduno locis esse fundatas? eam rem sanè inauditam probare debuerat, & locum authoris, si fieri potuisset, notare. At quod non est, sciri non potest. Severum legimus, & neque scriptum ab eo aliquid ejusmodi, neque aliud, unde colligi posset, ne vestigio quidem deprehendimus. Loquebatur porrò Irenæus de traditionibus Ecclesiarum, prout ex toto contextu patet, non autem Lugdunensis unius, sed plurium inter Gallias, Germanias, & Hispanias continuè ab Apostolis, eorumve discipulis, ut particulatim vidimus, erectarum. Hic enim scribit lib. 1. cap. 2. Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines C terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, &c. & seq. cap. hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una, & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ, Ecclesiæ, aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed, sicut Sol creatura Dei in D universo mundo unus, & idem est, sic & lumen, & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Hæc Irenæus. Unde apparet & vetus Ecclesiarum traditio, & fidei per Germaniam, Hispaniam, Galliamque susceptio jam inde ab Apostolis.

Atque hoc testimonium Irenæi Tertullianus non parum fulsit, cùm circa 200. annum, 50. annis antequam venissent ii septem Episcopi juxta Gregorium diversas Gallicorum nationes Christianam religionem amplexas docet lib. contra Judæos cap. 7. In quem alium universæ gentes crediderunt (inquit intelligentissimus ille author) nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pon- E tum, & Asiam, & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & regionem Aphricæ, quæ est trans Cyrenem inhabitantes, Romani, & incolæ, tunc & in Jerusalem Judæi, & cæteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita (hic iterum notent Religionem non tantùm prædicatam, verum etiam susceptam dici) & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus? hæc Tertullianus.

Quod

Quod si diversæ nationes Galliarum fidem recepe- A runt Pontifice Romano Christi Domini regnum procurante, quis adeò tardus, qui non statim Narbonem, non Arelatem, aliasque primarias Gallorum urbes cogitet, quibus pietas, & fides Romana prospexerit? Maximè cùm eam curam Apostolicorum virorum fuisse manifestum sit, ut ad principes urbes, & capita nationum contenderet, trophæum Religionis nostræ, tamquam summis arcibus victæ infidelitatis, deportaturi: prout ex Paulo Diacono in responsione ad cap. 1. probatum est. Et manifestè dictum legitur à Clemente Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini: In illis Civitatibus, in quibus apud Ethnicos Archiflamines eorum, atque primi legis doctores erant, Episcoporum primates poni, vel Patriarchas ordinavit (inquit) & paulò post, prohibuisse Petrum dicit, ne Episcopi in B villis instituerentur, ne vilescerent. Unde clarum est majori quadam cura principibus nationum urbibus fuisse consultum. Denique absurdissimam videtur necessariò admittere, amplectique opinionem, qui dixerit, ad extrema Orbis Scythiam, Britanniam, Indiam delatum esse fidei lumen, & minimè ad portas Italiæ, ad alteram penè Italiam, ad clarissimas Galliarum urbes.

Refellimus 3. tàm Gregorii, quàm Sulpitii sententiam Orosii textu, non eo tantùm, quem primo capite attulimus, ubi persecutionem Neronianam fuisse per omnes Imperii Romani provincias inflammatam expresse docet: sed aliis pluribus. Et quidem libro 7. ubi de templo Jerosolymitano loquitur cap. 9. Ecclesia Dei jam per totum Orbem uberrimè germinante, hoc C (templum scilicet) tamquam effetum, & vacuum, nullique usui bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit. Et cùm cap. 10. de Domitiano agit Imperii administrationem capiente: Ad hoc paulatim (ait) per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Ecclesiam datis ubique crudelissimè persecutionis edictis convellere auderet. Denique de quinta persecutione sic loquitur cap. 5. persecutiones Christianorum, quarta post Neronem vice, in Asia, & in Gallia graves, præcepto ejus extiterunt (Marci Aurelii nimirum) multique Sanctorum martyrio coronati sunt. Hic itaque, cùm Orosius Galliam cum Asia jungat, & in Asia singulæ persecutiones detonuerint, quid sequitur evidentius, quàm & in Gallia easdem singulas paribus flagrasse incendiis? D

Obstrepit nobis traditione totius Ecclesiæ Gallicanæ, quam ex Martyrologiis probavi, contendit. Sed

Refutamus 1. primo negando ullam esse traditionem Galliæ de duobus Dionysiis, quam neque in aliquo Scriptore, neque in ullius Dionysii actis, aut ullis ullius Ecclesiæ tabulis, sed nec in Martyrologiis ostendere unquam potuerunt adversarii, quare aut invisibilem aliquam Gallicanam Ecclesiam probent, unde hæc numquam visa, numquam audita depromi fingunt argumenta, aut aliquid afferant, quod videri possit, solidius, & ad fidem faciendam efficacius, quàm vana ejusmodi verba.

Refutamus 2. explicando commodissimè Martyrologia nonnulla, quæ bis de Dionysio Parisiensi, seu Atheniensi mentionem faciunt; & neque appositionem E loci Athenarum, neque vocem Natalis, neque aliam ullam circumstantiam officere nobis magna exemplorum copia luculentissimè comprobando.

Refutamus 3. ex antiquissimis Martyrologiis, sive publicatis, ut est Ephemeris Bedæ, vel Rabani, vel Romanum, sive ex plurimis antiquis manuscriptis, quorum textum attulimus, ubi unius tantùm Dionysii mentio reperitur. Quod Usuardus ipse advertens, cùm omnes Dionysios, aliosque sanctos appositione locorum, in quibus mortem oppetivere, distinxisset, Dionysium Areopagitam nulla loci mentione facta signavit, ne illum à Parisiensi distinguere voluisse videretur, ut fusè ostendimus.

Refutamus 4. ex iisdem Bedæ, Rabani, & Romano, multisque manuscriptis Martyrologiis, item ex iis, quibus utitur Ecclesia Autissiodorensis, & pariter Ambianensis, & S. Joannis Ambianens. Monasterium, & Ecclesia Augustonensis ipso uno adversariorum referente, ubi expresse à Clemente missus Dionysius dicitur.

Refutamus 5. ex aliis nempe Notkeri, Adonis, Rosuveydi, & ipsius Bedæ Martyrologiis, ubi docetur passum esse sub Adriano Dionysium; ex quo necessarium sit inferri eum, non Athenis fidei certamen consummasse, ubi tùm Quadratus tertius, sive quartus Athenarum Episcopus præsidebat.

Refutamus 6. manifestissima authoritate Episcoporum Galliæ, qui ante Hilduinum scribentes disertè docuerunt, traditione antiquissima retineri, demandatum fuisse Dionysium à Pontifice Clemente in Galliam. Nam ad quos pertinere potuit cognitio traditionum Ecclesiæ Gallicanæ, nisi ad Episcopos Galliæ? Hesterni, & privati reclament hìc toto capite, clamorem audire Gallia poterit, non dedoceri.

15. Novam Hilduini, & Sectatorum ejus opinionem explodit. Quod, ut facilè faciat, authoritatem ejus inter fabularum narrationes indignè abjicit. Citius quis, ait Morinus par. 2. de sacris ordin. Augiæ cloacas repurgabit, quam breve Hilduini opusculum emaculabit.

Respondemus 1. postulari falsitatis, & imposturæ Hilduinum, & ab accusatore ipso damnari; tametsi ipsi nulla possit ejus falsitas, fraus nulla aut deprehendi, aut probari. Ita de Hincmaro, de Anastasio, de Paschasio, de Ænea, viris, quidquid adversarii judicent, clarissimis, non ex æquitate judicatum esse relinquitur.

Respondemus 2. cùm Hilduini, & Sectatorum ejus exploditur opinio, explodi pariter Ecclesiæ Romanæ opinionem manifestissimè, ut ostendimus, pro Hilduino stantem, quàm verò id modestum sit, alii arbitrentur.

Respondemus 3. si nova fuit opinio Hilduini, tùm explodendam fuisse, cùm erat nova, nunc autem, cùm inveteravit octo sæculorum diuturnitate, absurdè, & perperam novitatis inuri nota.

Respondemus 4. scripsisse Hilduinum, quæ sequuntur, ad Ludovicum Imperatorem. Quam Epistolam (scilicet Aristarchi, qui, ut prædictum fuit, profectum Romam Dionysium, subrogato Episcopo Athenarum Ecclesiæ narrabat) vestræ dominationi dirigimus; & quisque studiosus apud nos prævalet invenire, &c. Hæc autem scribi ad Imperatorem & pium, & eruditum minimè potuerunt, nisi pius esse desierit: Immo, nisi cœperis videri & esse omnium hominum levissimus, & revera prophanus, qui de excudenda impostura, & fabula cum Hilduino conspiraverit, conspirasse quippe necesse est, si nihil tale Hilduinus exhibuit, quale ipse memorat, & scribit ad se dissimulantem. In quarum plusquam levitatum suspicionem nondum, opinor, venit, neque in posterum veniet apud amicos æquitatis, & modestiæ vir tantus, ac tàm clarus, piusque Imperator.

Respondemus 5. scripsisse Methodium ante Hilduinum, ut probavimus, Sincellum, Metaphrastem eodem sæculo, & eamdem de Dionysio veritatem testatos esse, & traditione, & monimentis veterum, non igitur ex Hilduino. Sed nec in multis consentiunt (licèt in præcipuis nulla sit eorum discrepantia) quod signum est, ne scripta quidem legisse Hilduini, aut alia certè vidisse, quæ sequerentur antiquiora. Denique & docti fuerunt; & Sancti, Doctorum, Sanctorumque post Ecclesiam judicio.

15. Ex eo, quod Dionysius non sit in eorum Catalogo apud Socratem, qui sedem mutaverunt.

Reponimus 1. integrum, & accuratum non fuisse catalogum, ut ex benè multis, qui translati ab una

sede

sede in aliam, nec à Socrate sunt recensiti, fecimus A exploratum.

Reponimus 2. ex eodem Socrate, pro indifferenti quondam fuisse, Antistitem de una sede in aliam transire, quoties expedire videbatur.

Reponimus 3. ex authoritate Eusebii, moris fuisse virorum Apostolicorum, qualis erat Dionysius, longè peregrinari, & subinde mutare sedes, quo verbi divini fructus uberior in universam Ecclesiam redundaret.

Reponimus 4. Dionysium propriè sedem non mutavisse, sed primam reliquisse more Apostolico, quod ex actis illius, & Martyrologiis certò constare ostendimus; unde mirum videri non debeat; si non est repositus in eorum numero, qui de sua sede in aliam commigrarint.

B Objicitur denique librorum Divi Dionysii memoriam non esse antiquam; nec nisi per hæreticos invaluisse primum post ann. 546. Respondetur, antea notos fuisse. Nec verò Acephali hæretici apud Liberatum in Breviario circa ann. 546. scripto citassent pro se, licèt falso, Dionysii Areopagitæ scripta, nisi illa vulgò, & ab antiquo nota fuissent tanquam ipsius. Quæ enim incognitorum authoritas? si qui auctores negarunt libros illos esse Dionysii, statim eorum error ab ævi illius scriptoribus confutati sunt. Cùm duo sint ad dignoscendos scriptores idonea indicia, stylus, & testificatio scriptorum aliorum, utrumque favet nobis. Dicunt se melius nosse characterem Dionysianum discernere, quàm Chrysostomum, Cyrillumque; Græcæ linguæ ignaros fuisse Marsilium Ficinum, Ambrosium Camaldulensem, Perionium, C & tot sæculis priorem Joannem Scotum illum, alium à Dunsio, & Majore, qui quatuor pro Areopagiticis libris, cùm verterent, agnovere. Licuit homuncioni in divinum Dionysium petulanter scribere, cur mihi non liceat pro Divo constanter? ait Delrio disqu. mag. lib. 6. cap. 3. ubi plura.

CONCILIUM RHEMENSE,

Leone Nono Præside, anno Domini 1049. Ex Orderico Vitali lib. 5. Eccles. Hist.

LOquens de Leone Nono in Gallias, Anno Dominicæ Incarnationis 1049. venit in Ecclesiam Sancti Rhemigii Rhemorum Archiepiscopus, Kalen. Octobr. dedicavit & corpus ejus instinctu Hermanni Abbatis in locum, ubi nunc veneratur, gloriosè transtulit. Tunc ibidem generale Concilium tenuit, & inter reliqua Ecclesiæ commoda, quæ instituit, Presbyteris arma ferre, & conjuges habere prohibuit. Exinde consuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre Presbyteri jam gratanter desiere, sed à pellicibus adhuc nolunt abstinere, nec pudicitiæ inhærere. E

CONCILIUM ROTHOMAGENSE,

Sub Joanne Archiepiscopo celebratum, pro rebus fidei, & moribus, tempore Alexandri Secundi, & Philippi Regis Galliarum, anno Domini 1073.

Describitur hoc Concilium his verbis ab Orderico Vitali Anglo, Monacho sancti Ebrulphi, seu cœnobii Uticensis, Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4.

ANno igitur ab Incarnatione Domini 1073. congregatum est Concilium in Metropolitana Rothomagensis urbis sede, in Basilica beatæ, & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, cui Joannes ejusdem urbis Archiepiscopus præerat: Et vestigia Patrum secutus utilitati Ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum suffraganeis suis Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Loberto Sagiensi, Michaele Abringatensi, Gisleberto Ebroicensi.

In primis disputatum est de fide sanctæ, & individuæ Trinitatis, quam secundum statuta sanctorum Conciliorum, scilicet Nicæni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Chalcedonensis Concilii corroboraverunt, sanxerunt, se toto corde credere professi sunt. Post hanc Catholicæ fidei professionem annexa sunt hæc subscripta Catholicæ fidei doctrinæ capitula.

In primis statutum est à nobis, ut secundum statuta Patrum chrismatis, & olei, baptismatis, & unctionis consecratio, competenti hora, idest post nonam; secundum statuta sanctorum Patrum fiat. Hoc etiam debet Episcopus prævidere, ut in ipsa consecratione 12. Sacerdotes Sacerdotalibus vestibus indutos, vel plures secum habeat.

Item in quibusdam Provinciis mos detestabilis inolevit, quod quidam Archidiaconi Pastore carentes ab aliquo Episcopo particulas olei, & chrismatis accipiunt, & ita oleo suo commiscent, quod & damnatum est. Sed unusquisque Archidiaconus chrisma, & oleum suum totum Episcopo, à quo consecrabitur, ut proprio Episcopo præsentet.

D *Nota*. Praxim contrariam huic Canoni usque nunc durare in quibusdam Diœcesibus Normanniæ, utinam non alibi pluribus in locis Emmanuel Sà in Aphorismis, verbo *benedictio*; & quidam alii Casuistæ favent huic praxi. Benedictæ aquæ, aut oleo, si addatur aqua non benedicta, aut oleum, totum fit benedictum. Quidam tamen ajunt semper, quod additur, debere minus esse eo, cui additur, quod ego non puto necessarium. Hæc ille. Atque adeò praxim hanc facilius aliqui tolerant, quod confirmatio non sit absolutè ad salutem necessaria. Veruntamen praxis hæc non caret periculo invalidè aliqua sacramenta administrandi, cùm sint ex institutione Christi, & eorum materia ab opinionibus hominum non pendeat, facileque fieri possit, ut confirmandus ungatur oleo non benedicto, ac consecrato, unde paxim hanc detestabilem vocat hoc Concilium: & meritò corrigi, ac emendari deberet. S. Vincentius Ferreriensis in libro distinct. verbo *aqua benedicta*, censet ipsam aquam benedictam desinere esse benedictam, si major copia aquæ non benedictæ ipsi infundatur, attamen vidi aliquando, re in deliberationem missa, conclusum fuisse, non esse scrupulum injiciendum, si plus olei infundatur non benedicti in parvam Chrismatis copiam, quod solitum est in multis locis; quod magis moraliter, quàm physicè ista sint dijudicanda.

Oleum, & chrisma ne misceätur.

Item Chrismatis, & olei distributio à Decanis summa diligentia, & honestate fiat, ita ut interim, dum distribuerint, albis sint induti; Et talibus vasculis distribuantur, ut nihil inde aliqua negligentia pereat.

Item

Item statutum est, ut nullus missam celebret, qui non communicet.

Item nullus Sacerdos baptizet infantem, nisi jejunus, & stola indutus, & alba, sine necessitate.

Item sunt quidam, qui viaticum, & aquam benedictam ultra octavum diem reservant: quod & damnatum est. Alii verò non habentes hostias consecratas, iterum consecrant; quod terribiliter interdictum est.

Nota de igne. Item donum sancti Spiritus, ut non detur, nisi jejunis, neque ipsa confirmatio absque igne fiat, statutum est. Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris ordinibus Apostolicæ authoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis Papæ, quod non passim diebus omnibus sacri ordines celebrentur, sed post diem Sabbati in ejus noctis exordio, quæ in prima sabbati lucescit, his, qui consecrandi sunt, jejunis à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso dominico die continuato Sabbati jejunia celebrentur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit: quo diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.

Item quatuor temporum observatio competenti tempore, secundum divinam institutionem, communi observantia à nobis servetur, idest prima Hebdomada Martii, secunda Junii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ Nativitatis. Indignum enim valdè est, ut Sanctorum institutio aliquibus occupationibus, vel mundiali solicitudine destruatur.

Item Clerici, qui non electi, nec vocati, aut nesciente Episcopo sacris ordinibus se intromittunt: aliquibus verò Episcopus, ut Diaconibus, manum imponit: alii cæteros ordines non habentes Diacones, aut Presbyteri consecrantur, hi digni sunt depositione.

Item, qui coronas benedictas habuerunt, & reliquerunt usque ad dignam satisfactionem, excommunicentur. Clerici, qui ordinandi sunt, in feria quinta veniant ad Episcopum.

Item Monachi, & Sanctimoniales, qui relictis suis Ecclesiis, per orbem vagantur, alii pro nequitiis suis à Monasteriis expulsi, quos Pastorali auctoritate oportet compellere, ut ad Monasteria sua redeant: Et si expulsos Abbates recipere noluerint, victum eleemosynæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quousque, si vitam suam emendaverint, videantur.

Item emuntur, & venduntur Curæ Pastorales, scilicet Ecclesiæ Parochianæ tàm à laicis, quàm à Clericis, insuper etiam à Monachis, quod, ne amplius fiat, interdictum est. Item nuptiæ non occulto fiant, neque post prandium, sed sponsus, & sponsa jejuni à Sacerdote jejuno in Monasterio benedicantur, & antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur: Et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas inventa fuerit, & si aliquis eorum dimissus fuerit, non conjungatur. Sacerdos, qui contra hoc fecerit, deponatur. De Sacerdotibus, & Levitis, & subdiaconibus, qui feminas sibi usurpaverunt, Concilium Lexoviense observetur, ne Ecclesias per se, neque per suffraganeos regant, nec aliquid de Beneficiis habeant. Archidiaconi, qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere nec concubinam, nec subintroductam mulierem, nec pellicem, sed castè, & juste vivant, & exemplum castitatis, & sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam, ut tales Decani eligantur, qui sciant subditos redarguere, & emendare, quorum vita non sit infamis, sed meritò præferatur subditis.

Item interdictum est, ne aliquis, qui vivente sua uxore calumniatus fuerit; post mortem illius unquam, de qua calumniatus fuit, accipiat. Multa enim mala inde evenerunt, nam plurimi de causa hac suas interfecerunt.

Item nullus, cujus uxor velata fuerit, ipsa vivente, unquam aliam accipiat.

Item, si uxor viri, qui peregre, aut aliàs profectus fuerit, alii viro nupserit: quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

Item statutum est, ne hi, qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissimè in sacris ordinibus restituantur. Si enim lapsis (ut ait Beatus Gregorius) ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum per reversionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc rectum manere oportet, ut in crimine publicè lapsus; ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summa necessitate post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

Item, si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponendum tot Coepiscopos, quot auctoritas: scilicet in Sacerdotis sex, in Diaconi depositione tres, unusquisque, qui adesse non poterit, Vicarium suum cum sua auctoritate transmittat. *Aliquid deest.*

Item statutum est, ut nullus in quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.

Item statutum est, ut in sabbato Paschæ Officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ Resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam, Gloria in excelsis Deo, & alleluja cantatur: quod etiam in Officii initio, cerei scilicet Benedictione monstratur. Narrat liber Officialis, quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sanctam feriam, & sabbatum, in quo recolitur luctus, & mœstitia Apostolorum.

Item si alicujus sancti Festivitas in ipsa die evenerit, in qua celebrari non possit, non ante, sed infra octavum diem celebretur.

Item juxta sanctorum Patrum decreta, scilicet Innocentii Papæ, & Leonis, statuimus, ne generale baptisma, nisi sabbato Paschæ, & Pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis quocumque die petierint, regenerationis Lavacrum non negetur. Vigilia, vel die Epiphaniæ, ut nullus, nisi infirmitate baptizetur, omnino interdicimus.

Huic Concilio consenserunt Joannes Archiepiscopus Rothomagensis Ecclesiæ, Odo Bajocensium Episcopus, Michael Abrincatensis Episcopus, Gislebertus Ebroicensis, & quamplures etiam venerabiles Abbates, quibus eo tempore Cœnobia Normanniæ nobiliter pollebant, & monachicum rigorem servabant.

CONCILIUM

apud ILLEBONAM,

Sub Guillielmo Cadomensi Archiepiscopo Rothomagensi, pro moribus, & disciplina celebratum tempore Gregorii septimi, & Philippi primi Regis Galliarum, anno Domini 1080.

Hoc Concilium celebratum apud Illebonam, ait Matthæus Paris in vita Guillielmi secundi, anno Domini 1081. *sed Ordericus refert ad annum præcedentem* 1080. *lib.* 5. *Ecclesiasticæ Historiæ, ejusque decreta sic narrat.*

ANno ab Incarnatione Domini 1080. Rex Guillielmus in Festo Pentecostes apud Illebonam resedit, ibique Guillielmum Archiepiscopum, & omnes Episcopos, & Abbates, Comitesque, cum aliis Proceribus Normanniæ simul adesse præcepit. Ut Rex jussit, factum est. Igitur octavo anno Papatus Domini Gregorii Papæ Septimi, celebre Concilium apud Illebonam celebratum est, & de statu Ecclesiæ Dei, totius-

tiusque regni providentia Regis cum Baronum suorum consilio utiliter tractatum est. Statuta verò Concilii, sicut ab his, qui interfuerunt, veraciter annotata sunt, volo hic inserere, ut posteri discant, quales in Normannia leges fuerunt sub Guillielmo Rege. A

PAx Dei (quæ vulgo trevia dicitur) sicut ipse Princeps Guillielmus eam in initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas Parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui verò servare contempserint, vel aliquatenus fregerint, Episcopi, secundum quod prius statutum est, eos judicando justitiam facient. Si quis verò Episcopo suo inobediens fuerit, Domino, in cujus terra habitat, Episcopus hoc demonstret, & ille subdat eum Episcopali justitiæ. B Quod si & Dominus facere contempserit, Regis Vice-Comes per Episcopum inde requisitus, omni remota excusatione, faciat.

DE his, qui de parentela sua uxores tenent, vel uxores parentum suorum, Episcopi Canonicam justitiam exequantur. Rex enim inde nullum sustinet, vel tuetur, sed potius Episcopos adjuvando admonet, ut lex Dei firmiter teneatur. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & omnes Canonici, & Decani nullam omnino feminam habeant. Quod si aliquis post eamdem culpam visus fuerit incurrisse, si per ministros Episcopi inde prior fuerit accusatus, in Curia Episcopi se purgabit. Si verò Parochianorum, vel dominorum suorum aliquis eum prius accusaverit, habeat C accusatus inducias, ut cum Episcopo possit loqui: Et si se purgare voluerit, in eadem Parochia, cui servit, præsentibus Parochianis pluribus ante Episcopi ministros, & eorum judicio se purgabit. Si verò purgare se non potuerit, Ecclesiam perdet irrecuperabiliter. Hoc prædictus Rex statuit, non perenniter Episcopis suis auferendo debitam justitiam, sed quia Episcopi eo tempore minus, quàm convenisset, inde fecerant, donec ipse eorum videns emendationem, eis redderet pro benefacto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commisso.

NUllus laicus in redditibus altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat; nec pecuniam per horum venditionem aliquatenus habeat, D nec Presbyter inde servitium faciat, nisi legationem Domini sui portet. Ita ut in eadem die ad servitium Ecclesiæ revertatur, & ad orationes (per Normanniam solummodo) victum Domini sui habens, si Dominus voluerit, secum vadat: servitium Ecclesiæ Presbyter interim curet.

PResbyteri ab Episcopis, vel ab eorum ministris, præter justos redditus Episcopi, vi, vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

ARchidiaconi per Archidiaconatus suos semel in anno Presbyterorum suffraganeorum suorum vestimenta, & calices, & libros videant: designatis ab E Episcopo in unoquoque Archidiaconatu solummodo tribus locis, ubi vicini Presbyteri ad hæc monstranda convocentur.

QUando Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris, qui conveniunt, triduo, si expedit, victum sibi habeant.

Si Presbyter foris facturam fecerit de forestis Regis, vel Baronum ejus, nullam inde emendationem habebit Episcopus.

PResbyteri semel in anno circa Pentecosten cum processionibus suis ad matrem Ecclesiam veniant, Et de singulis domibus cera denerata, vel idem valens ad illuminandam Ecclesiam altari offeratur. Quod qui facere noluerit, à Presbytero suo per ministerium suum cogatur hoc solvere sine emendatione pecuniæ.

LAicus Presbyterum non det, vel adimat Ecclesiæ, nisi ex consensu Præsulis; quem tamen, si recipiendus est, Episcopus non repellat, & si repellendus est, non retineat.

IN Cemeteriis Ecclesiarum, quæ in civitatibus, vel castellis, vel burgi sunt, quodque Episcopi tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus consensu habuerunt, Episcopi rehabeant.

IN Cœmeteriis verò, quæ in marchis sunt, si guerra fuerit, & aliqui ad habitandum ibi faciant mansionem, dum guerra duraverit, & ipsi propter guerram in atrio manserint: Nullam forisfacturam ab eis Episcopus habebit, nisi quam habuisset, antequam ad atrium confugissent. Cùm autem pax facta fuerit, qui propter guerram illuc confugerant, de atrio exire cogantur, aut Episcopalibus legibus supponantur.

ECclesiæ villarum, quantum Cœmeterii tempore Roberti Comitis habuerunt, vel usque ad illud supra scriptum Concilium habuerunt, tantum habeant: Et in eis illas consuetudines habeant Episcopi, quas tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus consensu habuerunt, nisi Episcopi, concedente Rege Guillielmo, aliquam consuetudinem fecerint.

Si post Concilium aliqua fit nova Ecclesia intra villam, faciat Episcopus cœmeterium consideratione dominorum, & Parochianorum ejusdem Ecclesiæ. Si verò extra villam nova fit Ecclesia, undique habebit quinque perticas Cœmeterii.

Si Monachis donatur Ecclesia, Presbyter, qui eamdem tenet Ecclesiam, honorificè teneat, quidquid de eadem Ecclesia habuit, antequam Monachi eam haberent, & tanto melius, quanto sanctioribus associatur hominibus. Eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, Abbas idoneum Presbyterum quærat, & Episcopo eum per se, vel per nuncium ostendat. Quem, si recipiendus est, Episcopus recipiat. Si verò Presbyter cum Monachis religiosè vivere voluerit: videat, ut Ecclesia, quam Episcopali licentia intravit, honestè tractetur tàm in vestimentis, quàm libris, & cæteris Ecclesiæ serviendæ necessariis secundum ejusdem Ecclesiæ facultatem. Quod si Presbyter cum Monachis vivere voluerit, tantùm det ei Abbas de bonis Ecclesiæ, unde & benè vivere, & Ecclesiæ servitium convenienter valeat Presbyter adimplere. Quod si Abbas facere noluerit, ab Episcopo convenienter cogatur, ut faciat. Presbyter verò Episcopo suo justè subditus sit, & Episcopales redditus persolvat.

QUæ verò superabundant, in usus Monasterii Abbas habeat.

HOc idem in Ecclesiis Canonicorum observetur.

VIolatio Ecclesiæ, & atrii, sicut superius determinatum est, & commissa, pro quibus Officium Divinum remanet, Episcopis per pecuniam emendetur. Assultus in itinere, similiter.

Si quis iratus persequatur alium in atrium, vel Ecclesiam, similiter.

Si laicus arat, vel ædificat in atrio sine licentia Pontificali, similiter.

Si Clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percusserit, aut vulneraverit, aut occiderit: si duellum sine licentia Episcopi susceperit, aut damnum ceperit, aut assultum fecerit, aut aliquid injustè saisierit,

fiérit, aut incendium fecerit, aut manupastus ejus, aut habitator atrii, similiter.

Si Clericus adulterium fecerit, aut incestum, similiter.

Si Presbyter de ministerio suo forisfecerit, similiter.

PResbyteri, qui ad Synodum venire neglexerint, similiter.

ET qui Synodum, & circadam statutis terminis non reddiderit, similiter.

ANNOTATIO.

Synodi, & circadæ. NOmina hæc sunt vectigalium, & exactionum. Synodi enim dicebantur, quod colligerentur, & circadæ, quod circumeundo. Fulbertus epist. 110. *Jubes, inclyte præsul, nos dare tibi circadas, quæ sunt in Episcopio tuo.* Et in privilegio concesso Monasterio sancti Dionysii ab Episcopo Parisiensi dicitur: *Omnes illi, qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis serviunt, sint liberi, & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum, & Synodorum.* Ita refert de la Cerda advers. sacrorum cap. 72. num. 19.

SI Clericus coronam suam dimiserit, similiter.

Si Monachus, vel Monacha, qui sunt sine regula, habitum suum dimiserint, similiter.

Si Presbyteri, præter treviæ Dei infractores, & latrones sine licentia Episcopi excommunicaverint, similiter.

Si erraticum habere (quod vulgò dicitur Vueridif) in curiam Sacerdotis, vel Clerici, qui in atrio manet, venerit, vel in eleemosynam ejusdem Ecclesiæ, vel in atrium Episcopi erit.

Si quid per contentionem in domo Presbyteri, vel Clerici, vel in atrio Sacerdoti, vel Clerico, vel eorum manupasto relictum fuerit, Episcopi erit.

Si quis Presbyterum, aut Monachum, aut Monacham assaillierit, aut percusserit, aut ceperit, aut occiderit, aut domos eorum in atrio incenderit, similiter emendabit. Si quid in Ecclesia, vel in atrio inveniatur, vel relinquatur, Episcopi erit.

Si quis adulterium, vel incestum fecerit, vel cum matrigna, vel cum matre, vel filiola coierit. Si mulier hoc idem fecerit, similiter. Si quis uxorem suam, vel si quæ mulier virum suum sine judicio præsulis requisierit, similiter. Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter. Qui intentum sibi crimen inficians, vel negans ferri judicio convincitur (excepta Dei trevia) similiter. Qui justitiæ resistens excommunicari se patitur, similiter.

PArochianorum crimina Episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum judicio examinentur.

Si contradictio judicationis facta fuerit, ante Episcopum definiatur.

Si ferri judicium fuerit judicatum, ante matrem Ecclesiam terminetur.

CONTROVERSIA.

Purgatio per ferrum candens. PEr judicium ferri hìc intelligitur purgatio per contactum ferri candentis, ex quo, si quis illæsus abiret, innocens habebatur, sin aliter, nocens, & reus. Hæc enim purgatio apud Normannos in usu fuit, ut patet ex facto Rollonis eorum ducis, qui ignis probatione adhibita, auctorem furti explorari jussit, factumque, ut plures rustici absque ulla læsione ferrum attingerent, quod minimè rei essent; ut refert Martinus Delrio disquis. magic. lib. 4. quæst. 4. sect. 3. ex Crantzio. Unde non mirum, si in præsenti Concilio videatur aliquatenus probari hujusmodi purgatio, cùm fieret non auctoritate privata, sed quasi publica. At- A tamen illicitam esse hujusmodi purgationem, quovis modo fiat, rectè ostendit Ivo Carnotensis Epistol. 74. in qua Hildebertum Cœnomanensem Episcopum de proditione Cœnomanicæ urbis apud Regem Angliæ suspectum, ita ut nollet eum immunem aliter habere, nisi igniti ferri examinatione demonstraret innocentiam suam, deterret ab hujusmodi purgatione. *Breviter itaque tibi respondeo*, inquit, *consulens, ut non transgrediaris terminos antiquos, terminos, quos posuerunt patres tui, aliter namque innocentiam defendere est innocentiam perdere*; & post pauca: *inde etiam ita scripsit Alexander Secundus Papa Rainaldo Cumano.* Super causa Gislandi Presbyteri tui de morte Episcopi prædecessoris tui infamati in medium consuluimus, &c. vulgarem denique legem, ac nulla Ca- B nonica sanctione fultam scilicet, sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia) ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare: immo Apostolica auctoritate prohibemus firmissimè. *Inde etiam Stephanus Quintus Papa dixit Lamberto Episcopo Moguntino:* Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt Canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare: occulta vero, & incognita illius sunt judicio relinquenda, C qui solus novit corda fidelium hominum. Hæc Ivo, quamvis Epistola 251. & 254. eam purgationem per ferrum candens illicitam non credat, si fiat præcedente judiciaria accusatione, nec aliud remedium ad veri indagationem suppetat. Ita nutant mortalium ingenia, modoque in hanc, modò in illam flectuntur partem. Juvat autem observare Gratianum 2. quæstio. 4. canon. *Mennam verò*, attribuere sancto Gregorio Papæ Epistol. ad Brunichildam reginam Francorum, verba, quæ hic Ivo Alexandri Secundi esse asserit. Unus scilicet Pontifex ab alio mutuare potuit; quod non insolitum, sicut etiam, quod in Conciliis Provincialibus non approbatis nonnunquam aliquid statuatur, aut toleretur, quod à recto deviat. Vide plura de re ista apud Martinum Delrio loco citato: ubi etiam notat ferrum istud ignitum voca- D tum fuisse olim *judicium*, quod indicare videntur præsentis verba Concilii, sed & factum fuisse cum vomeribus, & chirotecis ignitis, &c. adhibitamque quarundam precum formulam, quibus à Deo peteretur, ut ferrum benediceret, eoque reus, & innocens agnoscerentur.

SI plana lex erit facienda, ibi fiat, ubi placitum prius.

IN Parochia Episcopi sine licentia ejus nullus audeat prædicare.

QUi in prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus e- E xigatur.

Si laicus raptum in atrio fecerit, Episcopo emendabit: si verò alibi fecerit, quocumque modo faciat, Episcopus nihil habebit.

HAs consuetudines habeant Episcopi in illis locis, in quibus eas tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus concessione hactenus habuerunt. Quæ verò quieta fuerunt, eam quietudinem habeant, quam huc usque solidè tenuerunt. In his omnibus justitiis, & consuetudinibus Rex sibi retinet, quod huc usque habuit.

Si Presbyter Domini sui judicio contraxerit de Eccle-

Ecclesiastica causa, & eum in curiam Episcopi eundo injustè fatigare fecerit, Domino suo X. solidos emendabit.

Si Episcopi aliquid, quod non sit hìc scriptum in Regis curia monstrare possunt se habuisse tempore Roberti Comitis, vel Guillielmi Regis ejus concessione. Res eis non tollit quin habeant: tantummodo illud nullatenus saisiscant, donec in curia ejus monstrent, quod habere debeant. Smiliter & laicis propter hoc scriptum Rex nihil tollit, quod in Curia ejus monstrare possint Episcopos non debere habere. Tantummodo Episcopos inde non desaisiscant, donec in Curia Regis monstratum sit, quod Episcopi inde habere non debeant.

HÆc synodus in vico Regali secus Sequanam celebrata est, ubi antiqua urbs fuit, quę Caletus ab incolis dicta est, à qua circumjacens pagus à mari usque Talancium Calcegius usque hodie appellatus est. Hanc (ut in antiquis Romanorum legitur gestis) C. Julius Cęsar obsedit, & pro nimia bellatorum obstinatione intus acerrimè repugnantium subvertit. Deinde postquam hostes ibidem ad libitum compressit, considerata opportunitate loci, præsidium Romanorum providè constituit, & à nomine suo Juliambonam (quam barbari corrupto nunc nomine Illebonam nuncupant) appellavit.

CONCILIUM RHEMENSE,

Præside Sampsone Desprets Archiepiscopo pro controversia inter Episcopum Laudunensem, & Abbatem Præmonstratensem, tempore Adriani Papæ IV. & Ludovici VII. Gallorum Regis, anno Domini 1158.

CAusa hujus Synodi hæc fuit, quod cum Bartholomæus Laudunensis antistes benè affectus erga S. Norbertum Præmonstratensium fundatorem multa bona immobilia ad Episcopatum pertinentia Ecclesiæ Præmonstratæ in ejus Diœcesi erectæ contulisset, Gualterus II. post Gualterum I. Bartholomæi successor ea repetere voluerit, sub eo titulo, quod beneficiarius quilibet tanquam minor habeatur, cui non licet possessiones, ac terras beneficio annexas distrahere in favorem alterius, in cap. si quis Presbyterorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, decernitur, ut Clericus subscribens alienationi bonorum Ecclesiasticorum excommunicetur, nisi alienans, & recipiens Cleri restitutione sibi prospexerint. Sed & istud specialiter prohibetur Episcopis ex Concilio Agatensi 10. q. 2. capite casellas, & ex Concilio Martini Papæ in eadem q. cap. Episcopus, ubi id inhibetur sub pœna depositionis. Qua de re pluribus agit Bonacina in tractatu de alienatione bonorum Ecclesiæ, & de solemnitatibus ad id requisitis.

Hugo autem, qui tunc erat Abbas Præmonstratensis, distractionem illam tuebatur, ut quæ Pontificio, ac regio simul diplomate firmata erat, aliaque pro se jura juribus accumulando, allegabat. Quare lite mota, res ad Sampsonem Archiepiscopum Rhemensem, & ad ejus provincialem synodum devolvitur, in qua post intercessionem summi Pontificis, ac Regis Ludovici compositio facta est in prædicta synodo, quę à summo Pontifice Adriano VI. partibus consentientibus corroborata est. Quæ omnia fusius enarrantur in Bibliotheca Præmonstratensi Joannis le Page Theologi Parisiensis, ac ordinis Præmonstratensis syndici l. 2. per plura capita, in quibus plures actus ad hanc synodum spectantes inferuntur. Hìc autem nobis satis eirt confirmationem prædictæ compositionis producere ex diplomate ejusdem Adriani IV. prout in eodem libro cap. 17. exhibetur.

Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni Abbati, & fratribus Præmonstratensis Ecclesiæ salutem, & Apostolicàm benedictionem. Ea, quæ compositione, vel concordia mediante inter viros Ecclesiasticos rationabiliter statuuntur, in sua debent stabilitate consistere: & ad majorem in posterum firmitatem habendam Apostolicæ sedis præsidio eadem necesse est communiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus gratum impertinentes assensum, concordiamque inter vos, & venerabilem fratrem Gualterum Laudunensem Episcopum super subscriptis possessionibus, mediantibus charissimo filio nostro Ludovico Illustri Rege Francorum, & venerabili fratre nostro Sampsone Rhemorum Archiepiscopo Apostolicæ sedis Legato, & aliis quibusdam Episcopis, & Principibus ex utriusque partis assensu rationabili providentia factam authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Hæc autem concordia sicut in scripto exindè facto contineri dignoscitur, hujusmodi est. Pastoralis officii est Religiosorum paci, & quieti providere, quæ rationabiliter acta sunt, attestari, & ne aliquo oblivionis nubilo obfuscari possint, vel infirmari, scripto commendare, & posterorum notitia transmittere. Eapropter ego Gualterus Dei gratia Laudunensium vocatus Episcopus notum fieri volumus tàm futuris, quàm præsentibus, quod temporibus nostris inter nos, & Hugonem Abbatem, & fratres Ecclesię Præmonstratæ querela emerserit super possessionibus inferius annotatis, pro eo, quod minus ordinate bona Episcopalia nobis distracta videntur. Tandem verò mediante Rege Francorum, & Archiepiscopo Rhemensi, & principibus hoc modo Controversia illa compositionis finem accepit. Fratres quidem Præmonstratenses, ut salvis Privilegiis, & possessionibus suis firmam, & perpetuam pacem possent adipisci, trecentas libras provenientium ad instaurationem curtis nobis, nostrisque successoribus in perpetuum permansuræ cum quingentis ovibus, vaccis viginti, jumentis duodecim, & suibus septem nobis tradiderunt. Nos autem eis omnia, de quibus querela emerserat, quæ temporibus prædecessorum nostrorum Bartholomęi, & Gualteri tenuerant, deinceps liberè, & quietè possidenda concessimus, & communi assensu capituli nostri præsentis scripti authoritate confirmavimus.

Ut igitur hæc omnia perpetuæ firmitatis robur obtineant, authoritate sedis Apostolicę ea duximus roboranda, & præsentis scripti patrocinio munienda. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ea aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, ac secundo, tertiove commonitus, præsumptionem suam congrua satisfactione non correxerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus incurrat, & excommunicationis eum vinculo statuimus subjacere, Amen, Amen, Amen signatum. Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

CONCILIUM AVENIONENSE,

à Cardinali Petro de Fuxo sedis Apostolicæ Legato an. 1457. Callixto 3. summo Pontifice.

Meminit hujus Concilii Erizonius in Gallia purpurata inter alias autem ordinationes Statutum edidit tenoris sequentis.

DEcretum in Concilio Basileensi factum de conceptione beatissimæ Virginis Mariæ, statuimus inviolabiliter observari, districtè omnibus inhibendo sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publicè disputare præsumat: quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto, & in prima Synodo per Diœceses per quemlibet *Conceptio B. Virginis.*

bet celebranda, prædicta statuimus publicari, & curatis Ecclesiarum injungi, ut hoc populo manifestent. Datum in Ecclesia Cathedrali Avenionensi, die 7. mensis Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1457. Pontificatus Domini nostri Callixti Papæ III. ann. 3. Subscripserunt huic statuto non solùm ipse Petrus, qui toti præerat Concilio, sed Alamus Coentinus S. R. E. Cardinalis, Robertus Aquensis Archiep. Petrus Episcopus Aptensis, Georgius Senensis, Cavehcrius Vapicensis, Nicolaus Massiliensis, Petrus Dignensis, Petrus Glatanensis, Palamodus Cavallicensis, Pontius Vaisionensis, Joannes Rigiensis, Stephanus Tricastinensis, Michael Carpentoratensis, & Joannes Auraciensis.

A

PSEUDOSYNODUS CHARENTONIANA Calvinistarum, anno 1631. habita, in qua decreta est ipsorum Communio cum Lutheranis.

B

IN hac Synodo propè Parisios celebrata, quam Nationalem vocant, mutato consilio in gratiam (ut quidam referunt) Regis Svediæ, reconciliati sunt Calvinistæ Galli cum Lutheranis, quos ad Cœnam, & Matrimonia ineunda cum suis, & ut in Baptismo parvulorum patrini essent, declarat Synodus, inquiunt Gallicè loquentes, attento hoc, quod Ecclesiæ Confessionis Augustanæ conveniunt cum Ecclesiis reformatis (sic vocant Calvinianas) in Principiis, & punctis fundamentalibus veræ Religionis, & quod in ipsorum cultu idololatria non insit, nec superstitio, fideles prædictæ Confessionis, qui in spiritu charitatis, & verè pacifico Conventus publicos adeunt Ecclesiarum Reformatarum hujus regni, eorumq; communionem expetunt, poterunt, abjuratione non facta, admitti ad Cœnam Sanctam, & contrahere matrimonia cum fidelibus nostræ confessionis, & tanquam patrini offerre ad Baptismum pueros, & cætera ex capite 14. regularum, & admonitionum particularium dictę Synodi.

C

Hanc Decretalem cum Joannes Dailkeus Minister Charentonianus ex famosioribus in libro suo Apologetico confirmasset, aperteque declarasset opinionem Lutheranorum de reali præsentia corporis Christini Eucharistia nullum virus habere, nec pietati officere, his verbis.

Cette opinion qu'ils ont demeurant dans ses termes, n'a aucun venin, & cette hypothese ne nous engage en rien qui soit contraire ou à la pietè, ou à la charitè, ou à l'honneur de Dieu, ou au bien des hommes; elle peut, & doit par consequent estre supportèe en ce cas.

D

cum subscriptione inter ipsos præcipuorum Pastorum eamdem confirmantium, res ipsorum non mediocriter dilabi cœperunt. Improperatum est enim ipsis ubique, & in faciem repositum, non debuisse hactenus se ab Ecclesia Catholica, ac Romana separare ob fidem, quam tenet, & docet de vera, & reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, jamque ipsam Ecclesiam Romanam confitentes habere reos, ex adversariorum confessione veridicam esse in articulo illo de præsentia reali Corporis Christi in Eucharistia, ob quam tot tragœdias hactenus excitarant. Et quamvis reponant se separasse ob adorationem Eucharistiæ in Ecclesia Romana usu receptam, facillimum est ipsos convincere: nam si Christus præsens est in Eucharistia, nemo fidelis supremum latriæ cultum ipsi debitum, ubicumque sit, jure denegabit. Hoc certè seriò consideraverunt plures, qui ipsorum errore detinebantur, & ab errore reversi sunt ad communem matrem omnium verè fidelium Ecclesiam Romanam. Quod etiam videmus in dies fieri, ut non sit jam dubium hanc sectam Calvinistarum in Gallia, ubi tàm crudeliter grassata est cum interitu plurium animarum, ad finem suum properare.

E

Ut tamen Calvinistæ admittant Lutheranos ad suam Cœnam, vicem tamen ipsis non rependent Lutherani, quin potius in ipsos, ut in pestilentissimos hæreticos invehuntur, eisque igne, & aqua interdicunt in Germania; ubi dissidium inter ipsos magis ardere cœpit jam ab anno 1552. itaut Lutherani contenti non essent, nisi omnes sacramentarii expresse profiterentur se corpus, & sanguinem Christi corporaliter, & substantialiter ore corporis, impios quoque manducare: qua de re multi libri ex utraque parte editi fuerunt, ut refert Ludovicus Lanatherus Zuinglianus in historia Controversiæ sacramentariæ, apud Genebrardum Chronic. l. 4.

ANGLICA CONCILIA magis selecta ex 1. tomo Spelmani Angli.

EOrum ingentem supellectilem subministrat Henricus Spelman Eques auratus, ac scriptor Anglus in opere multi laboris, & eruditionis inscripto Concilia, decreta, leges, constitutiones in re Ecclesiarum orbis Britannici. Vid. Pambritannica, Pananglica, Scotia, Hibernica, Cambrica, Mannica, Provincialia, Diœcesana ab initio Christianæ ibidem religionis ad nostram usque ætatem, & cęt. tribus distincta tomis, quorum hic primus tomus ea continet, quæ à primis Christi sæculis, usque ad introitum Normannorum (id est anno Domini 1066.) habita sunt, & celebrata. Londini 1639.

Porro secundus tomus ea continet, quæ post subactos à Normannis Anglo-saxones usq; ad exutum Papam, ut loquuntur illi Pseudo Christiani, & resignationem Pontificię dignitatis Regi Henrico VIII. factam (qua adempta est Episcopis cogendorum postea Conciliorum potestas usitata) & Monasteriorum Catalysim.

Tertius ea, quæ deinceps in Ecclesiis Britanniarum reformatis, usque ad nostra tempora complectitur. Qui tertius tomus nescio, an adhuc in lucem prodierit: nec est, quod magnoperè à nobis curetur. Secundus autem tomus cum multa contineat, quæ etiam à Binio, & aliis collecta sunt, haud gravatim à nobis dimittitur, ut ex primo dumtaxat, in quo magis singularia exhibentur, aliqua ex Conciliis Provincialibus per compendium pro ratione nostri instituti exhibeamus, nec enim quis valeat Illiadem Conciliorum integrorum in cortice nucis includere: cum tot alia ex omni orbis parte suppetant, quæ etiam locum efflagitant in his duobus nostris, nec magnæ molis voluminibus.

Post Concilium Arelatense 1. cui tres Episcopi Angli interfuerunt, & Sardicense, ut appareat, quibus tunc regulis Anglia uteretur, exhibet duo Concilia in causa Pelagianorum celebrata, ut sequuntur.

Concilium Verolamii Leone Magno Pontifice, Valentiniano Imperatore anno gratiæ 446. adversus Pelagianam hæresim ab Agricola Pelagii discipulo, qui Angliam infecerat suscitatam. In præsentibus Germano Altisiodorensi, & Lupo Trecassinæ Ecclesię Episcopis in Galliæ alia Synodo deputatis, & missis ad auxilium contra grassantem hæresim ferendum. Pelagianæ partis sectatores errorem agnoscunt. Convincitur vanitas, inquit Beda, perfidia confusa reputatur, ita ut ad singula errasse se, dum nequeunt respondere, confitentur. Populus arbiter vix manus continet, judicium tamen clamore testatur. L. 1.

Concilium aliud Britannicum à Sancto Germano Altisiodorensi Episcopo, magnoque Clericorum, & Laicorum numero contra renascentia, ut videtur Pelagianæ hæresis virgulta, & contra incestuosas Regis Vortigerni cum filia sua nuptias celebratum, anno 449. in quo omnium judicio pravitatum perversitas cum suis auctoribus condemnatur; factumque est, ut in illis locis, multò ex eo tempore fides intemerata perseveraverit.

veraret. Ex Beda l. 2. c. 22. & Wemonasteriensi in anno 440.

Quia verò communiter Etherodoxi, ex quorum numero est collector horum Concil. Anglicanorum falsò putant militare adversus Catholicos decreta contra Pelagianos, opere pretium est discernere Pelagianam hæresim.

PELAGIANA HÆRESIS.

Divus Augustinus l. de *Hæresibus*, una pagina refert Hæresim Pelagianam: non sic R. Episcopus Iprensis Jansenius. Fecibus istis everrendis primum volumen, quod est *de Hæresi Pelagiana*, impendit in excutiendis opinionibus ipsorum, quod volumen constat libris octo, capitibus 158. à pagina 1. usque ad 243. tàm multa discussione opus illi visum ad repræ- B sentandam deformitatem hujus hæresis, quamvis eam plus justè expendat.

Tota autem eorum hęresis his fermè dogmatibus capitalibus constat.

1. Christum per merita liberi arbitrii obtinuisse, ut fieret Deus in resurrectione.

2. Peccatum originale nullum est.

3. Adamum in puris naturalibus natum, fuisse mortalem, & miseriis obnoxium, ac concupiscentiis, nullumque peccatum, nisi per exemplum suæ inobedientiæ, quæ sibi ipsi soli noxia fuit, transfudisse in posteros.

4. Naturam ob insita virtutum semina miris laudi- C bus efferunt, ut quæ possit sine adjutorio gratiæ interioris, & sine orationis bono justitiam consequi in hac vita, & in altera gloriam viribus liberi arbitrii solius non confortati, aut excitati per gratiam interiorem, sed sola gratia exteriori, quæ in lege, exemplo, & doctrina sita est, adjuti.

5. Unde diversos status naturæ corruptæ, ac reparatæ non admittunt: nec puræ naturæ, in qua Adam, & filii, & ipse Christus paris sint conditionis, cum hominem ad finem supernaturalem creatum admitterent, melioremque reddi per sacramenta, & habitus supernaturales, in quo ultimo non errabant.

6. Adultos, qui sine fide in Christum in bonitate morali vixerunt, Deum ex creaturis agnitum, sicut Deum glorificaverunt, & coluerunt ex lege naturali, salutem consequutos ante incarnationem: sicuti eam- D dem consequuntur Christiani, qui post incarnationem credunt in Christum, justitiam ejus imitantur, non ex vigore gratiæ ullius interioris, sed ex prædicatione, & suasione veritatum Christianarum exterius facta.

7. Hominem ex suis ingenitis viribus posse assequi perfectionem justitiæ usque ad impeccantiam, & apathiam.

8. Christum quasi gratis mortuum fuisse, non ut redimeret hominem per condignam aliquam satisfactionem, sed magis ut pręberet exemplum virtutum omnium, ac maximè patientię.

Denique nulla hęresis magis gentilium Philosophorum placitis conformior erat, evacuans gratiam redemptionis Christi, & ferè omnia reducens ad statum E purè naturalem, qualem agnoscebant Philosophi, ut de nullis verius, quàm de Pelagianis dici possit illud Tertulliani adversus Hermogenem; Hæreticorum Patriarchę Philosophi. Quæ omnia luculenter demonstrat ex pluribus auctoritatibus præfatum Volumen Jans. Iprensis. Illud etiam non omittens, quod ut aurum sibi coacervarent, negabant divites salvari posse, nisi divitias abjicerent, quod mulierum conversatione delectarentur, magnam reverentiam erga sedem Apostolicam simularent, Catholicos agnominarent Manichæos, & Traducianos, ac D. Augustinum nationis Traducianæ primatem. Quę magis eorum mores spectant, quàm fidem.

A Veruntamen non omnia, quæ Pelagianis, aut semipelagianis attribuuntur à Jansenio, hæretica censenda sunt: Neque etiam ea omnia, in quibus à Sanctis Patribus arguuntur, quicquid enim Jansenio displicet circa gratiam, & liberum arbitrium, ignorantiam, & concupiscentiam: prædestinationem, & reprobationem, quædamque alia iis affinia, etiamsi in Academiis Catholicis passim doceatur, non veretur ad Pelagianismum, aut semipelagianismum, quæ est ipsius favor, & indulgentia, referre, sicut lib. 2. ejusdem voluminis lector deprehendet. Patres verè aliquando etiam privatis suis opinionibus, argumentisque probabilibus invehuntur in hæreticos, & si eorum dicta omnia non sint hæretica, cum ex Div. Augustino l. 2. q. Euang. qq. 40. non falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Sic enim ab incautis venenum melle circumlitum facilius hauritur.

Quare perperam Pelagianismi insimulantur sequentes, ac similes iis propositiones. 1. quod Deus neminem positivè reprobaverit propter solum peccatum originale, licèt remissum fuerit in Baptismo: nec sic aliquos ex merè beneplacito elegerit, aliosve rejecerit, ut illi salventur per media necessitantia, hi damnantur defectu mediorum sufficientium. 2. Quod per peccatum Adami non perierit libertas indifferentiæ circa bonum, & malum. 3. Quod ignorantia invincibilis juris, aut facti excuset à peccato. 4. Quod nos gratiæ cooperemur, & ex cooperatione illa aliquid laudis, & meriti in operantem redundet. 5. Quod auxilium datum in statu naturæ corruptæ non necessitet voluntatem, quin illi resistere possit, & aliquando de facto resistat. 6. Quod dentur aliqui actus naturales moraliter boni. 7. Quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & det omnibus tempore, & loco, qui ratione utuntur, gratias sufficientes. 8. Quod Christus pro omnibus mortuus sit. Quæ, & similia ante Pelagium tenebantur communiter in Ecclesia, atque hoc ipso minimè illi tribuenda sunt, cum nova habita fuerit hæresis Pelagiana, sicut testantur verba Innocentii I. in Epist. ad *Episcopos Galliæ*. Desinat, inquit, novitas incessere vetustatem, & Div. Augustinus contra duas Epist. Pelagianorum. Sciant à nobis rectam, & antiquitus fundatam Catholicam fidem adversus recentem Pelagianorum hæreticam præsumptionem, perniciemque defendi.

Magis ergo certò errores Pelagianorum proprii agnoscentur ex Conciliis contra ipsos celebratis, ac ex sententiis summorum Pontificum Innocentii, Zozimi, & Cœlestini. Quod monere necessarium nobis visum, ne per omnia sæcula sub nomine Pelagianismi traducatur Ecclesia Catholica, quod consuetum est pluribus hæreticis.

Sed & insuper advertendum erit nomen gratiæ æquivocatione plenum esse. Aliqui nimis extendunt, alii nimis restringunt, itaut qui de gratia disputant, si se prius non explicent, quid præcisè per gratiam intelligant, Andabatarum more in tenebris gladientur, nec aliud ex disputatione referant, quàm stuporem, & confusionem animi, aut vanam præsumptionem, qua se credunt vicisse, si multum loquuti fuerint. Pelagius gratiam Christi confundebat cum gratia creationis, & ipsi annexis donis, contra quem dicebat Div. August. serm. 11. *de verbis Apostoli*. Videte acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate: *& Epist.* 105. Abjiciatur à Christianorum cordibus ista fallacia, nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus. Intelligitur ergo per gratiam donum infusum ex virtute passionis Christi, in animam, supponens naturam, eique superadditum pertinens ad sanctitatem, & salutem supernaturalem, quod actuale est, vel habi-

Conceptus gratiæ.

habituale. Disputatio autem fuit contra Pelagium A de dono gratiæ actualis, quod negabat esse necessarium ad peccatum vincendum, & meritoriè operandum propter vires naturæ, quæ ab Adamo illæsa erat. Quamvis & Pelagius negaret gratiam redemptionis Christi, quæ est fons, & origo omnium gratiarum supernaturalium, quas vocant Theologi actuales gratias, sufficientes, aut efficaces, de quarum differentiis innumeræ adhuc extant controversiæ, de quibus infra. De opinionibus Pelagianis eruditè disserit Petrus Pestnaniensis in 2. librum sentent. ad distinct. 28. Ista annotasse sufficiat ad notitiam eorum, quæ agitari potuerunt in his Synodis.

Synod. S. Patricii. *Synodus S. Patricii, Auxilii, & Isservini Episcoporum in Hybernia celebrata circa annum Christi* 450. *vel* 456. continet canones 34.

Sextus canon est. Quicumque Clericus ab ostiario B usque ad sacerdotem sine tunica visus fuerit, atque turpitudinem ventris, & nuditatem non tegat, &, si non more Romano capilli ejus tonsi sint, & uxor ejus, si non velato capite ambulaverit, pariter à laicis contemnantur, & ab Ecclesia separentur.

Septimus decimus canon. Virgo, quæ voverit Deo permanere casta, & postea nupserit carnali sponso, excõmunicationis sit rea, donec convertatur: si conversa fuerit, & sponsum dimiserit adulterinum, pœnitentiam agat, & postea non in una domo, nec in una villa habitent.

Viges. tertius. Si quis Presbyteror. Ecclesiam ædificaverit, non offerat, antequam adducat suum Pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

Extat hujus Synodi vetustissimum exemplar M. S. C in Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiæ: pluries autem malè sanum, & in locis quibusdam criticorum implorans sagacitatem.

Synodus alia S. Patricii, anno incerto, continet canones, seu capita 31.

Cap. 12. de oblatione pro defunctis. Audi Apostolum dicentem, est autem peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis, & Dominus: nolite sanctum dare canibus. Qui enim in vita sua non merebitur sacrificium accipere, quomodò post mortem illi poterit adjuvare?

Cap. 13. de sacrificio. In nocte Paschæ, si fas est, ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur, Quid aliud significat, quod in una domo sumitur agnus, quàm sub uno fidei culmine creditur, & communicatur Christus.

Cap. 14. . . . . Quid autem inter Novatianum, & D Christianum interest, nisi quod Novatianus indesinenter, Christianus verò per tempus abstinet, ut tempus, & locus, & persona per omnia observetur?

Cap. 22. de Eucharistia. Post examinationem carceris sumenda est, maximè autem in nocte Paschæ, in qua, qui non communicat, fidelis non est. Ideò brevia sunt, & stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinæ, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Hæc Synodus Missæ est à P. Sirmondo ex Andegavensi Bibliotheca ad Armachanum Archiepisc. primatem Hyberniæ, à quo auctor accepit.

Concilium Cambricum in Carnavoria circa annum 512. Synodus Britannica loco incerto eodem ferè anno, quo præcedens. Conventus Pambritannicus ad coronationem Regis Arthuri anno 519. Synodus Pambritannica contra fecem Pelagianæ hæresis adhuc redolentem, celebrata sub Davide Archiepiscopo Menevensi anno 519. ex Baleo centuria 1. c. 55.

Variæ Synodi.

Synodus Landavensis circiter ann. 560. ab Andoceo tertio Episcopo Landavensi convocata, qua Mauricus Rex Glamorganiæ ob perfidam Cynetu interfectionem excommunicatur ex veteribus M. S. Landavensis Ecclesiæ. Alia item Landavensis sub eodem, in qua Rex Morcantus de occisione patrui veniam petens, & promittens se emendaturum jejunio, oratione, & eleemosyna, & numquam tale quid amplius facturum, & se in omnibus regalem justitiam misericorditer acturum, absolutus est. Ex iisdem M. S. folio 74. Item tertia sub eodem Episcopo Landaviæ congregata, qua Guideneret fratrem in causa regni interficiens excommunicatus est, postea tamen in acta pœnitentia absolutus. Ibid. folio 82.

Synod. August. Legato Papæ. *Synodus ab Augustino primo Doroberniæ, seu Cantuariæ Archiepiscopo, Ethelberti Regis ope convocata ad Augustines-ac, locum in Vvigornia, unde & ipsa Vvigornensis aliàs appellatur, præsentibus, præter Augustinum, & suum Clerum Romanum, Episcopis septem, & Doctoribus plurimis Britannicis sub Gregorio Papa; Mauritio Imperatore.* Augustinus primò poscit obedientiam Rom. Ecclesiæ, postea, ut Britones Romanis sint conformes in tribus istis. 1. In Paschate celebrando. 2. In Baptismo celebrando. 3. Prædicando Anglo-Saxonibus. De ea Synodo Sigebertus ad annum 602. & plures alii agunt in notis auctoris Spleman, qui refert ibidem Abbatem Bangor profiteri solùm obedientiam Ecclesiæ Dei, & voluisse Augustinum monachum mutare subito mores Ecclesiæ. Quæ quo spiritu scripta sint, & an verè, judicet lector ex unione Ecclesiæ Anglicanæ cum obedientia debita ad summum Pontificem, ut in succedentibus temporibus innotescit. Iste Bangor hæc disserit, sed una hirundo non facit ver, nec referuntur alii, qui ipsi adhæserint tunc temporis.

Concilium commune Cantuariæ habitum an. 605. ad confirmandum Monasterium SS. Petri, & Pauli, quod fundavit Augustinus, & primum fuit inter Anglo-Saxones.

Concilium Cantianum tempore Eadbaldi Regis Cantii habitum à Laurentio Archiep. Cantuariæ, Mellito Episcopo Londoviæ, Justo Roffensi Episcopo, & cæt. in quo decretum est, ut propter Saxonum barbarorum sævitiam, & apostasiam omnes hi Episcopi Britanniam abdicarent potius, quàm inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. an. 617. ex Beda l. 2. c. 5.

Synodus Pharensis rogatu Hildæ illic Abbatissæ sub Nordanhumbrorum regibus Osuvio Patre, & Alchfrido filio ann. Christi 664. in qua acerrimè contenditur de ritu celebrandi Paschatis, de tonsura Sacerdotum, & aliis rebus Ecclesiasticis ex Beda l. 3. c. 25. Ecclesf. Historiæ. Baronius, & Binius non Synodum, sed collationem vocant coram rege.

Concilium Horudfordiæ an. Ch. 673. præsidente Theodoro Cantuariæ aliàs Doroberniæ Archiepiscopo habetur supra cum aliquot aliis classe IV.

Concilium Pambritannicum, seu generale Hedtfeldæ celebratum anno 680. præside Theodoro Archiep. Britanniæ insulæ, & civitatis Dovernis, considentibus verò cæteris Episc. insulæ, in quo ad declarandam Britannicarum Ecclesiarum fidem contra Eutychetis, & Monothelitarum hæresim sanctæ universales quinque synodi, & orthodoxæ Patrum constitutiones suscipiuntur: Agathone Papa coactionem ejusdem præcipiente. Ex Beda l. 4. Hist. Eccles. E c. 17. Suscepimus sanctas, & universales V. Synodos, &c. & synodum, quæ facta est in urbe Roma in tempore B. Martini Papæ beatissimi.

Concilium Berghamstodæ an. Christi 697. sub Bertualdo Cantuariensi Archiepisc. præsentibus Gylmundo Episcopo Roffense, & omnibus ordinibus illius gentis cum viris quibusdam militaribus.

In eo de moribus cavetur ad Ecclesiæ cognitionem plerumque pertinentibus, constat viginti octo canonibus. Canon 15. est; Si quis servo suo carnem in jejunio dederit comedendam, servus liber exeat. 17. est: Episcopi, & Regis verbum (sive affirmatio) sine juramento sit irrefragabile. 28. est: Si alie-

alienigena, vel peregrinus aliquis devius vagetur, & nec ore vociferaverit, nec cornu insonuerit, pro fure comprobandus est, vel occidendus, vel relegandus. Ex M. SS. Saxonicis.

Concilium sub Alfrido Rege Nordanhymbrorum, & Bertualdo Arch. Cantuerbiæ, tempore Joannis Papæ VI. an. Christi 701. In quo Archiepiscopo Eboracensi novę struuntur insidiæ. Ille denuo appellans ad Joannem Pontificem inimicos opprimit. Ex Malmesb. de gestis Pontificum l. 3.

Concilium ad fluvium Nidde in Northumbria ab Ofredo ibidem Rege, & Bertualdo Arch. Canturiæ monitu Joannis Papæ VII. an. Christi 705. in quo accepta Joannis Epistola Vvilfridus demum in Archiepiscopatu suo Eboracensi confirmatur. Ex Malmesb. l. 3.

Concilium Londinense sub Bonifacio Legato Sedis Romanæ, & Bertualdo Archiep. Dorobernię, in quo statui dicitur de adorandis imaginibus, & de sacerdotum uxoribus abdicandis. Quę refert de Concilio, sunt ista, in eo primum receptas imagines, earumve venerationem propter visionem quamdam factam Egunino Monacho Benedictino, cum Vviccius designatus est Episcopus ex Magdeburg. & aliis Etherodoxis refert, & à Binio commentitium jure reputatur, cum cultus imaginum longè antea in Anglia vigeret. Sed deluditur author, & deludit suos Britannos in æquivocatione adorationis. Vide, quæ dicta sunt ad septimam Synodum: itaque meritò omittendum erat hoc Concilium, circa ann. 712. aut 714. ut fictitium.

Concilium omnium Episcoporum, & principum, & omnium sapientum per præceptum Regis IV. habitum. In quo de mutuis connubiis habendis inter Anglo-Saxones, Britones, & Scotos, tùm ad delendam fornicationem, & immunditiam, tùm ad concordiam publicam promovendam, statuitur. Circa eadem tempora.

Concilium magnum apud Clovesho an. 742. sub Cuthberto Archiep. Dorobernię, in quo privilegium libertate Ecclesiarum per regnum Merciorum statuitur observandum. Ex Jocelino, & alio M. S.

CONCILIUM CELEBRE CLOVESHOVIÆ vulgo Cliff. sub Cuthberto Dorobernię Arch. præsente Aedibaldo Merciorum Rege, & XII. Episcopis anno 747. in causa disciplinæ Ecclesiasticæ.

IN procemio Synodi leguntur litteræ Zachariæ Papę Romani, quibus hortabatur omnis conditionis, & status incolas Britanniæ ad pietatis officium debitum, & contemnentęs de Anathemate minabatur, quibus lectis prę̨sules ad suum officium, quo cęteri ad Dei famulatum instrui debent, mutuo sese excitaverunt.

Sequuntur deinde triginta Canones, quibus nihil aptius pro regimine Ecclesiæ.

Sexto statuitur decreto, ut Episcopi nullum de Clericis, seu monachis ad sacrum presbyterii gradum ordinent, nisi prius ejus vitam, qualis extiterit, vel tunc morum probitas, ac scientia fidei existat, manifestè perquirant: qua namque ratione potest aliis integritatem fidei prædicare, sermonis scientiam conferre, peccantibus discretionem pœnitentiæ indicare, nisi prius vigilanti intentione, hæc pro viribus ingenioli sui studeat ediscere; ut juxta Apostolum, *potens sit exhortari in doctrina sana.*

17. De festivitate colenda S. Gregorii, & Augustini, nempe, ut vocatur ibi, Archiepiscopi, atque Confessoris, qui genti Anglorum missus à præfato Papa, & Patre nostro Gregorio scientiam fidei, Baptismi Sacramentum, & cœlestis patriæ notitiam primus attulit, & cęt.

23. De communione Laicorum. Laici pueri similiter hortandi sunt, qui necdum videlicet lascivientis ætatis corruptela sint vitiati, ut sæpius communicent, nec non & perfectioris quoque ætatis seu celibes, seu etiam conjugati, qui peccare desinunt, ad hoc ipsum admonendi sunt, quatenus frequentius communicent, ne salutaris cibi, potusque inopia deficiant, dicente Domino. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.*

Matthęus Vvemonaste. Reponit hanc synodum sub Cuthberto ad an. 748.

Concilium Calchuthense, & Pananglicum à Gregorio Ostiensi Theophilacto Tudertino Episcopis, & Legatis Adriani Papæ an. 787. Calchuthæ celebratum. Continet Canones viginti.

1. Est, ut fides Nicęna teneatur, & de ea Presbyteri annuò examinentur: omnes etiam teneant sex universales synodos.

2. Est de conversione, pœnitentia, & confessione: Si quis autem, quod absit, sine Confessione, aut pœnitentia de hac luce discessit, pro eo minimè orandum est.

Mittunturque decreta ad Papam Adrianum. Sic nempe Ecclesia Anglicana venerabatur summum Pontificem, à quo hodie tàm deflendo schismate divisa est. Unde etiam Octavum statutum hujus Concilii est, ut privilegia antiqua à sancta Romana sede delata Ecclesiis omnibus conserventur. Si qua autem propter assensum pravorum hominum contra canonica instituta conscripta sunt, avelluntur.

Concilium magnum apud Bancanceld an. 798. sub Athelardo Archiep. Dorobernię cum pluribus Episcopis, & Abbatibus præsente Kenulpho Rege Merciorum, In quo decretum est ex mandato Leonis Papæ, ut super Ecclesias viri sęculares non habeant dominium, ex 2. MS. cant. p. 80. * qui dicitur lib. cantu. *Bacanchide, & Ceneuulfo.*

Ego Athelardus Dei gratia humilis Dorob. Ecclesiæ arch. unanimo Consilio totius sanctæ synodi in nomine Dei omnipotentis, & per ejus tremendum judicium præcipio, sicut ego mandatum à Domino Apostolico Leone Papa recepi: ut ex hoc tempore numquam temerario ausu super hæreditatem Domini, id est Ecclesias, laici præsumant, aut sęculares dominium suscipere: sed sicut in Privilegiis ab Apostolica sede datis habetur, seu etiam ab Apostolicis viris in initio nascentis Ecclesiæ traditum est, per sanctos Canones, vel etiam à propriis possessoribus monasteriorum constitutum est, ea regula, & observantia disciplinæ sua monastica jura studeant observare. Si ergo (quod absit) ipsi hoc nostrum mandatum, & Domini Apostolici præceptum spreverint, & pro nihilo ducunt: sciant se à præsenti Ecclesia justorum segregatos, & in die judicii ante tribunal Christi (nisi ante emendaverint) rationem reddituros.

Subscripserunt post Archiepisc. VII. Episcopi, & aliquot Abbates, ut mirum sit velle Britannos Achatalicos defendere primatum regium in spiritualibus: quanta cœcitas!

Concilium apud Clovesho anno Domini 803. sub Athelardo Arch. Dorobernię cum XII. Episcopis, in quo exuto Lichefeldensi Archiepiscopo Dorobernię ex pręcepto Leonis Papę III. sedes Cantuariensis pristino suo juri restituitur: *Ex Archivis Cant. Eccles.*

Synodus apud Colichyth anno 816. præside Vulphredo Arch. Cantuariæ, in qua fides orthodoxa retinetur, & septem alii Canones conduntur, ut de modo consecrandi Ecclesias, & cęt. Canone 5. prohibetur Scotis, ne ex sacro ordine aliquid attingant, nec missas celebrent, nec Eucharistiam populo præbeant, quia, inquit synodus, incertum est nobis, unde, & an ab aliquo ordinentur, & cęt. cum quibus nullus ordo Metropolitanis, nec honor aliis habeatur.

Synodus Landavensis sub Gurcan X. Landaviæ Episcopo, in qua Tendur Rex Brechemaniæ ob homici-

micidium, & perjurium excommunicatur denudando altaria, & prosternendo cruces ad terram, simul & reliquias Sanctorum, & ablata sibi tota communione Christiana. Annus Synodi non notatur; pertinet tamen ad octavum sæculum. Alias Synodos preterimus. A

Synodus ab Eduardo seniore Rege Anglorum congregata præside Plemundo Arch. Doroberniæ, in qua post interdictum in Regem, & totam Angliam à Formoso Papa, ipso tamdem Papa pacato, lectisque ejus Epistolis, decretum est septem Episcopos una die ordinandos ad providendum Ecclesiis viduatis ob spatium temporis, quo interdictum duraverat. Circa annum 904. Meminit hujus rei Malmesbur.

Concilium celebre Grateleanum est potius parlamentum regium, quàm vera Synodus. Statuitur c. 3. de sagis mulieribus. Sagæ mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ, si cui mortem intulerint, neque inficiari potuerint, capitis pœna esto, & cæt. Multa ibidem de purgatione per aquam, & ferrum candens sumpta prius Eucharistia. Habetur an. 914. secundum M. S. circa an. 926. B

Concilium Calvævillæ Regiæ, quod celebratum est post Concilium Vvintoniense sub Dunstano Cantuariæ Arch. circa an. 975. in quo dum acerrimè contenditur de Clericis uxoratis, monachisve preferendis, imago crucifixi dicitur elocuta pro monachis, & controversiam diremisse, licet omnes non acquieverint. Quare & an. 978. Calvevillę Regię habitum illud Concilium sub eodem Dunstano, in quo de restituendis Presbyteris secularibus, in Ecclesia nempè Cantuariensi, solarium loci, in quo habebatur, de repentè concidit, solo Dunstano evadente super unam trabem, reliquis elisis, apud Matthæum Vvemonast. ex Malmesburie. C

Concilium Aenhamense generale, seu Pani-anglicum sub Vvlstano Eboracensi Archiep. accersitis Episcop. & universis Anglorum optimatibus inter annos 1006. & 1013. celebratum ex M. S. Continet Canones 32. valdè utiles ad fovendam pietatem, si serventur. Constat hoc Concilium cap. 32. pro bono regimine Ecclesiæ Christianæ Catholicè, & sapienter sancitis, ex quibus aliqua delibamus.

Cap. 1. *de Christiana Religione promovenda.* Hæ sunt constitutiones, quas tulerunt Angli eruditi, & edixerunt, instanterque docuerunt observandas. In primis hortantur Episcopi, ut qua possumus festinatione à peccatis revertamus; omnes, confessique eadem libentissimè, sedulo pariter compensemus. Deum unicum rectè diligamus; Religionem unicam Christianam firmiter teneamus; & quamlibet gentilium superstitionem omni odio explosam fugiamus, & cæt. D

Cap. 2. *de sacerdotum cœlibatu.* Omnes ministros Dei præsertim sacerdotes, obsecramus, & docemus, ut Deo obedientes castitatem colant, & contra iram Domini se hoc modo muniant, & tueantur. Certius enim norint, quod non habeant debitè ob aliquam causam uxoris consortium. In more tamen est, ut quidam duas, quidam plus, & habeant, & nonnullus, quamvis eam dimiserit, quam nuper habuit, aliam tamen ipsa vivente accipiat, quod nulla Christiana lege est permissum, dimittens autem, & Castitatem recolens è cœlo assequetur misericordiam, in mundo etiam venerationem, adeo ut juribus, & tributis habeatur Thani pignus cùm in vita, tùm funere. Qui autem ordinis sui regulam abdicaverit, omni cùm apud Deum, tùm apud homines gratia exuatur. E

Bare est Angl.

Cap. 4. ut sagæ, incantatores, meretrices exulent, ni pœnitentiam egerint abundantius.

Cap. 7. *ut pro modico delicto nemo moriatur.* Ut ait Canon, qui est opus manuum Dei, & mercimonium ejus magno comparatum pretio.

Cap. 8. de gradibus matrimonium prohibentibus, nec permittatur unquam, ut Christianus fide imbutus, intra spatium sexti hominis uxorem ducat, id est intra quartum gradum, seu geniculum, &c.

Cap. 16. *de jejunio quatuor temporum.* Et jejunia quatuor temporum (quę imbren vocant) & cętera omnia, prout S. Gregorius genti imposuit Anglorum, conservantor.

Cap. 17. *de die veneris jejunanda.* Quaque etiam die veneris jejunandum est, nisi festum sit.

Cap. 18. *de diebus juridicis, & matrimonio.*

Cap. 19. *ut viduæ sint per annum innubæ.*

Cap. 20. *de Confessione, & penitentia agendis.* Unusquisque Christianus (prout fidei suæ imprimis necessarium est) Christianitatem suam curet diligentius, & frequenter adeat confessionem, &, pudore posito, sua confiteatur peccata, &, quam ei imposuerit sacerdos, emendationem sedulus exequatur.

Reverenter etiam præparatus quisque adeat sacram Eucharistiam, quando ad arbitrium ei videbitur maximè necessarium, saltem ter quotannis.

Cap. 32. *potentes gravius mulctandi.* Et ut quisque fuerit potentior in hoc seculo, vel per scelera evectus in altiorem gradum: ita gravius emendabit peccata sua, & pro singulis malefactis pœnas luet graviores.

Locus Concilii ab indigenis vocatur, *Eanham.* Plura ex hoc tomo primo Spelmani expromi potuissent, hæc tamen sufficere censemus cordatis viris ex Anglia, quales in ea plures semper inventi sunt, ut in præsentia judicis omnium Jesu Christi deprehendant, quantum differunt in fide, ac disciplina Religionis à majoribus suis, qui à multis retrosæculis in fide, ac Religione communi cum toto orbe Christiano Pontifici Romano communione conjuncto vixerunt. Hoc certè inficiari non possunt, lectis diligenter his nationis suæ Conciliis. Sed accusant majores suos densis tenebris, incredibili cæcitate, crassa ignorantia, ac detestanda Idololatria circumfusos, cum Papismo obruti essent, sibi verò post Vvicleffum, & Lutherum novam lucem apparuisse ultimis his temporibus, in quibus, qui nati sunt, felices existimant præ cęteris: universam enim Christi Ecclesiam à multis sæculis errasse haud verentur affirmare. Sic innumeri homines præsumptione, ac superbia fulti, astu dæmonis, descendunt ad inferos, in quibus oculos mentis aperiunt, cum jam locus non relinquitur pœnitentiæ. Væ impio in malum, Væ horæ illi extremæ, in qua peccatoris anima adultera in umbram mortis, & horrorem sempiternum præcipitabitur. Erat in terra defixa, ubi capiebat prohibita solatia sua, immemor angustiæ superventuræ: & avelli-tur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcat super eam quasi rex interitus. Tunc dicit illi cor suum immenso pondere iniquitatis oppressum: Vide, quia malum est, & amarum est reliquisse te Deum tuum, & non fuisse timorem ejus apud te. Jam terrores Dei, & peccata tua militant contra te. Quid profuit tibi jactantia, & color mundanæ gloriæ, quam quæsisti? ecce omnis voluptas tua in amaritudinem versa est; & devorat pulchritudinem cutis tuæ primogenita mors. Respice multos canes latrantes, & rabie incitatos, qui te circumstant; ut te prædam suam inferorum faucibus detrudant. Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum. Hæc visum est suggerere proximis nostris pereuntibus, ex zelo commiserationis. Interim ad majorem dubiorum suorum, si quæ patiantur elucidationem, legere possunt opus solidæ pietatis, & doctrinæ à Stapletono Anglo, Doctore Lovaniensi Anglicè editum, & pro appendice ad historiam Vener. Bedæ ab eodem Stapletono tunc Anglicè versam, annexum. Opus inscribitur: *Propugnaculum fidei primitivæ Anglorum, quo fides illa, quæ Anglis ante mille annos per S. Augustinum tradita fuit, & quæ tunc temporis, ac deinceps per universam Christi Ecclesiam semper viguit, quam nunc protestantes Papisticam vocant, orthodoxam esse, vere-*

Ad Ang monitum

verèque Christianam asseritur, & probatur.

Ad Concilium Casselense anni 1171. adde ex Polydoro Virgilio l. 13. hist. Angl. istud habitum fuisse ab Henrico II. Angliæ Rege Casseli, quæ est urbs Hybernię, ad corrigenda ea, quæ minus ritè secundum dogma Christianum fiebant in Hybernia (nam singuli pro opibus plurimas habebant uxores) quam ipse Henricus nuper edomitam ab Alexandro Papa III. acceperat, cum jam ab initio post Religionem Christianam acceptam Hyberni sese, ac omnia sua in Romani Pontificis ditione dedissent. Apud Genebr. Chron. l. 4.

Concilium Oxonienſę contra Pictos, qui ingenti numero confluxerant in Angliam: quos statuerunt cum cæteris alienis exterminandos. Polydo. Virgil. lib. 16. Hist. Angl. Apud Genebr. Chron. l. 4. an. 1258.

Duo Concilia plurimorum Sacerdotum celebrantur in Anglia per Othobonum Apostolicum Legatum, de rebus ad Religionem pertinentibus, quibus nunc etiam in Anglia utuntur. Polyd. Virgil. Ibid. Unum fuit Northantoni, alterum Londini anno 1266.

Concilium Anglicanum anno 1341. in quo multi suo officio abutentes turpiter deponuntur, Polyd. Virg. l. 19. Ibidem.

CONCILIUM CANTUARIENSE,
celebratum anno 1328.

HOc Concilium in hoc illustre est, quod inter alias solemnitates inseruit Conceptionem beatissimæ Virginis, eique plurimum favet. Qua de re Joannes Bachonus Carmelita l. 3. sentent. dist. 3. q. 13.

Idem statutum in alio Concilio etiam Cantuariensi sub Simone Maphan Archiep. ann. 1362. de quo Colvenerius in suo Calendario die 8. Decembris, Concilium habitum apud S. Paulum Londinensem.

CONCILIUM LAMBATHENSE,

In Anglia ad damnandos errores Reginaldi Peacocki Cicestrensis Episcopi, præside Thoma Bourchiero Archiepiscopo Cantuariensi, ac Cardinali S. Cyriaci, tempore Innocentii VIII. anno Dom. 1488.

QUi fuerint Peacocki errores in commentario Goduini dę præsulibus Angliæ refert Spondanus ad prędictum annum. Asserebat neminem teneri obedire Ecclesiæ Romanæ determinationi. Non esse necesse ad salutem, credere Corpus Christi esse in Eucharistia: Ecclesiam universalem errare posse in iis, quæ sunt fidei. Cum ab Episcoporum synodo Lombathum citatus fuisset, ut coram Thoma Bourchiero Archiepiscopo Cantuariensi, & Cardinale sancti Cyriaci doctrinæ suæ rationem redderet: ibi damnatus coactus est palinodiam publicè in Ecclesia sancti Pauli Londini canere, libris ejus, quos non paucos erroribus suis conspersos scripserat, igne coram se exustis, Episcopatu quoque depositus, pensione tenui assignata, in quodam cęnobio mœrore confectus.

Nec felicius res cesserunt Miluertono Carmelitæ Doctori Theologo, ac Professori Oxoniensi, qui ab insectatione Reginaldi Peacocki, idest, Pavonis, occasionem sumpserat plurium gravissimarum reprehensionum in Episcopos Angliç, singula quæque eorum ad deprimendam eorum authoritatem vitio attribuens. Qua de causa ab Episcopo Londinensi excommunicatus, cum ad Papam confugisset, ibi frivolis ejus excusationibus rejectis, ad carcerem detrusus est, ac ibi triennio detentus. Unde

A Ordo Carmelitar. in Anglia declinare cępit, deficientibus mœcenatibus, qui eorum studia promoverent.

Synodus Vvintoniensis, præside Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, anno Domini 1076.

ANglus ex vetusto libro è Bibliotheca Vingorinensis Ecclesię Concilium hoc Conciliis Joverii manuscriptum inseruerat, unde nos extraximus sub bona illius fide, etsi quoad nomen, & religionem nobis sit incognitus. Anno ab Incarnatione Dom. 1076. Indict. 14. regnante in Britannia gloriosissimo Rege Vvilelmo, præsidente Captuariæ Lanfranco totius Britanniæ Primate, in Eboraco verò Thoma Archiepiscopo, eo inquam anno in Kalendis Aprilis habita est Vvintoniæ convocata ab eodem Cantuariensis Ecclesię Primate. In qua fratris nostri Ailtici Cicestrensis quondam Episcopi causa canonicè definita, & ad certum finem perducta est, decretumque, ut nullus Canonicus uxorem habeat. Sacerdotum verò in Castellis, vel in vicis habitantium, habentes uxorem cogantur, ut dimittant; non habentes interdicantur, ut habeant, & deinceps caveant Episcopi, ut Sacerdotes, vel Diacones, ne præsumant ordinare, ni prius profiteantur, ut uxores non habeant, nullusque Clericus, aut Monachus in Episcopatu alicujus suscipiatur absque Episcopi sui litteris: si quis verò monachus etiam canonicè susceptus fuerit, ne permittatur Ecclesiis publicè deservire. Statutum etiam, ne aliquis clericus civilis, vel rusticus de beneficio Ecclesiæ aliquod servitium reddat, præter illud, quod fecit tempore Regis Eduardi: laici verò, si de crimine suo accusati fuerint, & Episcopo suo obedire noluerint, vocentur semel, & tertiò, si per tertiam vocationem emendari noluerint, excommunicentur. Si autem per excommunicationem ad satisfactionem venerint, satisfacturam suam, quæ Anglicè vocatur *onerseuvenesse*, seu *laxelit*, pro unaquaque vocatione Episcopo suo reddant. Præterea statutum, ut nullus filiam suam, vel cognatam det alicui absque benedictione Sacerdotali. Si aliter fecerit, non ut legitimum conjugium, sed ut fornicatorium judicabitur. Supplicationes verò Ecclesiarum omnibus modis interdicimus.

CONCILIA QUÆDAM ITALICA.

CONCILIUM VERONENSE,
à Lucio III. celebratum, anno 1185.

HUjus Concilii plures meminerunt, de causa verò non omnium eadem est sententia. Quamvis cum disparata narrent, non contradictoria, fieri possit, ut omnes causæ, quas afferunt, veræ sint.

Abbas Urspergensis convocatum fuisse refert occasione cujusdam dissidii inter Papam, & Imperatorem pro Præsulatu Trevirensi.

Platina narrat indictum fuisse propter motus Consulum Romanorum adversus ipsum Lucium, quorum propter ea dignitatem, & officium omnino extinguere volebat in hoc Concilio. Unde Genebrard. Chron. lib. 4. Concilium Veronense, præside Lucio Papa, ut Christiani occidui principes Asianis contra Turcas ferrent suppetias, & contra Romanorum Superbiam.

In eodem Concilio interdictum est, ne quis missam Sacerdotis concubinarii ab Episcopo judicati, audiret, aut ab ipso Sacramenta reciperet. *Ducennius in vita Lucii*. Sed & insignem decretalem contra Hereticos, *ad abolendam*, in Concilio conditam fuisse testantur plures, ac inde in corpore juris insertam extra. *de Hæreticis*, c. 9. & patet satis ex ejus tenore, ut habetur in corpore juris Canonici editionis Anter-

tuerpianæ anno 1648. ipsam conditam fuisse de consilio Archiepiscoporum, Patriarcharum etiam, & multorum, & principum, ac ipsius Imperatoris. Multa autem statuit ad abolendam pravitatem hæreticam, inter cætera.

Abjuratio errorum ad arbitrium Episcopi facienda.

Qui verò fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi juxta congregationem suspicionis, qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint; simili sententiæ subjacebunt. Illos quoque, qui post abjurationem erroris, vel postquam se (ut diximus) proprii antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse, sæculari judicio sine ulla penitus audientia decernimus relinquendos.

In rebus fidei privilegiati obedire debent.

Item. Si qui verò fuerint, qui à lege jurisdictionis exempti soli subjaceant sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & in eis in hac parte, tamquam à Sedis Apostolicę delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur.

Hoc certè Concilium, si observatum fuisset, nostra tot motibus concussa non fuisset respublica Christiana, dum exigeretur subscriptio formulæ fidei ad profitendum sine equivocatione fidem suam circa quasdam propositiones à Pontificibus damnatas. Jubet siquidem ad arbitrium Episcopi subscriptiones tales, cum quis de suspicione hæresis purgat se, fieri. Tollit quoque locum refragandi jussioni, ac mandato Episcopali sub prætextu exemptionis, ac immunitatis à jurisdictione Episcopi, cum in materia fidei cessent privilegia, & immunitates.

Observare insuper licet modum illum, quo Episcopi gerunt se, ut à sede Apostolica delegati, non fuisse recenter inventum in Concilio Tridentino, ut quidam putabant apud Frapaulum in Historia Concilii Tridentini, cùm istud Veronense multò ante præcesserit.

CONCILIUM SIPONTINUM
Anno 1567.

Constitutiones, & decreta provincialis synodi Sipontinæ celebratæ mense Januario M.D.LXVII. Manfredoniæ, præsidente Illust. & Reverendiss. D.D. Ptolomæo Gallio S.R.E. tit. S. Pancratii Presb. Cardinali Comensi, ac Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopo Sipontino.

Nos Ptolomæus Gallius S.R.E. tit. sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Comensis, ac Dei, & Apostolicę sedis gratia Archiepiscopus Sipontinus, de consilio, & assensu RR.DD. Episcoporum, Abbatum, & aliorum nostræ Provinciæ Ordinariorum, in Provinciali synodo Sipontina hæc statuimus, & sancimus.

Professio fidei primũ facienda.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sancta hæc Synodus Provincialis Sipontina in Spiritu sancto legitimè congregata, attendens fidem totius esse spiritualis ædificii, atque Religionis fundamentum, cum qua omne datum optimum, & omne donum perfectum à Patre luminum descendens assequimur, & sine qua neque Ecclesia subsistere, neque quisquam Deo placere potest. In primis more majorum statuit, ejus fidei confessionem ante omnia esse præmittendam; ut quod corde creditur ad justitiam, id omnes ore confiteantur ad salutem. Quæ quidem cum una sit, quemadmodum, teste Apostolo, unus Deus, & unum baptisma: eam ipsam, quam à majoribus acceptam, ductamque à Christi, & Apostolorum doctrina; Ecclesia sancta, Catholica, & Apostolica integram conservavit, eadem sancta synodus suscipit, & amplectitur, in hunc, qui sequitur, modum profitendo.

Credimus, & confitemur omnes utriusque testamenti Canonicas scripturas à Spiritu sancto esse divinitus inspiratas. Itidem credimus, & confitemur ea omnia, quæ in symbolis ab Ecclesia receptis comprehenduntur. Ea quoque omnia, quæ de fide, & doctrina à sacris Conciliis Oecumenicis, & novissimè à sancta Generali Synodo Tridentina sunt definita, nulla hæsitatione amplectimur, & tenemus. Sacrorum verò librorum cum tantummodò sensum pro vero, atque indubitato agnoscimus, & tenemus, quem eadem sancta Tridentina synodus declaravit, & confirmavit, & communis Catholicæ Ecclesiæ usus docuit, & tradidit.

Traditiones ore tenus ab Apostolis emanatas, & continua successione in Ecclesia Catholica receptas, & conservatas, tanquam ab ipsius Christi ore, vel à Spiritu sancto dictatas, suscipimus, & veneramur.

Septem quoque Ecclesiæ Sacramenta, queq; de ipsis sancta synodus Tridentina mandavit, ac tradidit, firmissimè tenemus, ac cætera dogmata adversus omnes sæculi hujus hæreses cum eadem sancta synodo sentimus, & credimus, damnantes, & anathematizantes quascumque hæreses, quas eadem sancta synodus damnavit, & anathematizavit.

Sanctæ demum Apostolicæ Ecclesię Romanę tanquam omnium Ecclesiarum matri, ac beatiss. Domino nostro Pio V. Pont. Max. debitam subjectionem, atque obedientiam exhibemus, & juramus.

Statuimus insuper, atque ordinamus, ut omnes, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, vel in posterum obtinebunt, & qui synodo Diœcesanæ interesse debent, in prima quaque synodo, quę celebrabitur, omnia, & singula ab eodem sancto Concilio Tridentino definita, & statuta, palàm recipiant; veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant; simulque hęreses omnes publicè detestentur, & anathematizent, fidem profitentes eisdem verbis, quibus nos ipsi fuimus professi. Qui verò id facere negaverint, publicè excommunicentur, & omnibus Ecclesiasticis fructibus priventur, fabricæ Ecclesiarum applicandis. Idem de iis, qui de beneficiis Curatis, & Canonicatibus provisi sint: & de promovendis ad Doctorales, vel alios gradus; ac de notariis, necnon de scholarum Magistris intelligatur: itaut omnes nullatenus ad exercendum officium suum admittantur, nisi prius de eorum fide, & moribus, ac sana doctrina constiterit, & professionem supradictam emiserint.

Regulas indicis Librorum vetitorum Episcopi ab omnibus Christi fidelibus eorum curæ commissis, & pręcipuè à Bibliopolis observari diligenter curent: illis inhibendo, ne libros ubicumque impressos vendant, aut teneant, quos ipse Episcopus, sive ab eo deputatus, non inspexerit, & approbaverit.

Strigæ res su mulie[...]

Quęcumque pręterea, suggerente diabolo, clam in vulgus inferuntur, quibus magicarum pręstigiarum pro infirmis sanandis, aut conjugibus ligandis, vel solvendis, & divinationum pro rebus deperditis, aliarumque hujusmodi rerum detestandus usus retineatur, prohibeant, execrentur, damnent, exterminent Episcopi, & pręcipuè diligenter curent, ut mulierculæ, quas Strigas vocant, & quibus hæc nostra Provincia abundare dignoscitur, omnino deleantur.

De divino Cultu, & celebratione Missarum.

Cum sanctissimum, Angelisque etiam ipsis venerabile Altaris sacrificium Sacramentorum omnium & finem, & perfectionem esse, Sanctorum Patrum auctoritates pie sanè testentur, celebraturos Sacerdotes, quàm diligentissimè elaborare decet, ne tanto in Sacramento conficiendo ignorantia, negligentia, vel etiam contemptu, erroris aliquid ab eis admittatur, quo & erga tale Sacramentum populi devotio minuatur, & imparatæ ipsorum conficientium conscien-

scientiæ erroris onere graventur. Heli namque filios, Dominum nescientes, & ad populum Sacerdotum officia ignorantes, & in sibiipsis perditionem peperisse, & in maxima discrimina, & cædes populum adduxisse, sanctæ Scripturæ proclamant. His igitur ex causis sancta hæc synodus decernit, ut, quod ad hoc spectat, Sacri in primis Concilii Tridentini decretum omni studio servetur.

Nemo verò Sacerdos ad tremendum hujusmodi sacrificium se conferat, qui pridiè convivio solutiori operam dederit, aut aliter nimio se potu, vel cibo repleverit, seu aliquem insolentiæ actum fecerit, aut aliquid turpe admiserit.

Singulis saltem Hebdomadis peccata sua confiteri non omittat, etiam si mortalis peccati sibi conscius non sit; si verò in mortali existat, omnino confiteatur, priusquam celebret, si Confessoris copiam habet; qua denegata, cùm primùm se ei obtulerit, id statim efficiat.

In sacristia Missam diligenter prælegat, & ejus singulas partes sic promptas habeat, ut celebrando nullum errandi, sive hærendi periculum subeat.

Ad altare non accedat, nisi prius in Deum mentem dirigat, se indignum accusans, ut sacris Altaribus Deo ministraturus assistat: seque supra se levet, diligenter perpendens, si à quocumque reatu liberam sentiat esse conscientiam.

Missam non incipiat, nisi prius accensis candelis, urceolis, & aliis, quæ requirantur, paratis.

Aperto capite celebret: nec birretum, subirretum, aut aliud id genus in altare ponat.

Non ante auroram, neque celebret à meride, nisi ex causa jure permissa.

Addendum nihil, nihil etiam detrahendum sciat.

Peregrinum sacerdotem incognitum ad missæ celebrationem, Ordinarii licentia non perspecta, Ecclesiarum rectores non admittant. Ordinarius etiam non mediocre studium adhibeat ad veritatem, vel falsitatem comprobandam litterarum, quæ dimissoriæ dicuntur.

Viduas, quibus ob maritorum mortem domo exire per aliquot dies indecorum ducitur, Episcopi per mensem integrum tolerent celebrationi Missæ non interesse. Mense verò exacto, nulla eis cujusvis consuetudinis excusatio valeat, sed omnino ad Missæ auditionem, etiam (si opus fuerit) per censuras Ecclesiasticas cogantur.

De ritu servando in celebratione divinorum Officiorum.

Diurnum, sive etiam nocturnum divinum Officium delecta campanarum signa antecedant tanto temporis spatio, ut Clerici omnes, domo maturè decedentes, Ecclesiæ opportunè se possint offerre. Cùm autem Ecclesiam fuerint ingressi, signo Crucis se muniant, atque aqua benedicta aspersi flexis genibus ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, vel ante majus Altare (si qua in Ecclesia Sacramentum non servatur) Domino preces fundant. Quibus jam perrectis, superpelliceis induti, omni cum modestia, & reverentia, cætera omnia parent, quæ eorum officia sibi exposcunt, & postquam suum unusquisque locum in choro adierit, pulsetur parva campana, & ab Hebdomadario, vel ab alio, cujus id muneris intererit, alta voce Dominica oratione indicta, & ab omnibus simul secreto completa, omni devotione Officium inchoetur. Qui verò à tali ritu decesserit, illius horæ distributione privetur, nisi ejus excusatio ab Ordinario, vel à Chori Rectore perpendenda, aliter faciendum suaserit.

Primo psalmo jam finito; &, si in matutinis Beatissimæ Virginis Officium celebretur primo Capitulo jam completo; & in cantatis Missis, ultimo Kyrie eleison dicto, qui ad chorum se contulerit, ille horæ interfuisse non putetur.

A librorum, litterarum, & cujusvis scripturæ lectione, dum Officium dicitur, abstineant, neve privatim Officium dicant.

Pueri, prima tonsura initiati, qui Jacones vocantur, privilegiis Clericalibus non gaudeant, nisi diebus saltem festivis Ecclesię inserviant, ferialibus verò duo quotidiè per vices idem faciant, cæteris ludo literario incumbentibus.

De Ecclesiis.

Valde indignum esse sancta Synodus duxit, cùm in hac Provincia plures Ecclesias omnipotenti Deo consecratas, aut in beatissimorum SS. suorum memoriam extructas, ita prostratas, & in eam sordem, ac deformitatem redactas esse conspiciat, ut Ecclesiarum imagine jam deperdita, ad speluncarum latronum similitudinem prope accessisse videantur.

Episcopis eapropter præcipit, & mandat, ut tàm curatas, quàm non curatas Ecclesias, sacella, Oratoria sacrata, quæ ruinosa fuerint, reædificanda, cooperienda, claudenda, eaque reverentia, atque custodia tenenda curent, quæ à sacris locis aliena esse non debet. Quod si Ecclesiarum paupertas id minimè patiatur, ea de re Tridentini Concilii decreto parere meminerint, ut scilicet Altaria in Cathedrales Ecclesias, sive Collegiatas, aut alias quascumque eorum judicio transferri demandent, lapides, ligna, cæterasque materias, quibus ipsarum Ecclesiarum ædificia constructa fuerunt (nisi honestiores causæ secus exigere videantur) prophanis usibus accommodari non sinant: Quod enim Deo semel sacratum est, prophanum fieri, omnis religio, & pietas devetat.

Nulla prophanarum rerum, neque cum suspectis mulieribus colloquia insint.

Ita sedeant, ne sanctissimam Eucharistiam à tergo habeant. Dum Dominicum corpus Sacerdos adorandum elevat, nemo non genuflectat. Non in Ecclesiis, sed in earum januis eleemosynas paupęres quærant.

De aqua benedicta.

Archipresbyteris, & aliis omnibus Ecclesiarum curam gerentibus, sancta Synodus mandat, ut aquam benedictam, cujus aspersione se fideles sanctificant, venialia purgant, ab incursu hostis, & insidiis se protegunt, nocturna phantasmata profligant; Dominicis singulis quibusque diebus innovandam curent: & ideo quolibet die sabbati fontes, in Ecclesiarum aditu positos expurgari, ac sordibus omnibus mundari, & munda aqua impleri faciant. Quę verò extracta fuerit, non per Ecclesiam projiciatur, ne pedibus benedicta comprimatur, sed in Sacrarium ingeratur; & in crastinum de mane nova benedicatur, servata benedictionis forma, & ritu, in Baptisterio traditis.

De Sacramentis.

Cum in pluribus hujus Provinciæ locis Archidiaconi, Archipresbyteri, & aliæ Ecclesiarum collegiatarum dignitates dicantur, & sint verè Parochi, quibus animarum cura, Sacramentorumque administratio competit: usus verò, longaque consuetudo recipit, & adhuc retinet, quod Canonici omnes, cæterique Ecclesiarum Presbyteri, illorum coadjutores, simulque sanctissimorum Sacramentorum coadministratores sint: sancta Synodus usum talem justis de causis retinendum duxit; ita tamen ut postquam de eorum singulis per Episcopum facta fuerit diligens inquisi-

quisitio, ab ea Sacramentorum administratione arceantur, si qui, vel propter ætatem, vel propter inexperientiam, vel alia quavis causa, minus idonei reperti fuerint. Ac etiam ut sacratissimæ Eucharistiæ, fontium Baptismalium, oleorum, ac aliarum sacrarum rerum conservatio, atque custodia, non in communi, sed certæ semper personæ ab Episcopo eligendę, incumbat, penes quam claves semper maneant. Ubi verò animarum cura uni Parocho tantùm commissa est, illius loci consuetudo servetur.

Nemini liceat absque superpelliceo, & stola sacramenta administrare. Ubi sacramenta Episcopi administrabunt, Auditorum capacitate, intelligentiaque ritè perpensa, omni sedulitate, & studio eorum Sacramentorum usum, atque efficaciam populis explicare nitantur. Quod idem & Parochi facere non omittant. Et quoties populum adhortantur, ferventissimis exhortationibus suis, eo singulorum animos flectere curent, ut (si non frequentius) saltem in Nativitatis Domini, ac Pentecostes, & aliis solemnibus Festis & confiteri, & communicare assuescere discant.

De Baptismo.

NE parentum negligentia infantium aliquis sine baptismatis aspersione decedat, sub excommunicationis pœna præcipitur illis, quos hæc cura tangere debet, ut intra novem dies parvulos in Ecclesia baptismum suscipere curent: si verò interea periculum infantibus imminere videatur, domi etiam baptisma tribuendum, sancta Mater Ecclesia approbavit, & sancta Synodus observandum mandat, ministrante tamen (si adsit) Sacerdote; vel (si non adsit) altero Clerico; vel etiam deficiente, laico, primum mari, ac dein fœmina, modo rectam baptismi formam noverint. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ad baptismum nonnisi unum compatrem, vel ad summum unam commatrem, quos etiam & laudabilis vitæ, & honestæ famæ, & Christianæ pietatis cultores esse constiterit, vocandum permittimus.

De Confirmatione.

NEminem tali sacramento premuniant, quem septimum annum agere non cognoverint.

De Sacramento Eucharistiæ.

JUvenes, qui prima vice ad hoc sanctissimum Sacramentum erunt accessuri, per aliquot dies ante Parochum adeant, à quo de ejusdem Sacramenti vi, & virtute instruantur, &, an ad suscipiendum habiles sint, judicentur.

Post Eucharistiæ sumptionem vinum populo non porrigatur in Calice consecrato, nec omnino in vase ad ejus similitudinem formato.

Qui Eucharistiam sumpserunt, aqua benedicta aspersi, pro tanto Sacramento Deo gratias agant.

De custodia, & loco Eucharistiæ, & de modo illam deferendi ad infirmos.

TEneatur Parochus, seu ille, cui ab Episcopo Eucharistiæ custodia commissa fuerit, Eucharistiam servatam ad minus bis in mense sumere, novamque parare: qui quidem Parochus, vel custodiam gerens, teneatur etiam providere, ne lumen ante illam unquam deficiat, & circa luminis impensam, cujusque loci consuetudo servetur.

Parochus, vel alius Sacerdos infirmis Eucharistiæ venerabile Sacramentum laturus duas saltem sacratas Hostias secum deferat, ne, dum Ecclesiam repetit, in idololatriæ peccatum adoratores incurrant. Sto-

A la, superpelliceo, pluvialique indutus, Sanctissimam Eucharistiam, serico amictu coopertam, sub pallio (ubi haberi possit) reverenter, atque honorificè, ante pectus ferat, & referat,

Quælibet autem Parochialis Ecclesia lanternam saltem unam habeat, vel auro, vel honestiori quocumque ornamento exornatam, quam hastæ impositam Sacramento præferendam jubemus, ut si vento, aqua, vel quavis alia tempestate cætera lumina fuerint extincta, lumen in ea servatum ab omni aeris injuria defendi possit: atque ut populorum devotio magis excitetur, tintinnabulum parvulum aliquod præferatur, & pulsetur.

De Pœnitentia.

B QUoniam verò pœnitentia languores sanat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam confert, sancta Synodus Confessores monet, ut sacros Canones benè calleant, & in confessionibus diligenti quodam temperamento adhibito, nec peccatores nimia acerbitate detereant, & desperent, neque nimia facilitate ad denuo peccandum alliciant, & quasi impellant. Præcipit etiam, ut quam pœnitentiam pro modo culpæ, & Ecclesiæ consuetudine, confessis injunxerint, eos quoque de eorumdem Canonum rigore in gravioribus peccatis singulatim admoneant; ut, cùm sanctæ Matris Ecclesiæ benignitatem in mitigandis pœnis cognoverint, ad evitanda peccata deinceps erubescant non esse cautiores.

C Et quoniam sacro Concilio statutum est publicis peccatis publicam infligi pœnam, ea propter publicam in privatam convertere non audeant, id quod Episcopis tantùm, aut eorum permissu licere volumus. *Peni- tia p*

Moneant etiam illos, qui confiteri tenentur, ut ad tantum pœnitentiæ Sacramentum, quo nobis paradisi janua aperitur, nonnisi debita præparatione accedant, & in cordis contritione, & humilitate nulla Sacerdotis interrogatione prævia, ipsemet confitens Sacerdoti peccata sua aperiat, & denudet: quam diligentiam, si quando aliqua in re Sacerdos deficere perspexerit, ab eodem præcipimus adjuvari.

D Neminem etiam absolvant, quem dignè satisfecisse non perspexerint, & eos præsertim, quibus facultas affuit, & ablata restituendi, & legatis ad pias causas factis satisfaciendi, nec id tamen (quamvis in precedenti confessione per eos promissum) præstiterunt. Eos autem excipimus, qui in mortis articulo fuerint constituti: qui tamen erunt admonendi, ut si convaluerint, quamprimùm poterint, satisfaciant: si verò obierint, id onus districtè hęredibus injungant. *Abs quib nega*

Confessores in privatis ædibus, neque in collia, Sacristia, aut omnino extra Ecclesiam, confessiones non audiant, nisi ex causa necessaria.

In ipsis autem Ecclesiis, nec in angulis, & locis abditis, sed in aperto, neve ante solis ortum, vel post ejus occasum, confitentes mulieres audiant, nisi ex causa necessaria.

E Medici post primam, secundamve visitationem sub excommunicationis pœna ad ægotorum curationem non accedant, nisi certò cognoverint, ipsos postquam in eum morbum inciderunt, de eorum peccatis idoneo Confessori confessos.

De Extrema Unctione.

ADvertat quoque Sacerdos, ne erret, quando ungit infirmum, ne unus proferat verba, & alius ungat: sed ille idem, qui ungit, debet verba proferre, aliàs non conficit Sacramentum. Eapropter, ubi est copia Sacerdotum, accedere debeant ad minus duo, vel tres cum Hebdomadariis, qui

Qui possint dicere Officium, & Litanias, & omnia facere, quæ in libro ad tale opus adhibito continentur, dummodo ille solus ungat, & proferat verba illa, Per istam sanctam Unctionem, &c. ungendo cum prolatione illorum verborum.

De Sacramento Ordinis.

NE ad Ordinis sacramentum, cujus & sanctorum Patrum dictis, & capitis nostri Jesu Christi exemplo septem sunt gradus propter septiformem Spiritus sancti gratiam, indignus aliquis assumatur; neve in eo conferendo indecens quid admittatur: Sancta hæc Synodus, Tridentini Concilii decretis inhærendo, illud in primis Episcopis omnibus mandat, ut in Ordinibus conferendis diligentissimè caveant, ne pro talium graduum collatione, nec per se ipsos, nec per interpositas personas nihil ipsi etiam sponte oblatum accipiant, nec à suis familiaribus, aut ministris accipi sinant.

Illi verò, in quos vel minores, vel sacri Ordines erunt conferendi, pridiè, vel aliquot dies ante ordinum collationem, si ita magis Episcopo expedire videbitur, vel ab Episcopo, vel alia quavis persona ab eo ad illud assumpta Christianam doctrinam audiant, & ea præsertim capita Catechismi, jussu sanctissimi D. N. Pii novissimè impressi, quæ ad Sacerdotii ministerium spectant.

Deinde accuratissimè per examen ab illis requiratur, an ea omnia calleant, quæ ad ordinem eis conferendum spectant, & ad officium, quod exercebunt. Subdiaconi non admittantur, nisi ita grammaticam possideant, ut quidquid legant, eos intelligere comprehendatur.

Diaconi non promoveantur, nisi interrogati Ecclesiasticæ doctrinę, quæ in Catechismo continetur, rationem omnem in promptu habeant, Symboli, scilicet Apostolici, Orationis Dominicæ, Decalogi præceptorum, Ecclesiæ Sacramentorum, & eorum omnium, quæ ad Diaconatus Ordinem, & Officium requiruntur. Ad Sacerdotium etiam promovendi ad hoc idem teneantur.

Omni diligentia Episcopi utantur, ut sciant titulos Ordinandorum, si sint patrimoniales, an eis sint satis, an per fraudes, & deceptiones sint parati? Neque admittantur, nisi aut Vicarii, Archidiaconi, Archipresbyteri, vel Parochi litterarum testimonio approbentur. Si verò beneficiales sint, Beneficii fructus itidem idonei, ac sufficientes sint. Ipsi verò etiam Ordinandi juramento adstringantur, se nec patrimoniales titulos alienaturos, aut permutaturos, nec Beneficiales resignaturos, donec eorum victui fuerit aliunde provisum.

De vita, & honestate Clericorum.

CUm ad subditorum reformationem necessaria in primis esse videatur Episcoporum, & aliorum, qui animarum curam gerunt, morum splendor, & vitę emendatio, quorum incuria, & negligentia abusus certè in hac Provincia irrepserunt innumeri; statuit sancta synodus, ut ad se ipsos primùm reformandos, omne studium, & animum convertant, ne scilicet dicatur illis, quod imponunt onera gravia, quę ipsi digito tangere nolunt. Ea propter Episcopos hortatur, ut (nisi justo impedimento præpediantur) Dominicis, & aliis Festis diebus Missam celebrent, & pro populorum delictis sacrificium offerant. Sacerdotibus verò omnibus pręcipit, ut talibus diebus idem sibi censeant faciendum. Qui verò animarum curam gerunt, singulis Hebdomadis ter saltem celebrare teneantur, & eo etiam amplius pro loci consuetudine, & necessitate.

Diaconi, subdiaconi, bis; in minoribus verò constituti simplices, aut quicumque alii Clerici, semel saltem singulis mensibus communicare teneantur. Qui verò, necessaria ratione cessante, id neglexerit, ac prædictis ordinationibus parere noluerit, & castigatus se non emendaverit, pœnam Ordinarii arbitrio impositam luat.

Clerici gestu, vultu, habitu, & vestitu statum, & ordinem suum profiteantur; sint corona, & tonsura clericali, uniuscujusque ordinis convenienti insigniti. Vestis externa talaris omninò sit. Interiores verò pro locorum, atque hominum conditione, qua majori poterit decentia, ordinariorum arbitrio.

Nulli Clerico liceat mulieres, cujuscunque gradus, aut conditionis sint, associare, nec ad brachium ducere, aut eis aliquo modo famulari.

De Edicto proponendo in examine eorum, quibus animarum cura committenda est.

CUm magna diligentia adhibenda sit in examine eorum, quibus animarum cura est committenda, statuimus, ut cum primùm Episcopus Parochialem Ecclesiam, sive Canonicatum, aut dignitatem in Ecclesiis, ubi toti Capitulo animarum cura incumbit, vacare cognoverit, intra triduum illius Ecclesię valvis edictum, per decem continuos dies, vel aliud longius tempus sibi benè visum, poni mandet, in quo ad examen invitentur, quicunque de beneficio sic vacante provideri cupient, ut, transacto edicti tempore, examen fieri queat; ac deinde, servatis, quantum fieri poterit, pro temporum, locorum, & personarum qualitate, iis omnibus, quæ à Tridentina synodo sancita sunt, alius idoneus in locum demortui sufficiatur.

Quæ per Clericos debeant Vicarii.

QUi Clericali militiæ sunt adscripti, non alio armorum genere decertare debent, quàm orationibus, & lacrymis, quę quidem, si una Cœlum adeunt, certum est, quòd absque victoria inde redire non possunt. Eapropter omnem armorum usum, vel ad proprium tutamen, vel ad nocumentum aliis inferendum, sancta Synodus Clericis omnibus interdicit; exceptis cultellis pro domestico vitæ usu. Si quò verò eis iter sit faciendum, & per loca suspecta transeundum, de Ordinarii licentia in scriptis, eis arma ferre liceat, Balistas tamen, sclopetos, tela, cæteraque hujus generis nullo modo secum habere possint.

De Meretricibus.

QUoniam mala omnia vel omnino evitanda, vel quoad fieri potest, à nobis sunt removenda, Sacra synodus omnibus Episcopis sollicitam curam gerere mandat, ut in civitate vel vicus, vel locus aliquis meretricibus (ubi sunt) destinetur, quò ab honestis mulieribus secernantur, ipsosque civitatum Rectores hortatur, ut hoc opus auctoritate sua adjuvent.

De Blasphemia.

QUo magis sanctissima illa verba in Dei laudem dicta, mente volutamus, omnis scilicet, terra adoret te, & psallat tibi, Deus; eo magis in illos jure animadvertendum censemus, qui Dei nomen, cui omne genu curvatur, vel Sanctæ Virginis, quam in matrem sibi elegit, vel Sanctorum, qui cum Christo regnant, blasphemare sacrilego ore non verentur. Sancta ergo Synodus decernit, ac mandat, ut juxta Sacrorum Canonum statuta, Episcopi, & alii locorum Ordinarii, eos omnes punire studeant, quos huic sceleri deprehenderint esse obnoxios. Quod si Clericus vel Dei, vel Jesu Christi, aut Virginis Mariæ, aut Sanctorum, nomini diris verbis

bis publice detraxerit, fructibus, redditibusque omnibus Ecclesiasticis unius anni pro prima vice privetur. Si verò iterum in eodem deliquerit, eo beneficio, quod possidet, privetur: quod si plura possideat, eo privetur, quod ad ejus pœnam, & emendationem Ordinario magis videbitur expedire. At si tertiò in eandem culpam fuerit prolapsus, si tunc Deum, tanquam præteritæ veniæ ingratus, et filius, qui patris doctrinam, & increpationes ad ejus salutem abjiciat, omni beneficio, gradu, dignitate perpetuò privatus: ac ad quemcumque Ecclesiasticum honorem deinceps consequendum prorsus inhabilis esse declaretur. Si verò sæcularis erit, prima, secundaque vice pecunia mulctetur, juxta sanctionem sacri Concilii Lateranensis, sub Leone X. At tertia vice juxta sacrorum Canonum statuta publicè pœniteat. In eos autem, qui non publicè blasphemaverint, Ordinarius mitiùs agat. Servi autem, sive operarii, qui in dominorum domibus in blasphemiam incurrent, primò acriùs ab eis arguantur: deinde ab eorum domibus contumeliosè expellantur. Sciantque, qui blasphemiis interfuerint, nisi blasphemantes redarguant (modò id sine periculo fieri possit) eorum peccato non parùm communicare. Omninò autem intra triduum blasphemantium nomina ad judicem Ecclesiasticum deferre teneantur: & si plures audierint, idem faciant, nisi unus pro omnibus id sibi faciendum susceperit. Confessores ei, qui blasphemaverit, gravem pro qualitate blasphemiæ pœnitentiam imponant.

De sacrarum actionum repræsentationibus.

CUm usum Dominicæ Passionis repræsentandæ, & Sanctorum martyria referendi, tametsi piissimè introductum, ob hominum nequitiam aliis risum, aliis scandalum potiùs, quàm devotionem, & pietatem afferre sancta synodus animadvertat, decernit tàm in Ecclesiis, quàm in quibuslibet privatis aliis locis ab hujusmodi repræsentationibus, abstinendum esse. Concionatores autem, ignito Domini eloquio fidelissimè exposito, sic quoque crucifixi Domini nostri, aliisque exterioribus piissimis actibus, per Ordinarium probatis, populos ad pœnitentiam, ac pietatem, ad fletum, & planctum adhortentur, ac tàm Domini, quàm Sanctorum actiones ita piè, & graviter narrent, ut auditores eorum sibi exempla omnibus in operibus proponant, & ad eorum patrocinium in necessitatibus confugere discant.

De miraculis.

HUmani generis hostis tantæ sunt insidiæ, ut sæpenumerò falsis miraculis, ac illusionibus, Christifideles simplices, atque pios in errorem inducere possit. Quocirca sancta Synodus decernit, ut nulla posthac nova miracula admittantur, nisi (Tridentini Concilii de Miraculis prius servato decreto) ab Episcopis illa fuerint approbata.

De Reliquiis.

SAnctorum Reliquias, quæ olim Spiritus Sancti templum, ac Christi viva membra fuerunt, omni reverentia venerandas esse ex sacri Tridentini Concilii decreto, sancta hæc Synodus decernit. Et ideò in vasculis suis benè, & decenter sub clavi custodiantur, nec in Altaribus ad longum tempus exponantur, sed quotiescumque populo erunt ostendendæ, aut in processionibus circumferendæ, id luminibus accensis, ac debita cum solemnitate fiat, & denuò sub clavi recondantur. Novæ autem reliquiæ non admittantur, nisi quæ per Episcopos omni diligentia receptæ, & approbatæ fuerint.

De Piis locis.

SUb excommunicationis latæ sententiæ pœna Notariis, & quibuscumque Actuariis præcepit sancta Synodus, ut trium mensium spatio Ordinario revelent, atque provideant, testamenta, codicillos, cæteraque Actorum, & Legatorum genera ad pias causas factorum, tàm de rebus malè partis, quàm furtim acquisitis, quæ vel ipsi rogati scripserunt, vel penes se detinent, ab aliis scripta. Sub eadem quoque pœna præcipitur iisdem, ut intra mensem deinceps (legitimo tamen impedimento cessante) Legata omnia, quæ eis scribenda contingent, Ordinario denunciare non omittant.

De Monasteriis.

IIdem superiores illud etiam sæpius exequantur, ut ea Sacri Concilii Tridentini decreta legenda proponant, quæ ad Regulares, & eorum Monasteria spectant, & ipsi observent, & per eorum subditos inviolabiliter observari jubeant.

De Ecclesiastica potestate.

ECclesiasticam dignitatem à Jesu Christo traditam, duplicem esse, non est dubitandum, id quod duarum clavium numero apertè demonstratur. Prima siquidem est pœnitentiæ Sacramentum, quæ internam, & secretam conscientiam respicit peccatoris, qui sponte peccata confitendo solvitur. Altera verò Jurisdictionem, & exterius regimen exercet, qua non per propriam conscientiam tantùm, sed per testes peccatores convincuntur, & puniantur, quo testimonio, & publica delicta corriguntur, ne eorum gratia è Regno Cœlorum peccatores excludantur.

Clavi[s] plex.

De Sepulturis, & exequiis mortuorum.

SIcuti piissimum est, ut fidelium corpora in Cœmeteriis, vel Ecclesiæ fines recondantur, ita impietati proximum videtur, ut putida cadavera in loco excelso, & ornato collocentur. Curent ergo Episcopi, ne ulla deinceps eo modo sepeliantur, & quæ sepulta nunc sunt, unà cum sepulchris (nisi tamen marmorea, aut ærea sint) amoveantur, & humi dentur, ita ut locus, in quo conduntur, à reliquo Ecclesiæ pavimento minimè promineat. Nec Ecclesiarum Rectores permittant, ossa fidelium, quæ hac illac per angulos Ecclesiarum sparsa reperiuntur, insepulta manere, sed similiter sepeliantur.

Caveant Parochi, ne pro exequiis, pro sepultura, & anniversariis defunctorum quidquam paciscantur, exigant, aut petant, vel quid aliud committant, quod Simoniam, aut avaritiam sapiat. Ne tamen os trituranti bovi penitus alligetur, Episcopi curam suscipiant, at laudabiles, piæque in his serventur consuetudines. Legata etiam, quæ piè per defunctos facta fuerint oblata, accipi prohibeant.

De Prædicatione.

PArochi quoque, Archipresbyteri, & alii quicumque animarum curam gerentes, Dominicis saltem diebus, & festis solemnibus, Adventus verò, & Quadragesimæ tempore quotidie, vel ad minus ter in Hebdomada, in eorum Ecclesiis per seipsos idem omninò faciant; excepto tamen, ubi per Quadragesimam prædicatores, vel alii conduci consueverunt, quo tempore parochus quiescere poterit. Quod si fortè eorum aliquis ad hoc munus obeundum inhabilem sese cognoverit, peritum aliquem adire non erubescat, cujus studio, & opera ex latino in maternam

ternam linguam homilias, & sermones, scriptorum Catholicorum verti curet, & illis memoriæ demandatis, vel saltem de scripto lectis, debito satisfaciat, cui sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii decretis tenetur.

Prædicatores verò argumenta, & rationes hæreticorum non recenseant, ne in imperitorum fidelium mentibus confusionem pariant. At si quando, ut eorum falsa dogmata facilius rejiciantur, ipsorum argumenta afferre sit necesse, tunc (quoad fieri poterit disputationibus resecatis, gravissimisque reprehensionibus) poterunt id exequi.

Meminerint etiam, cùm Dominus dixerit, nostrum non esse nosse tempora, vel momenta. Antichristi adventum, & ultimam judicii diem, certo, ac definito tempore non tractare.

De Pœnis.

VUlt insuper, ac mandat, ut in diœcesanis Conventibus Episcopi eadem Provincialis Synodi statuta legi, & publicari; ac illa, unà cum decretis Concilii Tridentini, in singulis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis hujus Provinciæ, certo aliquo loco collocata, perpetuò asservari curent.

Hujus autem sacræ Synodi decreta suum robur habere declaramus ad unum mensem, postquam Ecclesiæ Metropolitanæ valvis affixa fuerint.

Omnia, & singula, quæ in hac sacra Synodo decreta, actaque sunt, sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris, & Magistræ semper emendanda, & corrigenda, qua debemus obedientia, ac reverentia, auctoritati subjicimus. Laus, & gloria Deo optimo Maximo, nunc, & semper. Amen.

QUÆDAM HISPANICA.

CONCILIUM BRACHARENSE,

Anno Domini 412. in causa reliquiarum, ingruentibus Barbaris.

DIligentia Doctoris Bernardi de Britto *in Monarchia Lusitana* parte 2. lib. 6. cap. 2. repertum est in cœnobio Alcobacensi ordinis Divi Bernardi primum Brach. Concilium celebratum anno Domini 412. in fano sanctæ Mariæ Bracharensis à Pancratio Episcopo primæ sedis, ubi propter Alanorum, & Svevorum in Galleciam, & Lusitaniam irruptionem congregatio facta est Episcoporum super reliquiis Sanctorum in loco tuto reponendis, & occultandis ab istis Barbaris, erat enim tunc gens indomita, & fera. Et Pancratius Bracharensis Episcopus dixit. Nunc, si placet vobis omnibus, statuatur, quid agendum sit de reliquiis Sanctorum, præcipuè de Patre nostro, & Apostolo hujus regionis Petro Ratistensi, quem ad salvandas animas Jacobus consanguineus Domini admisit, &c.

Ex quibus apparet, ait Augustinus Barbosa de *Pastorali solicitudine*, par. 1. tit. 3. cap. 8. Divum Petrum primum Bracharæ Episcopum Apostolum illius regionis vocari, & à Divo Jacobo illic relictum, ut opus faceret Euangelistæ: constat etiam ex verbis sequentibus, Pancratium primatem esse, & ad eum uti talem confugisse Conimbricensem, Ægitensem, Portugalensem, Emeritensem, Lamacensem, Iriensem, & Numartinum Episcopos. Licèt autem Bracharense aliud celebratum fuerit ann. 566. regnante Theodomiro Rege Svevorum, pro secundo Concilio Bracharensi numerari debet.

Nec obstant isti primatiæ Bracharensi Concilia Toletana, quia celebrata sunt non ex mandato Episcopi Toletani, sed ad supplicationem Regis excitati Episcopi in iis adfuerunt. Ideoque plerumque Toletanus Episcopus tertio, vel quarto loco se subscribebat; cùm tamen, si ut Primas adfuisset, primo loco subscribere debuisset. Sed & contendit ibidem Barbosa in provincialibus provinciis ex superioritate loci non posse sumi argumentum majoris dignitatis, cùm apud antiquos alium constet sedendi ordinem, quàm qui est nostris temporibus, & aliquando subscribunt non suo nomine, sed provinciæ illius, quam sustinent, & frequentius subscribunt pro antiquitate consecrationis, & ita decretum est à Gregorio Primo in cap. finali 17. dist. *Ordo subscriptionis Episcoporum.*

CONCILIUM TURIASONENSE in Aragonia,

Pro dissolvendo matrimonio Jacobi Regis Aragoniæ, Preside Joanne Halgrino Cardinali Legato Sedis Apostolicæ, tempore Gregorii noni, anno Domini 1229.

DE hoc Concilio sic habet Episcopus Apamiensis tomo primo Continuationis Annalium Baronii ad annum 1229. Hoc item anno Joannes Monachus Cluniacensis natione Gallus ex Diœcesi Ambianensi, nobili familia Halgrina, ex Archiepiscopo Bisuntino, doctrina, & virtutibus claro, creatus à Gregorio Papa Cardinalis Episcopus Sabinensis, & Sedis Apostolicæ Legatus in Hispanias missus, Concilio Turiasonense in Regno Aragoniæ sub finem mensis Aprilis celebrato (cui interfuerunt Toletanus, & Tarraconensis Archiepiscopi, aliique Episcopi) causa cognita, conjugii Jacobi Aragoniæ Regis, quod octo ante annis tenera admodum, & impotenti adhuc ætate cum Leonora matertera Ferdinandi Castellæ Regis natu multo grandiori inierat, auctoritate Apostolica dissolvit, ob propinquitatem cognationis, cujus nulla facta gratia fuerat: sive id expetente Rege tædio hujusmodi nuptiarum, sive non nolente, sanè nequaquam contradicente, nisi quod cavit de legitimitate Alphonsi pueri; quem ex Leonora bona utriusque parentis fide susceperat, & in spem successionis educabat. Sicque secundum Regis voluntatem pronuntiatum est locum esse divortio, eoque non obstante, Alphonsum verum esse, ac legitimum Patris successorem, ac Leonora ad suos remissa, oppidis dotalibus, quæ in Aragonia habebat, retentis, multaque supellectile, auro, gemmis, ac veste pretiosa secum asportata. Narrant hæc pluribus Surita, Gomesius, Mariana, & alii rerum Aragonicarum, & Hispanicarum scriptores. Cumque nihilominus post aliquot annos nonnulli prædictum Alphonsum in periculum successionis adducere vellent, Gregorius Pontifex sententiam Legati confirmans, eumdem Alphonsum auctoritate Apostolica legitimum esse, ac regnandi capacem semel, iterumque declaravit, eo quod natus Jacobo fuisset, cum bona fide legitimum ab omnibus illud matrimonium credebatur, &c. *Joannes Halgrinus.*

Cæterum prædictum Joannem Legatum reliquas pariter Hispaniarum provincias peragrasse, & celebratis in singulis regnis Conciliis monita salutis proposuisse, Rodericus Toletanus in sua historia lib. 9. cap. 12. tradit, virum bonum, sapientem, & litteratum prædicans, quem & Tritemius inter scriptores Ecclesiasticos collocat, & maximè commendat. Eumdemque ex Hispania remeantem Raimundus de Pennaforti Barchinonensis Jurisconsultus egregius sequutus est, cujus postea opera Gregorius Pontifex libros decretalium condidit.

CONTROVERSIA.

A

Omnino conformis est Juri Canonico sententia lata in hoc Concilio à Cardinale Halgrino. *Qui filii sunt legitimi*, cap. *per venerabilem*, &c. *ex tenore*. In quibus capitulis id definit Innocentius Tertius. Quippe ad tuendum statum liberorum sufficit bona fides alterutrius parentis, ut impedimenti fuerint ignari, quo tempore contraxerunt, sicuti etiam quando Ecclesia permittente, hoc est authore judice Ecclesiastico contractum fuerit, tametsi perperam, & per errorem. Quod si jure id non constaret, tenet glossa in dictum cap. *per venerabilem*, dominum Papam non posse legitimare aliquem, quantum ad hoc, ut succedat in hæreditate, tanquam legitimus hæres, qui non sit de sua Jurisdictione temporali, sic enim esset mittere falcem in messem alienam, & usurpare alienam Jurisdictionem, & privare aliquem jure succedendi. Unde credo, ait ibidem glossator, quod non possit legitimare, nisi quoad actus spirituales. Tamen quidam extendunt legitimationem ad honores sæculares: ut per hoc intelligatur esse legitimatus, ut possit esse judex, & habere hujusmodi honores temporales. Attamen Innocentius Tertius eodem capite innuit, distinguendum esse inter Reges, & subditos, quod cùm Rex superiorem in temporalibus non agnoscat sine juris alterius læsione, possit se submittere Jurisdictioni summi Pontificis in legitimandis filiis. In quo ait, videretur aliquibus, quod per seipsum (non tanquam pater cum filiis, sed tanquam princeps cum subditis) potuit dispensare. Quo loquendi modo indicat se non assertivè loqui, sed magis ex aliorum mente, unde glossa ibidem negat Regem posse legitimare filium suum, licèt possit alienum: altera verò ait: Et ita Rex erit hic actor, & Judex proprii facti: & licèt forte Rex id facere possit, melius tamen facit, si abstinet à talibus.

Legitimatio ad quæ pertinet.

B

C

Gravior verò difficultas hìc occurrit, num in præsenti casu obligaretur Rex ad petendam dispensationem de gradu consanguinitatis, ac ea obtenta renovare consensum matrimonii. Obligatus enim ad aliquid faciendum, subinde tenetur efficere, ut actus valeat, ac proinde procurare dispensationem, ut matrimonium revalidetur. Verum ut in aliquibus casibus teneatur aliquis procurare dispensationem necessariam ad validè contrahendum, ut si quis matrimonium fœminæ consanguineæ promisisset, si Papa dispensaverit, ut docet Thomas Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 5. num. 25. non tamen ad id teneri videretur, qui ante annos pubertatis contraxisset cum aliqua, aut si ex vi, & metu, qui posset cadere in constantem virum, aut si blanditiis nimiis allectus fuisset. Quia fraus nemini debet patrocinari, nec quisquam ex culpa sua jure commodum reportare debet. Jacobus autem Rex materteram suam duxerat in tenera ætate, & nondum potens: ideò de dispensatione actum non est, sed de dissolutione.

Dispensatio an petenda.

D

Cæterum de præside hujus Concilii sic scribit Trithemius in libro de scriptoribus Ecclesiasticis. Joannes de Abbatis villa Archiepiscopus Bizuntinus, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, natione Gallus, in divinis scripturis eruditissimus, & earumdem sacrarum litterarum famosissimus interpres: qui in studio Parisiensi Theologiam multis annis egregiè docuit: in declamandis sermonibus ad populum excellentissimus: qui ob eam rem vel maximè factus est ex Magistro Parisiensi Archipræsul Bizuntinus. Scripsit valdè utiles, & insignes sermones de tempore lib. 11. sermones de sanctis lib. 11. alia quoque multa edita edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Scripsit autem dictos sermones per circulum anni. Primo quidem breves lectiones Euangelicas, & Apostolicas breviter exponendo. Postea verò alios sermones tàm de dominicis, quàm de festivitatibus adeo prolixos edidit, tot scripturarum inducens testimonia, ut vix possint memoriæ commendari, qui tamen jam novis supervenientibus ex parte viluerunt.

Joannes de Abbatis villa.

E

Libri autem illi, quorum notitiam se non habere asserit Trithemius, sunt commentarii in Cantica canticorum, ac etiam in omnes Psalmos Davidicos, qui nondum luce publica donati sunt: hos autem videre licuit in Bibliotheca Patris F. Joannis de la Haje ordinis Minorum, qui eos ex monasterio quodam Episcopatus Suessionensis exscribi curaverat.

CONCILIUM

DERTUSENSE in Aragonia.

Præside Petro Cardinali Fuxensi Legato Martini Quinti Papæ, pro disciplina, & libertate Ecclesiastica, anno 1428.

Legatus Martini V. ad Alphonsum Regem Arragoniæ Petrus Cardinalis de Fuxo celebravit hoc Concilium nationale Dertusæ cum omnibus prælatis, & aliis præcipuis Ecclesiasticis regnorum Arragoniæ, & Valentiæ, ac Principatus Catalauniæ, qui magno numero interfuerunt pro Ecclesiarum illarum partium, & totius status Ecclesiastici reformatione, quatuorque publicis sessionibus absolutum est, in quarum prima recitata sunt octo diplomata Alphonsi Regis in favorem libertatis Ecclesiasticæ, cui antea non parum infensus fuerat, sed quasi momento divinitus tandem mutatus est ad preces Legati, cùm alioquin de interdicto generali in omnes ejus terras publicando jam illi verba fecisset. In reliquis sessionibus publicatæ sunt viginti constitutiones Synodales tàm de rebus ad prædicta diplomata, quàm de vita, & honestate Clericorum, de certarum vestium, ac colorum prohibitione: contra concubinarios; De non promovendis ad ordines inidoneis. Contra Clericos, & Religiosos sine litteris ordinariorum confessiones audientes, ne Ecclesiarum Prælati bona decedentium occupent. Ne Medici ultra tertiam vicem visitent infirmos, qui non fuerit confessi. De quibus apud Spondanum in Annalibus ad annum Christi 1429.

CONCILIUM

MADRITI

Celebratum pro reformatione, ac cultura sacerdotum ignorantium, sub Roderico Cardinale Legato, anno 1473.

Ex Spondano ad eumdem annum, in Hispaniæ sacerdotes (ait Mariana lib. 23. cap. 18.) invaserat pudenda litterarum inscitia; usque eo, ut pauci Latinè scirent, ventri, gulæque servientes. Avaritia rapaces in Ecclesiam manus ejecerat, & quod olim emere sacerdotia Simonia erat, tunc industria censebatur, neque intelligebant cæci principes, cæcioresque Pontifices, irato Deo fieri hoc commercii genus: quod facias, an patiaris perinde est. Habito Madriti ad principium anni conventu Episcoporum, ac sacerdotum evocatorum à Roderico Cardinale Vicecancellario in Hispaniam misso pro negotio belli Turcici, & pace inter Reges concilianda, prædicto inscitiæ malo medicinæ faciendæ ratio excogitata est, ut impetraretur à Pontifice Romano, uti singulis Ecclesiis Cathedralibus bini canonicatus suffragiis Episcopi, & Collegii, Theologo unus, alter Jure consulto obveniret.

Ignora[ntia] sacerd[otum] Hispa[no]rum.

Pertinet ad hanc Cleri ignaviam, quod ad finem anni in oppido Arandæ ab Alphonso Carillo Toletano Archiepiscopo, Concilio provinciæ celebrato, statutum inter cætera fuit, ne cura Ecclesiarum, aut dignitates ullis crederentur, qui Latinè nescirent: ut Episcopi minimum ter, minores Presbyteri quater singulis annis Missam celebrarent. Additio etiam salu-

salubriter, ut Episcopi semper in publico linteati viderentur: & ut viris sacri ordinis nefas esset, sese obsequiis procerum addicere, aut eorum stipendia facere, præterquam Regis. De hoc Concilio dictum est classe 4. sæculo 15.

De scientia Sacerdotum.

DUæ plagæ ex peccato originali in homine relictæ non nisi difficilè curantur, ignorantia, & concupiscentia. Inter remedia autem, quæ adhiberi possunt contra ignorantiam, qua vix aliquid pejus est, & in Sacerdote, à cujus ore requiritur lex Domini, unum est, si nisi in Conciliis maxima cura adhibeatur circa Universitates, quæ seminaria sunt Sacerdotum, ut in iis professores sint sui muneris capaces, & amantes, ne in juventute elabatur tempus, aut malè agentibus, aut nihil agentibus adolescentibus. Aliud est, si antequam admittantur ad tonsuram, & ad minores, ac majores ordines, diligentissimè probentur eorum studia, si in eis, quæ decet, & oportet eos scire, prout ad altiores ordines promoventur, instituti sint, ne si desit scientia eis necessaria, eorum numero gravetur Ecclesia, opera verò, & labore non juvetur, imò scandalizetur, cùm immatura Sacerdotum promotio innumera semper scandala pepererit. Hoc nos stimulo excitati ante aliquot annos publicæ luci exposuimus librum *de triplici examine ordinandorum, confessariorum, & pœnitentium*, cui appendicem subjunximus *de censuris Ecclesiasticis, ac impedimentis Canonicis*, cujus libri multiplex fuit editio. Sed & alii plures ante eos in id incubuerunt, nec deerunt post nos, qui varia methodo eumdem movebunt lapidem. Facilius enim morbo ignorantiæ medebitur ante ordinationem, quàm postquam suscepta fuerit; timor quippe repulsæ ab ordinatione plurium mentes exacuit ad studia, qui post ipsam quasi ab omni jugo liberi essent, libros dedignantur, ac eo Sacerdotis honore indigni sunt. Benè Divus Dionysius Areopagita in epist. ad Demophilum: *Quod si Sacerdotum ordo illuminandi fortitus est facultatem, certè, qui ea non est præditus, à Sacerdotali ordine, & virtute prorsus excedit. Et quidem is luce magis orbatur, & temerarius mihi videtur, qui talis cùm sit, ea, quæ sunt propria Sacerdotum, sibi sumit.* Et Dionysii interpres Pachimeres in cap. 3. Cœlestis Hierarchiæ. *Nisi ferrum (inquit) jam habitudine ignitum sit, nequaquam sanè id, cui applicatur, jam aduret: sic etiam Sacerdos, sive Hierarcha, nisi habitu superno fuerit illuminatus, nequaquam lumen aliis afflabit.* Quod expressius insinuat Divus Hieronymus in cap. 2. Malachiæ ad illa verba. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, Angelus enim Domini exercituum est*: ubi ita habet: *Dei nuntius Sacerdos Dei verissimè dicitur, quia Dei, & hominum sequester est; ejusque ad populum nuntiat voluntatem, & idcircò in Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali Doctrina, & Veritas ponitur, ut discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis.*

Plura alia Concilia Provincialia post Concilium Tridentinum in Hispania celebrata sunt, quæ minus in hisce plagis nota sunt.

CONCILIUM TARRACONENSE PROVINCIALE,

Anno 1600. in quo actum est de scribendo ad Pontificem Romanum Clementem Octavum pro beatificatione S. Ignatii.

INter alia, quæ decreta sunt in hoc Concilio, illud satis insigne est, quod miserit litteras ad Clementem Octavum pro Beatificatione sancti Ignatii de Lojola Societ. Jesu Fundatoris. Harum fragmentum aliquod refert Paulus Sherlogus tom. 3. in Cantica Canticorum, in cap. 6. vestig. 34. explanationis mysticæ, sectione unica, ex Ribadeneira, qui Hispano idiomate relationem de processu beatificationis sancti Ignatii edidit, quæ excusa est Madriti anno 1609. cui inseruit peregregias litteras Episcoporum Tarraconensium Concilii Provincialis habiti ann. 1600. missas ad Clementem Octavum, quibus eamdem efflagitant beatificationem. Excerpimus nonnulla, quoniam libelli obvia non est copia.

Sancta, inquiunt, Apostolica, & Romana sedes Sole amicta, & coronata splendore duodecim stellarum, Regina unius, atque alterius poli, peperit hunc Spiritum salutis, eo tempore, quo Martinus Lutherus, velut Hydræ Lernææ, aperiens puteum abyssi, incepit obscurare Solem teterrimo fumo, & terram replere pestiferis locustis; eo tempore opposuit hunc septimum, & fortissimum Angelum, qui, tanquam filius dilectus, in quo sibi benè complacuit, nube divinæ protectionis velatus fuit; quoniam semper respexit arcum cœlestem, qui vertici insidebat, quique non aliud in omnibus rebus, quàm Dei majorem gloriam vestigaret: Tunc Ignatium suum Pontifices armarunt, quasi propugnatorem Reipublicæ Christianæ, eumque ducem constituerunt novæ militiæ, quæ de cœlo lapsa est, signatæ sanctissimo nomine Jesu; ut adspectu suo ipso fulgentiori Sole, & jubare suæ doctrinæ, atque scientiæ, tenebras omnium dispelleret errorum: collocarunt pedes Ignatii, quasi duas columnas igneas; dextrum supra mare pro Indorum, & paganismi conversione, sinistrum supra terram, ut eam fœcundaret seminibus virtutum, & salutaris doctrinæ post eradicatas spinas ignorantiæ, errorum, atque hæresum. Dederuntque Ignatio librum in manibus, ut à prima ætate bona ingenia erudiret, omnique optima litteratura divina, atque humana excoleret; quamobrem Patres Concilii istius, dum attentius perpendunt merita hujus ducis Ignatii, quem numen singulari providentia his temporibus Ecclesiæ dedit, ut velut alter Atlas orbem fulciat humeris doctrinæ, & pietatis, æquum duxerunt, &c. *Vide dicta ad Later. 3. class. 3.*

Addit Sherlogus ad amovendam invidiam. Quod de nostræ militiæ antesignano tanti viri pro sua humanitate, idem intelligendum de cæteris sacrarum familiarum inclytis ducibus, omnes enim à Deo excitati ad Ecclesiæ matris perversos, obstinatosque repellendos hostes, quod cumulatissimè ab ipsis, eorumque validissimis turmis præstitum est.

Porrò cùm Paulus Quintus Papa, anno 1609. mense Decembri eum Beatum nominari permisisset, ac officium, sicut & missam celebrare ubique terrarum Patribus, ac Religiosis Societatis concessisset, ad promovendum canonismum, qui nondum definitus erat. Porrò Tarraconense aliud Concilium anno 1612. habitum, eadem elogia confirmat, ut est apud Jacobum Lobetium in Gloria Patriarcharum, ubi agit de sancto Ignatio in Procemio quæstionum: Pronuntiabo, inquit, esse divinum Herculem edomandis inferni monstris, esse submissum cœlitus Atlantem fulciendo regno Dei, quod est Ecclesia, doctrina scilicet, ac pietate, veluti geminis humeris instructum, esse prodigiosum in Apocalypsi Angelum: eum profectò, addit Lobetius, jam diu pronuntiarunt uno sensu, unaque voce, totidemque verbis, in provinciali Tarracon. Concilio congregati Patres, ac Præsules anno 1612. *Laudes D. Ignatii.*

Quia verò aliàs de hoc sancto concionem habens, pro dicendi argumento mihi in mentem venit contra obtrectatores famæ ipsius demonstrare, quod legitimè inter Sanctos relatus esset; hanc concionem, quantumvis styli humilis, ad benè merendum de ipso Sancto hìc attexo ex schedis nostris concionatoriis.

Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste. 4. Reg. 4. Vox ista est mulieris Sunamitidis de Ecclesiæ Propheta. At istam Sunamitidem libet hodie imitari circa Divum Ignatium non minus sanctitate fulgidum in novo testamento, & non minorum Prophetarum, ac discipulorum Patrem, quàm Elisæus fuit in veteri. *Revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te.* Ac quoniam Beata Virgo per istam Sunamitidem designatur, ipsam invocemus. *Ave.*

Quærit Divus Thomas quodlib. 9. art. 16. an aliquis ex canonizatis per Ecclesiam sit in inferno? Ratio dubitandi est, quod nemo nesciat de seipso statum suum: ergo nec Papa alienum. 2. Inititur medio fallibili testimonii hominum, & miraculorum. Contra, resolvit Ecclesiam non falli in illis, providentia divina per Spiritum S. eam dirigente, ne erret, cùm canonizatio Sanctorum sit quædam professio gloriæ, quam credimus, & Spiritus S. omnia scrutetur, etiam profunda Dei. Unde postquam S. Pontifex examinavit testimonia hominum de vita alicujus Sancti; & assistente divina providentia per Spiritum sanctum judicium protulit pro ipsius sanctitate, plus illi convenit credere, quàm quorumlibet sapientum opinioni. Ideo licet de S. Ignatio dicere verba thematis, *Animadverto*, &c. quod hodie specialiter de sancto Ignatio pronuntiamus, ob id maximè, quod conditiones, quæ desiderantur, ut quis albo Sanctorum inscribatur, in ipso deprehendere liceat. Hæ porrò conditiones tres sunt istæ.

3. Puncta de S. Ignatio.

1. Ut vita virtutum actibus splendeat cum simplicitate intentionis.
2. Ut plena sit laboribus, ac persecutionibus, pietatis causa.
3. Ut miracula non desint ante, & post mortem patrata.

Quæ proponimus juxta doctrinam Cardinalis Hostiensis juris Canonici Doctoris eximii, quique appellari solet fons, & splendor juris, ad titulum *de reliquiis, & veneratione Sanctorum* lib. 3. *decretalium*. Atque hæ tres conditiones trium punctorum materiam nobis subministrabunt.

1. Conditio est, ut vita sit tota virtutibus splendida, Theologicis nimirum, ac Cardinalibus, iisque annexis. Oportet, inquit prædictus Cardinalis, inquiri de vita sua, ut ipsa primum testimonium ferat, *pro laboribus multis nomine Christi toleratis, pro moribus castis, pro actibus strenuis, maximè de humilitate, & simplicitate quæri debet.*

At nihil facilius, quàm ista omnia in vita D. Ignatii deprehendere, illam computando ab exordio conversionis, quæ quidpiam habet simile cum conversione D. Pauli, postquam ex milite sæculari factus est miles vitæ spiritualis, &c.

De D. Paulo dictum est: *Ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* ac si idem dictum fuisset D. Ignatio, post conversionem statim labores peregrinationis triplicis assumpsit Montisserati, Manresiæ, & S. Locorum Palestinæ, vivens inter pauperes, ter per diem corpus castigans, & septem horas orationi mentali impendens.

Hi primi ejus labores pro Christo suscepti, quos alii plures subsecuti sunt in fundatione, & regimine sui ordinis, quem in 12. provincias ante obitum per universum orbem dispersum conspexit, tàm mirabili successu, ut nulli umquam fundatori id contigerit. Sed inter istos labores plurimos non omittendum, quod anno trigesimo ætatis, labores studiorum Grammatices propter Christum assumpsit, ac per varias Academias Hispaniæ tandem ad Parisiensem pervenit, in qua studiis coronidem imposuit, ac congregatis sociis, quasi coapostolis, ordini suo initium dedit in Capella Montis Martyrum ad Lutetiam, eo tempore, quo Lutherus declaratus est hæreticus à Pontifice. Nempe, ait Genebrardus chron. lib. 4. quo tempore Satanas ad diruendum aliquos erigit, Deus ad ædificandum alios excitat. Sed de moribus inceptum sermonem prosequamur.

De morum castitate, illa præditus fuit, ac à B. Virgine dono castitatis donatus ab initio conversionis. Illam enim vovit primum in Montesserato B. Virgini, sicque custodivit; ut quod de Alipio jactabat Ennapius, fuisse totum animam, de Ignatio melius dici valeat. Hanc sic filiis suis commendat const. p. 6. cap. 1. §. 1. quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm constet, quàm sit perfectè observanda, *nempe enitendo Angelicam puritatem imitari & corporis, & mentis nostræ munditia.* Porrò nihil ipse præcipiebat, quod non ipse prius observasset. Ex hinc in ejus ordine doctrina de castitate strictior, ut liber de triplici examine fidem facit indubiam.

Pro actibus strenuis. Generosum fuit pectus Ignatii, 1. in exercitiis spiritualibus 40. dierum & componendis, & opere exequendis. 2. In ordine illo instituendo, qui esset scientiarum omnium nexus, magisterium totius sanctitatis, ac exercitus, qui totus Christo addictus esset, ad illi orbem subjugandum. 3. In convertendis quibusdam obduratis peccatoribus.

Maximè de humilitate, & simplicitate quæri debet. At quæ humilitas D. Ignatii? quantum unicam Dei gloriam appetiit, tantum propriam abhorruit: hæc enim duo conjuncta sunt, humilitas, & simplicitas: est enim illa simplicitas pura, & amorosa intentio solius Dei gloriæ in omnibus. Quam sic exquisivit Divus Ignatius, ut quicquid cogitaret, loqueretur, faceret, pateretur, ad illam unicam gloriam tenderet. Hinc illius dictum ordinarium: *Omnia ad majorem Dei gloriam:* laudari noluit, ut Deus solus coleretur ab omnibus. Cognosci noluisset, ut Deus solus cognosceretur. Hinc illius dictum fervens in oratione ab ore proprio auditum sæpè. *O Deus, si te homines cognoscerent.* Ordinem suum non à suo nomine, sed à nomine Jesu vocari voluit, vitandæ laudis causa. Regulam suis dedit, nullam gubernandi occasionem procurandi: sed recusandi quamcumque dignitatem, nisi sub pœna inobedientiæ oblatam, ab eo, qui posset obligare. Velle suos defectus innotescere, actus est humilitatis Divi Ignatii, qui etiam id suis præcipit in regula, & ut ab iis, qui extra confessionem noscerent, sine prævia monitione superiori deferrent. Habuit itaque Divus Ignatius oculum illum simplicem à Christo commendatum. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et verè splendor tantus accessit ipsius ordini ex illo oculo, & exinde in varias orbis oras socios destinavit, ut dum saluti Christianorum, hæreticorum, ac gentilium incumberent, major Dei gloria in æternum ex animarum salute accresceret. Verè de Divo Ignatio dicas, quod Scriptura de Rege Josaphat, 1. Paralipom. 17. *Misit Rex Josaphat de principibus suis, ut docerent in civitatibus Juda, habentes librum legis Domini. Crevit ergo Josaphat, & magnificatus est usque in sublime.* Quia Ignatius de Dei gloria in simplicitate cordis solicitus fuit, rependit illi vices Deus, & de ipsius gloria etiam usque ad canonismum curavit, hac constanti lege sua: *Qui autem glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. Reg.

Secunda Conditio canonismi. *Utrum in vita persecutiones passus fuerit, & de causa persecutionis.* Utrum scilicet, quia volebat justitiam exercere, vel propter charitatem. Satis Christus explicavit se circa hanc conditionem, Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c.* Sicut aurum probat fornax, sic homines justos tribulatio. Comparat Raimondus Tolos. in lib. Creat. persecutiones vel ipsis Sacramentis, & dicebat Taulerus prius Deum è cœlo missurum Angelum, quàm, ut deesset, qui virum justum affligeret. At veritas hæc notior est, quàm ut manifestari indigeat. Hæc fuit sanè conditio in D. Ignatio. Persecutiones propter justitiam passus est. A se ipso primum per durissimas austeritates contra seipsum. Ab aliis verò quid non passus est? Fustibus contusus fuit à Turca, quod nimium inspiceret vestigia pedum Salvatoris. In Collegio S. Barbaræ, quod Scholasticos ad pietatem eru-

erudiret, ferè castigationi publicæ expositus fuit. Sæpè A irrisus, quod Catechismum doceret. Compluti in ejus mores, & doctrinam examen institutum, ac per dies 42. in carcere detentus: ex invidia Salmanticæ per apparitorem Vicarii in carcerem detrusus, quod vi eloquentiæ plures ad se alliceret, Venetiis, & Romæ summa in ipsum, & ejus socios tempestas excitata. Hæc est pars sanctorum. Ac ideò Christus ipsi apparuit, crucem gestans: at quas cruces non subiit D. Ignatius, & ejus societas nascens? Desertores Angeli, velut agmine facto, in ipsum primum irruerunt. Ubique osores nactus est. Improbi ipsum non ferebant, quod novo ipsius lumine crimina sua detegerentur. Plerique ex doctis observabant, quasi peregrinos ritus in Ecclesiam inveheret. Quot invidi acuerunt linguas suas, sicut serpentis, parumque reputantes linguam acuisse, B adjecerunt stylum, aptaverunt calamum, ut quod ori procaci defuerat, scriptum mendax compensaret. Unde prodierunt tot in ipsum, & socius libelli famosi, &c. Sed macte animo, vir Dei hac itur ad cœlum, &c.

3. Conditio canonismi est. *Item quæratur de miraculis in vita, & post mortem*. Quippe per miracula testatur Deus velle quempiam glorificari ab aliis. Adeoque ab initio mundi Sancti miraculis coruscarunt. Abel in sacrificio, Noe in Arca, Abraham in filii immolatione, Moyses, Prophetæ, &c. Sed, quia miracula constante vita suspecta esse possunt, exigitur, ut etiam post vitam patrentur, & tunc vera, non ficta esse demonstrantur, quæ per vitam peracta fuerunt. Helisæus vivens difficiliter mortuum suscitavit, mortuus facillimè. Deus libentius per mortuos facit miracula, ut sibi gloria adscribatur, & anima Deo conjuncta, faci- C lius à Deo ea impetrat. Quod in vita D. Ignatii facilè advertimus. Tota enim prodigiosa fuit. Sanatus est mirabiliter à D. Petro: apparitiones ipsi factæ S. Trinitatis, Christi in Euchar. Patris æterni, miracula sunt. Dæmonem ab energumeno expulit. Hominem, qui ex desperatione collum strinxit, suscitavit. B. Philippo Nerio in vultu gloriosè demonstratus est. Anno 1609. quo beatus declaratus, referuntur multo plura miracula patrata ad ipsius invocationem, respicientibus in sepulchrum ipsius stellæ micantes visæ sunt. Dicamus ergo: *Animadverto, quod vir Dei Sanctus est iste*.

Verè ergo, & jure merito D. Ignatius Sanctorum Catalogo adscriptus est per summum Ecclesiæ pastorem. Conticescant linguæ detractorum, desinant in- D vidi ponere in cœlum os suum. Licet ipsum ut Sanctum colere, & invocare, & imitari pro viribus. Ac quoniam circa miracula velle ipsum imitari temerarium esset, circa persecutiones verò, quæ magis ex aliorum voluntate, quàm ex nostra pendent, inutile forsan restat, ut in sanctitate morum illi nos conformes esse studeamus: In laboribus nimirum, in castitate, in strenuitate mentis, sed præ cæteris in humilitate spiritus, qua nobis ipsis vilescamus, ac maximè in simplicitate cordis ad quærendam toto conatu unicam Dei gloriam. Hæc enim affectio, ac intentio, si fortis sit, & efficax, sufficit ad comparandam eximiam sanctitatem. Satis fuit illa intentio in D. Ignatio ad E ardua quæque tentanda, & toleranda, nam qui totus spirat majorem, & majorem Dei gloriam vi talis desiderii, si verè ferveat, necesse ipsum mediá quæque excellentissima ad illam gloriam amplecti, & in nulla re sibi ipsi parcere, quin impendat, quicquid habet in potestate pro majore illa gloria. Hinc tàm sublimes virtutum actus in D. Ignatio, quod ad majorem illam gloriam anhelaret: ipsum ergo in hoc imitari contendamus, quod nobis concedat, &c.

CONCILIUM

CAMERACENSE

PROVINCIALE,

Præside Maximiliano à Bergis Archiepiscopo, & Duce Cameracensi, sacri Imperii Principe, Comite Cameracesii, Anno Dom. 1565.

PRimum est istud Concilium Provinciæ Ecclesiasticæ Cameracensis, ex quo loci Episcopatus ad Archiepiscopatum evectus, & à Rhemensi Provincia sancti Remigii avulsus authoritate Summi Pontificis, ad quem pertinet Jurisdictiones determinare. Multa autem decreta pro reformatione morum continet sub viginti duobus titulis, ex quibus aliqua selecta hic subjungimus ad vitandam prolixitatem, & sæpius dictorum repetitionem.

De scholis. Cap. 1. Cùm non minore cura parentes proles suas instituere, quàm nutrire, & fovere debeant: æquum est, Ecclesiam liberos, quos Christo per lavacrum regenerationis peperit, omni disciplina, ac salutaribus præceptis erudire. Docet enim scriptura, *filii tibi sunt? illos erudi, &c.* *Tit. 1.*

Cap. 4. Mandat præterea sancta Synodus, ut preces, quas vocant horarias, nemo apud se retineat, si quid in eis astu, & nequitia sectariorum adspersum senserint, quod cum Ecclesiæ doctrina non conveniat, &c.

Cap. 6. Decani autem rurales, quos Christianitatis appellant, singulis semestribus, aut saltem annis eas scholas minores visitent, referantque diligenter Ordinario, quæ sit ratio instituendæ juventutis, quam quisque præceptorum inierit.

De doctrina, ac prædicatione verbi Dei. Cap. 3. Cæterum (Pastores) in exponendis quæstionibus, de quibus controversia nobis est cum hæreticis, non jactent temerè convitia: sed charitatem erga omnes, & benevolentiam præ se ferant, &c. Ac ante omnia diluant hæreticorum calumnias, dicentium sæpè Ecclesiam id sentire, quod reipsa non sentit. Quod si minus docti fuerint, quàm, ut ea dilucidè, ac solidè queant exponere, sint contenti simplici doctrina Ecclesiæ, hortenturque populum ad timorem Domini, Religionem, bonos mores, dehortenturque ab omni scelere, ac flagitio, atque ab his maximè vitiis, ad quæ propensos esse senserint populares suos.

De cultu, ceremoniis, & Officio divino. Cap. 3. In Missis, quæ in choro canuntur, ut non tantùm aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant, &c. statuit sancta Synodus, ut quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, aut canantur, ut præsentes distinctè exaudire singula verba possint. Quare in Symbolo canendo placet nec organa, nec musicam adhiberi.

Cap. 7. In choro, cùm psallitur, Canonici omnes, qui in choro fuerint, & sacellani psallant, nec sint in sedibus suis otiosi; nec putent se functos officio, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent: modo tamen psallere per valetudinem queant, nec impediti aliis justis de causis fuerint.

Cap. 9. Quoniam multitudine suffragiorum, precum, & psalmorum additiorum in pluribus ecclesiis propter temporis angustiam vix fieri potest, ut attentè, devotè, ac religiosè ea omnia vel canantur, vel legantur: placet sanctæ Synodo per Episcopos, & duos de capitulo, aut de Monasteriis, ut res postulaverit, ea rescindi, quæ adjecta, & advêtitia in servitio divino esse cognoverint. *Imminutio precũ prolixarum.*

Cap. 2. *De vita, & honestate Clericorum*. Homini Ecclesiastico quacumque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quàm sumptus: plus dedecoris exquisitus apparatus, quàm simplex: plus mo- *Tit. 2.*

molestiæ longus accubitus, quàm brevis, & naturæ A sufficiens. Sit ergo cultus in mensa, & conviviis potius in gravitate, sobrietate, & sale conditis sermonibus, quàm in pompa, & deliciis; atque ita detestetur Clericus comessationes, quæ ventri sic serviunt, ut menti noceant.

Cap. 3. Consortium mulierum Sacerdoti non convenit, quem castitas, & continentia ornare perpetuò debent, & ut castitas conservari queat in muliebri consortio, rarò tamen bonum nomen retineri potest, &c.

Tit. 3. Cap. 1. *De potestate, ac Jurisdictione Ecclesiastica.* Nihil dubitandum est, duplex esse forum Ecclesiasticum à Christo nomine clavium nobis insinuatum: alterum sacramenti Pœnitentiæ, quod propriè ad conscientiam spectat, in quo reus non nisi ex propria confessione solvitur, & ligatur: alterum verò Jurisdictionis, & regiminis externi: in quo reus non solùm ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur, & judicatur, quo judicio publica delicta corriguntur, & puniuntur; ne per ea homines ab æterna beatitudine secludantur, sed ad æternam beatitudinem perveniant.

Cap. 2. Sanè juri divino, nedum sacris repugnat Canonibus, quod judices laici, quibus de rebus Ecclesiæ disponendi nulla est attributa potestas, &c. Non ergo prohibeant, mandentque Judicibus Ecclesiasticis, ne excommunicatum à jure declarent, & denuntient; aut ne quem excommunicent, vel ut latam excommunicationis sententiam enervent; proinde sancta Synodus obsecrat, & obtestatur in Domino Serenissimum, ac Invictissimum regem Catholicum, Principes, Dominos, ac Magistratus, ut ab hujusmodi prohibitionibus, ac mandatis abstineant.

Cap. 4. Admoneantur populares, ut cùm Sanctorum memorias visitant, & eorum auxilium implorant, ac Christiana consuetudine Orationem Dominicam recitant, intelligant eam se non ad Sanctos, sed ad Deum dirigere, adjunctis sibi comprecatoribus Sanctis.

De Sanctis. Cap. 5. Doceatur præterea populus, quo discrimine usa est, & utitur Ecclesia in Litania, cùm invocatur Deus; in ea enim facilè perspicitur alium esse cultum, qui exhibetur Deo, alium, qui Sanctis defertur. Sic enim vulgus se non facilè patietur abripi Hæreticorum præstigiis.

Cap. 6. Doceatur itaque populus preces quidem Sanctorum admodum utiles ad impetranda dona non modò corporalia, & temporalia, sed spiritualia, & æterna. Sed tamen abominandam esse eorum vanitatem, ac superstitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos sine pœnitentia, & Sacramentis eos, qui hunc, illumve ex Divis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis fortunæ certum, ac optatum eventum promittunt: & si qua hujusmodi alia proferantur, & credantur, veluti & illud quoque planè reprobandum est, si qui certo numero, præscriptaque Missarum forma aliqua, aut precum affirmant certas, designatasque animas à purgatorio semper liberari.

Tres abusus in cultu Sanctorum carpuntur.

De Indulgentiis. Quia per indiscretas, & superfluas Indulgentias & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: ideò prohibet sancta Synodus, ne quis ullas novas, aut ignotas indulgentias populo commendet, & promerendas offerat, nisi prius ab Ordinario visitatæ fuerint, & probatæ, &c.

In actis hujus Concilii prohibetur omnibus ejus decreta habentibus, ne ea extraneis scripto communicent, sed expectent, qui horum desiderio tenentur, omnium brevi impressionem.

Decernitur proximam Synodum provincialem apud Tornacenses celebrandam post octavas Paschæ, Anno 1568.

Quibus peractis venerabilis vir Gregorius le Duc Jurium Doctor, Archidiaconus Valencensis clara voce dixit: *Recedamus in pace.* Respondentibus aliis, *in nomine Christi.* Tuncque omnes pariter surgentes pacificè recesserunt.

DECRETA SELECTA CONCILII MECHLINIENSIS.

Celebrati anno Domini 1570. tempore Pii Quinti, præsidente in eo Martino Rybovio Episcopo Iprensi, tanquam seniori comprovinciali nomine, & loco D. Antonii Perrenot Archiepiscopi Mechliniensis, & tituli S. Petri ad Vincula Cardinalis Granuellani.

B *Decretum de apertione Concilii Provincialis Mechliniensis pronuntiatum à Domino Præsidente.*

CHristi nomine invocato, præsentem Synodum Provincialem Mechliniensem, primo ab Illustrissimo Cardinale Granuellano, Domino Reverendissimo Archiepiscopo Provinciæ Mechliniensis côvocatam, & coactam, & iterato, quatenus opus erat, à nobis indictam, post debitam deliberationem cum nostris confratribus Episcopis comprovincialibus, de eorumdem consilio, & assensu, tanquam legitimè congregatam, aperiendam esse decernimus in his scriptis, inhibentes, ne quis ab ea recedat sine nostro consensu.

C *Decretum super absentia Illustrifs. Cardinalis, & Reverendifs. D. Archiepiscopi Mechliniensis.*

ETsi non dubitet Synodus Provincialis, suæ Sanctitati notas esse causas, propter quas Illustrissimus Cardinalis, & Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis Provincia sua ad tempus relicta, ad urbem se contulerit; volens etiam officio suo satisfacere juxta decreta Tridentina, excusationem sibi à Generali Vicario exhibitam, & positam recepit, & admisit. Sed ex singulari affectu, quo erga suum Archiepiscopum tenetur, illum rogat, & hortatur, ut quamprimum ad Ecclesiam suam redeat: ut ipsius præsentia, & authoritate universi ordines Ecclesiastici in hac Provincia, in officio suo rectius contineantur.

D *Decretum primum de recipiendis Decretis Concilii Tridentini.*

IN primis ordinat, & præcipit, ut omnes, & singuli, qui ad hanc Synodum convenerunt, simpliciter, & sine ulla protestatione, ea omnia, & singula, quæ à sancta Synodo Tridentina definita, & statuta sunt, palam recipiant; necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur, simulque omnes hæreses à sacris Canonibus, præsertimque ab eadem Synodo Tridentina damnatas detestentur, & anathematizent secundum tenorem schedulæ sequentis.

E *Tenor Receptionis Decretorum, & professionis fidei.*

EGo N. omnia, & singula, quæ à sancta Synodo Tridentina statuta, & definita sunt, palam recipio: necnon veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeo, & profiteor: simulque hæreses omnes à sacris Canonibus, & generalibus Conciliis; præsertimque ab eadem Synodo Tridentina damnatas, detestor, & anathematizo.

De Sacramentis.

IN primis, ut studiis Anabaptistarum (quorum hæresis latè serpit) potentius occurratur, & ut certius *Anabaptist...*

tius deprehendantur, qui multis artibus infantes suos sacro baptismo subtrahunt, & quo cautius lateant, subinde aliò, atque aliò migrant: synodus Provincialis Mechliniensis hortatur, & requirit omnes, & singulos magistratus quarumcumque civitatum, oppidorum, & locorum, ne quam obstetricem ad obstetricandum parturientibus admittant, nisi prius à Curatis loci, ubi dictæ obstetrices morantur, testimonium sinceræ, & Catholicæ fidei habeant, & nisi jurent singulis septimanis die Sabbati cujusque loci pastori denuntiare nomina, & cognomina puerperarum, quibus adfuerunt, cum numero prolium susceptarum; Curati verò infra quindecim dies à tempore scientiæ indicabunt Episcopo, aut Vicario nomina, & cognomina matrum, quæ proles suas baptizare non fecerunt; idque sub pœna suspensionis, aliaque arbitraria. *Cap.* 1.

CONTROVERSIA.

QUod tantopere satagit Concilium Mecliniense Anabaptistas detegi, id indicium est perniciosæ eorumdem doctrinæ, qua nihil parvulis ad salutem prodesse lavacrum baptismi docent, sed debere eos reservari, usque dum perveniant ad annos discretionis, eosque tunc primum baptizandos, cum proprio ore fidem suam profiteri poterunt. Quo dogmate diabolus parvulorum innocentiæ invidus, eorumque beatitudini, ac divinæ laudis perfectioni, quæ ex ore lactentium perficitur, conatur in partem suam trahere omnes animas, quæ in infantilibus annis ab hac migrant vita. Sed contra eos licet hæc scripturæ loca proponere: Joannis; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre Regnum Dei*. Quæ Regni Dei pollicitatio æque parvulis, atque adultis facta est, Matth. 18. *Videte, ne contemnatis unum ex pusillis his ... Sic enim non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis*, cum autem nemo sine Baptismo ad regnum perveniat, consequitur parvulos debere baptizari. 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur*. Sicut ergo parvuli originali contagione in Adam mortui sunt, sic vivificari debent in Christo per Baptismum. 1. Petri 3. in arca Noe pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. *Quos, & vos*, inquit, *nunc similis formæ facit baptisma*. Ut scilicet discamus neminem, sive puer, sive adultus sit, salvari posse, nisi per baptisma, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ergo reficiam vos*, Dominus invitat omnes quantumlibet peccatores, & solos parvulos, qui tantum habent originale peccatum, à se excluderet? Nec juvat dicere parvulos non venire, sed apportari, nam & Lucæ 5. Paralyticus non venit per seipsum, & sanatus tamen est, & Matth. 19. *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret, discipuli verò increpabant eos. Jesus verò ait eis: Sinite parvulos venire ad me: talium enim est regnum cœlorum*. Quomodo hoc tempore non eamdem erga parvulos dulcedinem exhibebit? Quomodo dulcem illam vocem, qua dixit: *Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum*, mutabit in amaram vocem, ut dicat, Auferte parvulos à me: talium enim non est regnum cœlorum? Deinde D. Paulus testatur ad Colosl. 2. Baptismum Circumcisionis loco institutum fuisse, ut eo deleatur peccatum originale, quod Circumcisione delebatur. Si ergo in prioribus sæculis talis Deo cura erat de infantibus, ut eorum animæ conservarentur à perditione, an nunc Deus in tempore gratiæ, & benignitatis obliviscetur misericordiæ? an nunc erit immisericors, & minus curabit de parvulorum salute? Et quidem si adultis tantum, & non parvulis prodest baptismus, minoris erit virtutis, quàm Circumcisio: & si verum afferunt sacrilegi Anabaptistæ, melius fuisset, ut circumcisio permansisset, nec lex Christiana mundum occupasset,

A cujus sacramentum non potest nisi adultos salvare: Quid ergo aliud faciet Rachel, nisi ut sine intermissione ploret filios suos, & non velit, consolari, quia non sunt? Sed & patres satis manifestè hos condemnant. D. Dionys. Areop. Ecclesf. Hierar. cap. 7. D. Irenęus lib. 2. adversus Valentini hæreses. D. Cyprianus l. 3. epist. 8. ad Fidum. Origenes in c. 6. epist. ad Rom. D. Gregor. Nazianz. orat. in sanctum lavacrum. D. Hieronymus in dialogo contra Pelagium. D. Augustinus l. 10. super Genesim ad literam, & alibi pluries. D. Bernardus Serm. 66. super Cantica. Quibus addi potest decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio 3.

QUia superioris temporis negligentia probatissimus ille Ecclesiæ mos quibusdam in locis est collapsus, quo puerperæ certo post partum die
B referre Domino Deo gratias solent: Statuit sancta synodus, ut ubique conformiter in usum revocetur, puerperæ ad Missæ Sacrificium veniant, & contra negligentes, seu piæ consuetudinis violatores, procedatur. *Cap.* 4.

PAstores, & alii Confessarii extra casum necessitatis à casibus Episcopis reservatis neminem absolvant, nisi ad hoc ab Episcopis specialem commissionem habuerint: casus autem Episcopis reservati sunt hi: Raptus Virginum, homicidium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, Simonia, Sodomia, hæresis, Apostasia, incestus cum consanguineis, aut Sanctimonialibus, injectio manuum violen-
C ta, deliberato proposito cum læsione in parentes facta, sortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem majorem à Canone, vel ab homine latam annexam habent, & omnia alia delicta prædictis graviora. Meminerint autem Episcopi, ut in notoriis criminibus pro temporum, & personarum qualitate publicam pœnitentiam in usum revocent. *Cap.* 6.

Casus reservati.

SEd neque sacrum oleum infirmorum, etiam sine sacra Eucharistia, umquam ad ægrotos deferant Pastores, nisi superpelliceum induti, & stolam. *Cap.* 9.

D *De ordinandis.*

JUret etiam ordinandus, quod titulum, quem pro sua futura promotione exhibet, verè, & sine ulla fraude possideat, quodque illum non resignabit, alienabit, aut in illius extinctionem consentiet, nisi sibi de novo sufficienti titulo fuerit provisum. *Cap.* 4.

De sponsalibus, & matrimoniis.

QUia coactæ nuptiæ tristem plerumque, & luctuosum habent exitum, diligenter inquirant pastores, an matrimonium contrahatur sponte, &
E animo deliberato, non vi, aut metu amicorum, aut aliorum coacti ad matrimonium procedant: quod si invenerint aliquem, vel aliquam ex contrahentibus coactam ad contrahendum, nullo modo ad confectionem eorum procedere audeant: neque alteri vices suas committant, sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio.

SI autem sponsalia, & matrimonium contrahere volentes diversorum sint Episcopatuum, pastores à suis Episcopis, tàm super sponsalibus contractis, quàm super proclamationibus, attestationes approbatas habere debeant; neque ante ad matrimonii solemnizationem desponsi admittantur, quàm suorum Episc-

Episcoporum litteris ad hoc expressam facultatem ha- A buerint: atque Episcopi ratione hujusmodi literarum pro notario, & Sigillifero, non ultra octo stuferos recipi permittant. *Cap. 5.*

De Officio, & cultu Divino.

DIstributiones chori dispensentur secundum præscriptum Concilii Tridentini, arbitrio Episcopi. Sic tamen quod in majoribus horis, scilicet matutinis, summa missa, & vesperis notabiliter majores sint, quàm in minoribus horis: nec tamen in minoribus tàm exiguæ, ut negligantur. *Cap. 2.*

ILlos quoque, qui sub dictis Divinis officiis aut celebrant, aut ad celebrandum se præparant; vult hæc B Synodus pro eo tempore præsentes in divinis reputari, modo tamen absoluto sacrificio sine notabili mora in chorum redeant *Cap. 6.*

INsolentiæ omnes è sacris locis arceantur, & nemo Ecclesiæ beneficiatum, aut habituatum, serius cum habitu decenti chorum intrantem, audeat manuum, vel pedum plausu, vel sibilis, aut alia quacunque ratione ineptiore ejicere, aut ab ingressu prohibere; sed sufficiat eum privatione distributionis mulctari. *Cap. 9.*

ALtarium portatilium usus ad populi commoditatem, urgente necessitate, latè permissus fuit. C Sed ne quod ad tempus tantum, & ex gravi causa concessum est, contra Canones, & ad irreverentiam sacrosancti mysterii, missæ trahatur in consuetudinem: Curent Episcopi, ut quamprimum fieri potest, in singulis Ecclesiis altaria iterum consecrentur; Eoque facto ibidem Altarium portatilium usus interdicatur. *Cap. 14.*

De imaginibus.

CUm domum Dei decet sanctitudo, pro executione decreti de invocatione, & veneratione, ac reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus, sess. vigesima-quinta, statuit sancta Synodus, ut è templis, & locis sacris tollantur imagines, sculpturæ, aulæa, quæ gentilitatem, aut mendaces Ethnicorum fabulas, Satyrorum, Faunorum, sirenarum, terminorum, & nympharum, ac id genus alia repræsentant. Similiter quæcumque figuræ lascivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel aliàs obscœnæ, & superstitiosæ, quæ fidelium mentes à religione, & devotione distrahunt, & sæpius graviter offendunt. Nec posthac ulla imago, aut statua in Ecclesiam, vel locum sacrum recipiatur, nisi ab Episcopo admissa fuerit. Proinde Episcopi in visitationibus curabunt imagines supradictas reformari, aut prorsus tolli, prout judicaverint expedire. *Cap. 1.*

PRovideant præterea Episcopi, ne ad ornatum supplicationum venerabilis Sacramenti, aut reliquiarum quarumcumque, exponat quisquam ullas similes imagines, sculpturas, aut aulæa, idque sub pœna arbitrio injungenda: Implorato etiam ad hoc, si opus sit, contra sæculares, auxilio brachii sæcularis. *Cap. 2.*

E Domibus, & hortis Ecclesiasticorum similiter prædictæ imagines tollantur, præcipuè quæ lascivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel aliàs tàm obscœnæ, ut pias mentes offendant. Et si Clerici post publicationem hujus Concilii prædictas imagines infra trimestre è suis domibus non ejecerint, curent Episcopi, ut contra illos ad condignam punitionem procedatur. *Cap. 3.*

De indulgentiis.

MOnet pios suos filios eadem hæc Synodus, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam cum Privilegio impressis libellis temere fidem habeant; qui ex levibus, aut superstitiosis causis, incertisque revelationibus, immodicas, & plus æquo exorbitantes pollicentur indulgentias; Potissimum si promissiones contineant certorum effectuum, periculorum scilicet evitationem, à gladiis, à tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à purgatorio, quemadmodum & missis quibusdam, & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet.

De superstitione.

CUm rectè moneat sacrosancta Tridentina Synodus, ut omnis superstitio tollatur, docet hæc Synodus, omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei, & Ecclesiæ doctrina sit, præscriptis aliquibus ritibus, & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur, certo expectandi aliquem eventum, qui sine illis ritibus ex Sanctorum intercessione non speraretur, aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, ac quadam levitate potius, quàm pietate, & vera in Deum religione, fieri videntur.

VAcante Ecclesia Cathedrali, observatisque iis, quæ de indicendis supplicationibus, & precibus Concilium Tridentinum ordinavit; Sancta Synodus Melchiniensis statuit, quod ubi de electione, postulatione, aut nominatione per eum, vel eos, quorum interest, facta constiterit: Statim auctoritate, & jussu Metropolitani, si in Provincia adfuerit, aut eo absente, senioris suffraganei in Provincia præsentis, litteris denuntiatoriis, seu monitoriis legitimè expeditis, tàm ad valvas Ecclesiæ vacantis, quàm ad valvas Ecclesiæ principalis loci residentiæ electi, vel nominati affixis, moneantur omnes, & singuli, qui sciunt Canonicum impedimentum quodcumque, quare electus, postulatus, aut nominatus ad Ecclesiam vacantem assumi non debeat, id ipsum infra certum D tempus in litteris prædictis exprimendum Metropolitano, vel seniori suffraganeo respectivè renunciare. *Cap. 1.*

De sigillis.

CÆterùm si in relaxatione bannorum Matrimonialium, aut similium ordinationum, quod interdum quidem, sed tamen non nisi ex legitima causa, fieri debet, eleemosyna aliqua in pium usum destinata ditioribus imponatur, id non debet à quoppiam in calumniam trahi, nec supra dicta constitutione vetari intelligimus.

E NE quis verò pium usum in dicta constitutione aliò trahat, quàm quò verè pertinet; decernit synodus hoc demum in pium usum pro præsentis loci intelligentia converti, quod vel in frabicam Ecclesiæ, vel in pauperum eleemosynas, vel in Seminarii subsidium destinatur. *Cap. 6.*

De Decanis Christianitatum Pastoribus, & de eorum Officiis.

CUm eadem sit ratio de Pastoribus, & Archipresbyteris, seu Decanis Ruralibus, qui & ipsi Pastores Pastorum sunt, & eorum officium in observatione morum, tàm Pastorum, quàm laicorum sui districtus consistat: Statuit hæc Synodus, ut sicuti Pastores in suis Parochialibus, ita omnes Archipres-

presbyteri, seu Decani Christianitatum in suorum Decanatuum limitibus ad personalem residentiam compellantur. *Cap.* 2.

PRo exequiis autem, septenariis, tricenariis, aut anniversariis similiter nihil stipulentur; Sed officiis peractis demum recipiant, aut à recusantibus, & post gratiosam monitionem solvere differentibus, juridicè exigant, quod ex laudabili consuetudine solvi consuevit. *Cap.* 12.

De correctione Clericorum.

NUllus posthac Archidiaconus, Archipresbyter, aut Decanus Ruralis causas concubinatus, aut criminales, sicuti nec matrimoniales, audeat cognoscere, aut etiam inchoatas terminare, sub pœna suspensionis à divinis, & alias arbitraria Episcopi judicio in refractarios, aut temerarios infligenda. *Cap.* 3.

De Schola Dominicali.

CUm non omnes quotidianas scholas frequentare possint, sed multi per hebdomadam artificiis, aut aliis domesticis occupationibus distineantur, quorum tamen parentes sæpe ad instituendas proles inidonei sunt; ideo ad satisfaciendum decreto Concilii Tridentini curent Episcopi præter quotidianas scholas, etiam Dominicales in omni Parochia institui, in quibus una, aut altera hora diebus Dominicis, & Festivis lingua vernacula benè, & distinctè omnes prima principia Religionis, videlicet orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & alia supradicta memoriter edoceantur, addita per Pastorem, vel Sacellanum facili, & qualem illa ætas admittit, explicatione ad gustum aliquem intelligentiæ, ut omnes rebus sacris debitam reverentiam ab initiis primæ ætatis tribuere dicant. *Cap.* 1.

Et nisi aptior locus inveniatur, poterunt hæ scholæ in templis institui, ut reverentia etiam cohibeatur, atque illis Pastores singuli in suis Parochiis superintendant. Sed quia his etiam sua incumbunt officia, ac sæpe ad ægrotos, aut alia pastoratus vocantur exercitia, alii Pastorum, & magistratuum, seu notabilium judicio designentur necesse est, qui juventuti ad statutam horam fixe semper adsint, ne diffluat. *Cap.* 4.

De Unionibus.

MIssas quoque tenuiter fundatas, & in beneficii titulum non erectas statuit per Episcopos, vocatis quorum interest, & ad proportionem quatuor, quinque, aut sex Grossorum Flandriæ, prout attentis circumstantiis judicaverint expedire, sed non ultra in singulas Missas reduci posse. *Cap.* 2.

IN posterum verò nullæ novæ fundationes Missarum infra dictam taxam admittantur. *Cap.* 3.

MInora beneficia etiam ejusdem Ecclesiæ sic uniantur, ut si non sufficiant ad honestum, & tolerabilem victum, saltem ad titulum in promotione ad sacros ordines requisitum possint sufficere. *Cap.* 4.

De Regularibus, & Monialibus.

REligiosorum conventus, & universa Monasteria secundum regulam suæ professionis rectè instituta, id sunt in populo Christiano, quod arces militum præsidio benè instructæ in regione hostium incursionibus expositæ: ac proinde etiam totius populi interest, ut quæ de Monasteriorum reformatione in Concilio Tridentino copiosè constituta sunt, executioni fideliter mandentur; quod ut citra longiorem dilationem fiat, hæc Synodus districtè præcipit, quæ sequuntur.

Quoad libertatem professionis Deo dicandarum virginum de examine per Episcopum faciendo, quod utiliter admodum ordinavit Concilium Tridentinum Capite decimo septimo, sessione vigesima quinta, districtissimè, & sub pœnis ibidem expressis servetur: caveatur autem diligenter, & serio, ne pactionibus illicitis, aut Simoniæ vitio obnoxiis, sacræ Religionis professio contaminetur: nec ulli omnino in mulierum Monasteriis profiteri liceat, etiam examine jam facto, nisi solemniter, & verbo expresso, idque in manu professionem recipiendi potestatem habentis: & si quis non habens ad id legitimam potestatem, professionem recipere attentaverit, secundum Canones puniatur. *Cap.* 7.

De Usuris.

QUoniam usura Jure Divino, & Canonico, omnibus Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, neq; facienda sunt mala, ut eveniant bona: Synodus statuit, & ordinat, ne quis tutor, aut curator sub prætextu augendi patrimonii pupillorum, aut sub eorum tutela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo mutuo det, retenta facultate repetendæ sortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum voluntatem, & arbitrium, declarando omnes hujusmodi contractus usurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes, tamquam contra usurarios ad penas juris procedendum. *Pecuniæ pupillares.*

Sic subsignatum.

MArtinus Rythovius Episcopus Yprensis præses hujus Concilii, *subscripsi*.
Franciscus Sonnius Episc. Antuerpiensis, *subscripsi*.
Vvillielmus Damasi Lindanus Episcopus Ruremundensis, *subscripsi*.
Cornelius Jansenius Episc. Gandavensis, *subscripsi*.
Rhemigius Driutius Episc. Brugensis, *subscripsi*.
Laurentius Metsius Episc. Buscoducensis, *subscripsi*.
Maximilianus Morillon Vicarius Generalis Illustrissimi, & Reverend. D. Cardinalis Granvelani Archiepiscopi Mechliniensis, ejus nomine, *subscripsi*.

CONCILIUM MECHLINIENSE,

Sub Matthia Hovio Archiepisc. Mechliniense, Anno Domini 1607. tempore Pauli V.

EX hoc Concilio selecta tantum quædam decreta damus, sicut ex præcedenti, ea scilicet maximè, quæ alibi passim non inveniuntur.

De Sacramentis in genere. Tit. 2.

IN administratione quorumcumque Sacramentorum, vis, & efficacia eorum, pro captu sumentium, ac præsentium, sæpe à Pastoribus explicentur; Omnesque preces sacramentales, maximè verò ipsæ formæ sacramentorum strictim, distinctè, & attentè cum debita reverentia pronuntientur. *Cap.* 3.

SEd Pastores etiam singuli quotannis ab Archipresbytero suo, vel ex Ecclesia, unde consueverunt, per se, aut alium sacerdotem, non autem illo inferiorem, in similibus vasculis sanctum Chrisma, sanctaque olea ferre non omittant: iisque rece-

receptis veteribus non utantur: sed quidquid ex illis superfuerit, si liquidum lampadi, quæ lucet ante venerabile sacramentum, infundatur: sin autem bombici, vel gossipio immixtum fuerit, super piscinam comburatur, *Cap. 6.*

A

De Sacramento Baptismi. Tit. 3.

DE pueris expositis id observent Parochi, ut si inveniant certa circa infantem indicia, per quæ constet eum non esse baptizatum; utpote sal, quod mulieres apud eum deponere solent, tanquam indicium non collati baptismi; eo casu talem infantem absque hæsitatione baptizent, nulla apposita conditione, si verò nulla signa, nullumque testimonium ejus rei deprehendant, eum sub conditione baptizent. *Cap. 4.*

B

ET quia frequens experientia docet, modernos hæreticos, sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, & antiquissimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante; ab hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati similiter sub conditione baptizentur. *Cap. 4.*

De Sacramento Pœnitentiæ. Tit. 5.

JUdicem sedentem sententias ferre oportet: ideo etiam confessarius non nisi sedens confessiones excipiat, quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant. *Cap. 2.*

C

MAgnâ oportet esse instructum scientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet. Ideo confessarii, quibus non hominis, sed Dei judicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso Jesu Christi sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissimè vacare debent merito, utpote Directorii Polanci, Manualis Navari, aut ejus compendii, summæ Toleti, Enchiridii Binsfeldii, & similium. *Cap. 5.*

Casuitæ qui legendi proponuntur.

NEmo aliquem ad perpetuo sibi soli confitendum obliget, & ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationalem, & indiscretam, hæc Sinodus irritam esse declarat, &, quatenus opus est, irritat. *Cap. 7.*

D

De sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Tit. 7.

UBicumque locus ab hostibus, ac prædonibus est tutus, & facultates Ecclesiæ ferunt, continuè tàm de nocte, quàm de die, ante Tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ lumen ardeat, alibi saltem sub Officio Divino. *Cap. 2.*

NUnquàm unica sacra Hostia ad ægrotum deferatur, ne Parocho ad Ecclesiam redeunte, inane vasculum populus adoret. *Cap. 4.*

E

QUilibet annos discretionis habens communicare debet, ut minimum in Paschate in Ecclesia sua Parochiali, incipit autem Pascha ad hunc effectum in Dominica Palmarum, & durat usque ad Dominicam in Albis, inclusivè. *Cap. 5.*

De Sacramento Extremæ-Unctionis. Tit. 8.

FAlluntur, qui existimant, suscepto hoc sacramento, vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui: ideòque Pastores contrarium subinde populum doceant. Et si fortè alicubi usu inductum sit, ut testamentum à susceptione hujus sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc Synodus ejusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse, utpote causam, cur tàm salutaris Sacramenti susceptio ad extremum vitæ Spiritum à plerisque differatur; iique interim effectus Sacramenti non percipiant, & sæpe etiam sine eo moriantur. *Cap. 2.*

De Sacramento Ordinis. Tit. 9.

DOceant Religiosi, etiam ordinum Mendicantium de ordinibus susceptis testimonio ipsius Episcopi per litteras à Secretario Episcopi expeditas, & sigillo ejusdem Episcopi communitas, antequam altiorem ordinem suscipiant. *Cap. 4.*

NEmo ad ordines titulo beneficii quamtumvis opimi promoveatur, nisi Canonicam institutionem, & pacificam possessionem ejusdem antea obtinuerit. *Cap. 7.*

JUret deinceps quilibet ordinandus ad titulum patrimonialem, aut beneficialem, quod titulum, quem pro futura sua promotione exhibet, verè, & sine ulla fraude possideat; quodque illum non resignabit, vel alienabit, nisi ei de alio sufficienti titulo sit prospectum; neque tunc quidem aliter, quàm cum scitu, & consensu sui Episcopi, in litteris ipsius resignationis, aut alienationis exprimendo: Item quod titulum illum, qui in locum prioris tituli successerit, absque simili consensu non resignabit, vel alienabit. *Cap. 8.*

De sponsalibus, & sacramento matrimonii. Tit. 10.

PRoclamationes Matrimoniales tribus distinctis Dominicis, vel Festivis diebus, sub summo Sacro, vel concione, aut alioqui sub frequenti populi conventu fieri debent. Si quis sine iis, earumve missione ab ordinario in scriptis obtenta, matrimonio jungere aliquos præsumat, graviter puniatur. *Cap. 2.*

De Doctrina, & Prædicatione verbi Dei. Tit. 11.

MEminerint regulares, se sine licentia superiorum suorum, ac benedictione Episcopi Diœcesis, in qua degunt, in Ecclesiis ordinum suorum, & sine expressa licentia tàm Episcopi, quàm superiorum suorum, in Ecclesiis non suorum ordinum prædicare non posse, nec usquam omnino Episcopo contradicente. *Cap. 2.*

ABstineant concionatores ab inanibus, & difficilibus, captumque auditorum superantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæstionibus, à conviciis, à fabulosis, & narratione apocryphorum, iisque omnibus, quæ vel auditoribus risum moveant, vel eorum animos à superioribus suis avertant: neve passim hæreticorum argumenta apud imperitam multitudinem referant, sed ea tantùm doceant, quæ ad fidem veram, pietatem, obedientiam, & concordiam pertinent, quæque scire omnibus necessarium est ad salutem: annuntiando eum brevitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ quemque declinare, & virtutes, quas sectari oportet. *Cap. 3.*

De officio Divino, ac ceremoniis. Tit. 12.

SErius ad Officium Divinum venientes, etsi distributione privandi sint, liberè tamen chorum intrare permittantur. Et si quis eos manuum, vel pedum plausu, aliove strepitu excipiat, ipse quoque distri-

diſtributione privetur, & inſuper pro modo ſcandali puniatur. *Cap.* 4.

VAgo, ac ignoto Sacerdoti, etiam regulari, Miſſam celebrare non liceat, niſi oſtenſis teſtimonialibus, vel commendatitiis litteris ſui ordinarii, nec cuiquam omnino extra Eccleſiam, & ad divinum cultum dedicatum, & ab ordinario deſignatum oratorium. *Cap.* 15.

PAuperes per Eccleſias tempore Miſſarum, prædicationum, aliorumve Divinorum officiorum, mendicare, ſeu eleemoſynas petere non permittantur, ſed ad valvas Eccleſiæ ſtare jubeantur: deputenturque ubique à ſuperioribus, vel adminiſtratoribus Eccleſiarum, qui pauperes mendicantes ab Eccleſiis arceant, & expellant: & quidem ſi neceſſe fuerit, ſub certo honorario ex bonis menſarum pauperum perſolvendo. *Cap.* 17.

HOc verò cum fieri non poſſit ſine magiſtro ceremoniarum, qui totus in eo ſit, ut dictum ceremoniale perlegat, & aliis rationem dictarum ceremoniarum oſtendat, & præeat; mandat ſancta Synodus, ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis ſumptu Capituli aliquis ad hoc maximè idoneus conſtituatur, cui in ritibus omnes obedire teneantur. *Cap.* 20.

De Magiſtro ceremoniarum pluribus agitur in Concil. Mexicano par. 1. *ſtat.*

De imaginibus, & ſanctorum Reliquiis. Tit. 14.

NIhil prophanum, nihil inhoneſtum appareat, neque in intima altarium tabula vivorum effigies depingantur. *Cap.* 1.

IMagines ſacras ſæculariter comptas, nec in templis, nec in proceſſionibus tolerent Epiſcopi, & quæ ad ornatum ſupplicationum proponuntur, ejuſmodi ſint, quæ oculos ſpectantium non offendant. *Cap.* 2.

De ſuperſtitione. Tit. 15.

ET quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia ſuperſtitionibus inquinatur; Parochi ſubditos ſuos de illis diligenter doceant, & inter cætera, ſuperſtitioſum eſſe, expectare quemcumque effectum à quacumque re, quem res illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt. *Cap.* 3.

NUllus omnino exorcizare præſumat ſine licentia ordinarii in ſcriptis obtenta: nemo etiam utatur aliis exorciſmis, quàm ab ordinario approbatis, vel poteſtate exorcizandi ulla ratione abutatur, ſub pœna perpetuæ privationis illius officii: & aliàs arbitraria. *Cap.* 4.

De Archipresbyteris, Paſtoribus, & cuſtodibus, eorumque Officiis. Tit. 17.

ADeptus Paſtoratum, ultra profeſſionem fidei, faciet etiam ſubſequens juramentum, antequam cura animarum, vel poſſeſſio Paſtoratus ei detur. *Cap.* 1.

EGo N. juro, & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem ſummo Pontifici Romano, ac Reverentiam Domino Epiſcopo N. eorumdemque ſucceßoribus. Item juro, & promitto Eccleſiæ meæ Parochiali de N. fideliter deſervire ſecundum oneris illi annexi exigentiam, & in eo reſidere perſonaliter. Bona paſtoratus, vel A *Eccleſiæ meæ non alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare ſtudebo, ſpecificationem omnium fructuum Paſtoratus mei, cum debita deſignatione hypothecarum, limitum, & terminorum, intra annum à Feſto Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ proxime venturo, Archipresbytero tradam: fructus anni, in quo me mori, aut meam Eccleſiam dimittere continget, ſubjicio, & obligo ad laudabilem deſervituram uſque ad Feſtum Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, mortem, vel dimiſſionem meam proxime ſubſecuturum. Sic me Deus amet, &c.* Cap. 2.

De vita, & honeſtate Clericorum, eorumq; correctione. Tit. 18.

NEmo etiam in ordine ſacro conſtitutus, fidejubeat: ſciantque omnes Clerici ipſis non licere ullo B pacto fori privilegio renuntiare; Etſi renuntiaverint; nullam eſſe renuntiationem, in eoſque ad ſacrorum Canonum præſcriptum agi poſſe, ac debere. *Cap.* 1.

CLerici quoque beneficiati, vel in ſacris conſtituti, decimas, cenſus, prædia, aut terras alienas non conducant, quæſtus faciendi gratia, neve nullam negotiationem ſæcularem exerceant, ſub pœna arbitraria. *Cap.* 5.

De beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia. Tit. 19.

C BEneficiati neque ex fundatione, neque ex conſuetudine, vel aliter ad perſonalem reſidentiam obligati, nihilominus onera Miſſarum beneficiis ſuis incumbentia, in Eccleſiis, ubi ea fundata ſunt, plenè, ac debitè expleri curent; alioquin hoc ipſo, etiamſi in loco privilegiato reſiderent, à fructibus beneficiorum ſuorum ſuſpendantur, & ſuſpenſi maneant, donec debitè docuerint de impleto onere Miſſarum, ob cujus omiſſionem ſuſpenſi fuerunt. *Cap.* 4.

De ſcholis. Tit. 20.

OPtat hæc Synodus, ut tàm in Dominicalibus, quàm in aliis quibuſcumque ſcholis, maſculi à viris, & puellæ à mulieribus tantum inſtruantur: D ubicumque tamen id obtineri non poterit, ſaltem locis, & interſtitiis maſculi à puellis ſeparentur. *Cap.* 3.

De Synodo Provinciali, & Diœceſana.

COntra abſentes non legitimè excuſatos, vel qui procuratorem ſufficienti mandato inſtructum non miſerint, primum ad contumaciam etiam per affixionem edicti publici ad valvas loci, in quo Concilium celebrabitur, deinde ad alias pœnas, juxta Canonicas ſanctiones decernendas procedatur. *Cap.* 2.

E NEmo, ſine licentia Præſidis Concilii, à Concilio recedere audeat; neque tunc aliter, quàm ſufficienti conſtituto Procuratore. *Cap.* 3.

QUæcumque in hac Provinciali Synodo, ad majorem Dei gloriam, & animarum ſalutem ſtatuta ſunt, per univerſam Mechlinienſem Provinciam, per ſingulas Diœceſes intra annum Diœceſanis Synodis publicanda ſunt; ad quas omnes omnino, tàm exempti, quàm non exempti, publicari ea audiant, & ad ſe conforment, ex decreto Tridentinæ Synodi, Seſſio. 24. de Reformatione cap. 2. accedere tenebuntur. *Cap.* 5.

SUbſcripſerunt Matthias Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Petrus

Petrus Damant Episc. Gandavensis.
Gilbertus Masius Episc. Buscoducensis.
Henricus Episc. Ruremundensis.
Carolus Philippus de Rodoan. Episc. Brugensis.
Joannes Miræus Episc. Antuerpiensis.
Carolus Masius Episc. Iprensis.

IN fine additur testimonium DD. Cardin. Pamphilii super facta recognitione Concil. Provincialis Mechlin. ab Illustr. DD. Cardinalibus interpretibus sacri Concil. Trident.

Subjungitur breve S. D. N. Pauli Papæ V. super confirmatione ejusdem Concilii. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, quarto Calendas Maji 1608. Pontificatus nostri anno tertio.

PETRUS.
STROZA.

DORDRECTANA SYNODUS

Calvinistarum in Hollandia contra Arminianos, anno Christi 1618.

IN hac Synodo hæretica authoritate præpotentum Ordinum Belgii fœderati Provinciarum collecta, Calvinianæ sectæ proceres ex Belgio, Germania, Anglia, id maximè egerunt, ut regenerationis gratiam irresistibilem esse definirent contra Arminium, aliosque defendentes gratiæ prævenienti resisti posse. Extat hæc Synodus in folio edita, quam si quis vel cursim legat, statim inveniet hoc primarium fuisse controversiæ caput ibidem agitatum. Aliqua colligit Antonius Ricardus in disp. Theol. *de libero arbitrio*, ex variis paginis hujus Synodi, quæ hoc testatum faciunt, opponitque Jansenio, ac ejus asseclis.

Seff. 136. pag. 366. editionis Hannoviensis ann. 1620. Rejicit Synodus errores eorum, qui docent, positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad hominem convertendum utitur, hominem tamen Deo, & Spiritui regenerationem intendenti, & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, & actu ipso sæpe resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat, atque adeo in ipsius manere potestate, ut regeneretur, vel non regeneretur.

Seff. 99. pag. 314. & 315. irresistibilem hanc Dei motionem esse firmissimè probant orthodoxi (sic seipsos Calvinistas vocant) *quia* tractus Patris, sine quo nemo venit ad Christum Joan. 6. irresistibilitatem gratiæ supponit; *quia* si gratia regenerationis esset resistibilis, foret & communis multis non renatis. At scriptura eam propriam filiorum Dei facit: quia posita resistibilitate gratiæ, præcipuum opus nostræ salutis necessarium, ipsum nempe credere, & resipiscere in hominis arbitrio tamquam in propria causa poneretur: discriminis quoque ratio, cur ex duobus non renatis in dicto Euangelio unus credat, alter non credat, ex homine esset, quod unus gratiæ non resistere, alter resistere voluit, & contra illud, *quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?*

Pag. 316. ejusdem sessionis addatur & Augustini ratio de correp. & gratia. cap. 14. *Qui habet humanorum cordium, quò placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem: & de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit, & magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Et de Gratia Christi, cap. 24. *Quique interna, atq; occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* *D. August.*

Postremo ex his omnibus concludit hæc Synodus pag. 310. Arminium hac gratiæ resistibili assertione doctrinam gratiæ cum Pelagio periculosè depravare.

Hinc patet, inquit Ricardus, gratificari nuperos

A Theologos Calviniano dogmati, nec abs re esse, quod Batavi glorientur, recipi suum dogma à Pontificiis, & posthabita Tridentini Concilii auctoritate Dordrectanæ Synodi decreta vigere apud nos, & florere, &c.

Denique scopus hujus Synodi est Theologos Pontificios, & ipsum Concilium Tridentinum Pelagianismi insimulare, quod asserant hominem posse, si velit, gratiæ Medicinali resistere. Decreta ejus ferè unam gratiam sufficientem petunt. Decernit quoque Christum non fuisse mortuum pro omnibus, & contrariam opinionem Pelagianismi arguit, non observata distinctione trium graduum redemptionis, ex quibus maximè pendet hujus quæstionis solutio, & quos sæpius jam proposuimus. Hæcque agit pallio D. Augustini
B cooperta, sicut moris est hæreticis, sive sua adstruendo, sive nostra destruendo, non quod ab eorum partibus stet, ut ait Sanctesius repetitione 9. *De Eucharistia*; sed quoniam tàm multa, ac tàm variè scripsit pro re nata, ut facilè fuerit omnibus post illum hæreticis, aliquid de ipso contorquere, atque aliorsum, quàm ipse dixerit, avertere. Quibus opponi potest dictum Facundi Hermianensis Episcopi libro contra Mocianum pag. 562. *Quid autem in hoc miremur? neque enim melius loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, quàm Euangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis tàm multi hæretici suos defendere conantur errores.* Sed ut probè advertunt nonnulli, quem locum D. Paulus inter scriptores Canonicos, eumdem
C habet D. Augustinus inter Ecclesiasticos: atque ut in illius scriptis, *quædam sunt difficilia, quæ pravi, & instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem*: 1. *Petr.* 2. idem in hujus libris observare licet. Toties verò versatæ sunt harum rerum controversiæ in pluribus hujus collegii classibus, præter hæc, quæ in sequenti classe dicenda supersunt, ut in iis nunc immorari pigeat.

Plures alias Synodos Calvinianas refert Cornelius Scultingius in Hierarchicha Anachrisi, easque confutat, ac simul ostendit longè diversam esse politiam Calvinistarum, ac administrationem Ecclesiæ ab ea, quam Catholica Ecclesia semper tenuit, & observavit in suis Conciliis. Sed ne tàm breviter perstringamus amplissima illa acta.

D *Convinciuntur protestantes hæretici ex exemplo Synodi Dordrectanæ.*

CAusa congregandæ Synodi fuit Arminius Minister Amsterodami: & postea professor Theologiæ Leydensis, ubi doctrinam sparsit quinque maximè propositionibus contentam in materia prædestinationis, gratiæ, & liberi arbitrii, omnino contrariam Calvinianæ, quam cum plures ipsius discipuli imbibissent, ac per Holandiam disseminarent, obstiterunt contra, Gomarus Grœnimguæ professor Theologiæ cum aliis pluribus: Unde natæ turmæ, & dissensiones plurimæ per Religiones statuum fœderatorum ann. 1607. Disputationes etiam habitæ in-
E ter Arminium, & Gomarum coram Consiliariis à Statibus deputatis ad finiendam litem, in quibus creverunt potius dissensiones, unoquoque Scripturas pro sua causa allegante tanto calore, ut paulo post Arminius ann. 1608. 5. Octobris è vivis excessit. Sed post ipsius mortem ejus discipuli nihilo segniores, quàm antea, Magistri sui doctrinam quinque articulis contentam Statibus exhibuerunt, quam verbo Dei scripto probare prætendebant, cumque nollent eam dijudicari in Synodo Pastorum Hollandiæ, judicium expetebant fieri per Status particulares in unaquaque provincia. Istis se opponit Gomarus, & asseclæ, oblato contrario scripto ipsis Statibus, contendentes non aliam doctrinam admittendam esse, quàm Calvinianam, quousque Synodus natio-

nationalis de controversia judicasset juxta exemplum Apostolorum, qui controversiam suo tempore exortam determinarant in Synodo. Sic per plures annos tumultuatum est, varia scripta ex utraque parte in vulgus emissa sunt, quæ contentionem fovebant, & augebant usque ad annum 1617. quo visum est Statibus, penes quos summa resides auctoritas, congregandam esse Synodum nationalem ad ferendum judicium de tota controversia. Ad hanc convocantur Ministri, & deputati Ecclesiarum Calvinianarum ex omni regione, in qua invenirentur, nec prætermissi sunt Protestantes Galliæ, quamvis ob edicta regia interesse personaliter ipsis non licuerit, sicut nec ministros externos in suis synodis admittere potestatem non habent, præcipui tamen ex ipsis quid sentirent, scripto significarunt, unde & suffragium ministri Molinæi in Synodo lectum fuisse reperitur.

[...]otestatio [...]tra Synodum.

Initio Synodi protestati sunt Arminiani contra auctoritatem Synodi, nec se posse illam pro legitimo judice agnoscere, quod ex iis conflata esset pastoribus, qui se ipsorum doctrinæ opposuissent, sicque partes contrariæ essent. Sed omnes Ecclesiarum externarum pastores ibi congregati judicarunt oppositionem istam derogare praxi primorum conciliorum Ecclesiæ, Nicæni, Constant. Ephesini, & aliorum, in quibus Judices esse non destiterant, qui Ario, Macedonio, Nestorio, aliisque hæreticis contradixerant. Sic judicatum à Theologis Ecclesiarum Hassiæ, Bremæ, Palatinatus, & Genevæ, ideoque adacti sunt Arminiani renuntiare suæ protestationi, & dare scripto rationes, & momenta quinque suarum propositionum, quæ discussæ sunt per synodum, & damnatæ, ut erroneæ, & Verbo Dei contrariæ, cum decreto nullum admittendi ad ministerium, quin prius subscripsisset doctrinæ in Synodo approbatæ, quin etiam partis Arminianorum præcipuus Antesignanus, ac incentor capite plexus est, quòd religionem turbasset, & deinceps pro hæreticis, & schismaticis habiti inter ipsos, qui synodo non acquiescerent.

Ex his sic gestis argumento ad hominem convincuntur absque tumultu disputationum de rebus fidei, quarum sæpe exitus inutilis, nullo alteri cedente, qui damnati sunt à synodo omnium pastorum Ecclesiæ, & in qua primùm, quod observandum est, orta est dissensio in rebus fidei, & in qua primùm inventi sunt, qui de fide contra se invicem contenderunt. Quare cùm in Ecclesia Romana exortæ sint dissensiones de fide, sicut tunc in Hollandica, quæ non aliter finiri potuerunt, quàm per judicium synodi, quæ judicavit de legitimo sensu, ut putavit, scripturarum, quas unaquæque pars contendentium pro se allegabat: sic non aliter finiri potuerunt contentiones in Ecclesia Romana exortæ, quàm per Synodum, quæ Tridenti celebrata, causam finire debuit. Cur enim in Ecclesia Hollandica Synodus finem afferre debuit ex judicio omnium protestantium controversiæ natæ inter ipsos, & non afferet Synodus Tridentina? & cur necessaria fuit Synodus ad ferendum judicium de propositionibus Arminii, non obstante Scriptura, de cujus sensu contentio erat, & non erit necessaria ad ferendum judicium de propositionibus Lutheri, & Calvini, quibus ceteri adversantur, an approbassent Arminianos post synodum suam, si separassent se, dicendo se esse Ecclesiam Christi, cur igitur separant se ab Ecclesia Romana post ipsius Synodum, in qua damnati sunt, dicendo se ipsos ipsam Ecclesiam Christi?

Ecclesia [...] pri[...] exor[...] dissen[...]s in

Dicent, Synodum Tridentinam errori fuisse obnoxiam: at hoc ipsum dicebant Arminii sectatores de ipsa Dorcretana Synodo post ipsius judicium, quibus responsum est, ut habent acta ejusdem synodi sess. 26. ex alia Synodo Hollandica Delphis celebrata, Christum Dominum Apostolis promisisse Spiritum sanctum, qui ipsos docturus esset in omnem veritatem, Ecclesiæ quoque suæ pollicitus esset, se cum ea usque ad finem sæculi mansurum, & quod nullus ordo, nulla pax esse poterit in Ecclesia Dei, si cuilibet quidlibet dicere permittatur, nec ad rationem doctrinæ suæ reddendam, nec se judicio alicujus Synodici conventus submittendum obligatur, juxta præceptum Apostoli 1. Cor. 14. ut judicetur de his, quæ Prophetæ loquuntur, & Prophetarum Spiritus Prophetis subjecti sint.

Sed fortè volent inde inferre, legitimum ergo existere judicium suæ Synodi, cum sit judicium pastorum illius Ecclesiæ, in qua exortæ sunt circa fidem dissensiones. At non ita intelligitur de qualibet Ecclesia, sed de illa, in qua erant partes contendentes de fide, antequam una pars ab ipsa descivisset propter suam condemnationem: illa enim sola vera est Christi Ecclesia, à qua primùm discessio facta est, quia tunc unica erat ab utraque parte agnita. A qua qui condemnatur, si non acquiescit, hæreticus habetur, & schismaticus, & qui ipsi adhærent post quantumcumque temporis intervallum: nec ipsorum Ecclesia pro Christi Ecclesia haberi potest, cui se adfuturum promisit. Quare non potest haberi reipsa legitimum synodale judicium Dorcretanum, cum sit judicium Ecclesiæ schismaticæ, & separatæ ab Ecclesia Romana, postquam est ab ipsa damnata: est ergo præsens argumentum tantum ad hominem, ut loquuntur Dialectici, quia si supponant Arminianos post Synodum suam pro schismaticis habendos esse, inhærendo suis principiis, non possunt, quin fateri debeant Lutheri, & Calvini asseclas post synodum Tridentinam Ecclesiæ Romanæ, in qua erant, cum primum turbas cierunt, pro hæreticis, & schismaticis habendos.

Sed hoc argumentum egregiè tractat libellus Ludovici Mainbourgii Soc. Jesu hoc ipso anno 1670. editus Parisiis cum hac inscriptione, *Methode pour ramener sans dispute les Protestans en la vraye Foy.* 1. Methodus ad reducendum in veram fidem sine disputatione Protestantes. Est autem hæc methodus præscriptionis, quam docet Tertullianus l. de præscriptionibus: estque facilior, & efficacior alia methodo, quæ dicitur discussionis, qua singulæ sententiæ hæreticorum discutiuntur, & refelluntur.

Methodus duplex contra hereticos.

GERMANICA.

CONCILIUM COLONIENSE,

Præside Nicolao de Cusa Cardin. per Alemanniam Legato à latere Summi Pontificis Nicolai V. Anno Domini 1452.

IN libro Conciliorum Coloniensium habetur integrum hoc Concilium, ex quo aliquot specimina damus. Nicolaus miseratione divina tituli sancti Petri ad vincula sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, per Alemanniam, & nonnulla alia regna, ac Provincias Apostolicæ sedis Legatus ad perpetuam rei memoriam.

Aspirante divinæ pietatis influxu, & vigore Apostolici Spiritus, qui (teste D. Hieronymo) Petri Cathedram non deserit, se nunc ad pascendum Dominicum gregem diligenter convertente, actum est, quod sanctissimus Dominus noster, Dominus Nicolaus Papa V. oculos ad hanc magnam Provinciam Coloniensem attollens, nos licèt omnium sacri Collegii Cardinalium minimum, transmiserit, ut videamus, qualiter vos Fratres, & Filii sui dilecti: in via Domini proficiatis: hinc Deo gratias agamus, qui nos ad divina mysteria sollicitanda collegit, ut mutuis consiliis cuncta in melius dirigantur. Et quoniam nunc adestis vos, Reverendissime Domine Theoderice Archiepiscope Coloniensis, cum venerabili Capitulo, ac vestrorum Comprovincialium vices agen-

agentibus, venerabilibusque Abbatibus, Præpositis, Decanis, Canonicis, aliisque religiosis, & devotis, doctisque Sacerdotibus, & Magistris numero copioso; tempus adesse credimus, ut nunc deliberationum communium per plures dies digestè factarum fructuosa definitio subsequatur. Quæ, ut clarior fiat, præmittendum arbitramur, nos non velle per ea, quæ statuemus Apostolicis aut Legatorum ejus, aut nostris antea factis ordinationibus in aliquo detrahere, neque etiam Comprovincialium, aut Synodalium Diœceseon statutis, &c. Sed potius jus uniuscujuslibet, quale habere dignoscitur, salvum esse volumus. Ad aliqualem autem Ecclesiastici status reformationem, quousque Deus majori observantiæ commodius tempus concesserit, nos Nicolaus Cardinalis Legatus, &c. supradictus, huic sacro Provinciali Concilio authoritate sanctissimi Domini nostri Nicolai Papæ V. præsidentes, de expresso Reverendiss. in Christo Patris, ac Domini nostri Domini Theoderici Archiepiscopi præscripti nobis consedentis, ac sui venerabilis Capituli, omniumq; Comprovincialium consensu, universaque Synodo concorditer approbante, statuimus, & ordinamus, ut sequitur.

In primis, quod de cætero de triennio in triennium servetur Concilium Provinciale in sancta Civitate Coloniensi, &c.

D Thomas Aquinas legendus à Presbyt. Insuper laudamus, & legi mandamus in Synodis Diœcesanorum libellum sancti Thomæ de Aquino de articulis fidei, & Sacramentis Ecclesiæ: quodque præcipiatur Curatis, ut partem, quæ est de sacramentis, habeant, & studeant diligenter.

Item, quod Judæi intra decem menses, & ab eo tempore in antea per totam Provinciam Coloniensem deferant signum, videlicet circulum de filis croceis in veste extrinseca ante pectoralia, & hoc quoad masculos: quòd fœminæ deferant duas rigas blavii coloris in peplis earumdem ad instar Judæorum in urbe Romana. Et quòd nihilominus servetur decretalis extra *de usuris*. Ad quæ omninò compellantur tàm per Ecclesiasticam, quàm per sæcularem potestatem.

Insuper ad reformationem moris Ecclesiastici status, ordinamus, & statuimus, quòd Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii minoribus ordinibus constituti de cætero tonsuram deferant Clericalem, atque crines longos, & tamen sic detonsos, quod auribus patentibus incedant: ita quod status, & gradus cujuslibet eorumdem discerni commodè possint, & valeant. *Tonsura Clericor.*

Item, ut singuli Diœcesani provideant in suis Diœcesibus, ne de cetero Dominicis, & Festivis diebus ad honorem Dei indictis mercatus rerum vendibilium, quę ad usum quotidiani victus necessariæ non existunt, quomodolibet fiat, nisi in casibus permissis à jure, & præsertim juxta determinationem sancti Thomæ de Aquino supradicti.

Item de Sacerdotibus concubinariis publicis sic statuit. Publici autem intelligendi sunt, non solùm hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla tergiversatione celari posset, notorius est: sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, ac per superiorem suum admonitus, ipsam cum effectu non dimittit.

Item cum natura quotidie novas deproperat edere formas, & omnia subjacent mutationi, reservamus Provinciali Synodo proximæ, & sequenti liberam, & absolutam potestatem superius statuta, & ordinata, & per nos præcepta emendandi, corrigendi, reformandi, & commutandi, prout juxta malitiam, atque qualitatem temporis, & subditorum Provinciæ Coloniensis videbitur expedire.

Ut Monasticæ personæ tàm exemptæ, quàm non exemptæ, regularem vitam juxta regulam Ordinis, quem professæ sunt, vivant: alioquin sint inhabiles, & ineligibiles ad quamcumque dignitatem, nisi prius saltem per annum integrum immediatè præcedentem, regularem tenuerint observantiam.

Casuistæ quis habendus. Plura alia statuit, quæ pro tempore utilia visa sunt, illud tantùm advertimus de D. Thoma, quòd proponatur hic pro Magistro casuum conscientiæ, in quibus dissolvendis, non leviter controvertitur hodie, quis fidelis habendus sit. Paucos ante annos Episcopus vitæ severioris, & verè religiosus, scilicet Episcopus Cadurcensis, proposuerat suis Curatis, ut Bonacinam sequerentur, dimissis aliis, sed cùm audisset eum in collatione serotina aliquid laxius docere, mandatum revocavit. Quis omnibus satisfaciet in tanta affectuum varietate? *Bonacina.*

Controversia de Cusano Cardinali.

Quia verò incidit mentio istius Cardinalis, non erit inutile post Stapletonum in replica ad Horni statum (is est ex protestantibus Anglis) l. 3. c. 26. observare ipsum, sicut & Æneam Sylvium, qui postea dictus est Pius II. Papa, retractasse, quæ contra auctoritatem papalem scripserat nondum Cardinalis, scribendo tempore Concilii Basileensis, cujus auctoritatem propugnabat in tribus libris de *Concordia Catholica*, quamquam in hujusmodi libris multa inseruerit: pro summi Pontificis potestate, l. 2. c. 4. concludit, fidem Romanæ Ecclesiæ in nulla universali Synodo retractari posse. Verùm hoc explicat de fide illius totius Ecclesiæ, per suam synodum, sui scilicet Patriarchatus dictatam. Cap. 13. asserit constanter Papam esse rectorem naviculæ S. Petri, & Universalis Ecclesiæ, nemo etiam dubitat: subjungit tamen, id posse contradici. Attamen idem scribit c. 15. Verum est, nullum cujusquam Synodi judicium valere, nisi authoritas sedis Apostolicę concurrat. Reddit rationem. Quia semper appellari potest à judicio illius Synodi ad sedem Apostolicam. Ita legimus, inquit, de Patriarchis Constant. Flaviano, Ignatio, & aliis. Ita de Athanasio Alexandrino, & aliis. Ibidem dixit expresse: Fateor de constitutionibus fidem tangentibus, verum esse, quòd si sedis Apostolicæ authoritas non interveniat, ratę non sunt: imò & ipsius Pontificis consensus intervenire debet, cùm sit princeps in Episcopatu fidei. Quæ ultima verba Cusanus ab Imperatoribus Valentiniano, & Marciano in litteris suis ad Leonem scriptis ante mille annos didicerat. Quin & idem Cusanus, ubi contra opinionem de Papæ primatu supra Concilia loquitur (aliter enim nunquam negavit) salvo meliorum semper, & doctiorum judicio, suam sententiam tradit. Quæ, & alia opponit Stapletonus contra Protestantes Anglos, qui auctoritate Æneæ Sylvii, ac Cardinalis Cusani se tuebantur. Tuo igitur Ænee, idem dicas de Cusano, Pium, illi juveni imperito, & minus docto: senem prudentem, & doctissimum, Laico (nondum enim sacris ordinibus initiatus fuit, cùm ad obedientiam Papę Eugenii rediret) Pontificem, & Pontificum principem opponimus. Meminisse oportet δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Jam ad Cardinalem Cusanum deveniamus, &c. Si Cusani verba cum perfecto sensu excutias, nihil certè tuæ causæ profligatæ proderunt. Si imperfectè profers, & non finis eum ea, quæ narrare incipit, perficere, hic iniquus est modus agendi, non enim convenit, ut quis in una parte testamentum mortui; quatenus pro se facit, approbet, & ex altera parte, ubi contra se facere videtur, convellat. Sed quantumvis conetur Stapletonus causam tueri Cusani etiam ex his libris de *Concordantia*, apparet tamen ex attentiori lectione, ipsum non aliter admisisse Papæ auctoritatem in constitutionibus de fide, quàm quia robur à concordia synodica recipiunt.

CON.

CONCILIUM TREVERENSE.

Authoritate Joannis Archiepisc. Treverensis sacri Rom. Imperii per Galliam, & regnum Arelatense Archicancellarii, Principis Electoris pro fide, & moribus Anno 1549.

IN præfatione hujus Concilii indicatur fuisse provinciale his verbis : Sane quoniam felicis recordationis Balduinus Archiep. Treverensis, & alii prædecessores nostri, pro subditorum utilitate, pro libertate Ecclesiæ, & ministrorum ejus quam plurima statuta synodalia, & provincialia, non minus utilia, quàm necessaria ediderunt, promulgarunt, publicarunt, & pœnarum adjectione, prout opportunum visum fuerat, providè, & consultè vallarunt. Quæ nos omnia de consilio, & consensu Capituli Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Treverensis, & nunciorum, seu procuratorum aliorum Reverend. D. Nicolai Episcopi Virdunensis, & nunciorum, seu procuratorum Reverend. D. Joannis Cardinalis de Lotharingia administratoris Metensis, & R. D. Tonsani Episcopi Tullensis suffraganeorum nostrorum, in præsenti Concilio provinciali congregatorum, quatenus per infra statuenda expressè non fuerint revocata, & cassa, ea approbamus, & innovamus, atque in suo robore permanere volumus.

De fide orthodoxa, &c. Nihil proinde aliud credendum, tenendum, aut docendum esse, nisi quod sancta Romana tenet, & docet Ecclesia, omnium consentientium Ecclesiarum mater, & magistra. Eum verò, qui à fide Catholicæ, & Rom. Ecclesiæ recedit, necesse est à veritate, & capite deficere, &c.

De prædicatoribus verbi, quos missos esse oportet. Hoc habet Apostolica Ecclesia, ut nullus nisi missus prædicet : sic Christus non nisi missus prædicavit, ipso apud Isaiam testante. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me.* Neque item ipsius præcursor, de quo scriptum est: *Fuit homo missus à Deo.* Proinde nos Euangelicæ, & Apostolicę regulæ innitentes, statuimus, & præcipimus, ne quisquam post hæc, etiam quamcumque religionem professus, publicè prædicare pręsumat, nisi ab Episcopo ordinario, vel ejus Vicario admissus fuerit, &c.

[margin: ...e 6. ...e 4. ...s. 1. ...o Præ... ...torum.]

Attamen non tàm eloquentiores, quàm sapientiores, neque tàm argutiores, quàm meliores eligendi sunt, modò gregi sana doctrina pascendo non sint inidonei. Imò tantò magis aliquoties cavendus est is, qui eloquentia pollet, quantò plus eloquentia, dum rectè dicere, & docere existimatur, nocere, & fallere potest.

De casibus reservatis. De casibus verò nobis reservatis hoc statuimus, ne quis eorum decisionem sibi arroget, nisi à nobis specialiter sibi commissum fuerit, &c.

De competentia Pastorum. Neque absonum reputamus, ut ea, quę ex antiqua consuetudine locorum, Pastoribus, & Curatis solvi, & præstari eisdem solita sunt, etsi modica sint, benignè persolvantur: eoque minus sub hoc pretextu Sacramentorum venditionem causentur isti, qui omnia sinistrè in ordinis Clericalis confusionem interpretantur: atque ut omnium in hoc uniformis observantia in nostra Diœcesi constituatur, maturo consilio statuimus, & ordinamus, ut deinceps in nostra civitate, & Diœcesi Treverensi, Curatis pro licentiatorio, seu dimissoriis litteris duodecim albos rotatos: pro educendis, seu benedicendis puerperis, duodecim denarios: pro eo tempore, quo sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos defertur, quatuor denarios: extremę verò Unctionis sacramentum, duodecim dena-

[margin: ...cunia ..., & ...ta in ...ni... ...one ...men...]

A rios : pro offertorio quatuor festivitatum pro qualibet, unum denarium exigere liceat, ultra tamen nullus Curatus exigere præsumat, datum tamen, aut oblatum liberaliter recipere potest. Pariformiter pro Baptismi, aut Pœnitentiæ sacramentis nihil exigat: liberaliter oblatum recipere potest. In nuptiis verò celebrandis Sacerdos juxta consuetudinem loci cibariis missis à nuptiis debet contentus esse, nihil ultra exigendo. Si verò copulati pro iis pecuniam largiri vellent, numerum octo alborum excedere non debent. In funeralibus verò, aut exequiis defunctorum, aut tertio, septimo, & tricesimo, expensis & duobus albis, aut deficientibus expensis, ultra tres albos Sacerdotes exigere non pręsumant: sed liberaliter oblata recipere possunt.

B

CONTROVERSIA.

NOta. In istis jus antiquum strictius fuisse, & pro Simonia habuisse, quod recipiebatur in administratione Sacramentorum. Tunc temporis, ait author vitæ Ivonis Carnotensis operibus ejus prefixæ, adeò Simonię crimen in clericis inoleverat, tantumque ei extirpando summi Pontifices insudabant, ut, quicquid vel umbra illius prę se ferebat, in suspicionem veniret. Unde posterior observatio à prioris rigore deflexit. Atque hinc ortum habuit quorumdam argumentatio pro usura, quæ pari cum simonia passu incedere se posse opinabatur. Hæc sic se habet. *Umbra Simoniæ suspecta.*

Ego, inquit usura, & simonia, duæ sorores sumus C in ruinam, & damnationem animarum prognatæ ab eodem patre diabolo, cujus filiæ sumus. Quare mihi competit eodem jure uti, quo illa, eodem statu incedere, iisdem privilegiis frui. Conquerar autem hodie apud vos : Quod sororem meam simoniam apud vos honoratis, me autem vilem reputatis. Quod illa degit secura apud vos nullis affecta injuriis, ego autem, tanquam furti insimulor, & variis censuris gravissimis digna judicor, cùm in pari causa simus, nec sit ulla ratio, cur ego in comparationem sororis meæ simoniæ contemptibilis haberi debeam : siquidem tàm non licet in administratione spiritualium Sacramentorum temporale accipere, quàm in mutuo, & in contractibus meis quicquam ultra sortem, vel gratuito datum recipere, secundum vestra judicia. *Expostulatio usuræ contra simoniam.*

Dixerunt illi ad usuram : Ecquid tu audes mussitare, D & coram nostro tribunali obloqui contra sororem tuam, quæ innocens est, & in comparatione tui justificata; non enim in eadem causa versamini, nec paribus innitimini rationibus. Nam, si in administratione Sacramentorum aliquid speratur, petitur, & recipitur, id fit non ratione ipsorum Sacramentorum, quæ sunt spiritualia, nec pretio ullo temporali æstimanda : sed quia cum ipsa, & in ipsa administratione Sacramentorum sunt quædam externa iis annexa, quæ justum fundant titulum aliquid petendi, & accipiendi. Nam debet vivere, qui ea administrat, laborem habet in administrando, expectat diu, ut paratus sit petentibus deferre : adhibentur aliquando plura ornamanta, accenduntur plura luminaria, plures E ministri comitatum præbent. Ratione quorum omnium, & intentionum ad ea dirigendo, non ratione ipsorum Sacramentorum petitur, & datur aliquid temporale sine offensa Creatoris.

Respondit usura, Nollem in hoc judicio arguere vos, quorum scientiam, & authoritatem veneror. Verum, si ob hæc externa adjuncta administrationi sacrarum rerum intentionem ad ea pręcise flectendo, licet sine offensa temporale accipere : sciatis velim, quod in subministratione pecuniarum, & contractibus meis sunt etiam plura externa adjuncta, ob quæ tàm justum sit aliquid petere, & accipere ultra sortem flectendo ad hęc intentionem suam, non ad ipsum mutuum præcisè respiciendo. Cur ego peccatrix

catrix sum, si ob illa externa aliquid petam, & recipiam, cum non sit ob ipsum mutuum? si æqui judices vultis esse, cum ego, & simonia in pari causa simus, non est, quod mecum hac iniquitatis severitate agatis.

Dictum est ad usuram: Istę tuæ rationes non prævalent contra Euangelium, in quo dictum est Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*.

Respondit usura. An cum ex externis adjunctis accipiam ultra sortem, non inde nec ex mutuo accipio: at ad vos dictum est absolutè, Gratis accepistis, gratis date: Euangelium ergo potius contra vos est, quàm contra me.

Dictum est rursus ad usuram: Explicatio Euangelii, & scripturarum pertinet ad Ecclesiam, & illius Concilia, ac summum Pontificem: at Pontifex, & Concilia sæpius te condemnarunt, & prohibuerunt quidpiam ultra sortem accipere.

Respondit usura. Esto damnarint me Pontifices, & Concilia, quo in sensu modò non quæro. Sed justa mea expostulatio subsistit contra sororem meam simoniam: quæ non minus frequenter damnata est per Pontifices, & Concilia, ea, si placet, evolvite, si non centies id prohibitum sit, disperеam. Cur ego in pari causa secura hodie non sum?

Rursus dictum est ad usuram: Non est pro te laudabilis consuetudo, ob quam nostri & judices cogunt ad dandum temporale pro spiritualium administratione. Respondit usura; Nec mihi deest consuetudo aliquid accipiendi, quæ à tot sæculis extitit: si dicitis consuetudinem meam non esse laudabilem, & vestram laudem esse; est petitio principii, & id, quod est in quæstione, tanquam solutionem asserere. Quare semper restat expostulationis meæ justa ratio contra sororem meam simoniam: iniquum est in paritate rationum diversimodè philosophari, ergo vel utramque absolvite, vel utramque sororem damnate, & ut hos usurarios pronuntiatis, sic vos simoniacos pronuntiate.

Sed quacumque probitatis specie fulgeat hæc argumentatio, tanquam filum tenuissimum dirumpetur à vanis Theologorum moralium cribratoribus, quibus hodie plena est terra. Hoc controversiæ caput aperuisse nobis abunde est, nisi quod istud subjungimus ex Gersone *de contractibus* parte 2. propositione 15. Martinus Sacerdos, inquit, vult lucrari decem Francos, & Petrus etiam. Martinus recipit illam summam pro sustentatione vitæ suæ, Petrus recipit tanquam pretium suæ Missæ. Martinus justè habet decem Francos, Petrus injustè. Ubi manifestum est, quantum operetur intentio, & directio cordis, ut aliquis evitare possit faciliter simoniam cum pari, seu majori lucro temporali, quàm per damnatam simoniam.

CONCILIUM RATISBONENSE,

Reformatio Cleri Germaniæ ad correctionem vitæ, & morum, ac removendos abusus sub Clemente VII. Anno 1524. nonis Julii.

Cardinalis Campegius.

Laurentius miseratione Divina tituli S. Anastasiæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, per universam Germaniam, ac Hungariæ, & Bohemiæ, Poloniæque regna, & quæcunque alia loca, ad quæ nos declinare contigerit, Domini nostri Papæ, & Apostolicæ sedis Legatus ad perpetuam rei memoriam.

EX Legationis officio à sede Apostolica nobis commisso obligamur, ut circa statum personarum Ecclesiasticarum sub finibus nostræ legationis consistentium in melius reducendum propensius cogitemus, ut quæ in eis à sanctorum patrum decretis, A & ordinatione deviare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes, eis opem adhibeamus efficacem. Nuper siquidem cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa VII. cùm pro pastorali suo officio, tùm pro ea affectione, qua inclytam nationem Germanicam paternè prosequitur, intellectis ejus fluctuationibus, hæreticorumque impietate in dies crescente, nos ad universam Germaniam suum, & apostolicæ sedis Legatum de latere miserit, non aliam ob causam, quàm ut tranquillitati provinciæ, & saluti animarum, quæ periclitantur ob dictam nuper natam impurissimam omnis hæreseos sentinam, consulat. Quod onus, licèt humeris nostris impar, ejus tamen præceptis, & mandatis obedire (ut teneamur) volentes, freti Christi favore, servatoris nostri (cujus negotium agitur) subivimus. Nihil hìc prorsus nostris B viribus tribuentes, aut præterea cupientes, quàm quod ad munus hoc feliciter implendum attineat. Cumque aliquot mensium experientia multa collapsa, & præter omnem opinionem difficultatibus plena, perpenderimus, cum serenissimo Ferdinando, Hispaniarum principe, Archiduce Austriæ, Imperiali locum tenente generali, communicatis consiliis, concordi sententia particularem conventum in civitate Ratisponæ convocare decrevimus. In quo unà nobiscum interfuerunt præfatus serenissimus Princeps, & Archidux, Reveren. Matthæus S. Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Angeli Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Saltzburgensis, ac Illustrissimi Vuilhelmus, & Ludovicus Palatini Rheni Duces in superiori, & inferiori Bavaria fratres Germani, venerabiles in C Christo patres Bernardus Episcopus Tridentin. Joannes administrator Ecclesiæ Ratisponen. Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, ac nuntii, sive Oratores omnes, cum pleno mandato venerabilium in Christo patrum, & Illustrissimorum principum Vigandi Episcopi Bambergen. Georgii Episcopi Spiren. Palatani Vuilhelmi Episcopi Argentin. Christophori Episcopi Augusten. Hugonis Episcopi Constantien. Christophori Episcopi Basilien. Philippi Episcopi Frisingen. Palatini Rheni Ducis Bavariæ, Ernesti administratoris Ecclesiæ Pataviensis Palatini Rheni Ducis superioris, & inferioris Bavariæ, & Sebastiani Episcopi Brixiensis, cum quibus pluribus hinc inde in discussionem allatis, & pręcipuè quibus consiliis, quibusque modis præfatæ nationi D Germanicæ periclitanti consuleretur, paribus sententiis receptum fuit hanc perditissimam hæresim, rudi populo plausibilem, ob libertatem illi falsò persuasam, prætextu euangelicæ libertatis non parvam habuisse occasionem, partim à perditis moribus, & vita clericorum, partim ob non diutius dissimulandum sacrarum sanctionum, ecclesiasticarumque constitutionum abusum, & perinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum, & eorum sequacium sectę, ut clerici ad honestatem vitæ, moresque suos illos, quos D. Paulus exigit, & præscribit, debita censura reducti, abususque laicos malè offendentes sublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & piis consiliis pręfatarum Ferdi- E nandi principis, Cardinalis, ac Ducum, & Episcoporum, atque nuntiorum suorum, infrascriptos salutares aliquot tàm necessariæ reformationis sacerdotum, presbyterorum, religiosorum, & clericorum modos præscribere, statuere, sancire, atque edere necessarium duximus. Quocirca authoritate Apostolica, qua fungimur, in hac parte, statuta, & ordinationes per nos (ut præfertur) edita ab omnibus; & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, ac Parochialium Ecclesiarum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum Rectoribus, Presbyteris, Religiosis, & Clericis in universa Germania residentibus, prout eos, & eorum quemlibet respectivè tangit, aut tan-

Luthera. heresis.

tangere poterit in futurum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus. Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus universis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, necnon Metropolitanis, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ipsorumque Archiepiscoporum, et Episcoporum Officialibus, & Vicariis generalibus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, et eorum quilibet, si & postquam pro parte illorum, quorum interest, aut in futurum interesse poterit, fuerint requisiti, statuta, & ordinationes hujusmodi, et horum singula inviolabiliter observari faciant. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii Papę Octavi, qua cavetur, ne quivis extra suam civitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suę Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices à sede Apostolica, vel ejus authoritate deputati, extra civitatem, et diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut aliis, vel aliis vices suas committere pręsumant, & in Concilio generali de duabus dietis, & personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Verùm quia difficile foret, præsentes literas ad singula loca, ad quę expediens fuerit, deferri volumus, & authoritate Apostolica decernimus, quòd transumptis præsentium litterarum manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ ejusdem originalibus, si essent exhibitæ, vel ostensę, adhiberetur. Et ut hujusmodi statuta, & ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, universis locorum Ordinariis authoritate Apostolica pręfata, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statuta, & ordinationes hujusmodi, per se, vel alium, seu alios in eorum Ecclesiis, vel civitatibus publicent, seu publicari faciant, quæ post publicationem ipsam, eosdem, quorum interest, aut interesse poterit, perinde arctent, ac si eis personaliter intimatę essent, aut intimarentur, tenor verò statutorum, & ordinationum pręedictarum sequitur, & est talis,

Quòd nemini prædicare liceat, nisi per Episcopum admisso, cujus est verbo Dei seminando eos adhibere, quos probaverit esse doctos, modestos, & pios viros.
Cap. 1.

CUm potissimùm anima verbo, quod ex ore Dei procedit, vivat, id autem nec passim, nec ab omnibus expediat prædicari; admonente Apostolo, qui inquit: *quomodò enim prædicabunt, nisi mittantur?* Ideò statuimus, & ordinamus, ut non liceat cuiquam, etiam religionem professo, et quomodolibet exempto, Euangelium docere, nisi ab Ordinario, vel ejus Vicario tàm moribus, quàm doctrina probatus fuerit, facta fide per patentes literas, quæ pręter Notarii mercedem gratis prorsus concedantur. Missi itaque, atque probati, euangelicum negotium tractabunt rectè, sobriè, et purè, loca quæque recondita magis, & abstrusa, intellectuque difficilia, non ad novum, & adulterinum sensum, sed juxta sanctorum patrum, et ab Ecclesia receptorum doctorum, præcipuè Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Gregorii exponant, et interpretentur. Omni etiam ope studeant, ne pro veris somnia, & aniles fabulas, pro certis

A dubia, pro receptis apocrypha, et jàm dudum explosa, damnataque ab orthodoxa Ecclesia tradant, vel depromant, idque omni modestia, ne unquam eos ad convitia, injuriasque delabi contingat, locusque ille cum populi offendiculo dehonestetur. Itaque Ordinarius aliquot excellenti doctrina præditos constituat, qui per diœcesim inquirant, qui sint ad euangelicam doctrinam idonei disseminandam, quique ad impias novitates, & perfidiam aliquam non deflectant, ut remedia adhibeantur, quo populus rectè instituatur in Christiana lege, & ab ea deficiens, ne secum alios trahat, debitè coerceatur, cultus divinus observetur, peragaturque his modis, & ritibus, qui per manus sanctorum patrum nobis traditus, & per majores nostros observatus est B in sacrificio altaris, officiis defunctorum, canonicis horis, cæterisque divinis laudibus, atque ceremoniis.

Quòd Clerici morum integritatem, clericali quoque habitu, & tonsura ornare debeant.
Cap. 2.

HInc hortamur, atque monemus omnes, & singulos, qui sacris initiati sunt, ut vivant vitam, quam professio exigit, & Christus requirit, inquiens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum vestitu honesto incedant, quem Paulus alibi præscripsit. Quapropter singulari cura C intendat quisque prælatus, ne hi, quibus pręest, in sacris ordinibus constituti, vestes varii coloris, velut virgatas, & fimbriatas deferant, sed longis, atque talaribus utantur: nulla arma induant, nisi itinerantes: barbam, & comam non nutriant, coronam, & tonsuram deferentes, tùm summoperè curantes, ne quem laicorum indecentia vestitus offendant, ut sacris canonibus cautum est.

Vitandæ Clericis tabernæ, scenæ, ludi, omnisque levitas.
Cap. 3.

INsuper tabernas publicas evitent, nisi eas peregrè proficiscentes, ingredi oporteat; & tàm inibi, quàm domi, & alibi à crapula, ebrietatibus, omnique ludo à jure prohibito, blasphemiis, rixis, ac D aliis quibuscunque excessibus, & offensionibus penitus abstineant, choreas, spectaculaque, & convivia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum malè audiat.

Interdicitur Clericis cauponaria, ac mercatio.
Cap. 4.

CUmque secundum Apostolum, nemo militans Deo, sese negotiis sæcularibus implicare debeat: Nemini liceat contra provincialia statuta, & synodalia, domi suæ tabernam, compotandique locum aperire laicis, quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixę, cædes, & multa hoc genus E scelera, quæ sacerdotalem polluunt dignitatem. Præterea negotiationibus, mercimoniisque more mercatorum abstineant.

Ut parochi oblationibus, ac juribus suis contenti, subditis nihil superflui oneris imponant.
Cap. 5.

SAcerdotes àutem curati, quique vicem eorum referunt, subditos in remediis, & aliis parochialibus ultra ea, quæ sibi de jure debentur, non gravent, ultraque depositionem, eos ad peractiones Septimi, Tricesimi, vel Anniversarii peragi faciendas non cogant, tùm præter oblationes festis solemnibus

mnibus fieri solitas, cùm illa pro arbitrio fieri debeant, aliàs invitis non exigant.

Ut parochi pro necessaria sacramentorum administratione, quod de consuetudine voluntariè offertur, recipiant, nihil verò extorqueant.
Cap. 6.

DE sepultura quoque, ac administratione Sacramentorum, aliisque spiritualibus pacisci, aut aliquid ab invito exigere nemo possit, aut debeat, & propter ejusmodi à parochianis neglecta cuiquam non liceat aliquod sacramentorum denegare, neque propter debita quempiam ab Ecclesiastica sepultura prohibere, parochialia tùm jura, quæ usus recepit, & debentur altari servienti, per prædicta non abrogamus.

Consuetudo, per quam plus justo onerantur subditi, authoritate Episcoporum, vel magistratus moderanda.
Cap. 7.

CUm autem in diœcesibus non sit eadem consuetudo, & inter subditos, & pastores multa, & varia emergant dissidia pastoribus quibusdam plura exigere propensis; subditis verò ob penuriam, & egestatem reclamantibus, & recusantibus, ordinamus, quòd quilibet Ordinarius infra sex menses post præsentium publicationem omnibus perpensis, benèque, & sufficienter examinatis, supra prædictis certam legem, ordinationemque unà cum principum, aut dominorum secularium consilio, quos ista negotia tangunt, constituat; ne viduę, pupilli, & alii pauperes nimium ultra vires injustè graventur, quod nos si neglectum fuerit, si in provincia adfuerimus, vel successor noster, habita plena de his informatione, facturos pollicemur, aut rem ipsam sanctissimo domino nostro relaturi sumus, qui huic rei prospiciendæ judices deputabit.

Quòd oporteat Clericos esse temperantes, & non miscere cum laicis convivia, ne funeralia quidem aut fraternitatum.
Cap. 8.

COnvivia presbyterorum, quæ in exequiis, & fraternitatibus publicè in tabernis hucusque exhibita sunt, prorsus abrogamus, quod plerumque laicis sint scandalo. Si autem convivium, vel consuetudo, vel locorum distantia exiget, fiat illud in domo sacerdotis, honestèque, non ad luxum, sed ad necessitatem instruatur. Siquidem neque comessationi, neque compotationi vacandum est sacerdotibus, tùm quod non audiant, *Quorum Deus venter est*, tùm quòd officii eorum est & sobriè, & castè pro peccatis Deo dona, sacrificiaque offerre.

Parochis datur potestas occultos peccatores gratis absolvendi, præter hæreticos, homicidas, & excommunicatos, qui cum publicis peccatoribus remittendi sunt ad eos, quibus absolutio reservata est.
Cap. 9.

POrrò, ne & ipsi videantur pecunię aucupium magis, quàm saluti animarum studium amplecti, dum laicos graviora delicta confessos, hinc inde remittunt, non sine famæ, rerumque dispendio, constituimus, & ordinamus, ut deinceps quilibet confessor absolvere possit laicos contritos, & confessos à quibuscumque peccatis occultis, quantumcumque gravibus, & enormibus, quæ Ordinarii suæ authoritati reservaverant, exceptis dumtaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis ad Episcopum, vel ejus vicarium mittendis. Quo autem ad Clericos, nihil quo ad hoc statutum intelligatur innovatum;

A Pro condonatione autem, & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.

Ne prælati animarum curam indignis, & sub vili stipendio locent.
Cap. 10.

SAncimus quoque juxta Apostoli sententiam, quæ dicit: Nemini citò esse manum imponendam, ne cui temerè cura animarum committatur. Itaque probetur prius per Episcopum, vel ejus Officialem, etiam religionem professus, nec liceat ulli Vicarium Ecclesię, & plebis suæ sufficere, illamve locare, sive emolumentum, quod absentiæ nomine recipiet, constituere, sine authoritate Episcopi, aut Vi-
B carii. Nam cùm os bovi trituranti non sit alligandum, Episcopi, vel Officialis arbitrio ejusmodi emolumenta locationum, & absentiarum moderanda censemus.

Gaudere non debent Clerici de Ecclesiasticis beneficiis, quorum prædia, & domos non restaurant.
Cap. 11.

DOmos quoque, fundosque dotales beneficiorum collapsos instaurent possessores, quantum necessitas postulaverit, reparataque in debita structura conservent, & per Archidiaconos, & Decanos Rurales, ac alios, ad quos de jure, vel consuetudine spectat,
C ubi negligentes fuerint per subtractionem proventuum authoritate nostra arctiùs compellantur.

Non debent animarum curæ præfici religiosi, sed ad regulæ (quam professi sunt) observantiam compelli.
Cap. 12.

EXpresè caventes, ne cura Ecclesiarum, beneficiorumq; concedatur religionem quamcumque professis, etiam exemptis, quòd si aliqui hactenus admissi, vel recepti essent, nisi de voluntate, favoreque superioris sui, legitimisque causis constiterit, extra sua monasteria degere, nequaquam sibi integrum fore putent, quandò illos sic vagos per Ordinarios, vel Vicarios ad superiores suos, per victus denegationem,
D aut alia juris remedia remittendos esse jubemus.

Licebit pauperi conventui cuilibet suæ Ecclesiæ diviti tantùm cohærenti præficere religiosum probatum priùs, & admissum per Episcopum, sed ne ad sacros quidem ordines, alii, quàm tales promoveri debent.
Cap. 13.

MOnasteriorum prælati unitas Ecclesias habentes, prædictos vicarios perpetuos, vel ad nutum amovendos in eisdem Ecclesiis in posterum non constituant, nisi prius per Ordinarios, aut eorum vicarios, ut idonei, & apti fuerint admissi: Ecclesiæ tamen suæ monasteriis unitæ, usque adeò propinquæ, quòd religiosi earumdem curam habi-
E turi sub religione, in monasterio, sub debitaque obedientia stare possent, modò sint habiles, & idonei, per hujusmodi religiosos provideri possint: id quoque permittimus de monasterio, quod tàm tenue est, ut debitam sustentationem habere nequeat, volentes religiosos, & qualitercumque exemptos curata beneficiata habentes Ordinario loci esse subjectos. Cumque in Ecclesia Dei magis præstet paucos bonos, & doctos, quàm plures indoctos, & imperitos habere ministros, id, quod ratio nostrorum temporum exigere videtur: Idcirco deinceps non initientur sacris Ordinibus, nisi viri morum, vitæ candore, & doctrina præ cæteris spectati, pro-

probátique per testimonium, examinis ritè servandi. A

Extra diœcesim ordinati, sine Ordinarii authoritate, ac literis testimonialibus, ad divina non admittantur.
Cap. 13.

QUod attinet ad Ordinarios in urbe, vel in alia quacunque aliena diœcesi, sancimus, ut & illi suarum ordinationum literas, & titulos ostendant. Et simili modo ad divina peragenda prius non admittantur, quàm ab Episcopo, vel Vicario, seu Officiali fuerint ritè admissi.

Sacerdotes in libidinem effusos, & nefario concubinatu pollutos, pœnis, ac censuris Ecclesiasticis coercendos. B
Cap. 15.

PRæterea cùm nihil æquè conveniat omnibus numeris, ac eos esse mundos, qui vasa Domini portant, & in sacrario operantur, quales sacerdotes constituit ipse Dominus, qui quotidiè sacrosancta tractant, & in illis versantur. Igitur volumus, atque juxta sanctiones canonicas feliciter à divinis patribus institutas sancimus, ut castè, continenterque vivant. Sacerdotes concubinarii, incontinenterque vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur, nulla consuetudine eis, nulla conniventia, imò damnosa prælatorum negligentia patrocinante. C

Stationarios, qui eleemosynam pacti sunt, prohibendos; qui verò integra fide colligunt, non admittendos, nisi sub testimonio Ordinarii.
Cap. 16.

QUo verò ad quæstores, qui vulgò Stationarii appellantur, statuimus: ne quis quavis authoritate, literarum occasione, vel ad prædicandum, vel subsidia, eleemosynasque colligendas se ingerat, utcunque se jactet indulgentiis abundare: nisi prius literæ admissionis, & approbationis Ordinariorum, vel Vicariorum ab eo prolatæ fuerint, astringentes ipsos ordinarios, ut tales admittant, qui probatæ vitæ testimonium habeant. Et de prædicatione sua, dum opus erit, rationem reddere possint, eleemosynis, piorumque oblationibus non abusuri per luxum proprium, religione jurisjurandi affirmaturi, se nec quotam, nec totam colligendi facultatem, certa summa pecuniarum pactos esse. Fratribus tamen mendicantibus, integras salvasque concessiones à sede Apostolica. D

Vagos sacerdotes non tolerandos ultra mensem, nisi cum testimonio Ordinarii, unde discesserunt, ejusque, cujus diœcesim intrarunt, admissione.
Cap. 17.

ET ut pastor agnoscat vocem ovis, & illas vicissim vocem pastoris audiat, tollaturque omnis vagandi occasio, Ordinamus, quòd Presbyteri, peregrini, & ignoti, ad Missarum sacrificium non admittantur, nec ultra mensis spatium in consortio presbyterorum tolerentur, nisi exhibeant literas admissionis alterius ex Archiepiscopis, vel Episcopis, in cujus diœcesim se transtulerint, ac documenta, & literas testimoniales sui ordinarii, à cujus diœcesi proximè discesserunt, quibus de eorum ordinibus, & honestate constet, ne aliquis incorrigibilis post perpetratos excessus, impunè ad aliam diœcesim transeundo evadat. E

Servandas in ærario templi pecunias templo dedicatas, nec erogari debent, nisi accedente ad voluntatem præfectorum ærarii, Rectoris quoque consensu.
Cap. 18.

UT autem Christi fidelium eleemosynæ in usum, pro quo erogantur, vertantur: non liceat procuratoribus, seu vitricis fabricarum, in singulis Ecclesiis quicquam de pecuniis ad fabricam provenientibus distribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei usum dispensare, sine Rectoris scitu: sed ad armaria fabricæ reponantur, ut hactenus servatum est; duabus, vel tribus clavibus pro loci consuetudine tenendis, quarum una ipsi Rectori servanda tradatur, observato usu in clavibus, & rationibus reddendis, à principibus, & superioribus hactenus recepto.

Episcopi debent suis Vicariis, & qui ipsi Episcopi sunt, ita providere, ne cogantur contra Episcopalem dignitatem quæstui servire.
Cap. 19.

STatuimus quoque, & ordinamus, ne Episcoporum in Pontificalibus Vicarii in consecrandis Ecclesiis, & altaribus, quod sacri jubent Canones, quicquam omnino exigant, excepta procuratione. Convenit namque, ut pro qualitate status ipsorum Episcopi prospiciant, præstando præcipuè pensiones super fructibus mensæ Episcopalis à sede Apostolica constitutas, ne aliquid attentare habeant in dedecus Episcopalis dignitatis.

Rediguntur dies festi in numerum, cæteri ita abrogantur, ut nihilominus peragantur divina.
Cap. 20.

NEc ab re, imò justis de causis adducti, festorum multitudinem constringendam esse duximus. Statuentes, & ordinantes, ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam dominicæ resurrectionis ad nos usque à primitiva Ecclesia maximè celebris semper habita est; dies quoque Nativitatis Christi, sancti Stephani, Joannis, & Innocentum, Circumcisionis, Epiphaniorum, Paschæ, cum feria secunda, & tertia duntaxat, Ascensionis, Georgii, Pentecostes, cum feria secunda, & tertia duntaxat, Corpus Christi, & præsertim quatuor beatæ Virginis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis, Natalitia Apostolorum, Joannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catharinæ celebres quoque, & festi habeantur. In cæteris autem festivitatibus, quacunque ratione vel institutis, vel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberumque cuique facimus, ut, missa audita, ad operas suas, quibus suam, suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit. Festis tamen dedicationem, patronorum, & principalium nihil derogantes, quoad eorum celebrationem in Cathedrali sede, civitateque, ac loca etiam Episcopalis residentiæ duntaxat.

Quibus diebus interdicta sit nuptiarum celebritas, & quatenus jejunium plebi sit imponendum.
Cap. 21.

CUmque in certis locis, & diœcesibus inter pastores, & gregem propter nuptiarum celebritatem, quam alii inthronizationem, alii solennizationem vocare solent, multa & jurgia, & scandala eveniant, declaramus, & statuimus, quòd matrimonia in conspectu Ecclesiæ possint solennizari, nullo ab Ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiam re pro eo ex-

eo exposita. Exceptis tamen tota Quadragesima, ultima hebdomada Adventus, festis Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Dominicæ, cum Octavis, ac diebus Rogationum. Jejunia quoque ab Ecclesia instituta, sub debito obedientiæ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ in posterum indici debent, omisso excommunicationis verbo, ne infirmorum conscientiæ offendantur, cùm his temporibus pietas penè omnis jaceat, sacerdotibusque parum deferatur.

Quod cædis Clerici authores tantùm divinis excludere debeat.
Cap. 22.

UT igitur & extinctus cultus excitetur, populusque non fiat in dies negligentior, statuimus,
B ut propter cædem Clericorum, persona tantùm, non locus interdicendus veniat, nisi cœtu, concursuque populari facinus patratum esset.

Quod Episcopi non debeant Clericorum bonis inhiare, qui legitimos hæredes, aut successores relinquunt.
Cap. 23.

INhibemus insuper, ne in posterum Episcopi Clericis legitimis ab intestato decedentibus, in patrimonialibus bonis, aut industria propria acquisitis, succedere possint, aut debeant.

Quod sæcularis potestas capere possit apostatas, debet tamen Ordinario tradere, cujus erit in ipsos animadvertere. Quodque non liceat Episcopis pensionum, aut absentiarum decimas extorquere.
C
Cap. 24.

CUmque quotidie ob novas, imò jam olim damnatas hæreses apostatarum numerus tàm religiosorum, quàm sacerdotum in immensum crescat, quàm plurimis eorum uxores ducentibus. Ut ergo sacrilegia hæc impunita non remaneant, concedimus quibuscunque principibus, statibusque potestatis sæcularis, eorumque Officialibus facultatem, ut ejusmodi apostatas, & sacrilegos capere possint, modò reos ipsos Ordinariis infrà tempus debitum tradant, & assignent, absque aliqua in eos tortura, & animadversione debitè puniendos, quibus enixè
D mandamus, ut omni posita mora, favoreque, diligentius, quàm hactenus factum fuit, juxta sacras sanctiones, omnino puniant facinorosos adeo, quod criminis enormitate expostulante, possit episcopus servata forma capituli primi de hæreticis in sexto, reum curiæ sæculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnam damnare. Negligentia autem ordinariorum ad apostolicam sedem deducta, judices ecclesiastici ab ea deputabuntur, qui constito de ordinariorum negligentia ad preces principum, aliorumque sæcularium reos maximè hæreseos meritis pœnis afficerent. Quòd jam episcoporum quidam, ut accepimus, de beneficiorum pensionibus, atque absentiis decimas exigant, cum sit id contrarium juri, longeque præstet malè inductos usus delere, quàm inusitatum quid admittere: Idcircò decimas ejus-
E modi ulterius exigi, solvique interdicimus, usumque talem qualitercumque receptum cassantes, cassatumque esse censentes.

Quod non liceat episcopis beneficiorum fructus immodicè, ac avarè, clericis surripere.
Cap. 25.

ITem improbamus, & ut absonum prorsus ejicimus, ab episcopis medios exigi fructus de beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt, ut sunt, quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhenensium, de quibus in Romana curia medii fructus
A non exiguntur. Quod etiam ab ordinariis observandum esse præcipimus, nisi concordatis aliter cautum esset, vel honesta ratione aliquid, sine tamen reprehensibili gravamine, accipiant.

Archiepiscopi debent provincialem synodum omni triennio convocare.
Cap. 26.

CÆterùm quo major fiat conjunctio, firmaque magis inter provinciales totius provinciæ stabiliatur concordia, antiquum morem synodorum innovantes statuimus, ut singulo triennio post pascha provinciale Concilium celebretur.

Qui recusat altari servire, non debet de altari vivere.
Cap. 27.

AD hæc cùm beneficia propter officia juxta patrum sanctiones dari consueverint, fierique vix possit, ut in tanta præbendatorum caterva non reperiatur, qui officii oblitus, horas negligat canonicas: Hinc statuentes volumus, & ordinamus, ut locorum Ordinarii, per Archidiaconos, & Decanos, de hujusmodi sacerdotibus negligentibus sese diligenter edoceant, secundum uniuscujusque negligentiam, atque desidiam, fructus perceptos, vel in utilitatem ecclesiæ, vel in usum pauperum vertant. Quòd si post legitimas monitiones, & simul primam correctionem in eandem negligentiam (quæ dissolutæ prorsus mentis indicium est) quis relabatur, tùm beneficio etiam ecclesiastico privetur, collatorique, vel patrono de alio idoneo providendi, aut præsentandi sit potestas.

Qui sacramentorum communionem in totum neglexerint, sepultura debent asinorum sepeliri.
Cap. 28.

SAnctionem patrum, qua ecclesiastica sepultura privatur, quisquis non confessus, nec Eucharisticam Paschali tempore communionem sumpserit, inviolabiliter observandam esse statuimus, at ubi quem contigerit inopinata morte obire inconfessum, sepultura præfata illum carere non volumus, modò ipsius Curato constet, vel doceatur ipsum secundum jam dictam sanctionem, confessum esse, & simul communicatum, aliudque non obstet canonicum impedimentum.

Non committendum, ut relinquatur impunita blasphemia.
Cap. 29.

AD tollendam execrabilem blasphemiam divini nominis, atque divorum, quos temnere fas non est: Statuimus, & ordinamus, ut quicunque clericus, vel sacerdos Deo palam maledixerit, conviciis, contumeliisque, atque adeo obscœnis verbis incesserit Deum, & dominum nostrum Jesum Christum, aut nunquam satis laudatam matrem ejus gloriosam Virginem pari blasphema lingua impetiverit, aliosque sanctos blasphemaverit, fructuum, vel bonorum privatione, seu aliis pœnis, pro qualitate blasphemiæ, & delicti plectatur.

Servanda, quæ adversos simoniacos sacri canones decernunt.
Cap. 30.

COntrà simoniæ labem non discedimus à patrum sanctionibus, jubentes eas sub pœnis in illis contentis observari.

Divi-

Divinatores, hæreticos, & fidei dilaceratores non modò vitandos, ac rescindendos, sed severa quoque animadversione plectendos.
Cap. 31.

IN sortilegos, divinaculos, incantatoresque Clericos, quos tàm sacræ leges, quàm patrum decreta execrantur, statuimus, & ordinamus, ut arbitrio superiorum infamia notentur: si qui moniti non destiterint, ordine amoveantur: inque monasterium ad tempus arbitrio superioris relegentur, beneficiis, officiisque suis Ecclesiasticis privati. Cæteri autem pseudoChristiani de fide parum probè sentientes, citra delectum personarum: Hæretici quoque, vel Judaismum referentes, à sancta Christianorum congregatione procul arceantur, contraque eos diligenti inquisitione procedatur, per ordinarios, vel eorumdem Vicarios, aut hæreticę pravitatis inquisitores, vel per judices à sede Apostolica, vel per nos deputandos, ut non resipiscentes poenis puniantur debitis.

Ut sacerdotes oportet sacras literas assiduè discere, ita laicorum est non temerè de illis disceptare, ac judicare.
Cap. 32.

PRohibemus etiam tàm Clericis, quàm Laicis, de sacrosancta fide temerè, præcipuè inter pocula, atque convivia, disceptare: injungentes Sacerdotibus, ut omni modestia utantur, & peculiariter operam impendant Novo, Veterique Testamento legendo, ut par est, ne per otium in vitia, voluptatesque labantur.

Decet Episcopos in suos Vicarios esse liberales, prælatosque omnes eleemosynarios.
Cap. 33.

STatuimus, & ordinamus, ut quilibet Episcopus diligenter provideat, atque in primis id curet, ut Vicarii, sive perpetui, sive pro nutu positi, competentem vivendi portionem assequantur, ne detur eis ansa suos subditos ob rei familiaris penuriam gravandi. Porro, quod proximè accedit ad Apostolorum institutionem, moremque primitivæ Ecclesiæ, hortamur cùm prelatos, tùm reliquos sacerdotes, ut meminerint pauperum, & eleemosynis studeant alter alterum vincere.

Veterum decreta, sanctionesque pulchrum est observare.
Cap. 34.

SUnt item pleraque alia à summis Pontificibus, sacris Conciliis, provincialibusque, & synodalibus constitutionibus prodita, quæ mirè decent, & adornant candorem vitæ Clericalis: nec minus obviant offendiculis, quæ Christus passim cavenda præcepit, quæ velut sancta teneri, & observari mandamus, transgressores secundum canones ipsos, prædictasque constitutiones puniri volentes.

Episcopi in synodo, quomodo de more veterum singulis annis oportet celebrare, debent has constitutiones publicare, & subditos ad earum observantiam compellere.

INhibentes propterea omnibus, & singulis Vicariis, & Officialibus, necnon & Archidiaconis, & Decanis Ruralibus, aliisque, ad quos criminum denuntiatio, correctioque quomodolibet spectat, aut quibus id per Ordinarios committetur, ne ad excessus,

A transgressionesque alicujus dictarum constitutionum, statutorum, & ordinationum nostrarum ob pecuniam etiam ultro oblatam; aut alterius rei gratia conniveant, sed potius ad poenas de jure, vel consuetudine debitas, contra delinquentes, pro delicti qualitate, & officii sui, debitè procedant, atque ut ita fiat (quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint, qui conditis utantur, mentemque earum exequantur) utque refloreat Catholica fides, Ecclesiasticaque dignitas, heresibus radicitus extirpatis, suum locum recuperaret, idque vix alio modo aptius, atque commodius fieri possit, quàm synodis: Itaque priscum synodorum morem renovare cupientes, statuimus, & ordinamus, ut singulo anno saltem synodus dioecesana opportuno tempore à singulis Episcopis celebretur, cum potioribus prelatis, Decanis Ruralibus, B virisque dignis, in quibus per quartas designentur judices, perdiligenter intendant, si statuta prædicta, ac alia per synodos de scitu Episcopi statuenda observentur, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari. Mandantes propterea, ut hujus nostræ constitutionis, ordinationisque series, in præfatis synodis tàm provincialibus, quàm dioecesanis, in earumque principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiam prætexere possit. Datum Ratisponæ, Anno à Navitate Domini, millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Nonas Julii, pontificatus præfati Domini nostri Papæ anno primo.

C Visa. Jul. Flo. Montinus.
D. paternina.
G. Prego.

SUEVICA.

CONCILIUM SCHENINGIENSE, IN SUEVIA.

Præside Guillielmo Cardinali Sabinensi, Legato Sedis Apostolicæ ad dissolvenda matrimonia Sacerdotum tempore Innocentii IV. circa annum Domini 1248.

D EX Joanne Magno historiæ Gothicæ, & Suevicæ lib. 19. cap. 15. refert Apamiensis Episcopus ann. 1247. Seningiæ vetustissimo Ostrogothorum in oppido ditionis Sueticę, habuisse hoc Concilium Guillielmum Legatum sedis Apostolicæ ad partes Boreales, cui interfuit unà cum Jarlero Ussalensi Archiepiscopo, cæterisque Episcopis, ac regni proceribus piissimus Rex Enricus Balbus. In eo autem prima Legati cura fuit revocare Suecos, & Gothos à Schismate Grecorum, in quod Sacerdotes ductis publicè uxoribus consensisse videbantur: effecitque, ut abjuratis conjugibus, & concubinis coelibatum amplecterentur: transgressores verò hujus statuti omnibus proventibus, dignitatibus, ac privilegiis, & libertatibus Clericali ordini annexis privavit, gravibusque poenis, & censuris, ac judicio sæculari subjecit. Hæc E autem, ac alia Concilii decreta approbavit Alexander IV. Innocentii successor. Quę, inquit præfatus Joannes Magnus, qui tempore schismatis Lutheri scripsit, si hactenus æquè diligenter servata fuissent, quemadmodum piè, & ad publicam concordiam instituta fuerunt, non solùm Christianam Rempublicam Suetici facilem haberent, sed etiam regnum ex omni parte beatum ad successores transmitterent,

CONCILIA POLONICA.

CONCILIUM LANCICIENSE,

In Polonia majori tempore Alexandri III. Anno Domini 1181.

STarovolscius Author Polonus in Epitome Conciliorum hoc ultimum ponit Concilium ex iis, quæ sub Alexandro III. celebrata sunt. Quo, inquit, barbaræ, & Christiano populo indignæ rapinæ proscriptæ sunt, punctaque decretorum, ut perpetuum firmitatis robur haberent, per Legatos Casimiri Principis Alexandro Pontifici III. confirmanda transmissa sunt, ut ex rescripto patet. Baronius tom. 12. anno 1180. num. 13.

CONCILIUM LANCICIENSE,

In majori Polonia tempore Clementis III. Anno Domini 1188.

QUo (inquit idem Starovolscius) ex quo Polonica hæc concilia exscribimus, pontifex, misso Legato, colligi fecit decimas ab Episcopis, & Sacerdotibus pro expeditione contra Saladinum Zdislao Archiepiscopo concedente.

CONCILIUM LANCICIENSE,

Sub Cœlestino III. Anno Domini 1197.

AUctoritate Legati Apostolici Petri tituli sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis Capuani celebratum, qui singulas Diœceses visitans, cum alia quædam, quæ adversaria erant Christianæ religioni, & constitutionibus Ecclesiasticis, in sacro pariter, & prophano ordine inoleverant, correxit: tùm facta synodo Provinciali, Sacerdotibus imperavit, ut concubinas, & uxores, quibus tùm passim liberè utebantur, à se abdicarent. Ac illud præterea constituit, ut prophani homines publicè in templis matrimonio conjungerentur. Item Starovolscius.

CONCILIUM LANCICIENSE,

Tempore Gregorii IX. Anno Domini 1240.

AD quod jussu Fulconis Archiepiscopi Gnesnensis accesserat Conradus Masoviæ Dux, ac de admisso scelere (suspendio enim necarat Joannem Czaplam scholasticum Plocensem) ejus arbitratu satisfecit.

CONCILIUM LANCICIENSE,

Tempore Innocentii IV. Anno Domini 1246.

IN quo Fulco Archiepiscopus Gnesnensis Conradũ Ducem Masoviæ, quod Episcopi Cracoviensis possessiones crudeliter diripuisset, & incendisset, anathemate percussit, atque diris sacrilegum invasorem devovit.

CONCILIUM URATISLAVIENSE,

In Polonia, Præside Jacobo Leodiensi Archidiacono Sedis Apostolicæ Legato tempore Innocentii IV. Anno Domini 1247.

SCribunt de hoc Concilio Michovius, & Cromerus apud Spondanum ad annum 1246. habitum fuisse ab Episcopis Poloniæ, ac Jacobo Archidiacono Leodiensi, quem Innocentius IV. recens in Poloniam miserat, tùm ad motus ejus regni componendos, tùm ut Pontifici à Friderico Imperatore vehementer exagitato aliquid subsidii obtineret. Polonos autem prompta liberalitate erga Pontificem quintam partem redituum Ecclesiasticorum ex tota Polonia in triennium obtulisse, ac citò transmisisse. Relaxasse autem Legatum tunc Polonis partem ejus jejunii, quod est solemne cunctis Christianis ante pascha; ut videlicet cùm id à Dominica Septuagesimæ totis novem hebdomadis veteri patriæ instituto vulgò servarent, cum frequenti prævaricatione, & gravi discordia inter Clerum, & Laicos; esse deinceps, ut aliis locis, hebdomadum sex, & dimidię. Quidam hoc Concilium consignant sub data anni 1245. *Jejuni. Poloni.*

CONCILIUM LANCICIENSE,

Tempore Honorii IV. Anno Domini 1285.

SUb tempus electionis Honorii IV. celebratum, quo Jacobus Suinca Archiepiscopus Gnesnensis Henricum IV. Ducem Uratislaviensem cognomento Probum, re autem improbissimum communione Christiani populi unà cum sociis, & fautoribus sceleris, & sacrilegii exclusit, quod Thomæ Episcopo ad bellum grandem pecuniæ summam imposuisset, & non solventem ad condictam diem, sua sede expulisset, bonaque omnia Ecclesiarum intra Diœcesim consistentia, decimasque omnes invasisset, & nefariè sibi usurpavisset. Vide Cromerum lib. 10. & Stephanum Damalenicum in vitis Archiepiscop. Gnesnensium.

CONCILIUM UNIEJOVIENSE,

Tempore Gregorii XI. Anno Domini 1375. *Præsidente Jaroslao Archiepisc. Gnesnensi.*

IN quo præter reformationem Ecclesiasticæ disciplinæ statutum erat, ut bini grossi de uniuscujusque Marcæ proventu Sacerdotiorum in sumptus belli Turcici conferrentur. Pontifex enim metuens Jtaliæ ab Amurate Imperatore Turcarum, quod jam magna strage Bulgaros, Serbos, Macedones, & Albanos profligasset, undique subsidia corrogabat, & in Poloniam nuncium Nicolaum Episcopum Majoricensem ea de causa miserat.

CONCILIUM PETRICOVIENSE.

In Polonia, Anno 1456. sub Callixto III.

PEr Joannem Sprovium Archiepisc. Gnesnensem pro conservanda libertate bonorum Ecclesiasticorum, & subsidio Regi Casimiro ab Ecclesiasticis contribuendo ad bellum Prussicum, quod fuit impedimento Turcicæ expeditioni, quam Rex meditabatur, Starovolscius.

A

CONCILIUM CALISSIENSE,

In Polonia, anno Domini 1457.

PEr eundem Joannem Sprovium Archiepiscopum Gnesnensem, in quo subsidium destinatum est Regi Poloniæ bellum contra crucigeros instauranti in Prussia.

Ad hoc Concilium Pater Philippus Labbe in Synopsi malè habet Stravolsium Polonum Conciliorum breviatorem. Hanc verè, inquit, similesque Synodos Polonicas si excipias, Epitome Conciliorum Simonis Stravolsii omnino carere poterat respublica litteraria: B cætera enim, aut aliundè transcripta etiam cum mendis historicis, & Chronologicis aberrationibus: aut si quæ de suo adjecit, trivialia sunt, nulliusque pretii, imo & novis deformata monstris, quæ vix debellaret Hercules ipse. Quis non doleat vicem scriptorum sub adeo severis censoribus?

CONCILIUM LANCICIENSE,

In Polonia, sub Pio II. anno Domini 1429.

ILlud etiam coegit Joannes Sprovius Archiepisc. Gnesnensis: in quo cum multa præclara sanxisset pro reformatione Cleri, statuit etiam ne Ecclesiarum C possessiones à quoquam occuparentur, aut surriperentur tempore vacationis. Ac ad importunam Regis instantiam subsidium terræ Dobrinensi ex contributionibus Sacerdotum providit.

CONCILIUM LANCICIENSE,

In Polonia, sub Paulo II. anno Domini 1466.

HOc coegit Joannes Gruscinius Archiepiscopus Gnesnensis, disciplinæ Ecclesiarum reformandæ causa: & in eo petentibus Oratoribus Regis subsidium ad bellum Prussicum contra Crucigeros è tributo sacerdotum decretum est. D

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

In Polonia, sub Innocentio VIII anno Domini 1485. 22. Januarii.

CElebratum est Preside Sbigneo Olesnicio Archiepisc. Gnesnensi viro animi magnitudine, & consilio præstanti, qui omnes prædecessorum suorum constitutiones, & Canones synodales renovavit: regique Casimiro Zagellonidi pro continuatione belli Prussici subsidium à sacerdotibus per sex grossos à marca argenti redditum, decrevit.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

E

In Polonia, sub Alexandro VI. anno Domini 1491. sabbato ante festum S. Ægidii.

FRidericus Princeps Archiepiscopus Gnesnensis, ab Alexandro VI. Cardinalitia dignitate insignitus cum suis suffraganeis celebravit; fratrique Alberto Regi Poloniæ, bellum in Turcas tunc meditanti, quartam censús pro subsidio sacerdotes contribuere jussit.

CONCILIUM LANCICIENSE,

In Polonia, Festo S. Matthæi, sub Julio II. anno Domini 1506.

PEr Andream Roseum de Boryszevice Archiepiscopum Gnesnensem celebratum reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ causa: in qua etiam Regi Alexandro subsidium duplicatum decretum est ab universo clero ad bellum Prussicum.

CONCILIUM GNESNENSE,

Sub Leone X. anno Domini 1506.

PEr Joannem Luscium Archiepisc. Gnesnensem pro exterminio sectæ Lutheranæ ex Diœcesibus Comprovincialibus celebratum.

CONCILIUM LANCICIENSE,

Sub Leone Lascio. anno Domini 1522.

CElebravit Joannes Lascius Archiepiscopus Gnesnensis pro conservatione jurisdictionis Ecclesiasticæ, insurgentibus in Clerum Pseudopoliticis, & Lutheranis, & ut Archiepiscopus Gnesnensis Legatus natus, ac Primas fungatur officio Legationis in Provincia secundum Bullam Leonis X.

Hoc Concilium constituit Apamiensis Episcopus ad annum 1523. in quo edictum Sigismundi Regis contra Lutheranam hæresim, quo etiam ejus libros inquiri jussit, & sub pœna capitis retineri prohibuit: Confirmatum est: ac Constitutiones Pontificis contra eamdem hæresim confirmatæ sunt die sexta Octobris.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub Joanne Lascio Archiepiscopo Gnesnensi, anno Domini 1530.

CElebratum est pro extirpatione hæresum, quæ tunc in regnum Poloniæ irrepserant, indictumque Patribus, ut in suis Diœcesibus virulenta scripta sectariorum, ac pestilentes doctrinas quàm diligentissimè extirpare procurent.

CONCILIUM LANCICIENSE,

Sub Matthia Drevicio Archiepisc. Gnesnensi, anno 1531.

CElebratum est pro libertate Ecclesiasticarum personarum, mandatumque Archidiaconis omnibus, ut Ecclesiarum diligenter visitatarum status ad suos Episcopos, hi verò ad Reverendissimum Metropolitanum perscribant.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub Paulo III. Præside Joanne Latalscio Archiepisc. Gnesnensi, anno Domini 1539.

PRo reformatione morum, & disciplina Cleri totius regni Poloniæ habitum est, statutumque, ut libellus synodalium constitutionum in omnibus Cathedralibus, Collegiatis, & Monasteriis omnibus,

bus, quamprimum typis excusus fuerit, habeatur: A & in choro, ut cuilibet accessus ad eum pateat, servetur.

CONCIL. *aliud* PETRICOVIENSE,

Præside Petro Gamrato Archiepisc. Gnesnensi, anno 1540.

AB omnibus regni Episcopis pro Cleri reformatione, & libertate Ecclesiastica conservanda celebratur. Item aliud sub eodem Gamrato celebratur anno 1540. pro defensione jurium Ecclesiasticorum, ac ad hæresi Lutheranæ insurgenti obicem opponendum.

CONCILIUM LANCICIENSE, B

Jussu Nicolai Dziergovii Archiepisc. Gnesnensis, Provincialiter celebratum, anno Dom. 1547.

PRopter unitatem fidei servandam, vitandasque disputationes de negotiis religionis inter epulas, & pocula, quas hæretici movere consueverunt: ut enim talium animæ pacatæ non sunt, arguente eas derelictæ fidei conscientia, non desinunt ubique lites movere.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub Julio III. auctoritate Nicolai Dziergovii Archiep. Gnesnensis, anno Domini 1551. C

PRopter exterminandas hæreses, quæ in omnibus ferè Diœcesibus Regni Poloniæ radices non mediocres egerant, multosque in Ecclesiastico ordine infecerant, vix enim aliter hæreses obtinerent, nisi ipsosmet Ecclesiæ Pastores, ac Duces patronos haberent, quorum plerique exilis, nutantisque, ac parum solidæ scientiæ, facilè omni vento doctrinæ novæ circumferuntur, ac sicut paleæ leves avolant, alii in pœnam superbiæ, luxuriæ occultæ, ac corruptorum morum à Deo specialioribus auxiliis gratiæ destituti pœnales cæcitates patiuntur, alii etiam quia semel, & ab initio cujuspiam auctoritate, & amicitia ducti opinionem aliquam sibi placere testati sunt, ne errare videantur, in errore malunt perseverare, ac à veritate vinci oderunt. D

B. Maria virgo.

Ad hoc Concilium referimus, quod narrat Joannes Eusebius in *Exceptionibus Concil. Tridentini*, pro omnimoda Deiparæ paritate ca. 49. Concilii Polonienfis contra hæreses Septentrionales celebrati. Ubi de Virgine Maria habetur. Hæc est novi Adæ nova Heva, non noverca, quod illa vetus, & post. De cujus esse genita fuerat, cum ipsa de sua carne vicissim genuit, nec ab alia fœcundata, quàm quem peperit, ut inextricabili quodam ænigmate simul eadem fuerit & filia, & sponsa, & mater. Rursus ait, niveum illud Gedeonis vellus, quod in areę siccæ medio maduit, cujus alius præfigurabat simulacrum, nisi Mariæ? Idem Concilium subdit de sanctis. Nec habitavit in illis plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria, cui, quæ per partes aliis est præstita singulis, totam se simul infudit gratiæ plenitudo. Tamdem ait. Scriptum autem est de Christo quoque, quod sit plenus gratia, & veritate, verum ab hac plenitudine tantum abfuit Maria, quantum abfuerunt à Mariæ plenitudine Sancti reliqui. E

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Præside eodem Nicolao Dziergovio Legato nato pro cœlibatu Sacerdotum, anno Dom. 1552.

ADerat huic synodo Stanislaus Hosius Cardinalis Episcopus Varmiensis clarissimum Sarmatiæ sydus, qui confessionem Petricoviam fidei Catholicæ tunc à se conscriptam prælegi authoritate synodi, ac promulgari fecit.

Clerusque Poloniæ tunc temporis passim in lasciviam prolabebatur exemplo alterius Stanislai Orichovii Canonici Premisciensis, qui uxorem palam duxerat. Quo petulanti facto cum ab Episcopo suo Joanne Dziaduscio admonitus non emendaretur, magnam odiorum nobilitatis contra Clerum materiam præbuit, jamque cœlibatus Sacerdotum quasi aliquod irreligiosum nefas contemptui esse incipiebat. Quare coegit Archiepiscopus synodum hanc ad providendum de remedio contra tot mala. An ibi Orechivius declaratus est hæreticus; qui ut ab hac labe se expurgaret, insigni oratione, & luculenta coram Patribus fidei professionem fecit, quam cum aliis libris suis contra Lutherum præceptorem suum, ac alios hæreticos diversis temporibus scriptam typis promulgavit.

Cœlib

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Eodem Nicolao Dziergovio Primate Poloniæ Præsidente, anno Domini 1553.

CElebratur hoc Concilium pro conservatione disciplinæ Ecclesiasticæ, & ut statuta Provincialia exequutioni demandarentur. Obtinuerat enim Archiepisc. Gnesnensis sub id tempus à Rege Sigismundo Augusto sententiam in Comitiis Regni promulgatam, ut jus integrum esset Episcopis in Apostatas, & fidei desertores animadvertendi.

CONCILIUM LOVICIENSE,

Authoritate ejusdem Nicolai Dziergovii congregatum præside Aloysio Lippomano Episcopo Veronensi sedis Apostolicæ Legato à latere, contra hæreses, & pravos mores, anno Domini 1556.

MAjori jam tunc ex parte Senatus Regni Polonię in hæresim vergebat, ac omnimodè adnitebatur Episcopos Senatu movere, qui jam sæcularium conversatione alliciti graviter in religione nutare cœperant, hæreticisque connivebant, & nonnulli prorsus jam ad Lutheranismum desciverant. Cum autem quęstio de usu calicis agitaretur, profuit ad eam dijudicandam, quod puella quædam nomine Dorothea Lazecka in festis Paschalibus sub prætextu communionis Sochacoviæ in templo Dominicanorum sanctissimam Eucharistiam ore sumptam auferre voluit; verum ibi deprehensa in villa Sukocko dicta ablatam, & fascia involutam Judæis vendidit. Quam illi in Synagoga pugionibus, & cultris confodere cum cœpissent, repente ex illa multus cruor emanavit, quem Judæi cochleari in vitreum calicem transfuderunt. Quod cum Archiepiscopo Synodum Lovychi Provincialem celebranti innotuisset, effecit unà cum Lippomano sedis Apostolicæ Legato litteris in Lituaniam ad Regem Sigismundum Augustum perscriptis, ut de sacrilega puella, & Judæis supplicium sumeretur, & quæstio à laicis proposita de usu calicis divino miraculo dijudicaretur.

Mir lum Euc

CON-

A

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub eodem Nicolao Archiepisc. pro fide, & moribus Anno Domini 1557.

IN hoc Concilio instituti sunt quatuor Inquisitores pravitatis hæreticæ. Tùm duo Episcopi Joannes Dzojovius Vladislaviensis, & Jacobus Uchanscius Chelmensis moniti' fuerunt à sede Apostolica de suspectis in Ecclesia dogmatibus.

Synodum Petricoviensem hanc, an aliam subsequentem non aperit, at laudat Christianus Lupus in Dissertatione de Symbolo Apostolico, & Nicæno, quod eleganter definierit Symbolum: *Est brevis credendorum collectio*.

B

CONCILIUM VARSOVIENSE,

Sub Joanne Przemby Archiepisc. Gnesnensi præside Bernardo Bonioane Episcopo Camerini sedis Apostolicæ, per Sarmatiam Legato de latere, anno 1561.

COnvocati sunt omnes totius Regni Episcopi religionis, ac veritatis constabiliendæ causa. In quorum præsentia Stanislaus Orichovius, de quo supradictum est, Orationem habuit pro dignitate Sacerdotali. Statutumque, ut quique Archidiaconi ad residentiam circa Ecclesias suas juxta Bullæ Leonis X. dispositionem compellantur, ne moribus Clericorum dissolutis magna hæresibus, & aliis multis, malis præstetur occasio.

C

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Tempore Gregor. XIII. anno 1578. sub Jacobo Uchanscio Archiepisc. Gnesnensi absente, ac præside Aloysio Lippomano sedis Apostolicæ Nuntio.

D

HAbitum est hoc Concilium ad tollendum fœdus ab hæreticis tempore interregni, post obitum Sigismundi Augusti regis initum, & conservandam puritatem fidei Catholicæ. In hac Synodo receptum est Concilium Tridentinum, sancitumque, ut omnis cujuscumque status, ac conditionis, qui fœdus sub interregno, ante electionem Henrici Regis conceptum, & reclamantibus ordine Ecclesiastico, & Catholicis renuntiatum (in quo permittitur licentia credendi, quod quisque vellet, sine ulla officii cujuscumque coercitione) approbare, tueri, defendere, aut illi consentire vellet, authoritate sanctæ Synodi, Spiritualis quidem anathema declaretur, ac ab officio suspensus, beneficio quoque privatus esse decernatur: sæcularis verò excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

m- rio- hi-

E

His decretis cum sese opposuisset Archiep. Jacobus, qui de hæresi suspectus erat, qui Vratislaviensem Ecclesiam quadriennio tenuerat invito Paulo IV. ac translatus ad Gnesnensem à Pio IV. parum curabat de hæresis exterminatione: unde divino nutu, ut ægritudine præpeditus non adesset Synodo: resipuit tamen postea, veniamque erratorum à Gregorio Papa impetravit.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Præside Bernardo Maciejovio Cardinali, ac Archiepisc. Gnesnensi, circa annum Domini 1620.

IN hac Synodo edidit Archiepisc. epistolam pastoralem doctissimam pro reformandis Cleri, & populi moribus: proque unione Ruthenorum ritus Græci cum Ecclesia Romana promovenda. Qui itidem Synodum suam tùm temporis Breste Lithuanico celebrarunt, præsidente Hipatio Pociey Metropolita Kioviensi, qui à schismate ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redierat.

Bibliæ versio Polonica.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub Laurentio Gembricio Archiepisc. Tuesvensi, anno Domini 1621.

PRo Ecclesiæ immunitatibus tuendis, moribusq; restaurandis celebratum est, ac ejus constitutiones approbavit Gregorius XV.

CONCILIUM PETRICOVIENSE,

Sub Joanne Venzik Archiepisc. Gnesnensi, anno Domini 1628.

PRo fide, & moribus habetur. Ubi denuò Epistola pastoralis ad Parochos Cardinalis Maciejovii publicata est, visitationesque Ecclesiarum ad normam Cardinalis Radivilli cum suis executionibus in omnibus Diœcesibus Regni Poloniæ demandatæ sunt.

CONCILIUM VARSOVIENSE,

Sub eodem Primate, & Primo Senatus Principe Joanne Venzik anno Domini 1634.

IN eo prohibitum fuit sub anathematis pœna, ne quis librum Bibliorum ab hæreticis tunc lingua Polonica Gedani impressum legere auderet, quod multos in se scripturæ sensus corruptos, & verba immutata haberet.

CONCILIUM VARSOVIENSE,

Præside Matthia Lubinio Archiep. Gnesnensi, anno Domini 1643.

PRo disciplina Ecclesiastica servanda, decimisque à Religiosis de bonis terrestribus nuper acquisitis, ex antiquo parochis curam habentibus animarum debitis more solito solvendis. Ac inter ea Urbano VIII. summo Pontifice è vivis sublato Innocentius X. Concilium approbavit, addiditque Breve de solvendis decimis per regulares majoris efficaciæ, & authoritatis causa.

Canones plurium ex his Conciliis Polonicis videre est in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Mazarini Parisiis.

A

UNGARICUM.

CONCILIUM BUDENSE,

Anno Domini 1279. Nicolao III. Pontifice Max. celebratum.

DE hoc Concilio Odericus Rainaldus Congregationis Oratorii Presbyter, Baronii annalium continuator, ac prope imitator meminit hujus Concilii ad annum Christi 1279. quod celebratum ait à Philippo sedis Apostolicæ Legato. Celebrati sunt, ait, ab eodem Apostolicæ sedis Legato Budæ solemnes Episcoporum conventus ad fidem propagandam, ac pristinum B sanctitatis florem in Clero, populoque revocandum: in quo editæ sunt plures constitutiones de tonsura, & corona gestandis, ac reliquo præsulum, & Ecclesiasticorum cultu ad modestiam redigendo: non exercendis indecoris artibus, non circumferendis armis, mulieribus à suo commercio ablegandis, fundendis horariis precibus, &c. tùm multa alia ad mores expoliendos spectantia sancita sunt. Cujus Concilii acta ad calcem hujus tomi rejicienda nobis visa sunt; quæ quidem ideo videntur imperfecta, cum Ladislaus Ungariæ Rex ab impiis subornatus sacram Synodum disturbasset, ac Budensibus dedisset imperia, ut patres urbe pellerent, nec ad vitam sustentandam commeatus suppeditarent. Cujus facinoris pœnitentem sequenti anno visuri sumus. Hæc ibi Odericus: ac in calce C hujus tomi memor promissi constitutiones hujus Concilii numero sexaginta duas exscribit ex manuscripto Vaticano. Initium est.

1. Sanctæ constitutiones editæ per Venerabilem Patrem Dominum Philippum Dei gratia Firmanum Episcopum, in Ungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Rama, Lodomeria, Gallicia, ac Cumania Apostolicæ sedis Legatum de consilio, & consensu Archiepiscoporum, Episcoporum, electorum, atque Abbatum, Præpositorum, Archidiaconorum, Priorum, Ministrorum, Custodum, Guardianorum, Plebanorum, Canonicorum, & Rectorum, &c.

2. Quia sicut Prælati quosque sibi subditos dignitate, & auctoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, & conversatione honestis, præcellere, & præcedere debent eosdem: cum eorum vita, si sit bona, & amplius si sit mala, trahatur à subditis in exemplum; statuimus, quod ipsi Prælati coronam, & tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta regularium, seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio Pontificali sit major, de cætero deferant, ab omni excessu in capillis, & defectu notabili in corona protinus abstinentes. Sic enim servantes in prædictis sibi subditos poterunt reformare. *Tonsura Episc.* D

3. Præterea statuimus, & ordinamus, quod Prælati de cætero, cum equitant, vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant, & deferant cappas rotundas, sub quibus habeant, & deferant camisias albas, sive rosetas, &c.

28. Prohibetur, ne inventas de novo reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Rom. Pontificis fuerint approbatæ. E

Vide cætera apud auctorem indicatum, qui & refert anno sequenti 1280. Ladislaum pœnitentem, quod libertatem Ecclesiæ impedivisset in disturbanda synodo, centum marchas annuas Legato, quas egentium Ungarorum nomine reciperet, constituisset, ut Xenodochium excitaret, ad abolendum scelus, ac in pœnitentiam.

CONCILIUM POSONIENSE,

Apud eumdem, anno 1346. n. 72.

CONCILIA GRÆCANICA.

REfert idem Odericus ex Cantacuzeno ad annum 1341. numer. 120. Pseudosynodum habitam Constantinopoli in Sophiæ templo, cui præfuit Andronicus Imperator schismaticus, in qua damnata opinio Gregorii Palamas, scilicet lumen Thaborium, quo Christi facies refulgebat, sicut Sol in transfiguratione, fuisse gloriam Dei principio carentem, & majestatem ejus, & lumen Divinitatis, & deitatem, ac naturale, æternumque Dei lumen. Contra quæ asserebat Barlaamus. Illud, quod oculis corporeis visum est, non increatum: lumen Thaborium corporeis oculis à discipulis visum est, ergo non est increatum. 2. Quicquid oculis corporeis visum est, creatum est: lumen Thaborium corporeis oculis visum est: ergo creatum est.

SYNODUS IN THESSALIA.

Contra libellos amatorios Heliodori Tricensis Episcopi cum alia Constantinop. incerti temporis.

HUjus Synodi Provincialis meminit Nicephorus Callistus lib. 12. cap. 34. ubi sermonem habens de consuetudine, quæ servatur in Thessalia, ut liceat Clerico, priusquam in ordinem cooptetur, uxorem ducere. Sed enim, inquit, illa consuetudo, quæ in Thessalia servatur, ab Heliodoro illo Tricensi Episcopo ortum habuit, cujus amatorii libelli hoc quoque tempore circumferuntur, quæ adhuc juvenis composuit, & Æthiopica inscripsit. Nunc autem ea ΚΑΡΙΚΛΕΙΑΝ, quasi gratiarum gloriam dicas, nominat. Quo nomine etiam ei Episcopatus ademptus est. Nam cùm lectione eorum opusculorum juvenes multi in periculum conjicerentur, synodus provincialis statuit, ut libellos ipsos, qui amores accenderent, igni consumptos abolendos, vel qui eos composuisset, authori functionem Episcopalem abrogandam esse. Ille Episcopatum deponere, quàm scripta sua supprimere, maluit.

Simile quid improperatum Episcopo Bellicensi Illustri hujus sæculi Concionatori ab Ivone Cappucino in triumphis vitæ Religiosæ p. 3. c. 3. ubi stylo ferreo eum impetit, quod sub prætextu pietatis edocendæ amatoria multa scripsisset, cum Præsul esset in Ecclesia Dei, à cujus ore, & calamo verba æternæ veritatis expectarentur. Legi aliquot ex hujusmodi libris, qui in pietatem desinebant, eamque suaviter insinuabant iis, qui nollent alios libros evolvere, quorum ille infirmitati consultum esse volebat. Quia autem omnes hujus argumenti non legi, judicium absolutum aliis liberum dimitto. Multa enim in utramque partem dici possunt, & eloquentiores esse solent plerique, dum carpunt aliorum lucubrationes.

Alia Synodus Constantinopoli habita est contra quemdam Episcopum, qui rigorem pœnitentialium Canonum relaxaverat, cujus Synodi meminit Balsamon non indicato anno, quo celebrata est. Etsi enim Concilii Nicæni canon 12. permittat Episcopis humanius aliquid cogitare circa pœnitentes bono animo operibus pœnitentiæ deditos, humanitas tamen illa suas mensuras, ac limites habet.

CONCILIUM Apud Nympham

A Græcis habitum pro pace inter Ecclesiam Græcam, & Romanam sub Gregorio IX. ann. 1233.

GRegorius nonus audiens aliquam esse dispositionem in Imperatore Orientis Joanne, & Patriar- *Nym[...] Bith[...] oppid[...]*

Patriarcha C. P. Germano ad reconciliationem cum Ecclesia Romana, misit in has regiones Apocrisiarios, seu nuntios ex ordine Minorum, & Prædicatorum, qui pacificè cum ipsis agerent de Unione utriusque Ecclesiæ. Qui quidem honorificè recepti, & post multa verba ultro, citroque habita de ista unione visum est Imperatori, & Patriarchæ negotium istud tractandum esse in Concilio, ad quod Patriarchæ alii convenirent, cum res ista esset communis. Assignatur ab Imperatore locus Concilii apud Nympham, urbs est ad Pontum Euxinum, fit collatio de duobus articulis, qui erant causa divisionis, scilicet de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, & de usu panis azimi, aut fermentati in Eucharistia. Siquidem Latini vocabant hæreticos Græcos propter opinionem de processione Spiritus sancti à solo Patre, & Græci vicissim Latinos propter usum panis azimi. Cum collatio per multos dies protracta fuisset, nec finis esset controversiæ, Imperator tractans cum Apocrisiariis de faciliori modo, si fieri posset, ineundi fœderis, & unitatis, in illam tandem ineptam, & ridiculam abiit sententiam (ut communiter, inquit Lucas Vvadingus hujus Concilii scriptor ex monumentis Vaticanis tom. 1. Annalium, contingit principibus sæcularibus, qui controversiis Ecclesiasticis temere se immiscent) Domini sæculares inter se contendentes de rerum dominio hinc inde aliquid sui juris relaxant, & quisque partim cedit causæ, ut tamdem optata pace fruatur; ita hìc agendum judicarem; Videlicet, ut suam de processione Spiritus sancti opinionem Missam facerent Latini, & ex symbolo, suisque libris expungerent verbum *Filioque*, permittentes, ut Græci in controversia hac eodem modo sentirent, quo prius. E regione verò Græci approbarent consecrationem Latinorum in azimis, neque amplius eos hæreticos propter hoc proclamarent: itaut in duobus punctis controversis unaquæque pars unum probaret, alterum condemnaret. Animosè, & apertè significarunt Apocrisiarii in quanto vir alias, ut scribunt, bonus, & unionis ultra modum cupidus, versaretur errore, idque sibi sciendum esse, ob nullum lucrum rei, aut provinciæ quantumvis magnæ Ecclesiam Romanam Catholicam *jota* unum, aut apicem fundatissimæ suæ fidei mutaturam: neque ullo modo uniri posse cum Græca, nisi hæc, prius abjectis, & condemnatis erroribus præcipuè circa illud punctum de processione Spiritus sancti, omnes suos libros, in quibus doctrinam illam persuasit, scripsit, condemnaverit, ignique tradiderit. Quod verò attinet ad consecrationem in fermentato, Græcam Ecclesiam non propter hæc rejici, aut condemnari à Latina, neque velle ab eadem condemnari propter azimum, dum licitè unaquæque in utroque consecrat pane. Quibus relatis alia die ad Concilium, cum Græci ob tenacitatem, & prælationem opinionis suæ nullo modo vellent cedere, in Latinos tumultum populorum excitarunt, ut non sine multo metu discedere, & ad propria remeare potuerint.

Hoc porro Concilium insigne est, quod ejus acta exhibent omnia ferè momenta, quibus & Græci se tuentur, & possunt à Latinis convinci, ut quisquis cum Græcis disputare debet, possit ex iis se præparare, & munire ad disputandum. Ac cum de iis jam pluribus in locis hujus summæ actum sit, pauca tantum illius specimina exhibebo.

Grægorii Pápæ Epistola ad Germanum Patriarcham C. P. ut ad unitatem redeat S. Rom. Ecclesiæ, ac de duplici gladio Ecclesiæ, & usu utriusque spiritali, & temporali Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Græcorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum juxta testimonium veritatis, occasio fit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire: quia quæ in eis reposuit inspiratio divina pro doctrina sequentium, ad cautelam voluit trahere modernorum. Sanè sub Jeroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Israelem, præsumpta divi-

A sio tribuum patenter signat schisma Græcorum; & multitudo abominationum Samariæ diversas hæreses multitudinis à veneratione veri templi Domini. Romanæ videlicet Ecclesiæ reverentia separatæ. Quod Chrysostomus, Nazianzenus, Magnus Basilius, & Cyrillus emicuerint in cætu dissentientium, eadem fuit cœlestis altitudo consilii, quæ degere voluit inter Idololatras Heliam, Helisæum, & filios Prophetarum, &c. *3.Reg. 12. Osias 7. 4.Reg 1.*

Post multas querelas hinc inde exhibitas de injuriis exceptis, & prætensis per utriusque fidei viros in odium professionis Græcæ, & Latinæ, pactum est, ut illi fidem hanc suam circa consecrationis materiam, Apocrisiarii etiam circa processionem Spiritus Sancti scriberent, & scripturam traderent. *Controversia cũ Græcis ad duo capita refertur.*

In professione fidei Græcorum asseritur necessarium esse consecrare in fermentato, quia ipsi ita acceperunt B ab Apostolis, sicut ipsi à Christo secundum Apostolum ad Corinthios scribentem; *Fratres, ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.*

In professione fidei Apocrisiariorum habetur inter alia, quicumque non crediderit Spiritum sanctum à Filio procedere, in via perditionis est. Unde S. Athanasius Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Adduntur auctoritates Gregorii Thaumaturgi in expositione fidei, & Gregorii Nysseni, S. Augustini, Cyrilli, ac tertiæ synodi, quæ totam tertiam Epistolam Cyrilli ad impium Nestorium suscepit. *In symbolo*

In discussione materiæ consecrationis urgebant Græci: Dominus accepit panem, ἄρτον significare panem perfectum levatum fermentatum. Resp. Non ita semper significare, nam Levit. 7. in lege hostiæ pacificorum habetur ἄρτος azimus, ἄρτος fermentatus, unde sequitur azimum, & fermentatum esse differentias specificas, vel accidentales verbi ἄρτος.

C

Allegarunt Græci de facto, & exemplo Christi, Apocris. refutarunt per illud Matth. 26. *prima die azimorum*, &c. Resp. ex Joan. Chrysostomo hom. 82. per illam diem primam azimorum intelligi diem præcedentem, in cujus vespera incipiebant dies azimorum. Unde illo vespere incipiente Pascha fermentatus panis non inveniebatur amplius, &c.

Allegarunt Græci illud Joan. 18. *Non introierunt Judæi in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Respons. Joannem cæteris Euangelistis D non contradixisse, ac per Pascha intellexisse cibos Paschales. In quibus disceptandis sessio protracta est ad profundum noctis.

Epistola, seu professio Patriarchæ Nicæni, & universæ Synodi Nymphæ Græcorum missa ad sanctissimum D. Gregorium IX. de hac Epistola Vvadingus. Nullibi adeo diffusè Græcorum fundamenta pro pertinaci illa sua hæresi vidi congesta, neque in aliis eorum scriptis, quæ occurrerunt, neque in Concilio Florentino, neque apud Controversistas; quare consultum judicavi omnem etsi longam, tædiosamque transcribere Epistolam, ut in ea cognoscatur, quid possint, aut soleant à tot annorum centuriis pro sua probanda pervicacia proferre; & facilius ad singula respondeatur. Sane quædam citant E opuscula, quæ non facilè licet invenire, alia corrupta sunt, cætera facilem habent solutionem. Videri potest apud ipsum prolixa hæc Græcorum Epistola.

An non possint juvari Græci?

Recte Cardinalis de Cusa tract. *de pace fidei*. c. 18. oportet infirmitati hominum condescendere, nisi vergat contra æternam salutem. Nam exactam quærere conformitatem in omnibus, est potius pacem turbare. Hoc autem videtur jam præstitisse Ecclesia Romana erga Græcos tolerando, ac permittendo, ut celebrent in pane fermentato, necnon etiam credant, aut opinentur in eodem pane

 Chri-

A Christum consecrasse; quia nihil apparet, quod sit in hac praxi, & opinione contra æternam eorum salutem; nec enim minus est Christus in Eucharistia, minusque sumitur, colitur, aut adoratur propter hanc praxim, & opinionem. Quæret ergo aliquis de Græcorum salute anxius, cur non pari modo iis condescendat, sublatis omnibus anathematismis, tolerando, ut in antiqua sua fide de processione Spiritus sancti perseverent, si ita opinentur. Neque enim Spiritus sanctus, aut Filius, minus erunt Deus, minusque colentur, aut adorabuntur, quod ad æternam salutem necessarium est, Bone Deus! quot sunt abscondita in Deo, quæ ignorant justi, aut in quibus pessimè errant sine salutis periculo? Verum est Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere. Sed hæc veritas, si tollatur Ecclesiæ definitio, non est ita evidens in Scripturis, ut censeri possit B obligare singulos Christianos ad habendam fidem expressam de ipsa, sicut nec de multis aliis controversiis apud Theologos circa mysterium sanctissimæ Trinitatis. Attamen, posita Ecclesiæ definitione, quam si quis non audierit, habendus est sicut Ethnicus, & publicanus, non videtur, quo modo excusari possint Græci. Etsi enim non videatur dari præceptum positivum credendi omnibus explicita fide, quæ continentur in scripturis, oporteret enim singulos universam scripturam tenere, videtur tamen esse præceptum negativum non resistendi scienter ulli propositioni contentæ in scripturis, contra quod præceptum peccant, quotquot Christiani nominis negant Spiritum sanctum à Filio procedere, cum id Deus revelaverit, & ita Ecclesia declaraverit.

C Nihilominus adhuc quispiam inquirere poterit, an id credendum sit expresse jure divino, vel jure Ecclesiastico humano. Theologi enim, qui profundius res perscrutantur, de ea re movent scrupulum, nec præceptum fidei omni ex parte elucidatum est, ut multa circa ipsum restent inquirenda, & definienda. Sunt hæc præcepta, ait Pontius ad dist. 25. l. 3. sent. Scoti q. 1. juris positivi; sed an humani, vel divini non adeo mihi constat. Gregorius de Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. puncto 3. & 4. ait omnes non teneri explicitè credere, quæ in aliis symbolis, ut Nicæno, & Athanasii continentur. Sayrus in Clavi Regia l. 2. c. 9. num. 15. & Arragonius 2. 2. q. 2. art. 6. dubio 2. licet dicat de jure esse credere mysteria Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Adventus in judicium: at quoad reliquos articulos, ut descensus ad inferos, & communionis Sanctorum, esse de jure Ecclesiastico; at, inquit Sanchez l. 2. in Decalogum c. 3. nu. 13. rationem hujus discriminis non video. Augetur dubium ex eo, quod aliquid continetur in scripturis, non videtur sequi præceptum fidei circa illud; quia ut in rebus moralibus, & sacramentalibus quædam sunt de præcepto, quædam de consilio tantum, quæ non obligant, ut fiant necessario, cur non etiam in rebus revelatis quædam sint, quæ non obligent ad fidem expressam?

InterTheologos dubiū quid credendū jure divino, aut Ecclesiastico.

Rursus si obligaret tantum jure Ecclesiastico, dubitari posset, num relaxari posset istud præceptum credendi ob bonum concordiæ eadem auctoritate, qua positum fuit primò. Permittit enim Ecclesia in quibusdam libertatem opinandi, ut quisque judicaverit, sicut in negotio Conceptionis B. Virginis, & in materia auxiliorum gratiæ, & præmotionis physicæ. Quædam enim sunt, quæ non habent tantam connexionem cum articulis fundamentalibus fidei, ut necesse sit ea definire, & ad dogma fidei reducere ad salvandos homines, unde definiri non expedit, nisi ad sedandos tumultus ob id excitatos, extra quam necessitatem parum prodest, si non esset præceptum impositum, sic, aut sic tenere. Certè tàm ingens detrimentum, Ecclesiarum schisma, tàmque multarum animarum interitum sempiternum invehit, ut non satis laborare possimus ad inveniendum medium, quo eas juvare possimus. Faxit Deus, ut tantum schisma finem quandoq; inveniat, aut per hanc viam, aut aliam, quæ magis probanda videbitur. Interim quia magis inquirendo, quàm asserendo hic agimus; Vide de ista difficultate à nobis dicta to. 1. circa Concil. Lugduni, & Florentinum, nec non in defensione Concil. Trid. contra Calvinistas.

Interim ex eodem Concilio, ubi duo tantum impedimenta unionis Græcorum cum Latinis apparuerunt, inferre licet Græcos cum Latinis concordes fuisse in veritate realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, & in transubstantiatione panis in Corpus Christi, sicut & vini in sanguinem; si enim circa ista discordes fuissent, non minus in disputationem revocari par erat. Quod annotare juvat propter controversias nostri temporis inter nos Catholicos, & Calvinistas in quæstione facti de fide Ecclesiarum Orientalium circa transubstantiationem. Negant illi hanc teneri, & credi à Græcis, & schismaticis Orientalibus. Quod argumentum attigimus ad finem libelli nostri Fidelitatis perseverantis Susannæ contra Ministrum Claudium. Sed hoc argumentum adeo luculenter tractavit Doctor Arnaldus contra eumdem Ministrum per plures libros nempe 2. 3. 4. 5. ut nihil amplius desiderari possit ad convincendos falsi hæreticos, qui non nisi mendaciis Ecclesiam Catholicam impugnare solent; cum per plura sæcula tanta existente animorum offensione inter Orientales, & Occidentales in tot collationibus, & disputationibus sub scripto, seu viva voce circa dissensiones suas in rebus fidei, nihil sibi umquam exprobraverint circa transubstantiationem, seu quod Latini ipsam crederent, seu quod Græci ipsam rejicerent, ut etiam videre est in præsenti collatione. Quod signum evidentissimum est concordiæ circa hanc fidei veritatem.

Tran... stanti... à Græ... credit...

Opus ... perpe... tatis ... &c. ... siis e... ann. ...

Cardinalis Bessarionis ad unionem exhortatio.

CÆterum quia quæ dixi de paritate rationis in relaxatione præcepti ad credendum processionem Spiritus sancti, magis suggerendo, quàm dogmaticè quidquam asserendo proposui, & ut à Theologis, ac summis Pastoribus examinetur, si quando de fœdere, ac pace renovetur tractatus: cum non defuturi sint, qui istam suggestionem confestim improbent, quibus ego non contradicam; ut interea tot Christianos aliquo stimulo ad Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ, & Rom. Unionem ambiendam provocem, subjungo hic epilogum il-D lius orationis, quam Bessarion Episcopus tunc Nicænus ad Græcos dumtaxat habuit post disputationes Concilii Florentini, ut ipsos ad pacem cum Latinis cohortaretur. Illa sic incipit. Sacram Ecclesiarum Dei pacem, atque concordiam nemo est, viri præstantissimi, qui non maximi æstimet, & loco summæ felicitatis esse ducat. Ob eam quippe Salvatoris nostri oratio ad Patrem porrigitur, qui cum pro discipulis, & eis, qui nomine ejus vocati sunt, precaretur: Fac, inquit, Pater, *ut unum sint, quemadmodum & nos unum sumus*. Per hanc divinus amor, quod signum Discipulorum Christi est, in nos influit: tolluntur que à nobis inimicitiæ, & dissensiones, & cæt. Quo autem modo adeo præclarum bonum consequi possimus, variis inter nos sententiis discrepamus. Quapropter de hoc à nobis in præsentia considerandum. Ac postquam per octo capita motiva ad unionem E proposuit ex concordia Patrum Græcorum, & Latinorum, & collatione Florentinæ Synodi petita, novum addit caput, in quo dicta omnia in compendium sic redigit.

Joan...

EPILOGATIO, ET REPETITIO *prædictorum, & solutio frivolæ responsionis, qua quidam ad authoritates Occidentalium respondent, & exhortatio ad unionem. Cap. 9.*

SEd de dogmate quidem, quæ breviter dicenda erant, dicta sunt, nec quidquam ulterius addendum est. Rogo autem, posco, peto, & supplex oro vos

vos omnes, patres optimi, facer conventus, animarum pastores, duces cæcorum, eruditores insipientium, ut, his omnibus consideratis, & benè pensatis, illam feratis sententiam, quæ tantæ rei convenit, quæque perpetuam vobis famam, gloriam, & salutem pariat. Repetatis enim memoria primo, quod non erit nobis dè cætero excusatio eadem, quæ prius, cur à talibus fratribus dividamur, & hostes velimus esse Latinis tàm multis, tàm sapientibus, tàm doctis, omni virtute prædìtis, non solùm illa, quæ animum ornat, sed etiam ea, quæ ad corpus, & temporales res attinet: quodque quemadmodum ante generale Concilium congregatum facilior nostra excusatio erat, ita post hoc gravis nostra excusatio erit, si non habuerimus dicere causam tali divisione dignam. Deinde non fugiant vos, quæ de necessaria doctorum concordia dicta sunt, nec aliter nos dicere posse, dum Christiani esse, & principia fidei salvare velimus: quodque patres Occidentales apertissimè, ex patre, & filio spiritum sanctum procedere, asseverant, & filium esse ejus principium, prout pater: Orientales quoque hoc idem dicere, partim ex patre per filium, partim ex patre, & filio, & ex utroque procedere, & ex filio esse ipsum dicentes, cumque hæc dicant, Occidentalibus convenire, & eadem non solùm sententia, verum etiam verbis dicere, tanquam uno, & eodem spiritu eos illuminante locuti. Demum, quam solam nobis ad ea, quæ Latini dicunt, relictam responsionem video, cùm ipsi quoque nullam esse judicaveritis, imo verò rem puerilem, & omnino ridiculam, consulamus nobis ipsis, quæ utilia sunt, & uniri Latinis conemur, si ea, quæ placita sunt Deo, facere velimus. Aut enim non acceptandi sunt sancti doctores, nec dictis eorum acquiescendum: aut acceptandi quidem, & acquiescendum dictis eorum, non tamen omnibus, cum ipsi quoque tanquam homines, in quibusdam errare potuerint: aut quod reliquum, & ter-
nec. tium est, * nec in aliquem inciderunt errorem, & cunctis eorum verbis acquiescendum. Hæc tùm, quæ Latini produxerunt, tanquam illorum sanctorum testimonia, non ex eorum mente procedunt, nec eorum sententiæ sunt, sed Latinorum horum fictiones, additiones, & appositiones, manu, menteque aliena libris sanctorum inscripta. At primorum duorum neutrum certè scio, nec vos approbatis, nisi quis omnia fidei nostræ fundamenta, ecclesiæ mysteria, omnem veritatem evertere velit: reliquum verò, & tertium, manifesta stultitia, apertissima ignavia est, si tot libros, tot eorum opera doctorum, tot eorum labores, tot volumina, præsertim antiquissima manu, nonnulla eorum conscripta, & per totum orbem terrarum sparsa, & multiplicata, per ipsum item sequentium ad præcedentia connexum, & convenientiam, ipsam veritatem luce clarius ostendentia, temerario ausu corrupta, mutata, & superaddita esse dicemus, maximè cum videmus ipsos quoque nostros etiam antiquiores, & qui in ipsis principiis hujus acerrimi dissidii fuerunt, facientes quidem mentionem authoritatum doctorum Occidentalium, nihil tamen contra eas habentes, quod dicerent ratione dignum. Quo fit, ut nullo modo quis eas putare debeat corruptas fuisse, siquidem in ipso etiam contentionis principio eodem modo inscriptum libris erat potissimum, cum nec extent apud nos alia eorum doctorum antiqua volumina lingua Latina scripta, ad quæ, facta comparatione, possemus deprehendere eorum corruptionem. Quæ omnia cum animadvertamus, & mente repetamus, non eligamus, quæ pejora sunt, nec contra nos ipsos sententiam feramus, nolimus nec nos ipsos nec nationem nostram prodere, primo quidem avertentes à veritate, & oculos, ne videant lumen, claudentes: deinde ipsimet propria sponte contra nos ipsos omne genus malorum accumulantes, & multipliciter totam nostram nationem offendentes. Quis enim ignorat, quæ etiam temporalia mala ex hac divisione nos secutura sunt? quæ infortunia? quodque communem hostem, & inimicum nobis Turcarum principem robustiorem contra nosipsos efficiemus? in periculoque sunt, ut omnino ferè pereant, quicunque ritum nostrum sequuntur Christiani, nomenque Christi illic totaliter deleatur. Et enumerassem, & deplorassem omnes particularius, quæ futuræ sunt nationi nostræ calamitates, quæ cunctis nostris hominibus, qui in insulis, qui ubique terrarum, qui *Quasi prophetia Bessarionis.*
Orientem, qui Septentrionem, qui Occidentem inhabitant, nobiscumque in ritu conveniunt, non dico solum, quæ ad corporalia, resque temporales attinent, (non enim tanti essent æstimandæ) verumetiam, quæ ad animam, & integritatem fidei pertinent, cum omnes simpliciter, aut major eorum pars, partim sponte, partim vi, periclitentur aberrare à fide, relinquere Deum, & erroribus infidelium consentire. Narrassem hæc (inquam) omnia, nisi vos alloquerer, qui omnia meliùs me nostis. Quis enim nescit, quòd solum nobis relictum refugium erat Latinorum amicitia, & unio cum eis futura, hac re sperantibus, & nosipsos tueri posse, & hostes devincere, quodque hoc solum hostem deterrebat, & ejus contra nos furorem refrenabat? qua re si nunc privabimur, quò fugiemus? quinam nostræ calamitatis finis erit? quis malorum exitus? Etsi errare quidem Latinos, & à veritate avertere deprehendissemus, nec ipse profectò vobis consuluissem, eis ita se habentibus uniri, temporalium amissione deterritos, & majoris præsentia, quàm futura, corporum, quàm animarum liberationem facere hortatus fuissem: imò verò & ipse omnia quæcunque acerba potius sustinuissem, & vobis, ut passi fuissetis, consuluissem, quàm cum eis uniri non rectè sapientibus. Nunc verò timendum est, & quidem vehementer, ne corporis quoque exitium unà cum animi interitu etiam eligamus: siquidem, quæ vera, quæ pia sunt, & nil erroneum Latinis sapientibus, quemadmodum patres eorum, & nostri, Occidentales videlicet doctores, ac Orientalibus communibus patribus eadem, & consentanea dicentibus, nos proprio nostro malo absque ulla ratione ab eis dividi vellemus. Quod enim ipsi Occidentales patres sequuntur, vos quoque dicitis. Quòd autem illi eadem cum Orientalibus sapiant, hac in oratione breviter, & sufficienter probatum est, itaut omnibus manifestum sit, Latinos omnes tùm Occidentales, tùm Orientales patres sequi, communes utriusque doctores, & patres sunt. Qua igitur ratione à talibus viris diffidebimus? quam excusationem afferre poterimus, cur eis convenire nolimus? Quæ nobis relinquetur apud Deum responsio, quare à fratribus divisi fuerimus, quos ut uniret, & ad unum ovile redigeret, ipse descendit de cœlis, incarnatus, & crucifixus est? Quæ nostra defensio erit apud posteros nostros, imò verò apud præsentes homines nostros? Nescio enim, an aliqua nostra posteritas * *for. immunis.*
erit de tàm magna, tàm gravi calamitate, tot periculis, quæ eis inferimus. Non patiamur hæc, patres optimi.

Non habeamus hanc sententiam, ita non malè nobis ipsis consulamus, & nostris. Nolimus lupi pro pastoribus illis fieri, qui ad nos respiciunt.

Non eos prodamus hostibus in animarum, & corporum simul interitum. Ego enim (& sint mihi hæc verba in perpetuum testimonium toti nationi, cunctisque Christianis) numquam hujus sententiæ ero, nec unquam prodam corpora, animas, fidem, civitates, patrum sepulchra, libertatem, & omnia simul, quæ omnia invenio secutura schisma, & nostram à Latinis absque aliqua ratione divisionem.

Quænam digna causa est, ob quàm tot, & tàm horrenda eligamus pericula? Oro autem, & rogo, ut etiam vos, vel omnes, vel major pars vestrum, eadem, quæ ego, de his rebus sentiat, & benè communi utilitati consulat. Quod si nolueritis, ego quidem summum Deum, & vos omnes præsentes, & cunctos

ctos posteros nostros testor, quod sine passione, & fraude, quæ vera, quæ justa, quæ utilia, quæ conducentia nobis, & nostræ saluti mihi visa sunt, à principio usque ad hunc diem non cessavi dicere, non omisi consulere, nec timore deterritus (ne quis me Latinis affectum putet) tacui, nec propriam securitatem communi utilitati præposui: sed me, & mea omnia Deo commendans, & ejus divinæ voluntati subjiciens, qui totam mihi vitam ab ineunte ætate melius, quàm optassem, direxit, atque rexit, commune bonum mihi, ut finem, proposui: & ad hoc solum respiciens, & feci, & dixi, quæcunque vel feci, vel dixi, simul & fidei veritatem, quoad potui, & corporalem salutem, ut nostri adipiscantur, conatus. Vos verò, cùm libera sit vobis voluntas, quodcunque agendum videatur, id agatis. Vincant autem nutu divino etiam apud vos, quæ meliora, & saniora sunt. Quod si (quod absit) pejor sententia superabit, hoc tamen omne genus humanum, omnis ætas, omnis ordo, atque conditio sciat (protestandum enim rursus est) quod innocens ego sum ab hoc malo, hoc acerbo schismate: nec hujus unquam sententiæ fui, nec sum, præter omnem rationem à Latinis dividi. Nec enim mihi persuadeo, non rectè, & verè de fide eos sapere, & eadem, quæ sanctos doctores, tùm Orientales, tùm Occidentales, non credere eos. Nec ignoro, quæ hinc nos, & nostram rempublicam sequentur pericula, quæ calamitates, quæ excidia. Sed prævidi, prædixi, & ne fiant, quoad potui, providi. Quod si proficere non potui, non * mei dicentis, sed audientium culpa est.

Bessarionis excusatio.

* *for. mea.*

Bessarionis ejusdem declaratio aliquorum, quæ in dicta Oratione dogmatica continentur, quæ Græcis notissima, Latinis ignota sunt.

NOtandum primò, quòd sancti doctores Orientales etiam in divinis utuntur nomine causæ, & causati, largo modo. Non quidem, ut limitationem, & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem à principio ejus, quod est à principio, significat: & ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus usum fuisse. Cæterùm, quia ad quasdam oppositiones Græcorum respondeo breviter, tamen non declaratis primò eorum oppositionibus, sed ad tacitam quæstionem respondens, eo quia ad Græcos loquebar, quibus illa nota erant: sciendum, quod cùm doctores dicant Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere, vel profluere, &c. similia: & ex hoc appareat filium quoque spiritus principium esse, quod contra eos facit: his quatuor evasionibus hanc veritatem evadere conantur. Primò namque, cùm rarissimè dicant doctores, Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere, sæpissimè verò mitti, profluere, prodire, emanare, scaturire, oriri, & hujusmodi: fecerunt sibi hanc voluntariam distinctionem, quòd videlicet verbum procedere, duntaxat significaret hypostaticam, & personalem Spiritus sancti emanationem: cætera verò vocabula, charismatum, & donorum ejusdem in nos distributionem, & temporalem in mundum ejus missionem, quam etiam per Filium fieri concedunt. Secundò dicunt, quòd ideo dicitur ex Patre per Filium, non quia Filius est principium Spiritus sancti, sed quia Pater, & Filius sunt nomina relativa (alterum verò relativorum non potest dici, quin intelligatur alterum) ideò dicendo ex Patre, necesse est, etiam Filium nominare, propter vim ipsius relationis. Tertiò, consubstantialitatem Patris, & Filii causam esse ajunt, ut ex Patre per Filium Spiritus esse dicatur. Cùm enim ejusdem substantiæ sint Pater, & Filius, necessariò cùm dicitur ex Patre, oportet, quòd dicatur etiam ex Filio. Quartò, quia nonnunquam, rarissimè tamen & apud poetas, quibus ob angustiam metri licet metaphoricè, & abusivè vocabulis uti, præpositionem *per* aliquando repererunt idem significare, quod præpositio *cum*: dicunt Spiritum sanctum ideò dici ex Patre per Filium procedere, quia ex Patre cum Filio simul procedit: & his modis omnes illas authoritates exponunt, sive pervertunt. Hæc nos ex ipsamet authoritatum sententia, & rationibus verissimis confutavimus, probantes hæc non posse consistere, nec opinionibus, & verbis sanctorum Doctorum convenire, prout ex ipsis verbis clarius videtur. Præterea sciendum est, quod in tertio œcumenico Concilio sanctus Cyrillus contra Nestorium, & ejus hæresim, inter alia multa, quæ sapientissimè scripsit, duodecim etiam capitula edidit contra hæreticos Nestorii articulos, quæ anathematismos appellavit, eo quod in eis errores illius anathematizat, quorum in nono contra Nestorii errorem, qui blasphemabat Filium Dei purum hominem esse, Spiritus Sancti gratia per participationem sanctificatum, idem sanctus Cyrillus Spiritum sanctum, spiritum Filii, & proprium Filii esse dicit. Post hæc quidem Theodoritus * Cyri Episcopus, vir quidem litteratissimus, humanæ tamen fragilitati subjectus, superveniens in Synodum serò cum Patriarcha Antiocheno Joanne, cùm reperissent jam Nestorium condemnatum, & pro demeritis suis sede Patriarchali Constantinopolitana privatum, indignati, quòd, eis non expectatis, conclusum fuerit, defensionem Nestorii susceperunt. Theodoritus igitur, tamquam vir doctissimus, contra duodecim anathematismos Cyrilli alia duodecim capitula edidit, quorum in nono, ubi sanctus Cyrillus Spiritum sanctum Filii, & proprium Filii dicit esse, his verbis ait: Quod si Cyrillus Spiritum sanctum proprium Filii dicit, tamquam consubstantialem ei, hoc verum acceptamus; quod si tanquam ex filio, vel per filium esse, & existentiam habentem, hoc ut blasphemiam ejicimus. Ad hæc totum œcumenicum Concilium tacuit, nec increpavit Theodoritum tanquam maledicentem.

* *Cyri*

Cyrillus tamen ad ea respondit, omniaque sua capitula aliis duodecim novis capitulis ita denuò exponit, ut sententia ejus, etsi non nimis apertis verbis, clarè tamen pro nobis esse appareat. Hoc maximè Græcos oblectat, in hoc potissimum confidunt, hoc pro maximo, & insolubili argumento putant, quòd Theodorito negante Spiritum ex Filio, vel per Filium habere esse, & subsistentiam, Concilium totum tacuerit, nec eum mendacii, & erroris redarguerit, Cyrillus quoque non ita apertè (ut putant) responderit, cùm tamen sciant Theodoritum propterea condemnatum, & Ecclesia multis annis ejectum fuisse. Ad hæc igitur, tamquam notissima Græcis, non ea latius explicando, ut in oratione videtur, respondetur. Sed nemo de Theodorito viro doctissimo doleat: suum enim recognovit errorem, & in quarto Chalcedonensi generali Concilio (supervixit namque ad illud usque tempus) palam eum confessus, à sancta Synodo, tamquam honorabile membrum Ecclesiæ susceptus, & restitutus fuit.

DECRETUM

SYNODALE,

Præside Parthenio Patriarcha Constantinopolitano contra dogmata Calviniana, quæ professus fuerat Cyrillus ejus prædecessor, anno 1642.

CYrillus quidam adjunxit se Constantinopoli Calvini Sectatoribus, Hollandis maximè, & eorum errorem amplexus, simul cum iis paciscitur, ut numerata sibi pecunia Pontificis thronum usurparet,

paret, qua fraude, & mendaciis, & authoritate proce- A rum aulæ Imperatoriæ res ex voto succedit, ac à paucis auro corruptis Pontifex electus coacta Synodo latrocinali ex sui similibus, & sceleratis hominibus fidei professionem Calvini dogmatibus consentientem ratam habet. Hanc autem divulgarunt occidentales hæretici nomine Græcæ, atque Orientalis Ecclesiæ, jactantes scilicet, gloriantesque, quod qui Deum agnoscit orbis, fidei suæ maximam partem suffragaretur. Sicque non amplius posse illis objici paucos esse, & à cætero orbe Christiano religione discretos, qui tot sibi consentientes in Oriente numerare possent. Parthenius verò, ne diutius fama hæc spargeretur per orbem in opprobrium Ecclesiæ Orientalis, cùm sedem occuparet, Synodum collegit, decretumque sequens in ea edidit, in qua excepta Græcanica hæresi de processio- B ne Spiritus sancti, egregiè dogmata Calvini destruit, simul & Janseniana, quæ in aliquot conveniunt. Editum est hoc decretum Græco Latino idiomate Parisiis anno 1643. apud Sebastianum Cramoisy Architypographum Regium.

Parthenius misericordia Dei Archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, Oecumenicus Patriarcha.

PRæsidente synodicè mediocritate nostra, assidentibus ipsis sanctissimis Episcopis, & honoratissimis, dilectis in Spiritu sancto fratribus, & comministris, necnon spectatissimis Clericis Christi Ecclesiæ, quæ apud nos est, producta sunt in medium Capitula quædam C inscripta nomine decessoris nostri Patriarchæ senis, Domini Cyrilli, de quibus quæsitum est, eane oporteret, ut pia reputare, & amplecti, an verò, ut ab Orientali nostra, & Apostolica Christi Ecclesia longè aliena rejicere. Quare universa hæc sacra Synodus, horum singulis diligenter examinatis, & investigata eorum, quæ scripta erant, sententia, censuit hæc omnia (præter septimum) Calvinicam hæresim profiteri, & à Catholica Orientalium religione longissimè discrepare.

1. In primo enim æternam, & substantivam Spiritus sancti processionem ex Patre, Filioque constituit, præter Catholicæ Ecclesiæ mentem.

2. In secundo verò sanctam Scripturam sine interpretationibus sanctorum Ecclesiæ Patrum recipiens, D calumniatur, quæ divino afflatu ab œcumenicis Synodis pronunciata sunt, repudiatque traditiones, quæ per orbem universum obtinuerunt, sine quibus fides omnis nostra in vanum, & tenue nomen abiret, inquit Basilius.

3. In tertio autem Deum facit iniquissimum, tyrannica potestate utentem, ajens eum sola sua voluntate alios prædestinare ad gloriam, alios in pœnam mittere, nulla operum habita ratione. Quo quid magis impium proferri possit?

4. Quartum autem cum præcedenti omnino pugnat. Si enim malorum causa non est Deus, quomodo propria voluntate reprobos de industria ad peccandum impellit?

5. In quinto verò de divina Providentia perperam E loquitur, tribuens ipsi propriè, ac primariò, quæ à malis tùm hominibus, tùm Angelis ex ejus permissione fiunt; ut liquet ex iis, quæ adducit, testimoniis. Hoc verò blasphemiam omnem excedit.

6. Sextum autem naturam humanam omnem obnoxiam peccato faciens, non originali tantùm, ut & nostra profitetur Ecclesia, sed & quod ex eo scaturit, voluntario, ac mortali, quod illius fructum quemdam appellat, neminemque ab eo immunem volens (mortali scilicet, quod condemnationi obnoxium reddit eum, qui ipsum operatur) ne maximum quidem inter natos mulierum, neque benedictam in mulieribus, aut Patriarchas ullos, aut Prophetas, & Apostolos, & alienum à fide nostra judicatum est.

8. In octavo verò Sanctorum intercessiones tollit, & Angelorum protectiones, nec non eas, quæ à Sacerdotibus pro toto orbe fiunt, orationes, & intercessiones, quibus Ecclesiam conservari credimus.

9. In nono verò fidem sine operibus salvare statuit, esse autem hanc non opus nostrum, sed Christi unius extrinsecus justificantis hominem per vitam, ac mortem suam, ne videatur quidquam ad salutem suam homo conferre.

10. In decimo autem, terrestrem, ac cœlestem Ecclesiam confundens, Pontificiam potestatem tollit, & per ipsam totam Ecclesiæ perfectionem. Quo quid perturbatius esse potest?

11. In undecimo verò, terrestris hujus Ecclesiæ membra solos electos esse vult, neque eos præcisè, qui ejus mysteriorum cum fide sunt participes; quemadmodum & Paulum, dum Ecclesiam persequeretur, membrum illius fuisse, quòd ex utero prædestinatus esset: & Judam, cùm proinde, atque Apostoli cæteri, miracula faceret, ejusdem membrum tunc minimè fuisse.

12. In duodecimo verò enitens scriptor Patrum doctrinas è medio tollere, Ecclesiam ait à Spiritu sancto doceri; quod verum cùm sit, ab eo est malignè pronuntiatum. Nam docetur quidem à Spiritu sancto Ecclesia nostra, sed non immediatè, at hominum manibus, atque linguis utente Spiritu. Homines enim erant & Prophetæ, & Apostoli, qui verbum Domini prædicaverunt, conscripseruntque, quamvis oracula illa dicerentur esse Spiritus sancti, & divina quasi inde afflata, nihilque humani habentia. Ecclesia igitur inspiratis divinitus Patrum oraculis edocta, non ab homine, sed à Spiritu sancto doceri dicitur. Illi enim divino impulsi Spiritu nos docent, non secundum hominem, at secundum eum, quem à Spiritu acceperunt, afflatum: quod ex ea, quæ inter illos est concordia, manifestum est. Quod verò hoc ipso in capite dicatur fieri posse, ut erret Ecclesia, idque cùm & doctorem Spiritum, & Christum caput habeat, quam neque maculam habere, neque rugam, sed totam pulchram, & perfectam esse dictum est, ut impium est damnatum.

13. Decimum tertium autem nullam vult esse bonis operibus in hominum salute partem, hoc uno tollens, quantum quidem in ipso est, non solùm virtutem omnem, cœlestemque vitam, sed & scripturam omnem sacram, quæ homines hortatur ad bonas actiones, ut salutem consequantur.

14. Decimum quartum autem contra liberum arbitrium pugnans, naturam humanam evertere molitur, cujus esse in ratione, ac libertate positum est.

15. In decimo quinto negat Ecclesiæ Sacramenta quinque; Sacerdotium, sacram Unctionem, sacrum Oleum, Confessionem cum Pœnitentia, & honorabiles nuptias; quæ omnia, ut sacra, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.

16. Duo verò alià Sacramenta admittens, duobus deinceps in capitibus eorum virtutem non rectè exponit. Nam baptismo quidem ita justificari baptizatum putat, ut perire is nullo modo possit, respectum ad eos non habens, qui sacramentum hoc incontaminatum non custodierunt, neque fidem servaverunt ad finem usque, adeoque fructum lavacri nullum cepere, sed æternis suppliciis damnati sunt.

17. Divinam autem Eucharistiam ita convellit, ut nihil ipsi aliud, nisi nudam figuram relinquat, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur, & comeditur, panem jam sanctificatum, esse verum Christi corpus, sed spiritaliter tantùm intellectum, aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum est: Neque enim dixit Jesus, Hoc est figura corporis mei; sed, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus; hoc scilicet, quod videtur, & accipitur, & comeditur, & frangitur, sanctificatum jam, & benedictum. *Eucharistia.*

18. Postremum verò omnium, ut prætextum videlicet quærat rejiciendi ignis Purgatorii, id agit, ut repu-

pudiet solemnes nobis, ac legitimas pro defunctis commemorationes, per quas speramus requiem iis, & respirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt, à Deo esse concedendam.

Præterea prodierunt & interrogationes, quas Capitulis adjunxit, & judicatæ illæ sunt, universæ huic Synodo, nihilo Capitulis meliores. Non solùm enim Scripturæ interpretationes à Patribus nostris elaboratas, ut prius rejicit, sed & libros ejus aliquos abrogat, quos sanctæ, & œcumenicæ Synodi, ut Canonicos receperunt. Ad hæc omnia, venerabilium, & sanctarum imaginum relativum cultum respuit, quem sancta œcumenica Synodus septima confirmavit.

Quapropter & hæc Capitula, & interrogationes, communi suffragio plenè (ait sacra hæc Synodus) subvertimus, & ab aula nostra repellimus, tanquam hæresibus repleta, & omnino ab orthodoxa nostra religione aliena, eumque, qui ista conscripsit, exsortem fidei nostræ judicamus: omnibus declarantes eorum scriptorem falsò nos criminari, dum ait privatam suam fidem, esse Orientalem Christianæ fidei Græcorum professionem, cùm sit Calvinica, non nostra. Eos verò, qui hæc Capitula, ut vera, & pia scilicet legunt, & pertinaciter retinent, eaque sive verbis, sive scriptis defendunt, tanquam consentientes, & communicantes ejus hæresibus, & corruptores Ecclesiæ Christi, arcemus à congregatione fidelium, & tanquam Ethnicos, ac Publicanos haberi præcipimus, nullam habentes communionem nobiscum, cujuscumque conditionis sint. Et sunt æterno anathemati obnoxii, & segregati à Patre, Filio, & Spiritu sancto, uno secundum naturam, solo Deo, & in hoc, futuroque sæculo & maledicti, & expertes veniæ, & insolubiles post mortem, & æternæ damnationis participes. Neque enim unquam Ecclesia nostra talibus dogmatibus delusa est, atque utinam nunquam in posterum tantopere præcipitetur, gratia regentis ipsam, & gubernantis Spiritus. In confirmationem verò, & auctoritatem præsentis actionis, mandata sunt præsentia sacro Codici magnæ Christi Ecclesiæ, quæ apud nos est, subscripta propriis manibus sanctissimorum Episcoporum, & spectatissimorum Clericorum.

Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo, mense Majo, Indictione decima.

Parthenius misericordia Dei Archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.

Synodicæ huic Epistolæ sanctissimi Patris, & Pastoris nostri, Patriarchæ Constantinopolitani consentiens in omnibus ego Petrus Mogilas, humilis Archiepiscopus Metropolitanus Ciobi, & Haliciæ, & omnis Russiæ, Exarchus sancti Apostolici throni Constantinopoleos, Archimandrita Lauræ Pietzarii, subscribo propria manu, tùm meo nomine, tùm nomine omnis Ecclesiæ Christianæ, orthodoxæ, & Catholicæ, quæ est in Russia minore.

Athanasius Pusinas Episcopus Luceorii, & Hostrogii.

Arsenius Zeliborscius Episcopus Leopoleos Haliciæ, & Caminiciæ Podoliæ.

Sylvester Ulebitzius Bœutinscius Episcopus Premislai, & Samborii.

Sylvester Cossophus Episcopus Misteslaviæ, Orsiæ, & Mogilaviæ.

Joannicius, Heracleæ.

Gregorius, Larissæ.

Pachomius, Chalcedonis.

Daniel, Serrarum, &c.

CONCILIUM LEUCOTIÆ

In insula Cypri per Græcos celebratum anno 1668.

NOs Hilarion Cicada Dei, & sanctæ Sedis œcumenicæ Cyprinæ Episcopus, ejusdemque sedis magnus Theologus, atque Orientalis Ecclesiæ generalis Doctor.

Universis nostras præsentes inspecturis, atque lecturis fidem facimus, quod infrascripta capitula sunt ad verbum transcripta ex Synodo Leucotiæ celebrata in celeberrima Cypri Insulæ Metropoli sexto idus Aprilis currentis anni, præsente Reverendissimo Archiepiscopo totius Cypri D. D. Nicephoro, considentibus RR. Metropolita Paphi Domini Macario, & Cyrenes Domino Nicephoro, item Episcopo Nemesi Domino Cerasimo, nobis quoque, & Vicariis Famagusteno, Arsinoensi, Curiensi, Solensi, pluribusque Abbatibus, & Presbyteris titulatis, cujus acta apud nos stant, & asservantur, cujusque tantum capitula, seu summarias assertiones post prolixam eorum doctrinam transcripsimus nos ipsi, efflagitantibus, ac enixè rogantibus Reverendissimo Patre Francisco à Brissaco Cappucino Sanctæ Missionis Cappucinorum Larnecæ, & sociis, ut infra.

Ex primi Capituli doctrina de Sanctissima Eucharistia.

SI quis igitur dixerit panem, & vinum à Sacerdote consecrata, postquam sanctificata fuerint certis quibusdam à Christo Domino constitutis verbis, non esse idem Corpus, eundemque ipsum Sanguinem, & substantia Jesu Christi Dei, & hominis, Salvatoris nostri, sed aut figuram, & symbolum, aut servari cum ipso Sacramento substantiam panis, & vini, & non illa prorsus destrui post consecrationem, remanentibus solùm præter naturam reliquis accidentibus cum sua quantitate, ita ut fiat vera quædam, realis, & rigorosa transsubstantiatio, hoc est transmutatio totius præcedentis substantiæ panis, & vini in totam substantiam corporis, & sanguinis Domini; aut non esse sacrificium propriè rationale, atque incruentum, propitiatorium per seipsum pro peccatis vivorum in Sacramento pœnitentiæ, atque mortuorum, aut ea Sacramenta non debere latriæ ratione adorari, quemadmodum & ille idem, qui à dextris æterni Patris considet Deus, & homo pariter Dominus Jesus Christus, is hæreticus judicetur, & hæreticorum censuris subjaceat.

Ex Capitulo de Episcopatu.

QUapropter quicumque dixerit Episcopatum non à Christo Domino institutum fuisse, aut non ab his, qui acceperunt, nobis collatum, & in posteros æqualiter conferendum, vel non tradi certo quodam consecrationis ordine, aut non esse Ecclesiastico sacro regimini necessarium, aut sacerdotium absque Episcopi ordinatione perfici posse solo suffragio, aut electione populi, vel cleri, hi hæreseos rei judicentur: quippe qui antiquam Apostolorum traditionem dissolvunt, & Ecclesiasticum ordinem evertunt.

Ex tertio Capitulo de sacro Chrismate.

ADeoque si quis sacratissimum Chrisma non unum propriè fateatur ex septem Sacramentis per traditionem Apostolorum ab ipsomet omnium Rege Christo institutis, novamque gratiam, ac sanctificatio-

tionem propriam ex hoc iis, qui inunguntur præstari per Spiritum sanctum veluti characterem regalis spiritualis dignitatis consignantem in hæreditatem regni cœlestis, itemque robur, ac fortitudinem adversus visibiles, invisibilesque hostes, & odorem suavitatis ad Deum in bonis operibus, is integritatem Ecclesiasticæ tollit pulchritudinis, quam ædificans suam domum sapientia per septem columnas prænotavit, & lex antiqua per lucernas septem candelabri in templo, aliisque typis præfiguravit.

Ex quarto Capitulo de Jejunio.

QUamobrem & nos cum sancta Gangrensi Synodo pronuntiamus, si quis ob reputatum virtutis exercitium die dominico jejunaverit, vel præter corporalem necessitatem tradita ab Ecclesia jejunia in commune servanda violaverit, Anathema sit.

Ex quinto Capitulo de Monastico statu.

SI quis Angelicum Monachorum institutum, eorumque professiones, pacta, & promissa inventa Satanæ per blasphemiam dicat, seu virginitatem, ac cœlibatum, seu paupertatem, nulliusque rei possidendæ voluntatem, seu humilitatem, quæ revera exaltat, ac obedientiam, seu, quæ circa vestitum, & cibum est, duram disciplinam, vigilias, item humicubationes, & quæ similia, ipse sese voluptuosæ, ac delitiosæ vitæ, variisque passionibus contabescentis charactere cauteriatum exhibet, ipseque in seipsum pari, vel potiori ratione convertet, Anathema, quod sancta Synodus Gangrensis adversus virgines, & abstinentes, qui conjugatas, ac ciborum utentes libertate præ superbia, & cauteriata planè conscientia contemnebant, fulminavit.

Ex sexto Capitulo de veneratione Sanctorum, ac intercessione eorum.

QUare eos, qui Duliæ in Sanctos venerationem rejiciunt, & eorum pro his, à quibus orantur, intercessiones insectantur, itemque honorem Sanctarum Imaginum, vasorum, & reliquiarum, non minus nos rejicimus, & execramur, quàm antiquos illos agiomatos, ipsosque sanctæ septimæ Synodi execrationibus obnoxios, paternarumque traditionum inimicos denuntiamus, & ab orthodoxorum cœtu alienos declaramus.

Ex septimo Capitulo de suffragiis erga mortuos.

EX quibus confitenter decernimus, quod, qui misericodiæ opera, & oblationes, & similia, quæ pro defunctis in fide, & pœnitentia fiunt, tollunt, negantque juvari his animas, quæ in privatione, atque dilatione Beatitudinis versantur in doloribus, ad refrigerium, & diminutionem dilationis, hi sanè orthodoxorum partis alieni, Apostolicarumque, ac paternarum traditionum prævaricatores judicentur.

Epilogus.

HÆc est orthodoxa Ecclesiæ Orientalis fides. Hanc tuentur quatuor Sanctissimorum Patriarcharum Orientalium venerabilium Fratrum nostrorum, & Comministrorum sedes, Constantinopolitana videlicet, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana. Hanc cæteræ quæque nationes nobis ritu, & communione conjunctæ profitentur, imprimis amplissimum Moscorum Imperium, Rhossorum longè, lateque sparsi populi, itemque Bulgariæ, Serviæ, superioris, & inferioris Mysiæ, tùm Epirotæ, Arabes, Ægyptii, & ne cæteras Asiæ, & Europæ Gentes enumeremus, quicumque septimam œcumenicam Synodum acceptant, & venerantur. Hanc etiam incorruptam, & inviolatam hucusque servavit Dei beneficio hæc sancta nostra Cypriorum Ecclesia. Hæc nobis, & universis fiat confessio in salutem in Jesu Christo Salvatore nostro, cui laus, & potestas, & adoratio sit in sæcula sæculorum. Amen. Datum Leucotiæ tertio Junii, anno salutis 1668.

Nota. Doctor Arnaldus hoc Concilium Græcorum habet ad calcem sui libri vernaculè editi de perpetuitate fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam propugnatam contra librum Ministri Charentoniani *Claude*, testaturque originale ipsius Græcum servari, ad faciendam fidem, in Bibliotheca Sangermani de pratis Parisiis.

CONCILIA QUÆDAM ASIATICA.

CONCILIUM

Apud DAMALIM,

Celebratum à Græcis schismaticis, tempore Alexandri Tertii, & Manuelis Imperatoris Constantinop. circa annum 1072. de hac quæstione, an Deus Mahometis posset anathematizari.

ACcipe hoc Concilium partim in Europa, partim in Asia celebratum ex Nicetæ Choniatæ annalibus lib 7. in Manuele Comneno.

EJusdem generis illud etiam est, quod Manuel sub vitæ finem fecit, extat inter cæteras Catecheticæ tabulæ sanctiones, anathema in Mahometi Deum, quem nec genuisse, nec genitum, sed Holosphyron esse affirmat. Id anathema ex omnibus Catechetis libellis aboleri voluit, ab ipsa magnæ Ecclesiæ tabula auspicatus, idque ratione scilicet probabili. Ajebat enim blasphemiis in Deum qualibuscumque offendi Agarenos, qui ad piam nostram religionem deficerent. Proinde maximo Theodosio accersito, qui principem sedem curabat, atque ornabat, & primariis Sacerdotibus, qui tùm in urbe erant, eloquentia, & virtute præstantes, quæstionem cum tumido exordio proponit. Qui cùm omnes refragarentur, nec ullo modo illa admitterent, ut absurda, & à vera de Deo sententia abducentia, atque anathema illud offensionis plenum piè explicarent, nec enim Deum cœli, & terræ conditorem, ullo modo anathemate notari, sed Holosphyrum illum Deum, quem delirus, & furiosus Mahometus nec genitum, nec gignentem confingeret. Nam apud Christianos Deum Patrem celebrari, quod detestandis Mahometi nugamentis planè prohibeatur. Deinde se non satis intelligere, quid sit illud (Holosphyrum) eis, animo nihil mitigato, contemptis, suapte authoritate, & aulicorum eruditorum, quos tempori servire norat, ministerio, decretum proponit, quo & Mahometi delirium (cur enim Theologiam dicamus) defendebatur, & superiores Imperatores, sacrorumque antistites aperte taxabantur, qui Deum verum ineruditè, & inconsideratè notari passi essent: Et id decretum in sacro Palatio publicè recitandum curat, principibus senatus, & cognatis suis litterarum studiosis, qui veluti viam pararent, atque applauderent, præmissis. Erat autem oratio adeo probabilis, non spiritualium verborum gravitate, sed humanæ sapientiæ suavitate, ut aures non eorum dumtaxat, qui variam ejus compositionem, & jucundam novitatem spectabant, sed eorum etiam, qui ipsius scripti sententiam indagabant, propemodum suspensas teneret. Ac forsitan veri Dei gloria Mahometano illi Deo, quisquis est, tributa esset: nisi Patriarcha strenuè adversatus, nec ipse id scriptum curasset, quo

nova,

nova, & periculosa dogmata introducerentur: & cæteros, ut id tanquam venenum suspectum haberent, monuisset.

At Imperator, quasi gravi affectus injuria, Pontifices conviciis sectabatur, & homines omnium mortalium stultissimos appellabat: quippe ex morbo gravissimo, qui exitium ei attulit, pronior ad iram factus: Proinde iis, quæ priore decreto fusius, oratoriis ornamentis adhibitis, scripserat, in compendium redactis, & dogmatis illecebris adornatis, aliud decretum promulgavit. Cùm autem tùm in Palatio ad Damalim, quod scutarium dicitur, tùm ad vitandam turbam, tùm ob aeris temperiem versaretur, totus curandæ valetudini intentus, jussu ejus Pontificum collegium, & eruditissimi quique eò trajiciunt. Qui cùm vix ex lintribus descendissent, Theodosius Mazuca, homo apud Imperatorem gratiosus, & inter scribas authoritate Princeps adest, & oratione ad Patriarcham, & Pontificum Collegium instituta, Imperatorem nunc adiri posse negat ob morbi quandam accessionem: Litteras verò, quas manu teneret, esse audiendas.

Agebant autem Alteæ de proposito dogmate, quibus à Pontificibus subscribi cupiebat Imperator: Alteæ sub persona ejusdem cum summo Pastore Theodosio, & Pontificibus ob præposteram adversationem expostulantes, majus Concilium minabantur: & controversiæ disceptationem, ipso veteris Romæ Papa adhibito, jurejurando testificabantur. *Pontifex Rom.* Ingratus, inquit, universitatis rerum Deo, à quo præter imperii fastigium, aliis illustribus prærogativis sum ornatus, & insanus essem, nisi pro tenuitate mea, qualecumque illi studium meum declararem, & summis in id viribus incumberem, ne is verus Deus anathemate notaretur.

Cæterum auditores ea magniloquentia adeò non percellebantur, ut vir doctissimus, & eloquentissimus, Eustathius Thessalonicæ Archiepiscopus, ea oratione valdè commotus, verum Deum aliquid Holosphyrum infelicis ingenii commentum perhiberi nullo modo ferret. Enim verò, inquit, insanirem, & hoc habitu (ostenso pallio) indignus essem, si Deum verum judicarem beatum illum præconem, & omnis obscœnitatis, & sceleris doctorem. Quæ cum clara voce, & magno veræ pietatis affectu dixisset, auditores pene obstupuerunt, scripti verò illius recitator paulisper velut attonitus, compressis labiis, astitit, deinde ad Imperatorem reversus est, qui ea ratione perturbatus, varia defensione usus est: Et patientia, ut numquam antea, laudata, ut querulos, & cavillatores vitaret, se quoque integerrimis Christianis annumerabat, & religiosissimis parentibus se natum esse asserebat, & contra judicem Thessalonicensem vehementer efflagitabat. Aut enim, si absolveretur, ut qui Deo præconi non crederet, nec de religione perperam sentiret, se justas pœnas de eo sumpturum, qui contumeliosa verba in unctum Domini effutiret: aut si condemnatus esset, quasi alium, *Manuelis constantia.* quàm Christiani Deum coleret; veritatem velle discere, & gratiam ei non parvam habiturum, qui sibi errorem extorsisset, & veritatem explicasset.

Paulò post Patriarcha in ejus conspectum venit, & quæ res postulabat, locutus, effecit, ut, iracundia placata, veniam habitæ orationis, & defendendi sui potestatem Thessalonicensi daret. Hac tamen castigatione eum oportere, ut virum sapientem, ab obscœnitate verborum sibi temperare, nec effutire temerè, quæ nihil ad rem pertinerent. Postea, cùm scriptum de eo dogmate publicè recitaretur, & ab omnibus, ut piè explicatum, laudaretur, se libenter subscripturos pollicentibus Concilium est dimissum.

At illi abibant læti, quod adversatione sua Imperatorem vicissent: is verò gaudebat, quod eos ad suam voluntatem flexisset, ac paucis verbis id esset assequutus, quod antea verboso scripto impetrare non potuisset. Postride Concilium prima luce, jussu Imperatoris, in ædibus Patriarchæ convenit, ut facerent, quemadmodum promiserant. Verum illi omnes, sententia mutata, subscriptionem recusabant, quod in illo scripto verba reprehendenda laterent; quibus erasis, alia reponenda essent, quæ cum vera sententia congruerent: rursus igitur commotus Imperator, eorum vecordiam, inconstantiam, & levitatem apertè insectatus est. Sed illi tandem ægrè assenserunt, ut anathema à Deo Mahometi, in ipsum Mahometum, & omnem ejus doctrinam, & sectam in Catecheticis libellis transferretur. Quo, post multos congressus, decreto, & confirmato, tandem quieverunt.

CONTROVERSIA.

Quæstio agitata in hoc Concilio difficillima non est, in qua mihi videtur præferenda mens ipsius Manuelis Imperatoris; quamvis alii dicant ex parum laudato principe malum evasisse Theologum: favet locus Exodi 22. *Diis non detrahes*, seu, ut alii vertunt, apud doctissimum Joannem de la Haje, Commentariis in Exodum: *Non vilipendes, non contemnes*; Ubi ita ille. Deus præcepit nec etiam falsis Gentium diis maledicendum, non quia ipsi cultum mereantur, sed propter nominis appellationem, id est, tantus honor est exhibendus Dei nomini, ut etiam in falsis numinibus reperto non adimenda sit reverentia: sic habet Joseph libro 2. contra Apionem: *Neque videre, nec blasphemare eos debeamus, qui apud alios putantur dii, apertè nobis ipse Legislator interdixit propter ipsam appellationem*; Idipsum indicat libro 4. Ant. cap. 8. Idem habet Philo de Monarchia: *Non permittit effrenæ linguæ petulantia convitiari diis creditis falsa persuasione, altarum Gentium, ne & illæ irritæ prorumpant in voces nefarias contra Deum maximum.* His similia habet lib. 3. de Vita Moysi. Eamdem explicationem sequitur Divus Cyrillus libro 12. in Joannem cap. 19. *Diis non maledices: Dei enim nomen, etiamsi falsò imponatur, honorandum tamen putavit.* Ex quibus præsuppositis facilè est argumentari, & concludere multo minus Deum, quem coluit Mahometus, esse maledictis proscindendum: ut qui sit Deus unus creator omnium. Et sanè, si impium esset, Deum, quem colunt Judæi, unum scilicet in essentia, abstrahentes à Trinitate personarum, verbis maledicis impetere: idem est censendum de Deo, quem colunt Mahumeti sectatores. Extat, inquit Nicetas, inter Catechicæ tabulæ Constantinopoli sanctiones, anathema in Mahometi Deum, quem nec genuisse, nec genitum esse, sed ὁλόσφυρον esse Pseudo Propheta affirmat. Refert Petrus Doultremannus in suo libro, cui titulus, *Amor increatus*, &c. lib. 3. cap. 1. sect. 1. & addit, quid sit illud ὁλόσφυρον, ipsi Græci ajunt se minimè intelligere. Certè apud auctores melioris ævi id vocabulum haud aliud significat, quàm solidum aliquid, nec conflatum: sed veluti malleo, qui σφυρᾶ dicitur, ductum. Unde forsan Mahumetani suspicati nos ex tribus personis distinctis inter se unum Deum constare, illud dogma rejicientes, ὁλόσφυρον substituere, quasi unum & natura, & hypostasi. Ex quibus colligere licet Ecclesiam Græcam errasse in pronuntiando illo anathemate contra Deum creatorem cœli, & terræ, qualem agnoscunt Mahumetani. Ipsos ferire satis fuisset non ipsum omnipotentem, infinitum, & æternum, optimum, maximum. Nam diversæ sententiæ, & opiniones de attributis divinis, seu essentialibus, seu personalibus, non faciunt, ut licitum sit aliter sentienti, etsi verè, minus reverenter habere Deum, de quo alter non idem existimat. Nam verbi causa, non liceret Latinis maledicere Spiritum Sanctum, quem Græci adorant, scilicet à solo Patre procedentem, nec Theologo maledicere Deum, de quo alter Theologus non idem sentit cum ipso, putans non esse in spatiis imaginariis, non decernere gloriam ex prævisis meritis, &c. Hæcque ratio videtur potissima. Nam prior ratio de Idolis non

non caret difficultate: Annotamus siquidem apud Philastrium libro de Hæresibus nonnulla, quæ interpretationem hanc difficilem, & ambiguam reddunt. Sunt quidam Hæretici, inquit, non intelligentes, quod dicit Scriptura: *Diis alienis non maledices*; & ita observant putantes de vanitate Paganorum dixisse, atque ita sentientes, non parvum salutis suæ sustinent detrimentum, cùm enim Moyses dicat; Templa eorum destruetis, Idola frangetis, & Abraham beatissimus frangens Idola justificatus est, & Gedeon nocte incendens Idola, & frangens, à Deo tantum virtutis obtinuit, ut cum paucis infinitos vinceret inimicos: omnesque justi, ut Elias, & alii itidem. Quomodo ergo hic æstimat homo imprudens de Idolorum dixisse vanitate, iisdem non esse maledicendum; cùm David dicat: *Similes illis fiant, qui adorant ea*? Hic itaque diis non esse maledicendum alienis, cùm dicit, est justus ab origine mundi colentibus pietatem veram, id est Angelis, & sanctis aliis veræ fidei dedicatis. Communior tamen opinio per deos, judices intelligit.

C O N C I L I U M
C Æ S A R I E N S E,

In Palæstina, tempore Victoris Papæ, sub Theophilo Episcopo, ob controversiam diei Paschatis, anno Christi 198.

POst Resurrectionem, vel Ascensionem Domini Salvatoris, Apostoli, quomodo Pascha deberent observare, nihil ordinare potuerunt, quia dispersi erant per universum mundum, & ad prædicandum occupati, sed quacumque die decima quarta luna mense Martio fuisset, Pascha celebrabant. Post transitum ergo ab hoc mundo omnium Apostolorum per singulas provincias diversa tenebant jejunia. Nam Galli, quocunque die octavo Calendarum Aprilium fuisset, quando Christi Resurrectio tradebatur, semper Pascha celebrabant, in Italia verò alii viginti dies jejunabant, alii septem. Orientales verò, sicut Apostolos viderunt, ut supradictum est, decima quarta luna, mense Martio Pascha tenebant. Cùm ergo hæ tales observationes per singulas provincias tenerentur, inde mœror erat sacerdotibus, eo quod à quibus una fides rectè tenebatur, eorum dissentirent jejunia. Tunc Papa Victor, Romanæque urbis Episcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæsariensis, Palæstinæque antistitem, ut quomodo Pascha recto jure à cunctis Catholicis celebraretur, Ecclesiis utilis fieret ordinatio, ubi Dominus Salvator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque authoritate prædictus Episcopus non solùm de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes Episcopos evocavit, ubi cum illa multitudo sacerdotum convenit.

Tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se missam Victoris Papæ, &, quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit. Tunc pariter omnes dixerunt Episcopi, nisi prius, quomodo mundus fuerit à principio, intelligamus, nihil potest de observantia Paschæ salubriter ordinari. Dixerunt ergo Episcopi, quem credimus factum fuisse in mundo primum, nisi dominicum diem? Theophilus Episcopus dixit: Probate, quod dicitis. Responderunt Episcopi: Secundum scripturæ authoritatem factum est vespere, & mane dies primus. Deinde secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus. In quo septimo requievit Deus ab omnibus operibus suis, quem diem Sabbatum appellavit: Ergo si eum novissimum diem signet sabbatum, quis potest esse primus, nisi dominicus dies?

Theophilus Episcopus dixit: Ecce de die dominico, quia primus sit, probastis, de tempore enim quid dicitis? quatuor enim mundi tempora accipiuntur: ver, æstas, autumnus, hyems. Quod ergo tempus primum tale in mundo? Episcopi responderunt: vernum. Theophilus Episcopus dixit: Probate, quod dicitis. Et illi responderunt: Scriptum est: Germinet terra fœni herbam secundum genus suum, & lignum fructiferum ferens fructum suum. Hæc autem temporibus veris accipitis. *Tempus Creationis mundi.*

Theophilus Episcopus dixit. In quo ideò caput mundi esse creditis? In principio temporis, an in medio tempore, aut in fine? Episcopi responderunt, in æquinoctio octavo Calendarum Aprilium. Theophilus Episcopus dixit: Probate, quod dicitis; & illi responderunt: Scriptum est, quia fecit Deus lucem, & vocavit Deus lucem diem, & fecit Deus tenebras, & vocavit tenebras noctem, & divisit inter lucem, & tenebras æquas partes.

Theophilus dixit: Ecce de die, vel tempore probastis, de luna quid vobis videtur? Utrum crescentem, ac jam plenam, aut imminutam à Deo fuisse consecratam? Episcopi responderunt plenam? & ille, Probate, quod dicitis. Responderunt; Et fecit duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli, ut luceant super terram: luminare majus in inchoationem diei; luminare minus in inchoationem noctis, non poterat aliter, nisi illa plena. Nunc ergo intelligimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, id est, die dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est octava Calendarum Aprilium, luna plena, per ipsum tantummodo tempus, & mentes resurgunt. Theophilus dixit: Nunc igitur agendum est de ordinatione, quomodo debeamus Pascha tenere. Episcopi dixerunt: Nunquid potest dies dominicus præteriri, ut in eo minimè Pascha celebretur; qui tot, & talibus benedictionibus sanctificatus est. Theophilus dixit: dicite ergo, quibus, & qualibus benedictionibus eum esse sanctificatum asseritis, ut scribere possimus: Episcopi dixerunt. Prima illa benedictio est, quia in ipso tenebræ sunt remotæ, & lux apparuit. Secunda est illa benedictio, quod de terra Ægypti, velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare rubrum populus fuisset liberatus. Tertia illa benedictio est, quia in eodem die cœlestis cibus manna hominibus datus est. Quarta illa benedictio est, qua Moyses mandat ad populum, sit vobis observatus dies primus, & novissimus. Quinta illa benedictio est, ut in Psalmo centesimo decimo septimo dicit: *Circumdederunt me, sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis*. De resurrectione autem Domini dicit: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. Sexta illa benedictio est, quod in ipsa Dominus resurrexerit. Vides ergo, quod dies dominicus singulariter in Pascha teneri possit, &c. *for. creatā.* *Excellētiæ Dominicæ diei.*

Habes in hoc fragmento, quod verè aureum vocat Severinus Binius, etsi illud omiserit, præcipua momenta magnæ Controversiæ, quæ tunc temporis agitabatur in Ecclesia. Vide, quæ dicta sunt Classe quarta.

S Y N O D U S
A R A B I C A,

Contra Beryllum Bostrenæ Episcopum, anno Domini 293.

DE hac Synodo hæc leguntur apud Ruffinum Eccles. histor. lib. 6. cap. 24.

Beryllus Bostrenæ urbis Arabiæ Episcopus, Ecclesiasticam docendi regulam violare conatus, peregrina quædam, & aliena à veritate docere cœpit, asserens Do-

Dominum, & Salvatorem nostrum neque extitisse ante carnis nativitatem, neque propriam deitatis habere substantiam: sed hoc solum, quod paterna in eo deitas habitaret. Pro quo quamplurimi Episcopi congregati, disceptationes cum eo non minimas habuere. Sed inter cæteros Origenes magnopere exhortatus est venire in conspectum viri. Isque primo sensim cum eo disputans, quid sentiret, diligentius perscrutatur. Quo comperto, continuò quid absurdi inesset hujusmodi sensibus, & quid impietatis talia asserentem consequeretur, ostendens, abjicere, ac respuere malle, conceptum suasit errorem, & redire ad fidem veram, sanamque doctrinam. Quodque pene in causis talibus inauditum est, ita errorem ab Ecclesia depulit, ut emendaret, & non perderet erroris authorem. A

Origenes tria hic agit.

Vel ex hoc discere possumus quanta scientia, quantusque vigor Origenis, cui à Deo datum fuit, ut subnascentes hæreses initio suffocaret, ut non ultra serperent. Quotus enim quisque est, qui hoc assequutus sit: etsi enim non defuerint in Ecclesia, qui doctè hæreses confutarent: at pauci fuerunt, qui hæreticos sic converterent. Vide de eodem Origene supra. B

CONCILIUM GOENSE,

In India, Provinciale tertium, sub Alexio Menezio Archiepiscopo Goensi, & Orientis Primate, circa annum 1584. C

IN Historia progressus Ecclesiæ Orientalis, per RR. Patres Heremitas Divi Augustini à sancto Martino Divi Augustini religioso conscripta, & Tolosæ typis evulgata anno 1641. fit mentio quatuor Conciliorum in urbe Goa celebratorum. Ac de duobus primis nihil ibi reperitur: sed aliqua referuntur de tertio, & quarto, quæ visum est inter Asiatica Concilia referre.

Quod spectat igitur ad tertium Concilium Goense, legimus ibidem Summum Pontificem Gregorium Decimumtertium anno septimo sui Pontificatus Breve Apostolicum misisse sub data diei 28. Novembris anno 1578. directum ad Archiepiscopum . . . . Mar-Abrahamum, quo illi præcipiebat, ut doctrinam Catholicam in sua Diœcesi annuntiari pateretur (erat enim hic Mar-Abrahamus natione Chaldæus, & Religione Nestorianus missus à Mar-Simeone Patriarcha, ut se indigitabat, Babylonico, Nestorianorum supremo Pontifice, quippe nullam Religionem à Nestorii dogmatibus dissentientem tolerabat) necnon etiam præsens adesset Conciliis Provincialibus, quæ Goæ celebrarentur, ac omnia decreta in iis ad reformationem Ecclesiæ suæ sancita servaret ipse, ac servari à cæteris procuraret: atque ut metu incarcerationis non terreretur, quominus his interesset Conciliis, cum eodem Brevi salvum conductum Apostolicum ad eum misit, quo quibuscumque personis severè prohibebatur, ne illi quicquam nocerent, sive in eundo ad Concilia, seu in redeundo. D E

Convocatus igitur Mar-Abrahamus ad tertium Goense Concilium per litteras Archiepiscop. Goensis, qui etiam illi significaverat præfatum Breve Apostolicum cum alio salvo conductu Proregis Goensis jurejurando confirmato, satis intelligens, quod, nisi interesset, pro Schismatico haberetur, eoque nomine Portugalensibus omnibus exosus fieret, à quibus, adjuvantibus confœderatis Regibus, facilè teneretur, Goam profectus est, Concilioque interfuit, ubi errores suos abjuravit, ac fidem Catholicam professus est. Promisit etiam omnia decreta, quæ pro suæ Ecclesiæ reformatione statuerentur se servaturum, nec non omnes libros hæreticos, qui per suam Diœcesim invenirentur, traditurum, ut hi comburerentur, aut ab hæresibus, quibus scatebant, expurgarentur. Insuper etiam cùm declarasset se in conferendo Presbyteratus sacro ordine vinum in calice non posuisse, cùm traderetur cum hostia tangendus ab ordinandis, injunctum illi fuit, ut de novo ordinem administraret iis, quibus eo modo collatus fuerat.

Hæc omnia tamen dimisso Concilio non servat, excepto articulo de iterum conferendo ordine Presbyteratus, rescribens ad Patriarcham Babylonicum, verba mendacii plena, scilicet vim sibi allatam à Portugalensibus, seque schedulam suæ fidei Concilio exhibuisse, quæ non modò à Patribus probata fuerat, sed maximis encomiis celebrata. Unde cùm in hæresi perseveraret, vocatusque ad quartum Goense Concilium celebratum anno 1590. non obedivisset, Clemens Octavus aliud Breve Apostolicum direxit ad præfatum Archiepiscopum Goensem, quo illi injungit, ut de vita dicti Mar-Abrahami, quem ibi vocat Archiepiscopum Agamalensem in regno Cochini, &c. inquirat, ut si reperiantur veri, qui de eo feruntur, rumores, ipsum Goam advocet, ac sub certa custodia retineat, &c. jubetque ibidem, ut illo ab Archiepiscopatu absente, nullus in ejus locum admittatur, præter illum, qui fuerit à sancta Sede electus, conformiter, inquit, ad decreta Goensis Concilii ab ipso Mar-Abrahamo recepti pro sua Ecclesia, & Diœcesi, &c. hoc autem Breve est sub data 27. Januarii anno 1595.

Discimus etiam ex actis Concilii Diamperensis in eodem Concilio Goensi tertio matrimonium prohibitum fuisse omnibus Cassanareis, qui Sacerdotes sunt inter Christianos D. Thomæ, ne matrimonium contraherent.

CONCILIUM DIAMPERENSE,

In India Orientali, pro reformanda Ecclesia S. Thomæ, celebratum per Alexium Menezeum Archiepiscopum Goensem, anno 1599.

CElebratum reperitur hoc anno, mensseque Junii in civitate Diamper Indiæ Orientalis prope urbem sancti Thomæ, ab Alexio Menezeo Archiepiscopo Goensi ordinis sancti Augustini Concilium de reformatione Ecclesiæ sancti Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur. Ubi Gregorius eorumdem Nestorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylonis Nestoriano adhærebat, & quam plurimi alii Presbyteri, atque delegati fidem Catholicam sunt professi, quos universus populus sequutus est, cunctis libris eam doctrinam, aliasque damnatas continentibus, aut correctis, aut in ignem conjectis. Hæc Spondanus ad annum 1599. sed multo plura de hoc Concilio invenimus, apud san-Martinum in historia Gallicè edita progressus Ecclesiæ Orientalis per patres Heremitas Augustinianos cap. 18. & 19. ex quo nonnulla hìc damus.

Archiepiscopus Alexius Menezeus, auctoritate Clementis octavi tunc in Cathedra Rom. sedentis hanc Synodum se celebrare exposuit, accepta ab eo potestate super Ecclesiam Divi Thomæ post obitum Mar-Abrahami ultimi ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi. Antequam autem quicquam inciperet, vocavit ad privatum colloquium Cassanareos, seu Presbyteros, qui majori prudentia inter cæteros pollere existimabantur, ante quos distinctè legit omnes articulos reformationis, quæ in Synodo concludenda erat, ut cum eosdem approbassent, solutis difficultatibus, cæteris haud grave foret iisdem articulis consensum præbere.

Prima die Synodi, quæ erat 20. Maji omnibus Pres-

Presbyteris, qui convenerant celebrationem Missæ indixit, ac deputatis urbium, & communitatum S. Eucharistiæ perceptionem, tùm ipse Missam in Pontificalibus celebravit *ad tollendum schisma*, concionemque haberi lingua Malabarica præcepit, omnibus ceremoniis, ac solemnitatibus in synodis adhiberi solitis, juxta præcepta Pontificalis Rom. quibus peractis prolixam habuit orationem de obedientia Pontif. Rom. debita, & de scopo, ac fine synodi, ut scil. repurgaretur Ecclesia D. Thomæ ab erroribus Nestorianismi, in fide quoque, ac moribus reformaretur, quæsivitque ab omnibus, an non talem synodum probarent, qui se maximè probare responderunt. Tunc prohibuit, ut si cui aliquod dubium suboriretur, ne illud secretò cum aliis tractaret, sed in publico proponeret, ut illi distinctè satisfieri posset.

Secunda die Archiepiscopus celebrata Missa juxta ritum Pontificalis Romani, omnibus injunxit tàm Presbyteris, quàm deputatis, ut professionem fidei ederent juxta formam à Pio quarto præscriptam, cui addenda esset abjuratio Nestorianismi, & aliorum errorum, quibus regio infecta erat. Ipsamque primus emisit deposita mithra, positis ob oculos Euangeliis, ac cruce argentea, in qua veræ crucis fragmentum insertum erat, præstitoque Juramento; cùm ad conventum sermonem habere inciperet de articulis in ea contentis, quidam ex Presbyteris murmuraverunt ad invicem dicentes, se non intelligere talem agendi modum, quasi non essent Christiani, aut aliquid deesset professioni Fidei ab ipsis in baptismo præstitæ; quibus dixit Archiepiscopus: Quemlibet Christianum de fide sua requisitum, aut cùm ejus fides in dubium revocatur, teneri ejus professionem publicè edere. Præterea cùm ipsi hactenus Ecclesiæ Romanæ non paruissent, illis incumbere, ut publicè testarentur in posterum se illi obedientes fore. Se quidem Christianum esse, & Patrem Christianorum Orientis, nihil tamen se baptismo suo derogasse per emissam à se in eorum oculis professionem Fidei. Quin potius hanc novam fidei protestationem pro vita, & morte ad meriti augmentum non mediocriter conferre. An Chirographum debiti deletur, si novum conficiatur in favorem, & securitatem creditoris? an nodus dissolvitur, cùm duplicatur? his flexi acquieverunt, omnesque professionem Fidei ediderunt lingua Malabarica. Cui etiam flexis genibus omnes seorsum sequentem professionis Fidei velut appendicem adjunxerunt.

[fessio fi- necessa-]

Credo, & confiteor omne, quod credit, & confitetur Mater nostra sancta Romana Ecclesia, & quicquid continetur in hac Fidei professione, quæ modo lecta est, & quam distinctè audivi, & intellexi. Anathema dico impio Nestorio, omnibusque ejus sectatoribus, ac eorum hæresibus. Admitto primum Concilium Ephesinum, cui ducenti Patres interfuerunt, & in quo præfuit Summi Pontificis Romani nomine D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quem sanctum, ac beatum esse in Regno cœlesti confiteor. Confiteor quoque Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum esse, & hominem, duas naturas in se habentem divinam, & humanam in uno supposito, & sacratissimam Mariam Dominam nostram debere appellari, esseque reipsa, ac verè Matrem Dei. Profiteor sanctam Ecclesiam Romanam Magistram, ac caput Ecclesiarum totius universi. Juroque obedientiam Sanctissimo Patri Papæ, Episcopo Romano, Divi Petri successori, & Vicario in terris JESU CHRISTI, *absque ulla subjectione ad Patriarcham Babilonis, cum quo me nunquam communicaturum juro, polliceorq; me nullum in hac Diœcesi Episcopum admissurum præter illum, qui à summo Pontifice Romano mittetur. Confiteor etiam unicam dumtaxat esse legem Domini nostri Jesu Christi, quam sancti Apostoli professi sunt, erroremque esse asserere quamdam esse legem Divi Petri, & aliam D. Thomæ. Quod ego confiteor, promitto, & juro super hanc crucem Domini nostri Jesu Christi, & super hæc Euangelia.*

Hanc professionem fidei emiserunt sacerdotes numero 153. & deputati 671.

Tertia die synodi cùm de rebus fidei agi deberet, supplicarunt Cassanarei, ut differretur iste tractatus ad diem Festum sancti Joannis Baptistæ, in quo Portugalenses à conventu abesse necesse erat, metuentes, ne eorum superstitiones, ridiculique errores in fide coram iis aperirentur. Quam supplicationem admisit lubens Archiepiscopus, ex hac occasione illa D. Pauli ad Roman. verba usurpans, *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Actum ergo est illa die de baptismo, & confirmatione, in quibus plerique ex illis Presbyteris tàm prodigiosè, & multipliciter erraverant, ut vix describi posset. Multi quidem eorum, loco aquæ oleum quoddam adhibebant pro materia, forma baptismi omni prætermissa. Confirmationem autem vix agnoscebant. Quare de his sacramentis eos instruxit Archiepiscopus, multis rebaptizari jussis, etiam oppidis integris, quorum incolæ absque baptismo ad sacram Eucharistiam accedebant.

[Corruptus status Ecclesiæ D. Thomæ.]

Quarta die abusus, qui circa Missam, Eucharistiã, & Pœnitentiam irrepserant, notati sunt; communicabant enim non præmissa confessione, & pro pœnitentia singulis Dominicis thus incendebant, ad quod pœnitentes de peccatis accedentes, ejus suffitu pectus nudum allambente, peccata sua expiata credebant.

Quinta die Synodi incidente in Festum Divi Joannis Baptistæ, de fide actum est, janulis clausis, ne ullus Portugalensium adesset. Tamque perspicuè ex scriptura, & consentiente Patrum doctrina demonstravit Nestorium hæreticum fuisse impium, ac blasphemum, ut tunc agnoverint certò se deceptos fuisse à Babylonis Patriarchis, conclusumque de libris, qui omnino cremari deberent, & qui expurgari.

Sexta die actum de Ordine, & Matrimonio, Simonia damnata est, & in posterum assignatus Cassanareis certus redditus, ab iisque separatæ sunt mulieres, iisque injunctum, ne in posterum nomen Presbyterissarum *Cassaniræ* assumerent, earumque insignia, Crucem scilicet auream, aut alterius metalli collo appensam, quâ à cæteris mulieribus regionis internoscebantur, tanquam illustriores essent, quibus in plateis, & consessibus cæteræ cedebant.

Septima die reformata sunt ea, quæ ad Ecclesiam, seu templa spectabant, & ad dies Festos, & jejuniorum. Ac primo Archiepiscopatus in Parochias divisus est, quibus assignati sunt Pastores cum titulo, & cura animarum, cùm antea antiquior Presbyterorum in unaquaque Ecclesia præsideret, ad solum Archiepiscopum cura animarum spectante, qui de iis parum sollicitus erat. Constituti sunt etiam in Parochiis œconomi. Porro solebant cum excessu quodam jejunare, à die scilicet Quinquag. ad Pascha cum una refectione post solis occasum, abstinentes à carnibus, ovis, lacte, piscibus, & vino, interim tribus vicibus per singulos dies Ecclesiam adibant ibi Deum prostrata ad terram facie exorantes. Quam severitatem etiam toto tempore Adventus observabant: ita tamen, ut si uno die tali jejunio defuissent, per reliquos dies etiam liberè deessent, quod se novum peccatum non admissuros crederent. Celeberrimum autem eorum jejunium *Monolibo*, dicebatur, aut jejunium Jonæ, quod octodecim dies ante Quadragesimam observabant per tres dies continuos in memoriam jejunii Jonæ Prophetæ Salvatoris nostri figuræ, in ventre ceti per tres dies servati, accedebantque per eos dies ad Ecclesiam manum Sacerdotis osculaturi. Insuper dies Festos à vespera ad vesperam celebrabant, ita ut die Dominica horis serotinis laboribus manuum vacarent. Quid verò circa hæc jejunia reformatum est, historia citata non indicat.

Reformatio in moribus. Octava die actum de reformatione morum, & pravarum consuetudinum, inter quas hæ duæ maxime juri naturali, rationi, & fidei repugnabant. Una, quod filiæ innuptæ nihil ex hæreditate paterna percipiebant, sed bona patris omnia ad consanguineos collaterales transibant: unde accidebat, ut sæpè miseræ puellæ, præ inopia, & paupertate, quantumcumque patrem divitem habuissent, prostituerent se: altera est, quod nobiles apud eos contaminatos se existiment, *Empoleado* dicunt, si ab aliquo non nobili, ut sunt apud eos omnes mechanici, tangerentur, itaut amplius non possint cum aliis nobilibus conversari, nisi prius se abluerint in aqua fluminis, vel in sanguine ejus, à quo contacti fuerint. Qua perversa consuetudine impeditur agricolarum, artificumque omnium conversio, quos nolunt alii ad fidem admittere, ne forsan eorum contactu contaminentur. Hæc consuetudo à multis in Synodo agitata est, nec tamen obtineri potuit, ut abrogaretur, ne commercia cum quibusdam exteris cessarent, apud quos eadem videtur morum corruptela.

Cæterum cùm Archiepiscopus pro viribus omnia tentasset, quæcumque Ecclesiæ profutura judicabat. Decreta ab omnibus subscripta sunt, cantatoque hymno, *Te Deum laudamus*, ac processione solemni peracta, non sine specie cujusdam miraculi, dum ad egressum crucis ex Ecclesia nimbus vehemens, ac procellosus subito compressus est, benedictionem omnibus impertivit, ac finis Synodo impositus est.

CONCILIUM MESOPOTAMEUM,

Ab Elia Patriarcha Babilonis, anno 1616.

HOc Concilium (Asiaticis subjungendum) in urbe Amed Mesopotamiæ celebratum refert Spondanus in prolusione Sæculi XVII. occasione professionis fidei à Paulo V. Pontifice acceptæ. Vocati ad hanc Synodum omnes hujus Provinciæ antistites, qui diligenter examinatam fidei hanc professionem amplexi sunt, ac Synodi acta ad Pontificem miserunt pro eorum confirmatione, vel si necesse esset corrigere. Sicuti & contigit nonnulla in iis contineri, quæ ampliorem dilucidationem requirerent, de quibus eos monuit Pontifex anno sequenti.

AFRICANA QUÆDAM.

CONCILIUM CARTHAGINENSE,

Contra Fidum sub sancto Cypriano pro baptizandis pueris, circa Annum Christi 254. tempore Cornelii Papæ.

TRia Concilia, inquit Genebrardus Chron. l. 3. celebrantur Carthagin. Cypr. ad Jubajanum. Celeberrimum fuit contra negantes infantes baptizandos ante 8. diem. Cyprianus l. 3. Epist. 8. Augustinus Epistola 48.

Satis mirum oculos subterfugisse collectorum priorum istud Concilium, de quo tàm expresè loquitur D. Cyprianus Epistola LIX. secundum editionem Pamelii, qui illum Fidum Episcopum agnoscit, qui negabat pueros ante octavum diem debere baptizari, afferens exemplum circumcisionis apud Judæos, & quod in primis diebus infans nondum esset mundus, quem unusquisque nostrum, ajebat ille, horreat exosculari. Quapropter ejus opinio damnata est in illo Concilio 66. Episcoporum sententia. Longè aliud, ait Cyprianus in illa Epistola, in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio suo dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare*: quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in utero Dei manibus formatus est? *Luc. 9.* inesse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem declarat nobis divinæ scripturæ fides. Helisæus super infantem, & cæt. Nam Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad gratiæ cœlestis consecutionem exhibeat Patrem.... Nam & si adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari: quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recetes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens nato quodam modo exosculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur. Nam, quod in carnali circumcisione octavus dies observabatur; Sacramentum est in umbra, atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies post sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, & spiritalem circumcisionem nobis daret, hic dies octavus, idest, post sabbatum primus, & dominicus præcessit in imagine, quæ imago cessavit superveniente postmodum veritate, & data nobis spirituali circumcisione. *4. Reg.* *Pueri baptizandi.*

Nota ex Pamelio hic locum esse insignem contra Anabaptistas, cujus etiam meminit l. *de lapsis*. Sed & inde manifestum est decreta Patrum, ac Conciliorum de duobus temporibus baptizandi, tempore nempè Paschatis, & Pentecostes, non esse nisi de solemniori baptismo adultorum, modo extra illa tempora de vita non periclitarentur: nam infantes quamprimum baptizare consuetudo fuit in Ecclesia antiquis temporibus ex Apostolica traditione. Vide Crespetium in *summa*, verbo *Baptismus*.

Fragmenta quorumdam Conciliorum Africanorum, incerti temporis.

HÆc desumpsimus ex Canonibus Ferrandi Diaconi Carthaginensis, qui ex Conciliis adhuc suo tempore extantibus Flosculos decerpens, fragmenta quorumdam Conciliorum nobis suppeditavit, quæ non nisi apud ipsum reperiuntur, cujus rei locuples testimonium nobis exhibet Cresconius in Præfatione sua ad Liberum Pontificem: *Indoctorum verò*, inquit de eo loquens, *quorum est maxima multitudo, in eodem opere studium probatur, dum eos ad inquisitionem earum rerum præmisit, quæ nec ab omnibus reperiuntur*. Sed & ipsa lectio canonum rem satis evidenter demonstrat, dum Concilia quædam indicantur tanquam eorum fontes, quorum nomina vix paucis nota sunt. Collectio hæc Ferrandi breviatio Canonum appellatur, quam Augustoriti Pictonum ante aliquot annos edi curavit cum notis, & animadversionibus Flavius Hautserus Jurisconsultus.

44. UT liceat unicuique Episcopo preces constituere, quando de judiciis publicis contra hæreticos aliquid est petendum. *Ex Marinensi*

Hoc est, etsi Ecclesia nesciat sanguinem, tamen Episcopus potest apud Judices agere, ut hæretici supplicio afficiantur, quod in republica nihil illis sit perniciosius.

1. *Canon Tusduritani.*

127. Ut Clerici sine formata, & conscientia Episcopi per alienas plebes non vagentur.

220. Ut una non sit in Sacramentis per omnes Bizacium disciplina.

3. UT qui post baptismum seculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur. *Ex Zul*

4. Ut

4. Ut Episcopus à tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani, vel Primatis.

6. Ut unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana.

16. Ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abstineant.

65. Ut Episcopi, qui in aliqua causa judices dantur, ipsi locum audientiæ deligant.

68. Ut Episcopus, qui secunda, vel tertia authoritate conventus fuerit, & venire contempserit, ab Episcoporum consortio suspendatur.

130. Ut mulierem Clericus non ducat uxorem: & ut is, qui laicus viduam duxerit uxorem, non admittatur ad Clerum.

131. Ut non liceat, præter Canonicos psaltas, qui pulpitum ascendunt, & de codice legunt, aliud quodlibet in Ecclesia psallere.

138. Ut abjectum Clericum alia Ecclesia non admittat.

174. Ut venientes à Novatianis, vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur.

Nota. *Montenses sunt Donatistæ, ita dicti à quadam spelunca, in qua primum suum Conventum habuerunt.*

218. Ut Conciliorum statuta priscorum ab omnibus observentur.

Suffe-
tsi.

2. UT quicumque laicus ad Episcopatum eligitur, prius annum in ministerio Ecclesiastico per omnes gradus transeat.

usdu-
o.

76. UT exceptis senibus, qui loco moveri non possunt, & infirmis Episcopis, qui admonitus ad Concilium non occurrerit, communione privetur.

77. Ut Episcopus, qui, suscepta legatione, universali Concilio interesse præsumpserit, ab eis Coepiscopis, qui legationem suscipiunt, ad ipsum Concilium non admittatur.

Prohibetur, ne Episcopi intersint Conciliis, tanquam legati Principum sæcularium, id tamen non semper observatum est.

heni-

61. UT si à judicibus, quos primas dederit, appellaverit (*Episc.*) alii judices amplioris numeri decernantur. Ut etsi ab ipsis appellavit, ad sententiam Concilii deferatur.

1. Canon. Tusduritani.

194. Ut qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat. Concil. Carth. sub S. Genetlio Tit. 6. hoc & in Concilio Thenitano statutum est.

Hypo-
i.

35. UT Episcopi, quidquid nomine suo comparaverint, cogantur Ecclesiæ refundere, quicquid autem iis donatur, conferant, cui voluerint. Tit. 8.

38. Ut Episcopus matricis non usurpet, quicquid donatum fuerit Ecclesiis, quę in Diœcesi constitutæ sunt. Tit. 9.

49. Ut Episcopi rem Ecclesiæ sine Primatis consilio non vendant. Tit. 7.

54. Ut si quis Episcopus à Synodo fuerit excommunicatus, communicare non audeat. Et si fecerit, spem restitutionis non habeat. Tit. 3.

198. Ut accusator, si in loco, ubi est ille, qui accusatur, violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat. Tit. 5.

Ma-
ensi.

23. UT interventores Episcopi conveniant plebes, quæ Episcopum non habent, ut Episcopum accipiant: quod si accipere neglexerint, remoto interventore sic remaneant, quamdiu sibi Episcopum quærant.

1. Canon Septimunicensis.

11. UT ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium.

Ex Septimunicensi.

56. Ut Episcopi, qui in causa judices dantur, definito temporis die cognoscant.

1. Canon Tusduritani.

139. Ut non liceat Clericum à populo excommunicari, sive præsente, sive absente Episcopo.

212. Ut die quintæ feriæ septimanæ sanctę Paschæ secundo offeratur.

215. Ut ante Pentecostem nemo audeat jejunare.

SYNODUS MENTPHITICA.

Seu Cairensis, Anno 1582. Pro restituenda religione.

AUctoritate Gregorii XIII. habitam hanc Synodum testatur ex Possevino in Apparatu tom. 2. Spondanus ad annum 1582. n. 23. quæ tres habuit sessiones, in quibus actum est, de ablegandis antiquis Nestorii, & Dioscori hæresibus, jungendisque Cophtorum iis infectorum animis cum Ecclesia Romana. Præsentibus cum Patriarcha Alexandrino Cophtorum, & Episcopis, atque Abbatibus, nonnullis Patribus Societatis JESU ad hoc à Pontifice illuc missis. Quorum labore, ac disputationibus cùm factum fuisset, divina aspirante gratia, ut, circumcisionis lege abrogata, de duabus quoque Christi naturis omnes in unam sententiam consensissent, peracta re Kalendis Februarii anni proximè consequentis; nihilominus, quod ore professi fuerant, chirographo confirmare recusarunt, tùm ob supervenientem Patriarchæ mortem; tùm ejus Vicario id procurante homine pessimo, spe sic consequendi Patriarchatum. Quandò & Patres Societatis in tetrum carcerem à Turcis conjecti fuere, quasi plagam hanc vel Summo Pontifici, vel Regi Catholico subdere vellent. Adeò ut, quamvis hæc calumnia paulò post diluta sit, fuerunt tamen pro eorum liberatione quinque aureorum millia persolvenda, quæ Cophtis, & mercatoribus restituit Gregorius.

AMERICANA.

QUos Antipodas non noverat D. Augustinus; noverunt nostra tempora, cùm America, novus orbis, sic fidem, & Religionem Christi Hispanorum zelo amplexa est, ut in ea nova fundaretur Hierarchia Ecclesiastica cum Archiepiscopis, Episcopis, & Curatis in tanta multitudine, prout regionum illarum amplitudo requirebat, ut ex ipsis Concilia cogerentur, non absimilia aliis regionum Christianarum, aliarum orbis partium. Unde solatium matri Ecclesię adversus hæresum, & Turcismi clades, & imperium illius dilatatum: recompensatur enim tantum damnum accessione Indiarum tùm Orientalium, tùm Occidentalium. Et ut res ista magna est, longè ante prædictam fuisse per Abdiam prophetam, plures autumant per hæc verba vers. 20. *& transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri.* In Hebræo enim pro Bosphoro est vox *Sepharad;* qua denotari Hispaniam Paraphrastes Caldęus asserit, & plures alii. Sunt autem oppida Americæ Australia Hispanis, ac Bosphoro, seu freto Gaditano, unde Castellani Occiduum petunt orbem. Qua de re plura suggerunt tùm Cornelius à Lapide in cap. unicum Abdiæ, tùm etiam Sherlogus in cantica ad c. 7. vestigatione 35.

CONCILIUM LIMENSE.

Celebratum Anno Dom. 1583. Præsidente in eo D.Torivio Alphonso Mogrovejo Archiepiscopo, tempore Gregorii XIII. & Philippi II. Regis Hispaniarum, & Indiarum.

Concilium hoc extat Madriti editum anno 1614. ex quo, quæ sequuntur, selegimus. Dicitur autem Limense à loco, in quo celebratum est, qui est urbs Lima, aliàs, Regium, seu civitas regum Peruani regni in America Metropolis. Ut enim magna dispendia tulerit Ecclesia in Europæis regionibus, potissimùm ab hæreticis: at quæ dolorem leniri plenissimè valeant, cumulatissimis locupletata est fructibus: quàm enim facta est magna domus hæc Dei, & porta Cœli, quam amplificavit Americæ conversio, ac tot regnorum læta reconciliatio, ut stilla penè sit inundationi comparata, quod decidit consideratione ejus, quod recuperatum est, ut notat Sherlogus in Cantica vestigatione 35. num. 58.

Actio prima.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sancta Synodus in urbis Regiæ Provinciæ Peruanæ Cathedrali Ecclesia beati Joannis Apostoli, & Euangelistæ.... etiam cupiente Catholico, atque invictissimo Rege nostro Philippo II. Hispaniarum, & novi orbis Domino, ad fidei exaltationem, & novę Indorum Ecclesiæ utilitatem, &c. legitimè congregata, præsidente in ea Illustr. Torivio Arch. & præstante, excellenteque admodum viro D.Martino Hěriquez Peruani hujus regni prorege, locum securum, ac tutum reddente ipsi Concilio, ac simul convenientibus, &c. Die 15. Augusti, gloriosissimæ Virginis Deiparæ Assumptioni sacrata, ann. 1582. in primis Concil. Provinciale legitimè inchoare, atque legitimè inchoatum esse Patrum uno consensu declaravit, &c.

Actio secunda.

............intra duorum mensium spatium debeant omnes, sive Hispanorum, sive Indorum curati, atque alii quicumque Ecclesiastici judices, tàm decreta Concilii superioris, quæ ad ipsos quoquomodo pertinebunt, quàm omnia hujus statuta describere, ac penes se habere, si quis id facere neglexerit, pœna centum aureorum, & majoris excommunciationis feriatur. *Cap. 2.*

PRæcipit strictè sancta Synodus, ut nullus adultus ad Sacramentum Baptismi admittatur, qui non prius saltem Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemque in Sacramentis Pœnitentiæ, & Confirmationis conferendis servetur, excepto vel necessitatis articulo, vel nimiæ senectutis, aut ægritudinis, sive etiam profundæ alicujus hebetudinis impedimento, quod Parochorum, seu Confessariorum judicio, & scientiæ relinquatur. Qui verò iis tantis impedimentis gravati fuerint, ut copiosiorem catechesim non admittant, doceantur demum pro suo modo præcipua fidei capita..... intelligant igitur Dei Sacerdotes, nisi in fide, ut oportet, instructos baptizent, vel à peccatis absolvant, se, & grandi sacrilegio commaculare, & animarum reos apud districtum Dei judicium reddere. *Cap. 4.*

SCiant quoque patres familias se Deo reddituros rationem de filiis, servis, ac tota familia reliqua. Itaque satagant, ut benè, modestèque vivant........ doctrinam Christianam teneant,........ne, quod sæpe accidit, & divina oracula minantur, propter corruptos mores liberorum in ipsos parentes divinitus vindicetur. *Cap. 5.*

.... ita quisquis instruendus est, ut intelligat, Hispanus Hispanicè, Indus Indicè, alioquin quantumvis benedicat, mens illius juxta Apostoli sententiam sine fructu est. Quocirca nullus Indorum de cætero compellatur orationes, sive catechesim Latinè discere, cùm sufficiat, multoque meliùs sit suo idiomate pronuntiare. *Cap. 6.*

CUm....... sæpè temeritate multorum irreparabilia bello damna dentur....... nemo ex Clericis..... ad bellum contra Indos, aut alias quascunque expeditiones, ut ministeriis spiritualibus milites juvet, proficiscatur, nisi de expressa licentia sui Episcopi. Qui secus fecerit, excommunicationi latæ sententiæ ipso facto subjaceat, &c. *Cap. 7.*

COnjugia inter fratres, cum ad Baptismi gratiam pervenerint, rata non habeantur; sed quicumque ita conjuncti fuerint, separentur.

DE iis, qui jam matrimonio juncti convertuntur ad fidem, conjuge adhuc infideli permanente, in superiori Concilio provisè consultum est, ut si infidelis quidem spem suæ conversionis maturam ostendat, Christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris Canonibus definitum, sed conjugis lucrum in Christo expectet. Si verò differat conversionem suam, neque tamen jam baptizato conjugi perniciosus existat, eum à fide evertendo (si enim id fit, sacri Canones eos necessariò separandos volunt, & Christiano novi conjugii ineundi potestatem tribuunt) tunc & adhuc expectandum esse per semestre tempus, & assiduè de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tùm periculum recens conversi cavendum est, ne si diu permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult servare homini: tùm verò libertati illius consulendum est, ne celebs vivere cogatur, qui forsitan uritur: idcircò decernimus, ut translacto sex mensium spatio res ad Episcopum deferatur, qui, benè perspecta causa, fideli declaret copiam esse aliud matrimonium ineundi propter fidei, aut charitatis scandalum, quod patitur. Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, jubeat expectare infidelem fidelem: vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligat, juxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem lex præfigi, cùm occurrant profectò variæ circumstantiæ, neque sit omnium infidelium eadem ratio. Quare Episcopi prudentia in re dubia, ne graviter erretur, consulenda erit, & juxta cap. *quanto* de divortiis, cùm casus acciderit, decernendum. *Cap. 10.*

Matri- nium c infideli

De div c. quant

OMnibus Christianis assueta nomina in Baptismo apponantur. Cognomina verò, ut invicem discernantur, masculi quidem paterna, fœmellæ materna retineant. *Cap. 11.*

ORdinarii diligenter examinent eos, qui confessionibus audiendis sunt exponendi..... oportebit in examine justam servare mensuram, ut benè doctis, & litteratis generalem approbationem tribuant, minus verò peritis eam limitationem personarum, vel statuum adhibeant, quem sufficientiæ illorum congruere judicabunt: quod in hac facultate confessariorum amplianda, vel restringenda debeat haberi ratio, nedum sufficientiæ, sed etiam loci, cæterarumque circumstantiarum, &c. *Cap. 14.*

Appro tio Con fariorn

Extraordinarios Confessarios aliquandò Indis tribuendos.

...Ut

.......Ut qui Parochos suos præ timore, aut pudore, aut fortassis odio aliquo graviora sæpè crimina celant, apud hos veluti subsidiarios Euangelii ministros, securè, ac spontè conscientias suas exonerent. *Cap.* 15.

NOn pauci Sacerdotes ex imperitia sermonis Indici, interdum etiam ex negligentia, & tædio ..... unum, aut alterum peccatum intellexisse contenti, beneficium absolutionis impendunt. Cum ergo Sacramentalis confessio peccatorum integra esse debeat, neque possit, nisi necessitatis articulo urgente, ejusmodi absolutio esse legitima, oportet omnino pœnitentiæ ministros cautos esse, atque sollicitos, ne sacrilegium admittant in ejusmodi confessionibus detruncatis. Itaque vel pœnitentes ad peritiores remittant, si non sufficienter intelligant, vel ipsi discant, quod nesciunt, neque enim rectus judex est, qui judicat, quod ignorat. *Cap.* 16.

PRæsentis auctoritate Synodi, Parochis, & approbatis confessariis Indorum casus Episcopis reservati conceduntur, ut ab omnibus, & censuris annexis possint absolvere Indos, cum id expedire in Christo judicaverint; ne Indi propter imbecillitatem suam, & spiritualis sensus inopiam, dum ad superiores pro reservatorum casuum absolutione recurrere cessant, quod crebro fit, conscientiis suis illud experiantur noxium, quod pro earum salute ab Ecclesia provisum est. *Cap.* 17.

...sus re-... vati nō ... pro ...s.

CElebraturi Sacerdotes nullatenus sacris vestibus induti peccata confiteantur, sed, cum confessione opus habent, antequam se induant, & quidem genibus provoluti id faciant. *Cap.* 18.

EXtremè laborantibus Indis, atque Æthiopibus viaticum ministrare non prætermittant, dummodo in iis debitam dispositionem agnoscant, nempe fidem in Christum, & pœnitentiam in Deum pro suo modo. Neque enim in extrema illa necessitate, perfecta omnia exigenda sunt, cum Sanctorum Patrum decreta habeant, qualecumque fidei, & pœnitentiæ testimonium, in ultimo agone positis, ut salutaria sacramenta ministrentur, debere sufficere. *Ibid. vituperantur Sacerdotes, qui denegant Euch. morituris*, vel negligentia, vel zelo quodam præpostero, & intempestivo. *Cap.* 19.

...cart. ...Aug. de a-...con-...s ult.

II, qui propter facinora admissa capite damnati sunt, pridie, quàm ad patibula à magistratu ducantur, communione Christi corporis muniantur, quo patienter, & cum salute animæ pœnas corpori debitas ferant. *Cap.* 22.

QUo tempore ab Ecclesia solemnes sanctissimi Christi corporis processiones aguntur, aut in die parasceves, aut quocumque alio die, nulla fœminarum cooperto vultu per vias publicas inambulet, vel de fenestris prospiciat. *Cap.* 23.

QUod si aliàs idonei sunt, qui ordinari petunt, & seipsos doctrinæ Indorum dedicare cupiunt, nullo modo propter patrimonii tenuitatem repellendi sunt............... neque enim hos mendicare verisimile est in tanta Parochiarum multitudine .... ad titulum ergo doctrinæ Indorum, quamvis nulla specialis Parochia illico designetur, quicumque revera Indis præficiendi putantur, jure ordinari poterunt. *Cap.* 32.

I*Doneos solummodo esse ordinandos*: Et longe certè melius Dei Ecclesiæ, & saluti Neophytorum consulitur paucitate electorum Sacerdotum, quàm multitudine imperitorum. *Cap.* 33.

A

SErvi Æthiopes neque contrahere matrimonia, neque contractis uti à suis Dominis prohibeantur, neque verò distrahantur conjugati ad loca, ubi à conjugibus abesse perpetuò, aut etiam diù cogantur, non enim debet lex Matrimonii naturalis per legem servitutis humanam derogari. *Cap.* 36.

PArochiam, sive doctrinam Indorum nemo deserere audeat, si quis sine sui antistitis assensu deserendam putaverit, aut ante discesserit, quàm successori rerum Ecclesiasticarum suæ curæ commissarum rationem reddiderit, sit eo ipso excommunicatus, &c. *Cap.* 41.

B

Actio tertia celebrata die 22. Septemb. Anno Dom. 1583.

SI quis autem Clericus mercaturæ operám dederit, præter pœnas à jure, atque superiore Concilio impositas, quas innovamus, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. *Cap.* 4. *Clericis mercatura prohibetur*

MAturè expendentes patres in hac ipsa urbe jampridem ad synodum provincialem congregati .... clara voce pronuntiarunt, testatique sunt judicare, se non posse uni rectori plures Parochianos Indos, quàm quadringentos tutò committi, sed neque ipsis adhuc quadringentis unum sufficere certò se affirmare .... cum præsertim Indorum tributa, quæ doctrinæ potissimo titulo exiguntur, tanta sint, ut longè plures ministros non rarò alere possint. Itaque censemus in quocumque Indorum populo, qui contineat Parochianos trecentos, aut etiam ducentos, proprium Parochum debere constitui. *Cap.* 11.

C

E*Xcommunicantur ipso facto Clerici, qui luserint summam excedentem quinquaginta aureos aleæ, cartisve pictis, aut alteri ludo jure prohibito*. Exceptum tamen volumus honestum aliquem, & recreationis causa susceptum ludum, in quo comestibile quidpiam pretium sit, & tale, ut duorum aureorum valorem non excedat, quod etiam ipsum frequens esse non debet. *Cap.* 17.

D

NUllus in sacris constitutus fœminis familiare ministerium exhibeat, itaut equitando ducat à tergo, aut ambulando manu teneat, aut comitetur, nisi soror, vel mater sit, alioqui & Clericus, & fœminæ contra agentes arbitrio Episcopi puniantur. *Cap.* 18.

NUllus verò ignotus, & peregrè veniens Clericus, insigne illud assumat, aut gestet, quod nostri Becca appellant .... neque verò se aut doctorem, aut magistrum, aut licentiatum, aut Baccalaureum nominet, seu subscribat, sub centum aureorum pœna, nisi prius Prælato legitimum titulum ostenderit, ne fallaci ostentatione imperiti lædantur, & seducantur. *Cap.* 22. *Concil. Cæsaraugust. sub Damaso c.7.*

E

PRohibetur sub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis, ne tabachi fumum ore, aut sayri, seu tabachi pulverem naribus, etiam prætextu medicinæ, ante Missæ Sacrificium sumant. *Cap.* 24.

JUbet omnes Canonicos, & dignitates omnibus Divinis Officiis interesse. Qui verò non interfuerint, distributiones amittant .... neque verò remissionem ullam capitulares sibi invicem facere possint: si fecerint, nulla sit, sed distributiones ita perceptas teneatur in conscientia restituere, qui fraudem fecit. *Cap.* 26.

QUi heremitico instituto gaudent, neq; fratrum, aut Monachorum capitulum ferant, veste autem utantur nigra. *Cap.* 32.

CLerici illarum (*sanctimonialium*) collocutoria ne frequentent, quod si absque Prælati permissu eas visitare pro nihilo duxerint, excommunicentur. *Cap.* 35.

SI qua mixti generis mulier (quas vulgò Mestizas vocant) in monasterium recipi velit, eadem omninò dote, qua ceteræ, recipiatur, neque pro eo, quod admittatur, ut sit de choro, amplius quicquam exigatur, quàm à cæteris de choro soleat, cum ea omnis conventio symoniaca labe non careat: sed si aliàs satis idoneæ sint, nequaquam tales excludantur à choro ex solo defectu naturalium, cùm apud Deum fides, non genus in pretio sit. *Cap.* 36.

VIduæ quoque superstitiosum, atque ambitiosum illum morem tamdiu post defunctum virum domi manendi Ecclesiæ religiosissimæ disciplinę postponant, divinaque officia ad consolationem suam opportunè adeant. *Cap.* 38.

Actio quarta celebrata die 13. *Oct.* 1583.

INdorum crimina ad forum Ecclesiasticum spectantia, corporali potiùs, quàm spirituali pœna esse punienda.

PRofecto Barbara, & rationi non usque adeò parens Indorum natio, piis, & salutaribus institutis parere nunquam, sicut opus est, assuescet, si rectores suos, veluti ad vindicandum in malefacta impotentes, facilè contemnat. Nam & Apostolus, quibus spiritum mansuetudinis non satis esse putabat, etiam virgam, & potestatem à Domino acceptam interdum minabatur. *Cap.* 7.

PRæcipit omnino sancta synodus, ne Parochus, aut quævis alia persona Ecclesiastica per se ipsum unquam cædat, aut puniat, quantumvis delinquentem, cum sit à sacerdotali dignitate alienissimum, sed, cum id erit agendum, per fiscales, ministrosque ad hoc creatos agatur, &c. *Cap.* 8.

REliquiæ Sanctorum, quas magnopere venerari decet, à nemine teneantur, nisi per Ordinarium prius examinatæ, atque approbatę, neque tales etiam à sæcularibus, & laicis portentur, nisi de ejus speciali facultate. *Cap.* 10.

QUi simplicia beneficia in Ecclesiis Cathedralibus, aut Parochialibus obtinent, Rectores ipsos Parochiarum, tùm in audiendis confessionibus, tùm in aliis Ecclesiasticis Officiis obeundis Christiana charitate adjuvent, ut, sicut socii sunt honoris, sic etiam sint laboris. Quod si, cum urget frequentia confessionum, aut insignis quævis necessitas, id facere recusaverint, ab Episcopo puniantur. *Cap.* 19.

Actio 5. *die* 18. *Octob.* 1583.

CUm vita Christiana ...... exigat naturali ratione, homine non indignam vivendi rationem, cumq; secundum Apostolum 1. Cor. 15. prius animale sit, deinde quod spirituale, illud vehementer parochis omnibus ..... commendandum duximus, ut in primis dent operam sedulam, ut, ferinis, atque agrestibus moribus depositis, humanis, ac politicis institutis Indi assuefiant. Cujus generis sunt, ut ad templa non sordidi [illegible] ... ut domus ipsæ non caulas pecudum, sed [illegible] habitationes ordine, munditia, decore referant. Cap. 4.

POstremo quoniam Indorum nationem externis ceremoniis, & divini cultus splendore ad summi Dei cognitionem, & venerationem supra modum allici compertum est, curent studiosè Episcopi, ac pro suo modo etiam Parochi, ut quicquid ad divinum cultum pertinet, diligenter, & quanto fieri poterit, decore peragatur. Atque in iis musicæ etiam studium, tùm in cantoribus instituendis, tùm in musicis fistularum, cæterorumque instrumentorum adhibendis, nullo modo prætermittant. *Cap.* 5.

OMnia autem, & singula hujus Provincialis Concilii decreta, sanctæ Sedis Apostolicæ censurę, & correctioni sint subjecta. *Cap.* 6.

HIs actionibus Concilii subscripserunt. Primæ Archiepiscopus, qui supra. Fr. Antonius Episcopus Imperialis. Sebastianus Episcopus Cuzquensis. Fr. Didacus Episc. S. Jacobi Chilensis. Fr. Alphonsus Episcopus del Rio de la Plata. Secundæ, & tertiæ præter prædictos Fr. Franciscus Episc. Tucumensis, & Alphonsus Episcop. Platensis. In quarta iidem, præter Episcop. Cuzquensem tunc vita functum. In quinta iidem, præter Episcopos Imperialis, & S. Jacobi Chilensis, qui de facultate Concilii discesserant.

HOc autem Concilium auctoritate Xisti V. approbatum est post examen, & aliquas emendationes ab Emin. Cardinalibus interpretationi Concilii Tridentini præpositis appositis appositas. Romæ die ult. Octob. anno 1588.

CONTROVERSIA.

Corrig. sur Con. à Summ. Pontif.

NEmo Catholicus dubitat, ad Romanum, eundemque summum Pontificem pertinere acta, ac decreta Provincialium synodorum recognoscere, atque, ubi opus fuerit, emendare. Nam pro suprema in Ecclesia Dei auctoritate, quam à Christo Domino accepit, Spiritus Sancti luce etiam copiosiore illustratur, ut, quæ videnda sunt, videat: cujus censuram, approbationemque, aut correctionem non modò sancti Patres Ecclesiarum lumina Athanasius, Augustinus, Hieronymus, cæterique tales, verùm Concilia ipsa Provincialia & studiosissimè flagitarunt, & fidelissimè acceperunt. Quo exemplo in hoc Concilio Peruano sacra congregatione Cardinalium jussu sanctiss. Patris Xisti V. nonnulla mutata, emendataque sunt. Inter cætera,

Censura, quæ adversus fœminas ferebatur cooperto vultu vias publicas inambulantes, sive de fenestris prospicientes, dum processiones, supplicationesve fiunt, omnino sublata est. Censura excommunicationis, quæ ferebatur in Clericos aleis, aut chartis pictis, aliove prohibito ludo ludentes, cum excederent pretium duorum aureorum in ludendo, temperata est, ut illam non incurrant, nisi summam excedentem quinquaginta aureos luserint. Sunt etiam nonnullæ pœnæ pecuniariæ detractæ, quod ipsa frequentia mulctæ pecuniariæ non esset valde usitata in Canonicis decretis, quamvis Ecclesia, quæ graviores pœnas imponere potest, non careat potestate ad hanc imponendam.

Professio fidei, quæ posita erat juxta Conc. Compostellanum Salmaticæ celebratum, mutata est juxta formam à Pio quarto inductam, quod sit commodior, & plenior, &, quod sicut Apostolicæ, & Rom. Sedis fidem omnes ubique Ecclesias sequi oportet, ita professionis formam præferre deceat. Addita sunt etiam ista verba ad decreta de sanctimonialibus. *Quod si ex redditibus monasterii, vel ex consuetis eleemosynis tantum suppetat monialibus, vel ad ipsum victum, fabricam Ecclesię, aliasque necessitates commodè sufficiat, minimè licet alias recipere, pacta certa eleemo-*

syna

syna pro dote: secus si monialium numerus augetur. Quod congregatio Simoniacum judicarit, pro ingressu monasterii de bonis pacisci: tantumque id eleemosynæ accipere tutum sit, ubi monasterium indiget. Qua de re vide in summa decretum Concilii Metropolitani in Apulia sub Urbano II. Item Concilii Romani an. 1099. Londinensis an. 1175. Et maximè Lateranensis quarti, quod est duodecimum generale, c. 64. ubi receptæ moniales cum pretio damnantur, sicut & recipientes, &c. Voluit præterea congregatio, ut in Concilio insererentur hæc verba: *Omnia autem, & singula hujus Provincialis Concilii decreta sanctæ Sedis Apostolicæ censuræ, & correctioni sint subjecta.* Quod id testandum esset in ipso Concilio.

ochus fit cator. Insuper congregatio voluit permanere excommunicationem latam in Parochos mercatores, qui ab ea appellaverant, ut tolleretur à Romano Pontifice. 1. quod Parochorum negotiatio scandalo sit Indis, quasi religio venalis esset, & quæstus causa. 2. quod Indi multum occuparentur in sacerdotum lucris. 3. quod vitia primorum ex Indis facilè dissimulantur à sacerdotibus, qui negotiantur. 4. quod tales sacerdotes Officia sua prætermittunt, aut negligenter exercent. 5. tota res sordida est, & Christi ministerio indigna. *Ex codice ipsius Concilii.*

CONCILIUM MEXICANUM,

In ea Præsidente Illustrissimo Petro Moya de Conteras Archiepiscopo Mexicano, celebratum Ann. 1585. *tempore Xisti V.*

EXtat hoc Concilium Mexici in America editum jussu Regis Hispaniarum, Anno 1622. continetque plura statuta ex antiquioribus Conciliis desumpta ut plurimum, ideoque pauca tantum ex eo secernere nobis visum est. Porro Mexicum urbs est, quæ Themistan quoque nuncupatur, ab ea nomen sumpsit Mexicana Regio, in qua residet Archiepiscopus, & Prorex, atque in ea est imprimendi ars, ait Maginus, *in America*, ut non sit mirum præsens Concilium Mexici typis fuisse mandatum. Sic autem illud incipit.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sancta Provincialis Mexicana synodus ad sacrorum Canonum statuta, ac præcipuè generalis Concilii Tridentini decreta observandum, & exequendum ad fidei Catholicæ propagationem, ac divini cultus augmentum, ad Cleri, & populi reformationem, ad communem denique Mexicanę Provinciæ nuper in Euangelio genitæ, ac Christo Domino recens natæ, in spiritualibus, & temporalibus utilitatem, Mexici, quæ Metropolis est novæ Hispaniæ Indiarum Occidentalium, maris Oceani, ritè, & canonicè congregata: præsidente in ea Illustr. ac Reverendiss. D. Dom. Moya de Conteras, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepisc. Mexicano, atque etiam Provinciæ gubernatore, ejusque Regii Senatus præfecto, hæc, quæ libris, ac titulis distincta sequuntur, statuit, sancit, atque decernit.

SUnt pleraque hujus Provincię loca, in quibus permulti servi vinculis ferreis constricti, permultique Indi metalorum fodinis, & ergastulis inclusi tenentur, qui necessaria ad salutem doctrina destituuntur, non sine magno conscientię eorum, qui eos sic constrictos tenent, detrimento, ac dolore Episcoporum, quorum Pastorali sollicitudini incumbit, oves pascere, & eorum saluti prospicere. Cupiens igitur hæc sancta synodus huic tàm gravi incommodo occurrere Episcopis, seu Prælatis, ad quos pertinent, maximè commendat, ut his afflictis, ac spirituali cibo egentibus, opportunum præstent auxilium. Precepit etiam fodinarum, & ergastulorum dominis, ut servorum suorum saluti consulant, ne eos spirituali bono privent, quos ipsos ad temporalem tantum utilitatem detinent. *lib. 1. Tit. de fide Cathol. rudibus tradenda* §. 6.

JUbet præterea hæc synodus quibuslibet hujus Provinciæ personis, ne si paganos servos emerent, fodinis, sive ergastulis prædictis ante includant, quàm fidei Christianæ documentis ante instructi sacro baptismatis fonte abluantur. *Ibidem* §. 7.

NUllus, nisi prius juramento præstito de intentione permanendi, in habitu Clericali admittatur, nec ad primam tonsuram promoveatur. Illi verò ante quartum decimum annum poterunt prima tonsura initiari, qui in Cathedrali Ecclesia Clericali toga, & superpelliceo induti per duos saltem annos, divino cultui inservierunt, si prius eorum parentes, vel tutores propositum sibi esse juraverint in Ecclesiæ ministerio conservandi. *Tit. de scientia ad sacros ordines, &* §. 2.

PEracto verò confirmationis ministerio vittę omnes ad usum ejus adhibitæ comburantur, ne postea prophanis usibus deserviant. *Tit. de sacra unct.* §. 2.

SAcramentum Extremæ Unctionis .... cum sit à Christo Domino ad communem omnium salutem, sine delectu personarum institutum, omnibus fidelibus in articulo mortis devotè petentibus tribuendum est, Parochi verò muneri suo satisfacere minimè possunt, si medicinam animæ corpori tàm salutarem suis subditis denegaverint. *Ibid.* §. 4.

DE ætate ad sacramentum suscipiendum ea regula sit, ut quibus per ætatem licet Eucharistiam sumere, eisdem etiam liceat sacro infirmorum oleo inungi. §. 7. *Ætas pro Extrema Unctione.*

MOnet autem hæc synodus patres, matresque omnes, ut suos filios, & filias quantumvis minimæ ætatis sint, ad Missam audiendam secum deferant, præcipit etiam heris, ut famulos, & servos suos omnibus festis colendis Missam audire faciant, in quo eorum conscientiæ onerantur. *l. 2. tit. de feriis.* §. 6.

UT introducta jam corruptela funditus tollatur, qua relictæ viduæ per multos dies ab obitu maritorum Missam non audiebant, Ecclesię præceptum transgredientes, jubet hæc synodus, ut viduæ, elapso præsertim mense post mortem mariti à judicibus Ecclesiasticis per censuras, & alias pœnas, ad sacrum audiendum compellantur, idemque servetur cum mulieribus conjugatis, quę ob virorum absentiam per longum tempus Missam non audiunt. *Ibid.* §. 6.

QUia singularis fuit in Beatum Joseph sacratissimæ Virginis Mariæ sponsum hujus Provinciæ devotio, ob cujus Sancti merita, & intercessionem piè credi potest novam Hispaniam singularibus Dei beneficiis donari, provincialis synodus an. 1555. celebrata sanctum Joseph in generalem hujus Archiepiscopatus, & Provinciæ patronum elegit, ejusque festum coli mandavit, hæc quoque synodus idem renovans, & confirmans statuit, ut festum hujusmodi in hac Provincia cum octava celebretur, &c. *l. 2. tit. de feriis* §. 2. *S. Joseph.*

ETsi ante celebrationem hujus synodi Festum S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici ex præcepto

D.Thomas. cepto non coleretur .... hæc ſynodus præcipit, ut A ſancti Thomæ Feſtum colatur, & Catalogo, quæ ex præcepto in hac provincia coluntur, adſcribatur. *Ibidem* §. 3.

FElicis recordationis Paulus Papa III. Indorum Paupertati proſpiciens, eos tàm ſtricto vinculo, ut Hiſpanos, ad Feſtorum obſervationem devincire noluit, & ob eam cauſam eorum commoditati conſulens ſequentia Feſta Indis deputavit, ad quæ ſola obſervanda ex precepto tenerentur. Dies omnes Dominici in anno occurrentes. Nativitas Domini ſine duabus diebus Dominicis ſequentibus. Circumciſio, & Epiphania. Dominica Reſur. ſine duabus ſequentibus diebus. Aſcenſio Domini, Pentecoſtes abſque duabus ſeqentibus diebus. Feſtum Corporis Chriſti. B Nativitas Beatæ Mariæ. Annunciatio Beatæ Mariæ. Feſtum Purific. Beatæ Mariæ Virginis. Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis. Feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli. Aliorum Feſtorum celebratio voluntariæ Indorum devotioni derelinquitur. *Ibid.* §. 9.

feſta Indorum.

MEdicis quoque prohibetur, ne ægrotis medicamentum applicent, ita ut eis impedimento eſſe poſſit, quò minus feſtis diebus Miſſam audiant: ſi talis ægritudo eſt, quæ ęgrotum Miſſam audire non impediat, & cujus medicina in aliud tempus differri poſſit. *Ibid.* §. 11.

SIngulis quoque menſibus ſemel Epiſcopi viſitent carceres Eccleſiaſticos, & in eis incluſos, dentque operam, ut captivi, qui vel Eccleſiaſtico, vel C ſæculari carcere detinentur, Miſſam, & quandoque verbi Dei prædicationem audiant. *lib. 3. tit. de Viſitatione propriæ Provinciæ.* § 9.

INdos carcere incluſos ſingula quoque Hebdomada ſemel viſitent (*Parochi*) eoſque in tribulatione afflictos conſolentur, & impeditos, quominus doctrinæ Chriſtianæ documenta audire poſſint, paterno zelo eadem doceant, judiceſque adeant, eoſque pro cauſæ expeditione, & libertate detentorum hujuſmodi deprecentur. *Tit. de his, quæ ad Parochos Indorum attinent.* §. 11.

QUando indus aliquis teſtamento relicto migraverit, ſuffragia, & pia legata ob eo diſpoſita D executioni mandentur, ſi verò heredem neceſſarium habuerit, ſuffragia, & pia legata hujuſmodi quintam bonorum partem non excedant, cum jure prohibitum ſit in majori quantitate diſponere. *Titulo de ſepulturis, &c.* §. 3.

PRæcepit hæc ſynodus Curatis omnibus, ut ipſi per ſe ſepeliendis Indis interſint, & defunctorum Officium celebrent..... juſtum enim non eſt, ut Indi teneri adhuc in fide exequia defunctorum à ſuis miniſtris parvipendi conſpiciant, quod puſillis hujuſmodi ſcandalo eſſe poſſet. *Ibid.* §. 4.

PRohibetur in hoc Archiepiſcopatu, & Provincia, ne Eremitæ, aut aliæ perſonę permittantur, E quæ extraordinarium habitum induentes, alium ſibi ſingularem vivendi modum præſcribent, quàm eum, quem probata religionis inſtituta admittant, ut multa incommoda vitentur, quę, ut experientia compertum eſt, inde evenire ſolent. *Tit. de regularibus, & monialibus.* §. 21.

DIes, quibus Indi jejunare tenentur ex conſtitutione felicis recordationis Pauli Papæ tertii. In primis omnes ſextæ feriæ quadrageſimæ, vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Sabbatum majoris Hebdomadæ. In his omnibus diebus ..... Indis aſſignatis omnes utriuſque ſexus fideles hujus Provinciæ, vigeſimo primo ętatis anno majores jejunare tenentur, ſub pœna peccati mortalis, unaque tantum comeſtione, eaque in meridie his diebus uti debent, illis exceptis, qui vel ęgritudine, vel ſenectute, vel ex magno corporali labore, vel aliis juſtis impedimentis jejunio non obligantur, in jejunio autem ſervando nemo ſententiam ſuam ſequi debet, ſed ſuum confeſſarium conſulat, ejuſque ſententiæ adhęreat. *Titulo de obſervantia jejunorum.* §. 2. & 3.

Indorum jejunia.

HÆc ſynodus ardenti ſalutis animarum, quarum Cura Epiſcopis commiſſa eſt, deſiderio flagrans, intelligens tricas varias, variaſque fraudes lucri cupiditate in his partibus inventas, quibus injuſtitia, quę dolo malo in proximum exercetur, occultari, ac palliari poſſit, quantum valet, omnes hujus Provinciæ fideles in Domino exhortatur, ut rationem, quam Deo in die tremendi judicii reddituri ſunt, certamque animarum ſuarum damnationem, ſi injuſtè aliena bona ſibi uſurpent, ob oculos ponentes, viros doctrina, & vita probatos conſulant, eiſque modum, quem in negotiando, & contrahendo tenent, aperiant, atq; eos ſolum contractus exerceant ad ſecuritatem conſcientiæ, quos juris periti hujuſmodi licitos probaverint. *Lib. 5. Tit. de uſuris.* §. 1.

NEmo etiam ſortilegos, veneficos, Incantatoreſve hujuſmodi adeat, ut eorum maleficiis, ſeu veneficiis utatur: aliter ſolemnem agat pœnitentiam die feſtivo, dum Miſſa conventualis in ſua Parochia celebratur, ubi detecto capite, ſine pallio, & nudis pedibus, fune præcinctus, candelamque incenſam in manibus tenens ſtet, ibique ſententia in eum lata legatur, & præterea ſi Hiſpanus fuerit, duas argenti marcas perſolvat fabricæ Eccleſiæ, accuſatori, & piis operibus applicandas: poterunt tamen judices ..... pro qualitate perſonæ, corporalem pœnam in aliam commutare. *Tit. de ſortilegis.* §. 2.

CONTROVERSIA.

SAtis evidenter patet ex contextu pręſentis decreti, omnes pœnas pro peccatis ab Eccleſia injunctas non ſpectare ad ſolum forum interius Sacramenti pęnitentię, ſed aliquas ſpectare ad forum mixtum, pro poteſtate, quam habet à Chriſto Eccleſia, peccata fidelium coercendi. Hinc Canonum pœnitentialium duo genera ſunt: alii enim ſunt Canones pœnitentiales, qui in ſolo foro interiori per ſacerdotes injunguntur pœnitentibus, & ultro ſe accuſantibus, alii ſunt, qui in foro mixto (quod quidem exterius eſt, ſed ſalutem peccantium pro ſcopo habet) per ſacerdotes tanquam judices injunguntur fidelibus, ſeu ſponte ſe accuſent, ſeu non accuſent, ſed ab aliis accuſentur. Exiſtimant enim plures, ut inter cæteros Almainus. *De poteſtate Eccleſiaſtica cap.* 10. contra Ochamum, & quoſdam alios, ad Eccleſiaſticum judicem pertinere de omni actione humana externa fidelium cognoſcere, ſi ſpectetur in ratione peccati mortalis, aut injuriæ. 1. quia cujus eſt conſiderare finem, ejus eſt conſiderare media ordinata, ad illum finem, vel ejus impedimenta; actiones autem peccaminoſæ impedimenta ſunt finis ultimi 2. Matth. 18. dicitur, *ſi peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſię.* id eſt Prælato Eccleſiaſtico, ut ſcilicet illum impediat, vel cogat ad ſatisfactionem, per excommunicationem, aliaſque pœnas Canonicas. Ex hoc duplici judicio Eccleſiæ conditi ſunt varii Canones in Conciliis, quorum quidam ſpectant ad ſolum forum ſecretum pœnitentiæ, quidam verò ad forum mixtum. Hujuſmodi eſt Canon Matiſconenſis Concilii primi, quo c. 17. differtur communio ad exitum vitæ inducentibus alios ad falſum teſtimonium. Talis eſt Canon 5. Concilii Toletani 3. quo jubetur, ut mulieres degentes cum ſacerdotibus, quæ infamiam generare poſſint, ab Epiſcopo

Juriſdict. Eccleſię peccata

Canones pœnitentiales dupli. generis

po venundentur, & eorum pretia pauperibus distribuantur. Quod idem statuitur in Narbonensi sub Recaredo rege an. 389. de divinatoribus, & sorticulariis, postquam gravissimè fustigati fuissent. Sic in Rhemensi sub Seulpho, quod inter Europæa reposuimus, condemnantur ad certas pœnas, quæ pœnitentiæ dicebantur, militantes in bello injusto. Antiquæ synodi redundant hujusmodi Canonibus pœnitentialibus, qui volentibus nolentibus injungebantur in foro mixto, & extra Sacramentum pœnitentiæ, cujusmodi est Canon præsentis Concilii Mexicani: si quis autem non discernit ab invicem hosce Canones, multa confundit in disciplina Ecclesiastica antiquitus servata, & ex parte in novella Ecclesia Mexici renovata.

[sm] [atio.] [zni-] [trum.] A quibusdam movetur controversia de tempore, quo desiit mos antiquus agendæ pœnitentiæ non observatis amplius quinque classibus, scilicet fletus extra fores oratorii, ac ingredientes cum lacrymis deprecantium, ut pro se rogarent. Audientium scripturas recitatas in porticu, seu ad hostium Ecclesiæ, dicunt alii in vestibulo. Substratorum intra Ecclesiæ septa, qui cum catechumenis exire jubebantur. Consistentium, qui unà cum fidelibus, iisque puris ad finem usque liturgiæ, seu Missę perseverabant, minimè tamen Eucharistiam participabant. Ac sacra participantium cùm reconciliabantur, ac veluti in integrum restituebantur. Hi erant quinque veluti gradus pœnitentiæ, *fletus, auditio, substratio, consistentia, ac denique sacrorùm participatio*.

Non desunt autem, qui ad exordia mendicantium referunt relaxationem antiquæ hujus pęnitentiæ, quod blandius egerint cum peccatoribus pœnitentibus causa eos alliciendi, sed 25. Canonis Concilii Cabilonensis secundi longè Mendicantium, ac privilegia eorum ortum præcedentis authoritas eos respuit. Melior est [esa-] conjectura Filesaci Decani quondam Facultatis Theologicæ Parisiensis in syntagmate brevi, sed erudito, pœnitentiæ c. 3. quem librum nobis ad probandum tradiderat, antequam in publicam lucem prodiret. Quousque, inquit, classes illæ, & quinque pęnitentium ordines in Ecclesia fuerint, non facile dixero. At nisi me fallit animus, inde sensim desiisse arbitror, quod jam à temporibus Concilii Nicæni totum hoc ex Episcoporum arbitrio penderet, ut nos docet præsertim Canon 12. ipsius Concilii, quo Episcopos cum pœnitentibus benignè agere debere statuitur, cum ipsi lacrymis, tolerantia, bonis operibus conversionem, seu emendationem reapse ostenderent: Episcopi verò, qui φιλανθρωπότερον, ut loquitur Canon ille Nicęnus, hoc est humanius, erga pœnitentes sese gerebant, non modo de annis agendæ pœnitentiæ in brevius tempus contrahendis, ut docent prisci Canones, præsertim 5. & 7. Concilii Ancyrani pro authoritate, & commiseratione cogitabant, verùm etiam pro sua facilitate, indulgentia, & humano respectu de iis gradibus quinque aliquid remittebant, ut vel tribus, vel duobus, vel uno contenti essent. Quod posterius arbitrarium esse velim. Neque leves sunt de ea re conjecturæ sub Carolo Calvo in Concilio Meldensi apud Sparnacum villam cap. 68. de his, qui sponsas alienas rapiunt. Quod si fortè in Ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut, pro salutis, & religionis competentia, humanius quiddam debeant tractare Pontifices, sicut Canonica docet auctoritas: quia prior quidem definitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius. Atque ut de semita in viam, video non tantùm in Capitularibus Caroli Magni, sed in posterioribus Conciliis horum quinque locorum aliquam mentionem significari, ut videre est ad Concilii Vvormantensis cap. 26. *de his, qui sacerdotem spontè occiderint*, repetitum caput Concilii Moguntini cap. 16. &c. At usitata passim fuisse hujusmodi pœnitentium loca iis temporibus non mihi liquet. Quandoquidem Concilia illius sæculi o-

A mnia, fere semper publicam inculcant pœnitentiam. Addo & sub Carolo magno pœnitentiæ publicæ usum, nec frequentem, nec communem fuisse. Confirmat hoc Concilium Cabilonense 2. cap. 25. quamquam Canonem hunc Cabilonensem de solemni pœnitentia, solemni ritu, ac vestitu, & victu peragendo explicandum esse facile crediderim. Attamen certum est sub filiis, & nepotibus Caroli Magni publicam pęnitentiam, & retentam, & accuratè usitatam. Hæc, & plura alia congerit Filesacus, quæ in suo ampliori de pœnitentia commentario Morinus Presbyter Oratorii, multæ admodum lectionis, fusius explanata exhibuit. Ex quibus colligimus pœnitentiæ leges multo severiores fuisse prioribus sæculis, tùm ob alias rationes, tùm quod primi Christiani maximè ambi-
B rent reditum ad pristinum statum gratiæ Baptismalis, quæ ab omni culpa, & reatu pœna temporalis animam liberat. Ob eam enim causam plures Catechumeni baptismum sibi differri, etiam usque ad articulum mortis desiderabant, ut liberi ab omni pęna ex hoc mundo exirent, atque etiam quibuslibet Canonicis pœnis cum mentis ardore submittebant se. Sed post licentiam datam Episcopis in Concilio Nicæno, refrigescente etiam charitate multorum, paulatim modo hìc, modo illic fervor satisfaciendi tepuit, accedente ad hoc Jubilæorum, & Indulgentiarum gratia frequentiori. Vide, quæ diximus super Canones Nicænos. *Unde ardor pœnitentiæ in primis Christianis.*

C DUobus cujuslibet Hebdomadæ diebus, per Ecclesiarum hujus Archiepiscopatus, & Provincię erectionem designatis capitulares ad capitulum congregari debent. *Ex parte 2. statutorum ejusdem Concilii tertii Mexicani cap. 1. de capitulis, &c.* §. 1. Cum primum locum capituli ingressi fuerint, ad sacram ibi propositam imaginem singuli preces fundant, ac servato antiquitatis ordine, suo quisque loco sedeat, post hæc præsidens se signo sanctæ Crucis signet, ac intelligibili voce dicat, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, &c. Et *adjutorium nostrum*, &c. Et orationem *Sancti Spiritus, Domine*, &c. Et *actiones nostras*, &c. §. 2.

PRæcipit etiam, & mandat hæc sancta synodus, ut Prælato ægrotanti, ac sanctissimæ Eucharistiæ, & Unctionis Extremæ Sacramenta petenti, capituli
D pręsidens pluviali aureo ornatus, præbendatis omnibus, nemine excepto, unà cum Parochis, Capellanis, & Ecclesiæ ministris, reliquisque sacerdotibus, qui congregari possint, superpelliceis indutis processionis ordine comitantibus, cruce quoque cum luminationibus ditioribus præcedente, eandem sanctissimam Eucharistiam, qua decet devotione, ac reverentia ministret, pręendatisque singulis huic actui deficientibus emolumenta singulorum mensium per eos emerita, inter alios, qui interfuerint, distribuenda, detrahi jubeat, *parte 4. stat. c. 4.* §. 1.

QUando Sanctissimæ Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta alicui prębendato ægrotanti ministranda fuerint, per Parochum, sub cujus ille Parochia degerit, serico pluviali ornatum, accen-
E sis cereis, deputandisque à præsidente ministris comitantibus, eidem ægrotanti, cui duo capitulares superius nominati, in reliquis necessariis adsint, ministrentur. *Ibid. c.* §. 1.

UT deferenda Prælato Reverentia in omnibus resplendeat, eidemque morienti nihil debiti honoris deficiat: eadem decernente synodo, statuitur, & ordinatur, ut quoties Prelatum obire contigerit, statim campana major sexagesies admodum paulatim pulsetur, omnes deinde majores, minoresque campanæ funebri sonitu, ter solemnissimè tinniant, tuncque Parochiæ, monasteria, Eremitoria, *Obitus Episcopi.*

ac hospitalia simili sonitu campanarum respondeant, A idque per totum novennium quotidie, semel quidem post meridiem, ac iterum post solis occasum, necnon temporibus funeris, spatio dimidiæ horę durante similiter faciant, quatenus frequens omnibus precandi Deum recordatio subeat, & ut, defuncto prælato, æternam felicitatem, & convenientem sancto ejus obsequio successorem populo concedat. *Ibid. cap. 6.* §. 1.

Similiter quoties aliquem capitularem obire contigerit, si dignitas fuerit, quadragies: si Canonicus ter decies, si integer vicies, si verò dimidius por- B tionarius decies primo dicta campana, major etiam paulatim pulsetur, statimque, ac funeris, & exequiarum tempore reliquæ omnes campanæ funebri sonitu solemniter quatiantur. *Ibid.* §. 2.

Cum Prælatus diem clauserit extremum Pontificali ornatu vestibus violacei coloris juxta dignitatis ejus exigentiam induatur, & sic indutus super aliquem in amplo cubiculo, ubi decentia ad celebrandum altaria esse possint, construendum, ac sericis paramentis sternendum lectum collocetur. Post hæc capitulares omnes, nemine dempto, sub pœna præsidentis arbitrio imponenda, superpelliceis, ac suo tempore etiam chori cappis supervestiti, unà cum clero ad eum locum, sublimi precedente cruce, processionis or- C dine accedant, ac Prælati, ut præfertur, defuncti animam, juxta descriptum in ordinario tenorem, Deo commendent, triaque defunctorum nocturna dicant. Manentibus interim ex ejusdem præsidentis ordinatione competentibus in Ecclesia ministris, qui currentis Officii horas absque aliquo defectu recitent, Provisis deinde, atque dispositis cæteris rebus funeri necessariis, ministri de more parati, ac sex præbendati pluvialibus induti sceptra gerentes, simulque omnes Monachorum conventus, ac reliquus ordo Clericorum à Cathedrali Ecclesia, ubi juxta præviam vocationem congregati fuerint, ad supradictum cadaveris locum ordine servato procedant. Ibique dicto responsorio, & oratione, defuncti corpus, detecta quidem facie, ut præfertur, indutum, feretro decenter ornato deponant, illudque seniores dignitates, cæterique capitulares, & D monachorum ordines Psalmos interea, aut alia secundum manuale Romanum, vel laudabilem ejus Ecclesiæ consuetudinem dicenda, decantantes, usque ad Ecclesiam, ubi sepeliendus fuerit, humeris vicissim exportent. Ubi si per statutum ad celebrandum tempus licuerit, solemne Missæ Sacrificium addita ad ædificationem populi digna funerali concione peragant: ac denique corpore sepulturæ tradito, Prelati hujusmodi propinquos, vel famulos, usque ad eamdem, unde exierint, domum sine previa cruce comitentur. *Ibid. cap. 7.* §. 1.

Item ordinatur, & statuitur, ut præmisso exequiarum novennio durante quotidie, tàm post Missam, quàm post vesperas minister pluviali indutus cerani sublimi cruce, ac luminibus Responsorium pro eodem dicat. Ipso verò exequiarum die decanus, & capitulum, eisdem Monachorum conventibus, cum reliquo Clero intervenientibus, vigiliam cantent, & Missæ Sacrificium juxta Breviarii Romani formam, habita simili funerali concione perficiant. Ita ut in omnibus se Christianos, ac pios, suoque Prælato ejus Ecclesiæ sponso verè subditos ostendant, atque adeò, quæcumque alia hìc non expressa, quæ ad hujus funeris, exequiarumque decus, & ornamentum, proba, & integra ipsorum conscientia dictante, desiderari judicaverint, ipsi diligenter provideant. *ibid.* §. 2.

Quoties aliquis Præbendatus ex hac vita migraverit, sacerdotalibus, quas ipse habuerit, aut emerit, vel, si adeò pauper fuerit, ut eas emere non queat, ab Ecclesia providendis vestibus induatur, ejusque anima per aliquos capitulares, & Clericos à præsidente nominandos DEO commendetur. Quibus peractis, & adveniente funeris hora, decanus, & capitulum, simulque ministri de more parati, Cruce cum luminaribus præcedenti, Ecclesiam exeant, ac defuncti corpus ad Ecclesiam, ubi sepeliri debuerit, efferant, & post vigiliæ recitationem, ac si per tempus licuerit, Missæ Sacrificium, illud sepulturę tradant; Pro quo similiter exequias agere, & Missæ Sacrificia infra dicenda celebrare: quæcumque demum defuncto fratri, ad animæ salutem, & corporis honorem necessaria, & opportuna providere teneantur. *ibid. c. 8.* §. 1.

Cum verò Capellanus, vel minister Ecclesiæ, ex hac vita pariter migraverit, comitantibus omnibus ejusdem Ecclesię Capellanis, atque ministris cum demonstratione, quæ talis Ecclesiæ ministrum deceat, per Parochos sepeliatur. *ibid.* §. 2.

Subscripserunt his decretis quinque libris distinctis, Mexici die 16. Oct. 6. an. Incarn. 1585. P. Archiepiscopus Mexicanus. Fr. Garcia Episc. Guatemalensis. Fr. Joannes Episcop. Mechoacanensis. D. Episc. Tlaxcalensis. Fr. G. E. Yucatanensis. Fr. B. Episcop. Antequerensis. Statutis verò cum iisdem subscripsit, Fr. D. Gallitiæ E. 17. Cal. Novemb. an. 1585.

In veritatis testimonium meum nomen subscripsi, Doctor Joannes de Salzedo secretarius.

Additur aliud testimonium Cardinalis Carrafa fidem facientis præsentem synodum à sacra congregatione Cardinalium ad Concil. Trid. interpretandum auctoritate sanctiss. D. Nostri præpositorum emendatam, atque aptatam fuisse, ejusque originale apud S. Congregationem mansisse. Romæ die 27. Octobris 1589.

SEX-



SEXTA CLASSIS, ET ULTIMA

CONTINENS ADDITIONEM Constitutionum quarumdam Pontificum extra Concilia generalia, aut Provincialia editarum.

VT totidem Classibus constet hoc secundum volumen, quot primum, addimus sequentes Constitutiones, quæ etiam connexionem, & affinitatem habent cum decretis Conciliorum, ut non immeritò cum eis conjungantur. Et licèt priores Pontificum Romanorum constitutiones sedem nobiliorem sibi vindicarent; ne tamen series, & ordo Conciliorum interturbaretur, non nisi post hæc à nobis exhibentur. Atque hunc ordinem etiam sequutus est Joverius. In his etiam paucula observamus, quæ si pro brevitate sua, aut aliis infirmitatis nobis ingenitæ defectibus avidæ studiosorum menti non satisfaciant, diligentiam provocent, & mentem acuant ad perquirendos fontes ipsosmet, in quibus rerum meliorum sitim queant extinguere. Hæc autem Classis initium habet ab Indiculo Isidori, dicti Mercatoris, cujus opera edita in publicum, decretorum collectio antiquior haberi solet, nec non ab alio Indiculo partium corporis Juris Canonici, cui successit Bullarium, ex quo potissimum illustria aliquot Bullarum specimina extraximus, earum scilicet, quæ magis ad doctrinam spectant, nec singulares personas, resve attingunt. Sed & plura Pontificum decreta aliunde conquisita non sine labore, & studio passim interserimus, quæ non sunt parvi momenti ad scientiam studiosorum perficiendam: Synodos etiam non paucas, nec modicas, quę ad regimen Diœceseon parcicularium spectant. Addant alii plura, qui volent: ego versando, & vertendo libros, componendo, ac dividendo, scribendo, & exscribendo, errataque plura corrigenda defessus sum, & exaustus, cùm jam ferè à XL. annis, cùm pauca opuscula sæpius incudi redduntur, non habita ratione plurium aliorum laborum, qui vel Elephantem conficerent, in Typographia detinear. Quin nec, currente ad Prælum hac Summa Conciliorum, potuimus differre, urgentibus Bibliopolis, opus majus totius Theologiæ Affectivæ Gallico idiomate conscriptæ, quæ pro octava, ac nona vice, in folio nempe, & in octavo in quinque tomis simul recuditur cum incrementis aliquot non contemnendis, cum hac Conciliorum Summa in novam lucem simul proditura. Deo ita disponente de laboribus nostris, qui doctis, & indoctis debitores sumus.

* * *

INDICULUS DECRETORUM PONTIFICIORUM AB ISIDORO Mercatore collectorum juxta Merlini editionem, qua ipsissimam Isidori collectionem (quisquis is fuerit) *contineri omnes fatentur.*

ORdo de celebrando Concilio.
Canones Apostolorum.
Decreta Clementis Papæ, & Martyris, Anacleti, Evaristi, Alexandri, Xisti, Telesphori, Iginii, Pii, Anitii, Soteris, Eleutherii, Victoris, Zephirini, Callixti, Urbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Xisti, Dionysii,

A Felicis, Eutychiani, Gaji, Marcellini, Marcelli, Eusebii, Melchiadis.
De primitiva Ecclesia edictum Constantini.
Concilium Nicænum,
Fides Gregorii majoris.
Concilium Ancyranum, Neocęsariense, Gangren-
B se, Sardiense, Antiochenum, Laodicenum, Constan-

ſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe.

Edictum Martiani Imperatoris. Sacra Valentiniani, & Martiani Auguſtorum. Edictum Martiani Imperatoris contra hęreticos. Epiſtola formata qualibet debet fieri.

Concilium Carthaginenſe 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Milevitanum, Arelatenſe 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatenſe, Regienſe, Auraicenſe, ſeu Auraſicum, Vaſenſe, Agathenſe, Aurelianenſe, Elibertinum, Tarraconenſe, Gerundenſe, Cæſarauguſtanum, Ilerdenſe, Valentinum, Toletanum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Bracarenſe 1. 2.

Liber Capitulorum ex diverſis Conciliis collectorum à B. Martino Bracarenſi Epiſcopo.

Concilium Bracarenſe 3. Spalenſe 1. 2.

Excerptiones ex decretis Sylveſtri Papæ.

Decreta Marci Papæ, Julii, Liberii, Felicis, Damaſi, Syricii, Anaſtaſii, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Xiſti Papæ III.

Decreta Epiſtolica Leonis Papę I.

Decreta Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelaſii, Anaſtaſii, Symmachi.

Liber Ennodii Papæ.

Decreta Hormiſdæ Papæ.

Libellus fidei Joannis Conſtantinopolitani.

Decreta Joannis Papæ, Felicis, Bonifacii, Joannis, Agapiti, Silverii, Vigilii, Pelagii, Joannis, Benedicti, Pelagii, Gregorii, Vitaliani.

Epiſtola Martini Papæ.

Decreta Gregorii III.

Epiſtola Zachariæ Papæ.

Burchardus. Hanc Iſidorianam collectionem poſt quadringentos fermè annos Burchardus Vvormatienſis Epiſcopus ſub idoneos locos communes ſingulas materias convehens, adſcriptis etiam veterum Patrum ſententiis in venuſtiorem formam digeſſit, libris viginti Juſtinianæam methodum juris civilis in jure Pontificio proximè imitatus.

Ivo. At cùm poſtea Berengarius Eccleſiarum omnium pacem novis de Euchariſtia opinionibus turbaſſet, accidit, ut decretorum Burchardi opus mancum, ac mutilum videretur, quod caret priſcorum Catholicorum teſtimoniis, quę Novatoribus opponerentur. Quę fuit occaſio Ivoni Epiſcopo Carnotenſi novum decretum ſcribendi, in quo teſtimonia illa Berengarianę hæreſi oppoſita inſeruit, additis aliquot juris Romani teſtibus, eodem ferè ordine cum Burchardo.

Gratianus. Gratianus porrò annis quinquaginta circiter inſecutus, ex Burchardi, Ivoniſque Synopſibus, ac compendiis, aliam collectionem meditatus eſt, in qua plura de ſuo adjicit, totuſque in ea verſatur, ut conſtitutionum Eccleſiaſticarum diverſitatem, ac antinomiam componat, ac conciliet: nec tàm ſe, ut compilatorem Canonum, ubique agit, quod ſibi pro ſcopo propoſuerant Burchardus, & Ivo, quàm diſceptatorem, cognitorem, & judicem: utique ſine exemplo, ait Joannes Molineus Lovanienſis decretorum Profeſſor in Epiſt. dedicatoria ad Ivonis opera, etiam id, quod vetuſtioribus religio erat, Canonum texturam propriis ſententiis interrumpere auſus. Nec aliud, nec amplius primæva Gratianici codicis inſcriptio pollicetur, quæ eſt, *Canonum diſſidentium concordia*, nullo doctrinæ ſervato ordine, quem qui in illius volumine veſtigant, non abſimiles iis ſunt, qui Delphini in ſylvis, aut in fluctibus apri venationem inſtituunt. Quare ſatis demirari nequeo, quo fato, ait idem, judiciorumve perverſitate acciderit, ut hoc uno in ſcholis retento, alii ita exulent, ut ne privatim quidem legantur. Quamvis id referri poſſit ad Academias eo tempore inſtauratas, quæ cum altercationes, ac diſputationes in Philoſophicis, ac Theologicis amarent, collectionem illam Gratiani diſputationibus magis aptam amplexatę ſunt, ut magis diſputatrices eſſe poſſent ubique.

Controverſia de primis Epiſtolis Pontificum Rom.

CUm initio Lutherani omnem traditionem ſine ſcripto rejicerent, quidam tamen ex ipſis tandem intellexerunt conſcientia convicti, quanti illa eſſet ponderis in rebus fidei diſcernendis: Inde venit illis in mentem conferre omnia, & diſcutere, quæ in omnium ætatum auctoribus legere potuerunt, maximè quæ pertinent ad tria capita. 1. De doctrina. 2. De ceremoniis. 3. De gubernatione Eccleſię, ſive, ut ipſi loquuntur, de Eccleſiaſtica politia. Hic fuit ſcopus Matthiæ Flacci Illyrici, & contubernalium militię ipſius Magdeburgenſium in Centuriis illis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. In quo ſtudio, dum valde multa reperiunt, quę à doctrina ſua, & diſciplina diſcrepant, & traditionem pro Eccleſia Romana confirmant, duobus modis effugiunt: alter eſt dicendo: hæc eſſe nævos, & inclinationes doctrinæ, in quibuſdam ſcriptoribus, quos negare non audeant: alter modus eſt negare omnino auctores. Atque hoc poſteriori modo uſi ſunt circa Epiſtolas decretales priſcorum Pontificum, per quorum ſcripta doctrinam ſuam, & diſciplinam configi, diſſimulare non poterant. Quod ſcitè obſervat Turrianus S. I. in opere pro canonibus Apoſt. Epiſt. Decretalibus Pontificum in Epiſt. dedicatoria ad Hoſium Cardinalem, & Epiſc. Vvarmienſem. *3. C... Magd... burg.*

Atque tale eſt de his Epiſtolis Magdeburgenſium Centuriatorum judicium. Attamen objicem mihi injicere non poterat talium hominum cenſura, qui ſatis produnt ſe veritatem millies à ſe agnitum in his Centuriis impugnare. Verùm

Cogitanti mihi hanc ſextam claſſem Collegii hujus Synodici ab Epiſtolis decretalibus primorum Pontificum Romanorum à B. Clemente ad Sylveſtrum inchoare obſtitit inter alia judicium Baronii de his epiſtolis anno Dom. M.CC.

Cujus autem fidei ſint, inquit, ac firmitatis quinque illæ, quæ ejuſdem Clementis titulo notatæ habentur, in his non laboro: tu conſule, quæ tùm ab aliis, tùm verò à Franciſco Turriano locupletiùs ſunt diſputata: ſatis nobis viſum eſt rem his paucis egiſſe. *Tur... adver... Magd... burg.*

Sed mirati ſumus Eccleſiæ hoſtes omnem admoviſſe arietem, atque adeò laboraſſe, ut primas illas decretales ſummorum Pontificum fide minuerent, atque irritas prorſus redderent, perinde ac ſi his fundamentis tota Eccleſię ædificatio inniteretur, quibus convulſis, eſſet protinus collapſura. Abſit, ut Dei Eccleſia columna, & firmamentum veritatis, tantæ veritatis teſtandæ laboret inopia, ut ſi ex illis petitæ probationes deeſſent, cauſa caderet: cum tàm in his, quæ ſpectant ad rectam diſciplinam Eccleſiaſticam declarandam, referta habeat locupletiſſima promptuaria probatiſſimę veritatis, quibus nulla prorſus poſſit unquam de impoſtura eſſe ſuſpicio. Quamobrem conſulto quidem cum agendum eſt nobis cum iis de Eccleſiaſticis controverſiis, ab earumdem Epiſtolarum citatione interdum abſtinemus, ne unis id genus armis indigere credamur, quorum acies ipſorum objectionibus retuſa videri poſſit, cum ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis (quod habet Pſalmus) ex ſacræ Dei Eccleſiæ armamentario validiora arma ſuppetant, ac fortiora. Ipſa namque eſt turris David, *quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, &c. *Pſal.* *Cant. 4.*

At Franciſcus Turrianus lib. 5. pro his Epiſt. cap. 14. qui primus epiſtolas illas in unum corpus redegit, invenitur Iſidorus Hiſpalenſis hortatu 80. Epiſcoporum, ut ipſe teſtatur in Prologo his verbis: Deinde quarumdam epiſtolarum decreta virorum Apo-

Apostolicorum inseruimus, idest, Clementis, Anacleti, Evaristi, & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire epistolas usque ad Sylvestrum Papam. Postmodum verò Nicænam Synodum constituimus, deinceps reliqua decreta præsulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium. Hactenus Isidorus. An non est fide dignus auctor, & ex numero Patrum sanctus Isidorus, & ætate Caroli Magni antiquior; unde didicit Beatus Isidorus tribuere auctoritatem epistolis Pontificum Apostolicorum, nisi à majoribus suis? quomodo ergo tàm apertè fallere voluistis, ut diceretis; neque facilè reperias has epistolas ab ullo Patrum, aut fide digno auctore ab hoc sæculo usque ad Caroli Magni ætatem citari?

Bellarminus porrò de Romanis Pontificibus lib. 2. cap. 14. dividit epistolas Pontificum in tres classes, quarum prima classis continet epistolas Pontificum, qui sederunt ad annum trecentesimum, &c. At, quamvis aliquos errores in eas irrepsisse non negaverim, inquit, nec indubitatas esse affirmare audeam, certè tamen antiquissimas esse nihil dubito. Mentiuntur enim Magdeburgenses centuria 2. cap. 7. ad finem, cùm dicunt, nullum fide dignum auctorem citasse has epistolas ante tempora Caroli Magni. Nam Isidorus, qui ducentis annis antiquior est Carolo, in procemio sui Collectanei sacrorum Canonum dicit ex Concilio 80. Episcoporum legisse Canones ex epistolis Clementis, Anacleti, Evaristi, & cæterorum Romanorum Pontificum. Item Concilium Vasense Can. 6. citat epistolas Clementis, ut nunc extant. Et celebratum est hoc Concilium tempore Leonis Primi, idest 350. annis ante Imperium Caroli. Denique Ruffinus, qui annis 400. præcessit Carolum, præfatione in Recognitiones Clementis à se conversas ex Græco, meminit epistolæ Clementis ad Jacobum, & eam se vertere dicit ex Græco, esse autem hanc verè versionem Ruffini testatur Gennadius lib. de viris illustribus in Ruffino.

Sed contra hæc omnia, & alia pleraque in eamdem rem argumenta insurgit Blondellus Catalaunensis Calvinianæ sectæ famosus defensor Magdeburgensis, suscepta causa adversus Turrianum, libro integro Genevæ edito anno 1618. cum hujus præfixione tituli: *Pseudo Isidorus, & Turrianus vapulantes, seu editio, & censura nova epistolarum omnium, quas piissimis urbis Romæ præsulibus à Beato Clemente ad Siricium, &c. nefando ausu, infelici eventu Isidorus, cognomento Mercator, supposuit, Franciscus Turrianus Jesuita adversus Magdeburgensium elenchos aculeato stylo defendere conatus est.* Ex quo insigni quale vinum in eo libro propinetur, haud difficile est agnoscere. Injuriis certè atrocissimis agit in Isidorum, cui prima collectio Canonum attribuitur, quem etiam projectæ nequitiæ rabulam Isidori Hispalensis larva tectum vocat.

Ac in Turrianum simul, qui ejus collectioni suffragatus est, agit, ut non solùm fide, sed & charitate animum ejus denudatum videre sit. Simulac, inquit, discusso teterrimæ caliginis horrore, redaccensa Evangelicæ veritatis fax, salutare lumen intulit terris (Lutherana scilicet factio) totoque Occidente resplenduit, vidit, & ingemuit, magnusque in ipsa Lucifugarum colluvie librorum Helluo Turrianus lumina in terram dedit, compressit oculos, & diem invisum expulit. Hic inter omnes delectus est, qui prospectum imperitis eripiens, miseram turbam fascinaret, nebulonis perditissimi, eorum omnium, qui scientiam ex conscientiæ puritate æstiment, cauterio inusti, defensionem susciperet, &c. Ex uno disce omnes.

Ac postquam in prolegomenis cap. 3. adstruere conatus est collectorem Canonum Isidorum non fuisse Hispanum, scrutans quis tandem ille fuerit, immemor prioris assertionis alium Isidorum assignat initio noni sæculi, fratrem Eulogii Cordubensis, qui persequutionis tempore Moguntiam se receperit, ubi & sublevandæ inopiæ causa mercaturam aliquam exercuerit: ac cùm tunc Moguntini collectionem illam Canonum publici juris facere intenderent, Isidori Mercatoris nomen illi præposuisse, ut scilicet crederent imperiti tantam fabularum anilium molem de Hispaniis, ut Hincmari verbis utar, allatam ab Hispano, Mercatore quidem, sed pietatis causa profugo, quique pretiosissimum, si Deo placet, thesaurum barbaricæ libidini subductum, Germano-Francorum amicissimorum fidei concredere mallet, quàm furentium (à quibus Hispania Bætica præsertim vastabatur) prædonum periculis objicere. Hæc scriptoris hujus Calvinistæ conjectatio, quæ levior est in re tanti momenti, quàm ut fidem ullam mereatur. Præterquam quod Ecclesiam spoliaret multis Conciliis, & subsequentium Pontificum decretis, quæ non aliunde hausimus, & accepimus, quàm ex prædicti Isidori collectione. In cæteris porrò prolegomenorum capitibus argumenta illa recudit, quæ à Magdeburgensibus proposita, à Turriano rejecta fuerant. Quibus nonnulla etiam addit contra Turriani responsa, quæ paginam multam occuparent, si in iis discutiendis immorari liberet. Ac in toto libro dat ipsas epistolas integras cum censura ad calcem, qua singulas percutit. Hic scopus, & argumentum libri, in quo nihil me magis movet, quàm quod plures ex scriptoribus Orthodoxis, ex quibus jam Cardinales Baronium, & Bellarminum produximus, ipsas epistolas dubiæ esse fidei opinantur. Capita porrò præcipua controversiæ hujus hæc sunt.

1. Quod materia epistolarum non convenit sæculo, quo vixerunt, qui epistolas scripsisse feruntur.

2. Quòd mendax sit Consulatuum consignatio in fine harum epistolarum.

3. Vulgatæ Scripturarum versionis usus frequens est in iis epistolis, qui post Divi Hieronymi ætatem cœpit, qui eam versionem emendaverit.

4. Identitas styli, quo epistolæ omnes conscriptæ sunt à variis Pontificibus, quorum aliquos aliis elegantius scribere potuisse dubium vix esse potest, adulterinas ostendit.

5. Spurcissimi in epistolis sermonis sordes haud patiuntur priscos urbis Præsules harum auctores extitisse.

6. ΑΝΤΙΚΡΟΝΙΣΜΑΤΑ.

Hæc, & quædam alia dubiam fidem reddunt harum epistolarum, quibus etsi nonnihil respondere videantur Binius, & Turrianus, non omnem tamen amovent scrupulum.

Juvat istis adjungere nonam appendicem Thesium Minoris Ordinariæ Baccalaurei Scotistæ non inerudit, nunc verò Doctoris in Facultate Theologica Parisiensi Fratris Francisci Courtot, die Lunæ 16. mensis Novembris, anno 1665. in Scholis Scoticis Fratrum Minorum. Sic ille.

Hierarchiam, & disciplinam Ecclesiasticam tuentur Catholici, abrogare satagunt homines reprobi circa fidem. Et, quia primorum Pontificum Epistolæ decretales, testes sunt primævæ Christianorum institutionis: inter eos præcipuæ authoritatis, diffusæ lectionis, & operosæ scriptionis vir, spurias eas pronunciat; scilicet, quia mente corruptus, Isidorum Hispalensem earum collectorem negat; contrarium assero. Falsò consignatas affirmat; mentitur in plusquàm triginta. Hieronymi versionem usurpare contendit; ipsemet oppositum plerumque fateri cogitur: nec, etsi id in aliquibus verum esset, valeret argumentum. Identitatem materiæ, styli convenientiam, aliquas etiam sermonis sordes exprobrat; at quorsum hæc? diligentius inspecta nobis magis favent, quàm sibi. Tandem bis mille antichronismata prætendit; ex posteriorum Scriptorum laciniis, consarcinatas Epistolas vociferans: verùm, quàm frigidè id probet, noverit omnis, qui tantisper in margines oneratas oculos conjecerit; in quibus, ut plurimùm

Thesis Minoris Ord.

hæc tria tantùm reperiet, dicteria, allusiones contortas, & ad pauca verba restrictas, & explicationes malitiosas, multæ memoriæ, sed parum castigati judicii indices. Non negamus tamen, aliquas priscis Urbis Episcopis suppositas, aut lapsu temporum interpollatas: quarum censuram ex nostris plerumque est expiscatus. Non ergo amplius inficientur ejus asseclæ, nos his tantùm fulcire disciplinam, & ritus Ecclesiasticos, has quippe paleas exsufflamus, habentes aliud fundamentum, quod nunquam diruere poterunt *homines corrupti mente, & reprobi circa fidem.*

Certè negari non potest, quin aliquas Epistolas scripserint primi illi Pontifices, sicut & scripserunt Apostoli, & ipse Divus Petrus Pontificum vertex, & posteriores etiam ipsis Pontifices: vix enim aliter regi posset Ecclesia tàm latè diffusa: sed, quæ sint, discerni vix posset, perierunt multæ in persecutione Gentilium, qui omnia Christianorum bona, & chartas quoque diripiebant. Aliquæ nihilominus, sicut & ipsæ scripturæ sacræ evadere potuerunt. Quicquid sit, aliæ Pontificum Epistolæ post tertium sæculum resarciunt istam ruinam, & eadem jura summi Pontificis Romani, ac decreta continent, quare in hac classe sexta quasdam ex iis electas exhibebimus post quædam decreta Pontificum eorumdem primorum sæculorum, quibus non possint contradicere hæretici. Sed & hoc admisso, quod ea, quæ hæretici reprehendunt in his Epistolis, ut est præcipuè, quod Primates, vel Patriarchæ ponerentur in his civitatibus, in quibus Ethnici olim Archiflamines haberent, quod est in Epistola Clementis ad Jacobum, quod chrisma conficeretur, & eo ungerentur baptismum suscipientes, & confirmationem: quod causæ Episcoporum per appellationem ad Pontificem Romanum terminarentur, quod habent plures ex iis Epistolis: hæc tamen, & similia, si non essent verè scripta, cùm fuerint de usu, & consuetudine Ecclesiæ, tàm verè dici posset ab Apostolis exordium sumpsisse, quàm consuetudo non rebaptizandi baptizatos ab iis, qui prava sentiunt: de qua scribit Divus Augustinus, quod ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, inquit, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur, lib. 5. *de Baptismo contra Don. cap.* 23.

Corpus Juris Canonici.

CORpus Juris Canonici quinque partes complectitur.

1. Decretum est Gratiani.
2. Decretales Gregorii Noni.
3. Sextus Decretalium Bonifacii Octavi.
4. Clementinæ Clementis Quinti.
5. Extravagantes communes.

Prima pars dicta decretum compilatum à Gratiano Monacho Sancti Felicis Bononiensis Ordinis sancti Benedicti in eodem Monasterio anno 1151. temporibus Eugenii Papæ Tertii in tres partes distinctum est. Prima continet distinctiones centum, & unam, citaturque hoc modo, *distinctione* 3. cap. & exprimitur initium capitis, seu Canonis. Secunda pars continet causas triginta sex.

Sub magnì longa decreti parte secunda.
Sex, & triginta causas reperire licebit.

Unaquæque autem causa dividitur in quæstiones, & ipsæ quæstiones in capita, aut Canones: unde sic citatur. 1. Supple *causa*, quæstio. 4. cap. & exprimitur initium capitis. In trigesima autem tertia causa à quæstione 3. usque ad 4. interponitur tractatus de Pœnitentia, qui dividitur in octo distinctiones, sub quarum qualibet ponuntur aliquot capita. Et sic citatur *de*

A *Pœnitentia*, dist. 4. & ponitur initium capitis. 3. Pars decreti vocatur de Consecratione, quæ subdividitur in distinctiones, & hæ in capita, unde hæc pars sic citatur, *de Consecratione*, distinct. 2. c. exprimendo primam, aut secundam dictionem capitis.

Hoc autem decretum continet Canones tres mille, & nonaginta, unde versus,

Si numeres cautè ter mille capitula lector,
Atque decem novies, decretum continet in se.

Quale autem judicium de Gratiano ferendum sit, dictum supra. Illud in multis corrigi curavit Gregorius Decimus tertius, multorumque est opinio non plus roboris habere, quàm vel Concilia, vel Pontifi-
B ces, aut Patres, quorum verba refert. Et quamvis Eugenius Tertius dicatur illud decretum approbasse, id tamen ita intelligendum venit, non quasi omnes Canones; quasi articulos fidei proposuerit, sed quod illorum usum in jure, & litibus dissolvendis probaverit. Hoc expresè docet Diana, multis relatis auctoribus, par. 3. tract. 6. resolut. 26. & ante eum Suarez, lib. 4. de legibus cap. 5. ubi & advertit sententias Patrum non accipere vim legis, eo quod à Gratiano in suo decreto insertæ sunt, quia nec Gratianus habuit potestatem dandi vim legum, neque Pontifex aliquis approbavit pro legibus omnia, quæ in illo decreto continentur: & aliunde lex non est actus doctrinæ tantùm, sed potestatis: sancti autem Patres non habebant potestatem hanc, neque etiam hac intentione
C talia scripta tradebant. Quid, quod Gratianum non omnia sumpsit ex propriis originalibus, sed multa ex antiquioribus decretorum collectoribus: & ita facilè potuit deceptio, & mutatio fieri, præsertim in nominibus auctorum. Quapropter semper consulenda sunt originalia; quando verò hæc non inveniuntur, inspiciendum est, an talia decreta, usu saltem, & consuetudine sint recepta, vel in aliis certioribus decretis confirmata, alioquin ad jus constituendum non sufficient.

Vide ex his, quam non necessario aliqui in disputationibus Theologicis omnia ex Gratiano sibi objecta variis interpretationibus sæpè à sensu ipsius alienissimis deludere potius, quem dissolvere conantur. Cùm sufficeret regere decreta Gratiani vim legis non habere,
D nisi quatenus constitutiones sunt Pontificum, aut Conciliorum generalium, nisi forsan propriæ provinciæ Concilium decretum Gratiani competeret.

Decretales Gregorii Noni, qui creatus est Pontifex anno 1227. nihil aliud sunt, quàm constitutiones Pontificum, quas Gregorius Nonus opera Raymundi de Pennaforti natione Cathalani, patria Barcinonensis, sui Capellani, & Pœnitentiarii, Ordinis Fratrum Prædicatorum in quinque libros digessit, cùm prius harum constitutionum quinque extarent compilationes, in quibus plures Scriptores, auctoritate privata hujusmodi constitutiones collegerant. Materiæ autem horum librorum generatim his versibus continentur.

E
Prima creat clericos, officia præparat inde.
Altera judicium cum requisitis appellat.
Tertia de vita, contractibus, testaque mentis.
Nubere quarta docet, & quæ spectant ad illud.
Ultima criminibus pœnas injungere curat.

Dividitur autem opus hoc in varios titulos, seu rubricas ratione rerum, quæ tractantur, ut est *de arbitris, de appellationibus, de bigamis*, &c. & unusquisque titulus in varia capita dividitur. Citatur autem indicando materiam tituli, & initium capitis. Appellatur quoque hic liber extravagantium, quod contineat constitutiones extra corpus decreti positas, & vulgo *extra.* fortè brevitatis causa. Unde & sæpè in citando præmittitur, *extra.*

Sextus

Sextus decretalium ita dictus, quod additus sit quinque libris Decretalium per Bonifacium Octavum, qui Pontifex creatus anno 1294. decretales Epistolas prædecessorum suorum recenseri curavit per viros doctos, & sub variis titulis, novis etiam decretis à se additis, in quinque libros dividi. Unde citatur eodem modo, quo decretales, addendo in fine citationis *in sexto*.

Clementinæ eodem modo in quinque libros dividuntur sub variis titulis, & Canonibus, quos cùm Clemens Quintus creatus Pontifex anno 1305. in Concilio Viennensi edidisset, nec sub variis titulis publicare potuisset, morte præventus, ejus successor Joannes Vigesimus secundus id præstitit: ac ad universitatem Bononiensem transmisit, Joannesque Andreas glossis illustravit. Citanturque eodem modo, præmisso, *Clementina*.

Extravagantes Joannis vigesimi secundi libro uno contentæ. Hic creatus est Pontifex anno 1316. alias suas constitutiones publicavit, præter Clementinas, sub variis titulis, quibus alii addiderunt alias constitutiones, quæ à variis Pontificibus Romanis post sextum Bonifacii emanarunt. Citanturque cum hoc discrimine, quod prioribus præmittitur, vel subjungitur *extr. Joannis* 22. posterioribus *extr. comm.* & licèt extravagantes illæ communes quinque libris contineantur, in citatione tamen earum non fit librorum mentio, sed solius materiæ, quæ in titulo continetur, ac primorum verborum capitis, extravag. communium de hæreticis cap. &c.

Quod idem observatur in citatione decretalium Gregorii, & Bonifacii, necnon Clementinarum.

Atque cùm tot leges, ac decreta, quæ tot vincula sunt ad continendos homines in officio, satis esse visum sit aliquando, currentibus tamen sæculis, & quotidie novis morbis exurgentibus, ac novis morum corruptionibus, ac maximè errorum grassante prurigine, nova etiam antidota necessaria fuerunt: unde & alii Pontifices novas alias constitutiones pro varia rerum necessitate emittere in lucem coacti sunt, quas inter cæteros diligentissimè conquisitas in unum corpus coegit Laertius Cherubinus à Leone Primo ad Paulum Quintum Bullas omnes Pontificum in unum, veluti fascem, colligens, quem Bullarium vocavit, quod etiam ejus filius Flavius Cherubinus in compendium breve redegit, ac quibusdam scholiis illustravit. Nec sic tamen omnes Pontificias sanctiones adhuc reperias, cùm præter eas, quas omiserunt, novæ adhuc recenter emanaverint post Paulum Quintum, ut collectio tot decretorum in immensum opus excrescat. Nos ergo, quibus paucæ restant paginæ ad complendum volumen istud, tantùm aliquas ex his ultimis constitutionibus indicamus magis, quàm exhibemus, ac illustriora earum specimina, quasi quosdam rivulos ex uberrimo fonte, quem magis sitientibus adire licet, damus pro ratione summæ.

Adde, quod hujusmodi constitutiones plerumque ex variis Congregationibus Cardinalium Romanæ Ecclesiæ emanarunt, quæ Conciliis Italiæ successerunt. Cùm enim ante annos octingentos, ut scitè observat P. Dominicus à Sancta Trinitate Bibliothecæ Theologicæ lib. 3. sect. 6. cap. 14. ante annos octingentos Romani Pontifices ad graviora consultanda negotia cogerent Concilia Nationalia Italicorum Episcoporum, quibus etiam Presbyteri Cardinales intererant, ut ex D. Gregorii Synodo apparet lib. 4. epist. cap. 88. cùm talia Concilia omitti cœpissent, res paulatim remissa est ad Cardinalium senatum: compositis ex illa plurimis congregationibus, ut partito onere in plures diligentius res singulæ discuterentur, deinde pro suprema manus impositione ad summum Pontificem deferrentur. Tales sunt, inter alias, congregatio sacræ Inquisitionis, seu sancti Officii, congregatio de propaganda fide, de sacris ritibus, & ceremoniis, alia de interpretatione Concilii Tridentini, & congregatio pro indice librorum prohibitorum. Quæ cùm veterum Conciliorum locum teneant, à scopo alienum penitus non erit aliqua exinde excerpere. Ea saltem, quæ magis ad doctrinam pertinent, præmissis tamen quibusdam de clavibus Divi Petri, tùm de decretis Pontificum Romanorum extra Concilia, quæ in antiquioribus sæculis pro regimine Ecclesiæ ab ipsis emanarunt. Quæ tamen non semper habenda sunt, tanquam decreta fidei, & ex Cathedra, & auctoritate prolata. Plura certè sunt tantum pro consiliis, aut monitis habenda, non pro jussionibus stricti juris. Quod semel monuisse sufficiat.

BULLARII, ET DECRETORUM

Pontificum Romanorum aliquot specimina.

DE CLAVIBUS ECCLESIÆ.

Ex sermone: Dabo tibi claves regni cœlorum. Matth. 16.

Tres Quæstiones absolvent præsentem orationem.

1. *Quid sit clavis Ecclesiæ.*
2. *Quotuplex illa sit.*
3. *Quas portas claudit, aut aperit.*

I. QUÆSTIO.

CLavis, ut dicit Hieronymus super Matthæum, & habetur 4. sentent. distinct. 18. est potestas spiritualis ligandi, & solvendi, qua Ecclesiasticus judex dignos recipit, & indignos excludere debet à regno cœlorum. Vel clarius, clavis est potestas spiritualis ligandi, & solvendi, qua dignis aperitur, & indignis clauditur regnum cœlorum, concessa per Christum D. Petro, & aliis sacerdotibus.

Hæc definitio legitima est, quia cùm claves sint quædam potentiæ, potentiæ verò cognoscantur per actus suos, actus per objectum, circa quod versantur & per subjectum, in quo sunt, & per finem, propter quem sunt, hæc omnia debent includi in ejus definitione. Hæc autem 4. includuntur in hac definitione. Actus sunt ligare, & solvere: subjectum est, Ecclesiasticus Judex, qui est sacerdos charactere insignitus: objectum est omnis homo, ad participandum regnum cœlorum creatus, ita ut ab eo indigni repellantur, & digni admittantur, excludere autem est ligare, admittere est solvere. Finis est gloria regni cœlorum, ut solis bonis pateat.

Magna res, & prodigiosa! A peccato primi parentis regni cœlorum introitus nulli patebat; propterea quod non erat satisfactum pro injuria peccati. Omnes, quantumcumque pii, & justi, in limbo tenebroso conclusi erant. Venit Christus novus homo pro peccato satisfacturus: inde incipit apertio januæ cœlorum, & claves promittit Divo Petro. Clausio autem regni cœlorum dicit impossibilitatem illuc introeundi, antequam satisfactum esset Trinitati, quæ jure suo, & authoritate propria claves illas sola habebat: ergo spes mundi est post Christum in Divo Petro.

Ad quod amplius cognoscendum, sciendum est, claves illas esse in triplici subjecto: in Trinitate, in Christo homine, & Divo Petro, ac aliis sacerdotibus sibi subditis; differenter tamen. Nam in Trinitate est nobiliori modo, quàm in Christo homine, & in Christo homine nobiliori modo, quàm in Divo Petro, & aliis sacerdotibus.

In Trinitate claves sunt auctoritativè, & primariè, ac independenter. Est enim de jure ipsius remittere maculam peccati, quia ipsa est supremus Dominus auctor regni cœlorum, qui per peccatum injuria affectus est.

In Christo homine est per participationem à Trinitate, & per excellentiam respectu aliorum; estque in ipso per meritum suæ passionis; aperit ille toti naturæ humanæ, non huic solum, aut illi, Apocalypf. 3. *aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Ex merito ipsius, & voluntate communicantur aliis, qui de se nihil possunt, sed ex meritis Christi: Christus etiam potuit solus instituere Sacramenta, quibus remitterentur peccata, potuit etiam conferre effectum Sacramenti sine ipso Sacramento, quod non potest Ecclesia. Remittit peccata paralytico: remittit Magdalenæ absque prævia confessione peccatorum.

In Petro denique sunt claves ministerialiter; *Dabo tibi claves regni.*

II. QUÆSTIO.

At, quot sunt illæ claves regni cœlorum?

Communiter illæ claves duæ assignantur: una dicitur clavis scientiæ, alia clavis potestatis in duplici foro. Clavis scientiæ illa est, quæ pertinet ad judicandum, quis sit dignus, vel indignus regno cœlorum: Ratio est, quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt; ratio autem postulat, ut non quilibet admittatur ad regnum cœlorum. Nihil immundum, & coinquinatum, aut abominationem faciens intrabit in illam civitatem totam auro fulgentem, cujus fundamenta sunt omnes lapides pretiosi, cujus portæ sunt duodecim margheritæ: foris canes, & impudici, &c. Idcircò Deus, cui inter legislatores nemo similis, voluit præmitti clavem judicii, & scientiæ, ad discernendum dignos, & indignos; quod judicium postulat notitiam tùm peccatorum, tùm contritionis, ac detestationis ipsorum: itaut Sacerdos cognoscat statum pœnitentis sui, ac judicet illum in tali statu esse, ut possit dici amicus Dei, Filius Dei. Inde competit jus Sacerdotibus compellendi homines, ut accedant ad Sacramentum pœnitentiæ statum suum manifestaturi. Sic in judicibus sæculi, antequam sententiam pronuntient, debent informari de statu causæ, & habent auctoritatem inquirendi, informandi, sistendi testes ad suum tribunal.

Apocal.

Altera clavis dicitur potestatis ad ligandum, aut solvendum, nempe vinculum peccati, illud condonando ex parte Dei, vel non condonando.

A In peccato spectanda.

Cùm autem multa sint in peccato spectanda, dubitatur, ad quid se extendat illa clavis, an super omnia. Quatuor autem sunt in peccato maximè consideranda, macula, reatus, tenebra, & pronitas ad malum derelicta ex peccato. Super quæ quatuor aliquo pacto se extendit clavis illa potestatis. Nam macula, quæ est privatio nitoris ex gratia provenientis, tollitur per infusionem gratiæ. Reatus, qui est obligatio ad pœnas omnes, quibus dignus est peccator, majori ex parte etiam tollitur; cùm desinat obligatio ad pœnam æternam, & ad alias, habita ratione magnitudinis doloris. Tenebra quoque, qua mens peccatoris obducta, per potestatem illam debet illuminari. Jus habet docendi pœnitentem de rebus, quas scire tenetur. Itemque jus habet imponendi pœnitentias tàm satisfactorias, quàm medicinales contra pronitatem ad malum.

Atque hæc pro quibuslibet Sacerdotibus in foro interno. Cæterum pro foro externo totidem claves assignari possunt in majoribus potissimum Sacerdotibus, qui tribunal habent, & jurisdictionem externam. Una est clavis scientiæ, alia est potestatis. Per primum jus habent discernendi, quid credendum, quid agendum, quid non agendum pro assequendo regno cœlorum: per secundam jus habent obligandi subditos sub pœna exclusionis à regno cœlorum. Tali ipsos auctoritate Christus donavit, reputans se contemptum, si quis ipsos contempserit. Unde derivatur potestas censurarum in majoribus Sacerdotibus, ut ligent, & excludant à regno cœlorum, & ab Ecclesia militante, A & triumphante, quos judicaverint esse ligandos: nam, quia Principum est Ecclesiæ. 1. Episcoporum admittere homines in Ecclesiam, eorum est etiam ab ipsa exules facere per censuras excommunicationum, & aliarum. Quæ potestas ita à Christo data est Petro, & aliis, ut judicium ipsius pro Ecclesia militante sit præjudicium pro Ecclesia triumphante. Unde Tertullianus in Apolog. cap. 39. summumque judicii futuri præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sacri commercii relegetur.

Quare meritò Gilbertus Episcopus Londinensis in cap. 3. Cantici cantic. verba Christi ad Petrum sic interpretatur. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt* B *adversus eam*; id est. Vires sum daturus Ecclesiæ, & ædificabo tàm firmiter, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam, id est, spiritus maligni, & hos sequentes divites mali non eis nocebunt. *Et tibi dabo claves regni cœlorum*, id est, ut nullus intret in regno cœlorum, nisi per fidem, & Sacramenta, quæ sunt ex me tibi commissa. Et maledictus erit, id est, fides, & Sacramenta ei non proderunt, cui maledixeris: sicut ille salvus (salutifer) cui benedixeris.

Quis jam non stupeat tantam potestatem datam per Christum Divo Petro? quis non suspiciat, & miretur Apostolum tàm exaltatum? namque per illam clavium traditionem facit illum, & constituit dominum, & regentem suæ Ecclesiæ: sicut cùm cives tradunt claves suæ civitatis principi, hoc judicium est, quod illum C in principem agnoscant.

Imò non solum Ecclesiæ illi regimen tradit, sed etiam regni cœlorum, ut, clave non errante, admittat ad ipsum, qui eo digni invenientur, & claudat ipsius ostium illi, qui eo indignus erit.

Unde claves regni cœlorum duplicem potestatem designant: in Ecclesiam militantem, & in Ecclesiam triumphantem: ut quicumque benedictus fuerit à Divo Petro in Ecclesia militante, benedictionem consequatur in Ecclesia triumphante.

Quæ, etsi omnibus Episcopis aliquo pacto conveniant, non dubitandum tamen, quin specialius Divo Petro, & ipsius successoribus competant. Quantum enim ex Scriptura sacra datur assequi; hoc discrimen D invenitur inter Divum Petrum, & cæteros Apostolos; quod potestatem ligandi, & solvendi non legatur Christus dedisse Apostolis, nisi cum Divo Petro adunatis: At verè specialiter locutus est ad Petrum, nec ad alios Apostolos dixit hæc verba: *Dabo tibi claves regni cœlorum*, &c. *Pasce oves meas*, &c. Atque in hoc discrimine, si rectè observetur, schismata sopiuntur, argumentis prolixis ad fidem veram non opus. Aperiat, & claudat Divus Petrus, liget, & solvat, compendium est veritatis pro assequendo regno cœlorum, si modò ipsi obediatur, & ipse, ut caput, attendatur, sicut Cyprianus Martyr diviné locutus est in tract. *de unitate Ecclesiæ*. Sed non omnes obediunt Euangelio. Sed de his satis, ad tertiam quæstionem nos accingamus.

E

III. QUÆSTIO.

Quot portas claudunt, & aperiunt hæ claves? jam satis patet aperire portas Ecclesiæ militantis, & triumphantis. Dubium est de inferno, & purgatorio.

Quare hæ claves non dicantur etiam claves inferni, & claves purgatorii, ut quatuor portas dicantur aperire, & claudere? Primam quæstionem tangit Tostatus Abulensis in Matth. cap. 16. quæst. 72. Claves, inquit, sunt præcipuè ad aperiendum: at Ecclesia non aperit infernum, quia non erat actus ille alicujus excellentiæ, sed aperit regnum cœlorum: ideò non dicitur habere clavem inferni.

Vera

Verâ ratio hujus est, quod actus clavium est aperire ostium, ut quis introeat, vel quis exeat. At Divus Petrus neminem intromittet in infernum: quia id fieret vel per fidem perversam, vel per mores depravatos: at Ecclesia in Divo Petro ædificata, nihil in fide perversum, nihil in moribus docet depravatum; unde qui sequitur doctrinam Ecclesiæ in fide, & moribus, extra periculum est.

Quis ergo habet clavem inferni? Hæretici sanè, & qui depravati in moribus alios malè vivere docent, seu exemplo, seu malis actibus, & suasionibus.

Quis, inquam, habet claves inferni? unusquisque, qui præditus est libero arbitrio.

Ut verò Ecclesia nemini causa est ingressus in infernum? sic neminem semel in illum ingressum ab illo liberare poterit: in inferno nulla est redemptio.

Neque verè claudit infernum cuiquam, impediendo efficaciter, ne ad illum quisquam descendat, aut reddendo ingressum illum cuiquam impossibilem, faciendo quod quisquam non peccet ultra mortaliter. Quia ad hoc requireretur non quælibet gratia, ait ibidem Tostatus, sed magna, quæ est quasi gratia confirmationis, quam dat solus Deus, &c.

Attamen Divus Thomas 3. par. quæstio. 17. art. 1. ad 3. Clavis inferni, qua ipse aperitur, & clauditur, est potestas conferendi gratiam, per quam homini aperitur infernus, ut scilicet exeat à peccato, quod est porta inferni, clauditur verò infernus, ne ultra in peccatum relabatur.

Atque hoc sensu non repugnat tales claves Divo Petro attribuere, quas etiam Christus dicit se habere Apocalyps. 1. *& habeo claves mortis, & inferni.* An non Ananiam, & Saphiram interfecit? an non Simonem Magum? quid aliud agit excommunicando? &c.

Habet igitur præ cæteris claves Ecclesiæ, &, ut dicunt Theologi, habet plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, quæ, ut describitur à Gersonio, tractat. de potestat. Eccles. considerat. 10. est potestas ordinis, & jurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro, sicut Vicario suo, & Monarchæ, primo per se, & suis successoribus legitimis usque in finem sæculi, ad ædificationem militantis Ecclesiæ, pro consecutione felicitatis æternæ. *Dabo claves tibi regni cælorum.*

At cur non dicitur clavis purgatorii? equidem non dubito, quin aliquo sensu dici possit Sacerdotes multos mittere in purgatorium, per pœnitentias leviores, habita ratione peccatorum, sed id non fit ex intentione ipsius Ecclesiæ: uniuscujusque peccatoris mollities, segnities, & vita imperfectior clavis illi erit pro apertione purgatorii.

Verum est Indulgentias posse concedi pro defunctis, ut plures ex sanctis Doctoribus istud confirmant. At quo modo? per modum suffragii, non per modum absolutionis, per preces, & orationes, non per potestatem absolvendi. Quod fit, dum ex auctoritate Ecclesiæ bona opera, quibus annexæ sunt Indulgentiæ, transferuntur ad defunctos in purgatorio, orante Ecclesia, ut ea Deus rata, & accepta habeat pro iis, quibus applicantur, & donantur à viventibus. Etsi verò pium sit credere, Deum exauditurum pias Ecclesiæ suæ preces: at id ratum, & fixum non est: ideò, cùm clavis denotet potestatem: non est propriè ista Indulgentia clavis Ecclesiæ.

Quæ cùm ita se habeant, revereamur talem potestatem datam hominibus, & dum vita præsens subsistit, tanto dono fruamur, &c.

A

DECRETUM D. PETRI

De legendis Scripturis sacris per Ecclesias.

PRimus Summorum Pontificum Ecclesiæ Christi Domini Divus Petrus, postquam in Judæa Simonem Magum primum hæreticorum profligasset, illeque Romam venisset, ut ibi virus suum spargeret, illico huc advolat Divus Petrus, ut eumdem hæreticum etiam Romæ vinceret, bono omine pro Pontificibus Romanis, quorum semper officium fuit, exemplo Divi Petri, hæreticos condemnare, ac dejicere. Quæ describit Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 13. & 14. aitque postea tradidisse Scripturas sacras Ecclesiis legendas. Decretum nempe tulit ea de re, quod nihil opportunius esset ad adducendos infideles ad fidem, quàm illos de veritate fidei convincere per Prophetias veteris testamenti: sicut nihil utilius ad fideles in fide corroborandos, quàm easdem Prophetias sæpè revolvere, sicut & libros novi Testamenti, in quibus adimpleta exhibentur, quæ in libris veteris Testamenti tantùm figurabantur, aut promittebantur: sicut in Apparatu hujus Summæ satis manifestè ostendimus. Unde & idem Divus Petrus 1. Epist. cap. 1. tantum extollit Scripturas sacras: *Sed his habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Quamvis accuratius perpendendo verba Eusebii ex versione Ruffini cap. 15. lib. 2. non aliud intelligat per scripturam, quàm Euangelium Divi Marci, postquam enim retulit ea, quæ prædicabat Divus Petrus, scripto consignasse Marcum, fidelibus id ab ipso efflagitantibus, quo domi, forisque in ejuscemodi verbi meditationibus permanerent; Petrus verò, ut per Spiritum sanctum religiosè se spoliatum furto comperit, delectatus est fidem eorum per hæc, devotionemque considerans: factumque confirmavit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesiis tradidit.

Simon Magus à Divo Petro profligatur.

B

Exversione Ruffini.

C

Alia porrò Decreta Divi Petri plura alia continentur in Epistola Divi Clementis Romani ad Jacobum Fratrem Domini: quam Epistolam integram referunt post Isidorum Mercatorem, qui non summas, sed Concilia cum suis omnibus partibus, & appendicibus scripserunt. Sed quia de falsitatis nota suspecta est hæc Epistola apud plures bonæ notæ scriptores orthodoxos, etiam ipsum Bellarminum in lib. de Script. Eccles. quicquid in contrarium opinentur inter antiquos Ruffinus Aquilejensis, & inter recentes Turrianus, qui contendit nihil obstare veritati Epistolæ, quod directa sit ad Jacobum Fratrem Domini jam ab aliquot annis vita functum (quod satis incredibile est, quis enim prudenter scribat homini, quem novit jampridem è vivis excessisse?) cùm non sit nostri instituti paginam occupare in dubiis, aut falsis narrationibus, in talibus libenter stylum continemus. Simile judicium est de aliis ejusdem Clementis Epistolis, illa excepta, quæ est ad Corinthios, quam Græcè, & Latinè inserit tomo 1. Conciliorum P. Labbè Societ. Jesu, cujus quidem Epistolæ meminit Divus Dionysius Corinthiorum Episcopus circa annum 167. lectamque asserit in Ecclesiis ex veteri instituto apud Euseb. lib. 4. Histor. cap. 23.

Epist. Clementis.

D

E

Victor Papa successit Eleutherio anno Christi 174. ac decretum renovavit de celebrando paschate, ut à prædecessoribus suis statutum fuerat prima Dominica post 14. Lunæ Martii, in qua illud celebrant Judæi, idque injunxit quibusdam Episcopis Asianis, quos etiam renitentes obedire, excommunicavit. Qua de re supra dictum est in quarta classe, & factum testatur Eusebius lib. 5. Histor. cap. 24. nec in dubium revo-

Potestas Papæ in Episcopos remotiores ab urbe Roma.

revocatur, quamvis inde exortæ sint lites, & controversiæ, an prudenter id gestum? Id tamen indicat manifestè potestatem clavium in sede Romana, & ejus auctoritatem circa remotiores quosque Episcopos, quos in officio continet à primis temporibus. Magnum verò quid se præstare putant hæretici, quod Epistolam ipsius primam, quæ hoc decretum continet, variis criticis notis obfuscare nitantur. Decretum ipsum inficiari non possunt, quamtumcumque calumnientur. Unde & Blondellus in Censura hujus Epistolæ. Cuivis obvium sit Victorem rigore suo non procurasse remedium, sed auxisse morbum; nec errantibus incussisse terrorem, sed deviis socios, errori patronos quodammodo quæsivisse. His semper artibus Romanus Typhus consuluit Ecclesiæ. Sic ille Ministellus, non advertens decretum Victoris ubique tamdem Victoriam obtinuisse, & hoc factum innumeris profuisse, & profuturum, ut agnoscant non esse novitatem Papatus (ut Molinæus frustra disputat libro integro) quod Papa contineat in ordine orbis terrarum Episcopos, cùm id sit juris antiqui, & usus primorum sæculorum, in quibus Ecclesiam incorruptam extitisse non denegant. Inde apud eumdem Eusebium lib. 4. cap. 23. Dionysii autem (nempe Corinthiorum Episcopi) fertur ad Romanos data ad Episcopum Sotorem Epistola, in qua instituta antiquitus tradita in Ecclesia Romana custodiri libenter amplexum se his indicat verbis: *A principio namque moris est vobis, fratres, omnes variis juvare beneficiis, multisque Ecclesiis, quæ sunt per diversa terrarum loca, cuncta, quibus indigent, destinare, singulorum quoque necessitates in omnibus consolari*, & cætera. Quæ, licèt prima fronte nihil aliud ostendant, quàm curam, & solicitudinem in corporalibus necessitatibus, inde tamen conjectare licet multo magis pro spiritualibus necessitatibus, si vitia aliqua succrescerent, si hæreses, aut schismata orirentur, providisse Romanam Sedem. Quare mihi dubium non est, quin omnes hæreses fulmine Pontificio ictæ fuerint, non solùm illa, quæ fuit Simonis Magi, sed & Menandri, qui fuit scutum diaboli non inferius ipso Simone, cui successit hæresis Ebionis, Cherinti & aliorum, de quibus idem Eusebius lib. 3. cap. 32. Ut verò Apostolorum Chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat vivæ vocis auditum, de hac luce discessit, tùm velut in vacuam domum falsæ doctrinæ impius se error immersit, & tanquam, ubi jam divini census defensor nullus existeret, nudato (ut ajunt) capite corripientes arma mendacii oppugnare Apostolicam veritatem nituntur. Quibus certè in doctrinæ erroribus multo plus æquum est arbitrari Pontifices Romanos obstitisse, si ne quidem quidpiam in praxi, quod doctrinam fidei non tangeret, tolerare potuerint, quin illicò improbarent. Sed nec omnia scripta sunt, nec quæ scripta fuerunt, ad posteros pervenerunt.

Zephirini edictum.

Zephirinus Papa, qui sedem Divi Petri obtinuit ab anno Christi 203. ad annum 221. Decretum vulgavit de admittendis ad absolutionem mœchis, & adulteris. Cùm enim hic Pontifex animarum zelo ductus videret plures adulteros ex severiore praxi desperantes, semetipsos omni se impudicitiæ tradere, aut à fide deficere, edictum in remedium proposuit, de quo Tertullianus jam à Religione Catholica alienus lib. 1. *de pudicitia* cap. 1. Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium, *Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum edicit: Ego & Mœchiæ, & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto*. O edictum, cui non poterit attribui bonum factum? & ubi proponetur liberalitas ista? ibidem opinor in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Scripsisse autem hunc librum de pudicitia contra Zephirinum anno Christi 216. Zephirini 14. Antonii Caracallæ Imperatoris 4. testatur Baronius anno Christi 216. Quod autem edictum ferebat, *Pœnitentia functis*, idem est ac pœnitentibus, ut scribi solet in Bullis Indulgentiarum; nam si aliter intelligeretur de iis, qui longa pœnitentiæ tempora adimplevissent, edictum nihil profuisset pluribus, qui non nisi in extremo vitæ limite pœniterent. Est autem edictum triplex apud Jurisconsultos: aliud monitorium, aliud citatorium, & tertium peremptorium. Ulpianus *ff. de judiciis*. Peremptorium edictum dicitur, quod tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, fieri solebat: & quod perimat disceptationem inter litigantes, hoc est non patiatur adversarium tergiversari: qui verò spernebat, contumax dicebatur. Quod tamen Tertullianus in alium sensum hic torquet, quasi Papa peremptor esset, non Pater, cùm tamen absolutio vitam det mortuis peccatoribus. Sed licèt ironicè hæc dicat Tertullianus, & thrasonicè, verè est peremptorium hoc edictum, quo perimit disceptationem omnem hæreticorum adversus Ecclesiam de clavibus summorum Pontificum Romanorum, de ipsorum primatu, cùm hìc dicatur Papa Episcopus Episcoporum, vel testimonio hæreticorum, ut non dubitemus hunc titulum ipsius à primis sæculis fuisse. Vide de isto loco Tertulliani P. Carolum Moreanum tom. 1. in eumdem Tertullianum p. 3. in Alphabeto errorum Tertulliani. De materia autem ipsa vide dicta in secunda classe ad Concilium Nicænum, & in quarta classe ad Eliberitanum, & passim alibi in hac Summa.

Edictu[m] triplex.

Pœnite[ntibus] absolu[tio].

Feruntur ejusdem Zephirini Papæ duæ Epistolæ decretales, quarum prima, quæ est ad omnes Siciliæ Episcopos, falsi arguitur, maximè, quod auctoritas sedis Apostolicæ in ea asseratur in causis Episcoporum. Fingit verò impostor, inquit Blondellus Calvinista, ut tyrannidem Papisticam hoc tubicine fulciat. Sed auctoritas sedis Apostolicæ non indiget fulcimento harum Epistolarum, quas antequam Magdeburgenses Lutherani, & alii etherodoxi lucem vidissent, suspectas habuerunt plures gravissimi scriptores Catholici. Fundata illa est sufficienter per verba ipsius Christi ad Divum Petrum toties repetita in hoc Collegio Synodico. Quid dicturi sunt ad Tertullianum, cujus ironica verba eo magis valent pro auctoritate summi Pontificis Romani in Eleutherio Episcopo Episcoporum, quo tunc temporis infensior erat ipsi adversarius? Secundam verò ipsius Epistolam νοθείας arguunt Magdeburgenses, quod in ea fiat mentio de quibusdam Episcopis per alios Episcopos spoliatis, cùm eo tempore, inquiunt, Ethnici, & non Christiani persecutionem exercerent. Sed, ut Turrianus reponit: an non potuerunt esse falsi fratres, qui iniquis accusationibus pios, & Catholicos persequerentur? nam & falsi fratres persecuti sunt Paulum, & Joannem 2. Corinth. 11. ad Philippens. 1. 1. Joan. Epist. 3. Addunt, Magdeburgenses non tulisset Demetrius Ægyptiacæ diœceseos tunc Exarchus, æquo animo, quod Episcopus Romanus curam omnium Ecclesiarum se jure divino suscepisse scriberet. *Turrian.* credo non tulisset, si Demetrius Magdeburgensis fuisset, & Lutheranus. Ut inde appareat, quàm levibus jaculis sæpè has Epistolas impetant in Eleutherio, cujus edictum peremptorium est, & mortalem plagam infert ipsorum contumaciæ. Quare sapienter animarum suarum consulerent saluti, si Natalii olim Confessoris pœnitentiam imitarentur, qui cum pecunia corruptus, Theodoti hæreseos patrocinium suscepisset, ad sanam mentem postea rediens, ad Zephirini Papæ se advolvit pedes patrati sceleris exomologesim faciens, apud Eusebium lib. 5. cap. 27. ex quo, & aliis exemplis colligitur consuevisse hæreticos erroris pœnitentes, adire Romanos Pontifices ad impetrandam veniam, & quærendam veritatem, & communicationem Catholicam expetendam.

Blonde[llus] Calvini[sta].

Turria[nus].

Hære[tici] Papa[m] fugieb[ant] pro ab[solu]tione.

Ste-

Stephanus Papa, qui sedit ann. 257. decretum edidit contra rebaptizantes ab hæreticis, & extra Ecclesiam baptizatos. De quo supra actum classe 4. Vincentius Lirinensis 1. parte *commonitorii*, c. 9. Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam rebaptizandum esse censebat, & cæt. tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ sedis antistes, cùm cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit: dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in Epistola, quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, *nihil novandum, nisi quod traditum est*. Intelligebat enim vir sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur: nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius quà illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ, & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique nisi usitatus, & solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.

Cum autem Cyprianus prædecessoris sui Agrippini causam tueretur in rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant; fretus Concilio 80. Episcoporum, eumdem Stephanum Papam sibi contradicentem expertus est. Qua de re D. Augustinus de *unico baptismo* c. 14. Cum ergo Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos; verum hoc facientes, vel ut fieret, decernentes, excommunicandos esse censeret, &c. Idem Augus. *de baptismo contra Donatistas*, l. 5. cap. 23. Ad Pompejum etiam scribit Cyprianus de hac eadem re, ubi apertè indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse diximus, non solùm sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse, ac præcepisse.

Etsi verò D. Cyprianus per aliquod tempus Stephano præcipienti jure superioris omnium Episcoporum, ut est homini proprium, propriæ sententiæ tenacem esse, diu tamen Stephano resistere non est ausus. Pia illius humilitas, qua Ecclesiæ cessit, & charitas, qua Ecclesiam amavit, fovendæ charitatis causa fuit, ut ideo noluerit, ut hæretici faciunt, vinculum communionis schismate abrumpere; quare ab Ecclesia discedere noluit; seque tandem ab ea edoceri passus est, & Papæ decreto obtemperavit. Quin enim postea ipsius auctoritatem tàm solidè confirmavit tùm in Epistola 55. tùm ubi ita scribit de auctoritate Pontificis Rom. *Neque enim*, inquit, Epist. 55. *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur*. Tùm etiam in tractatu *de unitate Ecclesiæ*, ut cæcutire mihi quodam modo videantur quidam, qui accuratè lectis primis paginis hujus tractatus, de mente ejus adhuc dubitant. Extollat, quantum libet, Apostolorum, & Episcoporum potestatem, attamen & ex verbis Christi ad Petrum potestatem Pontificis Romani supra cæteros effert, ac tùm hæreses in Ecclesia esse asserit, *Dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est ad fidem. Loquitur Dominus ad petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram*, &c. Matth. 16.

At subjungit: *Erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis*. At quid inde? erant tales antequam Christus ad Petrum loquutus fuisset; sed non erant, postquam

A primatus datus est Petro. Vide in Apparatu hujus Summæ censuram facultatis Parisiensis contra Antonium *de Dominis* Archiep. Spalatensem, qui asserens jure divino æqualem esse omnium Episc. potestatem, & in totam Ecclesiam se effundere, meruit audire ab erudito disquisitore errorum suorum illud Job. 11. *Vir magnus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat*.

At dicit Cyprianus, *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur*, quasi qui diceret, unum est regnum, cujus à singulis nobilibus pars in solidum respectivè ad alios paris nobilitatis occupatur, excluderet regem à supremo dominio. Verè ergo pro Papa stetit D. Cyprianus, & verè de illo scribit D. Augustinus epist. 48. circa sententiam suam de baptismo: Correxisse autem sententiam istam non invenitur, *non incongruenter tamen de tali viro existimandum est,*
B *quod correxerit*.

SYLVESTER.

Sylvester, anno Domini 318. Pontifex 32. creatur, temporibus Constantini Magni Imperatoris, sub quo & persecutionem fugiens (paganus enim principio erat Constantinus) exul in monte Soracte in cavernis petrarum cum Clericis suis aliquandiu latuit. Tandem Constantino Dei gratia ad fidem converso, ac baptizato, hortante Sylvestro Papa, ac jubente Constantino Concilium generale apud Nicæam Bithiniæ contra Arrium indicitur: cujus Concilii acta, & canones in Conciliorum clas-
C se videre est. Porrò decreta Sylvestri hæc traduntur.

1. Ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.

2. Ut sacrificium altaris non in serico, nec in panno tincto consecretur, nisi tantum in lineo ex terra procreato, sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone linea, & munda sepultum fuit.

3. Ut Presbyter Arrianum resipiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designati.

4. Ut Chrisma ab Episcopo conficiatur, & Episcopi baptizatos consignent, propter hæreticam suasionem.

D 5. Ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre.

6. Ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, & palla Linostina læva eorum tegeretur.

7. Ut nullus Clericus propter quamlibet causam in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia.

Referunt etiam his temporibus Constantinum Imp. Romanam ditasse Ecclesiam, & multas constituisse Basilicas, quas ornavit magnificentissima largitione auri, & argenti: insuper & diadema aureum Sylvestro Pontifici obtulisse, quod ille, ut minus aptum religioni, respuerit. Vide Gratianum dist. 96. cap. Constantinus 1. & 2. Reliqua ejus acta in Nicæno Concilio continentur.

E

JULIUS PRIMUS.

Hic natione Romanus, anno Domini 336. ad Pontificatum trigesimus quartus pervenit, tempore Constantii hæretici, filii Constantini, aliàs Constantini junioris, sub quo & multas tribulationes passus, atque adeo decem mensium exilium, tandem Constantio mortuo cum gloria ad sedem suam reversus est. De hoc habes in historia tripar. lib. 4. cap. 4. & infra. Hic constituit quoquo modo initiatum, Ecclesiastico tantùm judici subjici. Extat hujus Epistola increpatoria ad Orientales Episcopos pro causis Athanasii Episcopi Alexandrini, & excessibus contra Romanam Ecclesiam: cujus hæc sunt capita.

1 *Quod*

1 *Quod soli Romano Pontifici liceat generale Concilium congregare, & Episcopos judicare.* A
2 *Non oportet præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, vel Episcopos damnari.*
3 *Ut accusatores, & accusationes, quas leges sæculi non admittunt, repellantur.*
4 *Si quis Episcopum præter authoritatem sedis Apostolicæ damnaverit, vel à sede expulerit, de gradu suo dejiciatur, & excommunicetur: & Episcopi ejecti restituantur, &c.*

DAMASUS.

† 371. ANno Domini † 368. Damasus natione Hispanus Pontifex 37. Cathedram Romanæ Ecclesiæ ascendit, seditque annos 18. menses 3. dies 11. B Non caruit tamen principio tanti magistratus competitore. Nam † Ursicinus quidam ejusdem Ecclesiæ diaconus collecta turbulentorum, & seditiosorum hominum manu Episcopatum eum ambiebat, ex quo tanta bella coorta sunt, ut multi mortales ex utraque parte ceciderint, & repleta sint humano sanguine orationum loca. Sed tandem ejecto Urcisino confirmatus est in sede B. Petri Damasus, qui præter alia constituta decrevit, ut psalmi diu, noctuque alternis vicibus per omnes Ecclesias canerentur, & in fine eorum versiculus ille solemnis *Gloria Patri*, &c. succineretur: & ut in principio Missæ generalis confessio à Sacerdotibus ad Altare fieret. Idem vitas Pontificum, qui ante se fuerunt, descripsit, & divi Hieronymi scriptis authoritatem dedit, cum prius 70. interpretum scripta tantummodo in pretio essent. C Nam & Biblia Hieronymi legi cœpere, & Psalmi, ab eodem ex Hebræo traducti. Extat ejus epistola una ad Paulum Antiochenum Episcopum, cujus hæc sunt capita.

† Ursinus.

1 *Quòd integrum hominem susceperit Christus sine peccato.*
2 *Quòd unus sit Christus, ante sæcula ex Patre natus, & in tempore ex virgine editus.*

Anno 389. SYRICIUS.

SYricius natione Romanus 38. Pontifex temporibus Valentiniani, & Valentis Augustorum, seditque ann. 16. Hic instituit, ut quicunque aut viduam, aut secundam uxorem duxisset ab officio Sacerdotali excluderetur: & ut monachi probatæ vitæ sacris possent initiari, & ab infimo ordine ad summum provehi: utque sacri ordines non eodem tempore, sed per intervalla darentur. Idem & hæreticos resipiscentes per manus impositionem præsente cuncta ecclesia censuit recipiendos. Manichæos quoque in Urbe inventos expulit, & vetuit, ne quis eis fidelium communicaret; pœnitentes tamen eosdem, & ad gremium orthodoxæ fidei redeuntes, ita recipi consensit, si monasterium ingrederentur, atque ibi jejuniis, & orationibus se toto vitæ suæ tempore macerarent. Hujus extat epistola prima ad Himerium Tarraconensem Episcopum, cujus hæc sunt capita.

1 *De Arrianis non rebaptizandis.*
2 *De diversis baptizandorum temporibus. Vel sic, ut præterquam in Pascha, & Pentecoste (nisi in necessitate, & periculo) baptismus non celebretur.*
3 *De apostatis ab ecclesia separandis.*
4 *Quòd non licet alterius sponsum alteri in matrimonii jura accipere.*
5 *De iis, qui post pœnitentiam, vel militiæ cingulum, vel nova conjugia, vel illicitos appetierunt concubitus.*
6 *De monachis, vel sanctimonialibus abjecto proposito incontinenter viventibus.*
7 *De sacerdotum, vel levitarum incontinentia.*
8 *De admittendis ad Clerum.*
9 *De Clericorum conversatione.*
10 *De his, qui grandævi ad sacram militiam convertuntur.*
11 *De Clericis, qui ad secundas nuptias transeunt, ut deponantur.*
12 *Quæ fœminæ cum Clericis debeant habitare.*
13 *De monachorum promotione ad Clerum.*
14 *Quòd pœnitens non fiat Clericus.*
15 *De Clericis, ut pœnitentiam per impositionem manus sacerdotis non accipiant.*
16 *De pœnitentibus, vel digamis, vel viduarum maritis, ut non admittantur ad ordines.*

Plures ejusdem extant epistolæ.

ANASTASIUS.

INter Romanos Pontifices iste in ordine tricesimus nonus anno Domini 404. Ecclesiæ Christi præficitur: seditque annos tres, dies decem. Invenit Manichæos in Urbe: quorum quosdam convertit, quosdam in exilium relegavit. Hujus tempore floruerunt Basilius, & Gregorius Nazianzenus: & sub eo in Alexandria celebrata est Synodus ad Origenis opera examinanda. Hujus extat epistola quædam decretalis ad omnes Germaniæ, ac Burgundiæ Episcopos, cujus hæc sunt capita.

1 *Ut sanctum Euangelium universi non sedentes, sed stantes audiant.*
2 *Trasmarini quomodo ad Clerum recipi debeant.*
3 *De Manichæis in urbe Roma repertis.*

ANastasius Episcopus cunctis Germanicis, & Burgundiæ regionis Episcopis in Domino salutem. Exigit dilectio vestra, charissimi, ut ex authoritate Sedis Apostolicæ vestris deberemus respondere consultis. Et quamvis non prolixè, sed succinctè hoc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen, si necesse fuerit, ob has, vel alias necessitates, quasi ad caput mittere charitativè non dubitetis; quia vestras preces, & nunc, & tunc acceptas habemus, &c.

D DECRETA INNOCENTII PRIMI.

Hic Innocentius, natione Albanus, anno Domini 406. Pontifex 40. creatur. Hujus extant Epistolæ aliquot decretales.

Epistola regularis Innocentii primi ad Decentium Eugubinum Episcopum: cujus canonum tituli sunt hi.

1 *De pacis osculo dando post confecta mysteria.*
2 *De nominibus ante precem sacerdotis non recitandis.*
3 *Quòd non debeant baptizati nisi ab Episcopo consignari.*
4 *Quod rite omni sabbato jejunetur.*
E 5 *De fermento, quod civitatis tantum Presbyteris dirigatur.*
6 *De energumenis baptizatis.*
7 *De pœnitentibus.*
8 *De epistola sancti Jacobi Apostoli, in qua pro infirmis orari præcipitur.*

INnocentius Decentio Episcopo Eugubino salutem. Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, vel Ecclesiis, aut teneri, aut celebra-

brari videntur, ac fit scandalum populis: quia dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat id, quod à principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes, &c. ut jacent in litera apud Gratianum in decret.

1. Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentes signaculo demonstrentur.

2. De nominibus verò recitandis antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, ipse per tuam prudentiam recognoscis: ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues: quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

3. De consignandis verò infantibus manifestum est non ab alio, quàm ab episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente episcopo, cum baptizat, chrismate baptizatos ungere licet: sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum Paracletum. Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.

4. Sabbato verò jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solùm in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus: ac si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat Apostolos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari: quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quòd commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant semel, atque uno sabbato jejunandum, ergo & Dominica, & sexta feria semel in Pascha erit utique celebrandum. Si autem Dominici diei, & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est: dementis est bidui agere consuetudinem sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam, à sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando & ad inferos fuit: ut tertia die resurgens redderet lætitiam post biduam tristitiam præcedentem. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum, sed dicimus & sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum secuti sunt, induxerunt. Qui die Dominico exhilarati, non solùm ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

5. De fermento verò, quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ inter civitatem sunt constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum, per acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maximè illa die, non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta. Nec non per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, ut & presbyteri eorum conficiendum jus habeant, atque licentiam.

6. De his verò baptizatis, qui postea à dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interveniente arripiuntur, quæsivit dilectio tua, si à presbytero, vel diacono possint, aut debeant consignari: quod hoc, nisi episcopus preceperit, non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi episcopus authoritatem dederit id faciendi. Ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus eis, vel à presbytero, vel à cæteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longè constitutus energumenus ad episcopum deducatur, cum, si talis casus ei in itinere acciderit, nec proferri ad episcopum, nec referri ad sua facilè possit?

7. De pœnitentibus verò, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tùm debere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem. Si verò quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, est ante tempus Paschale relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat. *De conse. d. 3. De pœnitentibus*

8. Sane quoniam de hoc, sicut de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Celestinus diaconus in epistola sua, esse à tua dilectione positum illud, quod in beati Apostoli Jacobi epistola conscriptum est: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo. *Jacobi 5. c.*

Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si episcopus, aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam non pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo hoc unum genus putatur posse concedi? His ergo, frater charissime, omnibus, quæ tua dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus: ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem, à qua originem ducit, servare valeat, atque custodire. Reliqua verò, quæ scribi fas non erat, quum *Dist. 95. Illud superfluum.*

quum adfueris, interrogati poterimus edicere.

Epistolæ secundæ ejusdem Innocentii ad Victricium Rothomagensem Episcopum.
Capitula.

1 *Quòd extra conscientiam Metropolitani non sunt ordinandi Episcopi.*
2 *De his, qui post baptismum cingulum militiæ sæcularis acceperunt, non debere ad Clericatus ordinem admitti.*
3 *De causis Clericorum, quæ in Provincia justè non finiuntur, ut ab Apostolica sede terminentur.*
*Et ut ipsi. 4 *De uxoribus Clericorum, ut virginibus socientur, * & secundam non ducant uxorem.*
5 *Ut si Laicus viduam duxerit, Clericus non fiat.*
6 *Ut Clericus non sit, qui secundam duxerit uxorem.*
7 *Ut alterius Clericum nullus Episcopus ordinare usurpet.*
8 *Ut non rebaptizentur, qui à Novatianis, vel Montensibus veniunt.*
9 *Ut Sacerdotes, & levitæ cum mulieribus cohærere non debeant.*
10 *Ut Monachus, si Clericus factus fuerit, propositum suum servare debeat.*
11 *Ut ex Curialibus Clericus non fiat, propter voluptates quas à diabolo inventas exhibere compellitur.*
12 *De virginibus sacris si lapsæ fuerint, vel publicè nupserint.*
13 *De virginibus non velatis, si deviaverint.*

Victorio Victoricio. INnocentius * Victricio Episcopo Rothomagensi salutem. Et si tibi frater charissime, pro merito honore Sacerdotii (quo plurimum polles) vivendi, & docendi Ecclesiasticæ regulæ nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur, tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam, atque authoritatem magnopere postulasti, voluntati tuæ morem admodum gerens, digestas vitæ, & morum disciplinas annexas meis literis misi, per quas advertat Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus, & regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romæ Ecclesiis disciplina. Et infra. Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo credito cogimur præstare rationem, idcirco disciplinam Dei deificam populum erudire debemus. Quosdam enim asseris extitisse, qui statuta majorum non tenentes, castitatem Ecclesiæ sua præsumptione violant, populi favorem sequentes, & Dei judicium non timentes. Ergo non silentio nostro existimemur his præbere consensum, Domino dicente per Prophetam: Videbas furem, & currebas cum eo: hæc sunt, quæ deinceps intuitu divini judicii omnem Catholicum Episcopum expedit custodire. *Psal. 49.*

1. Primum, ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare Episcopum. Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtivum præstitum beneficium videatur. Hoc enim & synodus Nicæna constituit, atque definivit. *Nicenæ synodi ca. 4.*

2 Constituit etiam, atque definivit. Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad Clericatum admitti omnino non debeat. *Nicenæ synodi ca. 11.*

3. Si quæ autem causæ, vel contentiones inter Clericos, vel inter Laicos, & Clericos tàm superioris * gradus, quàm etiam inferioris fuerint exortæ: placuit, ut secundum synodum Nicænam congregatis omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis judicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Ecclesias nutu divino guber- ** Ordinis.* *Nicæn. synod. c. 5.*

A nant, ad alias convolare Provincias, aut aliarum Provinciarum prius Episcoporum judicium experiri. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio Cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur.

4. Ut mulierem viduam Clericus non ducat uxorem: quia scriptum est: Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non ejectam. Utique qui ad Sacerdotium labore suo, & vitæ probitate contendit, cavere debet, ne hoc præjudicio impeditus, pervenire non possit. *Lev. Ez.*

5. Ut si quis viduam, licet Laicus, duxerit uxorem, seu ante baptismum, seu post baptismum, non admittatur ad Clerum: quia eodem videtur vitio exclusus. In B baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur. *1. Tit.*

6. Ne is, qui secundam duxerit uxorem, Clericus fiat, Quia scriptum est, unius uxoris virum. Et iterum: Sacerdotes mei semel nubant, & alibi: Sacerdotes mei non nubant amplius. Ac ne ab aliquibus existimetur ante baptismum, si fortè quis acceperit uxorem, & ea de seculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis erat à regula; quia in baptismo peccata dimittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur: quum utique uxor ex legis præcepto ducatur, intantum, ut & in Paradiso, quum parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sint benedicti: & Salomon dicat: A Deo præparabitur viro uxor. Quam C formam etiam Sacerdotes omnes servare, usus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere, uxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari, quum benedictio, quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Domino antiquitus institutæ doceatur. Quòd si non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est: ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur. *Gen. Prov.*

7. Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare, aut judicare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit: quod etiam Nicæna videtur synodus continere: Abjectus à sua Ecclesia Clericus, ab altera non suspiciatur Ecclesia. D

8. Ut venientes à Novatianis, vel Montensibus, per manus tantùm impositionem suscipiantur: quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes, rebaptizati. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes, redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

9. Præterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non misceantur; quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quoniam ego sum sanctus, Dominus Deus vester. Nam si priscis E temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere; quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debeant, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis divinis, vel à baptismatis officio vacent? Nam si beatus Apostolus Paulus ad Corinthios scripsit dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: & hoc utique Laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus, & orandi, & sacrificandi juge officium est, semper *Levit. & 26. Luc. 1. Levit. Num. 1. Cor.*

per debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Quòd si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credet? quum dictum sit: Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum? Sed fortè licere hoc credit, quia scriptum est, Unius uxoris virum. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: Vellem autem omnes esse, sicut & ego. Quod apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.

10. De monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere eos à priore proposito deviare. Aut enim, sicut in monasterio fuit, & quod diu servavit, id in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatur, & in monasterio sedens, ad Clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest, jam ante corruptus. Quæ forma servatur in Clericis, maximè quum vetus regula hoc habeat, ut, quisquis corruptus baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

11. Præterea, frequenter quidam ex fratribus nostris Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, Clericos facere contendunt, quibus postea major tristitia, quum de revocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia nascitur de accito. Constat enim, eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inventas esse non dubium est, & ludorum, vel munerum apparatibus aut præesse, aut forsitan interesse. Sit certè in exemplum & solicitudo, & tristitia fratrum, quàm sæpe protulimus, Imperatore præsente, cum pro his sæpius rogaremus, quàm ipse nobiscum positus cognovisti, ex quibus non solum * inferiores Clerici ex Curialibus, verum etiam in Sacerdotio constituti, ingens molestia, ut redderetur, instabat.

12. Item quæ Christo spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel nupserint publicè, vel occultè corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de hac vita decesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis defunctus fuerit: quanto magis de illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transire elegit?

13. Hæ verò, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerant, solvi sine vindicta non poterit? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem minimè servaverunt?

Epistolæ ejusdem tertiæ ad Exuperium Tolosanum Episcopum, Capita.

1 *De incontinentia Sacerdotum, vel Levitarum.*
2 *De his, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus sunt dediti, & in ultimo pœnitentiam poscunt.*
3 *De administratoribus, vel judicibus sæcularibus.*
4 *Quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant.*
5 *Quod qui preces, vel crimina dictant, habeantur immunes.*
6 *Quod hi, qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se nuptiis aliis junxerint, adulteri esse monstrentur.*
7 *Qui libri in canone recipiantur.*

INnocentius Exuperio Episcopo Tolosano salutem. Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem: pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa, respondi, quid sequendum, vel quid vitandum docilis ratio persuaderet, vel authoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua, institutum secuta prudentium, ad sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet, potius quàm usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus discere aliquid, quàm omnino nescire? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus, ad proposita respondere compellar: eoque fit, ut semper aliquid addiscat, qui postulatur, ut doceat. Proponam igitur singula, subjiciamque responsum.

1. Proposuisti, quid de his observari debeat, quos in diaconii ministerio, aut in officio presbyterii positos, incontinentes esse, aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifesta est disciplina, & cæt. Repete hoc totum caput ad verbum ex Gratiano dist. 82. cap. Proposuisti, & ex dec. Ivon. lib. 3.

2. Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior, durior: posterior, interveniente misericordia, inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia: ne totum penitus negaretur, & duriorem esse remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis: & ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem, & duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio: ut homines hujusmodi vel in supremis suis, promittente Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.

3. Quæsitum etiam est super his, qui post baptismum administraverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. 23. q. 4. *Quæsitum est etiam.* Nihil de his legimus à majoribus definitum esse. Meminerant enim, à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in hujusmodi vindicem. Quomodo ergo reprehenderent factum, quod authore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita, ut hactenus servatum est, sic habeamus, ne aut disciplinam evertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem, in ratione reddenda, gesta omnia sua servabuntur.

4. Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, non contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. 32. q. 5. *Christiana religio.* Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre

ferre consueverunt, & ideo mulieribus, prodito eorum crimine, communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

5. Illud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur utique post baptismi regenerationem, à principibus poscere mortem alicujus, vel sanguinem de reatu, quam rem principes numquam sine causæ cognitione concedunt, sed ad judices commissa ipsa, vel crimina semper remittunt, ut causa cognita vindicentur. Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et, dum legum authoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.

6. De his etiam requisivit dilectio tua, qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt: quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, intantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur secundum illud, quod legimus in Euangelio: Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur: similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et ideo tales à communione fidelium abstinendos. De parentibus autem, aut de propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur. *Matth. 19.*

7. Qui verò libri recipiantur in canone sanctarum Scripturarum, brevis annexus ostendit. Hæc sunt ergo, quæ desiderata moveri voce voluisti: Mosis libri quinque, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, necnon & Jesu Nave, & Judicum, & Regum libri quatuor, simul & Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum, Job liber unus, Tobiæ unus, Hester unus, Judith unus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo. Item Novi Testamenti, Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Epistolæ Joannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Judæ, Epistola Jacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Joannis. Cætera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri, & Joannis, quæ à quodam Lentio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide, & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solùm repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. *Canon Scripturæ sacræ.*

Ejusdem Epistolæ quartæ, ad Felicem Nucerianum Episcopum, capita.

1 *Si quis volens partem sui corporis amputaverit, Clericus esse non potest: nolens autem, potest.*
2 *Quod digami ad Clerum admitti non possunt.*
3 *Qui de Laicis ad Clerum non debeant promoveri.*
4 *Qui de Laicis possunt Clerici fieri. Hic aperte concubina prohibetur.*
5 *De temporibus in clero immorandis.*

INnocentius Felici Episcopo Nuceriano. Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquod faciendum pronunciet. Quod & nos libenter accipimus, & dilectionem tuam memorem canonum approbamus. Scripsisti ergo, quod fervore fidei, quo polles, & amore sanctæ plebis, vel reparaveris Ecclesias Dei, vel novas quasque construxeris: sed in his Clericos, quos constitues, non habere: aliquos verò mutilos, aliquos digamos esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignoranti dicimus: sed in aliis forsitan occupatos, istud oblitos vos esse dicimus.

1. Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, &c. *Caput hoc ad verbum est apud Gratianum dist. 55. cap.* Qui partem. *& in Nic. syn. cap. 1.* *1. T... Tit.*

2. De digamis autem nec consuli debuit, quod manifesta lectio sit Apostoli, unius uxoris virum ad Sacerdotium, sive ad Clericatum admitti debere, & hanc ipsam tantum, si virginem accepit. Nam ea, quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si Clerico postea fuerit copulata, Clericus, qui eam acceperit, esse non poterit: quia in lege cautum est, non viduam, non abjectam habere posse conjugem Sacerdotem. *Qui... ordi...*

3. De laicis verò religio tua consuluit, quos canones ordinare prohibeant. Certum est quidem, hoc regulas Ecclesiasticas continere, sed non ita definitum est, ut de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim Clerici nasci, & non fieri possunt: sed designata sunt genera, de quibus ad Clericatum pervenire non possunt, id est, si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam, & si inveniantur hujusmodi viri, qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad Curiam repetuntur, cavendum ab his est propter tribulationem, quæ sæpè de his Ecclesiæ provenit.

4. Laici verò, qui habentes uxores, baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti sint: aut monasteriis, ex quo baptizati sunt, hæserint, & si non concubinam, non pellicem noverint, si in vanis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi.

5. Ita sanè, ut in eos tempora à majoribus constituta serventur: Nec citò quilibet lector, citò acolythus, citò diaconus, citò Sacerdos fiat: quia in minoribus officiis, si diu perdurent, & vita eorum pariter, & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium posthac emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant, quod vita probata mereatur accipere. Quoniam ergo definitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprobari: ex his omnibus, quos videt dignatio tua non posse reprobari, eligere debebis, quos Clericos facias. Si enim nullam gratiam hominibus, aut beneficium præstare velimus, tales invenire possumus, de quorum assumptione, nec incurrere scandalum, nec erubescere valeamus, &c. *Interst... ordina...*

DECRETA ZOZIMI PAPÆ
ex libro Pontificalis.

ZOzimus natione Græcus, ex parte Abrahamio sedit annum unum, menses duos, dies undecim, hic constituit multa in Ecclesia. Et constituit, ut diacones levas tectas de pallis linostimis haberent. Et per Parochias concessit licentiam benedicendi cæreum Paschalem. Et præcepit, ut nullis Clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium maximè Clericorum. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem Presbyteros decem, diacones tres, Episcopos per diversa loca numero octo. Sepultus est via Tyburtina juxta corpus beati Laurentii martyris septimo Calendas Januarii. Et cessavit Episcopatus dies undecim.

TITULI EPISTOLÆ DECRETALIS Zozimi Papæ.

1. *Quod monachi, vel laici, nisi per gradus Ecclesiasticos non debent ad summum Sacerdotium pervenire.*
2. *Quod si quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subjacebit.*
3. *Quæ in singulis Clericorum gradibus tempora sint præfixa.*

Epistola ejusdem prima ad Hesychium Salonitanum Episcopum.

Caput primum.

ZOzimus Episcopus urbis Romæ Hesychio Episcopo Salonitano. Exigit dilectio tua præceptum Apostolicæ sedis, in quo patrum decreta consentiunt. Et significas, nonnullos ex monachorum cœtu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed & laicos ad Sacerdotium festinare, hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat litteris ad Gallias, Hispaniasque transmissis. In quibus regionibus familiaris est ista præsumptio, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione divinis stipendiis eruditus nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotium adspirare præsumeret. Et non solùm in eo ambitio inefficax habeatur, verumetiam in ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta patrum crediderant præsumendum: unde miramur ad dilectionem tuam statuta Apostolicæ sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur propositum constantiæ tuæ, frater charissime, nec aliud de Pontificum censura veteris authoritatis genus expectandum fuit, quàm ut talibus ambitionibus pro præceptis patrum in procinctu fidei constitutus occurreres. Igitur, si quid authoritati tuæ (quod nos non opinamur) æstimas defuisse, supplemus. Vos obsistite talibus ordinationibus. Obsistite superbiæ, & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt precepta patrum, tecum Apostolicæ sedis authoritas. Si enim officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis temporibus deferunt: quis ille tàm arrogans, tàm impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda: statim dux esse desiderat, cùm tyro ante non fuerit, & prius velit dicere, quàm discere. Adsuescat in domini castris in lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii, nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum, per ordinem fieri, nec hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam verè ad Presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia anteacta testentur jure: inde summi Pontificis locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio Sacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hìc passim numerosa popularitas, etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, divinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse judicii: Rarum est enim omne, quod magnum est.

2. Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogemus, ad te potissimùm scripta direximus, quæ in omnium fratrum, & coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantùm eorum, qui in ea provincia sunt: sed etiam, qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjunguntur. Sciat, quisquis hoc postposita patrum, & Apostolicæ sedis authoritate neglexerit, à nobis districtius vindicandum, ut sui loci minimè dubitet, sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quicquid interdictum toties usurpatur.

3. Hæc autem in singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores, usque ad vicesimum ætatis annum continuata observantia perduret: Si major jam, & grandævus accesserit, ita tamen, quòd post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari sive inter lectores, sive inter exorcistas, quinquennio teneatur: Exinde acolythus, vel subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterii Sacerdotium poterit promereri, de quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque digamus, neque pœnitens ad hos gradus possit admitti. Sanè etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneatur, si meruerint esse in ordine Clericatus. Datum 8. Calendas Martias, DD. NN. Honorio 12. & Theodosio 8. Aug. Cons.

Ejusdem Zozimi Papæ decretum ex Gratiano desumptum.

Apostolicæ sedis authoritas contra sanctorum statuta aliquid condere non valet. 15. q. 1. sunt quidam.

Contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas, apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam.

Decreta Bonifacii Papæ primi ex libro Pontificali.

BOnifacius primus, patria Romanus, ex patre Jocundo Presbytero: sedit annos 3. menses 8. dies 7. Cum eo contentiosè ordinatus est Eulalius, quare Imperatoris authoritate uterque Roma pulsus. Adveniente paschæ tempore Eulalius ausus est Romam ingredi, & in Basilica Constantiniana, in qua fuerat electus, baptizavit. Postea celebrata synodo 251. Episcoporum deponitur à dignitate Pontificatus prætensi, & fit Episcopus in civitate Nepestina. Mortuo Bonifacio, cum à Clero Eulalius vocaretur ad summum Pontificatum, recusavit. Statuit Bonifacius, ut monacha, nec ulla mulier pallam sacratam contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi minister. Nec servum clericum fieri, nec obnoxium curiæ, vel cujuslibet rei ordinandum sacerdotem, nec minorem 30. annorum, quod Fabianus Papa prius statuerat. Huic Bonifacio tribuunt commutationem vigiliarum in jejunia. Hujus tempore mortuus est beatus Hieronymus in Bethlehem anno 91. ætatis suæ. *Vigiliæ in jejunia mutata*

Epistola Bonifacii Papæ II. ad Episcopos Galliæ de Maximo Episcopo diversis criminibus accusato.

BOnifacius Episcopus, Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuclo, Valerio, Juliano, Castorio, Leontio, Constantino, Joanni, Montano, Marino, Mauritio, & ceteris Episcopis per Gallias, & septem Provincias constitutis. Valentinæ nos Clerici civitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum, teste tota Provincia, asserunt commisisse. Delegata totiens cognitione, illum con-

constituta semper subterfugisse judicia, nec confusum A conscientia festinasse, ut si esset innocens, examinatis omnibus purgaretur: quæ totiens decreta ex vestrarum quoque chartarum instructione cognovimus. Qui è contrario probavit de se illa, quæ dicta sunt, cui ad ea confutanda cum essent innumera, à decessoribus meis provincialis est delegata cognitio. Conventus etiam dicitur evitasse, & adesse minime voluisse. Et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens, quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquandò ille, qui talis perhibetur, in medium: Nec proderit illi totiens absuisse, totiens subterfugisse, quem sui actus, & commissa, quocunque fugerit, ea, quæ objiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem jam nunc dignam pro ejus accusa- B tis in nostro judicio actibus, qui cognitionem, & decretum judicum sæpè declinando credidit illudendum, ferre sententiam. At ne aliquis præcoquam forsitan judicaret; & sibi, qui absens est, licèt sit quæsitus à nobis, reservatum esse nihil dicere: maluimus intercapedine temporis data differri, cum hæc etiam ejus accusatores assererent; de quorum intentionibus, & moribus sit securum. Maximum tantò magis damnanda committere, quantò tardius se constituto judicio præsentarit; quem Manichæorum involutum caligine arguunt, turpi secta olim ita, ne eum posset abluere, animum sordidasse in probationem objectæ rei, gesta synodalia proferentes. Et commissis involutum utique flagitiis, nullum eum sanitatis habuisse respectum, quem furore suo, & insana temeritate ad sæcularium quoque judi- C cum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili quoque persona turpissimum est, objicerent, pervenisse, & homicidii damnatum asserunt, gestis prolatis in medium. Et hunc talem post tanta, taliaque commissa, Episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vendicare, in propriæ civitatis infamiam, nimiis doloribus conqueruntur: & sanctum nomen vendicando sibi velle polluere. Ideoque, fratres charissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se Clericis, posset digna, tandem aliquandò præsentatus Episcopali judicio, pronunciationis congruè fieri sententia. Quanquam illi, cum hæc edocta fuerint, quæ potest hujus nominis esse jactura, qui pudorem nunquam sacerdotii habuisse perhibetur, & locum suum nec modico quidem tempore custodisse, dilationem tamen dedimus, & decrevimus vestrum de- D bere intra provinciam esse judicium: & congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium, ut si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat. Si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est, confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt, comprobentur. Cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia, nos autem per omnes provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat: ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio. Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est, authoritate firmetur. Data sub Idus Junias, Monaxio viro clarissimo cons.

Pontifices Ro. judicabant de controversiis Episc. Gallic.

Epistola ejusdem tertia, ut nullus contempto Metropolitano ordinetur Episcopus.

BOnifacius Episcopus urbis Romæ: Hilario Episcopo Narbonensi salutem. Difficilem quidem fidem querimoniis commodamus, quarum sacerdotes domini pulsat intentio: maximè cum eos loquuntur quippiam contra patrum statuta tentasse: sed frequenter has asserit, sicut nunc multitudo causantium. Ecce enim, ut charitas tua recognoscit, ex subditis Lucteniensis Ecclesiæ, Cleri ordo, vel plebis preces suas, vel lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt: dicentes coepiscopum nostrum Patroclum, sua petitione cessante in locum decedentis Episcopi, nescio quem in aliena provincia, prætermisso Metropolitano, contra patrum regulas ordinasse. Quod nequaquam possumus ferre patenter: quia convenit nos paternarum sanctionum esse diligentes custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem propria verba ponamus, per unamquamcunque provinciam, jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas. Quod quia aliter credendum non est, servandum, sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt. Unde, frater charissime, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes includat: nostra authoritate communitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantium, & voluntate respecta ad eundem locum, in quo adunatio talis celebrata dicitur, Metropolitani jure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede, intelligens arbitrio tuo secundum regulas patrum, quæcunque facienda sunt, à nobis esse concessa, ita ut peractis omnibus Apostolicæ sedi quicquid statueris, te referente, clarescat: cui totius Provinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat; nec aliquid in illorum contumeliam partibus suis, in his, quæ sibi non videntur concessa, defendat. Cesset hujusmodi pressa nostra authoritate præsumptio eorum, qui ultra dignitatis suæ limitem digitum extendunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, ideo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra deficiat; quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus semper ordinationem expectet. Data 5. Kal. Februarii dominis nostris Honorio 13. & Theodosio 10. Augustis consulibus.

Decreta Cœlestini primi Papæ.

Cœlestinus 1. Rom. sedit an. 8. mens. 10. dies 17. Hic Psalter. Antiphonis interstinxit, Introitus, Gradus, Tractus, Offertoria, Communiones, & Orationes inseruit Missæ. Clericos canonicarum institutionum doctos esse voluit. Scotos, atque Britannos in viam Christi reduxit.

ad. 428. Celestinu[s] 1. Pon. 4[...] Sub hoc Pont. mor[i]tur beatu[s] August[...] Nestoriu[s] in Mar[iam] matrem Dei blas[-]phemavit

Tituli Canonum sequentis Epistolæ Cœlestini Papæ primi.

E 1. *De Prospero, & Hilario, qui quosdam Episcopos Galliæ accusant.*
2. *De sancto Augustino Episcopo mira laudis assertio.*
3. *Præteritorum temporum sedis Apostolicæ Episcoporum authoritates, de gratia Dei contra Pelagii sectatores.*
4. *Quod Adam omnes homines læserit, nec quempiam per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei erexit.*
5. *Quod nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus est bonus.*

6. *Quod*

6. *Quod nisi gratia Dei juvemur, insidias diaboli evitare non possumus.*
7. *Quod per Christum libero benè utamur arbitrio.*
8. *Quod omnia Sanctorum merita dona sint Dei.*
9. *Quod omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo sunt.*
10 *Quod gratia Dei non solùm peccata dimittat, sed etiam adjuvet, ne committantur, & præstet, ut lex impleatur, non sicut Pelagius ait, facile, quasi sine gratia Dei, difficilius possit impleri.*
11. *Quod præter statuta sedis Apostolicæ omnes orationes Ecclesiæ gratiam Christi resonant, qua genus humanum reparatur, & ab æterna damnatione reducitur.*
12 *Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testatur instituta purgatio, cum exorcismis, & insufflationibus spiritus ab eis expelluntur immundi.*
13. *Quod profundiores quæstiones nec contemnendæ sunt, nec penitus asserendæ.*

Epistola Cœlestini Papæ prima ad Episcopos Galliæ.

Dilectissimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Anxonio, Arcadio, Sillucio, & cæteris Galliarum Episcopis, Cœlestinus. Apostolici verba præcepti sunt, apud Judæos, atque gentiles, sine offensione nos esse debere. Hoc, quisquis Christianus est, tota animi virtute custodiat. Quod cum ita sit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos (qui neminem perire vo-
h. 18. lumus) ista contristent, quæ authoribus Christia-
9. nis, præcellunt animos Christianos, dominicus in
17. Euangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis in maris profundum demergi, ideò, quæ sit jam ejus pœna, quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

Capitulum primum.

Filii nostri presentes Prosper, & Hylarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantùm (nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant) sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justius imputamus, quando illi supra vos habent copiam dispu-
.10. tandi. Legimus, super magistrum non esse discipu-
indi- lum, hoc est, non sibi debere quemquam ad inju-
12. riam doctorum *vendicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, docente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus hi loquuntur? qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt. Timeo, ne, conniveie sit, hoc tacere. Timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi. Non sit eis liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem: desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpè naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad Apostolicam prædicti sedem, hæc ipsa nobis, quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres charissimi, pro Catholicæ plebis pace tractatum. Sciant se, si tamen censeantur, Presbyterii dignitate vobis esse subjectos. Sciant omnes,

A] qui male docent, quod sibi discere màgis, ac màgis competat, quàm docere. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Nisi forte illud obsistat, quod non authoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui è fratrum numero nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant, quid sibi debeant * vendicare. Super his multa tàm dicta sunt eo tempore, quo ad fratris tuendi * dedimus scripto responsum. Nunc tamen repetentes sæpiùs, admonemus * vetentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quàm ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

** vindicare. *tuenti. * ut vitentur.*

B 2. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam eum sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote, qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistatur talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque convenit macerari; quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter justitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agen- C tium causa * solorum, quando universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur. Intelligamus, hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere.

*D. August. Matth. 5. *solacum.*

Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessaverit. Dominus incolumes vos custodiat, fratres charissimi.

3. Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistros tamen nostros (tanquam necessarium modum excesserint) obloquuntur ea, quæ tantummodò sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministe- D rium præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentissimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint, ita ut etiam Aphricanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt, Apostolici antistites *comprobarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestemus indiculo. Quod si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum authoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cùm Catholicis cre- E dat, & dicat,

*Sequentia 11. capit. videntur potius ab aliquo interposita, quam esse ipsius Cœlestini Pap. *cum probarent.*

4. In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit: pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in Epistola ad Carthaginense Concilium: Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis cadens in prævaricationis profunda demersus est, & nihil, quemadmodum exinde resurgere posset, invenit; suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum postea Christi, per

al. miserantis, cujus initium est inquirendo, de his rebus, quas omni. al. ruinæ latuisset oppressus.

Epistolæ hujus initium est in inquirēdo.

suam gratiam, revelasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem omne præteriti peccati vitium sui baptismatis lavacro purgavit.

5. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ipse donet, qui solus est bonus. Quod in eisdem scriptis ejusdem Pontificis sententia protestatur dicens. Nunquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi, quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidiè gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?

In epistola priori cap. allegata.

6. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Quod ejusdem antistitis in ejusdem paginis doctrina confirmat dicens: Nam quamvis hominem redimeret à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa servavit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenùs humanos vincere poterimus errores: necesse est enim, ut, quo auxiliante vincimus, eo iterum nos adjuvante vincamur.

al. cum sciens.

al. Christū, vel gratiam Christi.

7. Quod nemo nisi per gratiam libero benè utatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum Concilium data prædicat, dicens: Adverte tamdem præmissarum mentium perversam doctrinam, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut, dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptionis † incideret. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.

† conciderit.

Hoc epistolium Zozimi Papæ adhuc pro tempore latet nos.

8. Quod omnia studia, & omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit, in quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zozimi regularis authoritas, cum scribens ad totius orbis Episcopos, ait: Nos autem instinctu Dei, omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, unde nascuntur, ad fratrum, & coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. Hunc autem sermonem syncerissimæ veritatis luce radiantem, tanto Aphri Episcopi honore venerati sunt, ita ut ad eundem virum rescriberent. Illi verò, quod in litteris, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens. Nos tamen instinctu Dei, & cætera, sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis vel ut cursum transiens amputares. Quid enim tàm libero fecistis arbitrio, quàm quod universam nostræ humilitatis conscientiam retulistis? & tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidistis, veraciter, fidenterque dixistis. Ideò utique quia præparatur voluntas à Domino, & uti boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.

Prov. 21. Rom. 8.

Joan. 15. Zozimus Papa in epistola ad omnes episcopos, quæ, ut supra dictum est, non habetur apud nos. Ephes. 6. Rom. 7. 1. Cor. 15.

9. Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, non quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, cui cum ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur. Quod ergo tempus (ait) intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus est. Superbum est enim,

A ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed contra principes, & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, & sicut ipse iterum dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: & iterum. Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.

In Mil... synodo...

10. Illud etiam, quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, B qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. Et iterum quarto capitulo ait, ut si quis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.

ubi sup... in Mil... Synodo...

Prov. 4...

Cum enim dicat Apostolus: Scientia inflat, charitas verò ædificat, valdè impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, C & ad eam, quæ ædificat, non habere; cum sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, qui docet hominem scientiam, ita scriptum est etiam, charitas ex Deo est. Item quinto capitulo, ut quisquis dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius possimus implere per gratiam: tanquam & si gratia non daretur, non quidem si facilè, sed tamen possimus etiam sine illa divina implere mandata, anathema sit: de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait; sine me difficilius potestis facere, sed ait, sine me nihil potestis facere.

Psalm. ... 1. Joan. ... ubi sup... in Mile... nodo. J... 15.

Omnes ... sunt in parasce...

11. Præter eas autem beatissimæ, & Apostolicæ sedis D inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres pestiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, &, tota secum congemiscente Ecclesia, postulant, & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut heretici Catholicæ fidei perceptione E resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Catechumenis ad regenerationis sacramentum perductis, cœlestis aula misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

Coloss. 1. Rom. 9.

12 Illud

12. Illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem ritè adeunt, quàm exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc verè appareat, quomodò Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodò prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus. His ergo Ecclesiast. regulis, & ex divina sumptis authoritate documentis, ita adjuvante Domino* confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omnium virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita preveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, & de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente fit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quę sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna pręmia sit donaturus: agit quippe in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidie dicimus: Ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo.

13. Profundiores verò, difficilioresque partes, * occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hęreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas, Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.

Ad Episcopos Galliæ Epistola ejusdem secunda.

1. *Quod non debeant Sacerdotes, aut Clerici amicti palliis, & præcincti lumbis, in Ecclesiis ministrare.*
2. *Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda.*
3. *Quod per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus officium debeat quis pervenire.*
4. *Quod unaquæque provincia suo Metropolitano debeat esse contenta.*
5. *Quod nolentibus Clericis, vel populis, nemo debeat Episcopus ordinari.*
6. *Quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum.*

COElestinus universis Episcopis per Viennensem, & Narbonensem provincias constitutis, in Domino salutem. Cuperemus quidem de vestrarum Ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de provectu, quàm aliquid admissum contra disciplinam Ecclesiasticam doleremus: ad nostram enim lętitiam, & benefacta perveniunt, & mœroris aculeis nos, quę fuerunt malefacta, compungunt. Nec silere possumus, cum ad hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu in speculis adeò constituti, ut vigilantiæ nostrę diligentiam comprobantes, &, quæ coercenda sunt, resecemus, &, quæ observanda sunt, sanciamus. Et quàvis circa longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendat, nec notitiam nostram subterfugiunt, quæ in eversionem regularum novellæ præsumptionis authoritate tentantur.

Cap. 1. Quod non debeant Sacerdotes amicti palliis in Ecclesia ministrare.

Didicimus, quosdam Domini Sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quàm mentis, vel fidei puritati. Qui amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt se sanctæ Scripturæ fidem, non per Spiritum, sed per literam complexuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter, quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unà cum baculo teneantur? *Luc. 12.* Habent autem suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, qua decet, significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis indicatur. De quo dicitur: *Matth. 5.* Sic luceant opera vestra. Discernendi à plebe, vel cæteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quàm illudendi; nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Cap. 2. Quod nulli sit ultima pœnitentia neganda.

Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. *26. q. 6. Agnovim. morien.* Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de pietate desperet, quasi non possit, ad se quovis tempore concurrenti, succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se ille expediri desideret, & liberari. Quid hoc (rogo) aliud est, quàm morienti mortem addere, ejusque animam, sua crudelitate, ne absolvi possit, occidere? Cùm Deus ad subveniendum sit paratissimus, & invitans ad pœnitentiam, sic promittat peccatori inquiens: Quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantùm convertatur, & vivat. *Ezec. 33. & 18.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit. Et desperat de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Vera ergo ad Deum conversio, in ultimis positorum, mente potius est existimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente: *Luc. 13. Ezec. 18. & 33.* Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Cùm ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum ille se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

3. Ordinatos verò quosdam, Fratres charissimi, Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus, ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti contra patrum decreta hujus usurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse, didicimus, cum ad Episcopatum, his gradibus, quibus frequentissimè cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis, ad majora firmentur; *d. 59. ordinatos verò quosdam.* debet enim esse ante discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit. Omnis vitæ institutio, ad id, quo tendit, se ratione confirmat. Qui minimè litteris operam dederit, præceptor non potest esse litterarum. Qui non per singula sti-

stipendia creverit ad meritum ordinem stipendii non potest pervenire. Solum Sacerdotium inter ista, rogo, vilius est? Quod facilius tribuitur, cùm difficiliùs impleatur? Sed jam non satis est Laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit, sed etiam, quorum crimina longè, latèque per omnes penè provincias nota sunt, Pontifices ordinantur. Daniel enim nuper missa relatione ex Orientalibus ad nos partibus, ab omni, quod tenuerat, virginum monasterio, nefariis est objectationibus accusatus. Multa de multis objecta flagitia, in quanam lateret terrarum parte, quæsitus est, ut si suæ innocentiæ confideret, contra se judicium postulatum minimè declinaret. (dist. 82.) Missæ sunt ad Arelatensem Episcopum per Fortunatum subdiaconum nostrum præceptiones, ut ad judicium destinaretur Episcopale. Tantis gravatus testimoniis, tanta facinorum accusatione pulsatus, sacrarum (ut ajunt) virginum pollutus * incesto, Episcopus asseritur ordinatus. (* incestu indifferenter.)

B

Et ut in nostri libelli scriniis continetur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus, in Pontificii dignitatem, hoc tempore, quo ad causam dicendam, missis à nobis litteris, vocabatur, obrepsit sacro nomini, absit injuria. Facilius est, ut hanc dignitatem tali dando, ipse amiserit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus. Cui convicto sociabitur, qui sibi eum credidit largiendo Pontificium sociandum. Qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinaverit, ostendit. His ergo in medium nunc deductis, cum plerique vestrum sint, qui Apostolicæ sedis statuta cognoverint nobiscum tempore aliquanto versati, ad disciplinæ normam, nostris conventa adhortationibus omnia fraternitas vestra festinet revocare.

C

4. Primum juxta canonum decreta unaquæque Provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam. (d.61. nec meritis.) Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius Provincia nil præsumat, nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati sunt ad exclusionem eorum, qui benè de suorum civium merentur testimonio, præponantur, ne novum quoddam, de quo Episcopi fiant, institutum videatur esse collegium.

5. Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, & ordinis consensus, & desiderium requiratur. (d.61. nullus invitis, & d.63. Cleri, plebisque, &c.) Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri: primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò proferantur.

D

Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec aliis debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis retinendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare: qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.

6. Abstineatur etiam ab illicitis ordinationibus. (1. Tim. 3. Levit. 21. 1. Tim. 3.) Nullus ex Laicis, nullus digamus, nullus, qui sit viduæ maritus, aut fuerit, ordinetur, sed irreprehensibilis, &, qualem elegit Apostolus, fiat. Per Moysen Dominus præcepit: virginem accipiat Sacerdos uxorem. Subsequitur, & supplet Apostolus, eodem locutus spiritu, unius uxoris virum Episcopum debere consecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam Sacerdotes, & si quæ factæ sunt ordinationes illicitæ, removeantur, quoniam stare non possunt, nec discussionem nostram subterfugere poterunt: quamvis latere se æstiment, qui * taliter pervenerunt. (* aliter.) Et ut nulla religionis reverentia obscuritate fuscetur, non sit vana gloriatio palliatis, Episcopa-

E

A

lem morem, qui Episcopi sunt, sequantur. Daniel, ut diximus, qui accusationem Pontificali honore subterfugere se credidit, posse, & ad fastigium tamen, accusatores suos latendo, pervenit, à Sanctitatis vestræ cœtu interim se noverit segregatum, qui se nostro judicio debet objicere, si conscientiæ suæ novit * fiduciam obtinere. (* confidentiam.) Massiliensis verò Ecclesiæ Sacerdotem, qui dicitur (quod dictu nefas est) in necem fratris taliter gratulatus, ut qui ejus sanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, ex vestro eum audiendum collegio delegamus. Data septimo Kalendas Augusti, Felice, & Tauro viris clarissimis consulibus.

Epistola ejusdem Cœlestini Papæ tertia ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ.

1. *Quod nulli Sacerdotum liceat canones ignorare.*
2. *Quod non oporteat Clericis Ecclesiarum contemptis de Laicis Episcopos ordinare.*
3. *Quod docendus sit populus, non sequendus.*

Capitulum primum.

COElestinus universis Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis. Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare, quæ enim à nobis res * digna * servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, fungatur? (d. 38. nulli sacerdotum liceat. * digne. * observabitur.)

2. Audivimus quasdam propriis destitutas rectoribus civitates, Episcopus sibi velle petere de Laicis, tantumque fastigium tàm vile credere, ut hoc his, qui non Deo, sed sæculo militaverint, æstiment nos posse conferre. Non solùm malè de suis Clericis (in quorum contemptum hoc faciunt) judicantes, sed de nobis pessimè (quos credunt hoc posse facere) sentientes. Quod nunquam auderent, si non quorumdam * illicitis consentiens sententia conniveret. (* illic...) Ita nihil, quæ frequentius sunt decreta, proficiunt, ut hoc, quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. (d. 61. quid proderit.) Quid proderit, per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si hi, * qui profuturi sunt ex Laicis, requirantur? (* qui hic profuturi.) Qui vacantes sæculo, & omnem Ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpostero, in alienum honorem ambiunt, immoderata cupiditate transcendere, & in aliud vitæ genus, calcata reverentia Ecclesiasticæ disciplinæ, transire. Talibus itaque, fratres charissimi, qui juris nostri, idest, canonum gubernacula custodimus (necesse est) obviemus, hisque fraternitatem vestram Epistolis commonemus, ne quis Laicum ad ordinem Clericatus admittat, & sinant fieri, unde & illum decipiat, & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat.

3. Docendus est populus, non sequendus. Nosque (si nesciunt) eos, quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus. (d.62. docendus est populus.) Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicæ sedis minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis authoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus: per totas ergo hoc (quæ propriis rectoribus carent) Ecclesias volumus, innotescat, ut nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. Data 12. Kalendas Augusti. Florentino, & Dionysio consulibus.

De-

A

Decreta Cœlestini Papæ, quæ sunt in corpore decretorum Gratiani, nec habentur in superioribus ipsius Epistolis, vel decretis, numero 4.

Caput primum.

IN alterius Parochia, nisi eo vocante, nulli aliquid agere licet. Nullus primas, nullus Metropolitanus, nullus reliquorum Episcoporum alterius adeat civitatem, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi Parochiam super ejus dispositione, nisi vocatus ab eo, cujus juris esse cognoscitur, ut quicquam ibi disponat, vel ordinet, aut judicet, si sui gradus honore potiri voluerit, sin aliter præsumpserit, damnabitur, & non solùm ille, sed etiam cooperatores, & consentientes ei, quia sicut ordinatio, ita eis & judicatio, & aliarum rerum dispositio prohibetur. Nam, qui ordinare non poterit, quomodo judicabit? Nullatenus proculdubio judicabit, aut judicare poterit.

2. *Par pœnitentia ei indicitur, qui spiritualem filiam, & pœnitentialem suam violare monstratur.*

Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse: idcirco fœmina, si Laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in Monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem, quod malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat. Postea verò ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.

3. Non debet Episcopus, aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessæ peccata. Si fortè (quod absit) hoc contigerit, sic peniteat, quomodò de filia spirituali, Episopus 15. annos, Presbyter 12. & deponatur, tamen si in conscientia devenerit.

4. Videtur nobis, quod secunda, quam contra prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam. Nam quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tàm humanæ, quàm divinæ legis proclamat authoritas, quia ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione retinentiæ, uxor non est, eam cogendus est recipere, quam juravit, & desponsavit, & ex ea prolem genuit, ut juramenti religio non vilipendatur, & fides ad invicem promissa servetur, proles in cultu Dei nutriatur, & educetur, & alii exinde occasionem peccandi, & alios decipiendi assumere non valeant. Quod autem parentes, fratres, & cognati utriusque sexus in testificationem filii, & filiæ ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum admittantur, tàm antiqua consuetudine, legibus approbata, quàm divinis, & humanis legibus approbatur: in dirimendo autem matrimonio ideo maximè parentes recipiuntur, sive si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quia unusquisque suam genealogiam, cum testibus, & chartis, cum exercitatione, & recitatione majorum scire laborat. Quia igitur aliis melius sciunt, ideo maximè admittuntur. Similiter etiam recipiuntur, & in testificationem matrimonii conjungendi. Qui enim melius recipi debent, quàm illi, qui melius sciunt, & quorum est interesse, ita ut si non interfint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod verò legitur, pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus causis, & contractibus verum est: In matrimonio contrahendo, & disjungendo, ipsius conjugii prærogativa, quia & favorabilis res est, congruè recipiuntur.

HILARIUS.

HIc Pontifex, natione Sardus, anno Domini 463. Papa in ordine 46. electus, decrevit, ne Pontifices sibi successores eligerent; quod decretum ad omnes gradus Ecclesiasticos pertinent. Idem tres universales Synodos comprobavit, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem. Extat ejus decretalis Epistola, quinque capitulis absoluta, quam in Concilio Romano sub eo celebrato videre est, ut ne hìc repetatur. Extant & duæ Epistolæ Ascanii Metropolitani simul, & universorum Episcoporum Tarraconensis Provinciæ ad hunc Hilarium, quarum priore petebant factum suum ab Apostolica sede probari, quod (petentibus

B

id provincialibus) Nundinarii cujusdam Episcopi Barchinonensis judicium secuti fuerant, qui moriens successorem sibi in Episcopatu constituerant Irenæum quendam. Altera petebant iidem, Sylvani cujusdam Episcopi Calaguritani temeritatem coerceri, qui in locum legitimè creati Episcopi, invitì, ac nolentis, alium submiserat.

Quibus Hilarius per sequentem Epistolam respondit, cujus hæc sunt capitula.

1. *Ut nullus sine consensu Episcopi Metropolitani Episcopus ordinetur.*
2. *Ut nullus Episcoporum relicta propria Ecclesia ad aliam transeat.*

C

3. *Ut Ireneus remotus à Barchinonensi Ecclesia ad propriam revertatur.*
4. *De removendis Episcopis, qui illicitè ordinati sunt: & ne in una Ecclesia duo Episcopi habeantur.*
5. *De damnatione Irenæi, si ad suam Ecclesiam non revertatur.*

HIlarius Episcopus Ascanio, & universis Episcopis Tarraconensis Provinciæ. Postquam literas vestræ dilectionis accepimus, quibus præsumptiones Sylvani Episcopi Calagurensium Ecclesiæ retundi petistis: & rursum Barchinonensium quæritis nimis illicita vota firmari, honoratorum, & possessorum Turriasonensium, Cascantensium, Calaguri-

D

tanorum, Virgilensium, Triciensium, Legionensium, & Civitatensium, cum subscriptionibus diversorum literas nobis constat ingestas; per quas id, quod de Sylvano querela vestra depromserat, excusabatur. Sed reprehensione justissima eorum pariter justa allegatio non carebat: quia præter conscientiam Metropolitani fratris, & coepiscopi nostri Ascanii, nonnullis civitatibus ordinatos claruit Sacerdotes. Unde quoniam quicquid ab alterutra parte est judicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod gestum est, ut nihil deinceps contra præcepta B. Apostoli, nihil contra Nicænorum canonum constituta tentetur, &c.

2.q.7.c. quin quicquid. 1.Tim.3. Heb.10. Nic. con. c. 4. & 6.

E

GELASIUS I.

GElasius, natione Afer, anno Domini 494. Pontifex in ordine 49. creatur. Hic Manichæos urbe Roma expulit, eorumque scripta publicè combussit. Inter alia præclara facinora scripsit & Epistolam ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, ac Siciliam constitutos, cujus hi sunt tituli.

1. *De institutis Ecclesiasticis moderatè pro temporis qualitate dispositis.*
2. *Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur.*
3. *Ut, cum defuerint Clerici, de monachis eligantur.*

4. Si-

4. *Si de Laicis eligantur ad Clerum, quantum temporis observetur.*
5. *De digamis, aliisque personis, qui ad ministerium Clericatus nullatenus applicantur.*
6. *Ut ab Episcopis sine præceptione Papæ novæ basilicæ non dedicentur.*
7. *Ut nulla pretia de baptizandis, consignandisque fidelibus exigantur.*
8. *De Presbyteris, ut nihil de his, quæ sunt Episcoporum, præsumant.*
9. *Ut Diacones mensuram propriam juxta patrum decreta custodiant.*
10. *Quod Diaconi in Presbyterio residere non possunt.*
11. *Quod Apostolica sedes paternos canones pio studio, devotoque custodiat.*
12. *Ut præter Paschale tempus, vel Pentecostes nemo baptizare præsumat.*
13. *De Presbyterorum, & Diaconorum ordinationibus certis temporibus celebrandis.*
14. *De virginibus sacris, quandò velentur.*
15. *Ut viduæ non velentur.*
16. *Ut servi obtentu religionis non suscipiantur in Clerum, vel in monasterium.*
17. *Ut Clerici nullas negotiationes inhonestas, & turpia lucra sectentur.*
18. *Ut nemo litteras nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus ad Clerum promoveatur.*
19. *De his, qui seipsos abscindunt.*
20. *De criminosis, ut ad Clerum non provehantur.*
21. *Quod * dæmoniis, aliisque passionibus irretitis, * ministeria sacra tractare non liceat.* [* dæmoniacis. * mysteria.]
22. *Quod hi, qui sacris virginibus se sociant, & fœdera incesta commiserunt, communicare non possunt, nisi publicam pœnitentiam gesserint.*
23. *Quod viduæ (ut supra dictum est) non velentur: sed si professam continentiam, proposito mutato calcaverint, ipsæ pro se rationem Deo reddant.*
24. *Quod secunda conjugia sæcularibus non negentur: quibus tamen ad Clerum minimè venire conceditur.*
25. *Ut si quis susceperit Ecclesiæ propriæ desertorem, & in aliquam provexerit dignitatem, uterque subjaceat sententiæ, quam canones præfixerunt.*
26. *De Laicis, vel Monachis, qui per præmium ordinantur, ut dantem, & accipientem Simonis Magi crimen involvat.*
27. *Ut nulla basilica sub defunctorum constituta nomine dedicetur.*
28. *De fœminis, ut sacris altaribus non ministrent, vel aliquid ex his, quæ virorum sunt officii deputata, præsumant.*
29. *De redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, ut quatuor portiones fieri debeant.*
30. *Ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui contra hæc constituta fecerit, sui honoris periculo subjaceat.*

Epistola Gelasii Papæ.

Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutis, Gelasius.

Capitulum primum.

[* dispositione. 1. q. 6. Necessaria.]

NEcessaria rerum * dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & * reparandis militiæ Clericalis officiis, quæ per diversas Italiæ partes, ita belli, famisque consumpsit incursio, ut in multis Ecclesiis (sicut fratris, & coepiscopi nostri Joannis, [*for. & in.]

A Ravennatis Ecclesiæ Sacerdotis, frequenti relatione comperimus) usquequaque deficiente servitio * ministrorum, nisi remittendo paulisper Ecclesiasticis promissionibus, antiquitus intervalla præfixa remaneant (sine quibus administrari nequeant) sacris ordinibus Ecclesiæ funditus destitutæ: atque in plurimis locis, per inopiam competentis auxilii, salutare subsidium redimendarum desit animarum: nosque magno reatu, si tanto * coarctante periculo non aliquatenus, * consulemus, innecti, &c. [* ministeriorum. * cohortante. * consulimus. d. 55. præsci.]

Epistola ejusdem ad Siculos.

1. *De benè regendis rebus Ecclesiæ ab Episcopis.*
2. *De tricennali præscriptione.*

B GElasius, &c. Episcopis in Sicilia constitutis. Præsulum authoritas nostrorum emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quæ hactenus decretum est. Reliquum sibi Episcopi vindicent, ut (sicut ante diximus) peregrinorum, atque captivorum largitores esse possint. [16. q. 3. Præsulum authoritas.]

Illud etiam annecti placuit, ut si (quod absit) facultates Ecclesiæ, necnon & diœceses, quæ ab aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vindicent, quæ tricennalis lex conclusit, quia & filiorum nostrorum principum ita emanavit authoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tem- C pus exclusit. [13. q. 2. Facultates Eccles. 23. q. 3. Præsulum autho. ra. Item Gelasius.]

Extat & Tomus quidam hujusce Gelasii de vinculo anathematis super acta Concilii Chalcedonensis, gravis ille quidem, sed principio admodum corrupto, prolixitate nimia fastidiosus: proinde summa dumtaxat ejus capita hìc describuntur.

Primum. Chalcedonensem synodum admittendam illam quidem, sed excepto illo decreto de Constantino. Ecclesiæ preeminentia præ Romana sede Apostol. cui & Vicarii sedis Apostolicæ repugnarunt.

Secundò, videtur convenire cum Hieronymo de observantia legalium, quam Petrus simulavit: inquit enim sic: Sanctus Petrus primus Apostolorum sic existimans Novi Testamenti gratiam prædicandàm, ut à legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Judæos, gentilesque D gessisse. [Galat.]

Tertiò, dicit illud Matthæi de peccato in Spiritum sanctum, & illud Ioannis 5. Est peccatum ad mortem, &c. de eo peccato intelligendum, quod usque ad mortem durat. Nam nullum est, inquit, peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo: aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem, non possit absolvere, vel pœnitentibus relaxare: cui dicitur: *Quæcumque ligaveris, &c.* Loquens etiam de vinculo anathematis dicit, quòd Ecclesiastica sententia reos tantùm, & prævaricatores obligat. [Matth.]

Quartò habet etiam, quòd quæcumque cujusque synodi acta, nisi per Romanum Pontificem confir- E mentur; nullum habeant robur. Totum, inquit, in sedis Apostolicæ positum est potestate. Ita, quod firmavit in synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem: & sola rescindit, quæ præter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum.

Quintò dicit, quod comminationes, quæ fiunt in sacris litteris, sunt intelligendæ, quandiu permanserint in statu rationis, quo fiunt. Sic, inquit, Tyrus, & * Biryton, Gaza, & Ægyptus pronunciatæ sunt periturae, quas postea per Euangelium novimus esse salvatas. Perierunt itaque duplici modo, aut permanentes in eo, quo talem sententiam susceperunt, aut defi- [Hier. Hier. per to. * Sidon Lu.]

deficientes ab eo, quo tales fuerant, & *incipienti- A
pien- busesse, quo non tales fuerant.

Sexto, in illo Esayæ, quod de gente Judæorum peremptoriè veluti pronunciatum est, Claude oculos eorum, & obtura aures eorum, &c. correctio, &
6. emendatio interdicta monstratur, & resipiscendi quoque spes prorsus abscinditur: de quo tamen populo Apostolos, & Ecclesiam privatam novimus processisse, & tot milla hominum una die baptismate fuis-
2. se salvata. Ecce & in persistentibus, qualis est illa sententia promulgata, permansit: nec ad correctionem prorsus venire sanitatis admissi sunt, sed adjudicati sunt in sua nequitia perire: & manente divina sententia, non per ipsorum propriam emendationem, suoque intellectu, vel motu, suaque virtute, vel possibilitate conversi sunt, ut sanarentur, sed per gratiam Dei sanati sunt, ut conver- B
10. terentur. Ne convertantur, inquit, & sanem eos: ne sua sponte, ne suis operibus utique, quibus confidebatur: ne suam justitiam sectantes, justitiæ Dei non debeant esse subjecti: de suis viribus confidentes, non divinæ se misericordiæ, illuminationique subdentes. Et ideo inhibetur eis superbæ præsumptionis effectus: non convertantur suis intentionibus, suis nisibus, ut putarunt: & sanem eos: ne eorum quasi meritis ex propria facultate venientibus, salvatrix gratia daretur, atque ita gratia jam non esset gratia, si non gratis data esset immeritis, sed merces tanquam meritis restituta. Non ergo ipsi convertantur, & sanem eos: sed sanati per gratiam, qualiter ad humilitatem Christi convertantur, agnoscant. Ita in utrisque, hoc est, & in eo permanentibus, in quo talem sententiam perceperunt, & in salvatis exinde, sententia dominica fixa permansit: & tamen cum permanente sic eis miro genere sanitas introducta est, ut illa sententia non mutata videretur, sed, eadem perdurante, sanitas non eorum confidentia, sed divino munere proveniret.

Dicit insuper, eos, qui humanis rebus moderandis, ac judicandis præfecti sunt, de iis, per quos divina ministrantur, non debere judicare. Nam licèt ante Christi adventum quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actibus constituti, pariter reges
4. existerent, & pariter Sacerdotes, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia (quod in suis quoque diabolus imitatus est, utpotè qui semper, quæ divino cultui convenirent, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, ut pagani Imperatores iidem, & maximi Pontifices dicerentur) tamen cùm ad verum ventum est eumdem Regem, atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vendicavit. Quamvis enim membra ipsius, idest veri Regis, atque Pontificis, secundum participationem naturæ, magnificè utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur,
. 2. ut simul regale genus, & Sacerdotale subsistant: tamen Christus memor fragilitatis humanę, quæ suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit: & sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideo mili-
m.2. tans Deo, minimè se negotiis sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus: ut & molestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus ritè collectis, satis evidenter ostenditur: à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem.

Extat & elegans ejusdem Gelas. Epist. ad Faust. magistrum fungentem legationis officio Constantin. in qua docet nullum absolvi posse ab errore præterito, nisi resipiscat. Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente, nam si deinceps sinitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assensio. 24. q. 2. Legatur.

Docet inde, solum Pontificem posse hæreticos damnare sine aliorum consensu: immo & quemlibet Episcopum hoc posse. Et quod non opus est nova damnatione ei, qui in errorem jam aliàs condemnatum incidit. 24. q. 1. Acacius.

Appellationes etiam omnes ad Ecclesiam Romanam licere deferri, ab ipsa verò nunquam appellari posse, sacrorum canonum statutis. 9. q. 3. Ipsi sunt.

Misit & aliam Epist. hic Gelasius ad Anastas. Augustum, in qua & fidei zelum, & charitatem erga proximos argutè demonstrat, sic dicens: Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic regitur mundus, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum: quantò etiam pro ipsis * regibus hominum in divino sunt examine rationem reddituri. Nosti etenim, fili clementissime, quod licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis *expetis, inque sumendis cœlestibus C Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quàm præesse. d. 96. Duo quippe. * legibus. * expectas.

Extat insuper alia ejusdem Epistola ad Episcop. Dardaniæ de Petri Alexandrini, & Acacii Constantinopolitani Episcoporum justa damnatione per sedem Apostolicam facta, quod Eutychianæ pestilentiæ communicarent, ac faverent: ex qua & Gratianus duo decreta citat, unum (de quo & supra) quod repeti non possunt, quæ 30. annis quiete possessa sunt. Alterum, quod non oportet ab eorum eleemosynis abstinere post mortem, quibus in vita communicare non destitimus.

Aliam etiam scripsit Epistolam ad Euphemianum, in qua sanctissimè, & doctissimè illum cohortatur ad unitatem fidei Catholicæ, & ut Petrum, & Acacium hæreticos habeat.

Vide Concil. Rom. an. 494. sæculo V. D

VIGILIUS.

Vigilius patria Romanus, circa annum Domini 537. sub Justiniano Imperatore Pontifex 59. creatus, quod restitutioni hereticorum quorundam damnatorum consentire nollet, flagris est immaniter cęsus, & injecto in collum ejus fune tanquam latro per totam urbem C. P. usque ad vesperam tractus: tandem carceri inclusus, & pane, & aqua aliquandiu miserè pastus, in exilium cum sequacibus suis actus, cùm tandem hostium pacatis animis in patriam redire permitteretur, in reditu Syracusis in Sicilia ex calculo moritur. Vixit autem in Pontifi- E catu tùm Romæ, tùm alibi annis 17. menses sex, dies 26.

Capitulorum sequentis Epistolæ tituli.

1. *De Priscillianistis, qui ab esu carnium se subtrahunt.*
2. *De trina renascentium mersione.*
3. *De his, qui ab Arrianis iterum rebaptizantur.*
4. *De Ecclesiarum restauratione in fabricis, vel dedicatione, quid sit observandum.*
5. *De Paschæ festivitate, & precum ordine, ac missarum solemniis.*
6. *Quod in nomine Trinitatis debeat baptizari.*
7. *Quod B. Apostoli Petri, Romanæ scilicet Ecclesiæ sedes*

sedes, Sacerdotalis mater sit dignitatis, atque Ecclesiasticæ magistra rationis.

Dilectissimo fratri Euthero Vigilius. Directas ad nos tuę charitatis Epistolas, plenas Catholicæ inquisitionis sollicitudine, gratanter accepimus, benedicentes Dei nostri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores; per quos & pascuis valeant salutaribus abundare, & ab *antiqui hostis rapacitate servari, ut insidias nequeant ejus subreptionis incurrere. Unde certum est, quia promissæ vos beatitudinis gratia subsequatur, quando à vobis cœlestium perfectio doctrinarum tàm votiva suscitatione perquiritur. Scriptum est enim: Beati, qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum. Hoc igitur, frater charissime, propositum tuæ consultationis tota mente tractantes, de re quoque provenire *contendimus, qui regulam Catholicę fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in Apostolica fide cognoscis esse fundatam. Et quamvis sonus eorum toto orbe diffusus, & usque ad fines orbis terræ verba eorum distensa, dilectionis tuæ corda Christo probaverint esse fidelia, tamen si quid ex his in Ecclesia, quæ tuę gubernationi (Deo auxiliante) commissa est, nec dum plena luce claruit, ad eundem fontem, de quo illa salutaris manavit lympha, recurritis, idest, quod debita charitate sumus amplexi, quia fiducialiter de his, unde apud eos observantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluistis responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, quid juxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ sedis authoritas, subjectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum.

*iniqui.

Psal. 118

* confidimus.

1. Ac primùm de his, quos Priscillianæ hæresis indicasti vitiis inquinari, sancta, & convenienti religioni Catholicę eos detestatione judicas arguendos, qui ita se sub abstinentiæ simultatæ prætextu ab escis videntur carnium submovere, ut hoc execrationis potius animo, quàm devotionis, probentur efficere. In qua re, quia nefandissimis Manichæis esse consimiles approbantur, justè patrum venerabilium constitutis ab hac superstitione sub anathematis sunt interminatione prohibiti, quando aliquid ciborum contagione carnium credunt esse pollutum: quia de his omnibus, quæ ad humanum victum misericordia Dei contulit, nihil Catholicis esse judicatur immundum. Sic enim Titum doctor Gentium Paulus monet Apostolus, dicens: Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens, & conscientia. Deum confitentur se nosse, factis autem negant, abominabiles, & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Similiter & alio in loco ad Timotheum de hujusmodi cavendis erroribus prædicavit, dicens: In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam, & prohibentes nubere, & abstinentes à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Hæc igitur sequentia patrum venerabilium constituta specialiter eos censuerunt esse damnandos, qui cum carnibus abstinerent, ea quoque credebant esse vitanda, quæ carnibus fuisse videbantur admixta. Nam & ipse Dominus noster Jesus Christus ita præmonuit, dicens: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Quapropter nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Domini creaturam, recipimus in nostra societate.

ad Titū 1.

1. Tim. 4.

A

2. De baptismo quoque solemniter adimplendo, similiter quid Apostolica vel sanxerit, vel observet authoritas, in subjectis tua charitas evidenter agnoscet. Illud autem novelli esse judicamus erroris, quod cum in fine psalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: aliqui (sicut indicas) subducta una syllaba conjunctiva, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo, Gloria Patri, & Filio, Spiritui sancto. Quamvis ergo ipsa nos ratio evidenter doceat, quia subducta una syllaba, personam Filii, & Spiritus sancti, unam quodammodò esse designent, tamen ad errorem talium convincendum sufficit, quod Dominus Jesus Christus designans in invocatione Trinitatis credentium debere baptisma celebrari, dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ergo cum non dixerit, in nomine Patris, & Filii, Spiritus sancti, sed æqualibus distinctionibus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum jusserit nominari: constat illos omninò à doctrina dominica deviare, qui aliquid huic voluerint confessioni derogare. Qui si in errore permanserint, socii nobis esse non possunt.

B

3. De his etiam, qui baptismatis gratia salutaris accepta, apud Arrianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi, quid per singulos ordines, vel ætates antecessorum nostrorum decreta censuerunt, quæ multiplici sunt digesta ratione, è nostro scrinio relevata capitula his subjecta direximus. In quibus tamen illud speciali charitate, etiam convenit observare, ut quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipsa surrexit, in æstimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per suas diœceses relinquatur, ut si qualitas, & pœnitentis devotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per invocationem Spiritus sancti fit, operatur, sed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur.

C

4. De fabrica verò cujuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, & si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere, si per eam minimè aqua * benedicta jactetur, quia consecrationem cujuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantum scimus esse missarum. Et ideò si qua sanctorum basilica à fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea missarum fuerit celebrata solemnitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si verò sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum repositione, & missarum solemnitate reverentiam sanctificationis accipiet.

De con[secr.] 1. De f[abr.]

D

* exorc[i]zata.

5. Pascha verò futurum nos (si Deus voluerit) * 11. Cal. Majarum die celebraturos esse cognoscite. Ordinem quoque precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere * divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quotiens verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem (Deo propitio) ex Apostolica traditione suscepimus. Et, ut charitas tua cognoscat, quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, Paschalis diei preces simul adjecimus. * His igitur fraternitatis tuæ inquisitioni responsis, Deum nostrum

* al. 10

E

* diver[sum]

* Sic.

ſtrum, quantum poſſumus, exoramus, ut omnibus Catholicæ religionis Eccleſiis circa univerſos, quos fideles ſibi efficit, gratię ſuæ dona multiplicet, & ab omnibus inſidiis ſpiritualis hoſtis, atque carnalis, cunctos populos ſuos redigere dignetur immunes. Significatur etiam beatorum Apoſtolorum, vel Martyrum (ſicut ſperamus) ſancto nos affectui tuo direxiſſe reliquias, præſumentes fidem veſtram eorum deinceps plenius eſſe meritis adjuvandam.

6. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſed in una perſona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, projiciatur de Eccleſia Dei.

7. Nulli vel tenuiter ſentienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quin Eccleſia Romana fundamentum, & forma ſit Eccleſiarum: à qua omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe nemo rectè credentium ignorat: quoniam licèt omnium Apoſtolorum par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt, ut cæteris præemineret: unde & Cephas vocatur, quia caput eſt, & primum omnium Apoſtolorum. Et quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſe eſt. Quamobrem ſancta Romana Eccleſia ejus merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum patrum authoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam tàm ſumma Epiſcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput, ſemper referenda ſunt. Nam, & qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem eſſe ſibi prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Unde omnium appellantium Apoſtolicam ſedem Epiſcoporum judicia, & cunctorum majorum negotia cauſarum eidem ſanctæ ſedi reſervata eſſe liquet; preſertim cùm in his omnibus ejus ſemper ſit expectandum conſilium: cujus tramiti, ſi quis obviare tentaverit, Sacerdotum cauſas ſe non ſuo honoris ſui periculo apud eamdem ſedem noverit redditurum. Data Calendis Martii * Vviſiliano, & Joanne viris clariſſimis conſulibus.

Pelagius primus,

PElagius primus, natione Romanus Pontifex 60. anno Domini 556. ſub Juſtiniano Imperatore creatus, mox accuſatus eſt, quod malorum Vigilii Papæ prædeceſſoris cauſa fuiſſet non parva: qui crimen depulſurus, tenens Euangelia, & crucem ſuper caput, ſuggeſtum aſcendit, & coram toto populo juravit, ſe nullum malum Vigilio intuliſſe, & ſic populo ſatisfecit. Hic temporibus Totilæ Gotthi Eccleſię Dei magno præſidio fuit. Horas 7. Canonicas inſtituit. Mortuorum memorias miſſæ adjecit. Hæreticos ſæculari poteſtati coercendos ſtatuit, qui ad ſanitatem revocari non poſſent. Quadrageſimali tempore ſacerdotibus hora 9. ſacrificare conceſſit. Item ordinavit, ut qui promovendus eſt in ſancta Eccleſia, ab Oſtiario uſque ad gradum Epiſcopatus, neque per aurum, neque per aliquas promiſſiones proficiat (quod ſimoniacum eſt) ſed ſi quis eſt doctus in opere Dei, bonam vitam habens, non per dationem, ſed per bonam converſationem ad primum gradum perveniat. Sedit annos 11. menſes 10. dies 8. in baſilica beati Petri Apoſtoli ſepultus 6. non. Martias.

Pelagius ſecundus.

PElagius ſecundus, Romanus, primatum in Romana Eccleſia obtinet 63. anno ſalutis partæ

A 583. ſedit annos decem, menſes duos, dies decem. Hic quòd injuſſu Mauricii tùm imperantis ei dignitati inauguratus eſſet (nec enim tùm Pontifex ſine Imperatoris authoritate creari poterat) Gregorium Diaconum, poſtea Pontificem, ad placandum Imperatorem miſit, excuſans tùm diluvii ſimilem quandam imbrium inundationem, quæ per ea tempora urbem Romam penè demerſerat: tùm quod Longobardis hoſtibus vias omnes obſidentibus, Roma nullus egredi poterat, qui veniam inaugurandi impetraret.

Hujus extant Epiſtolæ decretales quatuor, quarum priore definit generales ſynodos non poſſe convocari, niſi authoritate Apoſtolicæ ſedis, nullamque ſynodum ratam eſſe: quæ non fuerit hujus authoritate B fulta, neminemque debere ſe univerſalem Epiſcopum nominare.

Deinde, quot civitates unaqueque provincia habeat.

Tertiò, majores, & difficiliores quæſtiones ad ſedem Apoſtolicam ſemper eſſe referendas.

Quartò, Pontificum accuſatores, ac calumniatores, ut patrum invaſores, ac mactatores, habendos eſſe.

Epiſtola prima.

DIlectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis, qui illicita vocatione Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Synodum Conſtantinopolit. convenerunt. Pelagius. C Manifeſtò, ſicut optavimus, per gratiam Dei lumine Euangelicę veritatis, ab univerſali Eccleſia pernicioſiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudemus in Domino: ſed non modico contriſtamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata, nec unquam fieri debuerant, redivivis radicibus germinant, atque pullulant. Et quoniam multa, quæ pœnitudinem poſſunt generare, proveniunt; neceſſe eſt ea caſſare, quæ contra ordinem, & omnem authoritatem facta eſſe noſcuntur. Unde, fratres, rejecta penitus audacia, quæ contra Apoſtolicam ſedem, & contra ipſam Domini Salvatoris vocem, qua dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſumpta eſt diſputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda D conquieſcant, nec liceat defendi, quod non liceat agere. Relatum eſt ergo ad Apoſtolicam ſedem, Joannem Conſtantinopolit. Epiſcopum univerſalem ſe *ſubſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad ſynodum convocare generalem: cùm generalium ſynodorum convocandi authoritas Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari privilegio ſit tradita: & nulla unquam ſynodus rata legatur, quæ Apoſtolica authoritate non fuerit fulta. Quapropter, quicquid in veſtro conventiculo (quia ſynodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis, ex authoritate S. Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, qua beato Petro poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ipſe ſalvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio omnia, quæ ibi ſtatuiſtis, E & vana, & caſſata eſſe, ita ut deinceps nunquam appareant, nec * ventilentur. Etenim ipſe ſalvator B. Apoſtolo Petro, tanquam ipſa per ſe veritas loquitur, dicens: *Quęcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cęlo: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlo*. Multis denuò Apoſtolicis, & canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Rom. Pontific. Concilia celebrari: quapropter (ut jam dictum eſt) rectè non Concilium, ſed veſtrum conventiculum, vel conciliabulum caſſatur: &, quicquid in eo actum eſt, irritum habetur, & vacuum. Vos quoque deinceps videte, ut nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apſtolicæ ſedis communione carere non vultis. Modò verò ideò ſuſpenditur ultio, ut locum poſſit habere correctio.

Præ-

Margin notes: ...28. | ...rio. | Matth. 16 | *ſcribere. | *ſed mutilentur.

Prædecessores verò Joannis, & ipse Joannes, non semel, sed sæpissimè epistolas, atque libellos propria manu subscriptosq; sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Domino protestati sunt, nihil unquam protervè contra Apostolicam sedem agere, nec de illius, aut aliorum privilegiis quicquam usurpare. Qui hactenus in archivio sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis, ac chirographis eorum roborati, habentur integri. In ipsis enim epistolis, vel libellis anathematis vinculo se, & successores eorum constrinxerunt, si unquam aliquid contra eos præsumpsissent, aut contra Apostolicam, vel ullius alterius Episcopi sedem quicquam adversi quoquo modo essent moliti. Idcirco eos non est necesse excommunicare, aut anathematizare: quia ipsi anathematis vinculo propriis manibus professiones suas, suaque scripta roborando constrinxerunt. Sciat se tamen & ipse Joannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apostolicæ sedis, atque omnium sanctorum Episcoporum communione carere. Universalitatis quoque nomen, quod sibi illicitè usurpavit, nolite attendere, nec vocatione ejus ad synodum absque authoritate sedis Apostolicæ unquam venire, si Apostolicæ sedis, & cæterorum Episcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tàm prophano vocabulo unquam utatur: quia si summus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit, hoc absit à fidelis cujusque mente, hoc sibi velle quempiam arrogare, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem unquam, suis in Epistolis, universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum. *Adversarius namque noster diabolus, qui contra humiles sæviens, sicut leo rugiens, circuit quærens, quem devoret*, non jam (ut cernimus) caulas circuit, sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentem figit, ut nulli sit dubium, quin nisi unanimiter (favente Domino) cunctorum provida pastorum turba concurrat: omne (quod absit) citius ovile dilaniet. Perpenditis, fratres charissimi, quid è vicino subsequatur, cum & in Sacerdotibus erumpunt tàm perversa primordia. Quia enim juxta est illi, de quo scriptum est, *ipse est Rex super universos filios superbiæ* (quod non sine gravi dolore dicere compellor) dum frater, & coepiscopus noster Joannes mandata Dominica, & Apostolica præcepta, regulasque patrum dispiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine, vestræ beatitudini indicet omnipotens Deus, quàm gravi considerationis hujus gemitu torqueor, quod ille quondam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, ille, qui eleemosynis, orationibus, atque jejuniis videbatur, occupatus ex eo, quo fœtebat, cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate jactantiam tantam sumpsit, ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia, quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per lectionem pompatici ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare. Nec mirum, quod ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & tunc ea in primo homine ante omnia usus est, & nunc eam in quibusdam hominibus ponit in fine virtutum: & qui aliquatenus bonus vitæ studiis videbantur crudelissimas manus ejus effugere, eis in ipsis metis boni operis, & in ipsa quodammodo apponat perfectionis conculsione tendiculum. Unde magnopere orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, ut hunc à mente illius avertat errorem, hoc ab unitate, atque humilitate Ecclesiæ malum superbiæ, & confusionis amoveat, & favente Deo omnibus viribus concurrendum, atque providendum, ne in unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor

Dist. 99 Nullus patriar.

1. Pet. 5.

Job 41.

Eccles. 10.

A Patriarcharum omnium negatur, & fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, & nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur. Oportet ergo, ut constanter, ac sine præjudicio servetis, sicut accepistis, Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ usurpationis adscribat. State fortes, state securi, scriptaque universalis nominis falsitate, nec dare unquam, nec accipere præsumatis. Omnes Episcopos curæ vestræ subjectos, ab hujus adulationis inquinatione prohibete, ut universa vos Ecclesia Patriarchas, non solùm in bonis operibus, sed etiam in veritatis authoritate cognoscat. Si qua autem forsitan adversa subsequantur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus
B cum Paulo: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Audiamus, quod primus omnium Apostolorum dicit: *Si quid patimini propter justitiam, beati eritis.* Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda suscepimus veritate, si necessitatis causa exigat, securiùs pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Orate, fratres, ut honor Ecclesiasticus nostris diebus non evacuetur, nec unquam Romana sedes, quæ instituente Domino caput est omnium Ecclesiarum, privilegiis suis unquam careat, aut exspolietur: *Confidimus autem de vobis charissimi meliora, atque viciniora salutis*, quia *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque*
C *altitudo, neque profundum, neque creatura alia* (magistro gentium docente) *poterit nos separare à charitate Domini nostri Jesu Christi*, &, quæ in ipso est, recta fide. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est* ad colluctationes adversariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conservantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his, qui legitimè certare deproperant. *Adhuc enim modicum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. Ecce enim judex ante januam assistit*, coronas hilariter promittens his, qui pro eo passionibus submittuntur. Quòd si quis se subtraxerit, non placebit animæ meæ, sed cadet de promissione propter negationem. *Nos autem non sumus subtractionis filii in*
D *perditionem, sed fide in acquisitionem animæ*, Propter quod assumite arma Dei, ut possitis resistere in die malo adversus omnes inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, & vestros; & induite loricam justitiæ, calceati pedes in præparationem Euangelii pacis, *in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*, per omnem orationem, & obsecrationem radicati, & fundati in solatio fratrum pro Christo Jesu Domino nostro. Sed & nunc, fratres, commendamus vos omnes Domino, & verbo gratiæ ejus, qui potest perficere, & dare hæreditatem vobis cum omnibus sanctis: *Ipse autem Deus pacis, & consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum*, ut vobis invicem succurratis, &
E non divisi: ut unanimes uno ore, & uno corde honorificemus eum in concordiam, & consolationem fratrum, *qui potens est confirmare vos secundum Euangelium ejus, & juxta revelationem mysterii æternis temporibus taciti*, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis, quod his, qui fratribus invident, eosque damnare, aut perdere cupiunt, per se, & sua * dogmata destruuntur. Dicit enim Dominus: Omne regnum in se divisum non stabit, & omnis lex, & scientia adversum se divisa non stabit. Ideòque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus: & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis, & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini providentissima

Philip. 1. Pet. Heb. Rom. Heb. Jacob. Ephes. Rom. Rom. * destrui

tissimâ canonum decreta violari, quatenus & Nicænorum canonum statuta, & quæ à nobis, vel à prædecessoribus nostris sunt providè, & salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro. Et in Apocalypsi Dominus per Joannem loquitur dicens: *Nolite timere, ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Et habeo claves mortis, & inferni.* Et paulò post: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Item idem: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et iterum: *Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, & reget illas in virga ferrea: &, tanquam vas figuli, confringentur.* Item idem: *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno ejus.* Vos fratres si non vultis cum eo damnari, quia, non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, rei sunt: hortamini eum, & monete recedere à præfatis illicitis: & memor sit, unde exciderit, & agat pœnitentiam, & prima opera faciat. Sin minus, non mea loquar verba, sed ipsa Domini Salvatoris, quæ per prædictum in Joannem in jam dicto libro locutus est, replicans animo: *Veniam, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Ipse enim magis tenet doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, sicut iste docet vos scandalizare sanctam matrem Ecclesiam, universum cœtum tàm Sacerdotum, quàm Religiosorum Christianorum, atque fidelium. Unde & in supradicto libro continetur ita (semper enim potius vos verbis Domini Salvatoris ferire, & instrui cupio, quàm meis, licèt & ipsa Apostolica authoritate sint ponderibus plena.) *Novi opera tua novissima plura pejora prioribus. Sed habeo adversus te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetam, docere, & seducere servos meos: fornicari, & manducare de idolothytis.* Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis: & filios ejus interficiam in morte. Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda, & renes: & dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Hæc, fratres, valde cavenda sunt, & præcepta Domini, atque sanctæ sedis Apostolicæ, quæ vice Domini Salvatoris legatione fungitur, monita fideliter amplectenda, & peragenda.

De cætero, fratres, super provinciæ causa, unde sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum à sanctis prædecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote certam Provinciam esse, quæ habet decem, vel undecim civitates, & unum regem, & totidem minores potestates sub se, & unum * Episcopum, aliosque suffragatores, decem, vel undecim Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac civitatum referantur: ut ab his omnibus justè consona voce decernantur: nisi ad majorem authoritatem fuerit ab his, qui judicandi sunt, appellatum. Unde non oportet, ut degradetur, vel honoretur unaquæque provincia, sed apud semetipsam habeat judices, Sacerdotes, & Episcopos singulos, videlicet juxta ordines suos. Et quicunque causam habuerit, à suæ justis judicibus Provinciæ, & non ab externis, nisi (ut jam prælibatum est) à * judicandis fuerit appellatum.

Si verò in qualibet Provincia ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsius Provinciæ Episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conveniat, ad majorem tunc sedem referantur. Et si illic facilè, & justè non discernuntur: ubi fuerit synodus regulariter congregata, & canonicè, & justè judicentur. Majores verò, & difficiles quæstiones (ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit) ad sedem Apostolicam semper referantur.

Cæterum sanctorum patrum statuta sequentes, synodali authoritate omnes, qui adversus patres armantur, ut patrum invasores, & mactatores, infames esse censemus: quoniam ea vulnera, quæ fomentis non sanantur, ferro abscindi, vel curari necesse est. Unde, fratres, cessent injustæ æmulationes, cessent insidiæ, cessent falsæ criminationes: ne infirmus quisquam, propter quem Christus mortuus est, talibus laceretur insidiis: ne ovis pretio Christi redempta lupinis à fratre sauciatur morsibus. Meritò ergo causa nos respicit, si talibus favere cœperimus. Corripiantur semper talia, nec illis, qui hæc exercere * conantur, aut patribus insidiantur, liberè loqui concedatur, aut pro voluntate sermo proferri permittatur. Liquet omnino, quòd conniveant illis, qui talia eos loqui permittunt: quoniam occurreret veritas, si falsitas, & calumnia displiceret, vel odium. Desinat igitur falsitas incessere veritatem: desinat suspicio, quæ justè repellitur, insidiari: desinat odium, & amicitia persequi patres, vel fratres; desinat conspiratio, quæ ob omnibus est repudianda, infestare magistros. Horum igitur vitiorum authores, vel patratores non sunt in accusatione Pontificum recipiendi, sed repellendi: quoniam jubent canonica decreta patrum, ut accusatio, vel testimonium eorum, qui odio quoslibet insequuntur, vel qui inimici, aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum statuta & nos firmantes, eadem omnibus inviolabiliter futuris temporibus tenere censemus. Quicquid autem super hac causa patres nostri decernendum duxere dignum, ut condecet, necesse est, cum labefactari, vel infirmari cœperit, Apostolica denuo authoritate firmari, ac renovari, fratribusque dari. Data Calend. Mart. indictione 15.

[Margin: Cap. 4.] [Margin: * nituntur]

Frendet adversus hanc Epist. Blondellus Calvinista, sed sine ulla ratione. Aitque non aliter Petro succedere Pelagium, quàm sicut morbum sanitati.

Gregorius primus.

GRegorius I. natione Romanus circa annum Domini 593. invitus Pontifex 64. creatur sub Mauricio Imperatore, seditque annos 13. menses 6. dies 10. Hic lumina Ecclesiis dedit, modum chori, & psalmodias ordinavit, Litanias, & processiones excogitavit, se servum servorum Dei dixit: & vetuit quemquem generalem Episcopum dici. Hic inter sanctos relatus est: Epistolæ ejus decretales plures sunt, quarum hæc prima est: lib. I. in Registro, Epist. 41.

*Gregorius Leandro Episcopo * Hispaniarum, de Rechardo Rege, & de trina mersione baptismi.*

[Margin: * Hispalēs.]

REspondere Epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi Pastoralis Curæ ita labor me atteteret, ut mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod vestra quoque reverentia in ipso literarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam putrescentem navem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc à tergo tempestas inse-

quitur. Interque hæc omnia turbatus cogor modò in ipsum clavum adversitantem dirigere, modò curvata navi impetum fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio, quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviante, jam jamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quod perdidi meæ placitum littus quietis: & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. Si ergo me, frater charissime, diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende, ut quo laborantem me adjuves, ex ipsa vice mercedis, in tuis quoque laboribus valentior existas. Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quo communem filium Recharedum gloriosissimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnovi devotione conversum. Hujus dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam, quem nescio, fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quoniam bellum durius contra victores proponit: nunc contra eundem solertius sanctitas vestra evigilet, ut benè cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat: ut fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat, & quia æterni regni civis sit, operibus ostendat: quatenus post multa annorum curricula de regno ad regnum transeat. De trina verò mersione baptismatis nil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus: ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate, vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant: dumque, quæ faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.

de cō. d.4. De trina. canone 5. quarti Concilii Toletani.

Circa ann. 858.

RESCRIPTA NICOLAI PAPÆ hujus nominis primi ex Gratiani volumine in unum collecta, & in viginti titulos dispartita.

De constitutionibus Ecclesiæ. Tit. 1.

dist.10.c.1. Episcopis in Concilio, apud Convicinium congregatis.

1. IMperiali judicio non possunt jura Ecclesiástica dissolvi: nec possunt Imperatorum leges Euangelicis, & Apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, inferre præjudicium.

2. Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus à patribus suscepimus, infringi patiamur.

De Consuetudine. Tit. 2.

d.8.c.mala Eidem. Ignaro.

1. MAla consuetudo non minus, quàm perniciosa corruptela, abjicienda, & vitanda est.

2. Nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore constitutiones, vel consuetudines, si illis canonica non obsistat authoritas.

d.21. Denique eidem Imp.

3 Illi, qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt; hodie quoque in Romana Ecclesia (quæ magistra est omnium Ecclesiarum) imprætermisse servatur, ita ut nullus Sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cujuslibet rei benedictionem dare nitatur. Sed anterior stans ad pronunciandam aliquam lectionem, benedictionem quidem

A postulat: sed ei quilibet inferior non audet benedicere: quia in Epistola ad Hebræos legimus, quòd minor à majore benedicitur. *Hε*

De judiciis. Tit. 3.

1. INferior sedes potiorem absolvere, aut judicio ligare non potest, nec propriis diffinitionibus subjungere. *Ibi rior Co*

2. Filios circa spiritualem patrem, ut discipulos erga magistrum, ita devotos, ac sobrios esse decet, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam dijudicandam, nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant. *nop*

3. Non potest quisquam ritè ab his, qui inferio- *Ibi.*
B ris ordinis, vel dignitatis sunt, judicialibus submitti *aut* *Imp* diffinitionibus. Unde factum est, ut in Concilio Episcoporum nullus in Marcellinum Papam, qui tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum idolis compulsus sacrificaverat, sed postea insignis martyr effectus est, sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissimè omnes dicerent: Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. Et iterum: Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, &c.

4. Acephalum liquet esse Concilium, ubi de tanta persona agitur, & majorum non expectatur sententia: cum nec in causa Clericorum inferioris gradus, solius Episcopi sui judicium tantummodo postulandum sit. *Ibi Eide*

C 5. In tantum hanc præsumptionem sancti patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quòd ponens in cœlum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictavit. *Ibi. Eide*

6. Omnes leges tàm Ecclesiasticæ, quàm vulgares, & publicæ præcipiunt, ut omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus exspoliatus. *2.q.2 Carol Fran*

7. Quod suspecti, & inimici judices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius, & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendum commiserit, quem lædere fortè voluerit?

D 8. Revera justus mediator non est, qui uno litigante, & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. *3.q. vera. loni chiep*

9. Indicas Hermannam Episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum: pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere proculdubio non possumus. *Sene*

10. Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse: & unam partem, quantacunque, & qualicunque prædita sit authoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur. *Ibi. maro Ignar Rhem Arch*

11. Hæreticis non licet accusationes contra orthodoxos Episcopos pro Ecclesiasticis facere nego- *4.q. Mich*
E ciis. Hæreticos autem dicimus tàm eos, qui olim ab Ecclesia projecti sunt, quàm qui post hoc à nobis anathematizati sunt. Præter hos autem, & eos, qui fidem quidem sanam negant, vel simulant confiteri.

12. Contra ritum Ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator, vel testis de imperialibus ædibus, & qui imperare potest. Cum ad falsum testimonium dicendum, quis adhibetur, fiunt suspecti judices, & lupi custodes. *4.q.4. Eiden*

13. Quod bene semel diffinitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione (nisi fortassis ubi fuerit major authoritas) retractari. *6.q.4. ben. C Regi corum*

14. Ait Cœlestinus Papa, Orientalibus Episcopis scri- *23.q.*

scribens: Si quis ab Episcopo Nestorio, vel ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est, seu antistitis, seu Clerici dignitate, in nostra hunc communione durasse, & durare manifestum est. Nec judicamus eum esse remotum: quia non poterat quenquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum.

15. Historia Ecclesiastica ab Eusebio Cæsariensi Episcopo confecta, de muliere quadam, quæ de castitate à marito accusabatur, ait: Præceptum est ab Imperatore, lege lata, ut primo promitteretur ei rem familiarem diutius ordinare, tunc demum respondere objectis. Hoc omnes leges, tàm Ecclesiasticæ, quàm vulgares, publicæque præcipiunt. Si autem de mulieribus, & sæcularibus viris hæc constituta sunt, multò magis B Ecclesiasticis hominibus, & Sacerdotibus sunt concessa.

16. Sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium agitandum sit, nulla ratio patitur Tebergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit reddita potestati, & consanguineis propriis liberè sociata. Itaque etiam locus providendus est, in quo nulla vis mltitudinis formidetur: ne sit difficile testes perducere, vel cæteras personas, quæ tàm à sanctis canonibus, quàm à venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur.

De Romana Ecclesia, & sede Apostolica.
Tit. 4.

C 1 OMnes sive Patriarchæ cujuslibet apicem, sive Metropolis Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujusque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia. Illam verò solus ipse fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul, & cœlestis imperii jura concessit.

2. Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, seu militari tumultu, Apostolicæ sedi sine concordi, & canonica electione Cardinalium ejus Ecclesiæ, ac deinde sequentium Clericorum religiosorum inthronizatur, non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur: liceatque Cardinalibus, & aliis D Clericis Deum timentibus, & Laicis, invasorem illum anathematizare, & humano auxilio à sede Apostolica pellere.

3. Licet nunquam Apostolicæ sedis modus fuerit, absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, nos tamen sublimitatem vestram in nobilissimo viro, ac strenuo legato vestro honorantes, ejusque gravitatem, & eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones, nihilominus eum absque epistola vestra suscepimus.

4. Per principalem beatorum Apostolorum Petri, & Pauli dextram, & potestatem, & jus habemus non solùm in monachos, verum etiam in quoslibet Clericos de quacunque diœcesi, cum necesse fuerit, ad nos convocare, atque Ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare. E

5. Arguta sapientia tua materiam depositionis adversus Rotardum assumpsit, & ab itinere Apostolicæ sedis removit, & continuatim Apostolicam sedem appellantem damnavit, & carcerati custodiæ mancipavit. Privilegia tamen Apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent.

6. Patet profectò, sedis Apostolicæ (cujus authoritate majus non est) judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Nec de ejus judicio canones unquam præceperunt judicari: sententiamque illius constituerunt A non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt.

7. Authoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum sequuti, & nominatim beatissimi Papæ, & martyris Alexandri quinti à beato Petro, ab omnibus juramentis, & cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese coacti violentia impiorum obligaverunt, absolvimus, &, ne illa serventur, vetuimus tàm Archiepiscopum Trevirensem, quàm ejus præpositum, & omnes, qui tunc temporis capti, se illis quoquo modo obligaverunt. Neque ullam eos proinde infamiam, vel calumniam, aut à suis bonis sequestrationem unquam, authore Deo, & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere permittimus, sicut per Prophetam Dominus dicit, Dissolve colligationes impietatis, &c. *25.q.6.c.2. Episcop. Galliæ.* *Esa. 58.*

8. Nemini est de sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in beato Petro Apostolo divinitus collatum. *17.q.1. Nemini. Omnibus Episc.*

9. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, vel Ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium, vel futurorum malorum, à sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. *35. q.5. Si quis, Universali synodo præsidens.*

10. Sententiam Romanæ sedis non negamus posse in melius commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, vel temporum, seu gravium necessitatum dispensatione quædam ordinare decreverit: quoniam & egregium Paulum Apostolum dispensatoriè legimus quædam fecisse, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen observandum est, quando illa, Romana videlicet Ecclesia, disertissima consideratione fieri delegerit: non quando ipsa, quæ benè sunt diffinita, retractare voluerit. *35. q.9. Sententiã Micha. Imp.*

11. Ecclesia, idest Catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ sedis instituetur nutu, quandò, juxta sacra decreta, nec ipsa debet absque præceptione Papæ basilica noviter construi, quæ ipsam Catholicorum intra semet amplecti catervam dignoscitur? *De cõs. d.1. Eccl. Clero, & plebi Viennen. Ecclesiæ.*

De decretis Romanorum Pontificum.
Tit. 5.

1 QUod à sedis Apostolicæ rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis occasione removeatur. *di. 11. ca. 2. Michaeli Imp.*

2. Si Romanorum Pontificum decreto, cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut quod verè sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum: & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur; quanto potius ea, quæ ipsa pro Catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis, & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni honore debet præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus, vel opportunitatibus, discretione, vel dispensatione magistra reverenter assumi, &c. *dist. 19. c. 1. Archiepisc.*

3. Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis redarguendi. Si verò habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi. *d. 20. ca. fi. & Clero Constantinopolitano.*

De Imperatoribus. Tit. 6.

1. IMperator suis reip. quotidianis administrationibus debet esse contentus, non usurpare, quæ Sacerdotibus Domini solùm conveniunt. *d. 10. c. 1. Michaeli Imp.*

2. Ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm *dist. 96. c. Ubinam. Eidem.*

ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.

Ibi. c. seq. Denique Eidem. 3. Denique hi, quibus tantum humanis rebus, non divinis, præesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus.

Ibi. c. cum ad verum Eidem. 4. Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, idem Rex, & Pontifex, actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans, minimè se negotiis sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotiis implicatus.

Ibi. c. seq. Satis. Eidē. 5. Satis evidenter ostenditur, à sæculari potestate nec solvi prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat à principe Constantino Deum appellatum: cum nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est.

1 q. 1. Non quales. Eidem. 6. Non quales Sacerdotes Domini sunt, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in Vicariis beati Petri Apostoli vobis est attendendum, quid sint, sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos dicetis inferiores scribis, & pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus Dominus præcepit dicens: Quæcunque dixerint vobis, facite, &c. *Matth. 23.*

De Regibus. Tit. 7.

d. 63. Porro. Lothario Regi. 1. Relatum est nobis, quod quicunque ad Episcopatum in regno tuo provehendus est, non nisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco Apostolica authoritate, sub divini judicii obtestatione injungimus tibi, ut in Trevirensi urbe, & Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro apostolatui fiat.

2. q. 1. quæ. Lotharius. Carolo Regi Francorū. 2. Quæ Lotharius Rex nepos vester fecit, accusatione non indigent. Manifesta enim sunt, teste Apostolo, opera carnis, fornicatio, immunditia, &c. *Gal. 5.* In manifestis enim calliditate accusantium non opprimitur reus, nec tergiversatione proprium crimen celatur, cum culpa sub oculis omnium sponte se ingerat, atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur.

Ibi. c. fi. Episc. per Galliam, Italiam, & Germaniā constitutis. 3. Scelus, quod Lotharius Rex (si tamen Rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrænat, sed lubrica enervatione magis illicitis ejus motibus cedit) in duabus scilicet fœminis Teberga, & Gualdrada commisit, omnibus manifestum est: sed dudum Episcopos Teugualdum, & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores, atque fautores, pene totus orbis undique ad limina, seu sedem confluens Apostolicam referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt.

11. q. 3. Præcipuè Lothario Regi. 4. Præcipuè Gualdradæ pellicis tuæ, & dudum à te repudiatæ communionem declina. Excommunicata est enim, & usque ad præsentiam nostram ab omni contubernio Christianorum sequestrata. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ: ac pro unius mulierculæ passione victus, & obligatus ad perenne traharis exitium.

Ibi. c. ita corporis. 5. Ita corporis tui motibus cedere consensisti, & relaxatis voluptatum habenis, temetipsum in lacum miseriæ, & in lutum fæcis prohibitum dejecisti, ut qui positus fueras in gubernatione populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Teugualdi, & Guntharii dudum Episcoporum legitimus casus: qui pro eo, quod te minimè competenter erudierint, quinimmo quia prævaricationem tuam argumentis suis tegere, & sub quadam justitiæ specie, fucatis quibusdam exquisitis adinventionibus, æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt Apostolica depositi authoritate, & ab omni Episcopatus regimine regulariter sequestrati.

Ibi. ex[cel]lentissi[mus] Hincm[aro] Rhemo[rum] Archie[piscopo]. 6. Excellentissimus Rex Carolus Apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his, qui cum Engeltruda sæpè damnata communicant fœmina: quoniam eam cum communicatoribus suis, & fautoribus pari vinculo anathematis constat esse adstrictam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra authoritate fretus, curam de his sumere studeas. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud, quod de studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus districtius esse puniendum, idcirco solerter invigilet, & cauta districtione singulorum modos dijudicet: quatenus qui ex necessitate, aut ignorantia delinquunt, authoritate nostra per te absolvantur. Illos autem, qui studio suo obligantur, & contemptu interdicta nostra postponunt, non nisi digna satisfactione præveniente, volumus à te prorsus absolvi.

24. q. 3. non Lo[tha]rio Reg[i]. 7. An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus esse dignosceris? Quod Dominus non nisi post septuaginta generationes suo salutifero adventu delevit, cum Cain fratricidium septima generatione aquis abolitum sit cataclysmi, idest diluvii.

De Patriarchis, & Archiepiscopis. Tit. 8.

d. 63. E[piscopos] Joan. [Ra]venn[ati] Archi[episcopo]. 1. Episcopos per Æmiliam non consecres nisi post electionem, vel consensum Cleri, & populi.

3. q. 6. quippe [Sa]lomoni [Re]gi Brit[anniæ]. 2. Hæc est ordinatio Dei Patris tui, & hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ, videlicet ut omnes Episcopos regni tui ad Turonensem Archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse est enim Metropolitanus; & omnes Episcopi regni tui, suffraganei ejus sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt. Neque enim Ecclesias Dei per discordias regum divisionis aliqua damna pati necesse est, cum, quantum ex se est, pacem, quam prædicant, servare studeant in invicem, & in omnes.

9. q. 3. [Con]questu[s] Rodulp[ho] Bituric[ensi] Archiep[iscopo]. 3. Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigedodus Archiepiscopus Narbonensis, quod Clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas: & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatus tui disponas: cum hoc neque antiquitas (cui sancti patres sanxerunt reverentiam) habeat, & authoritas sanctorum canonum penitus interdicat: nisi fortè pro causis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint per appellationes: vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim, vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus concessit, diffinimus.

11. q. 3. T[eu]gualdum Omnib[us] Episcop[is] Galliæ, German[iæ]. 4. Teugualdum Trevirensem, & Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopos nunc coram nobis, & sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii Regis, & duarum mulierum ejus, Tebergæ scilicet, & Gualdradæ, recognoverint, & judicaverint, scriptum super hoc propriis manibus roboratum offeren-

offerentes, & sententiam, quam à sede Apostolica in Engeltrudam uxorem Bosonis, sanctissimus frater noster Archiepiscopus Mediolanensis Thado, & cæteri Episcopi nostri petiverunt emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis attestatione canonicè protuleramus, publicè se viva voce violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apostolicas, atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, ab omni judicamus Sacerdotii officio manere penitus alienos. Et ideo sancti Spiritus judicio, & beati Petri per nos authoritate Episcopatus exutos regimine consistere diffinimus.

De sacris Ordinibus. Tit. 9.

1. QUæ in consecrationibus, & ordinibus observanda sunt, beati Innocentii Papæ canonica decreta, præsertim principia paginæ ad Decentium Eugubinum Episcopum emissæ, affatim edocebunt.

2. Simoniaci simoniacè ordinati, vel ordinatores, secundum Ecclesiasticos canones, à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniacè à non simoniacis ordinati similiter ab officio malè accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniacè à simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.

De Episcopis. Tit. 10.

1 EPiscopi ab omni bestiarum, vel volucrum venatione penitus alieni existere, & ab immoderata filiarum suarum familiaritate, unde mala oriatur fama, abstinere debent. Nullum enim sanctum (ut ait beatus Hieronymus) venatorem legimus.

2. Episcopis dispensatio cœlestis seminis injuncta est. Væ si non sparserint: væ si tacuerint, sicut vas electionis formidat, & clamat.

3. Si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super Suffredi examinatione, vel Episcopatus abrenunciatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem Apostolicam referri convenerat: & nostra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus expectare. Quod, quia omissum est hactenus, dolemus. Dilectissimi igitur, gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus Episcopus proprio restituatur Episcopio: & hìc, si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione, vel digna animadversione diffinietur.

4. Pontifices, qui aliqua occupantur infirmitate, vel ægritudine, abjiciendi non sunt: nec alii in loco eorum consecrandi sunt, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt, Sacerdotes expleant. In his verò, quæ his præsumere non licet, vicinorum usque ad recipiendum sanitatem Episcoporum auxilia subrogentur.

5. Episcopos verò, qui dominici gregis suscipiunt curam, atque solicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus.

6. Sciscitaris, utrum cum à Normannis de Episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conversari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus (maximèque paganorum) insidias, cum ad tempus sæviunt, & ob multitunem delictorum nostrorum, nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus, & multos Prophetas, & Apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet: sed quod præcipuè nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum pastores sumus Deo authore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, & in unum colligere, & ejus animos cælestis patriæ pace, ac potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus.

7. Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti, dicendo majorem partem omnium Episcoporum die, & nocte cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, & ob id Episcopi impediantur venire: cum militum Christi sit, Christo servire: milites verò sæculi serviant sæculo, secundum quod scriptum est, Nemo militans Deo, implicet se negociis sæcularibus. Quod si sæculi milites militiæ student, quid ad Episcopos, & milites Christi pertinet, nisi ut vacent orationibus? *23.q.8.Reprehensibile. Carolo Regi Francorū.*

8. Porro gloria in excelsis Deo, ab Episcopis in cœna Domini inter missarum solemnia more nostro dicenda est. Pallio verò Apostolico eadem die uti, est illis licitum, quibus est ab Apostolica sede permissum. *de conf.d.1 Porro Rodulpho Bituricensi Archiepis.*

De Presbyteris. Tit. 11.

1 NUllus missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. *d.32. Nullus omnibus Episc.*

2. Sacerdotes, si in fornicationis ceciderint laqueum, & criminis manifestus, sive ostensus sit actus, Sacerdotii honorem habere non possunt secundum canonicæ institutionis authoritatem. *d.30. Sacerdotes Carolo Episcopo Moguntino, & ejus suffraga.*

3. Si Presbyter aliquem percusserit, non ad mortem pro percussione pœnitentiam agat, & aliquanto tempore à missarum solemniis suspendatur. Si verò qualicunque percussione ejus aliquis mortuus fuerit, nulla ratione ministrare Sacerdotis more debet. Quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen, & indignatio in omnibus, & præcipuè in Dei ministris, multipliciter inhibetur, atque damnatur.

4. Presbyter iste dicit se falsis criminibus impetitum, & ab Ecclesia sua non convictum, neque confessum, irrationaliter fuisse ejectum. Nam tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se, neque de fornicationis crimine, neque de homicidii confessione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut quæ te fortè ignorante Geziaca cupiditate perada esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo Ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque reddendo tua pietate pristinum, quem perdidit, honorem. *2.q.3. Notum sit. Gerard. Turonen. Archiepisc.*

5. Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeat is communionem recipere, necne, respondemus: Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum cogitationum existunt. Qualiscunque enim Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, quousque judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona administrando, se tantummodo lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni Sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Fides est enim, quæ hunc mundum *13.q.8.cap. si. Ad consulta Bulgarorum.*

vincit. Et quia non dantis meritum, sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo: Ad credendum omni animæ baptismus est perfectus, & in omni Sacerdote corpus Christi est perfectum.

17. q. 4. de Presbyterorū. Thadoni Archiep. Mediolanen.

6. De Presbyterorum flagellatoribus, & occisoribus, prædonibus scilicet, qui sæculari brachio minimè coercentur, juxta præceptum Domini placet, ut fraterno amore conveniantur secundò, & tertiò. Qui requisiti si te non audierint, conveniente Ecclesia, eos sacra communione privare: atque, si in sua obstinatione permanentes Sacerdotalia monita fortè contempserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.

De Clericis. Tit. 12.

d. 32. de illo Odoni Viennē. Archiepiscopo.

1 Clericus, qui per ordines Ecclesiasticos usque ad subdiaconatum castè vixit, uxorem ducere non potest. Nulla enim datur licentia, exceptis illis, quibus Ecclesiastica regula uxorem habere permittit.

d. 50. Clericū. Osualdo. Coepiscopo Quadrantino.

2. Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi: qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est. Nam discreti sunt milites sæculi à militibus Ecclesiæ, quibus militare sæculo non convenit.

Ibi. c. Hi, qui arborē.

3. Hi, qui arborem incidere videntur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt, atque innoxii: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est. Si verò aliqua culpa eorum, vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abiiciendi sunt à gradu, & in sacro ordine nullatenus suscipiendi.

De Votis Monasticis. Tit. 13.

d. 27. quod interrogasti. Albino. Viennen. Archiepis.

1. FOEmina, quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine monialem esse, postea verò ad nuptias rediit, debet pœnitentiam agere de illusione nefanda, & reverti ad id, quod spopondit.

20. q. 3. Præsens Omnibus Episcop. in regno Ludovici.

2. Præsens Clericus, nomine Lambertus, unà cum patre suo nomine Attho, quondam videlicet comite, nunc autem Clerico, ad limina Apostolorum properans, adit præsentiam nostram, asserens, qualiter idem pater ejus in laicali adhuc ordine, in prædiis propriis ædificasset duo monasteria, voluntatem gerens, ut post suum decessum præsens ejus filius Lambertus in locum ejus succederet, quem infra teneram ætatem inter octavum, & decimum annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione, extra omnem illius voluntatem, cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium (ut ipse dicit) Salomon Episcopus cum quibusdam aliis, absque patris oblatione, vel Abbatis percepta benedictione, eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit (ut ferunt) invitum. Et sub hac occasione, paterna, seu materna hæreditate à fratribus suis privatum esse, atque contra omnem (ut dictum est) voluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere volunt. Et infra: Quapropter consultè Psalmographi verba recolentes, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat: præsentem Clericum nomine Lambertum minimè debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit. Quod autem non diligit, facilè contemnit. Nullum ergo bonum, nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit, &c.

Psalm. 11.

27. q. 1. Vidua Carolo

3. Vidua quidem, quæ capiti sacrum velamen imposuit, si inter cæteras velatas fœminas in Ecclesia oraverit, & oblationes cum illis obtulerit, si professa est se in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, à religionis observantia discedere non præsumat.

De Laicis. Tit. 14.

1 DE Presbyteris vobis, qui Laici estis, nec judicandum est, nec de vita eorum, quicquam investigandum, sed Episcoporum judicio, quicquid id sit, est reservandum.

2. In scripturis narratur Constantinus Imperator dixisse: Verè si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui in monachali habitu circum amicti sunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquibus videretur. Hoc dicimus, cautos vos reddere cupientes, ut si de Domini Sacerdotibus (qui jure patres animarum dicuntur) aliquid contigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo verecundiam contegatis, ut affluenti (quemadmodum, & illi) benedictione repleri moderante Domino mereamini.

De Ecclesiis. Tit. 15.

1. NUlla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Clericorum.

2 De rebus, quæ semel Deo contributæ, atque dicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis principum à quibusdam invaduntur, atque diripiuntur, sancimus, ut prius consulatis principem ad resecandam tàm præsumptivam factionem, & cognoscendum, utrum sit illius concessio, an invasoris præsumptio. Quòd si principis inordinata fuerit largitio, & ipse princeps sit pro emendatione redarguendus: si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus.

3 Sicut antiquitus à sanctis patribus statutum est, statuimus, ut major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat, capellæ verò, vel minores Ecclesiæ 30. Qui autem confinia eorum confringere tentaverit, aut personam hominis, aut bona ejus inde subtraxerit, nisi publicus latro erit, quousque emendet: & nisi, quod rapuerit, reddat, excommunicetur.

De Baptismis. Tit. 16.

1. A Quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis: &, quid inde sit agendum, consulitis. Hi profectò si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, unum quippe, idemque est, ut sanctus Ambrosius exponit, qui non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent.

2. Catechismi Baptizandorum à sacerdotibus uniuscujusque Ecclesiæ possunt fieri, sicut in hac sancta Romana Ecclesia (cui Deo authore ministerium exhibemus nostri famulatus) solemniter fieri comprobantur.

De Pœnitentia. Tit. 17.

1. DE viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera, & compita insidians, vobis in vestræ Ecclesiæ villa unà cum Clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus, sanctæ Apo-

Apostolorum Petri, & Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, & deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpserit: & ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis, & sanguinis vasa, insuper & sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia, & ad communem usum apta, præsumpserit: dilectio nos vestra consuluit, si ipse, vel qui cum eo in tàm impio, & iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque, gratia tacti divina, venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, institutionis nostræ censuram exposcere curastis. De quibus tamen, si ita est, jubemus: cùm ad pœnitentiam quandoque reverti acceleraverint, uno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa extra ritum fidei Christianæ diripiendo auferre non dubitaverant. Secundo verò anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneant. Tertio verò anno Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ dies. Quarto prætereà anno (si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius nunquam facturos, corpus, & sanguinem Domini suscipere mereantur, & usque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium, & vini potatione maneant pœnitentes.

2. De his verò, qui pro criminibus pœnitentiam egerunt, & ad cingulum militiæ convertuntur, constat eos contra sacras regulas agere: verum, quia crimina non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum propter nimiam habitudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse; tibi hoc committimus decernendum, nimirum, qui loca, & tempora * religionis illius, & modum culpæ, necnon & pœnitentiam, & gemitus hominum ad confessionem venientium præsens positus inspicere vales.

3. Interfectores suarum conjugum sine judicio, cùm non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt, quàm homicidæ? ac perinde ad pœnitentiam redigendi. Quibus penitus conjugium denegatur, exceptis adolescentulis, de quibus est beati Leonis Papæ 25. regula decretalium, imò indulgentia observanda.

4. Latorem præsentium matricidam esse cognovimus: cui præcipimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans, & deprecans Deum perseveret, qualiter tantò eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo, introeundi in Ecclesiam licentiam habeat, tantùm inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis, sacræ communionis ei gratia concedatur. Oblationes verò non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festivis diebus, atque dominicis, & à Pascha usque ad Pentecosten. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur: arma non sumat, nisi contra paganos, jejunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam; à propria, & legitima conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod, ne fiat, optamus. Si autem ante annorum trium cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis, & sanguinis Domini nostri particeps fiat. Sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversionem, & lachrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum solicitudo pervigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur.

5. Si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis, de quibus sancta Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier, quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de laicis viris, ac mulieribus solummodò statuimus.

Ib. c. seq. Ad consulta Bulgarorum.

De Matrimonio.
Tit. 88.

1. SUfficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum, quarumque consensu, & conjunctionibus agitur. Qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. *27. q. 2. cap. sufficiat.*

2. Scripsit nobis Teberga Regina, se regia dignitate, vel maritali copula velle exui, & sola vita privata esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus, non aliter hoc fieri posse, nisi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Nam licèt sit scriptum: Quos Deus conjunxit, homo non separet; Deus tamen, & non homo, separat, quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus. *Ib. scripsit. Carolo Regi Francorum. Matth. 19.*

3. Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Ergo, qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat. *10. q. 2. c. 1.*

4. Nostrates tàm mares, quàm fœminæ non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt. Sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio, fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, quorum in potestate sunt, celebrant. Et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitam despoponderit, dotemque utrique placitam sponsus ejus, scripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege diffinitum tale quid facere præsumant, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum in Ecclesiam Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem, & velamen cœleste suscipiunt. *30. q. 5. Nostrates.*

5. Lotharius Rex in commonitorio profitetur, Gualdradam se à patre præmissis dotibus accepisse, & sororem postmodum admisisse Huberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite. Et si eundem gloriosum regem prædictam Gualdradam, præmissis dotibus, coram testibus, secundum legem, & ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, & publica manifestatione eadem Gualdrada in matrimonium ipsius admissa est, restat, ut perscrutemini, cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa est. Sed quia idem gloriosus Rex metu Tebergam admisisse se dicit, metu unius hominis tantus Rex non debuit contra divinum præceptum in immane præcipitium mergi. In hoc certè se magis reprehensibilem ostendit, in quo amorem Dei amori mundi postposuit, cùm nec etiam occisores corporis sint timendi contra justitiam hominem impellentes. Nihil itaque vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam authoritatem, nostra vice freti, causam illius diffiniatis, &c. *31. q. 2. Lotharius. Radualdo Portuensi, & Jo. Sicolien. Episcop.*

6. Quicquid mulier contra te cogitaverit, vel si te accusaverit, non est (excepta causa fornicationis) rejicienda, vel odio prorsus habenda. *32. quæst. 3. Quicquid. Ad cõsulta Bulgarorũ.*

7. Hi, qui matrimonium sani contraxerunt, & uni

32.q.8. *Hi, qui; Carolo Moguntin. Archiep.* uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem, & causam conjugia talium solvi non possunt: similiter sciendum est de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exsecti fuerint.

33.q.2. *Inter hæc. Alvino Archiepis. Januensi.* 8. Inter hæc sanctitas vestra addere studuit, ut si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere: sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus. Gladium non habet, nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat.

33.q.4. *Nec uxorem. Ad consulta Bulgaror.* 9. Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore, convenire posse ullo modo arbitror.

De impedimentis Matrimonii. Tit. 19.

30.q.1. *nosse. Salonitano Episc.* 1. Nosse desideras, utrum mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideò conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur iniquitatem, maximè cùm Apostolus præcipiat: Nolite, inquiens, fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. (1. Cor. 7.)

Ib. De his. Radulpho Bituricen. Archiep. 2. De his, qui filiastros suos ad confirmationem coram Episcopis tenent, id est, qui filios uxoris suæ de priori viro, dum chrismantur ab Episcopis, super se sustinent, si inscientia (sicut asseris) fiat, licèt sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen, & digna pœnitentia hoc diluentes, Domino dicant: Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris. (Psal. 24.)

30.q.3 c.1. *ad consulta Bulgaror.* 3. Ita diligere debet homo eum, qui suscepit ipsum de sacro fonte, sicut patrem. Item: Est inter fratres, & filios spirituales gratuita, & sancta communio, quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale conjugium: quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius à carnali oportet inter se contubernio cessare illos, quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus jungit? Longè ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem divina gratia potius, quàm humana voluntas, ut filius patris mei, vel frater meus esset, elegit: prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur.

30.q.4.c.1. *Salomoni Cōstantien. Episc.* 4. Sciscitatur à nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres habere valeat, unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse: Erunt duo in carne una. Itaque, cùm constet, quia vir, & mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum, verum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor, commater esse videbatur. (Gen. 2.)

33.q.2. *Si quis.* 5. Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis (ut scitis) percutitur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit: aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus; legitimam tamen, si habuit, non dimittat uxorem.

35.qu.2. *de cōsanguin. Suffragan.* 6. De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest. Laicus verò uxorem simul, & concubinam habens, non communicet Ecclesiæ. (*Ecclesi... malphi...*)

De bellis. Tit. 20.

1. Monomachiam in lege non assumimus, quàm præceptam fuisse non reperimus: cùm hæc hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur. (*2. q.4. ...nomach... Ex ejus... cretis...*)

2. Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus, hæc in mandatis damus, ut spirituali simul, & materiali gladio tamdiu malignos illos, eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcunque res Ecclesiasticæ hoc facto, vel quocunque pacto distractæ, seu direptæ sunt, revocentur. (*15.q.6. §.quum... Episc.... liæ.*)

3. Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minimè negabuntur. (*23.q.... mnium... xercitu... Franco...*)

4. Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est à præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget importunitas, nec quadragesimali tempore defensione tàm sua, quàm patriæ, seu legum paternarum est bellorum præparationi procul dubio parcendum: ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet, quod faciat, & suæ, ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcavet. (*23.q.2. nulla. consult... Bulgar...*)

5. Illi, qui peregrinos, vel oratores cujuscunque sancti, sive Clericos, sive Monachos, vel fœminas, aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi dignè emendaverint. Pax verò illa, quam treugam dicimus, fideliter observetur, sicut ab Archiepiscopis, & Episcopis uniuscujusque Provinciæ constituta est. Qui autem eam infregerit, excommunicationi subdatur. (*24.q.... qui. On... bus Epi...*)

Hæc Nicolai Primi decreta sic digesta sunt per Joannem Cœlæum.

JOANNES X.

Creatus anno 985. constitutionem edidit anno 993. in qua Uldaricum civitatis Augustanæ Episcopum sanctum pronuntiat. Subscribuntque Episcopi, & Cardinales postea. Scilicet Nicolaus Secundus tantum in Concilio Romano anno 1059. decrevit electionem Pontificis Romani spectare ad Cardinales, unde aucta eorum dignitate inceperunt postea Episcopis præeminere. (*Cardin... unde a...*)

Alexander Tertius Italus creatus anno 1158. constitutione 5. edita anno 1175. in qua recipit ordinem militiæ sancti Jacobi de Spatha sub protectione sedis Apostolicæ, vetat eisdem proprietatem, ac permittit matrimonium. Unde dubitatum est, an hi essent verè religiosi. Dicunt quidam esse secundum quid religiosos. Verum contraria opinio, stantibus constitutionibus Apostolicis, verior videtur, cùm promittant paupertatem, castitatemque conjugalem, ac obedientiam magno Magistro, ut eruditè ostendit Navarrus de reddit. Ecclesiast. quæst. 1. monit. 55. (*Religio... uxorat...*)

Innocentius Tertius Italus creatus anno 1198. constitutione secunda, anno eodem, *quia pietas promissionem habet vitæ, &c.* pro Canonizatione duo requiri ait. Opera pietatis in vita Canonizandi, & miracula post mortem: ac cùm hæc duo in persona Sancti Homoboni probata fuerint, illum inter sanctos confessores canonizat. Multæ Bullæ extant de sanctorum Canonizationibus. Vide dicta clas-

classe quinta de Canonismo Sancti Ignatii.

Innocentius Quartus Italus creatus anno 1243. constitutione secunda. *Impia Judæorum perfidia, &c.* Judæos refert docere suos filios multos errores contentos in quodam libro, Hebraicè *Talmud* nuncupato, quem narrat Parisiis, jussu Gregorii Noni, & illius Regis auxilio concrematum fuisse, ac eumdem mandat concremari.

Alexander Quartus Italus, creatus anno 1254. constitutione octava, anno 1256. damnat librum nuncupatum, *brevis tractatus de periculis novissimorum temporum*, multa execrabilia, & scandalosa continentem. Author erat Gabriel de sancto Amore. Habes supra classe tertia, in Controversiis Lateranensis tertii, hunc librum etiam hodie prohibitum resolvit Cherubinus, cùm hæc damnatio sit perpetua.

Urbanus Quartus Gallus creatus anno 1261. constitutionem edidit anno 1262. *transiturus de hoc mundo ad Patrem, &c.* in qua enarrat beneficia nobis à Deo collata in Sacramento Eucharistiæ, ac festum ejus quotannis celebrandum instituit, Indulgentiam centum dierum de injunctis pœnitentiis elargitur his, qui verè pœnitentes, & confessi in primis, & secundis Vesperis, vel Matutino, aut Missis ipsius festi in Ecclesia intervenerint. Has Indulgentias multis Bullis auxit Eugenius Quartus. Cherubinus refert ad celebre miraculum in oppido Vulsinii Diœcesis Urbenetanæ civitatis, ubi fluctuante sacerdote de veritate transubstantiationis, vivus sanguis ex Hostia, quam manu tenebat, effluxit, & totum corporale tinxit. Resolvit quoque confugientes ad hoc Sacramentum, dum infirmis, vel aliter extra Ecclesiam defertur, gaudere immunitate. Sic Cardinalis Zarabella in Clement. V. de reliquiis, & veneratione sanctorum post Hostiensem, quem allegat, eo nixus argumento, propter quod unumquodque tale, & illud magis tale, &c. Hinc discamus confugiendum nobis esse ad hoc Sacramentum, tanquam ad Asylum, &c.

Bonifacius Octavus Italus creatus anno 1294. constitut. nona, anno 1303. studium generale cujuscunque facultatis Romæ instituit, Doctores, & Scholares ejus fori privilegio decorat. Pensiones domorum, quas inhabitant, taxari decernit, eximit à Gabellis fructus beneficiorum, etiam curatorum, non tamen distributionum quotidianarum licitè percipere posse indulget, ac si residerent.

JOANNES XXII.

CUm Fratricellorum, seu Begardorum nonnulli in vulgus spargerent, Christum Salvatorem nihil proprium in particulari, aut communi possedisse, sed omninò pauperrimam vitam absque omni peculio egisse, cùm quæstionem prius disceptandam omnibus Academiis, ac viris doctissimis proposuisset, edictum promulgavit de usu rerum à dominio distincto, *ad conditorem canonum*, & alia constitutione, *cùm igitur nonnullos, &c.* declarat esse hæreticum affirmare, quod Dominus noster Jesus Christus, ejusque Apostoli nihil habuerint in speciali, nec etiam in communi. Quæ definitio impedivit Ludovicum Bavarum Imperatorem, qui Ecclesiasticos exuere possessione bonorum cogitabat, hoc cavillo, quod Christi Vicarius, & alii Ecclesiastici ipso Christo, & Apostolis locupletiores esse non deberent. Vide in Concilio Viennensi. Huic Joanni falsò imponitur definitio de dilatione visionis divinæ ad diem judicii, etsi animæ purgatæ essent, disputatum siquidem de hac quæstione hoc tempore, & refertur lib. 6. cap. 75. Revelat. sanctæ Brigittæ, quod ipsius Confessario Magistro de Svetia prædicante, unus armigerorum in medium prosi-

A liens negavit animas visuras Dei gloriam ante peractum universale Dei judicium: quam ob causam ingemuit Brigitta, Deumque precata est pro illo Magistro, ut illi Deus daret constantiam, & fervorem loquendi, ac facta in excessu mentis, vidit cœlum apertum, audiitque vocem sibi dicentem: Vide cœlum, vide animas, quali gloria fruuntur, dic ergo isti Magistro tuo: Hæc dicit, non alius, nisi Deus tuus, Creator, & Redemptor tuus. Prædica importunè, & opportunè. Prædica, quod animæ beatæ, & purgatæ vident faciem Dei, &c.

Aliqui autem Patres, qui videntur contra sentire, intelligendi sunt de profectione, & consummatione gloriæ, unà cum corpore, quæ erit tantùm post judicium.

B Idem Joannes Vigesimus secundus publicavit, ut fertur, bullam, vulgo dictam sabbatinam, circa annum 1316. de anno est controversia, sicut & de omnibus ferè tàm quoad substantiam, quàm circumstantias spectantibus, quia ipsius originales litteræ non reperiuntur. Hanc bullam secundum vulgatam editionem refert Irenæus à sancto Jacobo ad calcem tractatus Theologici, *de singulari Immaculatæ Virginis protectione*, datam Avenioni die Martii tertio, Pontificatus anno primo, alii legunt datum *Lugduni*, & Pontificatus sexto. *Bulla Sabbatina.*

Alexander Quintus in alia bulla testatur hanc Joannis 22. bullam à se visam, & diligenter inspectam, eamdemque confirmat. Datum Romæ septimo Decembris apud sanctam Mariam Majorem,
C Pontificatus nostri anno primo, qui est anno 1409.

Porrò observandum est pro superioribus bullis Joannis, & Alexandri, Angelum Cherubinum Monachum Cassinensem tom. 1. bullarii Romæ impressi anno 1638. ad constitutiones 13. Clementis Septimi sic scribere: Has constitutiones prætermisi, quia continent elargitionem Indulgentiarum, quæ reformata fuit. Unde colligit præfatus Irenæus Cherubino optimè notas fuisse, sed eas noluisse, data opera, inserere bullario, quod reformatæ essent.

Quæ autem fuerit illa reformatio, dubitari meritò potest, an quod posteriores Pontifices tantùm dixerint, quod beata Virgo adjuvaret animas, præcipuè die sabbati, cùm istæ priores ferant: *Ego mater gratiosè descendam sabbato post eorum obitum, &c. quotquot inveniam in purgatorio, liberabo*, An quod Paulus Quintus die 30. Octobris 1606. Pontificatus anno 2. in bulla, *cùm certas*, omnes, & singulas Indulgentias confraternitati Beatæ Mariæ de Monte Carla revocavit, ac nullius momenti esse declaravit, alias nihilominus concedens non minus gratiosas, imò magis, ut est in mortis articulo, omnium peccatorum Indulgentias. An solum de Indulgentia tertiæ partis peccatorum pro ingredientibus confratriam, quæ per Paulum Quintum immutata est. *Revocatio per Paulum V.*

Ex quibus videri posset veritatis studioso, partium affectu non præpedito, pro variis temporibus aliter, & aliter judicandum in ista gravi controversia.

Atque, ut rem istam variis momentis agitando, ab altiori principio ducam, illius bullæ origo est visio quædam beatæ Virginis facta in Anglia Simoni Stocio Generali Carmel. latinorum anno 1261. dum intempesta nocte feriæ secundæ Pentecostes illam multo affectu interpellaret pro incrementis sui Ordinis, his, aut similibus verbis, ut auctor est Paleonydorus, ipsam exorans, *Fundamentum Sabbatinæ Indulgentiæ.*

Flos Carmeli vitis florigera,
Splendor Cœli, Virgo puerpera
Singularis,
Materitis, sed viri nescia,
Carmelitis da privilegia,
Stella maris.

Tunc

Tunc enim, jubare lucis cujusdam divinæ in aera effuso, divino fulgore radiantem aspexit Virginem Scapulare ipsimet porrigentem, eamque sic semet alloquentem audivit: *Dilecte fili, hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meæ confraternitatis signum, tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens: æternum non patietur incendium: ecce signum salutis: salus in periculis; fœdus pacis, & pacti sempiterni*: hisque dictis illum Scapulari induit. Genus erat vestis materiæ laneæ, & subrubicundi coloris, quo illi tunc placuit signare suos sibi peculiariter dilectos. Ut autem fama istius visionis per orbem Christianum divulgata est, multi utriusque sexus, & conditionis in sodalitium Scapularis hujus aggregari pio desiderio petierunt, & si pro solis Carmelitis concessum fuisse videatur per ipsa verba beatæ Deiparæ. Quæ ulterius progressa aliud donum speciale à Filio impetrasse narratur in favorem istius Scapularis, aut ipsius sodalitii, ut qui in ipso Scapulari è vita hac discessissent, si in purgatorio detinendi essent pro peccatorum expiatione, quantocius prima die sabbati ab obitu è flammis purgatorii eriperentur, integra ipsis pœnarum relaxatione concessa. Quod non solùm pro ipsis regularibus, sed etiam pro iis laicis, qui sodalitio adscriberentur, seu viri, seu fœminæ, si leges ipsius fideliter servarent, firmavit in alia apparitione facta Joanni Vigesimosecundo Pontifici Romano, cui inter alia dixisse etiam fertur: *Ego mater gratiosè descendam* (subaudi, infallibili prece) *Sabbato post eorum obitum primo, & quos in purgatorio invenero, qui habitum meum dignè portaverint, & meo amore religionem, vel confratriam, vel societatem meam intraverint, & in hoc sæculo laudabiliter vixerint, à pœnis purgatorii liberabo, & eos in montem vitæ æternæ gloriosè reducam*. Hæc est Indulgentia Sabbatina dicta, quam se confirmare ait Joannes Vigesimussecundus, præmissa narratione integra totius istius visionis, ac exordii Religionis Carmelitanæ, *hanc religionem antiquissimam*, inquit, *genitricis Dei Mariæ, & singularem concessam Indulgentiam illi ab ea sic roboro, & confirmo in terris, sicut propter amorem gloriosissimæ Matris suæ Jesus Christus concessit, & roboravit in cœlis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam, &c.*

Hanc Indulgentiam alii referunt brevius perstrictam, & paucioribus verbis, sed id non officit, cùm hæc sit illius quædam veluti epitome.

Objectiones contra Indulgentiam Sabbat.

Quidam illam impugnant, quod in stylo discrepet ab aliis bullis in initio, & in fine. Sed levius hoc telum est, cùm plures bullæ non sint ejusdem tenoris, nec Pontifices adstricti sint ad ullam formulam in suis bullis.

Elevant illam alii, quod ita determinata redemptio animarum ad proximum diem sabbati post obitum æquet inter magis, & minus obstrictas animas ob graviores, vel leviores obligationes. Sed idem dicerent de qualibet plenaria, ac de Jubilæo ipso. Qui primus descendebat in piscinam, quæ Jerosolymis erat, quo die anni Angelus aquam ipsius movebat, salvus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Quod verò die sabbati fiat ista gratia, absurdum non judicabit, qui specialiori devotione coli beatissimam Virginem consideraverit, ac per religiosos ordinis eo die austeritates feveriores exerceri, quibus propitiari solet Deus. Quod observat Philippus à S. Trinitate tom. 3. in Divum Thomam disp. *de Religione*, ubi egregiè, & Theologicè tutatur decora sui Ordinis. Quæcumque enim objici solent contra istam Indulgentiam, satis manifestam habent solutionem, & viri graves, & docti hujus Ordinis omnia diligenter sibi objecta excusserunt, pluribusque testimoniis etiam Pontificum, qui Joanni Vigesimosecundo successerunt, maximè Alexandri Quinti additis suffragiis celeberrimarum facultatum tùm Hispaniæ, tùm Angliæ, antequam schismate, & hæresi deformata esset, eamdem confirmatam esse probaverunt.

Quo observato, & retento, meritò comparabitur ista Indulgentia cum illa Portiunculæ dicta, quam obtinuit à Christo Divus Franciscus, & quæ per Gregorium Decimumquintum approbata, & extensa est ad alias Ecclesias sui ordinis: nec absurdum erit de illa judicium illi simile, quod de Indulgentia Portiunculæ tulit Cardinalis Aquaspartanus Lector sacri Palatii, dum adhuc inter Minores esset. Interrogatus à Martino Quarto summo Pontifice, quid sibi videretur de ista Indulgentia: *Videtur mihi*, inquit, *vera, justa, sancta*. Ita planè, respondit Pontifex, credi debet, quia non est vero simile, quod tantæ sanctitatis homo, qualis erat Divus Franciscus, in re tanti momenti hominibus vellet imponere, & Indulgentias apocrifas in Ecclesiam inducere. At non minori ratione de Indulgentia sabbatina dicemus, quod sit *vera, justa, sancta*. Vera quidem, quam primum induxit in Ecclesiam Simon Stoc vir sanctitatis eximiæ, quem non est vero simile voluisse deludere fratres suos, quam Pontifices variis temporibus confirmaverunt, cuique universitates patrocinatæ sunt, & plures ex omni statu, & sexu in magno pretio jampridem habuerunt ipsius sodalitio nomina sua inscribentes. Justa verò, tùm in ordine ad Christum primo, cujus satisfactiones copiosæ sunt, & exuberantes, tùm in ordine ad ipsos regulares, quorum austeritates vitæ, ac severitates in propria corpora pro quodam martyrio, cujus levitudinem, si quæ sit, frequentia, ac diuturnitas compenset, computari possunt, lucrantibus ipsam Indulgentiam applicantur; justa denique aliquo pacto (cùm si esset ad juris apices, gratia non foret) in ordine ad lucrantes Indulgentiam, quibus sub conditione castitatis proprii status, & duplicis abstinentiæ per hebdomadam jejuniorum Ecclesiæ, recitationisque parvi Officii Beatæ Virginis, aliorumque piorum operum conceditur.

Jud… de Sab…

Denique sancta dici poterit, nemine refragante, si attendatur effectus ex ipsa promanans, qui est sanctitas vitæ in pluribus laicis, ut de regularibus taceam, qui illecti bono odore lucri illius spiritualis, convertuntur à via lata, quæ ducit ad perditionem, ad viam angustam, quæ ducit ad regnum, vivuntque in sæculo cum ea sanctimonia, quæ veros decet Christianos.

Objicitur, Pontifices posteriores posuisse in bullis, *adjuvabit*, pro *liberabit*. Satis probabile est summos Pontifices, qui usi sunt verbo *adjuvabit*, nihil aliud intendisse, quàm quod significatur per verbum *liberabit*, satis enim adjuvat, qui liberat, & qui liberat, adjuvat, seu liberet à toto, seu solùm à tanto. Unde non solùm Clemens Septimus in bulla data anno 1531. sed etiam Gregorius Decimus tertius in bulla data anno 1557. & Paulus Quintus usurpaverunt verbum istud *adjuvandi*, pro quo Joannes Vigesimussecundus, & Alexander Quintus, qui bullam Joannis Vigesimisecundi confirmavit, habent verbum *liberabo*. Hujusque ultimi instrumentum Genuæ asservari dicitur. Itaut posteriores Pontifices confirment sensum priorum verbo minus aspero, tantum abest, ut ipsis auctoritatem adimant, ut pluribus demonstrat Thomas Aquinas à sancto Joseph Carmelita excalceatus pro sodalitio sacri Scapularis adversus duplicem dissertationem, cujus lectionem Clericis suis interdixisse in sua Synodo diœcesana Illustrissimum Episcopum Lemovicensem in præfatione testatur.

Solutio … ficultas…

Disting… da tem…

Verum, ut hæc probabilia aliquibus visa sint, non deerunt, qui probabilius opinentur mutationem verbi *liberare*, in *adjuvare*, modificationem fuisse à tempore Clementis Septimi, & Gregorii Decimitertii, & revocationem à Paulo Quinto factam, commutasse in melius, & aliquid optabilius pro confratribus ipsam bullam sabbatinam, cùm liberatio illa potior sit, quæ impedit à casu, quàm quæ erigit post casum, & præstet non adire purgatorium per Indulgentiam articuli mortis, quam primò post obitum sabbato à purgatorio extrahi. Unde post hæc, modus impositus

tus fuit prædicationi de sabbatina Indulgentia per decretum congregationis anno 1613. inquisitorum Cardinal. scilicet. Quo etiam spectasse videri possit Concilium Mechliniense Provinciale anno 1607. quod supra dedimus. Itaut varii status ipsius bullæ distinguendi sint, & quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, aliter censendum sit de illa pro uno tempore, aliter pro alio, conformando se verbis summorum Pontificum, Christo sic agente, ut gratias non aliter conferat in terris, nisi cum consensu sponsæ suæ Ecclesiæ, ut benè advertit Isaac Abbas de Stella in serm. *cùm descendisset Jesus de monte*, ut habetur in Biblioth. nostra concionatorum, par. 3. cap. 16.

Benedictus Duodecimus, *Joannes Vigesimus secundus* Gallus, creatus ann. 1334. constitut. quarta, *benedictus Deus in donis suis*, §. 1. pro decidenda quæstione, an animæ, in quibus nihil purgandum remaneret, divinam essentiam viderent ante corporum resumptionem, Joannes Vigesimussecundus Cardinalibus, Prælatis, & Theologis in publico consistorio injunxit, ut desuper quid sentirent, quando ab eo requirerentur, deliberatè dicerent: sed morte præventus, id perficere nequivit. Hanc autem quæstionem, prævia diligenti examinatione, & deliberatione, cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de eorum consilio determinat, & aliam de animabus decedentibus in peccato mortali; Et contra aliter tenentes, asserentesque pertinaciter, tanquam contra hæreticos, procedi jubet.

Cherubinus Joannes Vigesimussecundus disputationis gratia asseruit, quandoque animas sanctorum ex hac vita migrantium perfectè animas sanctorum non videre, ab hac tamen opinione ante mortem discessit. Fuit autem hoc postea determinatum in Concilio Florentino.

GREGORIUS XI.

GRegorius Undecimus anno 1371. committit vivæ vocis oraculo duobus Cardinalibus Diaconis, Petro sancti Eustachii, & Guillielmo sancti Angeli, cùm Avenioni adhuc sederet, ut Archiepiscopis Tarraconensis, Arragoniæque, & Cæsaraugustanæ Provinciarum, eorumque suffraganeis mandent, quatenus auctoritate Apostolica sub pœna excommunicationis inhibeant, ne quis publicè audeat prædicare tres articulos de Eucharistia, qui cum scandalo à Petro Bonageta Minorita disseminabantur.

Primus, quod si Hostia consecrata cadat, seu proficiatur in cloacam, lutum, seu aliquem turpem locum, quod speciebus remanentibus, sub eis desinit esse Corpus Christi.

Secundus, quod si Hostia consecrata à mure corrodatur, seu à bruto sumatur, quod remanentibus dictis speciebus, sub eis desinit esse Corpus Christi, & redit substantia panis.

Tertius, quod si Hostia consecrata à justo, vel à peccatore sumatur, quòd dum species dentibus teritur, Christus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur.

Nota. Gabrielem Vasquez in 3. par. tomo 3. disput. 195. cap. 5. num. 46. & 50. asserere hos articulos à Gregorio Pontifice fuisse condemnatos. Franciscus verò Penua Schol. 14. in 1. part. direct. Eymerici hos articulos erroneos, & valdè impios asseverat. Cùm tamen summus Pontifex non damnaverit, sed tantùm prohibuerit eos publicè prædicari, quod exinde scandala oriri possint, sicut prohibuerunt prædicari Beatam Virginem in peccato fuisse conceptam absque eo, quod istam sententiam damnaverint. Cujus rei ratio est, quod isto tempore probabilis habebatur à pluribus magnæ famæ Theologis ista doctrina, puta à Magistro sentent. in 4. dist. 13. in fine, ubi ait, Deum nosse, quid sumat mus, vel aliud animal in isto casu. Ab Hugone de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 13. ubi ait: Corpus Christi de ore ad cor transit: melius est tibi, ut eat in mentem tuam, quàm in ventrem tuum. Ab Innocentio Tertio lib. 3. de mysteriis missæ, cap. 15. à Divo Bonaventura in 4. dist. 13. art. 2. quæst. 1. in corp. & licèt eam sententiam non sequantur alii graves Theologi, ut Albertus, Divus Thomas, & alii, nulla tamen nota afficiunt. Illo sæculo, ait Lucas Vvadingus ad prædictum annum, erat probabilis, temporis decursu doctorum destituta patrocinio, cœpit infirmari, & à veritate deficere; ita tamen reverita est Ecclesia Bonaventuræ, & coassertorum auctoritatem, ut ab omni prorsus abstinuerit censura. Ita evenit in multis doctrinis, ut aliquando probabiles, aliquando improbabiles inveniantur. Ea est cura magni Patris familias circa domum istam Ecclesiæ, ea est dispensatio Spiritus sancti, ut nova luce amplius illuminet, & succedentibus sibi sæculis, manifestiores reddat veritates. *Quæ est*, inquit gravissimus Doctor Tertullianus lib. de velandis virgin. cap. 1. *Paracleti administratio, nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod scripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Nihil ergo mirum, tunc probabiliter hæc scripsisse Magistrum, Hugonem, Innocentium, Bonaventuram, & nunc haud expedire ista doceri. *Propositionū veritas non semper æquè clara est.*

At nihilominus hæretici Calvinistæ improperant hæc dedecora, ut fidem præsentiæ Christi, quamdiu remanent species, destruant. Sed, ut simili argumento Nestorii, quæ abjecta, & vilia erant in homine, objicientis, ne Deus crederetur homo, responsum est à Patribus Synodi Alexandrinæ primum, tùm Ephesinis: *Quare enim factus est homo?* Sic respondendum est illis: *Quare Christus factus est cibus?* Homo sum, nihil humanum à me alienum judico, dicebat quidam. Excipitur tamen peccatum à Divo Paulo, & ignorantia à Theologis, ne indigna quoque nostra subierit Christus.

Addit Nicolaus Eymericus, suspectus auctor, ubi agitur de negotiis Minoritarum, non minus, quàm Bzovius, cùm esset Inquisitor hæreticæ pravitatis, Divum Gregorium Pontificem informasse de doctrina trium prædictorum articulorum, & insuper de duobus aliis articulis circa beatissimam Virginem, quæ in dictis provinciis prædicabantur publicè (nimirum, quod in Conceptione Filii sui sic fuit gratia plena, quod deinceps in gratia proficere non potuit, & quod Spiritus sanctus in die Pentecostes nullam gratiam contulit beatæ Virgini, sed Apostolis, quia ita erat gratia plena, quod in gratia proficere non valebat) & quod idem Dominus Gregorius, præhabito multorum Magistrorum consilio, mandavit dicto Inquisitori, & Prælatis omnium partium prædictatum per suas litteras, quatenus illos articulos interdicerent per sententiam excommunicationis in Ecclesiis Cathedralibus partium prædictarum. *3. p. direct. q. 10.* *B. Mariæ gratia.*

Negat Vvadingus similiter hos de Beatâ Virgine articulos damnatos esse, quia nullus id asserat, neque ipse Vasquez, qui ejus fisus testimonio articulos de Eucharistia perperam damnatos esse asserit, tale quid ausus est admittere, nec referre circa articulos de beata Virgine, quamvis diffusè de hac egerit quæstione, 3. p. tom. 2. disp. 119. cap. 5. Adde idem de Spondano Appamiensi Episcopo, qui prohibitionem trium articulorum de Eucharistia refert, nulla facta mentione aliorum de beata.

Idem Gregorius anno 1372. definivit Ecclesiam Lateranensem præcipuam sedem esse Romani Pontificis, inter omnes alias Urbis, & Orbis Ecclesias, ac Basilicas; etiamque super ipsam Basilicam Principis Apostolorum supremum locum tenere, atque super omnes alias, & singulas prioritatis, dignitatis, & præeminentiæ honore lætari.

Idem Gregorius damnavit errores Arnaldi Montaverii

Errores circa Ordinē D. Frăcisci. verii Ordinis Fratrum Minorum. Eos recenset Eymericus direct. inquis. par. 2. quæstio. 11. quod assereret Christum, & Apostolos nihil habuisse proprium, vel commune.

Nullum posse damnari, qui deferat habitum Beati Francisci.

Divum Franciscum semel descendere in anno ad Purgatorium, & extrahere inde in Paradisum animas illorum, qui fuerunt sui ordinis.

Ordinem Divi Francisci duraturum in perpetuum.

De quorum quidem articulorum primo satis dictum sub Joanne Vigesimosecundo, quando ea controversia maximè viguit. Reliquos non solùm ab hæresi, verum etiam ab omni errore, sensu, quo debent, acceptos, vindicare contra Eymericum, ejusque socios nituntur auctor Nitelæ Franciscanæ, & Vvadingus in Annalibus Minorum, inter quos fit ista disceptatio, ait Spondanus.

At judicium Vvadingi de secunda propositione est, quod litteraliter accepta, & nudè intellecta, non tàm hæretica, quàm stulta est, neque tàm censuræ Theologicæ, quàm meræ amentiæ notam meretur; sicut etiam illa, quam se ex publico suggesto declamatam audivisse testatur Alphonsus à Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 9. & non semel ipse ab aliis audivi, scilicet eum, qui habitum Divi Dominici semel induerit, non posse esse hæreticum. at, si ita intelligatur, ut qui verè, & uti bonum Monachum decet, Franciscanum gestarit habitum, & leges sui instituti servaverit, externæque tesseræ mores assimilaverit internos, prorsus illa vera erit assertio.

Tertiæ adsertioni adstipulatur quædam cœlestis revelatio, quam referunt Bartholomæus Pisanus, & Marcus Ulissiponensis, neque illa adeò incredibilis, aut nova debet reputari, ut hæretica, aut erronea dicenda sit. S. Gregorius Turonensis Ser. de Laud. S. Laurentii refert, S. Laurentium Martyrem singulis sextis feriis liberare unam animam ex Purgatorio. Leander Albertus in vita Alberti Magni inter sanctos nondum relati, meritis ejus sex millia animarum à pœnis Purgatorii liberata. S. Antoninus tit. 24. cap. 9. § 11. ait visam animam cujusdam Fratris Minoritæ per Purgatorium acceptis duabus animabus quorumdam, qui sibi reatus suos confessi fuerant, in Paradisum cum iis evolasse. Surius refert S. Coletam Virginem magna gloria relucentem ab Angelis in Cœlum ductam, eam sequentibus animabus, quas suis meritis, & precibus è Purgatorio liberaverat, & Lyduvinam adhuc viventem ductam in spiritu ad loca tormentorum, liberasse à gravissimis tormentis animam cujusdam Sacerdotis. Sed hæc, sicut ad fidem non spectant, ita piè credi possunt sine periculo hæresis, vel rejici cum debita reverentia. Quid verò obstare queat, quin Deus hac speciali prærogativa quosdam sanctos sublimare possit, & velit, prorsus me nescire confiteor.

Purgatorium.

Hæc ille, quæ eo lubentius referimus, quod ad controversiam de Scapulari Carmelitarum, & Indulgentiam Sabbatinam discutiendam utilia esse possunt.

Quarta assertio omnium, ut dicam, probabilissima; nec solùm Ordo Divi Francisci, sed etiam Eliæ, & alii perseverabunt, ut ex iis viri fortes egrediantur, qui resistant Antichristo. De quibus vide Cornelium à Lapide ad cap. 11. Apocalypsis.

Quare multis nominibus narrationem hujus censuræ à Bzovio, & Eymerico suspectam habet prædictus Vvadingus.

Martin. V. Martinus Quintus, creatus anno 1417. ac Callistus Tertius quoque constitutionem ediderunt post Concilium Constantiense, quæ est eadem utriusque apud Carranzam in Summa Conciliorum, qua determinaverunt annuos census redimibiles ex parte venditoris licitos esse, cùm tunc de iis magna esset dubitatio inter Doctores, ut notavimus in examine nostro pœnitentium, part. 2. quæsit. 38. edit. 3. sed certis adhibitis conditionibus.

Martinus Episcopus, &c. & Callistus Episcopus, &c. petitio dilectorum filiorum nobis exhibita continebat, quod à tanto tempore, cujus contrarii memoria hominum non existit, quædam consuetudo rationabilis observata, præscripta, ac moribus utentium approbata, & in communem hominum utilitatem introducta fuisset, &c. narrat factum, ut vendebantur illi annui census. Apud aliquos tamen, an hujusmodi contractus emptionis, & venditionis liciti existant, hæsitatur; quare pro parte eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut an contractus hujusmodi liciti, vel illiciti censeri debeant, declarare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur comperimus contractus hujusmodi juridicos, & juxta determinationem Doctorum licitos fore juri communi conformes, ideò ipsorum censuum venditores ad illorum solutionem obligari authoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia declaramus, non obstantibus, &c.

Cen[...] nu[...]

Conditiones, quibus annui census licitè emi possunt, & vendi.

1. Conditio. Oportet, quod vendens designet, & exprimat rem aliquam, quam vendat, & alias emat, puta domum, aut agros, &c. & rei, vel rerum designatarum tantùm debet fieri emptio, & venditio, & ea sola debent manere obligata ad solutionem prædicti census, & non alia vendentis bona, quia si universa illa bona cum persona vendente obligantur (ut fit apud nos) jam destruitur emptio, & venditio, & est oppignoratio, & fit contractus usurarius.

2. Conditio, quod justo pretio ematur census, & quo tempore contractus celebratur, integraliter numeretur pecunia.

3. Conditio, quod eodem tempore detur expresse facultas venditori ipsum annuum censum, cùm voluerit, ex toto, vel ex parte redimere.

4. Conditio, quod venditor non cogatur ad redimendum, sed liberum sit illi, vel solvere censum, vel redimere in toto, vel in parte.

5. Conditio, quod pereunte prædio, in quo census constitutus est, redderet saltem tantum, quantum census venditus valeret.

De his conditionibus multa disputat Navarrus in *cap. si feneraveris, de censibus*. Admonetque circa primam conditionem mentem Carranzæ viri alioqui vigilantissimi fuisse, quod vendens debet designare rem aliquam, super quam imponat censum, & alius emat censum ei rei impositum.

Ait autem prædictus Carranza: Servatis prædictis conditionibus, utcunque judicio tolerandos tales contractus: aliqua eorum omissa, nulla ratione puto tolerandos.

Advertendum autem cum Carbone Perusino professore in tractat. *de restitutione*, quæstio. 58. Martinum Quintum, & Callistum Tertium non definivisse census, qui carent aliqua ex dictis conditionibus esse illicitos, sed solùm statuerunt eos esse licitos, qui tales conditiones habent. Aliud autem est loqui de conditionibus necessariis secundum jus naturæ, aliud secundum Pontificias conditiones, tàm Martini Quinti, & Callisti, quàm Pii Quinti, qui alias conditiones addidit infra.

Notat quoque idem scriptor, multa hominum communitati detrimenta afferre usum censuum, id est, jurium exigendi pensionem super re immobili fructifera alterius. *Detri[...] ex ce[...] annui[...]*

1. Quia si spectentur conditiones necessariæ, rarò observantur, unde non rarò committitur usura.

2. Non minora incommoda, quàm ex usura inde sequuntur; devorant enim, quamvis justè, patrimonia,

nia, & familias ad egestatem trahunt, cùm, qui eos vendiderunt, parum solliciti sunt de iis refundendis, unde fit, ut per multos annos iis gravati tamdem opprimantur.

3. Per census tollitur Christiana charitas, quæ exercenda esset per mutuationem. Census enim parum habent pietatis

4. Datur occasio vivendi otiosè, & deserendi artes. Nam si divites suas pecunias in negotiatione Lanificii V. G. exponerent, multi pauperes ex hinc victum sibi parare possent, &c. quamvis ergo, inquit, hic contractus justè fieri queat, tamen ob allatas, & multas alias incommoditates, quas afferunt census, ab iis abstinere prodesset, & fideles, inquit, monendi essent, ut abstinerent. Quod idem antea dixerat Innocentius IV. gravissimus author, qui fuit in primis eorum, qui dixerunt licitam emptionem censuum novorum: addit enim, Christianos omnes se ab illa abstinere debere, in quo, ait Navarrus ibidem, nemo illi adversatus est. Vide nos in Examine Pœnitentium, ubi de usuris agimus. Scilicet qui primi perrumpunt difficultatem aliquam contra torrentem adversantium, non ita audaces sunt priorum authoritate destituti, qua corroborati alii rem magis absolutè determinant.

EUGENIUS IV.

Eugenius IV. requirentibus Ministris quatuor mendicantium Ordinum, quod iniquitatis filius Philippus Norreys de Hybernia, qui se gerit pro Magistro in Theologia Dublinensis diœcesis, suæ salutis immemor, non verens linguam suam in perversionem status, & Religiosorum Ordinum eorumdem ad iniqua, reprobataque verba protendere, nuper malitiosè, perversè, damnatè, & erroneè in regno Angliæ, & terra Hyberniæ, &c. dixerit, & docuerit, quod,

Sicut muri Jerusalem erant destructi per quatuor diversos principes, sic Ecclesia erit destructa per Fratres quatuor Ordinum mendicantium.

Item sicut Princeps tributorum missus ab Antiocho in civitatem Jerusalem, locutus est ei verba pacifica in dolo, sic Fratres quatuor Ordinum mendicantium venerunt in Ecclesiam cum dolo, ut destruerent eam pro eorum conatu, & posse.

Item sicut Princeps tributorum venit in civitatem Jerusalem cum turba multa, & turba ducitur à *turbo*, *turbas*, sic Fratres venerunt in Ecclesiam, & sunt in ea quasi turba, quia perturbant Ecclesiam.

Item sicut Gabaonitæ venerunt ad ducem Josue cum mendaciis, sic Fratres quatuor Ordinum mendicantium intraverunt Ecclesiam cum mendaciis.

Item asseruit, quod fuerunt quatuor Concilia generalia celebrata, in quibus fuerunt diversi hæretici condemnati, tamen Fratres quatuor Ordinum mendicantium sunt pejores hæretici, quàm ipsi fuerunt.

Item quod Fratres quatuor ordinum mend. sunt ribaldi pessimi.

Item quod Fratres quatuor Ordin. mendic. sunt fures, & latrones, & spoliant sanctam Ecclesiam.

Item quod Fratres quatuor ordin. mendicantium sunt pejores Juda traditore.

Item quod sunt lupi rapaces.

Item quod sunt AntiChristi, & directè contra Christum.

Item quod sunt discipuli Mahumeti.

Item quod nullus Parochianus cujuscumque Parochiæ potest accedere ad aliquem Fratrem admissum in forma juris secundum capitulum *dudum* gratia confessionis faciendæ sine licentia proprii Sacerdotis, sive curati Parochialis.

Item quod confessi Fratribus admissis secundum formam capituli *dudum* tenentur iterare quolibet anno omnia peccata sua, ac eadem in numero confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dixit esse Parochialem Curatum.

Item dixit firmiter se credere nullum bonum hominem esse inter Fratres quatuor ordinum mendicantium.

Item quod dubitavit, aliquos Fratres quatuor ordinum mendicantium esse Sacerdotes, aut habere sacrum ordinem presbyteratus.

Item dixit apertè, quod noluit stare judicio Domini Papæ, sed judicio Concilii generalis.

Item dixit indifferenter, quod nullus Sacerdos, sive religiosus, sive non, deberet quovis modo mendicare, necnon plura alia seditiosa, atque perversa ab eadem fide penitus aliena, coram omni populo prædicare non expavit in Fratrum, & prædictorum Ordinum detrimentum, vilipendium, & contemptum.

Et cùm de hujusmodi propositionibus per Dominicum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem fuisset informatum, ac de iis relatum in Consistorio, per suam definitivam sententiam pronuntiavit nonnullos dictorum articulorum fuisse, & esse falsos, scandalosos, injuriosos, blasphemos, seditiosos, quosdam veros alios damnatos, & reprobatos, illosque Dei, & Ecclesię sanctæ, ac sanctorum ignominiam, & dedecus inferre, & manifestam hæresim sapere, & multarum animarum periculum generare, dictumq; Philippum, & ejus sequaces errantes, mendaces...... & prędicatores nonnullorum ex prędictis articulis, juxta decreta quorumdam prædecessorum nostrorum tanquam hęreticos esse censendos, ut tales reprobandos, ac damnandos, & ab omnibus Christi fidelibus evitandos fore, ac reprobari, damnari, & evitari debere.

Ipsum igitur Philippum, & sequaces, si de cætero contra hujusmodi sententiam, & declarationem directè, vel indirectè, publicè, vel occultè quovis quæsito colore venire præsumpserit, & præsumpserint, ac nisi dictus Philippus prædictos articulos ubicumque eos legisse, dogmatizasse, & prędicasse reperiri contigerit, quoties opus fuerit ad requisitionem Magistrorum, Ministrorum, & fratrum hujusmodi revocaverit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ipso facto excommunicationis sententiam, à qua nisi per Ro. Pontifices, vel alios à nobis super hoc potestatem habentes, pręter quam in mortis articulo non possit absolvi .... Datum Florentię, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCXL. Pontificatus nostri an. 10.

Cumque hæc floccipenderet, damnumque à summo Pontifice ad Sedem Apostolicam appellasset, Nicolaus Papa V. an. 1448. pœnas agravavit constitutis executoribus. Diploma extat apud Lucam Vvadingum, sicut & prior bulla to. 5. ad prædictum annum, ubi etiam vocatur furibundus calumniator mendicantium.

Hujusmodi calumniatoribus apponi posset, quod quondam Albertus Sartianensis Poggio Brandelino viro inter coætaneos alios eruditissimo reposuit pro defensione quorundam Mendicantium, quos multis injuriis fœdaverat an. 1430. ubi hæc referuntur ab eodem Annalista Minorum. Tu eos non summo honore habendos putes, qui mea quidem sententia se digna peragunt, amicis grati, inimicis haud offensi, & alienorum periculorum solliciti suæ jacturæ non negligentes. Qui de terrenis fęcibus exuti damnant, quod erant: de futura vita amant, quod futuri sunt, de erratis suis se judices efficiunt; de inquietantis sæculi turbinibus, & grandi tempestate se evasisse plurimum gratulantur, & solo altior eorum animus, mundo major, omnique terrena potestate sublimior, eatenus se excolendum vir-

Defensio verorum Mendicantium.

virtuti, ac justitiæ dedit, ut posteriora obliti, ad ea, quæ ante sunt, se extendentes, illis vita sit tædio, & mors jucunditati, aurum luti loco existiment ...... Jam verò sensus omnes, qui illecebris malè suavibus capiuntur, ne ab importunissimis dominis voluptatibus superentur, tàm castigant, ut quę prospectum oblectant, & lenocinantes spectaculorum contagiones, quo ab eis salubrius evitentur, ductis in terram luminibus, fugere annituntur .... Qui contraria valetudine sępius gaudentes, suspirant ad patriam, & pias aures Domini Sabaoth validissimis, atque importunissimis vocibus pulsant, illud quotidie clamantes, *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Et alia plura, quæ hìc commemorare voluit contra tàm atroces Philippi Doctoris calumnias, quod virtus laudata crescat, sicut arbor irrigata, ait Clemens Alexandrinus, ut si tales non sint, plerique ex ipsis noscant, quales esse debeant.

Psal. 119.

Pius II. Italus creatus an. 1458. constitutione 5. edita an. 1459. scandalosam, & improbam ait appellationem ad futurum Concilium, eam prohibet, contravenientibus, si singulares personæ sint, excommunicationis, si verò universitates, interdicti pœnas apponit, easdemque tabellionibus, & testibus, ac cæteris fautoribus, & consultatoribus imponit.

Sanguis Christi in triduo.

Cherubinus post Ugolinum de censuris Pontif. reservatis parte 2. c. 2. id extendit ad appellantes etiam ad præsens Concilium.

Idem Pius II. const. 11. *ineffabilis summi providentia Patris* inter Fratres Prædicatores, & Minores ortà disputatione ardua, num peccatum esset, vel hæresis, asserere sanguinem Christi in triduo Passionis à divinitate fuisse divisum, de hoc articulo disputari, ac prædicari prohibet ab cujuscunque Ordinis Fratribus, si contravenerint, pœnam excommunicationis latæ sententiæ imponit.

Cherubinus. Nonnulli ab isto Pontifice, ejusque successore Paulo 2. sancitum dicunt, sanguinem effusum divinitati per triduum adjunctum fuisse. Sed hoc minimè verum puto, nec invenitur tale diploma. Docetque Collius in tract. de sanguine Christi l. 5 disp. 4. c. 2, ac de hac controversia multa narrat Vvadingus in annal. Minorum, nec non Dermitius in Nitela Franciscanæ religionis. Ubi refert F. Jacobum à Marchia Franciscanum, cùm in concione dixisset sanguinem Christi in triduo à divinitate separatum post Maironium, Richardum à media villa, ac D. Bonaventuram, ut asserebat, à Joanne de Brixia Dominicano fidei Inquisitore, citatum fuisse. Unde initium sumpsit magna altercatio inter ordines Minorum, & Prædicatorum.

Sixtus IV. Italus creatus anno 1471. constitutione 17. contra Petrum de Osma, & alios in Hispaniarum regnis novantes circa confessionem, sic incipit.

Damnatio Petri de Osma circa confessionem.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ea, quę de nostro mandato rectè fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem; tamen illis interdum nostri muniminis robur adjicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint præsidio communita. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod à modico tunc decurso tempore, citra in Hispaniarum regnis, & præsertim in universitate studii Salmanticensis, fuerant, & adhuc erant nonnulli iniquitatis Filii, qui quasdam falsas sanctæ Catholicę fidei contrarias, erroneas, scandalosas, & malè sonantes propositiones, præsertim circa peccatorum confessionem, & Ecclesiastica sacramenta in studio hujusmodi, & in frequentissimo hominum cœtu veras esse publicè affirmare, & pertinacissimè sustentare, ac defendere, & ut illa in plurium notitiam

A pervenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, & in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas, tradere præsumpserant eatenus, & præsumebant. Nos tunc venerabili F. nostro Alphonso Archiepiscopo Toletano, per alias nostras literas commisimus, ut assumptis secum aliquibus in Theologia magistris, & aliis viris literatis (vocatis his, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nisi erant, & nitebantur in dies, & auditis, quæ ipsi pro illarum veritate, & alii Christi fideles ad dilucidandam earum falsitatem deducere vellent) an quæ in propositionibus hujusmodi continebantur falsa, & fidei præfatæ contraria, erronea, & malè sonantia existerent, authoritate nostra declararet, & decideret, &c. postmodum verò, sicut accepimus, præfatus Archiepiscopus ad executionem dictarum literarum, earum forma ritè servata procedens dilectos filios Petrum de Bexamo,

B & Petrum de Occanna, &c. & dilectum filium Petrum de Osma propositionum prædictarum authorem, ejusque sequaces ad suum oppidum de Alcala Toletanæ Diœcesis evocari fecit: ac dicto Petro de Osma, & sequacibus minimè comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus deliberatione præhabita, de unanimi consilio, & assensu Magistrorum, & prædictorum doctorum declaravit illas propositiones, per quas Petrus de Osma, & ejus sequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur.

Errores Petri de Osma.

Confessionem peccatorum in genere ex universalis Ecclesiæ statuto non divino jure compertam fore, & peccata mortalia quoad culpam, & pœnam alterius sæculi, absque confessione, sola cordis

C contritione, pravas verò cogitationes sola displicentia deleri: & quod confessio secreta sit non necessario exigi: & non peracta pœnitentia pœnitentes absolvi non debere: & Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere, & super his, quę universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse: Sacramentum quoque pœnitentiæ quantum ad collationem gratię naturæ, non autem institutionis Novi, aut veteris Testamenti existere: & alias, quas propter earum enormitatem, ut illi, qui de illis notitiam habent, ex præsentibus non instruantur in eis, silentio prætermittendas ducimus, falsas, sanctæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, ac à fidei veritate alienas, & sanctorum Patrum decretis, & Apostolicis constitutionibus contrarias fore, manifestam hæresim continere, dictarum literarum, &

D per illas sibi concessæ facultatis vigore declaravit: & pro talibus haberi, & reputari debere declaravit: prout in quibusdam authenticis scripturis desuper confectis plenius continetur. Et demum (præmissis, sicut præfatur, gestis, & propositis in consistorio coram nobis) nos dilectis filiis nostris Stephano tituli sanctæ Marię Trans-tyberim, & Joanni tituli sanctæ Praxedis, Presbyteris Cardinalibus, ut de præmissis gestis per ipsum Archiepiscopum diligenter se informarent; &, quæ invenirent, nobis, & aliis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus referrent: qui tàm zelo fidei, quàm ut nostris parerent mandatis, onus hujusmodi prompta voluntate suscipientes, cuncta diligenter rimarunt: &, quæ invenerunt, nobis, & aliis fratribus nostris memo-

E ratis fideliter retulerunt; propositiones præfatas erroneas fore pluribus authoritatibus, & rationibus, præter illas, quas in Archiepiscopi processu invenerunt, etiam demonstrantes zelo fidei memoratæ.

Nos igitur, ad quem spectat errores hujusmodi extirpare (habita eorumdem S. Mariæ in Trans-tyberim, & S. Praxedis Cardinalium relatione prædicta) ipsius Archiepiscopi solertiam, & diligentiam in præmissis plurimum in Domino commendantes, certa nostra scientia, Archiepiscopi declarationem, & decre-

decretum hujusmodi, & prout illa concernunt omnia, & singula in scripturis prædictis Archiepiscopi super præmissis confectis contenta, authoritate Apostolica tenore præsentium, de eorumdem referentium, & aliorum fratrum nostrorum, unà cum consilio, & assensu, laudamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Et nihilominus pro potioris cautelæ suffragio, omnes, & singulas propositiones prædictas, falsas, sanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab Euangelica veritate penitus alienas, sanctorum quoque Patrum decretis, & aliis Apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere dicta authoritate declaramus, &c.

Revocatio Petri Osmani.

QUoniam ego Magister Petrus Oxoniensis composueram librum confessionis, continentem nonnullas propositiones, quas tunc credebam veras, & determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, & communi opinioni Doctorum consonantes: sed quia primùm ex libro illo orta sunt maxima scandala in ordinibus fidelium, maximè in partibus horum regnorum, adeò quod reverendissimus in Domino pater, ac Dominus Archiepiscopus Toletanus authoritate Apostolica (accersitis quamplurimis Magistris, & sacræ Theologiæ Doctoribus, & aliis viris eruditissimis) maturo consilio, ac deliberatione pronunciavit, & declaravit, dictum librum continere nonnullas propositiones falsas, hæreticas, scandalosas, malè sonantes, & erroneas, & ideò comburendum, prout in sententia latiùs continetur, quapropter ego præfatus magister desiderans salutem animæ meæ, ac proprium recognoscens errorem, & culpam, dico, & confiteor, me graviter errasse in compositione dicti libelli, utpotè continentis propositiones falsas, erroneas, scandalosas, hæreticas, & malè sonantes. Quas ut tales confiteor, & declaro: submittoque me determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, & determinationi, & sententiæ præfatæ, & prolatæ per dictum reverendum Dominum, cui ego ex nunc, & specialiter, & expresè assentior. Et cognoscens veram fidem, anathematizo omnem hæresim, maximè eam, de qua hactenus sum infamatus, & consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, & sedi Apostolicæ, & ore, ac corde confiteor Sacramenta Ecclesiæ, & illam fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa modernus authoritate Apostolica, & Euangelica tenet: & per hæc sancta Dei Euangelia omnes, qui contra hanc fidem venerint cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pronuncio. Celebrata est ea congregatio per quinquaginta duos viros doctos Magistros in Theologia, vel jure Canonico, Præsidente præfato Reverendissimo. Accessit ad hæc specialis confirmatio eorum, quæ acta sunt in prædicta congregatione per Sixtum Papam quartum. Exemplar autem Bullæ, qua confirmantur prædicta, habetur in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, & extat alterum exemplar in Monasterio sancti Vincentii instituti Beati Dominici in Urbe Placentina, quam confirmationem ego legi, & vidi in legitimo exemplari, & ne plus justo cresceret volumen hujus Summæ, hìc nolui illam subjicere, ait Carranza.

CONTROVERSIA.

VIdimus aliquos ex his erroribus damnatos, & revocatos per Osmanum rursum obtrudi hoc nostro tempore; de quibus plura in quadam Analysi Flexiæ edita àn. 1649.

Unde multæ quæstiones agitatæ sunt nostris temporibus circa modum pœnitentiæ antiquæ. Harum indicem hìc exhibeo ex libro Patris Bagotii S. I. de *pęnitentia*, in quo fusè tractantur.

Cap. 1. De multiplici pœnitentia.

Sectio 1. Quæstio, de qua disputandum est, proponitur.

Sectio 2. De pœnitentia Ecclesiæ externa, quid hæretici sentiant.

Sectio 3. De re eadem Catholicorum quorumdam opinio refertur.

Sectio 4. Doctorum Catholicorum Doctrina proponitur. Status quæstionis, an pro quibuslibet peccatis mortalibus imposita, & imperata fuerit publica pœnitentia cum excommunicatione, an solùm pro quibusdam gravioribus.

Cap. 2. Quotuplex in Ecclesia pœnitentia publica à sanctis patribus agnoscatur.

Sectio 1. Qua de pęnitentia quæstio instituatur.

Sectio 2. Duplex in genere pœnitentia publica: altera ante Baptismum, altera post, cum acta fuit.

Sectio 3. Multiplex Christianorum jam Baptizatorum pœnitentia publica olim in Ecclesia fuit.

Illa pœnitentia duplex distinguitur pro peccatorum diversitate: Prior de quotidianis, levioribusque delictis. Posterior de gravioribus. Utraque apud D. Augustinum hom. 50. c. 3. & 4. hæc luctuosior, & gravior cum excommunicatione.

Cap. 3. Quotuplex olim in Ecclesia pœnitentia gravior publica fuit.

Sectio 1. De pęnitentia publica nonnullis imperata differitur in Bracarensi 2. can 23. & Toletano 1. can. 11.

Sectio 2. Pęnitentia publica petentibus quibusdam concessa olim fuit.

Sectio 3. Spontaneæ pęnitentiæ publicę exempla afferuntur.

Sectio 4. De pęnitentia spontanea factum Nectarii explicatur: post istud factum Concilia Orientis non desierunt canonicam pęnitentiam imperare. Chalced. can. 7. & 9. item canones 6. synodi. Ergo non abrogata pęnitentia imperata, sed spontanea, quæ non erat sacramentalis, quæque fiebat ex consilio secreto Sacerdotis, cui antea confessio facta fuerat sacramentalis.

Cap. 4. De multiplici tàm Laicorum, quàm Clericorum pęnitentia canonica.

Sectio 1. Laicorum pęnitentia aliquandò secretior erat.

Sectio 2. De pęnitentia Clericorum. In Epaunensi an. Christi 117. can. 22. in Cabilonensi 11. an. 813. can. 40.

Cap. 5. De statu perpetuo solemnis pęnitentiæ.

Sectio 1. De Monasteriorum conversis, & pęnitentibus.

Sectio 2. In Ecclesia statum pęnitentiæ solemnis fuisse probatur.

Sectio 3. Hujus solemnis pœnitentię à canonica diversæ perpetuum institutum fuisse amplius probatur.

Sectio 4. Eadem doctrina duobus exemplis illustribus probatur.

Vocat pęnitentiam solemnem, quæ ex se perpetua erat sub cura religiosorum: non ita canonica. Prioris exemplum est in Vuamba principe in Concilio Toletano 12. c. 1. & Ludovico Pio in Compendiensi an. 833. cui pęnitentiæ, qui erant subditi, à pœnitentium publicorum pęnis liberi erant, ac communionis Ecclesiasticę perfectissimæ participes.

Cap. 6. An sine peccatorum publica confessione pœnitentia publicè olim acta fuerit.

Sectio 1. In pœnitentia publica semper fuit exomologesis, cujus pars fuit delicti manifestatio.

Sectio 2. Eadem de criminis publica confessione doctrina confirmantur.

Cap. 7. De peccatorum graviorum, leviumque distinctione sanctorum patrum doctrina affertur. A

Sectio 1. Aliqua peccata de se venialia esse, probatur.

Sectio 2. Inter peccata mortalia Patres aliqua graviora agnoscunt.

Sectio 3. Aliqua peccata quotidiana, aut etiam venialia à patribus quę verè de se mortalia esse ostenduntur.

Sectio 4. Peccatorem ob peccata mortalia quidem de se, sed leviora spontè à communione abstinere debuisse, docuerunt iidem Patres.

Sectio 5. Expenditur locus S. Augustini ab adversariis prolatus.

Cap. 8. Pœnitentiam publicam non pro quibuslibet peccatis verè, & propriè mortalibus, sed tantùm publicis, hisque gravioribus olim impositam, & ab Ecclesia imperatam fuisse ostenditur. B

Sectio 1. Mea hac de re sententia proponitur.

Sectio 2. De peccatis, quantumvis mortalibus, si prorsus secreta fuerint, pœnitentiam publicam ab Ecclesia imperari non potuisse, probabile videtur.

Sectio 3. Ob sola crimina publica pœnitentiam publicam olim injunctam, & per canones Ecclesiæ imperatam fuisse probatur.

Sectio 4. Non pro quibuslibet etiam publicis, sed gravioribus dumtaxat criminibus, publicam pęnitentiam olim imperatam fuisse probatur.

Sectio 5. Patres ab adversariis prolati ipsosmet refellunt, nec pro quolibet peccato mortali publico publicam pęnitentiam impositam fuisse docent. C

Sectio 6. Sancti Augustini mens, & doctrina exponitur.

Sectio 7. Sanctus Leo Magnus de eadem re laudatur.

Sectio 8. Sanctus Cęsarius Arelatensis adducitur.

Sectio 9. Sanctus Eligius Noviomensis noster est.

Sectio 10. Adversariorum dogmata ad sancti Eligii doctrinam expenduntur.

Sectio 11. Posteriorum temporum patres proferuntur.

Cap. 9. Argumenta adversariorum expensa refelluntur.

Sectio 1. Argumentum ex criminis appellatione petitum examinatur.

Sectio 2. Aliæ objectiones ex sancto Augustino petitæ solvuntur. D

Sectio 3. Sancti Ambrosius, Basilius, & Fulbertus explicantur.

Sectio 4. Ex sancto Prospero, quem proferunt adversarii, refelluntur.

Scilicet quodlibet mortale non habitum fuit olim pro crimine: pleraque verò mortalia à nonnullis Patribus levia, venialia, quotidiana appellata fuerunt.

Cap. 10. Totius dissertationis summa probatur ex Hugone Victorino, & Hincmaro Rhemensi. Scopus fuit ostendere duodecim primis sęculis pro quolibet mortali peccato expiando semper necessariam fuisse pęnitentiam sacramentalem. At pęnitentiam canonicam, non sacramentalem, nonnisi pro publicis, iisque gravioribus tantùm criminibus imperatam fuisse. Contra quosdam juvenes Theologos aliter docentes. E

DISSERTATIO II.

De Absolutione pœnitentiæ Sacramentalis, & Ecclesiastice, duplici, ac diversa.

Cap. 1. QUæ in ista dissertatione tanquam certa supponenda, & quæ probanda sunt; scilicet duplicem fuisse absolutionem, unam sacramentalem, quæ semper retenta est in Ecclesia, aliam canonicam, seu Ecclesiasticam.

Cap. 2. De multis, variisque peccatorum vinculis.

Sectio 1. Vinculum peccati duplex, &, quod prioris generis illi semper connexum est, explicatur. Vinculum peccati est necessitas, seu obligatio ad damnum aliquod patiendum in vindictam peccati spontè admissi. Peccatum mortale obligat ad pœnam æternam, inducit quandam excommunicationem, ac reatum pęnę temporalis.

Sect. 2. Posterioris generis vinculum, quo peccans obligari probatur, Ecclesiasticum exponitur. Illud est duplex, vel fori interni, ac pęnitentialis, ut satisfactio injuncta à sacerdote in actuali confessione peccatoris, aut est vinculum Ecclesiasticum, quale est censura excommunicationis majoris, aut minoris.

Cap. 3. De triplici peccatorum Excommunicatione ab antiquis agnita.

Cap. 4. De multiplici peccatorum absolutione apud antiquos usurpata.

Sect. 1. Peccatorum vincula triplici modo solvuntur, remissione, satisfactione, & satispassione.

Sectio 2. Reatus pœnæ temporalis tribus modis ab Ecclesia tollitur, per Sacramenta, per sacrificium Missæ, & per Indulgentias.

Cap. 5. De absolutione à vinculo excommunicationis Ecclesiastico.

Sectio 1. Triplici modo triplex excommunicatio olim tollebatur. Prima excommunicatio comes peccati mortalis per sacramentum tollebatur. Secunda excommunicatio major per pœnitentiam datam à Prælatis Ecclesiæ, cum impositione manuum concedendo illis Ecclesiæ preces, & suffragia. Tertia minor excommunicatio solvebatur post peractam pœnitentiam reconciliatione perfecta juxta canones.

Sectio 2. Hæc doctrina Patrum testimoniis probatur.

Cap. 6. De multiplici manuum impositione in pœnitentia olim celebrata.

Sectio 1. Gradus pœnitentiæ publicæ describuntur.

Sectio 2. Quotuplex in pœnitentia manuum impositio olim in usu erat.

Sectio 3. De his manuum impositionibus aliquæ observationes fiunt.

Cap. 7. Absolutionem, quæ post pœnitentiam peractam dabatur, Sacramentalem non fuisse, probatur ex fine, & effectu proprio.

Sectio 1. Primum argumentum proponitur.

Sectio 2. Absolutio sacramentalis peccatorem justificat, non jam justificatum supponit.

Sectio 3. Quod absolutio in publica pœnitentia post satisfactionem peractam data, peccatum quoad culpam remissum esse de se postulet, ex sancto Leone probatur.

Sectio 4. Duplex illa absolutio, & reconciliatio probatur ex sancto Eligio.

Sectio 5. Alii sancti Patres idem ipsum senserunt.

Sectio 6. Lazari exemplum, & quæ eo nititur Theologorum doctrina, de absolutionis effectu iterum expenditur, Lazarus, scilicet, prius vivificatur, quàm salvatur: ita peccator prius vivificatur vivificatione quadam imperfecta adhuc per actus contritionis, confessionis, & boni propositi ex gratia Spiritus sancti moventis, nondum tamen inhabitantis.

Cap. 8. Ex altero pœnitentiæ fine, videlicet Eucharistiæ sumptione, alia superioris doctrinæ petitur ratio.

Sectio 1. Absolutio, sine qua Eucharistiam peccator sumere potest, sacramentalis non est.

Sectio 2. Sine absolutione post satisfactionem data publicè pęnitens viaticum Eucharistiæ sumere potuit. Cartag. 4. canone 78. Arausic. 1. can. 3. Arelat. 2. can. 28.

Se-

Sectio 3. Viaticum sine absolutione ultima datum fuisse, iterum probatur.

Sectio 4. Viaticum sine absolutione perfecta aliquandò datum pœnitenti fuisse, tertiò probatur.

Sectio 5. Pœnitentes aliquandò Eucharistiam sine ultima reconciliatione sumpserunt.

Cap. 9. Ex Ministro absolutionis publicæ pœnitentium eam non fuisse sacramentalem probatur.

Sectio 1. Minister Sacramenti pœnitentiæ in mortis articulo est quilibet solus Sacerdos.

Sectio 2. In absolutione ultima pœnitentium publicorum ministri munere functi sunt Diaconi, atque adeò Laici aliquam in ea partem habuerunt.

Sectio 3. Nunquam Presbyter absolutionem illam ultimam, nec in ipso mortis articulo sine consensu Episcopi dare olim poterat.

Cap. 10 Materia pœnitentiæ Sacramentalis non fuit eadem cum materia pœnitentiæ, & absolutionis publicæ.

Sectio 1. Absolutio pœnitentiæ publicæ propria pro venialibus peccatis nunquam data fuit.

Sectio 2. De confessione sacramentali peccatorum venialium. Probat extitisse ante sæculum 12.

Sectio 3. Pro multis peccatis mortalibus remittendis absolutio pœnitentiæ publicæ propria usurpata non fuit.

Sectio 4. An partes sacramenti pœnitentiæ, materiales, essentiales, & integrales dicendæ sint.

Sectio 5. In confessione, & contritione satisfactio aliqua continetur, quæ absolutionem ex rei natura anteced. Scilicet labor confessionis, & pudor sunt aliqua pars satisfactionis. D. Thomas in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. q. 1. D. Bonaventura in 4. dist. 16. in expositione litteræ. Concil. Senonense an. 1528. in titulo de confessione.

Sectio 6. Satisfactio à Sacerdote imposita pœnitenti absolutionem Sacramentalem sequitur, non antecedit.

Cap. 11. Ex ritibus, quibus absolutio sacramentalis necessariò danda est, probatur, eam, quæ in publica pœnitentia satisfactionem sequebatur, sacramentalem non fuisse.

Sectio 1. Absolutio absenti data sacramentalis esse non potuit.

Sectio 2. Absolutio diu dilata sacramentalis non fuit.

Sectio 3. An unquam post satisfactionem absolutio sacramentalis dilata fuerit. Hic refellit l. de freq. communion. parte 2. cap. 12. contenditque tantùm debere differri absolutionem, cum non constat de dolore, ac proposito præsenti pœnitentis, nec debere Confessarium probabiliter nosse pœnitentem constantem fore. Vide notata ad Concil. Mediol. sub S. Carolo.

Sectio 4. Absolutio sacramentalis olim sæpius iterata est.

Sectio 5. Pro iterato Sacramento pœnitentiæ iidem, qui opponi solent, Patres proferuntur.

Cap. 12. Quandonam in publica pęnitentia olim data est absolutio sacramentalis?

Sectio 1. Nec in primo, nec in secundo gradu pœnitentiæ publicæ absolutio sacramentalis olim data fuit.

Sectio 2. Quoties olim dabatur pœnitentia, toties absolutionis quoque sacramentalis effectus proprius, seu peccati remissio concessa est. In tertio gradu pœnitentiæ fiebat confessio sacramentalis, & reliqua, quæ ante absolutionem præstanda sunt. Et per pęnitentiam tunc datam intelligitur impositio pœnitentiæ faciendę; itaut tamen non à culpa absolutus non restitueretur altari, nisi postquàm satisfecisset.

Sectio 3. Alio argumento probatur in pœnitentia data absolutionem Sacramentalem intelligendam.

Sectio 4. Alia argumenta pro eadem doctrina confirmanda afferuntur.

Sectio 5. Sanctus Leo ab adversariis productus explicatur.

Cap. 13. Utrum aliquandò Sacramentalis absolutio peccatori alicui ab Ecclesia omnino negata fuerit.

Sectio 1. Qui absolutionem Sacramentalem aliquandò etiam in mortis articulo negatam fuisse volunt. Refellit Albaspineum Episcopum Aurelianensem, qui absolutionem negatam fuisse contendit ante Concil. Nicænum maximè in Africa, & Hispania: ac librum de freq. com. qui eas absolutiones absque fructibus pœnitentiæ in morte datas vocat præcipites, eosque Ecclesiam floccifecisse asserit.

Sectio 2. Ecclesia pœnitentiam in mortis periculo poscenti nemini unquam negavit. Arelatense 1. can. 12. negat communionem, non absolutionem. D. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, & alibi.

Sectio 3. Nemini unquam absolutio Sacramentalis in morte negata fuit.

Sectio 4. Exponuntur Sancti, qui opponi solent.

Sectio 5. Fausto Regiensi respondetur.

Cap 15. De præparatione, quæ adhibenda est, ut dignè quis Sacramenti Eucharistiam percipiat.

Sectio 1. Quædam axiomata hac de re certa statuuntur.

Sectio 2. Ut quis Eucharistiam dignè sumat, non esse necesse, ut prius satisfactionem pro peccatis sibi injunctam peragat.

Sectio 3. Eadem doctrina Patrum authoritate confirmatur.

Sectio 4. Duo consectaria colliguntur.

1. Eucharistiæ sumptionem satisfactioni pro pœna peccatorum non adversari, aut vim ejus imminuere.

2. Excommunicationem hanc, & Eucharistiæ abstinentiam de se, naturaque sua pœnæ temporali redimendæ aptam pęnitentiam non esse, nec vim illam satisfaciendi, nec ferè alia, quæ in operibus pęnitentiæ insunt, commoda habere. Quæ recenset Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 8. 9. & can. 13. Primò enim à peccato revocant, cautioresque, & vigilantiores pœnitentes efficiunt. Secundò medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus contrariis virtutibus tollunt. Tertiò valent ad amovendam imminentem à Domino pęnam. Quartò, Christo conformes efficiunt, patiendo pœnas: At quid ad ista confert abstinentia Eucharistiæ? *Satisfactio*, ait Eugenius in decreto Florentino, *pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam*. Consulendus ipse auctor, cujus libri ideam proposuisse, non ingratum plerisque futurum credidimus.

Idem Sixtus IV. an. 1476. damnat per R. D. Dominicum Episcopum Brixiensem quasdam propositiones Magistri Petri de Rivo Doctoris Lovaniensis, qui præcepit eidem Rivo eas revocare sibi datas in schedula, quod ipse libenter præstitit, cum prius à facultate Lovaniensi impugnatæ, & improbatæ fuisent. Sunt autem hæ propositiones.

1. In Deo non est velle intrinsecum, quo, priusquam res producat, determinetur ad eas producendum, nec per velle intrinsecum eas producit, dum actu producit. Scilicet in Deo ponebat solum actum complacentiæ.

2. Nihil præcedit per lineam successionis mediam eventum futuri contingentis, quod hujusmodi eventum inferre possit penes necessariam consequentiam. Quasi verò non esset necessaria ista consequentia: Deus præscit Antichristum futurum: ergo futurus est.

3. Pręscientia futurorum in Deo non præcedit duratione eventum ipsorum.

4. Deus non habet notitiam certam, seu judicativam

tivam de significato, quod importat propositio fidei de futuro ex sua natura, & modo enunciandi.

5. Propositiones fidei de futuro non sunt veræ veritate propria, & ex rigore Logicæ, seu ex modo enunciandi, sed neutræ.

Ad has, similesque propositiones asserendas inductus est præfatus Doctor ex eo, quod tractatus quosdam composuisset, pro tuenda doctrina Aristotelis: docentis in propositionibus de futuro contingenti, neutram esse determinatè veram. Habent enim aliquam affinitatem hæ quinque propositiones cum illa doctrina Aristotelis. Unde & tres alias ejusdem de Rivo propositiones jussit reformari eadem Facultas Lovaniensis, tanquam absurdas, malè sonantes, & piarum aurium offensivas.

Propositiones de futuro contingenti.

Prima est, significatum de rigore sermonis per hanc propositionem, *mortui resurgent*, non cadit sub divina præscientia.

2. Ista propositio: *mortui resurgent*, ex rigore sermonis, & ex modo enunciandi non significat aliquid fide credendum.

3. Simplex Laicus credens id, quod illa propositio, *mortui resurgent*: ex rigore sermonis, & ex suo modo enunciandi significat, non fideliter credit.

Aliam insuper propositionem ejusdem Doctoris damnatam fuisse ab eodem Sixto IV. an. 1476. eamque jussu Pontificis retractasse asserit Franciscus Sylvius ex aliis auctoribus in prima parte, q. 19. art. 8. scilicet majorem propositionem hujus syllogismi. *Quod sequitur necessariò ex aliquo à nobis inimpedibili, non est nobis liberum, sed necessarium*; sed voluntas moriendi in Christo sequitur necessariò ex unione hypostatica, & præcepto, quæ duo erant inimpedibilia ab humanitate Christi; ergo mors illa, seu voluntas moriendi, non erat libera Christi humanitati, sed necessaria.

Docet tamen Cardinalis de Lugo de *Mysterio Incarnationis*, disp. 26. sect. 6. quicquid sit de veritate istius propositionis, quæ quidem in aliquo forsitan sensu falsa esse posset, & digna censura, non esse hanc, quæ Romæ censurata est, sed hanc: *Quod ex præcedenti ordine successivæ durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium est, & inimpedibile*. Quæ quidem meritò reprobata fuit, quia revelatio Dei de futuro peccato Antichristi, præcedit ordine successionis ipsum peccatum, quod ex illa per necessariam consequentiam infertur; & tamen peccatum non est simpliciter necessarium, vel inimpedibile. Cujus argumenti vim, ut fugeret Rivus, multa absurda concedebat, scilicet revelationes, vel propositiones de fide circa eventus contingentes futuros, non esse nunc veras de rigore sermonis, nec credendas de fide.

Sic progressus est ad plures errores ex doctrina Aristotelis prædicta de duabus propositionibus *de futuro contingenti*, quos errores vitare quis poterit rectè intelligendo particulam istam determinatè, ut significet tantùm infallibiliter, non autem necessariò. Sic enim verum est, quod ex duabus propositionibus de futuro contingenti, quales sunt istæ, Antichristus peccabit, Antichristus non peccabit, una est determinatè vera, altera falsa, idest infallibiliter, non autem necessariò. Sic enim illa, quæ revelata est à Deo vera est, & est objectum fidei. Rursus distinguendo duplex præteritum juxta Petrum de Tarentasia super 1. sent. dist. 38. videlicet quoddam, quod significatur, ut purè præteritum, ut Adam fuit: alterum, quod significatur connotando futurum, ut Antichristus fuit nasciturus. Primum bene est inimpedibile; secundum est contingens, & impedibile; & ad hoc dari potest potentia ex parte saltem connotati, quare non tollit liberum.

Tractat fusius historiam istius condemnationis post multam, & diligentem inquisitionem Cardinalis de Lugo ubi supra, licèt aliquantum plus lucis in hujus rei explicatione merito quis desideraret. Qui discursus ortum habuit ex difficultate de necessitate mortis Christi supposito præcepto inimpedibili.

Idem Sixtus IV. constitutione 23. *Quoniam nonnulli iniquitatis filii*, authoritatem Summi Pœnitentiarii delegari posse declarat.

Cherubinus Scholio 2. morte Papæ non expirare hoc Officium decrevit Clemens V. in cap. 2. §. 1. de electionibus, quia tunc versabatur circa pœnitentias, seu casus pœnitentiales. Sed cum postea cœperit versari etiam circa nonnulla fori exterioris, circa hæc expirare decrevit Pius IV. in sua constitutione 53.

Idem Sixtus IV. per litteras Apostolicas à Francisco Diago allegatus lib. 1. Annalium, jubet, ut inquisitores Apostolici severè puniant Theologos nonnullos, qui censura Theologica carpebant opinionem probabilem, quam continent versiculi illi in gloriam Deiparæ ab Ecclesia admissi. *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna Filio*. Verba Pontificis sunt: Cum duplex sit opinio Catholicorum Doctorum circa causas præcipuas Incarnationis Verbi divini; altera, quod si Adam non peccasset, Dei Filius humanam carnem non assumpsisset: Altera, quod etiam, si non fuisset humana natura in primo parente lapsa, adhuc Dei Filius carnem assumpsisset, & opinio utraque pietati fidei authoritatibus, & rationibus subsistat: cumque priori illi opinioni versus illi nitantur; dicimus quod, quicquid contra dictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & pœna dignum præsumptum fuisse, tanquam contra opinionem à Doctoribus Catholicis positam.

Arrago.

Virgo Maria non abhorret peccatores.

Unde quidam inferunt, de mente sedis Apostolicæ esse, ut ab Inquisitoribus, temerarii, præsumptuosi, & pœna digni castigentur, qui damnant propositiones probabiles à Doctoribus Catholicis toleratas. Ad quod respondet Martinez Ripalda to. 3. *de ente supern.* in proœmio sect. 6. non ob eam rationem reprehendi Theologos illos, quod damnarent opinionem probabilem de adventu Christi dependenti à peccato Adami, sed quod reprehenderint usum in Ecclesia receptum prædictos versus decantandi in illa opinione innixum. Nam ad temeritatem sufficit contradicere communi Ecclesiæ, & fidelium consensui. Et Ecclesia probavit, pietatem, & laudem Deiparæ in eis versibus contentam; quoniam ad pietatem, & laudem Deiparæ sine temeritate, & honestè ab omnibus fidelibus decantandas, sufficit probabilitas ejus opinionis, Siquidem ad honestatem, & prudentiam agendi non requiritur evidentia, sed sufficit probabilitas honestatis objecti. Quod multis exemplis probat de aliis statutis Pontificum.

Probabilitas opinionis.

Verum non est adeo pervia, & facilis hujus difficultatis solutio. Nam Jodocus Clictovæus Theologus Parisiensis nominatissimus, cum improbasset duas similes propositiones, quæ cantari solent in multis Ecclesiis in benedictione cerei Paschalis, *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! &, O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem*. Quod secundum sensum, qui primus animo occurrit, & sese ingerit, tolerari non possint, cum sic nec Adam culpandus fuisset: nec serpens, nec culpa Adæ ullo modo felix dici possit, quæ omnem miseriam, & infelicitatem mundo attulit; ac propterea à quibusdam argueretur, tractatum evulgavit an. 1519. Parisiis apud Henricum Stephanum de necessitate peccati Adæ, & felicitate culpæ ejusdem Apologetica disputatio. In qua contendit se tantùm dictas propositiones impugnasse secundum sensum grammaticalem, & perquiri oportere sensum proprium (qui idem verus sit, & pietati Christianæ conformis) duarum dictarum propositionum, seque paratum, si assignetur, illum duabus ulnis suscipere, atque approbare. Indicat inte-

Jodocus Clictovæus.

Duæ propos. dubiæ in benedictione cerei Paschalis.

interim in cursu orationis suæ duas illas propositiones benedictioni cerei Paschalis adjectitias esse, & ab incerto auctore superadditas, atque insertas, nec omninò compertum haberi, quod D. Gregorius illas propositiones contexuerit : quemadmodùm vulgata fert opinio, ac in aliquot Ecclesiis non cantari: ut in Ecclesia Jauriensi in Pannonia, ad cujus Episcopum Joannem Gozthon, tractatum suum dirigit, quare ob earum propositionum confutationem, universalis Ecclesiæ ritum minimè damnari. Denique hoc molitur, quod melior fuisset hominum conditio, si Adam lapsus non fuisset, quàm nunc habeatur : præstabilioris esse dignitatis, nequaquam prolabi in culpam : nec incredibile videri, quod, tametsi nulla fuisset Adæ prævaricatio, attamen Filius Dei humanam naturam ob certas, & rationabiles causas assumpsisset. Non rectè dici peccatum aliquod necessarium, quoniam fuerit causa, sine qua non obtineretur aliquod insigne bonum ordine temporis sequens. Culpam Adæ debere dici miseram, & infelicem. Non esse commendanda, nec claris titulis honestanda mala, ex eo quod ipsorum occasione insignia bona deindè contigerint hominibus. Hæc ille pluribus. At quanta sit affinitas inter hanc propositionem, *peccatores non abhorres, sine quibus numquam fores tanto digna filio*; & illas duas, sicut & aliam tertiam, quam idem Clictovæus improbat, etsi decantari solitam in quadam Prosa. *O culpa nimium beata: qua redempta est natura*, oculatus quisque satis videt. Quis enim dicat purissimam Virginem peccata non abhorrere, loquendo secundum sensum Grammaticalem, quod eorum occasione fuerit mater Dei. Ideò locus est inquisitioni veri, & pii alicujus sensus talium propositionum cum in sacris ædibus aliqua permissoria quadam consuetudine, & inveterato usu cantantur, quæ, si in examen venirent, & exacte discuterentur, aut commutarentur in aliam formam, aut penitus tollerentur, ait ibid. Clictovæus.

Innocentius VIII. Italus creatus an. 1484. constitutionem edidit eodem anno, qua declarat inquisitores hæreticæ pravitatis procedere posse contra eos, qui in partibus Alemaniæ superioris, cum dæmonibus abutebantur, multasque incantationes, & sortilegia committebant.

BULLA INNOCENTII VIII. contra 900. propositiones J. Pici.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Etsi ex injuncto nobis, licet sufficientibus meritis, desuper Apostolicæ servitutis officio, hominum quorumlibet animarum saluti consulere teneamur, propensiori tamen cura ad ea invigilare debemus, quæ vel Divinæ majestatis, vel integritati Catholicæ Religionis, & fidei, sine qua Deo placere non possumus, comperiuntur adversa. Nuper siquidem cùm dilectus filius nobilis vir Joannes Picus Concordiæ Comes, nongentas conclusiones variarum facultatum, publicè, & in variis locis publicis almæ Urbi, in qua cum Romana curia residemus, de aliis mundi partibus publicari fecisset, offerens se (ut moris est) contenta in illis in publicis desuper habendis disputationibus in eadem curia sustentare, & à nonnullis zelum fidei habentibus assereretur, nonnullas ex eisdem conclusionibus præfatæ fidei contrarias, erroneas, scandalosas, & male sonantes, ac de non sana doctrina suspectas esse, & exinde multorum fidelium mentes plurimum scandalizari, & Divinam Majestatem, ac Religionis Christianæ decus, Apostolicęque sedis honorem non parum lędi: Nos tunc integritati fidei consulere, & scandalis hujusmodi obviare volentes, Venerabili Fratri Joanni Episcopo Tornacensi, domus nostrę

A magistro, de cujus morum integritate, litterarum scientia, & zelo Religionis plurimum confidimus, commisimus, & mandavimus, ut vocatis nonnullis tunc expressis Venerabilibus Fratribus nostris Episcopis, & aliis Sacræ Theologię, ac utriusque Juris professoribus, ad id à nobis specialiter nominatis, in dicta curia degentibus, ac prefato Comite, contenta in dictis conclusionibus, per eos maturè examinari, & discuti faceret, & an aliquæ ex illis, ex vi verborum à fide Catholica dissonare, aut herесim sapere, seu dubias, & ancipites esse, & ad erroneum sensum in fide tradi facere posse comperiretur: & explicato prius, quid captiosa verborum congeries portenderet, concordem eorumdem Episcoporum, & professorum determinationem nobis referret, ut habita hujusmodi relatione fideli, desuper opportunè
B providere possemus, prout in quibusdam litteris nostris in forma brevis plenius continetur. Postmodùm verò, tàm Tornacensis, quàm per illum convocati de nostro mandato Episcopi, Theologię professores, ac utriusque Juris Doctores prefati, post diutinam, & diligentem discussionem, & sæpiùs tùm præsente, tùm absente dicto Comite, reiteratam, nonnunquam etiam in nostra presentia accuratum, & laudabile examen dictarum conclusionum, & contentorum in eis, nobis concorditer retulerunt, nonnullas ex conclusionibus prędictis, tàm secundum propriam ejusdem Comitis, quàm aliorum opinionem, hereticas, aut heresim sapientes, aliquas scandalosas, piarumque aurium offen-
C sivas, plerasque etiam renovantes errores Gentilium Philosophorum, jamdudum abolitos, & obsoletos, ac alias perfidię Judęorum ferventes, nec non plures, quę sub quodam fuco Philosophię naturales, honestare nituntur artes quasdam, fidei Catholicę, & humano generi inimicas, & à sacris Canonibus, & doctrinis Catholicorum Doctorum acerrimè damnatas propositiones esse. Nos igitur, qui Redemptoris nostri locum tenemus in terris, & circa gregis sui custodiam in animarum salutem jugis cogitationis attentione intendere (submovendo noxia, & profutura ministrando) debemus, ne propositiones prędictę, malè & contra fidem sonantes, corda fidelium damnabiliter corrumpant, providere volentes, ut debemus, & quoniam prolixum, & operosum esset in specie, & sigillatim pręsentibus in-
D serere omnes illas conclusiones, & propositiones per eos magistros damnatas, cum causis damnationis earum ; idcircò de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, libellum DCCCC. conclusionum prędictarum, quamvis aliquas contineat Catholicas, ac veras, propter admixtionem tamen prædictarum damnabilium assertionum, authoritate Apostolica pręsentium tenore damnamus, & reprobamus : & insuper, ne illius lectio continuare valeat scandalum (ut præmisimus) generatum, & in futurum ad aliud forsan majus inducat, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda; omnibus Christi fidelibus, ne illum de cetero legere, scribere, aut imprimere, seu legi, scribi, aut imprimi facere, vel aliis legentibus audire quoquo modo presumant,
E dicta authoritate inhibemus; & illum descriptum, vel impressum, nunc, & pro tempore habentibus, ut illum comburant intra triduum à die habitæ notitiæ præsentium, sub eadem pœna dicta authoritate mandamus. Præfatum autem Comitem, quoniam antedictas conclusiones gratia, tùm Scholasticæ disceptationis, & sub Apostolicę sedis correctione, ut asserebat, publicavit, & posuit, & tandem easdem tales esse habendas professus est, quales judicantur per Nos, & professores prædictos, quorum judicium in hac parte, ut præmittitur, ac authoritate Apostolica approbamus: & etiam quia jurejurando promisit, nullo tempore se talia defensurum,

rum, nullam ob præmissa incurrisse sinistræ excommunicationis notam, præfata authoritate decernimus, & declaramus. Et insuper quia difficile foret, præsentes litteras ad singulas Civitates, & Diœceses fidelium deferre, volumus, & Apostolica authoritate decernimus, earundem litterarum transsumpto, sigillo alicujus prælati Ecclesiastici munito, & manu publici Notarii subscripto, plena ubique fides adhibeatur, ut adhiberetur ipsis originalibus litteris, si forent exhibitæ, vel ostensæ: mandantes locorum Ordinariis, ad quorum notitiam præsentes litteræ, seu transsumpta authentica pervenerint, ut præmissa eorum Civitates, & Diœceses in Ecclesiis intra missarum solemnia faciant publicari, ne quispiam valeat de iis ignorantiam allegare: & tam eis, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut, si, quod absit, contingat eundem Comitem contra ejus confessionem, & juramentum aliquid in posterum attentare, & aliquos quoscunque mandatis nostris hujusmodi non obtemperare, quæ juxta canonicas sanctiones, & Sanctorum Patrum decreta in hæreticos statuta, eorum incumbunt officio, exequi non omittant, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus, si aliquibus communiter, vel divisim à sede Apostolica indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum damnationis, inhibitionis, mandati, approbationis, constitutionis, declarationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romę apud sanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis 1487. pridie Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

Habentur hæ omnes propositiones inter opera ipsius Joannis Pici Basileæ edita, quibus subjungitur Apologia ejusdem, qua diluere conatur, quæ sibi ab æmulis objiciebantur.

Notantur autem tredecim conclusiones, quas in tanto numero censura præ aliis notandas arbitrabantur, quarum est hæc series.

13. Positiones Pici magis censura dignæ visæ pluribus.

Magis impropriè dicitur de Deo, quod sit intellectus, vel intelligens, quàm de anima rationali, quod sit Angelus.

Nil intelligit actu, & distinctè anima, nisi se ipsam.

Qui dixerit accidens non posse existere, nisi inexistat: Eucharistiæ poterit Sacramentum tenere, etiam tenendo panis substantiam remanere, ut tenet communis via.

Si teneatur communis via de possibilitate suppositationis in respectu ad quamcumque creaturam, dico, quod sine conversione panis in corpus Christi, vel paneitatis annihilatione, potest fieri, ut in altari sit Corpus Christi secundum veritatem Sacramenti Eucharistiæ. Quod sit dictum loquendo de possibili, non de sic esse.

Christus non veraciter, & quantum ad realem præsentiam descendit ad inferos, ut ponit Thomas, sed solùm quoad effectum.

Illa verba, *hoc est Corpus meum*, &c. quæ in consecratione dicuntur, materialiter tenentur, non significativè.

Non assentior communi Theologorum sententiæ dicentium, posse Deum quamlibet naturam suppositare, sed de rationali tantùm hoc concedo.

Nec crux Christi, nec ulla imago adoranda est adoratione latrię, etiam eo modo, prout ponit Thomas.

Dico probabiliter, &, nisi esset communis modus dicendi Theologorum, in oppositum firmiter assererem, assero tamen hoc dictum in se esse probabile, & est, quod sicut nullus opinatur aliquid ita esse præcisè, quia vult sic opinari, ita nullus credit aliquid esse verum præcisè, quia vult credere, id esse verum. Corollarium. Non est in potestate libera hominis credere articulum fidei esse verum, quando placet, & credere eum falsum, quando sibi placet.

Nisi essent dicta Sanctorum, quæ in manifesto sui sermonis videntur dicere oppositum, firmiter assererem hanc, & sequentem conclusionem. Assero tamen eas esse probabiles, & defendi posse rationabiliter; quarum prima est: quod peccatum mortale in se est malum finitum. Secunda est, quod peccato mortali finiti temporis non debetur pœna infinita secundum tempus, sed finita tantùm.

Rationabilius est credere Origenem esse salvum, quàm credere ipsum esse damnatum.

Miracula Christi non ratione rei factę, sed ratione modi faciendi suæ divinitatis argumentum sunt certissimum.

Nulla est scientia, quę nos magis certificet de divinitate Christi, quàm magia, & cabala.

Apologia Pici.

Apologiam edidit Picus pro explicatione alicujus veri sensus istarum conclusionum. Quod opus magna celeritate spatio viginti noctium elaboravit. Oportuit enim, inquit, habere amicos, qui inimicis latratibus quasi cerbero offam objicerent, atque ita venienti, me statim infamię morbo occurrere. Quæcumque autem & scripsimus, & scribemus in posterum, cum ea semper præfatione sint dicta, ut id solum ratum, sanctumque habeatur, quod & Pontifex summus, & hi omnes, quorum ille judicium approbaverit, ratum, sanctumque decernerent.

Propositionis varii sensus explicanda.

Unde apparere potest, priusquam censura vulgaretur, Apologiam suam evulgasse. Hac autem ratione maximè nitebatur, quod ponens propositionem habentem duplicem sensum, si illam asseruit, & asseruit in sensu Catholico, non tenetur revocare propositionem, sed illam declarare, & quod stante prædicto casu, & ipsa multiplicitate sensuum, debemus judicare de propositione, potius secundum sensum intentum à proponente, quàm secundum sensum, quem magis verba sonant. Ut exempli causa in ista propositione, *Christus descendit ad inferos secundum effectum*, hoc intendit à se dictum, quod substantię spirituales non sint præsentes in loco per substantiam, sed per operationem, ut tenent Thomistę, & alii plures.

Quamvis autem ista propositio possit trahi in malum sensum, non esset magis arguenda, quàm sententię Novi Testamenti, ut ista, *Pater major me est*, quam Arriani in malum sensum trahebant ad hæresim firmandam.

Sed cum hæc, & alia in prædicta Apologia videri possint, non est, quod diutius immoremur. Tantum monemus Joannem Picum, ante annum vigesimum quartum has theses à se defendendas Romæ proposuisse, cum esset vir ingenio, & doctrina pro ætate maximus. Vixitque tantùm triginta annis, & mortuus est an. 1494. quid si hoc ingenium, ait Bellarminus de script. Eccles. aliis triginta annis excoli potuisset? omninò enim nihil ei defuit, nisi maturitas.

Programma thefeos Pici.

Programma suæ theseos hoc erat, Joannes Picus Mirandulæ Lectori. De adscriptis numero noningentis Dialecticis, Moralibus, Physicis, Mathematicis, Metaphysicis, Theologicis, Magicis, Cabalisticis, cum suis, tùm sapientum Chaldæorum, Arabum, Hebræorum, Græcorum, Ægyptiorum, Latinorumque placitis disputabit publicè Joannes Picus Mirandulanus Concordię comes. In quibus recitandis, non Romanę linguæ nitorem, sed celebratissimorum Parisiensium disputatorum dicendi genus

genus est imitatus, propter ea quod eo nostri temporis Philosophi plerique omnes utuntur, &c.

in cu- sunt inio. Alexander VI. Hispanus creatus anno 1493. constitutionem edidit anno eodem, qua Ferdinando Regi illas insulas, & terras firmas à Polo Arctico, scilicet Septemtrione ad Antarcticum, scilicet meridiem inventas, & inveniendas versus Occidentem, & meridiem donat, ut ad Catholicam fidem inducat sine præjudicio juris quæsiti aliis Christianis Principibus illas possidentibus: accessum absque Regis licentia pro mercibus habendis cæteris prohibet omnibus: quæ fusius narrare injucundum non erit. Igitur *xander* anno 1493. Alexander VI. inter Reges Castellæ, & regnantibus in ea Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabetha, & Reges Portugalliæ regnante Joanne II. divisit terras infidelium, easque ei donavit sub ea conditione, ut in conversionem prædictorum infidelium tenerentur mittere personas idoneas, quæ fidem Christi eisdem prædicarent, & *licatio ngelii.* suaderent. Is scilicet Alexander cognita rerum causa, ne quando lis ad arma deduceretur ultra Hesperidum insulas ad trecentesimam fere lineam, & quadragesimam ducto à Septemtrionibus ad Australem polum circulo totum terrarum orbem bifario secuit, Quæ pars vergebat in Orientem, hanc Joannes facta sibi ob juris antiquitatem optione desumpsit, Occidua Ferdinando relicta. Plenissimè hanc rem à suis primordiis prosequitur Rebello in libro de *obligationibus justitiæ, & charitatis*. Quamvis in editione Lugdunensi an. 1608. qua utor, hæc quæstio omissa fuerit, cum absoluta resolutio, tàm arduæ difficultatis non sit ubique accepta. Constat ergo, ait Augustinus Barbosa de Sollicit. Pastor. p. 1. titul. 2. cap. 2. Pontificem prædictas terras divisisse non ad eum finem simpliciter, ut Reges illuc proficiscerentur ad debellandos infideles, & eorum regna absolutè occupanda, sed solùm conditionaliter, prout scilicet postularet ordo, & processus prædicationis Euangelicæ, & conversionis infidelium inibi prætensæ, & eisdem Christianis regibus à summo Pontifice commissæ, & ita servatis servandis, & in casibus, in quibus in ordine ad illam, licita esset ista concessio, & belli indictio, videlicet quando aliter non possent eo adduci prædicatores fidei Christianæ, nec rursus protegi, ac defendi, tàm ipsis, quàm Christianis ad fidem conversis, ut respondet Victoria in relectione super ult. cap. Matthæi, &cæt.

Hanc concessionem legitimam multis defendit prædictus Barbosa, cum aliis, quos adducit; ac mirabiles fructus refert, qui postea secuti sunt, cum fides per universum ferè orbem propagata fuerit in Oriente ultra Indum, & Gangem: in Occidentali verò parte Caroli V. sæculo octodecim Provinciæ cum octodecim Regibus Catholicam fidem sint professæ, & in solo Mexicano Regno baptizati sint quatuordecies centena hominum millia, itaut in Archiviis Caroli Cæsaris habeatur, quemdam Sacerdotem baptizasse septies centena hominum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores, ut refert Laurentius Surius commentariis historiæ, an. 1518.

Alii perscrutantur plura difficilia in ista bulla, quam refert Seraphinus in *Bullario*, à quibus abstinere tutius existimamus. Tantum advertemus ad id, quod refert Pater de Rhodes in *sua relatione*, Principem summum Japponiorum excitatum fuisse ad movendam persecutionem illam, quæ etiamnum durat, omnium crudelissimam in Christianos ex aspectu mappæ totius orbis, Hollando quodam ipsi indicante quantos progressus rex Hispaniarum fecisset ubique, usque ad Philippinas Insulas regno suo vicinas, itaut jam ipsius terris immineret, tàm vasta ubique terrarum dominatio, ac quot baptizarentur ex suis, tot fore contra se milites ad seipsum è throno dejiciendum. Vah quàm ingens malum hæresis! quot flammæ, quot rotæ, & cruces, quot exilia, quot carceres, quot inde sanguinis Christiani diluvia!

Leo X. Italus creatus anno 1513. constitutionem edidit anno 1517. quæ est 25. inter ejus constitutiones, qua declarat fideles satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda missa, si eam audiant extra Ecclesias Parochiales in Ecclesiis ordinum mendicantium, dummodò non fiat in contemptum proprii Sacerdotis Parochialis.

Cherubinus. Cum Concilium Tridentinum Sess. vigesimasecunda in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missarum, dicat, quod Episcopi quæcumque alia huc pertinentia observare compellant populum, nonne poterunt jubere, ut Missæ audiantur ad frequentationem Parochiarum? *Resp.* non jure possent; quia generalis est totius orbis consuetudo, ut etiam in aliis Ecclesiis Missas audiant, & Christi fidelibus est valde proficua pro eorum salute: & hujusmodi Episcopis à Concilio concessum semper est restringendum ad terminos juris, & intra Cancellos dictæ consuetudinis universalis. Ac plures laudat in eam rem, quæ ab aliquibus revocatur in dubium. *Missa Parochialis.*

Idem Leo constitutione Quadragesima, *exurge Domine, & judica causam tuam*, qua damnat errores Lutheri, omniaque ejus opera prohibuit. At cum post ejus publicationem multi ex sequacibus Lutheri ad fidem rediissent, ipse verò impœnitens adhuc pejora patraret, aliam edidit, qua ipsum anathematis, & alias pœnas incurrisse declarat, loca, ad quæ declinaverit, interdicto Ecclesiastico supponit.

Ideo Leo constitutione 43. declarat Inquisitores hæreticæ pravitatis procedere posse contra maleficos, & sortilegos, etiamsi aliquis alius Judex à Papa fuisset adjunctus, anno 1521.

Cherubinus 1 Scholio 1. Malefici inducunt dæmones precibus, & aliis modis, & illi non apparenter Deo permittente homines lædunt in rebus, fama, corpore, usu rationis, & vita.

Idem Scholio 2. Mulier malefica censetur, quæ artem superstitionum exercet, & ad quam confluunt homines pro maleficiis, & superstitionibus.

Similem constitutionem edidit Adrianus VI. contra sortilegos, & diabolo obedientiam præstantes anno 1522. ut talia crimina minimè inter fabulosa reputari queant.

Sunt autem iidem venefici, & malefici, incantatores, striges, lamiæ apud Delrium disq. Mag. l. v. sect. xvi. quorum crimen semper cum hæresi conjunctum est. Quod si non sit pactum expressum cum dæmone: sortilegium tamen erit factum hæreticum sapiens hæresim. Ibid. sect. xv.

Clemens VII. creatus anno 1523. constitutione 31. in qua Ordo F. B. Mariæ de Monte Carmelo, & confraternitates in ejus Ecclesiarum domibus institutæ exposuerunt Papæ, quod Joannes XXII. & Clemens V. hanc confraternitatem ingredientibus, &c. tertiam partem suorum peccatorum relaxarunt, & quod B. Virgo ipsorum animas post eorum transitum suis intercessionibus, continuisque suffragiis, & speciali protectione adjuvabit, &c. hæc innovat hac Bulla anno 1530. *Bulla sabbatina.*

Cherubinus Scholio 1. Quæro, unde est, quod fertur, Joannem XXII. in quadam ejus Bulla dixisse, quod B. Virgo sabbato sequenti post ipsorum confratrum Religiosorum, ac sororum obitum à pœnis Purgatorii eorum animas liberabit, si hic aliter refertur concessio Joannis XXII.

Resp. Hoc idem pluries à genitore meo postulasse recordor, qui tamen huic Bullæ standum esse omninò respondit, cum prævia exactissima diligentia, alte-

alteram, quæ in ore vulgi ſæpè eſt, invenire non potuerit. Et quod magis eſt, Gregorius XIII. in quadam ejus Bulla indulgentiarum, & gratiarum per eum edita ad favorem Carmelitarum die 8. Septemb. 1577. eam conceſſionem Joannis XXII. alterius tenoris fuiſſe refert, ut videre eſt apud Rodericum de quæſt. regularibus tom. 2. q. 96. art. 7. Hæc controverſia ſuprà agitata eſt, & videtur jam ſopita per Bullam aliam Pauli V. quæ incipit, *cum certas*, &c.

PAULUS III.

PAulus III. anno 1549. poſtulante Franciſco Borgia Duce Gandiæ in Hiſpania libellum Exercitiorum ſpiritualium ab S. Ignatio Societatis Jeſu compoſitum, & à deſtinatis per Pontificem ad ipſius examen graviſſimis cenſoribus comprobatum, auctoritate Apoſtolica communivit die ultimo Julii, & in publicum evulgari permiſit, hortans omnes ad tàm piorum documentorum uſum, confecto in eam rem diplomate, cujus initium eſt, *Paſtoralis officii cura*. Quamvis non defuerint poſtea, ſicut antea, qui librum non allatrarent modo, ſed etiam morderent, ut Thomas quidam Perronius, & Melchior Canus Ord. Prædicatorum, cujus extant in illum librum aliquæ ſugillationes, ſed improbatæ à Paſchali Mantio ejuſdem Ordin. Prædicatorum Complutenſi Theologo Primario, cui exhibitus fuerat à Præſule Toletano Joanne Siliceo, cupiente, ut improbaret ſuo ſuffragio; quod contra accidit, nam ipſo perlecto, reſpondit nihil in illo libro diſpunctio per Canum improbatione dignum eſſe præter Cani diſpunctiones, & ſugillationes, ut recitat Orlandinus lib. 13. hiſtoriæ. Ac certè ſi liber, qui nihil, niſi pietatem, ſpirat, poſt approbationem ſummi Pontificis configendus viſus ſit, quibuſdam malevolentiæ felle ſuffuſis, quis liber erit adeò ſanus, & integer, qui non poſſit tricando, & obtorquendo, quæ ſimpliciter in eo dicta ſunt, vocari in invidiam, ut auctor aſpergatur infamia? Hic fuit liber primus è Societate Jeſu in lucem publicam emiſſus, cujus fructus in plurium ad converſionem, & meliorem frugem directione quales, quantique fuerint, vix dici poteſt. In quo quidem primo viſum eſt annotatione non indignum, quod ad mutationem ſalutarem in anima inducendam orditur à quadam mutatione in corpore per abſtinentiam aliquam à ſolito potu ſaltem, à vigiliis contra ſolitum ſomnum, & à proſtrationibus corporis ſatis prolixis in ipſo tempore nocturno, quod ſciret vir Sanctus, quanti hæc momenti ſint, ut mens levet ſe ſuper ſe ad Dominum, cum manente carne in ſolita quiete, & deliciis, & quadam ſpecie apathiæ, Spiritus parum afficiatur ſolis cogitationibus, & ſola ſpeculatione nuda, ut ad ſtatum magis arduum, & perfectum adſurgat. In quo non pauci falluntur, qui quaſi aerem verberant in exercitiis ſuis, non caſtigando corpus ſuum: ſed illi potius omne commodum procurando in lecto, veſtitu, habitatione, & nutrimento. Quod obiter dictum ſit, & per tranſennam, cum magis ſpectemus controverſias Doctorum, aut, qui tales habentur, quas ſolidè, & perdoctè tractat Franciſcus Suarez Doctor nulli erudito Theologo ignotus, tom. 4. *de Religione*, tract. 3. l. 9. c. 5. ubi omnia dubia, & objectiones contra illum librum excutit, & diſſolvit. Tractat autem ibi duodecim dubia, quorum ultimum, prætermiſſis aliis, breviter attingam, cum cuique liberum ſit auctorem ipſum adire. Duodecimo, inquit, occurrere poteſt in hoc opere difficultas, quia interdum videtur nimium tribuere viribus rationis naturalis, & liberi arbitrii, interdum verò nimium motioni gratiæ. Primum intelligi poteſt ex quadam meditatione de tribus hominum claſſibus, ubi in ter-

Liber exercitiorum ſpiritualium S. Ignatii.

Mutatio in corpore cōfert admutandam mentem.

A tia dicitur quoſdam eſſe paratos ad id, quod intellexerunt majus eſſe obſequium Dei, *vel ex divino inſtinctu, vel ex rationis dictamine*. In regula 7. ad diſcernendos animæ motus dicitur cogitandum eſſe nos interim à Domino nobis ipſis probationis cauſa relinqui, ut per naturales quoque vires inſultibus inimici noſtri obſiſtamus. Et tractando de tempore electionis dicitur: *Porrò tranquillitas tunc noſcitur adeſſe, quotieſcunque anima nullis agitata variis ſpiritibus vires naturales ſuas liberè exercet.*

An nim... tribuat ... ribus nat... ræ.

Alterum autem membrum ſumi poteſt ex eodem loco, ubi dicitur: aliquando divina virtus ſic impellit voluntatem, ut omnis dubitatio, imo etiam dubitandi facultas animæ ſublata ſit, quo minus ſequatur impulſionem talem.

B Hanc difficultatem propono, non quia loca difficilia ſunt, ſed, ut occaſionem ſumam, ait, advertendi zelum, quem nunc habet Societas rectè explicandi concordiam gratiæ, cum libero arbitrio, & convenienter loquendi, & accommodatè ad reſiſtendum Luthero, aliiſque hujus temporis hæreticis, eundem fuiſſe in Patre noſtro Ignatio. Scilicet Spiritum ſpiritui Lutheri contrarium Deus illi præbuit, tanquam uni ex primariis ducibus, quos adverſus eum excitavit: unde in Regula 17. Neque prædicandæ, & inculcandæ gratiæ Dei, uſque adeò inſiſtendum fuerit, ut ſerpere interdum poſſit auditoribus lethalis error, negata liberi noſtri arbitrii facultate. De gratia ergo ipſa diffuſè loqui fas eſt, Deo aſpirante, ſed quatenùs in gloriam ejus uberiorem redundat, idque juxta modum convenientem, noſtris præſertim temporibus, tàm periculoſis, & ne liberi arbitrii uſus, & operum bonorum efficacia tollatur. Hoc ergo ipſum, quod faciendum præmonuit, uſu, & exercitio in ſuo opere obſervavit, &c. Cum ergo in 7. Regula ex eodem dicitur, *interdum probationis cauſa nos Deum ſine conſolatione relinquere*, &c. non dicitur, ut gratia excludatur ſimpliciter, ſed ſolùm quoad majorem quamdam abundantiam, nam ſtatim additur, &c. Alter etiam locus de tribus hominum claſſibus facilis eſt. Inſinuatur enim ibi duplex modus, quo movetur homo à Spiritu ſancto, quos Theologi diſtinguunt. Unus eſt per Spiritus ſancti donum, quod optimè vocat Ignatius ex divino inſtinctu, in quo homo magis agitur, quàm agat ſeſe: alius pertinet ad virtutes, in quo homo operatur per diſcurſum, & dictamen rationis non quidem ſine lumine, & auxilio ſupernaturali, ſed illis adjutus. Sic enim ex principiis fidei, & doctrinis Patrum diſcurrimus per infuſam prudentiam de agendis: & ſic ratiocinari, & eligere eſt vires, ſeu facultates naturales liberè exercere.

Spiritus Ignatii c... trarius ſ... ritui Lu... theri.

C

D

Tandem, quod in ultimo loco dicitur de divino impulſu ita efficaci, ut facultatem dubitandi auferat, pertinere credimus ad priorem modum divinæ motionis per dona Spiritus ſancti. Nam aliquando poteſt eſſe tàm efficax, ut neceſſitatem quamdam inferat, ſaltem intellectui ad judicandum, nihilominùs in voluntate manere poteſt eligendi libertas: hæc enim non aufertur per motiones gratiæ.

E In ſequentibus tractat Suarez de arte, ſeu methodo exercitiorum, probatque conſilium D. Ignatii fuiſſe optimum, & methodum ad finem intentum ſalutis animarum eſſe accommodatiſſimam.

Idem Paulus III. creatus anno 1534. conſtitutione 32. anno 1542. Judæis, & aliis infidelibus converſis bona omnia libere retinere permittit. Eiſdem concedit malè acquiſita, non extantibus perſonis certis, quibus reſtituenda venirent.

Cherubinus Scholio 1. dicit jus novum continere hanc Bullam in eo, quod decernit Judæos retinere, etiam illicitè acquiſita, quæ perſonis non notis eſſent reſtituenda. Putamus autem ex hinc confirmari poſſe opinionem aſſerentium retineri poſſe bona

Reſtitutio bonorum adeſpotorum.

bona malè acquisita ab eo, qui verum eorum Dominum ignorat. Qua de re egimus in examine pœnitentium part. 2. Sed & Paulus V. constitutione 40. Fratribus sanctissimæ Trinitatis facultatem dat condonandi captivis bona incerta per eosdem malè parta.

PIUS IV.

PIus IV. creatus anno 1559. constitutione trigesimaprima anni 1561. habita notitia, quod quidam confessarii Sacramento Pœnitentiæ in actu confessionis abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhonestos alliciendo, & provocando, sive allicere, & provocare tentando, mandat Archiepisc. Hispalensi Generali in Regnis Hispaniæ Inquisitori, ut contra eos, quamvis exemptos, inquirat, ac de eorum fide, &c.

B Cherubinus. Ligantur hac lege, si actus sit proximus confessioni ex identitate rationis. Sic Rodericus de quæst. Reg. tom. 2. q. 27. art. 1. & 2. Ligantur quoque tentantes adolescentes de vitio nefando ex majoritate rationis.

Idem Pius IV. constitutione 53. *in sublime B. Petri solio, &c.* reformat, & restringit authoritatem Summi Pœnitentiarii circa multa, ejusque officium sede vacante cessare decernit in his, quæ ad forum fori spectant.

Cherubinus ex Gomez in procem. regulæ cancellariæ in titulo de sacræ Pœnitentiæ Officialibus, quindecim Cardinales Officium illud obiisse testatur. Post ad unum redactum est.

C Idem constitutione 94. *In Principis Apostolorum sede;* gratias, & privilegia Religiosis concessa ex quavis honesta causa revocat, eorumque vigore acta, & agenda, à die, qua Concilium Tridentinum ligare cœperit, nulla esse decernit, & ita, & non aliter judicari jubet. Revocat quoque mare magnum, quod est multitudo privilegiorum.

PIUS V.

PIus V. creatus Pontifex anno 1566. constitutiones varias edidit. Hanc verò inter cæteras contra errores Michaelis Baji.

Pius Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

D Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti tàm luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quod religio Christiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidiè propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur, &c. *quæ habentur t. to. classe* 3.

Idem Papa Pius V. constit. 114. Quia acerrimæ exortæ sunt quæstiones circa B. Mariæ Virginis Conceptionem, & exinde etiam scandala, salva cuique facultate opinandi eam partem, quam magis piam, & probabilem judicaverit, prohibitionem à Sixto IV. editam, & per Concilium Tridentinum approbatam, innovat. Prohibet de dicta conceptione disputari in popularibus concionibus, aut de ea vulgari sermone scribere. Permittit tamen de ea in Academiis discutere, & Capitulis generalibus.

E Idem constit. 135. declarat, quod horas Canonicas uno, vel pluribus diebus intermittens, omnes diei illius fructus, qui verò matutinum dimidiam, qui earum singulas sextam partem illius diei admittit, fructus, vel in fabricas ipsius beneficii, vel in pauperum eleemosynas eroget.

Idem Pius V. jussit deleri ex libris Cajetani, quod do-

A cuerat, salutem competere omnibus pueris aqua carentibus, & non potentibus baptizari, quoniam Sacramentum fidei non cessavit, nec Deus obligat ad impossibile. Erant autem tria Sacramenta ante legem Mosaycam, eaque necessitatis, ut docet D. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. in resp. ad quæst. 3. ad 2. Sacramentum fidei ad deletionem peccati originalis. Sacramentum Pœnitentiæ ad deletionem actualis, & matrimonium ad multiplicationem generis humani. At fides mutatione Sacramentorum non est minuta; aliàs copiosa redemptio Christi diminuisset amplitudinem remedii ex copia inopiam faciendo. Et venit Christus, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Et Bonaventura, Okam, Gabriel, Scotus, Durandus, & alii ex divina misericordia piè credant non baptizatos propter impossibilitatem, fide, & commendatione Deo salvari. Et licèt scriptura id non dicat, ubi tamen deest expressum verbum scriptum, recurrendum est ad verbum rationis naturalis: ratio autem naturalis afflata fide sentiens de Deo in bonitate affluenti, & non in diminuta, idem adstruit. Defectus etiam aquæ, si non nocet adultis, minus videtur nocere parvulis, intra, vel extra uterum: nam applicatio fidei ex intentione, non autem aquæ salvat non potentes sibi prodesse. Et quamvis opinio Cajetani apud Alphonsum à Castro insimuletur hæresis Pelagianæ: non mihi tamen videtur, ait Thomas Campanella, in l. de *prædestin.* &cæt. cap. 12. articul. 1. tanta macula dignus, cum Pelagiani gratiam tollant, Cajetanus dilatet, etiam ad infantes sine baptismo morientes, quos S. Justinus in q. q. ad Genesim extra pœnas ponit, & multò magis Nazianzen. & Gregorius Nyssenus intra providentiam redemptoris. Respondeant, quæso, Nysseno, nihil ne pro his redemptio valuit? an non est, ait Bernardus, qui redimat, neque qui salvos faciat eos? Aut veniens Christus ad medendum omnibus, qui in Adam sunt infecti, oblitus est infantium, & frustra mentitur David dicens, *Nunquid oblivisceτur misereri Deus, & copiosa apud eum redemptio?* Unde verba Cajetani ob scandalum sunt deleta. Sed Cajetanus non est condemnatus, nec bene examinata est adhuc ejus opinio. Sed in his omnibus Ecclesiæ judicio me submitto.

Salus an sine baptismo?

Campanella favet Cajetano.

Hæc Campanella in gratiam Cajetan. Cardinalis, sed asperius contra ipsum agit Ambrosius Catharinus ejusdem instituti in libro *Annotationum*, adversus dogmata Cajetani. Novum, inquit, baptizandi ritum introducere non dubitavit, in 3. partem in commentario super Thomam. Ait enim, quod existentes in utero, & periclitantes cautè, & irreprehensibiliter benedicerentur à parentibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione baptizandi eos. Ego verò nunquam legi quemquam authoritate privata ritum aliquem novum baptizandi introduxisse. Nonne, quæso, qui baptizat, minister est Ecclesiæ? Quo modo nomine ipsius faciet, quod ipsa non jussit, quod ignorat, imò quod improbat, licèt satis sit non probasse? Augustinus non audet definire, utrum paganus possit baptizare, sed eam quæstionem, quia usum Ecclesiæ non videbat, auctoritati Concilii dimisit, & Reverendissimus noster novum ritum privata auctoritate suadet, etiam contra Doctorum, & Thomæ sensum, atque adeo ipsius Ecclesiæ, ut in c. *uteris*.

Ambrosius Catharinus contra Cajetanum.

At videamus ipsius rationes, quàm sint validæ. Prima est, quia rationabile est, quod divina providentia providerit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis. At hæc ratio aut divinam providentiam sugillat, aut supponit falsò hunc modum providendi, quem ipse affert. Videmus enim divinam providentiam jam mille quingentis annis non providisse, non per Apostolos, nec per tot Pontifices: mirum ergo, quod soli Reverendissimo servatum sit videre, & decernere. Ergo potiùs dicendum erat, judicia Dei abyssus multa. Secunda ratio est,

est, quod si est capax baptismi sanguinis, etiam fluminis, aut benedictionis videtur esse. Respondeo, falsa est sequela, & manifestè falsa, non enim baptismi fluminis est capax in utero, nec enim humanæ operationi subduntur, qui non viderunt hanc lucem: in baptismo etiam sanguinis exigitur sola infantis passio propter Christum, quam Deus videt, ac probat: cujus passionis capax est existens in utero: quod latius patet. Sic quartum baptismum benedictionis à Cajetano inventum explodit Catharinus: ac propter has, aut similes rationes jussit Pius V. deleri ex ipsius libris, quod de salute parvulorum sine baptismo aquæ morientium exaraverat, sine ulla nota ipsius, qui fuit vir acutissimus, & qui in dignitate Cardinalatus austeritatem vitæ ordinis sancti Dominici semper retinuit.

Idem Pius Quintus constitut. 118. Damnat cambia, quæ sicca nuncupantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas ire, & cambia celebrare simulent, sed litteræ cambiorum non mittuntur, vel ita mittuntur, ut inanes redeant, vel nemo est, qui in nundinis solutionem faciat receptis litteris. Vel etiam litteris minimè traditis pecunia cum interesse reposcitur, vel si in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, campsores præstitutum solutionis terminum differant aliquo lucro ex conventione recepto, vel promisso. Cambia ista usuraria esse declarat.

Multæ hìc controversiæ, sed absit, ut labyrintum cambiorum, & recambiorum ingrediamur. Solum monemus Bullam istam in multis locis non esse usu receptam.

SIXTUS V.

Sixtus V. creatus anno 1585. constitut. 7. Festum Præsentationis B. Mariæ Virginis ab antiquissimis usque temporibus ubique gentium summa cum veneratione observatam duplici officio quotannis agi jubet 21. Novembris.

Contractus societatis. Item Sixtus anno 1586. constit. 45. *detestabilis avaritiæ.* Damnat contractus societatis, quibus cavetur, ut animalia, & alias res societatis nomine tradentibus sors, seu capitale salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam sequi contingat. Vel quibus cavetur, ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, vel menses, durante societate, recipiant.

Dubitatum est, an tres contractus societatis, & assecurationis certi lucri, ac insuper capitalis hìc damnentur, non enim Bulla explicitè tres contractus hìc enuntiat. Variant hìc authores, & non paucíores post hanc Bullam hos tres contractus, appositis debitis circumstantiis, licitos jure naturali docuerunt, quàm antea, imo plures. Vide, quę diximus parte 2. examinis pœnitentium de tribus istis contractibus.

Nota pro praxi. Unum tamen advertit Angelus de Clavasio, quod utile esse potest in praxi, ut, si vidua, vel quilibet alius det mercatori in societate centum, cum intentione tamen retinendi in se periculum capitalis, solumque facit tale pactum, assecurationis capitalis, & certi lucri, scilicet, ne decipiatur à mercatore, non ut capitale pereat ipsi mercatori, si sine culpa sua periret, licitè sine usura faciet, licèt peccet, inquit, mortaliter propter mendacium perniciosum.

Matrimonia spadonum. Idem Sixtus anno 1557. constitut. 59. Declarat matrimonia spadonum utroque teste carentium invalida, itaut sic conjugati separentur. In qua constitutione novum jus non statuit, sed antiquum, & naturale declarat.

Variæ Cardin. cōgregationes. Idem constit. 94. Instituit quindecim congregationes S. R. E. Cardinalium, singulisque certa negotia assignavit.

Cherubinus Scholio 1. Declarationes congregationis octavæ, dicunturne doctrinales, vel diffinitivæ, & uti tales imponunt ne necessitatem? Resp. diffinitivę, & obligatoriæ, ut explosa cujusdam viri contraria opinione ostendit Rodericus de q. regul. tom. 1. quæstion. 11. articul. 2. & est certissimum, quia consulto Papa prodeunt, ut explicite in textu hìc habetur. Sermo est de congregatione Cardinalium pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini, quam jam institutam comprobavit hic Pontifex. Ad quæ refer, quæ aliquot in locis hujus summæ circa hæc scripsimus.

Sixtus Quintus Idem constitutionem edidit 1589. Kalendis Pontificatus anno V. *Æternus ille Cęlestium, &c.* Quam præfixit bibliis à se correctis. In qua hoc decernit, ut sequitur. Ad laudem igitur, & gloriam omnipotentis Dei, Catholicæ fidei conservationem, ac sacrosanctæ universalis Ecclesiæ utilitatem, hac nostra perpetuo valitura constitutione, de eorumdem venerabilium Fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium super Typographia Vaticana deputatorum consilio, & assensu, quorum opera, & industria, in hac ipsa vulgatæ editionis emendatione, in rebus præsertim gravioribus, usi sumus, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus eam vulgatam sacræ, tàm veteris, quàm Novi Testamenti paginæ Latinam editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, ac controversia censendam esse, hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam in universa Christiana republica, atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, eam prius quidem universali sanctæ Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum consensione, deindè verò generalis Concilii decreto, nunc demum Apostolica nobis à Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, & indubitata, in omnibus publicis, privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam esse. Districtius verò inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus novæ vulgatæ editionis posthac Bibliorum sine expressa Apostolicæ sedis licentia textus imprimatur, &c. *Biblię [...]tio.*

CONTROVERSIA.

Clemens VIII. hanc bibliorum Sixti vulgatam editionem in multis emendatam, in pluribus emendatiorem edi curavit, mutatis, additis, aut detractis aliquot verbis, aliis transpositis, nonnullis etiam apertam contrarietatem, aut contradictionem habentibus, ut patere potest in collatione utriusque bibliæ, tàm Sixti, quàm Clementis. Hinc ovantes hæretici librum Londini ediderunt anno 1600. cum hoc titulo, *Bellum Papale, sive concordia discors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem, &c. Auctore Thoma James, novi Collegii in Alma Academia Oxoniensi socio, & utriusque Academiæ in artibus Magistro.* In quo exhibet collationem utriusque bibliæ Sixti, & Clementis, ac in Epistola dedicatoria Sixtum Pontificem, ea, qua vix major esse potest, impudentia aggreditur. Sed ad reprimendam, inquit, superbiam, & retundendam blasphemiam hujus Sixti supra Deum, & omne, quod vocatur Deus, se exaltantis, non opus est aliunde accersito auxilio à Calvinistis, Lutheranis, aut Zuinglianis (sic enim per opprobrium pios appellant) satis erit, superque omnibus factum credo, si Papam cum Papa, Sixtum cum Clemente, quintum cum octavo, ignorantiam cum scientia, tenebras cum luce, antiquitatem errorum cum novitate veritatis contendere faciam. *Bellum Papale.*

Sed omissis convitiis, quibus ille Magister in artibus

bus totus tumet adversus Christi Vicarium in terris, ac venerandum Ecclesiæ universalis Doctorem. Dicendum est, Sixtum Quintum tunc approbasse editionem Bibliorum opera sua tunc emendatam, ac perpurgatam à multis erroribus, qui notariorum, ac typographorum seu ignorantia, seu temeritate irrepserant, non tanquam penitus sic consonam scripturis in suo fonte spectatis, aut sic in omnibus integram, puram, ac restitutam, ut nulla amplius accessio illi fieri posset, sed tanquam omnibus editionibus tunc factis præferendam, & in regulis fidei, & morum nunquam deviam, & tanquam talem, quæ publicè legatur, & recipiatur in usum: quæ ad scripturas in suo fonte diligenter collata, excussa, & examinata nihil contineat subdolè vel adjectum, vel immutatum. Sed non propter hoc tollitur facultas alteri Pontifici, adhibita majori diligentia, eam adhuc castigatiorem edere, immutatis semper iis, quæ ad fidem, & mores spectant, in quibus Pontifices nequaquam sibiipsis adversarii sunt. Ac sicut Gregorius Magnus antiquam, ac vulgatam Latinam editionem suo tempore comprobat simul cum nova, quia Apostolica sedes, cui præsidebat, utraque utebatur, nec metacismi collisionem, nec barbarismi confusionem devitans, quia, inquit in præfatione in Job ad Leandrum, *indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati*. Ac sicut comprobatio illa compedes non injecit Sixto Quinto, quin eamdem vulgatam editionem, exceptis Typographiæ mendis, quæ in eam plura irrepserant, magis purgatam confirmaret: sic nec Sixtus Quintus Clementem Octavum præpedivit, quin eamdem adhuc suo pristino splendori restitutam, authoritate sua magis probatam evulgaret: sicut nec ipse Clemens aliorum Pontificum, si quando id Ecclesiæ utile judicarent, diligentiam, & sedulitatem sic præoccupavit, quantumcumque Artista ille editionem ejus in contemptum Sixtianæ extollat, quin adhuc in multis eam possint emendare, intactis semper & ubique fidei, & morum regulis, ut dictum est. Nam & ad calcem Bibliorum Antverpiæ editorum anno 1618. Libellum habemus Francisci Lucæ Illustris Theologi, ac Decani Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis, continentem plures lectionum varietates ex vetustis manuscriptis exemplaribus collectas, quibus possit perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si accederet Romani Pontificis auctoritas: ac in epistola dedicatoria hujus libelli refert ex litteris Cardinalis Bellarmini, cujus opera Clemens usus fuerat in perficienda Sixti editione, ac Joannis Baptistæ Bandini præfecti Typographiæ Vaticanæ, Biblia vulgata non esse adhuc accuratissimè castigata, ac nonnulla superesse, quæ adhuc in melius mutari possent. Quæ quidem eo consilio sic dimittuntur, quo aliàs Divus Hieronymus, ut testatur in præfatione super Euangelia, in emendatione Bibliorum nonnulla reliquit imperfecta. Cùm abunde sit, quod fidei, & morum præcepta, aliaque ad salutem utilia sufficienter sint expressa, & declarata in hac vulgata editione, & si quid adhuc desiderare possit, tale est, quod meritò dicatur adiaphorum, quod non possit aliam fidem inducere, aut vivendi regulam, aut multum facere ad fidei causam, quam habet Ecclesia cum Judæis, & hæreticis. Non autem multum detrimenti infertur Ecclesiæ, si in rebus hujusmodi sibi in omnibus non consentiant, nec qui infallibilitatem Pontificum Romanorum ex Cathedra loquentium defendunt Orthodoxi, in talibus illam adstruunt, ut casso opere, jactet se ille exegisse monumentum ad perpetuam Pontificum Romanorum infamiam, quorum potius gloria illustrior erit coram Deo, & cordatis hominibus, quo magis in isto genere, in quo semper aliquid desideratur, quæ ab uno incœpta erunt, & inchoata, ab alio promovebuntur, ab alio demum absolvenda, & complenda.

Restat tamen difficultas, quo modo Sixtus, & Clemens potuerint tot immutare in Bibliis post decretum Concilii Tridentini, quo sancitur libros ipsos Bibliæ, *integros cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione lectione habentur*, &c.

Sed decretum Concilii non intelligitur de singulis vulgatæ editionis Latinæ particulis, sed cùm hæretici aliquos libros integros ex canone detraherent, aliorum, quos canonicos esse admittebant, partes tamen aliquas, tanquam additițias, & spurias substraherent, ut in libro Genesis, libris Regum, Danielis, & aliis, Concilium utique malo veluit providere suo decreto: quod proinde spectat tantum ad illas partes, quas hæretici in suis Bibliis non legunt, cùm sint tamen in antiqua editione Latina ex Hebræo, aut ex Septuaginta Interpretum versione. Sicque in nullo Sixtus, & Clemens, intendendo priori Bibliorum editioni cum magno Reipublicæ Christianæ bono nullatenus Concilio adversati sunt, quin potius ipsius mentem sequuti sunt, & sequentur, qui eidem labori debitè insistent.

Clemens Octavus, creatus anno 1592. constit. 87. anno 1602. damnat, & prohibet propositionem, qua dicitur licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere. Prohibet hanc propositionem de cætero doceri, defendi, imprimi, aut ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Cherub. Scholio 1. Quid, si quis sit inter infideles, vel in carceribus secretis. Resp. adhuc durat prohibitio, quia confessio est actus personalis; præcepit enim Dominus mundandis, ut irent, & ostenderent ora Sacerdotibus, cap. quem pœnitet. 88. de Pœnitent. dist. 1.

Idem Clemens Octavus, constitut. 63. *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia*, anathematizat juxta antiquum prædecessorum morem quoscumque hæreticos, &c. ut est in Bulla cœnæ Domini, absolutio Papæ reservatur, alii, si absolvunt, excommunicantur. Publicatio Bullæ in urbe omnes afficit, confessarii has litteras apud se habeant.

Cherubinus notat ibi Bullam hanc à multo tempore publicari solitam fuisse in diebus solemnibus, qui sunt dies quinta Hebdomadæ sanctæ, dies Ascensionis Domini, & dedicationis Basilicarum Petri, & Pauli. Itaque falli, qui revocant ad tempus Martini Quinti circa annum 1420.

CONTROVERSIA.

Agitata quoque celebris illa quæstio de auxiliis Gratiæ Divinæ, ac libero hominis arbitrio, quæ inter Dominicanos, & Jesuitas controvertebatur magnis utrimque studiis, & quæ diu nobilissima illa ingenia exercuit, factis disputationibus coram ipso summo Pontifice, & Cardinalibus sacræ Inquisitionis, ac selectis ex omnibus ordinibus Theologis. Ait Spondanus in prolusione sæculi decimiseptimi, anno 1611.

Ferunt quidam Clementem Octavum has quæstiones de auxiliis determinasse ad mentem Dominicanorum. Quod omninò falsum est; impeditus enim est & disputationum successu, & virorum magnorum consilio, & occulta Spiritus sancti inspiratione, quæ in hac occasione non defuit Vicario Christi. Et certè Cardinalis Perronius hæreticorum Galliæ malleus, cùm tunc temporis Romæ degeret, edixit illi, si quod meditabatur, definiret, curaturum se, ut Germaniæ, Galliæque hæretici decreta ipsius subscriberent, suamque doctrinam sancitam esse faterentur. Et Bellarminus Cardinalis alter, quasi spiritu prophetico ductus negavit Clementem Octavum, quod statuerat animo de præmotione Physica, unquam

Card. Perronius, & Bellarm.

definiturum. Et si definire moliretur, vitam potius deferendam, tàm certus erat gratiam efficacem non includere Physicam prædeterminationem. Quæ narrationes, cùm nihil mali contineant, magis manifestam reddunt partem illam, quæ alteri prævalere debebit in vero judicio. De quibus agitur fusius in Appendice Eugenii Philadelphi. Ut autem res ista elucidetur magis, aliqua fragmenta hujus controversiæ ex adversariis meis, nescio ex quo libro exscripta, hìc adjungam; licèt prohibuerint ultimi Pontifices, ne actis hujus controversiæ fides certa adhibeatur, cùm varia de iis, & non sibi consentientia ferantur. Unde, quæ hic exhibemus fragmenta, magis accipias velim, tanquam aliqua, quæ narrata sint, quàm quæ gesta sint indubiè.

Molina, Fonseca. Post Concilium Tridentinum, Molina, ac Fonseca proferunt in medium opinionem de scientia media. Eam tuetur Leonardus Lessius in Belgio suis scriptis orbi Christiano satis notus. In eum censuram edidit Academia Lovaniensis anno 1586. tùm Duacensis. Controversia defertur ad Sixtum Quintum, qui utrique parti silentium indicit anno 1589. Antonius de Padiglia Societatis Jesu theses pro Molina tuetur in pervigilio Sancti Thomæ. Prædicatores disputant theses esse erroneas, denunciaturque sacro Inquisitionis tribunali liber Molinæ, ut suspectus de erroribus, ejurant tamen Jesuitæ Dominicanos, ne sint Judices. Ventilatur quæstio in Academiis, ac defertur ad Clementem Octavum anno 1597. qui nominat consultores Cardinalem Madrutium, & varios Theologos, ac è Facultate Parisiensi Jacobum Boslu, & Ludovicum de Creil tunc Romæ degentes.

Consultores electi à 2. die Februarii ad 13. Martii quolibet die conveniunt. Bis verò in Hebdomada reliquo anni 1598. ac quinquaginta propositiones seligunt proponendas Summo Pontifici: ac mortuo interim Madrutio Cardinali, Gregorius Nunes ordinis Eremitarum S. Aug. delineat censuræ exemplum in librum Molinæ de Concordia ad mentem consultorum, antequam verò res ad exitum perduceretur, conqueruntur Jesuitæ se non auditos.

Iterum ergo consultores congregantur, jubente Summo Pontifice, anno 1601. Februarii 22. Gregorius de Valentia Molinæ causam suscipit, protestatus se, non ut veras, sed, ut censura minimè dignas, opiniones Molinæ tueri.

Junii die 7. examinatur vigesima quarta propositio, affirmantque scientiam mediam à Massiliensibus excogitatam fuisse ad exterminandam gratiam, &c. Sed advertendum dupliciter intelligi posse, scientiam me-

Duplex sensus scientiæ mediæ. diam. 1. Pro ea scientia, qua Deus prævidet, quid facturus esset homo ex viribus naturalibus, omni præventione gratiæ interioris denudatis. Et hæc est scientia media Massiliensium. 2. Pro ea scientia, qua Deus prævidet, quid facturus esset homo præventus auxiliis gratiæ interioris, & hæc est Orthodoxorum.

Martii 20. Pontifex statuit, ad mentem Divi Augustini, decernendum esse in his controversiis, ac in 1. congregatione sequenti, cui interfuit, consultores sententiam, negantem veras virtutes fuisse in infidelibus Augustini doctrinæ conformem cum Lemos dixerunt.

Die altera examinatur hæc propositio: Potest homo viribus naturæ assentiri revelatis, hancque Summus Pontifex blasphemam, hæreticam, & Ecclesiæ perturbatricem dixit.

Augusti sexta in congregatione sexta actum est, an possit homo lapsus elicere naturaliter contritionem, & in septima conclusum est negativè.

Septembris die 30. tractatur, utrum detur lex dandi infallibiliter gratiam facienti, quod in se est. Tuncque animi deliquio concidit Valentia, & advectus Neapolim moritur: ac in duodecima congregatione dictum est, non dari hujusmodi legem.

Ab hac congregatione ad trigesimam tertiam disputat P. Arrubal, quo invalidato, disputat pro eo P. Vastida. Hic rursus duplex sensus; scilicet de faciente, quod in se est ex solis viribus naturæ, & de faciente, quod in se est ex viribus naturæ præventis gratiæ interioris auxilio.

Novembris 18. in trigesima tertia congregatione actum est, utrum Liberum Arbitrium, & gratia sint duæ causæ partiales boni operis, ac in trigesima sexta Novembris 19. conclusum est nagativè.

In congregatione sexagesima concluserunt consultores scientiam mediam esse Pelagianam, & Semipelagianorum fundamentum. Observa distinctionem præmissam. Et, licèt significaverit Molina in libro suo de *Concordia*, si ratio conciliandæ humanæ libertatis cum divina gratia, quæ petitur ex usu scientiæ mediæ, ita semper fuisset exposita distinctè, ac à se exposita fuit, inde juvari potuisse, qui olim contra Pelagianos, & nuper contra Lutheranos pugnaverunt, hoc nec Divo Augustino, nec Concilio Tridentino injuriosum ab aliquibus ritè censetur. Quid enim vetat quidpiam subinde retegi, quod erat quidem traditum prius, sed non tantopere enucleatum, ut aliquid lucis afferatur iis, quæ à sanctis Patribus tradita sunt? quidni crescat in Ecclesia splendor?

Anno 1605. Januarii 4. in sexagesima quinta congregatione conclusum, dari in Deo decretum antecedens omnem liberi consensus prævisionem, ex Augustino.

In sexagesima septima, Januarii 22. præsente Cardinali Perronio disputatum est, utrum bonus usus auxiliorum Divinæ Gratiæ sit ab ipsa gratia, ac in sexagesima octava congregatione affirmativam, ut veram ex Augustino consultores determinaverunt. Sed non explicatur, an usus ille esset totaliter à gratia, nec expresè distinguitur de principali, ac minus principali causa.

Post hanc mortuus est Clemens Octavus, cui meditanti censuram edere, dixerat Bellarminus, ut est in ejus vita: Non hoc faciet sanctitas vestra, & iterum, & si tentat exequi, prius diem obibit.

Mortuo Clemente, in conclavi juratum est, quod futurus Pontifex intra annum his controversiis finem imponeret, electusque est Leo Undecimus, quo brevi moriente, suffectus est Paulus Quintus, sub quo prædicto anno 1605. Septembris 20. quæsitum, utrum gratia efficaciam habeat ex omnipotentia Dei, & supremo dominio. Ostensum est autem à Patre Lemos, & in congregatione sequenti conclusum à consultoribus, eam esse Augustini mentem.

In quarta congregatione sub eodem Paulo Quinto Octobris 10. disputatum utrum omni Deus activè, propriè, nedum moraliter moveat sua gratia liberum arbitrium, & an hoc dato debeat illa gratia dici prædeterminatio Physica. Instante P. Vastida, disputatio protrahitur, & concluditur, Deum activè propriè movere. Atque hìc intermissæ disputationes.

Atque in his, quamvis multa capita illius doctrinæ, quæ Molinæ tribuebatur contraria Divo Augustino censuerint consultores, nihil tamen judicialiter concluserunt, aut decreverunt tunc temporis circa ista capita Summi Pontifices: quid autem definituri essent, post ventilatas hujusmodi quæstiones, quis certo divinare poterit? aliud certè consultatio, aliud finalis definitio, ac judicium est.

Advertit porrò Lessius in disputatione Apologetica de gratia efficaci, &c. cap. 1. Multa imposita fuisse Molinæ contra ipsius mentem in tractatibus contra ipsum editis, eo fine, ut damnaretur ejus liber. *Molinæ multa imponuntur.*

1. Error est Gallorum, nempe liberum arbitrium prævenire gratiam Dei, & solis naturæ viribus debere incipere opus bonum, ut opere incœpto, gratia adju-

adjuvet. Cujus contrarium docet Molina in concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 41.

2. Est liberum arbitrium facere unam partem operis boni Dei, gratiam alteram. Contrarium tenet Molina in concordia quæst. 14. art. 113. disp. 37. ubi expresse docet, totum opus esse à Deo, & totum à libero arbitrio, & totum à gratia præveniente.

3. Liberum arbitrium prius natura operari bonum opus, quàm gratia cooperetur. Contrarium docet Molina quæst. 14. art. 13. disp. 41.

4. Auxilium præveniens non esse efficiens, seu physicum, sed morale, quod sumit efficaciam ex parte motionis objecti, & præscientiæ divinæ. Contrarium fusè docet Molina disp. 40. & 41.

5. Nullam Theologos societatis reipsa motioni Divinæ gratiæ efficaciam tribuere. Docet contrarium in concord a disp. 40. & 41. ubi ostendit opus esse supernaturale ex influxu gratiæ.

6. Eosdem Theologos aliquid tribuere voluntati ex sola naturæ virtute, quo se discernit. Contrarium docet quæst. 14. art. 13. disp. 49.

7. Quod homo pro sua innata libertate bonum elegit, priusquam à Deo trahatur electus. Contrarium docet quæst. 14. art. 13. disp. 8. & 9. concordiæ.

8. Consensum nostræ voluntatis in bonum ex vi naturæ elicitum prævenire gratiam. Contrarium docet ibidem Molina.

Hæc, & similia, dum tribuuntur Molinæ, quasi ea expresse docuerit, aut ex ejus assertionibus evidentissimè sequantur, statuitur à quibusdam gratia efficax per se prædeterminans liberum arbitrium. Unde nata quæstio primaria, utrum ad conversionem peccatoris, seu ad consensum, quo gratiæ vocanti consentit, requiratur quædam Dei motio, & impulsus natura sua efficax, qui voluntatem humanam ad consensum physicè prædeterminet, quem habere non sit in ejus potestate, & cui præsenti non possit resistere. Idem quæritur de omnibus operibus bonis, utrum ad singulos actus requiratur idem impulsus.

Sed, dum punctum difficultatis directè non attingitur, multæ quæstiones collaterales agitantur, quibus res ista obscuratur, & sine fine disputatur, non benè, & ex bona fide statu controversiæ proposito, sed obscurè, & cum verbis ambiguis, ac diversorum sensuum. Interim multi censorum munus sibi arrogant, qui rem, de qua agitur, satis perspectam non habent, nec ipsam intimè, ac penitissimè, ut decet, pervadunt. Prius enim, quàm judicium de causa feras, temperandum est ab affectibus, & ejus discussioni, ac introspectioni diligenter insistendum, ut de scriptoris mente non ex plagulis aliquot detruncatis, sed ex textura totius scriptionis pronunties, ne in perversitatem calumniandi scripta aliena incurras. Nec desunt, qui prædeterminationem physicam mordicus se defendere protestentur, ne à Divo Thoma alieni habeantur; sed eam ita explicant, ut reipsa à gratia sufficienti non differat. Quibus consulendum esset, ut, sensu retento, verba mutarent, alia enim est notio communis prædeterminationis illius.

Paulus Quintus anno 1611. ad sopiendas controversias de auxiliis, constitutionem edit, qua prohibet, ne de auxiliis scribatur, inconsulto Summo Pontifice, seu generali Inquisitore. Quam constitutionem renovavit in alia generali congregatione dictæ sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Urbanus Octavus die 22. Maji, anno Domini 1625. donec aliud in hac materia à Sede Apostolica foret ordinatum.

Hanc constitutionem Pauli Quinti ita refert Episcopus Appamiensis Spondanus continuator, & abbreviator Baronii in Prolusione ad sæculum decimumseptimum, an. 1606. Paulus Quintus Pont. Rom. disputationes de gravi illa, ac molesta controversia de gratiæ auxiliis, & libero arbitrio, quam inter religiosos prædicatores, & Societatis Jesu, sub Clemente agitatam, innuimus, quibus ipse Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis semper interfuerat, conticescere jussit: sanxitque postmodum, ut utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in Scholis modestè tueri, sed sine damnatione alterius partis.

Idem Paulus Quintus Copernici opinionem de motu terræ, & immobilitate cœli damnavit, occasione Epistolæ cujusdam Patris Carmelitæ Neapoli impressæ anno 1605. qua istam opinionem à multis recipi apparebat; in qua dictus Pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ consonam esse veritati, & non adversari Scripturæ sacræ. Ideò, ne hujusmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de revolutionibus orbium, & Didacum Astuviæ in Job, suspendendos esse, donec corrigantur. Librum verò P. Pauli Fascarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros idem pariter docentes prohibendos, prout in præsenti decreto omnes prohibet, damnat, atque suspendit, &c. De quo vide Mersennium in Genesim cap. 1. vers. 10. Mendosam in Viridario lib. 4. problem. 45. sic refert Dominicus à S. Trinitate Carmelita Biblioth. Theol. tom. 3. lib. 3. sect. 7. cap. 8. ubi Paulus Quintus vocat falsam illam doctrinam Pythagoricam, divinæque Scripturæ omninò adversantem. *Copernici opinio damnatur.*

URBANUS VIII.

URbanus Octavus decretum edit anno 1625. seu ex ejus auctoritate sacra Congregatio, quo prohibet acceptionem plurium stipendiorum pro una missa, cum onere restituendi. *Missæ stipendium.*

Ratio hujus decreti fuit, quod multi Theologi apertè docerent, Sacrificium Missæ, cùm esset infiniti pretii, oblatum pro multis, tantum prodesse singulis, ac si pro uno oblatum esset: ac sicuti lumen solis non minus illuminat singulos, cùm multos simul illuminat. Unde quidam non verebantur plura stipendia à pluribus recipere, & iis unius Missæ celebratione putabant se satisfacere, nec cuiquam propterea injustitiam, aut injuriam facere. Sed de fructu hujus sacrificii diximus in supplem. Theolog. affect. disput. 4. quæst. 5. §. 12. non posse satis determinari, inconsulto primo offerente Christo, ex cujus nutu pendet maximè, quantum quisque est accepturus. Attamen placet aliis aliunde rem istam aliter definire. Oblatum nominatim pro pluribus, æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur, juxta cujuslibet dispositionem. Ita P. Philippus à S. Trinitate de Eucharist. Sacrament. disput. 8. dub. 6. quod docet Cajetanus quæst. 79. art. 5. Petrus Soto lect. 7. de Eucharistia, & Vasquez ad eamdem quæst. 79. aliàs sequerentur duo inconvenientia.

Primò, quòd Sacrificium Missæ magis prodesset alicui, cùm adesset solus, quàm si adessent alii.

Secundò, quod Sacrificium Missæ minus prodesset animabus Purgatorii, quando adessent multæ.

Hanc difficultatem latius discutit Fabritius Pignatelus in monte propitiatorio, quæst. 10. &c. Tenet autem taxationem stipendii factam esse ab Ecclesia, non tanquam pretium operis, nulla est enim proportio inter fructum Missæ, & stipendium solitum, & esset evidens simonia, sed factam esse propter sustentationem operantis, quia ex naturali lege, qui deservit alicui, aut in ejus ministerio occupatur, debet ab eo ali, & sustentari, in quo nulla fit injuria rei spirituali, sed subvenitur humanæ infirmitati, quia minister sine alimento vivere nullo modo potest. Quod explicat Cardinalis de Lugo disputat. 21. de Eucharist, sect. 1. exemplo pictoris, qui ex voto non pos-

posset vendere suas operas, sed teneretur gratis depingere in obsequium alicujus Ecclesiæ. Qui pictor nihil censeretur contra votum facere, si peteret ab Ecclesia certum alimentum, quo indigeret, nec desineret propterea gratis opus suum fecisse, quia omnia necessaria ad sustentationem pictoris computantur inter sumptus necessarios ad picturam. Sic sustentatio, quia necessaria est ad sacrificium, illa non impedit, quin Sacerdos gratis celebrasse dicatur, accepto pro ipsa stipendio. Cùm autem unica sustentatio sufficiat ad sacrificium, sive pro uno, sive pro multis offeratur, hinc prohibetur acceptio duplicis stipendii, non autem ob illam rationem, quod minor fructus inesset singulis, si pro pluribus celebraretur.

B Improbandum autem, quod exinde colligit idem P. Philippus, Sacerdotem non habentem aliunde, unde sibi subveniat ad vivendum juxta suum statum absque indecentia, posse accipere plura stipendia pro una Missa. Aliqui etiam probabiliter, inquit, & piè hoc extendunt ad sustentationem Patris, & Matris ipsius, quando aliàs cogerentur mendicare: Item ad emendos aliquos libros idoneos ministerio ipsius valde utili Ecclesiæ. Quam igitur necessarium Urbani Octavi decretum ad compescendas tales ratiocinationes. Namque possent alii etiam ulterius extendere ad alias expensas pro necessitate, & decentia cujusque celebrantis. Non est autem verum deberi integram sustentationem pro parvo labore unius missæ. Id verum est pro ipso Pastore.

Festum Dei Patris.

C Idem Urbanus Octavus anno 1628. Aprilis 8. Missam de Patre æterno recens causam à quodam pio damnavit, & usurpari deinceps vetuit.

Hinc conjici potest, quid sentiendum de institutione Festi in honorem specialem Dei Patris, quam institutionem promovere satagebat, non nemo tanquam opus valdè pium, nec minus decens, quàm Festum Spiritus Sancti in Pentecoste, aut Filii in Ascensione. Hanc devotionem examinat Theophilus Raynaudus in libro Heteroclitorum spiritualium sect. 1. puncto 1. super quo quatuor pronuntiat.

» 1. Cultus Dei Patris specialis eo modo, quo aliis SS. Trinitatis personis tribuitur, nihil ex propria intentione referendo ad alias personas, nihil vitii continet, sed pius est, & sanctus.

D 2. Ecclesia nullo Dei Patris Festo instituendo hactenus, non cæcutit, nec sperandum, aut optandum, ut ei excutiantur squammæ, & visum recipiat, ut dicebat ille pius.

3. Quæ ad persuadendam inductionem specialis Festi in honorem Dei Patris, exigui omninò videntur momenti. Nam nec speciale fit Festum Filii, aut Spiritus Sancti, cùm id ad totam Trinitatem referatur, aut ad humanitatem Christi. Et communi voluntate omnium personarum omnia nobis obtingunt Dei beneficia.

E 4. Etsi verò tale Festum cum debitis circumstantiis institutum non possit non esse Deo gratum, tale tamen Festum prudenter Ecclesia non induxit. Neque enim necesse est, quicquid sanctè susciperetur, præcipi ab Ecclesia Festivo, & publico ritu. Quot enim alia postea suscipienda forent? cùm aliunde ex illis Festis populus in aliquem errorem induci posset.

Urbanus Octavus anno 1643. die 28. Junii constitutionem edidit *in eminenti Eccles.* contra librum Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi, cui nomen, *Augustinus*, aliosque libros plures occasione illius libri editos. Insertisque in ea constitutione Bullis contra Bajum Pii Quinti, ac Pauli Quinti supra dictis, sic loquitur. Cùm autem ex diligenti, ac matura ejusdem libri, cui titulus, *Augustinus*, lectione, postmodum compertum fuerit in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis

A contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; Nos huic malo in scandalum totius reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutiones Gregorii, ac Pauli prædecessorum nostrorum, necnon decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura constitutione ejusdem Pii, & Gregorii prædecessorum hujusmodi, constitutiones prædictas, omniaque, & singula in iis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus est, *Augustinus*, articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut à nobis compertum est, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præsentibus nostris litteris subinserta, quæ aliis sub posteriori decreto nostro prædicto registratis, per præsentes addimus, atque adjungimus, eadem authoritate per præsentes omninò prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus, &c.

Hanc Bullam per Nuntium Parisiis tunc commorantem misit ad Archiepiscopos, Episcopos, & universitates Galliæ Innocentius Decimus anno 1645. cùm magna ferveret contentio propter istum larvatum Augustinum, qui suos defensores plurimos nactus fuerat, unde postea aliæ constitutiones emanarunt super quinque propositionibus ex ejusdem Libri Doctrina excerptis, de quibus diximus non pauca in controversiis Concilii Tridentini, quæ hìc repetere tædiosum esset, cùm in tertia classe hujus Summæ videri possint. Ac jam, licèt difficulter, ut præsagiebat ipse libri auctor in testamento, aliquid mutatum, ac castigatum sit in ipso libro per Romanam sedem, cui obedientem se esse filium, ut Catholicum decet, moriendo testatus sit, & ipsius exemplum, non expectato mortis articulo, piè sequuti sint, qui prius causam ejus agere videbantur, est autem hoc extractum testamenti.

Copia testamenti perillustris, ac Reverendissimi Domini Cornelii Jansenii Episc. Yprensis, ab ipso dictati vix media hora ante mortem.

EGo Cornelius, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Yprensis, de mea libera voluntate do, & dono omnia mea scripta ad explicationem sancti Augustini spectantia, Capellano meo Reginaldo Lamæo, partim quia magno labore ea scripsit, vel dictavit, partim quia sine originali copia corrigi non potest. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris magnifico Domino Caleno, Liberto Fromondo, & Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechliniensi conferat, & disponat de editione quàm fidelissimè: sentio enim difficulter aliquid mutari posse. Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. Actum sexta Maji 1638. infrascriptum erat: *Cornelius Jansenius Yprensis*, & impressum sigillum ejusdem. Ita testor Henricus Calenus.

Scilicet Re. Episcopus magnam existimationem habebat de judicio Summi Pontificis in rebus fidei definiendis, & docenda vera fide, ut patet ex ipsius commentariis in caput Lucæ 22. versu 32. juxta mentem D. Leonis sermone 1. de Assumptione sua ad Pontificatum, & Divum Bernardum epist. 19. ad Innocentium.

Idem Innocentius Papa Decimus, feria quinta, die 24. Januarii 1647. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita, cùm editi fuis-

fuissent in Gallia quidam libri, quibus docebatur hæc propositio: *S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ summi pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt*; hanc propositionem ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine Universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit. Libros verò prædictos, in quibus propositio, ut supra, explicata, & damnata, asseritur, & defenditur, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti decreto damnat, & prohibet.

Nota, sanctos Patres expressè asserere subjectionem Divi Pauli ad sanctum Petrum. Tertullian. lib. de Præscrip. sub finem ad illum locum ad Galatas 1. *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, ait: Ascendit videre Petrum ex officio, & jure. Divus Joannes Chrysostomus hom. 87. in Joannem. Quia os Apostolorum Petrus erat, princeps, & vertex ipsius cœtus: propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis. Theodoretus in eumdem ad Galatas locum. Cùm humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset, Apostolorum principi, quem par est, honorem tribuit. Theophilactus ibid. Honorans eum, seu majorem. Oecumenius: Post tantos, tantosque agens pergit ad Petrum, tanquam majorem visurus. Simile habent commentarii sub nomine Divi Ambrosii, & Divi Hieronymi evulgati, cujuscunque illi sint.

Etsi verò dicat Paulus in eadem Epistola se fuisse Apostolum constitutum, non ab hominibus, sed per Christum: sed neque se à quoquam alio Euangelium didicisse; hoc non impedit, quin ita à Christo constitutus sit, & edoctus, cum subordinatione ad Divum Petrum, sicut & cæteri Apostoli: quare & ad illud prædicandum ascendit ad Petrum, ut ab ipso approbaretur, ut observat Divus Hieronymus epist. 11. ad Divum Augustinum: non enim aliter Ecclesia fidem illi adhibuisset. Item, quod ad Galatas 2. dicitur Divum Paulum in faciem restitisse Divo Petro, quod non simulatè, ut vult Divus Hieronymus, sed ex animo, ut vult Divus Augustinus in reciprocis Epistolis, hoc non magis arguit Paulum æqualem, aut superiorem fuisse Divo Petro, quàm fuerit Nathan respectu David, cùm eum arguit. Quia reprehensio ista non fuit juridica, & ex auctoritate, sed fraterna correctio ex charitate.

Quare multi scripserunt contra dictam propositionem. Magister Lezana in Consultis variis, consulto ultimo, *de singularissimo Divi Petri papatu*. Theophylus Raynaudus, *de bicipiti Ecclesia*, &c. Augustinus de Bellis, *de absoluta Divi Petri Monarchia, qua solus Ecclesiam aurigavit*. Antoninus Diana ad calcem tomi 9. tractatum ea de re edidit. Item Dominicus à S. Trinitate Carmelita exalceatus Bibliothecæ Theologicæ lib. 3. sect. 4. cap. 3. ea de re quæstionem instituit. Et ante hos omnes Doctor Periretus professus Theologiæ in Regia Navarra Parisiis, in suis prælectionibus solvit omnes difficultates in prædictis libris damnatis contentas. Quæ prælectiones, etsi typis non sint editæ, theses tamen Theologicæ tunc temporis, me præside, propugnatæ sunt in eadem Regia Navarra pro majori Ordinaria, ad ipsarum prælectionum defensionem.

Quæ causa sequentis Constitutionis.

Epi- Gal- In- X. INitio anni 1653. Summus Pontifex Innocentius Decimus perhumaniter accepta epistola plusquam 80. Galliæ Episcoporum, qua illum precabantur, ut clarè, distinctèque definiret, quid sentiendum esset de quinque propositionibus, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior erat, ipsas quinque propositiones examinandas primum dedit congregationi sanctæ, & generalis Inquisitionis, ut audita ejus relatione sententiam pronunciaret, ut clara, firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia caliginem omnem discuteret, animos fluctuantes componeret, dissidia prohiberet, ac Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restitueret, prout in eadem epistola Antistitum Galliæ continebatur, in qua etiam dicebant, quòd tales motus ob librum posthumum Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi excitatos, *sedari oportebat authoritate Concilii Tridentini*, ut ex hinc videri posset, quæ fuerit ejusdem Concilii doctrina circa istas difficultates.

Porrò cùm lex silentii utrique parti imposita minimè apta videretur in contradictione, quæ ad schisma tendebat, cùm Jansenii Asseclæ pelagianam dicerent dissidentium doctrinam: hi verò ipsorum potius erroneam esse, & majori ex parte à Concilio Tridentino damnatam, talesque essent illæ propositiones, de quibus, si loqui vetitum esset, maxima, & saluberrima materia sermonum paræneticorum substraheretur, cùm nec ad mandata adimplenda, si essent impossibilia, benè quis hortari posset, nec ad benè eligendum, si liberum arbitrium necessariò agit, nec ad compunctionem de contempta Dei gratia, si nunquam illi resistitur, nec ad rependendum Christo debitum amorem, si incertum sit, de cujus salute cogitaverit: Ideò cùm omninò statutum esset apud sedem Apostolicam responsum non denegare, post aliquot menses, in eodem anno emanavit Bulla Innocentii Decimi, seu Constitutio, qua post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Deo Patri enixè porrectas, ut ipsemet loquitur in epistola ad Episcopos Galliæ, sub data 31. mensis Maji 1653. quid sentiendum esset de propositionibus declaravit. Et cùm Kalendis Augusti, per tumultum damnatio harum propositionum impedita fuisset, iisdem post quatuor annos Augusti Kalendas, damnatio earumdem propositionum per Innoc. X. promulgata in eadem est facultate, quæ illam cum debita reverentia suscepit, & in acta retulit. Est autem Constitutio illa sequentis tenoris.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò præfatarum Propositionum est, prout sequitur:

PRima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc errant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

NOs, quibus inter multiplices curas, quæ animum A nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex Alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut suprà nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tùm voce, tùm scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus. B

Cùm autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicitè implorata sancti Spiritus assistentia, tandem, Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & ut talem damnamus.*

Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ C numquam resistitur: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: *falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; *falsam, temerariam, scandalosam*: D & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit; *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœ- E nas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalen. Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

H. Datarius.

G. Gualterius.

P. Ciampinus.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus sancti in Christo Patris, & Domini nostri D. Innocentii divina Providentia Papæ X. anno nono, die verò nona mensis Junii, supradicta constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesiæ Lateran. ac Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Marcellam, sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum P. *Paulus Desiderius* Cursor.

Quid gestum post Constitutionem Innocentii X.

ATque hujus Constitutionis promulgatione non errore correcto, sed dolore dissimulato, dixisses illud Apocalyp. cap. 8. impletum. *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in Cœlo, quasi media hora.* Quod non ineptè quidam adaptant decreto Summi Pontificis in rebus fidei (ut Michael Arelatensis in Apocalyp.) cui omnes consentiunt, & quiescunt, scientes Christum pro Divo Petro rogasse Luc. 22. ut non deficeret fides ejus. Quod confirmat silentium Judæorum, Act. 11. qui, audita ratione Divi Petri de Baptismo gentilibus collato, *omnes tacuerunt.* Verumtamen, elapsis aliquot mensibus, cœperunt variis dicteriis, & scriptionibus adversus illam reclamare, prætenderuntque nullius esse roboris pluribus ex capitibus, quæ discutere præsentis non est instituti. Id præstitit P. Annatus in pluribus libris, maximè in eo, quem pronotavit: *Cavilli Jansenianorum contra latam in ipsos à sede Apostolica sententiam, seu confutatio libelli trium columnarum, & aliarum conjecturarum, queis Janseniani obtinere conantur, ut non videantur esse damnati.* Parisiis anno 1654. erat libellus ille trium columnarum ab ipsis oblatus Innocent. X. Romæ 19. Maji 1653. paucis diebus, antequam, præmisso diligenti examine de quinque propositionibus, ex Cathedra sententiam ferret, ac continebat quindecim propositiones, ut jam dictum est classe Tertia, cùm unicuique ex quinque dictis propositionibus tres sensus totidem propositionibus expressis affingerent, primum Calvini, & Lutheri, secundum sibi proprium, & à seipsis intentum conformem Orthodoxæ doctrinæ, ut prætendebant, tertium Molinæ ad Pelagianos proximè accedentem, ut sic veritas ab ipsis putata, & talis existimata inter duos errores, sicuti Christus ipsa veritas inter duos latrones, agnosceretur; cùmque peterent à Summo Pontifice, ut de iis propositionibus judicium ferret, cùm esset in procinctu ad judicandum de quinque propositionibus, prout à Clero Gallicano sibi exhibitæ fuerant, ac de quibus orta erat controversia (erant autem aliæ istæ propositiones ab ipsis oblatæ, nec eumdem sensum reddebant, sed in pluribus contrarium) à proposito sibi judicio non destitit, sicut æquum est judices agere, cùm, dispositis omnibus, ad judicandum, servatisque omnibus justitiæ modis, litigantes novorum libellorum supplicum exhibitione nituntur judicium interpolare in ipso limine judicii.

Sed ab hoc conatu dejecti, ad alia media sibi confugiendum rati sunt, ac plus ultra illas columnas ad suspendendum judicium Innocentii Decimi dispositas, propter rei novitatem sibi progrediendum putarunt, licèt ad mare magis procellosum provecti, brevi naufragium passi fuerint per censuram facultatis Parisiensis ann. 1656. qua vindicata, & asserta est Bulla Innocent. X. præsente ex parte Regis Christianissimi Illustrissimo Galliæ Cancellario Seguerio, magnarum virtutum viro, ad servandam suffragiorum libertatem contra varias molitiones, & tumultus, quibus impedita fuissent, nisi ex auctoritate ordinem

dinem legitimum, ſicut & durationem temporis unicuique præfixi ad loquendum, quod tranſgredi non liceret, adhibita ad hoc arenaria clepſydra, præfixiſſet, ac ſic damnata eſt illa epiſtola, quæ aſſerebat D. Petro gratiam defuiſſe, cùm Chriſtum negavit, necnon propoſitiones damnatas ab Innocentio in libro, cui nomen, *Auguſtinus*, non reperiri. Etſi verò propoſitiones damnarentur à ſe, ubicumque reperirentur, cùm id ad quæſtionem facti pertineret, in qua Eccleſia errare poſſet, neminem de hæreſi damnari poſſe ob id, quod negaret aliquas propoſitiones non legi in certo libro. Quare dimiſſa controverſia de quinta propoſitione, quoad earum ſubſtantiam, ut videbatur in ſpecie, agebatur de quæſtione facti; ſicque ſimplices in errore detinebantur, quaſi Innocentius Decimus in umbram aliquam decreviſſet. Ideò ſequuta eſt alia conſtitutio Alexandri Septimi.

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD ſacram B. Petri Sedem, & univerſalis Eccleſiæ regimen inſcrutabili divinæ Providentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm, ut ſanctæ fidei noſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati, tradita nobis à Deo poteſtate, opportunè conſuleremus. Ac, licèt ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita, novæ deciſionis, ſeu declarationis acceſſione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores, illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latiùs divagetur, promptum Apoſtolicæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanavit ſiquidem aliàs à fel. recordationis Innocentio PP. X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui ſequitur, videlicet: Innocentius Epiſcopus ſervus Servorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus, Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor verò prædictarum Propoſitionum eſt, prout ſequitur, &c. *ut habetur ſupra, in conſtitutione Innocentii.*

Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant; ex debito noſtri Paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, declarationem, & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas Propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptas, ac

A in ſenſu ab eodem Cornelio intento, damnatas fuiſſe declaramus, & definimus; &, uti tales, unaquaque ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſupradicti Cornelii Janſenii, cui titulus, Auguſtinus, omneſque alios tàm manuſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſupra damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris B contra hæreticos in jure expreſſis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam Innocentii prædeceſſoris Conſtitutionem, declarationem, & definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris, & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimoſexto, 17. Kalend. C Novembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Sensus Janſenii damnatus.

Jac. Cardinalis Prodatarius.

Viſa de Curia P. Ciampinus.

G. Gualterius.

A tergo. *In Nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi, anno ejus ſecundo, die verò ſeptima menſis Novembris, retroſcriptæ litteræ ſub plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me P. Paulum de Graſſis Apoſtolicum Curſorem. Pro D. Magiſtro Curſorum Jacobus Cornelius Curſor.* D

Supradictam copiam relationis Curſoris, quam ex ſuo publico ſumpto extraxi, & tranſumptavi, & ſic extractam, & tranſumptatam, de verbo ad verbum collationavi, & in omnibus cum ſupradicto ſumpto concordare atteſtor, & fidem facio. Datum Pariſiis hac die 3. menſis Martii 1657. Ego Bartholomæus de Comitibus Protonotarius Apoſtolicus.

Atque talis Alexandri Septimi conſtitutio, qua etiam indignationem ſuam paternam teſtabatur, ſufficere debebat ad finiendam omnem controverſiam inter eos, qui non niſi unicam fidem, unicam Eccleſiam Catho- E licam, & Apoſtolicam, & non niſi unicum in ea ſupremum Paſtorem, Chriſti Vicarium, cui omnes ſubeſſe debent Chriſtiani, verè agnoſcunt, & confitentur. Sed, ut ſunt technæ innumerabiles hominum, aliud tunc ſtratagema inventum eſt ad diſtrahendum in varias partes Theologos, & omnes, qui conſtitutionibus Innocentii, & Alexandri cum debita obedientia parebant. Renovatum eſt ſcilicet aliud bellum jam antea identidem repetitum adverſus Theologiam Moralem Summiſtarum, Caſuitas dicunt, necnon graviſſimos pleroſque Theologos tàm ex antiquis, quàm ex modernis, qui quæſtiones de moribus definierant. Eximium quoddam Talionis genus viſum iis, qui arguebantur, arguere de minimè ſana doctrina in moribus arguentes ſe de

Quid geſtum poſt Alexandri conſtitutionem.

Commotio adverſus Caſuitas à Calviniſtis orta.

de fidei erratis. Quem autem exitum habuerit istud bellum spirituale, aperiemus, cum illius prima initia à Calvinistis deprehenderimus. Nam ut primam illius originem attingamus ab hæreticis maximè Calvinistis, sicut à Lutheranis repetenda, qui ex quatuor maximè Deo odibiles se reddiderunt. 1. Quod nulli umquam hæretici Hierarchiam Ecclesiæ ita impugnarunt, ac in partes dilacerare conati sunt. 2. Quod nulli umquam hæretici universam Ecclesiæ traditionem, ut illi rejecerunt, & erroris damnaverunt. 3. Nulli umquam tot hæreses conjunctim in Ecclesiam coacervarunt, ut potius censendi sint Apostatæ, quàm hæretici. 4. Nulli umquam tot dogmatibus spurcam carnis libertatem stabilierunt, & ad peccata quælibet sine metu judicii divini, si unum infidelitatis peccatum excipias, perpetranda induxerunt homines: ea quippe docent de Dei providentia, ac regimine super homines, quæ mentes eorum valde corrumpunt, & ad peccatum quodvis alliciunt, cum ex talium persuasione, & ductu actiones suas dirigere, ac componere moliuntur. Inde est, quod ipsis exprobratum sæpius à Catholicis eorum doctrinam libertati carnis patrocinari, & laxare conscientias ad quælibet flagitia, cum dicunt unam fidem satis esse ad justitiam, opera virtutum meritoria non esse, legem naturæ observatu impossibilem, Deum necessitatem actibus humanis imponere, &c.

4. Mala Calvinistarum.

Ut autem ab hoc improperio se liberarent, recriminando dixerunt, id potius convenire Theologis moralibus Ecclesiæ Catholicæ, & Romanæ, qui multa resolvunt esse licita inter casus conscientiæ, ut ipsi potius peccatoribus flagitiosis adulari viderentur, dum pleraſque ipsorum actiones in speciem turpes, & legi divinæ contrarias à peccato excusant. Inde inquisierunt in ipsorum libros, & indiculos texuerunt propositionum hujusmodi peccato patrocinantium, ut putarunt. Initium fecerunt ab insigni volumine Thomæ Sanchez, & quicquid in eo eximium est prætermittentes, dubia illa, quæ de debito matrimonii apud alios tractantur, impunè in catalogum suum concluserunt cum ipsius ad ea dubia resolutionibus. De quo indiculo meminit obiter Servinus Advocatus Regius in parlamento Parisiensi in una disertarum illarum orationum, quas in eodem Parlamento habuit. Ludimagister Bernensis Christophorus Luthardus petulanter admodum illud ipsum volumen impetit, non obstante confirmatissima ejus eruditione, & utilitate ipsis perspecta, qui sunt de salute, & puritate animarum solliciti, cui simile opus vix sperari potest intra quingentos annos à quoquam scriptore æque doctum in lucem emittendum: & licet quędam de materia fœdorum actuum tangat, turpior tamen est infernus: & si fœdus est sermo, fœdius est in peccato putrescere, ut Petrus Blesensis ajebat tractatu de confessione: Ille auctor medicus est animarum, qui aliquas spurcitias movet, sed ad ægrotantium curationem. Si Angeli essent homines, talibus non indigerent. Facto autem initio à Thoma Sanchez, progressi sunt ulterius, quibus etiam alii in fide sani se adjunxerunt sub prætextu reformandi laxiorem vitam hominum. Unde plures indiculi alii postea. Nec ulla ratio habita est Causitarum in eamdem sententiam conspirantium, & plurium, ac ingentium voluminum, quæ hoc sæculo prodierant. Nam in toto sæculorum quindecim decursu non munerari plusquam duodecim Casuitas, cum res admodum lubrica sit de conscientia, & de distinctione venialium à mortalibus disputare: Nunc verò, ut conquerebantur, casuitarum nubem exortam esse, qui tanquam Ægyptiacæ ranæ in Ecclesiam incubuerunt, & nihil pœnè jam in moribus integrum reliquerunt. Extat de his gravissima querela R. Yprensis in suo libro proemiali. cap. 8. Tàm laxas, inquit, effe-

Thomas Sanchez.

A cere conscientias, sub prætextu accommodandi se infirmitatibus hominum, ut nihil opus sit, nisi sceleratiores fieri homines, ut nova aliqua, & licentiosa regula fabricetur .... ut revera plerisque Christianis scientia recentioris Theologiæ ad nihil deserviat, nisi ut sensa diversa diversorum suis apta cupiditatibus noscendo, & sequendo, deposita simplicitate Christiana, versutiores, & probitate nequiores fiant.

Quibus ab aliis repositum est. Quod suave Christi jugum humano generi inviderent, cui more Pharisaico onera gravia imponunt, quæ ipsi digito suo ne movere quidem velint. At contra illi urgebant arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, ac paucos esse, qui eam inveniant. Inde ex una parte multi
B catalogi casuum, & multæ censuræ, sicut ex parte altera Apologiæ plures. Et post ista conflictationes in Ecclesia gravissimas, Judicium summi Pontificis. Tales autem controversias omnes complexus est auctor innominatus operis illius posthumi, quod anno M. CD. LXVII. è prælo exit, & sequenti flammis devoratum est auctoritate judicis. In quo author moralem Theologiam Casuitarum confundens cum morali Theologia scriptorum asceticorum, quos vulgo mysticos, aut spirituales dicimus, ait initio finem, ac scopum Theologiæ moralis Casuitarum in eo reponi, ut homines ad virtutem promoveant, & ad laudabiles actiones, & eos deterrendos à vitiis, & peccatis.

A quo scopo etsi non deflectat Theologia moralis
C Casuitarum, non tamen est proprium illius munus id spectare præcisè, sed magis quid licitum, & non illicitum, ubi leges silent, & nihil dicunt, ostendere, ut magis in Epicheja, & in æquitate dijudicanda relinquendo verba ipsa legis, & mentem Legislatoris magis intendendo sita sit, si propriè, & strictè sumatur, quatenus à Theologia Scholastica, & Canonica discernitur. Cum non sit dubium juxta axioma jurisconsulti, eum peccare, qui sequendo verba legis contra legislatoris nititur voluntatem. Est enim Theologia illa moralis quasi jurisprudentia, ac scientia civilis, quæ si benè definiatur, non in eo sita est, quod quispiam memoria leges omnes scriptas teneat, quamvis & id non sit extra ipsam, sed quod ubi leges nihil dicunt, norit id, quod rectum est, invenire. Quod
D benè advertit Alpharabius in compendio scientiarum. Quamvis de omnibus legibus sine exceptione non sit intelligendum: cum quædam sint, quæ nullam patiantur exceptionem, aut interpretationem, nisi ipsismet terminis cohærentem. Sed id discernit illa Theologia, ut verbi gratia in præcepto non occidendi, quod videtur urgentissimum, novit excipere occisionem hominis ex moderamine inculpatæ tutelæ, & ex auctoritate judicis perpetratam. Ac si reprehensioni obnoxium non est, sed æquum, & rectum habetur, & si à verbis legis sit alienum, si idem fiat circa plures alias leges, non debet statim judicari impium, iniquum, scandalosum, temerarium, & aliis censurarum notis dignum æstimari.

C. de leg. & const. principum.

Quis præcisè scopus Theologiæ moralis.

Quod cum plures non observent, & scientiam mora-
E lem à reminiscentia terminorum legis nolint discernere, damnant facilè, quidquid à saliva, quam semel imbiberunt, diffidere deprehenderint.

Quod non adeo mirum videri debet, cum Moralis pura, & impermixta Theologiæ Scholasticæ, aut Canonicæ, si daretur, terribilis statim appareret, ut quædam legum, & dogmatum prævaricatio.

Inde est, quod author illius Centonis minimè attingens scopum proprium, & finem peculiarem Moralis Casuiticæ, quicquid fere pietatem, & perfectionem asceticam non sapit, ferula sua castigandum censeret. Et ut horrorem incuteret maximum, quàm fieri posset illius Moralis, ordine methodico illam in tres partes dividit, seu tres libros, sic enim squamma squammæ adhæret, nec est spatium inter eas; patres omnes

Cento quidam Theologiæ moralis tripartitus.

nes colligatæ sunt.

Primus liber est de principiis peccatorum tàm internis, ut sunt variæ cupiditates hominum, ignorantia, intentio, & externis, qualia sunt auctoritas humana, consuetudines, probabilitas opinionis, de iisque agit in singulari. Eoque fine de iis principiis agit, ut ostendat Theologos morales ista principia sic fovere, & tueri, ut homines ad omnia peccatorum genera inducant.

Secundus liber tractat de remediis peccatorum tàm internis, quæ sunt gratia Christi, Pœnitentia, Sacramenta, ac bona opera, quàm externis, quæ notitiam ingenerant peccati, qualia sunt scriptura sacra, præcepta Dei, & Ecclesiæ, & prætendit collector Centonis illius Theologos Morales ista omnia dogmatibus suis depravasse, ut nullum supersit remedium hominibus contra peccata, tàm funesta sunt illorum consilia ad claudendum vitæ æternæ ostium, ne quisquam salutem consequatur.

Tertius liber est de obligationibus particularibus omnium statuum; exordium ducendo ab Ecclesiasticis viris, & religiosis, tùm ad principes progrediendo, Judices, mercatores, uxoratos, patres, filios, dominos, servos. De quibus agit eo fine ut probet Theologiam Moralem quorumlibet debita officia depravasse; ut impunè liceat quibusvis obligationi legitimæ proprii status deesse absque ullo metu peccatorum septem mortalium, quæ ferè in venialia desierunt, &c. Quin etiam tollit omnia media, quæ Christus subministravit peccatoribus, ut ad bonam frugem redeant.

Tamdem concludit manifestando puritatem suæ intentionis, non aliam fuisse, quàm tollere abusus simplicium, & iis, qui sibi obcæcare oculos noluerint, & rebelles esse lumini, propalare totam doctrinam morum, & casuum, non alio tendere, quàm licentiæ peccandi, & totius mundi corruptioni favere. O zelosum compilatorem!

Sed si judicium ferre velimus de isto opere, primam ejus propositionem, à qua orditur, inspiciamus. Certè error est à summis Pontificibus damnatus inter errores Michaelis Baji. Charitas, inquit, & cupiditas totam vitam nostram inter se partiuntur. Duæ sunt arbores Euangelicæ, quarum una semper bonos fructus producit, altera non nisi malos potest producere. Quæ propositio æquivalet isti 38. propositioni, Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur. De qua diximus 111. classe in Apologia Concilii Tridentini, Hæc enim propositio, etsi pia in speciem videatur, damnat tamen omnes actus virtutum ex speciali ipsarum motivo elicitos, excepta una charitate. Damnat virtutem ipsam religionis, actum adorationis Dei, fortitudinem, prudentiam, justitiam, temperantiam, quibus in vita nihil est melius hominibus.

Huic autem axiomati innixus, quid non inter fructus malæ arboris computabit postea? Atque si in ipso ingressu ita cespitat, quid sperandum de progressu libri, in quo videre est rerum colluviem, sententias à propria sede dejectas auctorum sensum sæpe non reddentes, verborum salebras, reticentias dictionum, quæ difficultatem sæpe tollerent, colombarum vexationem, calumniarum seriem ordine digestam, ut non mirum sit auctorem talis satyræ nomen suum tacuisse. Si ita res se se haberent, non posset ipse Dæmon, si libros ederet, potentiori methodo peccati regnum erigere, quàm sic principia omnia peccatorum stabiliendo, remedia omnia eorumdem peccatorum destruendo, & ad particulares personas descendendo, unumquemque à propriæ obligationis executione variis fallaciis dimovendo. At si credimus homini innominato, fœdere juncti sunt Theologi morales, ut idem moliantur. Quis hoc sibi persuadere valeat? Quis in mentem inducere, quod Theologi ex omni parte Europæ in hoc conspirent, ut universi orbis homines in laxis moribus corrumpantur, quorum potius labor assiduè in hoc impenditur, ut destruatur corpus peccati, & sit hic fructus omnis, ut auferatur peccatum? *Isai. 27.* Et verè illud destruunt in seipsis primò per meditationes quotidianas, studia perpetua, & multa pœnitentiæ opera Deo nota, quibus peccata purgantur. Qui peccata destruunt in fidelibus per instructionem, catechesim, collationem, prædicationem, & quemcumque modum aptiorem ad tollenda mundi peccata, quantum fieri potest, depulsis ignorantiæ tenebris. Quandoquidem vox est Prophetæ, *Non est scientia Dei in terra maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium, inundaverunt.* *Ose. 2.* Quorum denique zelus ad extrema mundi se porrigit, ut etiam destruatur peccatum in infidelibus, ad quos tanquam viri Apostolici destinantur. Quàm longè hæc dissita sunt ab innominato Centone, quem excutere magis cogitaveram, nec pauca ad id idonea parata habebam ex varia lectione, & collatione locorum, ad tollendam larvam, qua obtegitur, nisi quod verius illi adaptari potest, quàm Theologiæ Morali, in quam desævit, illud D. Augustini in Psal. 22. Talibus malis magis prolixi gemitus, ac fletus, quàm prolixi libri debentur. Nam & sic ex omnibus antiquis doctoribus, seligendo ea solùm, quæ in ipsis infirmiora sunt, Cento impurus, & odio habendus conficeretur; dicente D. Gregorio Nazianzeno orat. 49. quæ de fide est. Nemo est, qui sibi tàm arroganter summam doctrinæ cœlestis assumat, ut putet se omnia mysteria liquido comprehensa retinere. Quare cum libellum de Trinitate contra Arrianos edidisset, volebat, priusquam in lucem publicam iret, à viris doctis legi, dissimulato auctore, ut liberius, si quid esset emendandum, emendarent.

Hæc verò dicta sunt generatim. Quid tamdem de istis controversiis in doctrina morum centendum erit, discere poterimus ex constitutionibus Alexandri VII. qui ad sedandos istos tumultus propositiones laxiores moralis Theologiæ prævio examine debito discrevit ab aliis, ut vitarentur deinceps, nisi forsan inceptum opus ob vitæ finem non perfecerit: vel quia non expedit ista omnia in individuo determinari per summum Pontificem, cum ex Scriptura non possint, sed magis ex Philosophia definiri, sicut solerter advertit Dominicus Soto *de justitia, & jure* l. 6. quæst. 1. art. 6. ita ut necesse sit multa semper relinqui disputationibus.

Priusquam autem definitiones Pontificis Rom. de tot quæstionibus disputatis nostro tempore afferamus, demonstremus, quàm verius conveniat Calvinistis grande illud, & piis omnibus præcavendum flagitium luculentissimos illos campos aperire, quibuslibet peccatis, excepta una infidelitate, eaque suo spiritu intellecta. Præstat enim nos potius in hostes fidei manifestos, quàm in domesticos, & ejusdem nobiscum communionis agere. Externa potius quærenda bella, quàm civilia. Dicente Apostolo ad Gal. 5. *si invicem mordetis, & comeditis* (pro quo legit Ambrosiaster, *& criminatis*) *videte, ne ab invicem consumamini.*

Plura capita doctrinæ Calvinianæ, ad peccata inducunt.

A Doctrina ipsorum de fide initium faciamus: nihil iis certius, quàm sola nos fide per Christum, ut medio salvari, opera nostra non nisi in fidei testimonium requiri. *Doctrina Calvini de fide.* Fide enim fieri, ut omnia quondam opera Christi, omnia merita omnis virtus nobis applicentur, imputentur, ac propria fiant. Apprehendi autem eo modo, quo eleemosyna oblata, aut

aut gratia quævis manu mendici apprehenditur, sicque in propriam venit accipientium potestatem. Id sufficere ad adeunda cœlestia, aliam Christi imitationem per bona opera nihil efficere, cum omnia opera nostra necessario cum peccato mortali sint conjuncta. Hæc communissima est apud illos doctrina. Hæc tota apud illos imitationis Christi ratio. Idque abunde testantur, cum superstitionis damnant, quæ in religiosis Ordinibus abnegationis, mortificationis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ opera. Nihili æstimantur ab ipsis voluntariæ mortificationes, ac susceptæ crucis propriæ in asperitatibus hujus vitæ suscepta tolerantia: reprobatæ sunt apud ipsos, & exsibilatæ pro satisfactione peccatorum admissorum laboriosæ pœnitentiæ. Una fide Calviniano, aut Bezano spiritu concepta delentur omnia, nec imputantur. Unde quanta corruptela in moribus quis assequi possit, cum jam nullo retinente sponte corruat in delicta fragilitas humana?

Non sic nos instruit Euangelium Christi. *Si quis enim*, inquit, *venit ad me, & non oderit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, nõ potest meus esse discipulus*. Luc. 14. Et mox. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Qui habet aures audiendi audiat*. Quæ Christi imitatio etsi omnibus non sit præcepta, ut actu exerceatur, in animi tamen præparatione, si ita res ferat, necessaria est. Stat nimirum Christo redemptori fixa, immotaque sententia, ut quemadmodum ipse non nisi per augustissimam viam, arctissimamque vitæ totius suæ laboriosissimæ, crucisque intravit in gloriam suam: ita nemini pateat aditus eodem, nisi qui & ipse per angustam abnegationis sui ipsius portam contenderit eodem. Luc. 24. Ignavus ille, reprobusque miles, pugil, cursor, operarius est, quicumque absque certamine coronam, absque lucta præmium, absque cursu bravium, absque labore mercedem salutis sibi depofcat, cum neminem saluti prædestinarit Pater æternus, quem simul non prædestinaverit prius, *conformem fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; per vitam nimirum Christiano more exactam, ejusdem spiritus, indolis, ac animi cum Primogenito illo. At quam longe abest doctrina illa Lutheranis, & Calvinistis communis de unica fide necessaria absque operibus? Quanta inde licentia peccatoribus pejores quotidie fieri? quam licentiam multo magis restringit Catholicæ doctrinæ veritas, qua imbuti sumus. De quibus plura suppeditat Barthcius serm. in Dom. 1. Adventus.

ad Rom. 8.

Dogma de Prædestinatione.

Nec minus hæresis Calviniana dissolvit manus fortium ad bene operandum, & peccatis quibusvis obluctandum, cum docet Deum ex mero beneplacito omni operum malorum seclusa consideratione innumeros homines, omnes nempe præter seipsos, si fidem Calvinianam semel habuerint, arcano suo consilio suppliciis æternis destinasse: nec Christum in salutem missum pro omnibus ex vi illius prædestinationis, sed pro pusillo ipsorum grege, cæteris destinato exclusis, & non nisi ad ruinam sempiternam creatis. Nec aliud operatum fuisse Christum in tempore, ne suo fine intento frustraretur, & ut in definitis, ac deliberatis suis ab æterno consiliis permaneret. Equidem humana sollicitudo nec semper improbanda, cum de summa rerum suarum agatur, in abyssum illam arcanæ prædestinationis, & reprobationis ingreditur nonnumquam, seque sic implicat, ut exitum nullum inveniat cogitationum suarum, nisi desperationis plenum ex talis consilii divini explicatione. Quid mihi, inquit, jam ullum salutis meæ studium prosit, cum præfinita à Deo antecedente decreto quemlibet conatum meum, immutata permanere debeant? At in opposita doctrina fidentem, & quietam magis considerationem invenit;

A Nempe nihil opus est, ut in illum te Oceanum secretorum Dei immittas. In te ipse habes, unde id totum æstimes: frustraque jam extra te quæris, & è cœlo usque, & ab æterno conaris deducere, quod intra teipsum, quantum tibi satis est pro consolatione tua, & habes, & invenire potes. Nempe, fide Deo stas? perge cum gratia ea, quam tibi dedit jam in Christo Deus, ac per opera bona vocationem tuam usque in finem satage facere certam. Neque ulla hic alia te excruciet sollicitudo. Certissimum, ita pergentem numquam te Deum præcipitaturum; numquam destiturum primum, numquam deserturum, nisi tu Deum deserueris. Atque ita certissimum illud, nec præscivisse te damnationi, nec adscripsisse Deum.

Dogma peccato originali.

Aliud caput doctrinæ Calvini, quo ostium aperit ad peccata omnia audacius perpetranda, est exaggeratio nimia peccati Originalis. Nam vult omnes homines reatum contraxisse pœnæ ignis infernalis, (in hoc dissimilis veteribus Prædestinianis, qui ignem illum negabant) quo, vel ob illud solum comburendi sunt, nisi morte Christi ab eo liberentur, etiamsi illud peccatum contrahant necessario. Porro ad tantam miseriam, & infirmitatem reducere voluntatem humanam, ut exinde incapax, & impotens reddita fuerit ad minimum morale bonum perficiendum, nisi gratia Salvatoris reparetur. Illud verò non solùm privare hominem bonis gratuitis, sed omnino iis bonis, quæ etiam naturalia erant in statu innocentiæ, cujus præcellas magis conditiones vult fuisse naturales. Ut cum iis pœnam peccati originalis privatus fuerit homo, jam hominum natura omnino sit depravata, & impotens, ut ex se nihil, nisi malum, operetur.

B

C

Quod argumentum tractat fusius Instit. 1. c. 1. sect. 9. Quam doctrinam Stapleto orat. Catechetica 20. pro primo præsidio peccati adstruit, quo hæretici virtutis, ac pietatis studium evertunt, peccatique, & impietatis regnum erigunt. Hæc enim opinionum portenta ponunt, ut posita tanta naturæ humanæ corruptione, perpetuam peccandi necessitatem, benè autem, & secundum virtutem operandi impossibilitatem tanto probabilius etiam in regeneratis, & Christianis postea docent. Nec verò propterea existiment se minus damnatione dignos, quamtumvis necessitate peccent, cum peccatum originale necessario contractum à flammis ignis æterni non sit immune. Quæ doctrina hoc ipso ad liberius peccandum inducit, quod tantum exaggerando malitiam, & gravitatem peccati originalis, extenuat gravitatem peccati actualis, ac personalis. Nam cum satis videant homines, etsi peccatum originale grande quidpiam malum sit in natura humana, non tamen tantum esse, ut propter illud homo objurgatione aliqua, aut reprehensione dignus sit, nec ad pœnitendum de illo hortetur unquam Ecclesia, cum sine propria voluntate, sed magis aliena contractum sit: & tamen ad flammas æternas addici hominem propter illud peccatum, itaut mortale censeri debeat, quam opinionem efformabit sibi de malitia peccati mortalis? D. Thomas in quæst. disp. q. 5. de malo art. 1. comparat peccatum veniale cum originali, & hoc licet gravius sit comparatum ad naturam, tamen comparatum huic personæ levius est, quia, inquit, peccatum veniale est voluntarium volunte hujus personæ, non autem peccatum originale: est ergo veniale reipsa majoris materiæ, & gravitatis in ratione offensæ divinæ peccato originali, quod tamen mortale est, & vita gratiæ, & gloriæ privat naturam humanam. Dicet ergo quispiam, qui illorum sectam, ac opinionem imbiberit: Vana mihi videntur, quæ ad conflandum peccato mortali odium de turpitudine ejus differentes sæpius inculcarunt. Quid enim plus habet peccatum mortale ipso originali, quod privat gratia, & addicit flammis æternis,

D

E

nis, & tamen minus habet malitiæ, minusque reprehensionem meretur, quàm veniale? Certè non est tantum malum, quantum nobis effingunt, nec tantum Deo exosum, si magnitudine unius sceleris originalis cætera obtegunt. Sed & cum homo videat à propria natura se ad omne peccatum propendere, nec capacem esse ullius boni moralis, hæcque nascendo contraxisse, vixque unum hominem ex centum, privilegio gratiæ efficacis, ac mortis Christi pro ipso donatum esse, quo modo in spem aliquam erigeretur emergendi ex fundo illo miseriarum, quas in genus humanum invexit primus parens, ut, quæ sunt virtutis, strenuè exequatur? ut filius patris ignobilis, & pauperis, atque abjecti coram hominibus, qui se omni virtute, & auxilio destitutum videt, vix audet adspirare ad aliquid arduum propriæ infirmitatis conscius: idem erit de mortali homine, quem sic deprimit primi Adami peccatum, nec multum erigit Christi meritum, quod in eorum sententia ad solos electos protenditur, idest vix ad unum ex centum, ut quilibet nefarius hujus sectæ assecla, nec in seipso spem ullam collocare possit, ac vix aliquantulam in Christo; qui non nisi paucos elegit ex massa perditionis. Non sic autem deprimitur homo ex communi Theologia, quæ in miseria peccati originalis solatur hominem, dum & naturam integram remansisse prædicat, & auxilium contra illud à Christo omnibus paratum asserit, ut nec illi os sit occlusum ad orationem, nec injecti compedes, ut non possit quidpiam boni operari, & gradatim in statum feliciorem, quàm qui amissus fuerat per peccatum, reparari.

Porro aliud dogma est Calvini, quod libertas vera, & germana hujus vitæ, tàm ad bonum, quàm malum faciendum, vel non faciendum deperdita sit, cum necessario agat, sive malum concupiscentia inflammante, sive bonum charitate impellente, etsi nomen libertatis retineat in eo, quod voluntariè agat. Hæc ejus doctrina est, quæ variis Pontificum Romanorum fulminibus percussa est. Atque pro hoc dogmate vana pleraque objicit, recta impugnat, prava defendit. At vix explicari potest quantum dogma hoc à virtute revocet hominem, & in omnem propellat iniquitatem. Urgeat enim eum tentatio, sic apud se ratiocinari poterit, ut probe Vvestonus contra Calvinistas arguit, lib. 2. de triplici hominis officio cap. 23. Quorsum peccati dulcedinem, utpote veneno illitam respuerem? Nam mihi Deus aditum perclusit ad fidem, omnemque virtutem propter Adami delictum mihi perfregit, penitus enim me violavit liberum arbitrium. Absque libertate perinde est, sive somnians aliquid homo fecerit, sive vigilans: tàm benè simia ablatam pecuniam restituens, exercebit justitiam, ac Calvinista. Quod decus elucebit in operibus fidei, spei, & charitatis, si molitiones animæ sint à necessitate, non à charitate expressæ? Aliorum exhortatio magnum momentum, ut gravi quopiam obstricti scelere illud à se excutiant: at sectariorum delirium à mente peccatorum illud amolitur, cum enim rationes omnes ad resipiscentiam insonuerint, causari poterit malevolus, sibi liberam non esse potestatem credendi, aut rectè vivendi. Cui si quis dicat eum ita obfirmatum æternos cruciatus manere, ridebit, ac dicet, quasi verò inclementem adeo habeamus Deum, qui de me impotente penitus, non languido, sed fracto, & exsciso, ut in melius mores mutare non possim, tàm horrendum sumat supplicium? hoc modo Calvinista, imo Jansenita secum divinabit, &, qui in sordibus est, adhuc sordescere non erubescet. Ex hujus sententia nullum remedium contra vitium: non flectitur Deus, seipsum homo flectere nequit. Sed & quo pacto apprehendet homo malum peccati, si necessario admittatur? quis enim prudens eadem ratione motus non fatebitur peccata esse ope-

A rationes omnes sensitivæ, & vegetativæ facultatis, cum senio præsertim debilitatæ vires corporis minus perfectos actus expresserint? quare si qua species probitatis ipsorum, suspensos ignarorum animos detinet (quamvis sine fide impossibile sit placere Deo) non in iis fixa est, quatenus Calvinistæ sunt, & aliena dogmata profitentur, sed quia aliundè Christiani sunt, aut Philosophi, aliosve fidei articulos tenent, qui hanc probitatis speciem effingere valeant.

Nec magis dissuadet peccatum illa ipsorum opinio, licet constans sit sententia plurimorum ex Catholicis doctoribus, Deum præmovere, ac prædeterminare physico quodam, ac immediato influxu actiones omnes tàm bonas, quàm malas hominum. *Opinio de præmotione Physica*
B Et quando illis opponitur, tunc ergo Deum fore causam peccatorum omnium, qui ad ea præmoveat: negant consequentiam, & dicunt præmovere ad materiale peccati, non ad formale, quia præmovet ad actionem, quatenus est talis actio naturalis circa tale objectum, non quatenus est aversio à Deo: Sic qui facit ambulare claudum, est quidem causa progressus materialiter spectati, sed non formaliter, ut deficientis, quia claudicatio est à sola tibia curva, sicut malitia peccati à sola voluntate curva ad seipsam, quasi qui faceret claudum ambulare, non faceret etiam claudicare, cum aliter non possit ambulare, quàm claudicando. Unde, qui facit ambulare claudum, non potest non censeri causa efficiens claudicationis, & dispositio tibiæ se habet per modum causæ materialis.
C Et hoc dicto putant se eluisse omnem difficultatem, omnibusque Philosophis, ac Theologis satisfecisse: imo & Deo ipsi, quem sanctum, ac purum credunt se defendere hujus distinctionis beneficio. Deploravi certè, & ingemui aliquando videns civitatem Ecclesiæ tàm subtiles homines in sinu suo fovere, præter hæreticos, contra quos solùm mihi est disputatio. Numquid si dicerent præmovere moraliter ad quodlibet peccatum materialiter sumptum, exhortando ad illud, aut exemplum præbendo, censeretur auctor ipsorum, sicut dæmon eorumdem causa habetur, & perversi homines, qui alios, aut verbis, aut exemplo corrumpunt, & quanto potentior est præmotio physica, quàm moralis?

Si Deus exempla peccandi præberet hominibus, sic-
D ut dii gentium finguntur ab idololatris, & si tantum ob malum exemplum præmoveret tunc moraliter, censeretur dux ad infernum sicuti Pseudodii Jupiter, Mars, Venus, Bacchus, & alii: Hac enim de causa, ait Spiritus sanctus, quod maledicta illa talium deorum adorandi superstitio, causa sit, origo, & finis quorumlibet vitiorum, & omnium iniquitatum sentina corruptissima. *Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinventio illorum corruptio est.* Quam rationem, inquit, Illustris Episcopus, ac flos eximius prædicatorum hujus sæculi Hieronymus Delanuza, expendit noster Hispanus Cicero Christianus Lud. Granatensis, ut enim religio, timorque Dei frænum sunt, & machæra peccatorum omnium, cum talis esset religio, ut non solùm non illa prohiberet, vel ut *Homil. 33. 5.14.* *P.4. Symb. 10. ad fin.*
E turpia rejiceret, quin illa, ut pulchra acceptaret, actusque celebraret divinos: deorum suorum exemplo mortales allecti, nedum illa non fugere, sed proclivius illis se tradere gestiebant. Ad hujus confirmationem prosequitur præfatus Doctor, argumentum antiqui, & celebris Poetæ Persii, quo supponit nihil esse certius, quàm id, quod intelligit ab eo fieri, qui Deus est. Quocirca attentius attendebant homines ad deorum suorum facinora, quàm ad doctissima Platonis, & Socratis argumenta: magis homines intuentur, quod Jupiter fecerit, quàm quod docuerit Plato. Ita, inquit, videtis id, quod in scenam produxit nominatissimus ille Comicus Terentius: Juvenem nempe in diversa raptum, dubiumque, an com-

committeret adulterium: casu fortuito conspexit A imaginem, in qua referebatur illud tàm enorme scelus, quod Jupiter commisit cum Danae in sinum sub figura aurei seminis delapsus, quam intuitus sic ait. Si hic, qui Deus est cœli, terræque celeberrimus, hoc se crimine contaminavit, ego homunculus non idem facerem? *Qui templa summo sonitu concutit, fecit: Ego Homuncio id non facerem?* Hoc fuit artificium diaboli, ut homines absque ullo scrupulo semitas, viasque percurrerent vitiorum, illis persuasit, ut in album Deorum admitterent, non homines sanctos, qualis Enoch, Noe, Abraham, Moyses, sed pessimos nebulones omnibus vitiis fœdatos; Jovem adulterum, Venerem mille lasciviis vile prostibulum, Martem vindicta, fraudibusque detestandum, Vulcanum magis in tra- B ditionibus texendis, quàm cudendo ferro exercitatum.

Perpenderunt hoc sancti Patres, & inde concludebant contra Paganos, illos scilicet Deos non esse, qui præbebant exempla peccandi: sic enim exemplo præmovebant morali præmotione ad opus peccati. Nec minus istud dixissent, si quis distinguere voluisset de materiali peccati, & formali, nam quomodo opus illud averteret à Deo, quod in Deo suum exemplar, & approbationem habet? Quid verò sancti Patres dixissent, si Pagani non solùm præmotionem moralem ex parte deorum suorum, sed etiam Physicam, quæ longè potentior est, & efficacior, admisissent? aut ipsorum Patrum argumentatio invalida, aut præmotio Physica inanis est. C

D. Augustinus l. 4. de civit. c. 1. technas dæmonum in talibus vel veris, vel fictis deorum criminibus exagitat, aitque eo tendere, ut à perpetrandis damnabilibus factis humana non possit revocari infirmitas, dum ad hæc imitanda velut divina præbetur auctoritas.

Objiciunt tamen Catechismum Romanum hanc præmotionem docere. Ad quod audio responsum fuisse à Delrio, catechismum compositum fuisse à Dominicanis, & propterea non esse tantæ auctoritatis. Quæ responsio etiam, ut refertur à Patre Philippo tract. de gratia disp. 4. dubio 7. jussa sit à summo Pontifice expungi, tanquam injuriosa sanctæ Sedi. Sed quis ille summus Pontifex, qui jussit, non aperit. Non nego certè à viris magnis, & doctis D defendi istam opinionem, sed à non minus doctis, & eruditis impugnatur, ut si ex auctoritate patronorum controversia esset dijudicanda, pars negans præpolleret.

Non urgeo hic detrimentum libertatis ad bonum, & malum, qua sublata frustra sunt ad bonum exhortationes omnes, & habena laxatur quibuslibet peccatis: nam statim involvunt ratiocinationem satis opertam caligine quadam distinctionis in sensu composito, & diviso; conceduntque præmotionem illam Physicam in sensu composito, id est, ut sonat littera, si componatur, & jungatur illa præmotio cum voluntate, tollere libertatem: at in sensu diviso, id est, si sejungatur à voluntate, non tollere, præclara admodum decidit in casses præda petita meos: nihil aliud E intendimus: jungamus dexteras: cesset omnis contradictio.

At non ita ad litteram intelligenda est distinctio, inquiunt, alium habet sensum. Libertas enim non est potentia ad utrumque simul, idest ad velle, & nolle simul, sed ad utrumlibet horum. Unde præmotio Physica tollit libertatem in sensu composito ad utrumque, ad velle, & nolle simul: non tollit libertatem ad utrumlibet horum divisim sumptum, idest, ad velle, aut nolle: unum enim ex his etiam præmota voluntas liberè eligit. Sed est ista repetitio principii, & reditus ad idem; negatur siquidem posse utrumlibet divisim, & in sensu diviso non eligere ex ipsorum mente, cum ad illud præmoveatur: unde circa illud præcisè, ad quod præmovetur, non habet libertatem: neque verò circa aliud caput sejunctim spectatum, ad quod non præmovetur: cum in ipsorum mente non possit ad quicquam, ad quod præcisè non præmovetur. Evanescit ergo illa interpretatio compositi, ac divisi sensus, si quidquam capio.

Ut quid ergo jam conqueritur Deus de peccatoribus? numquid dicere poterit anima, ego iners eram, valentior quispiam, quem non videbam, præmovit intellectum ad id malum spectandum, & voluntatem præoccupavit ad volendum, & eligendum, unde cætera mala mea prodierunt, non valui resistere isti præoccupationi. Numquid de quo nesciente, vel resistere non valente quispiam quidpiam mali fecerit, damnari justè poterit. Volui equidem, sed teipso non præmonente verbis, sed facto ipso præmovente. At aversio à me privatio est, & nihilum, ad quod non præmoveo, sed tantum ad materiale, & Physicum peccati? At Deus æquissimè, aversio illa à te fine ultimo, & à lege tua sanctissima, sic illigata erat actui Physico peccati, ut, illo posito, quod impedire non valebam, tu scis in eorum mente, inimpedibicis à me erat.

Cum ergo illa præmotio excitet omnia peccata, simul excuset ratiocinio valdè evidenti, ac fortè inelectabili, quod jus habent sæviendi in Theologos morales, quasi id ipsum committerent? Judicem decet immunem esse à crimine, de quo alium condemnat.

Dogm. Calvini motibus concupisc. tiæ.

Dogma est etiam motum omnem concupiscentiæ peccatum esse, etsi indeliberatus sit, quippe qui prohibitus est hoc præcepto, non concupisces. Quod præceptum non nisi in Cœlo complebitur ex ejus mente lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 14. Quamvis verò putaret aliquis ad maximam quamdam vitæ perfectionem homines evehere Jansenium tàm specioso axiomate, quo viam strictissimam ingredi videtur, vix tamen aliquid est, quod ita ad vitium excitet, si quæ ex hinc consequi apta sunt, paulo attentius perpendantur, tàm ductile, & inclinatum est hæresis Jansenianæ ingenium ad omnem vitæ deformitatem, etiam ubi ab ea remotior esse videtur. Sed ut dicit sapiens. Proverb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem illius ducunt ad mortem.* Sed vafri Satanæ in hac doctrina fucos aperiamus. Nullus est liber à motibus primis concupiscentiæ indeliberatis, præveniunt rationem & in somno, & in vigilia mentem, corpusque hominis impetunt. Unde præsupposito hoc dogmate, quicquid ferè agunt homines pervigiles, aut somno oppressi à peccato immune non est, nocteque, & die peccata fluunt in animam, superius inferius undique peccatum. In hac massa fordium, & congesta illuvione quis probos viros, honestos, religiosos, puros, aut nitidos aliquos esse existimabit? nullibi comparebunt splendentes Nazaræi, ac Christi sanguine loti. At quid magis dissolvit animum Christiani, qui sub Christi vexillo regnum concupiscentiæ in se destruere satagit, si vel antequam de resistentia, & certamine contra illam cogitet, ab ea victus, & superatus est, ac sub jugo peccati missus? Priusquam, ut præclarè scribit Vuestonus lib. 2. de tripl. officio, nos ipsos rectè, & accommodatè accingere possimus ad prælium, irruperunt in nos hostes dormientes, & nihil minus cogitantes suis armis oppresserunt; profectò imperator gravi somno excitus, si modo hostilia signa statim, ac expergefactus in stationem suam illata videret, discurrere cerneret ubique armatos adversarios, omnia loca occupasse, suorumque stragem edidisse perspiceret, non nisi inconsulto ad arma capescenda clamaret: potius illi videretur cogitandum esse de fuga, aut honesta sua

dedi-

deditione. Ita si primi illi appetitus motus, & erumpentes concitatius affectionum impetus vitiosi sint, & flagitia, nihil proderit pervigili anima presidia virtutis conquirere: superfluus labor occursantibus pectus opponere, dæmoni, vel peccato resistere; jam enim profligati sumus, crimina, & mores pessimi arcem animæ obtinent. An non sine spe proventuum in agricola languet colendi, arandique studium; ubi nulla adest victoriæ expectatio, ibi vel martium pectus friget. Sectarii verò futuri quæstus omnem planè spem nefario dogmate absciderunt, victoriæ expectationem, abjecta sententia, extinxerunt. Quæ enim spes, ubi clades adest? qualis expectatio, cum ruina oculis obversatur? hoc enim præstiterunt appetitus cupiditates, quæ animam sordidarunt, & coinquinarunt, &c. Cum enim nobis constituerimus fore impossibile, existente suggestione Satanica, aut titillante carnis humore, peccatum devitare, illico arbitrabimur non requiri industriam nostram, ac irritos conatus, neque inutili labore voluptatis torrenti resistendum. Nihil ergo superest, quàm, ut arma abjicientes ad extremam servitutem, & fœditatem, quas vitia adferunt, sponte festinemus: siquidem in sordes semel progressi, eisque coinquinati, nihil pensi ducunt ulterius progredi in lacuna, ac palude. At cum homines criminis labem vehementer execrantur, inde venit illos semper acres esse, & pugnaces contra incitationem nefariam, ne facies animæ corrumpatur. Hæc autem contentio de sectariorum mente, frivola planè est, & inanis: in nos enim ultra grassata est turpissima macula, quam illiciti appetitus motus invexerunt, quibusque carere nullo modo possumus. Quæ cura puritatis, nisi vana? quod studium integritatis, nisi frustraneum? At longè contraria est Orthodoxorum sententia, hortantium ad constantem pugnam contra vitia, ingruente domum quacumque tentatione Satanica, effervescente qualibet appetitus cupiditate. Si namque affectus minimè explicet sinum suum, neque libero consensu appulsam illam illecebram complectatur, nihil sequetur inde detrimenti: interiora animæ pura erunt, vivida, & florescentia. Quare plures diligenter excubant, contentoque studio omnes facultates armant in peccatum, ne unquam consentiant motibus concupiscentiæ, à quibus nondum se victos intelligunt, quantacumque sit eorum turbulentia, cum alii ob contrariam opinionem initio conflictus statim despondeant, ut solent, qui se victos putant. Hæc, & plura in eumdem sensum author ille. Ex quibus intelligi potest Casuistas illos non frustra operam impendisse, qui conati sunt limitem peccati mortalis præfigere in variis humanarum tentationum difficultatibus. Ex his enim homo salutis suæ studiosus, & ad vitandum peccatum sollicitus, videt, ubi majori labore resistendum, & conflictandum adversus peccatum, quod eo lubentius facit, quod in primis ejus assultibus, nihil adhuc se perdidisse intelligit: &, si fortiter resistat dissentiendo ultimo tentationis gradui, & immunem, & victorem se è congressu posse exire. Qua re magis animatur, ut usque ad ultimum spiritum stet adversus peccatum, quàm si arbitraretur statim se profligatum, ac perditum fuisse, cum ex hac re abjiciatur animus, omnique alacritate ad pugnam spiritualem destruatur. Contra id, quod monet D. Jacobus 1. cap. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis*. Porrò, quod dicunt motus istos concupiscentiæ, etsi per legem Dei prohibeantur, non tamen imputari ad peccatum, non mollit difficultatem, sed auget potius, cum facilè sit inde concludere, transgressiones alias non debere quoque imputari, cur enim unius præcepti transgressio imputabitur potius, quàm alterius? unde & istud effugium

A occasiones potius præbebit liberius delinquendi contra alia præcepta.

Dogma de gratia efficaci per se.

Aliud dogma eorum, quod virtuti officit maximè, & omnem rectè operandi ardorem imminuit adversus peccata, est doctrina illa de gratia efficaci per seipsam, & ex natura sua antecedenter ad liberum voluntatis consensum, qua justificetur peccator, aut opus verè bonum perficiat. An non hoc curam omnem pœnitentiæ, sicut & perfecti alicujus operis adimit, nam, si quis studium pœnitentiæ hominibus adimeret, nonne is vitæ turpitudini suppetias ferret? absque dubio scelerum patronus is habendus foret: at hoc ipsum præstant hujus doctrinæ assertores. Si enim sola sua activa virtute in nobis pœnitentiam veram, & perfectum opus ex charitate, quale ipsi exigunt, B operetur, & veluti ex silicis appulsu ex chalibe scintillam exilire facit gratiæ per se efficacis immissione, quis animum intendet ad pœnitentiam? quis perfecto alicui operi patrando intendet animum? præpostera illa opera, absurdus conatus ad illud procurandum, quod de integro effectione alterius, haud nostra, existit, quod nobis tàm orantibus, quàm otiantibus, tàm bene, quàm male agentibus ex æquo accidit, si in sorte sumus prædestinatorum, sicut D. Paulo accidit eo momento, quo Christi discipulos persequebatur, quod denique nullo modo in nostra potestate collocatur. Sic enim illi obliti sunt antiquæ, & communis Theologiæ, ut non discer- C nant inter species gratiæ gratum facientis, & gratiæ gratis datæ, quæ ultima datur ex mero Dei beneplacito, nullo constituto medio, quod sit via ordinaria ad illam adipiscendam, ut est gratia miraculorum. Sic enim illi ex gratia gratum faciente gratiam quamdam gratis datam faciunt, ad quam acquirendam nulla via parata sit, quam si ingrediatur homo, possit sibi polliceri eam se consequuturum. Ut sic omnibus ad justificationem præviis dispositionibus, quibus maximè uti, & in quibus salubriter, sanctèque, & generosè laborare debent homines, non restet locus, cum sola gratia à Deo solo profecta justificet hominem momento, quo ex nolente volentem reddidit. Sensit præjudicium hujus doctrinæ Stapleto in citata sæpiùs oratione. Hac eadem de D causa, inquit (quod quartum est peccati præsidium) negat disertè Calvinus gratiam Christi ad hoc datam esse, ut contra peccati dominatum nos adjuvaret, aut ejus victoriam nobis conferret. Quod ne cuiquam incredibile videatur, sic breviter ex ejus verbis ostendam. Negat Calvinus disertis verbis, gratiam Christi, vel Spiritus sancti in illo adjutorio consistere, quo infirma nostra ad bonum voluntas ad virtutem excitatur, & confirmatur. Reprehendit enim hoc nomine Scholasticos, quod gratiam Dei, sunt ejus verba, non gratuitæ justitiæ imputationem, sed spiritum ad studium sanctitatis adjuvantem interpretantur. Augustini quoque doctrinam ibidem taxat, quod gratiam Dei ad sanctificationem refert, qua in vitæ novitatem per Spiritum E Sanctum regeneramur. Hanc autem revera gratiam adjuvantem contra Pelagium defendit semper Augustinus. Denique suam sententiam versipellis hæreticus adhuc apertius alio in loco declarat. Nemo, inquit, in Christo benè fundatus est, nisi qui solidam habet in ipso justitiam: quando non dicit Apostolus missum esse Christum, quo ad justitiam consequendam nos juvet, sed, ut sit nostra justitia, &c. Ex quo videre est ipsos cum Pelagianis, à quibus tantopere alienos se prædicant, convenire in exterminanda penitus gratia sufficienti, quæ gradatim hominem adjuvat, ut tamdem aliquando per discessum, & fugam à peccato sit in proxima dispositione ad justificationem.

Instit. l. 3. c. 11. n. 15.

Instit. l. 5. c. 15. n. 5.

Quamtumvis autem gratiam illam extollant, vix tamen reipsa quidquam in ea relinquunt, quod nomen

men gratiæ mereatur, ut quæ etiam detrimentum aliquod pariat homini, quem nobilissimo libertatis privilegio spoliat eo tempore, quo magis illi necessarium est ad merendum beatitudinem, inducens in illum quamdam necessitatem ad benè operandum, qua posita necessitate, vera ratio meriti destruitur. Ut enim præclarè differebat Gregorius Nazianzen. Orat. 31. Eunuchorum de pudicitia jactationem retundens, bonum, quod à natura proficiscitur, laudem non meretur: quod autem à libera voluntate, animique instituto fluit, id demum laude dignum existimandum est. Quæ igni gratia est, quod urit: aquæ, quod deorsum fertur, nivi, quod frigida sit? quantum autem virtuti, & bonorum operum exercitio, peccatorum fugæ favet concepta semel opinio de merito, tantum vitio, ac socordiæ favet contraria sententia, quod opera ex necessitate facta nihil habeant veri meriti. Ut illa opinio vitam hominum totam auream, ac gemmeam reddit: sic è contra sententia hæc nihil meriti honestis actionibus attribuens, fœdo, & polluto dogmate vitam hominum fœdam reddit, & inertem. D. Ambrosius libr. 10. epist. 81. Quæ virgo audiat nullum præmium esse integritatis, & non ingemiscat? quæ vidua cum conceperit nullum esse fructum viduitatis, malit servare fidem conjugii, & in tristibus degere, quàm lætioribus se credere; quæ conjugii districta vinculo, si audiat, quod nullus honos sit castitatis, non possit incuriosa tentari corporis, aut mentis facilitate? Et D. Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 15. si parum laboraveris, parum accipies; si verò multum operaberis, multa te merces manet. Sic nempe providentia Dei spe uberioris quæstus mentes hominum ad bona opera provocat, cum è contra omni abjecta existimatione de præmio uberiori dissolvantur animi inter difficilia virtutis, & ardua opera, ut hic ordo in Dei sapientia defixas sui habeat causas.

(Absit enim, ut facilè credat) certo, ut nō studia deponat, & intentionem suam deflectat.

Siquidem sublato meritorum pondere languent animæ, dum vident eamdem prorsus conditionem fore, postquam è vita excesserimus, & ejus, qui parcè, & ejus, qui largiter seminaverit, nec calcar est ad eleemosynarum magnificentias, in quibus plures sua expenderunt, cujus fructum ampliorem non expectant, quàm alter, qui pecunias suas crumena inclusas aridè, avideque servavit.

Dogma de timore Dei.

Sed hic non sistunt se eorum dogmata, quibus ad peccata quævis patet aditus. Quod tantoperè elevant timorem Dei, & in hac assertione peccatis patrocinantur: nihil enim tantum deterret homines à peccatis, quantum timor gehennæ, & pœnarum æternarum. Quis hac opinione imbutus non reformidet aliquid legere, audire, aut meditari de divinis judiciis, ac æternis suppliciis peccatorum, ne exinde, si timorem aliquem concipiat, à rectitudine deflectant, hostiles erga Deum animos gerat? Cum hoc animæ præsidium, ac munimentum cum suo dogmate convellant Lutherani, & Calvinistæ, quomodò peccandi licentiam singulis non concedunt? si nullus esset infernus, an non plerique voluptates requirerent, adempto autem ejusmodi timore perindè est in hac vita, ac si nullus esset: nemo enim ejus cura, ac sollicitudine tangi debet. Quis dæmonum consultius ad propagandam vitæ impuritatem loqui potuit, quàm Calvinistæ, & Lutherani pronuntiarunt, ait sæpè laudatus idem Uvestonus l. etiam citato sæpius, c. 15. Scio equidem nemini ad beatitudinem satis esse timorem, meliusque esse ex amore justitiæ, ac puro charitatis motivo abstinere, ac pœnitere, quàm ex supplicii timore. Interim definio salubrem, & sospitalem esse hunc metum gehennæ, & frenum quoddam lascivientis appetitus, quo sane excusso princeps evadit natura ad omnem vitæ turpitudinem. Quàm opposite Tertullianus, etsi severio-

A ris disciplinæ amator, l. de pœnit. ubi metus nullus, emendatio proindè nulla, ubi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana. Et D. Augustinus tract. 9. in Epistol. 1. Joann. sicut videmus per secturas introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed, nisi exeat, non succedit linum, sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem. Et D. Chrysost. homil. 13. ad populum: sicut armatus miles in foribus arcet furem, ita & gehennę metus peccatum. Quid gehenna gravius, sed hujus metu nihil utilius, quia scilicet homines à flagitiis plurimum deterret. Nec verò existimandum est homines semper esse hujus complexionis, ut amore ducantur. Imò quędam sunt scelera, à quibus potentius revocat timor, quàm amor. Quippè,
B ut ait Aristoteles 3. Ethicor. 8. ita natura comparatum est, ut fuga mali acrior sit appetitione jucundi. Quæ carni magis sunt delectabilia peccata, potius terroris asperitate curabuntur, quàm amoris suavitate.

Utilissimus timor Dei.

Neque hic tacendum de forma justificationis, quam statuunt Calvinistæ, qui docent in justificatione peccata verè non deleri, sed tegi, ac non imputari à Deo, sed potiùs imputari ipsis peccatoribus omni macularum colluvie fœdatis ipsam Christi justitiam, qua imputatione externę Christi justitię fiunt justi, & sancti, quamtumvis ea peccata, & sordes remaneant, nec ulla sit inhęrens gratia sanctificationis, qua dispellantur, & evanescant, sicut tenebrę ex adventu lucis. Hęc idea justitiæ præsidium,
C etiam, & propugnaculum peccati est, dum amorem, ac curam illius facilè repellunt ab hominibus, qui intelligunt peccata subsistere cum hujusmodi justificatione. Eo enim acrius incitantur homines cupiditate justificationis assequendæ, quo virtutem tantam ei inesse norunt, qua sordes omnes animę abluat, & in pristinum candoris statum restituat propter meritum, ac efficaciam cruoris Christi, cum quo non remanet ulla fœditas, cum ejus imbres ubertim in se anima receperit. Hęc existimatio pungit animos peccatorum, ut hanc justificationem exquirant, cùm è contra, qui Calvinistarum opinionem semel imbiberit, hęc poterit apud se commentari: Quid refert me tandem à vitiis immutatione consiliorum refugam esse, aut animi mei studia ad virtu-
D tum cultum transferre? Homines justificati sepulchra sunt exterius dealbata, intrinsecus plena fœtore cadaverum, ac vermibus scatentia, nunquam valebo hos nęvos, & indecora, quæ interius in anima gero, excutere, dispungere, vel illatum mihi innocentię damnum ullo modo resarcire. Quocumque perrexero, perpetuo mihi infixę manebunt, & inustę, profligatæ peccatorum turpitudines: Spes integritatis, ac puritatis pręcissa. Cooperiri possunt hujusmodi anteactę vitę delicta, nunquam deleri hujusmodi imputatione. Haud minus peccator ero, & labe infectus, voluptati resistens, quàm illi appetitum solvens, laxansque. Quid tanti ducam hanc justificationem? quid avidius consectabor lucrum hujusmodi
E fictitium? Porrò, etsi Jansenius non ita mentem suam de gratia inhærente expresserit, & forsan aliquando discrepantem sententiam habuerit, nihilominus relinquit semper locum hujusmodi consequutionibus; quibus mentes hominum deterrentur ab amore justificationis, ut eum carpat ob hanc rationem Anti-Jansenius disp. 13. de natura pura sect. 5. Viderit, inquit, utrum bene conveniat cum Tridentino id, quod videtur affirmare toto c. nono, justitiam, qua vivificamur, & constituimur formaliter Dei participes, non esse charitatem, vel alium habitum infusum, sed justitiam divinam, & Deum ipsum charitate veluti glutino animę nostrę conjunctum. Cum è contrario Tridentinum sess. 6. c. 7. affirmet justi-

Doctrina de justificatione.

justitiam, qua formaliter justi constituimur, esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. Sed & Bajus. Justificatio impii fit formaliter
Prop. 68. per obedientiam legis, non autem per occultam com-
69. municationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam faciat justificatos implere legem. Et, Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Quia tamen satis expressè mentem suam non aperuerunt in hac controversia, hìc tergiversari poterunt: ideò diutius hìc non sistentes ad aliud dogma eorum accedimus, quod omnium fere potentius est ad regnum peccati stabiliendum, scilicet, mandata impossibilia.

An non hæc dogmata Christiani officii corruptelas spirant, & intendunt? unde quibus vitia displicent, illi pari odio Satanam prosequuntur, & Calvinum ejusdem impietatis assertorem: ambo namque scelerum fautores: nisi quod Calvinus carne licet crassiori contectus, Satanam, tametsi natura spiritum, subtilitate, & versutia superarit. Quis etenim, Satana dicente, & illius judicio, flagitia consequeretur? Calvino autem concionante, propemodum infiniti quasi œstro perciti ad morum turpitudinem provolarunt. Depellam tamen vafri illius fucos, aperiam fraudes, & horrendam ejus speciem nudè proponam omnibus despiciendam. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum*, Esaiæ 47. Bello jam suscepto, qui adversas copias fama immoderatius præter rei veritatem augent, apparatum hostilem magnificè deprædicant, denique superiora faciunt ea, quæ inimicorum sunt, vim omnem præliandi, & veluti animæ nervos illi effringunt, cui hæc in ea pugnaturo denuntiant. Sic quidam ex Israelitis socios ingressu
Num. 13. in Palestinam prohibere attentarunt dicentes; *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, qui fortior nobis est*. Hoc ipsum sanè hæretici, quantum in ipsorum viribus situm est, hodie perficere moliuntur, dum vires nobis omnino impares esse contendunt ad mandata Dei exequenda. Frustra proinde contentio suscipitur, inanis omnis voluntatis conatus existit, non nisi ad impossibile aliquid præstandum, montesque dejiciendos, aut ad solem è Cœlo avellendum nitimur, si de præceptis divinis cogitatio nobis inhæreat. Equidem nihil tetrius videri potest ad abjiciendos omnium animos, quàm axioma hoc tàm insolens; quàm cogitationem de Deo ingerit, qui petit ab hominibus impossibilia sub interminatione damnationis æternæ. Quis se ad obediendum Deo accinget, qui impossibilia præcipit cum tanta severitate? quis ex animo pœnitere poterit de perpetratis criminibus, si impossibile erat rem aliter fieri? quis serio proponere sibi poterit in posterum se mandatis Dei morigerum fore, nisi quis audebit sibi polliceri se Danubio Ararim juncturum, vel Caucaso Olympum? quid superesse potest hominibus hac opinione depravatis, nisi ut sollicitudinem omnem abjiciant de servandis præceptis Dei?

At, inquiunt, possunt ea servare per gratiam Dei. Ita quidem, sed per gratiam, quam non habet homo in potestate, ut habeat. Unde perinde est, ut si quis petat à nudo, & paupere centum nummos, quos in potestate non habeat. Posset equidem pauper ille beneficio alicujus prædivitis summam exsolvere, sed cum ille dives quidquam daturus non sit, minuiturne ejus impotentia? an non frustra ab illo id exigitur, quod supra facultates omnes illius est? At inquiunt, istud est in pœnam peccati originalis. Sed quorsum Deus alicui prohiberet adulterium, si ipse hoc crimine propter originale peccatum abstinere non posset? Fluxum pituitæ, aut nasi curvitatem eadem providentiæ forma hominibus interdicere valuit. Sed & si adhuc natura penitus sit corrupta, & impotens, qualis medicus Christus? qualis ejus redemptio, quæ homines in infirmitate hac sic reliquit, ut gratia sufficienti destituantur?

Postremo, ut his omnibus dogmatibus colophonem imponeret ad regnum peccati fortiter stabiliendum, virtutis studium deprimendum, pietatis flammas, imo scintillas extinguendas penitus, Christum non fuisse pro omnibus omninò mortuum dogmatizat Calvinus: ut sic amoris erga Christum morientem aculeus auferatur, nec jam quisquam certò possit inflammari ad quidquam fortiter operandum, aut patiendum sub eo motivo, quod dura quæque pro ipso Christus passus fuerit. Non erat satis istis, qui tantum sermone tenus charitatem venditant, ut Deum minus amabilem redderent, seu ut prædestinantem paucos pluribus abjectis ex mero beneplacito, seu ut leges ferentem ad observandum impossibiles, nisi etiam adhuc eum morientem, & vel lapides scindentem, ac corda chalibea excitantem, minus diligentem ostentarent, tanquam eum, qui pro majori parte hominum passus non fuerit, sed eos omnino despectui habuerint, tanquam non essent sui: aut quasi non haberet in cruce pedes confixos ad expectandum omnes, brachia extensa ad amplexandum omnes, caput inclinatum ad osculandum omnes, & cor apertum patens ad omnes. Legebam nuper in obsidione Melitensi per Turcas, cum fortissimè illi instarent in quodam insultu contra muros, ut iis cedere videretur equitum Melitensium robur, excitatos fuisse eos, per quemdam Ducem, ostensione Crucifixi, quem præ oculis eorum in manibus gestabat, cum his exhortationibus: An fortiter occumbere refugietis pro eo, qui tot ignominiosa in cruce vestri amore passus est? an vos patiemini ejus hostes triumphum agere, & videtis eum vitam propriam pro vestra vita exposuisse? His, ac similibus verbis novas vires addidit, quibus illi fortiter hostium furori restiterunt. Quod & alias non semel in Palestina accidit, cum prælia committenda essent. At quàm vanæ istæ exhortationes, si pro paucis hominibus, iisque occultis, & incognitis mortuus est Christus! Facessant concionatorum voces, desinant hortamenta piorum ad mortificationem, ad pietatem propter Christi mortem, ad fugam peccati. Nihil ad majorem partem hominum spectabunt ista, cum ab iis aversam mentem Christus habuerit ex hæretico placito. Sed adhuc plus malorum est ab isto dogmate. Refert Doctor Fevardentius lib. 5. *Theomachiæ* 15. Quod aliàs Bezæ concionanti pro hac doctrina coram principe Friderico, magnaque Gallorum, ac Germanorum frequentia, cùm non posset princeps tàm durum sermonem audire, silentium coram indictum fuerit, ut non amplius audiretur. Ac Paulus Vvindek in libro edito contra hanc sententiam Calvini, cum multa ad eam improbandam adduxisset, narrat etiam quemdam Ministrum Bernensem, cum in Dominica palmarum pro concione publica eam vehementer persuadere niteretur, tot scrupulos, ac dubia in animis auditorum circa redemptionem Christi innata fuisse, ut multi de salute sua spem omnem abjicerent, pluresque à cœna abstinuisse, ne indignè accederent propter incertitudinem conceptam de morte Christi pro sua ipsorum salute.

Dogma de morte Christi.

Sed & doctrina hæc etiam redundat in Deiparam, ejusque cultum, qui in Ecclesia est maximus, & quo ut potentissimo medio cœlitus dato, floret in pluribus pietas, religio, ac vitæ innocentia, maxima ex parte convellit, dum ipsam gloriosis titulis, ac elogiis Advocatæ, & Mediatricis peccatorum, injuriosè spoliat. Loquantur enim consequenter ad sua principia, Christus pro sola electorum (ex mero beneplacito) turba mortuus est: ergo nullo habito respectu ad preces, & intercessionem B. Virginis ipsos sal-

salvare voluit: ergo ipsa nihil contulit ad salutem eorum, pro quibus non est mortuus: & ut unusquisque absque speciali revelatione incertum habet, an pro ipsomet sanguinem Christus effuderit, atque ab eo unquam dilectus fuerit: incertum quoque habebit, an ullo unquam minimo beneficio ab ipsa affectus fuerit, & an ab ipsa ullo modo respectus, ac dilectus fuerit: par est quippe æstimare Jesu Christi, & Beatæ Virginis corda in idem conspirare, erga eosdem affici, ut quos ille amore prosequitur, & ipsa diligat, quos despexerit, & ipsa despiciat. Quomodo ergo illa dicetur amplius auxilium Christianorum? ubi erit illa spes, & confidentia, qua tot peccatores è luto peccatorum egressum meditantur ob spem misericordiæ, quam in illa reposuerunt, quia ipsa non est despectura peccatores, pro quibus benedictus ejus filius mortis tormentum subiit? Atque inde profluxit, quod inter hereticos huic de morte Christi doctrinæ addictos elanguit prorsus, & interiit omnis ad Deiparam Virginem devotio, qua plurima peccata solent arceri, ne perpetrentur; nec aliud sperandum in omni loco Ecclesiæ Catholicæ, si prævaleret hæc doctrina, tantum cultui Deiparæ, quantum dilectioni ad Christum Dominum, infesta, & adversaria.

At quid pluribus rem ex se manifestam, & non semel antea excussam ago? concludo inde ipsis prospiciendum, ut Theologiam illam adeo laxam corrigant, ut idonei sint cribratores Theologorum Moralium, in quibus nunc aliquid mollius, nunc durius inveniri poterit (ut difficile est medium in omnibus tenere, tot existentibus inter mortales negotiis, ac casibus.) Nec sola circa infirmos indulgentia in vitio est; peccatur enim & mollitie, & duritia, & lenitate nimia, & asperitate, quamvis minus malum sit obnoxium esse reddendæ rationi de benignitate, quàm de severitate nimia: Quod si id contemptui habeant, meritò dicatur ipsis illud Evangelicum Matth 7. *Aut quomodo dicis fratri tuo: sine, ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? &c.* Nec turpe est, ait Gregorius Nazianzen. Orat. 32. sententiam mutare, sed in malo perseverare funestum, atque exitiosum. Et ibidem. Nihil apud Deum ita amplum, & magnificum est, ut doctrina perpurgata, & anima veritatis dogmatibus instructa, atque perfecta.

Audio hic obstrepentem mihi. Festucam ne vocas gravissima illa, quæ arguuntur in quibusdam Casuitarum libris? video non sine causa eumdem Nazianzenum scripsisse Orat. 49. comparationem ipsa rerum dissimilitudine non rationem ostendere, sed altercationem disputationis inducere. Nedum mortalia, sed etiam ipsa venialia gravissimum quid arbitror semper, quis enim leve existimet, quod in Dei contemptum admittitur? Est quoque ille sapientissimus, qui non tàm considerat, quod jussum est, quàm illum, qui jusserit. Attamen non tantum est inter ducentas, aut plures propositiones unam de aliquo casu raro contingenti, incautius forsitan posuisse, adjunctis eidem pluribus limitationibus; quantum est axiomata quædam in fide primaria mordicus tenere, quæ apta nata sunt fomitem, ac pabulum perpetuum vitiis subministrare quotidianis, ac quibusvis. Illud Theologorum sit Moralium; at hoc illorum est, ut satis demonstratum est hactenus.

At quis his præmissis inficiabitur, sin primos authores harum turbarum, scilicet Calvinistas, ut de aliis taceamus, decreta aliquot ejusdem Alexandri VII. prosequamur, non enim illi unicum bellum in Papatu conficiendum fuit.

Idem Alexander VII. sexta Septemb. an. 1657. in Congreg. generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico, prohibet, & damnat libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & pro- A hibitis haberi voluit sub pœnis, & censuris in sacro Concil. Tridentino in indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio sanctitatis suæ infligendis.

Elenchus Librorum.

Decem, & octo Epistolæ Gallico idiomate conscriptæ, quarum prior inscribitur: *Lettre ecrite à un Provincial par un de ses amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne de Paris ce 23. Janvier 1656.* Incipit, *Monsieur nous estions biem abusez.*

Sic omnes octodecim Epistolæ enumerantur, indicato earum initio. Ferturque quidam Montaltius ipsarum auctor, qui cum esset in extremis, valde doluit, quod tales Epistolas famosas evulgasset. Alia enim est, ut plurimum rerum facies in conspectu pro- B ximi judicii. Eodem decreto damnat plures alios libros, quibus doctrina damnata Cornelii Jansenii Ipr. Episcopi propugnabatur: omnes enim tales libri, opuscula, epistolæ, tractatus, Apologiæ fulgure Vaticano sæpius percutiuntur.

Eodem decreto renovatur prohibitio Pauli V. & Urbani VIII. edendi libros de Auxiliis non obtenta licentia sacræ Congregationis. Ubi notandum, quod supra observavimus ex Spondano de decreto Pauli V. licere in scholis sententiam suam modestè dicere sine damnatione alterius, scilicet de hæresi, ut pax servetur.

Feria V. die 21. Augusti 1659.

C IN Congregatione generali sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Majorem coram sanctissimo D. N. D. Alexandro, divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis D. D. sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. præsenti decreto prohibet, & damnat librum, cui titulus est, *Apologie pour les Casuistes contre les calomnies des Jansenistes, &c.*

Auctor ipsius Apologiæ susceperat in se patrocinium, & excusationem omnium Casuitarum in iis, quæ animadversione digna visa fuerant eorum cri- D bratoribus: qui attentè disquisierant eorum omnia volumina. Difficilis certè provincia sic omnium infirmitates, & peccata suscipere sine exceptione: tantum opus fuit Verbi Incarnati, qui se vadem constituit pro purgatione omnium peccatorum, sicut dicitur Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Quare tot censuras, & judicia adversum se passus est à Pontificibus in Concilium congregatis? Minus periculosum fuisset decimatione quadam plectere tales syllabos erratorum prætensorum, seu verorum Theologiæ moralis: sicut in punitione cohortis militum solent duces. Vix enim fieri potest, quin in definitione tot casuum difficillimorum, aliquid incautè exciderit; unde tutum non est velle omnia defendere sine exceptione. Nec D. Augustinus sua omnia Apologetico scripto E tuitus est, retractavit plura sine famæ detrimento. Tot licentiæ in actibus humanis simul conjunctæ, feriunt Christi Domini sententiam de arcta via salutis, & latissimam potius ostendunt.

An. 1663. Sacræ Indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, ac respectivè suspensi fuerunt infrascripti libri, ubicumque, & quocumque idiomate impressi, imprimendive. Nemo cujuscumque gradus, & conditionis eos imposterum, vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, à præsentis decreti notitia tradat, sub pœnis in indice librorum prohibito-

bitorum contentis.

Libri sunt.

Renati Descartes opera sequentia, donec corrigantur.

De prima Philosophia, in qua Dei existentia, & animæ humanæ à corpore distinctio demonstratur; cui adjunctæ sunt variæ objectiones doctorum virorum, cum responsionibus auctoris Amstelodami 1650.

Notæ in programma quoddam sub finem anni 1654. in Belgio editum cum hoc titulo. *Explicatio mentis humanæ, sive de anima rationali*, ubi explicatur, quid sit, & esse possit.

Epistola ad Petrum Dinet. Societatis Jesu per Franciam Præpositum Provincialem.

Epistola ad celeberrimum virum Gilbertum Voetium, in qua examinantur duo libri nuper pro Voetio Ultrajecti simul editi, primus de confraternitate Mariana: alter de Philosophia Carthesiana.

Passiones animæ. Libellus Gallicè ab eodem auctore conscriptus, nunc autem in exterorum gratiam Latina civitate donatus ab H. D. M. I. V. L. Amstelodami 1650.

Ejusdemque authoris opera Philosophica.

In quorum fidem manu, & sigillo Eminentissimi, & Reverendissimi D. D. Cardinalis Ginetti Episcopi Sabinensis supradictæ sacræ Congregationis Præfecti præsens decretum signatum, & munitum fuit. Datum Romę in Palatio Apostolico Quirinali die 20. Novembris, an. 1663.

M. Episcopus Sabinensis Cardinalis Ginettus Præfectus.

Loco † sigilli F. Hydelchutus libellus S. Congregationis Secretarius.

NOndum satis manifesta sunt omnia nova dogmata hujus Philosophiæ. Plura recensentur à quodam viro erudito, qui, quid novi afferret ista Philosophia, inquisivit, ac 47. propositiones receptis Philosophorum placitis adversantes collegit, quas hic referre prolixum esset. Libellus quidam ab ipsius Philosophiæ patronis editus explicationem continet operum sex dierum Genesis 1. adversantem explicationi S. S. Patrum. Ac cum ibi negantur animæ vegetans, & sentiens, datur ex paritate rationis ad negandam animam rationalem aditus. Sicut quondam apud D. Augustinum in cap. 1. Joannis, qui negabat muscam esse à Deo, inductus est ad inficiendum hominem esse à Deo. Nam ductus est à musca ad apem, ab Api ad locustam, inde ad avem, inde ad bovem, & inde ad hominem, &c.

Prædictus Carthesius in Hollandiam se recepit, deinde in Sueviam, ubique suæ Philosophiæ spargens semina non sine scandalo, & censura facultatum, Theologiæ, ac etiam Medicinæ. Inter alia, ista Philosophia in corporibus præter motum, requiem, situm, figuram, & extensionem, nihil agnoscebat, unde videbatur excludere accidentia realia. Dicebat nihil novi produci in mundo præter animam rationalem. Dubitabat, an bruta viverent; quibus dabatur intelligere, nullam aliam animam, ac qualitatem de novo produci. Quæ opiniones cum in Thesi Medicinæ propositæ fuissent, cum multa laude Carthesii in Universitate Lovaniensi, Internuntius Apostolicus conquestus est apud facultatem artium, &, ut consulerent Doctores Theologiæ, admonuit, &, si quæ propositiones in ea thesi saperent novitates Carthesii, expungerentur. Unde factum, ut dictam thesim gravibus notis censurarum proscriberet Facultas Theologiæ Lovaniensis, laudesque Carthesio datas improbavit, subjungens Catalogum errorum ipsius. Interpres ille erat. *Repugnat absolutè dari accidentia realia.* De quo sic censuit sacra Facultas: *Ex hoc consequens est non remanere accidentia panis, & vini in Eucharistia.* Ex uno disce omnes, ac non

A sine causa damnatos fuisse Romæ præfatos libros, propter quos etiam scandalum permanet, cum Eterodoxi plures libenter hanc Philosophiam amplexentur in locis, ubi viget hæresis, quod se posse per illam Pontificiis, ut ajunt, incommodare circa doctrinam fidei de transubstantiatione existiment.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

REgiminis Apostolici divina providentia nobis, quamvis immeritis commissa ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantumlicet in B Domino applicemus. Quamobrem Cornelii Jansenii hæresim, in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis prædecessore nostro ferè oppressam ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem, singulari constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed, ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sanè studio venerabiles Fratres Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & ca- C rissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit. Cum autem præfatus Rex Christianissimus, eodem religionis zelo ductus, per suum in urbe oratorem nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus Augustinus, excerptas sincerè damnarent, ac proindè illam à nobis, quanto citius expediri, ad qualibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtemptus flagitaverit. Nos tàm piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, **Formulam** infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episco- D pis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tàm regularibus, quàm sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses à die publicationis, seu notificationis præsentium, aliàs contra eos, qui intra terminum præscriptum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum decreta.

FORMULA
à supradictis subscribenda.

E EGo N. *Constitutioni Apostolicæ Innocentii Decimi datæ die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

Decernentes insuper præsentes litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscunque judices ordinarios, & delegatos, ubique judicari, & definiri debere, su-

blata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque exequantur, & exequi, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostram constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXIV. 15. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno decimo.

I. Cardinalis Prodatarius.

S. Ugolinus.

Visa de curia P. Ciampinus.

D. Ciampinus.

Atque hæc est illa fidei Formula, quæ post alias, seu à Congregatione Cleri Gallicani, seu à singularibus locorum Episcopis, in quibus nonnihil desiderabatur, proposita est à summo Pontifice ad finiendas controversias occasione libri R. Episcop. Yprensis in Gallia exortas. Cui Formulæ cum tamdem subscripsissent, qui antea magis subscriptioni reluctabantur, ut diximus classe 3. in Apologia Concilii Tridentini, majora dissidia conquieverunt. Et sanè verba à doctis prolata sunt intelligenda secundum loquendi modum peritorum, ut docet Jurisconsultus Chassanæus in catalogo gloriæ mundi 8. parte consid. XVII. Sed & Reverendiss. Pater Petrus à S. Josepho Religiosus Fuliensis duos edidit libros, unum Gallico idiomate, alterum Latino.

Liber idiomate Gallico editus Parisiis anno 1661. apud Franciscum Muguet ad insigne trium Regum habet inscriptionem responsionis accuratæ, *Response exacte* 1. Libro Dionysii Raymundi in Theologia Licentiati circa V. propositiones Jansenii pro tuitione Constitutionum, quas Innocentius X. & Alexander VII. ediderunt contra hujus Antistitis doctrinam: necnon declarationum, & ordinationum à Clero Galliæ prodeuntium contra eamdem doctrinam.

In quo libro istum Dionysium larvatum auctorem, nullus siquidem repertus hujus nominis, doctrinam Jansenii magis obscurare, quàm elucidare patet, cum non attendat ad principium fundamentale doctrinæ V. proposition. quod est discrimen, quod constituit inter gratiam primo homini datam, quæ erat sufficiens, & indifferentiam liberi arbitrii non excludebat; & gratiam datam hominibus post lapsum, quæ ita est sufficiens, ut etiam sit efficax, & inferat effectum suum necessario, licet absque coactione, exclusa illa indifferentia, & versatili ad utramque patem facultate. Ex hoc enim discrimine facili consequentia, quinque propositiones educuntur, ut ibidem palam fit, nec poterat Jansenius consequenter loquendo aliud sapere.

A Quod autem prætendat iste, contra quem scribit, Jansenium nihil docere aliud, quàm quod docent recentes Thomistæ, falsum est omninò, cum V. Propositiones expressè negentur à Thomistis, utrum verò eos docere dicendi saltem in aliquo principio generali, ex quo per evidentem consequentiam concludantur, argumentum est alterius disputationis, & est aliud medium. Thomistæ enim admisso antecedente, saltem quoad aliquid, negant sequelas omnes, quia admittunt gratiam sufficientem omnibus communem, & gratiam efficacem, quam omnibus non concedunt, volunt non excludere libertatis indifferentiam beneficio distinctionis sensus compositi, & divisi. Qua de re ipsi videant. Porrò iste liber constat 22. capitibus, & in procemio refert locum valdè insignem ipsius
B Jansenii ex commentariis in cap. 22. Lucæ versic. 32. pro privilegio concesso summis Pontificibus in docenda vera fide juxta D. Leonem sermon. 3. de Assumpt. sua ad Pontif. & D. Bernardum Epist. 19. ad Innoc.

Alter ejusdem Petri Fuliensis liber prænotatur, Consensus orbis de gratia sufficiente, innumeris sanctorum Patrum, & Theologorum testimoniis comprobatus, necnon à Pelagianismi, & Semipelagianismi nota contra Calvinistas vindicatus, Auctore D. Petro à Sancto Joseph Fuliensi. Maximè suggeritur humano cordi ab invisibilibus expugnatoribus inimicis, quia Deus nobis non est adjutor. Augustin. con. in Psalm. 4. Parisiis apud Gregorium Josse via Jacobæa sub signo spineæ Coronæ, ann. M. DC. LII. Liber constat ca-
C pitibus XII. pro variis locis auctorum, quos profert, ex quibus omnibus ritè perpensis infert dari gratiam aliquam sufficientem minimè efficacem, illamque, quantum est ex parte Dei, omnibus indifferenter offerri, unde mandata Dei non sunt observatu impossibilia, nullus peccat ex necessitate, Deum ex se velle salutem omnium, ac Christum pro omnibus mortuum, &c.

Item in Jansenii prætensum Augustinum, seu Augustinus liberatus à quatuor Sophistices Yprensis speciebus, novatoris scholæ ex methodo Augustiniana; Per Franciscum *Veron.* Regium in Controversiis fidei Professorem, & sacræ Theologiæ Doctorem. Parisiis apud Ludovic. Boulanger, &c. M. DC. XLVII. sic incipit. Contesseratio doctrinæ Jansenii, cum Calvino potius, ut criminantur multi, quàm cum
D Augustino, ut autumant alii, &c. contendit sic non agi de dogmate, de doctrina, de jure; sed tota quæstio est facti. Mihi, inquit, Episcopus Yprensis tom. 3. l. 3. de gratia Christi Salvatoris, qui est de gratia sufficienti, &c. c. 1. in hoc opere propositum est, non tàm ex meo sensu patefacere, quid ex parte rei de divinæ gratiæ adjutorio (& quo modo Deus vult omnes homines salvos fieri, & Christus sit Redemptor omnium, quæ sunt tres principes quæstiones totius voluminis inscripti, Jansenii Augustinus) quam quid statuerit Augustinus, atque ejus veram, genuinamque sententiam eruditorum oculis exponere; At quæstio hæc facti non potest esse de fide; Deus enim hoc non revelavit, & ne quidem Augustinum in vita unquam extitisse, &c. Quod tamen dictum Veroni ab aliis non probatur, cum etiam Jansenius
E assertivè loquatur, & Pelagianismi arguat contra se sentientes. Scopus autem totius libelli est ostendere quatuor species fallaciæ in citationibus D. Augustini à Jansenio allatis, ac duas potissimum, quibus ferè totum ejus volumen conteritur, 1. quæ dicitur, *ignoratio elenchi*, 2. *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, 1. Scilicet cum supponitur esse contradictorium alicui propositioni, quod non est: 2. cum altera propositionum tantum vera est aliquo respectu aut parte, aut tempore; ex qua tamen deducitur conclusio, quæ simpliciter, & omninò affirmatur. Libellus autem iste notatus est ab amplissimo Rectore pro tunc existente, non propter doctrinam,

de

de qua ipse non judicat, sed quod in ipsum aliqua minus reverenter effutiret.

Item liber Gallicè conscriptus *le secret du Jansenisme*. Secretum Jansenismi discoopertum, & refutatum per Doctorem Catholicum. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy, &c. an. M.DC.LI. Continet autem iste liber quatuor capita, 1. de Jansenismo in genere, ubi ostendit, Jansenistas omnem suam doctrinam ab hæreticis hausisse. Quod probat in sequentibus capitibus, 2. quod est de libero arbitrio. 3. quod est de gratia Jesu Christi, 4. quod est de necessitate peccandi, & impotentia ad servanda Dei præcepta. Liber hic multum displicuit Jansenii sectatoribus, quod in vulgus spargeret, istud ipsorum secretum fuisse, ex hereticorum spoliis se locupletasse. Nec fuit sine utilitate. Auctor autem nomen non apposuit: est tamen fama aliqua, P. Stephanum des Chanis S. I. fuisse auctorem hujus libelli, cujus extat alius liber majoris molis, & doctrinæ de libero arbitrio, in quo sub prætextu defendendi censuram Sorbonicam contra plures articulos Michaelis Baji, rationibus, & auctoritatibus pro Jansenio allatis eruditè, & disertè satisfacit. Qua de re supra actum est. Satis enim nobis hec indicasse, cum non intendamus novas disputationes instituere.

Item Dionysii Petavii S. I. opuscula duo.

Primum inscribitur *Elenchus Theriacæ Vincentii Lenis*. In quo maximè disputat de libero arbitrio, quod cum voluntario confundebat Vincentius ille, author etiam larvatus, contenditque essentialem libertatem positam in indifferentia, & potestate utriusque, quod ex variis illius descriptionibus, & vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium exprimant, ostendit. Hinc se extendit ad differentiam gratiæ primo homini datæ, & illius, quæ Christi meritis parta est, & locum Augustini l. de correp. & gratia, de auxilio *sine quo*, & auxilio *quo*, non nisi ad perseverantiæ donum pertinere, quod proprium est electorum, seu prædestinatorum, qui de facto perseverant, hoc opusculum eleganti stylo conscriptum, sicut & cæteræ authoris lucubrationes, constatque capitibus 29. 1. cap. inscita de Latinitate Vincentii expostulatio, sic incipit. In ipso libri aditu (nempe Vincentii) grave Petavio crimen objicitur, Latini sermonis elegantia. Meritò id quidem; nam nullum operi tàm illepido magis congruebat exordium, quàm querela de nitore orationis, & munditia, &c. cap. 29. Epilogus, in quo querelæ Vincentii Lenis occurritur de asperitate Petaviani styli. Opusculum editum est Parisiis apud Sebastianum Cramoisy an. 1648.

Secundum opusculum simul editum duos libros complectitur *de lege*, *& gratia*.

1. Liber constat cap. xv. estque contra secundum Apologeticum Yprensis Augustini, in quo multa contra veterem legem, & statutum veteris testamenti asseruntur, ut in eo impedientem gratiam adstruant, quæ ibi destruit Petavius.

2. Liber est *de gratia Christi*. Constat cap. 9. Primi titulus est, unde argumenti totius ferè libri deprehendas; Explicatur novorum dogmatistarum opinio de gratia Christi. 2. quam illi solam esse charitatis inspirationem asserunt. 3. Apologetici auctor huic doctrinæ consentaneus. 4. Nullum esse opus bonum ex illorum sententia, nisi fiat ex amore justitiæ. 5. Iidem virtutes omnes sola charitate metiuntur.

Cavilli Jansenianorum contra latam in ipsos à Sede Apostolica sententiam, seu Confutatio libelli trium columnarum, & aliarum conjecturarum, queis Janseniani obtinere conantur, ut non videantur esse damnati, à Patre Francisco Annato S. I. Parisiis, apud Sebastianum Cramoisy Architypographum Regis, & Reginæ 1654. In hoc opere exposita prius constitutione Innocentii X. Papæ an. 1653. qua quinque propositiones occasione impressionis libri,

A cui nomen *Augustinus*, & controversiæ in Galliis ortæ sibi per Galliarum Episcopos oblatas, ut de unaquaque illarum certum ferret judicium, variis, gravissimisque censurarum notis afficit, tùm ejusdem Innocentii Litteris ad ipsos Episcopos, quibus ipsis congratulatur, quòd ab ipso veritatem Catholicam quæsiissent, ac significat se, quid definierit de quinque propositionibus ad ipsos mittere eodem anno M. DC. LIII. Has sequentes quæstiones tractat. 1. an fabricatæ sint à Sorbonicis Doctoribus quinque propositiones, an ex ipso Jansenio excerptæ. 2. An, & quo sensu damnatæ sint Jansenianæ propositiones. 3. Quid significet exceptio, qua declaravit Summus Pontifex, non esse mentis suæ damnare doctrinam sancti Augustini; nec attingere controversiam de gratia per se efficaci. 4. Quid probent quædam eorum conjecturæ circa mentem
B sancti Augustini. 5. An quinque propositiones tantùm damnatæ sint in genere. 6. An servatus sit ordo legitimus, dum recurritur ad summum Pontificem, non premisso Episcoporum Galliæ Concilio. 7. Tertia columna Jansenianorum examinatur. 8. Vera columnarum dispositio ad repræsentandam Jansenianorum doctrinam, & censure Pontificiæ vim intelligendam.

Atque hinc conjicere licet, quibus artibus usi sint quinque propositionum defensores post ipsarum damnationem, ut innocentes apparerent, & ipse Innocentius reus, si fieri posset, haberetur in isto judicio. Nec diutius vacat immorari istis tricis, ob
C quas & Scholarum Theologicarum Cathedræ, & Ecclesiarum pulpita, & sacre pœnitentiæ tribunalia contentionibus redundarunt.

Alii insuper libri ejusdem auctoris, *de scientia media: & de scrupulo Jansenistarum*, ad subscribendum formulæ fidei, & constitutioni Innocentii acquiescendum: quos in compitorum angulis affixos vidimus tantùm. Sic bonus iste Pater Confessarius Regis Christianissimi, Paterque ipsius spiritualis laborabat in senectute ad reconciliandos exacerbatorum animos; & ne, ut loquitur, incautis, atque simplicibus, & imperitis illuderet ingeniosus error, & contumax. Pro quo charitatis officio non semel scriptis aculeatis eorum, quorum salutem promovebat, impetitus est.

D Item liber inscriptus: De Obedientia, & submissione, quæ debita est sanctiss. D. nostro Papæ in rebus fidei, per Magistrum Ludovicum Abelly Presbyterum Doctorem in Theologia. *Vir obediens loquetur victorias*. Proverb. 21. Parisiis apud Georgium Josse ad insigne Coronæ Spineæ via Jacobæa anno M.DC.LIV. cum Privilegio, & Approbatione. Hæc frons libri Gallicè quidem conscripti, sed tot habet citationes Latinas in margine, ut etiam Latinè scriptus censeri possit.

Constat hic liber capitibus sexdecim; quorum aliqua in paragraphos subdividuntur, totusque in eo est, ut probet, obediendum esse summo Pontifici in rebus fidei, cum ab ipso definiuntur. Id semper factitatum fuisse ab Episcopis, & omni parte mundi, ma-
E ximè ab Episcopis Galliæ, qui ab omni antiquitate consuluerunt Romanum Pontificem circa difficultates in fide, & disciplina. Refert Epistolam integram quadraginta Episcoporum Galliæ ad Leonem I. Pontificem, cum ad ipsos Epistolam suam misisset, quam ad Flavianum scripserat, & quæ in Concilio Chalcedonensi tanto applausu suscepta fuerat. Tandem refert Epistolam novissimam Episcoporum Galliæ ad Innocentium X. qua ipsius judicium expetunt super quinque propositionibus, cùm à decennio Gallia vehementissimis turbis commoveretur ob librum posthumum, & doctrinam R. Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi; obtestantur, ut has prefertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas sua expendat, & certum de

una

unaquaque sententiam ferat : *Mandata Dei*, &c. tales quidem motus sedari oportebat tùm Concilii Tridentini auctoritate, tùm Bullę illius, qua Urbanus Octavus felicis memorię adversus Jansenii dogmata pronunciavit, &c. Addit alias Episcoporum Epistolas, ac Brevia Sedis Apostolicæ, ac constitutionem ipsam Innocentii, quę noviter emanaverat. Mandatum quoque Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis pro suscipienda ipsa constitutione: ex quibus omnibus concludit, obediendum esse isti constitutioni tàm solemniter editæ; ut quodammodò tota Ecclesia cum ipso conspirarit Pontifice in anathematizandis iis erroribus, quibus vera fides destruitur, spes eripitur, charitas extinguitur. Nam, quæ spes superest, si mandata Dei sint ipsis justis impossibilia, & quàm languescit charitas erga Redemptorem, qui pro paucis tantum effudit sanguinem? Denique metuendum esse iis, qui in dictis erroribus permanent, aut alios in iis fovent, nisi pœnitentiam agant, & omni industria, qua poterunt, ab erroribus liberent omnes, qui ipsorum opera ipsis illaqueati fuerint.

Laudat inter alios scriptores Ivonem, qui epist. 81. scripsit: Sedis Apostolicæ judiciis, & constitutionibus obviare, planè est hęreticæ pravitatis notam incurrere; & Lanfrancum lib. de Euch. contra Berengarium: Beati Doctores, si non iisdem verbis, tamen communibus sententiis, concorditer multis in locis dixerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana Ecclesia in fidei doctrina discordat; & D. Fulgentium lib. de fide ad Petrum cap. 39. Firmissime crede, & nullatenus dubites, &c.

Item Joan. Martinez de Ripalda è Societate Jesu olim in Academia Salmanticensi Professoris primarii, &c. adversus articulos olim à Pio V. & Gregorio XIII. & novissimè ab Urbano VIII. PP. damnatos libri duo Ad disputationem de ente supernaturali Appendix, & tomus 3. De hoc supra dictum. Coloniæ Agrippinæ liber impressus est an. M. DC. LVIII. Addit in fine plura Brevia Rom. Pontificum, & plures actus promulgationum constitutionis Urbanianæ in variis locis factarum, & plures subscriptiones multorum Doctorum Lovaniensium: quibus declarant, eamdem Bullam se recipere, ac eidem se parituros. Denique ptotestatione Doctorum S. Theologiæ Duacensis ad Archiducem Leopoldum, qua inter alia testantur, se voluisse semper doctrinam illam Jansenii proscriptam, itaut nullum unquam ex Facultate Theologica Duacena infecerit.

Item. Anti-Jansenius, hoc est selectæ Disputationes de hęresi Pelagiana, ac Semi-Pelagiana: deque variis statibus naturę humanæ, & de gratia Christi Salvatoris. In quibus vera de illis doctrina proponitur, & Cornelii Jansenii falsa dogmata refutantur. Selectore, & auctore Antonino Moraines sac. Theologiæ Professore Lutetię Parisiorum sumptibus Sebastiani Cramoisy 1651. Liber iste magnæ molis est, veluti Bibliotheca omnium controversiarum contra Jansenium. Cujus librum integrum à principio ad finem, quasi in compendium redigit, & validè refellit in disputationibus XL. Pro coronide habet Antistateram triplicem, quam opponit paracollis Jansenii doctrinæ Theologorum cum Semi-Pelagianorum dogmatibus. Prima Antistatera, in qua doctrina Jansenii componitur cum definitionibus Concilii Tridentini. Secunda, in qua eadem confertur cum propositionibus damnatis Michaelis Baji in 34. capitibus. Tertia, in qua errores hæreticorum nostri temporis, & assertiones Jansenii parallelè appenduntur. Putatur auctor H. Q.

Item Historia Gottescalchi Prædestiniani, & accurata controversiæ per eum revocatę disputatio, in libros quinque distincta, quibus accedit, &c. Auctore Ludovico Cellotio Parisino Soc. Jesu, Theo-

A logo, Parisiis apud Sebast. Cramoisy 1655. cum Privilegio Regis. Ab Auctore tria proposita. 1. Ecclesiasticæ historiæ novi sæculi major, quàm quæ hactenus parta est illustratio. 2. Quæstionis Prædestinianæ, ut eo sęculo disputata est, Catholica expositio 3. Temporum nostrorum his in controversiis adumbrata similitudo. Scilicet patrocinium Gottescalchi à Calvinistis quibusdam susceptum, & plurima in illius historia ficta, & excogitata in favorem artis Jansenianæ, magis accuratum scriptorem hujus historiæ expetebant, qualem se præstat in his quinque libris Cellotius. Cap. ult. l. 5. hortatur ad subscribendum Concilio Tridentino, & constitutioni Innocentii in auctorem Dissertationis Historicæ, & Chronicæ pro Gottesc. qui hęresim Prædestinianam pro fabula habebat, & Hincmarum, ut iniquum Gotteschalci judicem traduxerat. Denique ad pacem hortatur Ecclesiæ reddendam. Cui dum bono, inquit, tot monumenta veterum aperta, tantum pulveris exaustum in excutiendis Bibliothecarum angulis, ad quid tot libelli vestri, Catechismi, Preces, Apologiæ, Historiæ, Epistolæ, Satyræ, volatiles chartæ, eandem centies cantilenam ad ravim, & nauseam repetentes? quid moliuntur compti illi sermones vernaculi, matronis, & aulicis oblati, elegantes fuci verborum, sensuum, locorum delicatæ corruptelæ, pellax, & sui lena oratio, suorum panegyrici, in adversarios sarcasmi attici, perpetua convitia?

Contē[illegible] infinitu[illegible]

C Item discrimina inter doctrinam Thomisticam, & Jansenianam, Authore P. Bernardo Guyard, Doctore, & Professore Theologiæ in Conventu S. Jacobi, Regi à consiliis, & concionibus. Parisiis apud Dionysium Thierry via Jacobæa sub signo S. Dionysii 1655. cum Privilegio, & Approbationibus. In præfatione ad Lectorem Ideam totius libri paucis proponit. Quis scopus fuerit Yprensis, quæris à me? quem minus lædentem effingere possum, novæ fundationis Academiæ pruritus mihi videtur. Neque enim Scotista, neque Thomista, neque, ut dicunt, Molinista est absolutè: partim ab uno, partim ab alio ad libitum sumit, singulisque, prout vult, gratiarum divisiones facit.

Prædeterminationem physicam culpat, Neophytos, D ut alliciat: Larvam istam noster primus tollet libellus. Gratiam sufficientem Angelico doctori incognitam fuisse non formidat asserere: hanc blasphemiam vindicat secundus. Vivam sine indifferentia prędicat libertatem, tàm diro axiomate ostendit tertius illius fieri sepulturam. Et hæc sunt capitalia doctrinæ Jansenianæ principia, quibus in hoc opere opponitur ex diametro Thomistica.

Lucubratio ista docta est, licèt stylus sit sæpè acer, & mordax, ferèque de omnibus controversis circa librum Yprensis disputat. Ita Thomistis recentioribus adhærens, ut tamen visus sit aliquibus nonnihil ab ipsis discedere. Penes ipsos sit istud litigium. Ultimus articulus libri habet pro titulo. Improprium est dicere doctrinam D. Thomæ (nempe circa prædestina- E tionem, & reprobationem, de qua ultimò agit) Jansenìana rigidiorem esse. Ac ibi relatis pluribus D. Tho. elogiis, ac illo Christi omnia in uno verbo dicentis: *Benè scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies?* De doctrina verò Janseniana, quæ vox de cœlo in terra audita est? &c. Quæ ergo conventio Thomæ ad Jansenium. Refutatque eos, qui volunt D. Thomam censuisse decreto suo absoluto Deum ad pœnam, sicut ad gloriam homines destinare. Prima, cùm sit gratia, absolutè pendet à voluntate divina: secunda, cùm culpam includat, oritur ab humana. Non intelligunt itaque, aut non intelligere fingunt, qui in via D. Thomę existimant, reprobationem esse decretum, quo Deus absolutè ante prævisa merita ad pœnam destinat. Nec hoc S. Thomas, nec ejus discipuli unquam sic locuti sunt; imò nec somniarunt. Hoc voluit Calvinus decretum, & monstrum simul for-

formans; quo non attentis hominum delictis æqualiter de pœna eorum, sicut de gloria decernit. Ab eo non longè abest hac in parte Jansenius, qui tollens indifferentiam rapit libertatem, & sic secundus, sicut & primus in bona, & mala electorum, & reproborum frotuna, cum aliquo tamen, sed levi discrimine, æqualia constituit decreta, & cęt.

Sed quæ severior illa doctrina, an quę gratiam sufficientem admittit, an quæ illam rejicit? quæ illam, ut pretiosum Dei donum prædicat, aut quæ monstrum eam appellat? quæ auxilium sufficiens omnibus dari, quotiescumque implendi præcepti occurrit occasio, sustinet, aut ea, quæ quibusdam justis volentibus conantibus deficere docet? In via D. Thomæ non prius Deus deserit hominem, quàm homo Deum deseruerit: hunc ordinem Jansenius evertit, & hoc contra doctrinam D. August. qui describit ordinem tentationis l. 21. contra Faustum c. 9. *Diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.* Responde igitur, an rigidior illa sententia, quæ præcepta possibilia facit, quàm altera, quæ impossibilia reddit? quæ mortem Christi ad omnes, quàm ea, quæ ad paucos tantum extendit? quæ concupiscentiam beneficio Salvatoris debilitatam, & quasi extenuatam affirmat, quàm quæ illam, non obstante pio Christi cruore, effrenem, & regnantem asseverat? An iterum austerior doctrina S. Thomæ, quę libertatem relinquit, Janseniana, quæ admittit? prior quæ indifferentiam conservat posteriori, quæ illam enervat? illa, quæ prævisis demeritis reos mittit in tenebras exteriores, hac, quæ non prævisis pœnas illis decernit intolerabiles.

Adjungendum hic opusculum de prædestinatione, & reprobatione, & auxiliis divinæ gratiæ, Cento Thomisticus, in quo pax Reipublicę cum Deo, & conscientiarum cum utrisque per doctorem Angelicum vindicatur. Nuntius ad Calvini asseclas, & Lutheri, quod D. Thomas non erat cum eis, ad Præceptorem Scholasticorum F. Thomæ Campanellæ Ordinis Prædicatorum, ut ait in fronte Opusculi, Parisiis apud Tussanum du Bray an. M. DC. XXXVI. Unde apparet Librum editum fuisse ante Jansenii Yprensis Augustinum. Quasi tamen præsensisset illud opus, ex quo tot commotiones ortæ sunt, tàm doctè, & solidè pręcipua illius afferta evertit, ex doctrina ipsamet Doctoris Angelici, ut nihil aptius opponi potuisset ingenti isti volumini, totque quæstionibus referto Augustini Yprensis. Faciat periculum, qui voluerit, & integrum opusculum percurrat, dicet profecto confutatum Jansenii volumen, antequam appareret, per Thomam Campanellam D. Thomæ Aquinatis ingenuum, & fidelem interpretem, si quis umquam extiterit. Quamvis minimè necesse fuerit nuntium mittere ad Calvium, quod D. Thomas non erat, cùm id non ignoravit Calvinus, qui l. 3. instit. c. 22. statuens doctrinam suam de prædestinatione, & reprobatione, in D. Thomam se agere significat, num. 9. Ac ne illam quidem, inquit, Thomæ argutiam moramur, præscientiam meritorum non ex parte quidem actus prædestinantis esse prædestinationis causam: ex parte autem nostra quodam modo sic vocari posse... Quod si certare subtilitate libeat, non deest, quo istam Thomæ argutiolam retundamus. Ipse contendit, gloriam electis quodam modo prædestinari ex meritis, quia gratiam illis prædestinat Deus, qua gloriam mereantur. Quid, si contra excipiam prædestinationem ad gratiam electioni ad vitam subservire, esseque veluti ejus pedissequam? &c. Sed hęc per transennam. Opusculum istud à Doctoribus Parisiensibus ejusdem ordinis, & aliis approbatum constat capitibus XIV.

Cap. 2. Duplicem in doctrina D. Thomæ dari prædestinationem, scilicet antecedentem prævisionem meritorum, secundum quam omnes, ut Pater vult salvos facere, & hæreditatem promittit, si permaneant in filiationis professione. Alteram consequentem prævisionem meritorum, & demeritorum, secundum quam Deus, ut Judex, non vult omnes salvos facere, nisi eos, qui obedierint mandatis, & permanserint in rectitudine, vel ad filialem rectitudinem revertuntur in finem: qui verò exorbitant, & non revertuntur, damnari: quoniam duplex est voluntas, cujus utriusque objectum est bonum.

Cap. 4. Opinio de reprobatione confutata repetitur, & argumenta loquentium non rectè in doctrina D. Thomæ pro ipsa apponuntur.

Cap. 7. art. 1. Examinandam esse opinionem, quod Deus movet omnes creaturas, & naturales, & liberas efficaciter, & de sufficiente, & efficaci motione. Art. 5. Omnem gratiam ex parte Dei efficacem esse ad id, propter quod datur: sed ex parte hominis dissentientis, aut non cooperantis fieri inefficacem, & eamdem esse sufficientem, & efficacem apud D. Thomam. Citat inter alia electionem 5. super cap. 6. Joannis.

Cap. 8. art. 2. Distinctionem de sensu diviso, & composito secundum D. Thomam non valere in caussis voluntariis, sed solùm in naturalibus. Et qui movetur ad bonum à Deo, aut ad malum, posse de facto dissentire, & in sensu composito absque contradictionis implicatione. Et hanc distinctionem etiamsi valeret in voluntariis non posse salvare libertatem, quoniam ex adversa positione nunquam in sensu diviso reperitur.

Cap. 12. art. 1. Deum nulli hominum nationi, nulli sexui, nullique ætati ad consequendum Deum, ut bonum naturale, & supernaturale, auxilium non dedisse ante, & post peccatum originale, & actuale, solosque impenitentes reprobari ex prævisione impenitentię finalis.

Art. 3. Deum dare gratiam, & remedium omnibus; ideoque peccatum non esse causam reprobationis, sed solùm finalem impœnitentiam. Item dare negativè, & contrariè repugnantibus, nedum dispositis: At non accipere repugnantes contrariè sicut ex ignorantia, & fragilitate. Iterum citat lect. 5. super cap. 6. Joannis, &c. concludit illum art. *Tota die expandi manus meas ad populum contradicentem mihi.* Et apud Ezech. clamat: *Revertere prævaricatrix meretrix, & ego suscipiam te, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et propterea concorditer dicunt Theologi, quod usque ad exhalationem animæ non est desperandum, quoniam Deus illuc usque vocat, juvat, inspirat. Sectarii verè desperant ab æterno, & cæt.

Porro iste auctor censet mentem D. Thomę hauriendam esse non ex sola Summa, sed ex omnibus illius libris, ut ipso in *Opusculo* 72. Nec reputat Summam excellere omnibus aliis ejus libris, ut quidam inadevertenter illam extollunt, quoniam non est opus perfectum, nec editum à D. Thoma; & putandum, quod si vixisset, ac perfecisset, meliorasset opiniones non paucas. Unde Virgilius Æneidem, quam non absolvit morte præventus, jussit incendio dari, & per regulam juris, ultimum rescriptum non tollit primum, nisi sit perfectum, & specialem mentionem contra primum faciat. Unde Doctores Sorbonici, inquit, in multis opinionibus præsertim de B. V. conceptione approbant, quod dicit in sententiis, potius, quàm in Summa.

Unde judicandum est de mente D. Thomæ.

Item P. Annatus S. I. plura opuscula edidit. Inter alia reperitur *Augustinus à Bajanis vindicatus.* Item aliud opusculum; *Jansenius à Thomistis gratiæ per seipsam efficacis defensoribus condemnatus* ann. M. DC.

M. DC. LIII. apud Sebastianum Cramoisy. Sunt autem hi Thomistæ, Didacus Alvarez, Gonzales de Albelda, Joannes Paulus Nazarius Cremonensis, Didacus Nuguez Cabezudo, Petrus Ledesma, Baltazar Navarette, Joannes à Sancto Thoma, quorum verbis quinque propositiones damnatas ostendit, etsi gratiæ per se efficacis assertores, ac defensores extiterint.

Alexander VII. Idem duabus constitutionibus quadraginta quinque propositiones damnat, & prohibet. In prima, feria V. die 24. Septemb. 1665. damnat viginti octo, ut patet ex hoc extracto.

Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis crescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quam si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem sanctissimus Do. noster, ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Emin. & Reverend. D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus seriò commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulo incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, qua de occultis criminibus sermo est, an. 1629. Julii, in Consistorio sacræ Congreg. Eminentiss. Card. visa, & tolerata est

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione: ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis, est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere

A collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, seu ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit precepto annuæ confessionis, qui
B confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere, minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus re-
C ligioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœnalis.

21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suę obligationi, si officium per alium
D recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens, commisi cum soluta
E grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam

Qui-

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re maturè considerata, statuit, & decernit, prædictas propositiones, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas: sicut eas damnat, ac prohibet. Itaut quicunque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus S. Rom. & universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris D. D. Alexandri divina providentia Papæ septimi anno undecimo, supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis urbis, per me Carolum Melanum ejusdem sanctissimi D. nostri Papæ, & sanctissimæ Inquisitionis cursorem.

Romę ex Typographia Rever. Cameræ Apostolicę 1665.

Feria 5. die 18 Martii 1666.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster post latum decretum die XXIV. Septemb. proximè elapsi, quo viginti octo propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos D. D. Cardinales adversus hæreticam pravitatem generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridenti factum sacrificanti Sacerdoti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Rigalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendum sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet. Itaut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando; ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus S. Romanę, & universalis Inquisitionis Not.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate D. N. J. Christi millesimo, sexcentesimo, sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. Mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. Alexandri, divina providentia Papæ VII. anno 11. supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis cursorem.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ 1666.

Hæc

Hęc Alexander VII. ad finem imponendum arduæ, ac difficili controversiæ de casibus conscientiæ sine infamatione, ac nota ullius scriptoris, seu antiquioris, seu recentioris: ac sine asperitate illa tot gravissimarum censurarum, quibus quidam Theologos morales perstringebant. Quod verò de pluribus, ac iis, de quibus etiam agitabatur quæstio, nihil definierit, an ob finem vitę imminentem, an quia expedire visum non est incertum. Nec enim omnes censent morales omnes difficultates, quæ innumeræ sunt, explanari debere per auctoritatem Ecclesiæ. Qua de re disputat Ochamus in dialogo l.1.c.31. distinguens triplicis generis errores, præter heresim, de quibus quæritur, an, & quale judicium possit de iis ferre Pontifex. Sed & Dominicus Soto de justitia, & jure l.6. q.1. art.6 Papa, & Concilium, in quibus residet auctoritas summa condendi tùm articulos fidei, tùm & morum leges, non curant falcem suam mittere ad definiendas, tanquam de fide, Philosophię disputationes, quæ non ex sacra scriptura, sed ex nuda Philosophia eliciuntur: qualis illa est, quę instituitur ad examinandum, quisnam contractus sit usurarius, quis verò ab hoc crimine liber? Hoc enim non ex sacra Scriptura colligitur, unde suas veritates elicit sancta sedes, sed ex media, meraque natura rerum.

Aliud denique est prohibere usuras sub his, aut aliis censuris; quod cum non solùm ex morali Philosophia, sed ex sacra Scriptura colligitur, Apostolicum est munus proprium: aliud verò examinare, quisnam contractus sit usurarius, quod permittit ex sola natura rerum expendi.

Sed rogas, inquit, numquid non esset Ecclesiæ conducens, ut casus omnes, de quibus dimicatur, sintne usurarii, Ecclesię auctoritate definirentur? Apparet enim hoc ad salutem animarum necessarium. Respondetur minimè id expedire, ut tanquam de fide definirentur, si tales sunt, qui nonnisi ex mera Philosophia perpendi debeant: quoniam Spiritus sanctus non curat Ecclesiæ, nisi Scripturam sacram exponere, & leges necessarias sancire. Et quandò sunt opiniones probabiles inter graves Doctores, quamcumque sequaris, in tuto habes conscientiam. Secus de immortalitate animæ, ac similibus veritatibus, quę licèt inter Philosophos disputentur, nihilominùs in sacris habentur, vel inde colliguntur.

Idem ferè docuerat Ochamus in Dialogo lib. 1. c.31. ubi quærens, an liceat Papæ alios errores, quàm hæreses condemnare, resolvit, triplicis generis esse errores. Quidam enim sunt in puris Philosophicis, qui nec fidei, nec moribus contrariantur. Et secundum illum tales errores non potest Papa damnare, cum ea tenere, vel negare nullum ferat periculum, & esset illaqueare animas fidelium ad credendum aliquid sine utilitate. Alii sunt errores repugnantes iis, quæ in gestis fidelium, Chronicis, aut Historiis fide dignis habentur. Et dicunt quidam, quod Papa possit eos condemnare, non tanquam hæreticos, sed tanquam periculosos, & Ecclesiæ perniciosos, cum debeat damnis, & periculis populorum obviare Alii sunt errores, ex quibus convenit aliquam hæreticam pravitatem inferre, etiam quæ dicuntur sapere heresim manifestam, & largè possunt hæreses appellari; & tales errores, non tanquam hæreticos strictè loquendo, sed tanquam sapientes hæresim manifestam licet propriè damnare.

An autem omnes hę 45. propositiones falsæ sint habendæ ex vi hujusmodi decretorum Alexandri VII. dubitari posset, quia non damnat illas, ut falsas, aut erroneas, vel hæreticas, sed tantùm ut scandalosas ad minus. Siquidem aliqua doctrina non solùm dubia, & probabilis, sed etiam certa, & vera, quandò per accidens est perniciosa, & scandalosa, interdici potest, ut constat in Bibliis sacris vulgaris idiomatis, quæ interdicuntur; etsi doctrinam fidei, & morum

A contineant; ut advertit Dominicus à sancta Trinitate Biblioth. Theolog. l. 3. sect. 15. c. 14. Quicquid sit autem de hac difficultate, certum est amplius, non licere tales propositiones, vel docere, vel ad praxim reducere. Itaque prudenter acturi sunt, qui ab istis maturiori consideratione deinceps abstinebunt, præstat enim se corrigere, quàm à Deo corrigi, neque boni scriptores, sicut & judices, ita cervicosi, & suæ opinioni adhærere debent, ut ex rationabili causa sententiam aliquandò non mutent. Et sicut malum est homini, ut veritas eum vincat invitum; sic bonum est, ut volens vincatur ab illa. Et hic est fructus illius magnæ commotionis de casibus conscientiæ.

CLEMENS X.

B Recens Constitutio Clementis X. in qua Regularium privilegia, quoad prædicationem verbi Dei, & sacramenti Pœnitentię administrationem declarantur.

Arrestum in causa R. Episcopi Agenensis contra quosdam suæ Diœcesis Regulares in privato Regis Christianissimi consilio, ipso Rege præsente datum, quo definiuntur hujusmodi controversiæ de privilegiis Regularium circa prædicationem verbi divini, & sacramenti Pœnitentiæ administrationem pro voto ejusdem Illust. Episcopi Agenensis, quodque Arrestum per totius regni provincias vim, & robur obtinere debere statuit Rex idem Christianissimus, ut immortales non essent lites inter R. Episcop. & ipsos Regulares, ad præsentem constitutionem induxisse summum C Pontificem, non pauci ex sapientibus existimant, ut nempe constitutione Ecclesiastica res spirituales administrarentur.

Sic autem orditur constitutio. Superna magni Patris familias creditum nobis Universalis Ecclesiæ mysticum agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animum libenter in eas curas intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes; fiat etiam cor unum, & anima una: sic etenim evulsis opportunè zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus: quo benedicente messes multa fructu centesimo celeste in horreum congregabitur. Sanè cùm sacri Concilii Tridentini D decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscumque ordinis, &c. *Et expositis circa privilegia dissensionibus, ac quo modo plurimorum Pontificum constitutionibus compositę fuerant, ad firmiorem pacem in posterum has constitutiones in unum collectas, ait, se novis Apostolicis litteris muniendas, & roborandas duxisse pro summo, quo fungitur, Apstolatus officio.* Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, &c. generalia, & perpetuò valitura constitutione decernimus, inquit, & declaramus.

Regulares, qui in Ecclesia sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis E illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis, licere Regularibus prædicare; eosque contravenientes ab illo, tanquam Sedis Apostolicę delegato, censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim constitutionis felicis record. Gregorii XV. prædecessoris nostri, incipientis, inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse, Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere; & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem

coram

corām populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum sanctimonialium, eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, et nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum regularibus in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint; quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus; quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro unica vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tàm Prælatos Regulares, quàm Cofessores regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, pro ut iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque infirmorum etiam confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi. Sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad Confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat; de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse voluit, cum præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semet ipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem, omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quin immo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos, ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur, ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum provocandum; sed cum ejus sit interpretari, cujus est concedere; dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout alias constitutiones prædecessoris nostri Fel. Rec. Clementis IX. statutum fuit; esse requirendum.

Atque his Canonibus statutis subjungit ea, quibus omnes sine ulla, & ullius exceptione teneantur exequi, irritum declarans, quicquid à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno primo. G. Dat. Visa de Curia. Ciampinus. I. G. SLUSIUS.

D. CIAMPUS.

IDem Clemens X. concessit, ut Alberti Magni Officium, & Missa solemni ritu per totum orbe m[illegible]lebrarentur in ordine Prædicatorum, cum prius illud

illud idem concessisset Urbanus VIII. celebrari per totam Germaniam, & Alexander VII. per totam Rempublicam Venetorum, & Gregorius XV. an. 1622. idem Officium celebrari in Ratisbonensi Metropoli concessisset, cum bis aperto ejus loculamento semel post aliquod tempus, à quo corpus terræ mandatum fuerat, vestes intactæ apparuerunt, corpusque integrum mirum spirans odorem: iterum ducentis post an. scilicet 1483. in majori virorum nominatorum frequentia corpus adhuc illæsum, & planè incorruptum omnes, qui aderant, stupore, & admiratione defixit. Nec id tamen ad Apotheosim satis esset, nisi elogium animæ ipsius mirabilia alia subministraret.

Albertus Deiparæ Philosophus,
Thomas Verbi Theologus fuit.
Benè hic de Filio, benè ille scripsit de Matre.
Uterque magnus, sed ille Magister, hic Discipulus.

Benè usus scientiis, quas acceperat commodatas,
Implevit orbem octingentis libris,
Satis unus omnibus Bibliothecis;
Nec mirum, si omnibus sufficit, qui Thomæ Discipulo satis fuit.

Media ætas Alberti illustris, omnibus humilis fuit.
Magister sacri Palatii maluit Germaniam docere, quàm Romam,
Ratisbonenses infulas sponte exuit, quas invitus acceperat.
Vix inter suos provinciam regere voluit, qui Ordini regendo par erat,
Fundator Ordinis futurus, nisi Dominicus præcessisset,

Qui omnia didicit à Maria, nihil melius didicit, quàm Mariam,
Scivit illam antequam aliquid disceret,
Illam scivit, postquam omnia dedidicit,
Prima hæc vox erupit infanti, & ultima seni.

Obiit Clarus miraculis anno ætatis 87.
Nec minore prodigio amisit scientias, quàm accepit,
Beatus, qui amittere scientiam voluit, ut innocentiam retineret.

Expectatur prope diem decretum ab eodem Clemente X. de beatitudine Patris Borgia, & aliquot aliorum sanctitate illustrium virorum.

Pontificum aliquot aliorum Constitutiones Diœcesanæ.

Exhibitis hactenus aliquot decretis, ac constitutionibus Pontificum Rom. quas extra Concilia generalia, aut Provincialia ediderant, alias paucas addimus aliorum Pontificum, quas desiderassent, qui omnia Conciliorum genera exoptant, noruntque aliud esse regimen amplioris alicujus provinciæ, quàm singularis Parochiæ, aut Diœcesis.

Odonis Parisiensis Episcopi Synodicæ Constitutiones circa annum 1200.

Odo de Sully Nepos Theobaldi Magni Comitis Campaniæ, consanguineus Philippi Augusti Franciæ, & Henrici II. Angliæ Regum, Successor Mauritii in Parisiensi Pontificatu, commendatur à Stephano Tornacesi Epist. 225. & à Petro Blesensi Epist. 126. 127. & 160. à nobilitate generis, honestate, auctoritate, prudentia, liberalitate in pauperes ab ipsa ineunte ætate, nec non à vigilantia in gregis sui custodia usque ad annum 1208. quo è vivis excessit. Quibus non parum attestantur statuta ejus Synodalia de Sacramentis præcipuè edita.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis incipiunt prohibitiones, & præcepta observanda ab omnibus Sacerdotibus, data à venerabili Odone Parisiensi Episcopo.

Flore[...] circa a[...] 1175.

De modo, & tempore celebrandi Synodum.

Fit Jovis in luce Synodus, quæ proxima Lucæ,
Lux Jovis hæc replicat tertia Pascha sequens.

1. Ibi in principio Synodi, antequam cantetur Veni Creator Spiritus, quæratur, utrum præsentes sint Abbates, & Sacerdotes, qui tenentur Synodo interesse: Et hoc facto, incipiat Episcopus alta voce, Veni Creator: quo finito, dicantur orationes, his precibus præcedentibus, Pater noster: Et ne nos, &c. Benedicamus Patrem, &c. Post partum, &c. Lætamini in Domino, &c. Fiat pax, &c. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, &c. Actiones nostras quæsumus Domine, &c. Deus, qui salutis æternæ, &c. Propitiare quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per Sanctorum tuorum, quorum corpora, vel reliquiæ in Ecclesia præsenti requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Infirmitatem nostram quæsumus Domine, respice, &c. Deus, à quo sancta desideria, &c. Per Dominum, &c.

Synod[...] olim ce[...] brabat[...] eo toto [...] duo, i[...] cum te[...] moniis[...] precib[...] solemni[...] quales [...] hic des[...] buntur, [...] videre [...] apud [...] initio [...] tom. Co[...] liorum, [...] Burchar[...] dum, a[...] nem Con[...] lii Sal[...] stadiens[...]

Finitis Orationibus, residebunt, & legetur lectio, qua lecta fiet Sermo.

Finito sermone, licentiabit Episcopus laicos, & scholares, & alios Clericos, qui non debebunt synodo interesse. Hoc facto, legantur præcepta synodi. His expletis, dicantur capitula, quæ sunt addenda, & in fine districtè præcipiatur, ut serventur à Sacerdotibus. Deinde sequantur preces pro necessitate locorum, & personarum.

2. Districtè præcipitur Sacerdotibus, ut jejuni intrent synodum: in jejunio enim debet fieri, & oratione.

3. Districtè præcipitur, ut induti albis, & stolis intrent Sacerdotes synodum illam, quæ celebratur tempore Paschali: illam verò, quæ fit Septembri, superpelliceis tantùm, & stolis.

4. Prohibetur Sacerdotibus, ne causas adducant ad synodum, aut aliqua negotia, quæ non pertinent ad quosdam, & ne sibi tunc * minuatur, cum debent synodo interesse, prohibetur.

5. Præcipitur districtius, ut omnes Presbyteri maximè curam animarum habentes veniant ad synodum, & si gravi infirmitate detenti, aut alia necessitate inevitabili venire non potuerint, suum capellanum mittant, aut Clericum loco suo.

** Venam aperiri f[...] ciat qui[...] piam a[...] sanguine eliciendu[...] prætextu morbi.*

6. Præcipitur, ut in eundo, & redeundo à synodo, honestè ambulent Presbyteri, & honesta quærant hospitia, ut in eis circumspectè se habeant, ne status Clericorum vertatur in contemptum, & opprobrium populo. Præcipimus in virtute Domini nostri, & Dei, & obedientiæ, ut honor maximus, & reverentia debita singulis Sacramentis sanctæ Ecclesiæ præcipuè à Sacerdotibus, & Clericis exhibeantur, & ut laici similiter exhibeant, in quantum Sacerdotes moneant eos, et exhortentur.

Capitula Baptismum tangentia.

Baptismus cum reverentia, & honore celebretur & cum magna cautela sub hac forma. N. Ego baptizo te, In nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti, & caveat maximè in distinctione verborum, & in prolatione, in quibus tota virtus consistit Sacramenti, & salus puerorum: s. N. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et in Romano sub eadem forma doceant frequenter Sacerdotes, laicos baptizare debere pueros in necessitate: patrem etiam, & matrem, in summa necessitate, & post

& post inundationem ea facient Sacerdotes pueris, quæ solent fieri post immersionem. A

2. Pro baptismo nihil omnino ante exigatur; sed post, laudabilis consuetudo exigi potest.

3. Fontes sub sera clausi custodiantur propter sortilegia. Chrisma similiter, & sacrum oleum sub clave servetur.

3. Semper sacerdos interroget laicum diligenter: cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit, & quid fecerit. Et si invenerit laicum discretè, & modo debito baptizasse, & formam verborum in Romano integrè protulisse, approbet factum: sin autem, baptizet puerum modo debito. Et hic est modus: Petre, si es baptizatus, non te rebaptizo, si non es baptizatus, ego baptizo te, &c. B

4. Ad elevandum parvum de fonte tres ad plus recipiantur, quod enim amplius est, à malo est.

Capitula de Sacramento Confirmationis.

Sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum.

2. Post baptismum debet suscipi Sacramentum Confirmationis.

3. Quod si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & postea confirmetur.

4. Sæpe dicatur laicis, ne expectent diu, ad confirmandum pueros ad adventum Episcopi: sed ducant eos ad eum, nisi adesse audierint prope, & quod possint nomina mutari pueris, si velint in Confirmatione, aut si visum fuerit expedire. C

5. Nullus sacerdos confirmare, aut consecrare virgines præsumpserit: solius Episcopi est confirmare, Virgines consecrare, Ecclesias dedicare, Ordines dare.

Capitula de Sacramento Altaris.

1. Summa reverentia, & honor maximus sacris Altaribus exhibeatur, & maximè, ubi Sacrosanctum Corpus Domini reservatur, & Missa celebratur.

2. Linteamina Altaris, & indumenta sæpe abluantur ad reverentiam, & præsentiam Salvatoris nostri, & totius Curiæ cœlestis, quæ cum eo præsens adest, quoties Missa celebratur. D

3. Calices, quibus infirmi communicantur, decorentur, mundi custodiantur, ut devotius communicent infirmi.

4. Ampullulæ vini, & aquæ in Ministerio Altaris mundæ, & integræ habeantur: similiter ampullulæ Chrismatis, & olei sancti.

5. Non permittant Presbyteri, Diaconos (comminatur Episcopus eis, qui hoc non servant) deferre infirmis Sacrosanctum Corpus Domini, nisi in necessitate, cum Sacerdos absens fuerit: Sed semper Sacerdotes cum magna reverentia, & maturitate *deferant* in pixide eburnea benè clausa propter casum, & cum lucerna præcedente, cantantes septem Psalmos Pœnitentiales cum Litania pro infirmo, eundo, & redeundo; si longa via fuerit, addant quindecim Psalmos; & alias orationes: sic enim debitum persolvunt infirmo, & audientes invitent ad exhibendam Deo reverentiam, & honorem, & orationem. E

6. Frequenter moneantur laici, ut, ubicunque viderint deferri Corpus Domini, statim genua flectant, tanquam Domino, & creatori suo, &, junctis manibus, quousque transierit, orent.

7. In pulchriori parte Altaris cum summa diligentia, & honestate, sub clave Sacrosanctum Corpus Domini custodiatur.

8. Nulli Clerico permittatur servire Altari, * malè ornato, servato in majori Ecclesia, nisi in superpelliceo, aut cappa clausa.

*Fortè nisi in ornatu servato, in majori Ecclesia, scilicet in, &c.

9. Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate.

10. Nullus antequam matutinas dixerit Canonicas, & Primam, præsumat in aliqua necessitate celebrare Missam.

11. Ad horas beatæ Virginis semper tertius versus dicatur, capitul. ut observat H. S. *Maria Mater gratiæ*, & cantetur in Ecclesia cum nota, & devotione, vel in * regendo, ac calvendo.

*For. legēdo, ac canendo.

Capitula de Confessione.

Sacerdotes circa confessionem maximam curam adhibeant, & cautelam: scilicet, ut diligenter peccata inquirant usitata, sigillatim: inusitata, non nisi à longè per aliquam circunstantiam, sic tamen, ut ex peccatis detur materia confitendi. Cap. I.

2. Ad audiendum Confessiones communiorem locum in Ecclesia sibi eligant Sacerdotes, ut communiter ab omnibus videri possint: & in locis abditis, aut extra Ecclesiam nullus recipiat confessiones, nisi in magna necessitate, vel infirmitate.

3. In confessione habeat sacerdos vultum humilem, & oculos ad terram, nec aspiciat vultum confitentis (maximè mulieris) causa debitæ honestatis, & patienter audiat, quæ dixerit, in spiritu lenitatis, & ei pro posse sub pluribus modis persuadeat, ut confiteatur integrè: aliter emim dicat ei nihil valere.

4. *Incestum faciens, deflorans, aut homicida*
Pontificem quæras: Papam, si miseris ignem,
Sacrilegus, patris percussor, vel Sodomita.
Si percussisti Clericum, Simonve fuisti.

5. Sacerdotes majora reservent majoribus in confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestum, & stupra virginum: injectiones manuum in parentes, vota fracta, & hujusmodi.

6. Sunt tria, in quibus nullus habet potestatem absolvendi, nisi Dominus Papa, vel ejus Vicarius, nisi in necessitate: scilicet in injectione manuum in Clericos, vel quosvis Religiosos, in incendio, per quam sententiam sunt vocati Simoniaci: nihilominus tamen talium rei remittendi ad Episcopum.

7. In dubiis semper Confessor consulat Episcopum, aut sapientes viros, nisi ex necessitate, quorum consilio certificatus, solvat securius, aut liget: maximè prælatos suos.*

*Videlicet consulat.

8. Audita confessione, semper Confessor interroget confitentem, si velit abstinere ab omni mortali: aliter verò non absolvat eum, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat, sed moneat, ut iterum faciat, quicquid boni poterit, ut Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

9. In injungendis parvis pœnitentiis sibi caveant Sacerdotes, secundum enim qualitatem culpæ, & possibilitatem confitentis debet esse qualitas pœnitentiæ, alioquin, quod minus est, requiretur ab eis.

10. *Cum furto raptus, cum fœnore Simonis actus,*
De sic possessis eleemosyna non fit ab ipsis.

11. In furto, rapina, usurâ, fraude sibi valde caveant Sacerdotes: non alias injungant pœnitentias,

tias, scilicet Missarum, eleemosynarum, & hujusmodi, priusquam reddiderint: non enim tale dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

12. Nullus Missas, quas injunxerit, celebret, nec tricenarium, nec annuale, & pro minus nullus triennale, & quinquennale.

13. Frequenter Presbyteri moneant ad confessionem, & præcipuè ab initio Quadragesimæ instanter præcipiant venire generaliter ad confessionem.

14. In confessione, caveant sibi Confessores, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantum, & qualitates: & si confitens indicaverit, arguat eum Confessor, & secretum illud teneat sicut confitentis peccatum.

15. Nullus ira, vel odio, vel etiam metu mortis in aliquo audeat revelare confessionem signo, vel verbo ullis, generaliter, vel specialiter: ut dicendo. Ego scio, qualis est is. Et si revelaverit, absque misericordia debet degradari.

16. Omnes præcipiant instituta jejunia servari, ut jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, nisi ex magna, & rationabili causa contra fiat, & sextæ feriæ: ex debito enim tenentur facere talia jejunia.

Capitula circa matrimonium.

1. Matrimonium cum honore, & reverentia celebretur, non cum risu, & joco, ne contemnatur, etiam si secundò, & tertiò fiat: & antequam fiat, semper tribus Dominicis, aut tribus festivis diebus æquè distantibus quasi tribus edictis, perquirat sacerdos à populo, sub pœna excommunicationis de legitimitate sponsi, & sponsæ, qui debent conjungi, & ante fidem datam de cotrahendo matrimonio, & ante hæc tria edicta, nullus audeat aliquo modo matrimonia celebrare.

2. Prohibeant firmiter laicis per excommunicationem, sortilegia fieri: malefici quoque, & celantes consanguinitatem, & alia impedimenta matrimonii, votum, ordinem, consanguinitatem, affinitatem, disparem cultum, compaternitatem, quæ tantum quatuor à matrimonio excludit personas: compatrem, commatrem, filiolum, & fratrem, & sororem spiritualem, scilicet filium, vel filiam patrini. *

*Hic deest, Excõmunicati publicentur.

3. Nullus Sacerdos audeat perficere matrimonium in casu dubio, inconsulto Episcopo, sed ad eum semper referat omnes matrimonii dubietates, si opus fuerit.

4. Prohibetur districtè sub pœna suspensionis, ne ullus sacerdos, aut capellanus exigat aliquid ante benedictionem nuptialem, sive pro testimonio ferendo, sive pro matrimonio celebrando, occasione ferculorum; quæ debentur pro nuptiis: celebrato autem matrimonio, recipiat fercula sua, & exigat, si necesse fuerit, sicuti consuetum est.

5. Prohibeat sacerdos in Ecclesia publicè sub excommunicatione, ne alter conjugum transeat ad religionem, aut recipiatur, nisi per Episcopum.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Cap. 1. Infirmi quomodo visitandi, & admonendi sint, vide conc.

1. Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, & eos ungant Sacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ, & nihil inde penitus exigatur, sive à paupere, sive à divite.

2. Sed si quid gratis datum fuerit, gratis accipiant. Ad Sacramentum Extremæ Unctionis mo- A neant populum Sacerdotes, non tantùm divites, & senes, sed pauperes, & juvenes omnes, à tempore discretionis, maximè à quatuordecim annis, & supra, & omnes communiter, ut se paratos exhibeant, cùm necesse fuerit. Doceant frequenter populum hujusmodi Sacramentum licitè iterari, & sæpe recipi, scilicet in qualibet magna infirmitate unde metus est mortis; & post susceptum, licitè reverti ad opus conjugale eum, qui convaluerit de infirmitate.

Nam... Cap. ... Cap. ...

4. Librum, qui dicitur Manualis, habeant singuli Sacerdotes Parochiales, ubi continetur ordo servitii, Extremæ Unctionis, Catechismi, Baptismi, & hujusmodi.

5. Habeant singuli Canones Pœnitentiales, & ordinarium Officiorum Ecclesiæ, secundum usum, & mo- B dum, qui servatur in Ecclesia majori.

6. Moneantur Sacerdotes, ne testamenta sua ordinent per manum laicalem, & ipsi frequenter prohibeant laicis, ne sua testamenta faciant sine præsentia Sacerdotis, dicat * Episcopus, quod non faciant eis in unum.

*Locu... corrup... est, & quidp...

Hic incipiunt Communia præcepta Synodalia.

Cap. ...

1. Præcipitur Sacerdotibus, ut omnes redditus, & possessiones Ecclesiæ scribant in Missalibus suis, & prohibetur penitus Presbyteris, & Parochianis, ne de C his, quæ sunt Ecclesiæ, aut Presbyteri alienent ab Ecclesia, nisi per consilium Episcopi.

2. Prohibetur districtè, ne pro interragio corpus sepeliri differatur, sed post sepulturam exigant laudabiles consuetudines: Idem dicimus de similibus.

3. Quicunque reædificaverit in cœmeterio, excommunicetur, si principalis pars domus per se ceciderit.

4. Tribus diebus continuis vocetur excommunicandus, & nisi ad justitiam se obtulerit, & fidem dederit, quòd veniet ad diem sibi assignatam, ac diem adversario nunciaverit, excommunicetur: & excommunicatus nullo modo absolvatur, nisi à majori, præterquam in articulo mortis, & tunc D tamen data cautione, quod stabit judicio Ecclesiæ.

5. Presbyteri super citationibus faciendis, credant his, qui dederint fidem: sed super excommunicationibus faciendis non credant sine literis. Sententias audacter ferant, latas districtè servent, ut citius quàm sententiæ deficiant, nemini parcentes, aut timore, aut amore, nec pro absolutis eos habeant, nisi eis benè constiterit.

6. Mortuæ in partu scindantur, si infans credatur vivere: tamen si benè constiterit de morte earum.

7. Sacerdotes, audito parochianorum suorum obitu, statim absolvant eos cum Psalmis pro defunctis, & collecta.

E 8. Item inhibetur, ne faciant designationes Ecclesiarum in manu Abbatum, vel quorumlibet patronorum, sed in manu Episcopi, vel prælati sui

9. Non permittantur prædicatores super arcas celebrare: nec pulsare campanas per vicos, nec loqui in Ecclesiis, nec præsentare reliquias, sed tantùm deferant ferenda, & sacerdotes pro illis loquantur.

10. Exhortentur populum semper Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem beatæ Virginis.

11. Moneant semper populum, & maximè mulieres, ne faciant vota sua nisi, cum magna delibera-

ratione, & assensu virorum, & Consilio Sacerdotum.

12. Nullus Sacerdos, vel Capellanus teneat in domo sua aliqua occasione mulierem, nisi sit mater, aut soror, aut talis, de qua visum sit Episcopo, quod careat omni suspicione inhonesta.

13. Prohibetur penitus universis Sacerdotibus ludere cum deciis, & interesse spectaculis, vel choreis assistere, & intrare tabernas causa potandi, & sine amictu, scilicet Cappa, vel pallio, vel superpelliceo, & Comite Clerico, vel laico intrare domos alienas, aut discurrere per vicos, & plateas: &, ne habeant cappas alatas, & vestes inordinatas, omnino prohibetur.

14. Nullus Clericus, vel regularis accipiat decimam de manu laici, nisi per manum Episcopi.

15. Nullus Clericus fidejubeat Judæo, vel fœneratori, nec obliget pro pignore aliquo modo ornamenta Ecclesiæ, vel libros Judæo.

16. Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi sit authentica persona, vel ab Episcopo, vel Archidiacono missus.

17. Nullus Clericus faciat jusjurandum, antequam fuerit Episcopo præsentatus.

18. Frequenter moneantur laici, ut non retineant decimas, quas in periculum animarum suarum detinent.

19. Nullus Clericus potest sibi retinere decimas jure hæreditario possessas, sed authoritate Episcopi possunt Clerici fructus recipere, ita tamen, quod semper laborent, & quod ad Ecclesiam revertantur.

20. Die Dominica præcedenti synodum, Sacerdotes, qui capellanos non habent in suis Parochiis, semper inquirant publicè in Ecclesia, si qui sint infirmi in Parochia, & tertia sequenti die visitent eos, si aliqui fuerint infirmi, etiam non requisiti, & faciant, quicquid fuerit ad salutem animarum, ne mora, quam facturi sunt in synodo, fiat occasio periculi: eorum nihilominus tamen etiam saluti procurantes provisionem, quam solent facere per Capellanos vicinos, qui remanent, & Diaconos proprios.

21. Sacerdotes die octavo semper renovent Sacramenta ad fontem benedictum, oleo, & chrismate, & sanctam Eucharistiam, ne vetustate aliqui ad indevotionem moveri valeant, aut errorem.

22. Si negligentia evenerit, ut, perfecto Canone, & peracta consecratione, nec vinum, nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, & Sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco Canonis, *Simili modo postquam cœnatum est*, usque ad finem: ita tamen ut illas duas cruces omittat, quas singulariter fecit super panem. Quod si de simplice vino, vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro Sacramento, non aqua posita sine vino, & majori pœnitentia emendandum est.

23. Si quid ciciderit de sanguine Domini super corporale, rescindendum est ipsum corporale, & in loco reliquiarum observandum: si pala altaris inde tincta fuerit, rescindenda pars illa, & pro reliquiis servanda. Si super infulam, casulam, vel super albam decurrat, similiter fiat. Si super quodlibet vestimentum, comburenda est pars illa, & pulvis in sacrario reponendus est: si verò in terram ceciderit, lingenda est terra: si in ipsum sanguinem musca, vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non sine vomitu, & periculo corporis, * est tergendus, & radendus locus ipse, sive lapis, sive lignum, sive terra, & pulvis in sacrario reponendus.

* est po-

A 24. Porro si in ipsum sanguinem, musca, vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non sine vomitu, & periculo corporis aliquando sumi potest, igne cremandum est, & tunc sanguis Domini sumatur, illud tamen, quod intus ceciderit, prius debet in calice vino perfundi, &, quanto cautius fieri poterit, ablui, & postea super piscinam comburi, & illam ablutionem Sacerdos sumat: quod si de Corpore Domini super palam altaris aliquid ceciderit, vel super quodlibet aliud vestimentum, non incidatur, sed vino abluatur, & à ministro sumatur vinum ipsum: quod si in primo datum rejicitur, prout diligentius poterit, recipiat, & conjunctum cum vino in calice sumatur, sed integrum sumi non potest, eo quod ore alterius projectum est.

25. Reus autem hujus negligentiæ, & qui cum eo B particeps fuerit culpæ, competenti subjaceat disciplinæ: si autem supra lignum, vel lapidem ceciderit, modus supra dictus de sanguine Domini tenendus est.

26. Prohibetur Sacerdotibus, ne nimis festinent venire Parisios occasione synodi, & ne magnam faciant moram sese visitando, & reficiendo tàm in via, quàm in civitate: quidam enim iter arripiunt à præcedenti Dominica, vel à die Lunæ summo mane, & moram faciunt usque ad sequentem Dominicam, & magnum imminet periculum saluti animarum.

27. Districtè præcipitur, ut quilibet Sacerdos habeat in celebratione Missæ propter munditiam C vestimentorum circa altare unum manutergium.

28. Præcipitur Presbyteris, ut cum in Canone Missas incœperint, *qui pridie*, tenentes hostiam, ne elevent eam statim nimis altè, ita quod possit videri à populo, sed quasi antè pectus detineant, donec dixerint, *Hoc est Corpus meum*, & tunc elevent eam, ut possit ab omnibus videri: & post talem susceptionem, tàm corporis, quàm sanguinis, & vini puri, aliquantum ab expuendo abstineant: & si abstinere non possunt, in piscinam hoc faciant suaviter, & urbane: vinum autem potius rubeum ministretur in calice, propter similitudinem alibi vini cum aqua.

D 29. Prohibetur districtè Sacerdotibus, ne habeant secum prolem, quam in sacro ordine susceperint propter scandalum: & ne in suis domibus habeant scachos, & aleas, vel decios, omnino prohibetur.

30. Prohibetur districtè Sacerdotibus, ne accipiant gageras, vel admodiationes, nisi de decimis, quoniam esset species negotiationis: & ne habeant in palliis suis pecias, nisi blavi, vel nigri coloris.

31. Similiter præcipitur Presbyteris, quod immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita Ecclesiis suis tantummodo legent (nam de jure aliud facere non possunt) de mobilibus verò suis rationabile faciant legatum.

E 32. Item præcipitur Sacerdotibus, ut frequenter Dominicis diebus, & aliis festivis diebus, in aliqua parte Sermonis proponant fideliter populo Symbolum fidei, & eis diligenter distinguant articulos Fidei, & in singulis confirment populum, authoritatibus, & rationibus sacræ Scripturæ pro posse suo, propter hæreticos.

33. Sciatis, quod excommunicati sunt omnes illi in Synodo, qui fidem dederunt, vel acceperunt de celandis matrimoniis: & excommunicatio ista recitetur in Parochiis à singulis Sacerdotibus.

34. Prohibetur Sacerdotibus, ne habeant capellanos habentes cappas manicatas, sicut nec ipsæ per-

ſonæ debent habere; præcipitur enim omnibus Clericis habentibus Eccleſias, ut ad ſingula tempora ordinum ſe ordinandos offerant: & hoc intelligitur in juramento, quod fecerunt.

35. Item præcipitur Sacerdotibus diſtrictè, & ſub pœna magnæ emendæ, ut cuſtodiant præcepta Synodalia, quæ ſcripta ſunt in libellis ſuis: quidam enim, licèt jam elapſi ſunt tres anni, ex quo prædictos libellos habuerunt, ita ſunt negligentes, quod nondum habent pixidem eburneam, nec tabernaculum, ubi reſervetur cum honore Corpus Domini, nec fontes ſub clave, nec Chriſma, vel oleum in aliqua capſula.

36. Prohibeant Sacerdotes, ne fiant Choreæ, maximè in tribus locis, in Eccleſiis, in Cœmeteriis, & in Proceſſionibus.

37. Prohibeant Sacerdotes per excommunicationem, & maximè tempore vindemiarum, ſingulis diebus Dominicis, ne aliquis Chriſtianus retineat apud ſe marchum vindemiarum, quem Judæi calcant aliquo modo, propter illam horribilem immunditiam, quam in contemptum Sacramenti Altaris faciunt; & ſi remanſerit, detur porcis, vel expandant ad opus pro fimo.

38. Prohibeant per excommunicationem ſæpè, ne carnifices permittant Judæos laniare carnes ſuas, niſi totum detineant Judæi.

39. Item diſtrictè præcipitur Presbyteris, ne hoſtias, licèt non ſacratas, dent pueris ullo modo, & inhibetur, ne celebrent ſine caligis.

40. Item prohibetur diſtrictè, ne Sacerdotes cultellum portent cum cuſpide, nec Clerici eorum.

41. Item diſtrictè prohibetur Sacerdotibus, ne permittant prædicare aliquos ignotos, ſive litteratos, ſive illiteratos, etiam extra Eccleſiam, ſive in viis, ſive in plateis, ſive in aliis locis Parœciæ ſuæ, & ſæpè Dominicis diebus Sacerdotes moneant, & etiam ſub pœna excommunicationis inhibeant Parochianis ſuis, ne tales audiant propter pericula hæreſum, & errorum, quos ſeminant.

42. Item diſtrictè præcipitur Presbyteris, quod moneant Parochianos ſuos, & Parochianas, quod provideant Eccleſiæ Pariſienſi, quæ multum indiget albis, & ſtolis, & toballeis, & hujuſmodi.

43. Item moneant ſolicitè, & aſſiduè Parochianos ſuos, ut in Albigenſes hæreticos ſe accingant, & iterum eandem habebunt indulgentiam, quam aliàs habuerunt.

44. Item moneant Presbyteri ſub pœna excommunicationis omnes illos, qui Crucem habuerunt, & votum ſuum non ſunt proſecuti, quod Crucem ſuam & proponant reſumere, & portent.

45. Item præcipitur omnibus Presbyteris, quod excommunicent in generali omnes illos, qui fecerunt conſpirationes contra Presbyteros ſuos, vel contra Eccleſias ſuas.

46. Item præcipitur Presbyteris, ut cùm aliquis confitetur eis ſe fidem dediſſe alicui mulieri de matrimonio contrahendo cum ea, & poſt fidem datam, cognovit eam, non dent ei licentiam contrahendi cum alia, quoniam ſequens carnalis copula cum illa, cui fidem dedit, matrimonium confirmavit.

47. Item diſtrictè præcipitur Presbyteris, & ſub excommunicatione, ne aliquos matrimonio clandeſtino conjungant, vel benedicant.

48. Item excommunicentur omnes illi, qui facient ſe conjungi clandeſtinè, aut benedici, & omnes illi, qui intereſſe præſument, Sacerdotes.

49. Item præcipitur Presbyteris, ut quoties dubium erit, quando aliqua jejunia, vel proceſſiones inſtitutæ fieri debent, ſicut in Feſto ſancti Marci, petant à Decano loci, & ſine ejus conſilio ea facere non præſumant.

50. Item præcipitur Presbyteris, ut quando mulieres poſt puerperium veniunt ad purificationem, dent eis tantummodo panem benedictum, & Corpus Domini eis nullo modo propinent, niſi expreſsè petant, & prius confeſſæ fuerint.

51. Item moneant Presbyteri Parochianos ſuos in Confeſſionibus, & in prædicationibus ſuis, ut ſaltem ſemel in anno, peregrinando viſitent Eccleſiam Pariſienſem.

52. Præcipitur diſtrictè omnibus Presbyteris, ut pro domino Rege faciant ſpecialem commemorationem, quando poterunt.

53. Item præcipitur Presbyteris, quod ſinguli ſcribant nomina Parochianorum ſuorum Confratrum Eccleſiæ Pariſienſis, & etiam ſcribant, pro quanto quilibet eſt Confrater.

54. Item præcipitur Presbyteris, ne recipiant Capellanos ſine conſenſu Epiſcopi, vel Decani, vel Officialis Epiſcopi, vel Archidiaconi.

55. Item præcipitur Presbyteris, quod nihil exigant à Parochianis ſuis, eo quod teſtimonium dant pro eis, quando debent matrimonium contrahere.

56. Item prohibetur diſtrictè, ne Diaconi ullo modo audiant Confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate: claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere.

57. Præcipimus omnibus Decanis, quod inquirant de cætero, & in ſcriptum redigant nomina omnium Presbyterorum, qui in Decanatibus ſuis decedent, eaque deferant ad Synodum recitanda, ut oremus pro eis, & moneantur ſinguli Presbyteri, ut faciant ſervitium ſpeciale: hoc enim libentiſſimè debent facere, quia cùm deceſſerint, fiet ſimiliter pro eis.

58. Item diſtrictè præcipitur Presbyteris omnibus, quod excommunicent ter in anno, ſcilicet in Paſcha, in Nativitate Domini, & in feſtis Eccleſiæ, omnes illos, qui ſcienter celant feuda Parif. & omnes illos, qui ſciunt ſuper hoc aliquid, niſi illud revelaverint Pariſienſi Epiſcopo, vel ejus mandatario.

59. Item præcipimus ſingulis Presbyteris, quòd annuatim, idque in craſtino ſanctæ Trinitatis, anniverſarium omnium confratrum beatæ Mariæ per totam Pariſienſem Diœceſim celebretur.

60. Præcipimus, ut moneantur non Judæis præſtare rotas, ſecundum quod præceptum eſt, alioquin compellantur per excommunicationem.

INSTITUTIO

GALONIS CARDINALIS

De Translatione Galonis, ſive Vvallonis à Belvacenſi Epiſcopatu ad Pariſienſem.

Vide Ivonis Carnotenſis Epiſtolam 132. ad Paſchalem Pont. Roman.

IN nomine Domini, nos Galo, miſeratione divina, ſanctæ Mariæ in portico Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, excommunicamus omnes Sacerdotes, & Clericos quoſcunque, qui poſt legitimam admonitionem, Focarias, vel mulieres alias, de quibus mala ſuſpicio ſuboriri poſſit, in domibus propriis, vel alibi, unde populus, vel Eccleſia ſcandalizetur, duxerint retinendas, niſi ſint Clerici, qui in minoribus ordinibus legitimè contraxiſſe probentur, qui cum uxoribus Eccleſiaſtica Cap. 1.

non

non debent beneficia retinere. Moneantur quoque, ne matres, vel uxores, aliasve conjunctas personas secum habeant: cum quibus, etsi nihil sævi criminis fœdus naturale existimari permittat, tamen frequenter, suggerente Diabolo, cum talibus noscitur fuisse facinus perpetratum. A

2. Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne Sacerdotes, vel Clerici occasione alicujus consuetudinis, pro baptismo, sepultura, benedictione, aliisve sacramentis Ecclesiasticis aliquid exigere, vel extorquere præsumant, sed ea liberaliter, & sine difficultate studeant canonicè ministrare: moneantur tamen laici diligenter, ne, quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare.

3. Item prohibemus, ne Sacerdotes de cætero cappis manicatis utantur, & constituti in sacris Ordinibus manicas consutitias, sotulares rostratos, vestesque rubri coloris habeant, districtione consimili prohibemus. B

4. Decanis quoque, Archipresbyteris, & Archidiaconibus, ne vestes rubri coloris, vel virides habere præsumant, & specialiter Archidiaconibus, & Præpositis, qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas.

5. Monachi etiam, ut cappis sumptuosis, & non nigris de cætero non utantur, sub eadem pœna duximus inhibendum.

6. Inhibemus etiam omnibus tàm Clericis, quàm Monachis sub excommunicationis vinculo, ne fœnus exerceant, & ne aliquam negotiationem exerceant inhonestam, prohibentur indistinctè. C

7. Ut autem ab omnibus in tonsura, habitu, & conversatione honestas Ecclesiastica conservetur, districtè præcipimus universis Prælatis, sub attestatione divini judicii firmiter injungentes, ut omnia supradicta observent; &, quantum in ipsis fuerit, faciant à subditis, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam inviolabiliter observari.

8. Volentes autem (quantum cum Deo, & honestè possumus) magistris, & scholaribus deferre, eatenus erga ipsos rigorem, si quis est nostræ constitutionis, duximus temperandum, ut antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per magistros, & comminatio excommunicationis in transgressores: quibus præmissis, si qui fortè contumaces, & rebelles extiterint, iterum, & nominatim sub eadem excommunicatione, & in scholis, moneantur, indulta nihilominus ad satisfaciendum dilatione competenti. D

9. Quòd si fortè, nec taliter resipiscere voluerint, ex tunc per Cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuntientur, & tandiu ab omnibus evitentur, donec satisfecerint competenter, & ab Episcopo, si fuerit præsens, vel, eo absente, ab Abbate sancti Victoris, cum forma Ecclesiæ, fuerint absoluti.

10. Præcipimus autem magistris in virtute Spiritus sancti, ut prædicta omnia (excepto tamen necessitatis inexcusabilis articulo) diligentius exequantur, ne per negligentiam, vel malitiam aliquorum nostræ constitutionis authoritas contemnatur. E

EXPLICIT CONSTITUTIO

GALONIS CARDINALIS

Additiones Vuilielmi Parisiensis Episcopi.

PRæcipitur Presbyteris, ut Clericos, cujuscunque sint ordinis, in Parœcia sua commorantes moneant, quòd tonsuram congruentem, & honestum habeant habitum juxta Canones, & si aliqui in hoc inobedientes, vel rebelles fuerint, monitione præmissa ab ingressu Ecclesiæ arceantur. Quod si aliquis de hujusmodi præsumptoribus tantæ sit potestatis, quod sine scandalo à Presbytero prædicto modo coerceri non possit, Episcopo nuncietur. *Arverni ann. 1240. cap. 1.*

2. Prohibetur Sacerdotibus, ne mercata frequentent, sed, si ex aliqua causa necessaria eos ad mercata ire oportuerit, in habitu honesto incedant, &, quàm breviorem poterunt, ibi moram faciant.

2. In mercatis non faciant comessationes, nec etiam alibi.

4. Prohibetur Sacerdotibus, ne officium advocationis exercere præsumant, nisi fortè in causa Ecclesiæ suæ, vel pro miserabilibus personis, pupillis, & viduis, Parochianis suis, quibus honestè deesse non possunt, & hoc absque pretii receptione, præter expensas moderatas.

5. Presbyteri uno die Missas duas non celebrent, nisi in necessitate: nec detineant corpora mortuorum super terram occasione pecuniæ extorquendæ.

6. Præcipitur Sacerdotibus, quod bis in anno ad minus, videlicet in Adventu Domini, & in Quadragesima peccata sua confiteantur confessoribus per singulos Decanatus constitutis.

7. Confessores nomina confitentium scribant, & ad Episcopum ad Synodum deferant.

8. Presbyteri Parochianos suos moneant, & frequenter in Ecclesiis suis denuncient, quod omnes, saltem patres familias, & matres ad confessionem veniant ante Pascha floridum: & qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam, usque post octavas Paschæ, ad confessionem non admittantur, sed usque ad illud tempus à carnibus jejunabunt, sicut in Quadragesima.

9. Presbyteri Parochianos suos solemniter pœnitentes faciant venire in Capite jejunii ad Ecclesiam Cathedralem, ut per Episcopum solemniter ab Ecclesia ejiciantur, & similiter in die Jovis proxima ante Pascha per Episcopum Ecclesiæ reconcilientur.

10. Presbyteri injungant Parochianis suis confitentibus, quod omnia ablata, antequam testamentum, vel legata faciant, plenè restituant.

11. Præcipitur, quod Pesbyteri Parochianos suos, qui tribus Dominicis continuis se ab Ecclesia sua absentaverint sine causa justa, & necessaria, interdicant, & ad Episcopum mittant interdictos: *militibus discurrentibus defertur. ** Locus corruptus.*

12. Præcipitur Sacerdotibus, quòd diligentes, & soliciti sint in monendo Parochianos suos de eleemosynis, & legatis ad fabricam Ecclesiæ beatæ Mariæ faciendis, & legata fideliter quærant, & reservent: scribant etiam nomina eorum, qui legaverint, & ad Episcopum ad Synodum afferant, ut sic eis appareat, qui fuerint in hoc diligentes.

13. Presbyteri in Ecclesiis frequenter denuntient eos, qui matrimonia clandestina contrahunt, & qui eis faciendis assistunt, esse excommunicatos.

14. Præcipitur, quòd commodationes Carrucarum, quæ fiunt in festivis diebus, quibus fieri solent, per Sacerdotem fiant, ne in hoc aliqua inter com-

commodantes interveniat confuſio.

15. Præcipitur, quod in celebratione Miſſarum, quando Corpus Chriſti elevatur, in ipſa elevatione, vel paulò ante, campana pulſetur, ſicut aliàs fuit ſtatutum, ut ſic mentes fidelium ad Orationem excitentur.

16. Presbyteri injungant Parochianis ſuis, quod quando matrimonium inter aliquos erit contrahendum, illi, qui debent contrahere, confiteantur ob reverentiam Sacramenti peccata ſua Presbyteris ſuis, priuſquam fidem præbeant, ſic contrahendo, vel ſaltem antequam contrahant per verba de præſenti.

17. Presbyteri verò tunc ſoliciti ſint de inquirendo, maximè ſuper impedimentis matrimonii.

SERMO SYNODALIS

Rev. in Chriſto Patris D. Guillermi Meldenſis Epiſcopi: habitus Meldis anno 1519.

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui; tuoſque greges conſidera. Vox eſt Sapientis, immo ſuperbenedicti Dei, qui ſapientia eſt, proverbiorum 27. quemque noſtrum admonentis ſui officii, invitantiſque gregibus recenſendis, & intimè noſcendis, oculos mentis admovere. Non quod noſtri negotii ſit, artem paſcuariam diſcere (quoniam, ſecundum Apoſtolum, ea boum, pecorumque cura Dominum non pulſat) ſed ad ſublimiorem longè tractum mentem evehit, inquiens per Hieremiam: *Levate oculos veſtros, & videte, qui venitis ab aquilone. Ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum?* Et verè quidem inclytum. Inſignivit nempe Dominus gregem ſuum factus ovis, & erraticam divinitatis humeris impoſitam centeſimo (perfectionis videlicet numero) couniens: tantique oves ſuas duxit, ut illarum ſordes precioſiſſimo ſanguine abluens in ſe abſtulerit. Unde & paſtores aquilonares frigeſcentes charitate (ab aquilone enim quid ſperes?) ut evigilent, hortatur, quo mentes à fæcibus, & illecebris, haud ſecus, atque glutino hærentes, excutiant. Heu, heu, ubinam grex nobilis, & inclytus? cæcutientibus paſtoribus, montium, valliumque perinde neſcius, per abrupta quæque vitiorum præcipitia prolapſus eſt, in dieſque prolabitur. *Speculatores ejus* (inquit Eſaias) *cæci omnes, neſcierunt univerſi.* Unde & Hieremias: *Stultè egerunt paſtores, Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.* Et idem alibi: *Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Ubinam invenias paſtores, qui dicant: Pars mea Dominus? Nomen ementiti, propriis, non ovium inhiant commodis. Frons meretricis facta eſt illis, fruſtra frices. Etiam ſi adamantinam frontem objeceris, nolunt erubeſcere. Vineam, quam ſublimitas divinæ fortitudinis conſevit, à laſciviente apro exterminari, ſectionumque feritatibus, perinde atque à muribus, corrodi ſinunt. Operitur navicula fluctibus. In ea quondam dormiens dulciſſimus Jeſus futuram Eccleſiæ imaginem præſignavit, quod paſtores in ea ſegnes ſterterent, ac ſomnoleſcerent. Benè nobiſcum actum eſt, quod non propterea dormitat, neque dormit ſupercœleſtis benignitas; quia ſi vel momento vigilantiæ manum ſubtraheret, impellentibus cæcis concupiſcentiarum turbinibus mergeretur. Excitari tamen voluit, ut ſalutem noſtram non aliunde pendere diſcamus. Excita ergo, Domine, potentiam tuam, ideſt teipſum, qui es poteſtas noſtra: & magna virtute, ideſt te ipſo, qui es omnium virtus, fer opem, ac inter eos, quos de ſtercore erigis, canem hunc triennio in hac tua ſede elin-
A guem, & mortuum exſuſcita. Aperi, Domine, os ejus, ſpiritumque rectum innova in viſceribus illius, quo poſſit ex promptuario charitatis tuæ verbum bonum eructare. Adeſte & vos, chariſſimi fratres, & commilitones, infirmitati noſtræ orationibus veſtris, dicentes: Veni creator ſpiritus.

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, &c. Non abs re Paulus Apoſtolus paſtores diligentes, ſolicitoſque eſſe voluit, *qui præeſt*, inquit, *in ſolicitudine*, & jure ſummovendus, qui domui ſuæ diligenter non invigilaverit: cùm ſit deſperandum, eum, qui in minimis non ſatis cavere poſſit, in gravioribus poſſe, quodque mores proprios in concentum, & harmoniam non reduxerit, facilè diſpares, & efferos creditarum ovium motus continere, & in or-
B dinem cogere. Quis enim eum, cujus vineam vepres, & ſpinæ veſtirent, colendis aliis præficeret? Inexperti medici periculum facere nolles, quia imperitum tonſorem barba dementis probare ſoleat. Proinde Sapiens paſtoribus loquens, *diligenter*, inquit, *exerce agrum tuum*. Non quia in paſtore deſideret, ut arbores ordine ponere, vites iis maritare, pomaria conſerere, rivos pratis deducere arte ſciat. Aut (quod alii volunt) jus Eccleſiaſticum tueri, patrimonium auctius reddere, faſtum, majeſtatemque (ut dicunt) dignitati addere. Altior exercendi agri ratio, diligentia, ac ſolicitudo expoſcitur: quia caduca hæc militem Chriſti deceant, atque his inquietudinibus, quicquid eſt ſpiritus, extinguatur. Sed vult Paulus, ſolicitè nos ſervare unitatem ſpi-
C ritus *in vinculo pacis*. Id fiet: ſi in via mandatorum Dei, charitate dilatati, currentes, exemplo Chriſti, creditas oves in abjectis deſideriorum, & cupiditatum montibus vagas, humeris in dominicas caulas reduxerimus, reductas pane vitæ paverimus, & aqua ſapientiæ adaquaverimus.

Sed heu! abierunt in ſicco flumina, quibus adaquari, & lætificari animæ (quæ ſunt civitas Dei) debuerant: quia animam ſitientem, & eſurientem nullus reficiat. Nam divites, ideſt paſtores, inanes inveniuntur: diviſumque eſt mare rubrum, primitivæ ſcilicet Eccleſiæ ſplendor, & ardens charitas, *in diviſiones*, quia unuſquiſque in viam ſuam abierunt: Nullus jam invenitur, cujus fontes eloquiorum verbi Dei deriventur foras, & qui in pla-
D teis aquas dividat. Benè autem de iis cecinit Propheta: *Tu ſiccaſti fluvios Ethan*, hoc eſt fortium, & robuſtorum, quorum fortitudo diſſipata eſt. *Arcus fortium*, paſtorum videlicet, *ſuperatus eſt: & infirmi*, dæmones, *accincti robore*. Invaluit nempe dæmon: quia, dum quiſque ſibi conſulit, proſtrata eſt virtus Eccleſiaſtica. Hoc antea intonuit aquila Joannes, de paſtoribus inquiens: *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Aſſurgite paululum, amantiſſimi fratres, & oculos mentis erigite: & ut iiſdem verbis Eſaiæ utar: *Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Iſrael, & de aquis Juda exiſtis:* quis ex nobis hæc nomina, Jacob, Iſrael, Juda, ut ſcilicet vitiorum ſit ſupplantator, & jugi inten-
E tione, ac ferventi in Deum charitate tendat, ſibi adſcribat? Nullus eſt tamen, qui de aquis Juda, hoc eſt confeſſionis, non exierit, quia abluti ſacris undis, abrenunciavimus omnes diabolo, & pompis ejus. Specialius tamen commilitones vos eſtis genus electum, ſacris militiæ divinæ addicti: & in verba tanti regis juraſtis, ut inquit Paulus, confeſſi bonam confeſſionem coram multis teſtibus. Si nunc tamen præco quempiam noſtrum hoc nomine citaverit, reſpondebit nemo; licèt his nominibus longè felicius, utpote ſtatui noſtro conſentaneis, quam Guillermus, Petrus, aut Joannes (quæ voluntaria ſunt) vocaremur. Nomen ergo habes, cui non reſpondes, & nomen, quia vivas, videlicet Deo, in quo eſt vita noſtra abſcondita, & in quo vivimus, movemur, & ſumus: & nihilominus mortuus

tuus es. Cui? Deo, ex quo non vivis illi, vivis A verò mundo, desideriis, & concupiscentiis ejus. Sed hæc vita omni morte terrena amarior. Dices antiquata hæc nomina abiisse, nova facta esse omnia. Rectè dixeris, abierunt enim. Nam, qui propria, & ovium peccata supplantet, verbis, & factis Deum confiteatur, ac charitate ignescat, invenitur nemo.

Sed videamus, si in his tuis recentioribus, quibus te effers, nomenclaturis, sit invenire, quod nomen habeas, quo vivas, & mortuus non sis? Quid, quæso, Curatus? solicitudinis, diligentiæ, laboris, vigilantiæ, curæque nomen est. Huic, cohæres regni, anima videlicet fidelis, velut tutori usque ad tempus præfinitum à piissimo Patre luminum Deo, incolatus hujus peregrinationis tempore committitur. B Quid debeat tutor pupillo, propalam est. Qui, si pro dignitate tutoria, & commodo pupillari non administraverit, est, qui vindicet. Et, cùm pluris sit anima, corpore, & bonis, desertorem ovium manebit impunitas, quas auctiores efficere, talentumque usuris multiplicare, non suffodere, debuerat? Quid, si munus illud tutorium industriam personæ expostulat, quid tibi persuades per vicarium facere satis? In desertores autem gregis, jubet Dominus per Ezechielem, ne sanguis de manu speculatoris requiratur, tuba speculatoria canere: nonnullos esse, qui, non dico principum, quibus nec etiam ea in re inservire liceret, sed quorumvis aliorum negocia obeuntes, & ratiociniis temporalibus insistentes, aspernantur tot sibi creditas animas, quarum vel C una mundo præstat. Eoque cæcitatis, & dementiæ ventum est, ut lutum auro, tenebras luci, dæmonem Deo præferant. Videre namque licet quosdam in hæc etiam vilia descendisse, ut quam animabus negligunt, canibus venaticis curam exhibeant, illos caveis recludant, demum egestionis, & recreationis causa inde emittant, si inter venandum aberraverint, corrigant; formandarum verò animarum (proh dolor!) respectus nullus. Cadit asinus, est, qui sublevet: perit anima, miserescit, & requirit nemo.

Quonam igitur modo, qui Curati nomine te effers, & insolescis, villicationis rationem reddes; qui animarum vultus non agnovisti, sed nec te animam habere credis, cùm illam tanto discrimini D objicias, daturus proculdubio animam pro anima, & in una tua ruina omnium expensurus? Nam sicut solicitos præsides, magna reposita merces: sic negligentes, durum manet tormentum. Surge igitur, qui dormis (nullus enim profundior somnus, oblivione Dei) accipe gladium bis acutum, quo à bonis errorem, à malis excusationem tollas. Vulnera, quæ inferes, salvifica omnia ne desperes. Corporum vulnera pleraque lethalia, quibus mederi non possis, est animæ vulnus nullum immedicabile. Nec te tamen putes propriis viribus posse vultus pecoris agnoscere. In Deo cognosces. *In Deo faciemus virtutem.* Sed hoc erit: cùm ipse ad nihilum redegerit tribulantes nos, videlicet insolentes, & tumentes E motus spiritus nostri, qui insurgunt, & moliuntur, ut superbè præsumentes, non Deo, sed nobis vendicemus gloriam. Debebis igitur prius in cognitionem tui per exinanitionem, & nihilitatem descendere, humiliarique sub omnipotenti manu Dei: quo sic discas ad excellentiores divinæ bonitatis cogitatus assurgere, ut possis in lumine gratiæ videre lumen operis: alioqui (nisi oriente sole justitiæ) tenebresceres. Proinde crediturus Dominus oves Pastoribus, voluit ex nomine tanti magisterii figuram exprimere. Agnoscentem elegit. Petrus quippe agnoscens dicitur. Et ne facilem, vulgarem, & utcunque curandi pecoris agnitionem putares, tentat Petri amorem. Non quod quippiam illum lateat, qui in abyssum humani cordis ingreditur; sed, ut quanta illi sit alendi pecoris cura, nos instruat, ait enim: *Petre, amas me?* Intuere, *Amor Dei in Pastore.* quàm diligenter, tertiò repetens, Petrum amoris interrogat: quod, nonnisi amore, possit Deus cognosci. Amor quippe pabulum ovium est, quod subministrabit Dominus. Nec ulla in re tàm Deum amare probaveris, quàm si oves illius paveris. Talisque ovium proculdubio futurus est pastus, qualis fuerit amor in Deum intensus, & exuberans. Agnosce igitur, invitatus à superbono Deo, vultum pecoris. Agnosce amando, ut serves, ornes, & pascas. Arcebis lupos, ovibus non dominaberis, pascendas namque suscepisti. Et ne communem, & perfunctorium pastum crederes, triplicem pastum, triplici amori nectit, ut non nisi amore pascas. Quasi dicat: Pasce oratione, pasce verbo, pasce exemplo. *Tres pastus.* Tres etiam panes in Euangelio, quos mutuo ab amico Deo recipis, huic pastui respondent. Tamque arctè oves amabis, ut tua, tuosque, ac teipsum præ his nihili pendas.

Dicet quispiam litterarum expers, zelo forsan indiscreto armatus, & sibi plus æquo tribuens: Dominum Deum in pascendis ovibus, non litteras, aut peritiam rerum, sed amorem tantùm in Petro desiderasse. Tu, qui hujusmodi es; considera Petrum, hoc est, agnoscentem assumi; quod debeat, qui ad tanti muneris excellentiam (quod ars artium est) vocatur, Petrus existere, agnoscens primum, deinde amans. Quidni? natura rerum id docet. Si colonum agris, vinitorem vineis, bubulcum armentis, architectum structuris quàm peritissimos præficis, quid animabus? Et eò maximè, quod sit omnium animalium homo, in quem difficillimè imperium exerceas: & mille licèt oculis præstes, humana tamen consilia, nisi insigni quadam gratia Dei suffulta, vanescant. Præstaret tamen regendis ovibus tolerabilis imperitia amore fervens, litteris licèt sublimibus, tepentibus tamen, quod sit inanis *Scientia.* scientia, ubi virtus nulla. Verum, si hæc duo adsint, mentisque oculos in Deum tendas, non deerit votis; fidelis est, qui repromisit, qui & faciet cum tentatione proventum. Sacerdotalis enim dignitas in terris agitur, cujus officium cœlo continetur.

Magnum certè, & admirandum Monachorum certamen: verum, qui illud benè administrato Sacerdotio conferat, inter utrumque tàm interesse comperiet, quàm inter privatum, & Regem, quod pastorale officium charitate in commune transeat, & altius cœlis efficiatur, debet etenim radiis solaribus lucidior esse anima Sacerdotis: ut hospitium sancti Spiritus effecta, ac suorum quorumvis nescia, & Deo ebria, dicat: *Vivo ego, non jam ego: vivit verò in me Christus.* *Sacerdotis sanctitas quanta esse debet.* Ea etiam sanctitate cæteris præstare, non solùm, ut humero tenus Saul statura excelluit, sed, prout homines bruta superant, quod altitudinem virtutum ascendat, oportet, qui in cathedra non Mosis, sed Christi sederit. Quia, ut inquit Paulus, *pro Christo legatione fungimur, tanquam Christo exhortante per nos.* Sit proinde, ut sol inter astra. Sed, heu, quis fidelis, & prudens, idest amans, & agnoscens! Eo miseriarum, & inertiæ Sacerdotalis ventum est, ut sit Sacerdotium lucerna picta absque lumine, inauratum sepulchrum, dignitatum, & administrationum nudum nomen. Nam plerisque in locis videmus (monstrum ingens!) laicos Sacerdotes excellere; & præter naturam arborem radici, non radi- *Sacerdotũ incapacitas.* cem arbori influere. Hinc Dei, sacrorumque contemptus. Non vultum, sed pecoris vellus agnoscimus, periit amor, evanuit fides, exulavit religio, bona, malaque in promiscuo, quasi videantur omnia agi fato. Sub hasta væneunt animæ, rudis, & indoctus quisque perinde, atque doctus, sine delectu, non ut regat, sed perdat, admittitur. Quomodo

A modo vultum cujusque ovium agnoscas, qui nec numerum quidem illarum, & variæ ne sint, an unicolores, nosti? Siccine bone Deus, quas tàm charo redemisti, nihili faciunt, dispergunt, enecant? Aberrantes revocat nemo. Et licèt in animabus, dominibus tamen ea in re magis consulunt, quia peritos artis adsciscunt, omnemque operam impendunt, ne corruant. Tantumque abest, ut id animabus præstent, ut labentes etiam ultro impellant: &, à quibus oves aquam salutis excipere debuerant, venenum hauriant. Extincta est lux Sacerdotalis, argentum versum in scoriam, vinum mistum aqua. Frustra parvuli petierunt panem: non fuit, qui frangeret eis. Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem Sacerdotum, crudelia. Enecas, quem pascere debueras. Si non pavisti, occidisti.

B Dices, te vicarium habere, & in vicario pascere, vultumque pecoris tui agnoscere. Non vicarium Petri, sed Petrum elegit Deus. Eligitur agnoscens, & amans. Velles alium putandis vineis sufficì, si industrium elegisses? Pastorem petit Deus, & mercenarium substituis? Et cùm peccata populi nihilominus edas, te immunem à sanguine existimas? Falleris, Christiani sanguinis domestice latro, falleris: non tuum est, quod accipis. Ejus est tantum, qui plantavit vineam, de fructu ejus edere: & triturantis percipere sementem, ac inservientis altari participem altaris fieri. Quod si hæc aliena sint à te, quonam modo impunitatem tibi promittis, qui in dies sacratissimum Christi sanguinem profundis: totiesque id facis, quoties animas dæmoni prostituis, & in ovibus suis Christum perimis, &, quantum in te est, Cruci affigis?

De Vicariis.

C Quonam modo potero & ego, commilitones amantissimi, tanti sanguinis innoxius haberi, qui in annos Deum ludere, & rem actam agere videar? Increbuit auribus meis classicum buccinæ tremendi judicis, oves de manu speculatoris requirentis, & interminantis, quid stertis? clama, ne cesses, & inquio, quid clamabo? monstra, & larvas, pastorum umbras, & vestes tantum in Synodis inveniri: vultus, animos, operaque pastorum non agnosci, quia soluta Synodo hinc abeuntes in culinas, & latebras suas ad annum usque, ovium immemores, pars maxima se recipiat. Quid certius, & nihilominus inhumanius? Etenim, quis D toto triennio, quo indignus Pastoralem suggestum ascendi, me convenit, aures fatigavit, suppetias petiit, ut vel oviculas aberrantes humeris referre, perditas lugere, numero gregis adscitis congaudere, languidis, & laborantibus assistere, ac omnibus in rebus illis adesse studerem? Frequens apud me querela facta: decimas non ex integro, aut non suo pastori reddi, jura immutari, lites suscitari, inopia premi, fines Parœciarum contrahi: ast de honore Dei, aut salute animarum, ne verbum quidem ullum.

Invectiva.

Quis vel utroque captus oculo dixerit nos Synodalem cœtum agere: obiter (& ut canis è Nilo extremis labiis lambere, & abire solet) à villicis, & mercenariis pecunias sanctas (quia pretium animæ sunt) recipiendo, & contaminando, sub hasta, & plus licenti animas committendo, & vendendo? E Hęccine est sancta Synodus, Pastorumque conventus: ubi monstrifica, ac pestifera omnia, nec luce quidem humana digna, & ubi dæmoniis immolamus, non Deo? Novit Deus, quàm invitus, & dolens prioribus annis huic cœtui assederim. Erumpunt gemitus, & lachrymæ, cùm video pretium sanctissimi sanguinis superbenedicti Jesu, tàm dire fœdari, quicquid est fœderis, amoris, & fidei exolevisse, amaricatam esse vineam Domini Sabaoth, & labruscas, non uvas edere. Nam quis talia fando temperet à lachrymis.

Nec possum ultra continere animum, quin gladio spiritus accinctus, in obvios quosque transfugas potentissimè incurram: pronuncians aut nobis, aut illis loco cedendum, potius quàm superbenigni Domini mei Jesu charissimas oves passim deseri, nihili fieri, tàm fœdè laniari, necari, ac prophanari permittam. Quas ob res decernat quisque apud se creditis ovibus incumbere, aut illis cedere. Et, ut vulgaribus verbis utar, deserviat per se curatus curæ, & administrationi suæ invigilet. Qui secus egerit (cùm Christi hostis existat; inquit enim: *Qui non est mecum, contra me est; &, qui non colligit mecum, dispergit*) in se, ut in militiæ sacræ desertorem jure mihi agendum esse existimet. Nec putet quis non residentiarum prætextu, paria prioribus annis impune ausurum, ac sibi solitum patere diffugium. Pestilens virus, idest, & corruptela, ac mellita speculatorum cæcitas, atque à negotio perambulante in tenebris, nubes atra oculis obducta, ne impendens cervicibus periculum superiores agnoscant, sed canes muti, & elingues, prostitutarumque ovium lenones fiant. Eat potius in perditionem pecunia, & mergatur, quàm nos mergat, & eam ob rem tanta ovilis dominici jactura fiat. Dicam igitur iterum te, super bone Jesu jubente. Stat immotum, ac trabalibus clavis fixum decretum: ovibus agnoscendis, à fratribus meis amantissimis immorandum esse, aut alterutri nostrum loco cedendum.

In no... fident...

Zelus ... scopali...

Nec est, quod amicos roget quispiam. Erit suspectior, qui tentabit, aut ullum prætereà malitiæ velamen obtendet. Quis etenim speculatorum, fratres amantissimi, præsumat solus sufficere, cùm spiritum Mosis septuaginta senibus populi, qui oneri ferendo adessent, partitum legamus? Quid ergo potero homuncio, omnium indigus? Adeste commilitones, adeste, ferte opem. Collatis signis, in hostem ruamus: eminus, cominusque contendamus chara fratrum pignora à leonum faucibus eripere. Clamat in dies populus: *Rorate cæli desuper*, pastores invitans, qui cœli sunt, ut enarrent gloriam Dei. Petit etiam, ut nubes rore concrescant: *& justum* (cordibus videlicet fidelium) *superpluant*. Sed, heu! frustra inclamatur. Sumus enim, ut inquit Judas, *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Quid ingemimus libertates nostras violari, Ecclesiasticos omnes probro haberi, jura Ecclesiastica, sacraque omnia prophanari? Quidni? talia meremur. Falsus utinam sim vates: graviora cervicibus nostris impendent. Nec abs re, quia sordibus illecti, sordes amplectimur. Ipsis altaribus sacris, illotis manibus, & pedibus irreverenter incubamus. Tantumque abest populum ad Dei laudem, & amorem ut invitemus, ut aqua quoque frigida eum perfundamus, & si quid illi caloris inest, extinguamus. Et cùm hic sacer ordo, ad normam, & formam angelicam secundum datum in monte exemplar, sit institutus, in eo tamen ita vivitur, ut sit arx vitiorum, asylum scelerum, securitas quædam impune vivendi, ne ducatur quis examinis judicio obnoxius, sed potius nusquam discutienda administratio putetur. Non est jam agnoscere vultum pecoris, sed vorare propalam, & in abscondito, & quasi in vastitate hostili comedere Jacob, & locum ejus desolare. *Viæ Sion lugent*. Nam malo pastorum exemplo refriguit charitas: non est, *qui veniat ad solemnitatem*, aut constituat diem solemnem in condensis. Divisus est populus ab ira, & mala pastorum vita, & appropinquavit ad portas mortis. O utinam tàm essemus vigiles, & soliciti de salute ovium, quàm diligenter currimus, ut commodis propriis inserviamus! Parum est, quod

In quer... Sacerd...

quod non invigilamus: durum, quod perimus. Alto quippe cupiditatum somno stertentes, nullo dominicæ comminationis tonitruo excitamur. Inde accidit, quod cæcutientes, in alios impellimur, perimentes simul, & pereuntes.

Agnosce igitur *diligenter vultum pecoris tui*, non extrinsecus ista corporis lineamenta, & formam, qua oblecteris, ac hostiam offeras dæmoniis, omniaque jura humana, & divina polluas. Non est id pecus agnoscere, sed & te, & illud perdere. Agnosce vultum, non qui tibi arrideat, sed qui virtutis tuæ odore excitatus currat in via mandatorum Dei. Sis Christi bonus odor fructificans in vitam, hostiam salutarem Deo: rosæ odor prius sentitur, quàm videatur, sic & doctrinam vita præcedat. *Agnosce*, inquam, *diligenter vultum pecoris*, hoc est voluntates, interioraque omnia, ut discas compati infirmitatibus gregis, rebelles, & duros gehennæ metu coerceas, nutantes firmes, tepentes, & somnolentos excites, quorum etiam mentes Dei timor invaserit, charitatis ignibus incendas, & nutrias, quoad crescant in virum perfectum ætatis plenitudinis Christi. Et quoniam non tibi, sed Deo vivere debes, Chamaleontis formam indue: omnibusque omnia fias, oves tuas superbenedicto Deo lucrifaciens. Hæc agens, bonus eris minister Christi Jesu, qui & *augebit incrementa frugum justitiæ tuæ*. Diligenter igitur agnosce vultum pecoris tui.

Superest (ut receptui canamus) tuos greges considerare, altioris, & sublimioris Philosophiæ id munus est. Nam effera, indomitaque pecora pastoris est primum agnoscere, deinde cicurare, & mansuefacere, ac sensim super bono Deo per amorem invicem unire, atque à multiplicitate desideriorum mundi, & carnis ad unitatem spiritus reducere, gregemque unum constituere, ut sit *multitudinis credentium cor unum, & anima una*. Id, postquam Dei benignitate fueris assecutus, erit gravioris longè operis gregem continere, & nusquam attentionis tuæ oculos ab eo deflectere. Id fiet, si orationis, doctrinæ, & exemplaris vitæ alimento continuè alueris, & quem à cœpto veritatis tramite decidere videris, morbo cujusque (prout varius erit) pharmaco contrario illico occurras, nec sinas vel tantillum virus in præcordia serpere, quod lethalior sit casus post gratiam, & plerumque chronicos morbos contrahant, quibus non facilè postea medearis. Et sicut corpora, nisi in diem alantur, sensim imminui, & prolabi videmus: ita & mentibus nostris suus est cibus, quem si subtraxeris, eo magis sterilescit, quia non sicut corpus, multiplici, sed uno tantùm alimento spiritus reficitur. Id unum, amor Dei est. Cætera alia spiritum enecant, non alunt. Amor oleum est, quo accenditur lampas spiritus. Si desinas influere, extinguitur: si plus etiam justo infundas, suffocatur. Non ab re ideo dixerim altioris Philosophiæ hoc munus, quod magno libramine rectitudinis animi egeat, difficilius admodum morbis spiritus provideas, qui plerumque eo graviores, quo penitiores, sintque in animis hominum tanti recessus, ut non facilè vel ab ægroto agnoscantur, & si agnoscat, longis ambagibus extorquendum est ab eo, vulnus, ut aperiat. Nam manus medendis reformidat: estque eo perniciosus, quod & animo, & voluntate laborat. Sunt & alii tàm abhorrentes à medela, ut licèt in causonica febre, phrenesi sint furentes: omnia tamen prius experiri, quàm curari malint, nec hos, in altam licèt peccatorum voraginem deciderint, erit consilium deserere: sed potius omni arte elaborandum, levibus primum, nonnumquam subasperis, mordacibusque pharmacis, cauterio etiam, si res exposcat, adesse. Levi plerumque occasione, cui non

A profuerunt artis remedia, respiravit æger. Propterea nunquam desperandum. Assidua igitur consideratione, *qui regis Israel, intende*, ut neque dormites, neque dormias. In mentem veniat, te non pecoribus brutis, quæ nec deserere deberes, sed animabus (quæ Dei imago sunt) à vigilantissimo pastore esse propositum. Cùm in annalibus invenias, quibus suppliciis acti, qui quondam Theodosii Imperatoris statuam Constantinopoli everterunt, in diesque id accidat iis, qui principes in statuis, & imaginibus suis inhonorant. Credis te impunè laturum: si gregis Christi animas, veras Dei imagines prostitueris, cibo suo non refeceris, ac necaveris? Equos sylvestres mansuefecimus, quibus insideamus: animas autem justorum, B quæ sedes sunt Dei, quare negligimus? Proh dolor! hodie oves Christi, oves occisionis sunt: quas in infernum à morte depascendas detrudimus. Ditescimus ruinis ovium: & bonis illarum pinguescimus. Quod prohibuit Dominus in Levit. inquiens: *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis*.

Evigilate pastores, & attendite commilitones, quid tuba dominica per Ezechielem Prophetam auribus nostris insonet. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, lanis operiebamini, quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis*. Assurget quispiam, qui solemnibus Paschæ videlicet, & Natalis (sunt enim nonnulli, qui C nec materialem quidem Ecclesiam, cui præsunt, unquam viderint) ac quibusdam festis se pascere, & visitare gregem suum gloriabitur. Hoccine est agnoscere vultum pecoris, exterioribus tantum oculis considerare greges, convivari, ac lautioribus tunc epulis abundare? Idcircone visitas, quod ex condicto suis impensis te his diebus mercenarius alere debeat? Ideò, inquam, visitas, quod nec ea in re illi gratus esse velis: quin potius plerunque etiam hospitem gravas. Venis, ut edas, non ut pascas. Nam cùm nihil prætereà superest, quod absumas, pastus, temulentusque abis, ac impastas, & errantes oves deseris. Si laborares febre, nolles medicum vel momento à latere tuo abesse? Si & amicus febriret, à quo maximè quippiam sperares, assiduusne illi assisteres? Amicus Dei es, si non tu illi, ast ille tibi. *Jam*, inquit, *non di-* D *cam vos servos, sed amicos*. In febrientibus ovibus febrit superbonus Deus: in laborantibus morbo, ægrescit. Cur ergo amicum deseris, à quo innumeris bonis auctus es, & honoribus affectus, & à quo longè majora expectas? Video plerosque formandis principum, & aulicorum pueris nihil laboris prætermittere, noctes ducere insomnes, omnemque illi operam impendere, quia inde sperent fortunæ, rebusque suis consulere. Nonnunquam tamen à spe decidunt. Quid igitur tanti principis, regis regum puerescentes animas spernis, quas credidit, ut moribus, pastuque tuo adolescerent, ac plenitudine amoris in veritate crescentes perfectionem induerent? Nec gratuito id E facis. Magna tibi, & haud dubia reposita merces, corona justitiæ, quam daturus est, qui non mentitur superbenedictus Deus. Vires etiam omnes, ac nervos eo maximè intendere debes, quod, ubi tantam neglexeris salutem, dabis pœnas in interitu æternas.

Labora igitur, *ut bonus miles Christi*, in considerandis ovibus assiduus esto, quo possis febrientium animarum interpolationes cognoscere, & quamque illarum, prout differentis erunt valetudinis, variis etiam cibis alere. Nam non tàm facilè luditur, & vanescit opera Medici, cùm frequenter ægro assederit. Greges igitur tuos considera. Sunt & plerique velamen erroris afferentes:

quod

quod longè gravioribus (ut asserunt) negotiis invigilent, à principibus asciti, subselliis judicum ascripti, laurea palæstrica donati, aut gymnasticis exercitiis continendis occupati. Pudet & alia dicere, quæ nonnullos detineant. Quid desertor militiæ supercœlestis, & ob id jure exauctorandus, stoliditatem, & amentiam tuam aperis? Quorsum tanta insania? helleboro tibi opus est. Aurum creditur, & arenam tractas: libertatem exuis, ut servitutem induas. Cur te his futilibus velut pedicis, & vix libero homine dignis ambagibus involvis? Orbem judicaturus, vilia exerces? Putas elephanto, & asino insidere posse? duabus sellis sedere? Non datur *Deo servire, & mammonæ*. Utrum elegeris, huic te devoveas. Uti regnum non capit duos: sic nec unum duo regna tàm dispaaria moderari. Persequere grues potius, quàm muscas, aut pappos volantes. Elephantus non capit muscas. Dei es servus; attende, quid te deceat, & debeas. Quid & tu cristata gallina tandiu pullis incubas, & in gymnasiis senescis? Exeas aliquando gallus, ut ore intones, & cantes in decachordo psalterio, quod concepisti. Evome, quo plenus es, inane est studium, quo laboras, eo fine, ut semper discas. Fœcunda greges tuos, ut à timore Dei concipiant, & pariant verbum salutis. *Opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Erue tandem talentum, quod diu ante suffodisti: intorquetur in caput tuum sagitta illa; *Væ pastoribus, qui pascunt seipsos.* Non de triviali illo pastu, qui egeritur, id intellige: sed de lautiori longè, & delicatiori cibo mentem replente, & deliciante. Vulgaris ille, & animalis pastus fastidit, & nauseam parit: at spiritualis appetitum provocat, quia, quo plus sumpseris, eo magis famescis, & ob id in pace pastorum, qui his cibis oblectantur, & quiescunt, amaritudo gregis amarissima, tales enim parem cum Angelis intelligentiam (ut præsumunt) sortiti, jam nectare pleni, animas fastidiunt, & adeò insolescunt, ut Christi oves porcos existiment, quibus non debeant sua sensa effundere. Diabolica est hæc scientia, & animalis, semper discentes, & ad veritatis viam nunquam pervenientes. Veniat in mentem, quod super bonus Jesus subsellia illa, quæ plausum facerent, non ambibat, sed circuibat per vicos, & castella docens. Cur igitur oves Christi seligis, & discriminas? Nonne Deo anima pauperis æquè, atque anima regis? Si tui esset arbitrii, ut in quo agro malles, sereres, forsan excusareris. Sed debitor es hujus gregis, de lacte enim illius aleris.

Exhortatio potens ad curandas animas.

Acceptatores personarum.

Dices subsellia ovilis tui inferiora esse, quàm ut alimentum tuum capiant. Condescende infirmitatibus inferiorum tu, qui spiritualis es: & lacte, non solido cibo pascas, quoad adolescant. Nec te moveat, quod inveniaris elementarius senex, voluntati Domini, non tuæ, ea in re morem gerere debes. Si plures non possis, vel unam animam salvam fecisse non erit inutile. Et ubi dabitur occasio, non ovibus solùm, sed & camelis, durioribus videlicet, potum tribues. Etenim, charissimi fratres, & amantissimi commilitones, sicut pastorale munus publicum est, non privatum: sic & vitam nostram, publicis, non propriis usibus commodare debemus. Nec fecisse quis se putet satis divinæ pietati; si vineæ propriæ, quantumlibet uberes, creditæ verò exiguos fructus proferant. Nam uniuscujusque pastorum justitia propria, una est: ovium autem multiplex, ast fœnus, quo ditescit, superbenedicta bonitas (quæ omnes vult salvos fieri) quo majus, eo gravius. Eja igitur, commilitones charissimi, non vos ipsos, sed secundum Petri præceptum, *pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque ut dominantes, sed forma facti gregis, ut cùm apparuerit princeps pastorum*, dulcissimus Jesus, *percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam*, quam vobis largiatur, qui unitrinus, & triunus est.

Editus est iste sermo Parisiis in ædibus Henrici Stephani anno 1520. nec alia extant, quæ in hac Synodo acta, aut dicta sint.

Nota. Videre est in ista parænetica oratione, quo pacto arguat, ac increpet, non palpet, aut aduletur, sicut plurimi oratores hodie, qui in hujusmodi Synodis panegyres agunt, ac nihil prætereà. Inter sermones Jodoci Clictovei tres anno to, quos in Synodis Parisiensibus habuit, omnes sanè increpatorios. Quamvis perfectus orator debeat rationem loci, temporis, & personarum ducere.

Primus est cum hoc themate: *Væ pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant greges pascuæ meæ*. Jerem. 23. quem in tres partes deducit. Quarum prima est, quonam pacto pravi pastores gregem Domini verbo dispergunt. Secunda, quomodo iidem oves dominicas improbæ vitæ exemplo dilacerant. Tertia verò, quanam ratione iidem oves pascuæ Domini nimia proprii lucri cupiditate dissipant.

Partitiones orationum Synodalium.

Secundus est cum hoc themate: *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam*. Isa. 56. & tria, inquit, præsertim adducemus, quæ ignorare, aut dissimulare videntur nostræ tempestatis pastores, secundum tres hujus sermonis, & quidem succinctas partes. In prima explicabimus, quomodo pastores ignorant intelligentiam suæ dignitatis in sacramenti Eucharistiæ consecratione: in secunda, quod ignorant intelligentiam honestatis vitæ habendæ in exemplum aliorum: in tertia, quod ignorant intelligentiam sedulitatis habendæ in aliorum directione.

Tertius cum hoc textu: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*. Ezech. 34. qua in re, inquit, quomodo delinquant pastores, tribus particulis succinctè notabimus. Prima, quo pacto semet pascant cibi, & potus immoderato usu. Secunda, quomodo inconcessis libidinum voluptatibus, vetitoque luxu. Tertia, quomodo lucrorum temporalium avida congestione, paucis explicabit.

Credo, quòd temporibus, & moribus aptæ erant hæ orationes.

CONSTITUTIONES SYNODALES

Diœcesis Carnotensis per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Ludovicum Episcopum Carnotensem ordinatæ, promulgatæque, anno Domini vicesimo sexto supra millesimum, & quingentesimum, & aliis posterioribus annis, feria quarta post festum sancti Lucæ, in sua Synodo generali.

Ludovicus Guillart 98. Episc. Carnot.

IN STATUTA SEQUENTIA PRÆFATIO.

Ludovicus Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Carnotensis Episcopus: Dilectis nobis in Christo filiis, Archidiaconis, Abbatibus, Decanis, Curatis, eorum Vicariis, Magistris, & Administratoribus domorum Dei, & leprosariarum, & aliis omnibus curam animarum habentibus in Civitate, & Diœcesi Carnotensi: salutem in Domino perpetuam.

Exploratum omnibus satis esse putamus, ad verum

verum spectare Pastorem, omne studium dirigendo gregi suo impendere, nunquam docendi cùm verbo, tùm exemplo laborem intermittere, excubiasque pro domo Dei agere: ut oves à feris luporum morsibus tueatur, easdem dulci foveat alimonia, pietatisque, & virtutis officia omnibus capessenda proponat. Hujus sanè rei attenta consideratio nos divina miseratione in solicitudinem Ecclesiasticæ gubernationis ascitos impellit pervigilem commissi nobis Dominici gregis curam habere, diligentemque custodiam. Quem non obscurè perspicimus, nisi assidua seduli Pastoris adsit vigilantia, graviter periclitari posse. Potissimum ob miseram calamitosæ, & propemodum deploratæ nostræ ætatis conditionem, in qua improbi dogmatistę, & hæretici, colubrorum more, affatim jam pullulant. Qui lethifera errorum suorum venena totum in orbem certatim dispergunt, majorumque instituta non modo infringere, sed funditus etiam extirpare conantur, & quod omnium est longè teterrimum: Ecclesiasticam disciplinam, ac sacrosanctas constitutiones proculcare pedibus satagunt.

Verum non satis demirari possumus, quænam eos ceperit dementia, ut neglectis priscorum patrum vestigiis, novas leges, vivendique regulas, immo verius à rectis legibus exorbitationes, sectari tantopere contendant. Quandoquidem ineptum, & imperitum censerent omnes eum medicum, qui ægrotum probatis jam usu medicamentis curare non vellet, sed novis, & experimento non cognitis. Et nautam minimè gnarum, qui mallet insuetum pelagi iter tenere, quàm id, quod cæteri salva nave, ac mercibus navigarunt. Denique & eum viatorem meritò judicarent omnes inconsultum, qui relicto calle protrito, ac plano, diverticula quędam, & devia (quæ in latronum speluncam deducant incautos) consectaretur. Unde formidandum est, adhuc graviora toti Christianismo impendere pericula: nisi fidei labanti succurrat ocyus universa Christi familia, censuris Pontifices, armis Reges, & Principes, concionatores gladio verbi Dei, orationibus omnes, vitæque prioris in meliores mores commutatione.

Huic igitur imminenti malo, ancipitique discrimini occurrere pro viribus cupientes, & tàm diram cladem ab ovili nobis credito repellere, in communem illius utilitatem hoc opusculum Synodicum maturo sanè consilio digestum, atque partim ex antecessorum nostrorum Synodalibus regulis (nonnullis tamen superadditis) partim verò ex Concilii Provincialis decretis compactum, Typis excussoriis efformandum curavimus: ut in lucem prolatum, propagetur in omnes nostræ moderationi commendatos. Speramus enim ex accurata ejus lectione non modicum ipsis fructum affuturum, quod certam agendæ vitæ formam præscribat, quam sequentes à recto virtutis tramite neutiquam aberrent. Quo pacto etiam administranda sint ritè sacramenta, latius edocet. Et denique quanam ratione, & in Deum, & in homines suo quisque ipsorum fungatur officio, planè depromit.

Proinde mandamus, & pręcipimus *omnibus Decanis nostris*, & singulis Presbyteris nostræ Diœcesis, præsertim Ecclesiarum Parochialium rectoribus, quod verum, & integrum exemplar hujusmodi statutorum Synodalium infra Synodum proximam *habeant, de eisdem, nobis, aut vicariis nostris fidem facturi. Insuper ea sæpius legant, assiduaque versent manu:* quo facilius eadem intelligant, & intellecta ad unguem impleant, ad opusque haud segniter accommodent. Ab Aristotele in Politicis edocti: parum utiles esse positas rectè leges, si eis non pareatur, & omnem virtutis, ac honesti commendationem in actione consistere. Siquidem authore in prædicto opere, eodem philosopho: ut in republica bonæ habeantur leges, duo potissimum requiruntur. Pri-

A mum, ut rectæ positæ sint leges. Et idipsum ad legislatoris partes spectat. Alterum verò, ut legibus illis pareatur. Et illud nimirum subditorum est officium. Cùm itaque primum horum pro viribus præstiterimus in hac statutorum Synodalium editione, reliquum est, ut secundum etiam pręstent nobis subditi viri Ecclesiastici, obsequentesque, & morigeros hisce legibus se exhibeant.

Titulorum in hoc libro contentorum index.

De Comparitione ad Synodum, & eam tangentibus.

TITULUS PRIMUS.

Omnibus, & singulis, qui tàm jure, quàm consuetudine nostræ Synodo tenentur interesse, constituimus, ut compareant personaliter singulis annis in dicta nostra Synodo, feria quarta post Festum sancti Lucæ, in Ecclesia Carnotensi, sponsa nostra, hora septima de mane. Et hoc eis, & eorum cuilibet
D per pręsentem constitutionem absque alia evocatione intimamus, & insinuamus: nisi interim aliter authoritate nostra fuerit ordinatum.

Item statuimus, ut qui ad nostram Synodum comparere non valent, procuratores Presbyteros, aut Clericos idoneos, cum literis suis mittant, suscepturos, quidquid Synodus ipsa statuerit. Procuratores autem suos ita instructos mittant, ut in animas eorum jurare possint, quod Canonico impedimento sint detenti. Cujus impedimenti species, sive causa, in ipso procuratorio exprimatur. Et procuratorium illud dimittatur in manibus sigilliferi nostri. Alioquin mittentes pro excusatis non habebuntur.

Item venientes ad Synodum, stantesque propter
E hoc Carnoti, & ad sua loca redeuntes, tàm habitu, quàm incessu, aliàsque, honestè se habeant, ac honesta quærant, & pacificè habitent hospitia, sumptusque moderatos faciant. Nec in veniendo, stando, ac recedendo nimiam faciant moram.

Etsi tàm jure, quàm consuetudine antiqua, rationabili, & hactenus observata in nostra Carnotensi Diœcesi, *Decani rurales pro illis, quæ sub, & pro nobis exercent officiis, obsequiis, & administratione, teneantur ad fidelitatis, & obedientiæ sacramentum; antequam se hujusmodi obsequiis, & administrationi immisceant.* Sunt tamen nonnulli, qui (ut nobis relatum fuit) se pro Decanis ruralibus gerentes, visitationis munus in nostros subditos exercent, immo verius usurpant, prædicantque, quamvis non mittantur. Et nostris

obsequiis, antequam sint à nobis recepti, se ingerunt, absque eo, quod nobis de titulo suo apparere fecerint prætactæ notoriæ consuetudini Diœcesanæ non sine contemptu, & præsumptione contravenientes. *Hos itaque monemus primò, secundò, & tertiò, ac peremptoriè, quatenus nobis suum titulum insinuent*; & fidelitatis, ac obedientiæ juramentum præstent infra quadraginta dies à die possessionis computandos, quibus elapsis nos contra hanc nostram synodalem monitionem negligentes, omnibus viis, & modis debitis, & rationabilibus procedemus.

Item, quia nobis solùm, & in solidum competit dispensare de non residentia cum Decanis ruralibus: inhibemus eisdem curatis, & eorum vicariis, ne Decani sui ruralis procuratorem ad visitationem recipiant, nisi illis de nostra super hoc dispensatione, & commissione litteratoriè, & sufficienter constiterit.

Item injungimus *Decanis nostris ruralibus*: ut cum superpelliceis, & stolis, ceteris autem Presbyteris, ut cum superpelliceis, *jejuni*, rasique omnes coronam, & barbam, dictæ Synodi celebrationi intersint. Quibus sub pœna excommunicationis, & emendæ arbitrariæ prohibemus, ne tunc per Ecclesiam vagentur, aut discurrant, nec in ea confabulentur. Sed ea, quæ in prædicta nostra Synodo legentur, agentur, præcipientur, & ordinabuntur, diligenter audiant, & intelligant. Nec aliquis recedat à Synodo sine licentia nostra speciali, aut generali.

Item omnes, & singulos Abbates, Priores, Ecclesiarum Parochialium Rectores, Vicarios, Decanos rurales, domorum Dei, leprosariarum, & hospitalium magistros, & administratores, ac alios quoscumque, qui ad nostram sanctam synodum Carnotensem comparere, & interesse tenentur, & non venerint, contumaces reputamus. Et nisi infra mensem contumaciam suam purgaverint, ipsos, & eorum quemlibet, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, à divinis Officiis suspendimus. Et si suspensionem hujusmodi, per octo dies, Januario inchoato, sustinuerint, excommunicamus in his scriptis. Dictoque mense elapso faciemus ita suspensos, & dictis octo diebus elapsis excommunicatos, palam, & publicè nunciari.

Item præcipimus etiam omnibus, & singulis rectoribus, ut die ipsius synodi ante celebrationem ipsius, coram suis Decanis ruralibus ab eis sigillatim evocandi, compareant in Ecclesia Carnotensi, nos expectantes, & concomitaturi ad prædictam nostram sanctam synodum celebrandam. Iterumque in exitu præfatæ nostræ sanctæ synodi coram suis Decanis ruralibus personaliter quilibet eorum se repræsentet, Et ipsi Decani rurales nomina, & cognomina præsentium, absentium, & deficientium, residentium, & non residentium in suis beneficiis nobis, seu sigillifero curiæ nostræ in scriptis tradant, antequam recedant.

Omnes, qui administrationem curæ animarum habent, die Dominica, quæ præcedit diem synodi, quærant in Prono, an sint aliqui infirmi in suis Parochiis. Et eos (etiam non requisiti) visitent, instruant, & doceant, quæ ad salutem animarum eorum pertinent. Et nihilominus deputent aliquem Sacerdotem, qui eis absentibus possit, & valeat periculis præter spem evenientibus providere, si possit, in sua Parochia. Alioquin per vicinum Presbyterum, hominem idoneum, & ab eis probatum. Idque populo publicè denunciare habeant: ut sciat populus, quem quærere debeat necessitate occurrente. Idem etiam observent, quotiens eos longè proficisci contigerit.

Non liceat tamen Curato deputare in sua absentia Vicarium in Ecclesia sua Parochiali ad administrationem Sacramentorum (nisi fortè ad paucos dies: ut puta ad summum per duodecim, aut quindecim dies) sine nostra, aut Vicariorum nostrorum commissione.

Item inhibemus, ne aliquis Rector, seu Vicarius curam animarum exercere, sacramentave Ecclesiastica ministrare faciat per Presbyteros subsidiarios, seu allocatos vulgo nominatos cessante necessitate, nisi prædicti allocati prius fuerint nobis, aut Vicariis nostris præsentati, & per nos approbati.

Per nostrorum prædecessorum synodalia statuta prohibetur, prout & nos prohibemus. Ne quis sub colore cujuscumque nostræ, aut Vicariorum nostrorum signaturæ, curam, & regimen animarum in Ecclesiis nostræ Diœcesis Carnotensis exercere præsumat, antequam nostras litteras commissionis ad curam, & regimen animarum, & administrationem Sacramentorum, habuerit in forma authentica confectas, & sub sigillo cameræ nostræ, vel Vicariorum nostrorum generalium (ut moris est) sigillatas, & signatas.

Item omnes Decani rurales die Martis ante synodum coram nobis compareant hora quarta post meridiem recepturi mandata nostra. Ac die synodi ante celebrationem, nec non in exitu nostræ sanctæ Synodi, personaliter compareant: ac sigillatim Rectores, & beneficiatos, qui tenentur comparere, evocent in locis sibi præfixis, & determinatis, videlicet:

Decani rurales majoris Archidiaconatus: in aula nostra Episcopali.

Decani Archidiaconatus Dunensis: in sedibus inferioris deambulatorii Ecclesiæ Carnotensis, versus campanile novum.

Decani Archidiaconatus Pisciacensis: versus campanile vetus.

Decani Archidiaconatus Drocensis: juxta altaria versus dexteram partem pulpiti, & alam dexteram prædictæ Ecclesiæ.

Decanus Blesensis: in altaribus versus sinistram partem pulpiti.

Decanus Vindocinensis: in sacello, seu capella Vindocinensi.

Item, quia prætextu litterarum testimonialium plures minimè comparent in sancta nostra synodo, credentes esse excusati, volumus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Rectores Curati, & beneficiati, qui in nostra sancta synodo comparere tàm de jure, quàm de consuetudine tenentur, non obstantibus prædictis litteris testimonialibus compareant, audituri, quid ordinaverit ipsa synodus: nisi (ut supra) fuerint legitimo impedimento præpediti. Inhibentes sigillifero nostro, ne de cætero litteras illas testimoniales recipiat pro non comparitione in synodo, absque nostro speciali mandato.

Item, *quia Decani rurales, qui mandata nostra recipere debent*, & ea executioni demandare, nec non visitare, casus emergentes referre, & in suis decanatibus personaliter residere tenentur: eorumque absentia, & incuria, plures presbyteri, & personæ Ecclesiasticæ nihil verentes, nemine referente, scandalosè vagantur, scurriliter, & dissolutè vivunt. Nos itaque antiqua statuta renovantes, præcipimus, & mandamus, quatenus ipsi per se, vel saltem per vicarium sufficientem, & idoneum, & à nobis probatum, in sedibus principalibus suorum decanatuum continuè resideant, & super statu Ecclesiastico diligenter ex officio suo invigilent, & quæ invenerint, nobis referant.

Item monemus omnes, & singulos subditos nostros visitationis jus per nostram diœcesim habentes, quatenus diligenter observent numerum vecturarum, & comitivæ per Concilium Lateranense taxatum, ne excedant, aut plus æquo visitatis molesti sint in exactione pastus, aut pecuniæ supra consuetum pro hoc exigendæ.

Comperimus, nonnullos per subreptionem obnuisse

tinuisse commissionem deserviendi cum aliis, uni, duabus; & interdum tertiæ parochiali Ecclesiæ pro uno, & eodem anno, vel tempore, cum non nisi uni, aut nulli deserviant. Sed id egerunt pro eo, quod duarum, vel trium parochialium fructus ad onus eisdem deserviendi, ad firmam, vel pensionem cum curatis earum mercati sunt. Quod cum de radice avaritiæ, & cupiditatis procedat, & negotiationi sæculari simile sit, ac decretali Alexandri tertii incipienti: *Provideas, planè obviet*: prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis in posterum simile ausus sit attentare, hujusmodi commissiones invalidas declarantes.

Eadem censura censemus eos, qui curam, vel perpetuam vicariam habentes aliarum parochialium temporales vicarii, & revera fructuum earum conductores fieri voluerunt, cum id Ecclesiasticis manifestè contrarium sit institutis.

Cum verba utique cum effectu sint accipienda, eos, qui ad deserviendum alicui Ecclesiæ parochiali commissionem petierint, & obtinuerint, si extra dictam parochiam morentur, quamvis dietim ad eandem veniant, contra canones, constitutionesque nostras synodales facere censemus. Jubemus autem, ut in Presbyterio, aut in domo pro Presbyterio assignata, moram suam, & residentiam continuam faciant.

De Sacramentis.

Titulus II.

Omnes, & singulos nostræ diœcesis Presbyteros monemus in Domino nostro Jesu Christo, sive conficientes, sive ministrantes sacramenta, quod circa hæc diligentes sint, & attenti ad ea, quæ dicunt, habendo intentionem actualem, vel virtualem ad minus faciendi illud sacramentum. Et ideò pronuncient distinctè, nec festinent, ne aliquid omittant.

Exhortamur etiam eosdem, ut priusquam ad alicujus sacramenti administrationem accedere attentent, sint contriti, & confessi. Et illud deinde cum magna fide, reverentia, gravitate, modestia, & cautela, suis ministrent parochianis.

Item, qui parochialem curam susceperint ad Euangeliorum expositionem, & plebis sibi creditæ instructionem, utantur libris sanctorum doctorum Ecclesiæ, vel recentiorum approbatorum, non istis novis, & peregrinis in Alemania fortè compositis, & impressis, nisi prius visi fuerint, & recogniti, ac recti, auctoritate nostra judicati.

Admoneant curati parochianos suos cujuscunque status, conditionis, aut sexus existant: ut si quos habeant libros fidem, aut mores concernentes à viginti annis citra, in vulgari, seu latino sermone editos, caveant, ne eosdem legant, antequam dicti libri examinati fuerint per nos, aut nostros commissos. Et hoc statutum Concilii provincialis insequendo.

Item similiter denuncient nobis, aut Officiali nostro, si sint in eorum parochiis aliquæ personæ de hæresi suspectæ, vel diffamatæ.

Item præcipimus omnibus nostris decanis, ut singulis annis veniant personaliter Carnutum, vel aliquem sibi fidelem sacerdotem, & non aliam personam mittant, sacras recepturi unctiones. Easque in singulis vasis non ligneis, vitreis, aut terreis, sed stamneis, plumbeisque, aut aliis honestis receptas, mundissimis linteis involvant, & eas non in byssaco, sed in aliquo ligneo, aut vimineo, seu alio mundo, & honesto portatili vase ad partes suas deferant. Ipsas quoque, non in suis hospitiis, vel aliis locis prophanis, sed in Ecclesiis parochialibus eorumdem locorum reverenter deponant: singulis parochialibus Presbyteris distribuendas. Quibus quidem Presbyteris dicti decani

A auctoritate nostra præcipiant, prout & nos præcipimus: quatenus prætactas sacras unctiones consimili modo honestate, & reverentia tractent, & deferant: aut per alium Presbyterum, si personaliter id facere non possint, tractari, & deferri faciant.

Quotannis autem renovari debet chrisma, oleum sanctum, oleum infirmorum, infra festum Pentecostes, sic quod in benedictione fontium, quæ fit in eodem festo, sacerdotes renovato chrismate utantur. Quandò autem erunt renovanda, vetera cum stuppis comburantur, cineres verò in piscinam, vel retro altare, aut in terra sancta recondantur.

Sacramenta, jus sepulturæ, aliaque hujuscemodi liberaliter præstentur: nulla salarii mentione, aut conditione præmissa. Postquam verò functus fuerit sacerdos officio suo, poterit compellere ad satisfacien-B dum de salario, insequendo laudabilem consuetudinem diœcesis nostræ.

Item singulis parochialibus Presbyteris præcipimus, ut quæcumque administrationi sacramentorum inserviunt, veluti aqua fontium, chrisma, oleum sanctum, & oleum infirmorum, etiam reservatæ pro infirmis sacræ hostiæ: in singulis repositoriis, & vasis ad hoc sumptibus fabricarum honestè, & decenter præparatis, ac præparandis in futurum: sub securis, & fidelibus clausuris, ferreisque seris diligenter custodire studeant. Claves quoque repositoriorum, & vasorum hujusmodi secum deferant, aut in securo, & secreto loco penes se, & non alium, deponant, nullique, nisi Presbytero in eorum absentia deputato, easdem, earumque custodiam quovis modo committant.

C

De sacramento Baptismi.

Titulus III.

Baptismus in significationem mortis, triduanæque sepulturæ, & Resurrectionis Christi, teste beato Paulo, institutus: sacramentum regenerationis est, quo à vetustate peccati, in novitatem vitę transferuntur, quicumq; illum ritè suscipiunt. Adscribunturque numero filiorum adoptionis Dei, & familiæ Christi inseruntur, quotquot ex aqua, & Spiritu sancto renascuntur. Proinde illud tantæ dignitatis sacramentum cum debita reverentia ministretur à Presbytero D habente stolam ad collum: non fiant risus, neque clamores, quandò datur hoc sacramentum. Nominetur baptizandus, & baptizetur, dicendo: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Et tunc fiat trina aquæ immersio, sive effusio de aqua benedicta fontium super puerum. Forma autem verborum prædicta, ab eo, qui baptizat, distinctè, integrè, ordinatè, continuè, & sine interpositione aliqua proferatur.

Sacerdotes in gallico sub eadem forma frequenter instruant laicos, suos parochianos, & mulieres, maximè obstetrices, rectè in necessitate baptizare. Et conveniens est, ut in præsentia sacerdotis non baptizet simplex clericus, in præsentia clerici laicus, in præsentia masculi fœmina. Et baptizent in aqua be-E nedicta, si adsit, vel in aqua elementari liquida de fonte, puteo, vel pluviali; non in alia. Et non baptizet aliquis sacerdos in aulis, vel cameris pueros, sed in Ecclesiis dumtaxat, in quibus fontes sunt ad hoc deputati, nisi in necessitate. Exceptis liberis regum, vel principum.

Sacerdotes autem interrogent laicos diligenter, qui in necessitate baptizaverint, quid dixerint, & quid fecerint. Et si invenerint laicum modo debito baptizasse, & formam verborum integrè protulisse, approbent factum. Sin minus, baptizent puerum. Et baptizando, hac forma verborum utantur. *Si es baptizatus, non te baptizo. Si autem non es baptizatus: ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Sed ut audiant assi-

assistentes, & ne laici credant, quod aliquis possit bis baptizari, prestabit dicere hoc alta voce, et in gallico, dicendo: *Si tu es baptize, je ne te baptize. Et si tu n'es baptize, je te baptize, au nom du Pere, & du Fils, & du Saint Esprit. Amen.*

Inhibemus autem religiosis professis, ne fiant compatres, & ne ullo pacto intersint conviviis puerperarum. Quæ etiam ipsi sacerdotes sæculares evitent, quantum poterunt: quoniam in illis multa fiunt, & dicuntur statui Ecclesiastico difformia.

Prohibeant Sacerdotes, ne pater, vel mater baptizent pueros suos, nisi in summa necessitate. Et si taliter baptizatus supervivat, ad Ecclesiam deferatur, & chrismate consignetur. Et fiant ea, quæ aliàs fieri solent, præter aquæ immersionem.

Præcipiant etiam sacerdotes suis parochianis, quod aquam, qua pueri statim post baptismum in domibus B abluuntur, non reservent: sed eam incontinenti in ignem projiciant, aut in locum secretum, qui non soleat pedibus conculcari.

Item cognationis spiritualis impedimenta restringere cupientes, laudabilem diœcesis nostræ consuetudinem secuti, prohibemus recipi plures, quàm duos patrinos, & unam matrinam pro masculo, duas matrinas, & unum patrinum pro femella, & qui sint ad minus ætatis decem annorum cum dimidio, sanæ mentis, et de quibus verisimile sit, quod rudimenta fidei intelligant, & qui non sint excommunicati.

Item Curati, & eorum Vicarii registrum baptizatorum faciant, in quo contineatur annus, mensis, & C dies baptismi, nomina, & cognomina baptizati, & parentum ejus, & eorum, qui baptizatum de sacro fonte levarunt. Ut si quandò necesse fuerit, etas pueri, & inter quos contracta sit cognatio spiritualis, cognoscatur, ac etiam ad evitationem incestuum, et aliorum multorum malorum. Illa autem registra, remanere, et perpetuò servari in domo parochiali, vel in Ecclesia, sub custodia tamen ibidem deservientium volumus.

Registrum autem poterit esse sub hac forma. Ego N. Presbyter Curatus, seu Vicarius T. parochie: anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto, die T. baptizavi N. filium N. et N. patrini N. & N. matrina N. seu filiam N. & N. matrinæ N. & N. patrinus N.

D Item Presbyteri, maximè dominicis diebus, moneant parochianos suos, ne pueros suos nondum triennes dormire cum ipsis permittant, propter periculum suffocationis; sed eos reponant, & faciant cubare in cunabulis, vel alibi separatim, & securè.

De Confirmatione.

Titulus IV.

Confirmationis sacramentum (quod impositionis manuum sacramentum antiqui appellabant) ab Apostolis cœpit, & sicut per solos Apostolos primò conferebatur, ita hodie à solis Episcopis dispensatur. Idcircò prohibemus omnibus per diœcesim nostram E constitutis, ne hoc Confirmationis sacramentum à Presbyteris, aut Abbatibus suscipiant, & ipsis ne illud in nostra diœcesi conferant.

Item cum in Confirmationis sacramento imprimatur indelebilis character, semel confirmatos ad confirmationem iteratò venire prohibemus. Etenim propter hoc, & ne confirmationis sue ignorantiam habeant, in confirmatione alapantur.

Et quoniam gratia Spiritus sancti quæsita in baptismo, corroboratur in persona ejus, qui ritè, & rectè accepit hoc Confirmationis sacramentum, confirmatusque constantior in fide constituitur, ac alacrior ad servanda mandata, et inter hujus sæculi agones cautior efficitur: Curati, et eorum Vicarii, quandò sciverint Episcopum venturum ad suos terminos, fa-A ciant confiteri, quotquot sunt, qui non receperunt prædictum sacramentum Confirmationis, sive masculos, sive fœminas, & moneant eos devote illud suscipere: & etiam patres, ut pueros suos (modo sint septennio majores) pro Confirmationis sacramento suscipiendo ad Episcopum adducant. Intimantes ipsis suis parochianis, quod singuli utriusque sexus Christiani post baptismum, dum incipiunt usum rationis habere, tenentur ipsum sacramentum suscipere, aut saltem non contemnere, & qui illud contemnunt, vel etiam suscipere negligenter omittunt, graviter peccant. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere.

Præcipimus Curatis, & eorum Vicariis, ut moneant suscepturos hoc sacramentum, ut sint jejuni, si commode fieri possit. Et si adulti fuerint, sint contriti, & confessi, & quod si voluerint, possint nomina sua mutare: dum tamen fraus, & dolus absint.

Item Curati, & eorum Vicarii instruant venientes ad confirmationem: ut bandellos mundos, latos, & longos habeant. Quos post confirmationem portent ad minus per viginti quatuor horas: ne chrisma possit ab aliis tangi. Et hujusmodi tempore lapso, confirmati veniant ad Parochialem Ecclesiam cum suis bandellis, ut per Presbyterum, in fronte, quo loco, chrismate fuerunt uncti, sale, & aqua laventur. Quæ postmodum in piscinam projiciatur, aut alium in locum: ne pedibus conculcetur, bandelli autem à prædicto Presbyrero comburantur.

De sacramento Ordinis.

Titulus V.

Cum secundum sanctorum Patrum sanctiones, qui volunt in sortem Domini Ecclesiasticæ Hierarchiæ adscribi, ut primam tonsuram clericalem accipiant, à suo Episcopo eam petere debeant: idcircò nos etiam prædecessorum nostrorum constitutiones imitari, excommunicamus omnes nobis subditos, qui tonsuram clericalem, & quoscunque ordines sacros, & non sacros, ab alienis Episcopis, sine nostra speciali licentia, & dimissoriis, recipiunt.

Monemus autem ordinandos, ut antequam ad ordines, & primam tonsuram accedant, diligenter confiteantur peccata sua, & jejunos se servent, ut mundi mente, & corpore gratiam recipiant ampliorem.

Inhibemus etiam omnibus nobis subditis, ne se temerario ausu ingerant ad suscipiendam à nobis primam tonsuram, nisi sunt majores septem annis, & de legitimo matrimonio procreati, salva tamen Summi Pontificis, aut nostra dispensatione, super hoc obtenta, nec de aliena diœcesi, nisi cum literis dimissoriis.

Caveant autem Curati, ne transmittant ad nos ad suscipiendam primam tonsuram, aut ordines quoscunque, servum servilis conditionis, usurarium, infamem, membris corporis truncatum, valdè deformem, furiosum, diabolica afflictione vexatum, bigamum, simoniacum, uxoratum, homicidam, ebriosum, concubinarium, excommunicatum, hæreticum, schismaticum. Nam etsi hujusmodi homines ad ordines forte recipiantur, ordinis quidem sacramentum, sed non ejus executionem recipient. Mulier verò si incautè se ordinibus supposuerit, nec sacramentum ordinis, nec executionem recipit.

Nullus tonsuram recipiat, nisi confirmatus.

Ad quatuor minores ordines, videlicet ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, & acolytatum, nullus accedat, nisi tonsuratus, & competentis ætatis, scilicet quatuordecim annorum.

Et, ut de sacris ordinibus etiam moneamus, venientes ad subdiaconatum, attingant decimum octavum ætatis suæ annum: ad diaconatum, vigesimum. Ad Presbyteratus autem ordinem nullus admittatur, nisi

sit

sit in vigesimo quinto anno, salva superprædictorum omnium ætate, sedis Apostolicæ dispensatione.

Nullus ad præfatos tres sacros ordines furtivè, aut per saltum accedat, nullus suscipiat Presbyteratus ordinem, nisi sit diaconus, nullus veniat ad diaconatum, subdiaconatus ordine prætermisso, nullus ordini sacro suscipiendo se ingerat, nisi prius fuerit examinatus, aut probatus per nos, aut à nobis commissos. Aliàs promoti sciant, se ipso jure ab executione suorum ordinum esse suspensos, nec in hujusmodi susceptis ordinibus posse ministrare, nisi prius habita super hoc legitima dispensatione.

Item monemus omnes venientes ad subdiaconatum, & alios superiores sacros ordines, quatenus castè, & honestè vivere parati sint. Scientes, quòd per ordinum sacrorum susceptionem, ad continentiam solemniter quisque obligatus sit, itaut si postea mulieribus se commisceat, in peccatum gravius simplici fornicatione, & alterius speciei incidant, utpote in violationem, & fractionem voti solemnis, sacrilegiumque spirituale, quo corpus suum Deo dicatum per continentiam illi auferunt, & spurcitiis carnis illud exponunt. In quos ita intonat beatus Paulus, & tuba quidem terribili, ad Corinthios scribens: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus ordinandus se præsentet, nisi habuerit scientiam competentem. Et in præsentatione afferat literas testimoniales Curati, seu Vicarii parochiæ, quæ contineant depositiones duorum, aut trium testium probatorum, de sufficientia ætatis, & de probata, et inculpata vita ipsius promovendi.

Item, quia comperimus, quòd Curati, aut eorum Vicarii, quandò transmittunt pro suscipiendis ordinibus aliquos, & de vita, moribus, ac ætate attestantur, non reddunt certam fidem, aut rationem eorum, & præcipuæ ætatis: Injungimus eis, quod à patribus, patrinis, ac vicinis (cum quibus aliti sunt) diligenter inquirant, & nos per informationem certam certiores reddant.

Item, si qui fuerint inventi Presbyteri illiterati, aut insufficientes, suspendentur à divinis, donec competentem literaturam adepti fuerint. Etiamsi fuerint beneficiati, illorum loco committentur Vicarii, ad deserviendum dictis beneficiis, quibus congrua assignabitur portio, donec tales adepti fuerint sufficientem literaturam.

Item, quia statuta nostra de alienis Presbyteris non recipiendis reperimus minimè observata fuisse, monemus peremptoriè una monitione, pro omnibus, & sub pœna emendæ arbitrariæ, omnes, & singulos rectores, & vicarios, quatenus infra mensem habeant scripto tradere nobis, seu sigillifero nostro denunciare Presbyteros, si qui sunt apud eos, in alienis diœcesibus promoti.

Quia plerique nostræ diœcesis clerici post adeptos à nobis minores ordines suæ ignorantiæ, & incapacitatis conscii fugientes examen, scientes se non esse à nobis ad superiores sacros ordines promovendos, ad alienos Episcopos confugerunt, & ibi se fecerunt promoveri ad omnes sacros ordines per asserentes se esse Episcopos, & habere auctoritate Apostolica potestatem ordinandi etiam extra tempora, & tribus successivis diebus, ac interdum duos sacros ordines una, & eadem die conferendi. Deinde ad nostram diœcesim reversi hujusmodi suis sacris ordinibus uti, etiam Missas celebrare, nullo requisito nostro assensu, aut decreto contra canones non verentur, furtivè irrepentes in locum probatorum, & dilectorum filiorum panem præripere satagentes, in gravem nonnunquam offensionem ministerii nostri. Cùm ex triginta talibus, ne duo quidem Officium Missæ legere, nedum dicamus intelligere, possint. Nos hujusmodi inordinatè ordinatos, & promotos, à suis sacris ordinibus sic furtivè sibi assertis, etiam ab altaris suspendimus officio, & sic suspensos remanere volumus, donec nostro se præsentaverint conspectui super vita, scientia, et ætate, ac patrimoniali titulo, & promotione examinandos. Quocirca universis Curatis nostræ diœcesis, eorumque Vicariis prohibemus, ne tales ad celebrandas Missas, aut alia divina peragenda Officia in Ecclesiis suis, seu capellis recipiant, quamvis ordinationis suæ literas, etiam cum licentia alterius cujuscumque habeant, nisi literas nostras speciales super suæ hujusmodi ordinationis approbatione, cum id ad nos solos, & in solidum pertineat, ostendant. Contrafacientibus, & recipientibus gravi pœna puniendis. Volentes nihilominus per eos hujusmodi nostrum statutum bis in anno in Pronis Ecclesiarum suarum publicari.

Item inhibemus, ne Curati, aut eorum Vicarii in festis solemnibus, aut aliis permittant, laicos, seu clericos uxoratos facere subdiaconum, & indui ornamentis Ecclesiasticis.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ.

Titulus VI.

INstitutum à Christo Eucharistiæ sacramentum solos sacerdotes conficere, & ministrare posse, hoc synodali edicto declaramus.

Prohibent jura, prohibuerunt nostri prædecessores per sua synodalia statuta, nos quoque prohibemus, ne quis Presbyter, nisi jejuno stomacho, ac nisi postquam dixerit horas suas usque ad Tertiam exclusivè, pro quacunque necessitate, vel causa Missam celebrare præsumat. Jejunus est, qui à media nocte præcedente dictam celebrationem nullum cibum, nullumve potum, aut quampiam medicinam sumpserit.

Nullus sacerdos se ingerat ad celebrandum, nisi prius fuerit confessus, si copiam sacerdotis possit habere, aut nisi immineat in populo scandalum notabile. Ubi autem scandalum immineret, mentaliter saltem confiteatur, cum proposito postea vocaliter confitendi loco, & tempore congruis.

Nullus Missam incipiat sine clerico eum adjuvante, & nisi prius providerit de lumine, pane, vino, & aliis ad sacrificium necessariis. Hostia sit ex pane triticeo, azymo, & non fermentato, integra, & sine macula. Vinum sit purum sine fæcibus, non acetosum, nec tantum aquæ immisceatur vino, quod naturam vini corrumpat.

Item, quia maxima reverentia, & honor excellens altaribus sacris debetur, injungimus omnibus Presbyteris, ut altaria, corporalia, mappas, cortinas, urceolos, seu ampullas, piscinas, vestes sacras, ac ornamenta altaris, & Ecclesiæ, cum omni puritate, & munditia conservent. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent in prophanis. Et super hoc decani vigilent, & quos negligentes invenerint, vel culpabiles, in præmissis, curiæ nostræ referant puniendos.

Item, ne tradant corporalia mulieribus abluenda, sed ipsi frequenter, & ad minus bis in anno ea mundent in vase mundo huic rei proprio, deinde aquam in piscinam mittant. Altare autem paretur, ad minus tribus mappis benedictis.

Prohibemus autem omnibus Presbyteris, ne calice plumbeo, vitreo, aut ligneo utantur. Sed sit vel aureus, vel argenteus, vel stamneus, non confractus, sed integer, & mundus, post Missam linteolo mundo involvatur, & honesto panno lineo, vel sericeo tergatur, deinde extendatur, & explicetur dictus pannus sericus, ne fortè eum conglomerando, & comprimendo, fœtorem contrahat. Neque expectent, donec ille lineus, vel sericus pannus, quo calicem tergunt, pu-

putrefiat, aut atteratur, vel minus decens sit ad tergendum calicem, sed illum, antequam tendat ad putrefactionem, à calice removeant, ejusq; loco alium mundum apponant, & veterem comburant, ejusq; cineres in piscinam mittant.

Verba canonis, præcipuè in quibus est virtus sacramenti, apertè, distinctè, ac perfectè proferat sacerdos, & ante non elevet hostiam, quàm summissiore voce dixerit hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum*; neque inter elevationem Corporis Domini, & Sanguinis ejus consecrationem aliud immisceatur, quàm quod in canone scriptum invenitur, & signacula cum bona gravitate faciat, nec in ipsis faciendis nimis festinet.

Item præcipimus omnibus, & singulis parochialibus Presbyteris, quatenus consecratas hostias pro communicare volentibus infirmis reservatas, solicitè visitare studeant, ne accidentalia putrefiant, aut aliud patiantur detrimentum. Necnon de quindecim diebus in quindecim dies, & etiam citiùs, si opus fit, ipsis sumptis per eosdem sacrificantes renovent. Ita quod sint semper hostiæ consecratę in congruo, & competenti numero, habito respectu ad magnitudinem parochiæ, & ad infirmorum numerum.

Ordinamus autem, quòd ubi ad infirmos deferendum erit Corpus Christi, Sacerdos delaturus primò lavet manus, deinde induat superpelliceum, & stolam superponat. Incedensque cum honestate, reverentia, & tremore, orationes, & preces ad Deum fundat, faciat lumen ante se deferri tàm eundo, quàm redeundo, & campanulam pulsari. Volumus etiam, quòd duas ad minus hostias, non unam solùm deferat, ne, si post communionem infirmi, redeundo, nulla hostia remaneret, plebs nihilominus æstimans aliquam remansisse, & adorans, idololatrare videretur.

Ad hæc injungimus Curatis, & eorum Vicariis, ut cum primum parochiani eorum cœperint ægrotare, moneant eos recipere sacramentum pœnitentiæ primò, deinde sacramentum Eucharistiæ ita opportunè, quod non cogantur eis illud deferre de nocte.

Omnibus autem Christifidelibus, qui cum devotione, & reverentia sacerdotem corpus Christi deferentem concomitabuntur, quadraginta dies indulgentiarum impartimur, tàm eundo, quàm redeundo, quotiens contingit corpus Christi ad infirmos deferri, etiamsi domum infirmi non ingrediantur. Et hoc sacerdotes populo frequenter annuncient.

Quilibet fidelis ex constitutione Ecclesiæ, postquam ad annos discretionis pervenerit, videlicet pueri ad quatuordecim, & puellæ ad duodecim, aut pauciores annos, si discretio supplet ætatem, ad minus semel in anno, videlicet in die paschæ, tenetur cum multa reverentia, & devotione hoc sacramentum sumere, nisi fortè de consilio proprii sacerdotis, & ob rationabilem causam, ad tempus duxerit abstinendum, ut puta propter debilitatem stomachi, sumptum cibum retinere non valentis, vel etiam propter nondum factam sufficientem peccatorum confessionem, seu aliam debitam præparationem, quam peragere non poterat, aut etiam negligenter omiserat faciendam. Qui verò hujusmodi Ecclesiæ præcepti contemptores effecti, idem saluberrimum quotannis (legitimo cessante impedimento) non receperint (ut præmittitur) sacramentum, ab Ecclesia expellendi sunt, & eis Ecclesiastica (si pertinaces decedant) deneganda est sepultura.

Prohibemus autem, ne laici incogniti, & alienigenę recipiantur, nisi qui literas certificationis ostendant à Curatis, unde migraverint, quibus constet eos non esse excommunicatos, aut aliàs à communione rejiciendos.

Item, ne quis Curatus, aut Vicarius celebrare publicè permittat ignotos, peregrinos, & alienæ diœcesis Presbyteros sine nostra licentia, & permissione, quamvis literas afferte promotionis suæ etiam alterius cu-

A juscunque personę licentia accedente habeant, cum hujusmodi literarum examinationis, & probationis cognitio ad nos solos competere dignoscatur.

Sub hac tamen nostra prohibitione, Presbyteros per nostram diœcesim transitum facientes, & pro sua devotione transeundo privatim celebrare volentes, quos (licèt ignotos) incessus tamen, & habitus eorundem, honestos esse ostenderint, de quorum idoneitate, ac ordinatione, per eorum assertionem, dimissoriasve, aut aliàs sufficienter constiterit, parochialibus Presbyteris non intendimus esse comprehensos.

Item antiquum à nostris prędecessoribus editum statutum innovantes, interdicimus omnes, & singulas capellas nostræ diœcesis, quæ non habent capellanum fundatum, & in eis beneficiatum. Et in his scri-
B ptis suspendimus omnes, & singulos Presbyteros, qui in dictis capellis celebraverint, nisi de assensu nostro, aut super hoc sint privilegiati à sede Apostolica. Privilegiati autem super hoc nobis, vel Officiali nostro exhibeant privilegia sua, infra mensem à tempore notitiæ hujusmodi renovati statuti.

Item nullus diebus dominicis, festis beatæ Mariæ, & aliis annualibus, in parochiali Ecclesia Missam celebrare præsumat ante Missam parochialam, & maximè ante Pronum dictæ Missæ, nisi de licentia Curati, aut ejus Vicarii, ne per hoc revocentur parochiani ab audiendo suas Missas parochiales. Non tamen intendimus prohibere, quominus primę Missæ in aurora illis diebus in multis parochiis ab antiquo funda-
C tæ, & dici solitæ, celebrentur.

Item quilibet Christianus parochialem Missam audiat die dominica in sua parochia. Quod si quis sine causa per tres dies dominicos immediate sequentes Missam in sua parochia non audierit, hoc nobis, seu curiæ nostræ nuncietur.

Item districtè prohibemus omnibus Curatis nostræ diœcesis, eorum Vicariis, & aliis, qui præsunt quibuscunque Ecclesiis, etiam capellis, & aliis religiosis locis, ne ad celebrandum Missas, audiendum confessiones, aut alia sacramenta ministranda recipiant sine nostra approbatione clericos nostræ diœcesis promotos in Curia Romana.

Item intelleximus, quod in plerisque parochialibus Ecclesiis nostræ diœcesis sunt, & dicuntur Mis-
D sæ certæ confratriæ, vel certarum confratriarum super septimanam. In illis autem Ecclesiis non haberi diebus dominicis Missam matutinalem, per cujus defectum servitores, & ancillæ, & præsertim pastores dictarum parochiarum, nullam audiunt Missam diebus dominicis. Nos igitur tanto malo succurrere volentes, ordinavimus, & ordinamus, donec aliter fuerit provisum, quod Missa dictæ confratriæ, seu una Missa prædictarum confratriarum, dicetur die dominico mane hora quinta in æstate, & hora sexta in hyeme, ut eidem servitores interesse, & mandata Dei, & Ecclesiæ intelligere possint.

Item cum Christus dixerit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę*: Et ipse est lux vera, quę illuminat omnem
E hominem venientem in hunc mundum, injungimus provisoribus, & matriculariis Ecclesiarum parochialium, ut habeant lampadem noctu, dieque ardentem ante Ciborium, seu Sacrarium, ubi jacet, & quiescit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ad majus decus, & reverentiam Sacramenti.

Curati, & eorum Vicarii, si matricularii suarum Ecclesiarum de luminari, vel lampade continuò ardente ante Ciborium, & sacrosanctum Corpus Domini non providerint, juxta statutum à nobis pridem editum, illos infra quindecim dies coram nobis verbo nulla requisita citatione in scriptis citent. Curatos super hoc negligentes pœna convenienti mulctabimus.

Idem faciant dicti Curati, si præfati matricularii map-

mappas ad cooperienda altaria, & pannos ad Calices post dictam Missam non præstiterint.

Item insuper inhibemus, ne in loco, quo recondi, & adorari debet sacrosancta Eucharistia, & ubi Ciborium reponitur, videlicet in medio majoris altaris parochialis, ponantur imagines, etiamsi esset imago patroni, ut major pretiosissimo Christi Corpori reverentia tribuatur, & ferventior populo devotio inducatur, sed ponatur dictum sacrarium in medio altaris.

De Confessione, & Pœnitentia. Titulus VII.

SAcramentalis confessio, divina lege, & constitutione humana, probatur esse lapsis in mortale peccatum de necessitate salutis. Quamobrem omnibus, & singulis parochialibus Presbyteris injungimus, quatenus suos parochianos, ut statim post ruinam in culpam mortalem, conterantur, & cum primum aderit commoditas, actualem faciant confessionem, monitis salutaribus inducant.

Item eosdem parochianos hortentur, ut in solemnibus festis anni, videlicet Pentecostes, Assumptionis beatæ Mariæ, festi Omnium sanctorum, Natalis Domini, & dominica prima Quadragesimæ, ad confessionem devotè, & reverenter accedant. Et faciant Curati hujusmodi exhortationem singulis diebus dominicis, præfatas solemnitates immediate precedentibus, & cum hoc illis significent, quod nos, ut devoti Christiani facilius inducantur ad confitendum peccata sua (ut eorum jejunia, & alia pia opera sint fructuosa) concessimus, & relaxavimus, concedimus, & relaxamus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis omnibus, qui prædictis diebus, aut aliquo trium dierum dictas solemnitates præcedentium, contriti, & confessi fuerint. Eis nihilominùs præcipientes juxta Concilium generale, ut semel ad minus in anno proprio sacerdoti, aut ab eo commisso peccatorum confessionem faciant.

Item præcipimus, ut ipsi parochiales Presbyteri circa dictam confessionem sacramentalem maximam curam adhibeant, & cautelam, scilicet, ut diligenter, & cautè inquirant peccata, & circunstantias. Ita tamen, quod simplicibus personis dent materiam confitendi, & sua peccata detegendi, nec eos directè, vel indirectè instruant ad malum.

Audiant autem confessiones in Ecclesiis cum veste decenti, non expectorata, cum superpelliceo, sine risu, & gestu aliquo scandaloso, nec vultum confitentium præsertim mulierum respiciant. Sed in loco aperto, earum maximè confessiones audiant, ubi possunt videri.

Confitentes audiant pacifice ad longum, & caute interrogent de circunstantiis peccatorum, non tamen petant personas nominari, cum quibus peccatum est commissum.

Item omnibus, & singulis Presbyteris nostræ diœcesis districtè prohibemus, ne de confessis eisdem casibus, quorum absolutionem sedes Apostolica, nostrique prædecessores sibi respectivè reservandam fore sanxerunt, confitentes absque nostra, seu Vicariorum nostrorum, vel dictæ sedis Apostolicæ super hoc eis concessa authoritate, absolvere præsumant. Sed eos potius ad nos, seu nostrum Pœnitentiarium, propter hoc transmittant, nisi tales sint in mortis articulo constituti, seu tàm vicino mortis periculo absque fictione impediti, vel ob morbum, vel ob inimici capitalis, aut itineris periculum, quod nos, seu nostrum Pœnitentiarium, sedemve Apostolicam adire non valeant.

Præterea, ne forte, quod circa prætactorum casuum reservationem pro remedio contra incentivum delinquendi providè statutum, occulta manifestandi peccata occasionem præbere, ac inde pœnitentium famæ periculum, & scandalum inducere videatur per-

A sonarum, metu quoque horum in contemptum cedat, contemnentes induret, ac tandem in profundum malorum mergat penitus induratos. His nos idcirco, & aliis moti rationabilibus causis, aliquas personas pro sexus fragilitate, & conditione status, à generalibus nostris prohibitionibus super casuum reservationibus supradictis specialiter excipiendas, & prætactis impeditis (quoad quædam) æquiparandas fore censentes, omnibus, & singulis prædictæ nostræ diœcesis parochialibus Presbyteris, ut sibi confitentes innuptas adolescentulas, & alias conjugatas mulieres, suas parochianas, non notorias peccatrices, sed occultas, ab incestus, adulterii, aliisque omnibus luxuriæ (etiam sodomiticis) occultis peccatis, si, quæ talia confiteantur commisisse, easque ipsi

B Presbyteri verisimilibus, & probabilibus conjecturis cognoverint ad nos, vel nostrum prædictum Pœnitentiarium propter hoc absque scandalo, & famæ periculo accedere non posse, absolvere valeant, & possint, authoritatem impartimur, pariter & facultatem.

Ne verò per dictos Presbyteros omnium prætactorum reservatorum casuum ignorantia prætendi queat, licet forte non omnes hujusmodi casus specificè, plures tamen eorumdem, & propter quos ad nos, vel nostrum Pœnitentiarium (ut prætactum est) mittendi sint confitentes, hic jussu nostro generaliter, & specialiter inseruntur, & noscuntur esse tales.

Casus reservati.

C Qui tale publicum, & vulgatissimum crimen commiserit, quo tota sit commota, & scandalizata civitas, vel parochia, & pro quo sit de jure solemnis, & publica pœnitentia injungenda.

Qui dolosus, & ex industria incendiarius extiterit, necnon incendiario præstiterit consilium, auxilium, vel favorem.

Qui homicida, aut etiam voluntarius membrorum mutilator, vel itinerum insidiator, seu nocturnus agrorum depopulator extiterit, quique ea, aut eorum alterum fieri fecerit.

Qui de Deo, vel sacratissima Virgine, ejus genitrice Maria, aut alio quovis sancto (eos denegando, despitando, malgreando, aut aliàs execrabiliter) blasphe-

D miæ verba palam protulerit.

Qui manus violentas in patrem, vel matrem injecerit, seu eis alias graves injurias intulerit, aut ea fieri fecerit.

Qui in judicio dejeraverit, & qui falsum testimonium perhibuerit, aut perhiberi fecerit.

Qui usuram manifestè contraxerit.

Qui sterilitatem, vel abortum, in se, vel aliam personam, quovis modo procuraverit.

Qui prolem post partum, aut etiam fœtum ante partum studiosè, vel etiam ex negligentia latæ culpæ, oppresserit, extinxerit, & peremerit.

Qui cum brutis, aut masculus cum masculo, Judæa, vel pagana, & è contra, coierit, aut aliàs quovis modo studiose agendo, vel etiam patiendo, sodomiticum

E peccatum commiserit.

Qui Ecclesiam, vel cœmeterium, humani seminis, vel sanguinis effusione, aut cadaveris hæretici, aut aliàs notoriè, & publicè excommunicati, vel Judæi, seu pagani inhumatione polluerit.

Qui monialem carnaliter cognoverit.

Qui virginem, seu etiam corruptam mulierem rapuerit, & vi carnaliter cognoverit, necnon qui virginem etiam consentientem, maximè circa duodecimum suæ ætatis annum, stupraverit.

Qui adulterium perpetraverit.

Qui post solemniter explicitè, vel etiam implicitè emissum castitatis votum matrimonium contraxerit.

Qui vivente legitima uxore, aliam de facto duxerit,

rit,

rit, & quæ, vivente legitimo viro, cum alio de facto nupserit. A

Qui post contractum matrimonium, vivente, & in sæculo remanente uxore, sacrum ordinem sumpserit.

Qui matrimonium clandestine contraxerit, & qui contrahentibus tribuerit consilium, auxilium, vel favorem.

Qui tempore ab Ecclesia prohibito matrimonium contraxerit, celebraverit, solemnizaverit, seu id fieri fecerit.

Qui consanguinitate carnali, vel etiam cognatione spirituali, seu affinitate, sibi invicem in gradu prohibito attinentes, matrimonio se copulaverint.

Qui incestum quovis modo commiserit, videlicet, B qui pater cum filia, & quæ mater cum filio, vel cum ab eis descendentibus, in quocunque gradu à se distare noscantur.

Necnon etiam qui cum affinibus eorum in primo genere affinitatis, & gradu prohibito.

Item, qui filius cum matre, avia, proavia, & quæ filia cum avo, proavo, vel aliis supra parentibus eorumdem, rectè ascendendo à stipite, videlicet à patre, in directa, & non collaterali linea, cum inter tales directè ascendentes, & descendentes, perpetua sit prohibitio. Necnon cum quibusvis eisdem, patri, matri, avo, aviæ, & cæteris supra dictis, affinitate in primo genere, & prohibito gradu attinentibus, incestum commiserit.

Item, qui frater cum sorore, & quæ soror cum C fratre. Necnon qui cum consanguinea, & quæ cum consanguineo, usque ad quartum in collateralibus consanguinitatis gradum inclusivè, carnale consortium habuerit, & qui cum quavis sua, necnon quæ cum quovis suo affine, in primo genere affinitatis, & gradu prohibito, videlicet secundum prætactam prohibitorum graduum consanguinitatis numerationem computando. Præterea, qui cum illa se commiscuerit, quam, aut cujus puerum ipse, vel ejus uxor post eorum matrimonium consummatum, & similiter, quæ cum illo, quem, aut cujus puerum ipsa, vel ejus vir post eorum matrimonium consummatum, baptizavit, seu etiam de sacro fonte levavit, vel in confirmatione tenuit.

Item, qui cum illa, à qua, vel ejus viro post eorum matrimonium consummatum, seu etiam à cujus patre, aut matre, sit baptizatus, confirmatusve, seu de D sacro fonte levatus, vel in confirmatione tentus fuerit, commercium carnis habuerit. Necnon similiter, qui cum illo, à quo, vel ejus uxore post eorum matrimonium consummatum, seu etiam à cujus patre, aut matre ipsa baptizata, confirmatave, seu de sacro fonte levata, vel in confirmatione tenta fuerit. Et insuper, qui Presbyter coierit cum illa, cujus sacramentalem audierit confessionem. Necnon similiter illa, quæ cum Presbytero, cui sacramentaliter confessa fuerit, se carnaliter commiscuerit.

Qui quasvis publicas literas, seu publica instrumenta falsificaverit, aut falso composuerit, seu etiam falsificari, vel falso componi fecerit.

Qui Ecclesiasticam jurisdictionem perturbaverit, E aut perturbari procuraverit, & qui sæcularis judex, in personas, vel res Ecclesiasticas, contra sacrorum canonum decreta, & sanctiones jurisdictionem usurpaverit.

Qui Ecclesiam, Ecclesiæque, & Ecclesiasticarum personarum libertatem, & jura, scienter, seu etiam per ignorantiam crassam, vel supinam, violaverit. Quique contra hujusmodi libertatem, & jura statuerit, statuta ve servaverit, aut ea fieri, & servari fecerit, seu procuraverit.

Qui sacrilegium in res, vel personas Ecclesiasticas commiserit, manus in easdem personas apponendo violentas, aut Ecclesiasticas res usurpando, seu ea fieri faciendo.

Qui laicus decimas post, & contra prohibitionem Lateranensis Concilii, sive in feudum, sive aliàs injustè, & pertinaciter detinuerit, seu detineri fecerit.

Qui in solutione decimarum Deo, & Ecclesiæ debitarum, fraudem scienter commiserit, seu committi fecerit.

Qui majoris excommunicationis sententiam, à jure, vel etiam ab homine latam incurrerit, & ab ea nondum sit ab habente potestatem absolutus.

Qui hæreticus, schismaticus, sortilegus, divinator, incantator, carminator, maleficus, dæmonum invocator, superstitiosus in fide, vel etiam male sentiens de sacramentis, seu fidei articulis, extiterit, ac etiam, qui occulta à divinatoribus sciscitatus fuerit. Necnon qui talibus consenserit, præbueritque auxilium, consilium, vel favorem.

Qui simoniæ crimen, pro se, vel pro alio, ac per se, vel alium commiserit.

Qui non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem celebraverit, quique per saltum promotus extiterit.

Qui excommunicationis, seu etiam interdicti, vel suspensionis sententia innodatus, divina celebraverit, aut aliàs quovis modo irregularitatem incurrerit.

Qui super altari non consecrato, seu etiam execrato, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, aut etiam super altari consecrato, vel aliàs quovis modo in loco profano, sine nostra, aut vicariorum nostrorum licentia speciali, celebrare præsumpserit. Necnon qui in conficiendo altaris Sacramentum, vel alia ministrando Ecclesiastica sacramenta, debitam servare formam, & verba sacramentalia debite, & integrè proferre, cum intentione conficiendi, quoad dictum altaris conficiendum sacramentum, omiserit. Quique absque debita, apta, & ab Ecclesia determinata materia, hujusmodi Eucharistiæ sacramentum celebraverit, vel etiam ipsum, aut alia ministraverit sacramenta. Is quoque, ex cujus culpa, vel etiam negligentia, sacer sanguis Domini nostri Jesu Christi de calice ceciderit, vel etiam gutta ipsius defluxerit, sacrave hostia, vel ejus pars, deperdita, aut putrefacta, seu à mure, vel alio animali corrosa, aut comesta, seu aliàs in suis accidentalibus notabiliter deteriorata extiterit. Et quicunque sive Presbyter, sive alius, ex gulositate, voracitate, vel ebrietate, seu alio illicito opere, & excessu, sacram per eum sumptam hostiam, vel ejus partem evomuerit.

Qui sacramentum Baptismi, nisi in casu dubio, & sub protestatione, in titulo de eodem sacramento, superius expressa, reiteraverit.

Qui Presbyter, etiam Curatus, de prætactis casibus, absque nostra, aut Vicariorum nostrorum, vel sanctæ sedis Apostolicæ specialiter, & expresè ad hoc concessa sibi authoritate (nisi personas superius exceptas) absolverit: Quique commutare vota, seu super his cum voventibus dispensare præsumpserit.

Similes casus, aut his majores, similiter nobis remittant.

Caveant autem Sacerdotes, ne pro commissis, & eis concessis furto, rapina, usura, fraude, damnisque illatis, injungant eleemosynas, vel Missas celebrari, nisi satisfacta parte læsa.

Prohibemus etiam, ne de bonis, & vagis restitutionibus confessores aliquid ad suam, vel suorum utilitatem, prætextu divini servitii, vel aliàs retineant, sed restituta, si sexaginta solidorum summam non excedant, distribuant infra mensem in eleemosynas, ubi major erit necessitas. Quod si major sexaginta solidis restitutio sit, deferatur ad nos, aut Officialem nostrum, ut in similes usus convertatur, & non in aliam quampiam causam.

Item, ut in sacramento Pœnitentiæ, committendi abusus suspicio tollatur, districtè inhibemus sub pena suspensionis, ne illas Presbyteri celebrent Missas, quas in confessione injunxerunt celebrandas.

Caveant

Caveant omnino Sacerdotes, ne verbo, signo, aut alio quovis modo, directè, vel indirectè prodant peccatorem sibi confessum. Sed si pro iis, quos in confessione audierint, prudentiore consilio indiguerint: illud absque ulla expressione, & nominatione personæ cautè requirant. Contra facientes, deponendos, & ad perpetuam pœnitentiam in carcerem detrudendos decernimus.

Item inhibemus omnibus, & singulis Sacerdotibus, ne confessiones mulierum, cum quibus carnaliter peccaverunt, vel eas ad peccandum induxerunt, audiant, nisi in magnæ necessitatis articulo.

Item statuta prædecessorum nostrorum insequendo, & ad obviandum fraudibus, quæ in foro penitentiali committi possent, statuimus, & ordinamus: quod de cætero Religiosi mendicantes, qui singulis annis ad prædicandum, & confessiones audiendum per nos, seu Vicarios nostros admittuntur, litteras admissionis eorum, Curatis, seu Vicariis locorum, ubi prædicare, seu confessiones audire intendunt, præsentare teneantur, antequam actus confessionis, & prędicationis exerceant.

Tempore quadragesimali sæpissimè admoneant Curati Parochianos suos, & illos pręcipue, qui per annum integrum distulerunt confiteri: ut tempore debito confiteantur, non differentes confessionem (ut faciunt plerique) usque circa finem hebdomadæ sanctæ. Ne propter eorum moram divinum impediatur officium: aut minus debitè compleatur. Eis comminando, quod si qui reperiantur, qui usque ad hebdomadæ sanctæ diem Mercurii confiteri distulerint, non admittantur ad confessionem, nec ad sacramentum, nisi post Festum Paschæ. Quod facere poterunt Curati, & eorum Vicarii, cessante causa rationabili.

Item injungimus Presbyteris, se confiteri genibus flexis, & non super altaria: sed humiliter, & devotè confiteantur: ut, quod à Presbyteris agitur, à laicis trahatur in exemplum.

Item concedimus, & indulgemus omnibus Presbyteris per nostram Diœcesim constitutis licentiam, & facultatem eligendi sibi confessores, & eisdem electis absolvendi hujusmodi Presbyteros eligentes à peccatis suis.

De Matrimonio. Tit. VIII.

Sacramento matrimonii, ab ipso Deo in signum unionis divinæ naturæ, & humanæ in persona sui filii, conjunctionisque ipsius Christi, & Ecclesiæ, ab initio mundi instituti, reverentia, & honestas maxima certè debetur. Idcirco statuerunt sacri Canones, & nos injungimus, & volumus per Curatos, & eorum Vicarios Parochianis suis intimari, quod sponsalia, matrimonia, & Missæ in benedictione nuptiali fiant, & celebrentur in Ecclesiis Parochialibus, & non alibi, & de die, & non de nocte. Hortenturque Presbyteri contrahere volentes, ut jejuni sint, & confessi, & ut, si quid dubii circa matrimonii solemnizationem habeant, Presbyterum boni consilii virum maturè accedant, qui possit hujusmodi dubia, & scrupulos enodare, & dissolvere.

Item injungimus sub eadem pœna, quod matrimonium contrahere volentes prius sponsalia de futuro contrahant in manibus Sacerdotis Parochialis solemniter, & pluribus præsentibus, ut possint facilius probari.

Prohibemus tamen, ne celebratis sponsalibus Curati quenquam ad matrimonium per verba de præsenti recipiant, nisi in statutis à jure temporibus, & tribus bannis præcedentibus. Volumus autem tria banna proclamari, & fieri per Curatum, aut Vicarium in Pronis Ecclesiarum Parochialium statim post offertorium, tribus diebus Dominicis, sive Festis, ab invicem distantibus. Ut etiam intervallum sit inter

A diem, quo contrahitur matrimonium, & diem, quo factum est ultimum bannum. His factis, recipiantur promissiones per verba de præsenti, ante portam Ecclesiæ Parochialis, palam, & præsentibus pluribus, præmisso ex abundanti quarto banno, ut consuetum est fieri.

Inhibemus etiam, ne Sacerdos exigat in sponsalibus promissiones per verba de præsenti. Sed ne prętextu imperitiæ se excuset, in sponsalibus verbis gallicis sic alloquatur volentes sponsalia contrahere. Et dirigat verba prius in masculum. N. *Tu promets que tu prendras N. qui cyest pour ta femme, & espouse, si Dieu, & nostre Mere sainte Eglise s'y accordent*. Et postquam responderit, *Ouy.* dirigat verba sua Sacerdos ad mulierem, hoc modo. N. *Tu promets à M.*

B *qui icy est, que tu le prendras pour mary, & Espoux, si Dieu, & nostre Mere sainte Eglise s'y accordent*. N. respondeat. *Ouy*. Et tunc subjiciat Sacerdos. Et ego affido vos. In nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancti. Amen.

Circa tempus nuptiale, sæpè moneant Curati, juvenes, & adolescentes, & puellas, nemini promittere matrimonium sine consilio parentum.

Præmoneant etiam ipsos parentes, nullo pacto ad matrimonium cum aliqua certa persona contrahendum, invitos compellere liberos suos. Moneant insuper ipsi alias omnes personas, ne falsis verbis, & subdolis aliquos ad matrimonium inducant, quia ad matrimonium liber requiritur consensus.

Item quia intelleximus, plurimos post affidationes

C de futuro, solemnizationem matrimonii de præsenti nimium differre, unde multa inconvenientia, & scandala eveniunt, injungant præfati Curati authoritate nostra (prout injungimus) contrahentibus sponsalia, illico post fidem datam, quod infra quadraginta dies, ad matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ solemniter celebrandum (nisi Canonicum obstiterit impedimentum) procedant.

Sciscitentur autem Parochiales Presbyteri à contrahere volentibus, aut aliàs solicitè inquirant, an inter ipsos contrahere volentes sit aliquod impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis carnalis, seu etiam cognationis spiritualis. Et an alter contrahentium, antea cum alia persona vivente matrimonium, vel etiam sponsalia contraxerit, sacrumve ordinem susceperit,

D aut expressam, vel explicitam, seu etiam implicitam fecerit in aliqua religione professionem. Et de aliis impedientibus matrimonium contrahendum, vel contractum dirimentibus. Pro quorum cognitione legant ipsi Manipulum Curatorum.

Item si quis ante, vel post completas dictorum bannorum proclamationes usque ad contractum matrimonii exclusive, opponens appareat, id antequam ulterius procedatur, nostro Officiali scripto denunciare, & ad eum causam oppositionis hujusmodi discutiendam remittere, necnon coram eo, opponentem, & contrahere volentes, ad certam, brevem, & competentem diem, peremptoriè, & personaliter citent. Et interea inhibeant authoritate nostra partibus sub pœna excommunicationis, ne contrahant matrimonium, vel procedant ad carnalem copulam. Et hæc infra diem

E assignatam significent Curati Officiali nostro, per signaturam propria manu sua subscriptam.

Forma relationis prædictorum expletorum.

Anno, & die M. dum ego N. Curatus Parochiæ P. proclamarem primum bannum inter M. & N. affidatos, L. se opposuit complemento matrimonii inter eos contrahendi, propter talem causam (inferat autem causam, secundum diversitatem oppositionum.) Quibus videlicet opponentibus, & affidatis, assignavi diem N. peremptoriè, & personaliter coram vobis, nisi, &c. Alioquin, &c. Ad procedendum super

super prædictis prout juris est. Simul inhibuimus eisdem, & cuilibet eorum, auctoritate in hoc nobis demandata, sub pœna sententiæ excommunicationis, ne partes, vel earum altera fortiori vinculo se obliget, vel inter se, vel cum alio quoad aliter per nos ordinatum fuerit. Eodem modo fiet, si in secundo, tertio, & quarto bannis oppositio formetur.

Si autem obtulerit se non opponens, sed denuncians tantum impedimentum esse inter affidatos, tunc faciat similem scripturam mutatis mutandis secundum diversitatem casuum emergentium. *Non tamen denuncianti assignet diem coram nobis, nisi forte partem se facere voluerit.*

Et ne res trahatur in longum, procuret Curatus de impedimento fieri informationem per se, vel per alium idoneum. Quam, die patribus assignata, clausam, & signatam *Officiali nostro exhiberi faciat.* In ea denuncians, si se partem non fecerit, poterit esse testis.

Et cùm ex clandestinis matrimoniis gravia quotidie scandala, & pericula, tàm contrahentibus, eorumque proli, quàm aliis contingant, juxta sacros Canones, & prædecessorum nostrorum statuta, excommunicamus tàm contrahentes clandestinè, quàm etiam eos, easque, qui eisdem conjugiis contrahendis, aut benedictionibus nuptialibus scienter interesse præsumpserint, aut ad hæc facienda directè, vel indirectè, publicè, vel occultè dederint auxilium, concilium, vel favorem. Ab ea autem excommunicatione (quam ipso facto illi incurrent) *absolvi non poterunt: nisi à nobis, aut à sede Apostolica, præterquam in mortis articulo. Quos autem clandestinè contraxisse cognoverint, illos Curati Curiæ nostræ statim denuncient.*

Matrimonia autem sunt clandestina, quando contrahuntur non in facie Ecclesiæ, non solemniter, non palam, & publicè, nec coram Parochiali Presbytero, & præsentibus testibus, necnon etiam quando in Ecclesia palam, publicè, & præsentibus testibus, bannis tamen non proclamatis, vel etiam proclamatis bannis, si hujusmodi matrimonia propter probabilem causam fuerint ab Ecclesiastico judice prohibita, ac quando alio quovis modo clam, & occultè inita sunt, nullis præsentibus, per quos probari possint fuisse contracta.

Item prohibemus Curatis, & eorum Vicariis sub pœna excommunicationis, ne prætextu quaruncunque litterarum dispensatoriarum aliquos ad solemnizationem matrimonii quovis modo admittere præsumant, nisi uno banno ad minus inter contrahentes in Ecclesiis suis solemniter facto, & publicè proclamato, ut moris est.

Si persona alienæ Diœcesis in nostra Diœcesi matrimonium contrahere voluerit, non admittatur ad ejus solemnizationem, *sine nostra, seu curiæ nostræ licentia.*

Quando autem contrahentes sunt diversarum Parochiarum, non tamen alienæ Diœcesis, non admittantur ad matrimonium solemnizandum in altera Parochia, nisi cum debita certificatione alterius Curati, qua significavit banna esse facta solemniter in sua Parochia, & nullum apparuisse impedimentum.

Item recensentes antiquum statutum de solemnizatione matrimonii inter contrahentes diversarum Parochiarum nostræ Diœcesis in altera earundem facienda: declaramus certificationem alterius earumdem Parochiarum Curati, seu ejus Vicarii de bannis à se factis sufficere, sine aliis, nostris, aut alterius judicis dispensationis litteris. Tollentes abusum illum, quo pro contrahendo matrimonio inter unius Archidiaconatus virum, & mulierem alterius Archidiaconatus, nostræ Diœcesis literas dispensationis de Archidiaconatu alterius earumdem partium Archidiaconi officiarii accipere compellunt.

Item inhibemus, ne Curati, aut eorum Vicarii admittant extraneos venientes ad suas Parochias fingentes, & dicentes se esse conjugatos, & tanquam tales simul cohabitantes sine litteris testimonialibus proprii Curati Parochiæ, de qua sunt oriundi, vel in cujus Parochia tales se dicunt fuisse desponsatos, & moram suam traxisse.

Item qui in ætate legitima sponsalia contraxerint, se mutuo absolvere non possunt à tali promissione futurarum nuptiarum. Sed debent id petere ab Officiali nostro, & coram eo causas absolutionis petitæ declarare, ut de hac re, prout juris erit, statuatur.

Item prohibemus sub pœna excommunicationis, omnibus, & singulis subditis nostris, qui sunt matrimonialiter copulati, ne absque judicio Ecclesiæ se abinvicem separent, aut separate vivant. Quos autem de præmissis Decani, vel Curati noverint culpabiles, referant secundum casus exigentiam puniendos.

Item quia ex defectu probationis matrimoniorum, multa contigerunt scandala, inhærendo statutis Episcopatuum circumvicinorum, statuimus, quod quilibet Curatus, aut Vicarius de matrimoniis in sua Parochia contractis proprium faciat registrum, & fidele. Quod ab eis fideliter conservetur, & perpetuo in domo Presbyterali maneat.

Altero conjugatorum quantocumque tempore absente, alter, nisi de morte absentis certitudo, & fides legitimè fiat nostro Officiali, contrahere cum alio matrimonium non præsumat. Nam multæ difficultates, & intricatæ quæstiones suboriri possent, ubi sine sufficienti certitudine de morte absentis pars altera novas subiret nuptias.

Detestabilem abusum, & sanctitati matrimonii plurimum derogantem reprimere volentes, prohibemus, ne in affidationibus, sive matrimonii solemnizatione, dum fiunt in Parochialibus Ecclesiis inter aliquos, vel post eorum perfectionem prætextu pecuniæ pro pastu cum sodalibus non solutæ, in affidati personam ludibria, aut risus, aut clamores exerceantur aquam in eundem affidatum effundendo soleas *semeles* gallice desponsatorum sub ligneo genuflexorum sæpius concutiendo, aut alia ridicula faciendo.

Quia recipere intra Ecclesiam, & inserere divinis sonos tympanorum, sambucarum, & aliorum hujusmodi prophanorum, & nuptialium instrumentorum nihi aliud est, quàm conjungere Christum cum Belial, & lucem cum tenebris, prohibemus, ne in introitu Ecclesiæ, aut intra Ecclesiam ministeriales nuptiarum, aut Festi Parochiæ tympana, fistulas, aut sambucas, aliudve instrumentum prophanum pulsent sub pœna excommunicationis, tàm in pulsantes, quàm in conducentes eos, & in consentientes, ferendæ.

Cum benedictio sponsi, & sponsæ, traductioque in domum viri, & celebritas convivii rationabiliter interdicta sit ab Ecclesia in tempore adventus Domini, & à die Dominica Septuagesimæ usque ad octavas Paschæ, damnamus abusum illum, quo nonnunquam desponsati in sabbato ante Dominicam primam Adventus, vel Septuagesimę, die Dominica hujusmodi sabbatum sequente, pompa, & ornatu nuptiali ad Ecclesiam deducuntur. Nec enim tales legis iram effugiunt.

De Extrema Unctione.

Titulus IX.

VOlumus Sacerdotes scire, Extremę-Unctionis sacramentum prodesse dignè suscipientibus ad salutem animæ, & corporis, testante Jacobo Apostolo: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes illum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Propterea eisdem Parochialibus Pres-

Presbyteris injungimus, ut si quando Parochiani eorum, tàm divites, quàm pauperes, ex aliqua gravi infirmitate in periculo mortis constituti esse credantur, exponant, & eisdem salutaribus monitis suadeant, ut, dum adhuc sanæ mentis existunt, illud sacramentum (quod est ultimum, disponens ad gloriam, remedium) digne, reverenter, & devotè petant, & suscipiant, ut peccatis purgati, stabiliores sint in fide: & si exeant de hoc mundo, his, & aliis spiritualibus armis undique muniti (propulsis dæmonum terroribus, et minis) securius transeant, & mundiores præsententur ab Angelis coram Christo judice.

Prohibemus autem hoc sacramentum Extremę Unctionis dari pueris, qui adhuc carent usu rationis, furiosis, dementibus, freneticis, & iis, qui damnati sunt ad mortem, quia tales damnati non reputantur infirmi.

Item nolumus Extremam Unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil prodesset, cum sit sacramentum pro infirmis solùm institutum. Et quidem illis solùm infirmis dari debet, quorum finis vitæ ex probabilibus, & verisimilibus conjecturis per infirmitatem expectatur, dummodò illud devotè postulent. Aut, si non petunt, capti forte frenesi, seu dementia, aut aliàs taliter impediti, quod petere illud non valent, petierunt tamen in eadem infirmitate, ante impedimentum hujusmodi, verbo, vel signo. Et cum verisimiliter non præsumitur, quod per aliquam insolentiam, occasione dementiæ, seu frenesis, injuria, vel irreverentia sacramento irrogetur.

Item cum hoc sacramentum sit ultimum sacramentum, inhibemus illud dari infirmo, nisi post confessionem peccatorum suorum, & post Corporis Christi communionem, si possibile sit infirmum communicare.

Item juxta sanctorum Patrum decreta inhibemus Sacerdotibus, ne infirmum sæpiùs inungant in eadem infirmitate, ne sacramentum istud vilescat. Potest tamen iterari in diversis infirmitatibus, vel in eadem recidiva, quia non habet effectum perpetuum, eo quod sanitas mentis, & corporis, quæ sunt ejus effectus, reiterari possunt, & amitti, & recuperari.

Præcipimus autem Sacerdotibus, quibus solis competit Extremæ Unctionis sacramentum ministrare, ut illud ministraturi accedant ad infirmum cum devotione, & reverentia, ornati superpelliceo, & stola, cum luminari, cæterisque in hoc sacramento necessariis, concomitante alio Presbytero, si possit, aliàs Clerico, aut saltem laico, qui possit eum juvare in dicendis Psalmis, Litania, & in aliis illi auxilio esse. Etsi, vel tempus, locus, vel necessitas urgeat, tunc poterit solus Sacerdos omnia præstare, & facere.

Injungimus etiam Sacerdotibus, quatenus semper habeant paratum oleum sanctum, librum aptum, cæteraque necessaria ad hujus sacramenti administrationem, ut quacunque hora necesse erit, adsint statim infirmorum auxilio.

De Testamentis, & eorum executoribus.

Titulus X.

Testamentorum usus multis sacræ Scripturæ argumentis probatur. Et ea potissimum ratione Christianos ad eorum factionem hortari oportet, ut ea morientium fides sit superstitibus cognita, &, ut de debitorum, & male ablatorum, ac forefactorum restitutione (sine qua peccatum non dimittitur) necnon de legatis in usus pios, constituatur ad animarum salutem. Idcircò Curati, & eorundem Vicarii hortentur Parochianos suos, & maximè corpore infirmos, & moneant ad testamentum faciendum.

Sciant omnes, quod solus Curatus, vel Vicarius, cui est demandata cura animarum, aut alii specialiter, & scripto deputati à nobis, possunt recipere testamenta.

A Curati, & alii, qui jus habent recipiendi testamenta, tantùm testamenta recipiant eorum, qui sunt sanę mentis, & majores quatuordecim annis, quorum ipsi voluntatem perfectè intelligere possint.

Prohibemus Curatis, & aliis testamenta impia, injusta (veluti, ut testatoris corpus jactetur in aquam) sive contra jura, vel bonos mores, vel ea, quæ pietatem, aut verecundiam lædunt (sicuti nonnulli fatui fecerunt) recipiant. Sed magis testatores exhortentur, ut primam habeant considerationem satisfaciendi proximo. Ut, si alienum retinent, restituant. Si damnum dederint, aut injuriam fecerint, prout sibi erit possibile, satisfaciant.

Rectores Parochiarum ad conficienda Parochianorum testamenta vocati, si testatores aliquid contra B communem exequiarum consuetudinem, vel defunctorum officium ordinare velint, ut canticum lætitiæ, & gaudii pro sua inhumatione non recipiant, neque scripturæ mandent.

Item injungimus supradictis, quatenus ipsi testamenta recepturi adhibeant secum tres notos testes. Ut talibus testamentis fides adhibeatur, & de omnibus contentis in eisdem prompta, parataque sit probatio.

Sint autem hujusmodi testes idonei, rogati ad hoc, qui audiant ex proprio ore testatoris omnia ab eo ordinanda, et qui valeant proprio testimonio, scripta in testamento approbare, si forte in contentionem revocentur.

Item injungimus, ut in testamentis apponant diem, C annum, nomen, et domicilium testatoris, nomen executoris, aut executorum, et trium testium, et locum sepulturæ. Exhortenturque testatores, ut ea submittant Ecclesiasticæ ordinationi.

Item injungimus recipientibus testamenta, ut, quæ ordinaverit testator, ea fideliter scribant coram testatore, et testibus in minuta, et intelligant non esse eis licitum quidpiam postea addere, aut detrahere.

Item prædecessorum nostrorum statuta innovantes, juxta antiqua decreta Conciliorum Provincialium statuimus, et ordinamus, quod Presbyteri Parochiales, et eorum Vicarii, et alii, quibus est facultas recipiendi testamenta, integrè dictam minutam testamenti postea transcribant in suo registro. Quod tenebuntur D semper domi habere apud se, in quo per ordinem describantur singulorum Parochianorum ultimæ voluntates. Et sit registrum subsignatum manu illius, qui eas receperit, et illud, quotiens erit ordinatum, exhibeant. Ut si super grossa testamentorum hujusmodi oriatur contentio, ad registrum hujusmodi possit haberi recursus.

Volumus autem hujusmodi registra semper remanere in Parochiis, in quibus dicta testamenta fuerunt recepta, apud eos, qui dictis Parochialibus Ecclesiis deservient pro tempore in divinis, sive cedant beneficio, vel firmæ, sive aliàs discedant à loco beneficii, qui eadem testamenta receperint. Monentes eosdem sub pœna suspensionis, ut registra testamentorum à se receptorum, manuali suo signo subscripta, et alia per prædecessores suos sibi tradita, deservienti post se E Presbytero, et non alteri personæ, tradant fideliter conservanda.

Et, ut fides illis adhibeatur, præcipimus, quod singulis annis in Paschate intitulentur secundum annum, et diem, et in fine subscribantur signo manuali dictorum Curatorum, aut Vicariorum, nec quacunque data occasione, per quemcumque judicem, aut aliàs extra Ecclesiam transportentur; poterit tamen juridice ad alterius partis requisitionem fieri extractus.

Necnon monemus per præsentes omnes alios dictorum registrorum detentores, quatenus sub pœna excommunicationis ipsa registra, quàm citius poterunt, præfatis tunc deservientibus Presbyteris restituant.

Item

Item declaramus, quod pluribus executoribus teſtamentariis ſimpliciter nominatis, aliquibus abſentibus, mortuis, impeditis, exequi nolentibus, aut negligentibus, poteſt etiam unus ſolus totam executionem teſtamenti aſſumere, niſi aliud in contrarium teſtatores ordinaverint.

Item admoneant Curati, & eorum Vicarii, executores teſtamentorum ſuorum Parochianorum, quatenus inventarium bonorum mobilium eorumdem defunctorum faciant.

Item & nihilominùs eiſdem Curatis, & eorum Vicariis præcipimus, juxta eorumdem prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta, ut publicè in Prono Miſſæ Parochialis moneant executores teſtamentorum, & eos ex nunc monemus, ut voluntates defunctorum infra tempus à jure ſtatutum penitus adimpleant, & diligenter exequantur. Et præcipuè de legatis factis Eccleſiæ, piis locis, pauperibus, ac miſerabilibus perſonis, ſatisfaciant. Et ut ſi ſciverint aliquos negligentes, vel male ſe habentes in exequendo, & ſuum officium adimplendo, celeriter curiæ noſtræ denuntient.

Item prohibemus omnibus judicibus, & eorum officiariis nobis ſubditis, ne ante annum à morte teſtatoris computandum, & maximè uno, vel duobus menſibus poſt obitum citent coram ſe, aut citari faciant executores teſtamentorum dictorum teſtatorum ſuper redditione computi dictæ executionis, cum id contrarium ſit juri.

De ſepulturis. Tit. XI.

SAcerdotes opportunè admoneant Parochianos ſuos, ut exemplo Tobiæ, Joſeph, & aliorum ſanctorum Patrum, curam diligentem habeant ſepulturæ fratrum ſuorum Chriſtianorum defunctorum, ad ſummę charitatis, & miſericordiæ opus, & certam futuræ reſurrectionis expectationem.

Moneant tamen eoſdem Parochianos, ne ſuperfluam diligentiam gerant de pompa funeris, aut ſumptuoſarum exequiarum. Talia enim ſunt, qualiacunque ſolatia vivorum, non adjutoria mortuorum. In inhumationibus autem defunctorum laudabile eſt habere ad minus Presbyterum Parochialem cum Clerico, ſi plurium copia haberi non poſſit, cum ſtola, ſuperpelliceo, ac lumine, in cereo, aut tęda juxta Crucem, in veræ fidei illius, qui mortuus eſt, ſignum.

Diligenter doceant Curati, juxta ſanctorum decreta, animabus defunctorum vivos poſſe ſubvenire oblationibus Sacerdotum, precibus, & orationibus propriis, interceſſione Sanctorum, eleemoſynis, & jejuniis.

Jubemus etiam Chriſtianorum defunctorum corpora Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ, in loco, quem ipſi elegerint. Sin autem morientes locum ſepulturæ ſuæ non deſignaverint, reponantur in cęmeterio illius Eccleſiæ, ubi viventes domicilium habebant. Etiamſi extra Parochiam dicti ſui domicilii, eundo, & redeundo, aut ſtando ex aliqua cauſa deceſſerint.

Item & ne quemadmodùm nonnullis in locis, interdum citra honeſtatem, & pietatem factum fuit, corpora defunctorum ad Eccleſiam, & cęmeterium ſupra baculos in futurum deferantur, jubemus in ſingulis Parochialibus Eccleſiis de communi ſarcophago expenſis fabricæ provideri ad corpora defunctorum ad terram deportanda.

Inhibemus nihilominus, ne quis corpus alicujus defuncti in alienam Parochiam transferre præſumat ſine ſpeciali licentia Curati, in cujus Parochia deceſſit.

Et quia juſtum eſt, ut temporalia metat, qui ſpiritualia viventi miniſtravit, volumus, quod quocumque in loco quis inhumetur, Canonica portio Ec-
A cleſiæ Parochiali, in qua domicilium tempore mortis habuit, ſolvatur.

Sed nos injungimus Curatis, & eorum Vicariis, quatenus faciant regiſtrum eorum, qui in ſuis Parochiis moriuntur. Et hoc faciendo, ſcribant nomen, & cognomen defuncti, & domicilium, annumque, & diem ejus mortis.

Prohibemus autem, ne ad ſepulturam in terra ſancta recipiant corpora eorum, qui propria malitia, malitioſaque induſtria, deſperatione, vel iracundia ducti, laqueo, gladio, igne, aqua, præcipitio, aut alio genere mortis ſe interimunt, quique in furto, vel latrocinio occiduntur, vel in ebrietate pereunt, quia tales in notorio, & manifeſto peccato mortali moriuntur.

B Ita prohibentur ab Eccleſiaſtica ſepultura alii quicumque, à jure, vel ab homine (miniſterio tamen, & ſententia judicis) nominatim excommunicati, vel etiam excommunicationis ſententiam à jure, vel ab homine latam incurriſſe declarati. Etiamſi tales excommunicati in mortis articulo pœnituerint, & abſolvi petierint, abſolutique in foro conſcientiæ, & non in foro judiciali extiterint. Verumtamen, ſi etiam poſt eorum mortem fuerint aſſecuti abſolutionem in foro judiciali, à judice ad hoc poteſtatem habente, tunc de hoc litteratorie conſtito, ſacra poteſt eiſdem exhiberi ſepultura.

Item doli capaces, qui moriuntur non facta peccatorum confeſſione, etiam ab Eccleſiaſtica ſepultura
C prohibentur.

Item, qui eo anno, quo decedunt, non receperunt Euchariſtiæ ſacramentum.

Peregrini etiam, & viatores incogniti, niſi teſtimoniales literas ſuorum Curatorum habeant, quod Chriſtiani ſunt, & nullo vinculo excommunicationis innodati exiſtunt.

Item prohibentur ab Eccleſiaſtica ſepultura, qui torneamenta ſponte exercendo, in ipſo, & ex ipſo exercitio moriuntur, aut ibidem etiam lethale vulnus, unde mors ſecuta ſit, acceperunt.

Item uſurarii manifeſti, Judæi, hæretici, raptores, incendiarii, Monachi, qui morientes deprehenduntur habere proprium.

Iis, & ſimilibus ſancta interdicitur ſepultura,
D niſi per nos ex cauſa fuerit diſpenſatum de eorum ſepultura.

De vita, moribus, & converſatione Clericorum.

Titulus XII.

OMnes Clericos, & maximè conſtitutos in ſacris ordinibus admonitos eſſe volumus, ſe, cum in ſanctorum loco ſint, neceſſitatem bene vivendi, non licentiam peccandi eſſe aſſecutos. Idcircò eos hortamur, ut opera ſanctorum exerceant, gradui ſuo honorem conferant, & ipſi non ex honoris, graduſve, aut generis dignitate, ſed ſermone, converſatione, dilectione, fidei puritate, & caſtitate, coram
E hominibus lucere ſtudeant. Significantes eis, quod apud Deum, nihil eſt beatius Presbyteri, aut Diaconi Officio, ſi eo modo exerceatur, quem ſacri Canones conſtituerunt.

Item, quia Eccleſiaſticas perſonas oportet etiam eſſe ornatas exterius, volumus, & præcipimus veſtes Clericorum in ſacris conſtitutorum eſſe talares, non expectoratas, non fronciatas, non partitas, ſed clauſas undecunque à collo deſuper, non fiſſas retro, neque in manicis apertas, aut nimium largas.

Prohibemus etiam, ne utantur lunatis, cornutis, et nimis feneſtratis calceis, caligis ſcacatis, jarteriis ad genua, camiſiis fronciatis, aut birretis replicatis, aut nimium quadratis. Indumenta eorum ſint de colore, quo bonæ, et honeſtæ perſonæ Eccleſiaſticæ utuntur in noſtra Diœceſi.

Cri-

Crinem scindere usque ad patentes aures, barbam, & coronam radere honestè faciant secundum ordinis sui statum semel in hebdomada, aut ad minus bis in mense.

Annulorum usum, nisi in dignitate sint constitutæ, personis Ecclesiasticis interdicimus.

Inhibemus insuper omnibus, & singulis Religiosis, Presbyteris, Curatis, & non Curatis, & Clericis Ecclesiarum nobis subditis, ne pileum gestent intra Ecclesiam, sed caputiis, seu camaliis ex panno nigro, si voluerint, utantur. Hortamur etiam, ut superpellicea habeant tempore divini servitii, dum altè cantatur. Nec intereà fabulentur, aut deambulent, sed cum cantantibus se immisceant, & cantent simul omnes, nisi justa causa sint impediti, præsertim si lucrum capiant in dictis Ecclesiis.

B Item ex Provincialis Concilii statuto Abbates, Abbatissæ, Priores, Priorissæ, Monachi, Moniales, regularesque Canonici, & alii Religiosi, vestibus, & calceamentis ordini suo congruentibus utantur. Et in quolibet Monasterio in suis habitibus hujusmodi uniformiter se habeant. In refectorio simul comedant, ac in dormitorio communi dormiant.

Item eodem Provincialis Concilii statuto, sub pœna excommunicationis prohibetur, & nos in nostra Diœcesi sub eadem pœna prohibemus, ne Abbas sine Monacho, Monachus sine fratre extra suum Monasterium incedat. Ac ne Monachus, etiam si Prioratum, præposituram, aut quamvis aliam administrationem obtineat, in villa, oppido, aut alio quocumque loco solus moretur, vel inter sæculares cohabitet. Sed secum alium Monachum, quem ad hoc ejus Abbas duxerit deputandum, habeat, cujus consortio fretus, ea, quæ sunt regularis observantiæ, valeat salubriter adimplere. Maximè si ad hoc ipsum talis beneficii fructus suppetere possint.

C Item omninò vetamus, ne Clerici enses, venabula, baculos, aut arma quæcunque portent, citra necessitatem, aut alios casus jure permissos. Venationes etiam clamosas cum falconibus, seu aliis avibus prædatoriis, vel canibus venaticis, improbamus. In quibus plerique patrimonium Christi, quod in pauperes impartiendum fuit, consumpserunt. Et per hujusmodi vanas, & frivolas occupationes divino servitio valdè fuit derogatum.

D Interdicimus insuper, ne ipsi publicè, aut in privato exerceant ludos turpes, aut ludibriosos, unde scandalum oriri, & ministerium Ecclesiasticum vituperari possit pro loco, & tempore, causa, & personis, in quibus, propter quam, & cum quibus hujusmodi ludos exerceri contingeret. Et ne omnino ludant in loco, in quo ea die convenerint ad defuncti alicujus anniversarium, vel servitium faciendum; quoniam ex hoc Ecclesiæ decor multum deturpatur. A ludo autem alearum, taxillorum, & similium, quæ in sorte pendent, sic abstineant, ut neque etiam aliis ludentibus, fautores, aut testes intersint.

Tabernas publicas vitent, nisi fortè dum peregrinantur, vel ob aliam probabilem, aut necessariam causam. Crapulam, & ebrietatem abhorreant, in quibus est fomes libidinis, & mentis hebetatio, causaque omnium malorum.

E Convivia puerperarum, & confratriarum, quantum poterunt, evitent, ac etiam nuptiarum. Nisi interveniente sanguinis, aut affinitatis conjunctione, aut alicujus majoris amicitiæ causa, ad celebritatem invitentur.

Districtè quoque prohibemus, ne Sacerdotes choreis publicis, tripudiationibus, saltationibusve sese immisceant. Ne turpes, amatorias, aut lascivas decantent cantilenas, aut cantantibus faveant, aut intersint. Corrumpunt siquidem bonos mores colloquia prava. Denique non sint vagi oculis, non dicaces, non joculatores, non histriones. Ea enim omnia indecora sunt iis præcipuè, quibus animarum cura commissa est.

Item, cùm per incontinentiam nomen Sacerdotum contemptibilius fiat, eorum bona temporalia, tempus, corpus, anima, charitas Dei, & dilectio proximi malè perdatur, sacrorum generalium Conciliorum constitutiones innovantes, inhibemus omnibus, & maximè sacris initiatis, ne concubinas, aut quascunque mulieres de incontinentia suspectas, secum in domibus suis, aut alibi quocunque prætextu habeant.

Si quis fortè ex talibus prolem susceperit, nunquam eam educari faciat, aut patiatur in ædibus, in quibus habitat.

Et, ut quisque à carnis contagione immaculatum se servet, abstineat à frequentatione mulierum, confabulationibus, conversationibus, & jocis, maximè solitariis.

Item prohibemus Sacerdotibus, ne in festo sancti Nicolai, Innocentium, aut alio quovis die, stultum aliquid, aut ridiculum in Ecclesiis, aut alio quocunque loco publico faciant, fierive permittant, aut larvati quocunque tempore, & quovis in loco incedant.

Sacerdotes, qui in diebus primarum Missarum novorum Presbyterorum, post festivas epulas, & grandia convivia, comessationesque, exeunt in publicum, ad exhibendas populo, & plebeculæ comœdias, maximè crassas, & impudicas, & choreas in plateis, committunt sine dubio in legem Ecclesiæ, & Apostolicum dogma. Quare, qui tales fuerunt, si perseveraverint, sciant se condignam punitionem, & correctionem non evasuros.

Item omnes beneficiati, & in sacris ordinibus constituti, cùm ad Horas Canonicas teneantur, eas studiosè, distinctis verbis, & cum puritate conscientiæ, dicant, secundum consuetudinem Ecclesiæ Carnotensis, non transcurrendo, vel syncopando, aut extranea, vana, prophana, vel inhonesta intermiscendo, sed interior cogitatio cum pronuntiatione exteriori conveniat.

Habeat quælibet Parochia, si fieri potest, scholas publicas, ad quas proficisci possint infantes. Sin minus, sit semper Sacerdos, aut Clericus sufficienter eruditus, qui possit pueros docere, illisque familiariter interpretari primas litteras, orationem Dominicam, Symbolum, & alia, quæ in alphabeto continentur, præceptaque decalogi. Atque jam ab ætate doceat eos diligere Deum, virtutes appetere, & vitia fugere.

Item, cùm nullus, qui Deo militat, se implicare debeat negotiationibus vitæ, ut ei placeat, qui ipsum ad militiam elegit, & non possit quis Deo servire, & mammonæ, prohibemus omnibus Clericis in sacris constitutis, ne sint mercatores, usurarii, tabelliones sæculares, tabernarii publici, aut receptam, seu procurationem alicujus Domini temporalis gerant. Non sint etiam judices, Advocati, aut procuratores in foro sæculari, nisi pro se, vel suis, aut miserabilibus personis. Sententiam sanguinis non procurent, nec proferant, dictent, aut scribant. Contrafacientes, si mors, vel membri mutilatio subsequatur, irregularitatem incurrent.

Item inhibemus, ne aliquis Sacerdos, contempto proprio ministerio, seu ordine, opera rustica, sordida, quæ à vero Sacerdote longè discrepant, & ab Ecclesiastica honestate multum abhorrent, exerceant.

Sed, ut ipsi sciant, quæ sunt Officii sui, potentesque sint alios instruere, & otiositatem omnium malorum matrem evitent, hortamur omnes Clericos, & maximè Sacerdotes, & in sacris ordinibus constitutos, quatenus ipsi cum summa diligentia dent operam lectioni, & intelligentiæ sacrarum litterarum, habeantque libros Ecclesiasticos, præsertim psalterii, Euangeliorum, & Epistolarum totius anni, hymnorumque, & prosarum, ac Canonis Missæ probatas expositio- *Libri curatorum.*

sitiones, tripartitum opus Gersonis, Manipulum Curatorum, & similia opera, necnon & statuta hæc nostra Synodalia.

Item & quia in qualibet Parochia debet esse Clericus magister scholarum ad docendum, & erudiendum pueros, statuimus, quod in qualibet Parochia, in qua est abundantia populi, Curatus provideat expensis Parochianorum de magistro scholarum idoneo, & sufficienti, qui rectè sciat docere pueros, & eos in bonis moribus instruere. Et caveat, si fieri potest, quod filiæ seorsum, & non cum masculis studeant.

Similiter in qualibet Abbatia, seu Prioratu Conventuali, instituatur magister idoneus ab Abbate, vel Priore Conventuali, qui Monachos, & Novitios, ac Canonicos regulares minus sufficienter instructos, instruat. Si autem Abbas, vel Prior Conventualis hoc facere neglexerint, dictum magistrum instituemus, & eidem pro labore, & pœna salarium expensis congruis de bonis Monasterii secundum facultates ejusdem ministrari faciemus, prout expedire viderimus.

Item præcipimus omnibus Abbatibus, & Prioribus conventualibus, quatenus Religiosos exire Monasterio non permittant sine causa, & sine comite Religioso, aut converso, vel alio honesto Clerico.

Item injungimus, quatenus Abbatiæ, Monasteria, & Prioratus Conventuales restaurentur, & ibi collocentur Religiosi, in numero competenti, juxta dictorum locorum facultates.

Parochiales Curati per singulos dies Dominicos voce intelligibili, & in Gallico loquantur populo de decem præceptis decalogi, de articulis fidei, de operibus misericordiæ, de virtutibus appetendis, & de peccatis fugiendis. Et, si qui sint Presbyteri, quibus non suppetat doctrina, aut prædicandi gratia, legant, & declarent die Dominica unum capitulum Joannis de Gerson, in opere tripartito.

Inducant Patres filios juvenes ad frequentationem Ecclesiæ, & Divinorum Officiorum, & ad dicendum sæpissimè Horas, septem Psalmos, & contenta in alphabeto, & ad obediendum Deo, Ecclesiæ, & præceptis ejus.

De conservatione bonorum Ecclesiæ.

Titulus XIII.

CUm expediat Ecclesiæ prædia, & possessiones habere, oportet eos, qui Ecclesiis præficiuntur, etiam sæcularium negotiorum peritiam habere, atque competenti solicitudine, & cautela, sibi commissas Ecclesias servare indemnes. Ut perpetuetur in illis divinum Officium, & ut tàm successoribus, quàm indigentibus necessaria, non solùm spiritualia, sed & temporalia nunc, & in futurum ministrentur.

Imprimis igitur monemus omnes, & singulos beneficiatos nostræ diœcesis, sub debito juramenti, quo suarum Ecclesiarum bona conservare obstringuntur, ut bonum, & legale inventarium, seu declarationem bonorum, & titulorum suarum Ecclesiarum faciant, & illud in uno particulari codice, aut (si malint, & breve sit inventarium) in Missali Ecclesiæ scribant, vel scribi faciant, & signo suo manuali signent, & approbent.

Item præcipimus litteras originales de bonis, redditibus, juribus, & privilegiis dictarum Ecclesiarum, & beneficiorum, diligenter sub arca in loco tuto reponenda conservari, districtè vetantes, ipsas alibi transferri, nisi ex causa necessaria. Illarum verò transcripta penes se habeant pro suorum jurium persequutione, aut aliàs eisdem utendo, quotiens expedierit.

Item, ut bona Ecclesiarum, & monasteriorum pluribus nota sint, minori sumptu defendantur, & se-

A curius conserventur, provinciale statutum, etiam in nostra diœcesi observare volentes, jubemus, ut Abbates, Abbatissæ, priores, priorissæ, & personæ collegiatarum Ecclesiarum ejusdem nostræ diœcesis, redigere faciant in scriptis, & reddi curent singulis annis compotum de omnibus, & singulis proventibus suorum monasteriorum, prioratuum, & Ecclesiarum collegiatarum, & de expensis super his factis.

Item admoneant Curati suos parochianos, quatenus eligant singulis annis majores Ecclesiæ, quos vulgo matricularios, & gagiarios vocant, qui sciant, & valeant res parochialis Ecclesiæ gubernare, & negotia ejusdem curare, & fabricæ illius intendere, ut moris est. Ita ut, si possibile est, cum
B novo, vel novis matriculariis remaneat alter antiquorum gagiariorum, ut novi facilius instruantur. Ipsis autem Ecclesiæ gagiariis præcipimus, ut infra octavam diem ad præstandum juramentum solitum veniant coram nobis.

Injungant autem Curati gagiariis suarum Ecclesiarum, ut omnia indumenta Ecclesiastica linea lavari curent, ad minus bis in anno, videlicet in Pascha, & festo omnium Sanctorum, in lixivio separato, & per honestas mulieres. Corporalia autem, calices, fontes, & pelvis aquæ baptismalis, per ipsos solos Presbyteros in lotione eorum tractentur.

Item præcipimus eisdem gagiariis, ut cæteras res Ecclesiarum, domos, & hæreditagia earum, in bo-
C no, & decenti statu teneant, & conservent: omnibus autem beneficiariis, ut ædificia suorum beneficiorum benè reparent, & reparata conservent.

Item volumus eosdem gagiarios teneri ad conficiendum inventarium rerum, & prædiorum suarum Ecclesiarum parochialium, si nullum à decennio confectum fuerit, & ad reddendum compotum, & reliqua de receptis, & expensis, infra quindenam ab anno suæ administrationis finito, loco, & hora competentibus, quem quidem locum, & horam convenientem Curatus in Prono Missæ parochialis coram parochianis ante designabit.

Cùm oblationes populi in Ecclesiis parochialibus in manibus gagiariorum factæ, ipsarum reparatione, de Episcoporum voluntate, ad quorum curam, & so-
D licitudinem earum perceptio, & in Ecclesiarum fabricam applicatio pertinebat, convertendæ sint, quarum compotum, & rationes Episcopis, seu eorum commissis, tàm de jure, quàm de consuetudine reddi debeant, Injungimus omnibus judicibus Ecclesiasticis nobis subditis, & per nostram diœcesim constitutis, quatenus in creatione, & receptione novorum gagiariorum illos promittere, & jurare faciant, quod de hujusmodi oblationibus, & gagiaria, seu Ecclesiastica administratione bonum, & fidele compotum reddent singulis annis in foro Ecclesiastico.

Censemus quoque juxta juris regulam, quæ habet, *Nota.*
quod semel Deo dicatum, non est ad usus humanos transferendum, ne matricularii, seu gagiarii pecu-
E niam per eos receptam ex oblationibus fidelium, seu ex fundis, & redditibus Ecclesiarum in prophanos usus, ut puta pro liberatione armigerorum, seu constructione, & intertentione putei communis parochiæ convertant, seu, ut ad hæc convertatur, sub quocunque quæsito colore tribuant, aut converti permittant.

Ut autem Christi fidelium eleemosynæ in usum, pro quo erogantur, convertantur, & non in alium, juxta Clementis Quinti sententiam, non liceat procuratoribus, & gagiariis fabricarum quidquam de pecuniis ad opus Officii defunctorum elargitis, vel ex quæsta alicujus Missæ, seu confratriæ provenientibus distribuere, aut in alterius rei usum dispensare, sed, ad quod destinatæ sunt, fideliter reserventur, & applicentur.

Item

Item ad piam, & perpetuam defunctorum memoriam, & ne Curati, & gagiarii Ecclesiarum parochialium alii aliis succedentes, aliquam ignorantiæ causam, aut præsumptionem allegare possint. Statuimus, quod in qualibet Ecclesia parochiali expensis fabricæ fiat, & servetur tabula duplex intra chorum Ecclesiæ publicè pendens, in cujus altera parte describantur anniversaria obitus, sive Missæ, quæ per sex primos menses anni, & in altera, quæ per reliquos anni menses dici, & celebrari debent, cum expressione dierum, & brevi declaratione rerum pro dictis anniversariis legatarum.

Querelis gagiariorum, & provisorum parochialium Ecclesiarum nostræ diœcesis finem imponere cupientes. Nos, quibus basilicarum, & illarum reparationum cura, & solicitudo imminet, & oblationum pro hujusmodi reparationibus ratio, & compotum per dictos gagiarios de jure fieri debet, vetamus, & prohibemus, ne facto compoto de receptis, & expensis per gagiarios, ipsoque inter parochianos, aut alios ad hoc electos examinato clauso, & affinato prædicti gagiarii ad levandum de hujusmodi redditione, & clausura litteras Curiæ nostræ, aut aliarum nobis subditarum cogantur.

Item, ne judices, aut aliæ personæ prætextu jurisdictionis Ecclesiasticæ, aut Officii, quod habent in nostra diœcesi, maximè post hujusmodi compotorum redditionem, & clausuram, præfatos gagiarios compellant ad exportandum dicta sua compota extra parochiam propriam, nisi in casu impugnationis dictorum compotorum per aliquem de parochianis intentato, aut alia gravi, & legitima causa ad hoc dictos Officiarios movente.

Item prohibitum fuit à prædecessoribus nostris, & nos quoque prohibemus sacerdotibus, & aliis personis Ecclesiasticis, cujuscunque ordinis, aut status existant, etiam si Abbates, vel priores fuerint, sub pœna excommunicationis, & aliis pœnis juris, ne jura, possessiones, & redditus Ecclesiarum suarum, ultra decennium, sine licentia nostra alienare quoquo modo, etiam ad firmam, & locationem dare præsumant, sed alienata pro viribus revocare studeant.

Item inhibemus quibuscunque beneficiatis, nobis subditis, ne libros, calices, vestes, jocalia, seu ornamenta suorum beneficiorum divino cultui dedicata, vendant, impignorent, aut aliàs quàm ad cultum divinum de eisdem disponant.

Item monemus quoscunque institutos ad capellas, & alia beneficia non Curata, ut integrè, & debitè celebrent, aut celebrari faciant Missas, & alia divina Officia, secundum institutionem, & intentionem fundatorum.

Item, quia in diœcesi nostra Carnotensi multa sunt loca pia, utpote xenodochia, hospitalia, leprosariæ, & alia loca pia, ruinis deformata, quorum non solùm ædificia collabi, verum etiam bona perire administratores permittunt, & (quod damnabilius est) interdum proventus ad suos usus particulares convertunt, quæ loca eleemosynis fidelium fundata, & dotata sunt, ut pauperes, aut infecti lepra ibi respectivè recipiantur, ac sustententur. Cupientes autem abusum illum tollere, & corrigere, ordinamus, & injungimus omnibus, & singulis hujusmodi domorum magistris, & administratoribus, quatenus registrum ad longum omnium, & singulorum bonorum tàm mobilium, quàm immobilium, & redditaum, receptarum, & expensarum quotannis faciant, & manu propria signent.

De Ecclesiis, cœmeteriis, & aliis sacris locis, & eorum immunitate.

Tit. XIV.

Ad unius spiritualis, sanctæ, & universalis Ecclesiæ exemplum, innumeræ per mundum constructæ sunt Ecclesiæ ad recipiendum populos, ad nominis, & divini auxilii invocationem congregatos, ut in eisdem cultu divino Deus honoretur in pace, & ibi sacra fiant, & sacramenta administrentur. Illas sancti Patres omnimoda immunitate gaudere constituerunt, quamplurimi Imperatores confirmaverunt legibus publicis. In illis propterea canones sacrorum generalium, & provincialium Conciliorum prohibuerunt, & nos prohibemus in Ecclesiis in nostra diœcesi positis, teneri publica parlamenta, conciones laicorum, universitatum, societatumve quarumlibet Concilia. Cessent in eis vana, & frivola colloquia, & confabulationes qualibet; cesset strepitus, clamor, fastus, omnisque irreverentia, cæteraque omnia, quæ Officium divinum impedire, aut quovis modo perturbare possunt, aut oculos divinæ majestatis offendere, ne ubi peccatorum venia postulatur, ibi peccata committi deprehendantur. Nullus in ea, maximè dum sacra aguntur, deambulet, vagetur, aut discurrat.

Magis autem monemus omnes, & singulos, ut illis Ecclesias ingredientibus, sit humilis, & devotus ingressus, & intus quieta conversatio, intentis præcordiis, devotis insistant orationibus. Et, dum sacra aguntur, gloriosumque nomen Jesu recolitur, flectant audientes genua, aut capitis inclinatione suum Salvatorem testentur.

Et ut, divino Officio celebrato, & populo egresso ad propria, ostia Ecclesiæ diligenter claudantur.

Item & cum cœmeteria fidelium Christianorum defunctorum quieta sint dormitoria, quæ eodem immunitatis gaudent privilegio, sicut Ecclesiæ, inhibemus sub pœna excommunicationis, ne quis in cœmeteriis prophana construat ędificia, novave itinera faciat, nec per ipsa (sicut nec per Ecclesias) pecora transitum faciant.

Omnibus autem, & singulis parochialium Ecclesiarum nostræ diœcesis gagiariis præcipimus, eadem cœmeteria claudi circunquaque muris, seu ligneis clausuris, eaque in posterum teneri clausa, ne porcis, & cæteris brutis animalibus exposita, etiam pastus causa, prophanari videantur. Et quod longè deterius est, ne sepultorum cadavera (quod Deus avertat) exhumari contingat.

In cœmeteriis (sicut & in Ecclesiis) cessent convivia, & comessationes, theatrales joci, choreæ, tripudia, cantilenæ, ac ludi quicunque. Non teneantur ibi nundinæ, fora, mercatus, aut placita sæcularia quarumcunque causarum.

Attendentes Ecclesiarum, & cœmeteriorum immunitatem nostris temporibus passim lædi, & per sanguinis effusionem violari. Et quod nonnulli in Ecclesiis, & cœmeteriis pollutis ante reconciliationem celebrare, & mortuorum corpora sepelire contra reverentiam sacris locis debitam non dubitarunt, præsenti decreto duximus statuendum, ne aliqui sæculares scienter celebrent, aut faciant celebrari divina in Ecclesia, aut sepeliant, vel sepelire faciant in cœmeteriis post notoriam, & injuriosam sanguinis effusionem, & ante eorum reconciliationem.

Qui verò contra præsumpserint, præter alias pœnas à jure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium nostrum, cujus sententiam, & statutum contempserunt, satisfecerint competenter.

Volumus mulieres in Ecclesiis extra chorum sedere,

re, manereque separatas à viris in posteriori parte Ecclesiarum, quoad commodè fieri poterit.

Item omnibus, & singulis Curatis, & Vicariis prohibemus, ne in Ecclesia, durante servitio divino, permittant mulieres deambulare facere, aut tenere earum infantes, quinimo eis præcipimus, ut hoc fieri prohibeant sub pœna canonica.

Prohibemus insuper, ne laici occupent locum deputatum sacerdotibus, & clericis ministrantibus, & servitium Ecclesiæ celebrantibus.

Injungimus Curatis, & Magistris scholarum, quatenus pueros, & scholasticos diligenter, & solicitè instruant, ut in Ecclesia reverenter se habeant. Et ut in tenera ætate Deo humiliter servire discant, recipiantur, & collocentur convenienti loco, ubi flexis genibus consistant, legentes, & dicentes Psalmos, horas, aut alias oratiunculas.

Item abusum illum cultui divino derogantem in quibusdam nostræ diœcesis frequentatum Ecclesiis, in quibus certis anni solemnitatibus, & festivitatibus alta voce legendę in gallico aliquorum sanctorum decantantur, cum hocquetis brevibus, & minimis, abolentes, inhibemus, ne de cætero hoc fiat, vel aliquid aliud decantetur in Ecclesia, ultra servitium divinum consuetum, vel quod à nobis fuerit approbatum.

Nec in festo sancti Nicolai, Catharinæ, Innocentium, aut alio quovis die, prætextu recreationis, scholastici, clerici, sacerdotesve stultum aliquid, aut ridiculum faciant in Ecclesia, aut ab illis fieri permittant. Denique ab Ecclesia abjiciantur vestes fatuorum, personas scenicas agentium.

Statuimus, & ordinamus, quod tàm in Ecclesiis collegiatis, quàm in monasteriis, prioratibus, conventibus, Ecclesiis parochialibus, & omnibus aliis, Officium divinum devotè celebretur. Cum reverentia, & honestate pausæ fiant, tollaturque, & evitetur nimia præcipitatio.

Item ordinamus, quod in singulis Missis parochialibus fiat obsecratio pro sanctissimo Domino nostro Papa, prosperitate Regis, & Reginæ, pro filiis regis, regia progenie, & statu regni Franciæ, & dicatur Psalmus: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*, cum Gloria patri, Oratione dominica, & Angelica salutatione. Et specialiter dicantur orationes: *Deus omnium fidelium pastor, & rector*. Et, *Deus omnium regnorum institutor*. Et, ut ad præmissa populus facilius inducatur, nos, ultra indulgentias olim concessas, de omnipotentis Dei gratia viginti dies indulgentiarum concedimus, & donamus omnibus devotè hujusmodi orationes dicentibus, & orationibus assistentibus. Et hoc in Pronis Ecclesiarum vestrarum publicetis.

Ordinamus etiam, quod in singulis processionibus Ecclesiarum nostræ diœcesis cum Curato, aut Vicario etiam omnes Presbyteri illius Ecclesiæ, in qua fit processio, & adsint, & superpelliceis induti sequantur debito, ac honesto ordine crucem, quæ antefertur in illa publica supplicatione, devoteque simul assistant ipsi processioni. Quoniam indecens est, ac inhonestum, solum Curatum, aut Vicarium tunc illis adesse, & crucem sequi, comitantibus eum laicis, sine aliquo comitatu virorum Ecclesiasticorum, ut hactenus multis in locis intelleximus esse factum.

Propter multas, varias, & irrationabiles insolentias, quæ præcedentibus annis ex processionibus extraordinariis populi parochiarum ruri positarum provenerunt, & ad obviandum, ne in posterum subsequantur: Volumus, quod, decreta processione, Presbyteris parochiam, nisi sint legitimè impediti, populusque, si possit, tàm eundo, quàm redeundo, vexillum, & crucem devotè, & ordinatè sequantur, dimissa prava consuetudine, seu potius corruptela, quæ in multis talibus parochiis inolevit, secundum quam, ubi ad locum processionis deventum fuerit, tota turba A huc, atque illuc ad tabernas, relicta cruce, & campanis, elabitur, & divertit, involutum vexillum, cruxque de baculo deposita sine honore ad locum, à quo ab uno interdum, vel duobus ad summam noctem referuntur.

Item & ne populus distrahatur à Missa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei, & Ecclesiæ, prohibemus, ne in capellis, etiam ab antiquo prædecessorum nostrorum authoritate fundatis, leprosariis, vel domibus Dei, campanis pulsatis, Missæ dicantur publicè die dominico, aut festivo, ante magnam Missam Parochialem, nisi post Pronum ejusdem Missæ parochialis. Non tamen intendimus in hoc comprehendere eos, qui in secreto, excluso populo parochiali, celebrare voluerint.

B Volumus, ut sacerdotes parochiales citent capellanos, quos invenerint in hoc transgressores, super contemptu, & inobedientia responsuros coram nobis, seu Officiali nostro. Causam tamen in sua relatione exprimant.

Inhibemus etiam capellas de novo erigi, aut construi, etiam omnino dirutas, de novo reædificari sine nostra permissione, & licentia.

Et quia multorum fida relatione didicimus, simplicem populum aliquando levi assertione miraculorum, aut pro novi reputatione sancti, ad unum, & alterum locum concurrisse, candelas, panes, & alia vota obtulisse. Ut credulæ plebi, & populo nobis commisso adversus hujusmodi abusus consulamus, districtè prohibemus, ne quis posthac miraculum de novo factum C prætendat, neve etiam intra, aut extra Ecclesiam, titulum, imaginem, vel picturam, prætextu novi miraculi, aut pro reputatione novi, & incogniti sancti, erigat, figat, vel ponat, aut populi concursum in miraculi gratiam, & venerationem recipiat, nisi prius causa cognita, quid sentiendum, tenendumque sit, à nobis decretum fuerit.

Et ut nihil sine discretione in Ecclesia Dei fiat, expediens, & rationabile videtur propter imagines, veritati, & sacræ scripturæ non convenientes, ut in posterum, nisi præcedente nostra, aut nostrorum commissorum visitatione, & probatione, imagines novæ in Ecclesiis non collocentur.

Item, quia intelleximus quosdam haberi libellos falsam doctrinam continentes, ac per mendacia, & D dicta frivola, & erronea, simplices, & incautos inducentes in graves errores, prohibemus omnibus, & singulis, tàm clericis, quàm laicis, cujuscumque status, conditionis, aut sexus existant, ne quemvis libellum, fidem, aut mores concernentem, vulgari, seu etiam latino sermone, sine authoritate, & decreto nostris imprimant, aut imprimere faciant, vendant, emant, legant, & si contigerit eos habere, ad nos deferant.

Item, quamvis viri Ecclesiastici de jure à præstatione, & talliarum solutione sint immunes, & exempti. Attamen intelleximus nonnullos Presbyteros nostræ diœcesis hujusmodi talliis indebitè gravari, & cottisari cum laicis, rusticis, & plebeis, ideò deliberatione provi- E da duximus inhibendum sacerdotibus nostræ diœcesis, ne de cætero hujusmodi licitè impositioni talliarum se submittant.

De quæstoribus, & prædicatoribus per presbyteros parochiales in suis Ecclesiis, & locis admittendis, vel non.

Titulus XV.

ETsi Apostolus eleemosynarum quæstores apud Corinthios commendarit, falsorum tamen quæstorum intemperantia, mendaciis, & abusionibus factum est, ut per totum mundum à quæstoribus sibi doctus quisque maximè caveat.

Itaque per Generalia Concilia, ab hinc trecentis annis,

annis, adversus illos cautum est. Sed cùm nec nostris A temporibus cessent pseudoquæstores eleemosynarum, sed multi mentito nomine, & habitu, re ipsa tamen ingenio fallaci, & deceptorio, pecunias extorqueant à simplicibus, & rusticis Christianis, qui de facili credunt in iis, in quibus dicitur eis versari salus animarum, districtè prohibemus Curatis nostræ diœcesis, & eorum Vicariis, ne aliquos quæstores, prætextu quarumcunque litterarum recipiant, aut in Ecclesiis parochiæ suæ, plateis, aut vicis ejusdem publicare suas indulgentias permittant, nisi litteras nostras, aut Vicariorum nostrorum in forma authentica sanas, & integras, subsignatas à secretario, sigillique nostri appensione munitas, prius ostenderint. Intelligentes, quod si dictos quæstores sine litteris nostris receperint, B & eos agentes contra statuta nostra toleraverint, gravi emenda plectentur.

Item præcipimus eisdem Curatis, quod cùm primum dicti quæstores illis nostras litteras exhibuerint, eas attentè legant, & videant. In quibus, si quam falsi suspicionem, aut rasuram deprehenderint, eos nequaquam ad quæstam admittant, & nihilominus statim id nobis, aut Vicariis nostris, aut promotori nostro significent, maximè quando dictos quæstores prohibere non poterunt, ut per nos, vel Officialem nostrum, ad dictorum quæstorum punitionem, quacunque eorum exemptione non obstante, procedatur.

Item, etsi nostras litteras, sic per dictos quæstores sibi ostensas, Curati, aut eorum Vicarii cognoverint C esse sanas, & integras, à secretario nostro subscriptas, & sigillo nostro sigillatas, ac omni suspicionis vitio carentes, ipsos nihilominus quæstores non permittant prædicare. Sed si in sacris ordinibus constituti fuerint, permittant eos verbis simplicibus dumtaxat exponere ea, quæ in dictis litteris nostris, & articulis per nos transmittendis, per dictum secretarium nostrum scriptis, continebuntur.

Item Curati à quæstoribus etiam, qui prædictas litteras nostras obtinuerint, non recipiant, publicentve aliqua brevia super hujusmodi quæstis faciendis, ac etiam indulgentiis publicandis. Aut ipsa brevia ad valvas Ecclesiarum, aut alia publica ipsarum Parochiarum loca affigi, seu aliàs quovis modo publicari permittant, nisi id fieri per nostras litteras mandaverimus, aut Vicarii nostri mandaverint, breviaque hujusmodi fuerint signo manuali nostri, aut Vicariorum nostrorum Notarii, signata. D

Item, quia nonnunquam quæstores verbosos, & impudentes, habendi cupiditate quasdam confictas, & nullatenus approbatas reliquias, imagines, aut picturas, in grave status Ecclesiastici dedecus, & populi Christiani scandalum, secum detulisse, populoque venerandas exhibuisse compertum est, prædictis Curatis, & eorum Vicariis inhibemus, ne eosdem quæstores aliquas reliquias, crucem, & sanctuaria exhibere venerandas, seu veneranda permittant, nisi id expressè in nostris, aut Vicariorum nostrorum litteris caveatur.

Item moneant sæpius Curati suos Parochianos, ut ante omnes quæstas subveniant pauperibus, infirmis, & miserabilibus personis Parochiæ suæ.

Eosdem Curatos, & eorum Vicarios monemus, E ut fabricam suæ, deinde Carnotensis Ecclesiæ super quæstas omnes, apud plebem suam commendatam habeant. In hujusmodi enim pia opera melius collocatur eleemosyna; & certius, quàm in ea, quæ quæstores facienda proponunt.

Item & cùm multi prædicationis officium sibi usurpantes, zizaniorum satore diabolo instigante, novas doctrinas, & hæreses interdum sub falso religionis habitu apud populum clam seminare, & benevolentiam vulgi captantes, administratoribus tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus sine ulla discretione detrahere, & subditos suis majoribus, ac Dominis rebelles, penitusque inobedientes reddere, spe melioris quæstus conati sint. Qui plantare religionem fingentes, eam destruunt, nervum Ecclesiasticæ disciplinæ rumpunt, inserunt errores, seditiones excitant, & scandala immittunt. Nos talibus viam præcludere cupientes, omnibus, & singulis Ecclesiarum nostræ Diœcesis Rectoribus districtè inhibemus, ne ullos (cujuscunque status, ordinis, vel conditionis existant) mendicantes, quæstores, religiosos, aut etiam sæculares extraneos, seu etiam Diœcesanos, quavis occasione, sive causa, ad Officium prædicationis in suis Ecclesiis, vel locis exercendum admittant, aut id fieri permittant, tolerent, aut sub dissimulatione pertranseant, nisi eisdem Rectoribus, aut eorum Vicariis constiterit, debitè illos à nobis, aut Vicariis nostris approbatos, & ad hoc nominatim missos extitisse. Sub hac tamen prohibitione, Fratres Minores, & Prædicatores nostræ Diœcesis, nobis nominatos, & legitimè præsentatos, si de supradictis fidem fecerint Curatis competentem, non intendimus esse comprehensos.

Item prohibemus, ne dicti Curati, & Capellani permittant Prædicatores quæstas facere in suis Parochiis, nisi prius sermocinati fuerint, seu fecerint aliquas collationes, & prædicationes, veluti in adventu, in quadragesima, & per anni curriculum.

De Excommunicatione.
Tit. XVI.

UT contumaces excommunicati, rubore tandem, & verecundia perfundantur, & sic ad communionem hominum, & Sacramentorum participationem, sanctæque matris Ecclesiæ unitatem (unde sunt præcisi) debitamque obedientiam, ac satisfactionem inclinentur, & redeant, eorumque spiritus salvus fiat, districtè præcipimus singulis Parochialibus Presbyteris, ut statim, postquam litteras excommunicatorias super publicatione excommunicatorum denominatorum in eisdem, à curia nostra, vel aliorum judicum competentium emanatas receperint exequendas, ipsi alta, & intelligibili voce in Pronis suarum Ecclesiarum singulis diebus Dominicis, expressis eorum nominibus, & cognominibus, eum causæ expressione in prima publicatione, assistente, & audiente populo, denuntient, & publicent excommunicatos. Inhibentes, ne in eorum præsentia divina celebrent, sed eos curent prius per se, vel per alium, aliosve ejici, nec ad Ecclesiastica Sacramenta, aut sepulturam recipiant sub pœna emendæ.

Prohibemus autem, ne occasione pecuniæ, vel alterius quæstus, aut curialitatis receptæ, à denunciatione excommunicati cessent sub pœna emendæ.

Volumus etiam, ne hujusmodi excommunicati aliquo modo possint de sententiis excommunicationis ignorantiam prætendere, quod Curati, vel eorum Vicarii, id ipsis excommunicatis (si in Parochiis ipsorum Curatorum commodè valeant apprehendi) saltem ad eorum domicilia significent, ut suam procurent absolutionem, admonentes.

Item & ne similiter eosdem Curatos excommunicatorum suorum aliquando capiat oblivio, sed, ut eisdem, suorum Parochianorum censuræ sint semper notæ, volumus, & præcipimus, quatenus cùm primum litteras excommunicatorias, aggravatorias, reaggravatorias, contra Parochianos suos, quacunque authoritate receperint, ponant, & redigant in suis registris diem, & annum datæ litterarum prædictarum, & earumdem præsentationis sibi factæ. Et exprimant, utrum pro re cognita, adjudicata, vel pro defectu diei, vel contumacia, hujusmodi censuræ latæ fuerint, & ad cujus instantiam, qua authoritate, atque summam, necnon terminum, seu terminos solutionis, in litteris appositos, ac diem executionis dictorum mandatorum. Ut, cùm opus fuerit, clarè possint singula ad finem debitum apparere.

Forma exordii registri hæc erit.

Hæc sunt registra excommunicatorum in Parochia de N. Carnotensis Diœcesis, publicatorum per me ejusdem Ecclesiæ Parochialis Curatum, infra scriptis diebus, & annis, fideliter facta.

Sequitur forma registri excommunicationis.

Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo-sexto, quarta Decembris, præsentatæ mihi fuerunt exequendæ excommunicationis litteræ à Curia Carnotensi emanatæ, & sub ejusdem curiæ sigillo, ac datæ diei 28. Novembris novissimè præteriti, confectæ, Quibus constat N. Parochianum meum, authoritate Domini Officialis Carnotensis, ad instantiam N. pro summa decem, tali die solvenda, vel pro defectu diei, excommunicatum. Significavi parti tali die.

Et eædem formæ servandæ sunt in aggravationibus, reaggravationibus, relaxationibus, & absolutionibus, mutatis mutandis.

Inhibemus autem, ne pro cujuslibet litteræ excommunicationis registro, ultra summam duorum denariorum Turonensium, totidemque pro registro aggravationis, relaxationis, & absolutionis, eorum Vicarii exigere præsumant. Si qui verò contra fecerint, eos super hoc per officialem nostrum puniri volumus, taliter, quod cæteris cedant in exemplum.

Item statuimus, & volumus, & ordinamus, quod prætacta excommunicatorum, & alia omnia registra (ad quorum confectionem, Parochiales Curati per prædecessorum nostrorum & nostra statuta Synodalia tenentur) remaneant semper apud illos Presbyteros, qui Parochialibus Ecclesiis deservient pro tempore in divinis, sub pœnis, & coercitionibus in titulo de testamentis superius positis.

Item volumus, & præcipimus, ut de cætero omnes excommunicatos in suis registris positos, & in excommunicatione diu stantes, Curati Parochiales, vel eorum Vicarii, in nostra Synodo promotori nostro in scriptis nominatim tradant. Et eos maximè, qui excommunicationis sententiam per annum sustinuerint. Necnon excessus eorumdem Parochianorum, si enormes, & notorii sint, & ad nostram correctionem pertineant, denunciare non differant. Alioquin contra negligentes per Officialem nostrum procedi volumus, prout justum fuerit.

Et nihilominus nos ipsis Curatis, aut eorum Vicariis, authoritate præsentis constitutionis Synodalis, damus facultatem, ut, alio non expectato mandato nostro, talem excommunicatum per annum (cùm de hæresi valdè sit suspectus) citent ad diem certam coram nobis, vel Officiali nostro, se de hæresi purgaturum. Et interim de citatione, & annualis excommunicationis publicatione, nos, vel Officialem nostrum, per eorum litteras, & debitam relationem certificent, & informent.

Item vobis Curatis, & Vicariis supradictis præcipimus, & mandamus, quatenus breves, signo nostri audientiarii signatos (qui annuatim tempore quadragesimæ ad vos mitti solent) continentes nomina excõmunicatorum, à registris Curiæ nostræ extractorum, qui nondum suas absolutiones obtinuerunt, recipiatis, excommunicatosque in eisdem denominatos, publicè in Pronis vestris denuncietis. A publicatione hujusmodi non cessantes, donec ipsi sic excommunicati vobis de suis litteris absolutionis, vel relaxationis, debitè signatis, & sigillatis, apparere fecerint. Nec aliqui vestrum in errore, seu ignorantia nonnullorum perseverent putantium hujusmodi breves, seu excommunicationes tantùm sic mitti, defectu solutionis quinque denariorum Turonensium. Et ob hoc prætextu hujusmodi erroneæ opinionis dictas excommunicationes publicare differunt.

A Item præcipimus, quod de cætero Curati, & eorum Vicarii omnes excommunicatos publicatos, & denunciatos in suis registris positos, & in excommunicatione stantes in qualibet Synodo nostra tradant in scriptis sigillifero nostro.

Absolutiones in foro pœnitentiali à sententiis excommunicationis generalibus, in scriptis tamen latis (ut pro contentis in monitorio generali executioni demandato) non sufficere taliter absolutis decernimus. Quia necessaria est eis absolutio in scriptis, generalis tamen, & tacito, si velint, absoluti nomine, si specialiter, & nominatim non fuerint cogniti à populo.

Item prohibemus magistris eleemosynarum, & leprosariarum nostræ Civitatis, & Diœcesis Carnoten-
B sis, ne publicè excommunicatis ministrent Ecclesiastica Sacramenta, aut recipiant eos ad divina.

Inquirant etiam Sacerdotes, quando de novo Parochiani veniunt ad suas Parochias, unde veniunt, & qua de causa domicilia transtulerunt. Et si sciverint eos excommunicatos, similiter non recipiant ad divina, aut Ecclesiastica Sacramenta.

Excommunicatum nominatim, licèt de satisfactione debitè constet, si tamen non appareat in scriptis de absolutione, ad Communionem, & Sacramentorum participationem, Curatus, ejusve Vicarius non admittat, nisi in mortis articulo. Quo casu eum excommunicatum à peccatis omnibus, & à quocunque vinculo censuræ absolvat secundum formam Ecclesiæ. Corpus tamen ejus ad sepulturam non recipiat, sine
C licentia nostra, aut Officialis nostri.

Sed, quoniam sunt nonnulli casus, pro quibus ipso facto excommunicatio à Canone indicta repetitur, contingitque illorum casuum reos, & culpabiles, hujusmodi excommunicationis censura (licèt ignaros) innodari, huic nos animarum periculo obviare volentes, insequendo antiquam, & immemorialem Provinciæ Senonensis, & nostræ Diœcesis Carnotensis consuetudinem, districtè præcipimus, & mandamus omnibus Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quatenus singulis diebus Dominicis denuncient excommunicatos omnes, qui, suadente diabolo, injiciunt manus violentas in Clericos, & Religiosos, nisi in casibus à jure permissis, & illos, qui Clericos detinent, postquam de eis restituendis sufficienter fuerunt re-
D quisiti.

Item frequenter denuncient excommunicatos omnes, jurisdictionem Ecclesiasticam impedientes, & perturbantes, ac libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ infractores, & violatores. Et in hoc denunciando, his verbis, vel similibus utantur: Nos denunciamus excommunicatos à Canone omnes, qui directè, vel indirectè, per se, aut alium, clam, aut palam, jurisdictionem Ecclesiasticam, ordinariam, aut delegatam, impediunt quoquo modo, aut impedientibus præbent auxilium, consilium, vel favorem. Et eos, qui rapiunt, & detinent nuncios, & executores mandatorum Ecclesiasticorum judicum. Aut ipsos verberant, mutilant, vel occidunt, aut ab eis litteras, sive acta Ecclesiastica auferunt, cancellant,
E dilacerant, aut disrumpunt. A qua excommunicationis sententia, nisi prius tàm judici (cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata) quàm parti (quæ turbata fuerit in persecutione juris sui) de injuria, damnis, expensis, & interesse, integrè fuerit satisfactum, nullatenus absolvantur. Et aliter impensa absolutio nullius est valoris.

Quorumdam Clericorum, & Sacerdotum, etiam beneficiatorum, præsumptuosa temeritas sic excrevit, ut cùm pro debitis, vel pro suis excessibus coram Ecclesiasticis judicibus conveniuntur, contra Concilium Milevitanum, & Carthaginense, totius Clericalis ordinis privilegia, & Ecclesiasticam jurisdictionem turbando, negotium ad vetitum examen, & sæcularia judicia pertrahere, viis quibusdam exquisitis malitiosè nitun-

nituntur, & sic excessuum, correctionum, & verorum debitorum solutionem, in creditorum injuriam, non sine superiorum suorum contemptu, & opprobrio, cum certa animarum suarum pernicie eludunt. Nos justitiam nostram, & Ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, cùm tales, tanquam membra putrida, ab hominum, & Sacramentorum Ecclesiasticorum communione, ac universis sanctæ matris nostræ Ecclesiæ suffragiis, multis sanctorum Patrum decretis habeantur extranei, & omnibus Ecclesiæ beneficiis veniant privandi, eos excommunicatos denunciari in Pronis Ecclesiarum vestrarum volumus, & jubemus, à qua excommunicationis sententia, nisi prius tàm judici, cujus cognitio fuerit impedita, quàm parti, quæ turbata fuerit in prosecutione juris sui, de injuria, damnis, expensis, & interesse, integrè fuerit satisfactum, nullatenus absolvantur. Et aliter impensa absolutio nullius sit valoris.

Item omnes, qui de fide malè sentiunt, quique in damnatam hæresim incidunt cum eorum adhærentibus.

Item omnes, & singulos usurarios, sacrilegos, Ecclesiarum violatores, sortilegos, divinatores, & ad divinos recurrentes, necnon ad falsas mensuras, aut pondera vendentes, & falsos decimatores, & decimas sibi non debitas appropriantes, & usurpantes.

Alios autem casus (quia multi sunt, quibus ipso jure quis incurrit excommunicationem, & non æquè frequenter eveniunt) recitare in Pronis suis Curati non astringantur, nec nimia prolixitate audientes tædio afficiant.

De executione mandatorum.

Titulus XVII.

Quilibet sacerdos parochialis, juxta canonum statuta, habeat proprium clericum, qui juvet, cum ad Missam, ac alia divina Officia, & sit competentis ætatis, & sciat exequi mandata curiæ nostræ, & de illorum executione relationem facere.

Item, ne quis Curatus, Vicarius, Clericusve parochialis, prætextu consanguinitatis, vel affinitatis, seu compaternitatis, aut alterius cujuscunque affectionis, & favoris, doni, seu promissi, mandata curiæ nostræ exequi recuset quoquo modo, aut differat.

Item præcipimus omnibus, & singulis sacerdotibus parochialibus, quatenus nuncios mandata nostra, seu curiæ nostræ deferentes, cùm ad eos venerint, & dicta mandata exequenda illis tradiderint, ea diligenter exequantur, fideliter executa reddant indilatè, ac adeò discretè, & cautè, quod latores litterarum hujusmodi possint recedere sine periculo, & damno quolibet, propter hoc eis inferendo. Sed nec revelent, aut dicant per se, vel alium quovis modo postea, nomina eorum, qui dictas litteras, & mandata portaverunt, immo ipsos latores, si opus sit, defendant, & protegant.

Executio autem fiat secundum tenorem mandati, ad personam nominati in dicto mandato, si commodè apprehendi possit. Sin minus ad domicilium cum insinuatione, & significatione contentorum in dicto mandato, alicui majori quatuordecim annis de domo, & familia nominati, aut in defectum talis domestici, alicui de propinquioribus vicinis, tradendo illi copiam citationis. Si autem nullus vicinus reperiatur, qui velit hujusmodi executionem citationis acceptare, & significare citando, fiat executio per affixionem, & dimissionem copiæ mandati ad ostium nominati in dicto mandato. Et si nominatus domicilium deseruerit, & illius novum domicilium ignoretur, fiat executio ad Pronum Ecclesiæ, cujus prius erat parochianus, cum dimissione, & affixione copiæ mandati ad valvas dictæ Ecclesiæ, sed hoc tamen cum nostro, aut nostri Officialis decreto.

Executores præmissorum mandatorum copiam illorum, & relationem, sive executionem parti petenti, ejusdem expensis tradant, secundum taxas inferius annotatas.

Primo pro executione, & relatione citationis, ad quod justum, ad videndum taxari expensas, in causa injuriarum, in causa decimarum, ad audiendum denunciationem pro qualibet illarum duos denarios turonenses.

Pro copia, & relatione earundem, si petantur, duos denarios turonenses.

Pro executione, & relaxatione in causa matrimoniali, seu dotis, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione hujusmodi citationis, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione citationis ad exhibendum, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione ejusdem citationis, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione citationis ad cessionem, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione ejusdem citationis, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione citationis ex officio, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione ejusdem citationis, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione citationis in causa appellationis, contra partem principalem tantùm facta, duodecim denarios turonenses.

Et si in eodem loco executio fiat contra Officialem, & partem principalem, per unum, & eundem executorem, habeat executor viginti denarios turonenses.

Pro copia, & relatione ejusdem citationis, si petantur, duos solidos, & sex denarios turonenses.

Pro executione, & citatione litterarum citatoriarum, ac monitoriarum, vel rogatoriarum, medio annexæ nostræ, seu Officialis nostri, decem denarios turonenses.

Pro copia, & relatione hujusmodi litterarum rogatoriarum, & annexæ, si petantur, quindecim denarios turonenses.

Pro executione, & relatione quarumcumque monitionum, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione dictarum litterarum monitoriarum, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione litterarum excommunicationis, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione earundem, si petantur, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione litterarum, tàm aggravatoriarum, quàm reaggravatoriarum, sive sit pro re cognita, sive pro contumacia, quinque denarios turonenses.

Pro copia, & relatione earundem litterarum, quinque denarios turonenses.

Pro executione, & relatione litterarum citatoriarum in causa matrimoniali ad Pronum, per tria edita cum intimatione, viginti denarios turonenses.

Pro copia, & relatione earundem litterarum, si petantur, viginti denarios turonenses.

Pro executione, & relatione litterarum querimoniæ, seu monitionis generalis, sententias excommunicationis, & aggravationis continentium, tres solidos turonenses.

Pro executione, & relatione litterarum reaggravationis, super eisdem litteris querimoniæ obtentarum, duodecim denarios turonenses.

Pro executione, & relatione aliarum litterarum, ne confundantur, super prædictis litteris obtentarum, duodecim denarios turonenses.

Per

Per præmissa tamen non prohibemus, quo minus prædicti executores, si contingat eos pro executione facienda ire extra civitatem, aut villagium, in quo est situata domus Presbyteralis, accipiant salarium secundum antiquam taxam, quæ est ad rationem sex denariorum Turonensium pro leuca, tàm eundo, quàm redeundo.

De cætero non adstringantur, aut teneantur Curati, aut eorumdem Vicarii, monitiones, & querimonias generales publicare, nisi eædem, ad minus die præcedente diem publicationis, sibi præsentatæ fuerint. Et eas non publicent, nisi prius ipsas viderint, & legerint diligenter, ut illas melius secundum earum formam, vulgari sermone exponere possint. Et si habuerint brevetum in vulgari, illud prius conforment, & collationent cum originali.

Inhibemus tamen districtè vobis Curatis, vel Vicariis supradictis, ne cognitionem aliquam super eisdem monitionibus generalibus accipere, aut confessiones recipere præsumatis, immo eam vobis ultra earum publicationem, & executionem, interdicimus propter abusus, quos sæpenumero evenire comperimus. Sed personas, aliquid de contentis in eisdem monitionibus, confiteri volentes, & totum negotium, ad forum nostrum Ecclesiasticum remittatis.

Curati tamen, seu alii executores, nunquam opponentes ad oppositionem recipiant, assignando eisdem diem ad dicendum causas oppositionis, nisi id contineatur in mandato. Sed provideant sibi moniti, obtinendo citationes in forma allaturos, vel alia forma.

Inhibemus etiam Curatis, & Vicariis, ne litteras excommunicatorias, querimoniales, aggravatorias, reaggravatorias, & bannorum, & alias quascunque dispensationes exequantur, nisi sint nostris sigillis, vel curiæ nostræ, munitæ, & sigillatæ, easque viderint, & inspexerint.

Inhibemus insuper mandata extraneorum judicum mandari executioni sine annexa.

Item inhibemus, ne quis litteris, aut gratiis Apostolicis, seu confessionalibus, & aliis similibus utatur in nostra Diœcesi, nisi prius illas examinationi nostræ subjecerit, & nobis insinuaverit.

De Festorum celebratione, & jejuniorum observatione.

Titulus XVII.

Sanctorum memorias, multis, & optimis rationibus Ecclesia celebrat, & pro illorum honore, tàm in universum, quàm sigillatim, Festos dies & Clero, & plebi successivè olim indixit, jusque Festorum violatum vindicavit. Sed vel refrigescente nunc Christicolarum devotione, vel nimia Festorum multiplicatione, seu (quod verius est) crescente in dies plebeiorum (qui multi sunt, præsertim in nostra Diœcesi) paupertate, alii ocio, vaniloquio, ebrietatibus, comessationibus, ludis, & lasciviis se dedunt. Alii peregrinationibus, negociationibus quæstuariis, & curis sæcularibus, magis, quàm rei divinæ, orationibus, contemplationi, aut quieti vacant. Alii denique cum multa prolis, vernaculorum, mercenariorumque familia, sæpe mendicant. Eas ob causas nos commissi nobis gregis saluti providere cupientes, eundemque benigno affectu (ut Pastoris est munus) pro viribus sublevare, etiam Decretum Concilii Provincialis novissimi in hac re exequentes, & tàm vicinarum, quàm Comprovincialium Diœcesum morem jam à multis annis assuetum imitati, Festa vulgò operum manualium, seu brachiorum dicta, infra, & juxta formam sequentem, à præcepto Ecclesiæ excludimus, & revocamus, ea devotioni populi, quoad cessationem ab opere manuali, & servili, committentes.

A Annotationes Festorum, quæ ad populi devotionem remittuntur.

In Januario. Fabiani, & Sebastiani.
Vincentii Martyris.
Conversionis sancti Pauli.
In Februario. Cathedræ sancti Petri.
In Martio. Leobini Episcopi Carnotensis.
In Aprili. Gregorii martyris.
In Majo. Inventionis sanctæ Crucis.
Joannis ante Portam Latinam.
Carauni martyris.
In Junio. Gervasii, & Protasii.
In Julio. Translationis S. Martini, Episcopi, & Confessoris.
Arnulphi Episcopi, & martyris.
B *In Augusto.* Petri ad vincula.
Inventionis beati Stephani Protomartyris.
Decollationis S. Joannis Baptistæ.
In Septembri. Ægidii, & Lupi.
Exaltationis sanctæ Crucis.
Leobini Episcopi, & Confessoris.
In Octobri. Dionysii, Rustici, & Eleutherii.
In Novembri. Clementis Papæ, & Martyris.
In Decembri. Sanctorum Innocentium.

Mandamus omnibus Ecclesiarum Parochialium nostræ Diœcesis Rectoribus, ne præmissa Festa populo solemnizari, & feriari præcipiant. Quinimmo diebus Dominicis immediatè hujusmodi Festa præcedentibus, in Pronis Missarum Parochialium C intiment, insinuent, & declarent suis Parochianis, quod Festa ex superius descriptis, quæ in hebdomada occurrent, sunt relicta ad eorum devotionem. Et quod illis diebus possunt, si velint, negotiis servilibus, & operibus manualibus liberè vacare, & illa exercere.

Non intendimus tamen per hanc nostram constitutionem, quidquam detrahere, aut diminuere de cultu Divino, & Sanctorum Officio, quæ augere potius cupimus, quantum possumus. Propterea præfatis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus districtè præcipimus, ne Missas, & alia Divina Officia, ab antiquo in illis Festis manualibus, & aliis diebus antiquitus ex devotione populi pro consuetudine fieri solita, omittere audeant. Immo volumus, quod annuncient in Pro- D nis Ecclesiarum, quod quamvis prædicta Festa extra præceptum sint, piè tamen, & sanctè facturos eos, qui illa servaverint, illis diebus se ferventius Divino cultui mancipantes, quique Ecclesiam tunc frequentaverint, diligentius se à contagio vitiorum servantes. Et ut congruam interpretationem statuto de Festis manualibus ad devotionem populi redactis subjungamus; Censemus Missas debere dici illis diebus altas, vel bassas, secundum quod cantorum copia, vel eorumdem defectus postulabunt.

Præcipimus autem, & jubemus, majora Festa totius anni, sine opere aliquo diligenter, & sedulo ab omnibus observari. Videlicet diem Veneris sanctam ante Pascha, usque ad meridiem. Festum Paschæ, cum duobus diebus sequentibus; Ascensionis, Pentecostes, E cum duobus diebus sequentibus, & jejunio in vigilia ejusdem Pentecostes. Venerabilis Sacramenti, omnesque dies Dominicales. Alia etiam Festa fixa, & non mutabilia, sequentia, ab omni opere observari. Scilicet

In Januario. Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ.
In Februario. Purificationis B. Mariæ.
Matthiæ Apostoli. Est locus bissexti.
In Martio. Annunciationis beatæ Mariæ.
In Aprili. Marci Euangelistæ, cum abstinentia carnium, Litania, & Processione.
In Majo. Philippi, & Jacobi, Apostolorum.
In Junio. Barnabæ Apostoli.
Nativitatis Beati Joannis Baptistæ, cum jejunio in vigilia.

Beato-

Beâtorum Petri, & Pauli, cum jejunio in vigilia.
In Julio. Beatæ Mariæ Magdalenæ.
Jacobi Apoſtoli, cum jejunio in vigilia.
Beatæ Annæ, matris ſacroſanctæ Mariæ Virginis.
In Auguſto. Beati Laurentii, cum jejunio in vigilia.
Aſſumptionis Mariæ Virginis, cum jejunio in vigilia.
Bartholomæi Apoſtoli, cum jejunio in vigilia.
In Septembri. Nativitatis B. Mariæ Virginis.
Matthæi Apoſtoli, cum jejunio in vigilia.
Michaelis Archangeli.
In Octobri. Lucæ Euangeliſtæ.
Simonis, & Judæ, cum jejunio in vigilia.
Dedicationis Eccleſiæ Carnotenſis, in urbe tàntùm.
In Novembri. Omnium Sanctorum, cum jejunio in vigilia.
Commemorationis Defunctorum, uſque ad meridiem.
Martini Epiſcopi, & Confeſſoris.
Sanctæ Catharinæ Virginis, & martyris.
Beati Andreæ Apoſtoli, cum jejunio in vigilia.
In Decembri. Beati Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris.
Conceptionis B. Mariæ Virginis.
Beati Thomæ Apoſtoli.
Nativitatis Domini, cum jejunio in vigilia.
Beati Stephani.
Joannis Apoſtoli.

Et quilibet in ſua Parochia, Feſta Patronorum, & Dedicationem Eccleſiarum, etiam ceſſando ab omni opere obſervabit.

Quia ſuperioribus annis dies translationis Feſtorum Conceptionis, & Annunciationis B. Mariæ Dei genitricis, & à Clero, & populo variè celebrati fuere, aliis Officium, & ceſſationem ab opere ſervili obſervantibus, aliis Officio Eccleſiæ mane impleto, culturæ, negociationique reſiduum diei impartientibus. Nos in honorem ſuper ſanctæ Dominæ noſtræ, quando prædictorum Feſtorum translatio contigerit; Dies translationis, quoad Officium, & quoad ceſſationem ab opere ſervili, à mane uſque ad veſperam ſolemnes, & à Clero, & populo in obſervatione, in civitate, & Diœceſi futuros ex nunc in adventum decrevimus.

Idem cenſentes de die translationis Feſtorum Patronorum, & Dedicationum cujuslibet Eccleſiæ Parochialis.

Item præcipimus abſtinentiam à carnibus, tribus diebus ante Feſtum Aſcenſionis Domini, cum Proceſſionibus.

Declaramus autem, ad tollendum quorundam ſcrupulum bonarum mentium, quibus eſt timere culpam, ubi culpa non eſt, ex antiqua conſuetudine obſervari in hac Diœceſi, & Provincia Senonenſi conſuetum eſſe, uti carnibus, quotieſcunque dies Purificationis ſuper beatæ, & glorioſæ Virginis Mariæ incidit, & evenit die ſabbati, niſi aliter ex pia, & religioſa devotione quis voluerit abſtinere.

Item præcipimus jejunium Quadrageſimæ, ſecundum præceptum Eccleſiæ, cum tribus quatuor temporum aſſuetis.

Quia comperimus multos annis ſuperioribus per quadrageſimam uſos butyro, & lacticiniis, nulla à nobis aut petita, aut obtenta diſpenſatione, niſi in media quadrageſima; interdum etiam prope finem quadrageſimæ: monemus Curatos, & eorum Vicarios, ut ſi quos ſine diſpenſatione uti hujuſmodi butyro, & lacticiniis in quadrageſima deprehenderint, ipſos juſtitiæ denuncient. Et in Pronis Eccleſiarum ſuarum tribus hebdomadis ante quadrageſimam admoneant ſuos Parochianos, ut qui neceſsitatem, & olei penuriam patiuntur, ſi hujuſmodi lacticiniis uti velint, diſpenſationem tempeſtivè ante initium quadrageſimæ particulariter, vel generaliter habere, & obtinere curent.

Monemus etiam Eccleſiarum rectores, quatenus ſuos Parochianos hortentur, ut ſuperiora Feſta, quæ in præcepto ſunt, eo majori celebritate, veneratione, & devotione, quo pauciora ſunt, & rariora, obſervent. Et ut illis diebus Deum, & ſanctos, quorum Feſta aguntur, pia mente, & devoto affectu venerentur, & colant, verbumque Domini, ſeu prædicationes, diligenter, & attentè audiant.

Ad tollendum materiam altercationum, quæ in nonnullis Parochiis in futurum contingere poſſent, hac noſtra Synodali conſtitutione declaramus, Presbyteros Parochiales in diebus Dominicis, & Feſtivis majorem Miſſam propriam de Dominica, vel de ſancto, cujus dies Feſtus exiſtit, celebrare debere. Nec eſſe per eos debito ſatisfactum, ſi peculiares, privataſve, ſeu de confratria aliqua exolvant. *Parochialis Miſſas.*

Ceſſent illis diebus Feſtis judicia, cauſarum cognitiones, venditiones, mercatus, comeſſationes, ebrietates, ludi, & nundinæ. Contra facientes, citentur coram nobis, aut Officiali noſtro, etiam per ipſos Curatos, aut eorum Vicarios.

Maccellarii, carnifices, ſartores, tabernarii, durante Miſſa Parochiali, & Veſperis, omnino ceſſent à venditionibus, niſi ex cauſa neceſſaria, & pro viatoribus tranſeuntibus.

De Confratriis.

Titulus XIX.

Quoniam in confratriis primum rectè conſtitutis, & poſtea in deterius prolapſis, multa conſpiciuntur committi, ab honeſtate, & Chriſtianæ pietatis religione penitus aliena, ut illis congruum adhibeamus remedium, in primis ordinamus, ne in ipſarum confratriarum Congregationibus fiant diſſoluta convivia, compotationes ad ebrietatem inducentes, choreæ, tripudia, &c. id genus, ad bacchanalia magis, quàm ad Chriſtianam religionem ſpectantia.

Item quia ſolent in pleriſque locis noſtræ Diœceſis deferri baculi ipſarum confratriarum, præcedentibus mimis, & luſoribus cum tympanis, quod maximè dedecet honorem Dei, & Sanctorum. Non enim debent ante eorum imagines baculis confratriarum infixas, præcedere inſtrumenta illa muſica, ad choream, & tripudia potius, quàm ad devotionem audientes excitantia. Idcirco prohibemus diſtrictè, ne poſthac tales baculi deferantur publicè per vicos hiſtrionico ritu, & modulatione muſica choreis accommodata.

Præterea prædictos confratriarum baculos deferre per vicos, & publicè ſolent laici, & mulieres, cappis Eccleſiaſticis induti, quod ſummopere indecens eſt, & indecorum. Cum in Canonicis ſanctionibus prohibeantur tàm viri laici, quàm mulieres, manibus contingere veſtes ſacras, atque contrectare, quanto magis eaſdem inducere, ſibique ſuperponere, ac circumferre? Quamobrem prohibemus poſthac obſervari hunc execrabilem morem in noſtra Diœceſi, ſub gravi pœna tranſgreſſoribus infligenda.

Inſuper ne ipſarum confratriarum numerus, & multitudo copioſa, ſine modo creſcat in immenſum, ſtatuimus, quod nullæ deinceps inſtituantur novæ confratriæ ſine noſtro conſenſu, approbatione, & authoritate expreſſa, in Eccleſiis noſtræ Diœceſis. Ut hac via nobis conſtet, & cauſa novæ fundationis erigendæ, & quantitas redditum illi fundationi aſſignandorum.

Denique ordinamus, quod antiquarum confratriarum fundationes ad nos deferantur, examinandæ, an integræ permanſerint in ſua prima origine, vel ab illa deciderint. Quod ſi diminutio earum ob culpam, ſeu negligentiam gubernatorum acciderit, tranſacto tem-

tempore, ut conveniens remedium huic decidentiæ A nostra cura adhibeamus.

FORMÆ TESTIMONIALIUM,

Relationum, & aliarum Litterarum secundum casuum exigentiam expediendarum per Curatos, & Vicarios eorum.

Testimonialis pro Clerico ordinando.

REverendo in Christo Patri, & Domino, Domino Ludovico Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopo Carnotensi, seu vestris Dominis Vicariis, vel Vicario, aut Officiali Petrus de la Forest Presbyter Rector Parochialis Ecclesiæ de Marboiaco vestræ Diœcesis Carnotensis obedientiam cum omni reverentia, & B honore debitis, Noverit vestra paternitas reverenda: Quod die datæ præsentium, in mei, & testium infrascriptorum præsentia personaliter constituti, honesti viri N. N. talis ætatis gagiarii, seu provisores fabricæ dictæ meæ Parochialis Ecclesiæ, Necnon N. N. N. talis ætatis mercatores Parochiani ejusdem Parochiæ. Qui quidem unanimiter dixerunt, & attestati sunt, prout & ego Rector antedictus cum eis attestor, & certifico per præsentes habuisse, & habere bonam, & veram notitiam de persona Guillelmi de Lisle, Diaconi de eadem Parochia oriundi filii naturalis, & legitimi Martini etiam de Lisle agricolæ, & Marionæ ejus uxoris etiam Parochianorum meorum, qui quidem Guillelmus est ætatis vigintiquinque annorum. Et hoc sciunt videlicet, talis, & talis, quia eum levarunt de sacro Fonte Baptismali, vel quia eum viderunt in cunabulis enutriri lacte, aut sunt proximi vicini Patris, & Matris talis ordinandi. A quo tempore, & per illud continuè iidem attestantes cognoverunt ipsum Guillelmum fuisse, & esse bonæ, & probatæ vitæ, ac conversationis, qui semper per id tempus se benè, honestè, sobriè, & castè rexit, & gubernavit sine scandalo, aut reprehensione, frequentando ordinariè Ecclesiam, & cum viris Ecclesiasticis, ac litteratis conversando, de quibus præmissis dictus Guillelmus Diaconus à me Rectore prædicto litteras præsentes sibi fieri, & tradi petiit, & requisivit. In cujus rei testimonium signum meum manuale his præsentibus apposui. Datum, & actum in tali loco, Anno, &c. die, &c. præsentibus ibidem N. N. testibus fide dignis ad præmissa vocatis, & rogatis.

Et in hujusmodi attestatione apponantur nomina, D & cognomina testium, eorum ætates, & status, & loca residentiæ, & locus, ubi fuerit facta hujusmodi attestatio.

Et pro dictis litteris testimonialibus. 3. s. 4. d.

Testimonialis pro bannis pro Diœcesanis.

VEnerabili, & circumspecto viro Domino Officiali Carnotensi N. Rector, sive Vicarius Parochialis Ecclesiæ de Fresneyo Diœcesis Carnotensis, obedientiam, cum omni reverentia, & honore. Noverit vestra circumspectio veneranda me fecisse, & proclamasse E solemniter palam, & publicè in Prono ejusdem meæ Parochialis Ecclesiæ tria banna per tres dies Dominicos, aut Festivos, videlicet primum bannum die. N. secundum bannum die. N. tertium die. N. de matrimonio contrahendo inter Petrum du Prê, & Catherinam filiam Guillelmi du Bois Parochianos dictæ Parochiæ. Quibus quidem bannis, & matrimonio contrahendo nullus se opposuit, nec aliud Canonicum novi impedimentum, quo minus dicti Petrus, et Catherina ad hujusmodi matrimonium solemnizandum in facie Ecclesiæ debeant admitti. In cujus rei testimonium præsens scriptum meo manuali signo signavi. Datum in dicta Parochia, Anno Domini, etc. die, etc.

Et pro dicta littera. 12. d.

Alia testimonialis pro bannis pro non Diœcesanis.

VEnerabili, etc. ut supra in præcedenti usque ibi, inter Guillelmum Deschamps Diœcesis Parisiensis, et Mariam filiam Benedicti de la Ville, Diœcesis Aurelianensis, in dicta tamen mea Parochia commorantes à tali tempore. Quibus quidem, etc. ut supra in præcedenti forma, etc.

Et pro dicta littera. 12. d.

Alia testimonialis pro bannis pro existentibus diversarum Parochiarum oriundis.

VEnerabili, etc. ut supra usque ibi inter Joannem des Hayes Parochianum de Luceyo, et Guillelmetam filiam Roberti Lamart de Parochia de Maynuillari Diœcesis Carnotensis oriundos, dictæ tamen meæ Parochiæ, scilicet eundem Joannem à tali tempore, & prædictam Guillelmetam, à tali tempore Parochianos. Quibusdam bannis, &c. ut supra in præcedenti.

Et pro dicta littera. 12. d.

Forma relationis super oppositione ad banna.

VEnerabili, & circumspecto viro, &c. ut supra usque ibi, Noverit vestra circumspectio veneranda, quod dum ego Rector antedictus hodie in Prono C ejusdem meæ Parochialis Ecclesiæ palam, & publicè proclamarem primum bannum de, & super matrimonio contrahendo, inter Radulphum des Vignes, & Barbaram filiam Roberti de Beu affidatos, Thomas Perrin coram me comparens complemento ejusdem matrimonii, inter ipsos Radulphum, & Barbaram contrahendi se opposuit, dicens, & proponens, dum eadem Barbara priores, & potiores promissiones matrimoniales habuisse. Ea propter ad causam hujusmodi oppositionis per vos audiendam, & discutiendam vobis, & Curiæ vestræ remisi dictum opponentem, supradictasque partes loquendo ad eorum personas coram vobis ad diem sabbati proximi venturam peremptoriè, & personaliter citavi super hoc, prout juris fuerit processuras. Eisdem partibus authoritate nobis in hac parte commissa, inhibendo sub pœna excommunicationis, & aliis pœnis juris, ne fortiori vinculo matrimonii se obligent, vel inter se, vel cum alio, quo usque aliter fuerit per vos ordinatum. In cujus rei testimonium præsentes signo meo manuali signavi, Anno, &c. die, &c.

Notandum, quod si opponens aliam causam allegaverit, debet exprimi in dicta relatione.

Et pro dicta littera. 20. d.

Forma relationis super affidatione.

VEnerabili, &c. ut supra usque ibi. Noverit vestra circumspectio veneranda die, & anno datæ præsentium sponsalia per verba de futuro in facie dictæ meæ Parochialis Ecclesiæ solemniter pluribus personis præsentibus, & assistentibus inter Claudium du Four ex una parte, & Luciam filiam Roberti Gasteau ex altera contracta fuisse, meque easdem partes per verba de futuro (ut moris est) affidasse. Teste signo meo manuali hìc apposito, Anno, &c. die, &c.

Et pro littera. 12. d.

Et est bonum, quod idem Rector inserat in dicta sua relatione nomina testium præsentium in eisdem affidationibus saltem quatuor, aut quinque cum eo residentibus.

For-

Forma Relationis super accusatione matrimonium contrahendi, quando aliquis denunciat impedimentum, & se vult partem facere.

VEnerabili, &c. ut supra usque ibi. Noverit vestra circumspectio veneranda: Quod dum ego Rector antedictus die datæ præsentium in Prono dictæ meæ Parochialis Ecclesiæ palam, & publicè proclamarem primum bannum de, & super matrimonio contrahendo inter Fabianum Guillaume, & Sibillam filiam Andreæ Petit affidatos: Comparuit coram me Martinus de Blez, qui impedimentum consanguinitatis inter ipsos Fabianum, & Sibillam existens nobis denunciavit partem se faciendo. Ea propter causam hujusmodi denunciationis per vos audiendam, &c. ut supra in alia.

Et est notandum, quod si denuncians aliud impedimentum, quàm consanguinitatis objiciat, illud debet exprimi per Curatum in sua relatione, utputa affinitatis carnalis, vel cognationis spiritualis, aut aliàs. Et assignet Curatus, vel Vicarius diem certam, & brevem competentem tamen denuncianti, & partibus affidatis coram nobis ad procedendum super prædictis, ut juris erit cum inhibitionibus, ut supra.

Et pro littera. 29. d.

Alia forma relationis denunciationis, quando denuncians non se facit partem, sed solùm denunciat, & refert per modum revelationis impedimentum existens inter affidatos, ad exonerandam conscientiam suam.

VEnerabili, &c. ut supra, usque comparuit talis, qui ad suæ conscientiæ exonerationem nobis dixit, & denunciavit esse impedimentum tale, vel tale inter affidatos, propter quod distuli ulterius procedere. Et partes affidatas unà cum informatione super hoc per nos facta, insequendo statuta Synodalia ad vos, & audientiam vestram remisi ad talem diem cum inhibitionibus supra insertis pro super hoc ordinando, ut de jure, &c.

Et pro littera. 20. d.

Testimonialis pro Parochiano, & Parochiana simul conjugatis transeuntibus ad alienam Parochiam.

NOverint universi. Quod ego Petrus du Bois Presbyter Rector Parochialis Ecclesiæ de Illæsiis Carnotensis Diœcesis Joannem de Prez, & Peretam ejus uxorem præsentium latores nuper Parochianos meos, nunc autem ad aliam Parochiam (ut dicunt) transire volentes, ac propter hoc à Parochiali subjectione, qua mihi, & prædictæ meæ Ecclesiæ tenebantur, absolvi requirentes: duxi fore absolvendos, eosque tenore præsentium absolvo. Certificans me nullum in eis Canonicum scire impedimentum, quominus debeant ad sacramenta Ecclesiastica admitti, & Ecclesiasticæ tradi, si decedant, sepulturæ, in cujus rei testimonium præsens scriptum signo meo manuali roboravi, Anno, &c. die, &c.

Et pro littera. 12. d.

Alia testimonialis pro Parochiano ad extraneas partes proficisci volente.

NOverint universi. Quod ego N. Presbyter Rector Parochialis Ecclesiæ de N. Diœcesis Carnotensis licentiam, & facultatem concessi, prout & concedo Galtero Petit meo Parochiano ad extraneas partes, ut dicit, in brevi ituro, & proficisci volenti, ut idem meus Parochianus à die ejus discessus usque ad ipsius reditum, quibusvis alienis idoneis Presbyteris per eum eligendis peccata sua confiteri, ab eisque pœnitentiæ, ac cætera Ecclesiastica valeat recipere Sacramenta. Quibus quidem Presbyteris, & aliis omnibus, & singulis Christi fidelibus harum serie litterarum certifico, quod in dicto meo Parochiano nullum scio Canonicum esse impedimentum, quo minus ad prædicta Sacramenta admitti debeat, necnon tradi, si decedat, Ecclesiasticæ sepulturæ. In cujus rei testimonium, &c. ut supra.

Et pro littera. 12. d.

Forma testamenti.

IN nomine Domini amen. Universis præsens testamentum inspecturis Petrus le Clerc Presbyter, Rector Parochialis Ecclesiæ de Campo bono Diœcesis Carnotensis salutem in Domino. Notum facimus, quod in nostra, ac testium infrascriptorum præsentia personaliter constitutus honestus vir Bernardus du Four Agricola Parochianus dictæ Parochiæ æger corpore, sanus tamen mente, ac in bona per Dei gratiam existens memoria, attendens, & considerãs, quod nihil est certius morte, nihil verò incertius ejus hora, cupiens saluti animæ suæ providere, & ad gaudia æternæ felicitatis pervenire, testamentum suum, ac suam ultimam voluntatem fecit, & disposuit modo, & forma sequentibus. Imprimis animam suam, dum de corpore exierit, Deo altissimo suo Creatori, ac B. Mariæ Virgini, totique curiæ celesti commendavit. Corpus verò suũ voluit inhumari in Ecclesia, vel cœmeterio dictæ Parochiæ prope locum sepulturæ suorum parentum defunctorum. Deinde voluit, & ordinavit, omnia sua debita solvi, & fore facta, si quæ sint, emendari. Item voluit, & ordinavit dici, & celebrari in dicta Ecclesia die sui obitus viginti Missas, scilicet unam alta voce, & alias submissa voce de defunctis. Item dedit, & legavit de bonis à Deo sibi collatis fabricæ dictæ Ecclesiæ quinque solidos Turonenses. Item Rectori dictæ Ecclesiæ totidem, &c. Et ad præmissa omnia, & singula facienda, & exequenda dictus testator fecit, elegit, & nominavit, prout nominat, executores suos honestos viros N. N. quibus executoribus, & eorum cuilibet dedit, & concessit plenam potestatem, facultatem, & mandatum speciale præmissa faciendi, & exequendi, omnia bona sua mobilia, & immobilia propter hoc obligans, revocans omnia alia testamenta (si quæ forsan aliàs per eum facta fuerint) volens hoc præsens testamentum valere, & robur firmitatis obtinere. Datum, & actum in domo dicti testatoris, anno, & die, &c. Præsentibus ibidem Antonio du Prè, Benedicto de Leave, & Carolo Fontaine testibus fide dignis ad præmissa vocatis, & rogatis. In cujus rei testimonium præsentes litteras meo manuali signo signavi. Anno, & die, &c.

Et pro littera. v. s. t.

Et si excedat quartam partem pellis pergameni, habebit rationem pellis, & vacationis, videlicet pro pelle debitè scripta. xx. s. t.

Testimonialis pro parochiano mortuo, qui elegit alibi sepulturam, quod confessus est, & sacramenta recepit, & non est excommunicatus.

DIscreto viro rectori Parochialis Ecclesiæ de Camposolio, diœcesis Carnotensis, Joannis Deshayes rector Parochialis Ecclesiæ de Cheleto dictæ diœcesis salutem. Quia Guillelmus des Vignes Parochianus meus nunc defunctus voluit, & ordinavit in vestra Ecclesia, aut cœmeterio Ecclesiæ vestræ sepeliri, & inhumari, idcirco eum ad vos juxta ejus voluntatem transmitto, certificans vobis, & omnibus aliis Christi fidelibus me ipsum in confessione audivisse, ac sacramenta Ecclesiastica eidem administrasse, quodque ipse nullo excommunicationis vinculo est innodatus, & nullum in ipso canonicum esse impedimentum, quo minus debeat tradi Ecclesiasticæ

A siasticæ sepulturæ. Teste signo meo manuali hic apposito, unà cum sigillo ejusdem meæ Ecclesiæ. Anno, & die, &c.

Et pro littera. xxii.d.

Testimonialis pro vidua de marito ejus mortuo, & defuncto.

OMnibus, & singulis præsens scriptum inspecturis Franciscus du Moncel Presbyter, rector Parochialis Ecclesiæ de Centolio, diœcesis Carnotensis salutem, et sinceram in Domino Charitatem. Notum facio, quod Joãnes Porcher quondam Parochianus meus, & in mea antedicta parochia commorans, obiit in eadem, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo, mense Januarii, fuitque per me rectorem antedictum eodem anno, & die N. inhumatus, et sepultus in cœmeterio ejusdem meæ Parochiæ, præsentibus, et assistentibus ibidem pluribus utriusque sexus personis, videlicet, N. N. N. In cujus rei testimonium præsentem chartam ad requestam N. viduæ dicti defuncti signo meo manuali signavi, Anno, etc. die, etc.

B

Relatio Curati de suo parochiano mortuo, qua de causa fuit Ecclesiastica sepultura denegata.

VEnerabili, et circumspecto viro Domino Officiali Carnotensi N. rector, sive Curatus Ecclesiæ Parochialis N. diœcesis Carnotensis obedientiam cum omni reverentia, & honore. Noverit vestra circumspectio veneranda me insequendo constitutiones synodales diœcesis prædictæ Carnotensis recusasse, et distulisse inhumare in terra sancta corpus defuncti Guillelmi du Four, dum viveret, mei Parochiani, ex et pro eo, quod idem Guillelmus, prout mihi per nonnullos testes fide dignos relatum fuit, propria malitia, et desperantia ductus laqueo se interemit. In cujus rei testimonium præsentes litteras, etc. Datum anno, etc. die, etc.

C

Et pro littera. xii.d.

Littera collationis, seu institutionis magistri scholarum parochiæ.

UNiversis præsentes litteras inspecturis N. rector Parochialis Ecclesiæ de Chavermaco diœcesis Carnotensis salutem in Domino. Notum facimus, quod nos de scientia, moribus, probitate, industria bona, & experta diligentia dilecti nostri magistri Guillelmi Gentil Presbyteri, in artibus magistri ad plenum informati, eundem Gentil magistrum, & rectorem scholarum ejusdem nostræ Parochiæ ad honores, & onera assueta fecimus, constituimus, creavimus, & ordinavimus, tenoreque præsentium facimus, constituimus creamus, & ordinamus usque tamen ad beneplacitum, & revocationem nostram. Dantes, & harum serie eidem Gentil concedentes plenam potestatem, authoritatem, & mandatum speciale hujusmodi scholas in nostra Parochia tenendi, & exercendi, aliaque circa hæc faciendi, quæ magistri, & rectores scholarum ab antiquo facere, et exercere consueverunt; Præstitis tamen prius per eumdem Gentil, et per nos receptis juramentis in talibus fieri, et præstari solitis. Mandamus omnibus, & singulis nobis subditis, quatenus eidem Gentil in hujusmodi scholarum exercitio obediant, & intendant, hortantes nihilominus dictum magistrum, quatenus insequendo statutum synodale pueros, et scholasticos suos diligenter, et solicitè instruat, ut in Ecclesia reverenter se habeant, et in tenera ætate Deo humiliter servire discant. Datum in dicta nostra Parochia, sub signo, et sigillo nostris, Anno, etc. die, etc.

D

E

Et pro littera. v.s.

Forma relationis super publicatione, & executione monitorii generalis.

EGo Guillelmus du Val Presbyter, rector Parochialis Ecclesiæ Debuto diœcesis Carnotensis, certifico præsens mandatum secundum ejus formam, et tenorem executioni demandasse ad Pronum dictæ meæ Ecclesiæ palam, et publicè, dum divina celebrarentur Officia per tres dies dominicos, et quartum ex abundanti, videlicet, die Dominica prima mensis N. pro prima monitione, et publicatione, dominica octava ejusdem mensis N. pro secunda, Dominica decima sexta dicti mensis pro tertia, et Dominica vicesima quarta prædicti mensis pro quarta, et ultima publicatione, et excommunicatione. Et deinde Dominica N. malefactores, et culpabiles Excommunicatos, et aggravatos, prout in albo continetur servatis solemnitatibus assuetis denunciavi. Teste signo meo manuali hìc apposito. Acta fuerunt hæc anno diebus, et loco supradictis.

Et pro hujusmodi publicatione, et executione. iii.s.

Forma relationis super executione unius excommunicatorii.

EGo N. subsignatus, rector Parochialis Ecclesiæ N. Diœcesis Carnotensis. Executus fui præsens mandatum secundum suam formam, et tenorem ad Pronum ejusdem Ecclesiæ die N. anno N.

Quando executio fit ad personam excommunicati, tunc in sua relatione ponat ad personam, et sic de aliis modis executionis mutatis mutandis. Et etiam in litteris aggravationis, et aliis relatio fiat modo supradicto.

Et pro executione relationis. v.d.

Forma relationis in dorso monitionis continentis oppositionem apponendæ.

EGo N. rector Ecclesiæ Parochialis N. certifico dedisse executioni præsens mandatum loquendo ad personam debitoris in albo nominati, qui se eidem monitioni opposuit. Et ideo ad suas causas oppositionis dicendum sibi assignavi talem diem peremptoriè coram Domino Officiali Carnotensi. Teste signo meo manuali hìc apposito, Anno Domini, etc. die, etc.

Et pro executione. v.d.

Forma relationis apponendæ in dorso citationum.

ANno Domini, etc. die, etc. Executum fuit præsens mandatum secundum ejus formam, et tenorem per me subsignatum loquendo ad personam rei, vel in domicilio rei loquendo ejus uxori, vel loquendo N. servitori rei, ætatis quatuordecim annorum, vel majoris, prout ex inspectione suæ personæ constitit, aut loquendo N. vicino rei, cui copiam mandati tradidi, et dimisi, eo quod neminem reperi in domicilio rei, seu quia neminem reperi per affixionem, et dimissionem copiæ mandati ostio domus rei. Teste signo meo manuali hìc apposito.

Et pro executione. ii.d.

Bonum erit apponere duos testes in relatione, si haberi possint.

Forma relationis, citationis ad personam citati in flagranti delicto, in Ecclesia, sive loco sacro commisso.

VEnerabili viro Domino Officiali Carnotensi N. Presbyter, rector Parochialis Ecclesiæ de Ponte, Carnotensis diœcesis, obedientiam cum omni reverentia, et honore. Noveritis, quod hac die domi-

dominica, sexta mensis Januarii, dùm magna Missa Parochialis in eadem Ecclesia celebraretur, & ibidem magna populi multitudo ad divina audienda adesset, Carolus du Boys Parochianus dictæ Parochiæ in eadem Ecclesia existens fecit, & dixit talia, & talia, nec desistere voluit (pluries de hoc faciendo monitus) divinum Officium perturbando, & scandalum magnum in eadem Ecclesia faciendo. Ea propter dictum talem in vim statuti synodalis reverendi in Christo patris Domini Episcopi Carnotensis citavi peremptoriè coram vobis ad talem diem de, & super hujusmodi scandalo, & perturbatione divini Officii, promotori causarum Officii Curiæ vestræ ad finem canonicum responsurum, remittendo vobis informationem per me super præmissis factam clausam, & sigillatam, ac meo manuali signo munitam. Actum, anno, *&c.* die, *&c.*

Et pro relatione hujusmodi, xii. d.

Idem fiat contra eos, qui reperientur per dictum Rectorem, durante divino servitio ludentes maximè propè Ecclesiam, aut in tabernis compotantes, maximè si tales sint consueti talia facere, & moniti desistere recusaverint, & obstinati permaneant.

Forma informationis fiendæ per Curatum, sive Vicarium super impedimento coram eo allegato in proclamatione bonorum.

ANno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo die prima mensis Januarii, informatio fuit facta per me N. Curatum, sive Vicarium Parochialis Ecclesiæ N. diœcesis Carnotensis in vim potestatis mihi in hac parte côcessæ, & attributæ per statuta synodalia reverendi in Christo patris Domini Carnotensis Episcopi ad instantiã venerabilis promotoris causarum Officii Curiæ Carnotensis de, & super impedimento mihi relato per N. denuntiantem, & se pro opponente gerentem complemento matrimonii contrahendi inter N. & N. affidatos, dùm proclamarem primum, vel secundum, vel tertium bannum in Prono Missæ Parochialis ejusdem meæ Parochialis Ecclesiæ, modo, & forma sequentibus.

Joannes Thibault agricultor Parochianus N. ætatis triginta annorum, vel circa, Testis per me receptus, juratus, & examinatus de, & super facto impedimenti coram me in proclamatione dictorum bannorum proposito, & affirmato per N. opponentem, & denunciantem inter N. & N. affidatos. Et primo super notitia partium earumdem interrogatus dicit, dictos affidatos, & denuntiantem benè cognoscere, & quod sunt Parochiani talis loci. Deinde super notitia parentum dictorum affidatorum, & impedimento consanguinitatis per N. prætenso, examinatus dicit, & deponit verbis gallicis ea, quæ sequuntur, *C' est à scavoir telle, & telle chose, faut ecrire, & deduire par le menu*, & expresse de gradu in gradum, *la Genealogie des Fiancez*, ab utraque parte. *Et que tels temoins rendent raison suffisante de leur dire, & connoissance, & exprimer le temps.* Et super præmissis examinentur alii testes, ut supra dictum est.

Et pro hujusmodi informatione habeat. v. s.

Alia forma informationis fiendæ contra repertos delinquentes in flagranti delicto in Ecclesia, sive loco sacro

ANno, *&c.* die, *&c.* informatio, *&c.* ut supra, usque de, & super excessu, scandalo, perturbatione, & impedimento divini servitii per N. Parochianum meum factis, & commissis tali die in dicta Ecclesia, & durante Missa Parochiali illius, prout sequitur.

Joannes Courtoys mercator Parochianus ejusdem Parochiæ ætatis quinquaginta annorum, vel circa Testis per me receptus juratus, & examinatus de, & super hujusmodi excessu, scandalo, perturbatione, & impedimento divini Officii per N. commissis, & perpetratis in dicta Ecclesia durãte servitio divino, *dit, & depose que des tel temps il connoist un tel qui est paroissien d'icelle paroisse, lequel tel estant tel jour en l' Egisse Parochiale dudit lieu durant la grande Messe, ou Vespres, fist, ou dist. telle chose, & telle.* Et exprimatur dictum, vel factum ad longum, & extensum. *Au moyen de quoy dit ledit deposant, que le divin service fut grandement, & longuement empesche, & perturbe, & de ce fut grand scandale, & murmure du peuple contre ledit tel.*

Et pro hujusmodi informatione habeat. v. s.

Et similiter poterunt fieri mutatis mutandis secundum casus exigentiam aliæ, & similes informationes in, & pro talibus, & similibus casibus, maximè contra eos, qui durante servitio Parochiali ludunt, vel frequentant tabernas, & talia facere consueverunt.

EN tibi, venerade sacerdos, quæ ad tui spectant functionem Officii, universa in exiguum contracta volumen. Invenias in tuam rem hìc, vel tridui lectione, quæ vix triennio etiam toto immensos revolvens canonum codices reperire licebit. Ora igitur pro eo, qui ut tantis te laboribus exoneraret, laborem tibi hunc sibi desudandum putavit, antistitem intelligo Carnotensem, & libellum hunc (quod tibi felix, faustumque sit) eme, lege, intellige, & totum in memoriam transfunde.

Statutorum synodalium diœcesis Carnotensis finis.

Parisiis, in officina Jolandę bonhomme viduæ spectabilis Thielmanni Kerver, sub Unicornis signo, in via Jacobæa, octavo Calendas Martii, Anno Domini 1538.

Statuta Synodalia Reverendi in Christo Patris Domini Valentini Episcopi Hildemensis An. 1539.

IN nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, Amen. Valentinus Dei, & Apostolicæ sedis gratia universis sæcularium, & regularium Ecclesiarum Prælatis, &c. Utque singula suo ordine gerantur, & cuique, quibus porrò sibi vivendum sit legibus, & ordine constet, has synodales nostras constitutiones ex jure, & patrum Decretis sumptas, præter æquum, & honestum nihil spirantes, sed ad unius Dei, & sanctorum cultum, proximique dilectionem deservientes, hìc congessimus. Quare, ne hic labor, & studium nostrum, integerque animus noster in vos frustraneus sit, & illudatur, authoritate nostra ordinari vobis omnibus, & singulis nostris curæ, & gubernationi commissis, ac subjectis, mandamus, volentes, ut has nostras, quas videtis, sanctiones synodales studiosè, & inviolabiliter observetis, & iisdem pro statutis synodalibus ab hinc in futurum utamini, hoc addito, ut quivis Archipresbyter nobis subjectus, easdem habeat, & apud se custodiat, perque se, seu suo nomine in capitulo rurali confratribus suis, & omnibus, quorum interest annuo, & singulis annis ad minus bis prælegat, publicet, & publicari faciat, & procuret. Contra facientibus Ecclesiasticis, & aliis juris remediis, & censuris obviaturi. Interim non ab re generalem Clerici Germaniæ Reverendissimi Domini Cardinalis Campegii Reformationem Ratisponæ evulgatam, præmissam fuisse putantes.

De summa Trinitate, & fide Catholica.

CAPUT I.

IN primis igitur omnia, & singula, quæ propter sui exquisitam, & probatissimam perfectionem, ac cla-

clarissimam, & candidissimam veritatem adjectione, vel declaratione ulla non indigent, & ad quæ, utpote ad præcipuum medium, & finem salutis omnium: corda nostra, manus, & oculos elevamus devoti, & quod sancta Catholica, & Apostolica, Romanaque credit, tenet, & docet Ecclesia sanctissima, piissima, & prudentissima mater nostra. Et nihil aliud credendum, tenendum, ac docendum, statuimus, & ordinamus, atque præcipimus.

Cæterum ea, quæ per Reverendissimum in Christo patrem, & dominum, dominum Laurentium, S. R. E. Sabinen. Episcopum, Cardinalem de latere ad Germaniam sanctæ, & Apostolicæ sedis olim legatum (tàm circa reformationem vitæ, ac morum Cleri Germaniæ, quàm antiquandos, abolendosque abusus, quę hìc præinseri curavimus) Ratisponæ edita, ordinata, & statuta sunt, reverenter, & obedienter acceptamus, atque suscipimus, illaque ab omnibus subditis nostris observari mandamus.

Ex Concilio Provinciali Aschaffemburgensi D. Petri Archiepiscopi Moguntini.

ITem statuimus, & ordinamus, ut, si aliquis Clericus, vel laicus utriusque sexus, cujuscunque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit præsumptione, & pertinacia damnabili publicè prædicare, vel occultè docere, credere, vel tenere, quod sacerdos in mortali peccato existens, non possit conficere corpus Christi, seu sic ligatus non possit ligare, vel solvere suos subditos à peccatis, pro hæretico, & incredulo habeatur, & errorem hujusmodi sacri Concilii approbatione condemnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cùm sacræ scripturæ dicat authoritas, quod sive bonus, sive malus sit minister, per utrumque Deus effectum gratiæ suæ confert. Non enim, quæ sancta sunt, coinquinari possunt, nec ipsa sacramenta potest hominum malitia prophanare: unde sacerdos, quantumcunque pollutus existat, divina non potest polluere sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Licite ergo à quocumque sacerdote ab Ecclesia tolerato divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica sacramenta.

Ad idem de blasphematoribus, & sortilegiis.

QUamvis sacris canonibus, & sanctorum patrum traditionibus, contra manifestos sanctorum blasphemos, ac damnatum, & abominabile scelus idololatriæ, videlicet incantationes, superstitiones, & sortilegia pythonum, & pythonissarum, in locis diversis sufficienter cautum, & provisum existat: Quia tamen (quod mentis amaritudine referimus) adhuc vitia talia in multis locis nobis subjectis existunt in usu, ea propter erroribus, & periculis exinde in dies consurgentibus, quantum in nobis est, obviare cupientes, districtè statuto præsenti perpetuo duraturo præcipimus, ut contra tales statuta canonica, desuper edita, summa cum diligentia ab universis nobis subjectis practicentur, & in confessionibus de peccatis hujusmodi solers fiat inquisitio, & tàm mares, quàm mulieres talia exercentes, à communione sacramentorum excludantur, ac pro absolutione ad nos, vel vicarium nostrum remittantur. Et nihilominùs, si qui publici blasphemi reperti fuerint, vel de hujusmodi incantationibus, vel superstitionibus ab Ecclesia reprobatis se intromiserint, vel eisdem fidem adhibuerint; ut ab his infra breve tempus eis statuendum desistant, volumus moneri sub pœna suspensionis à divinis, & Ecclesiastica sepultura, à qua, nonnisi per nos, vel vicarium nostrum, aut nostros superiores valeant liberari, & absolvi. Hoc etiam statutum nostrum salutiferum, ne quis illius ignorantiam prætendere possit, volumus per Rectores Ecclesiarum, ac curam animarum habentes, in cancellis Ecclesiarum, si & quoties expedire visum fuerit, solemniter publicari.

Nota. Hæc synodus multa statuta utilissima pro regimine Ecclesiæ continet. Sed quia similia passim habentur, primum, & ultimum hìc afferimus cum Appendice quadam hujus synodi de formula vivendi Canonicorum, quæ jampridem desideratur à non paucis.

Inter hæc observamus circa primum canonem confessariis injungi, ut de idololatria, & peccatis strygum interrogent pœnitentes, & novimus Missionarios zelo præcipuo ferventes, qui de hujusmodi nefandis criminibus, quæ in conventiculis dæmonum (Sabbata vocant) perpetrantur, interrogarunt viros, & mulieres in quibusdam pagis, & oppidis, ac inaudita scelera cum dæmone committi referunt. Quare & formulam interrogandi pœnitentes edidimus in nostro libro *de triplici examine*, cum id à nobis postulassent quidam ex R. Episc. quin etiam prædicta formula, seorsim typis edita est, anno 1664. in minori Britannia cum hoc titulo: Methodus nova, & certa examinandi striges in sacro pœnitentiæ tribunali, deprompta ex libro inscripto *de triplici examine*, &c. quod non parum quadrat huic synodo.

De sententia excommunicationis.

CAPUT XLIX.

QUoniam excommunicati absolutos se esse nonnunquam mentiuntur, ex quorum communione pericula eveniunt animarum, præsenti constitutione inhibemus, ne de cætero quisquam sacerdos curatus nobis subjectus, quamcunque personam ejus parochiæ, quam semel per nostras, seu vicarii, vel officialis nostri literas excommunicatorias sigillatas, excommunicatam denunciavit, aut contra quam tales literas vidit, & recepit, ultra ad divina sua scienter mittat, vel coram ea celebret, aut absolutam credat, vel teneat, nisi absolutionem suam litteratorie, & sigillatam illius sigillo, qui eam excommunicavit, sibi prius ostenderit. Transgressores autem ultra pœnam juris, quam incurrunt, pęnam condignam non evadent.

Quamvis contra absentes ad synodum vocatos ad pęnas juris procedere, id eorum contumacia exigente possemus: ex causis tamen certis nos monentibus mitius agentes, sub spe, quod in futurum nostra benignitate attenta reddantur obedientes, pœnarum hujusmodi effectum duximus suspendendum, & suspendimus per præsentes. Prætereà, ne Clerus noster censuris, & sententiis Ecclesiasticis authoritate ordinaria propter statutorum transgressionem, & non observationem, à nobis, & prædecessoribus nostris latis, dummodò à jure latæ non sint, involvatur, illas tollimus in his scriptis, easdem in arbitrarias pœnas per nostrum Vicarium in transgressores infligendas committentes, citra tamen pœnarum juris sublationem, quibus per hoc nolumus derogare.

Casus Episcopis specialiter reservati sunt infrascripti.

CAPUT L.

REbaptizatus, reconfirmatus, vel reordinatus.

Item: Qui matrimonium post sponsalia jurata cum alia, quam sponsa contraxerit.

Item: Mulier, quæ antequam certificaretur de morte mariti, secundo contraxerit.

Item: Ille, qui virginem defloraverit, oppresserit, & rapuerit.

Item: Opprimens propriam prolem.

Item: In se sterilitatem, vel abortum quomodolibet procurans.

Item: Homicidium, facto, præcepto, consilio, consensu, authoritate propria, vel authoritativa exhortatione, vel quovis alio modo committens.

Item:

Item: Inceſtum in tertio, aut proximiori gradu conſanguinitatis, aut affinitatis committens. A

Item: Voti tranſgreſſores.

Item: Simoniacus. Item: Uſurarius.

Item: Raptor. Item: Sacrilegus.

Item: Incendiarius. Item: Latro.

Item: Eccleſiam conſecratam ſanguinis, vel ſeminis effuſione polluens.

Item: Quilibet Eccleſiæ, vel cœmeterii, aut immunitatis, vel libertatis Eccleſiaſticæ violator.

Item: Quilibet excommunicatus à canone, vel conſtitutione.

Item: Sacerdos proditor confeſſionis.

Item: Celebrans in Eccleſia interdicta, vel altari non conſecrato, aut mobili, ſine licentia, vel ſine indumentis, aut non jejunus.

Item: Non ordinatus celebrans, vel miniſtrans in ordine, quem non habet. B

Item: Sacerdos, cujus negligentia, vel culpa aliquid inhoneſtum, vel aliquod ſcandalum circa ſacramenta evenit.

Item: Quilibet dejerans, ſeu veniens contra ſuum juramentum.

Item: Falſarius litterarum, & monetæ.

Item: Quilibet manus violentas injiciens in patrem, & matrem ſuam.

Item: Quilibet conjugatus contrahens matrimonium, vivente uxore, cum ſecunda: vel intrans religionem, vel recipiens ſacrum ordinem, conjuge invita, & è contra.

Item: Conjux, qui, & quæ in mortem conjugis effectualiter machinatus, vel machinata fuerit. C

Item: Scienter coiens cum infideli.

Item: Promotus per alium, quàm per proprium Epiſcopum, ſine licentia.

Item: Furtive, ſeu per ſaltum, vel extra ſtatuta tempora promotus.

Item: Excommunicatus, vel ſuſpenſus, aut interdictus in ordine ſuo miniſtrans, vel qui taliter ligatus aliquem ordinem ſuſcepit.

Item: Scienter ſepeliens corpus excommunicati in cœmeterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Item: Abutens quomodolibet ſacramentis Eccleſiæ, ut puta Hoſtia, Chriſmate, vel alia re ſacra.

Item: Omnis adulter, & adultera, ſaltem publicus, & publica. D

Item: Quilibet ſcienter extra caſum neceſſitatis baptizans propriam prolem, vel illam tenens in baptiſmo, aut confirmatione.

Item: Omnis hæreticus, aut fautor, participatorve hæreticæ pravitatis.

Item: Committens Sodomiticum crimen, aut cum brutis commiſſum.

Item: Quilibet cum ſanctimonialibus coiens.

Item: Omnes clandeſtinè contrahentes ſponſalia, niſi infra tempus ſtatuti ſuprapoſiti illa ſolemnizaverint.

Poſtremò ad ſiniſtræ ſuſpicionis tollendum ambiguum, inhibemus, ne quis ſacerdos, vel religioſus de cætero confeſſiones mulierum audiat alibi, quàm in loco publico, ubi videri poſſit. E

Lecta, & publicata fuerunt hæc ſtatuta ſynodalia Reverendiſſimi patris, & Domini, D. Valentini Epiſcopi Hildeſemen. in ſynodo Epiſcopali per ipſum perſonaliter in civitate, & Eccleſia Hildeſemen. celebrata, die Lunæ poſt Dominicam, Lætare, quæ fuit 17. Menſis Martii, anno à nativitate Domini 1539.

FORMULA VIVENDI CANONICORUM, Vicariorum, & aliorum Presbyterorum ſæcularium præcedenti ſynodo addita ex mandato Epiſcopali.

Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi, ut reddam vota mea de die in diem. Scribitur Pſ. 40. Super hoc verbo dicit gloſſa Auguſtin. Si vis in æternum pſallere, redde vota in iſto die, ideſt, quod promiſiſti, nunc ſolve, donec venias ad illum diem, in quo perenniter cum omnibus ſanctis Deum laudes. De omnibus enim bonis, quæ in præſenti facimus, Deum in futuro perenniter laudabimus. Quod igitur illic acturi ſumus, hic inchoare debemus. Ecce, venerabiles Domini, quàm breve verbum, ſed fœcundum, & omni ſuavitate plenum, veſtroque deſiderio aptiſſimum. Scribitis namque, & reſcribitis pro aliqua exhortatione, & informatione vobis tranſmittenda, ſuper qualitate ſtatus veſtri, quaſi non habeatis ad manum ſanctorum regulas, & formulas, juxta quas ſecurè vos regulare poſſitis. Si non humilitas veſtra, pariter & bona vita vos excuſarent, decidendi nos occaſionem potius, quàm exhortationem, aut informationem expetere timeremus. Coacti igitur (Deus ſcit) facere tentamus, quod neſcimus, & niſi ipſe calamum dirigat, inutilis erit labor iſte, ſed utinam non pernicioſus. Nunquam enim ſermo ex illis doctum quemlibet aut exaſperat, aut impedit. Et cum ego veſtræ perſonæ notitiam non habeam, niſi tantillum, quod (ſicut dictum eſt) mihi presbyteri eſtis, & cujuſdam cathedralis Eccleſiæ canonici, idcircò ſecurè conſulere non valeo.

De quinque horribilibus exemplis contra eos, qui vitam ſuam emendare volentes, ſtatim cum compunctionis ſpiritum ſentiunt, ſe perfectos eſſe arbitrantur, & in modo vivendi eligendo ſanis conſiliis non utuntur, ſed juxta motum capitis ſui ambulant.

CAPUT I.

Dicit beatus Gregorius in Paſtorali ſuo: Non una, eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit. Quod uni prodeſt, alteri nonnunquam obeſt. Dicam rem hanc breviter ſub quintuplici exemplo, quæ vos in admirationem, & cautelam magnam adducere debet. Non longe ante hos annos presbyter quidam fuit, admodum bonæ vitæ, quem hoc ordine diabolus decepit: Conſuluit namque ſibi, ut ſe interficeret, ut martyr fieret, aſſerens hoc Domino plurimum placere. Tandem miſer arrepto pugione proprium perfodit ventrem, ſperans in hoc obſequium ſe præſtare Deo, ſed cum plagam ſenſiſſet, illico exclamavit, dicens: Heu, heu deceptus ſum. Accurrentibus autem vicinis, & cauſam ſciſcitantibus, cuncta narravit, moxque miſerabiliter vitam finivit.

Alius quidam valde timoratæ vitæ, cum informari nollet, in erroneam conſcientiam lapſus, dixit ſe deſperare de venia propter ſeveritatem judiciorum Dei: qui ſimiliter laqueo ſe ſuſpendens interiit.

Tertiò, quidam presbyter caſtiſſimæ vitę fuit, itaut nec probatæ vitæ fęminis loqui auderet: verum cum ad beatam Mariam in eremo peregrinari diſponeret, virgo quædam ſancti propoſiti eidem ſe ſociavit, ut hac occaſione diu conceptam devotionem ſibi colloquendo revelaret. Sed, proh dolor, poſt longa tandem colloquia in carnis vitium ſunt collapſi.

Altera etiam quædam virgo per omnia probatiſſima mihi nota, cum non poneret modum devotioni ſuæ, eo quod jugiter orare, & contemplari vel-

let, in frenesim perpetuam cecidit.

Quædam etiam virgo cum maritari nollet, ex magna devotione à seculari conversatione abstinere disposuit, hanc inimicus in tantam avaritiæ facem depulit, ut de ejus quoque salute plurimum timeretur. Hæc, venerabilis Domine, breviter dixerim, ne è vicino ostenderem, quantum etiam periculum in sacris exhortationibus contingere potest, si non debitè applicentur. Ecce ponamus ante nostros oculos quinque hos, quos præfati sumus. Si primo dixerimus, quod fortiter in via Dei ambulare debuerit; ecce, inde occasionem propriæ necis accepit. Si secundo dicamus, ut Deum timeat; ecce, inde in desperationem corruit. Si tertio dixerimus: proximum tuum ama sicut te ipsum; ecce, propter hoc in luxuriam cecidit: Si quarto dixerimus: contemplationi insiste; ecce, B hac occasione in amentiam pervenit. Si quinto dixerimus, ut prudenter se gerat in omnibus; ecce, propterea penè in avaritiam irremediabiliter lapsa est. Omnes hę doctrinæ, quàm sanctæ, quàm devotæ sint, sed his personis sic dispositis quàm sint perniciosæ, dat idem beatus Gregorius exemplum de pane, qui vitam fortiorum roborat, & parvulorum necat. Similiter medicina, quæ nonnunquam uni morbum minuit, & alteri vires aufert: sic sacra scriptura est quibusdam odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem. Neque hoc ideò venit, quasi sacra exhortatio mala sit, sed propter insufficientiam audientium, quæ communiter ex superbia pullulare C solet. Nam sunt plerique, qui quàm citò spiritum compunctionis sentiunt, statim se perfectos arbitrantur, neque ullius magisterii moderamini se subdere volunt, dicentes: Ego sum bonæ voluntatis, totum quicquid dico, aut facio, cordialiter volo, & cætera: quasi hoc sufficiat contra tot antiqui hostis versutias: & quia nunquam discipuli veritatis fuerunt, ideò facilè à spiritu erroris seducuntur. Nulla enim ars haberi præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur. Dicit quidam venerabilis doctor, quòd bonæ voluntati nihil est periculosius, si non recta ratione reguletur. Hoc est notabile, & formidolosum verbum, & dat rationem, quia de natura voluntatis est, quod sit cæca, & de natura boni est, quod sit D sui diffusivum. Quæ igitur semper cæca est, & ubiq; discurrere voluerit, quid illi restat, nisi casus continuus? Unde Cyrillus de hoc dicit: Certè nil plus nocet, quàm aliorum spreto consilio, ut propria præcipit voluntas, ambulare: qui suæ tantùm voluntati credit, in cunctis, quæ facit, finem odibilem adinveniet. Exempla de hoc sunt infinita. Igitur, qui securè ambulare desiderat, non sibi confidat: neque Deum tentare debet, quasi ipse sibi desuper scientiam infundere meritò teneatur, quia ipsum amoroso corde quærit: hoc namque & ipse dedit. Sed neque de hoc sibi blandiri quisquam poterit, quod bonæ voluntatis est, quasi hoc à se habeat, sed solicitè pensare debet, quomodò talentum sibi divinitùs datum dignè expendat, gratiæ dignè cooperando: sciens, quod non omnia charismata simul donantur in sua plenitudine, sicut nec impetu uno virgultum excrescit in arborem robu- E stam, sed omnia tempus suum habent, & per determinatas moras regulatissimè unumquodque tendit ad sui consummationem. Est igitur consilium omnium sanctorū patrum, qui de moribus scripserunt, quod homo bonæ voluntatis quærere debet virum aliquem disciplinatum, & in sacra pagina benè doctum, cui totum cor suum, & propositum plenè revelet, à quo mandata vivendi accipiat, quæ etiam tamdiu diligenter observet, donec, ipso licentiante, aut certè Spiritu sancto revelante, ad altiora se transferat. Hic namque vir heroicus, sive spiritualis omnia dijudicat, naturam considerat, propositum explorat, & juxta hoc, quod viderit expedire, singula moderatur. Cujus etiam consiliis, tanquam divinis est obtem-

A perandum, quia in eo habitat Spiritus sanctus. Qui de his dubitat, legat regulam beati Hieronymi ad Eustochium, & Epistolam ad Demetriadem, & alia ejus opuscula: similiter Augustini, Benedicti, Bernardi, &c. etsi aliter invenerit, quod non puto, mendacii me arguat. Verum, ut per quotidiana exempla id probem, ad oculum ista videmus in scholis virtutum, idest, approbatis religionibus, ubi de his omnibus diligenter inquiritur, nec quisquam in fervore novitio permittitur ambulare juxta motum capitis sui, quasi securus sit de omnibus, eo quod habuerit bonam voluntatem, sed secundum regulas sanctorum Patrum instituitur in omnibus. Et qui sic procedit, securè procedit, & proficiet, non tamen sine grandi labore, & tentatione quotidiana. Quia tentatio est vita hominis super terram. Et Adæ dictum est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Specialiter autem virtutis exercitium est circa difficilia: quare merito ad hoc est idoneus magister, scilicet, qui scientiam, & experientiam ejus habuerit, quia teste S. Gregorio: Ars artium est regimen animarum. Dicitur notanter idoneus magister, quia multi reperiuntur consultores fallaces, inflati spiritu arrogantiæ, aut avaritiæ, & multos seducunt. Heu quot homines simplices, & bonæ voluntatis perierunt per tales simulatores? Dicam breviter rem, quæ mihi accidit. Cum aliquando in adolescentia mea visitassem quendam solitarium laicum, qui jugi clausura sedebat in quodam conclavi seorsum, & ab eo verbum ædificationis interrogassem; inter multa consilia, quæ dixit, hæc, aut similia verba adjunxit: qui vult esse perfectus Christianus, debet vendere omnia, quæ habet, & dare pauperibus, & ostiatim mendicare, sicut Christus fecit: & nihil amplius curare de scripturis, quia scripturæ confusæ sunt propter multiplicitatem glossarum, & bonum esset, quod universæ glossæ comburerentur. Hæc, & similia miser ille verbositando dogmatizavit. Cumque diligentius cogitassem de his, quia adhuc ignarus eram hujus astutiæ: quidam presbyter dixit mihi, Ne cures de phantasiis illis. Nuper quendam fabrum similiter docuit, qui cum omnibus distractis mendicare cœpisset, universi maledixerunt ei, dicentes: Cur mendicare vis, cum fortia membra habeas ad operandum, redi ad officium tuum. Quid plura? Tandem cum nil sibi à quoquam daretur, nec, quid manducaret, inveniret, desperatione tactus in flumen se præcipitans submersus est. Similia plura de talibus leguntur. Ecce, venerabilis Domine, quanta est astutia antiqui hostis, etiam contra homines bonæ voluntatis. Quare summoperè vobis præcavendum est, ne in laqueum ejus incidatis. Placeat reverentiæ vestræ hoc advertere, quod communiter dicitur: Religiosi possunt se facilius juvare contra tentationem inimici propter multa, &c. Hæc est etiam sententia beati Bernardi, & Hieronymi. Ratio est, quia semper alieno arbitrio diriguntur, nec quicquam de voluntario habent. Peccatum autem est adeo voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum.

De mala libertate Canonicorum sæcularium.

CAPUT II.

Hinc concluditur, quod verus obediens vix potest peccare; ex quo ulterius per oppositum concluditur, quod, qui non vult obedire, vix potest benefacere. Jam quæso, reflectite hæc super statum vestrum. Quid est, quod quidam ita vitare solent, sicut obedientiam, cum venia loquor, nonne hæc est quotidiana vox dominorum canonicorum, paucis exceptis? Nos liberi sumus, nemo nobis præcipere habet: nos, cum Domini simus, nolumus, ut præcipiatur nobis, sed ipsi aliis præcipere debemus. Numquid servi sumus? Ah male liber est, qui diaboli servus est. *In inobedientes.*

Non-

Nonne vulgariter dicitur. Quanto stirps nobilior, tanto cervix flexibilior? Quid de sua generositate tales habent gloriari, quando nec divino, nec humano judicio ulla in eis ingenuitatis indicia reperiuntur? Jam dictum est, quod nobilitas vera, sive sæcularis, sive spiritualis, cum promptitudine obediendi soleat agnosci. Item ulterius sequitur, quod si verus obediens facilius potest vitare peccatum, è contra, qui non vult obedire, difficilius potest peccatum vitare, imo penitus non potest, quia diabolus eum ad omne malum impellit, quem nullo disciplinæ freno alligatum cernit. Prona est namque omnis ætas ad malum. Igitur venerabiles Domini, si vultis seriosè vestram salutem procurare, cavete ab hac mala libertate, cavete & à falsis, & imperitis magistris: per hæc duo pene totum mundum diabolus post se trahit. Tollantur è medio ista duo, scilicet pertinacia obediendi, & fallacia erroneorum magistrorum: quid ulterius periculi remanebit in orbe terrarum? Si cuncti magistri bene docerent, si cuncti discipuli bene obedirent, nonne reformatus esset mundus? hìc tota difficultas, hìc totius vitæ Christianæ perfectio latet. Sed absit hoc, dicit libertas mala, ut sic me alteri subdam, quod nihil mihi reservem, vivit Dominus, ego pariter consiliabor, ego, quod placet, faciam, alienum non audiam, nisi forte illum, qui loquitur mihi placentia. O periculum periculorum nimis super omnes filios Adam effusum, quod utique paucissimi effugiunt, scilicet electi perfecti in timore Dei! Et ut breviter dicatur: Via lata ad gehennam est mundialis ista libertas, pro qua pene omnis homo certat, usque ad mortem, juxta vulgatum proverbium: Libertas prævalet auro. Videamus exemplum familiare, Navis in mediis fluctibus sine gubernatore, nunquid verè libera, an non? Si verè libera est, ad portum securè perveniet: sin autem, submergetur: Sic est omnis homo, qui divinis legibus non est institutus, nunquam aliquis talis est salvatus, quia à diabolo possidetur, ad cujus voluntatem vinculis pravæ consuetudinis tenetur irretitus. O utinam viderent singuli, quod vidit beatus Martinus! Cum enim aliquando venisset ad palatium cujusdam tyranni, vidit quendam maximum demonem sedere super collum ejus instar equitis, qui ipsum duxit, quocunque volebat. Simile beata Brigida vidit. Cum quidam superbi prælati ascendissent super equos pompaticos, quod toties Æthiopes quidam ascenderunt super colla ipsorum: Sic miser homo decipitur, putans, quod suam impleat voluntatem, & nescit, quod diaboli servit impulsibus ad omne malum. Hæc sunt stipendia malæ libertatis: quando scilicet unusquisque facere delectatur, quod sibi propria voluntas suadet, quem communiter diabolus quodam quasi hæreditario jure facilè sibi servire cogit. Ecce, quod homo summe diligit, & appetit, hoc summe sibi perniciosum est, propriam scilicet adimplere voluntatem, ut nemo ei dicere possit, cur sic facis? aut, ab illis abstineto, &c. quia hac libertate omnibus vitiis exponitur.

Quid sit secundum carnem vivere.

CAPUT III.

Unde Apostolus ait: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Ubi sic dicit beatus Augustinus: Ille secundum carnem vivit, qui secundum seipsum vivit, idest, pergit, quo vult, dormit, quando vult, & quandiu vult, loquitur, quidquid vult, manducat, & bibit, quando vult, & quantum vult, ridet, jocatur, ociatur, prout vult, occupatur, quando vult, & in quibus vult, quidquid naribus suave est, quærit, quidquid auribus blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid corpori suo jucundum, exercet, & prosequitur. Delectatur in vestimentis curiosis, & epu-

A lis splendidis, & domibus gloriosis. Quid multa? Omnia desideria carnis suæ exquirit, et perficit, sicut vult, & quando vult. Qui sic vivit, absque omni dubio æterna morte morietur, ubi nunquam quidquam habebit ex his, quæ vult, sicut exemplificat Dominus in Euangelio de divite epulone, qui hìc omnia ad nutum habuit, prout voluit, sed postea unam guttam aquæ obtinere non potuit pro refrigerio linguæ suæ in tanta pœnalitate constitutus, in qua adhuc est, usque hodie, & in æternum manebit, nec unquam gutta illa ei dabitur, sed jugiter pejus habebit. Ecce venerabiles Domini, quàm insensati sunt, qui hìc de mala libertate gloriantur, non volentes submittere collum suum jugo Christi, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Tollite jugum meum super B vos, & invenietis requiem animabus vestris.

Cum quibus conversari debet Canonicus sæcularis.

CAPUT IV.

Igitur pensate diligenter statum conscientiæ vestræ, quomodò vixistis, & quomodò quotidie vivatis, & quales sint, cum quibus conversamini: quia ex hoc magna dependet portio salutis vestræ. Dicit namque Spiritus sanctus spiritus utique veritatis, qui neminem fallit, per os prophetæ: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum perverso perversus eris. Ubi dicit C glossa: Ex convictu mores formantur. Nam, qui tangit picem, inquinatur ab ea: &, qui terit herbam odoriferam, percipit suavitatem ejus. Quia re vera vita humana non est ludus puerorum. Ecce, ut plane loquar vobis, quia presbyter, & canonicus estis, non licet, nisi cum spiritualibus, conversari, quia de eleemosynis vivitis, & ideò omninò debetis vos aptare, ut sitis dignus, & gratus mediator inter Deum, & homines. Hoc enim clericus sonat, quasi de hoc sæculo acceptus, & sorti Domini mancipatus. Igitur cum Deo, & spiritualibus viris erit conversatio vestra, si rectè vivere vultis. Item non sufficit qualitercumque vivere, sed sicut canonicus, idest, regularis. Canon enim dicitur regula: inde canonicus, idest, regularis. Dicitur autem regula, quia regit, & secundum quam aliquis benè regulatur, ac D dirigitur.

Qui non vult regi, & dirigi, non est Canonicus.

CAPUT V.

Igitur, qui non vult regi, nec etiam dirigi, ipse non est canonicus. Si autem non est canonicus, tunc coram Deo non potest levare fructus præbendæ, cujus titulum falso nomine possidet. Quod si levaverit, peccat, & ad restitutionem coram Deo tenetur. Etsi restituere non valet, tunc divina justitia ipsum æternæ servituti adjuvabit, si in hac vita, dum adhuc tempus habet, condignam pœnitentiam non egerit. Hoc omnibus modis est tenendum, quod impossibile est, quod unus quadrans injuste levatus apud Deum sit in obla- E tione, sicut aperte Euangelium dicit: Si vadas cum adversario tuo in via, compone te cum illo, ne forte tradat te judici, & judex exactori, & exactor mittat te in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec ultimum quadrantem reddas. Verè hoc est formidabile verbum cunctis, qui levant grandes redditus Ecclesiarum injustè. Aut si justè levant, si tunc diligenter non student orare, & alia debita Ecclesiastica facere, prout tenentur. Vos autem venerabiles Domini, qui spiritu Dei tacti, non dissolute, sed canonicè vivere vultis, supradictum Psalmistæ verbum in principio positum diligenter advertite, scilicet, Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem. Faciant alii, quidquid velint, vos jugiter rumi-

ruminate hujus versiculi efficaciam, & utinam in tantum vobis familiaris iste versiculus fiat, & dulcescat, ut quoties campanæ sonitum auditis, devotè eum submurmuretis, dicendo sic, Psalmum dicam nomini tuo. Hoc enim suave colloquium inter Deum, & animam devotam non in vacuum transibit, sed magnam gratiam reportabit. Potest etiam iste versiculus, secundum quosdam expositores sic ordinari (retrograde enim legatur in construendo) videlicet. Sic reddam vota mea de die in diem, idest, per singulos dies, ut psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, idest, merear te laudare in æternum. Et hic sensus est planior, quàm primus, uterque tamen bonus.

Quilibet Canonicus, aut Vicarius primo debet intentionem suam dirigere ad Dominum Deum.

CAPUT VI.

PRo cujus versiculi majori explanatione, quantum ad propositum, est advertendum, quod duo possunt in eo considerari, quæ cuilibet canonico bonę voluntatis, aut vicario, sive parochialis Ecclesiæ rectori, imo unicuique spirituali viro, ac bonæ voluntatis Christiano sunt præcipuè necessaria; cuilibet secundum proportionem status sui. Primum est directio intentionis, secundum exequutio operis. Igitur loquendo secundum propositum nostrum, dicimus, quod quilibet canonicus, aut vicarius primo debet intentionem suam dirigere ad Dominum Deum, ut, quidquid facit, ad gloriam Dei ordinet, & hoc notatur, cum dicitur, Psalmum dicam nomini tuo. Plures namque psallunt, & bona opera faciant, non ad Dei gloriam, sed ad suam, quærentes laudem ab hominibus, aut lucrum temporale. Hi tales non solvunt vota sua, sed furantur, quia illi, cui debent, subtrahunt fallaciter, & sibipsis reservant, licet inutiliter, quia se quærunt, & non Dei honorem. Sed verus Christianus psalmum dicit nomini Domini, non suo, quia considerat, quod ex se nihil est, & ideò Domino totum tribuit, dicens: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quidquid enim sumus, & quidquid habemus, tu largiris: sine te statim in nihilum redigeremur. Tu sine intermissione aspicis nos, & nunquam obliviisceris creaturarum tuarum. Et quia à te est totum nostrum esse, & posse, & scire, & quidquid habemus: ideò meritò tibi à nobis debetur omnis laus, honor, virtus, & gloria, & gratiarum actio, nunc, & in sæculum sęculi, idest, in æternum. Ubi dicit sanctus Thomas in prima parte Summæ, quod Deus est in creaturis, non sicut calor in aqua, sed sicut sol in aere: quia remota aqua ab igne, adhuc manet ad tempus aqua calida, sed remoto sole ab aere, statim aer tenebrescit, nec quidquam luminositatis remanet: sic Deus, si non continuo creaturam administraret, statim omnis creatura esse desineret. Et ergo merito universa creatura debet esse parata jugiter ad obediendum suo creatori, sine quo nec ad momentum esse potest. Et hæc est principalis causa, & primaria, quare Deo soli debetur honor, & gloria, quia ipse est à nullo, sed omnia ab ipso sunt.

Quilibet canonicus, aut vicarius debet advertere, quibus, & qualibus debitor sit juxta vocationem suam, & hoc, ad quod tenetur, debet opere implere.

CAPUT VII.

HÆc autem contemplatio jucunda in libro creaturarum in immensum extendi potest, nec doctore opus habet, quia quasi violenter ingerit se humanis sensibus, itaut inexcusabilis fit omnis homo. Unde dicitur in Job. Interroga jumenta terræ, & docebunt te. Hinc secundum Apostolum: Quæcunque facimus, sive comedamus, sive bibamus, sive

A aliud quodcunque faciamus, omnia quidem ad Dei gloriam faciamus. Hoc autem nobis est utile, non ei, quia nullius eget. Secundo etiam quilibet canonicus, aut vicarius debet diligenter advertere, quibus, & qualibus debitor sit juxta vocationem suam, & hoc diligenter opere adimplere, ad quod tenetur, prout melius poterit, quia sibi non sufficit generalis quædam bona voluntas sine operis executione, sicut dicit Dominus in Euangelio: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Et iterum: Qui custodit mandata mea, & servat ea, hic est, qui diligit me. Est autem Dei mandatum, ut reddamus omnibus debita. Est autem quilibet canonicus triplex debitor, scilicet Deo, sibi, & proximo, de quibus multa scripta in sanctis libris reperiuntur. Sed quantum ad præsens sufficit, arbitramur, quod omnibus legaliter satisfaciat, si divinum officium debitè persolvit. Si autem aliquid ultra facit, illud supererogationis est, & hoc jam, quod dicimus, vocatur debitum Ecclesiasticum: sed si aliunde se obligaverit ad aliquid, ad quod eum Ecclesia non astringit, hoc vocatur debitum personale, ad hoc etiam tenetur, si licitum fuerit, & honestum.

B

Valdè multa ad hoc requiruntur, quod aliquis ritè officium divinum persolvat, & quod aliquis dignus habeatur divinis interesse.

CAPUT VIII.

C IGitur tota intentio debet ad hoc tendere, ut officium Ecclesiasticum ritè persolvat. Et hoc tangitur in secunda particula prædicti versiculi, scilicet: Reddam vota mea de die in diem. Quæ verba multa includunt, quia valdè multa requiruntur ad hoc, quod aliquis ritè divinum officium persolvat. Sicut & jam vulgariter dicitur, quod plura necessaria sunt pauperi, antequam dives fiat, etiam plura necessaria sunt unicuique homini, antequam dignus habeatur divinis interesse mysteriis, etiam beatissimis angelis pavendis. Hoc ideò sancti concorditer dicunt, quia est ultra hominem divina tractare, imo ultra omnem creaturam. Et ideò divinum officium injungitur Ecclesię ministris, & præcipuè Episcopis, & Presbyteris, qui ob hoc Hierarchi dicuntur, idest, sacri principes divinorum mysteriorum. Alii ministri, quia his sociantur, & ad tàm etiam pavenda sacramenta subserviunt, sedulò omni sanctitate, & puritate fulgere debent, ut dicit beatus Augustinus: Contemplemini, quid sit sancto populo Dei præesse, & considerate, quale sit sacramentis divinis insistere. Altario placere debent, qui de altario vivunt. Et Episcopus instruendo ordinandos, dicit, quod cum magno timore est ad sacros ordines procedendum, atque providendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna justitiæ observatio, ad id electos commendet. Ecce venerabiles Domini, qualia sunt vota, & qualia esse debent, quæ reddere oportet de die in diem quemlibet Ecclesiasticum. De his beatus Gregorius pulcherrimum librum scripsit, quem omninò suadeo sæpiùs legatis, scilicet Pastorale, in quo invenietis, ultra quàm dicere valeo, cuncta saluti vestræ necessaria. Summa namque discretione singulis (juxta quod expedit) salutares largitur doctrinas.

D

E

Si aliqua de antiquis observantiis Ecclesię sunt collapsa, potest canonicus laborare pro reformatione eorum, vel in domo propria supplere illa per alia exercitia spiritualia.

CAPUT IX.

DE quotidiano autem exercitio specialiter nihil scribere possum, nisi, quod juxta laudabilem ve-

stræ

ſtræ Eccleſiæ conſuetudines, vos regatis in horis nocturnis pariter, & diurnis. Quod ſi aliqua de antiquis obſervantiis collapſa ſunt, poteſtis, quantum gratia vos adjuverit, laborare pro reformatione earundem. Si audire alii noluerint, tunc quantum ad veſtram perſonam attinet, poteritis in domo propria illa ſupplere per alia exercitia ſpiritualia, juxta conſilium diſcreti viri.

De regula Canonicorum ſecularium, quæ in quibuſdam Eccleſiis habetur.

CAPUT X.

HAbetur etiam in quibuſdam collegiis regula quædam canonicorum valde bona, olim in Concilio Aquenſi edita, & collecta ex dictis ſanctorum. Sed nullum ſcio collegium hodie, in quo ita ſervetur, ſicut in ea ſcriptum eſt. Et propter hoc quidam dicunt, quod abolita ſit. Fortè hoc verum eſt, quoad aliqua, ſcilicet, refectorium, dormitorium, & ſimilia poſitiva, ſed quoad alia, quæ ſunt juris divini, ſtabilis eſt, & manet in ævum. Ratio autem, quare tàm ſalubris regula abolita ſit, ſupra dicta eſt, quia pauci ſunt, qui ſubmittere volunt cervices ſuas jugo diſciplinæ, ſed omnes libertatem affectant,

Qui hanc formulam ſtudioſè ſervaverint, etiam in ſæculo manentes, religioſam vitam ducere poſſunt.

CAPUT XI.

VOs autem venerabiles Domini, qui per viam illam incedere vultis, quæ arcta eſt, & ad vitam ducit, per quam pauci ambulant, diligenter eidem regulæ mores veſtros conformate, quia optima eſt, & ex elegantiſſimis ſanctorum doctrinis compoſita, & ita diſcretè procedit, ut cuilibet bonæ voluntatis viro benè ſit portabilis. Et quia fortè nonnulli ſunt vobiſcum, qui libros iſtos aut non habent, aut propter paupertatem ſibi procurare non valent. Igitur ne illis charitas noſtra deſit, aliqua hìc annotare breviter ex eiſdem, & aliis libris devotis intendimus, per quæ ſuam converſationem regulare poſſint, ut coram Deo, & hominibus in ſanctitate proficiant. Quod ſi ſtudioſè hæc obſervaverint, abſque dubio etiam in ſæculo manentes religioſam vitam ducere poſſunt. Hoc autem præmittendum eſt, quod ſecundum diverſas temporum vices, diverſi modi vivendi in clero fuiſſe narrantur, de quibus Gratianus in decretis plura collegit, præcipuè in cap. 12. quæſt. 1. & aliis locis multis. In primitiva ſiquidem Eccleſia nullus ad clericatum, aut ſacros ordines admittebatur, niſi magna ſanctitate cæteros antecederet, omninò à converſatione laicali ſegregatus, ſummaque religioſitate præfulgens. Nam tanta crudelitate, & ſævitia pagani tunc fidem perſequebantur, ut præeſſe nemo vellet, niſi valde perfectus, quia teſte beato Gregorio: Quicumque erat prior in dignitate, prior trahebatur ad martyrium. Stetit autem hoc tempus annis penè trecentis, uſque ad Sylveſtrum, & Conſtantinum magnum, in quo penè nullus honor, & reverentia fidelibus deferebatur, quia tunc erat apud vulgares ſcandaloſum eſſe Chriſtianum: ſed poſtquam Conſtantinus magnus, & alii principes templa idolorum ſubverterunt, & baptiſmum ſuſceperunt, cœpit Chriſtianum nomen in gloria eſſe apud communem populum, & prohibitæ fuerunt occiſiones fidelium, unde tunc fides maximè crevit. Idem autem Imperator volens Eccleſiaſticos in honore eſſe, maximas poſſeſſiones Eccleſiæ contulit, unde clerici, & pauperes ſuſtentarentur, quatenus commodiùs divinis intereſſe poſſent, & pro communi populo diligentiùs orarent. Similiter & alii principes in diverſis locis fecerunt,

A & ex tunc Eccleſiaſtici ab his operibus vacare cœperunt, et ſedulò divinis inſiſtere, viventes de eleemoſynis fidelium. Videntes autem ſancti patres, quod grandis conflueret multitudo, & quod ſine aliquo utili labore, et occupatione cohabitare non poſſent, Eccleſiaſticum officium, regulas varias, & diverſos vivendi modos inſtituerunt unuſquiſque, prout Spiritus ſanctus illi dabat. Nam beatus Hieronymus divinum officium ordinavit: Ambroſius hymnos, & cantum ſuperaddidit: Pachomius, Baſilius, Auguſtinus, & alii regulas ediderunt. Maxima quoque tunc ſanctorum eremitarum, et monachorum multitudo extitit. Fuitque tunc vix aliqua differentia inter religioſos, & clerum, quia nondum erat iſta ſolemnis profeſſio inſtituta, quæ hodie in monaſteriis frequentatur. Verùm ſucceſſu temporis, & charitate frigeſcente, hæc generalis ſanctitas valdè cœpit declinare, ſingulis abeuntibus
B poſt concupiſcentias ſuas, in tantum quod cœpit diviſio apparere inter Eccleſiaſticos. Ita quod quidam nominabant ſe canonicos, quidam monachos, prætextu cujus magna ſuperbia, et avaritia in clero ſurrexit. De quibus Gregorius ſæpè mentionem facit in dictis ſuis, & alii. Huic autem peſtiferæ abuſioni ſancti Patres occurrere volentes, & clerum ad priſtinum ſtatum provocare cupientes, regulam quandam canonicorum in Concilio Aquenſi tempore Ludovici Imperatoris, magno cum moderamine ex antiquorum dictis collegerunt, præcipientes, ut qui in monaſteriis vivere monachico more non vellent, hujus regulæ inſtitutis omni conſcientiæ ſecuritate ſe
C tradere poſſent. Sed rurſum ab hac ſancta regula ita deſperabiliter Eccleſiaſtici nunc defecerunt, ut vix, aut nullo modo poſſibile ſit, quod unquam reduci poſſint, impleturque hodie illud propheticum: *Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos.*

Canonicis, & vicariis bonæ voluntatis, malitia hujus temporis obeſſe non poteſt, faciant melius, quod poſſunt, & ſolicitè ambulent cum Deo ſuo, & ſalvi erunt.

CAPUT XII.

VErùm, qui bonæ voluntatis ſunt, illis malitia temporis obeſſe non poteſt. Faciant melius,
D quæ poſſunt, & ſolicitè ambulent cum Deo, & ſalvi erunt: quod, ut faciliùs poſſint, ſeptem ſolicitudines, circa quas bona voluntas occupare ſe debet, advertent.

De debita exterioris hominis compoſitione, tàm in loquendo, quàm comedendo.

CAPUT XIII.

SOlicitudo igitur prima bonæ voluntatis ad hoc tendere debet, ut exteriorem hominem debitè componat, tàm in loquendo, quàm comedendo, bibendo, ambulando, &c. quatenus quicunque mores ipſius conſiderat, ædificetur, & dicat: Ille eſt diſci-
E plinatus vir, & utilis in officio Eccleſiaſtico, quia omnes ſanctam vitam in eo vident. Hæc autem compoſitio morum inter ſimplices, & mundanæ vitæ homines maximè eſt neceſſaria, quia facillimè ſcandalizantur, quandò vel parum clerici ad libertatem extrinſecam declinant. E contra autem, quandò vident eos maturè incedere, & timoratè converſari in omni caſtitate, & ſobrietate: tunc maximè ædificantur, et venerantur eos.

De

A

De sobria mensa, & cibis simplicibus, mediocribusque.

CAPUT XIV.

SIt igitur mensa frugalis, de cibis simplicibus, non nimis delicatis, nec nimis grossis, sed mediè temperatis, quia hoc expedit ad sanitatem corporis.

De jejuniis temperatis.

CAPUT XV.

JEjunia sic temperare studeat, ut non lasciviat, nec etiam deficiat in servitio Domini. Hoc namque tentator omnino nititur persuadere, ut aut nimis homo repleat ventrem, aut etiam indiscretè abstineat, sed medium est tenendum.

B

De habitu.

CAPUT XVI.

SIt habitus humilis, non nimis vilis, nec nimis pretiosus, sed mediocriter honestus, sine omni curiositate, longus, & amplus, ne forma corporis more sæcularium appareat foris. Potest autem duplicem vestitum servus Christi habere, unum meliorem pro diebus festivis, alium deteriorem pro diebus ferialibus. Color autem sit niger, vel griseus, vel etiam blaveus, sed non sanguineus, aut subviridis, ut non dicatur ei, quod diabolus improperavit cuidam: Si plus posses, plus faceres.

C

De locutione.

CAPUT XVII.

SInt verba pauca, rationabilia, & utilia, non vana, non otiosa, non superflua, non risoria, non detractoria, non scurrilia, non maledica, non inverecunda, non litigiosa, non clamorosa, sed suavia, religiosa, & gratiosa, ut dicit Salomon: *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratia autem stultorum effundetur.* Item: *Verbum dulce multiplicat amicos: sermo autem durus suscitat furorem.* Item Hieronymus: *Beata lingua est, quæ non novit, nisi de divinis sermonem texere.* Verùm non hæc sic sunt intelligenda, quasi nunquam sit licitum uti verbis jucundis, et solatiosis, quia secundum omnes morales: Vir sapiens, et timoratus pro loco, & tempore potest virtuosè aliquandò rigorem remittere, & hoc maximè pertinet ad verba jucunda, in quibus hęc debent omnino vitari, ut scilicet non sint inhonesta, nociva, aut detractoria. Et hæc remissio debet fieri, quandò omnia seriosa sunt persoluta loco, & tempore debito, & cum talibus personis, quę ex hoc non scandalizantur, & tali intentione, ut hac recreatione fortiùs valeat ad seriosa virtutis opera redire. Exemplum horum legitur de sancto Joanne Euangelista, & de sancto Antonio, quorum hæc sententia est, quod expedit aliquandò contemplationem intermittere propter infirmitatem naturæ, ut postea melius ad spiritualia videnda animus redire valeat, sicut arcus distentus fortiùs jaculum projicit, quàm qui sine intermissione tensus tenetur: Unde Augustinus dicit: Volo tandem, ut tibi parcas: Nam sapientem decet interdum remittere mentis aciem rebus agendis intentam.

D

E

Medium semper est tenendum.

CAPUT XVIII.

ET sicut supra dictum est de Jejunio, sic & hic de hoc solatio virtuoso dici potest, quod diabolus nititur hominem ducere ad duo extrema, scilicet, ut sic ferventer bonis operibus insistat, quatenus totaliter inutilis fiat: vel quod sine intermissione ludis, ac solatiis vacet, & alia bona opera negligat. Sed medium est tenendum, & hæc regula optima est, & ubique applicanda, quia virtus in medio consistit. Juxta illud: *Ne quid nimis. Ne quid minus. Medium tenuere beati.* Et teste B. Bernardo: Discretio est auriga virtutum, sine qua virtutes sunt vitia.

De reformatione interioris hominis.

CAPUT XIX.

SOlicitudo secunda bonæ voluntatis ad hoc tendere debet, ut etiam interiorem hominem reformare studeat, ut scilicet velit, quæ Deus vult, eum velle, sciat, quæ vult eum Deus scire, & recogitet, sive memoretur, quæ vult eum Deus cogitare. Et hic est major labor, neque unius diei: sed qui nunquam incipit, nunquam perveniet. Igitur invocato divino auxilio, totaliter nos propter imminentem talem necessitatem ad hoc opus præcingamus. Magni namque meriti est huic negotio insudare, quamvis non pro voto idipsum acquiratur, quod intenditur. Sciendum est igitur, quod internus noster homo triplici morbo est infectus, idest, tria semper concupiscit, quæ semper deberet spernere. Et hinc oritur omnis illa difficultas proficiendi in virtutibus, quam boni viri sentiunt etiam usque ad mortem, quidam magis, quidam minus. Hoc est, quod dicit beatus Paulus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę.*

De bello legis Dei contra legem diaboli in uno homine.

CAPUT XX.

ECce bellum mirabile in homine, unum contra unum. Lex Dei contra legem diaboli. Lex Dei dicit: Contemne omne, quod est in mundo, & adhære præceptis Domini creatoris tui. Contra lex diaboli dicit. Nihil sit tibi curæ de invisibilibus, sed stude delicias corporis tui habere, & honorem hujus mundi, & divitias ad omnem copiam. Iterum lex Dei dicit: Cave, ne audias eam, sed mihi obtempera: quia omne, quod est in mundo, vanum est, nec mundus te juvare poterit, nec seipsum. Contra lex diaboli dicit: Ne permittas te decipi, quia omnia gravia sunt: ego autem habeo tria, quæ sunt tibi utilia valde, & delectabilia, scilicet omnia concupiscibilia carnis, & oculorum tuorum, & pompam hujus sęculi, exerce te in istis, & felix eris.

De triplici concupiscentia.

CAPUT XXI.

EX hac triplici radice oritur omne malum, & ideò primus labor hic debet inchoari, ut hæc triplex concupiscentia, carnis videlicet, oculorum, & vanitatis, quod est superbia vitæ, non quidem radicitus extirpetur, quod est impossibile, sed conculcetur, ne herbam peccati germinet: sicut videmus, quòd via, quæ frequenter pedibus teritur, non producit gramina, quamvis radicem intus habeat, sed si non calcatur, tunc statim virescit. Sic anima, quæ semper exercetur in

in via mandatorum Dei, non producit mala opera, quamvis inclinationem malam intus adhuc habeat: sed si tepescit ab operibus bonis, tunc concupiscentia mala, quæ intus dormivit, evigilat, & in opus pravum foras erumpit.

De elongatione ab occasionibus concupiscentiarum.

CAP. XXII.

IGitur studiosè præcavendum est, si homo ad internam pacem cupit pervenire, quod elonget se ab omnibus occasionibus, quæ has concupiscentias solent provocare, sicut boni religiosi faciunt, qui per castitatem, & jejunia, & disciplinas, & vigilias, ac labores quotidianos mortificant concupiscentias carnis, & maximè fugiendo otium, & familiaritates, & colloquia mulierum: & per paupertatem voluntariam mortificant concupiscentias oculorum, per obedientiam, & subjectionem mortificant appetitum superbæ inclinationis hujus sæculi, cui proxima est occasio omnium peccatorum, quæ dicitur libertas secularis, quæ nullo jugo disciplinæ vult subdi. Contra insidias vitiorum, quod periculosissimum est, sicut apertè apparet de milite insano, & fatuo, qui, cùm alium percutere non potest, insuper nec sibi ipsi providere vult, ut armis se muniat contra hostium tela, huic nihil restat, nisi mors acerba, & finis sine honore. Sic omnis homo (qui in via Dei vult ambulare secundum propriam voluntatem, & non præcavet sibi ab occasionibus peccatorum) periclitabitur. Et datur exemplum de David, qui idcirco in adulterium cecidit, eo quod oculos non custodivit, & in numeratione populi similiter graviter deliquit, quia informari noluit. Si in his tantus propheta cecidit, quid nobis faciendum est, nisi ut tota diligentia custodiamus corda, & corpora nostra? Similia multa de aliis leguntur. Pax igitur cordis tunc acquiritur, quando mens gratia fortificata vitiosam inclinationem compescit, ne malum, quod cupit, possit perficere. Non autem potest homo ex propriis viribus, & de communi gratia internum bellum penitus sedare, ut nunquam malas insinuationes, aut immissiones sentiat, sed potest in tantum perficere, quod hujusmodi levissimè vincat. Et datur exemplum de principe aliquo mediocri, qui etsi non potest hostes suos expellere de patria sua, potest tamen eos ligare, captivare, aut humiliare, intantum quod nunquam sine suo consensu aliquod dominium, aut tyrannidem in ea exerceant. Hinc dicit beatus Paulus, quod non debeat peccatum regnare in mortali corpore nostro, quasi dicat: Etsi non potestis facere, ut non sit, tamen facere potestis, ut non regnet.

De duplici remedio contra peccatum.

CAP. XXIII.

ECce duplex remedium contra peccatum: unum, ut se elonget homo bonæ voluntatis ab occasionibus peccatorum. Aliud, ut continuè, & fervidè operibus bonis insistat.

Quod homo regulam vivendi sibi eligat juxta suæ naturæ, & sui status congruentiam.

CAP. XXIV.

SOlicitudo tertia bonæ voluntatis debet esse, ut ex prædictis duobus, scilicet ex debita compositione exteriorum morum, & interno exercitio spiritualis devotionis aliquam sibi regulam vivendi eliciat juxta sui status, & naturæ congruentiam, quam regulam uniformiter observet, & in ea usque in finem laudabiliter perseveret. Hoc namque est omnium sanctorum patrum consilium, cujus etiam exemplum in omnibus penè, quæ sub cœlo sunt, videmus. Omnia namque habent naturam, & modum, & consuetudinem, & ordinem, sicut patet in sole, luna, stelis, plantis, bestiis, & aliis (quæ secundum naturam sunt) universis, quàm pulchrè, quàm ordinatè, quàm perseveranter, & uniformiter cuncta procedunt, & redeunt, currunt, & recurrunt, crescunt, & decrescunt: in solis autem humanis moribus irregularitas cernitur, & quia etiam nec ex natura, nec ex industria habet homo, ut suos actus regulare meritoriè possit, sed ex Dei gratia, ideo confidere sibi nullatenus debet, neque sibi adscribere, si aliquid boni fecerit, debet tamen facere, quod in se est, ut tota natura, & industria gratiæ cooperetur, ne vacua in se maneat. Igitur natura per gratiam nobilitata initium est bonæ vitæ. Hanc communiter dicunt sancti patres bonam voluntatem. Voluntas namque dicitur totus homo propter imperium, quod habet super cæteras vires, & ideo in ea ponitur totum pondus meriti, & demeriti. Si homo consentit bono, meretur: si malo, demeretur. Si bono cooperatur, amplius meretur, si malo, amplius demeretur. Ex quibus patet, quod homo bonæ voluntatis potest jugiter mereri, quamdiu est in statu vitæ. Ratio est, quia potest actualiter bono consentire, aut in bona occupatione se tenere. Hoc autem fit, quando regulariter vivendo omnia opera sua ordinat ad gloriam Dei, sic, aut aliter dicendo: Jam volo dormire, vel comedere, vel hoc, vel aliud facere tali intentione, sicut hoc merito verus Christianus facere debet. Et cupio in omnibus placere Deo. Exemplum hujus datur de bonis religiosis, de quibus firma sententia est, quod sine intermissione merentur, quia semper sunt in obedientia aliqua, quamvis non laborent, vel orent continuè, quia nec hoc regula præcipit, sed quia se conformant intentioni regulæ. Igitur sive regula præcipiat, sive consulat aut laborandum, aut quiescendum, semper sunt in obedientia. Quare tàm quiescendo, quàm laborando merentur, quia utrumque ad virtutem pertinet, secundum quod hoc Spiritus sanctus fieri mandavit. Juxta hanc fomam quilibet ecclesiasticus vir, sive pastor fuerit parochialis Ecclesiæ collegiatæ, aut alter qualiscumque abstractæ vitæ de patrimonio vivens potest sibi legem statuere sanctorum regulis conformem, & secundum illam uniformiter vivere, sicut vivunt religiosi secundum regulas suas, juxta consilium discreti viri in spiritualibus experti. Hoc modo cunctæ religiones inchoatæ fuerunt. Vnde dicit beatus Bernardus: qui vult benè vivere, studeat unum diem benè instituere, deinde adjungat secundum, deinde tertium, & sic de singulis, donec paulatim ad bonam consuetudinem veniat. Bona autem consuetudo fortitudinem subministrabit, qua acquisita, efficitur homo naturaliter virtuosus, quia usus est altera natura. Ita fiet, quod primo fuit intolerabile, per continuationem efficitur suave, & quasi naturale, dummodo à cœptis non desistat. Qui autem variis exercitiis naturam suam distemperat, nunc illud, nunc aliud gustando, numquam erit homo solidè sanctitatis, sed vagus, & profugus super terram, sibi, & aliis onerosus, & utilis nulli. Unde dicit Helinandus, quod benè vivere est uniformiter vivere.

Quod homo suam doctrinam ad practicam ponat.

CAP. XXV.

SOlicitudo quarta bonæ voluntatis esse debet, ut postquam est diligenter informata, quid sibi expediat, & quid non, statim illud, quod suæ naturæ, & suo statui conveniens est, ad practicam ponat, sicut Sapiens ait: Quodcumque potest manus tua, instanter operare: Multi namque decepti sunt hac tentatione, dicentes: Quid habes festinare? sufficit tibi vivere

vere, ficut cæteri vivunt, propitius esto tibi. Contra hanc tepiditatem oportet fortiter dimicare unumquemque, qui in via Dei vult proficere. Qui autem tepidus est, ad charitatis augmentum non perveniet, sed si quid habet, hoc ipsum perdet, unde dicitur talibus per increpationem illud Nasonis: Militię species amor est, discedite segnes. Ut autem aliquid exemplaris bonę vitæ novelli canonici habeant, dictarium quoddam breve hic adnotavimus, quod nihilominus in aliis devotis libris, & authenticis regulis plenius reperitur. Protestamur quoque nullum præjudicium per hoc velle nos offerre aliis diversis vivendi modis perfectioribus, quasi securum esset ab altioris vitæ institutis, ac regula ad hæc minima descendere, sed his, qui adhuc instruendi sunt, ista quamvis exigua obesse non putamus.

De dilectione Dei, & proximi.

CAP. XXVI.

IN primis igitur, secundum consilium beati Augustini, diligatur Dominus Deus super omnia, & proximus infra Deum, & ad Deum, & propter Deum. Et ex ista dilectione, & propter conservandam, & augendam hanc dilectionem omnia alia exercitia fiant tàm spiritualia, quàm corporalia. Deinde, invocato divino auxilio, dicat hæc, aut similia verba in oratione: Domine, qui me ex nihilo creasti, & usque in hanc horam perduxisti, tibi gratias ago, rogans, ut omnia præterita peccata mea deleas, & deinceps à peccatis præserves, ut reliquum tempus vitæ meæ tibi valeam plenè dedicare.

De confessione.

CAP. XXVII.

ET quia, teste Augustino, initium bonorum est confessio malorum; ideo quilibet placere Deo cupiens, studeat diligenter ad minus semel præteritam vitam discutere, & omnia integrè confiteri, de quibus eum conscientia remordet, quatenus securitate adepta anima quietior existat. Quod si ex toto una vice non possit se plenè recolligere, tunc paulatim potest hoc supplere per tempus subsequens, donec serenitas oriatur in corde.

De proposito observandi formam vivendi conceptam.

CAP. XXVIII.

SÆpe igitur concepta potest hanc professionem facere in oratione sua. Misericordissime Domine, suscipe me ad gratiam tuam, & à malis universis pręserva, ut bonum propositum, quod dedisti, usque in finem meritoriè valeam perducere.

Propono namque hanc vivendi formam observare, quantum infirmitas mea mihi permittit, quatenus juxta consilium sanctorum patrum, in statu gratiæ tuę jugiter inveniar, sive dormiam, sive vigilem, sive comedam, sive bibam, sive laborem, sive quiescam, sive aliud quodcumque faciam: ita tamen quod si hunc vivendi modum in parte, vel in toto dimittam, non volo alicujus criminis esse reus apud te, sed liberè facere, & liberè dimittere, prout placet. Si autem vult se voto obligare, tunc potest sic dicere: Promitto tibi, Domine, quod sic; & sic volo tibi servire per hunc annum, vel duos, vel tres, vel omnibus diebus vitæ meæ, donec aliud melius inspires, &c. sed hoc ego non consulo, quod hujusmodi votum leviter emittat, nisi cum magna deliberatione, & pręvia experientia, quia quamvis sit maximè meritorium, tamen in libertate ista, qua communiter ecclesiastici nunc vivunt, exceptis religiosis, vix est possibile, quod continuè unus modus vivendi à quoquam possit servari, sicut apud religiosos fieri solet. Verum faciat unusquisque juxta gratiam sibi desuper datam. Qui parcè seminat, parcè & metet. Convertat se etiam toto corde ad beatam Virginem, & ad proprium angelum, & ad alios sanctos, ad quos eum devotio magis inclinat pro implorando auxilio contra spirituales nequitias: quia quando antiquus hostis percipit, quod aliquis vult sibi à peccatis cavere, & ad Deum se convertere, tunc fraudes multiplicat: sed qui in Domino sperat, cuncta superat.

Qua hora surgendum sit.

CAP. XXIX.

SOlicitudo quinta, quam habere debet homo bonæ voluntatis juxta propositum nostrum, hoc est, ut secundum apostolicam doctrinam per singulos dies exhibeat corpus suum hostiam viventem, beneplacitum, rationabile obsequium suum, ut sicut servivit prius peccatis in immunditiam, sic jam studeat servire justitiæ in sanctificationem: ad Dei ergo gloriam taliter potest se instituere, quod sic dormitum eat de sero, ut evigilare assuescat de mane hora tertia, & surgens aliquid boni meditetur, videlicet de futuro judicio, quomodo tunc omnes evigilaturi sumus. Deinde vestiendo se potest aliquid boni legere, Psalmum: Quid multiplicati sunt, &c. aut aliud, quod placet. Et si aliqua illusione se meminit pollutum, percutiat pectus suum cum proposito confitendi, aspergendo se aqua benedicta, & sic ad oratorium vadat, & debitum suum solvat, sicut melius potest.

De Horis beatæ Virginis.

CAP. XXX.

SOlent communiter devoti ecclesiastici permiscere horas beatæ virginis Mariæ horis canonicis singulas singulis. Persolutis ergo matutinis de beata Maria virgine, si aliquod tempus habet ante pulsum matutinarum tempore, potest se spiritualiter occupare in bonis meditationibus, de passione Domini, qualem noctem agnus ille mansuetus pro nobis pertulit, &c.

De pulsu ad Matutinas.

CAP. XXXI.

CUm autem ad chorum pulsatur, statim exeat venerabiliter cum omni gravitate, & alacritate, ne cum ultimis veniat.

Quo modo homo se habere debeat in ingressu Ecclesiæ, & chori.

CAP. XXXII.

INtrando ecclesiam se humiliet, quantum potest, dicens cum publicano: Domine, propitius esto mihi peccatori. Non sum dignus accedere. Et sic accedat reverenter inclinando se ad altare, & crucifixum, & maximè ad venerabile sacramentum. Tandem ad stallum suum veniens, cogitet, quare venerit, & consideret, quod ad nihil aliud, quàm ut in conspectu sanctorum angelorum psallat Domino. Et ergo fabulationes omnino vitet, & signa ludicra, totusque sit intentus his, quæ tunc cantantur, aut leguntur. Et memor esse debet, quod non solùm debitor est ad verba distinctè pronuncianda, vel audienda, sed etiam tenetur facere debitam diligentiam, & adevertentiam eorum, quæ proferuntur.

De

A

De distractione mentis.

CAPUT XXXIII.

INsuper & præcavere debet, ne distrahatur, ita quod totum propositum suum sit, velle totaliter se occupare cum divinis, &, si tunc distractio intervenerit, excusatur. Et quàm citò deprehendit se alienatum, statim recurrat toties quoties. Finitis matutinis, gratias agat Deo, adscribendo ei, si quid benefecerit, & de negligentiis veniam petat. Et si tempus patitur, potest domum ire pro necessitatibus suis, semper illud observando, ut silentium servet, donec missam celebraverit, vel audierit, nisi fortè loquendo pauca verba pro necessitate occurrente, vel utilitate.

B

De Prima.

CAPUT XXXIV.

ET deinde legat Primam de beata Maria, præparando se ad Primam diei in Ecclesia persolvendam, sicut supra de Matutinis. Si verò tunc capitulum tenetur, diligenter se observet, ne in verbis excedat, semper invocando Spiritum sanctum, quia aliàs ibi citiùs peccatur, quàm aliquod bonum agatur. Si tamen aliquid apertè contra Deum, & justitiam, & fraternam charitatem ibi dicitur, tunc benignè pro suo interesse, dicat, sibi talia non placere, dando rationem suaviter, ne alii scandalizentur.

C

Quomodò Canonicus in Capitulo se habere debeat.

CAPUT XXXV.

ET est notandum, quod diabolus maximè nititur in capitulis furorem suscitare, ut Missas subsequentes impedire possit. Quare videtur, quod negotia contentiosa alio tempore tractentur, ne devotio celebrantium impediatur. Post capitulum, si potest habere confessorem, libenter confiteatur.

De præparatione ad Missam.

D

CAPUT XXXVI.

DEinde ad Missam se præparent, sive celebrandam, sive audiendam, prout secum dispositum fuerit. Et si celebraturus est, aut communicaturus, tunc, inquantum potest, oblivíscatur omnium præteritorum, & ad devotionem summo studio applicet, ut dignum est, quatenus tanti sacramenti fructus Deo sibi propitio efficaciter percipere mereatur. Sunt prætereà diversorum patrum scripta de venerabili Sacramento, & Missæ celebratione, quodcunque magis convenit, hoc eligat.

De Tertia, Sexta, & Nona.

E

CAPUT XXXVII.

AD Tertiam, ad Sextam, & ad Nonam, deinde juxta ritum Ecclesiæ suæ similiter præparet se, sicut jam dictum est de Prima. Nec opus est hìc plura documenta apponere pro viris maturis, quæ, & qualia pueris in scholis proponuntur, ne dominis venerabilibus injuriam facere videamur. Sufficit meminisse illius Ambrosiani, hoc est, pulchritudinem vivendi tenere convenientiam cuique sexui, & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodatus, & illius Augustini. In omnibus motibus nostris nil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem.

De sobrietate prandii, & benedictione mensæ.

CAPUT XXXVIII.

DEmum finitis divinis, quandò prandendi tempus advenit, cum omni sobrietate, & gratitudine cibum sumat, semper *Benedicite* præmittendo flexis genibus, vel reverenter stando. Eleemosynam aliquam corporalem (si facultas adest) faciat, similiter & spiritualem, scilicet: *De profundis*, cum collecta pro animabus in purgatorio detentis. Similiter pro afflictis, & tribulatis aliquid potest breviter mente tractare, prout Dominus dederit.

De modo in comedendo.

CAPUT XXXIX.

MOdum in comedendo teneat, quem B. Bernard. describit, ut scilicet tractim cibum, & potum sumat, singulos morsellos benè masticando, quia tunc dulcius sapit, nutrit melius, & digeritur salubrius. Omnino memor sit sanctorum angelorum præsentiam adesse, in quorum conspectu reverenter se habere debet.

De lectione in mensa.

CAPUT XL.

FAciat etiam sibi aliquid legi de divina scriptura, ut non sola fauce corporalem cibum sumat, & mens suo ferculo fraudetur. Si verò lectorem non habet, tunc ponat librum ante se, &, quantum potest, legat pro habenda memoria spiritualium.

De conviviis.

CAPUT XLI.

COnvivia, & hospites, & nundinas, & dedicationes, & concursus hominum studeat evitare, quia teste beato Hieronymo: Sunt quasi quędam cathenæ voluptatis, & qui talia diligit, Christo displicet: Si tamen hospites pauperes, aut religiosos habuerit, aut viros boni testimonii, qui eum à bono proposito non retrahant, laudabile est.

De aliqua abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis.

CAPUT XLII.

TEr in qualibet septimana Ecclesiæ, jejuniis exceptis, à carnibus potest abstinere. Item sextis feriis à lacticiniis, & ovis abstineat, nisi infirmitas, aut alia causa rationabilis obsistat.

De gratiis facto prandio dicendis, & de dolendo propter excessum in cibo, vel potu.

CAPUT XLIII.

FActo prandio, gratias dicat, simul dolendo, si in modo à mensura excessit, quia secundum sententiam D. Augustini, Raro potest debita mensura servari. Ait enim: certo quotidiè adversus manducandi concupiscentiam, & bibendi, & quis est, qui non rapitur aliquantulum extra metas necessitatis?

De

De dormiendo post prandium.

CAPUT XLIV.

DEinde potest pro recreatione, quasi spatiando, transire sine magno motu, quia hoc est sanum. Ecclesiastici enim, qui volunt solicitè suum officium exercere, non habent tempus pro grossis operibus faciendis. Et ergo debent se diligentiùs regere in dietis quotidianis, ne in divino officio inhabiles fiant. Post hæc, si naturæ suæ convenit, potest parum quiescere, & maximè in æstate, ne caput gravetur.

Quid faciendum sit post dormitionem, vel spatiationem usque ad vesperas.

CAPUT XLV.

REliquum tempus usque ad vesperas potest liberè expendere, sicut placet, videlicet scribendo, legendo, carpentando, aut in hortulo aliqua plantando, sive cum familia colloquendo de cura rei familiaris, & necessariis domus, semper illud observando, ne cor nimium elongetur à Deo, quia aliàs difficulter redibit in pristinam devotionem. Si autem sentit se gravatum, tunc potest honesta colloquia, & solatia admittere, sicut supra dictum est: cum autem vespertinum tempus advenerit, tunc præparet se, sicut dictum est de aliis horis. Similiter de completoriis suo modo juxta ritum, & morem Ecclesiæ suæ, &c.

De cœna.

CAPUT XLVI.

DEnique, si cœnandum est, procedat, sicut dictum est de prandio.

De collatione, quandò jejunatur.

CAPUT XLVII.

SI verò jejunium extiterit, tunc secundum consuetudinem potest aliquid parum gustare, sive de speciebus, sive torta cum potu competenti.

Quod sobria sit cœna.

CAPUT XLVIII.

SEmper tamen observandum est, quod cœna frugalis sit, & sobria, alioquin multa inconvenientia sentiet. Mirum est dicere, quomodò nonnulli de eleemosynis pauperum ventrem replent, ultra quam digerere possunt. Quod si gratis hujusmodi deliciæ darentur, fortè simplex malum esset, scilicet corporis debilitatio. Nunc autem animæ gravamen accrescit, pro eo, quod vix aliquis potest satisfacere pro eleemosynis, etiam si tantum extremum victum, & vestitum inde susciperet. Quid ergo de jactura hac tàm grandi tot epularum, & deliciarum? De hac sunt horrendæ sententiæ B. Hieronymi, & Bernardi: Verùm E quilibet onus suum portabit.

Quod quidam post cœnam non loquuntur.

CAPUT XLIX.

COmpleto denique die quorumdam mos est, quod nihil post cœnam loquantur, sed ad oratorium festinant pro exercitiis spiritualibus, & hoc videtur satis perfectum, nec omnibus datum est, qui potest facere, faciat.

A

Non est inconveniens post cœnam cum familia honestè recreari.

CAPUT L.

SI autem honestè recreari voluerit cum familia, non est inconveniens.

Antequam ad lectum se ponat homo, colligat, quomodò diem expenderit, & de negligentiis veniam petat.

CAPUT LI.

B QUo facto, antequam lectum petat, diligenter se recolligat, quomodò diem expenderit, de negligentiis veniam petendo, & si aliqua notabilia peccata (licèt venialia) inveniat se admisisse, diligenter adscribat, ne obliviscatur, ut in crastinum ea confiteatur. De benè autem gestis gratias agat, simul rogans Deum, ut futuram noctem sibi salubrem, & in puritate, & castitate, & sine omni dæmonum infestatione periculosa transire concedat, quatenus iterum manè surgens, denuò ipsum cum omnibus sanctis laudare mereatur.

Jacens in lecto aliquid boni cogitet, donec obdormiat.

CAPUT LII.

C

JAcens etiam aliquid boni studeat cogitare, donec simul cum sancta cogitatione obdormiat.

De perseverantia in bono.

CAPUT LIII.

SOlicitudo sexta timorati viri juxta formulam illam esse debet, pro perseverantia in bono, quod incœpit, secundum illud Salvatoris: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde dicit B. Gregorius: Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui, priusquam ad metam venerit, deficit. Variis namque modis nititur antiquus hostis quemlibet impedire, D ne bonum inchoet, sed multò amplius, ne inchoata consummet, sciens, quod sola perseverantia coronam meretur.

Vitandæ sunt occasiones recidivandi.

CAPUT LIV.

HInc apud religiosos (qui in schola virtutum quotidie versantur) pœnaliter inhibentur omnes occasiones recidivandi, scilicet, quod non debent cum personis secularibus conversari, etiam sub prætextu pietatis, quòd non debent egredi sine notabili causa fores monasterii. Insuper & voluntariè magnas pœnas sibi imponunt, si hęc, & alia transgrediantur. Professionem etiam solemnem faciunt in conspectu Ecclesiæ pro quadam conformatione omnium, quæ in regula traduntur; quatenus universi sciant, eos debitores omnium, quæ in ea scripta sunt. Ecce quàm suspecti sunt habendi, qui contrarium docere volunt, quod scilicet observantię regulares sint minus perfectę, propterea quia necessariè cogant ad bonum: non enim vident, quàm sit prona humana infirmitas ad malum, etiam post votum. Sancti namq; patres multiplici experientia edocti, hujusmodi regulas, & statuta pœnalia ex instinctu Spiritus sancti ediderunt, ne filii eorum deinceps occasionem invenirēt redeundi ad vomitum. Unde dicit B. Hieronymus: Principium spiritualis operis, si non sit matura provisio, solet subsequi quod-

dam

dam carnale. Dei templa Spiritus sancti vasa, nisi diligenti serventur custodia, prostibula fiunt.

De tentationibus.

CAPUT LV.

HÆc quia ita sunt, summopere timendum est sæpe dictis canonicis, aut vicariis, ne ab initio decipiantur propter vitæ libertatem. Tanto enim plures occasiones habet diabolus eos tentandi, quanto sunt magis indifferentes ad omnia. Si tanto periculo dimicant cum eo boni religiosi, qui summa custodia sunt præmuniti, quid putamus laboris habebunt, qui penè soli sunt cum eo conflicturi? Verum non ista dicimus, quasi soli religiosi securi sint, & alii non, cum scriptum sit: Fidelis Deus, qui non permittit suos tentari, ultra quam sufferre possunt. Sed ad avisandum de magnitudine periculi, quia revera, ut cætera taceamus, plurimos vidimus dejectos astutia serpentis, quos bonum nimium spectabiles reddebat. Nec mirum, qui enim (ut plerumque accidit) de via peccatorum convertitur ad statum pœnitentiæ, nec in schola virtutum exercetur, nec magistros idoneos habet: aut si habet, non omnino perfectè eos audit, & quotidie tot scandala, & exempla mala ante oculos cernit, totque circumvolantes spirituales nequitias patitur. Quid, inquam, mirum, si talis faciliter relabitur in id, quod deseruit? Multa igitur solicitudine opus est pro perseverantiæ dono. Quicunque igitur præscriptam formulam, aut aliam tenere voluerit, non putet id se suis viribus posse, quantumcumque etiam facilis appareat, sed ad Dominum jugiter clamet, ut ipse det bonum initium, melius medium, & optimum finem: &, si gratia arriserit, semper sit pavidus, ne eam amittat.

Cùm anima fugere incipit ad Jesum, statim irasci, & sævire incipit inimicus.

CAPUT LVI.

QUià teste Augustino: Magnum est donum, quando delectat bonum, alioquin nisi divina misericordia jugum alleviaverit, importabile esset. Unde Origines: Antequam sermo Dei audiatur, non est tentatio, vel tribulatio, sed ubi signum belli prædicationis tuba ostendit, tribulationum pugna insurgit. Hoc autem quare sit, dicit B. Augustinus: Quia cum anima incipit confugere ad Jesum, statim contra eam irasci, & sævire incipit inimicus. At ubi anima, quæ vitiis serviebat, ad culmina virtutum se contulerit, persecutionem patitur vitiorum. Hinc scriptum est: Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Verumtamen iste timor, & labor non sine gaudio est, sicut B. Jacobus dicit.

Adhuc de tentationibus.

CAPUT LVII.

OMne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. Hinc Heronymus ait: Nullum puto in hac vita sine tentatione vivere, cui forte si una tollitur, mox aliam securius expectet. Hoc autem debet esse consolatorium universis, qui tentationibus exercentur, quod dicit beatus Gregorius: Hostis noster quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit. Et illud Augustini: Non est major tentatio, quàm nulla tentatione pulsari. Hinc dicit sanctus Thomas notabile verbum: multi graviter reciderunt in adversis, sed multo plures, & multo gravius

A ceciderunt in prosperis, eo quod tentatio quandoque sentitur in adversitate, sed raro in prosperitate. Verbi gratia: Cum aliquis increpatur, affligitur in corpore, molestatur in rebus, vel amicis, sentitur tentatio, sive motus impatientiæ, indignationis, vel odii. Cum verò diligitur, laudatur, honoratur, tunc sentitur extollentia, & inordinata mentis delectatio, nec attendit miser homo, quantum sibi placeat indebitè, qui aliis placere se credit. Et quanto minus, & rarius sentitur tentatio, tanto minus, & rarius, & tanto difficilius tentationi resistitur, quare etiam homo facilius vincitur.

De fraterna correctione, & emendatione per bona exempla, & bonas exhortationes.

CAPUT LVIII.

B SOlicitudo septima boni viri, & præcipuè illius, qui in sacris ordinibus constitutus est, esse debet pro salute aliorum, ut scilicet suo bono exemplo, & exhortatione alios à peccatis trahat, & ad bonam vitam ducat, & præcipuè illos, qui ei commissi sunt, aut quibuscum vivit. Hoc namque est maximè meritorium, simul & justum. Quia qui aliquando pravo exemplo, aut fortè negligentia sua aliis fuit causa damnationis, jam studere utique debet, ut aliquos rapiat de faucibus inimici, & ad ovile Christi perducat. De hoc sic dicit B. Augustinus: Non tantum curemus habere bonam conscientiam, sed etiam bonam famam, quantum in nobis est, propter exem-
C plum aliorum. Item Gregorius: Qui in occulto benè vivit, sed alieno profectui minimè proficit, carbo est. Qui verò in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis in se multis demonstrat, lampas est, quia & sibi ardet, & aliis lucet. Hæc autem emendatio non securè fit, nisi prævia oratione, & cum omni compassione, & in mansuetudine. Juxta illud Psalmi: corripiet me justus in misericordia, & increpabit me.

Item: Quoniam superveniet mansuetudo, & corripiemur. Correctio tamen Prælatorum requirit alium modum nonnunquam propter circumstantias occurrentes. Sed simplex clericus, aut presbyter, nihil debet ultra facere, quàm Apostolus dicit, ut sci-
D licet procedat in spiritu lenitatis, seipsum considerando humiliter, ne in superbiam elevetur, & corruat. Potest autem sic, aut aliter dicere: Miror satis de meipso, quod non amplius studeo emendare vitam, cum quotidiè video mortem appropinquare, & cum nescio, quando responsurus sum tremendo judici, de singulis, quæ feci, aut cogitavi. Hæc, & similia solent provocare nonnullos ad compunctionem. Quod si nullum compunctionis signum ostendunt, tunc si piè eos vult admonere, potest sic, aut similiter dicere: Bone amice, si velletis, libenter dicerem vobis aliqua, quæ in corde meo diu portavi. Et tunc proponat ei, in quibus est defectuosus, semper benignè, quia aliter non recipiet, si iracundus, & indignabundus emendator apparet. Verum,
E quia sunt quidam, qui hujusmodi præludia non possunt sufferre, sed magis rotundo modo volunt alloqui, sed nescio, si in spiritualibus deserviat, scio, quod taliter solent loqui: Ego sum simplex, & planus, non possum me ita sapienter habere, &c. Sed consideret vir sensatus, quàm sint proni ad iram, si defectus eorum rotundo modo proferantur. Dicunt quidam se libenter recepturos informationem, & idipsum petunt, sed cum res ad effectum venerit, inflammantur, irascuntur, & nonnunquam pejores fiunt, quàm ante fuerunt. Modestia igitur est in talibus magis congrua, quamvis aliter quidam putant procedendum, verum, quomodocumque procedatur, dum frater emendetur, satis est. Dixit quidam venerabilis pater in eremo: Dæmon non expellit

dæmonem, sic vir passionatus non curat passionatum. De hac autem materia sunt multa dicta sanctorum patrum, quæ hoc unanimiter concludunt, quod fraterna correctio securè fieri non potest, nisi multa discretione sit salita. Et sicut nemo leviter prorumpere debet in propriam laudem, sic nec in aliorum correctionem, quia alios rectè increpare, & se dignè laudare difficillimum est apud imperfectos.

Mandatũ Episc. Hildesemensis de hac formula.

FOrmulam hanc vivendi Deo dicatis viris, & clericis secularibus in cujusdam non postremi nominis Bibliotheca satis opportunè repertam, synodalibus his nostris statutis subnectere, nec inconsultum, nec ab re videbatur, tanquam nostro negotio, quod agimus, in longo tempore divexata Ecclesia nostra Hildesemen. reparanda, non usque adeo dissimilem, & aliàs nec absurdam, nec ineptam, quandoquidem eandem, & ab sanctis patribus, tùm ad Dei gloriam, tùm pro salute animarum studiosè cultam, maximoque pretio habitam cognovimus. Atque ô si ab illis in hunc diem eisdem hujus formulæ legibus ita inhæsum, atque invigilatum extitisset (ut merito debebat) quantum ab illis divagatum, declinatumque est, proculdubio status Ecclesiasticus multo melius audiret, longeque prius, atque felicius res ejus omnes haberentur, quàm dum ita incertis legibus pro suo arbitrio quisque præter decorum status sui & vivit, & degit. Cæterum cùm modernus secularium canonicorum status sit animarum periculis plenus, & à statu gratiæ plurimum elongatus, ideo valde consultum esse videtur, unicuique seculari canonico desideranti in ea vocatione, qua vocatus est (hoc est in Ecclesia illa, in qua præbendatus est permanere, & animam suam salvam facere) ut supra dictam vivendi formulam diligenter attendat, ac juxta possibilitatem suam ad practicam ponat, & observet. Est enim debito sæcularium canonicorum statui prout præsentis patitur qualitas temporis optimè conveniens. Porro etiam cæteri seculares clerici, præcipuè vicarii, aliique presbyteri, & in sacris constituti, eandem regulam, vel formulam animadvertant. Nam & ipsi in ea modum vivendi sibi congruum descriptum habent.

Plura decreta synodalia R.P. Lud. Guiliard Episcop. Carnotensis reperiuntur ab anno 1538. ad annum 1642. ut inter plura alia, anno 1538. quod curati non recipiant decanos rurales in sua visitatione, nisi constiterit eis de ipsorum receptione, & juramenti præstatione: anno 1540. quod simplices sacerdotes nihil sibi juris, & authoritatis assumant in præjudicium curatorum. Item quod magistri scholarum per Parochias constituti instruant pueros in Grammatica, & rudimentis fidei secundum traditionem Gersonis, aut alterius catholici, & probati auctoris; de materia autem Theologica non se intromittant, nec de exponendis scripturis, nisi grammaticaliter. Item anno 1541. ut absolutus quis in forma Ecclesiæ censeatur, promittat in manibus sacerdotis absolvere parati, quod parebit mandatis Ecclesiæ, & satisfaciet per se de re, pro qua fuit excommunicatus, si ad sanitatem redierit: vel per hæredes, & amicos, si in infirmitate illa moriatur.

Item an. 1542. curati moneant nominatim, & tertio Parochianos suos, qui sunt de statu plebeiorum, seu mechanicorum, ne cum longis barbis ad Ecclesiam Parochialem in die paschatis accedant. Et si hujusmodi monitionem contempserint, ad sacrosanctæ Eucharistiæ communionem non recipiantur.

Ne qui etiam curati Parochiales aliquem citent ex officio ad comparendum personaliter sine authentico citatorio super hoc decreto, nisi in casibus per statuta synodalia eisdem permissis.

Caveant rectores Ecclesiarum, ne, dum Pronum faciunt, aliquid incautè, aut stultè proferant; nec notent quemquam nominatim, aut scandalizent: sed
A utantur verbis modestis, & discretis, per quæ auditores à malo retrahantur, & boni meliores fiant.

Cum ad nos, & prædecessores nostros Episcopos Carnotenses *solum, & insolidum pertinuerit, & pertineat*, permissa sit, & reservata, *inferioribus autem interdicta facultas dispensandi in nostra diœcesi super juramento in contractu præstito*: Hinc est, quod nos errori aliter existimantium, & periculo animarum subditorum nostrorum occurrere cupientes, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, Abbatibus, Archidiaconis, & eorum loca tenentibus inhibemus, *ne ipsi cum quibuscumque in civitate, & diœcesi Carnotensi commorantibus dispensationes super hujusmodi juramentis decernere, seu expedire præsumant, cum non valeant, & ipsis subditis nostris ne aliun-*
B *de, quàm ab Episcopali sede hujusmodi dispensationes requirant*, salva tamen sedis Apostolicæ authoritate.

Ut ordinandi ad sacros à nobis inveniantur benè instructi in lege Dei, & mandatis Ecclesiæ; curati eorum per se, aut per magistrum scholarum Parochiæ talibus ordinandis legere, & intelligere faciant tripartitum opus Gersonis.

Statutum Concilii generalis: omnis utriusque sexus, de morientibus, qui debent carere Ecclesiastica sepultura, nisi saltem semel in anno peccata fideliter confessi fuerint proprio sacerdoti, observetur.

Nota. Opusculum istud tripartitum de præceptis decalogi, de confessione, & arte moriendi primum vulgari idiomate Gallico à Joanne Gersone Doctore, ac Can-
C cellario Facultatis Parisiensis conscriptum, & deinde ab aliquo barbarè omnino in latinam linguam translatum pro conditione temporis, cum ante restitutam latinæ linguæ elegantiam, parum tersè, & nitidè loqui, ac scribere solerent latinæ linguæ addicti. Sic orditur istud opusculum.

Christianitati suus qualiscumque zelator prosperum ad virtutes vitiis depulsis incrementum. Salubre dixi sequens opusculum tripartitum, de præceptis, de confessione, de scientia mortis, brevitate, qua potui, tradere, quatuor præsertim Christianorum generibus profuturum.

1. Sacerdotibus, & curatis illiteratis, atque simplicibus, qui confessiones audire debent.

2. Indoctis quibuscumque personis sæcularibus,
D aut religiosis, quæ Ecclesiæ solitis sermonibus, aut prædicationibus pro divinorum notitia interesse non possunt.

3. Pueris, & juvenibus, qui à rudimentis infantiæ circa fidei nostræ generalem tenorem, & principalia puncta primitus debent erudiri.

4. Personis domos Dei, & Hospitalia loca frequentantibus, & infirmorum sollicitudinem gerentibus.

Ex quibus intelligi potest utilitas hujus libri, & cur ita commendetur à Synodo hac Carnotensi; nec dubium, quin tales libri à vetustioribus editi fructum multum in Ecclesia afferrent; sed novis quotidie è prælo supervenientibus libris, multa volumina ab egregiis, & summi ingenii, atque sapientiæ viris con-
E scripta sic negliguntur, ut vix nudo nomine cognoscantur. Vide, quæ dedimus inter Concilia Mediolanensia.

ACTA, ET STATUTA SYNODI diœcesanæ Augustensis, Reverendiss. in Christo patre, & illustriss. principe, & domino, Dn. Otthone S. R. Ecclesiæ, TT. sanctæ Balbinæ Presbytero Cardinale, & Episcopo Augustano præsidente, ad diem 12. Novembris anni 1548. convocatæ, & continuo triduo celebratæ.

REverendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps, & Dominus, Dominus Ottho S. Rom. Ecclesiæ TT. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis,

nalis,& Episcopus Augustanus, memor communis Ecclesiasticorum sacri Romani Imperii statuum consensus, invictissimo, & potentissimo Principi Carolo V. Rom. Imp. maximo, in proximis comitiis Augustanis de reformandis cleri, & populi moribus, deformitatibusque Ecclesiarum tollendis, præstiti, etsi calamitatum superiorum reliquiis sanandis apprimè distractus, summo tamen studio, atque labore adnisus est, ut & Cæsareæ majestati (cui hanc synodorum congregandarum facultatem, Germanorum Ecclesiæ, veluti olim Constantino Imperatori totus ferè orbis acceptam ferunt) satisfaceret,& quod muneris sui esset, pro viribus adimpleret.

Calendis igitur Octobris postquam Albigoniam subalpinam Ecclesiæ suæ ditionem proximo biennio miserè afflictam, præsentia sua consolari, consilio, liberalitate, jureque dicundo juvare, atque paterna sane cura, & pietate lustrare cœpisset, è Fuessa oppido Epistolas citatorias ad Abbates, præpositos, decanosque tàm Collegiales, quàm rurales suæ diœcesis misit.

Quibus, ut in pauca conferantur, sanctorum patrum decretis, & Basileensis Concilii authoritate in memoriam revocata, sacrique Romani Imperii Electorum, principum, & statuum Ecclesiasticorum de convocandis synodis consensione commemorata imperat, eosque in Domino hortatur, ut ad diem 12. Novembris in oppido Dilinga synodi initio, finique adesse velint, in primisque dent operam singuli, ut citationes hujusmodi in capitulis suis ad hoc convocatis publicentur, ipsaque capitula, seu Collegia Abbatibus, præpositis, decanis, aut aliis horum loco comparituris, instrumento publico, cujus formulæ singulæ singulis citationibus additæ fuerunt, potestatem faciant, ut eorum etiam voluntate, atque nomine synodi hujus statuta, quatenus ea ad quosque pertinerent, approbare, atque ipsos observaturos profiteri legitimè possint. Missa præterea fuerint citatis omnibus exempla formulæ Cæsareanæ reformationis, mandatumque omnibus, ut eam diligenter expenderent, atque, si quid ex temporum, locorum, aut personarum occasione, usu, vel necessitate, addendum, moderandumve ipsi judicassent, ad synodum referrent, & cùm suas, tùm Collegiorum, aut capitulorum suorum sententias inter consultandum explicarent.

Ad tempus igitur præscriptum advenere Abbates, Præpositi, Decani, & Camerarii quamplurimi, quorum multi veluti ex captivitate respirantes, præclaram animi magnitudinem ad domum Dei ædificandam afferre videbantur. Qui remanserunt, partim privilegiis Pontificum ab Ordinarii jurisdictione exemptos se esse asseruerunt, partim Prophani magistratus imperio retenti sunt, nonnullos libertatis amor, conscientiaque perturbatæ à se religionis obedientiæ jugo subtraxit.

Acta primæ Diei synodi.

Hora autem septima antemeridiana diei Novembris duodecimæ, Reverendis. dominus Cardinalis, Reverendi domini Marcus Avunculus Episcopus Nazianzenus, & reliqui Abbates jus Pontificiorum ornamentorum habentes, cum baculis pastoralibus, mitris, & reliquo habitu Pontificali, cæteri verò Præpositi, Canonici, Decani, Presbyteri, & Clerici, suis quique vestimentis Ecclesiasticis insignes, in Ecclesia Dilingensi Parochiali frequentes convenerunt. Unde re sacra de Sancto Spiritu à Romano Cardinale summa omnium devotione peracta, ordine cuncti, binique ad arcem Dilingensem processerunt, idque ea de causa, quod Ecclesia Parochialis rei tantæ gerendæ minimè idonea, tantæque multitudinis capax non esset.

In arce verò aula superior amplissima est, in cujus capite altare intra cancellos decentissimè ornatum extitit, pro cancellis, Romani Cardinalis subsellium, Nazianzeni Episcopi, & aliquot Ecclesiæ suæ Cathedralis ad hoc deputatorum Canonicorum sedibus utrinque clausum. Ad utrumque aulæ latus, qua in longitudinem patet, triplex scamnorum ordo, in ima verò aula, transversa scamna multa, omniaque stragulis operta, atque inter se ita disposita, ut ambitus, transitusque liber undequaque esset.

Porro cum ex dignioribus suum quisque locum occupasset, cæteri in reliquis sedibus assedissent, aut in spatiis intermediis constitissent, Synodales orationes, sacræ laudes, atque preces omnes, ex libri Pontificalis præscripto ordine inceptæ, atque absolutæ fuerunt. *Pontificalis liber.*

Deinde reverendus dominus Martinus de Olane Theologus, Hispanus, & Cæsareæ majestatis Sacellanus orationem habuit ad synodum de horum temporum statu, de Officio pastorum, & cleri, moribusque omnium in melius reformandis, atque disciplina Ecclesiastica restituenda, tanta eruditione, & eloquentia excultam, ut universæ synodo fuerit & ornamento, & admirationi.

Ea finita Reverendis. Cardinalis causas synodi hujus convocandæ paucis explicavit; summaque & dignitate, & gravitate universos ad rem præsentem in recessus animi interiores revocandam, synodique totius negocium æquis animis, ab omnique deteriore affectu semotis, tractandum cohortatus est, atque postremo se ipsum quoque obtulit synodi judicio emendandum, rogavitque omnes ex animo, ut in vita, moribusque suis corrigendis monitores esse velint, iis se, & libenti, & grato animo obtemperaturum. *Archiep. offert se emendandum in synodo.*

His dictis Joannes Albertus Vvidmanstetter ord. S. Jacobi Lusitani frater militaris, & dominationis suæ Reverend. Cancellarius, nonnulla, quæ ad præsentem actionem pertinere videbantur, præfatus, Cæsareæ majest. formulam in Comitiis Augustensibus, ut dictum supra fuit, propositam, clara voce, continuaque lectione recitavit.

Absoluta ejus lectione, quoniam dies à meridie ad horam primam inclinabat, jussi sunt à Romano Cardinale omnes dimissis ornamentis, & habitibus ad cœnaculum, quod aulæ synodali substructum est, eademque amplitudine patens, divertere, quo eos ad recreanda prandio corpora cum benedictione dimisit.

Hora pomeridiana tertia convenerunt in eadem aula omnes, ubi Reverendissimi Cardinalis jussu Cancellarius synodum allocutus est in hanc ferè sententiam: Proculdubio intellexisse eos, memoriaque recenti adhuc retinere, in cujus nomine congregati sint, quid in sacris solemnibus à Deo Opt. Max. communibus votis postularint, quid non modo pastori, & Episcopo suo, sed & gregi sibi commisso quisque debeat, quanta doctrinæ, & vitæ ad patrum regulas conformandæ necessitas omnes ferè ordines Ecclesiasticos urgeat, quam habeant promptam Episcopi sui voluntatem ad prospiciendum sibi, & gregi, & demum, quod præcipuum tamen in hoc toto negotio, quanta pietate, diligentia, & fervore Cæsarea majestas, veluti navis Reip. discordiarum tempestatibus jactatæ prudentissimus gubernator, incolumitati omnium provisum cupiat, cujus rei singulare è multis exemplum sit, quod Reformationis Ecclesiasticæ formulam, antiquorum patrum rationi, disciplinæque maximè consentaneam proposuerit, quam Ecclesiastici status in synodis celebrandis, ceu normam decretorum sequerentur. Eam igitur formulam, tanquam summam totius consultationis, dominationem suam Reverendis. quod factum hodie ante prandium sit, publicandam omnibus censuisse.

Quoniam verò dominationi suæ Reverendiss. dubium

bium non sit, quin pro suo quisque officio, ut jussus A fuerat, formulæ hujus capitula singula apud suos diligenter tractarit, atque de iis, quid in hac consultatione offerri oporteat, deliberarit, supervacuum sanè videri, ut singulorum sententiæ de singulis capitibus Cæsarianæ formulæ prius exquirantur, quàm statutorum inde excerpendorum ratio ineatur. Ut igitur compendio majore negotium hoc expediretur, dominationem suam Reverendissimam, formulam totam Reformationis, paucis omissis (quorum deliberatio, & cognitio pertinere ad superiores visa est) insertisque ex prioribus statutis nonnullis aliis in decretorum, seu statutorum synodalium speciem contraxisse, eumque, qui cùm in Pontificio jure, tùm in aliis Augustanæ Ecclesiæ synodalibus statutis servari consuevit, sequutum fuisse. B

Quibus dictis, Cancellarius statuta tenore continuo ad finem usque, ut sequuntur, prælegit.

Statuta Synodi Diœcesanæ Augustensis, 12. 13. & 14. Novembris anno M. D. xlviii. celebratæ.

De summa Trinitate, & fide Catholica.

CAPUT I.

QUum tota creationis universi ratio, atque redemptionis nostræ fundamentum, in summæ, individuæque Trinitatis recta, indubitataque fide consistat, & à redemptore nostro Jesu Christo per suos Apostolos C eorumque successores una fides Catholica in universum orbem, cujus primatus Romanæ sedi ex D. Petri Apostoli prærogativa jure tribuitur, derivata sit: Statuimus, atque omnibus prælatis, universo clero, & populo nostræ diœcesis mandamus, ut in sancta fide Catholica, quam divina clementia, & sanctissimorum hominum prædicatione secundum prædictæ sanctæ sedis puram, & incorruptam traditionem majores nostri ab initio acceperunt, constantes, firmique permaneant, eandem credant, observent, ac doceant, atque pastores oves, agnosque suæ curæ commissos in eadem fide orthodoxa pro cujusque captu erudiant, summoque studio confirment.

De Constitutionibus. D

CAPUT II.

SAcrorum Canonum, & Conciliorum decreta, & tàm Provinciales Maguntinæ sedis, quàm à nostris prædecessoribus, nobisque editas synodales constitutiones in universum, præcipuè verò eas, de quibus specialis mentio in sequentibus nostris statutis non habebitur, firmiter observari præcipimus, transgressores secundum canones ipsos, prædictasque constitutiones puniri decernentes.

Invictissimi etiam, Christianissimique Imperatoris Caroli quinti, cui Maximi cognomentum meritò tribuimus, constitutionem de Interreligione in comitiis Augustanis hoc anno editam, ea parte, qua ad status Catholicos pertinet, acceptamus, nostræque diœcesis subditis innovari decernimus, scilicet ut Ecclesiæ Ca- E tholicæ institutiones hactenus ab eis summa cum laude observatas, deinceps religiosè observent, teneantque constanter: nec se ab eis ullo modo avelli patiantur, aut omnino quicquam immutent: cæteros verò, qui novationes induxerunt, unà cum clementissimo Imperatore valde hoc ab eis, ac serio requirente, in Domino hortamur, ut ad Ecclesiam Catholicam accedentes in observatione constitutionum, & ceremoniarum Ecclesiæ Catholicæ per omnia nobiscum conveniant, & hisce nostris saluberrimis, & Catholicis statutis conforment.

Quin & formulam reformationis ab eadem Cæsarea majestate Ecclesiasticis statibus in iisdem Comitiis propositam, quam nos in his nostris synodalibus statutis sequi profitemur, omnibus nostræ diœcesis Ecclesiasticis personis crebro legendam, versandam, & sequendam proponimus.

Constitutiones quoque, & ordinationes à Reverendi domino Laurentio Campegio S. R. E. Cardinale, & sedis Apostolicæ per Germaniam legato, Ratisbonæ an. M. D. XXIV. editas, & publicatas, tanquam salutares, de Capituli nostri consilio, & assensu acceptamus, easque ab omnibus prælatis, presbyteris, & clericis nobis subjectis volumus observari.

Statuimus præterea, ut præsens libellus synodalium constitutionum nostrarum, in Ecclesia nostra Cathedrali, aliisque collegiatis, & monasteriis, quàm primum typis excusus fuerit, habeatur, & in choro, ut cuilibet accessus ad eum pateat, servetur. Decani quoque rurales, camerarii, plebani, capellani, cæterique Presbyteri nostræ diœcesis, privatim eum sibi comparent, frequenterque legant, ut quilque tàm repentinis, quàm indictis visitationibus, de his, quæ ad se pertinent, rationem reddere possit. Volumus etiam, ut Abbates, & præpositi, convocatis omnibus monachis, & canonicis regularibus, necnon Decani collegiatarum Ecclesiarum canonicis, Decani verò rurales, in capitulo suis confratribus accersitis, eadem statuta bis in anno ad verbum prælegant, aut prælegi curent. Si quis verò huic nostro mandato non obtemperaverit, à nobis, seu vicario nostro canonicè puniatur.

De electione.

CAPUT III.

APprobante Cathedralis Ecclesiæ nostræ venerabili capitulo, statuimus, & ordinamus, ut posthac ad Episcopatum Ecclesiæ Augustensis nullus nisi Presbyteratus ordine insignitus, aut qui se gradus, quos nondum habet, omnes statutis ordinationum temporibus, nulla interjecta mora, aut tergiversatione adepturum promiserit, eligatur, aut assumatur.

De renunciatione.

CAPUT IV.

AD Ecclesiasticas dignitates, animarum curas, aliaque beneficia ad nostram dispositionem, seu approbationem pertinentia, nullus post coadjutor, vel resignativus, nisi examinationis testimonio subnixus fuerit, à nobis, aut Vicario nostro in spiritualibus admittetur. Si qui verò per surreptionem, ejusmodi dignitatum, curarum, aut beneficiorum coadjutores, sive resignatarii successores in illis sine examinatione præscripta extiterint, amovebuntur.

De qualitate ordinandorum.

CAPUT V.

UT Catholica doctrina, atque disciplina Ecclesiastica melius conservetur, statuimus, atque ordinamus, ut ordinandi, super hæresibus hoc tempore jactatis, quid de illis, & contra quid de Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia sentiant, diligenti examinatione explorentur, deinde ut nullus ordinetur, nisi qui publicum à primario sacerdote, vel magistratu patriæ suæ, aut ejus loci, ubi majorem vitæ suæ partem exegerit, de vita ejus, & moribus probatis, testimonium litteris consignatum attulerit, qua in re primarii sacerdotis, seu magistratus, & testium conscientiam oneramus.

Ad

Ad hæc, ut ordinandi scientia explendis saltem Ecclesiæ ministeriis sufficiens, non titulis, sed diligenti constet examinatione.

Eandem quoque rationem in his, qui ad prælaturas admittendi, & ad Ecclesias parochiales provehendi sunt, volumus haberi, atque ad parochiales Ecclesias quenquam, nisi populum docere & velit, & sciat, nolumus admitti.

Postremo neminem ad prælaturas, aut Ecclesias Parochiales, sive per electionem sive, per inferiores collatores, aut patronos designatus fuerit, prius investiri, aut ad Ecclesiæ munera subeunda admitti debere, quàm examini satisfecerit, & vocationi suæ satisfacturum se pro viribus pollicitus fuerit, statuimus, atque mandamus.

Ætatem etiam ordinandorum secundum laudabilem Ecclesiæ nostræ morem, hactenus introductum, & servatum, deinceps quoque observari præcipimus.

Pro examinatione verò nullam ab his, qui à nobis deputati ad hoc fuerint, pecuniam exigi debere præcipimus, quod & hactenus in Ecclesia nostra factum fuisse compertum habemus.

Quod autem ad nostrum Episcopale Officium attinet, profitemur nos pro gratia, quam Altissimus largiri nobis dignatus fuerit, munus nostrum ritè, recteque tàm per nos, quàm per Vicarios, & cooperarios nostros executuros. Volumusque posthac ordinandorum examini, Paschali, Pentecostesque tempore Augustæ, reliquis verò anni temporibus consuetis in oppido nostro Dilinga celebrando, ipsi coram adesse, & præesse, ne & in hac parte in nobis quicquam desideretur.

De clericis peregrinis.

CAPUT VI.

IGnotos, atque vagos sacerdotes, & monachos, absque prælatorum suorum testimoniis, seu formatis, multoque minus suspectos de fide, aut flagitiosos sacerdotes, vel monachos, seu fratres fugitivos, ad concionandi, sacraque peragendi officium nusquam in nostra diœcesi admitti, nec peregrinos, & ignotos Presbyteros in consortio aliorum Presbyterorum tolerari, vel ad Missarum sacrificium, nisi sui ordinarii, è cujus diœcesi proximè discessit, litteras de eorum ordinibus, & honestate docentes ostenderint, & à nobis, vel nostro in spiritualibus Vicario admissorias habuerint, admitti debere præcipimus.

De officio Archidiaconi.

CAPUT VII.

QUos Græci Chorepiscopos, hoc est certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores, alii Archidiaconos, alii Archipresbyteros vocant, in nostra Ecclesia Cathedrali quoad certum districtum mœniis Augustanæ civitatis adjacentem, Archidiaconi, in reliqua verò diœcesi decanorum ruralium nomine censentur.

His igitur hoc statuto mandamus, ut hæc nostra placita, atque synodalia decreta curæ suæ parochis publicent, & exequantur, ut capitula sua ruralia, sicuti hactenus consuetum fuit, congregent, & servent, ad futuras synodos citati veniant, diligenter quoque invigilent, ut parochi subditos suos doceant, corrigant, & veluti pastores fideles in via Catholicæ doctrinæ ducant, ne irregularitate contracta ministrent, neve in foro conscientiæ in dubiis consulent, nisi peritiores prius super his adhibuerint in consilium: ad hæc, ut ab extorsionibus, & exactionibus illicitis, & insolitis abstineant, & libertatem Ecclesiasticam, quantum in eis est, tueantur. Hos etiam senis quibusque mensibus districtus, seu regiunculæ suæ Ecclesias suas visitare, & de omnibus rebus tàm spiritualibus, quàm temporalibus sibi concurrentibus curam habere præcipuam, & si quæ emendare non poterunt, ad synodum pro tempore, aut si mora periculum habuerit, ad nos, ut opportunè providere de omnibus possimus, referre jubemus. Si quos intrusos ad parochias, aut alia beneficia Ecclesiastica in suis districtibus esse decani intellexerint, aut suspectas de surreptione absolutiones, dispensationesve ostentari, aut circumferri à quibuscunque cognoverint, eos moneant primum, ne sibi beneficia, sacramentorumque administrationem usurpent, neve gregem Christi hujusmodi dispensationum, vel absolutionum prætextu decipiant. Si qui verò parere monitis noluerint, hi nobis à decanis, quos fidei juramento nobis præstitæ super hoc admonemus, sine mora indicentur.

Decanis quoque ruralibus injungimus, ne in templis, sacellis, aut oratoriis suarum regiuncularum, picturas, aut imagines quascunque depingi, sculpi, aut fieri, nobis, aut Vicario nostro inconsultis patiantur, ut in his veteris Ecclesiæ decorum, sacrarum historiarum veritas, & imaginum honestas maturiore deliberatione circa ea præcedente conservetur. Idem decernimus in cæteris diœcesis nostræ sacris ædibus omnibus diligenter observandum.

Iisdem decanis ruralibus præcipimus, ut in inquirendis hæreticorum libris, aut de hæresi, schismateve suspectis, nullam diligentiam prætermittant: Contrahant etiam, undecunque in suis regiunculis possunt, ejusmodi libros omnes, & in primis formulas administrationis sacramentorum, quas adversarii ordinationes Ecclesiasticas vocant; eosque libros ad nos, quàm primum transmittant, & in concionibus suis, sacramentorumque administratione, Catholicos doctores, & Romanæ Ecclesiæ manualia sequantur, cæterisque ejusdem rei pro officii sui cura monitores, authoresque existant.

De Parochis, sive Presbyteris Curatis.

CAPUT VIII.

PArochi de fide, & religione nostra populum sibi commissum doceant, atque instruant, sacramenta administrent, eorum mysticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos, canonicè, occultis verò delictis, occultè arguant, & ad pœnitentiam adducant. Incorrigibiles nobis, aut nostro in spiritualibus Vicario indicent, ut vel publica satisfactione curentur, vel communione Catholica arceantur. Parvulos quoque, & rudes quosque parochiæ doceant certis temporibus Symbolum fidei, Dominicam precationem, Salutationem Angelicam, & Decalogi præcepta, aut ea diebus dominicis è suggestu disertè pronuncient, ut revera duplici honore digni habeantur.

Quum nihil magis officiat Ecclesiæ Dei, quàm quod ad regimen animarum indigni assumantur, statuimus, & districtè præcipiendo mandamus, ut à Vicario nostro in spiritualibus generali, aliisque prælatis, viri graves, docti, & ad curam animarum habendam idonei deligantur, diligensque, & anniversaria de eorum vita, & moribus inquisitio habeatur.

Et quoniam non raro accidit, ut Presbyteri, & Clerici beneficia Ecclesiastica curata absque institutione, seu commissione, vel nostra, vel Vicarii nostri, de facto occupent, atque nulla ligandi, aut absolvendi potestate præditi, populum Dei decipiant, volumus, & mandamus, ut quilibet decanus, vel camerarius in capitulo proximo sui decanatus litteras hujusmodi

modi commissionum sibi petat exhiberi, nobisque, aut Vicario nostro, si qui nullas habuerint, intra mensis spacium significet. Idemque de beneficiis non Curatis, ad eaque intrusis, intelligi volumus, atque mandamus.

Parochi, seu Presbyteri, Curati omnes, libros apud Ecclesias suas habeant quatuor: Primum, in quo baptizatorum: Secundum, in quo statuto ab Ecclesia tempore confitentium, & communicantium: Tertium, in quo eorum, qui matrimonia in facie Ecclesiæ contraxerunt: & quartum, in quo mortuorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ traditorum nomina, & cognomina cum annotatione diei, & anni describantur: hæc enim diligentia cùm ad multa utilis est, tùm verò ad hoc præcipuè, ut pastoribus ovium suarum ratio melius constet.

B Capellani, & præmissarii rectoribus, aut plebanis suis debitam reverentiam exhibeant, ac omnia debita officia, sive in fundationibus expressa sint, sive ex consuetudine introducta, suis locis, temporibusque exequantur, in juribus parochialibus, nisi fundationum suarum tenore specialiter, & expresse fuerint privilegiati, ipsis minimè adversentur, vel inobedientes existant, sed in executione curæ, & divinis Officiis cantando, & legendo fideliter assistant. Quod si aliter fecerint, canonicam nostram vindictam minimè evadent.

Meminerint porrò Presbyteri omnes, & in primis hi, quibus animarum cura incumbit, ut eorum, quæ ad Officii sui essentiam pertinent, notitiam habeant certam, & indubitatam, veluti sunt absolutionis, aliorumque sacramentorum collationis formæ substantiales.

C Quoniam autem interesse plurimum constat, qua ratione pueri, & rudes catechizentur, parochis nostræ diœcesis Catechismum, sive libros de institutione christiani hominis, Reverendi Patris Domini Petri de Soto ex prædicatorio ordine, Theologi Hispani, & Cæsareæ majestatis Confessoris, doctissimi, & religiosissimi viri legendos, docendosque commendamus, alios verò de hæresi, aut schismate suspectos, ex usu eorum tolli præcipimus.

De officio Decani, & Canonicorum.

CAPUT IX.

D Ecanus collegii sui clericos, & familiam in officio quemque suo contineat, exemplo alios præcedat, vitæ, morumque honestatem in habitu, & disciplina, debitumque in divinorum officiorum persolutione, & ceremoniis exigat: Ebrios, aleatores, percussores, scortatores, & officii sui immemores corripiat, sacris abigat, & pro jure sibi competenti mulctet.

Scholasticus Ecclesiæ nostræ dignitate, aut titulo eminens juventutem Ecclesiæ ministeriis destinatam doctrina, pietate, & morum honestate imbuat, aut per idoneos, & probos pædagogos instituï curet, atque ordinandorum examini de more nostræ Ecclesiæ, unaque nobiscum diligenter intendat.

E Canonici Decano suo obediant, divinis omnibus intersint, qua decet modestia, gravitate, & pietate: Eleemosynas pauperibus distribuant, populum bonis exemplis ædificent, divinorum tempore deambulare in templo nec ipsis liceat, neque alii cuiquam permittatur. Turpe enim est, in eo loco, quacumque de causa, motoriam agere, & ambulationes instituere, ubi & gestu corporis, & animo in sacrorum mysteriorum tractationem defixos, intentosque esse oporteat.

Studiosis quoque aliquibus, bonamque de se spem præbentibus, Decanus, & Collegium provideant, ut justo studiorum suorum tempore, justisque sumptibus in Academiis, & Catholicis Universitatibus sustententur, qui post tempus eis concessum, redeuntes, de diligentia, probitate, pietateque sua testimonium ejus universitatis publicum secum adferre teneantur.

Cæterum horas Canonicas, residentes Canonici tàm Cathedralis nostræ, quàm Collegiatarum Ecclesiarum, decenti modulatione pro Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Collegiatarum more persolvant, & hanc curam ad conductitios tantùm succentores minimè rejiciant.

Canonici etiam juniores Theologum, qui in singulis Collegiis frequentioribus haberi debet, lectionem suæ professioni, & instituto congruentem, certis horis, quemadmodum & Vicarii, aliaque collegiorum membra, facere teneantur, prælegentem audiant, itaque & animos divinis studiis excolant, & ab otio removeantur.

De vita, & honestate Clericorum.

CAPUT X.

Clericus nostræ diœcesis, in habitu, coronæ tonsura, & incessu decorem servet, superiori veste talari indutus, atque pietate magis venerabilis, quàm aut famulorum multitudine, aut vano armorum terrore contemptibilis incedat. Mensa quoque utatur frugali, & ab ebrietate, ludis à jure prohibitis, atque omni ludicra levitate abstineat, luxum omnem fugiat, & ab usuris, mercatura, & cauponario exercitio, avaritiæ sordibus, sortilegis divinationibus, venationibus clamosis, omnibusque prophanis negotiis, & à quibus cura sacerdotalis meritò abhorret, prorsus alienus existat.

Hospitia quoque publica, tabernas, aut œnopolia, compotandi causa, non ingrediatur. Qui secus fecerit, florenos quatuor dependet, quorum dimidiam partem fabricæ templi nostri Cathedralis, reliquum delatori impartiemur. Pœnam festus dies graviorem efficiet.

Instituta quoque Ecclesiastica de jejuniis, & abstinentia carnium, feriis, atque hujusmodi, ab universo nostræ diœcesis clero religiosè, ac piè observari, atque sub debito obedientiæ Ecclesiæ Catholicæ præstandæ, populo indici debere sub censuris, & pœnis gravissimis mandamus.

Præterea, cùm æquum in primis sit, eos mundos esse, qui vasa Domini portant, & in sacrario operantur, volumus, atque juxta sanctiones Canonicas decernimus, ut sacerdotes, professionis suæ memores, castè, continenterque vivant, atque à nefario concubinatu abstineant.

Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, fornicationis, adulterii, aut familiaritatis suspectæ convictus, remota protinus concubina, ab officio suspendatur, & beneficii fructibus ad certum tempus, pro scandali gravitate, privetur. Iterum convictus, suspensione, & privatione fructuum gravius plectatur. Incorrigibilis demum factus beneficium amittat. Concubinæ autem clericorum excommunicentur. Cæteris verò clericis infra subdiaconatum constitutis, & Ecclesiastico beneficio præditis, eadem privationis fructuum pœna infligatur, & à ministerio, si quod in Ecclesia habuerint, repellantur.

Et cum his omnibus nullas fœminas, nisi aut sanguinis necessitudine junctas, aut annorum quadragenario numero majores, aut saltem suspicione carentes in illa vicinia, easque verecundas, sobrias, & publico testimonio castas, liceat habitare.

Clerici nostræ diœcesis domos, fundosque dotales beneficiorum collapsos instaurent, quantum necessitas postulaverit, reparataque, in debita structura conservent, & negligentes per decanos rura-

rurales, ac alios, ad quos de jure, vel consuetudine spectat, eorum proventuum domibus, fundisque applicandorum subtractione mulctentur.

De pluralitate Beneficiorum.

CAPUT XI.

Quicunque vel cupiditate, vel quovis etiam honesto colore impellente, plura beneficia Ecclesiastica obtinent, hoc nostro mandato jubentur, sicuti districtè præcipiendo mandamus, ut retento, quod ex illis maluerint, unico beneficio, cætera intra annum resignent, aut nobis, vel deputatis ad hoc nostris, dispensationum suarum privilegia hujusmodi ostendant. Quod, nisi debita obedientia præstiterint, B sciant se ex nostra diligentia in recta, & vera Ecclesiasticorum beneficiorum dispensatione adhibenda, inobedientiæ, aut cupiditatis suæ pœnas legitimas suscepturos.

Si qui verò posthac sedis Apostolicæ dispensatione plura beneficia obtinuerint, compertumque à nobis fuerit, eidem sedi (quæ in litteris, concessionibus, privilegiisque suis rationes, causasque honestas, & necessarias, prout suggestum ei fuerit, sequi consuevit) illusum ab impetrantibus fuisse, hi sciant nos sanctissimo Domino nostro melius informato, dispensationem hujusmodi revocationum procuraturos. Unde statuimus, & ordinamus, ut in posterum nullus, cujuscunque gradus, aut dignitatis fuerit, ad alterius, aut plurium beneficiorum possessionem admittatur, C nisi nobis, tanquam ordinario loci, dispensationis ejusmodi litteras pro sedis Apostolicæ dignitate conservanda inspicientes prius exhibeat, Bonifacii Noni, & Leonis Decimi maximorum Pontificum constitutionibus semper salvis. Et si dispensatione dignus videatur, nihilominus statuimus, ut tales, aut alii quicunque Ecclesiæ rectores, & beneficiati Vicariis suis tantam ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hospitalitatem servandam, ad jura Episcopalia, & Archidiaconalia persolvenda, aliaque onera ferenda sufficiat. Alioquin à suis beneficiis, reservato tamen unicuique patrono, aut collatori jure suo, decernimus amovendos.

Hortamur etiam in Domino eos, qui plura beneficia curata ex dispensatione Apostolica jam obtinent, D ut uno, quod maluerint, retento, cætera intra annum sine ulla pensione idoneis Presbyteris resignent, & Christiano hoc officio, pietateque sua severitatem, & coactionem Synodalium Provincialium, aut generalium statutorum, aut decretorum antevertant.

Monasteria porrò, & collegia, aut si qui alii incorporatas cum decimis, & censibus Ecclesias, quas retinere voluerint, habeant, idoneos sacerdotes eis præficiant, quibus de victu, vestitu honesto, & competentia justa prospici decernimus, alioquin aut per privationem incorporationis legitimam, aut honestam ex Ecclesiæ illius decimis, & juribus assignationem, aut ineptorum sacerdotum remotionem, ejusmodi Ecclesiarum commoditati provisuri. E

Prælati monasteriorum, collegia, aut alii unitas Ecclesias habentes, Vicarios hujusmodi, aut sacerdotes non constituant, nisi prius per nos, aut nostrum Vicarium, ut idonei fuerint admissi. Religiosos verò, beneficiorum hujusmodi curæ à suis prælatis præfectos, non obstante eorum qualicunque exemptione, volumus nobis tanquam ordinario subjectos.

De statu monachorum, monialium, & Canonißarum.

CAPUT XII.

Monasteria cujusque ordinis, secundum regulas, quas professi sunt, reformari, ipsosque mona- A chos in obedientia, & religione sui ordinis contineri, capitulum disciplinæ frequenter servari, vitia illic quotidie subnascentia severiter corrigi, cultum divinum reverenter, & debitè servari, concubinarios, adulteros, ebrios, criminosos, infames, suspectos de hæresi, aliisve criminibus, pœnis debitis castigari, habitum, & tonsuram diligenter servari, ædificia, & bibliothecas studiosè curari, prædia, census, & jura conservari præcipimus, repugnantes, aut reformationis impatientes, severa coercitione, debitisque mediis castigaturi.

Intermissa sacrarum litterarum, atque ea etiam, per quæ ad sacras litteras pervenitur, studia, apud opulenta monasteria intra sex mensium spatium restaurentur. Ubi verò pauci sunt monachi, iidemque egentes, unus, atque alter ad aliud ejusdem, aut si commodum videbitur, diversi ordinis monasterium, ubi scholæ restitutæ sunt, mittantur, ubi & in sacris litteris, & in religionis observantia institui, & proficere, atque ad prædicationem divini verbi idonei reddi possint.

A rerum prophanarum exercitio monachi abstineant, atque intra monasterii septa, nisi concionum, aut sacrorum peragendorum gratia à suis prælatis dimittantur, seu ad aliud monasterium destinentur, vel à nobis, tanquam ordinario, ad curam animarum, secundum canonum permissionem evocentur, sese contineant. Tempore verò eis à divinis lectionibus vacuo, semper pii, & honesti aliquid agant.

Monachi à solitaria vita nomen adepti, familia superflua, equorum fastu, & pompa multitudini ne se ingerant, aut sibi ociosis, vanisque sumptibus frequentiam in solitudine procurent, sed frugaliter in humanitate vivant, &, quæ necessitati supersunt, pauperibus, studiosorumque educationi, Ecclesiæ sementem ubertimam facturi, erogent, atque dispensent.

Monasteria excisa, aut deserta, quàm fieri poterit, restaurentur.

Moniales ab egressu monasteriorum suorum, virorumque conspectu se contineant, earumque monasteria viri non ingrediantur, nisi id postulet inevitabilis necessitas. Oeconomum ad res suas foris procurandas deligant honestum, fidum, frugalem, qui eis, & visitatori ternis mensibus rationem reddat negociorum suorum: inutilem, gravem, infidum amoveant, aliumque surrogandum procurent.

Canonissæ continentiæ studium nulla voti solemnitate obstrictum sectantes, commune habeant dormitorium, habitu modesto, mundo, & castitatis indice utantur. Magna quoque instituti sui commoda ex mensæ communione perciperent, si contra inveteratum apud eas morem adduci ad hoc possent, quod, ut faciant, eas in Domino hortamur. Sicubi liberiore vita detrimentum famæ patiantur, reformari easdem curabimus.

De officio Concionatoris, & divini verbi prædicatione.

CAPUT XIII.

Concionandi officium soli vocati, & ab ordinaria Ecclesiastica potestate admissi sustineant.

Pastores, quibus animarum Cura incumbit, Vicarios sacerdotes, si ipsi justa ex causa munus hoc explere nequeant, admittere possunt, notos tamen, & prælatorum suorum testimoniis subnixos.

Concionator, seu doctor divini verbi, Euangelium, & sacras scripturas, non suo, sed orthodoxorum, & sanctorum patrum sensu, & interpretatione tractet, & doceat. Homilias sanctorum patrum, & martyrum passiones, à fide dignis tamen scriptoribus proditas, post Euangelia, statis diebus, poterit recitare.

In

A In concione nil prophani, fabulosi, suspective proferatur, sed sint conciones sanorum verborum, & sacræ doctrinæ.

Concionator se ad captum auditorum demittat: nunc catechisten agat, nunc interpretem scripturarum, nunc vitiorum reprehensorem, nunc doctorem mysteriorum, omniaque ad lucrum Christo afferendum, omnibus fiat, & à quæstionibus perplexis, & difficilibus, omni eruditionis ostentatione rejecta, abstineat, caveatque, ne se unquam ad convicia, injuriasque, quibus Ecclesia cum populi offendiculo dehonestatur, delabi contingat.

Itidem clerum, & magistratum, aut absentes quosvis, suo quosque judici relinquendos, perverso, & multis hactenus usitato judicii genere apud populum non accusent, non deferant, non calumnientur, B linguisque suis pro seditionum flabellis non utantur, sed sit oratio eorum modesta, sobria, gravis, & verbi divini nervis compacta; per quam potentes sint *exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere.* ad Tit. 1.

Misericordiam, bonitatem, & charitatem Dei opportuno tempore prædicent, & extollant, ita tamen, ut justitiæ ejus in benefactorum præmiis largiendis, malefactorumque pœnis infligendis non obliviscantur, indubitantes, & anxii spei amore divino inflammentur, mali à peccatis deterriti resipiscant.

Eleemosynas, satisfactiones, & opera pietatis indicunt, ne populus ab eis seductus credat opinione quadam sua tutum se esse, etiamsi hujusmodi opera, C quibus Christianæ fidei paries liniendus est, non faciat, cùm tamen Deus, sicut de pseudoprophetis apud Ezechielem dictum sit: *Et complebo indignationem meam in pariete, & in his, qui liniunt eum absque temperamento.* Ezech. 13.

Adversus grassantium hæresum tempestatem populum præmoneant sæpè, & confirment, Catechismum, & decalogi præcepta crebro relegant, & explicent, imprimisque dent operam, ut perniciosissimus error, qui multorum animos occupat hoc tempore, eradicetur, quo verbum Domini limitibus adeò angustis quidam includunt, ut ab eis nihil, nisi atramento in sacris Bibliis exaratum, pro verbo Domini habeatur, cùm verbum Domini initio nullis libris, sed Apostolorum cordibus impressum inveniretur, quod postea non scriptura tantùm, sed magna ex parte Ecclesiæ, & fidelium animis sermone communicaverunt, & sacræ litteræ testantur, legem Euangelicam, ipsissimum Domini verbum, in tabulis cordium carnalibus spiritu Dei vivi scribendum esse. Hortetur prætereà populum, ut verbum Dei attentè audiat, ab hæresibus abhorreat. Missæ Officio libenter intersit, frequenti confessione se expurget, mundo corde, & avido salutarem Christi corporis cibum excipiat, sacramentis, & eorum mysteriis secundum Ecclesiæ traditionem religiosè utatur, & diebus festis sanctis tantum vacet operibus: memineritque concionator, ut corpus suum in servitutem redigat, ne quos sermone ad pietatem adducere conatur, ipse in servitute ventris, & peccati obsordescens deterreat, aut illis opprobrio fiat. (Verbũ Dei quod.; D; 2. Cor. 3.)

E

De cultu Divino.

CAPUT XIV.

Divinus cultus observetur, peragaturque his modis, & ritibus, qui per sanctos Patres nobis traditus, & per majores nostros in sacrificio altaris, Officiis defunctorum, canonicis horis, cæterisque divinis laudibus, atque ceremoniis observatus fuit.

De administratione sacramentorum.

CAPUT XV.

In administratione, usuque sacramentorum, ut confusio, & schismata in Ecclesia Dei vitentur, & Apostolicis traditionibus, sacrisque canonibus, & legibus reverentia debita habeatur, ceremoniarum, orationum, rituumque receptam uniformitatem, parochos nostros in omnibus sequi volumus, atque jubemus.

Volumus etiam populum, quid in cujusque sacramenti collatione agatur, in concionibus, & sacramentorum administratione frequenter doceri.

Lingua Latina, cui veluti divino instrumento in ipsa crucis ara sacris usibus dedicato, Ecclesia Occidentalis religionem Christianam fert acceptam, in sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis Officiis per totam nostram diœcesim retineatur, & exclusa revocetur. Quæ verò Germanica lingua secundum antiquas agendas pronunciari consueverunt, mutare fas non sit, sed ipsa quoque conserventur. Lingua la-tina.

De Baptismo.

CAPUT XVI.

Solemnes ceremoniæ, & Orationes circa Baptismum hactenus in Ecclesia Catholica usitatæ, & in agendis Ecclesiæ nostræ descriptæ, nisi necessitas aliud cogat, non omittantur. Quarum significationes populo sæpius exponi mandamus, ut professionis suæ, qua Christo initiatus est, admoneatur.

Susceptores quoque, seu sponsores parvulorum, ætatis provectæ sint, atque in fide probè catechizati, & instructi, quo non ore tantùm, sed & mente, & seriò ad interrogata respondere, suum munus intelligere, & parvulos, ubi adoleverint, & res postulaverit, in fide Orthodoxa instituere possint: ætate verò, aut fide nondum provectos, ad tantum munus admitti non debere & ipsa ratio suadet, & nos præcipiendo decernimus.

De Confirmatione.

CAPUT XVII.

Parochi suo tempore de Confirmationis origine, mysterio, & chrismatis arcano subditos sibi doceant, eosque ad ejus desiderium accendant: ut nobis, quod ex officii nostri debito crebro facere statuimus, aut si qua justa causa impediti fuerimus, suffraganeo nostro Diœcesim nostram ad confirmandos baptizatos circumeuntibus, prompti, paratique sint ad hujus Sacramenti susceptionem, faciliusque, quæ in ipso administrationis tempore dicentur, agenturve, percipiant.

De celebratione Missarum, & sacramento Eucharistiæ.

CAPUT XVIII.

Canon Missæ submissa voce, excepta Dominica Oratione, pacis exoptatione, Agni Dei invocatione, & postrema populi salutatione, quemadmodum hactenus à Catholicis factum est, summaque religione, ut mysteriis tremendis sua conservetur authoritas, pronuncietur.

Reliquæ verò Missæ, quæ Catechumenorum dicuntur, partes, debita religione, & voce alta, intelligibilique legantur: adsitque semper legenti minister, qui Ecclesiæ nomine respondeat sacrificanti.

Euangelia, vel Epistolæ Dominicis, & Festis diebus in

in Parochialibus Ecclesiis populo, sive ante sacrum, sive sub eo, sive etiam à prandio, quod tempus Epistolæ declarationi non incommodum videretur, lingua Germanica exponantur: eoque tempore nulla Missa, ne populum ab auscultatione distrahi contingat, celebretur. Ut nimia festinatio in Missæ lectione, aut celebratione religiosas aures, oculosque offendit, ita incondita prolixitas fastidium potius generat, quàm devotionem. Quapropter Sacerdotibus nostræ Diœcesis devotam mediocritatem, & toto sacratissimæ actionis tempore decorum, quod ex corporis gestu, vestium sacrarum munda compositione, ipsoque vultu eluceat, commendamus.

Organa ad populi aures nullum alium sonitum, aut numerum deferant, quàm qui religiosus, ac pius ab omnibus habeatur. Melodiæ lascivæ, aut alio pertinentes, procul absint, prophani etiam rhythmi Ecclesiasticis sonis, aut verba, sententiæve Ecclesiasticæ prophanis numeris, aut rebus, ludibrii causa, non accommodentur. Nam, cùm aut melodiæ, aut Orationes, sententiæve sacræ in prohpanam consuetudinem abeunt, fieri non potest, quin ad suum usum in Ecclesiis depromptæ, animos audientium memoria illius ludibrii, aut scommatis pungant, atque avocent à devotione.

Sub elevatione sacræ Hostiæ antiphonæ ad hoc Sacrificium tantùm pertinentes cantentur: quanquam melius, & veteri Ecclesiæ convenientius esset, præsentiam Dominici Corporis in altissimo silentio prostratos contemplari. Si quæ autem aliæ antiphonæ ex consuetudine, aut fundatione cantari solitæ fuerint, eæ, peracto sacro, cantentur.

Concordiæ, & pacis symbolum, veluti imaguncula crucifixi ab ore Sacerdotis pacem populo imprecantis, secundum cujusque Ecclesiæ ritum hactenus servatum, aut commodiorem institutionem, ad astantes in Missis solemnioribus deferatur.

Ignotos Sacerdotes, & qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, à celebratione hujus sacri repelli jubemus.

Hostia vitalis pro infirmorum viatico in loco mundo, & honorato, accenso ad eum perpetuo lumine, servetur.

Eadem si in solemnibus festivitatibus, aut magnis supplicationibus circumfertur (quod, nisi ex Catholico instituto, aut gravi causa, præsentibusque devotis cultoribus, fieri non debet) quidquid veram devotionem non excitat, ludique omnes prophani removeantur.

Sed & quando ad infirmos defertur, lumen præferri, & campanella fidelibus signum dari præcipimus. Caveat tamen Presbyter, ut ad infirmum pauciores duabus particulis non deferat: ne populus in redeuntis manibus inane vasculum adoret. Sin autem contigerit fortè, ut reverti ad templum sine Eucharistiæ Sacramento cogatur, lumen præferri, aut signum dari prohibeat.

De Pœnitentia.

CAPUT XIX.

Non sine magna animi nostri molestia intelleximus, nonnullos nostræ Diœcesis laicos salutis suæ adeò immemores esse, ut nec constituto ab Ecclesia Catholica tempore confiteantur, neque ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem ulla ratione se præparent; aut ab ea penitus abstineant. Quocirca in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna aliàs super hoc constituta, universis, & singulis Parochis, aut eorum Vicariis præcipimus, quadragenarii jejunii singulis Dominicis diebus capitulum, quod incipit: *Omnis utriusque sexus*; subditis suis publicent in Ecclesiis: & contra inobedientes ad pœnas, juxta tenorem constitutionis jam dictæ, procedant.

[...]a. de [...]it. & [...]ss. ca. [...]is utri[...]ue.

Sequuntur casus aliquot, in quibus Sacramentum Eucharistiæ personis ejusmodi criminibus gravatis non ministrari, aut saltem ad tempus differri debet: qui & ipsi unà cum capitulo, *Omnis utriusque sexus*, vulgari lingua suo tempore sunt publicandi.

Cùm ex laudabili Catholicæ Ecclesiæ consuetudine singulis annis vobis, dilectissimi in Christo, denunciari soleat cuinam sacrosancti, ac venerabilis Corporis Dominici Sacramenti perceptione interdictum sit, Reverendissimus in Christo Pater, & Princeps, ac Dominus, Dominus Ottho Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Augustanus, in cunctis suæ Diœcesis Parochiis eam denunciationem sub hac, quæ subditur, forma, & ratione fieri mandavit. *Ex Concil. Later. sub Innoc. 3.*

Primò, quando hoc præstantissimum Sacramentum, hominum è Religione Christianorum unio est, & conjunctio cum Deo: cuncti infideles, qui ab Ecclesiæ communione, & societate disjuncti sunt, ut sunt Judæi, Ethnici, Hæretici, & quotquot hæreses manu tenent, tuentur, eisque opem ferunt; ab ejus perceptione arcendi sunt.

Arcendi sunt etiam, qui vel Papalis, vel Episcopalis excommunicationis sententia constricti, ac publicè denunciati sunt; siquidem & illi ab Ecclesiæ communione excluduntur, donec absolutionis beneficium consequantur. *Eucharist. quibus deneganda.*

Item, ubi cantione, & lectione Ecclesiastica communiter interdictum est, ut fit tempore interdicti, donec ejusmodi perdurat interdictum, non licet sanis hoc percipere Sacramentum: attamen ægrotis ad extrema tendentibus id ministrare permittitur.

Item, cùm unusquilibet in sua Parochiali veneranda debeat accipere Sacramenta, illis, qui alterius sunt Parochiæ, non licet in alienis Ecclesiis hoc percipere Sacramentum, dum absque sui Pastoris permissu, atque ex illius contemptu, aliis in locis id sumere volunt. Et Sacerdos, si ea de re certus fuerit, ejuscemodi alienæ Parochiæ subditis Sacramentum non porriget.

Item, quando præcelsum hoc Sacramentum sana mente, & ex vera devotione sumendum est, ejus perceptione pueris intra annos discretionis interdictum est: sicut & illis, qui mentecapti sunt, & ratione destituti, ut sunt amentes, & insani, sive id naturaliter, sive ex dæmonum obsessione patiantur: nisi fortè quandoque mentis compotes reddantur. Tùm enim quamdiu ratione sua probè utuntur, Sacramentum hoc eis ministrari potest.

Item ex iisdem jam dictis causis, etiam illis hoc venerabile Sacramentum præbendum non est, qui perpetua stomachi cruditate laborant: si quidem, dum is perseverat morbus, & ægra affectio, Sacramenti hujus sumptione eis interdictum est. Si quis etiam venerandum hoc Sacramentum absque ulla ratione, vel devotione, aut secus, quàm institutum est, expetat, aut indignè, puta, ut ad incantationem, aut superstitionem eo uti velit, ei Sacerdos, dum id rescit, neutiquam ea ratione ministrare debet, sed populum Christianum sibi subditum instituere, ac informare, uti pro Catholicæ Ecclesiæ constitutione ad id sumendum præparare se debeat.

Item ne hoc præcellens Sacramentum aliqua afficiatur injuria, & contemptu, ex Sanctorum Patrum Decreto, & institutione, etiam infames omnes ab ejus perceptione prohibendi sunt, cujusmodi sunt Præstigiatores, incantatores, publici rei, & scurræ, & qui ludis vacant jure Pontificio prohibitis, itidemque scorta, ac lenones, & qui Judæis serviunt, aut eorum alunt proles, vel alia illicita cum eis commercia habent, & si qui alii ejus generis sunt, ii, inquam, omnes ab Altaris Sacramento removendi sunt, donec vita sua improba penitus abdicata, irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam persolverint.

Item fœminæ virilem habitum malo animo gestantes, quo perversam suam expleant voluntatem, à vene-

venerando hoc Sacramento arcendæ sunt, donec id mali penitus correxerint, & satisfecerint.

Item quotquot sese segregant, & ad hæreses deficiunt, & peregrina quædam sectantur instituta, ab Ecclesia minimè approbata, ut sunt, qui in latebris clandestinò conveniunt, & singularem, aut etiam rejectam, atque damnatam colunt fidem: Illi etiam, qui hujuscemodi hæreses palam præ se ferunt, & exercent, ut qui ad fores templorum ferreis sua sponte circulis devincti, aut sine pœnitentiæ injunctione sese flagellis cædunt.

Item, qui sectam pauperum de Lugduno colunt, in plateis panem propter Deum sibi dari alta voce precantes, tanquam perfecti sint. Hos omnes singuli Parochi tribus Dominicis publicè è suggestu, ut ab his abstineant, & cæteris Christianis sese conforment, admonebunt. Quod si obtemperare nolint, ex sua Ecclesia, & Parochia eos expellent, nec sacrosanctum eis ministrabunt Sacramentum. Ita enim habent statuta Synodalia Provinciæ Moguntinæ.

Item, quicunque superstitioni dediti sunt, ut certis quibusdam, ac singularibus, nec approbatis utendis benedictionibus, aut rejectis diebus, aut incantationibus dæmonum, aut futura prædicendo ex libris magicis, aut aliàs, vel quidpiam ejusmodi sectando, quod sit Christianæ fidei, aut præceptis, & constitutionibus Ecclesiæ adversum: iis omnibus negandum est hoc venerabile Sacramentum, nisi pro sui Confessoris monitu ejusmodi superstitionibus renunciarint, & pro admissis pœnitentiæ mulctam susceperint.

Latius ibi sumitur cõtritio pro dolore peccatorum. Item, cùm unusquilibet Christianus ad idem sacratissimum Sacramentum percipiendum per veram contritionem, & peccatorum suorum puram confessionem se præparare obstrictus sit, illis omnibus ejus sumptione interdictum est, qui absque contritione, & confessione in suis manent peccatis: & speciatim illis, qui secundum sanctæ Ecclesiæ preceptum singulis annis semel non confitentur. Tales enim ab Ecclesia ejiciendi sunt: & in extremis, si sic decedant, Christiana sepultura eis neganda est.

Item, cùm confessio integra, & indivisa esse debeat, & cum proposito deinceps peccata non admittendi, eam ob rem, quicunque in publicis, ac notoriis degunt sceleribus, ut sunt manifesti adulteri, & adulteræ, aut qui aliàs in lupanaribus simul victitant, & publici fœneratores, & qui alios ad eadem inducunt, & id genus alii, ad hujus venerandi Sacramenti communionem admittendi non sunt, donec re, & factis testatum reddant se omnino suis valefecisse criminibus, & pœnitentiæ satisfactionem recepisse.

Item quando legitimo juncti matrimonio simul degere sunt obligati, si qui ex illis absque superioris Ecclesiastici, seu spiritualis judicis sui permissu, ipsi se disjunxerint, sive divortium fecerint: quandiu absque juridica separatione, vel concessione sejunctim vixerint, non ministrandum, sed negandum est eis Dominicum Sacramentum. *Divortiis.*

Item iis annumerandi sunt, qui alearum lusui perpetuò vacant: quibus non est porrigendum venerabile Sacramentum, donec inde abstineant.

Item, qui ebrietati, & crapulæ, ac comessationibus perpetuò dediti sunt, & inhærent, & maximè, qui festos dies, aut noctes in tabernis exigunt, illis, post factam confessionem venerabilis hujus Sacramenti sumptione per 30. dies est interdicendum, ut ab his vitiis sese emendent.

Quod si facere nolint, juxta Canonum decreta etiam morte mulctandi sunt.

Item, qui aliena detinent bona, invitis illis, quorum ea sunt, possuntque restituere, iis negandum hoc dignissimum Sacramentum est, donec restituerint.

Item, qui sacras perfringunt ædes, & despoliant, & qui Sanctorum, ac Dei templis damna inferunt, ab hoc debent excludi Sacramento, donec relictis hisce sacrilegiis, Deo dicatis locis satisfecerint, atque restituerint.

Item quotquot proximis suis intra eorum terminos, sive illi sint agrorum, sive pratorum, sive hortorum, sive arearum, injuriam inferunt vel invadendo, vel arando, vel ædificia extruendo, si festis id agant diebus, hujus eis venerabilis Sacramenti perceptione interdictum est, donec ab his cessent injuriis, & læsis satisfecerint.

Item subditi, qui propriis dominis suis ob acceptá verbera, aut castigationem, vel aliàs fidem, & obedientiam præstare nolunt, Sacramenti hujus sumptione interdictum est, donec se morigeros præbeant, & agant pœnitentiam.

Item quicumque iniqua mensura, vel pondere emunt, aut vendunt, triginta diebus jubentur abstinere à sacra Communione, posteaquam ex Canonum præscripto irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam susceperint.

Item quotquot justas non solvunt decimas, parochi sui tribus vicibus admonere debent, ut eas jure persolvant. Quod si admoniti facere recusabunt, neganda est eis sacra Communio, donec satisfaciant, & mulctam sibi imponi patiantur.

Item, quibus alicujus testamenti negotia bona fide exequenda commissa sunt, si ultra annum rem differant, authoritate ad executionem compellentur: poteruntque ob ejuscemodi negligentiam, si justa rationabilis causa desit, sacra Communione prohiberi.

Item, quando singulus quisque è religione Christianus sanctæ Ecclesiæ præceptis obtemperare teneatur, puta, ut jejunet, festa celebret, confiteatur peccata sua, sacras invisat ædes, & alias sanctæ Ecclesiæ consuetudines colat, & observet: quicunque animo obstinato iis se opposuerint, eaque contemptui habuerint, à dignissimi Sacramenti perceptione excludentur, donec redeant ad obedientiam, & pro suis peccatis mulctam sibi irrogari ferant: idque illi maximè, qui spretis templis consecratis, absque præsulis sui permissu in aliis plebem orationis causa congregant. Qui enim id agunt, excommunicationis sententia ligati sunt, nec licet eis Dominicum percipere Sacramentum.

Item, qui Sacerdotem è suggestu concionantem impediunt, atque in ejus contemptum ex sacris ædibus abscedunt, à sacra Communione arcendi sunt, donec sese emendent, & agant pœnitentiam.

Item, quotquot ex Ecclesiastici decreti, sive præcepti contemptu, Dominicis, aut aliis festivis diebus sacrum Missæ auscultare nolunt, nec in ipso Missæ Officio perseverant, donec Sacerdos ultimam benedictionem impertiatur, pro judicio Confessoris sui à Communione prohibeantur, donec agant pœnitentiam.

Item, quicumque Dominicis, & aliis festivis diebus rebus venalibus, quæ ad necessarium corporis victum non requiruntur, mercimonia exercent, synodalibus statutis à venerabilis Sacramenti sumptione prohibeantur, donec ab his penitus abstineant.

Item, qui clanculum sese jungunt matrimonio, iis sacra Communio deneganda est, donec secundum Ecclesiæ Constitutionem publicè se denuntiari faciant.

Item, qui Dominicam Orationem, & Symbolum Apostolorum ex desidia, aut contemptu discere nolunt, poterunt à suo Confessore sacra Communione prohiberi, donec ea addiscant.

Item, quicumque omnipotentem Deum, aut Sacratissimam Dei genitricem, vel alios sanctos palam blasphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina, vel membra indignè, ac impiè jurant, & imprecantur, seu maledicunt, ab Ecclesiæ ingressu, & sacra Communione excludendi sunt, donec publicam egerint pœnitentiam.

Item, quotquot Sacerdotalem dignitatem, & Sacerdotes

dotes ipsos publicè dehonestant, aut conviciantur iis, A similiter Ecclesiæ aditu, & sacra Communione interdictum est, donec pœnitentiam egerint.

Item, qui animo deliberato homicidium perpetrant, & qui erga proximum inimicitias, aut invidentiam ulcisci meditantem animo gerunt, aut qui proximos iniquè opprimunt, aut eorum existimationi, & honori falsò derogant, ii omnes ad venerabilis Sacramenti perceptionem non sunt admittendi, donec vel partem conciliando, vel aliena damna restituendo satisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam persolverint.

Item pater, & mater, qui proles suas à mortis periculis non custodiunt, sive id scientes fecerint, sive ex incuria, aut negligentia, aut fortè in somnis, poterunt ad tempus à confessore suo præstantissimi sacramenti sumptione prohiberi, donec pœnitentiam expleverint. B

Item, cùm sacris Canonibus sub excommunicationis pœna cautum sit, ne quisquam, cujuscunque status sit, adversus Ecclesiasticarum personarum, templorum, aut Monasteriorum Ecclesiasticam libertatem sancire quippiam, vel statuere ausit, eam ob rem, quicunque tale aliquid præcipiunt, aut statuunt contra Ecclesiasticam libertatem, aut ejusmodi decreta manutenent, ac tuentur, & secundum ea judicant, talibus mandatis utuntur, & personas, bonaque Ecclesiastica exactionibus, aut aliis modis gravant, iis omnibus sacra est Communione interdictum, donec hujusmodi mandata, & constitutiones abrogent, ab iniquo proposito cessent, & inde absolvantur.

Item, quando sacri Canones vetant, ne quis manifestam usuram non esse restituendam, aut, quod per usuram quæsitum est, non esse reddendum, sententiam ferat; si quis autem id agat, excommunicationi subjaceat; quicunque talem ferunt sententiam, iis hujus est perceptione Sacramenti interdictum, donec inde absolvantur, & pœnitentiæ mulcta eis irrogetur. C

Confessa-[rius] potest [...] ab [Euchar]ist. Potest denique unusquilibet confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, pro peccatorum magnitudine, & gravitate eisdem sibi confitentibus, seu filiis confessionis suæ, ex causa, quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacra Communione interdicere: eique tales confitentes morem gerere debent: nisi à superiori Ecclesiastica potestate aliud impetraverint. Quod si peccatum occultum sit, & talis quispiam ad altare accedens, venerabile Sacramentum sibi porrigi publicè petat, non id illi Sacerdos negare debet: D quanquam hoc ipso, quod contra sui confessoris prohibitionem accedit, peccatum admittit. *[Rel]axatio [pœnite]ntia-[rum C]anoni-[caru]m.* Catholicæ Ecclesiæ pientissimæ matris lenitas, de rigore pœnarum Canonicarum, de quibus Canones pœnitentiales extant, tantum remisit, populusque ex ea clementia sibi permisit tantum, ut difficile sit eas leges hoc tempore in usum Ecclesiasticum revocare. Nam, cùm Christianorum licentia in peccando crevisset, sæpèque anni pœnitentiales ex iis Canonibus numerum ingentem, pœnitentisque vitam etiam longissimam excedentem conficerent, aut senio, morbisque gravati satisfacere nequirent: factum deinceps fuit, ut illæ pœnæ ex clementissimæ Matris Ecclesiæ indulgentia, & thesauri meritorum Christi, & martyrum dispensatione in eleemosynas, orationes, sacrorum locorum visitationes, aliave Christiani hominis exercitia commutarentur. E Quoniam igitur & pœnarum usus exolevit, & indulgentiæ hujusmodi, hæreticorum culpa, apud plerosque contemptui sunt, Parochis nostræ Diœcesis injungimus, atque mandamus, ut confitentes harum pœnarum saltem admoneant, judiciumque veteris Ecclesiæ circa eas explicent, & pestilentem illam opinionem, qua persuasum plerique habent, hominem peccati actualis pœnam divinæ Justitiæ non debere, ex animis confitentium evellant, atque pœnitentialium Canonum severitatem pro recepta posterioris ætatis consuetudine, orationibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque id genus pietatis operibus pro satisfactione pœnarum injunctis mitigent, pœnitentisque viribus, facultate, & affectibus expensis, simul & medicinam animæ ulceribus adhibeant, & pœnas delinquentibus infligant.

In peccatorum Sacramentali inquisitione caveant, ne, inconsulta diligentia, pusillorum animæ scandalizentur.

Decernimus etiam, ut confessores probatam aliquam confessionis summam legant, qualis est B. Antonini, Caymi Mediolanensis, aut Thomæ Cardinalis Cajetani, ex eaque criminum differentiam, magnitudines, causasque optimè discant, ut salutarem medicinam facere suo tempore possint. *Casuitæ qui legẽdi.*

Nota. *Mechliniense ann.* 1607. *tit.* 5. de Pœnitent. *alios Casuitas probat à Confessariis legendos, directorium Polaeni, Manuale Navarri, aut ejus Compendium, Summam Toleti, Enchyridion Binsfeldii, & similes, ut supra relatum est in classe præcedenti. Unde aberrant à Canonibus Conciliorum hodierni adversarii Casuitarum, quorum ultimum, ut quidam eorum loquuntur, si manu tenerent, in ignem projicerent. O vox Luthero digna, qui simili spiritu corpus Juris Canonici Vulcano consecravit.*

Præterea, ne Ecclesiarum Rectores videantur pecuniæ magis, quàm animarum saluti studere, statuimus, & ordinamus, ut deinceps quilibet confessor idoneus laicos contritos, & confessos ab omnibus peccatis occultis, quantumcumque gravibus, & enormibus, nobis, tanquam ordinario ante reservatis, absolvere possit, homicidis, hæreticis, & excommunicatis, quos ad nos, vel pœnitentiarium nostrum remitti volumus, duntaxat exceptis. Quod ad Clericos attinet in hac parte; nihil esse volumus innovatum.

Mandamus denique, ut à confitentibus pro confessionis auscultatione, aut absolutione nihil exigatur.

Postremò Presbyteris nostræ Diœcesis omnibus præcipimus, ne posthac eos, qui se in monasteriis, aliisve locis in casibus sedi Apostolicæ, aut nobis, tamquam ordinario, specialiter reservatis, aut ad contentiosi fori indagationem pertinentibus, absolutos esse prætendunt, tanquam ritè absolutos, admittant, aut tolerent; sed eos ad nos, seu pœnitentiarium nostrum remittant, ut nobis, aut Officialibus nostris de Canonicis eorum absolutionibus fidem faciant legitimam, superque præmissis expeditionem salubrem recipiant, & quod vel justitia suaserit, vel rationis ordo dictaverit, exequantur, donec hi, qui se absolvendi potestatem hujusmodi habere asseruerunt, privilegia sua nobis congruo, tutoque loco exhibuerint, eaque à nobis fuerint examinata. Qua tamen in re Mendicantium ordinum fratribus, eorumque facultatibus, ipsis à summis Pontificibus concessis, nolumus præjudicari: Quin ipsi, tàm ut jure Pontificio cautum est, quàm ut à nobis, prædecessoribusque nostris eis concessum fuit, atque conceditur, Christi fidelium confessiones audire, & eos in casibus sibi, ut præfertur, concessis, in foro pœnitentiali absolvere, pœnitentiasque salutares injungere valeant, & possint, quemadmodum Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis concedere consuevimus.

CAPUT XX.

De Extrema Unctione.

UNctionis extremæ sacramentum cum litaniis, & orationibus à majoribus acceptis, totaque Ecclesia servatis, fidelibus impartiendum jubemus.

Sacerdos infirmum consoletur, à curis, & desideriis præsentis vitæ ad spem æternæ salutis erigat, diabolum, & terriculamenta ejus alto animo contemnere, Christique misericordiam sperare doceat: atque ita confirmatum cum benedictione Christo commendet.

A re-

A reditu quoque comitantem multitudinem infirmitatis humanæ admoneant, atque ad preces pro infirmo in calce terreni agonis latente fundendas hortetur.

De Matrimonio.

CAPUT XXI.

Sacerdotem, nuptias alibi, quàm in Ecclesia, quæ proprius est Sacramentorum locus, admittere, conjungere, aut benedicere prohibemus.

Vetamus etiam à Sacerdotibus eos conjungi, de quibus edictis, aut proclamationibus, ut minimum, tribus, iisque tribus diebus Festis sibi succedentibus, propositis, aut in concione publicè factis, non constiterit eorum conjunctionem, nulla legitima, canonicave causa impediri, aut eos à parentibus, tutoribus, vel cognatis ad hanc copulam non cogi, sed liberum ad eam consensum afferre.

Jungendos matrimonio admoneri quoque à Sacerdotibus volumus, ut parentum, & amicorum consilia potius, quàm privata desideria sequantur, exemploque Tobiæ, jejuniis, & orationibus sese præparent, atque commendent gratiæ Dei. Doceri etiam eos præcipimus, matrimonia, etsi quoad personas contrahendum legitima, rataque sint, tamen, nisi religione, & fide eorum sanctificentur, Deo grata non esse, sacramentalique gratia, donec vitium suum emendaverint, Ecclesiæque legibus subdantur, destitui.

Ne pro Sacramentis, aut Sacramentalibus quidquam exigatur.

CAPUT XXII.

Pro reconciliatione pœnitentium, aut alicujus Sacramenti, vel Sacramentalium quorumcunque administratione, Sacerdos de pecunia, aut re qualibet sibi danda minimè paciscatur: sed eadem pro temporis, loci, personarumve necessitate, secundum ritum Ecclesiæ sine mora administret. Verum, quia ratione, jureque dictante socii passionum ad consolationum societatem meritò admittuntur: permittimus tandem, etiam judicis officio implorato, exigi, quod in hujusmodi ex consuetudine debetur: ad cujus observationem laicos & hortamur, &, quantum de jure est, adstringi volumus, atque compelli.

De consecratione, benedictione, & ceremoniis Ecclesiasticis.

CAPUT XXIII.

Prælatos nostræ Diœcesis, Virgines, Ecclesias, Altaria, cœmeteria consecrari, sacra loca, quocunque modo execrata, reconciliari, vasa, vestesque sacras, aquam, sal, palmarum ramos, frutices, herbas, cereos, Agnum Paschalem, fructus novos, & si quæ sunt alia, quæ de jure, vel consuetudine ante hanc Catholicæ Religionis perturbationem consecrari, aut benedici consueverunt, suo quæque tempore, & loco, suisque ritibus, & orationibus per totam nostram Diœcesim benedici jubemus. Si quid verò locorum, aut rerum non consecratum, aut execratum fortassè fuerit, quod consecrari, aut reconciliari debuisset, nobis intra proximum mensis spatium indicari ab his, quorum hæc cura esse debet, præcipimus, ut nostro Episcopali muneri in hac etiam parte satisfacere possimus.

Parochi, & quibus in nostra Diœcesi Verbi Dei prædicatio incumbit, populum doceant, loca, vestes, & vasa usibus prophanis exempta, & sacramentorum Christi ministerio mancipata, ideò consecrari, & benedici; ut sciamus, nonnisi sacris, & divinis rebus vacandum, gratia Dei illic, ceu numine divino præsente. Præterea res alias humanis usibus necessarias, in nomine Christi per orationem ministri, & Verbum Dei benedici, ut nobis divina beneficentia contra adversarias potestates, incantationes, magias, fraudes, & machinationes inimici pertinaciter nos oppugnantis, prosint, & virtutem concipiant.

Ceremonias verò majoribus nostris hominibus religiosissimis usitatas, quod ad vicarios pietatis usus valeant, & exercitia quædam sint, quibus mens externarum scilicet rerum sensu, & significatione ad divinum cultum, ipsumque Deum attrahitur, in Ecclesiis nostræ Diœcesis retinendas, &, ubi abrogatæ fuerint, revocandas esse statuimus, atque mandamus.

Et quemadmodum à Parochis, concionatoribusque nostris de ceremoniarum significationibus populum doceri volumus, veluti cereos ad laudem, & gloriam ejus, qui lucem inaccessibilem inhabitat, & omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, accendi: Thura incensa significare orationes, & desideria nostra cum odore bonorum operum ad Deum ascendere oportere: Processiones lætas, nostram de Christi triumpho, & gloria exultationem: lugubres, nostrum in hac lachrymarum valle exilium indicare, & illis Deo gratias agi, his veniam peccatorum, & pro vindicta misericordiam implorari: ita eumdem populum seriò moneri jubemus, ne ceremonias religiosissimè institutas in abusum vertant, aut superstitionem, sed ipsis ad pietatem exercendam utantur, atque ut processiones sint graves, ordinatæ, honestæ, christiana religione dignæ, atque à vanis, & sæcularibus studiis prorsus alienæ. 1. Tim. Joan. 1.

Cùm autem Deo optimo maximo Creatori, & Redemptori suo honorem, timorem, & reverentiam homo, tanquam creatura, debeat, multosque videamus ea in re damnata ignavia desides esse, omnibus Ecclesiasticis personis nostræ Diœcesis districtè præcipiendo mandamus, ut posthac summa pietate Deum ubique & honorent, & timeant, præcipuè verò in templis humiliter revereantur, & venerentur. Et cùm in nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum flectendum sit, volumus, ut omnes quotiescunque in sacris concionibus, aut Missis, nominis, Sanguinis, vel Corporis Christi, aut Dei genitricis Mariæ Virginis fit mentio, aut quando canticum Gloria in excelsis, aut Gloria tibi Domine, aut Euangelii initium, aut Nativitatis Christi ex Virgine, & incarnatio in Symbolo, aut gratiarum actio in Præfatione, aut hujusmodi alia in divinis officiis canuntur, vel commemorantur, detecto capite, genibusque flexis, ante altare, vel ut locus, tempusque postulaverit, Deo reverentiam exhibeant debitam, & populum ad ejus rei imitationem, verbis, factisque commoneant, atque hortentur. Phil. 2.

De Feriis, & Festis Sanctorum.

CAPUT XXIV.

De diebus Festis feriandis nihil innovare volentes, præcipimus, ut festivitates Christi, ac beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum, juxta constitutionem, & ordinationem per quondam felicis memoriæ Christophorum Episcopum Augustensem prædecessorem nostrum desuper factas, & divulgatas, quarum tenor subinseritur, deinceps celebres habeantur.

Chri-

Christophorus Dei gratia Episcopus Augustensis; dilectis nobis in Christo Decano, & Camerario Capituli in N. salutem in Domino.

LIcèt superioribus annis constitutiones in particulari conventu Ratisponæ habito per sedis Apostolicæ legatum factas, per totam Diœcesim nostram publicari fecerimus: ad aures tamen nostras pervenit, quòd hæ constitutiones, & præsertim quoad observantiam dierum festivitatum ab aliquibus vestris capitularibus plebanis inæqualiter observentur. Ex quo multi emergunt errores in divini cultus contemptum, & scandalum plurimorum. Unde nos, sicuti nostro incumbit officio, hujusmodi erroribus in futurum obviare cupientes, Festa in Diœcesi nostra celebranda, hìc inseri fecimus. Videlicet statuimus, ordinamus, & volumus, ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ resurrectionis ad nos usque à primitiva Ecclesia maximè celebris semper habita est, dies quoque Nativitatis Christi, S. Stephani, S. Joannis, & Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschæ cum feria 2. & 3. dumtaxat, Ascensionis, S. Georgii, Pentecostes cum feria 2. & 3. tantùm, Corporis Christi, quatuor festa B. M. V. nempe Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis, Natalitia Apostolorum, Joannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, Catharinæ, Hulderichi, atque Affræ patronorum nostrorum, sicuti hactenus observati fuere, celebres quoque & festi habeantur. Mandantes insuper vobis, ut festa jam specificata observetis, & à parochianis vestris observari faciatis: in cæteris autem festivitatibus, quacumque ratione vel institutis, vel receptis, cuique liberum permittatis. Datum in nostro Dilingensi, anno à Nativit. Domini 1539.

Ut oratio Dominica, Angelica salutatio, & symbolum Apostolorum ab omnibus æqualiter dicantur.

CAPUT XXV.

CUm post innumeras novationes nostra tempestate in fidei Orthodoxæ articulis, moribus, & ritibus à perversis hominibus introductas, nihil intentatum relinqueretur, quo populi aures à novatoribus captæ detinerentur: eo tandem ventum est, ut Oratio Dominica, Angelica salutatio, Apostolorum symbolum, & Decalogi præcepta, quæ majores nostri in Germanicam linguam religiosissimè conversa nobis tradiderunt, ab istis inverterentur, illaque reverendissima religio, verborum majestas, tenor, atque numeri in animos hominum unà cum materno lacte instillati, è media Ecclesia tollerentur: adeoque, ut qui nova interpretatione usi sunt, intelligerent, se à veteri devotione esse dimotos. Nam, ut unico exemplo ostendamus, sequens nostrum statutum ratione non carere, ab istis novis interpretibus factum est, ut, quod antea in oratione Dominica dictum fuit: Pater noster, qui es in cœlis; ab istis dicatur: noster pater in cœlis; jamque sive data opera, sive casu aliquo hostili id acciderit, ut essentiæ verbum sedem suam in divinæ paternitatis invocatione amiserit. Ut igitur antiqua verborum religio, atque in ea devotio passim conservetur, plebanis Ecclesiarum parochialium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut singulis diebus Dominicis, finita concione, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, symbolum Apostolorum, & Decalogi præcepta, sicut ea omnia vernaculo sermone subscripsimus, districtè, ac tractim ita prælegant, ut populus legentem repetitione subsequi, & ea discere, & memoriæ mandare possit.

A

Oratio Dominica.

VAtter unser de du bist in himeln. Gehailliget; &c.

Salutatio Angelica.

GEgruesset sey est Maria, vol gnaden. Der hert; &c.

Symbolum Apostolorum.

ICh glauv in Gott vatter almechtigen, Scopffer; &c.

Præcepta decem Decalogi.

B DAs erst gebott: Du solt allain in ainen gott glauven.
Das auder, Du solt den namen Gottes nit eytel nemen.
Das dritt, Du solt die feyrtag heiligen, &c.

De Magistris, & Scholis instituendis.

CAP. XXVI.

IN primis statuimus, & ordinamus, ut nullus nostræ Augustensis ditionis, aut Diœcesis, cujuscumque ætatis, status, ordinis, aut gradus fuerit, ad scholas, C & gymnasia de schismate, aut heresi suspecta, nuperque natis de religione perversis opinionibus contaminata, dicendi, docendive causa proficiscatur. Nam, qui contra fecerit, is sciat se nobis pœnas debitas daturum.

Quod verò ad nos attinet, Academiis incorruptis, & in Catholica doctrina, vitaque perseverantibus, potestatem facimus nobis viros litteratos ad regendum Ecclesias idoneos significandi: quorum in collatione beneficiorum, parochialiumque Ecclesiarum, apud quos residere voluerint nostræ Diœcesis, honestissimam rationem nos habituros, eosque, si digni ea re videbuntur, etiam apud S. N. D. Paulum III. Pontif. Max. cujus optimam mentem ad hoc inclinare D cognovimus, summo studio, atque diligentia promoturos pollicemur.

Concilii quoque Lateranensis decretum amplexi, præcipimus, ut quæcumque, aut qualiacumque Canonicorum Collegia, scholas pro cujusque Collegii magnitudine, sicubi aut desitæ sunt, aut novis opinionibus infectæ, erigant, & restituant.

His præficiantur magistri, & pedagogi incorruptæ vitæ, à quibus tàm pietatis Christianæ prima principia, quàm rudimenta litterarum juventus hauriat: atque in classes, si ætatis, aut ingeniorum ratio id postulare videbitur, dividatur.

Quibus etiam nihil, quod eorum innocentiam, vel in religione, vel in moribus lædere possit, prælegi mandamus.

In reliquis verò oppidis, ubi collegia non sunt, scholas, quarum magistri boni, honesti, & docti sint, in- E staurari, aut conservari jubemus.

Apud singula, frequentioraque Canonicorum collegia singuli Theologi honestis stipendiis conducti habeantur, qui certis diebus, & horis interpretentur Biblia, ac de re Theologica juniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra doceant: ubi eorum quisque ad lectionem suæ professioni, & instituto congruentem comparere teneatur.

Doctori unius præbendæ proventus, donec in docendo perstiterit, assignetur; qui si non suffecerit, ratio aliqua ineatur, ut ei, quantum sit satis, suppeditetur.

De hospitalibus pauperum, infirmorum, & peregrinorum.

CAP. XXVII.

HOspitalia nostræ Diœcesis conservari, redditus ad ea destinatos in nullos alios usus converti: atque sicubi alienati, aut in privatos usus conversi fuerint, revocari jubemus. Sin apud Collegia, Monasteria, aut sacras alioquin ædes, hospitalium redditus cum cæteris redditibus, aut bonis confusi fuerint, & hodie ignorentur; curabimus nihilominus ex Collegii, Monasterii, aut sacræ illius ædis ærario, aut proventibus pauperum, & infirmorum necessitati provideri.

Viduæ, orphani, & qui ad quærendum victum sibi non sufficiunt, ex eo loco, ubi hospitalia constituta sunt, oriundi, in ea recipiantur: peregrinis autem hospitalia pro refectione tantùm, non autem in fraudem indigenarum pauperum, pro inhabitatione patere concedimus.

Hospitalium, quorum fundatores sibi provisionem, ac dispensationem retinuerunt, administratores, saltem semel in anno provisoribus rationem reddant: quorum omnium curam, & inspectionem præcipuam, nobis divino aspirante Numine, pro ordinaria nostra authoritate sumemus.

De majoritate, & obedientia, & disciplina populi.

CAP. XXVIII.

PRincipes, Comites, Barones, nobiles, civitatisque Augustensis, atque aliorum oppidorum, & municipiorum nostræ Diœcesis Magistratus, & præfectos hortamur in Domino, atque in virtute Ecclesiasticæ obedientiæ requirimus, eisque, munere, quod Deo authore gerimus, confisi, mandamus, ut invocati nobis, nostrisque Vicariis in exequendis hujus S. Synodi decretis auxilio sint: jurisdictionem, libertatem, ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum legibus, & sacris Canonibus Episcopis, & Clero concessam, ac firmatam tueantur, nobisq; conservent: ad hęc etiam, ne Ecclesiis, quas tuitionis, protectionis, aut advocationis jure tueri deberent, contra fidei datæ sacramentum, gravia, & iniqua onera imponant, ne ipsos tandem Cæsareæ majestatis præcepto aut amoveri contingat, aut limitibus præceptis, quid alteri alteris invicem debeant, includi. Cæsaris enim jussum in re tàm justa prævenire honorificentius est, quàm eum ad exequendum invitum compelli.

Cùm populus præter obedientiam, quam principibus, & civili magistratui debet, ad eam quoque, quam nobis, aut aliis Ecclesiasticis ordinibus debet, redigendus sit, universos, & singulos nostræ Diœcesis laicos in Domino hortamur, eisque præcipimus, ut Clerum nostrum, Parochos, aliosque ordines Ecclesiasticos venerentur: eorum facta non temerè judicent: adversus Presbyteros suos præfractè non contendant, sed morigeros se prębeant, atque obsequentes. Ad Christum enim, cujus legatione funguntur, eorum tàm honor, quàm contemptus pertinere credendus est.

Conveniat quoque diebus Dominicis, & Festis ad Divina, quæ in Ecclesiis Catholicis celebrantur, concionem sub silentio audiat, memoriæ commendet, & concionatorem, vel auscultantes strepitu, aut deambulatione non perturbet. In Missa audienda, ad finem usque, donec benedictionem Sacerdotalem acceperit, perseveret: & qui peccati vinculo retinentur ligati, absque absolutione, & veræ emendationis proposito, ab Eucharistiæ sacrosanctæ perceptione abstineant: palam verò criminosos, & qui peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, A sive sacerdotes sint, sive laici, omninò à communione volumus arceri.

Patres, & matres familias, liberos, & familiam secundum audita in concione domi instruant: timorem Dei, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quicquid pertinet ad bonos mores, & virtutem in eis educandam, doceant: præcipuè verò eos à blasphemiis, juramentis, & execrationibus, tùm domestica disciplina, tùm iræ divinæ prædicatione deterreant. Cętera, quæ hìc brevitatis causa omittimus, ut à piis concionatoribus acceperint, ita doctrina; & usu domestico tractent, atque, sicuti Christianos homines decet, exerceant.

Ceremonias quoque Christianæ pietatis, & instituta Ecclesiastica de jejuniis, & abstinentia carnium, B de feriis, de processionibus, & id genus ritibus, à populo nobis commisso sub debito obedientiæ sanctæ Ecclesiæ Catholicę, religiosè, ac piè observari mandamus.

Sanctionem Patrum Christianus populus de confessione, & Eucharistiæ communione, paschali tempore sub pœnis in Canone contentis observet.

Libros contagiosos, de falsa religione suspectos, & impiis jocis refertos, imagines pręterea, & picturas obscœnas, vel ad ludibrium religionis Catholicæ, aut certorum hominum infamiam expressas, populum nostræ Diœcesis legere, aut habere, atque de sacro- C sancta fide, præcipuè inter pocula, atque convivia temerè disceptare non liceat. Legat autem libros sacros, sanctos patres, vitas Sanctorum, præclarorum, & fortium virorum historias, & imagines tales spectet, quibus ad pietatem, virtutem, religionis, & reip. amorem accendatur.

Ebrietatem, atque infames compotationes fugiat, quibus & corporis, & animi vires enervantur.

Tabernæ, & œnopolia diebus festis ante sacrum in Ecclesia peractum, nisi infirmis, & peregrinis, non pateant.

Novorum, & ab Ecclesia non receptorum dogmatum authores, pędicatores, aut jactatores, sacrilegos, perjuros, blasphemos, usurarios, adulteros, D ebrios, aliisque publicis criminibus obnoxios, ferri in Ecclesia, nostraque Diœcesi prohibemus: in quos etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis summa severitate animadverti debere statuimus, & ordinamus.

De Visitatione.

CAP. XXIX.

UT porro sciant Abbates, Præpositi, Decani, & Clerus nostræ Diœcesis, nos hęc statuta synodalia ex sacrę Cęsareæ majestatis formula, sacrisque Canonibus, & Patrum, antecessorumque nostrorum decretis, & statutis, non ad ostentationem, sed ad indubitatam reformationem ipsorum, nostrique gregis, pro istorum temporum usu, atque necessitate collegisse, posthac tertio quoque anno, quotannis, E aut quoties res postulaverit, Diœcesim nostram totam visitationis gratia, vel ipsi circumibimus, aut per suffraganeum nostrum, qui baptizatos etiam Confirmationis sacramento signet, mandabimus visitari.

Visitationis autem normam, si quid in Ecclesiæ nostræ formulis desiderabitur, suffraganeo, aut Vicario nostro, quorum alteri, vel utrique in occupationibus nostris visitandi munus delegabimus, pręscribemus: eamque Decanis quoque Diœcesis nostrę ruralibus in suis visitationibus sequendam, quatenus pertinere ad eos videbitur, proponemus: operamque dabimus indefessam, ut in hac quoque parte, eorum, quæ hoc quidem tempore effici possunt, nihil desideretur.

A

De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

CAP. XXX.

EXcommunicationis, suspensionis, & interdicti nostri sententias, à nullo cujuscunque status, gradus, & conditionis fuerit, negligi, contemni, aut quoad publicationem, & executionem earum impediri debere statuimus, atque sub pœnis, & censuris Ecclesiasticis, quibuscunque impedientibus irrogandis, districtè præcipimus.

Officiali quoque nostro injungimus, ne divinam hanc censuram, qua nulla est major in Ecclesia, leviter, aut propter exiguas, parvique momenti causas proferat: sed ut ad sanitatem magis, quàm ad interitum contumacium, & rebellium animorum respiciat. B

Excommunicatos, & denunciatos ab omnibus vitari, & à nemine in consortium recipi decernimus, eosque ante pœnitentiam, emendationisque sponsionem, atque satisfactionem tàm Ecclesiæ, quàm injuriam passo faciendam, ad Sacramenta, communionemque fidelium admitti, atque absolvi prohibemus.

Nisi populari concursu cædes Clerici facta sit, persona tantùm clericalis homicidii rea, non autem locus delicti interdicendus erit: idque ea de causa, ne per hanc occasionem populus in dies negligentior fiat, neve à sceleratis hominibus ocium à divinis patrato crimine, dataque opera procurari possit.

De precibus pro Summo Pontifice, Romanorum Imperatore, & Rege, ac Principibus Catholicis, aliisque ad Deum fundendis. C

CAP. XXXI.

UNiversis Sacerdotibus, & omnibus nostris subditis tàm religiosis, quàm sæcularibus injungimus, & mandamus, ut pro sanctissimo Domino nostro Paulo Papa III. ac invictissimo Imperatore nostro Carolo V. cujus immortali beneficio hanc pacem, quietemque publicam debemus: pro serenis. Principe Ferdinando Romanorum Rege, ac aliis Principibus Catholicis, in missis, orationibus, & concionibus suis devotissimè precentur, populumque, ut idem faciant, hortentur, ut orthodoxam fidem, sedisque Apostolicæ, à qua fidei Christianæ incunabula traximus, authoritatem, ut hactenus factum ab eis fuit, ad gloriam omnipotentis Dei tueantur: & si qui alii fortè callidis adversarii nostri artibus in errores prolapsi adductive sint, pro his unà cum populo, atque in sacris orent, ut in tempore resipiscant, atque ad pristinam Ecclesiæ Catholicæ unitatem, & obedientiam unà cum populis sibi subjectis revertantur. D

De pœnis.

CAP. XXXII.

CUm porrò sine coercitione jurisdictio nulla sit, & absque pœnis non modò leges vilescant, verùm etiam quælibet civilis societas in deterius facilè abeat, atque dissolvatur, ne frustra huic sancto muneri operam impendisse videamur, statuimus, atque ordinamus, ut pœnæ canonicæ tàm in corpore juris clausæ, quàm Provincialibus, Synodalibusve statutis aliàs editis annexæ transgressoribus horum statutorum, sicubi specialis pœna expressa non sit, infligantur, nobis, aut Vicario, seu officiali nostro earum electionem, moderationem, aut aliam quamlibet arbitrariam pœnam, earum loco, pro personarum, locorum, aut transgressionis qualitate exigendam reservantes. E

De Synodis.

CAPUT XXXIII.

CUm Synodorum celebrandarum ratio in tanta rerum Ecclesiasticarum perturbatione plerisque ignota sit, volumus subditis nostræ Diœcesis omnibus nostram in hac re mentem, & quid quisque in ea facere, aut ex ea sperare possit, vel debeat explicare.

Synodos igitur nostras diœcesanas, anniversarias, & quoties necessitas Ecclesiæ nostræ postulaverit, esse, & habere volumus, atque decernimus.

Qui ex nostra Diœcesi in Synodalem consessum recipiuntur, singuli jurisjurandi nobis præstiti admoniti, aut si videbitur, jurati, Ecclesiarum suarum, prælatorum, atque etiam officialium nostrorum, & populi detrimenta, defectus, vitia gravia, aut sæcularium quorumcunque, sive præsentium, sive absentium tyrannidem in Ecclesias, populum, viduas, vel orphanos sævientem proferant in medium, à Synodo sine ullo respectu corrigenda.

Appellationes quoque eorum, qui ad nostram Synodum provocarunt, absentiumque gravamina, aut desideria per Epistolas, aut libellos supplices explicata, audientur.

Laicis etiam suas querelas, modo res, aut causas Ecclesiasticas concernant, aut ad judicium Synodi pertineant, in scriptis proponendi potestas fiet: quibus procuratores, & advocatos Synodales ex nostris consiliariis laicis deputabimus: aut ipsos, si digni, vel ad causas suas distinctè exponendas apti sint, intromitti mandabimus.

Et quicunque divini amoris zelo ducti, crimina disciplinam, & quietem Ecclesiasticam perturbantia denunciare voluerint, vel publice, vel privatim audientur: ad quam denunciationem, ceu Euangelicam, & ex charitatis visceribus proficiscentem, universos, & singulos per amorem, quo reip. Christianæ quisque infixus esse debet, exhortamur.

Intestina quoque odia, & capitales inimicitias, ex quibus nostræ Diœcesis tranquillitas perturbari, aut scandala oriri possent, summo studio, summoque moderamine æquitatis, extingui, deponi, atque ad amicitiam, aut saltem ad compositionem, & pacem traduci adnitemur.

Quoniam verò multi sunt, qui aliorum vitia, & defectus, aut potentiorum injurias, oppressiones, seu tyrannidem coram tota synodo proponere, aut accusare non audeant: deputabimus tres, aut plures ex Synodo commissarios auditores, apud quos universi, & singuli, tàm Cleri, quàm laici, quæ volunt, tuto deponere possint. Sciantque omnia sub silentio tegenda esse.

Et, ne quis existimet nosmet, aut nostros officiales ex eorum numero, quorum vita, mores, & actiones corrigi debeant, exemptos esse velle, à tota Synodo testes synodales, qui nostræ, nostrorumque officialium reformationi intendant, deputari mandabimus. Nam etsi multa nobis deesse cognoscimus, multa tamen nos fugere non ignoramus.

Neque synodum, aut ejus deputatos dimittemus, donec de omnibus causis, omniumque gravaminibus sufficienter fuerit informata.

Vitiis, & querelis auditis, adhibito Theologorum, & jurisperitorum consilio, ea, atque alia incommoda, admonitione, correctione, executione, Epistolis, statutisque synodalibus pro viribus nostris Dei omnipotentis auxilio innixi, apud omnes emendari, & tolli curabimus: & alia omnia ad rem sacram, divina officia, & laudes pertinentia, ex libri Pontificalis præscripto peragemus.

Quod autem ad apocrypha, inepta, parumque syncera, quæ temporum vitio in Breviaria irrepserunt

emendanda: earumdemque precum, & psalmorum frequentes repetitiones, innumera suffragia, & novas collectas, sequentias, prefationes, & id genus fastidium adferentes, & officiis divinis, Missęque sacrificio parum congruentes, tollendas, mutandasque attinet, ad hæc etiam ut sub sacro solemni coram eodem populo Missæ speciales non legantur, ut excommunicationis sententię ad criminales tantùm causas, easque valde graves, & lethales ferantur: ut Apostolici vel coadjutores facti, vel aliàs provisi examinentur: ut beneficiorum pluralitas refrænetur: ut beneficia tenuiora unione crescant, atque ad pauciorem numerum redigantur: ut exempti ordinariorum reformationi, visitationi, & correctioni subjaceant: ut Academię, seu doctorum, & studiosorum hominum universitates, quarum in Diœcesi nostra nullam habemus, reformentur, eisque privilegia sua, & immunitates conserventur: & si quæ sunt alia, quę in Cæsareæ Majestatis formula delibata sunt, & in hisce statutis nostris vel prætermisimus, vel exhortando potius, quàm statuendo inseruimus, ad synodum provincialem, & si in ea super his statui nihil queat, ad œcumenicum Concilium, sanctissimique Domini nostri deliberationem duximus rejicienda.

Ostenditur autem nobis ex Reverendissimi, & Illustrissimi Principis, & Domini Sebastiani Electoris, & Archiepiscopi Moguntini, Metropolitani Domini, & amici nostri clarissimi, pietate, eruditione, industria, ingenio, animique magnitudine spes optima, fore ut in proxima synodo Provinciali de his, aliisque nostræ religionis negotiis, rebusque omnibus ratio ineatur certissima, qua amplissima illius metropolis Provincia, Orthodoxæ fidei, ipsique Christo tota restituatur.

Finis statutorum synodalium.

Finita sub irruentem jam noctem statutorum lectione, Reverendiss. Cardinalis Cancellario mandavit, ut synodum his ferè verbis alloqueretur: Quomodò reformationis formulæ hodie publicatæ statutorum ratio conveniat, ex lectione hac perspectum planè omnibus esse: restare nunc illud solum, ut universa synodus de his omnibus suffragia ferat. Ut igitur cogitandi, deliberandique de singulis spatium habeant ad synodum vocati: sequenti die primum (quæ 13. Novembris futura erat) post rem sacram peractam de his omnibus ineunda suffragia esse: itaque Reverendissimus Cardinalis eos ad cęnam in cęnaculo ad hoc instructo sumendam cum sua benedictione dimisit.

Acta secundæ diei Synodi.

Altera die hujus sanctissimę tractationis convenerunt omnes constituto tempore, & Missa per R. D. Philippum à Rechbeig de Hohenrechbeig Decanum Ecclesiæ Augustensis de S. Trinitate solemni canticorum ritu celebrata, moxque reliquis ex libri pontificalis præscripto peractis, Reverendissimus Cardinalis, laicis antea per dominationis suæ reverendiss. fiscalem exire jussis, synodum obtestatus est ferventi sermone, ut meminisse velit, se non privato cujusquam mortalis, aut quemquam suo, sed universos, Christi (per quem creati, & redempti essemus) nomine convenisse. Christi hanc causam esse, de qua nunc sit deliberandum, afferrent igitur hodie animos ab omni perturbatione, cupiditate, pertinacia, immunditia, & socordia expurgatos, consulerentque in medium de his, quę disciplinam Ecclesiasticam in Ecclesia Dei excitare, restituere, & conservare queant. Quod ad se privatim attineret, daturum operam, ut, Deo duce, Episcopi munere, quantum in se esset, ritè, recteque fungeretur, & quamquam imbecillitatem, defectusque suos plerosque in seipso agnosceret, tamen non dubitare se, quin multa sint, quæ latere ipsum possint. Quapropter postulare se ab universa synodo, ut ex prælatorum, canonicorum, & decanorum ruralium triplici ordine, singulos, binos, ternos, aut plures, si ita videretur, eligerent, qui ceu testes synodales, de his, quæ emendanda in se essent, inquirerent, seque synodali nomine admonerent: paratum enim se esse, promptumque, & ad audiendum tranquillo animo singula, & ad obtemperandum monitis salutaribus sanctæ hujus synodi Spiritu Sancto congregatæ. His in hanc ferè sententiam, majore tamen sermonis affluentia dictis, summum aliquandiu silentium fuit. Quod cum à nemine rumperetur, dominatio sua Reverendissima, advocatis ad se consiliariis, constituit, suffragiorum scrutinium inchoandum esse. Quo consilio per cancellarium publicato, fiscalis è schedula nominatim, ordineque singulos ad mandata procuratoria, aut syndicatoria afferenda compellavit. Singuli itaque, depositis apud R. D. Jacobum Henrichmannum Augustensis Ecclesiæ canonicum, & vicarium, atque notarios ad hoc deputatos, mandatorum instrumentis super statutis synodalibus approbandis, sententias dixerunt. Quorum primus R. D. Marcus Avunculus Episcopus Nazianzenus, & suffraganeus Augustensis, brevi, candidaque oratione statuta synodalia approbavit, seque observationi eorum, quatenus ad se pertinerent, adstrinxit. Hunc secuti sunt reliqui prælati, abbates, præpositi, & decani tàm collegiorum, quàm regiuncularum ruralium: nemoque in tanta multitudine extitit, qui voce sua statuta hæc saluberrima non collaudaret, atque se unà cum his, quorum nomine huic synodo interesset, illis pro viribus pariturum, aliisque, ut idem facerent, authorem futurum non profiteretur.

Tanta igitur consensione omnium, votisque concordibus animadversis, Reverendissimus Cardinalis Deo Optimo Maximo, cujus Spiritu afflante hæc gerebantur, gratias egit, & accito ad se cancellario mandavit, ut synodo, quæ à prandio agenda essent, indicaret, nempe dominationem suam reverendissimam negotium dedisse RR. DD. Episcopo Nazianzeno, Philippo Rechbeig, &c. Decano, Jacobo Henrichmanno vicario, & cancellario suo, ut horis pomeridianis causas, gravamina, & defectus tàm Ecclesiasticorum, quàm laicorum ad synodi cognitionem pertinentes, audiant, expediant, aut, si res ita postulet, ad dominationem suam Reverendissimam, vel synodum ipsam referant decidenda. Cupere præterea dominationemm suam Reverendissimam, obnixèque petere à synodo, ut tres, pluresve deputet, qui de officialium, aliorumque Ecclesiasticæ functionis, & fori ministrorum suorum negligentia, aliisve gravaminibus inde fortasse ad se manantibus, inquirant, atque ad dominationem suam Reverendissimam sine ulla reformidatione deponant, ut diligentia ejusdem, curaque debita, si quid incommodi fuerit, emendetur.

His dictis Reverendiss. Cardinalis synodum ad corpora in cœnaculo inferiore, sicuti toto hoc synodi tempore impensis ejusdem factum fuit, prandio curanda, de more dimisit.

A prandio auditores causarum synodalium negotio sibi dato satisfecerunt, causasque scripto, vel voce propositas aut expediverunt, aut si quæ majori indagatione opus habere visæ sunt in aliud tempus, dum veritas inquiri, aut pars altera audiri potuerit, rejecerunt.

Acta tertiæ diei synodi.

Postrema die Synodi, quæ fuit Novembris decima quarta, hora sublucana celebravit Officium Missæ de beata Maria Virgine solemne, & habitu pontificali Reverendissimus D. Gaspar, Abbas Mo-

Monasterii Othoburgensis. Et sacris tùm Missæ, tùm synodalibus in libro Pontificali præscriptis ritè, summaque totius cleri, & populi devotione peractis, cancellarius, quæ à Reverendiss. Cardinale fuerat jussus, in eam, quæ sequitur, sententiam synodo exposuit, dominationem suam Reverendiss. videlicet, intellecta totius synodi in approbandis statutis ad Cæsareæ majestatis formulam conditis, hesternaque die prælectis, summa concordia, reliquum esse censere, ut ea pro rogatis, publicatisque habeantur: idcirco eandem paterno, benignoque affectu omnes admonere, meminisse, ut velint se consensu hoc suo synodali ad ea observanda, perpetuaque vitæ, morum, atque officii integritate custodienda, Deo omnium bonorum consiliorum authori, & humanarum actionum inspectori, ipsique Ecclesiæ Christi, ejusque antistibus adstrictos esse. Cavendum igitur omnibus, ne à legibus ipsis authorum suorum culpa coarguatur. A B

Post hæc Reverendiss. Cardinalis synodum denuo admonuit, ab eaque urgendo petiit, ut monitores ex se deligerent, qui dominationem suam reverendissimam de his, quæ se fortasse circa officii sui, suorumque ministrorum negligentem, aut improvidam curam, seu administrationem lateant, admonerent: daturum enim se operam, ut seipsum, suosque ad rectam Episcopalis officii regulam pro viribus emendet.

His dictis, synodus communicatis inter se omnium ordinum consiliis per R. D. Episcopum Nazianzenum, respondit, se amplius in dominatione sua reverendiss. nil desiderare, quàm ut pro conscientiæ suo modo, statutis hisce synodalibus unà cum suis insistat, atque veluti lex animata, in Ecclesiæ suæ cardine eminens, cætera membra in officio contineat. C

Hoc responso, Reverendiss. Cardinalis tanquam restituendæ apud suos Catholicæ pietatis ingenti spe excitatus, synodo gratias egit, Deumque omnipotentem supplex rogavit, ut sibi in explendis, exequendisque hujus synodi constitutionibus divino suo numine assistere dignetur.

Postremò, præsentibus, atque comparentibus in hac synodo tanquam obedientiæ filiis, gratiæ à cancellario actæ sunt benignitati dominationis suæ plenissimæ, addita etiam clementissima obtestatione, dominationi suæ Reverendissimæ gratius accidere nil posse, quàm si ad eum, veluti ad patrem, & pastorem in rebus suis dubiis, adversisve confugiant: auxilio enim, consilio, studio, cura, benevolentiaque sua se eis pro viribus semper adfuturum. D

Cùm igitur synodus, peractis ferè jam omnibus, dimittenda esset, prodiit in medium fisci promotor, atque citatorum non comparentium contumaciam accusavit, petiitque eos contumaces, atque in consistorio Episcopali ea de causa processum decerni, atque committi: cujus petitioni reverendissima dominatio sua annuit, præcepitque contra contumaces juris ordine servato procedi. Citati fuerunt etiam omnes ad synodum proximam, quę indicta fuit ad Calendas Septembris anni 1549. in oppido Dilinga celebranda. E

His omnibus magna omnium attentione absolutis, admissi sunt laici, hymnoque *Te Deum laudamus* cantato, Reverendissimus Cardinalis solemni benedictione recessuros est prosecutus.

Synodus Treverensis.

ACta, & decreta synodi diœcesanę Treverensis, præsidente reverendissimo in Christo patre, & amplissimo principe, ac Domino, Domino Joanne Archiepiscopo Treverensi, sacri Romani Imperii per Galliam, & regnum Arelatense Archicancellario, ac principe Electore, *&c.* celebratæ vicesima quinta Novembris 1548.

Mandatum convocationis.

JOannes Dei gratia sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Galliam, & regnum Arelatense Archicancellarius, ac princeps elector, universis, & singulis Cathedralis nostræ, & collegiatarum, parochialiumque Ecclesiarum Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis tàm ruralibus divinorum rectoribus, Curatis, aliisq; Ecclesiasticis personis civitatis, & diœcesis nostræ Treverensis, quibuscumque conjunctim, aut singulatim, qui nostræ synodo Episcopali de jure, aut consuetudine interesse consueverunt, & tenentur, salutem in Domino sempiternam.

Neminem vestrum latere volumus, quod clementissimus, & invictissimus princeps, & Dominus noster Carolus V. Romanorum Imperator semper Augustus, publicæ pacis, ac tranquillitatis vindex, *Carolus V. Imperator.* comitiis hisce superioribus Augustæ celebratis, omnem animi, consiliique rationem in id contulerit, ut pro admirabili sua prudentia, simul & suscepto cœlitus Ecclesiam tuendi Catholicam officio, rebus jam in extremum periculum adductis, ac religioni prope universæ improborum licentia obliteratæ, opem ferret, eamque quoquo modo posset, divina aspirante gratia, in tutum tranquillitatis portum de mediis procellarum, turbinumque fluctibus reduceret. Itaq; hac tàm justa, ac necessaria ratione commotus, nimirum quo celerioribus consiliis rebus lapsis succurreret, idoneaque magis via subvenire posset, tantamque, ac tàm pestilentem hæreticarum conventionum inundationem reprimeret, revocata, redditaque inclytæ Germanicæ nationi pristina, avitâque luce, & pace, à Catholicis Imperii membris, præter alia de religionis forma à sua majestate disertè declarata, clementer monendo, postulavit, ne quid ab observatis hactenus in universali Dei Ecclesia ritibus, sanctisque observationibus quisquam digrederetur, imo, ut cum nos ipsos in primis inculpatos circa religionis normam exhiberemus, tùm etiam nostræ fidei commissos, in divina disciplina ita moderaremur, ut omni diligentia cautum, accurateque provisum videretur, ne aliunde insolens quid, aut alienum à vetustis Ecclesiæ Catholicæ ritibus irrepere, aut intromitti pateremur, sed immobiles potius, tanquam ad scopulum tabula aliqua naufragio ejecti, ita ad relictam à majoribus religionem, usque ad generalis Concilii definitionem adhæreremus. Quod quidem fieri posse illius majestas existimavit, si Ecclesiarum mores, vitæque ratio ad meliorem, sanctioremque formam revocarentur. Huic igitur tàm piè monenti, proinde, atque divino oraculo omnes Catholici, Imperiique principes, ac status, ut par erat, libenter paruerunt, & pro se quisque simul atque ad suos rediisset, curaturum recepit. Et ne foret cuiquam necessarium, qualisnam esset reformandi processus, modusque assumendus, longum cogitandi tempus impendere, sacra illius majestas sibi haudquaquam grave duxit, formam nobis proponere adamussim consentaneam scripturis, & cęlitus inspiratis canonibus, quàm de sacrorum voluminum penu piorum, literatissimorumque hominum industria deprompserat. Qua quidem admoniti singuli, quid apud suos facto opus esset ad restaurandam Ecclesiæ integritatem, non difficulter, neque obscurè perspicerent. Hanc igitur nos protinus, ut à comitiis vobis redditi sumus, convocato clero nostro, superioris nostræ diœcesis Treverensis in Cathedrali Ecclesia, inferioris verò, in Confluentina arce, Reformationis formulam juxta Cæsaris mandatum publicari, & prælegi omnibus vobis curavimus, ac nunc de integro etiam à vobis exigimus, monentes, & obsecrantes, aut etiam virtute sanctæ obedientię, & authoritate nostra præcipientes, ne quisquam ve-

strum à declarata Cesareę majestatis formula, institutionisque Ecclesiasticæ, & à majoribus nostris conservatæ disciplinæ, vel in Cathedrali, aut secundariis, parochialibusque Ecclesiis, monasteriis, sacellis, oratoriis, aut ullis locis religioni dicatis, discedat, aut alienum aliquid, insolitumve agat, vel obstrepere præsumat, sed ea omnia, qualia sunt, summo studio, & animo complectatur, observet, & constanter re ipsa, & opere prosequatur. A

Deinde quoque eadem authoritate requirimus, ut ad synodum nostram Episcopalem, in qua executionis edictum concludetur, die constituto, in Ecclesia nostra Metropolitana, cæteris postpositis rebus omnibus, propensis animis conveniatis, quo possimus in commune consulere, ac dispicere ea omnia, quæ extirpandis erroribus erunt necessaria, & ad rectam B divinorum officiorum administrationem conducibilia. Inquisituri prȩterea, quod etiam communis salus maximopere postulat, quid ad morum ornamenta, splendoremque conferat, quid vitam emendet, ac nos denique extra malevolorum reprehensionem ponat. Quas quidem commoditates, ac officiorum certissima adjumenta suppeditabit, cùm recti cupidus in synodum allatus animus, tùm ipsa norma, & observatio veterum canonum, divinorum scriptorum, quæ sacro Spiritus afflatu, quasi indice, viam ostendent. Ac, ne quis dicat sibi de hujus nostræ synodi, deque reformationis intimatione certi nihil constitisse, talique prætextu effugere se speret, ideò in omnem C Ecclesiæ nostræ regionem, & agrum tot reformationis exempla spargi curavimus, ut omnibus vobis à maximo ad minimum sufficere credamus. Quamobrem ad unum omnes ratione officii nostri appellamus, & paterna charitate adhortamur, obsecramus, & monemus, ut cum hanc religionis disciplinam divinitus Cæsari inspiratam nacti sitis, operam detis, nervosque omnes huc intendatis, ut illi per vos respondeatur, ejusque tanquam fideles ministri in omnibus, & singulis articulis curam summam habuisse videamini, neque impunitum erit, ea, quæ hic jubentur, non præstare, aut ad illius prȩscriptum non explodere in totum, quicquid jam diu sævientibus dissensionum tempestatibus à Catholica Eccle- D sia alienum, sanctoque gregi noxium, atque huic reformationi contrarium fuerit invectum. Si verò quisquam obtemperare noluerit, aut obstiterit, quo minus hæc reformatio in opus producatur, ejus in futura synodo judicia faciatis, ut aut nostra in talem authoritas juxta canonum censuras animadvertat, aut ad Cæsaream majestatem, uti injunctum est omnibus, de hujusmodi pertinacia relatio fiat. Quamobrem unumquemque magno, & securo animo ad promulgandam reformationis doctrinam procedere jubemus, quia certus modo luculentæ veritatis scopus à Cæsare erectus est. Ad cujus conspectum, nulla vi, aut potestate territi unà cum illis, quorum curam geritis, conniti debetis. Et hoc modo ad constitutum diem in synodo idonei compareatis, in qua sanè nos unà vobiscum juxta promulgationem harum litterarum ad reformationis executionem erimus intenti, digna E videlicet excessibus istis, qui contra reformationem commissi sunt, & contumacibus remedia adhibituri. Porrò in fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras sigillo nostro subimpresso fecimus communiri. Datum ex oppido nostro Vurtlich die 30. Octobris, anno 1548.

Cum itaque dies venisset, qui à reverendissimo patre, ac Domino, Domino Joanne Archiepiscopo prȩdicto indictus erat ad celebrandam synodum, comparuerunt nobiles, ac reverendi patres, ac domini Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Prælati, Archipresbyteri, Decani, cæterique vocati, qui omnes simul in basilicam majorem Treverensem processerunt, & invocato ante omnia Spiritus sancti auxilio, & officio divino peracto, vicarius reverendissimus in pontificalibus Nicolaus Episcopus Azotensis toti ordini Ecclesiastico præsenti solemniter benedixit, & ad Deum preces direxit, quibus transactis, in medium chori progressus, præsentes in synodo pia, & erudita oratione hortatus est, ut omnem operam suam in salutarem Ecclesiæ Treverensis reformationem conferre dignentur.

Post hunc doctor Pelargus prodiit, qui in eandem sententiam reverendos patres in synodo congregatos copiosa oratione cohortatus est, hoc tenore.

Ægrè quidem, sed tamen passus sum, in hoc tàm celebri patrum consessu dicendi provinciam mihi mandari, quod publicam authoritatem, quæ eam necessitatem imposuit, detrectare integrum non fuerit, etiamsi rerum hac oratione tractandarum, magnitudo, & difficultas propemodum deterreat ab officio. Proinde cum hanc tàm ancipitem provinciam & gratificandi studio, & recusandi pudore susceptam, ulterius deprecari non liceat, & tamen vestræ expectationi respondere nequeam (non enim qualiscunque, sed gravis equidem pro gravitate rei exigitur oratio) pretium operæ facturum me existimo, si liberandæ fidei meæ flexanimum illum Spiritum cœlis devocavero, qui mentes nostras luminis sui radiis corruscet, orationis vim, & energiam suppeditet, denique in amorem eorum, ad quæ vos in hoc synodali consessu cohortaturus sum, corda vestra exciet, exstimulet, rapiat, accendat, inflammet, & incalescere faciat, quod, ut facere dignetur, vos quoque flagrantibus votis ab ipso contendere convenit. Porro non stat sententia, hac oratione operam sumere colligendis, celebrandisque virtutum vestrarum laudibus, quod & dignitatibus, & meritis vestris fortè conveniret. Certè causæ, in quam tota ferè hæc nostra oratio incumbit, magis exhortatio congruit: tametsi permulta sunt, fateor, quare gratulationem sanè, & laudem merentur. Hoc unum commemorasse satis habeo: quod in hoc odiosissimo tumultu, ac formidanda reformatione, variè tentati, & pulsati, nulla ratione, aut persuasione passi estis, in deditionem hostium, proditorumque Ecclesiæ, & fidei vos redigi, sed in castris Christi firmi, immoti, invicti & ipsi constitistis, & fidei vestræ concreditos, etiam eos, qui fortè vacillantes, ac propemodum persuasi, jam defecturi videbantur in apostasiam, & hæresim, in fide, & officio continuistis. Quod si laude dignum est à desertoribus, ac profugis in totum abstinuisse, nullamque unquam cum ipsis habuisse consuetudinem; si virtus est, & vitam illorum, & dogmata odisse ex animo, quibus vos laudibus ferendos esse sentiam, qui non modò non ad hæreticorum castra defeceritis, verum etiam pro defendenda Ecclesiæ dignitate, & fortunarum, & capitis quoque periculum fortiter neglexeritis, dum scilicet superioribus aliquot annis, juratus hostis per Trevericos agros grassatus, & religionem labefactare, & ædem etiam vestram expugnare nefandis ausibus sibi sumpsit? Verùm enim verò, cum ego vestram hanc in fide constantiam, ob firmatam pertinaciam, ac singularem animi fortitudinem vobis congratulor, laudo quidem vos, sed in transcursu, & tanquam aliud agens, hoc nimirum, ut magis, magisque vos incitem, & cohorter ad istiusmodi virtutum studia, haud ignarus ejus sententiæ, quam externæ sapientiæ author quidam extulit, virtutem laudatam crescere, gloriamque immensum calcar habere. Macte igitur hac constantiæ virtute esse viri patres, ac Domini, & (ad quod Paulus quoque cohortatur) *vigilate, & state in fide*, per quam & salutem vos consecuturos esse speratis, neque ab ulla hæreticorum persuasione divelli vos patiamini. Hoc enim pacto perpetuam, & nunquam intermorituram nominis vestri memoriam comparabitis: imò verò partam jam, comparatamque, tàm insigni, præclaroque facinore etiam atque etiam confirmabitis.

Oratio synodalis.

1. Cor. 16.

Est

Eſt verò aliud, viri patres, ac Domini, quod in vobis deſiderem, quod unum moneo, hortor, oro, obſecro, omni denique ſtudio à vobis contendo, ac flagito: Quamobrem peto, ut pro humanitate veſtra & admonentem, & obteſtantem me, æquis, benigniſque animis audiatis. Rem namque juſtam, honeſtam, & reip. quàm maximè profuturam, oratum vos huc venio, niſi forte non ſit juſtum, & utile, inſtaurare bonarum, ſacrarumque litterarum ſtudia, aut non ex honeſto, publicam Eccleſiæ luſtrare diſciplinam, aut forte eſt aliud Chriſtianæ reipublicæ magis neceſſarium, & utile. Quod, ſi æquum, & bonum me poſtulare jam intelligitis, impetrem obſecro. Ideò enim ea de re etiam, atque etiam admonendos, atque obteſtandos vos eſſe duxi, quod hunc unum coactæ ſynodi ſcopum, ac finem eſſe videam, ni fallor, ut & obliterata diu res litteraria reſtituatur, ac repurgetur diſciplina ſtatus Eccleſiaſtici: quod, ut fiat, luculenta neceſſitas vos monet, urgetque. Ut enim neglectis agris filix, noxiumque id genus germen innaſcitur, ita neglectis ſcholis, ingenii, inquam, & animi cultura, immane dictu quanta, quàmque venenata errorum, hæreſum, ſcandalorum, offenſionumque zizania, ſuſque deque in agro dominico ſuppullulent, non ſine incredibili Eccleſiæ malo, & incommodo. Quantis enim, bone Jeſu, tenebris, quàm horrenda caligine obruta, & obducta videmus, propemodum omnia? Quis non deploret ſtudiorum puritatem à multis jam inde annis, nedum neglectam, ſed etiam contaminatam, labefactatam, condenſatiſque tenebris obumbratam? artes, philoſophiam, divinaſque litteras non ſatis pro dignitate tractatas, quæ rectiùs tractatæ multum profectò attuliſſent luminis, plus religioſæ, minimeque fucatæ pietatis. Quid diſſimulamus? quin quod omnium veriſſimum fatemur? An non collapſis, ac prope extinctis ſcholis, magnum vulnus Chriſtiana accepit reſpublica? Quid ita? inquis. Dicam in genere, ſiquidem libera eſt ſynodus. In ſcholis docentur bonæ litteræ, & artes, quas ἐλευθέριας vocant, nos liberales. Literarum ſtudia ad Philoſophiam tùm naturalem, tùm moralem viam ſternunt. Porrò, ut rerum naturæ cognitio viam munit ad profeſſionem medicam, ita morum diſciplinæ non parum adminiculantur, & Theologiæ, & Juriſprudentiæ: ex qua nimirum jus, ſive ſacrum, ſive Prophanum ortum eſſe exiſtimant. Quis jam non videt, quantum fructus ex ſcholarum ſeminariis ad remp. redit, ſive ad bonam corporum habitudinem, conſtitutionemque inſtaurandam, alendam, & confirmandam, ſive ad reſpublicas rectè, & ordine gerendas, & adminiſtrandas, ſive ad vitam piè, ac religioſè inſtituendam, & componendam? Contra neglectis litterarum, & Philoſophiæ ſtudiis, qualis, amabo, poſſit eſſe doctrina in templis? quid ſani judicii? quid opis apud medicos? quid conſilii, aut patrocinii apud eos, qui juris profitentur peritiam? Verum eſſe, quod dico, res ipſa clamat, & rerum eventus confirmat.

[...]holarum [...]ilitas.

Nuſquam fore non deſiderantur artium, honoratiorumque facultatum profeſſores. In republica quidem experti medici, prudentes juriſconſulti: in cathedra, & publico ſuggeſtu, eximii, & candide docti Theologi: in templis, paſtores: in ſcholis, probe inſtructi, & eruditi præceptores. Unde quæſo? Neglectæ ſunt ſcholæ, à quibus complures annos exularunt cùm liberalia ſtudia, tùm verò ſanctiſſima illa, ampliſſimaque divinarum litterarum diſciplina: recepta eſt in ſcholas, & aliquandiu obtinuit ſpinoſa, ſenticoſa, frigida, jejuna, ac nimis, quàm infelix illa tùm Philoſophiæ, tùm Theologiæ tractatio, eis nimirum in utramvis aurem dormientibus, altumque ſtertentibus, quorum advigilare, aut inſpicere intererat. Animadverſum eſt tandem, Romanorum Imperatori, Domino noſtro clementiſſimo, neſcio quibus ſuggerentibus, eum ſtudiorum antiquæ religionis neglectum, principem cauſam eſſe, quamobrem tot hodie malis premitur, angitur, & affligitur Eccleſia ab hæreticis. Nec ſurdo narrata eſt fabula. Simul enim, ut reſcivit rem ita habere, ſimul nervos omnes intendit, ſtrenuamque navavit operam, ut poſtliminio ad nos redeant honeſta & litterarum, & pietatis ſtudia. Certe non poterat melioribus conſiliis, ac rationibus ſuccurſum eſſe afflictis, ac pene deploratis rebus Eccleſiæ, quàm inſtauratione publicorum ſtudiorum, & reformatione collapſi ſtatus Eccleſiaſtici. Atque utinam ergo ſyncerum, ardentem, rectique, ac pietatis amantem illius animum, tàm digne poſſim vobis oratione commendare, quàm nunquam ſatis pro dignitate poteſt celebrari: felicibus illius cœptis, agendum viri patres, ac Domini favete omnes: non utroque modo (quod ajunt) pollice, ſed toto quoque, apertoque pectore. Sed ad rem. Hoc fateamur omnes oportet, nulla re æquè opus eſſe Eccleſiæ, in has, quas videmus, anguſtias contractæ, ac liberaliori eruditione, qua ſuffragante, ſuppetiaſque ferente, facilè & libertatem ſuam, & priorem dignitatis, ac gloriæ ſplendorem, amplitudinemque vindicaverit. Quæ cauſa, ſi non eſt, & alia, vel ſola hortari, & excitare nos debet, ut ſumma animorum contentione liberalia expetamus, & revocemus litterarum ſtudia: quos utinam ea res omnes ex æquo haberet ſolicitos. Vereor enim, ut eà cura tanto minus tangat aliquos, quanto magis ſtudent rebus & à litteris, & à religione alienis: venationibus, inquam, aucupiis, aleæ, ventri denique, ac veneri, ut nihil aliud dicam. Hi hoc durius objurgandi ſunt, cum plerique ipſi impendio indocti, ac barbari ſunt, culpandæ denique ignorantiæ tenebris infuſcati, oppreſſa, extincta, ac deleta cupiunt, etiam ſacrarum litterarum ſtudia: ſperantes hac ratione ſuam quoque inſcitiam facilius latere poſſe: ſatis eſſe rati, ſi nomen, ac dignitatem ſuam tueanturocioſis titulis. Habetis priorem orationis partem.

[...]reſes ex [...]lis ne[...]ctis.

Venio nunc ad religionis, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ repurgationem. Quam vero cupiam veræ, ſynceræ, minimeque ſuperſtitioſæ religionis formam, & imaginem, non jam litteris in tabulis, aut membranis deformatam circumferri, verum cordibus veſtris inſcriptam, impreſſam, pietatiſque operibus expreſſam exhiberi ſpectandam cæteris, ex qua alii via virtutum ſimulacra exprimant, ad quam item vitam ſuam exigant, quamque imitentur? Quemadmodum enim permagni refert, rectè, ſecuſve diſcipulos præceptor doceat, ita plurimum intereſt, bene, an male vivat, qui vitæ aliorum fungendæ, ac formandæ ſuſcepit provinciam. Ita enim ſive natura, ſive moribus comparatum eſt, ut non tàm facile verba ejus, cui ſe totum quis credit, quàm facta æmulari contendat. Quo fit, ut ſi ii, qui præſunt, perperam agant, fiant ipſis ſubditi, quàm ſimillimi: ut nihil hoc Gregoriano verbo verius ſit, quo ait, Gregem conſequenter ferri in præceps, ſi per prærupta vitiorum gradiatur paſtor. Quale autem eſt, obſecro, ſi ii, quorum refert, errantes, & delinquentes corrigere, objurgare, coercere, atque omninò continere in officio, ſint ipſi omnium corruptiſſimi moribus? Qua etiam fronte, qua libertate alios reprehendent, ſi iiſdem aut gravioribus forte vitiis ſunt ipſi obnoxii? Quiſque ſecum ipſe reputet, quanto pudore ſui nominis delinquant ſubditi, dum ad ipſius exemplum alius ludit alea, alius ebrietati, ac crapulæ eſt deditus, alius fœdis voluptatibus dat operam, alii alia pro ſua quiſque libidine deſignant. Meminerit proinde quiſque vocationis ſuæ, & hoc eſſe ſtudeat, quod dicitur, quodque audit: Poſuit vos Deus in Eccleſiam, alios Epiſcopos, alios doctores, alios Euangeliſtas, ſeu prædicatores, alios paſtores, & diſpenſatores myſterii verbi Dei, diſpenſatores multiformis gratiæ

Exempla.

tiæ Dei. Magnifici tituli, & quos blandè compellati facile agnoscitis. Atque utinam vere agnoscatis omnes. Hi enim non tàm dignitatis, quàm officii vestri vos admonent, si sapitis. An verò susque deque habetis, sedere ad Ecclesiarum gubernacula, regere, ac pascere gregem Christi, quem tanti ipse fecit, ut ei redimendo sanguinem & sudaverit, & fuderit, si non sanguine fleverit? Quod si magni hæc vobis sunt, quin (amabo) probe, ut convenit, respondere curetis vocationum vestrarum titulis? Hem Pelarge, dicet aliquis, extra chorum saltas. Minime gentium. Cohortator sum, non objurgator: siquidem rogo, hortor, moneo, idque amanter, quisque, ut suo fungatur munere, & clavum rectum, quod dicitur, teneat. Quod si me inhortantem ægrè forte auditis, Petrum quæso audite, etiam obsecrantem, & amplissimis præmiis invitantem, ut commissum gregem exemplo etiam, nedum verbo pascatis. Recito verba Pontificis. Presbyteros vos ipse quoque Presbyter obsecro, *pascite, qui in vobis est, gregem Christi, curam illius habentes, non coacti, sed volentes, non turpis lucri gratia*, sed propenso animo, *neque ceu dominium exercentes*, adversus clerum, sed sic, ut sitis exemplaria gregis, *& cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam*. Certe vel hinc colliquescit, non satis esse commodo pastori ad populum è suggestu agere, nisi & vita, seu conversatione studeat aliorum animis certam morum formam imprimere; idque non necessitate, aut religione officii, neque quæstus gratia, sed paterno, syncerоque affectu.

Porrò, ut Petrus Ecclesiarum præsides, typos, seu formas factos esse dicit gregis dominici, ita eosdem ipse servator salem terræ esse dicit, lucemque mundi, opinor, ut non uno tantùm nomine de officio suo illos commonefaciat. *Officium pastorum.*

Verum cum hoc non solùm Apostolis dictum sit, sed omnibus, quorum interest justo clavo designatas gubernare Ecclesias, vestræ quoque curæ, ac laboris erit, sana doctrina, falsa, ac mordaci reprehensione, honestæ etiam vitæ exemplis, fluxos animos, velut sale perfricare, urere, & restringere, ne in vitiorum putredinem diffluant, perpetuosque vermes spargant. Sic item ignorantiæ, errorumque tenebris offusas, infuscatasque hominum illustrare mentes, ut & ipsi eadem luce potiantur in Dei gloriam. Inde enim Salvator, postquam dixit non esse ex more hominum, ut accensam lucernam subtus modium ponant, sed super candelabrum, ut luceat omnibus in domo existentibus, continenter subjunxit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum celestem.*

Si his, qui in Christianismo vix tertias tenent, Apostolus præcipit, ut vita, conversatione, ac moribus, ceu luminaria in edito posita luceant in medio nationis pravæ, ac perversæ, si quem fortè è tenebris in lucem vindicent, quid non his, qui primas tenent in Ecclesiis, faciendum est, in veritatis lucem revocandis errantibus? Hæc enim, qui serio præstant, & candide, magnum profecto merentur operæ precium: nam & Daniel vaticinatur eos, qui & docti fuerint, & alios ad justitiam finxerint, ceu splendorem firmamenti, & quasi stellas perpetuo, æternumque fulsuros. Et ipse Servator eum vere magnum vocatum iri, ait, in regno cœlorum, qui justitiæ præcepta & ipse fecerit, & alios edocuerit. Contra eum minimum fore in regno, qui vel unum ex minimis, etiam mandatis solverit, aut solvendum esse docuerit. Nihil verò minus convenit, quàm vel sal fatuum fieri, ac desipere, vel lucem tenebrosam esse. Quorum hoc quidem tùm denique fit, cum ii, quorum est sapientiam in alios transfundere, & quasi de suo lumine lumen in aliorum mentibus accendere, perniciosi; & ipsi errant, & alios in errorem adducunt. Illud autem tunc fit, cum ii, quorum refert, sermone

A gratia salito, probatæque vitæ exemplo aliorum condire mores, fluxosque solidare animos, aut non solide docent, sed stulti ipsi cum sint, fatua (ut Isaias ait) loquuntur, aut non, ita ut loquuntur, vivunt, quo fit, ut doctrina illorum desipiat, adeoque conculcetur, despiciatur, rejiciaturque ab hominibus, ut hic quoque locum habeat Gregorianum illud: Cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. Prius illud doctorum, ac pastorum genus Hieremias subinde taxat in Prophetis mendacia loquentibus, quibus nihil vanius esse possit, aut tenebrosius. Posterius verò ipse Servator in Pharisæis notat, aut mandata hominum docentibus, aut alios, ut ad præscriptum Mosaicæ legis viverent urgentibus, cum diversum ipsi facerent. Qua quidem re, quid, amabo, cogitari potest stultius? *Dicunt*, inquit, *& non faciunt. Imponunt humeris hominum onera gravia, & portatu difficilia, quæ tamen ipsi ne digitulo quidem vel movere volunt.* His non melioris notæ sunt, qui hac nostra quoque ætate aliud foris docent, aliud ipsi domi agunt. Prædicant Christum in deserto jejunantem, vivunt Epicurum splendide in hortis cœnantem. Aliis jejunia commendant, ipsi Bacchanalia vivunt. Tales Apostolus graphice suis coloribus alibi exprimit, atque objurgat durius. Ut sciens interim, ac prudens prætercam objurgatiorem illam expostulationem, qua in Psalmis cuidam dicitur: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Sed his valere jussis, ad figuram orationis redeam, & quantum possum, vos omnes venerandi patres, ac Domini hortor, moneo, rogo, & obtestor: Agedum favete rectioribus studiis, eaque postliminio redeuntia, obviis (quod ajunt) ulnis excipite, juvate, hisque instaurandis totum adjicite animum. Huc studium, curam, cogitationes, consilia, operam, conatum, authoritatem omnem, denique & fortunas vestras, quantum res fert, conferte. *Vitia pastorum.*

B

C

Quod si quid forte, & in religionis studio neglectum est, curet pro se quisque emendatioris vitæ usura sarcire, aut anteacti temporis negligentiam compensare. Facietis autem omninò, nisi forte, si quis est, qui nullam vel communis reip. Christianæ, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel propriæ salutis rationem habendam esse putet, quod mihi quidem de vobis dicere religio sit. *Hortati[o]*

Attamen cogitet quisque in eadem (quod dicitur) navi nos omnes esse, commune esse periculum. Nondum enim, proh dii immortales, ex tantis malis emersimus. Jactatur adhuc fluctibus, ventisque concutitur Petri navicula. Quare sedulo advigilandum. Cum primis verò orandus est Christus, ut ventos ipse increpet, hanc rerum tempestatem in tranquillitatem vertat, ac fluctuantem naviculam in portum vindicet, Ecclesiam honestis tùm litterarum, tùm verò religionis studiis, præcipuis utique vitæ ornamentis, exornet, foveat, alat, conservet, ac tueatur ad laudem, & gloriam nominis sui sancti, & in sæcula benedicti. Amen.

D

Postquam igitur doctor Pelargus orandi finem fecisset, crebra, atque decenti processione ex majoris Ecclesiæ choro ad vicinum, adeoque contiguum beatæ Virginis templum itum est, in quo cum ordine patres consedissent, Reverendissimus Treverensis Dominus sequenti verborum forma per eundem suum vicarium omnes compellari jussit.

E

Summaria tractandarum rerum propositio.

Tametsi, reverendi, generosi, nobiles, aliique patres venerabiles in Christo charissimi, Reverendissimus Dominus noster, ob vestrum omnium conspectum, atque parendi alacritatem, qui, ut membra capiti morigera, ad præsentem synodum libenter quoque adestis, plurimum sibi gratuletur: tamen

tamen quia corporum repræsentatione tantùm, atque personarum intuitu, animorum abdita haudquaquam patescunt, idcirco in primis ad hujus negotii tractationem, * quo modo in manibus est, plurimum referre existimavit sua paternitas, si pia, atque libera, claraque confessione fateamini, utrum vos non modo æquo animo laturi sitis illius reverendissimam fraternitatem, vestris moribus, si quos vestra parum dignos vocatione fortè perspexerit, juxta reformationis normam, ac pium ejus in vos omnes affectum consulere volentem, verùm etiam animum, mentemque huc intuleritis, ut persuasum vobis sit, hanc causam, de qua impræsentiarum agitur, ex æquo omnibus esse communem, si quidem omnes deliquimus, culpamque admisimus, cum paulò ante acta ætate immensam malorum colluviem in nostras omnium cervices vidimus constillasse, quam Dei benignitas alio derivabit, reddita nobis ampla tranquillius vivendi respiratione. Quamobrem sic omnes affecti estis (ut quidem esse debetis) ut cum reverendissima illius paternitate erecto in religionem animo, sive collatis (ut ajunt) signis, seu privata quisque vi, atque virtute, juxta officium sibi commissum, in primis contra hæreticos, atque pravas illorum doctrinas vobis bellum suscipiendum esse putetis. Deinde si de propriis moribus turpitudinem, si sunt infecti, tollendam, si ruptam Ecclesiæ unionem resarciendam, integramque tutandam vobis existimabitis, si denique omnium rerum agendarum ordinem instruendi subditos vestram rationem habendam, statuendamque tùm ex reformationis forma, tùm ex prædictis synodi decretis firmiter, indubitanterque animum induxistis, idque alta voce prædicaveritis, jam opportunum reverendissima illius paternitas judicat, ad reliqua, quæ ex usu erunt præsenti synodo, transire, eaque, quàm poterit maximo cum fructu absolvere.

Consensus Ar... ep. His auditis, hilari, & læto vultu patres responderunt, sibi nihil esse prius, aut magis in votis, quàm ista omnia, quæ in reformatione continentur, tùm ea, quæ per synodum omnium suffragiis forent decernenda, verbo, & opere exequi, atque si vel vitæ periculum obstet, etiam præstare.

Postquam autem hanc patrum, cæterorumq; expectatam juxta & piam responsionem Reverendissimus gratiosè accepisset, collaudari primum per vicarium suum, deinde gratias patribus agi, & cæteris omnibus jussit, eo quod & promptè denunciationi paruissent, & res serias, sanctas, ac salutares, non ut bona mortalium pars per ignorantiam rejicerent, sed obviis ulnis, ac toto pectore in universum reciperent, atque complecterentur.

Adjecit etiam Suffraganeus, non sine divina benignitate factum esse, credi oportere, quod post tot præclarissimarum regionum concussiones, post tantas templorum, ædiumque insignium, atque monasteriorum ruinas, quibus civitatum, provinciarumque ornamenta, & decus continentur, post tot religionis miserandas strages, Treverensis Ecclesia bonorum precibus, & sanctimonia, patrum cura, pastorum excubiis veterem, & ab Apostolis penè traditam formam ad hæc usque tempora inviolabiliter retinuisset. Quam rem acceptam ferre hortabatur divinę misericordiæ, quæ in maxima prophetarum inopia, cùm unus tantùm superesse videretur, sibi septem millia virorum cultorum reservaverat, qui genua ad idolum Baal non flexerant. Itaque postquam Dei favorem, gratiam, atque clementiam jugiter implorandam admonuisset, atque jam omnia, quæ ad decretorum rogationem, patrumque suffragia colligenda pertinerent, contulisset, placuit reverendissimo, ut iterum à prandio conveniretur, atque à patribus decreta de publicis criminibus relegerentur: lectaque, ac diligenti cura examinata, postero die ad universum synodi consessum referrentur, ac patrum attestatione recepta in synodo, ab illius paternitatis Suffraganeo in Metropolitanæ Ecclesiæ choro publicarentur, & postremum hujus synodi actis insererentur. Quod quidem juxta Archiepiscopi nostri sententiam factum est. Hic reverendissimus Dominus attendens, quod à capite, ut eo facilius ad membra deveniatur, omnis emendatio vitæ sit inchoanda, se humiliter submittit reformationi, oratione, ut sequitur.

Cum animo reputaret non satis esse rectè vivendi formam aliis præscribere, nisi ille ipse, qui leges dictare, suiipsius parem, vel majorem etiam rationem habuisse videretur, & quia omni vitio carere, angelicum magis, quàm humanum arbitrabatur, & alios quoque in alienis peccatis, vel oculatiores esse, vel severiores judices, tùm nos etiam indulgentia, qua nostra extenuamus, plerumque impediri: ideo reverendissima ejus gratia haudquaquam committendum sibi putat, ne dum aliorum moribus opportuna consuluisset, ipse sibi in propriis tollendis erroribus videretur defuisse. Quare unumquemque eorum, qui huic celebri synodo aliquid consilio, & prudentia attulerunt, per fraternam charitatem obsecrare statuit, imò & nunc obtestatur, ut libertate in se monendi utatur, & candidè vitium, si quod fortassis humano errore ad Archiepiscopatus fastigium ab ipsius gratia sit allatum, aut majorum consuetudine traditum, in apertum proferant, quod salutari subindicatione resecetur, aut opportuna ratione retexatur. Nam eo prorsus affectu suam paternitatem ad publicam synodum descendisse non dubitarent, ut nihilo segnius propriæ salutis, cujus cura maximopere ageretur, quàm illorum, qui noxiis erroribus bonorum oculos perstringerent rationem, consiliumque esset habiturus. Ita demum fieri posse ratus, ut, capite repurgato, membra facilius ad sanitatem restaurentur. Deinde quoque universi probi exemplo præsidis excitati, seipsos excusarent, & quod à Cæteris, imò ipsorum veterum toties recusis reformationibus diffidens, peregrinum, atque absonum in se quisque deprehendisset, non expectata ulterius executionis medela, ipsam turpitudinem abominaretur, aut divino denique judicio permotus cupidè repudiaret. Quamobrem si quid per incuriam, aut socordiam fuisset omissum, si quid publicæ utilitatis privati commodi gratia occultatum, si quid illicitis exactionibus à subditis, qui propria vita sunt illius gratiæ chariores, esset extortum, si pupilli, viduæ, & innocentes ab officialibus utriusque conditionis per vim oppressi, postremum si pro justitia tyrannis dominaretur, id, quicquid esset, quod ad suam quidem paternitatem spectare videretur, candidè (ut prædictum est) à patribus admonita ejus gratia, quàm posset maximè, & cito, & diligenter emendare velle promittit, potissimum cùm non dubitet se eo nomine apud Deum, cujus vicarius est, gratiam inire, & reipublicæ suę commodis cum pace, tranquillitateque consulere posse.

Archiep. in propria synodo petit se argui.

Responsio patrum.

HUic tàm piæ petitioni à synodi statibus, & in primis à reverendis Abbatibus, deinde à Metropolitanæ Treverensis Ecclesiæ dominis canonicis responsum est, nihil se reperire posse, quod reverendissimam gratiam suam dedeceret, aut in administranda publica re tanquam grave, & damnosum offenderet, sed hortari omnes, ut eum, quem ipse statim gubernationis cursum à portu instituisset, ad ultimam usque metam indefessus teneret, spem maximam patribus invectam esse sub tanta præsidis bonitate, omnibus beatè vivendi summam occasionem, firmamque propositam esse. Collegiatæ autem, & secundariæ Ecclesiæ, quia gravari se contributionum inæqualitate, quæ ad subsidia impositæ dudum fuerunt, sentirent, humiliter supplicaverunt, ut utriusque

que ſtatus cenſu valde inæquali conſiderato, pro collegiorum tenuitate, atque ubertate cenſerentur, & reverendiſſima illius paternitas eorundem collegiorum, ac reliqui cleri Eccleſiaſticam libertatem, ut cœpiſſet, tueri dignaretur. Hoc equidem ſe, quoad fieri poſſet, curaturum per Dominum Suffraganeum illius gratia benignè promiſit.

Submiſſio Suffraganei.

Ubi autem Reverendiſſimus Dominus patrum de ſe ſententiam cognoviſſet, reverendus Dominus Suffraganeus: Quæ, inquit, Pontificalis muneris ſunt, ipſum reverendiſſimum Dominum Trevereſem propriis humeris ſubire quidem æquum eſſet, nec dignitate inferioribus ſanctum officium committere: verùm quia diſtrahunt non pauca, atque ſubinde recenter emergentia hinc inde Archiepiſcopatus negotia, juſtiſſima de cauſa ad me tanquam fidelem Suffraganeum, ejuſmodi Eccleſiæ miniſteria pro ſuæ voluntatis judicio traduxit. Et quoniam tàm ſancta munia ſub tribus inſignibus virtute præſulibus continuavi, à me nunc porro adminiſtranda, ideo non ſine pudore aliter agere licet, quàm officii mei ratio depoſcit, ut videlicet ſanctum, & inculpatum in omnibus me præſtem, virtutumque exemplar aliquod factus, cæteris Eccleſiaſticis viris pietatis facem accendam. Idcirco obnixe vos patres reverendos oro, ut veſtro reverendiſſimum Dominum judicio, benignè de omnibus, quæ officio noſtro dedecori eſſe queant, admoneatis, quo deinde me paternitatis illius reformatione correcto, provincia mea omnibus utilis, ac ſalutaris eſſe queat.

Ad hæc dum patres uno ore reſponderunt, Suffraganeum ſub prioribus memoria dignis præſulibus officio liberaliter functum eſſe, nihilque aliud accuſatione dignum reperiri, quàm quod conferendis ordinibus in jure ſtatutas inſinuationes, vel prorogando, vel antevertendo turbaſſet, ſed exemplo illius rei veraces cur ita neceſſitate compulſus feciſſet, cauſas cum adduxiſſet, patres in omnibus purgatum habuere.

Ac deinde ſtatim reverendiſſimus Dominus per ſuum Suffraganeum reverendos dominos Abbates, alioſque profeſſione, dignitateque eximios, ſimili examinatione percurrendos innuit.

Sequuntur edicta ſynodi diœceſanæ Treverenſis, præſidente Reverendiſſimo in Chriſto patre, & ampliſſimo principe, &c.

Joannes Dei gratia Archiepiſcopus Treverenſis, ſacri Romani Imperii per Galliam, & regnum Arelatenſe Archicancellarius, ac princeps Elector, univerſis, & ſingulis quorumcunque Monaſteriorum Cathedralis noſtræ, & Collegiatarum, Parochialiumque Eccleſiarum Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, etiam ruralibus divinorum rectoribus, Curatis, & non curatis, aliiſque Eccleſiaſticis perſonis civitatis, & diœceſis noſtræ Treverenſis, Salutem in Domino.

Cum olim Chriſtum in carne ambulantem, & verbum Dei ſeminantem, ſe veritatem appellaſſe non ignoremus, certo perſuadendum nobis erit, per ipſiſſimam illam veritatem nos falli minimè poſſe, quum ejus præſentia nos quotquot in hoc cœtu ſacro ad Euangelizandum bona, & exterminanda mala compererit, ſpiritus ſui chriſmate illuminatura ſit. Ait namque: Ubi duo, vel tres in nomine meo congregati ſunt, in medio eorum ſum. Huic ideo veritati tanquam ſacræ anchoræ innixi, non modo ſæculo noſtro licet turbulentiſſimo, ſed & poſteritati conſulere volentes, quædam pudenda, atque fœda, neq; ullo modo ferenda in clero flagitia, ut eſt concubinatus

A ſcortatio, & ſimilia, de quibus ordine inquiretur, Synodico hoc decreto inſectari, caſtigare, denique exſcindere ſecundum invectas olim canonicas ſanctiones ſeverè ſtatuimus, mandamus, atque per præſentes decernimus. Deinde refractarios, atque pertinaces præſentes, ſeu futuros, canonum cenſuris, & reformationis pœna, ſynodi authoritate freti, juxta delictorum genera, magnitudinem, atque fœditatem, coercendos, atque puniendos demandamus. Ita enim legum, & canonum ſeveritatem veriti, admiſſorum pœnitentia peracta, Deum timere, & amare, & ab iniquitate ſeſe avertentes, honeſta vivendi exempla eſſe conſueſcent. Cæterum quando ingluvies, vinique intemperantia non paucos obnoxios habet, atque delectat, quo vitio cùm omnes, tùm B clericali ordine initiati, Deum graviter offendunt, ideo nobis, & ſanctæ ſynodo viſus eſt huic turpitudini ante omnia, utpote multorum malorum fonti, medelam adhibere.

De Clericorum temulentia.

Porro ebrietas, ut palam eſt inſignium flagitiorum incitatrix, ac ſcaturigo, quæ in comeſſationibus, & conventiculis dominatur, Eccleſiaſticum gradum ſumma cum turpitudine paſſim infamavit. Quod perpendens Reverendiſſimus Dominus noſter, quàm tetrum, & abominabile ſit, cùm in prophanis, tùm in ſacerdotibus vitium, quamque periculoſum, rixis nimirum, cædibus, atque vulneribus ſcatens, C quod confeſſionum arcana ſæpe effutit judicium, mentemque pervertit, in quaſcumque denique libidines, pecudis inſtar ratione privatum, impellit, atque exagitat, ideo huic fœditati deditos Eccleſiarum miniſtros Reverendiſſima illius paternitas, unà cum præſenti ſynodo, ab officiis, curis, & Eccleſiæ muneribus removendos decernit. Quod enim inhoneſtius, quàm vino aſſiduè madidos ejuſmodi helluones animarum curæ præeſſe, de quibus Propheta dicit: Væ ſacerdoti, & Prophetæ præ ebrietate erranti, & nunquam judicium aſpicienti. Formidabilem namque in eos ſtatuit pœnam Euangelica tuba, niſi (Johele Propheta monente) fleverint, atque ululaverint, ex inopinato dividendi à ſobriis, ut cum hypocritis, exitii, æterneque damnationis partem ſortiantur. Qua-D re ad ſobrietatem cùm omnes, tùm præcipuè Eccleſiæ ſervos, qui luminaria mundi, & ſal terræ ſunt, unà cum Paulo, Reverendiſſima illius paternitas inhortatur, utque temulentiam, in qua luxus eſt, devitent, obnixè precatur. Cæterum, qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab officiis, & beneficiis, ut dictum eſt, Eccleſiaſtica cenſura, & ſynodi authoritate primum ſuſpendit: deinde ſi etiam impudenter deteſtandæ conſuetudini, & dictu pariter, ac viſu fœdiſſimæ, ulterius inhæſerint, omnibus bonorum gradibus exutos, ad quadrupedum ſortem, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit, majoribus ſuppliciis affectos, ſtatuit abjiciendos.

De eorundem concubinatu.

E Huic verò alia ſuccedit, & penè gravior offenſionis macula, illicitus ſacerdotum, & diaconorum concubinatus, qui quantum jam inde ab initio apud omnes fidei Catholicæ cultores, conſecratis hominibus pepererit invidiæ, atque conſciverit odii, vix dici poteſt. Audemus tamen ingenuè fateri, nullam aliam labem ebrietate, & concubinatu vulgi oculos accerbius offendiſſe, majoremque cauſam dediſſe ſæviendi, ac murmurandi contra Eccleſiæ ſtatus. At etiam illud negari non poteſt, quod præter evidentia ſacrarum litterarum teſtimonia, præter canonum ubique caſtimoniam initiatis inculcantium decreta, etiam ipſa ratio quodammodo loquitur, Eccleſiaſticum hominem, qui divinis legibus ſeſe, & anima-

animarum saluti obstrinxit, castitatem sectari oportere. Quomodò enim alias, juxta Pauli admonitionem, præstare possemus, ut adhæreamus Domino absque ulla distractione? Cum enim corpus nostrum templum sit habitantis in nobis Spiritus sancti, quem habemus à Deo, & nostri negamur esse juris, qua ratione fieri potest, ut sine Dei injuria in alterius redigamur potestatem? Siquidem etiam maritus proprii corporis jus non habet, sed uxor. Quid igitur juris nunc Spiritum sanctum in Ecclesiæ servis habere dicemus, qui corpus suum scorti per illecebrosum concubitum fecerint membrum? Hæc nimirum solicitè pensiculantes, visum fuit nobis, ac toti synodo, non obstante priori contra concubinarios mandato à nobis emisso, de integro admonere, ac illos per Christum rogare, ut, qui hactenus castitatis vota non violaverunt, studeant ad ultimum usque terminum vitæ incomparabile bonum, ne amittant, memores, quod agnum immaculatum, quocunque ierit, comitabuntur.

Cæterum quicunque carnis imperio, quo nihil potest hujusmodi accidere indignius, vinci se passi sunt, conspurcatisque per exosam Deo impudicitiam membris, in contumeliam sacrorum mysteriorum abuti non verentur, illis nimirum, abactis ejusmodi incontinentiæ latrinis, pie consulimus (quoniam Deus benignus, & misericors est) ut secundum hujus sanctissimæ synodi decretum, se ad integritatem totos convertant, peniteant, culpam deprecentur, erroris sui veniam apud Deum, & homines consequuturi.

Deploratorum pœna.

QUando tamen hæc pestis, ut verisimile est, quosdam adeò pervasit, ac ita in totum labefecit, ut perquam exigua spes sit, à fornicationis maculis, vel diuturnitate temporis, vel Reverendissimi gratia, tanquam mitiori medicina elui posse, in illos igitur primum divinæ vindictæ metu, deinde de synodi hujus censura ejus paternitas decernit, ut simul atque hujusmodi in libidinis cœno volutari deprehendentur, illico mandati contra concubinarios editi vigore, omnibus Ecclesiæ bonis spolientur, scorta verò, aut de impura consuetudine illorum nomine suspectæ, longissimè ab irretitorum, misereque captorum ædibus, synodi virtute, firmaque Reverendissimi authoritate pellantur.

De concubinis ad parentes redire volentibus.

SI qua verò abjectarum, si ita res fert, in eadem parochia, in qua ministro altaris adglutinata fuit, hæreditariam domum habeat, ea ne ob decreti vigorem privata animum despondeat, & ad desperationem adigatur: Reverendissimus noster unà cum synodi authoritate permittit, ut ad suos parentes commigret, & de priori conversatione pœniteat, omnemque anteactæ vitæ infamiam constanti pudicitia in posterum servata abstergat.

De relabentibus.

POrro, si qui aut ea, qua dictum est, causa remanentes, aut extra parochiam relegatas, concubinarii evidentibus indiciis, & fide dignis testimoniis clam, seu palam revisisse, adiisseque convicti fuerint, illos communi nostra, & synodi sententia, ipso facto ab officiis, & beneficiis cecidisse, & iisdem privatos esse decernimus. Prævaricatrices verò, ut canis ad vomitum reversus, dignis censuris extra hæreditarias ædes exterminandas edicimus.

A

De sortilegis sacerdotibus, & laicis.

QUi verò auguria, & sortes tractant, sive sacri, sive prophani, aut divinationibus, & incantamentis vacant, quibus sane studiis Dei cultus deseritur, & ad dæmonum, fallaciumque spirituum præstigia confugitur, illos quotquot officiales attenta investigatione deprehenderint, canonico anathemate, nisi à damnatis divinitus erroribus ad legitimum Dei cultum illico admoniti animum, atque mentem revocaverint, non modo non ferendos reverendissimus, unà, & synodi senatus declarat, sed per officiales in vincula quoque conjiciendos decernit, quousque, dæmonum, magistrorum videlicet suorum, susurris,

B ac illusionibus liberentur.

De Apostatis.

VErum, ut nullum facinus turpe sine Cacodæmonum instinctu admittitur, ita etiam religiosa professio, illius inspiratione in omnibus pene provinciis à quibusdam votorum Sanctorum oblitis, nulla de causa est violata. Isti quidem pro nihilo duxerunt, postquam ad Dominicum aratrum manum apposuissent, non respicere tantùm, sed & turpiter damnare, insectari, & quibus possent conviciis, proscindere omnem, quam professi sunt aliquamdiu anteactæ vitæ rationem. Cum igitur tales, qui, spretis votis, projectis cucullis, ac religiosa in totum deserta vita, ad sæculum sese retulerunt, passim etiam in Treverensi Diœcesi vagari, ac libidinum nexibus ad Ecclesiæ offendiculum involuti reperiantur, Reverendissimus Dominus cum congregatis Patribus nefas esse putavit, nisi præsentis Synodi decreto, utriusque sexus apostatæ ad propria Monasteria, habita singulorum justa ratione aggregentur.

C

Contra Apostatarum patronos.

VErum enimvero nonnullam quibusdam ex illis præbuit fortasse ad desertionem occasionem, refugii quorundam patrocinium, quo quasi tecti Ecclesiasticam se censuram evitare posse considerent. Ideò reverendissima gratia sua, hujus synodi suffragiis adjuta, sub censuris huic negocio idoneis, ac suo tempore specificandis, omnibus Treverensi Diœcesi subjectis, cujuscunque status, & præeminentiæ extiterint, mandat, ac præcipit, ne posthac tales apostatas recipere, fovere, tueri, aut animarum curis præficere, ullamve in Ecclesia Provinciam illis committere præsumant. Quin etiam potius, ne se alienis prævaricantium sordibus coinquinent, illos admonitos esse de paterno affectu desiderat, ut hactenus contra Ecclesiæ decreta defensos, ita pro viribus ad professionum repetitionem, reditumque adhortentur, ad quem reverendissima ejus gratia propensis, & auxilium, & opem, & restitutionem benignam, prævia pœnitentia, misericorditer promittit.

D

De iis, qui contra votum solemne præstitum connubio sese alligarunt.

E

POstremo, quia Pontificum, & occidentalis Ecclesiæ ordinatione jam olim divinitus constitutum est, ut ritè consecrati utriusque sexus homines, quo corpore, & animo jugiter Deo inservirent, non tantùm in suis conventiculis castimoniam colerent, sed etiam, si forte de suscepta solemniter professione, aut errore seducti, vel intemperantia incitati defecissent, neutiquam contrahendi matrimonii jus haberent, atque adeo communi id apud omnes consuetudine receptum fuit, & Canonicis, & civilibus legibus, de vano, & incestuoso talium conjugio satis, superque est proditum. Nam proli quoque, si quam sustulerunt

runt tales, legibus successione esse interdictum tenetis. Ad tollendum igitur ejusmodi vetitum matrimonium suo, ac Patrum decreto Reverendissimus Dominus noster decernit, ac strictè mandat, ut quocunque loco in Diœcesi sua, aut sub quacunque Ecclesiastica, vel prophana ditione Monachi, Moniales, aut alii sacris ordinibus initiati, nuptiali fœdere copulati delitescant ab officialibus prehensi, suis impensis, sibi velut ordinario præsententur: ut ex his pro delicti qualitate alii castigati, alii Monasticis disciplinis emendati, exemplo sint posteritati, ut ab enormi scelere caveant. Porrò resipiscentes, & ad Ecclesiam matrem redire ultro volentes, quatenus ad reipublicæ Christianæ utilitatem spectare cognoverit, placabili, & propenso animo, ut oves perditas, & filios prodigos Reverendissima illius gratia recipiendos pollicetur.

Ordinum explorationes.

FUerunt autem examinationum capita, quæ verè Euangelicos fructus producunt. Quæsitum enim est, num essent fastu turgidi quidam? num superbia inflati? aut libidinum illecebris inescati (qua scabie Monastici plerique ad bonorum virorum nauseam usque sunt infecti) qui diaboli imperio magis, quàm Christo parerent? Deinde, an temperantiam, humilitatem, patientiam, cæteraque virtutum Monasticarum arma, contra vitiorum impetum, ut milites Christi decet, parata haberent? & an, ut alii idem conarentur, sedulo prædicarent? Et si quid forte turbulentum, odiosumve inter confratres subortum, num etiam, ut sopiretur, tanquam pacis boni amatores, collaborassent? Ad hæc, an (quippe Monastici viri) præcipuam navarent operam, ne cultu tantum foris, atque composito ad pietatem corpore (id quod major pars satis esse ad pietatem indicat) sed intus in pectore virtutum thesaurum, & religionis veram imaginem circumferrent? Deinde, an horis decantandis, orationibus fundendis, atque jejuniis stato tempore strenuè vacarent? Num hospitales essent? num peregrinorum, pauperum, & pupillorum curam subirent, propriis, honestisque ad hoc comparatis ædificiis, tùm competenti supellectile adjecta? Quod inter extrema quidem Monasticæ vitæ opera minime ponitur; quoniam in hoc tot, tàmque ampli redditus sunt piorum hominum *b* liberaliter congesti. An postremò ea omnia, quę sanctimoniam commendarent, *c* graviter singuli suis fungendo probe, tanquam coram Deo, officiis prosequerentur? nam ea est Dei voluntas.

b Liberalitate.
c gnaviter.

Ad hunc autem modum Monastici ordinis patres compellati sunt: quo quid Religionis disciplina, verusque Dei cultus exigeret, in memoriam prolixius revocare, & manum juxta Synodi præsentis decretum operi adhibere possent.

Tandem, ne quid præteriretur, quod ad celebris Synodi absolutam rationem pertineret, gratia Reverendissimi, metropolitanæ Treverensis Ecclesiæ, cæterorumque Collegiorum cùm superioris, tùm inferioris Diœcesis egregios, nobilesque præpositos, Decanos, Archidiaconos, aliosque Prælatos (quorum omnium cura, & exemplis publica salus continetur) benigniter, atque gratiosè rogavit, ut & ipsi, qui lucernæ essent in domo Dei, ita sese compararent, ut virtutum veros, & æternos radios subditorum oculis inferre possent: nam dubium nulli esse, si quorum id maximè interesset, tùm ob generis splendorem, tùm propter Ecclesiasticæ dignitatis eminentiam, sese tales præstarent, quales haberi, & esse cuperent, fore ut inferiores hominum ordines, bonorum exemplis *d* commoniti, ad virtutis, pietatisque studium ardentioribus animis raperentur. Quare ante omnia bonis operibus, beneficentia, sobrietate, modestia in sermone, conversatione, atque mutua

d commoti.

A charitate divites, atque locupletes fieri studeant, bonaque studia promoveant. Eæ nimirum divitiæ immortalitatis gloriam merentur: quando cæteræ quidem res omnes, occupationes, atque studia nihil quicquam solidæ beatitudinis merentur. Sed hæc reverendissima illius gratia ad morum qualemcunque institutionem satis esse putavit. Quod verò ad graviora incommoda evellenda maximopere requiritur, illud ordine, quo sequitur, propositum fuit.

In primis Reverend. Dominus noster à singulis certiorem se fieri postulavit de hæreticis uspiam in tota sua Diœcesi palam, aut abstruse versantibus, vel in Monasteriis, sive collegiis, aut agrorum vicis delitescentibus. Deinde audire quoque à singulis judicio facto postulat, si usquam inveniantur, qui Catholicam religionem, ejusque sacros ritus oppugnant. Tùm eadem obediendi religione, paternitati suæ pastores
B insigniter illiteratos nominatim patefaciant; & illos, qui Ecclesiæ doctrinam adulterant, aut sacramenta perperam administrant, aut vitam pecuinam bonis odiosam ducunt, manifestent, suppressis minime Prælatorum, cujuscunque ordinis, nominibus, qui aliqua hujusmodi nota fuerint conspersi.

In summa, quia Ecclesiam Dei gravem maculam, rugamque habere non oportet, quam Episcopi vigilantia tollere posset: ideò usurarios, Simoniacos, aleatores, percussores, vinolentos, injuriatores, ac contumeliosos, calumniatores, ad hæc Ecclesiis censu denegantes, aut æditum perniciosum agentes,
C calamitatem egentium floccipendentes, quive peregrinos de Monasteriorum, Xenodochiorumque limine arcent, aut quoquo modo Ecclesiasticam libertatem corrodunt, & opprimunt, necnon alia, cujuscunque sint classis, dedecora admittunt, eos omnes Reverendissimus sibi indicari, nominarique petit, quo cujusque defectui idoneo auxilio posthac mederi posit.

Archipresbyteri verò, qui & Decani rurales appellantur, quum ad Synodi consessum admissi sint, etiam & compastorum, & sui ipsorum officii rationem reddere Reverendissimo Domino nostro jubentur, quandoquidem ad eos pertinet, publica subditorum delicta corrigere, animarum curæ consulere, omnes pura verbi Dei doctrina pascere, miseros, atque calamitosos consolando sustentare, Ecclesię in omnibus præesse, denique ipsos sana vivendi exempla verbo, & opere exhibere, quod qui faciunt, eos duplici honore dignos Apostolus indicat. Nam tur-
D pissimum Ethnicus esse censet, committere, quod doces alios non esse committendum. De iis igitur, tùm etiam de aliis Sacerdote dignis curis, respondere suæ Reverendissimæ gratiæ debent: quo cognoscat illorum in administrandis officiis integritatem. Eo sane nomine bonis, ac lubenter parituris, gratiam, & laudem referri: malos verò, & reprobos, cujuscunque conditionis fuerint, ignominia, & pœna posthac Ecclesiasticæ censuræ vigore affici imperabit.

Archipr. & decani rurales rationi reddendæ obnoxii.

Porrò autem universis ordinibus, eo, quo propositum est, modo ad rogata responsuris, Reverendus Dominus Treverensis ipse præsedit, ac coram duobus notariis responsa accipientibus, omnium, & singulorum quæstiones, accusationes, examinationes,
E & dubia magna diligentia, & labore auscultavit, atque inquisivit: nihilque prætereundum putavit, quod ad subditorum obedientiam, communem vitæ emendationem, & Dei honorem, ac Ecclesiarum usus spectare censeret. Itaque triduo molestissima omninò inquisitione jam absumpto, atque patribus, cæterisque statibus, qui ex ordine fuerant, exploratis, cum omnes, & singuli omnia sancta, pia, honesta, ac laudabilia promitterent, atque ad communem patriæ tranquillitatem (quæ Dei, & *ejus* filii Jesu Christi puro cultu, & vivendi integritate facile paratur) concordibus votis conspirassent, seque una jam voce Cæsareæ Majestatis reformationi submisissent,

Labor Archiep. in synodo.

tan-

tandem ad Reverendissimum Dominum, tanquam ad unicum publicæ felicitatis patronum, omnes ora, vultusque verterunt. Precabantur autem, ut opem ferret, damna templorum perturbationibus incussa, & Ecclesiastica privilegia partim per vim potentiorum miserè vexata, partim defensionis inopia etiam erepta, resarciat, atque in integrum sua amplitudine restituat. Etenim proditum esse sacris litteris (neque id reverendissimam gratiam ejus ignorare) neminem suis militare facultatibus, & præceptum esse, ut, qui servirent altari, etiam de altari viverent: quod quidem per Augustum factum foret, si Ecclesiæ libertas, si proventuum integritas conservetur incolumis.

Postremò & illud patres orabant, ut illius reverendissima prudentia præcipuam curam expenderet, ut officiarios passim præficeret Orthodoxæ fidei tenaces: nam, illis vitiatis, Apostatarum perniciosa dogmata, illorum dissimulatione gliscere.

Postquam hæc patres & piè, & sincero animo locuti essent, reverendissimi ejus gratia, prout debuit, omnium in religionem affectus unicè comprobavit. Deinde petitiones, quantum per ætatem liceret, ac divina Gratia adspiraret, sibi in primis, & semper curæ futuras promisit: neque dubitarent, quin reip. suæ felicitati, cujus salutem divinitus commendatam sibi esse sciret, ita prospiceret, ut omnia illi adversantia impedimenta, incommoda, atque offendicula, prout notariorum summa cura, & fide, accedente omnium consensione, excepta essent, sæviorum executionum telis, à reverendissima sua gratia confossa, excisa, penitusque sublata, aliquando cognoscerent.

Mandatum contra concubinarios.

JOannes Dei gratia sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Galliam, & regnum Arelatense Archicancellarius, ac Princeps Elector, universis, & singulis Cathedralis nostræ, & collegiatarum, parochialiumque Ecclesiarum Abbatibus, Prioribus, præpositis, Decanis, tùm ruralibus divinorum Rectoribus, Curatis, & non Curatis, aliisque Ecclesiasticis personis Civitatis, & Diœcesis nostræ Treverensis quibuscunque conjunctim, aut sigillatim, qui Synodo nostræ Episcopali de jure, aut consuetudine interesse consueverunt, & tenentur, salutem in Domino sempiternam.

Persuasum habemus, exactis jam aliquot diebus, omnium reformandæ vitæ formam, Ecclesiasticis viris à Cæsarea Majestate commendatam, atque à nobis publicatam, penitus perspectam esse. Neque quenquam è vobis existere arbitramur, quem ista tàm salutaria non eluendis tantùm Ecclesiæ nævis, sed atrocibus etiam, atque perniciosis in religione contagionum ulceribus repurgandis, pharmaca diutius latere possint. Et cùm non pauca, neque eadem contemnenda animorum vitia, atque morum pestes in Ecclesiastico corpore grassari cernantur, quæ properam, atque citam sanationem deposcunt: idcircò auxiliatricem manum diutius differre non licet: sed, quod lædit, Canonico ense exscindendum est, ne pars sincera trahatur. Quare, cùm animum advertimus, & causam quærimus, cur plerique Ecclesiæ ministri, & verbi Dei dispensatores, cæterique de altari viventes, hac nostra tempestate non modò contemnantur à plebe, verum etiam in odio jam diu ante fuerint, nullam aliam evidentiorem rationem reperire potuimus, quàm vitam eorundem à connubiali indulgentia nihil distantem. Quæ sanè culpa, ut in primis divinarum rerum tractationi plurimum officit, ita etiam Ecclesiæ Dei, illiusque servis contemptum, odiumque haud mediocre parit. Quod quidem vitium, ubi cognovimus in nostra Diœcesi passi temporum licentia, officialiumque incuria, ut zizaniam agrorum neglectu succrevisse, falcem sacrorum Canonum, constitutionemque veterum patrum, tùm ipsius quoque Cæsaris reformationem, ac Synodi, nostræque authoritatis censuram, ne posthac amplius crescat, adhibendam esse censuimus: atque illud quidem hoc eodem mandato factum esse volumus: quamquam deinceps sæpius facturi sumus: præsertim cùm intelligamus nihil æquè dedecere hominem divinis rebus militantem, quàm ea, quæ carnis sunt, sectari. Quare etiam nunc vobis edicimus, quotquot hanc tùm Ecclesiæ, tùm vobis ipsis ignominiosam notam contraxistis, qui quidem sacris initiati estis, mandamus, atque præcipimus, nullo Ecclesiastici ordinis gradu, aut statu excepto, ut intra novem dies vos ab omni concubinatu, immo concubinatus, atque incontinentiæ suspicione omnino abdicetis, procul de domibus, ac Parochiis vestris ejusmodi offendiculi saxa, visis his præsentibus litteris, exterminantes. Neque posthac unquam deprehendamini cum suspectis, aut parum continentibus, aut ætate petulcis commercium habere. Erunt autem ii novem dies, in singulas triades peremptoria, atque Canonica admonitione vobis indulti, quo sit monendi, extrudendique spatium. Quod si quispiam vestrum, vel quicunque illi sint, interea loci à se non segregaverint probrosam consecratis ejusmodi consuetudinem, sed pertinaciter, tanquam ad saxum, pergant, adhærescere, illi se sciant ab officio pariter, & beneficio secundum dictæ reformationis tenorem, suspensionis sententia, quam hisce in litteris in illos ferimus, submovendos, fœminæ autem hujusmodi concubitus infamia conspurcatæ, nisi domibus cesserint, & consueta, suspectaque libidinum diversoria fugerint, sed deprehensæ fuerint iisdem in locis, ubi incontinentiæ ludum exercuerunt, à collegiorum, locorumque illorum Decanis authoritate nostra excommunicentur, ac publicè pronuncientur. Ad hæc iisdem Prælatis, ac Decanis severè etiam mandamus, ut ad proximè à nobis indictam Synodum, rebelles, pervicacesque, ac nostro huic mandato morem gerere ultra novem dies procrastinantes, nobis nominatim proferant, quo possimus juxta Canonicas sanctiones, aut beneficiorum privatione, aut alio genere pœnæ, aut juxta reformationis Imperialis regulam, ad integriorem, Deo, vulgoque minus odiosam vitam obstinatos adigere, ut nimirum offensionum causæ à domo Dei, quàm longissimè facessant. In fidem præmissorum, præsentes litteras sigilli nostri impressione communiri jussimus. Datum ex oppido nostro Vvitlich, die 30. mensis Octobris, anno 1548.

Executionis commissio.

VErum, quia consultationum, edictorumque finem executione, qua tanquam falce, flagitiorum, atque incommodorum noxia seges amputatur, metimur: ideò reverendissima ejus gratia, hac Synodo feliciter completa, quod ad reip. usum, & religionis celerem restaurationem plurimum valet, maturare animum induxit: quo igitur illius successus ad opus statim accommodatus, boni eventus specimen, sanctiorisque imaginem vitæ præberet, postulavit idoneos, juxta & graves de illorum, qui convenerant, numero viros, commissarios sibi dari, qui religionis offendicula, pacisque impedimenta, & alias dissensionum acerbitates, juxta decreta, ac Synodi placita, vigili, atque stricta cura, omnium nomine persequantur. Hanc reverendissimi postulationem, tùm aliarum rerum corrigendarum commissionem, Reverendi Patres, ne plus operæ sumendum esset, & jam redeundi ad suos expectationem diutius fallerent, ad amplitudinis ejus arbitrium, atque prudentiam cum humili submissione transtulerunt.

A

De libertatis Ecclesiasticæ violatoribus.

ET cùm sint, qui potentia freti, Ecclesiæ jura invadunt, aut ipsius cleri privilegia perturbant, bonaque conficta, & falsa juris specie occupant, quorum nefaria studia, oppressorum impotentia, & formidine, unà cum nominibus reticentur; ut hanc ergo tàm sacrilegam violentiam, qua hoc genus luporum grassatur, Reverendissimi Principis gratia, acerba animadversione reprimat, singularem commissarium ad istiusmodi hominum inquisitionem decernet; cui sine metu inter visitandum opprimentium nomina designabuntur: atque ita demum à sua amplitudine cogniti, Ecclesiæ censuris, Canonico, & Cæsaris decreto damnati, atque puniti, à sacrilego aucupio B repulsi conquiescant.

Præterea, quando Cæsareæ Majestatis reformatio liberam in Ecclesiasticos excessus accusationem laicis, & vicissim in illorum crimina, in Synodali consessu Clero permittit: ideò illius reverendissimæ gratiæ visum est, quod ad eum articulum attinet, in sequenti Synodo Provinciali unà cum Patribus rei exigentia tractare: ubi etiam tùm de Sacramentorum constanti administratione, deque similibus Ecclesiæ utilitatibus, juxta Cæsareæ reformationis præscriptum, si non majori, saltem pari diligentia per Dei adjutorium habebitur ratio.

Rebus igitur ad hunc modum, Spiritu Dei duce, per decem dies gestis, & pertractatis, Synodi patres, unà cum Reverendissimo Domino Treverensi observata C gravibus viris digna modestia, à templo Virgini Matri sacro, ad majoris Ecclesiæ chorum ordine processerunt: ibique actis per Suffraganeum omnibus gratiis, Synodum Provincialem ad diem lunæ post misericordias Domini proximo venturum, Reverendissimo jubente, Suffraganeus indicit.

Recitatum quoque est eodem loco, & clara voce, postquam à Patribus esset receptum, Synodi Decretum in calce hìc adjectum: quo audito, sacra Synodus est soluta.

DECRETUM.

QUandoquidem honorabiles viri, patres, & fratres dilectissimi, non ignoratis, quibus de causis D per aliquot dies hìc ad vos continuè descenderit Reverendissimus Treverensis Dominus, & quo studio, quantaque pietate in hac celeberrima vobiscum, Spiritu sancto cooperante, de rebus ad animarum salutem, & communem pacem necessariis sedulo tractarit; itaque & vestro consilio, atque omnium, qui hactenus interfuerunt favore, jam sua reverendissima gratia eo deductam esse exhaustorum in hoc consessu laborum rationem putat, ut nihil dubitari possit, quin ad restauranda religionis mœnia, ad syncerum Dei cultum erigendum, ad effuganda obscœna hæresum monstra, pulcherrima, firmaque fundamenta jacta sint. Quæ quidem multò felicius proximè indicta Synodo perficientur, & ad emendationem Treverensis Diœcesis E perducentur: quod fiet, si pro se quisque hujus sanctæ Synodi decreta, & Cæsareæ Majestatis edicta, opere, & vita præstiterit. Id enim Reverendissimus Treverensis Dominus Archiepiscopus, hicque sanctus Patrum senatus communi authoritate omnibus faciendum juxta præsentis decreti vigorem, & pœnarum edicto expressarum censuram statuit: In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Actum in publico Synodi Concilio Treveri, anno Domini 1548. *mense, & die, ut supra.*

STATUTA NOVA

In Synodo Carnotensi, ann. Dom. millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo.

EXcommunicamus omnes illos, qui tonsuram clericalem, & quoscunque ordines sacros, vel non sacros ab alienis Episcopis recipiunt, nostra speciali licentia super hoc non obtenta.

Cessit Ludov. Guillard anno 1518. nepoti Carolo Guillard

Excommunicamus alios extraneos, qui à nobis, vel de permissione nostra in nostra diœcesi tonsuram clericalem, vel quoscunque alios ordines furtivè recipiunt, sine licentia Episcoporum suorum.

Videmus per vicos, & intra Ecclesiam ad ipsa etiam altaria presbyterorum, maximè rusticorum capita feltrata, *feustrez*, Gallicè, sine biretis. Sed quo hæc, nisi citò cohibeantur? Res sanè ab honestate sacerdotali prorsus aliena.

Contra presbyteros alibi promotos.

PErmulta in Synodis anterioribus edita fuerunt statuta adversus apostatas, discursores, vagos, & ignotos clericos, asserentes se alibi promotos, ut nullus curatus, vicariusque illos admitteret, nisi litteratoriè sibi constet de approbatione promotionis litteraturæ, & bonæ conversationis illorum, sub pœna inobedientiæ, mulctæ, & emendæ. Nihilominus extraneorum presbyterorum magis, quàm unquam excrevit, colluvies, curatis, præsertim illorum vicariis firmariis tales plusquam diœcesanos appetentibus, non quod revera ipsi sint nostris æquè litterati, sed quia pro modico de Missis suis quotidianis contentantur, & in præstandis operis domesticis communibus promptiores existimantur. Quos ob id quadriennium, & plus retinuerunt absque approbatione nostra, in grande scandalum subditorum, & opprobrium ordinis, prohibemus, ne amodo ultra octo dies tales extraneos quis retinere præsumat, sine approbatione nostra, sub pœna suspensionis ipso facto ab officio.

De Pœnitentia, & Confessione.

SAcerdotes attendant, si parochiani eorum non venient, saltem semel in anno, ad confessionem, & Eucharistiæ communionem, quod nomina referre habeant, ut puniantur.

Item doceant presbyteri subditos suos, quod ipsi teneantur servare jejunia ab Ecclesia instituta, scilicet jejunia quadragesimæ, & quatuor temporum.

Item doceant sacerdotes, quod ipsi, & subditi sui teneantur jejunare vigilias Nativitatis Domini, Pentecostes, Beati Joannis Baptistæ, Beati Laurentii, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, & ipsorum sanctorum Apostolorum, præterquam in vigiliis sancti Joannis Euangelistæ, Matthiæ, Philippi, Jacobi, & Barnabæ; & si aliqua jejunia in Dominica evenerint, jejunetur die præcedente.

De ornamento Sacramenti Altaris, & Communione infirmorum.

SAcerdotes in vestibus albis, mundis, sacramentalibus, & benedictis accedant ad missam celebrandam, manipulum habeant sub brachio, & longitudine duorum pedum, stola ad minus usque ad paramentum Albæ dependeat, vel propè extremitatem Albæ. Alba, & casula integræ, non dissutæ observentur. Amictus sæpè mundetur. Cingulum mundum, & integrum, & longum habeatur, & benedictum. Presbyteri, si sub Alba induti Superpelliceo, vel Tunica linea, laudabile.

Calix ad communicandum infirmos mundus, & integer

teger habeatur, & coopertus custodiatur: & si facultas suppetat, fiat argentea pixis, in qua Corpus Domini reservatur, vel ad infirmos defertur, sit eburnea, vel argentea, vel ad minus cuprea benè elimata, & semper pannus albus, & mundus, lineus, vel sericus intra pixidem ponatur, super quem Corpus Domini in pixide collocetur.

Cùm infirmus communicare voluerit, prius visitet eum presbyter sine Corpore Christi, si commodè fieri potest, & diligenter audiat confessionem, & postea redeat ad Ecclesiam, & rediturus ad communicandum, prius aliquantulo spatio pulsare faciat campanam aliquo certo signo ad hoc distincto, ut fideles ad Ecclesiam veniant, & ipsum, qui defert Dominum suum, reverenter, & ordinatè subsequantur, & orationes, quas sciunt, dicant devotè pro infirmo, eundo, & redeundo.

Sacerdos eat, dicendo septem psalmos, & si via fuerit longior, addat quindecim Psalmos, litaniam, & cæteras orationes: incedat autem sacerdos ad communicandum cum campanula, & lucerna præcedente. Expectent autem fideles, donec infirmus communicetur, & redeant usque ad Ecclesiam post sacerdotem semper Corpus Domini deferentem: & ut populus in accedendo cum Deo suo libentius accedat, quilibet fidelis pœnitens, si devotè secutus fuerit, habeat quinque dies indulgentiæ pro eundo, & quinque pro redeundo. Si qui autem maligni hanc processionem turbaverint, si moniti non correxerint, per censuram Ecclesiasticam compescantur. Deferatur autem Corpus Domini venerabiliter, & sublimiter posito decenti cooperculo super calicem, quod sit cum cruce supra posita, & panno fimbriis sericis.

In anno, quo evenerit festum omnium sanctorum in Sabbato, fiet die dominica immeditatè subsequente officium commemorationis defunctorum juxta antiquum morem diœcesis, & intentionem Episcopi, & Capituli Carnotensis, & non transferretur in secundam feriam, sicut in novis breviariis in brevi rubeo illius diei per errorem impressum invenitur.

De sponsalibus, & matrimoniis.

PResbyteri prohibeant subditis suis, ne dent sibi fidem de matrimonio mutuo contrahendo, nisi coram sacerdote alterius eorum, qui voluerit contrahere in loco celebri, & publico, non in cameris, non in domibus, sed coram pluribus in facie Ecclesiæ, nisi sint tales personæ, quod presbytero loci ex causa ad alium locum hoc visum fuerit expedire. Et si aliter fidem dederint de matrimonio contrahendo, eos excommunicamus, & eos etiam, qui clandestinas nuptias contrahunt, & denuntiantur tales excommunicati: & si aliqui fidem dederint sibi de matrimonio contrahendo sine presbytero, & in matrimonio procedere voluerint, postmodum ulterius per Ecclesiam coram sacerdote fidem iterent, & tunc presbyter procedat ad proclamationem bannorum. Cùm autem matrimonia fuerint celebranda, contrahentes prius contrahent coram sacerdote sponsalia, & postea tribus diebus festivis à se distantibus super dicto matrimonio contrahendo banna fiant publicè in Ecclesia ad Missam post Evangelium, & proclametur publicè à sacerdote, quod talis cum tali matrimonium sunt contracturi: & præcipiatur ab ipso sacerdote (omnibus audientibus) sub pœna excommunicationis, ut si qui sciant legitimum impedimentum inter ipsos contrahere volentes, quare ad matrimonium procedere non possint, videlicet consanguinitatis, affinitatis, vel compaternitatis, vel quodlibet aliud; quod id proponant, & denuncient presbytero, antequam matrimonium contrahatur: et, si presbyteri nihilominus investigent diligenter, utrum aliquod existat impedimentum.

Cùm autem apparuerit probabilis conjectura contra

A matrimonium contrahendum, presbyter non procedat: & ipsis contrahere volentibus, presbyter expressè interdicat sub pœna excommunicationis, ne procedant ad matrimonium, donec quid fieri debeat super præmissis per Episcopum, vel ejus Officialem, Archidiaconum, vel alium, qui de talibus cognoscere possit, & consuevit, declaretur: & tunc presbyter contrahere volentes, & denunciatorem, si se partem facere voluerit, citet coram nobis, seu nostro Officiali, vel Archidiacono, vel alio, ut supra, & quod super hoc per ipsum presbyterum actum fuerit in proclamationibus, vel aliis, & causam, quare ad matrimonium hujusmodi non procedit, per litteras suas significet nobis, vel nostro officiali, vel aliis, ut supra.

B Et significet idem presbyter suis parochianis, quod quicumque impedimentum aliquod scit, vel famam super hoc, quod mortaliter peccat, si hoc, antequam matrimonium contrahatur, non denunciat.

Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes illos, qui post affidationem clandestinam, vel etiam in manu presbyteri factam, antequam matrimonium in conspectu Ecclesiæ cum solemnitate debita fit, carnaliter se cognoscent.

Item excommunicamus, & excommunicati denunciantur, qui clandestina conjugia contrahunt.

Item excommunicamus, & excommunicati denunciantur, qui postquam eis per presbyterum loci, vel officialem nostrum, vel loci Archidiaconum interdictum sit, ne matrimonium contrahant, nihilominus contraxerint matrimonium.

C Item excommunicamus, & excommunicatos denunciamus, sacerdotes, clericos, vel laicos, vel etiam mulieres quascunque, qui aliquas personas clandestinè prædicto modo præsumpserint copulare.

Item excommunicamus, & excommunicati denunciantur, qui clandestinis matrimoniis coram presbytero, vel aliis celebratis interfuerint, nisi infra mensem Episcopo hoc denuncient, vel Officiali ejus, vel Archidiacono, vel aliis, & nihilominus pœna debita privantur.

Item excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes illos, qui fidem, vel munera aliqua dederint, seu acceperint pro celandis matrimonii impedimentis, vel qui prece, pretio, gratia, favore, odio, vel timore impedimentum matrimonii celaverint.

D Item excommunicamus omnes illos, qui quomodolibet falsum impedimentum scienter proponunt contra matrimonia jam contracta, seu contrahenda. Si verò clandestina matrimonia, vel interdicta conjugia jure præsumpserint in gradu prohibito ignorantes, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum subsidium: similiter proles illegitima censeatur, si ambo parentes sciverint impedimentum legitimum, propter quod inter eos matrimonium stare non possit, & nihilominus matrimonium contraxerint.

De extrema Unctione.

E AD sacramentum extremæ unctionis sæpè presbyteri moneant populum, ut indifferenter à quatuordecim annis, & supra singuli, cùm necesse fuerit, inungantur, nec pauperes per egestatem se excusent, si non possunt habere multitudinem candelarum, vel indumenta, quæ causa reverentiæ in sacramento exhiberi solent, non propter hoc sacerdos dimittat inungere, sed sufficiat candela una inuncti, cum stupa diligenter etiam in singulis membris inunctis extergantur, & stuppæ comburantur, & cinis in sacro ponatur. Suscepturi quodcunque sacramentum, prius confessione mundentur, exceptis casibus à jure, vel statuto Synodali permissis.

De sepulturis.

VErum, cùm à pluribus sacerdotibus intellexerimus, quod quidam religiosi, & alii multi, lucro magis, quàm devotioni inhærentes, per se, vel per alios fraudulenter (in damnum, & præjudicium parochialium) incitant, & inducunt infirmos divites, & potentes precibus, & promissionibus, & illicitis mediis, ad eligendam apud eos sepulturam, ut per hoc ipsi religiosi, vel alii, apud quos tales sepulti fuerint, habeant majorem partem bonorum mortuorum, & munera parentum eorundem assequantur: ex quibus Ecclesiæ Parochiales suis juribus defraudantur; Nos sub pœna suspensionis, & excommunicationis talia de cætero fieri prohibemus. Sed, si ipsi infirmi sine fraude, dolo, & precibus suam ad loca religiosorum, vel alia elegerint sepulturam, ibidem sepeliantur, salvo tamen jure Ecclesiæ Parochialis in omnibus, ut dictum est.

Nullus presbyter pro defectu solutionis, & præsenti mercede sepulturæ corpus sepelire dimittat, neque purificationem puerperæ aliqua mala occasione differat; & nullus presbyter pro sepultura, vel pro quolibet alio sacramento Ecclesiastico conferendo, aliquid petat, vel exigat. Sed, si quid ipsis datum fuerit, illud presbyteri accipere possunt: & si in aliqua Parochia de consuetudine antiqua aliquid presbytero consuevit dari, dum Ecclesiastica sacramenta exhibuerit, vel aliquem sepelire, & illud presbytero non conferatur, hoc denunciet ipse presbyter nobis, vel nostro officiali, & prosequatur jus suum, ut secundum laudabilem consuetudinem sibi satisfiat.

De testamentis.

OMnibus presbyteris præcipimus, quatenus hortentur clericos, & laicos infirmos testamenta sua facere, ut non differant usque ad angustiam mortis, sed ea, dum adhuc compotes suæ sunt mentis, & corporis, faciant.

Et cùm aliqui fabricæ Ecclesiæ suæ Parochialis, vel fabricæ Ecclesiæ, vel domus Dei Carnuti legantur, hoc presbyter Parochialis significet Carnuti clerico operis fabricæ dictæ Ecclesiæ Carnutensis, vel magistro domus Dei, aut apud sigilliferum nostrum, & nomina eorum, qui supra legata fecerunt, infra duos menses.

Suspendimus à divinis officiis, & suspensos denunciamus omnes curatos, & eorum vicarios Parochiales, qui celant, & retinent denarios, quos receperunt pro confratria fabricæ Ecclesiæ Carnutensis, & eos excommunicamus, nisi infra mensem post hanc nostram Synodum reddiderint cum effectu sigillifero nostro, aut prædicto clerico operis.

Dispositiones testamentariæ, seu inter vivos, continentes fundationes officiorum, seu servitiorum divinorum, & aliæ devotiones, & legata pia facta in perpetuum insinuabuntur, & irregistrabuntur in registris Episcopatus Carnutensis infra sex menses à die mortis testatoris, vel à die, quo hujusmodi dispositiones inter vivos fuerint factæ, & passatæ.

De vita, & honestate clericorum.

CLerici soluti, & non conjugati, tonsuram clericalem, rotundam, & competentem gerant, & singulis mensibus radere faciant.

Monemus primò, secundò, tertiò omnes clericos solutos, & non conjugatos nostræ civitatis, & diœcesis Carnutensis, ut infra mensem proximum, habitum, & tonsuram deferant clericalem, alioquin omnes, & singulos tales clericos ex nunc ulterius tonsuram, & habitum clericalem non ferentes, post trinam monitionem specialiter eis factam denunciamus

A gaudere non debere privilegio clericali. Reputamus autem clericos portare tonsuram, & habitum clericalem, qui in civitate, vicis, Ecclesiis, & alibi coram notis, vel ignotis palam portant eosdem; verumtamen si clericus per viam, vel aliqua loca procedens ad vitandum pericula, de quibus meritò timere debuit, tonsuram, & habitum clericales, dissimulationis causa, non portaverit, hujusmodi privilegium non amittat. Clerici pannis rubeis, viridibus, vel virgatis vestibus non utantur sine causa.

Synodus Cremonensis prima sub Cæsare Speciano anno 1599.

APostolico sanctissimi Domini nostri Clementis
B Octavi sub die 15. Martii 1596. edito, quod in fine hujusmodi describetur, inhærendo, mandamus, ne quispiam cujusvis ordinis regularis ad ullos ordines promoveri possit extra hanc Diœcesim. Idem statuit Synodus Nucerina sub Simone Luvadoro Ecclesiæ Senensis Episcopo anno 1608. *Nota.* Doctor Hullier *de sacris ordinat.* pag. 642. plures alias Synodos allegat, ubi idem statuitur. Provincialem Burdigalensem ultimum cap. de ordine; ex Hispania Concilium Toletanum anno 1583. act. 3. cap. 4. comitia Cleri Gallicani, anno 1625. decretum quoque Clementis Octavi... qua declaratione interdicitur regularibus, ne extra Diœcesim pro ordinibus recipiendis proficiscantur, quando ad manum est Diœcesanus Episcopus, qui ordines eis conferre potest. Quod ea præsertim occasio-
C ne statutum censeo, ne si ad alium recurratur in contemptum, vel odium proprii Episcopi, alius eligi: vel propriæ imbecillitatis conscientia accurati rigor examinis evitari videatur, quod utrumque indignum est. Hancque, ni fallor, moderationem, & interpretationem Tridentinæ Synodi regularium importunæ flagitationes extorserunt, cui tamen nec sic quidem parere aliqui ipsorum volunt.

Synodus Burgensis sub Francisco Pacheco Card. & Archiep. anno 1575.

LIbro secundo Constitutionum Synodalium Conceptio Dominæ nostræ, quæ cadit in diem octavum Decembris, colitur in ista Burgensi civitate, ex
D voto facto eam colendi, & carnes in vigilia non comedendi, atque in multis etiam aliis hujus Archiepiscopatus locis colitur ex devotione; dictum autem festum colentibus, 80. dies indulgentiarum concedimus.

Festū C[...] ceptioni[...] Deipar[...]

Refert Joannes Eusebius in operibus Parthenicis inter Exceptiones Concilii Tridentini, pro *omnimoda Deiparæ puritate.*

Convocatio Synodi Diœcesanæ Mechliniensis.

MAtthias, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, universo clero, & populo civitatis, & diœcesis nostræ, salutem in Domino.

Cùm Archiepiscopale munus nostrum exigat, ut
E quæ anno millesimo sexcentesimo septimo, in Synodo nostra provinciali salubriter decreta, & constituta, atque anno sequenti à sanctissimo D. N. D. Paulo Papa Quinto debitè confirmata sunt, in Synodo diœcesana juxta sacros canones publicentur, ac deinde executioni mandentur; consilio præhabito cum capitulo nostro metropolitano, statuimus, atque decernimus per præsentes Synodo diœcesanæ celebrandæ feriam tertiam post inventionem sanctæ Crucis, quæ erit quinta Maji anni præsentis. Quare dictum capitulum nostrum Metropolitanum, Reverendos Dominos Abbates, Abbatissas, Præpositos, Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Archipresbyteros rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui de jure, vel consuetudine Synodo nostræ diœcesanæ interesse

resse debent, in Domino monemus; & nihilominus sacri generalis Concilii Tridentini, ac nostra Archiepiscopali auctoritatibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis à jure statutis, districtè eisdem præcipimus, & mandamus, ut per semetipsos, aut si fortè justo detineantur impedimento (de quo competentem fidem facere tenebuntur) per procuratores suos legitimos, ad dictam Synodum diœcesanam in civitate Mechliniensi præscripto die, hora septima matutina in seminario Archiepiscopali celebrandam, tempestivè conveniant in habitu gravi, suoque ordini, ac Religioni convenienti, ad audiendum legitimam publicationem decretorum supradicti Concilii Provincialis, & eorum, quæ ad ejus faciliorem, atque uniformem executionem, ac morum correctionem, pro temporum ratione, per modum statutorum diœcesanorum, matura deliberatione prævia, declaranda censebimus: cum intimatione tali, quod sive ad diem, & horam prædictas præsentes fuerint, sive absfuerint, ad ejusdem Synodi diœcesanæ celebrationem, ac statutorum decisionem, ac publicationem procedemus, absentium contumacia non obstante, decernentes nihilominus absentes perinde, ac præsentes ad observationem omnium illorum, quæ ibidem publicabuntur, ex eo tempore obligatos; ipsosque, nisi legitimè excusati fuerint, & eorum excusatio admissa, pro qualitate culpæ, & contumaciæ, justitia exigente, meritò puniendos fore, prout eos, ne eorum exemplo, & impunitate alii negligentes reddantur, auctoritatibus præfatis obligari, & puniri volumus, & mandamus per præsentes. Ut autem hæ nostræ litteræ ad omnium, quorum interest, notitiam perveniant; earum exempla per secretarium nostrum subsignata, & contrasigillo nostro munita, valvis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, necnon Ecclesiarum Collegiatarum sancti Petri Lovanii, & sanctæ Gudulæ Bruxeliis, affigi volumus, ac per hujusmodi affixionem, eos omnes, quos concernunt, sic obligari decernimus, & declaramus, ac si dictæ nostræ litteræ ipsismet coram lectæ, ac insinuatæ fuissent.

Datum Mechliniæ in palatio nostro Archiepiscopali, anno Domini millesimo sexcentesimo nono, die 2. mensis Martii. De mandato Reverendissimi, & illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis.

Jac. van. Saffeghem Secret.

Decretum, quod nulli præjudicium fiat ex ordine sessionis in hac diœcesana Synodo, pronunciatum à Reverendo Domino Archidiacono Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis.

Reverendissimus, & Illustrissims Dominus Archiepiscopus Mechliniensis statuit, & decernit, si cui in hanc Synodum admisso contigerit suo loco non incedere, vel non sedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideò cuiquam jus acquiri, aut acquisitum esse, nihilque de hujusmodi jure, aut possessione detrahi, sed omnia in eodem statu permanere, in quo ante hanc diœcesanam Synodum reperiebantur.

Index titulorum totius Synodi.

Ad singulos titulos varia statuta reducuntur, quæ hic transcribere prolixum esset, & ferè similia passim habentur in aliis Synodis: pauca tantum ex eis.

Ad Tit. 1. cap. 6. fidei professionem emittere obligatus, opera procuratoris non utatur, sed per seipsum id præstet.

Ad tit. 2. cap. 4. Curatoribus animarum, seu Parochis per se munus prædicatoris obire volentibus, sciant cæteri omnes se illi cedere debere, *& citatur in margine hujus capitis*. Sacra Congregatio Concil. Trident. cap. 4. sess. 24. de reform.

Cap. 6. Nemo extraneus fidelium eleemosynis è suggestu commendetur sine consensu nostro in scriptis.

Ad Tit. 22. cap. 11. Quibus etiam diebus sacra Eucharistia sumitur, cum nemine externo colloquantur, nisi necessitas ista postulet, *nempe Moniales, de quibus ibi*.

Ad Tit. 24. Sciant capitula exempta, exemptionemque prætendentia, se non tantum ad statutorum Synodi diœcesanæ, verum etiam ad decretorum Synodi Provincialis, prout à sacra congregatione declaratum est, observationem teneri. *Super c. 2. sess. 24. de reform.*

Decreta, & legitimè publicata sunt hæc statuta Synodalia, præsente præcipuè totius diœcesis clero. Mechliniæ die 6. Maji anno Domini 1609.

Ex editione Antuerpiana ejusdem Synodi in officina Plantiniana Balthassaris Moreti, anno 1634.

Synodus Bysuntina sub Illustrissimo Archiepiscopo Claudio d'Acey die 16. Maji, anno 1648.

Inter varias constitutiones hujus Synodi, hæc maximè insignis est cap. 3. de Bulla Urbani Octavi contra Jansenii librum, cui titulus, *Augustinus*, cum veneratione admittenda, cujus hæc verba sunt.

Quia verò exigit à nobis debita sanctæ sedi Apostolicæ obedientia, ut cum ea, qua par est, sedulitate, & diligentia, doctrinas ab ea, velut cæterarum Ecclesiarum matre, damnatas, damnemus & nos, vel sic majorum vestigiis inhærentes, quorum mentibus ab ipsis fidei incunabulis altè impressa, versus eamdem, nedum in maximis, quin & in minimis fuit reverentia, Hinc emanatam à felicis recordationis Urbano Octavo Summo Pontifice constitutionem, quæ incipit: *In eminenti Ecclesiæ*, & qua Cornelii Jansenii liber, cui titulus, *Augustinus*, legi, aut etiam à non legentibus servari districtè prohibetur; propter damnatas in opere ejusmodi opiniones, Apostolicis prædicti Urbani Papæ Octavi, quemadmodum & promulgatis à S. D. N. Innocentio Papa Decimo, ea de re decretis parere cupientes in omnibus, venerabundi admittimus, & usque adeò strictè servari mandamus, ut in posterum (quoad nobis placuerit) nullus omnino ad curam animarum admittatur, nisi qui post solemnem Con-

Concilii Tridentini fidei professionem, formulam hìc adjectam vicario nostro generali attentè legerit, & juraverit.

Ego N. profiteor me obedientem S. Romanæ Ecclesiæ, & S. D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, ejusque successoribus, atque adeò me acceptaturum, prout de facto accepto, debita submissione constitutionem Felicis recordationis Urbani VIII. editam anno 19. sui Pontificatus, Incarnationis Domini 1641. pridie nonas Martii, quæ incipit, *in eminenti Ecclesiæ, &c.* In qua damnatur, & prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus, *Augustinus*: quam constitutionem ego integrè accepto, & cum ea in omnibus sentio, & consentio, ac promitto me (quantum in me fuerit) curaturum, ut præfatam constitutionem omnes, & singuli acceptent, & in omnibus cum eadem sentiant, & consentiant. Ita spondeo, voveo, ac juro. Ego idem N. sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Ib. Prohibemus lectionem Piorum in speciem librorum N. de frequenti communione, & N. Abbatis Variorum opusculorum Authoris. Quorum quidem mense Octobri superioris anni, adjecta pœna arbitraria, lectionem per Diœcesim interdixeramus: *ad calcem tom. 3. de ente supernaturali.*

Nota.

Adversus hunc de frequenti communione librum, vix dici potest, quàm gravis animorum incitatio, studiorumque commotio fuerit, ubi anno 1643. in lucem prodiit: scissi sunt enim in varias partes nedum popularium, ac Laicorum, sed etiam Sacerdotum, ac Pastorum animi, cùm nihil præter rumores doctrinarum in circulis, in conviviis, in concionibus audiretur. Et alii frequentis communionis jugulum peti putarent. Alii attritioni vim ademptam, justitiæ cum Sacramento reducendæ, quærerentur. Alii absolutionem Sacerdotis in formam, & conditionem nudi ministerii detrudi, alii ad satisfactionem Canonicam omnia referri. Alii causarentur, quod nihil retineretur de prisca severitate pœnarum Canonicarum, præter abstinentiam Eucharistiæ. Alii, quod ex mente hujus scriptoris ordo partium pœnitentiæ pro communi lege servandus hìc sit. 1. Confessio, & petitio pœnitentiæ. 2. Impositio pœnitentiæ per excommunicationem pœnitentis. 3. Effectio pœnitentiæ, quæ sanat, & justificat pœnitentem. 4. Absolutio, seu restitutio in communionem. Hinc verò, cùm in pœnitentiæ Sacramento principatus absolutioni debeatur ad eluendam peccati maculam, hoc illi imperium scriptor detraxit, atque in satisfactionis jura transtulit, in quo, ajebant, sedes est, & cubile totius novitatis, hoc centrum, unde ducuntur exordia, progressiones sumuntur, in quo extrema clauduntur. Hic denique locus non est, sicut membrum quoddam in corpore, sed tanquam sanguinis per omnes illius partes diffusus.

Varia judicia circa librum de freq. communione.

Habes paucis verbis præcipuas causas commotionis adversus hunc librum, de quo varia fuerunt hominum, & adhuc extant judicia. Quod, si nihil aliud intenderet, ut ajunt quidam ejus patroni, quàm quod præmitterentur absolutioni Sacramentali, ex prudenti consilio, quædam opera pœnalia ad molliendum cor peccatoris, quis hoc vituperaret, cùm sanum sit consilium, virtutem ipsam pœnitentiæ prius exercere, quàm Sacramentum Pœnitentiæ suscipere? sed aliud verba scriptoris illius, quicumque sit, indicant, ut ex lectione manifestum erit cuilibet cordato. Quæcumque verò fuerit illius mens, profuit nonnullis ad vitam in melius commutandam librum legisse: meticulosos quoque aliquot confessarios firmavit, ut cum majori authoritate erga pœnitentes se haberent: quæ verò aliunde detrimenta emanarunt, dixerunt plures. Accuratius autem scripsit contra illum librum author Anonymus cujusdam Analysis, quæ Flexiæ edita est anno 1649. Sicut & in aliam assertionem ejusdem libri in præfatione, unum, & eundem primatum D. Paulo, ac D. Petro tribuentem, scripsit doctè inter cæteros Antoninus Diana, cujus tractatus extat inter resolutiones ejus morales ad calcem tomi noni. Idem Pontifex Officium Conceptionis B. Virginis ab universo suæ diœcesis Clero celebrari cum Octava instituit.

Decreta ultima Episcop. Galliæ circa quæst. disputatas de gratia, & moribus.

MAndatum Illustrissimi, & Reverendissimi Archiepiscopi Parisiensis Joannis Francisci Gondii, pro publicatione, & observatione constitutionis Pontificiæ Innocentii X. post damnatas quinque propositiones, de quibus postulaverant Episcopi Galliæ, ut perspicuam, & certam de unaquaque sententiam ferret, de quibus in Gallia disputatio periculosior, & contentio ardentior erat. Variis autem locis, & temporibus scripserunt Antistites supra octoginta, magnum, si coiissent, facturi Concilium, quare ejus postulationis non consignatur dies, & consul. Quorum postulationibus, cùm post longam accurati examinis indaginem satisfecisset Innocentius X. constitutionemque in Galliam misisset, primus, ut cæteris præiret exemplo, eam publicari, & observari hortatur, & jubet hoc mandato Illustrissimus Archiepiscopus, signato die 15. Julii 1653. in Conventu Capuccinorum ad Pontisaram. In quo multa præfatur de auctoritate unius Pastoris in Ecclesia, ad quem semper graviores de fide contentiones, & causæ delatæ sunt, ut per ipsum terminarentur. Cujus traditionis veritas adeò constans est in Ecclesia Catholica, ut tempus deficiat, si omnia ad illud institutum spectantia singillatim persequi velimus. Encomium illius mandati luculentissimum edidit Ludovicus Cellotius Soc. Jesu, in Appendicis Miscellaneæ ad historiam Gotteschalchi, cap. 5. Quid enim melius, aut uberius, inquit, dicerent Laudericus, & Marcellus, si modò viverent in terris? Quid ipse Dionysius cum sublimi sua Hyerarchia grandius scriberet pro stabilienda in Parisiensium animis Rom. sedis auctoritate, &c. quæ apud ipsum videri poterunt à studiosis, cùm non nisi summa rerum fastigia pro ratione summæ hìc sequamur.

Mandatum, seu ordinatio Dominorum Vicariorum generalium Eminentissimi Cardinalis Retzii Archiepiscopi Parisiensis pro subscriptione duarum constitutionum summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. prout in formula per Clerum Gallicanum 17. Martii 1657. edita continetur. Ultima die Octobris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo.

Censuræ plures Apologiæ Casuitarum.

ANno 1657. plures conduntur, & evulgantur censuræ contra librum prænotatum: *Apologie pour les Casuistes contre les calomnies des Jansenistes, &c.* Cujus auctor innominatus vocabat se Doctorem in jure canonico.

Censuræ plures contra Apologiam Casuitarum.

Aliquot hujusmodi censuræ per Episcopos, aut eorum vicarios, fervente Jansenismi controversia, fabricatæ, ad notitiam nostram venerunt, de quibus malim expectare aliorum judicium, ac potissimum Summi Pontificis, qui causam istam Theologorum Moralium ad se evocaverat, & per nominatos à sua sanctitate examinari præceperat, unde tamdem emanavit quadraginta quinque propositionum ad minus, ut scandalosarum, damnatio, ac prohibitio in duabus constitutionibus supra relatis, inter eas, quæ sunt Alexandri VII. qui hac via finem imposuit gravissimæ isti contentioni, sic in fune contentioso res inter utramque partem librans, ut omnibus debitè expensis difficile sit post istam pugnam uni parti gloriam integri triumphi tribuere. Quale enim pondus est judicii inferiorum judicum, cum lis jam ad superiorem judi-

judicem devoluta est, nec omni ex parte confirmat, quæ per inferiores judicata fuerant? Conferri possunt à studiosis inter se ista omnia.

Una ex his censuris, quæ plura capita istius Apologiæ ferit gravibus notis, est Dominorum Vicariorum generalium Eminentissimi Cardinalis Retzii Archiepiscopi Parisiensis edita Parisiis apud Carolum Saureux anno M.DC.LVIII. expostulantibus, & conquerentibus contra hunc librum urbis, & suburbiorum curionibus quam plurimis, si non omnibus, quorum nomina ibidem indicantur.

Alia est censura per Rev. ac Illustr. Comitem, & Baronem, ac Episcopum Cadurcensem Alanum de Solminiach virum austerioris vitæ, & D. Caroli Borromæi imitatorem, qui aliquot capita illius libri expressè damnat, nempe circa simoniam, occasiones proximas peccati, circa usuram, homicidium, calumniam, & delectationes sensuum. Non intendendo alia probare. Edita est censura Cadurci anno MDCLIX. Alia etiam censura à me lecta est, per D. Illustrissimum, ac Reverendissimum Patriarcham Archiepiscopum Bituricensem Aquitaniarum primatem Annam *de Levi de Vantadour*, requirente ejus promotore, ac magnam seriem casuum ex illa Apologia, tùm ex dictatis cujusdam professoris Theologiæ moralis offerente, ut judicium ferret. Censura edita est Biturigis an. MDCLIX. ac nescio, cujus industria factum est, ut ad calcem hujus censuræ alligaretur responsio D. Episcopi Mirapicensis *De Levi*, fratris nempe Archiepiscopi præfati, ad Episcopum, à quo invitabatur ad similem censuram conficiendam, qua illi significat, se quamvis magnifaciat illos Antistites talium censurarum auctores, per tria tamen deterreri, ne censuram suam aliis adjungat, 1. est, quod cum hæc causa sit ex majoribus, in qua agitur de damnatione antiquorum, & modernorum Theologorum, & de statuenda regula bonorum morum: qui media sunt necessaria ad sanctificandos fideles, ad Pontificem pertineat, 2. est, quod certior factus fuerit parte Nuncii Apostolici, Papam de ista controversia judicium sibi assumpsisse, ac commissarios designasse ad libri istius discussionem, proinde expectandam esse ipsius sententiam, 3. est, quod assertiones istius libri, quæ per censuras impetuntur, habeant insignes patronos in quibusdam D. Thomam Angelicum doctorem, Cardinales Hostiensem, & de Lugo, Episcopos Antoninum Florentium, Malderum Antuerpiensem: insuper Dominicum Scoto à Confessionibus Carolo V. Imperatori, incomparabilem Navarrum, Sylvestrum Sacri Palatii magistrum, Theologos Parisienses Majorem, Duvalium, Gamachæum, & plures alios bonæ notæ scriptores.

Significat quoque se tres defectus in quibusdam censuris antea evulgatis deprehendisse. 1. Quod inter errores recenseant Attritionem ex solo metu pœnarum inferni, & excludentem peccandi voluntatem, sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccati. Item quod confessor possit absolvere pœnitentem, quem prævidet adhuc lapsurum in idem peccatum. Quæ non judicat censuram mereri. 2. est, quod affigantur auctori aliquæ propositiones, quas potius improbat, ut quod sola intentionis directione res pessimæ innocenter fieri possint. Quod excuset, quod accipiatur, aut detur pro pecunia beneficium, modo non sit intentio æquare utrumque. Auctor expressè asserit cum tali intentione, quam jus canonicum prohibet, tutam non esse conscientiam. 3. est, quod quædam propositiones auctoris istius referantur sine modificationibus, & conditionibus, quas adjungit. Vel ipsa sanctitas, & innocentia hoc pacto rea, & flagitiosa appareat. Sic notatur auctor de hoc dicto, Quod unus auctor contra plures possit reddere opinionem probabilem: & tacetur, quod dixerit, in illo casu, in quo unus auctor rationes satis validas ad stabiliendam suam sententiam, & rationes adversariorum diluendas profert. Talibus reflexionibus adhibitis sese excusat à promulganda censura, quam, à quibuscumque Episcopis poterant, emendicabant quidam, ut se consolarentur de iis, quæ acta erant in librum Iprensis Episcopi, quamvis non omnium par fuerit intentio. Estque hæc responsio Epistolaris scripta Mazarettæ 15. Januarii 1659. ut exinde appareat, qualis conjuratio, & quæ digladiatio tunc fuerit, etiam fratre in fratrem diviso. Epicheia est virtus, sed periculosa, ut diximus in Theol. affect. 2. 2. tract. 3. unde cum moralis purè Casuitica ex Epicheja coalescat, facilè obnoxia est reprehensioni plurium, qui litteræ toti inhærent, quam faventem habent, cum intentio legislatoris in raro accidentibus lateat. Quare non consulerem cuiquam tentare hanc scientiam ita abstractam à Theologia scholastica, & canonica tradere non nisi casus infrequentiores, & de quibus silent leges, ventilando: quod tamen illius Moralis peculiare est objectum, ut est scientia ab aliis separata.

Sed non est præsentis instituti ad particulares istas contentiones descendere. Scripsi de iis, antequam orirentur in libro *de triplici examine*, ubi sine illa fellea amaritudine quorumdam, quos non ratio, sed affectio in transversum egit, sensum meum aperui de hujusmodi quæstionibus. Ex illis quadraginta quinque propositionibus, quas ad sedandam hanc litem Alexander VII. uti scandalosas damnat, & prohibet, nullam in isto opere deprehendo hactenus: & si vel unica ex ipsis inserta esset, quod absit, me hortante delenda est in proxima sexta editione: cum fixum sit inhærere decretis sanctæ sedis Apostolicæ. Quod testatum facere hic volui contra calumniatores quorumcumque librorum Theologiæ moralis. Hoc uno subjuncto monito, quod valde verendum est, ne qui tantum avent requiem animarum vastare, & conscientias aliorum perturbare, quæsitis undequaque prætextibus, ipsi quandoque in conscientia sua perturbentur, dum eadem mensura, qua circa alios mensi fuerint, remetietur illis: sicut concinabatur tunc temporis magnæ virtutis, & eloquentiæ prædicator Joseph à Morlaja. Manendum ergo in rebus judicatis contra utramque partem contendentium. Ut omne agens agendo repatitur, non mirum videri debet, si qui in suborientem hæresim debito fervore egerunt pro ratione temporis, aliquid etiam repassi sint. Quam graviora passi sunt Athanasius ab Arrianis, Cyrillus à Nestorianis, Flavianus ab Eutychianis, & per omnia secula, qui errantes in orbitam reducere voluerunt. Id totum providentiæ divinæ deputo, ut purior massa supersit Ecclesiæ, dum ex varia occasione omnium defectus corriguntur, antequam veniat dies Domini, in quo abscondita tenebrarum illuminabuntur. Faxit Deus, ut in illo omnes sancti, & correcti appareamus.

Illustriss. ac Reverendiss. D. Jacobus Lescot Episcopus Carnotensis, antea regius Theologiæ Professor in Sorbona, accepto certo nuntio an. 1661. unam ex diœcesis suæ urbibus Meduntam (Mante) Jansenianis infici dogmatibus per prædicationem curionis ejusdem urbis, illuc se contulit, ac curionem cum primo graviter increpuisset, decrevit, jussitque, ut publicè pro concione retractaret, quæ malè docuerat de iis dogmatibus: cui concioni ipse interesse voluit, & post concionem iisdem dogmatibus addictos ea palam retractare compulit. *Decretum Episcop. Carnotensis*

Et revera tales sunt propositiones illæ, ut non sit moraliter possibile zelosum, & suarum ovium salutis studiosum antistitem silere, aut dissimulare, cum ab aliquo publicè proponuntur, maximè in cathedra. Nam ut de quinque famosioribus dicam, quas ad tres facilè reduxeris, primam de mandatorum impossibilitate ex defectu gratiæ sufficientis, secundam de lib. arb. necessitate ad adacto eligendum, tertiam de morte Christi pro solis electis, si toleretur ab Episcopis talium prædicatio, quo pacto, & qua æquitate peccatorem increpabo de transgresione mandatorum, si sint impossibilia? quomodo ad benè deliberandum, & eligendum, quod melius

lius excitabo, si necessitate hæc fiant? quomodo ad compunctionem, si numquam ipsi peccatores gratiæ, ac Spiritui sancto restiterint? Sed quàm frigidè prædicabitur de morte Christi, si non sit pro communi omnium salute? P. Veronus in illo libello à nobis jam citato, variis censurarum notis afficiens doctrinam illam Jansenii, in cæteris §. 8. vocat illam extinctivam, aut saltem valde imminutivam devotionis fidelium erga omnia mysteria Christi, quæ toto anno celebrat Ecclesia; nam 1. quis, inquit Augustinus lib. *de corrept. & grat.* c. 13. ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero Prædestinatorum se esse præsumat? ergo si Christus pro æterna salute, & liberatione solorum Prædestinatorum crucifixus, & mortuus est, quis ex multitudine fidelium præsumat Christum pro salute sua æterna, & liberatione natum, jejunasse, crucifixum? &c. Quis præsumat, quod magis pro sua liberatione, quàm pro dæmonis, &c. Cuique erit dicendum, *id occultari opus est, id secretum esse*. Horret animus hæc vel effari. 2. Sed quàm frigescente devotione celebrabuntur à Christianis hæc mysteria toto anno, si hæc principia Janseniana insideant animo? non magis pro mea liberatione, quàm pro dæmonis, &c. Ergo dicet quivis, qui ex doctrina D. Augustini se in numero prædestinatorum esse non præsumit: non magis hæc mysteria celebrabo, quàm dæmon, nec magis teneor. Quæ verba mihi non satis probantur, quia tot perfectiones in Christo meo suspicio, ut si de me numquam cogitasset, nec de mea salute, illum tamen ob immensam ejus excellentiam, pulchritudinem, majestatem, gloriam in omni æternitate colere, diligere, venerari, ac glorificare vellem. *Etiam si occiderit me*, dicebat Job cap. 13. *in ipso sperabo*, quod quidam vertunt ex textu Hebræo, *post ipsum æstuabo*, hoc est amoris ejus flamma totus inardebo. Sed pergit idem author habita ratione imbecillitatis plurimorum ex mortalibus, qui hoc sublimi motivo non percelluntur, tàmque duro sunt animo, ut melius norint erga Deum dilectionem rependere, quàm generosè impendere. Qua ergo certitudine nobis celebrantibus Missam, aut ei astantibus, cum symbolum recitatur, procumbimus omnes in genua, & dicit quisque, *Crucifixus etiam pro nobis*, si pro salute solùm æterna Prædestinatorum, non aliorum mortuus est? 4 Sed & concionatores omnes pro nostris Christianis, & Ecclesia tota chiliadas, & myriadas deceperit, cum in frequentissimis auditoriis tota urbe Lutetiæ, verbi gratia, die Veneris Sacra, prædicamus Christum pro myriadibus, & auditoriis integris crucifixum, cum certum sit multos ex illis non esse Prædestinatos ex Augustino fusissimè sæpe, sed præsertim in illud Psalmi 39. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Hæc, & plura ibidem ille concionatorio stylo, & nimis forsan fellea amaritudine: qui libellus etsi notatus sit ab Amplissimo Rectore Universitatis Parisiensis, quod de illo minus reverenter quædam scripsisset, non tamen propter doctrinam notatus est, de qua judicare facultatis est Theologicæ.

Ex lib. benefici. crucis p. 1.

Sed quia in ore duorum, aut trium stat omne verbum, juvat addere, quæ sequuntur ex Michaele Paludano Doctore Lovaniensi, in laudata sæpius Apologia parte 1. cap. 26. Cujus labori, & industriæ in examinando opere R. Iprensis plura accepta referimus. Illa enim, inquit, libri doctrina, quæ habet Christum non magis pro eorum, qui non salvantur, quàm pro diaboli salute esse mortuum, extinguit unum de præcipuis incentivis, quibus frigida hominum corda in Dei amorem solemus accendere, dum iis proponimus tantum illum, quo Deus pater eos dilexit, amorem, ut Filium suum unigenitum daret, &c. Illum itidem Christi erga eos amorem, quo pro eorum vita seipsum tradidit in mortem: ut eos, quos antea pigebat Deum amare, jam saltem pudeat non redamare: ad eos cum Augustino lib. de *Sancta Virginitate*, c. 35. exclamantes *toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce, &c.* Nam quemadmodum si aliquem hoc modo alloquerer; ama Deum, qui te absoluta electione ab æterno ad salutem prædestinavit; frigeret hortatio, quia nimis incerta est Prædestinatio. Ita quandoquidem in illa Jansenii sententia tàm incerti, dubiique sumus illius Dei, & Christi erga nos amoris, æquè frigida erit hortatio ad illum redamandum; & sic dum Jansenius in una doctrinæ suæ parte vult cavere, ne accendatur elatio: per alteram facit, ut frigescat ad charitatem hortatio. Quod si parum est, addo, quod majus est, dum ibi satagit, ut crescat humilitas, hic agit, ut tepescat charitas: non satis attendens ad illa Augustini verba. *Superflua est sollicitudo, ne, ubi fervet charitas, desit humilitas*, lib. *de Sancta Virg.* cap. 51. ex quibus omnibus concludit in agro hujus libri simul cum tritico crevisse zizania, nec librum esse divinum, ut buccinant Janseniani, & habere mala mixta bonis, & bona mixta malis: Sed nec ita idiotæ sumus, ut veram humilitatem in agro istius libri germinare arbitremur: ut enim crescere possit humilitas ex ista cogitatione, quod gratia Dei omne bonum in nobis operetur, nec quidquam nostris viribus tribuere debeamus, attamen alia cogitatio, quam liber iste ingenerat centies, quod peccata committuntur defectu gratiæ, quæ non datur omnibus, & quæ ubi datur, victoriam reportat de omni tentatione, ut cui numquam in statu naturæ corruptæ resistatur, ista, inquam, cogitatio, quàm adversa est veræ humilitati, quæ peccatores decet, satis dici non potest. Vera enim humilitas peccatoris est, se reum, & criminosum coram Deo, Angelis, & hominibus agnoscere ad modum humilis publicani, qui percutiendo pectus suum dicebat, *Deus propitius esto mihi peccatori*, velle, ut omnes istud agnoscant, velle quoque propter hoc ignominiosè ab omnibus tractari. At quotusquisque est ista doctrina hujus libri informatus, qui apud se ratiocinando non se putet, dum peccat, innocentem, nec ullas pœnas sibi jure irrogari posse ob delicta, quæ commisisse fingitur ob transgressionem mandati impossibilis, deficiente sibi gratia, qua possibilia fierent? Hæc certe persuasio, ineffabile est, quantam nutriat superbiam in reprobis omnibus, qui ea imbuti fuerint. Quæ culpa mea, dicet ille, cui gratia defuit, propter quem ne gutta quidem sanguinis Christi effusa est? Inde oritur in ipsis rebellio adversus judicium Christi ipsos damnantis. Ni mutent hanc sententiam per totam æternitatem, erigent se, numquam humiliabuntur sub potenti manu Dei. Excusabunt se, & Deum accusabant, qui impotentes supplicio afficiat. Perpendant hoc pii viri, nec putent ibi inesse humilitatem, ubi tot sparsa sunt semina superbiæ.

Vera humilitas.

Item ordinatio Domini Illust. Arch. Paris. Harduini de Perefixe ad subscribendum formulæ fidei editæ ad executionem constitutionum Innoc. X. & Alex. VII. Parisiis die 7. Junii ann. millesimo sexc. sexag. quarto. In hoc mandato refertur magna submissio R. Corn. I. ad summum Pontificem Rom. quam vivens testatus est in libro suo procemiali c. 29. his verbis. Mihi constitutum est eandem, quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum usque spiritum ducem sequi Romanam Ecclesiam, & beatissimi Petri in Romana sede successorem. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quicquid ab ipsa Petri cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere, & mori fixum est, ab isto principis Apostolorum successore, ab isto Christi vicario, ab isto Ecclesiæ universæ capite, moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo, quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo. Quin etiam moriens idem testatus est in testamento, ut supra narratum est. Quare ex charitate credere convenit propter errores in ipsius libro deprehensos Deum non intrasse cum ipso in judicium, cum è contra discipuli in manifestæ damnationis periculo forent, si persisterent in defensione talis doctrinæ, quam dici potest ipsum Jansenium damnasse per tàm humilem, & adeo Christianam dispositionem juxta Vincen-

Submissio Cornel. Jansenii ad summum Pontificem Rom.

cen-

centium Lirinensem lib. adversus hæreses. O rerum mira conversio! authores ejusdem opinionis Catholici, consectatores verò judicantur hæretici: absolvuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum regni filii erunt, assertores verò gehenna suscipiet. Declarat insuper in eodem mandato, quod & si in formula fidei, quam jubet subscribi ab omnibus tàm Ecclesiasticis viris, religiosis, & monialibus, primariis Collegiorum, & magistris scholarum, quædam sint juris, quædam facti: attamen illa solùm, quæ sunt juris, exigere fidem divinam, illa verò, quæ facti sunt, non exigere aliam fidem, quàm humanam, & Ecclesiasticam. Quod ideo additum est ad tollendam omnem exceptionem subscribendi sub eo prætextu, quod res facti fidem divinam non requirunt. Verum enim est res facti fidem divinam non exigere, sed tamen non impedire fidem divinam circa dogmata juris, quibus connexæ sunt. Quod scitè admodum explicat Doctor Almainus in 3. sent. dist. 25. q. 11. Dico, inquit, quod ista non est de fide Theologica, *hoc est revelatum*, demonstrando istam, *Deus est trinus, & unus*. Non licet tamen dubitare, quia esset processus in infinitum in propositionibus de fide: & ideo ad generandum actum fidei oportet de necessitate habere unum actum saltem, qui non est de fide Theologica, sed topica circa saltem assumptum minoris, hoc est revelatum. Ubi videre est Almainum simul conjungere actum fidei divinæ, & humanæ. Nihil ergo novum, & absonum molitus Illustrifs. Archiepiscopus, & vanum est, quicquid contra illius mandatum hac in parte objectum est in quibusdam libellis magis contemptu, quàm responsione dignis; si à peritis Theologis recenseantur, non ab imperitis laicis, & mulierculis.

Cæterum indiculum locorum Jansenii, in quibus has propositiones docuit, dedimus in l. *de triplici examine*, & dici potest omnes tractatus libri ipsius ad has propositiones adstruendas spectare: ut mirum sit quosdam id voluisse in dubium revocare.

1605. Ordinatio D. Archiepiscopi Parisiensis Illustriss. Harduini de Perefixe, qua, post missam ab Alexandro VII. formulam fidei ab omnibus Ecclesiasticis subscribendam ad improbandas V. propositiones ex libro R. Iprensis Episcopi Cor. Jans. excerptas, & submittendum se constitutionibus Innocentii X. & ejusdem Alexandri VII. de quibus supra dictum est, jubet omnes Ecclesiasticos suæ Diœcesis, regularesque quosvis exemptos, & non exemptos, aut nullius Diœcesis se dicentes, nec non moniales, primariosque Collegiorum, ac scholarum præfectos eidem formulæ intra tres menses à publicatione subscribere, sub pœna juris contra inobedientes. Et quamvis, paucis admodum exceptis ab omnibus jam satisfactum fuisse censeri potuisset per subscriptionem præcedentem formulæ fidei de eadem re à duabus congregationibus Cleri Gallicani emanatæ: quia tamen putabant quidam Cleri ejusdem auctoritatem tantam non esse, cui tenerentur penitus se submittere, & ad servandam fidei uniformitatem inter omnes fideles, ac ut omnes honoremus Deum, ut loquitur Apostolus, uno ore, & corde, jubet per totam Diœcesim, ut huic formulæ subscribatur credendo fide divina ea, quæ sunt juris, & dogmatum, ac cum sincera animi submissione acquiescendo iis, quæ sunt facti, quod nempe sit ipsa Jansenii doctrina, quæ in his propositionibus damnatur, cùm aliter, & alia mente subscribere, verè illudere esset constitutiones sanctæ sedis, & Episcoporum. Parisiis die 13. Maji anno 1665.

datū ... pro ... scri- ... e.

Notandum eamdem esse formulam Episcoporum, & sedis Apostolicæ, hoc excepto, quod in hac ultima nulla fiat mentio doctrinæ Divi Augustini à Jansenio non benè intellectæ, sicut fiebat in formula Episcoporum. Intellexerunt enim Episcopi, Jansenium Iprensem à mente Divi Augustini aberrasse, & Illustrissimus Lexoviensis Episcopus Philippus Cospeanus, concionandi laude tota Gallia clarissimus, & in

A Augustini lectione optimè versatus, dixisse fertur, lecto ejus libro, non est Augustinus, sed pestilentissimus Augustini corruptor: nimirum, quia suo artificio Augustinum torquet, & patronum facit falsorum dogmatum Lutheri, & Calvini ab Ecclesia damnatorum, ut est apud Anth. Moraines dist. 12. sect. 4. Antijansenii. Abstinere autem voluit Pontifex ab ista clausula, ad tollendam quorumdam remoram ad subscribendum: tùm quia non erat necessaria, nec tantum vult tribui scriptis suis Divus Augustinus: maximè verò, quia id non fuit Romæ examinatum: nihil autem inseritur sine prævio examine in constitutionibus Pontificiis. Porrò Christiani omnes tenentur profiteri unam tantùm fidem Christianam Catholicam, & uni subesse Ecclesiæ, scilicet Romanæ, unum- *Obligatio ad eandem fidei professionem.*

B que solum Vicarium Christi generalem in mundo, videlicet Romanum Pontificem supra se spiritualem habere pastorem: & qui nolunt eidem Ecclesiæ Romanæ, & Vicario Christi spirituali se subjicere humiliter, seu propter pertinaciam, cupiditatem, superbiam, aut propter aliud ad mundum pertinens, indigni sunt post mortem veniam, & misericordiam à Deo obtinere. Hoc norunt, qui in Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus instructi sunt: hinc est, quod similia decreta Episcoporum per omnem Galliam extiterunt, quibus tandem paruerunt omnes, exceptis forsan paucis induratis, quorum pervicaciam potius visum cum silentio dissimulare, quàm cum strepitu frangere.

C

Prohibitio versionis novæ novi Testamenti.

Constitutio secunda Harduini de Perefixe Archiepiscopi Parisiensis, qua damnatur traductio novi testamenti Montibus edita in Hannonia, quæ constitutio data est Parisiis 20. Aprilis 1668. & per Parochias urbis in Pronis Missarum solemnium lecta, & publicata, continetque rationes præcipuas, ob quas dicta translatio prohibita fuit, cùm prior constitutio contra eamdem traductionem simplicem ejus inhibitionem contineret. Unde fautores ipsius ansam arripuerunt eam magis defendendi, quasi nihil esset in ipsa reprehensioni obnoxium, sed ex sola auctoritate, & beneplacito illam Illustrifs. Archiepisc. prohi-

D buisset, quin etiam cantilenam ludicram in vulgus quidam sparserunt in ludibrium auctoritatis Archiepiscopalis. Sic nullum non lapidem movet Satan ad promulgandum errorem quaqua via, & pro vero, ac legitimo Christi testamento aliud falsum, & corruptum introducendi.

Sunt autem hæ rationes damnationis.

1. Quod hæc traductio Montibus edita conformis non sit vulgatæ Latinæ textui, quam solam authenticam declarat Concilium Tridentinum, ut nemo illam rejicere sub quovis prætextu audeat, vel præsumat. Magis autem conformis est Græco textui: ut potiori jure inscriberetur versio novi Testamenti in Gallicam linguam juxta textum Græcum, cum discriminibus à vulgata, quam, prout illam inscripserunt, secun-

E dum editionem vulgatam cum discriminibus à Græco textu: quamvis in locis valdè multis auctores illius traductionis nec vulgatæ, nec Græcæ editionis textui adhæreant.

2. Quod hæc traductio in pluribus locis alias versiones ab Ecclesia improbatas, ac præcipuè Gebenensem versionem imitetur etiam, ubi de aliquo controversiarum puncto agitur, in quo contrarium defendunt Catholici contra hæreticos.

3. Quod auctores illius traductionis multa mutarunt addendo, aut subtrahendo, aut transponendo, & sensum pervertendo pro libito.

4. Contra receptam Ecclesiæ antiquam consuetudinem, quod in textu divisum esse debuit, adunarunt, & quod adunatum esse debebat, diviserunt, non habita ratio-

tione punctorum, ac virgularum. Quod gravioris est momenti, cum de dogmatibus, & veritatibus Catholicis agitur.

5. In ipsum textum aliena à textu induxerunt, exemplum ministrorum Gebenensium imitantes, quin etiam suas proprias explicationes, & paraphrases: quæ quamvis sæpe minori charactere editæ sint, ut puta italico, id tamen non est de usu Ecclesiæ, nec vacat periculo, quin tempore futuro eodem charactere cum ipso textu proprio sine ullo discrimine editioni reddantur.

6. Summaria, & titulos capitum immutarunt, ipsa capita aliter disponendo, prout ipsis libuit.

7. Ultra hæc omnia, & ea, quæ Facultas Theologica Parisiensis in editione, quæ cum nomine Renati Benedicti in lucem prodierat, observaverat, plures in ea interpretationes inveniuntur, quæ favent erroribus Jansenismi ad ipsos renovandos: quin & plures expressionum modi à sensu scripturæ alieni, quibus ad hoc tenditur, ut fides imminuatur, & debilitetur probatio plurium majoris momenti veritatum religionis. Denique vidimus, & examinavimus, ait Illustris. præfationem, quæ multas propositiones continet sensui Ecclesiæ contrarias, quarum aliquæ ad hoc spectant, ut credatur non solum licitum esse quibuslibet etiam rudioribus scripturas sacras legere, sed absolutè necessarium: quod facultas Parisiensis expressè damnavit in censuris suis contra Renatum Benedictum, ac Erasmum 17. Decembris anno 1527. tanquam doctrinam perversam, & consentientem erroribus Vualdensium, Albigensium, & aliorum.

His momentis prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto, ne imprimatur, aut evulgetur, & divendatur, & ne permittatur, aut consulatur lectio à parochis, Vicariis, confessariis, aut directoribus. Cæterum pro legentibus, ac retinentibus ipsam traductionem, pœna excommunicationis videtur tantùm comminatoria: hoc est sub pœna peccati mortalis, quod observare non inutile pro regimine animarum.

Idem Præsul Illustris. ac vigilantissimus ex doctore Sorbonico, & Regis Christianissimi Ludovici XIV. nunc feliciter regnantis præceptore ad infulas vocatus, & tandem ad metropolis totius regni Archiepiscopatum, à quo tempore illius possessionem adeptus est multa in temporalibus, & spiritualibus pia plane, & temporum necessitati peropportuna gessit, & statuit ad conservationem dignitatis, reductis intra limites aliquot Abbatibus exemptis, ad ordinandorum admissionem, ad Cleri totius regimen, quamvis nondum publicata sint statuta ipsius synodalia, quæ à multis desiderantur. Unum non omittam, quod ante tres annos statuit ad promovendum majorem cultum Deiparæ Virginis, ut Festum Conceptionis ipsius, quod ante sine octava celebrabatur ab universo suæ Diœcesis Clero in posterum per octo dies cum officio immaculatæ Conceptionis recoleretur, quod jam à tribus annis observatur. Porro decretum ediderat Mauritius anno salutis 175. (de quo facit mentionem Altisiodorensis l. 3. summæ tract. 1. c. 3.) præcipiendo, ne in Universitate Paris. defenderetur Conceptio Virginis sine peccato originali, eò tantùm ductus auctoritate, & sensu sancti Bernardi in Epist. ad Canonicos Lugdunenses. Quod Decretum, qualiscumque mens fuerit prædicti Episcopi Parisiensis Mauritii, quamdiu viguit, induxit plures ex antiquis Theologis, ut cum circumspectione formidolosa, ac aliquando obscurius de ea Conceptione scriberent, qui extra territoria Jurisdictionis Paris. Episcopi, & extra Galliam, suam propriam, ac veram sententiam manifestarunt, ac publicæ luci exposuerunt in favorem puritatis illius Conceptionis, quales D. Bonaventura, Alexander Alensis, & alii, de quibus Joannes Eusebius in Parthenicis *in Except. Concil. Trident.* c. 19. unde paulatim factum, ut, obliterato decreto Mauritii, facultas prohiberet, ne contrariam immaculatæ Conceptioni sententiam quis tueretur. Quia autem Decretum istud Mauritii obstaculo fuit pluribus, ne mentem suam liberè expromerent de Immaculata Conceptione, aliud condi decebat à successoribus, quo copia daretur intrepidè de ipsa Conceptione pronuntiandi, semoto metu prohibitionis, quod esset pura, & immaculata, & (quod à fide dignis, nempe Apostolis, ut quidam interpretantur, se accepisse dicit D. Ignatius Martyr Epist. 1.) *in matre Jesu sociari naturam sanctitatis Angelicæ cum humana natura*. Apostolos testimonium reddidisse tantæ sanctitati, cum ad illam partem Symboli *natus ex Maria Virgine* interpretandam accederent, ubi locus erat virginitatem ipsius tàm animæ, quàm corporis asserendi, & ipsius privilegia commendandi, inter quæ primum est ipsius conceptio, quidam absque dubio opinantur. Sed ut res ista variis subjacet opinionibus, mihi tamen certum est Mauritium existimasse, & docuisse sine macula conceptam fuisse, & natam beatissimam Virginem, quamvis ob rationes tempori suo convenientes decreverit, ne in Universitate defenderetur, forsan ad vitandas turbas, sicut post ipsum aliqui Pontifices, id ne publicè prædicaretur, statuerunt, quamvis aliter ipsi sentire potuissent. Fertur de Mauritio, ait Trithemius *de script. Eccles.* quod scripserit sermones per circuitum anni tàm de dominicis, quàm de festivitatibus: habeo autem istos sermones veteri Gallico idiomate conscriptos, ut jam supra monui, qui sæpius excussi sunt in lucem: ac in sermone perbrevi de Nativitate B. Mariæ, expressè asserit ipsam conceptam, & natam fuisse sine macula. Quod annotatum hìc volui, ne ipsius prohibitio detrimentum afferat sententiæ magis piæ, & communiori de immaculata Conceptione, quæ nunc adhuc magis corroboratur ex majori solemnitate festi Conceptionis ipsius.

Mauritii Episc. decretum circa Concep. Virg.

Opin. Mauri[...]

De Episcoporum auctoritate ad condendas leges pro sua Diœcesi, cui alligati sunt.

HAnc auctoritatem impugnant hæretici: probant verò scripturæ loca Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo*, ad Rom. 13 *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Luc. 10. *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, tùm apud Joannem c. 20. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Idem probant exempla plura act. 15. habetur de D. Paulo, *perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum*. 1. ad Thessal. 4. *scitis enim, quæ præcepta dederim vobis*. 1. Cor. 11. *Laudo vos, quod præcepta mea tenetis*.

Etsi enim Episcopi non succedant Apostolis in omnibus, & in singulis, utpote in plenitudine potestatis, quam extraordinario jure nacti sunt Apostoli, quam solus D. Petrus, ut ordinariam, consecutus est, nec in confirmatione ad gratiam, nec in jure concionandi ubique, tanquam ovibus propriis, nec in patrandis miraculis, at succedunt tùm circa realem indefinitam jurisdictionem, quæ eis inest aptitudine ex vi Episcopalis ordinationis; tùm in singulari obligatione ad proprias oves cum distincta facultate pascendas, quæ eisdem in Provincia à Rom. Sede actu concredita sunt, & quidem in ea accepta jurisdictione Ecclesiastica, qua legum quoque conficiendarum potestas continetur. Siquidem judiciaria legis ferendæ auctoritas est actus ipsiusmet jurisdictionis, & una ex jurisdictionis speciebus. Ea verò pedetentim post Apostolorum sæcula definita est, & coarctata à Rom. Pontifice, quæ summa fuerat inter vivos Apostolos, veluti post hac patuit ex variis veterum Pontificum Decretis, variarumque causarum reservationibus. Itaque plenissima, & interminata Apostolorum potestas hodie in Romano Pontifice, ut in fonte residet, qui propriè, & directè est D. Petri successor, & ordinarius hæres sacrorum: quam ideo ipse singulis Episcopis magis, minusque ad plures, paucioresve leges dilatat, aut coarctat, quantum operæ pretium judicat. Non tamen quoad

Episc[...] ut succe[...]dunt A[...]stolis.

quoad omnia coarctat, cum ex necessitate rerum, multa in particulari relinquenda sint arbitrio Episcoporum, & Oecumenica Ecclesiæ Concilia, quæ de Universalibus Ecclesiæ moribus tractant, & suo etiam modo Provincialia, aut nationalia, nequeant singulas, & particulares causas nosse, quæ in singulis Ecclesiis ex oblata propemodum infinita occasione in dies occurrunt circa privatos, & individuos ferè eventus. De quibus vide plura apud Doctorem Severtium *l. de Atheis. & hæresibus*, disputantem contra Viretum.

Hinc cum D. Paulus Titum Cretæ Episcopum constituisset, intra Cretensem Ecclesiam ipsius auctoritatis mensuram conclusit. Sic ad ipsum scribens (ad Titum 1.) *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego constitui tibi*. Non ergo ut universalem Ecclesiam, quod est Pontificis Rom.

Atcur, inquit, Marcus Antonius de Dominis lib. 2. de républ. Eccles: si hæc jurisdictio est necessaria, cur Christus, dum dat ipse immediatè ordinem, non dat etiam jurisdictionem nempe Episcopalem Episcopo, Presbyteralem presbytero? facit ergo ministrum, & non facit? Cum Adam in Paradiso esset, ita cum Deo de arbore vetita disceptare poterat, ut notat D. Augustinus in Psalm. 70. aut bona est arbor, aut mala: si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in Paradiso? cui Deus respondere potuit, quia obedientem te volo, non contradicentem servum, nolo tangas, & si bona est. Hoc plane modo respondere posset Christus quærenti, cur non det illam jurisdictionem simul cum ordine? non do immediatè illam Episcopis, & Presbyteris, quia obedientes illos volo, non contradicentes servos. Petrum, ac successores in Cathedra Rom. caput visibile, & Pastorem ordinarium constitui, cui Universa, quæ ad externum regimen Ecclesiæ pertinent, administranda commisi. Christus ergo facit ministrum, sed obedientem? Urget adversarius: poterit ergo Papa negare Jurisdictionem: peccabit quidem, sed tamen negabit, & nullus erit Episcopus cum Jurisdictione. Sed hoc cogitare puerile est; sicut soli lux data est, ut eam toti orbi communicet, & fonti vena, ut in rivos defluat, & agros irriget: ita & Pontifici potestas collata est, non ut eam solus retineat, & in se colligat, sed ut aliis Ecclesiæ gradibus impertiat. Quapropter & si Pontifici semper licuerit unum, aut plures Episcopos ex causa privare Jurisdictione Episcopali: sicut & Episcopis privare quosdam presbyteros Jurisdictione in subditos: at omnes privare non tentabit umquam. Rectè Antigonus, cum quidam omnia regibus esse honesta diceret, non ipsum regem honesti, & justi regulam esse, sed justi, ac recti ministrum esse, ac defensorem: hoc pacto æstimandum non est Pontificē sua adeo auctoritate abuti velle, ut ea moliri studeat, quæ nulla ratione fieri debeant, & in publicam perniciem vergant. Si instes, quid si vellet id agere? Respondebo, quid si Ecclesiam suam Christus deserat, cum qua se ad futurum semper promisit? De quibus apud Zachariam Boverium in *Censura parænetica* parte 2. nec non in Censura Facult. Paris. an. 1617. contra eumdem de Dominis, ut in *apparatu*. Nec istis repugnat articulus Parisiensis an. 1429. Martii 8. in quo F. Joannes Sarrasin ex ordinatione facultatis pronuntiavit aliquas propositiones, ad alias emendandas sui Actus Vesperiarum, quarum prima erat.

Omnes potestates Jurisdictionis Ecclesiæ aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem, & collationem. Pro qua fuit obstrictus Decreto facultatis ad sic dicendum. *Omnes potestates Jurisdictionis Ecclesiæ sunt ab ipso Christo quantum ad institutionem, & collationem primariam, à Papa autem, & ab Ecclesia, quantum ad limitationem, & dispensationem ministerialem*.

Nam non aliud hìc intendimus; non enim Christus instituit Episcopos fore in Ecclesia sine Jurisdictione. Imo id ita instituit, ut illis conferretur Jurisdictio: ac primaria illius collatio, quæ scilicet facta est Apostolis quoad Episcopatum, & 72. discipulis quoad curatum, cum sit à Christo, est de jure divino; executio tamen illius institutionis Christi in particulari cum certa limitatione subditorum huic, & illi Episcopo assignatorum, est à Papa, & Ecclesia. Non enim Christus instituit, ut in eo loco esset Episcopus, & tales urbes, oppida, & pagi subderentur ipsi: ideo limitatio Jurisdictionis, sicut & ejus extensio, nunc major, nunc minor dicitur esse à Papa, & ab Ecclesia, quia Papa nunc in Concilio, nunc extra Concilium talia disponit. Licet eumdem articulum cum debita veneratione anno 1442. in revocatione M. Nicolai Quadrigarii ordinis Heremitarum D. Augustini, eadem facultas submittat determinationi Ecclesiæ, sacri generalis Concilii, & sanctæ sedis Apostolicæ. Quid porro censeat insignis Theologus ejusdem facultatis, ac professor quondam Theologiæ in Sorbona, sic accipe. Gamachæus in 3. p. *de Sacramento Ordinis*, c. 9. ait posse ordinari Episcopos sine ulla Jurisdictione, vocanturque titulares, qui agent ad nutum alterius Episcopi. Probat ex quibusdam Chorepiscopis, qui erant Episcopi sine jurisdictione, ut sentiunt Baronius tom. 3. anno 357. Bellarm. *de Clericis* c. 17. Genebr. l. 3. *Chronol. in Damaso*, Onophrius *in Epist. Pontif. Rom*. Probatur etiam ex Concil. Antioch. Can. 10. ubi dicuntur consecrati tanquam Episcopi, & præterea dicuntur non posse ordinare sacerdotes absque Episcopo civitatis: alia editio habet, præter conscientiam. Sunt titulares solo nomine, qui nec de facto, nec de jure obtinent Jurisdictionem ad eum finem ordinati, ut essent coadjutores ordinariorum.

Confirmatur sententia, ait, ex eo, quod clarissimi Theologi sustinent Episcopos, etiam si habeant potestatem characteris immediatè à Christo, non tamen potestatem Jurisdictionis, sed hanc potius à summo Pontifice accipere, unde etiam fit, ut est, characterem amittere nequeant, Jurisdictione verò privari possint. Unde & summus Pontifex potest reservare casus per totum orbem, &c.

Cæteri malunt Episcopis omnibus, & singulis competere aliquam Jurisdictionem jure divino, saltem si ordinarii fuerint, sed competere cum subjectione ad summum Pontificem respectu executionis, ita ut ejus exercitio aliquando privari queant. Valde probabilis sententia, ait, nec satis, quæ, & quanta sit illa Jurisdictio, aperit.

Maneat ergo, Episcopos Jurisdictione pollere ad ferenda Decreta pro regimine gregis sibi commissi: quæ Jurisdictio, & si subordinata sic Jurisdiction: Apostolicæ ordinariæ summi Pontificis, non desinunt tamen cum ipso pares esse in potestate ordinis: quare eos vocat coepiscopos, & fratres venerabiles. Domini denique vineæ cultores sunt, & dum singuli per orbem particularem suam Ecclesiam sibi creditam regunt in solidum respectu aliorum Episcoporum, Ecclesiam Dei regere non absurde dicuntur.

Quod verò dicit Apostolus ad Galatas, *licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam euangelizavimus vobis, anathema sit*, id intelligit de euangelizante alium Christum, alium Redemptorem à Christo: cum non sit in aliquo alio salus. Atque ad eundem scopum collineat alter locus: *tu verò permane in his, quæ didicisti*. In fide illa in Christum Redemptorem, sine qua impossibile est placere Deo.

Conclusio.

SEd jam satis datum est decretis Pontificum, quos Deus ad regimen Ecclesiæ, ad consummationem sanctorum in Ecclesia constituit. Plura alia adjici potuissent, sed ut nostri instituti fuit magis selecta, & utilia dare, nec eadem multoties repetere, ac quantum sufficere poterat ad complenda duo volumina, quid magis conduceret ad doctrinam potissimum in unum corpus comportare, ita ut in necessariis studioso lectori non ino-

inopes, & bonarum rerum egeni videremur, sensimus jam præfigendum esse limitem huic operi.

Unum tamen est decretum, quod prætermittere non possumus, tanti est momenti illud in omnium animis infigere. Decretum istud est decretorum omnium maximum, à Summo Pontifice, & omnis Ecclesiæ Hierarcha in ultima sua de judicio concione promulgatum, cujus executio certissimè futura est, à quo nullus eximi in æternum poterit. Hoc est decretum illud cæterorum omnium finis Matth. 25. *Et ibunt hi in vitam æternam: illi autem in supplicium æternum.* Hoc est decretum sempiternæ veritatis. Etsi cœlum, & terra transeant, at verba illa non transibunt: *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*: credis hoc, Christiane: cur ergo ita vivis: imo non credis, cum ita vivas somnolente, ubi de tanta partitione rerum æternarum agitur. Igitur non malè dicebat quispiam, non nisi duos carceres in mundo debere inveniri, alterum inquisitionis, in quo detinerentur homines, qui istud non credunt, alterum carcerem fatuorum, & delirantium pro omnibus, qui id credunt, & vitam in malis ducūt. Faxit Deus, ut si ex mente excidant tot alii canones Pontificum, istud numquam de memoria deleatur, *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, à quo supplicio liberet gratia Redemptoris Jesu Christi Domini nostri, Amen.

Gravi pondere tamdem solutus tertiæ editionis Summæ istius in fine conclusionis lecturos obtestor, ne quem laborem subii in his duobus voluminibus Conciliorum precibus aliorum invitatus, temerariæ præsumptioni tribuant. Fateor cum Vvalafrido Strabone in fine libri sui de rebus Ecclesiasticis, me nec reperisse cuncta, quæ dilucidari cupivi, nec cuncta potuisse, quæ reperi: cum & rerum magnitudo sciendi cupiditatem succenderet, & diversitatum confusio fastidii nimietatem præberet. Habebit tamen in his lectoris mei curiosa vestigatio, etsi non copiam, qua delectetur, causam inquisitionis, qua exerceatur.



INDEX RERUM, ET VERBORUM.

PRIMUS NUMERUS PAGINAM, SECUNDUS columnam, sequens littera columnæ partem notat.

A

B

Ba-

de

D

Di-

Fœmi-

G.

H.

per

K.

L

M

N

O

P

Re-

Via-

Vve-

X.

Y.

Z.

FINIS INDICIS.

